

MATTHIÆ DE LLERA OPERA MEDICA.

DE LIERA D · MC·Æ · SVÆ



D. MATTHIÆ DE LLERA

CATHOLICÆ MAIESTATIS
CAROLI II.
ET SERENISSIMI PRINCIPIS
IOANNIS AVSTRIACI
MEDICI;

IN CÆSARAVGVSTANO LYCÆO OLIM GALENICÆ & Hippocraticæ, nunc Vespertinæ Cathedræ, etsi Iubilati, vivacissimi Moderatoris, Liberalium Artium Magistri, ipsiúsque Vrbis meritissimi Civis, & paulò abhinc solertissimi Consulis, sanctæ Inquisitionis salutis, & Regni Aragonum bellicæ gubernationis cordatissimi Apollinarij:

CLAVIS TOTIVS MEDICINÆ,

Dentibus octo acutissimis fabrefacta, speciosiora arcana, magisque recondita penitissimè expandens, per octo videlicet Libros Methodi medendi Galeni, à septimo duntaxat usque ad decimum-quartum.

Accedit denuò MANVS MEDICA DEXTERA, olim iam [illegible], [illegible] digitos continens, quorum Primus Tractatum de febribus; Secundus de sanguinis missione; Tertius de purgatione; Quartus de crisibus, & diebus decretoriis; & Quintus de consultandi ratione pollicetur.



LVGDVNI,

Sumptibus CLAVDII BOVRGEAT Bibliopolæ, sub signo Mercurij Galli.

M. DC. LXXIV.

CVM APPROBATIONE, ET SVPERIORVM PERMISSV.





SERENISSIMO PRINCIPI
IOANNI
AVSTRIACO,
MAGNO REGNORVM
CASTELLÆ PRIORI,

A CONSILIO STATVS REGIS CAROLI FRATRIS SVI, universæ Classis Maritimæ Præfecto, Belgij Gubernatori, in Aragonia Prætori summo, omnisimque ejusdem Coronæ ditionum Vicario,

Suus gratissimus Medicus Doctor MATTHIAS DE LLERA, *in benevolentiæ signum*, D. O. C. Q.



AVGVSTVM Celsitudinis Tuæ fastigium dum ex humili tenuitatis meæ despectu suspicio, SERENISSIME PRINCEPS, temeritatem accuso meam, qui ad Solem Nominis Tui, cæcutientis hos ingenij fœtus exponam. Qui enim audeat, vel in tenuem Regiæ victimam Aquilæ superbire Papilio? aut ad extorquendas à Leonis augusti subirato vultu minas ullas assurgere? Vt enim lusit in id eleganter Hispanicâ lyrâ suâ Leonardus noster. *Barthol. maus Leonardus Operum Hisp. pane fo. 304.*

Vrsi, Leonis verbera, & unguium
Iras pavescant; sed veniam roget,
Si fortè Rugitus anhelat,
Vermiculus malè doctus auras.

Verùm hinc quasi ex ipsa timendi curâ confidentior erigitur animus; neque enim poterit aliquod subire discrimen in culmine, qui præ tenuitate suâ, ne mente quidem, aut voto moliri jam ausit accessum. Sed à Regia Tuæ Celsitudinis

tudinis humanitate tam revocor, quàm procul abstinebam Amplitudinis reverentia. Neutram agnovit, qui vel præceps animi festinavit obsequium, aut animi incertus, obsequium detrectavit: Sic olim ad Cæsarem Quintilius Varus: *Qui apud te audent dicere, tuam magnitudinem ignorant: qui non audent, humanitatem.* In tam ambiguo mentis in diversa distractæ conflictu, Prudentis est timor; & ex amore sperantis, accessus: Ex amore, inquam, quo passim omnes ad Te Celsitudo Tua nos evocat, quin communis hic omnium sensus, affectúsque debitæ reverentiæ fines excedat, conspiranti videlicet reverentiæ decore, & amoris illecebra, ut ex Ovidio novi:

Suetonius Tranq. in vit. Cæsar. relatus à Rabisio, tex. in offic. lib. 2. fol. 390.

Res est solliciti plena timoris amor.

Ovidius.

Expulit tamen ex animo verecundi timoris aculeum, ipse muneris, quod Celsitudini Tuæ nunc consecro, genius. Specimen literarium est, Scholasticus labor, qui adhibitæ indesinenter industriæ lumine viam sibi in abstrusiores SCIENTIÆ MEDICÆ sinus adornat. Et utcumque fuerint literaria munera, jure sibi vendicare patrocinium Principis, olim Cassiodoro videbantur: *Diadema eximium impr. tiabilis notitia literarum, per quam dum veterum providentia discitur, Regalis Dignitas semper augetur.* Alter is est lucubrationum mearum partus: primus enim è typorum umbra in orbis lucem emissus, Manus Dexteræ nomine, à Sacro Sanctissimorum Medicinæ Principum COSMÆ & DAMIANI Nomine sibi fecit auspicium: vel quòd semper è Cœlo Dexteritas; vel quòd plures etiam Manus pro multiplici, cui mortalitas est obnoxia, morbo sint opus. Floruit olim insigni facultatis hujusce gloria Centaurus ille Chiron:

Cassiodor. 2 variar. l. 2. 1.

Si qua salutifero Gemini Chironis in Antro
Herba, &c.

Patinius lib. 1. Sylvarum in Soter pro Rut. Gall.

Impar tamen fuit ejus, & Apollinis, ac Æsculapij Manus vulneri livoris, arrodentis corda mortalium, obducendo:

Vivit pectore subdolente vulnus,
Quod Chironia, nec manus levaret,
Nec Phœbus, sobolesque clara Phœbi.

Virgilius in carmine hendecasyllabo, de livore.

Quo necessum habui, non aliam solùm salutiferam Manum addere, dicente Seneca: *Naturale est Manum sæpiùs ad id referre quod dolet*: Sed eam avocare de Cœlo, ut meam illam, & ab invidiæ mole subduceret, & unà in scopum sub Sanctissimorum Medicinæ Principum, quasi manuductione, dirigeret; quorum ope illud identidem mihi subibat in animum:

Seneca de cõsolat. ad Helviam, cap. 17.

Iam tibi formosam porriget illa manum.

Ovidius epistol. 17.

Verùm hæc etiam Manus jure mitteretur ad Te nimiùm notæ terrarum orbi dexteritatis Imperatorem, SERENISSIME PRINCEPS: cujus sæpè Dextera non in Hispania solùm, sed in dissitis quoque Provinciis, nec in horrorem tantummodò hostium, sed etiam in triumphum effulsit: Præliis summa consilij dexteritate confectis, & emisso gladij fulmine, vel redactis in obedientiæ jugum, vel redditis jam jam amoræ tranquillitati Provinciis, laboranti propemodum victoriis tuis Orbe terrarum.

——— Iuvenum Manus emicat ardens
Litus in Hesperium.

Virgil. lib. 6. Æneidos.

Emicuere videlicet imperio sub Hispano armatæ hæ Manus, quin ad pulverulentas Victoriæ Aras unquam thura detulerint, ut quæ verissimum Victo-

riæ

riæ simulacrum:

Vincendi quæris Domi iram ? sua Dextera cuique est. *Prudentius contra Symmachum.*

Tu verò, Princeps optime, hujus Manus es Clavis, quæ in rei literariæ emolumentum, ut spero, Mortalium eam oculis aperit. Sed jam incidi in voluminis frontem, & nomen, quod nunc Celsitudinis Tuæ pedibus supplex advoco. Clavim inscribo Medicæ Facultatis. Et quidem subit animum opportunè illud Vincentij Cartarij de Romanorum labaris scribentis: *Legimus* (inquit) *etiam Romanos olim pro vexillo fœni fasciculo ad hastæ cuspidem religato fuisse usos: Itemque manu aperta, & velo quopiam; &c:* Latonæ depingens imaginem ipse Cartarius. *Manuum* (inquit) *altera in rectum porrigebatur, nihil tenens; sed Clavis non absurdè potuisset addi.* Si importunum haud foret porrectam DIVÆ Manum adhibita Clavi quadam implere; importunè non fecero, qui Victricem Celsitudinis Tuæ Manum, sub cujus ut vexilli militaris asylo defendi toties, & protegi suum vidit imperium Hispania nostra, Clavi nunc occupem, quam tui memor, ingenij lima quantum assequebar expolij, ut ad Augustam adeò Manum minus rudis accederet. Vel Musicæ, quæ vim artis omnem in articulos digerit, opus est Clavis, ut aptam harmoniæ, consonamque viam aperiat. Clavi tota vis clauditur.

De imag. Deorum, fol. 272.

fol. 70.

Dente tenace premit nervum, nervumque remittit
Aurea Clavis— *D. Iuan de Xauregui, en Orpheo.*

Quippè ni beneficio Clavis ex acriori, & suaviter fracto sono, dissimillimarum vocum existeret moderatio, nunquam mellitus ille concentus exurgeret, nunquam audientium animis numerorum suavitas instillaretur. Et quidem si ex quadam veluti humorum armonia corporis nostri salus integra nascitur; Rectè profectò sibi convenit cum Manu, quæ curet, Clavis illa, quæ temperet. Dixerunt olim aliqui, duas Cœlo portas inesse: id quod innuit eleganter Ausonius:

Qua postquam multa perpessus nocte Cupido
Effugit, pulsa tandem caligine somni
Evolat ad superos, portaque evadit eburna. *Ausonius.*

Earum altera Deos demittebat ad homines, altera verò homines admittebat ad Deos. Vtriusque tamen Ianuæ Clavis Amori committitur apud Cartarium: *Quidam asserunt duas in Cœlo Ianuas esse, per quarum unam animi è superioribus ad inferiora descendunt; per alteram è contrà, ab iis ad illa conscenderent: hanc Deorum, illam hominum dixerunt: ambarum Ianuarum Claves penès amorem esse Orphæus volebat: quare non absurdè amor Claves in manibus habens depingi posset.* Inspecta hac imagine, altiorique mentis perspicuitate conspiciens, quemadmodum ad nos, aperiente sibi viam Amore, è Celsitudinis Tuæ cœlo descendas: hæc citrà dubium est, dixi, Numinum Ianua. Alteram quâ nos ascenderemus ad te quæsivi: & utriusque Ianuæ Clavim uni Amori committendam esse cùm duxerim, hanc ipse, quam ascensurus ad pedes tuos, altissimum meæ sortis apicem, & votorum summum adstruxi, nunc consecro. Et quidem si Dignissimum Clavis decet, turpissimè laberetur, qui non eam tibi deferret, cujus in animum tot, & tam egregia decorum ornamenta conspiravere certatim, vt in eorum laudem assurgere, sine peccandi, præ tenuitate, discrimine, vix audeat Eloquentia. Spirantem eorum imaginem, aut certè conatum meis objecit oculis ille Sydonius, qui Te, evolanti, procul ab assen-

De imaginibus Deorum; folio mihi 336.

Papinianus in l. cùm Pater, §. Pater pluribus, ff. de legatis 20

 tationis

tationis scopulo penna, utque vix in laudes eximias involavit; cultiori tamen quàm ipse possem, styli amœnitate descripsit. *Multa in Te genera virtutum, Amplissime Domine, munere superno congesta cernimus; siquidem agere videris sine superbia Nobilem, sine invidia Potentem, sine superstitione Devotum, sine jactantia Literatum, sine ineptia Gravem, sine studio Comem, sine asperitate Constantem, sine popularitate Communem.* Id mihi fecit animos in præsentia, SERENISSIME PRINCEPS, ut elucubrationes has meas Tuæ Celsitudini consecrarem. Vtque ex Imperatoris Zenonis ore; Principum est honores in quemque facilè derivare; hunc spero è Celsitudinis Tuæ fastigio, ut tandem hoc meum probare ne graveris obsequium. Sic te incolumem fortunet Deus, jubeatque parta & Famæ, & Nominis immortalitate diu perfrui.

Epist. 15. lib. 8.

In l. 3. C. de Cósulibus, & non Spag. lib. 12.

Tuis pedibus,

Addictissimus Servus, & Medicus
Doctor MATTHIAS DE LLERA.

PRÆFA



PRÆFATIO
Ad Lectorem.



VAMQVAM tranquillitatis status jucundus videatur (CHARISSIME LECTOR) cùm negotium obeamus, ut otio tandem molli perfruamur: hoc tamen sine exercitio atque literis, quasi mortem ignavam esse, vivique hominis cadaverosum depositum quis non sentit? Cùm homo, ex Philosopho ad agendum sit natus, propterea remissio animi, ejusdem amissio ab Ausonio nuncupatur, cum vitali otio, vel si mavis existente otio vitiorum origine, animus sine ulla medelæ spe, quasi flabellatione ad vitam requisita privatus, marcescat. Nativus calor ventilatus micat, ac spiritum rationalem splendentem conservat; opacitate verò gravatus, motuque congeneteo feriatus perit, nonque aliter aquæ sub umbra opacæ & latentes motu torpescunt, & quasi vivifico spiritu privatæ putrescunt: quare si meum opus non placidum, quia nihil boni continet, sit, ut curatu aliorum acutiori menti facilè fiat, ne lateat, exopto, si doctrinam fœcundam invisceratam contineat, ne inutilis reddatur. Iterum ne lateat, avidissimè divinum Numen imploro, ac inter omnia veritatem indagatam, & apud eruditos denuò indagandam exercitij literarum amore proponam. Selectior etenim rationalis finis accedere ad Creatorem est, perfectius ad illum medium est veritatem colere, cùm veritas Deo unum cognatum sit quare improbè sentiunt, qui malle se cum Galeno errare dicunt, quàm cum veritatem profitentibus rectè sentire, illi quidem ultra quòd errorem committant, quid error sit, nesciunt, ac veritatis delectabilem naturam indagare omittunt: veritas autem vinci non potest, falsitas in fumum abit: plurimi etenim naturæ humanæ languoris obliti valde prodessent, si Archigenis verba sic alloquentis perpenderent: *Difficile est, ut qui homo sit, non in multis peccet, quædam penitus ignorando, quædam malè judicando, quædam negligentiùs scribendo.* Quibus aureis verbis in eorum mente sigillatis errores fugando, veritatisque naturam inquirendo feliciùs ad Deum accederent, quemque Christiana Religione prætimendo sapientiores evaderent, *cùm initium sapientiæ sit timor Domini*, à quo veritas originem ducit; unde ex Artabanio apud Herodotum; *Vera dicere & vera sentire lucrum maximum est; nam quamvis adversi quid accidat: tamen veritas constat, etiamsi à fortuna dejecta sit sede sua; at verò qui falsa dicit, & falsa defendit, quantumvis fortuna illi faveat, aliterque res cadat, ac debebat: tamen mendacium amplexus est.* Et inferiùs Author inquit. *Qui vera sectatur, ei semper eveniunt bona, si non subitò, tamen aliquando post.* Sicque ut doctrinæ veritatem hujus Operis nuda mente conjicias, rogo, despiciasque affectum, si aliquis tibi adesse possit, quod mihi creditu est difficile: evenit enim quòd pluries affectibus rapiamur, aliquandoquidem amore vel nostri, vel aliorum, aliquandoque odio, vel neglectu: nam ex Galeno, quem diligimus, ab ipso omnia rectè fieri, laudatúque digna sentimus; & de quo non ita honestè judicamus, illum ferè contemnimus, etiamsi prudenter sentiat, cùm non rarò ambitio nos ducat, dum laudem captare conamur; sicque etsi honorificam hujus operis mentionem facias, nihil ages, si pronior tamen semper ad vituperium quàm ad laudem sis; nam laus tua potiùs gravativa quàm decorosa erit: qui enim leonis laudibus murem ornat, non ornat, sed illum onerat; excogitationem quidem honestam, ut instituas deprecor, quia licèt immensum erroris pelagum me parrasse in scribendo fatear, non proinde me scripsisse pœnitet: nam ex commisso atque fasso errore, non exigua in posterum aliis utilitas comparatur, ut ex Celsi mente clarescit. *Convenit*, inquit, *Medicis simplex erroris confessio, utpatè versantibus in eo ministerio, quòd utilitatis causa posteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione qua alij ante nos decepti sunt.* Et in Platonis sensu.


Periculosior

Periculosior est stulta scientia alicujus opinio, quàm perfecta ignorantiæ libera confessio; & quamvis tibi stomachanti (quisquis sis) hujus Tractatus labores aliorum sensibus deberi videantur, meam mentem non defœdat, cùm ex Galeno; *laude digni sint, qui explicant, quæ rectè dicta sunt, & addunt, quæ prætermissa sunt: fieri enim non potest, ut unus idemque incipiat, perficiatque.* Nec mea operatio ita cunctis placere valebit, ut etiamsi veritatem profiteatur, generis humani fragilitati inæqualiter sentienti non subjiciatur, cùm ex Seneca dicente constet, quòd *tam benè non agitur cum genere humano, ut verè bona multis placeant;* præsertim in aliquorum propensa natura ad cuncta despicienda, cùm omnia increpitent, quamvis neque legant, neque lectum intelligant; quibus tamen etsi veritatem obumbrare cupientibus, ipse non cedens hoc mirificum & Galenicum opus offero, utpotè totius Medicinæ clavem nuncupatum, eo quòd omnia facultatis arcana, ac difficultatum viscera detegat, per octo quippe methodi curandi libros Galeni nitidissimam, veriorémque morborum curationem stabilit, in cujus scriptionem aggrediendam stimulus mihi fterit, ut veritas fulgescat, Creatoris nostri immortalis gloria colatur, studium studiosorum roboretur, ac reipublicæ utilitas, totiúsque orbis pro salute dominante servanda, dejectáque dexterè acquirenda, cunctos eruditione, ac experientiæ proventu non fugiat. Vtinam omnia ad laudem Creatoris nostri felici floreant eventu.

APPROBA

APPROBATIO

R. P. F. *Thomæ Francès de Vrrutigoyti Lectoris Iubilati, olim in Aragoniæ Provincia Ordinis Minorum Ministri Provincialis, totiusque Religionis Secretarij generalis.*



A D.D. GREGORIO XVLVE in hoc Aragoniæ Regno Cancellariam regente commissum sub hoc titulo, *Commentaria in Methodum medendi*, volumen gratissimè perlegi; Commentatorem comperiens peritissimum, ac inclytum in Apollinea facultate Doctorem MATTHIAM DE LLERA, ad cujus lauream Liberalium Artium disposuit Magisterium; quid ni? fingitur Apollinem in Parnasso exclamasse de justitia Doctorem, quemcumque ibi plaudebant Magistrum. Politicum transeat figmentum; practicè in hujus Tomi Auctore expressum, de veritatis rigidiori sententia. Galenicam, atque Hippocraticam eximius ille utramque regentavit Cathedram apud Cæsaraugustanum Litterarium Armamentarium, nunc etsi jubilationis culmen pertingat, Vespertinam in eadem moderatur Academia. Catholicæ Majestatis Caroli II. Hispaniarum Regis Aulici Medici nomenclatura insignitur ex merito; Regimini Cæsaraugustæ Imperialis Vrbis, nec defecerit quandoque sors, olim ejus civitatis Iuratus, seu Consul extractus, onere pius, non honoris supercilio allectus. Agressum miror, documenta stupeo, tam salubria, rationi consona, nec à Philosophorum aut Medicorum in apice discrepantia latentia demonstrationibus exponens difficiliora, atque curationi aptandæ de facili decidens, ut hinc Ecclesiast. cap. 18. v. 20. confirmetur assumptum. *Ante languorem adhibe medicinam.* De spirituali literalem fatebor sensum, corpoream præveniendam sanitatem, similiter ducit intentum. Cornelius à Lapide ibi. *Hic versiculus æquè ac præcedens de morbo non tantùm corporali, sed & spirituali accipi potest.* Paralogicam non negabo Siraccidis clausulam ex Ioanne Menochio. *Imitare Medicos qui præservativis medicamentis vim morbi imminentis antevertunt.* Salubri, ne diuturna fiat ægritudo rem consilio perpendit Emanuel Sa. *Medicinam præservativam, vel qua possit ægrotus curari interroga, examina.* Quidquid loco stringitur in persona ad universas in libro dilatatur regiones, vel præservantes peritis, proponendo cautelas prædictionibus eruditè indicativis, aut curativas diffusas argumentationis soliditate. Aptè Liranus. *Sicut enim infirmitas corporalis redditur incurabilis per diuturnitatem, sic spiritualis per consuetudinem.* Methodica igitur medendi liberalis ars eum respicit scopum, ne aut ferocia invadant molestantia mala; aut diuturna effecta in favillas humidum redigant radicale, tempore quo viatoris vitam peragere cœlestis decernit Providentia. Sic ejusdem Sapientis premo frequens de Medicina proloquium cap. 38. *Honora Medicum propter necessitatem: etenim creavit illum Altissimus.* Vbi Liranus. *Honora Medicum corporalem propter necessitatem corporis tui: Etenim creavit illum Altissimus, non solùm in quantum est homo, sed etiam in quantum Medicus, nam Deus est Author Medicinæ.* A ponderatione supersedeo, me remittendo ad Vallesium in sua Philosophia cap. 74. prædicti Textus investigatorem subtilem, cujus belligerum acumen de Catonis, Plinijque in Medicos & Medicinam latrantibus aculeis gloriosè triumphat. Hanc scientiam quis à S. Ambrosio serm. 21. in v. 6. psalm. 28. reprobatam censebit, cùm ait: *Contraria studiosè sunt divinæ cognitioni præcepta Medicinæ.* Oppositam dic eam abominatam in Asâ Rege Iuda 2. Paralip. 16. v. 12. & in Hemorrhoïssa Lucæ 8. v. 43. Nec reticeam quid de similibus Medicis observat Caramuel. tom. 2. de Theolog. fundamentali fund. 55. n. 5164. *Esse multos ignorantes & stupidos, qui tamen audacter ægros visunt, & dextrorsum, & sinistrorsum occidunt, certum est.* Quo fundamento inconvenienti occurro, quod satagit S. Gregorius Nyssenus tom. 2. epistola quam intitulat Canonicam ad Latoyum Mythilynensem Antistitem. *Laboranti convenientem medelam applicare, ne propter Medicæ disciplinæ ignorantiam alia quidem sit pars quæ ægrotat, alia verò cui est adhibita medela, sicut certè multos videmus Medicos, qui propter primò affectæ partis ignorationem, morbum suis medicamentis adaugent.* Non modicus infit scrupulus, dum ex ignota culpabiliter ægritudinis causa aberratur curatio. Ita aiebat Aristoteles, languens, Heliano referente lib. 9. variar. historiarum; & Medico affatus. Ne me cures ut Bubulcum, vel ut Fossorem, sed prius causam edissere. Id observat Galenus, tanti dictaminis fautor, patronusque & Magister lib. 8. Methodi, cap. 3. & lib. de cognoscendis & curandis morbis, quanta Reipublicæ & singulorum detrimenta à similibus evenient. Scitè S. Bernardus epistola 321. ad fratres de Sancto Athanasio, & compatiens habitare in regione insalubri. *Scio etenim quòd in regione habitatis infirma, & multi aliqui ex vobis laborant infirmitatibus: Compatior utique, & multum compatior infirmitati corporum, sed timenda, & multo magis cavenda infirmitas animarum; propterea minimè competit Religioni vestræ medicinas quærere corporales, sed nec expedit saluti.* Equidem ab illo qui infirmitatis causam ignorat, nam temerè pharmaca jugè applicabit in necem; nec corporeæ necessitudini mellifluus Pater damnat urgentia; hæc exposcere, inquiteréque, conscientiæ munus, meritorum stimulus, atque divinæ voluntatis explicitæ consonantia, fas sit concedere. Sed unde patescet? Theopbilus recitatore Stobeo serm. 109. Interrogatus *quis perfectus Medicus*, satisfecisse fertur. *Quicumque inter possibilia & impossibilia discretionem apponere valet.* Impossibilitatur curatio inscia languoris radice. Hanc discutere præsentis voluminis argumentum est, methodum curandi ingerens per causam cognitam. Si tantisper sistas, in quolibet cognosces commentario, ab

origine

origine derivati methodicam radicitus in saluberrimam deductum medelam. Lubet Authori applicari noviter à pluribus frequenter versatus eventus. Languebat quidam symptomatibus periclitans, & à perito Medico convaluisse fertur visitatus, ex quodam ordinato composito, quo sanitati redditus, securus per annum processit. Eo transacto recidivus antiquum pharmacum nutu languidus sumpsit proprio, à quo recrudescente ægritudine in vitæ iacturam ferè trahebatur; vocatus Medicus, sciscitatusque, quid foret priscam nocuisse medelam, nec profuisse, sic afferitur loquutus. *Idem utrobique pharmacum fuit, non ideo profuit, quia ego non dedi.* Det peritissimus LLERA, & in sanitatem proficiemus, dignus velut etiam Iustiniani præmio remuneretur notandus versiculus.

Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores.

Vtriusque scientiæ capiat emolumenta, dum in comperto est & Catholicæ fidei conformia universa scribere, nec in iota dissona Sacræ Paginæ, Conciliis & Patribus, adamussim Hippocratis regulam adimplens, qui in totius Medicinæ proœmio fatur. *Non solum ægrotus præstare se debet opportuna facientem, sed & Medicus adhibere curationem, & Dominum deprecari ut dirigat opera sua.* Tanti scientiæ Principis non refragabor simulachrum in eruditissimo Doctore exprimere, ei accommodando quod Ioannes Lorinus in v. 14. cap. 18. Actorum, §. carpit, recenset. *Hippocrates de se ipso ad Abderitas scripsit: Nusquam se pro Medicinæ usu mercedem recepisse, scilicet: potuit id usurpare quod suum Patrem Medicum Ausonium Ausonius Poeta* (ita in edit. 10.) *cecinit usurpasse.*

Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ,
Officiúmque meum cum pietate fuit.

Et quæ opulentissima tam egregium remunerabuntur laborem? Det aliis opes Galenus, eas non remunat Ausonius, exules iubent ab Hippocrate, inemptam offerat facultatem, quia merces facinus nusquam compensabit. De te idem dicam ne assentiam, & tuas delineabo laudes in Homeri eleganti carmine apud Pierium Valerianum Hierol. 17. pag. mihi 159.

Vir Medicus par est multorum millibus unus.

Vnus pro millibus multis indicaveris Commentariis condigno merito, tuisque alloquar coævis Cassiodori verbis in recapitulatione de divinis lectionibus, cap. 31. *Quamvis Medicina legatur à Domino constituta, ipse tamen sanos efficit, qui vitam sine fine concedit: legite Hippocratem, atque Galenum Latina lingua conversos, id est Therapeutica Galeni ad Philosophum Glauconem destinata, & Anonymum quemdam, qui ex diversis Authoribus probatur esse collectus. Deinde Cælij Aureliani de Medicina, & Hippocratis de herbis & curis, diversósque medendi arte compositos.* Legite præsentia Commentaria nuper inducta, & Medicinam à cœlesti Numine institutam irrefragabiliter iterum experimento capietis. Opus quidem de æquitate prælo præbendum in commune commodum; nihil orthodoxæ doctrinæ, vel Majestatis Catholicæ regalias contrarium continens. Ita sentio, salvo meliori judicio. In Regali S. P. N. Francisci Cæsaraugustano Conventu, die tertia Septembris, anno 1671.

Fr. THOMAS FRANCE'S DE VRRVTIGOYTI.

Imprimatur.

GREGORIVS XVLVE,
Regens Cancellariam.

APPROBA

APPROBATIO

Reverendissimi Patris Fratris ANTONII ENRRIQVEZ DEL VAYO, Sacræ Theologiæ Lectoris Iubilati : Provincialis olim, Vicarij nunc Generalis Aragoniæ, & Navarræ Minimorum.



B Illustrissimo, & Reverendissimo Domino D. Fr. FRANCISCO DE GAMBOA Archiepiscopo Cæsaraugustano, ex Consilio Regiæ Majestatis Catholicæ commissum sub titulo, *Commentaria in Methodum medendi Galeni*, cordatissimo animo perlegi, præclarissimum, vtilissimum, & nulli secundum tractatum, vt per vniversum ipsius fama volitet : nominis enim fama plena merces est meritorum: sine celebritate marcent facinora. Quamtumvis honoribus virtus oneretur, nisi sonitus opinionis accedat, immunerata iacet in obscuritate silentij : licet dormiat, cui elogiorum æstimata famigeratio successit, pro egregio opere somnus est; licet subdiu vigilet qui hyemes fert, æstusque strenuæ fortitudinis ardore refrigerat, si nomen ignoratur, vacat à merito. Ioanitas venti quæ nominis crepitum tulit, ingenti pondere gravidatur.
Sapientia abscondita, & Thesaurus invisus : quæ vtilitas, in vtrisque? Sacer eloquitur Textus. Ingenij *Eccl esiastici cap. 20. v. 32.*
partus nisi pennis quibus extrahuntur è cerebro, prælo fauente crebro aëra tranent, maria traiiciant,
regiones permeent, quasi à pennis sauciati miserè dolent. Ideo in vnaquàque facultate typis mandare *lib. 8. Epig.*
elogiis dignum. *Sed librum scribere dificile est.* Elegans ille Aragonius suo epigrammate expertus ca- *epig. 74.*
nebat. Quid de libro diceret, qui ad meas (vah) nunc Pervenit manus, cui titulus: *Methodus medendi Galeni, Clavis totius medicinæ omnia arcana detegens & pretiosiora Sapientibus condonans?* Sanè ingenio non Giganti impossibile. verùm *Doctor Matthias de Llera Medicus Regis Catholici Hyspaniarum, Galenica olim, atque Hippocratica, nunc vespertina cathedra moderator perpetuus in Cæsaraugustano Liceo, eiusdemque Vrbis meritissimus Civis*, sua dexteritate faciliter perfecit, cuius elucubrationi debent tutum professores Appollinei. Nam si ad librum perficiendum qui despectui non nascitur, sed *Comm en.*
avidè quæritur, quo Author veluti diademate redimitur. *Desideratur varietas, acumen, & largus ingenij* *Marc.*
fons; ad librum omnia arcana Medicinæ detegentem quid sufficiet? miraculum est ingenij. Sed cur ego minimus Theologus, & Theologus minimus, ad Clavem totius Medicinæ si non manum, oculos iniicio? *Abrotanum agro non audet nisi qui didicit dare, quod Medicorum est, promittunt Medici.* pangebat Ho-
ratius : vt approbem, an vt miter, nihilque in en aut bonis motibus obstans, aut fidei orthodoxæ re- *Horat. lib. 2. epist.*
pugnans inveniri fatear? sanè cæterum nullus nisi Author tale omnibus numeris absolutum poterat
edere opus de quo illud Horatij dicerem; *Si munus Appolline dignum vis complere libris.* Priusquam *Epist. 1.*
scisciteris gustabis rationem. *Manum dexteram Medicam* ipse iam professoribus dederat; Clavem expe-
ctabant, nunc grati clavem spectent, locupletati plaudant; vis comprehensiva manus Clavis solet vo- *cmeru de*
citari. Vis solum acuminis ingenij Authoris Methodum medendi Galeni vno libro posset comprehen- *rebus Polo-*
dere, & omnia arcana Medicinæ reserate. Dolerent Medici absque hac aurea Clavi, hac iam aurea *nis.*
Clavi gaudebunt ægroti. *Zelislao virtutis* ergo data est à Rege Boleslao *aurea manus*. Nostro Authori
ob suam manum auro pretiosiorem, omnes gentes plaudant manibus Plura dixit Suidas de ingeniosis *Suidas.*
Spartiatarum clavibus, deficiet Græcis, vt eloquantur de hac clavi, elegantia, Methodus. Servator *Rangolius in*
noster Christus pluries se esse fassus est, Medicum Divinum probat, dum *Claves mortis & vitæ* se ha- *cap. 13. lib. 1.*
bere profert; hac clavi talia stupenda miracula fecit per se suisque commodata discipulis, vt mitis au- *Reg. Apoc. c.*
ditis curationibus adductus Galenus in *Iudæam comendere decreverit*. Clavem totius Medicinæ ubodo- *1. v. 18. Anetas.*
rans, & anhelans, vt Author est Symphorianus Camperius. Sed hoc desiderium vehemens simul cum *Sympho r.*
vita extinctum est in mari. Clavem in manu Iani præcipuè statuebat antiquitas. Securitatis esse signum *Camper. c. 11.*
refert Pierius. Manu dextera Clavi ornata apud Græcos celebratur Apollo. Ianum verò eundem esse So- *Pierius Val.*
lem multi autumarunt. Ergo noster Author *Sol, Ianus, Apollo*, hac iam ornatus colendus est clavi. *lib. 48. f. 522.*
Solem Antiquitas radiantem volucrem delineabat, hinc Phænicem artificioso ævo suis pennis nacto, *Cornel à lap.*
succidanea tempora despicientem effingi notat Alapide. Sed sive rara avis Incis origo, sive Ales æter- *in c. 30 Ezechiel.*
nus, de singularitate famosus, suis pennis fausti debentur plausus. Liber ergo hic suum Authorem *Melach. 4.*
Phænicem reddet, Solemque Medicinæ constabit; de eo namque dicerem; *sanitas in pennis eius* Nescio *Horat. cam.*
si subsidium dictorum præsagine quadam habet alas Author in suo glorioso stemmate Alatus Phœbus; *qui* *secul. epse.*
salutari levat arte fessos corporis artus. Aliud etiam iure meditabar; *nec nomen quidem vacuum est luce* *D. Ambros.*
laudis. Aliorum dicebat Divus Ambrosius, nomen Authoris opus probat, & commendat: *Matthias* *Sapien. cap. 8.*
sortem tibi obi cit statim; sortitus est Author, vt Salomon gloriabatur animam bonam, Ingenij acumen *v. 19.*
rarum. *Llera*, duplici elemento *L.* initiatur cognomen. initiali *L.* nuuquam satis celebrandi notaban-
tur strenui, & ingeniusi Lacedemonij fatur Pierius Valerianus. Arithmeticus Romanus numerum sa- *Pieri Val lib.*
crum quinquagesimum animadversum statuet; duplici quinquagenario noster *Llera* cornnatus incedet, *42 fol. 452.*
Digitis dexteræ manus taliter dispositis numerum centesimum significari, coronamque defendit D. Hie- *D. Hieroni*
ronymus. Iure ergo suo *Llera* centesimo coronatur numero suo diadema promente cognomine. *Ada-*

Apud Pier lib. 37. *mantius quoque* (scribit Pierius) *numerum hunc plenum in omnibus , atque perfectum autumat* , aitque *totius rationabilis creatura Sacramentum in se continere.* Non ergo nisi *Llera* opus quæret concinnare *Simonides.* quod pretiosiora quæque Medicinæ ambiret. Simonides Poeta Lyricus magnæ laudis loco Appollinem Græco nomine appellat, quod *centum* innuit ac quasi hac una sacra nota eius cognomen exornat, quod Pythonem serpentem centum sagittis confecerit. Serpentes morbos acutissimis doctrinis novus Appol- *Homerus in Iliad.* lo hoc opere conficit. Pharetra rationalis est *Llera* suum celebre cognomen repignerans. Homerus Iovi clypeum è centum lauris arcanus attribuit. Quia mundum universum quem clypei forma propter rotunditatem comprehendit , non alius numerus quam centenarius describit (meus sic annotabat Ran- *Rangolius tom. 2. in cap. 20. lib. 1. Reg.* golius) centum lauros apud sapientes vendicat qui totius Medicinæ clavem , omnia arcana detegentem, qua rationalis universus mederi possit , conflavit. Denique librum hunc mirans sic rebar : huiuscemodi opus , ut *Benjamin* Medicinæ debere aspici , diligi. Enitente Rachele pulcherrima prolem , duplici ratione secundam , appellata est à matre anima æstuante præ dolore , *Benoni* , id est , *filius doloris mei* ; *Gen. 35.* *Pater verò appellavit Benjamin , id est filius dextera* , sacro comminiscente eloquio. Hæc consonant *D. Ambros.* apprimè huic exantlato labori , quemlibet proferat Doctus , recte eius dicetur filius , sapiensque est Patri mater eiusdem ; scripta filij nota loquutione , non nota , vocitantur notabat sanctus Ambrosius. *Horat. in arte Poët.* Hic ergo labor filius est doloris.

Qui studet optatam cursu contingere metam ,
Multa tulit , fecitque puer sudavit , & alsit.

In cap. 17. lib. 1. Reg. Sed & est filius dexteræ , cum Manu Dextera Medica Authoris summam habens habitudinem non immerito talis *Manus Dextera Medica* quinarium numerum digitorum explicat : hic namque numerus apud Interpretes sacros , meo afferente Rangolio , tanquam ex mare , fœminaque consurgit , ideóque fœcunditatem sonat : ergo Liber hic filius nostri Authoris , nobilis , & acuti do- *Genes. 42.* loris *Dexteraque* suæ genuinus , naturalisque est filius. Iure igitur Benjamin Medicinæ toto corde & *Satyra 8.* ore est conclamandus , sicque à Professoribus suspiciendus , & suscipiendus , & sicut Iacob absque Benjamin , etiamsi aliis esset stipatus filiis , omnibus se carere liberis querebatur anxius : sic Medici omnes *Idem lib. 2. Epist. epist. 8.* absque hac Methodo erunt absque libris. Authori ergo ut cætera taceam , concludens dicam quod Horatius aiebat : *Responsura tuo nunquam est par fama labori. Operi quod idem Floro. I bone quo virtus tua te vocat , i pede fausto , grandia laturus meritorum præmia.* Ibit pede fausto , felici gressu, nam in nullo claudicat , cùm nec bonis moribus , nec Catholicæ fidei rebus offendiculum offerat. Sic sentio. Cæsaraugustæ , in Conventu Minimorum , Sanctæ Mariæ de Victoria sacro , luce 12. Aprilis , anno 1671.

Fr. Antonius Enrriquez del Vayo.

O S Don Fr. FRANCISCO DE GAMBOA por la gracia de Dios, y la Santa Sede Apostolica Arçobispo de C,aragoza , del Consejo de su Mageftad, &c. Haviendo visto esta Approbacion , que por nuestro orden se cometió al Reverendissimo Padre Fr. Antonio Enrriquez del Vayo Letor Iubilado, antes Provincial , y aora Vicario General de la Provincia de Aragon y Navarra de los Minimos : DAMOS LICENCIA , para que se pueda imprimir el libro que refiere dicho parezer. Dat. en C,arag. à 15. de Mayo de 1671. año.

Fr. FRANCISCO
Arçobispo de C,aragoça.

✝ *loco Sigilli.*

Por mandado de su Illustrissim. el Arçobisp. mi Señor.
Iayme Iuneo BORRVELNO.

CENSVRA

CENSVRA

Reverendissimi Patris Fr. MICHAELIS LOYS DE ARGUETA, Lectoris emeriti Sacræ Theologiæ, Cæsaraugustanæ Diœcesis Synodalis Examinatoris, nunc Provinciæ Aragoniæ & Navarræ Ordinis Minimorum S. P. Francisci de Paula tertiò Provincialis, Catholicæ Majestatis Caroli II. Hispaniarum Regis Verbi Dei Proclamatoris;

AMPLISSIMO VIRO

Liberalium Artium Magistro, Medicinæ Doctori MATTHIÆ DE LLERA, *Galenicæ, atque Hippocraticæ olim, nunc Vespertinæ Cathedræ in Vniversitate Cæsaraugustæ vivacissimo & iubilato Oraculo, eiusdemque Vrbis dignissimo Civi, & Regiæ Hispaniarum Maiestatis Medico.*

BILBILITANOS populos quadragesimales mores mihi docenti misisti librum Cæsaraugustæ typis mandatum, *Manus Medica Dextera* nuncupatum, pariterque *Clavem totius Medicinæ*, Lugduni futuro prælo excutiendam, uti addictissimo tuo (mi Doctor egregie) ut de tuo labore judicium facerem. Vtrumque librum excussum & excutiendum libenter accepi. Vidi, consideravi opera tua, & expavi; meque de suggestu descendente Feria 2. post tertiam Dominicam Quadragesimæ, in qua Evangelium de Medico instruendo proponitur: *Medice cura te ipsum*; calamum pro Medicina accipio, subito à Concionibus, ut citò per Postam meas litteras recipias, meúmque judicium videas de tua *Dextera, & Clavi aurea.* Clavem auream clamito, quia Clavis Regia & Davidica, juxta illud Ecclesiæ in votis priscorum Patrum clamantis: *O Clavis David, quæ aperis, & nemo claudit; claudis & nemo aperit.* Solus enim tu aperire nosti totius feras Galenicæ Facultatis. Hac *Clavi* aurea *Manum tuam Dexteram Medicam* cœtui Medicorum nullibi fugiet notitia, juxta illud Psalmographi: *Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia. Benè Manus Medica, & Clavis Medicinæ*, non quia præ manibus habes Galenum, Hippocratem, & Avicennam, sed quia in Manu Musici firmant Clavem, ut benè canant, psallantque modulatè. Armonico labore Medico Clavem tenes in manu, modulatè equidem. Filij Israël in reædificatione Salomonici Templi una manu trutela ædificabant, altera ense occupabant. Ensis est *Clavis*, uti Moses Barcephade gladio Paradisi Cherubico aiebat. In languentium ergo corporum reædificatione, & clavem, & trutelam habes; optiméque consonant: *Clavis totius Medicinæ, & Medica Dextera Manus.* Haud inter manus tuas distinctionem ponere debuisti, cùm manus utraque tua Dextera sit, velut alter Aod, *qui utraque manu pro dextera utebatur.* Novam *Manum, Clavem novam* tu solus nosti, juxta illud Ovidij:

Luca 4.
Psal. 89.
Moses Bar.
Judicum 3. num. 15.
Ovidius in Metamorph.

Inventum Medicina meum est, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Homerus in Iliade 2. *Vnus homo Medicus multis æquandus est, vel aliorum instar multorum est*, ut Erasmus aiebat. Iam nobis Medicorum turba quærenda non est, cùm sola hac tua *Manu Dextera* langoores depellantur. Nec erit jam querulus Bilbilitanus Martialis contra Symmachum Medicum.

Homer. Erasmus. Martialis

Languebam, sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum Symmache discipulis.
Centum me tetigere manus Aquilone gelatæ.
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

Herophilus pharmaca à docto Physico disposita vocat *Manus Dei.* Vnde Iob: *Manus tuæ fecerunt me.* Manu tua reficis opus à Deo factum, & Clavi Medica aperis difficilia quæque, ut clientes Apollinis facillimè aperiant nodosos tuæ Facultatis vectes. Æsculapium Medicinæ Deum baculo nodoso, & rudi depingebat Antiquitas. Quem Ovidius lib. 5. Metamorphoseos vocat agrestem, ex nodositate

Herophil. Job. Tiraq. c. 31. Ovidius 5. Meta.

Hipp. 1. aph. sent. 1. difficilia Medicinæ arguebant, ut Hippocrates in principio Aphorismorum dixit: *Vita brevis, Ars longa, occasio praeceps, experimentum fallax, judicium difficile.* Item draconem, vel leonem ad pedes

Eccles. 2. Æsculapij pingebant ocelatos, quia plena oculis Medicina est; *Sapientis oculi in capite*; Æsculapius in pedibus, noster Author in manibus. *Ecce ocelata manus credens id quod vidit.* Bene Doctor egregie post *Manum Dexteram Medicam clavem totius Medicinæ* typis mandas. Vltimam manum ponere

Alciatus embl. 16. ædificio clavem vocamus; *ipsa facit utraque unum*, quia claudit, & perfectam finit architecturam. Siste jam percelebris Doctor, iam opus perfecisti clavem ponens. Prælo manda librum, non ut Principatum, sed imperium inter Medicos teneas. Tota potestas Petri super omnes Collegij Apostolici Collegas ex clavibus arguitur: *Tibi dabo claves*, & totius Medicinæ clavem habes in manu: quare non ut Doctum Medicum miror, sed super omnes quasi potestatem habens intueor. Vive mi Doctor in ævum, ut nostram Celtiberiam, Cæsaraugustanamque urbem illustres, sed quia vita brevis, *Clevi*

M. Tullius in Cato. hac, & *Manu* in æternum gloria dignus eris. *Quis tantos labores susciperet, si eisdem finibus gloriam suam quibus vitam esset terminaturus?* Anima nostra arrogat immortalitatem quandam post vitam bre-

Var. Flacc. in Argon. vem. *Tu sola animos, mentémque peruris gloria, te viridem videt, immunemque senecta n.* Calcaribus stimulat gloriam consequutura absque injuria temporum.

Ovid 5 de trist.

Non parvas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Eccles. 12. Sed ad rem audi illud Ecclesiastici 12. *Verba Sapientum quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi.* Hocque sentio de tuo labore: Inæstimabile quidem opus, & ut verbis Ecclesiastici utar; *Non est*

Eccles. 30. *sensus super sensum salutis corporis*; ideoque nihil censura in eo dignum invenio. Bilbilis, hac luce 2. Martij, anni 1671.

F. MICHAEL LOIZ DE ARGVETA.

CENSVRA

CENSVRA

Doctoris Medici D. GASP. BRAVO DE SOBREMONTE RAMIREZ; Magnorum Philippi IV. & Caroli II. Potentissimorum Hispaniarum & Indiarum Regum Archiatri, & Protomedici, supremi Senatus sanctæ Inquisitionis Ministri & Medici Primarij: & olim in Archigymnasio Vallisoletano Artium Cathedræ Chirurgicæ, Methodicæ, Vespertinæ, Primariæ Hippocratis, & Primariæ Avicennæ Moderatoris,

Clarissimo Viro, Liberalium Artium Magistro, Medicinæ Doctori MATTHIÆ DE LLERA, *Galenicæ atque Hippocraticæ olim, nunc Vespertinæ Cathedræ in celeberrima Cæsaraugustæ Universitate acutissimo Moderatori Iubilato, eiusdemque Urbis meritissimo Civi, & Regiæ Maiestatis Hispaniarum Medico.*

MANVS tua Dextera quinque digitos continens, quam typis tradideras (VIR DOCTISSIME) ad nostras pervenit, tui eximij ingenij, & doctrinæ opibus abundans, dignaque omni approbatione, commendatione, & admiratione, utpote quæ coæquari possit celeberrimis Classicorum scriptis; & licet hac in re mea sit suspecta laus, quia in ea aliqua propugnas quæ à me propugnata fuerant, minus suspecta fiet, cùm & alia oppugnaveris, quorum tueri partes alibi sim coactus; præterquam quòd non adeo minus indulgeo, ut despiciam veritatis aram, quam maximè semper colam, præcipuè cùm in tuis scriptis liquerit mihi jam cognoscere ingenij tui specimen, quod ex publica fama olim innotuerat; forsan horum nescio rebare fari, sed certè fabare scio, dum mihi committens tua prælo tradenda Commentaria, dubitanter quid sentiam perquiris de eis quæ in octo libros Methodi Gal. in illis illustrata, contendis in lucem edere. Videram conatus Gal. docendi, & speciatim in libro duodecimo doctrinarum de febribus, quæ cum symptomatibus accidunt, & qualiter simul etiam dum morbo & symptomati de dolore & febre syncopi conjuncta, tam humorosa, quàm ex tenui bile orta, de vini differentiis, & de aptiori pro syncopi occurrendo, de aliisque accidentibus, ad quæ syncops supervenire solet: Sed in tuis Commentariis hæc omnia ita illustrata reperio enarrationibus, animadversionibus, quæstionibus, ac variis doctrinis locupletata, subtilitatibus ornata, ut alium quemcumque præter Magistrum posses superasse. Lucem tamen præstas posteris ad horum intelligentiam, tuique præclarissimi ingenij dignum profers fructum. Reor igitur ut prælo quàm citissimè prematur; ut Medica res publica tui ingenij locupletur ornamentis. Nec te deterreant critica viventium judicia: utcumque enim properabis apud doctos tuas decantari laudes, & pro posteris securas facies, quia ut inquit Satyricus:

Parva coronato theatra Menandro,
Irriseruntque suum sæcula Mæonidem.

Doctor D. GASPARD BRAVO DE SOBREMONTE.

DOCTOR D. MICHAEL DE ALVA,

Olim in Complutensi Vniversitate Cathedræ Primariæ Moderator, deinde Philippi IV. nunc Caroli II. Hispaniarum Monarchæ à cubiculo dignissimus Medicus & Archiater.

Clarissimo & eruditissimo Viro Doctori D. MATTHIÆ DE LLERA, *Medico Regali, atque in Cæsaraugustana universitate vespertinæ Cathedræ Moderatori Iubilato, necnon ejusdem Civitatis Civi.*

S. P. D.



IX narrare possum quo gaudio, qua voluptate duplicatum opus à te continuatum perlegerim. Primum Manum Medici dexteram quinque digitis constantem vocas: videtur manus à Cassiodoro in variis depicta, quàm manum loquacissimam, linguosos digitos, silentium clamosum nominat: nam dextera tua manus est sermo tacitus, quo maiora Medicinæ arcana, quæ tenebris erant involuta illustras: imò loquax, qua præstantiora Medicinæ præcepta repræsentas. Alterum opus, Commentaria in octo Galeni Libros Methodi medendi appellas, quibus mille ingenij, doctrinæque artibus orcoctipis prædam tuam. Vtroque præclaro volumine partem Medicinæ theoricam & practicam comprehendis, bellumque cum morbis, mente, atque manu geris: unde tua Medicina non minus est suavitate jucunda, quàm sapientiæ fructu præclara. Effugient profectò stolidæ linguæ convicia, cùm tuam doctrinam devoraverint. Solùm tuæ authoritati innixus tuis Incubrationes subscriberem, ut cum Plinio juniori loquar: *Cujus mihi authoritas pro ratione sufficit.* nisi tuæ sapientiæ avidus, mihi adesset lucrandi cupido; nam ut idem profert: *Quamvis cedere authoritati tuæ debeam; rectiùs tamen arbitror in tanta re ratione, quàm authoritate superari.* Nescio profectò quonam pacto rem tantam paucis exprimam, atque in aspectu collocare possim: quare potius silentio judico venerandam, quam verborum multitudine prædicandam. Pro me loquatur idem Plinius, cujus verba magno plausu te celebrant: *Prooemiatur aptè, narrat apertè, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelsè: postremo docet, delectat, afficit.* Vivas tibi, ut vivas omnibus, & ut tibi & patriæ famam, populo salutem longè plurimam tribuas. Vale

Doctor D. MICHAEL DE ALVA.

CENSVRA

CENSVRA

D. FRANCISCI HENRIQVEZ DE VILLA-CORTA, Doctoris Medici, à Cubiculo Regali Philippi IV. & Caroli II. Archiatri, in insigni Theologorum Cœnobio Medica Toga illustrati; nunc verò in Complutensi Academia Doctoris Primarij, necnon in Facultate Medica Primarij Professoris,

Suo dilecto Amico, Celeberrimo Magistro & Doctori MATTHIÆ DE LLERA, *Vespertinæ Cathedræ in Cæsaraugustana universitate dignissimo Professori Iubilato, eiusdem urbis Civi, ac Medico Regali benemerito.*



VOTIES (PRÆCLARISSIME VIR) eruditissima opera tua lectito, toties demiror; quid de Commentariis super octo Galeni libros Methodi medendi proferam, quæ tanta fulgent elegantia, tanta adintegrantur eruditione, tanta scatent Aurhoris lectione, ut creditu difficile putem, per multa temporis curricula ab intellectu humano, etsi ingenuo, aliqua his operibus digniora, vel præstantiora posse in lucem emitti, quæ Medicorum animos ita suaviter demulceant, Methodum maxime gratam, ut & proficuam studiosi discant, qua omnium dubitationum in diagnosi & therapeusi occurrentium iter facile superabunt. Meritò ergo opera tua per Europeas Academias ab Eruditissimis Professoribus & gravissimis Magistris audio tantis laudum præconiis celebrata. O singularis phænix, quæ studij amore tantopere flagras. O liberalis Pelicane, qui sanguinis laudabilis præcipuum vitæ fomitem communi eruditorum victui impertiris. Perge, perge pro Reipublicæ bono, salutis propugnaculum, nostri ævi fulgentissime Sol, ut plura Medicinæ theoremata in lucem prodeant, quibus immortale eruditionis tuæ nomen, & fama indelebilis personent in æternnm. Vale.

Doctor D. FRANCISCUS HENRIQUEZ DE VILLA-CORTA.

Clarissimo Viro Doctori D. MATTHIÆ DE LLERA Galenicæ olim & Hippocraticæ, Vespertinæ nunc in Cæsarau[g]ustano Lycæo Cathedræ subtilissimo Moderatori Jubilato, ejusdemque Vrbis Civi, & Regiæ Majestatis dignissimo Medico,

Doctor IOANNES ALOS Primariæ pro Facultate Medicæ Cathedræ in Barcinonensi præclara Academia dignissimus Moderator, eiusdemque Vrbis meritissimus Civis.

S. P. D.



VIX ad meas manus fœliciter venerat *manus illa medica tua dextera* (vir clarissime) qua quidem omnibus, quæ versarunt vtiliter olim Antiqui, quæque subtiliter excogitarunt ævi nostri Doctores, supremam omninò *manum* imposuisti; cùm vt ex vngue leonem noscunt alij sic tuam ego novi in scribendo dexteritatem è *manu*. verùm quod opus in suavem animi voluptatem, stuporemque mihi dedit, acrem mihi subdidit curam reliquum corpus, cuius hæc erat *manus*, pari mentis ac cordis studio relegendi; spetanti quidem fore, vt tam nobili membro non dispar, novum esset ingenij, scriptionesque prodigium, & singularis splendor Medicæ, quam profitemur, artis: quam certè eo luculentissimis commentationibus, tui sustulit vigor ingenij; vt eam videre mihi videar de hoc sibi sæculo gratulantem, in quo è tuo calamo, tantum ei laudis, gloriæque pondus accrescit; id quod mihi iam licet, dum eruditissimos in Gal. commentarios de methodo medendi nuper è tua profectos manu, profectui potius meo, quam censuræ, tua nunc dimittit humanitas. Proh.

Calone peractum
fluxit opus?
Ante artis Medicæ talem liber aurea nobis
effluxere Manus?

In id me fortè consilium vernans dictionis amœnitas, vivida vis ingenij, solidum rationum acumen constans demum eaq; compositissima totius operis compago coniiceret, nisi te novissem tantæ commentationis Authorem. vt ingenuè fatear. Veterum illorum facultatis nostræ columinum monumentis ingeniosissimæ novitatis speciem induxisti; vt novam omninò lucem acceperint, omnique ex parte vegetior, & tuo calamo prodierit in orbem, Antiquitas. Ausim tamen dicere eas te singularissimæ novitatis gemmas passim dictioni subvertere dum tuos, eosque pene,

Divinos premis, docto de pectore sensus.

Vt totam in vnum calamum Antiquitatem cogere videaris. Quæ omnia, cùm meum erga te animum vehementer accedant, eo me facilè adducunt, vt te orem etiam atque etiam (vir clarissime) vti luci demum publicæ conseeres opus tuum. Prodeat ergo iam id volumen, in tui nominis immortale decus, in eximium Medicæ facultatis ornamentum, hincque Augustæ semper tuæ Cæsaraugustanæ Academiæ emolumentum longè maximum, teque bono nostro fortunet Deus, diuque servet incolumen ad votum meum. Vale.

Doctor D. JOANNES ALOS.

CHARISSIMO

CHARISSIMO PRÆCEPTORI,

CLARISSIMOQVE VIRO,

D. D. MATTHIÆ DE LLERA, REGIÆ MAIESTATIS Medico præstantissimo, apud Cæsaraugustanos Civi emerito, ac olim Galenicæ, & Hippocraticæ, nunc Vespertinæ Cathedræ Moderatori acutissimo,

Doctor IOANNES BAPTISTA CARNIENA & YPENZA, *Cæsaraugustæ urbis Civis, atque eiusdem Collegij Medicus, salutem plurimam dicit.*



REITRABAR opus tua plasmatum manu, elapso anno, cùm Magistratus officium exerceres, fore editurum; nec immeritò cùm eidem præstet, docente Cicerone, non modo rempublicam moderare imperio, verum simul obtemperandi modum Civibus aperire; forte illud ex Platonis sententia præostenditur; inter duo præcepta, inquit, 1. de offi. *alterum est, ut totum reipublicæ corpus curent:* officium sanè satis expletum; nam quid tua quondam dextera manu contingebas? quid nunc tua methodo ostendis? bonum me hercle reipublicæ! o felix illa cuius *civis patriam suam, ac bonos omnes, salvos, incolumesque desiderat:* sed cùm iam defecerit ille, forsque sustulerit ex humeris fascem purpureamque togam, methodum sive viam, viam ac methodum à te elucubratam video; nec scio an sis Galeni commentator, an ipse Galenus; at si manum ad methodum comparemus, non solùm medendi viam paratam habebimus, imò viam mano indicatam attingere, methodumque servandæ valetudinis per vlteriora sæcula, ac discussum scrupulum valebimus? Methodum scripsit Galenus, manum non attigit; opus enim erat ei cui dextera committebatur lineanda, Methodum conscribere, siquidem hæc, index manus apparet, aut saltem via qua dexteritate ducit manus; non ei cui Methodus manum quippiam diceris Galenus alter? Methodus, via communiter appellatur, viam ostia terminant, emergunt è tua methodo viæ totidem, quot morbi naturam increpant, totidem erunt ostia pro hostilibus pulsandis tua dextera affectibus: Arnobius, *quoniam nobis*, ait, *in manibus hostiarum sermo versatur*: in manu sermo erat, in Methodo, ad manus sermo venit; naturæ hostia Orco sacrata, tuos manibus sermones prehendat, nec fatalem expiratum pertimeat: exclamet ille, Orcus inquam, manus tua tetigit me, Methodus viam perditionis meæ paravit mihi: exultet omnis gens, exhilaret iam natura, quia manus, Methodo, & Methodus, mano, pallorem corruptionis detegit: non immeritò, manus Domini videtur illa, hæc digitus Dei. *Cicer. in Vat.*

Quid de tanto Authore dicam? sat erat quòd Papinius de Cæsare canebat.

Ipse etiam immensi reparator maximus ævi,
Attollit vultus, & utroque à limine grates
Ianus agit.

Sed melius nunc resonat 1. Tusculan. Cicero in aures; *qua melior in genere hominum natura, quam eorum qui se natos ad homines iuvandos, tutandos, conservandos arbitrantur?* O Llera doctissime! Quid tanto op e patras, humanæ sobolis conservationem, vniversi orbis iuvamen, Patriæque tutamen? Præclara sanè, atque illustris tua natura; gaudeat Illericorum Diadema, cingat tanti viri laus, nostræ Cæsaraugustanæ orbis, ac Iberiæ frontem. Llera vt pari, & dispari constans, infinitatum construit nomen, & quidquam ænigmatis subvolvit, quinque litteris manum effingit, non quasi totidem efformatam digitis, sed quatenus tot extent manus, quot fuere comparati digiti: nec miranda iam Methodus tanti ingenij partus, tantarum manuum ope.

Sileat vox, buccinet poëma.
Aspicite, ò Cives, senis Ennij imaginis urnam *Cicer. in Apoth.*
Hic vestrum finxit maxima facta Patrum
O decus, ò fama moritò pars maxima nostra. *Virg. Geor. 2.*
Mecenas, pelagoque volans, da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
Non mihi si lingua centum sint, oraque centum.
Ferrea vox, &c.

Pelagum volans tuum omnem illuminet opus, oram schemataque doceant, tuque vtinam diu valeas,
Tuus in perpetuum obsequentissimus Discipulus

Doctor IOANNES BAPTISTA CARINENA, & YPENZA.

DOCTOR



DOCTOR IOANNES FRANCISCVS RVIZ DE LA VEGA, Authoris Discipulus Medicus Cæsaraugustanus, & Civis amore raptus, Methodum exoptans, in laudem Magistri prorumpit ita.



FFER jam in lucem arcana Medicinæ, è typis extende Apollinis radia, à nebulis auri Æsculapij somnia, è profundo emerge. Hippocratis monumenta, methodi prode Galeni Commentaria (Amantissime Magister) subtiliora perfice, explica confusa, promulga vera, exclude falsa, ambigua distingue, omnia perillustra. fac vno totum; librum tuum emitte: quid? brachia contorques? coniungis palmas? oculos connives? frontem contrahis? attollis supercilia? signa sunt passionis: age, eia age, tui doloris particeps, fortasse alicui potero esse levamento: obmutescis? loquere jam, mihi silentium indixit Arpocrates: suspensione es raptus? mutus faris, & loqueris silentio? plura amori liceant percontari tibi. Methodus tua orbi famosa, scholæ perillustris, ægris proficua, Medicis necessaria, ingenij tui vulna non fuit concepta? con. tu vigilanti polita? indefesso digesta labore? studin inotiofo perfecta? & tempore præfinito conclusa? ergo illius fecundus erit partus: aliud existimas præteritum dolorem, ac futurum gaudium? placita tibi erunt parta, quæ dolorosa concepta fuere: ni Laguerium audi, *Quæ laboriosa sunt inventu studia hæc sunt iucunda senectuti otia.* Prodeat ergo in lucem, laus erit tibi: alijs verò delicia. *Eruditus, oportet vt semper aliquid ex se promat, quod alios delectet, aut se ipsum laudibus illustret.* (scripsit Lucius ad Ciceronem) Aliorum te deterrent præscripta? certè plures plura fecerunt, sed tu paucis plura fecisti; cùm methodo tua loquebatur Petrarca.

Variorum Auth sent. fol. 295.

famil. lib 7.

lib. de remedijs vtriusque fortuna dialogo 44.

Scriptorum tot sunt monumenta, quot aurea cœlo.
Sidera; at in paucis stat tibi vera salus.

Detrahentium stupet invidia? faustum te promulgant corona: non præstat invidum esse, quam miserabilem?

Petrar lib. 2. de remedijs vtriusque for. dial. 35.

Tuscul. 1.

Invidiam quicumque voles vitare notetur, m.
Infœlix fias non odiosus eris.

Modestus gloriam renuis? apage, angustia est animi contemnere triumphos; ardentiori stimulo non rapieris ad ardua, ex Cicerone disce: *Honos alit artes, omnesque incendimur ad studia, gloria* æternitatis est præmium, æternum te promulgant labores: nec loqueris adhuc? est ne primus ingenij partus? primus iam expectat secundum, si iam non secundus, sine secundo primus, quid primi, & secundi? partus idem est, primò manus dextera exivit Medicinæ: forsitan prima cupida Apollinis genitura, (comparabit vbique) sed methodi expectat redimere tempora; non quia duplex, nec duplex erat fœtus, istius corporis erat illa manus; quinquefoliarum librum cuncta aromatizavit ingenia. O fœlix Medicorum schola! illius manus quodnam erit corpus? si ex vngue leonem, selectarum difficultatum vtriusque Medicinæ plenum erit Athleta; sed quale huius Gigantis viscus calidissimum cor? si ex fervido spiritu restaurandi salutem, dexteritatem, miseris ægris principium erit vitæ: cordis istius quænam er Animæ si ex effectu causam, nitidioris veritatis plenissima doctrina: & tantæ scientiæ quisnam erit Author? *LLera*, Regius Americæ Imperatoris, Hispaniarumque Regis Potentissimi Caroli Secundi Medicus eximius? Llera, Augusti leonis Cæsareæ Majestatis, Civitatis, & Patriæ purpuratus Consul? vniversitatis Moderator Antiquior? Llera, stirpe nobilis, animo generosus, pietate plenus? Llera? si Llera, Magister, Magister? Discipulus sum ego, canant laudes remoti, rubent certè maxillæ? invidiis ne concipiar inspectus pariter tecum taceo: at librum semper excipio, vt eius ex indigno, assidua lectione, discipulo, aliquandiu dignum me conspicias Magistrum. Vale.

Humilior tuorum, sed amore superior discipulus,
D. IOANNES FRANCISCVS RVIZ DE LA VEGA.

DOCTRINARVM



DOCTRINARVM
OCEANO,
DISCVRSVVM
PERENNI FONTI,
SVBTILITATVM ACVMINI;

Meo, inquam, dilectissimo Magistro, celebrique Viro D. D. D. MATTHIÆ DE LLERA Liberalium Artium, & Æsculapij scientiæ suprema togato Toga, Galenicæ, atque Hippocraticæ, Aphoristicæ olim, nunc Vespertinæ Cathedræ Instaurarori (etsi Iubilato) vivacissimo, catholicæ nostræ Majestatis Medico, Cæsaraugustanæ Vrbis olim Consuli magnifico, & ipsius totius Vrbis validissimæ saluti.

In amoris monimentum, & universalis Medicinæ clientium beneficium, & utilitatem, MATTHIAS ANTONIVS VALENTIN *tanti Viri obsequentissimus Discipulus.*

S. M. D.



RVTILANTI, micantissimoque Phœbo gaudet jam Galeni methodi inaccessibilis rupes; concutitur læto murmure sublimis vertex; discurrentium præcipites fontes, & rivuli perstrepentes plaudentia murmura tollunt: quid mirum si suum phœbum in te (Amantissimè Præceptor) salutant? quid mirum

Si Medicas cœpis silvas penetrare latentes? Ausonius.

Non ita mane primis solis radiis coronantur montes, revirescunt arbores, efflorescunt agri, purpureas ostentat opes rosa, rident viridaria, & alis cantuque ludunt volucres, ac tanti culminis doctrina nos congratulamur. Iam nunc difficilis & labyrinthicata Galeni Methodus nitet purpura, spirat balsama, blanditiis calamistrata petit animos, mellita ora oblectat, lepida alloquitur, eloquens docet, docta placet, placida lenit, ac tandem legentium animos subripit. O quanta subtilitatum quadrigis enatat pulchritudo per Medicinæ prata! quanta per doctrinarum tempe exsurgit majestas? bene ergo, & uno dicam sermone, dicam quòd Salustius: *Prius defessi sunt homines laudando facta sua, quàm tu laude digna faciendo.* Manum Dexteram tot subtilitatibus imbutam extruxisti, nunc Galeni Methodum accuratè illustras: nunquam etenim sudoribus, laboribusque vacas studiosis; fortasse ideo tam multos præcellis, & ideo fortasse Zoilos habes mordicantes: nàm *Invidia semper sangit præstantes, non autem contendit cum deterioribus.* (Autumat caliginosus Boreas generosas stirpes, purpureas rosas, aromatizantia balsama, flagrantia & argyria lilia, othrios gariophyllatos flores, hyacinthinas plantas carptim dilacerare, nec videt naturæ famosiora miracula, nec odoriferis stirpibus placidè congratulatur; quid mirum ergo ut arbusta, humilésque myricas secum artipere quear?) Si tui ingenij specimen illis est stimulus, quid mirum ut in illud bacchatim calcitrent, forsitan quia capiunt? si non olfaciunt, quomodo sensabunt? perspicaciter ne tua studia tot dotibus locupletata prospiciunt? connivent, connivent. Quid denique mirum si huc & illuc vagantes micantissimis tui ingenij radiis hallucinantur. Fulgebis semper, rutilabis perpetuò, vibrabis in æternum. *Nam qui ad doctrinam erudiunt multos, fulgebunt sicut stella in perpetuas æternitates.* Rarum opus, anne quia rarum præclarum? ita certè: Quia *in omni arte, vel studio, aut quavis scientia optimum quidque rarissimum. & omnia præclara rara, nec quidquam difficilius*: quid Methodo difficilius, quid nodis obstrictius? quid nunc jam clarius, quid doctius, & quid utilius?

O Lector, quisquis sis, *materiam ex titulo agnosces*, ne antequam capias carpas, nec antequam

Salustius Orat. 1. de republ. ord.
Pinedaode 8.
Daniel Proph cap 12.
Cicero 2. de finibus.
Idem in Lælio
Plin. lib. 5. epist. 13.

Cicero pro Flacco. quam legas negligas, nectar suavissimum, ambrosiamque divinam si fortè sapias sapies, quia si *in minimis rebus magna sæpè res deprehenduntur*, in maximis maxima semper lucraberis. Eia eia

Nunc exemplaria Libra
Nocturna versato manu, versato diurna.

Horatius in Arte poet.

Quia ipso Horatio inferius scripturiente.

Scribendi rectè sapere est principium, & fons:
Rem tibi Libraica poterunt ostendere charta.

Idem.

O felices terque quaterque Discipuli, qui è tali fonte fuere participes! ô me licet ex cunctis pusillum felicissimum, quid de tanto dicam Magistro? dicam ergo quod Rabisius.

Rabisius Textor.

Si mihi tercentum donet nunc Iupiter ora,
Ipse tuas laudes promere non potero.
Dum tamen undosi pisces per summa natabunt,
Æquora, & in vasto curva carina mari,
Ætere dum pennis volucris depicta volabit,
Dum feret excelsus sydera clara polus.
Semper LIBRÆ *mitar clarum describere nomen,*
Quod semper dulci laude nitente viget.
Ergo age, sume meam tranquillo pectore chartam,
Musaque qua nullo culta nitore vigent.
Musa licet magno non sit confecta cothurno,
Luminibus tamen hac grata sit (oro) tuis.
Parce mihi Domine, & semper venerande Magister;
Hoc igitur sat erit commemorasse, vale.

Vale amantissime Præceptor, ut auras lucrando, Nestoream vivas vitam.

Dignum laude Virum
Musa vetat mori.

Horatius.

Tuæ voluntatis imperio ex omnibus Discipulis addictissimus.

MATTHIAS ANTONIVS VALENTIN.

ELENCHVS



COMMENTARIVM IN SEPTIMVM GALENI LIBRVM de Methodo medendi.

EXPOSITIO PRIMA.

PRÆFATIO,

Institutum continens, & quæ ad maiorem libri, mentisque Galeni intelligentiam præmitti debent.



1 ERCELEBRIS, felix, cordatusque Medicus, qui loco, iure debito & accommodatè remediis vti cognoverit, aderit: Hæc omnia satis callebit, quem, quodnam remedium cuique optimum, selectumque sit, & qua copia, qualitate, tempore, & modo cuilibet in vsum duci debeat, non prætereat. Omnes igitur, quibus medendi methodus obscura & incognita sit, cuncta suprà prædicta fugiunt. Methodus etenim medendi, curandum esse tutò, celeriter, & iucundè docet. Tutò quidem ne lædas, neque quid temerè aggrediaris, id est sine consilio amplexa temeritate; citò, ne remediorum exhibendorum mora ægri vires labantur; iucundè tandem, ne remediorum pondere natura defessa ipsorum onera sustinere insufficiens reddatur. Sicque facilitate potiùs, quàm vi suo muneri Medicus, qui methodo vtatur, satisfaciet, vt Hipp. *lib. de arte* ait.

2 Non igitur immeritò Galenus methodum medendi acutissimè, atq; exactissimè nobis elaboratam conscripsit, eò quòd nullus in incognitum fertur, sed omnis doctrina, omnisque disciplina, vt inquit Arist. 2. *post. cap.* 1. ex præexistenti cognitione postulat fieri, sicque cum Magistro Gal. methodi medendi expositionem, vt omni caliginis obscuritate depulsa, perfectè morbi profligentur, expositurus aggredior.



CAPVT PRIMVM.

Quid Methodus sit?

3 

ETHODVS ergo in communi, latioriq; significatione sumpta, est *Ordo seruandus in rebus agendis, aut in scientiis ac artibus inueniendis, atque tradendis.* Quasi perpendas quòd methodus non nisi inter plura inuenitur, imò inter illa, quæ secundùm prius aut posterius disponi ac ordinari debent, vt rectè cognoscantur, sciantur aut agantur: quod enim vnum est sine vlla methodo adducitur, atque inspecta tantùm eius natura, siue essentia, veluti est in se, & secundùm eius prædicata essentialia cognosci valet. Quæ verò res plures sunt, obscuritatem, nisi iuxta debitum ordinem disponantur, in se involuunt. Methodus ergo medendi *Via est generalis cunctis particularibus communis, artificiosa, certa & exacta inueniendi per indicationes; quo genere remediorum in qualitate, copia, tempore, & vtendi modo morbo cuique sit medendum.* Quia tamen quælibet istarum dicta duplex est, eam adaperire expedit: vna etenim generalissima est, eo quòd communia præcepta, quibus vnaquæque morborum genera curari possint, adducit. Sicque remedia, quæ similaribus morbis, & quæ organicis, quæque communibus opportuna sint, ostendit; alia verò peculiaris methodus est, quæ modum quo singulæ morborum species in singulis corporis partibus soluendæ sint, docet: tam de vna quàm altera sermo apud Magistrum Gal. satis completus elucescit, quia tamen dogmatica medendi methodus per indicationes splendescit, ideo prius anteqoam ad singula librorum capita expositio nobis occurrat, selectiora effatu digna de indicationibus mihi dicenda obuiam fiunt, ita vt non solùm communi methodo perpensa communes indicationes, verùm particulari propriè comprehensa, peculiares etiam tradamus.

4 Magister tamen Gal. pro fine de generali medendi methodo agens in libris quatuordecim sermonem instituit, ut ipsa vniuersali præcognita, Medicus communes in specie morbos, & cuiusque speciei singulos in particulari rectè curare possit. Propterea præsens opus, si quod aliud in vniuersa Medicina, artificiosum pene diuinum, ac tanto Magistro dignum sit, magni faciendum est: nam breuissime, omnia, & singula vniuersalia, particulariaque præcepta, seu omnes vniuersales, generales, atque speciales rationes, vsque ad infimas, & individuas curandi morbos continet. Quamvis enim Medicina coniecturalis scientia esse dicatur, eo quòd morborum cognitio, & pars dignostica talis est; si tamen affectuum cognitio constiterit, vt Gal. 2. *secund. loc. cap.* 1. inquit, *non coniecturali, sed scientifica omnium morborum curationes indicat, per quas dictas generales, atque specificas medendi methodos certò consequitur,* ita ut aliis magis singularibus methodis, præter quas Magister sigillauit, nullus ad bene medendum indigeat, neutiquam tamen ad exactam cognitionem vniuersalis methodus satisfacit; sed in exemplis particularibus exercitio vti expedit, vt Magister *lib.* 9. *cap.* 4. exponit. Quare doctrinam illius in iis libris adductam contracto animo altaque mentis acie vt integram consequi valeamus, exactè perpendere oportet: vtrumque etenim in eis præstat; pluries enim vniuersalem doctrinam particularibus illustrat exemplis, siquidem non solùm veram atque scientificam curationem morborum scribit; sed simul eam docet. Nam qui communem methodum in particularibus rectè exercet, non tantùm, quæ vera sunt, adipiscitur; sed simul ipsa edocet, quodcumque enim præceptum per exemplar patefactum, citò, ac facilè discentis animum sibi arripit, & exemplorum multitudo stupidos docet audientes.

5 De vniuersali ergo methodo curandi omnes morbos Magister per quatuordecim libros de methodo medendi scriptos, acturus, in primo & secũdo priùs de iis quæ præcognoscenda sunt ante ipsam methodum de morborum videlicet essentia, & differentiis, in reliquis verò duodecim de ipsa methodo agit. In duobus equidem primis ideo solùm de natura morborum, & differentiis sermonem sigillat, quia licet ad intelligentiam eorum, quæ in methodomedendi referuntur, necessario præcognita etiam omnia, quæ ad hominis naturam spectant requirantur: quia tamen indicationes curatiuæ, & quid ad morborum curationem agendum sit, à morbis potiùs quàm ab hominis natura desumuntur; propterea *in dictis libris* solùm de morbis sermonem instituit. Vlterius quia cùm morbus lapsus siue recessus præter naturam sit, constitutam jam atque cognitam naturam corporis & sanitatem supponit.

6 Vt certo jam habito, quòd alij similarium partium morbi proprij, alijque partium organicarum, alijque communes vtrisque partibus similaribus atque organicis reperiuntur, proinde Magister Gal. *in* 3. 4. 5. & 6. *lib. de methodo*, siue recta curandi ratione communes morbos, de morbis videlicet in solutione continui, siue soluta vnione partium consistentibus agit; in 7. verò & sequentibus libris vsque ad 13. de methodo medendi morbis propriis partium similarium sermonem instituit, ij etenim tot, atque inter se tam varij sunt, vt neutiquam breviùs exponi quàm Gal. vllus adaperire potuisset, nec minori librorum numero integrè eorum curationem præscribere valuisset, in vltimo tandem de methodo medendi proprios partium organicarum morbos in formatione duntaxat vitiata, magnitudine, numero & compositione,

in

in situ atque connexu consistentes agit, in quibus omnibus Magister ex natura rei præcognita, sive ex ipsorum morborum naturis præhabitis tria necessariò perpendit, primum videlicet indicationes curatrices, sive quæ artificiosam curandi rationem ostendunt, secundum, & tertium remediorum nimirum materiam, eorumque debitum vsum ex talibus indicationibus, vt hoc triplici regiminis lumine cunctorum morborum curandi rationem cum Magistro absoluamus: nam vt ipse *hoc 7. lib. cap. 3.* inquit, præcognitis indicationibus, quæ membratim, aut in peculiari praxi agitur, ex duobus materiæ debita copia, & eius congruo vsu conficitur.



CAPVT II.

Quid & quotuplex sit Indicatio.

7 

NON igitur immeritò, sed debita cum ratione de natura siue essentia, numero, ac differentiis indicationum, vt morbus, eiusque causa, simulque pars ægra comprehendi valeant agendum offertur; est igitur (vt communiter omnes fatentur) indicatio, *Insinuatio rei agenda, seu comprehensio rei iuuantis cum comprehensione nocentis.* Primam, quæ notionalis est, Magister 2. *method. cap. 7.* refert. Secunda *lib. de optima secta* memoratur. Notandum tamen est vt certum, particulam nocentis neutiquam pro materia nocenti, sed potiùs pro affectu morboso, siue læsiuo desumendam esse, eo quòd notio, siue comprehensio, quæ Medico atque laboranti insita est, ex propria natura iuxta sensum rei molestantis, siue lædentis, semper ordinatur ad eius expulsionem. Vnde quando comprehenditur res molestans est vt à natura depellatur, quia actu lædit, non vt materia læsiua, quia non iuuabit, & contraria sit morbo, vt aliqui cogitant; sicque vt lucidiori lumine Medicus morbum profligare valeat, primò rem lædentem, qualis est morbus, comprehendere oportet, ex qua simplici cognitione affectus lædentis materiam iuuantem, vtpote contrariam sine ratiocinio ipsam complectendo comprehendere valebit; aliàs si res lædens non pro morbo, sed pro materia lædente in indicationis natura intelligatur solùm ratio indicati iuuantis, & lædentis materiæ, non verò indicantis, qualis est morbus, perciperetur: sicque sine cognitione indicantis à quo ratio indicatiua oritur, indicatio completa, quod non est verum, exponeretur. Præterea quia dum ait Magister quòd indicatio est comprehensio rei iuuantis absolutè; per hanc comprehensionem saluatur ratio materiæ lædentis, eo quòd materia iuuans comprehensa, siue cognita, vtpote calida adducit in cognitionem materiæ frigidæ, vtpote contrariæ, esse lædentem; propterea dicendum est, ly *nocens* pro morbo, quemadmodum ly *iuuans* pro materia iuuante, simulque nocente, tanquam indicantis debere sumi, iuuante inquam, vt amplectenda, & materia lædente vt renuenda. Nec dubites in generica, & communiori indicatione ratiocinium esse tenendum. Quamuis videatur modo dicto indicationem esse æqualiter peritis artificibus, vulgaribusque hominibus manifestam, eo quòd ratiocinium non concurrit: hoc etenim in generalissimis indicationibus locum tenet; nam hæ solùm in sublatione entitatis præternaturalis versantur, ideóque omnibus sunt communes; indicationes verò specificæ, magisque singulares, quæ progressu methodico exerceri debent, & in quibus diuersa remediorum genera, atque specifica seligenda sunt; tum etiam morborum natura, ipsorum causæ, & symptomatum varietas, atque dignitas inspicienda, explorandáque sunt, necessariò ratiocinium, vt necessariissimum exposcunt, & exquisita inter Medicos peritia requiritur; aliàs enim remediorum qualitatem, quantitatem, locum, occasionem, exhibendique modum accuratè Medicus indagare non posset; sicque etsi indicatio genericè, atque primariò, sine ratiocinio; specificè verò & secundariò neutiquam sine illo subsistere valebit.

Quia tamen indicatio, indicans & indicatum inter se correlationem efficiunt, propterea, quotuplex indicatio, qualia, quotque indicantia, indicatáque sint, aperiendum occurrit. Indicatio igitur cùm duplex, vna conseruatrix, aliaque curatrix sit, illa solùm ad res naturales, quæ similibus conseruandæ sunt, ordinatur; quemadmodum ista res præter naturam, quæ per contraria debellantur, intuetur; ita vt à morbo, à natura, & ab ambiente desumatur; à morbo quidem per sui ablationem; à natura, vt ab ipsa Medicus lapsum metiatur; & ab ambiente, quatenus vicem morbificæ causæ gerit. Et licet quæcunque istarum alia generica, aliáque subalterna perpendi valeat, vísque quo specifica elucescat, nondum certa, regularis, & matura curatio eueniet; si tamen coindicationem, quandoque contraindicationem, aut correpugnantiam non perpendas indicationis scopum perfectè non callebis: stabilitur enim primò indicatio specifica; & aliquando simul coindicatio adest; ista enim tunc repetitur, quando simul cum illo quod primò indicat quid agendum sit, alia entitas idem remedium ostendit & admittit, quod iam à primo indicante demonstratum erat; contraindicatio verò adest, quando primò remedium siue indicatum impeditur, quod ab indicante 8

fuit exactum, & indicatum, vt languidæ vires, quæ remedium magnum, vt est sanguinis missio prohibent; aut valdè moderantur, vel si manis cùm inter duos affectus contrarios & implicitos vnica indicatio aliam, vtpote contrariam contraindicat, aut repugnat, vel simul vnicus affectus cum alio coniunctus remedium ab alio affectu contrario indicatum primò ostensum correpugnat, vt istam contraindicationem secundariam appellemus.



CAPVT III.

De natura Indicantis.

3 

VIBVS sic iactis naturam indicantis facilè callere valebis, si perpendas, quòd indicans curatorium nihil aliud est, quàm *Agens aliquod in corpore permanens, quod per propriam naturam & essentiam auxilium aliquod indicat, atque indicatum quod expostulat adesse dirigendum esse monstrat, vt sanitas hominum amissa restituatur.* Ex qua indicantis expositione, quòd sit aliquod agens, & corpus afficiat, constat; proinde quia morbus corpus corrumpendo, destruendoque afficit, indicans dicitur, suique ablationem indicat: constat similiter, quòd indicans in corpore maneat, eo quòd mediis auxiliis corpori adhibitis, eique adhærentibus sui remotionem insinuat: nec minus, quod indicans intellectui sit notum oportet: nam eo præcisè quòd indicet, intellectum in cognitionem indicati contrahit, aliàs si incognitum esset indicans, neutiquam alterius cognitionem, videlicet remedij posset insinuare. Et quamquam sub vnica entitate diuersæ formalitates percipi valeant, semper de natura vnius indicantis est, vt sub vnica entitate perpensum vnum tantùm semper remedium indicet: nam cùm vni unum tantùm sit contrarium, propterea sub vnica formalitate solùm vnicam contrarietatem respicit specificam, sicque vnicum tantùm indicatum, siue remedium expostulabit, ita vt si genericè sumatur genericum, si specificè specificum indicet. Notandum tamen expedit, quòd licèt tria, quæ corpori humano præter naturam occurrunt sint, qualia morbus, causa morbifica, & symptomata dicuntur: morbus etenim, & causa tantùm indicationem propriam, & curatoriam secum ferunt; & quamuis morbificæ causæ præcautionem curatricem aliquando deberi asseramus, cùm nimirùm morbi actu adhuc non adsunt, sed tantùm imminent, verumtamen, tempore quo non temerè, sed proximiùs; actuque morbum ipsius causa producit, & immediatè fouet, iam dicta causa non tantùm præcautiuè; sed propriè curatiuè sui ablationem postulando indicat, & cùm pluries morbifica causa nullam concordiam, affinitatemque cum affectu, videlicet morbo, obtineat; vt accidit in febre quotidiana, eo quòd causa ex natura propria, vtpote pituita, calida & sicca; febris verò frigida, & humida remedia exposcit; proinde inter morbum & causam contraria indicatio pugnat, sicque illo in casu vrgentiori, digniorique formalitati, alia non oblita, subueniendum est. Nec mirum indicationem vnicam ac simplicem soli morbo deberi, cùm ille sine vlla dependentia à causa vt intemperies nuda, videlicet hectica reperitur, illo enim casu, non contra causam, cùm nulla adsit, sed solùm contra morbum pugnandum erit, ego tamen causam conseruantem in hecticis, qualis est fuliginum copia semper defendens, pariter ad huiusmodi causæ remotionem accedendum esse sentio, licèt verum sit quòd aliqua intemperies nuda, citra febres hecticas, quæ sine vlla dependentia existens simplicem indicationem indicet inueniri posse, fatear. Ex quibus facilè infertur symptomata, etsi res præter naturam sint, per se indicationem curatricem secum non habere, sed solùm dum vicem causæ gerunt, vt 12. *Method. cap.* 1. cum Magistro ostensum manet, propterea vehemens dolor sedationem, quia fluxionem auget, ac vires prosternit, indicat; hæmorrhagia, quia frigidam intemperiem, quandoque necem exhibet, sistenda est, & alia similiter symptomata, cùm vires valdè exolnant, indicationem sub formalitate causæ, non verò symptomatis indicabunt. Cùm igitur soli morbo, & causæ morbificæ ex natura rei indicatio curatrix competat, proinde morbo comprehensa, remedium contrarium ipsi depopulando seligendum est; contraria etenim contrariorum vi depelluntur, quemadmodum similibus seruari debent; sicque cùm vni vnum, vt dixi, tantùm contrarium adsit, propterea tot remedia quot morborum ideæ aderunt; quia tamen affectus, seu morbi non simplices, sed multoties compositi, ac impliciti reperiri solent, ob hanc causam varia remedia perpendenda sunt: nam quot morbi, quæ causæ, ac symptomata consociata sint, ad imum animaduertere oportet. Vlteriùs an morbus per se, per consensumve oriatur, quoniam affectus per se productus, si absit qui ab illo pendeat, etiam cedet, etsi implicati morbi inter sese contrarij sint, semper vrgentiori efficaciora auxilia, dummodo aliæ indicationes ea permittāt, exhibenda sunt: vnde vt ordo in cōplicatis affectibus debitus obseruetur, quid ante quid, quid cū quo, & quid post quod curandū sit, perpendēdum expedit, proinde multiplici indicatione reperta, ab ea, quæ reliquas vincat, & superet exordiendum est, propterea priùs morbi causa, quàm morbus excidenda est, & inter causas statim externa, postea antecedens, tandemque continens, à qua immediatè morbus, & mediatè

mediatè symptomata pendent. Si tamen duo, seu plures morbi sine ordine, sineque vlla pendentia sympathica casu incidant, diversus curationis modus est agendus, semper enim vrgentiæ, vel causæ sine qua non subuenire oportet; si enim pleuritidi febris accidat, quæ veluti symptoma dicetur, sola inflammatione soluta, terminabitur; si verò propriè morbus per se, & essentialis febris sit, vtrique morbo subsidia adferenda erunt, priùs tamen, ac magis vrgentiori. Similiter si causæ morbificæ sine ordine incidant, ambæ simulque auferendæ sunt, si fieri possit; si tamen aliquid in contrarium obstet, illaque parатior extiterit, extrahenda est: quemadmodum in hemitriteo pharmacum cholagogum, simulq; phlegmagogũ, si ambo succi parati sint, oportebit exhibere; quòd si tantùm vnus dispositus sit, solùm ipse euacuationem permittet, quòd si causæ ordine accidant, eodem similiter auferendæ sunt. ita vt priores subsequentes præcellant, veluti si affectus ictericus ex diffusa bile nascatur, quæ propter obstructionem ipsius vesicæ diffunditur, & cùm à pituita obstructio pendeat, prius pharmacum pituitam expurgans, posteaque cholagogum ad bilem est propinandum. Vnde methodo resolutoria procedendo in curatione, scilicet quòd sit prius in intentione, posterius in executione erit; febris enim putrida, eo quòd à putredine, ista ab obstructione, hæc à multitudine atque crassitie nascitur; primum inter omnia multitudo est deponenda, mox aperiendæ viæ, deinde quod putredini adversatur coquendum, vlteriùs quod corrigi omnino non potuit, purgandum, tandemque intemperies emendanda.

10 Si tamen laborandi initium, vt aliquibus accidit, aliqua in habitu corporis refrigeratio fit, media qua siccitas in cute fiat, & ex ea insensile effluuium cohibeatur, quo cohibito venæ repleantur, obstructioque sequatur, ex qua simul cum cutis densitate ventilatio caloris prohibeatur; & tandem putredo, & febris oriatur, quo in casu à calefacientibus & laxantibus cutem priùs incipiendum est; si verò dum Medicus ad laborantem accedit, frigiditas externa iam abfuerit, manifestaque iam est febris, securius sanguinis missio statim exequenda est: quamquam enim densitas cutis adhuc manens ratione ordinis in causa operatiua prior, quàm multitudo sit, hæc tamen causa est prohibens, sine qua non. Nam nulla appositio laxantium, seu apertientium remediorum potos aperire valebit corpore iam pleno, potius enim materias in habitum conuocando, & attrahendo, vias arctiores, occlusioresque reddet. Cùm igitur indicatio prohibentis prior quàm causæ agentis sit, proinde in vtrisque hac consideratione perpensis à missione sanguinis incipiendum erit, vt à sufficienti multitudinis depositione vnctionibus laxantibus & extergentibus vti valeamus.

11 Vt igitur methodicam atque veriorem curationem mediis selectioribus indicationibus in affectibus complicatis assequi valeas, tres præsertim scopos perpendere debes, quorum primus est, sine quo non; vt dictum est; secundus ex parte causæ sumitur, tertius verò vrgentiam respicit. In primo inquam scopo sine quo non duplex affectus, ita vnus ab alio pendens adest, vt nisi vnus remoueatur, alius curari propter dependentiam non possit, vt in vlcere cauo cum sorditie patet: canitas enim media carnis generatione curari, nisi priùs sordities auferatur, non valebit, neque febris, vt dixi, pleuritidem, aut inflammationem insequens, nisi ista soluatur, terminari poterit: sub quo exemplo satis scopus secundus, qui causam respicit, clarescit. Nam cum duo morbi, aut plures complicati adsunt, ita vt vnus alterum essentialiter insequatur, illo in casu priùs ad affectum qui aliorum causa est, deinde ad alios erit deueniendum, vt si quis quia intemperie frigida, & humida ventriculi laborat, coctionem alimentorum perfectam efficere non possit, ac proinde crassi, viscidique humores oriantur, qui angustiores iecinoris venas occludentes, obstructionesque efficiant, vt inde febris eueniat, hoc in casu priùs ad ventriculi intemperiem, quæ omnium malorum est origo corrigendam, deinde ad obstructionem remouendam, tandemque febrem debellandam, deueniendum est.

Tertius demum scopus ab vrgentia desumptus est, quando inter affectus complicatos, ita aliquis alios in lædendo præcellit, vt nisi statim detruncetur, magnum vitæ periculum immineat, cui sine vlla mora, quamquam non sit ex eorum numero, sine quibus alia removeri non possunt, neque reliquorum affectuum, veluti causa se habeat, succurrendum est, ut imminens periculum, quo citiùs præcaveatur, vt in exemplo allato; quòd si ex ventriculi intemperie ingens obstructio inducatur, ad quam vehemens ita febris insequatur, vt nisi mox provideatur, mors maxime timenda sit, in tali casu, licèt si scopus sine quo non, & scopus in ordine ad causam adesset, diverso ordine procedendum esset, tamen ante omnia ad vehementem febrem, vsqueqno eius magnitudo remittatur, & vitæ præsens periculum evitetur, ante omnia coacti sumus attendere, quo consequuto, cùm impossibile sit febrem omnino remouere, nisi prius eius causæ depellantur, proinde ad scopum causæ reuertendum est, ventriculi intemperiem corrigendo, obstructionemque factam auferendo, vt hac providentia febris, quæ antecedenter mitior fuit redacta, penitus expellatur: animaduertendum tamen expedit, quòd quando affectum vnicum coactè, ac sine mora curandum intendimus, alium ad quem tunc principaliter respicere non valemus, negligere non debemus, vt Magister *in Commentario, sent. 6. 1. aphor.* præcipit, eo quòd etsi vrgentiæ succurramus, hoc altero non neglecto, si fieri possit, est efficiendum. Quare vt cordatè Medicus opertetur perpendendum est, an affectus, quem curare studemus, remedia- 12

remedia alio morbo contraria expostulet, aut si non omnimodè contraria, saltem aliquo modo noxia: nam tunc inter remedia, quæ affectui principaliter curando conveniunt, semper remedium, quod vim curatricem, absque eo, quod multum lædat ratione alterius morbi seligendum est, ob hanc rationem Gal. 8. & 11. *meth.* febrem quam obstructio præcessit, curare intendens, eo quòd citra obstructionis curationem febris semoveri non valet, iubet, ut per dissecantia, & attenuantia, ad obstructionem auferendam prius deveniamus, tandemque ad febrem tollendam accedamus, monuit tamen, vt inter dissecantia minus calefacientia, ne febris augescat, eligamus, vt Hipp. 1. *epidem.* sic inquiens commonstrat; *In hoc te exerceto, vt ægris prosis, & non noceas*; in cuius expositionem Gal. 1. *de comp. secundùm genera*, sic fatur: Si plura adsunt remedia quæ eundem affectum curare possunt, & inter ea est aliquod quod vnius ratione potest multum iuvare, sed ratione alterius potest lædere, medicus debet potius eligere quod non adeo multum iuvare potest, dummodo ratione vnius multum iuvat, sed ratione alterius offendit; quia in affectibus complicatis debemus attendere ad vnũ, alio, quantum fieri potest, non neglecto, & dixi quantum fieri potest, quoniam quandoque periculum adeo magnum imminet, vt coactus sit medicus vnum affectum curare, & alium penitus negligere, & quandoque, quod maius est, non solùm alium negligere, sed vt vnum morbum curet, est coactus novum morbum facere, vt habemus *3. methodi, cap. 5.* quandoque enim ad luxationem sequitur inflammatio, & cum vehementissimo dolore, etsi medicus vellet luxata ossa reducere, ex nimio dolore æger periret, ideo tunc vt euitet vitæ periculum medicus est coactus relicta luxatione curare inflammationem: sic etiam quandoque nouum morbum facit, vt alium morbum curet, vt si ex incisione facta per transuersum in dimidia parte nervi, sequitur conuulsio, ad quam nisi citò succurratur, succedit mors: Medicus, vt curando conuulsionem mortem euitet, abscindit in totum neruum, relinquens in parte morbum perpetuum, quia in ea necessariò aderit læsio in sensu, vel in motu.

13 Quamvis ex prædictis selectiorem, securioremque ordinem curandi per veras indicationes in affectibus implicitis soluendis satis sigillare valeas, distinctiùs tamen atque exactiùs, vt peculiariter norma quadam imposita prædictum ordinem absque eo quòd te vlla necessaria conditio, pro huiusmodi fine insequendo lateat, adimplere possis, aliqua omnium certissima præcepta vt curandi ordo, tempus curationis opportunum, & remedij quantitas debita tibi ostensa maneant, proponam. Primum igitur præceptum est, quòd cùm morbus cum causa complicatur, prius causa (sive ista continens, antecedens, vel externa fuerit) postea morbus productus semovendus erit, aliter enim quantum de morbo auferamus, tantum & magis impetuosè affectus talis à causa continente supercrescet, quamquam aliquando ex vi remedij morbus leuior videatur reddi, & ideo, nisi remota causa nunquam perfecta, securaque curatio euenit, pluries verò si affectus recens est, absque eo quod fixius, ac valdè permanens, & assuetudinalis sit, statim ac causa semouetur, simul morbus debellatur; multò tamen efficacius cùm iam affectus valde impressus est, necessariò causa sui amotionem ante omnia efflagitat: nam si huiusmodi ordo aboleatur, plurima incommoda imminent, quoniam si aliquis in dolore coxendico, iam morbo increscente particulæ dolore correptæ medicamina aeria, non antecedenter, dolorifica causa ablata, applicet, incurabilem affectum, multóque acerbiorem reddet.

Secundum præceptum est, quòd in affectibus complicatis, in tollendis causis, cùm alia ex alia pendeat, primò externa, secundò antecedens, tertiò continens, postremóque morbus contrariis remediis depellendus est, quod in his qui assiduè cæparum & similium vsui dediti sunt, patet, nam ex his acris, mordaxque chylus enascitur, ipsumque hepar ex ventriculo attrahit, à quo tanquam succorum opifice, prauorum humorum colluuies cumulatur, indeque in venis putredo, tandemque febris euenit, quæ, nisi priùs putredo abscindatur, curari non valet, putredo tamen, dum focus hepatis putrida eum colluuie permanet, perdurabit, nec ista donec ventriculus prauum chylum suppeditet iecori, vnquam abolebitur; nec tandem ventriculus dum cepas, aut alia alimenta praua ingurgitauerit, aliam præter prauam materiam chylosam suppeditabit: prima ergo indicatio curatiua à praui alimenti amotione incipienda erit, mox ventriculus expurgandus, postea iecur; demumque putredo & febris cohibenda est. Tertium præceptum desumitur ex casu, quo morbi diversi, disiunctique adsint, absque eo quod inter se pauxillum consentiant, ita vt diuersis valde in sedibus situati sint, tunc quidem, vel seorsim, simulve omnes curari valent, vt si vnus pedibus, alius verò manibus lædat: nam vnicus alterius curationem nec citius pulsat, nec impedit. 14

Quartum vlterius præceptum in eandem ferè rationem incidens est, vt si morbi non inter se simul consentiant, vnius curatio alteri interea conducat, vel saltem non obsit, illo in casu, vel seorsim, vel vtrumque simul curare expedier, initium ab vtroque incipiendo, veluti si iecur frigida intemperie ac simplici obstructione afficiatur, intemperies relicta obstructione, vel obstructio intacta intemperie adimi poterit, vel vtrumque eodem remedio morbum extrudere licebit, vt si decoctio absinthij, aliorumque hepar calefacientium, & deobstruentium vtamur. 15

Quintum præceptum desumitur ex eo quòd si affectus impliciti ita dissentiant, vt vnius curatio alteri noceat, tunc vtrique modica contrariorum exhibitione, atque vsu, absque eo quod vni, nec alteri separatim affectui remedium propinetur est succurrendum, sicque ventriculo 16

ventriculo frigido, & hepate præter naturam calido existente, temperata potius in calido, & frigido iuuamentum efficient: nam præcauendum est, ne, cùm vni morbo succurrimus, alter exacerbetur, tenaciorque curatu reddatur. Sextum pendet præceptum ex eo quòd si affectus simul impliciti ex aliqua parte consentiant; ex alia verò dissentiant, tunc ab eo (cuius curatio alteri non noceat) & ab eo sine quo alter non solvitur, est incipiendum, & præsertim qualis rationem causæ participet, animadvertere oportet. Nam ei, qui veluti causa fovens se habet, remedia sunt adhibenda, si enim quis ophthalmia cum nebula complicata corripiatur, quamvis ad nebulam dissolvendam acria medicamina conveniant, ista tamen absque ophthalmiæ curatione præcedente, renuenda sunt, eo quòd ophthalmia vehementius incresceret, proinde semper ab inflammatione curanda auspicandum est.

17 Septimum deinde præceptum in morbis implicitis, valde contemplabile ab vrgentiori est, ita vt qui periculosior, & formidabilior appareat, primam & digniorem indicationem curatiuam sibi abroget: vrgentior etenim morbus nuncupatur, qui magnus quoad suam essentiam, partis dignitatem, vel virium & facultatum læsionem, atque præstantiam adest. Quare si affectus inter reliquos vrgentior primò non curetur, pluries mors eueniet, vt si in puncto neruo (vt supra est dictum) statim ante omnia, ne deliria & conuulsiones eueniant, in totum non abscinditur, & in luxatione cum vlcere, si priùs vlceri non succurramus luxatione insanata relicta, eventus funestus continget. Ex quibus liquidò inferes, quòd plurimis indicationibus concurrentibus, ab ea quæ cæteras præcellat, vel sine qua operari nihil possit, seu à qua omnia symptomata pendent, auspicandum est, veluti in laborante eodem tempore cardialgia, vertigine, epilepsia & oris amaritudine, tunc ventriculus linimenta, oris amaritudo gargarismata, vertigo & epilepsia frontale postulant: quia tamen hæc cuncta symptomata, ab eadem causa vt bilis fluxu ab hepate laborante in ventriculum pendet, eo quòd biliosus succus ventriculum pungendo, cardialgiam & fuliginosum vaporem in caput mittendo, vertiginem atque epilepsiam & per continuitatem communis tunicæ ventriculo, & palato oris amaritudinem gignit: propterea à prædictæ bilis evacuatione, vel vomitorio, vel inferius chologogo medicamento facta exordiendum est, cùm illa tot malorum origo & causa fovens sit, & hæc de ordine inueniendarum indicationum, in quibuslibet affectibus implicitis soluendis, sufficiant.

18 Veluti remediorum genus indicantia generica, & ipsorum species, indicantia specifica respiciunt, ita opportunum propinandi remedia tempus tempora morborum respicit; variatis enim morborum temporibus curationis ratio necessariò variatur: nam si tumor aut inflammatio, ex calidi sanguinis fluxu nascatur cũ increscente morbo impetu quodam necessario materia effundatur, media indicatione à morbi tempore desumpta repellentia in principio, in augmento partim digerentia, partimque reprimentia, in statu sola per halitum resoluentia indicat, & meritò: nam etsi tumore increscente evacuationis indicatio respectu materiæ fluxæ sit, hoc tamen vsu resoluentium neutiquam tentandum, eo quòd materia effrenis denuò a medicamentis resoluentibus vehementiùs in partem confluet, cùm paratior medicaminum calore ad ruendũ reddatur. Quare potius iis quæ fluentem ac mobilem materiam repellant, est vtendum; nam ista partem ab influxu vindicant, nouumque robur illi, ne denuò novam quantitatem recipiat, addunt: hæc tamen doctrina neutiquam de inflammationibus à materia venenata pendentibus intelligenda est, nec de materia ab aliqua principe parte pulsa, vt quando ab hepate laborãte erysipelas in inguina deponitur: plurima etiam impedientia repellentium vsum in tumorum principiis adsunt, quæ quia *lib. 13. huius operis*, satis diffusè conscribo, in præsenti omittenda mihi videntur.

Quamquam remediorum quantitatem debitè metiri difficillimum sit, eo quòd nec calamo scribi, nec mente ad vnguem concipi valeat, nihilominus, quantum Medicus selectiori modo possit, eam perpendere debet, 19
ita vt ex quantitate affectus morbosi, quantitas remedij eliciatur, vt si humor peccans ad vnius libræ copiam excedat, remedium vnicam libram; quantum fieri possit euacuaturum est dandum. Dixi quantùm fieri possit, cùm tam immensurabilis humoris quantitas, quanta medicamenti activitas proportionata huic fini indicatu difficilis sit, quo non obstante coniecturali cordatiorique ratione operandum est, vt valido morbo soluendo, remedium similiter validum, tam ad euacuandum, quàm alterandum, siue quamlibet ametriam corrigendam secundùm recessum ab statu naturali cuiusque partis viuentis propinemus; sed si de affectus magnitudine inquiras, ex symptomatum magnitudine, ex naturalis status recessu, atque ex rebus non naturalibus tibi patefiet: quoniam si ex iis pristina ægrotantis natura prænotetur, si ad istam comparatio causæ morbificæ, ac morbi cum ipsius magnitudine, quæ ex symptomatum magnitudine & vehementia sumitur, fiat, quantùm valida & magna remedia seligenda sint, vnusquisque debitè inferet.

Vt tamen apta remediorum copia decernatur, non eodem modo in quolibet morbo 20
procedendum expedit, sed habita ratione ad motum morbi acutioris, vel lenioris, breuioris, aut tardioris opctandum est, proinde in morbis levioribus æquale remedium, semelque morbum detruncans oportebit: nam cùm ex se lene sit, naturaque à morbo leui deiecta non adsit, vim contrariam naturæ non inferet; in morbis verò extremis valdéque periculosis morbo increscente, validissimum auxilium confert, eo quòd celeriter cum vehementia symptomatum sua tempora percurrunt, & si celeriter remediorum vi non extinguantur, vires sine vlla spe vniuersim de-

ficient, propterea ex Hipp. *ad extremos morbos extrema curatio indicata est.* Ob quam doctrinam in apoplexia ne subitò mors eueniat, in rupto thoracis vase, ne insanabilis affectus reddatur in turgente materia, ne illicò partem nobilem petat, atque necem exhibeat, statim æqualique manu, ac auxiliis validis, vt euentum funestum fugiamus, agendum est, mediocres tamen morbi sensim, & leniter melius deuincuntur: nam eorum vsu nulla contrariæ qualitatis noxa infertur, non quidem adeò lentè operandum est, vt morbus remediorum vim & actiuitatem despiciat, quia si morbus huiusmodi remedia facilè superet, acerbior, tenaciorque solutu reddetur, veluti si supra ingentem ignem exigua portio aquæ effundatur, vehementiorem flammam concipiendo, ipse atrociùs comburet, non aliter in morbis euenit.



CAPVT IV.

De indicatione desumpta à causa.

21 

RIMAM superiùs indicationem à morbo sumendam, secundámque à morbifica causa oriendam esse prolatum est, & cùm hactenus de indicationibus à morbis tam simplicibus quàm implicitis actum sit, propterea de illis, quæ à causis tam antecedentibus, quàm coniunctis nasci debent, sermo instituendus accedit. Cùm igitur humanum nostrum corpus, ex tribus duntaxat continentibus, contentis, & impetum facientibus constituatur, ita vt continentia apud Hipp. pro partibus, contenta pro humoribus, veluti impetum facientia pro spiritibus sumantur, hinc est, quòd morbus in corporis partibus, morbifica causa in contentis, seu humoribus, in functionibus aliqua symptomata sita sint; contenta quidem, vel morbo proximè adhærent, vt in causa continente, vel ipsum morbum fouent, fiuntque causa continens; de causa verò morbi antecedente priusquam de continente agendum est: antecedens quidem causa in humoribus sita est, qui ordine naturæ tria necessario, vt naturaliter se habeant, requirunt. Primò videlicet locum à natura destinatum, secundò qualitatem sibi debitam, tertiò tandem copiam iustam & proportionatam: vnde tria vitiorum genera ipsis euenire possunt, quoties nimirum vel locum naturalem deperdunt, vel qualitatis, quantitatisve modum non naturalem acquirunt; quibus subueniendis vitiis tria remediorum genera offeruntur, reuulsio duntaxat, dum loci ratione peccant, alteratio, seu attemperatio cum qualitate afficiuntur, euacuatio tandem cum copia supra modum redundant. Quid autem reuulsio, quidque deriuatio sit, quandoque euacuatiu exequi debeat, *lib. de sang. miss. in mea Manu dextera medica.* satis conscripsi; quando verò humores siue contenta à sua symmetria, qualitate prima scilicet, vel secunda abeunt, necessariò vt in pristinam qualitatem reddantur studendum est, veluti si intensè frigida sint, calefacienda; quemadmodum si summè calida infrigidanda, & si immodicè rara & tenuia incrassanda; viscida verò abstergenda, lentáque inscindenda sunt. Cùm igitur alteratio status vnius in alium statum commutatio ab alterante facta sit, vt amissa humorum qualitas pristinæ suæ qualitati restituatur, propterea alteratio aliam humoribus qualitatem naturalem, contrariam deuastando imprimit.

Notandum tamen est, quòd in calidorum 22
auxiliorum exhibitione prudentiali cautione agendum est, ne maiora præter affectum præsentem incommoda subsequantur: calidum enim ex Hipp. si quis diu, multúmque eo vtatur, iis ægrum damnis auget, carnis effœminationem inuehit, laxatiúque carnis fibris, ac dissipato insito, & proprio carnium pabulo, atque humore excrementitio inducto, neruorum infirmitatem exhibet, cùm eorum robur mediocri siccitate nitatur, nec minus cerebro stuporem infert, eo quòd quasi resolutionem sensus, motus, cunctarumque actionum parit, laxatisque venis & sanguine fuso ab immodico calore hæmorrhagia detestabilis euenire solet: ex quibus facilè liquet, quàm remediis summè calidis vti periculosum sit. Meritò etiam animaduertendum est, quàm suspiciosa remediorum valde refrigerantium exhibitio sit: nam ex Hipp. frigidum, si quis eo inconsideratè vtatur spasmos & rigores adfert, omnia enim corpori excrementa euacuanda prohibet, præsertim in thoracis affectibus, eo quòd sanguinis atque spiritus vias intensa frigiditas intercipit; proinde cùm thoracis constitutio cartilaginea sit, multóque calore ad vitam fouendam gaudeat, præ omnia frigiditate maximè labefactatur.

Cùm supra humores à sua natura abire, 23
quando vel pristinam suam qualitatem primam, vel secundam exeunt, aut locum mutant, aut copia vitiosi sunt, satis dictum sit, ac simul quæ remedia illorum motui, atque qualitati mutatæ corrigendæ debeantur, apertum maneat, Iam ad copiæ vitium deueniendum est, si ergo succus neque à natura victus sit, neque medicaminum alteratione ad pristinam, perfectámque naturam reduci possit, omnino sui euacuationem indicabit, quod duplici medio, sanguinis missione videlicet, vel purgatione fieri debet: si enim vtile cum inutili permixtum adsit sanguinis missione, veluti si inutilis tantùm humor secretus sit, purgatione est vtendum. Dixi vtile cum inutili permixtum, non purgationem, etiamsi illud quod inutile adest, sit humor putrefactus, specie tam peccans, ac proinde cacochymus, vt bilis vitellina, quæ quamvis cum sanguine aliisque humoribus permixta sit, hoc non tollit ex natura rei illam etsi permixtam succum esse qualitate, id est specie, siue forma

stia peccantem, sicque ex se cacochymum esse, ac purgationem indicare, quamvis verum sit, quòd propter impedientia, toto tempore quo permixta sit, pharmaco purgari non debeat, hæc tamen impedientia naturam humoris pravam, & cacochymam esse non negant, ac proinde neque indicationem, sed agendi occasionem retardant, non enim implicat pluries indicans diuersorum remediorum præsens esse, non tamen talia remedia exercenda, eo quòd requisitum sine quo non deficit: nam quamvis actu præ multa sanguinis plenitudine cum morbo magno in febrium accessionis principio indicans sanguinis missionis adsit, tamen ob incommoda, quæ ex indebita occasione venæ sectionis possunt sequi, non in accessionis initio, sed in declinatione sanguis mittitur, non aliter; quamquam idem indicans adsit, ventre cruditatibus scatente, neutiquam venæ sectio exercenda est, ex Magistro Gal. ne primæ regionis cruditates ad secundam pertranseant, obstructionesque augescant: vnde quamuis humor putridus cacochymus sit, ac proinde purgationem indicet, si tamen adhuc cum sanguine permixtus sit, vsque quo secretus vi coctionis fuerit, nondum purgandus; non quia ex se non tale remedium postulet, sed quia requisitum sine quo non deficit.

24 Doctissimos tamen Gaspar Brauo selectioris doctrinæ ac Medicinæ fons, meam quam adduco diffinitionem cacochymiæ, vt non tam sibi visam renuit, istamque opinionem in suis controuersiis nuper rectéque elaboratis taxare conatur, eo quòd nullus humor, quamquam putridus sit, dum sanguine cùm permixtus est, cacochymiam, sed tantùm qui separatus à sanguinis consortio fuerit, constituere potest. Adducitque meam definitionem cacochymiæ, quam dico *esse vitiosam qualitatem, qua succus à iusta mediocritate recedit.* Quæ diffinitio, inquit, in pluribus claudicat, quia sanguini putrescenti conuenit vitiosa qualitas, qua succus à iusta mediocritate recedit: non tamen ratio cacochymiæ, aliàs à sanguine indicaretur purgatio. Respondeo *ly vitium*, siue esse vitiosum qualitatem, qua succus recedit à statu naturali, neutiquam esse qualitatem primam, vt calorem, aut frigiditatem, sed qualitatem specificam desumptam pro specie, forma & idea vitiosa, aut præter naturam humoris, aut qualitas bilis, siue species bilis vitellinæ, vel porraceæ, quæ qualitas necessariò est vitiosa, & cacochyma, & paritas de sanguine non valet: nam sanguis quem dicit Brauo, dum putrescit, nondum formam sanguinis, ac proinde neque speciem, sed solùm qualitatem temperatam, & naturalem, vt calorem moderatum amisit: vnde in modo loquendi, atque in sensu qualitatis vitiosæ humoris, vt constituat cacochymiam fallitur salva pace, cùm qualitas vitiosa sanguinis putrescit in fieri solùm sit prima, quæ tantùm vt talis attemperationem indicat; qualitas verò vitiosa humoris, de quo loquimur, non prima alteratio, sed specifica, & præter naturam acquisita, quæ cacochymiam constituit, intelligitur.

Ad loquutionem quam impropriam appellat, eo quòd humor à mediocritate recedens potiùs ad quantitatem, quàm qualitatem vitiatam refertur, Respondeo me quantitatem in præsenti nec somniasse, nec proferre, sed potiùs statum naturalem, sicque ly *mediocritatem*, non commensurabilem, sed moderatam, naturalem & mediam, qua humor in statu naturali gaudet, sentio; vlteriùs, quia si vitium à sanguine in bile naturali accidere valet, sine inquam putredine concepta; præmulta tamen quantitate separata, vt in morbo regio, ac proinde in lege mixtionis vitiosa videtur, dicetur qualitas vitiosa, qua succus à iusta mediocritate & miscela cum massa recedit, & huiusmodi bilis etiamsi putrida non sit, cacochyma dicetur, simulque vitiosa in lege & in quanto erit, non tamen aliud quàm purgationem indicabit. Tertium deinde fundamentum ab huiusmodi auctore desumitur, eo quòd in augmento, & statu morbi magis vitiosa est humoris qualitas, sicque melius deberet ab ipsa purgatio indicari tali tempore. Respondeo Auctoris discursum potiùs transire ad locutionem de occasione & tempore purgationis, quàm de indicatione desumpta a vero indicante: nam etsi magis in augmento, & statu vitiosa sit succi qualitas, ac proinde perfectiùs (vt sic loquar) indicaretur purgatio, tamen tempus morbi quodcumque sit non indicat speciem remedij, sed si fieri possèt, illius executionem; quia tamen impedientia, vt variis in locis dictum est, maiora in augmento, & in statu morbi sunt, quàm aliis temporibus, eo quòd natura aggressa est coctionem, nondum tamen materia peccans victa, separatáque est; proinde etsi indicatio purgationis à materia vitiosiori in augmento, atque statu sit, neutiquam purgatio est exequenda: imo irregularis, vt auctor fatetur; quid enim implicat, quòd indicans vehementiùs implicet, & tamen à rigorosè impedientibus occasio non adimpleatur.

Adducit similiter purgationem minoratiuam de cura coacta, quæ semper deberet exerceri in principio morbi, sicque semper esset regularis, & numquam coacta, cùm semper in morbi principio adesset qualitas vitiosa, qua succus à sua natura recedit: iam satis diffusè purgationem minoratiuam, nec regularem nec coactam admisi; nam etsi praua humoris natura quia cacochyma purgationem indicet ex natura rei: requisitum tamen sine quo non, videlicet succum à natura separatum esse vi coctionis, deficit, propterea vsque quo coctionis signa, victoriæque naturæ vestigia fida non adsint, materia nisi turgeat neutiquam purganda erit. 26

Neque adductum exemplum de lacte quid in suam sententiam conducit, lac enim cùm acescit, & butyrum, serum & caseum ipsum lac adhuc integrant, illo in casu illa immutatio lactis solùm est in fieri. Quando verò iam huiusmodi substantiæ separatæ sunt, tunc aliqua illarum, vel omnes vitiosæ existunt, atque 27

25

atque acescunt; quo in casu mutatio in facto esse reperitur; dum verò totam lactis substantiam integrant, non completa est, & in facto esse immutatio; at tamen quando humor putridus in facto esse simul cum aliis sanguinem integrat, rigorosè etsi totius massæ sanguinariæ vitium nuncupetur, quia bonum ex integra causa; strictius tamen vitium non totius sanguinis, sed peculiaris humoris putridi, qui cum sanguine adhuc est commixtus appellatur. Quare etsi talis humor pars sanguinis dicatur, vitiosa tamen & cacochyma, ineptáque ex se ad nutritionem est, & demonstratiuè probatur: nam talis humor putridus, siue coniunctus, siue secretus à sanguine semper est putridus in facto esse; ergo semper est ad nutritionem irreducibilis: nam commercium, vel separatio humoris à sanguine nihil intrinsecum ipsi humori dat, vt ex sua natura aptus sit corpori alendo; aliàs si humor naturalis solus sine sanguine, vt melancholia naturalis ossibus apponeretur, ex se apta pro nutritione esset, eo quòd modum substantiæ, ac temperiem cum ossis substantia amicam, & familiarem obtinet: non enim in mea, & plurium opinione humores à sanguinis commercio fiunt nutritiui, sed ex sui natura propria hãc rationẽ participant, licèt verũ sit, quòd aptiores ad actum secundum nutritionis propter sanguinis consortium reddantur; & quia omnes corporis partes vtpote mixta sunt cum omnibus tanquam elementis propriis humoribus cognationem habent; vnde ex dictis patet, malè autorem dicere, ex Valesio naturam etiamsi prauo succo vti, quia hoc lato modo est intelligendum; non tamen stricto pro nutritione, vt de vesica fellis, lotij, & de renibus pro sero, quo gaudent, dicitur: nam etiamsi serum renibus pro nutritione non seruat, pro fruitione verò ipso vtuntur: vnde maximè dissonum à vera ratione est dicere humorem quemlibet etiamsi prauum, sanguini tamen commixtum adhuc ad nutriendum aptum esse; neque petere purgari, eo quòd non habemus naturam adminiculantem, transitus maximus est, vt supra patet, dicere non petere succum purgari, ad non dari occasionem purgandi, dum commixtus est: quia natura non est adminiculans. Nam pluries indicans est præsens ad remedium exequendum; quia tamen adminiculans non est natura, remedij executio non agitur: vnde dum commixtus est datur impediens; ac proinde occasio deficit: non verò indicatio à tali humore cacochymo desumpta; nec valet, quòd si esset cacochymus statim peteret purgari, quia cacochymia est indicans purgationis. Respondeo humorem ex se quatenus prauum, vitiosum & cacochymum statim purgari indicare; quia tamen secretus vi coctionis non est, statim purgandum neutiquam esse: licèt enim ex Galeno, si quis ex putredine humorum febricitet, statim sanguis mittendus sit, tamen quamuis indicans venæ sectionis adsit, si cruditas ventris reperiatur non statim sanguis mittetur, quia occasio deficit, ac natura non est adminiculans: ac proinde renuenda est doctrina, & mala consequentia est, humor est cacochymus: ergo statim petit purgari: ergo est purgandus. Prima consequentia ex parte humoris, qui ex natura sui statim purgationem postulat, est vera; Secunda vero: Ergo est purgandus statim, est falsissima; vnde quamuis actu sit indicans, non mox indicatum exerceri, nisi adsint conditiones debitæ, debet.

28 Coarguit tamen doctissimus autor meum arguendi modum, eo quòd syllogismum sophisticum efformo, hac ratione: *Plenitudo & cacochymia sunt duo vitia humoribus superuenientia, à quibus indicatur sanguinis missio, aut purgatio morbo magno existente; sed à plenitudine sanguinis indicatur sanguinis missio: ergo à vitio cuiuslibet humoris alterius à sanguine indicabitur purgatio.* Arguit autor, quia ex premissis potius deducitur hæc cõsequentia: ergo à cacochymia indicatur purgatio. Me hercule, non liberatur à sensibili calumnia tantus vir, cùm solùm argumenti materiam, non verò formam inspiciat: nam si in mea opinione, vt dictum manet, realiter & formaliter sunt idem vitium in quali humoris, & cacochymia, veluti venæ sectio, & sanguinis missio, veluti animal rationale, & principium sentiendi, & discurrendi, quid distinctum erit? dicere animal rationale, & principium sentiendi & discurrendi: tum etiam appellare venæ sectionem, vel sanguinis missionem: ergo dicere cacochymiam in mea opinione, ac dicere vitium alterius humoris à sanguine, quod idem est, nullam formalem syllogisticam distinctionem obtinebit, sicque solùm inspectâ conclusionis materiâ quoad terminos, non verò quoad formam dabitur distinctio: quare merito scrupulus à Bravo adductus ruat; & quamuis ipsum vt doctissimum venerer, amica sit magis veritas, quàm ipsius fallacia sit omittenda.

29 Quibus sic præhabitis ad intentum deueniendo humorem videlicet qualitate, siue specie peccantem pharmaco euacuandum esse sentio; sed quidnam, quantum, & quando purgandum sit, scite opus est: quia tamen libro de purgandi ratione cum Magistro dum explicat, quos, quibus, & quando purgare oporteat, satis adapertum maneat; proinde in præsenti aliqua tantùm pro intento necessaria proferam, & satis aperta conscribam. Quis igitur succus purgandus sit, an sanguinis serum aut pituitæ, hoc ex idea humoris morbifici, siue simplex, siue compositus sit, dignoscemus: nam quot succorum peccantium ideæ fuerint, tot pharmacorum purgantium vsus seligi debent: quantùm verò humoris educi debeat, ex affectus causæ quantitate est metiendum; si enim morbifica materia copiosa extiterit, & locus in quo humor situs est distans, validiori pharmaco quàm si exigua copia, & proxima sit, opus erit; continet enim vel in aluo, vel in genere venoso, aut corporis habitu: quare vt aluus tantum profluat, lenia, vt iera, aloe, cassia & manna; genus venosum vt expurgetur, mediocria, vt rhabarbarum, agaricum & senna; habitus verò corporis vt soluatur, maxima remedia requiruntur; in vsu tamen magnorum pharmaco-

rum

rum nullus temerè agere debet: nullum enim medicamentum purgans magnum adeſt, quod non aliquid natiui genij à corpore deprædetur; vnde viſcera maximè afficiuntur, ac iuuenilis ſenecta accerſitur, ſicque nunquam medicamen purgans ſuas vires vſque in ſyncopem, neque adhuc animi deliquium expendere debet, vt in manu medica ſatis adapertũ; ſed quia ex humoris quantitate ac ſitu ibi adeſt, non ſatis certam, manifeſtámque metam euacuandi ſuccum vitioſum poſſumus deducere, propterea maxima cautione in euacuando, ne vires ſummè exoluantur agendum eſt; qua ratione Hippocrates in athletica conſtitutione à ſumma extenuatione, ad ſummumque ducta euacuatione nos abſtinere commonet, ſicque non ſolùm ex affectus magnitudine, ſed ex laborantis natura cautio euacuandæ materiæ morbificæ æſtimanda eſt; natura inquam non ſolùm cõmunis, ſed etiam propria inſita, & adnentitia perpendenda eſt: vnde ſtatus corporis laborantis, atque vires, tum etiam humoris euacuandi natura, atque pars illo imbuta, vt ſucci euacuandi quantitatem metiri certiùs poſſimus, multùm concurrunt. Quare in corporibus compactis atque validis & nigris, ac ſi humor in longinquas receſſit partes, conſentientibus florente ætate, temperamento frigido, vere, regione frigida, victuſque ratione ſolida, aliiſque ſimilibus præ quibus humores craſſi & terrei geniti ſunt, maiorem copiam, ſeu vt potiùs loquar, validiorem virtutem pharmacorum purgantium decernere opus eſt. Quando autem purgari morbificam cauſam oporteat, quantùm in morbis ſalubribus ſpectare coctionem conveniat, quantúmque nocumentum in morborum initiis radicativè, & minorativè purgare ſit, niſi dum materia turget, aut materia incoctilis ex ſe eſt vt venefica, aut in totum à ſanguinis commercio ſeiuncta, vt in hydropicis ſatis loco citato in *Manu medica dextera. libro de purgatione* conſcriptum ſigillavi; ac proinde quæ remedij qualitas conferat, quæ quantitas ſufficiat, quæ occaſio militet, quique vtendi modus laudabilior ſit, alibi ſatis clareſcet.

30 Cum ergo iam, quomodo dum cauſa continens cacochymia eſt, agendum ſit, conſtet, cùm tantùm ipſa quantitate, vel copia vitioſa exiſtit, vt in plenitudine ſuccorum, ſiue maſſæ totius patet, aliter ſanguinis miſſione videlicet illi ſuccurrendum eſt: nam cùm ſanguinis miſſio & purgatio duo ſint remedia magna, proinde veluti cacochymiæ purgatio, ita plethoræ, id eſt plenitudini humorum ſanguineorum phlebotomia dicata eſt; quæ vt debitè exerceatur, primò an ſanguis mittendus ſit, qua ex parte, quo tempore, qua quantitate, & quomodo maximè perpendendum eſt. Primum etenim ex natura ac ſpecie morbi, ſecundum ex laborante parte, tertium à more & à motu morbi, quartum ex morbi magnitudine, & corporis habitu innoteſcet; quintum verò veluti ſi ſanguis craſſior exiſtat, vt liberè exeat attenuandus eſt, etſi bilis in ventriculi orificium ruat, ne venæ ſectionem aliquo modo eneryet, ſtomachum granatorum ſucco antecedenter roborare opus eſt. Quia tamen *libro de ſanguinis miſſione* plurima quoad indicantia, coindicantia, impedientia, & correpugnantia obſervanda ſatis prædicta manent, propterea in præſenti omitto.

Poſtquam de indicatione à morbo, & cauſa antecedenti deſumpta ſermo prolatus fuit, meritò ad eam quæ à continente perpenditur deveniendum expedit: continens etenim cauſa, vel loco remeabilis, vel non adeſt, remeabilis quidem eiſdem fere auxiliis, quibus antecedens obedit; ab eodem enim ſucco nata, vt propiùs aut longinquiùs à morbo, ac parte laborante diſceſſerit. Quare eiſdem vitiis afficietur, ac eiſdem remediis corrigetur, vt mutatione loci, alteratione, & evacuatione, quò in fuſis parti ſuccis exitus eveniat; & quemadmodum cauſa antecedens per vniverſum corpus fuſa, remedia toti opitulantia exigit, ita continens, ſi loco mobilis, fluxa, & liquida ſit, pro auxilio repulſionem ac derivationem proclamat, ſi tamen loco cedere non valeat, ei mollitio, exhauſtio & coctio, cucurbita, dropax, ſynapiſmus, cauterium, inciſio auxiliatur; ſi verò huiuſcemodi materia mediam conſiſtentiam obtineat, ita vt partim migrabilis, partimque ſegnitie hæreat parti, mixta remediorum virtute ſuperabitur 31

Cauſis igitur tam antecedentibus, quàm continentibus, & iis mobilibus, tam migratione privatis, quàm evictis, ſi morbus perſtiterit, in ipſum pugnandum eſt, eo quòd primum in intentione poſterius eſt in executione: vnamquamque enim cauſam priùs abſcindere oportet. Demum verò ad dyſcraſiam deveniendum eſt; quia tamen cum morbi in partibus ſtabulantur, propter partium diverſa vitia, diverſa quoque morborum ratio reperitur, ſicque partes ſimilares & organicæ certis officiis exornatæ variis affectibus laborabunt: proinde cùm ſimilarium ſanitas ſymmetria, & organicarum formatio recta ſit, ex illis malè ſe habentibus morbi naſcuntur; & quia ſimilaribus atque organicis vnio ex naturæ ordine condonatur, proinde illius ſolutio ipſis morbus communis appellatus evenit. Quibus debitè perpenſis, tam quoad morbos ſimilares, ſimplices, vel compoſitos, organicos pariter in formatione, numero, magnitudine & compoſitione, tandémque communem morbum, ſolutam nimirum vnitatem vnuſquiſque ſelectiorem indicationem explôrare, ampleĉtique valebit. Cùm ergo à morbo indicatio ſumpta per contraria ſubſidia compleatur, iam quia plurima peculiariter indicant, vel coindicant, ipſa ſpeciatim non minoris momenti aperienda offeruntur. 32

Temperies quidem corporis patientis, eo quòd per ſimilia ſui conſervationem indicat, maximè perpendenda eſt; proinde corporibus humidis remedia humidiora conveniunt, ex qua indicatione remedij copiam metimur: nam temperiei naturalis termino terminus in alterando reſpondet, ne vel vltra progrediamur, vel in operando infra ſubſiſtamus. Quare morbus ardens corpore in frigido maiorem contrariorum vim tum indicat, tum perferet, eo quòd 33

quòd longiùs à naturali temperie recedit; nec loci affecti animadversio despicienda, cùm ab eo vtendi modus, remedij forma, illiusque copia desumenda sit. Pars igitur affecta ratione figuræ, temperiei, vsus, sensus, situs & connexionis, quibus gaudet, varia remedia sibi intetur: si enim figura partis caua sit, diversa, quàm si plana extiterit, indicat; veluti si dura, distincta, quàm si humida & mollis; ista enim ne putrescat, ficciora quàm dura subsidia exigit; vlterius partium principum vsus roborantium vsum proclamat, veluti partium sensus acutior, vel hebetior dissona remedia animadvertenda animadvertit: nam quæ sensu exquisito pollent acribus neutiquam stimulandæ, sed sensim levioribus agendæ; situs similiter laborantis partis vim, formámque remedij invertit, veluti si pars loco in sublimiori sita fuerit, remedium ita validum sit vt integris viribus activitatem ipsi feliciter mittat, vt cùm cerebrum per palatum ac nares expurgandum est; & si faustè operari exoptas ne accidentia maiora superveniant, connexum partis laborantis cum aliis perpende. Propterea in oris vlceribus, maximè à deleteriis cavendum, & parotides neutiquam deprimendæ sunt, ne tota materia in cerebrum subitò depulsa necem sollicitet: viæ tandem, sive ductus qui ad patientem partem vehunt, an angusti, lative sint, non obliviscendi sunt, vt aptiora medicamina ad permeandum, ne vasorum obstructiones eveniant, seligas.

34 Sed quomodo sine laborantis viribus vires morbi detruncabis; vires etenim, quamquam sui tutelam semper indicent, & propterea conservativè indicant, curativè tamen remediorum vim permittunt, aut consentiunt; sicque eas attentè secundùm gradualem dispositionem, tam per essentiam quàm per aggravationem, inspice. Cùm igitur istæ in spiritibus, substantia humida & carnosa, tandemque in solida consistant, hæc si substantificè, qualitativè, aut quantitativè defecerint, vires pariter languescent; quare instauratione deficientis substantiæ, vel qualitatis, aut quantitatis correctione roborabuntur. Substantia quidem per adventum novæ, & connaturalis substantiæ reparatur, veluti media diæta spiritus, si resoluti sint, ac solidis alimentis solidæ partes florebunt; si verò spirituum vitium non quia dissipati, seu exausti sint, reperiatur, sed potiùs intemperie veluti humidæ, sicut etiam solidæ partes affectæ sint, per diætam correctio tentanda. Hæc vt ritè præscribatur, speciem morbi, ægri naturam corporis, alimenta, aliquasque circumstantias memorare oportet: species enim morbi, qualitatem aut speciem victus, copiam, frequentiam, exhibendique tempus indicat; alimenti qualitas cum morbo, & causa pugnans offeratur: quantitas ex vigore perpenditur, vt integris laborantis viribus morbus ad vigorem perveniat. Vnde penes diversa morborum acutorum tempora diversificanda quantitas est, eo quòd celerrimè alij, nenque ita alij sua tempora percurrunt, veluti quia ægrorum natura, tum respectu habitus, tum etiam ætatis ratione valde diversa est: ciborum quantitas, qualitas, & vtendi modus non eundem tenorē obtinere debent: ætas etenim juvenilis, ac habitus gracilis, temperiéque calida & sicca constans gravissimè inædiam ferunt, eo quòd facilè in hecticam symbolizent. Vnde corpora frigida & humida facilè, secundò sicca & frigida, tertiò frigida & moderatè humida, quartò ac pessimè calida & sicca inædiam sustinere valent. Tandémque consuetudinis vim, aërisque constitutionem, ad victum debitum in cibo, & potu præscribendum non obliviscaris; aër etenim ex regione, anni parte, ac cæli natura perpensus, non exiguam indicationem ducit; præsertim qui à cæli statu originem in operando sumit: tam enim in qualitate manifesta quàm occulta influendo validè naturam vel devastat, vel in salubri statu conservat; vnaquæque quidem natura peculiarem stellarum influxum pro ipsa conservanda inspicit: propterea ex influxu limitato siderum deficiente Virginem suam vitam clausisse persentit doctissimus, ac reverendissimus Pater Thomas Frances Vrrutigoyti *in suis manuscriptis*, quæ antequam impressioni tradidisset prævidi.

Sed quid de peculiari cuiusque naturæ pro- 35
prietate persenties, cùm maximè ad auxilium opportunum præscribendum eius cognitio satisfaciat, cùm aliis vinum, aliis caseus non exiguum nocumentum inferat; quibusdam casia animi deliquium, qui tamē helleborū facilè ferunt, causat. Quare quod cuilibet non noceat potius propinandum, etiamsi deterius appareat: cùm quibus gallina in putredinem abiit, carnem bubulam rectè concoquere plures experiamur; nec minus sexus indicationem perpendendam commendat: fœmineus enim, communiori ordine loquendo, non ita validè auxilia magna, præsertim si vteri gestatio adsit, ac si virilis esset, sustinere valet.

Sed nec remediorum executionem intem- 36
pestivè immorando decernas, eo quòd tempora morborū vniversalia maximè ad hoc cognita conducunt: non enim quod in morbi principio agendum est, in statu expediet. Proinde sine morbi temporum cognitione errorem inemendabilem committes; præcipuè in iis qui celeriter (quia acuti) sua tempora percurrunt. Sed quid de particularibus paroxysmorum temporibus cogitabis? remedium enim magnum ab aliis indicationibus decretum in paroxysmis induciæ potiùs, quàm adhibitioni offerendum: sed quò natura & causa morbifica viam respiciunt, eò ducere oportet, cùm per loca conferentia motus appareat, sicque incipiente paroxysmo vomitus, desinente aut declinante sudor, aut lotium cietur, illoque tempore à cibo atque potu cavendum est; vnde iis paroxysmi temporibus, præsertim in eorum initio, quàm temeraria sanguinis missio, purgatio, ac remedia effatu digna reformidanda sint, nullibi dubitandum est.

Quibus tamen non obstantibus, etsi quæ 37
prolata sunt, artificiosè ac regulariter doctrina sumpta semper admittenda, agendaque sint, pluries tamen Medici artificiosiorem ac speciosiorem medendi methodum obliviscentes, ægros fatali sorte interfici relinquunt: nam in paroxysmum

paroxyſmorum adhuc initio taliter affectans vrgentia occaſionem operandi rapit, vt neglecta omni occaſione regulari, coacta, quam aliqui appellant, quæ in mea opinione eſt magis regularis, maiorique artificio pollet, eſt vtendum; recedere enim ab arte (id eſt cōmuni) eſt ars peculiaris. Quare ſi æger in acceſſionis principio affatim angina ſuffocante, aut apoplexia forti corripiatur, ita vt ſuffocatio ſubita immineat, deſpecta vniverſali regula, ſi benigniora (vt eſt certū) remedia, veluti ſcarificationes non ſuffecerint, ſanguis audacter mittendus, aut aliud vehemens indicatum auxilium agendum erit, vt mihi inter alia exemplaria, peculiare evenit, in quodā ægro quinquagenario, nominato D. Petro Bernardo de Levza Cæſarauguſtæ cive, ſereniſſimi Principis domini D. Ioannis de Auſtria Secretario, ac dictæ vrbis theſaurorum regenti, qui cū habitu quaſi athletico florens febre putrida in genere, terziana notha in ſpecie continua, & ex genere ardentiū laboraret, poſtquam quartadecima vice miſſionem ſanguinis viribus conſtantibus pertuliſſet, in febris incremento, & in acceſſionis initio die 17. hora 12. diei, qua ſolitus invaſione apprehendi erat, decubitū per metaſtaſim cauſæ morbificæ ad thoracē juxta cor ita vehementiſſimum paſſus fuit, vt confeſtim vocatus ægrum ſatis ſuffocationi proximum ſine perceptibili pulſu, media obrutione nativi caloris paraphrenitide correptum, & facie colore livido tumeſcente adinveni; & cùm ferinam vrgentiam totam ſibi curationem rapientem perpendiſſem, Chirurgum ſatis peritum vocandum juſſi, in cujus cordata reſolutione meam concomitante deſperata occaſione acceſſionis deſinendæ, nec in mea opinione illius incrementi, cùm jam æger antecedenter ſuffocaretur, mox abſceſſum ſymptomaticum & fatalem aperiendum decrevi, & ita feliciter ſectio partis affectæ evenit, vt actu prorumpente non exigua puris valdè latentis quantitate excreta, omnia ſymptomata confeſtim remiſſa fuiſſent, reſpiratio libera reſtituta, pulſus magnus effloruit, paraphrenitis evanuit, & tam acceſſio, quā reliqua morbi tempora vniverſalia celeriorem ſolutionem adepta fuere. En ex non regulari occaſione operandi, eo quòd erat in acceſſionis principio, artificioſiori tamen propter vrgentiā ex auxilij ita celebris executione, æger liber feliciter evaſit à dicto paroxyſmo. Propterea non ſemper, neque à ſubſidiis, neque à cibo, & potu in acceſſionū principiis eſt abſtinendum: nam in corporibus ſqualidis calore, & ariditate, in febribus ab acrimonia incuſa, vel à ſuccis attenuatis præ ſole valdè æſtuante, vel ſumma inedia, aut labore potiùs cibus indicatur, cùm miteſcente ſucci calore & acrimonia, pariter acceſſio miteſcat, eo quòd corpora humeſcunt, & caloris acredo hebetatur, quod neutiquā de corporibus plethoricis, vel obſtructione, phlegmone, aut putredine ſumma correptis intelligendum eſt.

38 Quia omni brevitate qua valui indicationis eſſentiam, differentias tam genericas quàm ſpecificas, & individuales adduxi, ſimulq; indicātiū, coindicantium, contraindicantium, ac permittentium naturam, ac remedia, ſeu indicata manifeſta reliqui, remediorumque conditiones, quoad quantitatem, qualitatem, occaſionem, vtendique modum, præoſtenſas decrevi, ita vt inſpectâ morbi naturâ, cauſæ morbificæ, tam antecedentis, quàm conjunctæ ſpecie perpenſa, loco affecto non oblito, laborantis habitu, temperie viribúſque animadverſis, conſuetudine, ætate, anni tempore, regione, cæli ſtatu, vniverſalibus ac peculiaribus ægritudinis temporibus, aliiſque ſimilibus requiſitis ſuprà allatis ſatis ſplendentibus, meritò ad tractatus intentum, Commentaria nimirum Galeni enucleanda humillimo corde, flagrantique ſelectioris doctrinæ oſtendendæ deſiderio propero. Et hæc de indicationum breviori expoſitione ſufficiant.



CAPVT PRIMVM,

In quo Galenus occaſionem ſcribendi præbet in hoc opere.



N præcedentibus vſ- 39
que ad hunc ſeptimum librum, Magiſter de methodo medendi morbos communes, ſive in ſoluta partium noſtri corporis vnitate conſiſtentes, ſermonem conſtruxit. Nunc verò jam ac ſequentibus libris vſque ad vltimum acturus de methodo medendi, morbos partium ſimilarium aggreditur; alij enim huiuſcemodi morbi ventriculi ſunt proprij, alij hepatis, &c. alij è contrà, qui non ſingulis, ſed omnibus in communi, vt febres; & alij demum qui non omnibus, nec ſingulis tantùm, ſed plurimis contingunt, vt ſunt humores. Idcirco à prioribus exorſus in præſenti libro ſeptimo de methodo curandi proprios morbos ſingularium noſtri corporis partium, ſive qui ſingulis noſtri corporis partibus peculiari ratione, & quatenus alicuius actionis gratiâ à natura ſunt fabricatæ, accidere poſſunt, exemplo in ventriculo, tanquam magis noto poſito, vtpote qui non ſolùm primæ alimentorum coctionis manifeſtum inſtrumentum eſt, verùm etiam manifeſtiùs atque frequentiùs quàm reliquæ corporis partes tales affectus patitur. Proinde proprios ventriculi morbos in præſenti libro curandos aggreditur, vt his ab ipſo adapertis, nos ad eorum inſtar in jecore, corde, cerebro, vtero, vel alia quavis parte noſtri corporis eadem inquiramus, reſolvamus & concludamus, in ſingulis ſcientificam curandi rationem agentes, agendáſque ita eſſe à Medicis docentes.

TEXTVS.

Medendi methodum, Eugeniane carissime, quia olim, &c.

40 ACtutùs igitur Galenus *lib. 7. de methodo medendi morbis ventriculi, in primo cap.* occasionem hunc librum reliquosque scribendi proponit, priúsque rationem præbet, ob quam post à se priores sex libros conscriptos, præsentem septimum, ac reliquos huius operis retardarit, imò & vlteriùs progredi destiterit. Horum igitur vtrumque vt paucis concludat, ad hunc fere modum scribit. Tu mihi conscius es, Eugeniane carissime, neque hoc me opus, neque aliud vllum popularis auræ studio, aut consequendæ gloriæ gratia fuisse aggressum: ego enim ab ipsa adolescentia mirificè, sive inspiratus, sive furore percitus vulgi famam contempsi, & veritatis, scientiæque studio flagravi, sed quoscumque conscripsi libros, scripsi quidem quò vel amicis gratificarer, vel me ipsum vtilissima ratione circa rem propositam exercitarem, vel vt Plato dixit, ad oblivionem senij. Ob hæc ergo medendi methodus, quam in Heronis gratiam inceperam, & vsque ad præsentem librum septimũ prosequutus fui, postquam illum diem suum obiisse nunciatum habui, à me est deposita, cùm capita inventorum brevibus commentariis mihi ipsi scripsissem, neque vllam pleniorem docendi rationem adjecissem; nunc verò quando tu, & alij multi ex amicis, exigitis quæ me operari in ægris vidistis, vt ea in Commentarios redigam, adjiciam huic operi quod reliquum est.



CAPVT II.

In quo Galenus nectit hunc librum superioribus.

41 TRIA etenim sunt, quæ Magister hoc in capite commonstrat. Primum videlicet, cur prius de ratione curandi communes morbos, quàm de partium nostri corporis propriis egerit; secundum morbos partium similarium omnium primos esse; tertium tandem hoc morborum genus esse cognitu maximè necessarium, neque posse ratione curari, nisi prùis corporis elementa cognoscantur; sicque caput in tres partes dissecatum remanet.

TEXTVS.

Ergo in horum commentariorum tertio, &c.

IN hac prima capitis parte Galenus scribit se 42
in tertio, quarto, quinto & sexto antecedentibus libris egisse de methodo medendi morbis communibus, sive in soluta vnitate partium nostri corporis consistentes; non quidem quia tales morbos aliis priores esse crediderit, sed potiùs quia aliis cognitu faciliores sunt, & à facilioribus ad difficiliora in doctrinis adducẽdis procedendum est; tum etiam vt hoc modo protinùs Medicos antiquos confutaret, qui certa methodo artem tradere polliciti, in prædictis morbis curandis maximè allucinabantur, potiúsque amethodi, quàm dogmatici aut rationales deprehendebantur: nam si vnum, inquit, Hippocratem excipias, qui nobis omnium salutarium præceptorum semina præbuit, reliquorum nemo conatus est hoc morbi genus methodo curare; ne dum qui post Hippocratem scripserunt, quamvis ij saltem poterant quidem doctrinam dicti Hippocratis insecuti; sed non ita fecerunt, aut quia noluerũt, aut quia nescierunt: postulant enim quæ Hippocrates reliquit, non malos agricolas, qui ea tum seminent cõmodè, tum augeant, tum perficiant; quæ tamen ante nos, inquit Galenus, nullus fecit, sed plerique semina quæ reliquit Hippòcrates, corruperunt.

TEXTVS.

Revertamur autem nunc ad morbum eum, &c.

IN hac secunda capitis parte Magister docere 43
intendit, primum morborum genus esse morbos proprios partium similarium: & per consequens, methodo dignitatis ab istorum curatione potiùs quàm à morbis communibus hoc opus incipiendum fuisse. Galenus igitur sic quasi arguens hanc sententiam probat: cùm morbus sit affectus præter naturam per se ac primò lædens actiones, illi erunt primi, ac potissimùm morbi, qui magis efficaciter, & per se actiones lædere valebunt; sed ij sunt morbi qui similaribus innascuntur partibus, ergo morbi partium similarium erunt omnium morborum primi, sive qui præ aliis morbis nobis nocent; ideoque primum omnium morborum genus constituit. Minor hac ratione probatur: actiones nostri corporis, vt & alterius cuiusque animantis, præcipuè ac primùm à partibus similaribus, earumq; naturali symmetria, sive sanitate eduntur: ergo morbi proprij harum partium erunt, à quibus præcipuè & per se tales lædentur actiones. Consequens necessariò probatur: nam morbi partium similarium omnes sunt lapsus sanitatis earum; siquidem ex eodem Gal. *lib. de morborũ differẽtiis, cap. 1.* in illis in quibus secundùm

secundùm naturam se habentibus consistit sanitas, in illis dum à justo modo recedunt, aut labuntur, consistit morbus; quare vt sanitas partium similarium, à qua rectè fiunt actiones, est ipsa talium partium naturalis constitutio, seu tēperies calidi, frigidi, &c. Ita pariter ipsa præternaturalis constitutio, seu intemperies calida aut frigida & erunt necessariò istarũ partiũ morbi; & qui primò, magisque præcisè ac per se, aut essentialiter tales actiones lædunt; imò qui magis naturam viventem malè afficere, debilitare, aut in totum lædere possunt. Quare morbi partium similarium omnium primi aut præcipui aderunt.

44 Quòd autem similares partes illæ sint, quibus nostri corporis functiones potissimùm acceptæ referuntur, Magister hac inductione probat: Demõstratum in aliis operibus est, *vt lib. de differentiis morborũ. cap. 6.* actiones nostri corporis a partibus instrumentalibus, sive organicis fieri, vt ab oculis visionem, à lingua & ore sermonē, à ventriculo chylificationem, ab hepate sanguificationem, &c. Quod tamen quamvis ita sit, adhuc tales actiones à partibus similaribus eduntur; omnia enim dicta instrumenta ex similaribus tanquam ex elementis cõponuntur, suãque naturam, atque operationes desumunt; imò in singulis partibus organicis inter alias, vna peculiaris, & similaris, cui alia similis in toto corpore non reperitur, datur, à qua præsertim instrumenti actio editur: esse enim aut ambulare crurum est, inquit, non tamen totius cruris, sed musculosi in eo generis. Sic neque visio est æqualiter totius oculi, sed præcipuè crystallini in ipso humoris; etsi enim omnes partes similares oculũ componentes, quæ sunt quinque tunicæ, ac tres humores, visionem edant, inquit, *primo de symptomatũ causis, cap. 2.* Inter omnes tamen crystallinus humor est, cui potissimũ visio debetur, quique potissimùm talem actionem edit, etsi reliquæ partes oculum componentes vsum aliquē præbeant, & aliquo modo huiusmodi humorem crystallinum ad talem actionem obeundam juvent. Quod de oculo profertur, idē reliquis in organis, quę alicuius functionis gratia à natura facta sunt, reperitur. Quare nostri corporis actiones, etiamsi instrumentorũ sint, omnes tamen à partibus similaribus peculiariter procedunt, ac proinde istarum morbi omnium præcipui erunt, ac præ aliis omnes actiones vitiare valebunt.

TEXTVS.

Porro ostensum in secundo horum voluminum est, &c.

45 IN hac tertia capitis parte Gal. dictum morborum genus *ex demonstratis in 2. huius operis libro* esse cognitu maximè necessarium advertit, neque ipsum aliquem Medicum rectè curare posse, qui priùs corporis elementa non noverit: quorum vtrumque etiam nos ex adductis hîc facilè possimus commonstrare. Quoad primum enim si benè expositum est, quod partium similarium morbi sunt omnium primi, quiq; magis quàm alij actiones lædunt, ac nostram naturam devastant: ac proinde sequitur tale morborum genus maximè cognitu necessarium esse; morbi enim quò magis nocent, eò magis præ aliis esse curandos indicant, ac proinde cognoscendos esse, cùm morbi cognitio remediorũ sit inventio, ac per consequens totius curationis lumen. Quoad secundum, si rectè etiã cum Aristotele diximus, quòd res sicut se habet ad esse, sic se habet ad cognosci; nulli dubium esse poterit, quin ad curandos tales morbos necessariò nostri corporis elementa erunt cognoscenda, cùm prædicti morbi, vt dictũ est, sint lapsus dictorum elementorum, ab ea naturali cõstitutione, qua sanitatem constituunt, & à qua rectæ actiones oriuntur.

Quibus sic iactis in capitis calce jã Magister agit in Medicos antiquos, qui rationales se esse jactabant, ac prædictos partiũ similariũ morbos atque earũ imbecillitates curare profitebantur, cùm tamen dicta elemēta ignorarent. Propterea non verè curantes, neque quæ proferebant intelligentes: dicebant enim imbecillitates sive ventriculi, sive intestinorũ, vel jecoris, vel oculorum, aut alterius cuiuslibet partis esse impotentiã, seu infirmitatem ad operandũ, ad hoc ipsum ipsi plenè dicunt, atque cognoscunt; inde tamen tamen curationem verã inferre non possunt. Vlteriùs deinde causam illius impotentiæ inquirere oportet, id est, quis ac qualis sit effectus ille, vel occasio præter naturam, qui partē viventem ad operandũ debilitat, seu dejicit, ac dissolvit; nulla enim corporis pars cùm pro ratione affecta est, ad propriam actionē est imbecilla; sed cùm aliqua præternaturã afficitur causa, quæ eam ad operandum impotentem reddit: quam neque Erasistratus dixit, neq; Erophilus, neque alij antiquorum, qui primorum corporũ vel partium similarium naturam quærere ausi non sunt; id est, qui de elementis talium partiũ non egerunt, neque calidum ac frigidum, humidum ac siccum inter se cõmixta cum Hippocrate esse crediderunt, sine quorum tamen intelligentia, inquit Magister, neque affectus imbecillitatem inducentes, neque alij partium similariũ morbi cognosci, vereq; curari possunt, vt latiùs in duobus insequentibus capitibus patebit. 46



CAPVT III.

De curatione intemperierum in genere.



VM Galenus capite in præsenti de intemperierum partium similarium curatione in genere agere decernat, denuò hoc morborum genus vtilissimum esse repetit, quòd à Medicis disquiratur, explicatis ad id elementis, ex quibus tum alia mixta corpora, tum potissimùm animantium, posteàq; dictam intemperierũ curationē ostendit, sicq; duæ capitis partes adsũt. 47

TEXTVS.

Ceterùm immorandum diutiùs in his non est &c.

48 AD primam igitur Magister deveniens sic fatur: Sanè eadem opinio de corporis natura fuit, id est de natura partium similarium, tum Diocli, tum Mnesitheo, tum Atheneo, tum probatissimis ferè quibusque Medicis, vt & Philosophis; vtpote omnes ab Hippocrate edocti statuentes ex calido, frigido, humido, & sicco, tum mixta corpora vniversa, tum in primis animantium esse constituta, imò taliter constituta, vt si vna quælibet animalis pars propriam actionem habet, quæ tamen ab aliarum actionibus differt, quantùm ipsa particula ab aliis est diversa, quæ dictas edunt actiones; hoc quidem ideo ita fit, quia tales partes illis constant elementis, tam diversa ratione inter se commixtis, quantùm dictæ partes differunt inter se: Differt enim, inquit Galenus, particula quæque ab aliis prout calidior, frigidior, siccior, vel humidior fuit constituta, aut binis ex his qualitatibus excedentibus est facta. Ex quibus sequitur, vt qui tueri actionem aliquam vult, hic temperamentum earum custodire debeat; id est naturalē temperiem, vel naturalem constitutionem quatuor elementorum, à qua rectè actio exercetur.

49 Custodiet autem, inquit, si quid ad calidius est conversum, refrigerabit, quod ad frigidius est decliuatum calefaciet; & pari ratione quod ad siccius est alteratum humectabit, & quod ad humidius est versum siccabit: omne enim nimium naturæ est inimicum; quare quodcumque temperamentum ad aliquem excessum præter naturam, sive ad calidum videlicet, sive frigidum, &c. immutatum fuerit, ad suum naturalem statum, sive debitam mediocritatem redire indicabit, vt sic natura conservetur, naturalesque operationes moliatur; semper enim pro eo quod exuperat inducendum eo vsque contrarium est, quoad particulam in symmetriam, naturalémque habitum reddideris, à quo duntaxat propria functio exercetur, sive excessus in vnica tantùm qualitate, vt in solo calore, aut sola frigiditate, &c. Sive in duabus qualitatibus sit, sicque hoc modo in genere morbi omnes curantur, qui in similaribus partibus, vel in vna qualibet similari parte veluti in ventriculo, hepate, aut similibus consistunt; vnaquæque enim similaris pars quatuor elementis inter se commixtis constat, quæ proinde qualibet simplici, aut composita intemperie, sive nuda, sive cum humoris affluxu facta, laborare potest.

TEXTVS.

Cùm enim octo sint earum differentiæ, veluti in libris, &c.

50 EX dictis Magister in hac secunda capitis parte infert, quot numero diversæ curandi rationes, seu methodi profligandi morbos partium similarium, tum omnium earum in vniversum, tū vniuscuiusque illarū per se: vt enim omnes similares nostri corporis partes, & vnaquæque illarum per se ex quatuor eisdem elementis coalescunt, suasque naturas sortiuntur, nō aliter quot morbi diversi omniū similariū partium in vniversū sint, & diversæ curationes seu methodi eorū, tot vniuscuiusq; illarū nec plures, nec pauciores, nec specie, aut numero differētes sūt.

51 Arguit igitur Magister hoc modo: Constat ex modò dictis, vt etiam ex dictis *lib. 2. & lib. de differentiis morborum*, esse octo morborum differentias, quæ similaribus corporis partibus, tum omnibus, tum cuique per se accidere possunt; intemperiem nimirùm calidam, aut frigidam, humidam, aut siccam, vel calidam simul & siccam præter naturam, calidam & humidam, frigidam & humidam, aut tandem frigidam & siccam. Quare octo erunt istorū morborum diversæ medendi rationes, seu methodi diversæ; nam tot sunt, aut esse possunt medendi rationes, quot fuerint diversæ morborum ideæ, sive diversæ species aut differentiæ. Sed sic est, quòd istæ morborum partium similarium differentiæ sunt tantùm octo dictæ: partes enim similares à sua naturali constitutione, seu temperamēto solùm dictis octo modis recedere possunt: ergo octo similiter diversi modi seu methodi curandi tales morbos erunt, eo quòd hac ratione prædictæ intemperies ad statum naturalem reducuntur: contraria enim contrariis curantur, vnique tantùm vnum est contrarium, veluti calori frigiditas, aut è contra; & sic de aliis omnibus contrariis. Hæc Gal.

52 Hac autem cōmuni ratione intēperiei curādę sic posita, quæ mēbratim, inquit, medicatio agitur, in qualibet videlicet intemperie illarum, ex duobus conficitur, materię nimirū copia, illiusq; congruo vsu; ex debita duntaxat qualitate, quātitate materiæ, in opportuna occasione, convenientiq; modo applicitis; materia etenim remediorū non tantū medicamenta, sed etiā alimenta intelligūtur; quare illorū remediorū materia, inquit, *ex lib. de simpliciū medicamētorū facultatib. ac de compositione medicamentorum*, sumenda est, vtpote in quibus de materia remediorum debita pertractatur; quæ verò ad victum pertinent, sive ad alimenta, hinc sumimus; quia recta alimentorum administratio in morborum curatione potiùs, quàm *in libris de alimentorū facultatibus* traditur. Sed & quemadmodū morbos in intēperie cōsistētes possimus cognoscere, ex tribus operibus desumitur. Primò ex eo quod de tēperamētis, secūdò ex eo quod de locis affectis, tertiò ex eo quod ars medica inscribitur: quare de his nūc magis in particulari agendū non est. His præsertim qui naturâ sūt prudētes, & in il-

lis

lis operibus se exercuerunt; cui verò neutrum horumdest, huic certè ad præsentē disputationē non parva re opus est; si præterea prava aliqua doctrina sit nutritus, hic geminum tempus requirit; alterum in quo pravas opiniones dediscat; alterum in quo melioribus se exerceat. Placet quidem quæ sic elara Magister affert nullatenus immutare; sed eius doctrina vbique manifesta mirandaque est, illā integrè frui licet.



CAPVT IV.

De curatione ventriculi imbecillitate laborantis.

53 

PECVLIARITER, ac per exempla Galenus in præsenti libro de alia atque alia intemperie ventriculi curanda se acturum offert, præsertimque in præsenti capite de ventriculi curatione imbecillitate laborantis: est enim ventriculi languor affectus præter naturam à qualibet intemperie proveniens; pro quo quidem fine duo potissimùm Magister præstat. Primum etenim qua ratione, seu quibus remediis antiqui ventriculi imbecillitatē curare consueverunt, docet: secundum, qua ratione ex natura rei inventa ipse eam curaverit, sicque hoc caput in duas dissecatur partes.

TEXTVS.

Sanè te scimus, & ex iis quæ in vniversum dicta sunt, &c.

54 IN hac prima capitis parte Magister acturus de antiquorum Medicorum ratione curandi vētriculū imbecillitate laborātē, in primis præsens caput cum antecedenti nectit, & ad antiquorū curationem, suámque propriā edocendā se præparat, simulque sic se habet: Sanè tu ex illis es (loquitur cum Eugeniano) qui vniversalia Medicinæ dogmata, & invenire per te ipsū, & per particularia exempla tradere, ac explicare potes; tum scilicet quia sciens es, & non ignarus, vt multi eorum, de quibus in calce capitis superioris adductum est; tum etiam quia multos id genus morbos à nobis ita curatos vidisti; vnde vtraque ratione particularium tractationum minus requiris. Sed quia, vt Plato ait, non possunt quæ præscripta sunt, è manibus non excidere, idcirco necessum est, non tamen vniversalia præcepta tradere, sed & etiā eadē in particularibus exemplis illustrare, atque clariùs explicare oportet; vt si quando liber in alicuius non exercitatæ rationis manus devenerit, etiam hunc doceat, qua ratione per se ipsum particularia inveniat, aut invenire possit.

Quibus sic jam habitis, jam de curatione ventriculi imbecillitate laborantis ex antiquorum sententia agit, eosque reprehendit, eo quòd in qualibet ventriculi imbecillitate astringentibus vt absinthio, vino nigro, granatorum succo ac alijs huiusmodi tum interiùs per os assumptis, tum exterius aplicitis ventriculi regioni vtebantur; sed quia hac curatione tum alij, tum Quintus magister Gal. præcipuus vtebantur; prius curationem priorum, & demum sui Magistri Quinti adfert: sicque alloquitur: si ego præceptores secutus fuissem, suasissem quoque ventriculi imbecillis ut ex his astringentibus ac subamaris vterentur, & vino austero v.g. nigro: præterea absinthio, & alijs medicamentis, quæ ex malicotonei succo, & similibus astringentibus confecta devorantur. Similiter extrinsecus primo per fundi ventriculum ex absinthio, & oleo crudo infussem; mox portionē lanæ ex eisdem, & vnguētis eliuo masthichino, ac nardino imbutam imponerem: post hæc alia pharmacha dictis valentiora, quæ vocantur epithemata, quæq; tum ex eisdē, tum ex alijs astringentibus componuntur, in quibus est aromatum multitudo, ut spica nardi, calamus aromaticus, iris, ladanum, balsamum, reliquumque aromatum genus. His non conferentibus, in fine adhibuissem rubrificantia, quæ ex tapsia, synapi ac similibus constant, & ad vsum aquarum calidarum, id est balneorum naturalium, aut spontè nascentium ablegassem: quippè vltra hæc Empiricus nihil novit. 55

56 Quintus verò ijs, qui de cruditate aut inappetentia querebantur, idest imbecillitate ventriculi laborabant; primum quidem exercitari suadebat, tum esse, seu comedere, quę concoctu quā facillima essent, & non multa: his autem non conferentibus, cogebatur ipse quoque ad empiricorum dogmata confugere: erat enim Quintus rationalis Medicus, qui tamen calidum, frigidum humidum, & siccum balneorum esse nomina dictabat, non verò hominis esse elemēta, aut naturam eius, & reliquorum corporum viventium componere; sine quibus tamen sic constitutis, ac suppositis est impossibile partium imbecillitatem methodo curare, aut certa aliqua ratione invenire: Vnde supponens Quintus vētriculi imbecillitatem esse defectum eius caloris natiui alimenta appetentis, & concoquentis, consequenter exercitari suadebat laborantes, ad excitandum sic, robotandumque talem calorem, & pauca esse, ac coctu facillima imperabat, ut pote quæ appeti, ac concoqui vel à debili, aut deficiente natiuo calore, seu agente possent.

TEXTVS

Quare per hos nihil obstitit quominus ipse quoque &c.

IN hac secunda capitis parte Gal. se non vnam solum rationem curandi ventriculi imbecillitate laborantis invenisse commostrat, vt dicti Medici antiqui tenebant, vt visum est, sed 57

sed octo modis diversam, veluti sunt octo diversæ intemperaturæ, quibus ventriculus laborans imbecillus fieri potest; scribit igitur hoc modo: Sicut antiqui Medici vnicam solùm rationem noverunt, per adstrictionem scilicet curare ventriculum imbecillum; ita per hos nihil obstitit, quin ipse quoque eadem sola ratione insisterem in curandis eiusmodi affectibus: verùm ratio me docuit octo imbecilli ventriculo curationes: quasi dicat; si vnus esset morbus à quo solùm ventriculus debilis fieret, posset pariter vnica solùm ratione imbecillitas ventriculi curari, quia vni quidem vnum solùm est contrarium, vt *suprà* visum fuit: sed sunt octo morborum differentiæ speciæ diversæ, & earum quatuor inter se contrariæ, à quibus ventriculus debilitari contingit ab intemperiebus duntaxat calida, frigida, humida, & sicca, calida & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca: ergo non vnica, sed octo modis diversa erit methodus, vtráque ratio curandi ventriculum imbecillitate laborantem; vnde antiqui hac in curatione maximum errorem commisetunt: proinde in præsenti Magister exemplis potiùs brevibus antiquos refutat, vt suam sententiam firmet, quam adhuc peculiariter methodum prædictam ostendat; sicque in hunc modum alloquitur: Vidisti igitur & quosdam imbecillitate ventriculi laborantes, quos vna die, vel potiùs hora frigida potione liberari; quorum aliis non aquam modò dedi fontanam recentem, sed etiam quæ nive esset refrigerata; imò & cibos dedi ad eundem modum refrigeratos, vt quam melcas vocant, & Hispano sermone *natas de leche*, & ptisanam, & fructus frigidæ facultatis, & alia sexcenta; in quibus omnibus vnam rem mihi proposui, ipsam scilicet refrigerationem: vetui autem absinthium, vtpote calefactorium medicamentum, & quidquid adstringeret. Ex quibus manifestè patet, quòd hos Galenus contraria ratione, quàm antiqui atque empirici, curavit.

58 Alios è contra laborantes à refrigerantibus abstinui, inquit, calefeci autem omni ratione, vinum vetus, valdéque calefaciens eis exhibẽs, tum & nutrimentum quod calefaciendi vim haberet, cum largo pipere. In aliis omne curationis consilium direxi ad siccandum, dabamq; eis tum cibos, qui natura essent sicci, ac probè assati, tum prorsùs exiguam potionem; atque iis quidem adstringentium omnium vsum injunxi, quem vnum, qui illis citra rationem vtuntur, norunt; & quibus solùm antiqui illi Medici vtebantur. Ad curandam ventriculi imbecillitatem, imò ad curandam debilitatem cuiuslibet partis, quæcumque aut qualiscumque illa fuerit; malè tamen, quia solùm in intemperie humida prosunt, vel in humida ac frigida; in aliis verò, sive calida, sive sicca, certè non solùm non juvant, sed nocent, præsertim in sicca intemperie, vt ex historia sequenti manifestè intelligitur.

59 Quippe vidi, inquit Galenus, ægrotum, qui jam adeo siccatus fuerat, vt simillimum habitum præferret iis, qui marasmo, id est senili ariditate marcescunt, seu extenuantur, aut exsiccantur; qui non ex alia occasione eò periculi venerat, (cùm inter initia exiguam intemperiem ex siccitate, quæ madefieri postulabat, haberet) quàm quòd ij, qui eũ curandum susceperant, tũ absinthio potabant, tũ amaros asparagos, & bulbos edendos dabant, itémque malacotonea, & cestiana, & punica scilicet exsiccantia; & post hæc vbi venter nihil horum contiuebat (quia scilicet cùm ventriculus præter modum est siccus, evomit quæ assumuntur, præsertim quæ siccãt) etiam rhois bibere cogebant, vtpote valdè stringentem, quæ paulò suprà dixi, extrinsecùs imponebant. Quibus quidem sic adhibitis, laborantem loco curationis paulò minùs omnis madoris, sive humiditatis expertem reddiderunt. Hunc igitur nos sanavimus contrariis omnino adhibitis iis, quæ egregij illi Medici suaserant; omni scilicet ratione humectantes, tum humidis alimentis ægrum nutrientes, tum ei adhibitis interiùs & exteriùs medicamentis humectantibus, quæ in opere *de medicamentis* per methodum est ostensum talia facere.

Dubitationes in contextum.

Duo cordati interpretis munera exercenda offeruntur; primum literam textus fideliter perlegere, autoris mentem integrè exponere: secundum, quæ tradita sunt, an vera, an verò falsa sint, vel quo saltem modo intelligenda, tenendáque sint, perpendere; quare litera textus, vt jacet, explicata, jam dubia in eo, quæ occurrunt, amplius exaranda sunt, & qua ratione Magister alloquatur, vt veriora intelligantur ac teneantur. 60

Ex Magistri ergo sententia in cõtextus principio constat, octo diversis modis ventriculum imbecillitate laborare posse, eo quòd intemperies diversæ octo sunt; quatuor videlicet simplices, & quatuor compositæ, ob quas quælibet nostri corporis pars imbecillitatem contrahere potest; ex quibus diversam curandi rationem colligi patet; ita vt si ventriculus calida intemperie afficiatur, necessariò contrariis alterari debeat, adhibitis dumtaxat alimentis, ac medicamentis frigidis; imò si vitium internum valdè sit, actu nive refrigeratis; si verò è contra ventriculus frigida intemperie corripiatur, potiùs calidis alimentis atque medicamentis interiùs assumptis, exteriúsque appositis est agendum; ac pari casu in aliis ventriculi intemperiebus media contrariorum adhibitione operari opus est; quæ etsi vera sint, atque hoc modo agendum exposcunt; non quidem semper in talibus intemperiebus, sed solùm quando nudæ aut immateriales sunt; vel si materiales, & ex humoribus natæ sunt, postquam humores evacuati, vel statim concocti, sicque à natura victi sint, vt amplius vitiare non possint. Quare sic Galeni doctrina intellecta recipienda est, non tamen vniversaliter, ne curationis loco in deteriora pericula laborantes ducantur, vt qui sicca intemperie affecti adstringentibus curabantur; nam in materialibus intemperiebus vnamquamque priùs causam abscindere oportet: deinde ad eam, quæ facta est, dyscrasiam, sive intemperiem est deveniendum. 61

dum. Quod Magister *in arte medicinali, cap. 89.*
62 tali exponit.

Secundò in dubium proponitur, circa verba illa, vetui autem absinthium, & quidquid adstringeret in curatione intemperiei calidæ, tradita à Galeno; cùm enim hic de curatione ventriculi agat, & non solum intemperati, sed simul imbecillitate correpti ob aliquam intemperiem calidam aut frigidam &c. Et consequenter dicendum videtur calidam intemperiem, quæ debilitatem contraxit, non nudis qualitatibus frigidis alterandam esse, sed simul adstringentia, aut quæ roborandi vi gaudent esse adhibenda, vt sunt absinthium, ac reliqua cuncta adstringentia: debilitas enim, vt *infrà* patebit, in caloris nativi defectu consistit, sive ab intemperie calida, sive frigida, sive à qualibet alia simplici aut composita deficiat; quare in ventriculi debilitate à quacumque causa proveniat, roborantia necessariò præscribenda videntur, eo quòd exolutionem nativi caloris cohibent, vt sunt absinthium & omnia adstringentia; ista enim corporis spiramenta, seu porositates occludunt, proinde effluvium triplicis substantiæ humidæ, atque spirituosæ potissimùm, quæ semper simul cum calore nativo per corporis poros exhalat, cohibent, ac ne ampliùs exolvantur, impediunt, vt robur partis, sive dictus calor nativus servetur; sic enim totius corporis robur diu permanet, veluti per alimenta optima, bonosque odores reficitur talis calor nativus, qui propriè robur partis nuncupatur, cùm debitè attemperatus est, copiáque intra sanitatis limites abundat; è contra verò debilitas si deficiat, eo quòd nimis intemperatus adest: omnis enim immodica intemperies dejicit vires, vt Gal. *3. de symptomatum causis cap.* 1. inquit: sive ex aliqua causa evacuante scilicet, aut suffocante deficiat. De quibus Magister fusissimè 1. *ad Glauconem cap.* 14. de omni defectu agens inquit.

63 Quæ omnia ex curatione imbecillitatis à Medicis antiquis per adstringentia tradita confirmantur; ij enim supponebant imbecillitatem ventriculi, sive alterius partis in defectu caloris nativi consistere; quem defectum ex laxitate, sive nimia ipsarum partium relaxatione, aut pororum earum raritate oriri; ac proinde ad dictam partium laxitatem firmandam, porosque claudendos, vt inde nativus calor roboraretur, adstringentibus vtendum esse ipsis videbatur. Ex quibus infertur in curatione imbecillitatis ventriculi sive alterius cuiusque partis potiùs adstringentibus esse vtendum, quàm ab illis abstinendum.

64 Quibus tamen non obstantibus, si Galenus rectè intelligatur, illius verba, vt jacent, tenenda sunt: nam quamvis omnis imbecillitas virium, ac dicti caloris nativi defectus fit, non semper tamen talis nativus calor dissipatus ex partium laxitate, aut nimia pororum raritate deficit, sed interdum etiam suffocatus. Quo in casu non solùm adstringentia non postulat, verùm è contra dilatationem partium, ac pororum raritatem proclamat, eo quòd oppressus, nimisque coarctatus vel ab humorum multitudine, vel ab eorum crassitie, sive alia quacumque causa densante, obstruente, aut aliter porositates occludente suffocatur. Quare quamquam nativus calor sæpiùs dissipatus, atque exolutus deficit; quibus in casibus adstrictione medicamentorum, vt roboretur indiget; hoc tamen non est perpetuum. Cùm aliquãdo debilitas ex suffocatione potiùs quàm dissipatione caloris oriatur; proinde Galenus medicamenta adstringentia in hoc casu vitare decrevit.

De ventriculi imbecillitate, ac eius dignotione occurrit agendum.

Cùm specialius Magistri intentum in præscripto capite imbecillitatem ventriculi curare sit, propterea operæ pretium erit imbecillitatis naturam & cognitionem adducere; aliàs recta curatio agi neutiquam valebit: nam apud Galenum 2. *secundum loc. cap.* 2. conjectura artis Medicæ in affectuum cognitione consistit; quæ vbi constiterit, non conjecturaliter, sed scientifica ratione curationem indicat. Et meritò: nam cognitio morbi remediorum est inventio; ita vt qui benè noscit, benè curet; & è contra plurimos committat errores. Sicque ad prædictam ventriculi, aut cuiuscumque partis imbecillitatem curandam, maximè illam quid sit, scire & cognoscere oportebit. 65

66 Galenus etenim 8. *secundum loc. cap.* 2. de ventriculi imbecillitate, illiusque curatione acturus priùs à nominis dignotione incipiens sic fatur. Plerique vulgò homines eos, qui appetentiam perdiderunt stomachicos, hoc est, ventriculo debiles vocant; & quibus post acceptum cibum ventris os gravatur & premitur, & quandam ægrè tolerabilem anxietatem habet. Appellant eodem modo etiam illos, quibus nausea contingit; & maximè si ad vomitum compellat. Et adhuc magis si simul cibi corrumpuntur, quandoque accidit, quandoque nidorosi facti, quandoque etiam aliam qualitatem vitiatam adepti; & præ his omnibus adhuc magis illos stomachicos, vocant, quibus ructus huiusmodi cum molestia quadam & anxietate, ac subversione contingunt: sæpè cùm cibum nondum acceperunt. Quin etiam si per plurimum tempus cibi in ore ventris morentur, gravantes, & vix descendentes, alios item appetitum caninum habentes, id est sic affecti vt plurima edant, & maximè gravati paulò pòst evomant; alios rursus qui fortiter exolvuntur vbi diutiùs inediam pertulerint, etsi non citiùs cibum capiant, in ore ventris morsus percipiunt: atque horum aliqui facilè nauseosi fiunt, nisi potum ac cibum citiùs acceperint. Hæc Galenus de notione imbecillitatis ventriculi. Vt tamen hæc omnia breviùs ac verè intelligantur, perpendendum est, quòd ventriculus à natura fabrefactus est, vt alimenta quæ per os assumuntur, & quibus corpus nutritur, atque conservatur, rectè appetat & perfectè concoquat; non enim quod ingeritur, Magister inquit, sed quod concoquitur nutrit. Quare si ventriculus secundùm naturam se

habeat, robustusque adsit, omnes functiones, quæ ad alimentorum appetentiam, ac perfectam coctionem pertinent, laudabiles, ac perfectas exercet: hoc est, non solum alimenta, quæ optima sunt rectè, ac in debita quantitate appetit, sed etiam illa rectè amplectitur; integre toto coctionis tempore retinet, & donec concoquendo sua totius substantiæ alteratione in laudabilem chylum, atque substantiam lacti similem mutet, tandemque excrementa secernat: ventriculus etenim in stomachum, sive os superius, & in fundum dividitur; nam ore sive stomacho præ illius exquisitissimo sensu appetit, ac in fundo coctiones aguntur, proinde si ventriculus secundum vtramque partem supernam duntaxat & infernam sanus extiterit, prædictas actiones tam videlicet appetentiam, quàm alimentorum coctionem perfectè exercebit.

67 Cum non exigua animadversione dixi, si ventriculus sanus sit, & secundùm naturam se habeat, robustusque existat. Quoniam ventriculus convalescentium re vera sanus est, ac secundum Galenum ab omni morbo est immunis; tunc tamen alimenta neque ita perfectè appetit, neque conficit, ut dictum est, licet enim sanus sit, debilis tamen ex morbo prægresso remanet; ac proinde dictas actiones debiles, saltimve minus perfectas edit, quovsque non solùm sanus, sed simul robustus evadit: imbecillitas enim robori opponitur, & è contra, sicque illum, qui robore viget, vel qui suas actiones robustas, aut vehementes exercet, robustum esse dicimus, sive sanus sit, sive non; nam adhuc in aliquibus morbis vires vigere, robustæque conservari solent; propterea Gal. 6. *de morbo, & symptomate cap.* 1. ait, quod omnis immodica intemperies deijcit vires, quasi dicat, quòd non omnis morbus vires debilitat, sed qui vehemens est, aut multum permanet.

68 Quibus sic præhabitis, Gal. per verba superius prolata ostendit, eos vocari stomachicos, sive ventriculo debiles, qui in suis naturalibus actionibus, atque operibus efficiendis deficiunt, & non quidem parum, sed mirum in modum: quasi dicat eos vocari stomachicos, qui tum in alimentorum appetitu naturali & absoluta concoctione maximè deficiunt: vndè plerique, inquit, & vulgò omnes homines, eos appellant stomachicos, sive ventriculi imbecillitate laborantes, qui appetentiam perdiderunt, hoc est non solùm parum appetunt, sed quasi in totum appetitum perdiderunt, & non solum nunc non appetunt aut hacti, sed multo antea & tempore preterito, quod intensam læsionem denotat; non aliter quibus post cibum acceptum os ventriculi gravatur, quandamque ægrè tolerabilem anxietatem patitur, stomachicos vocant: non enim ventriculus assumptis alimentis utcunque gravatur, aut anxius fit, sed tantum cum debilitate laborat, valdeque læsus adest, vel cum alimentorum nimia copia, aut prava qualitate offenditur, quorum neutrum nunc supponitur, sed quod dificilius curatu est, vt magna læsio, ac proindè debilitas ingens: Appellant similiter stomachicos illos, quibus nausea evenit, præsertimque si ad vomitum compellat, & multo magis si cibi simul corrumpuntur, sive acidi, sive nidorosi fiant, sive aliam qualitatem vitiosam adepti fuerint, hæc etenim symptomata sunt, seorsimque sumpta depravatam ventriculi coctionem significant, istamque ventriculi culpa otiri, dummodo ex alimentis pravis assumptis, aliave causa externa non contingant, quod abesse supponendum est. Nam raro accidit, ac per se satis notum est: præter omnia dicta, adhuc magis stomachicos vocant quibus dicti ructus quadam cum molestia, anxietate, ac subversione, vel vomitu eveniunt; ex his enim læsio major arguitur, præcipuè si cibo nondum assumpto eveniant talia accidentia, eo quod solam sine causa externa ventriculi pravitatem morbumque satis nocentem, ac proindè læsionem magnam ostendit.

Nec minus si per plurimū tempus cibi in ore ventris morentur maximè gravantes, vixque descendant; vel si appetitum caninum obtineant, ita ut plurima edant, ac valdè gravati paulò post evomant, vtrosque stomachicos vocant, & meritò: nam etsi cibi per multum tempus in ore ventris morentur, & vix descendant, necessariò languidam concoquendi facultatem significant; sic etiam appetentia Canina laborantes, tam intensa ventriculi frigiditate afficiuntur, aut tantam vasorum inanitionem patiuntur, vt quiescere nequeant, nisi cibis ita maximè repleantur, ut nimis gravati paulo post evomant, quorum vtrumque debilitatem arguit, omnis enim immodica intemperies vires deiicit, quæ verò vbi valentes omnia contemnunt vbi tamen languidæ fuerint à quovis offenduntur. 69

Tandem stomachici nuncupantur, inquit Gal. qui fortiter exolvuntur, ac animo deficiunt, vbi diutius inediam pertulerint, & si citiùs cibum non capiant, in ventris ore morsus persentiunt, vel nauseosi fiunt, nisi potum, sive cibum celeriter assumant: qui enim vi inediæ fortiter exoluuntur, debiles sunt, vel quia alimento carent, vel ita pravis excrementis ventriculus scatet, vt nisi ex cibo aut potu assumpto temperentur, morsum, aut nauseam sua acrimonia inferant, sicque ob hanc rationem ventriculus languet, valdeque affectus jacet, ex defectu enim virtutis actiones diminutè, sen depravatè læduntur; diminutè quidem cum defectus est paucus, depravatè verò cum notatu dignus, vel extremus est. Dices tamen, quod constat ex dictis, & ex Magistri doctrina, ventriculum esse debilem, non solùm quando male alimenta appetit vel conficit, sed etiam quando nullum cibum, aut potionem assumit, vt patet in illis, qui exoluuntur, aut animi deliquio comprehenduntur, sive ore ventris mordentur, nisi citiùs potum, ac cibum capiant: quare ventriculi debilitas ad plura, quàm ad læsam eius appetentiam, & concoctionem se se extendit cui responsio ocurrit; videlicet quod quando animi deliquium morsus oris ventris, anxietas, vel alio similis læsio contingit, etiam depravata 70

depravata ventriculi coct.o , adustio nimirum, vel alimentorum, quæ antea fuerunt assumpta, corruptio , vel sanguinis , vel aliorum humorum , seu excrementorum corporis , ventriculive reperitur : nam his vi inediæ vstis aut putrefactis propter nimiam alterationem , seu extremam decoctionem , non solùm os ventris mordicatur; sed etiam spiritus vitales exoluuntur , sicque nimis deficiunt , nisi citò nouus cibus , atque potus assumantur , quibus talis vstio , seu putredo cesset , acrimonia , morsusque temperetur , ac spiritus vitales reficiantur:propterea non inferendum est ex hac parte debilitatem ventriculi ad alia se se diffundere , quàm ad eius læsum appetitum , aut vitiatam coctionem ; perpensa enim ventriculi natura , vt supra est dictum , ventriculus in os superius , ac fundum dividitur : proinde si debilitate laborat,ad summum secundum vnam ex dictis patribus , aut secundum vtramque laborare poterit : si etenim secundum partem superiorem, quæ os,ac stomachus nuncupatur, lædatur, appetitus cibi,aut potus vitiabitur, eo quod instrumentum appetitus est ; si verò secundum partem inferiorem ventriculus debilis existat , coctio lædetur , cum coctio alimentorum inibi celebretur , demumque si secundum vtramque partem languidus adsit, non solum appetentia , & coctio vitium contrahent, verùm omnes aliæ actiones, quæ ad coctionem requiruntur , veluti alimentorum attractio,retentio , ac excrementorum expulsio malè fient; quare qualibet debilitate , ac in quacumque parte ventriculus laboret , etiam illius facultas appetitiva ; vel concoctiva , seu vtraque simul omniaque ad concoctionem necessaria laborabunt. Ex quibus liquidò constat , quod ventriculus imbecillitate affectus numquam ad alia se se valebit extendere.

71 Cum satis ex suprà dictis cum Gal. debilitatis ventriculi notio exposita maneat , iam eius essentia faciliùs breviusque ostendenda properat ; & quia ex allatis satis constat,quod ventriculi , vel alterius cujuslibet partis robori , seu virtuti validæ opposita est , & vnum contrarium ex Aristotele per aliud cognoscitur , & ex Gal. rectum est judex sui , ac obliqui : proindè nunc perpendendum, est , quid virtus sit , sive in quo consistat , quidque sit illud , à quo virtus robusta , vel debilis fit. Quatenus igitur ad essentiam virtutis attinet, ex Magistro 1. *de facultatibus naturalibus, cap.* 3. constat virtutem in nobis esse causam efficientem omnium nostri corporis actionum, sive operationum : quare virtus , robur , vires nostri corporis causa efficiens operationum, potentia ad operandum , & facultas sunt valde synonyma , quæ vnicam , & eandem rem significant , naturam videlicet viventem , atque humanam naturam , quæque omnia in nobis operatur , sicque natura morborum medicatrix , quæ pro caloris nativi , tam insiti radicalis , proprieque calidi innati dicti , & caloris influentis copia , & robore suas functiones validas, veluti præ illius defectus nullas,& præ languore languidas, exercet. Calor etenim natiuus substantia ærea , sive oleosa , pinguis, & alituosa , mitisque adest , qui quidem calor ad omnes corporis nostri actiones naturales vitales & animales , ad animalis formationem, incrementum , & vsque ad mortem nutritionem vt causa instrumentalis concurrit , ita vt valido ipso existente virtutem sive facultatem tam naturalem , vitalem , quàm animalem validam ; appellemus . è contra verò ipso languido , aut deficiente prædicta principia corruere fateamur. Ac proinde ventriculum esse languidum aut debilem , vel quamlibet corporis partem , idem erit , ac dictum calorem natiuum ex se imbecillum habere , & è contra ventriculum robustum esse , quando copioso , florenti , ac valido calore nativo viget.

Cùm ergo calor natiuus ex insito simul & 72
influente integretur , constet , atque compleatur ad operandum , vt Magister 12. *lib. cap.* 5. sic inscribens , doceat : syncope est præceps virium lapsus. Quia tamen virium essentia, quibus corpus regitur , tum in spiritu , tum in solidorum corporum commoderatione consistit ; ideirco spiritum substantia vnà cum solidis corporis , id est , triplex nostri corporis substantia spirituosa duntaxat , humida , & solida , sic nobis conservanda est, vt tum quantitate , tum qualitate , quoad fieri possit , naturaliter se habeant : sic enim corpus viget , suasque omnes actiones perfectas , ac validas edit ; è contra verò si hujusmodi substantiæ quantitate deficiunt , aut nimis excedunt , (vel vna tantum, vel duæ , vel omnes , bonum enim ex integra causa , & malum ex quocunque defectu) aut qualitate vitiosæ fuerint , debiles pariter , seu alio modo actiones illo in casu fient. Quasi dicat Gal. quia natiuus calor in harum substantiarum quantitate debita,ac qualitate, seu temperie requisita consistit;ideo penes hanc substantiarum quantitatem , qualitatemque debitam omnes nostri corporis actiones perfectas instrumentaliter agit,imperfectas verò , seu aliter læsas si tales substantiæ,vel earum aliqua à debita quantitate,vel temperie recesserit.

Sed quamvis languor , seu debilitas ventri- 73
culi , aut cujuscumque partis , quid sit , & quomodo cognoscatur , satis ex supradictis pateat , tamen adhuc aliquid singularius aperiendum restat , vt cujuslibet nostri corporis partis imbecillitas magis , clariusque innotescat: Gal. etenim 8. *secundum locos , cap.* 6. inquit , quod affectio hepatica peculiariter appellata , veluti etiam cœliaca , & stomachica, idest , debilitas hepatis , vel intestinorum , aut ventriculi , & idem de alia quacumque, citra tumores præter naturam circa ipsas partes contingit : inflammatum enim esse hapar, aut abscessu laborare , aut induratum esse , Medici dicunt , aut aliud quidpiam tale ; non tamen hepaticum vocant hominem ipsum cui tale quidpiam accidit:verùm quando citra manifestum aliquod in viscere malum, in propriis actionibus debilitatur, tunc ægrum hepaticum appellant. *Et in eodem libro,cap.* 1. *de stomachicis* agens sic habet:cum absque febre , & inflamatione,abscessuque & vlcere,quisquam debiliter

liter concoquit,aut penitus non concoquit,stomachicum esse Medici dicunt.

74 Quasi Magister dicat: certum est, quòd qui inflammatione ventriculi,aut hepatis laborant, aut febre, vlcere, abscessu, tumore præternaturam, aut alio affectu sensibili malè appetunt, ac pejus concoquunt, quæcumque sumunt alimenta; neque benè in sanguinem mutant: hi tamen, qui sic affecti sunt, quantumvis operationes malè exerceant, hepatici, aut stomachici non vocantur, hoc est, non ideo hepate, aut ventriculo imbecilles esse dicuntur; sed potius quando citra manifestum aliquem morbum hujusmodi, vel aliæ quæcumque partes citra proprias actiones debiliter, vel nullo modo agunt. Nam quando à dictis causis, vel alijs sensibilibus, tales partes affectæ malæ operantur, inflammatum esse hepar,aut ventriculum,aut febre,vel abscessu,vel vlcere &c.laborare dicimus:hoc est ab inflammatione,vel febre, vlcere, vel alio simili morbo sensibili, non tamen ob debilitatem actiones læduntur;sed cum absque sensibili aliqua causa, seu morbo, quasi occulta aut latente potius ratione proprias actiones debiliter,vel aliter malè exercent, eo quòd imbecillitate afficiuntur, quod idem est ac defectu caloris nativi, & alicujus eius substantiæ spirituosæ, humidæ, vel solidæ, quàm aliquo sive substantiæ, sive qualitatis excessu; omnis enim morbus, qui in excessu sive substantiæ, sive qualitatis consistit, quò magis excedit, eò magis sensibilis fit: è contra verò morbus, qui in defectu consistit, valde insensibilis, vtpote carentia, existit, licèt functiones sensibiliter lædat.

75 Nec si insurgas sufficiet, cùm asseras: debilitas ventriculi, sive alterius cujuscumque nostri corporis partis in defectu potiùs quàm in excessu consistit; ergo ventriculi imbecillitas, & idem de alia qualibet parte,actiones eius minuere,vel abolere, non tamen depravare poterit:cui respondetur,vt dictum est,cujusque partis debilitatem in defectu consistere. Quia tamen hæc debilitas,seu virtutis defectus eadem semper non est, sed aliquando exigua, postea magna,rursusque postea pejor,aut maxima;propterea sequitur quòd aliquando ab imbecilitate, etsi ista in defectu consistat, etiam actiones depraventur, vt ex Gal. *loco assignato 8. secundùm locos,cap.6.* constat, vbi de hepatis imbecillitate agens sic inter alia fatur. Pejor enim est in peregrinam qualitatem juxta cruditatem facta;moderatior verò est ea in qua alimentum suam naturam quàm diutissimè servat;nulla alteratione ex particula, quæ ad ipsum concoquendum à natura destinata est,suscepta: atque & tertia præter has species est frustratæ concoctionis,cum semicoctum sit alimentum, vel semicoctum tantùm relinquitur.

76 Quasi Magister dicat,omnis debilitas in nobis in defectu consistit, & à nativi caloris defectu pendet,ac incipit,quia tamen eadem semper non est, nec semper in eodem statu consistere potest, sed sæpè secundùm magis,aut minus:propterea evenit,quòd ad hepatis, ventriculi, vel cujusque partis debilitatem; diversæ actionum læsiones sequantur; si enim debilitas incipiens, aut non magna sit, illo in casu actiones tantùm minuit, & quasi ex dimidio factas relinquit, si verò debilitas magna, seu extrema sit, tunc quidem in peregrinam qualitatem secundùm cruditatem factam transmutantur,hoc est vitiantur, & toto genere præter naturam fiunt: si tandem debilitas non ita extrema, sed moderatior,& quasi media inter extremam & incipientem extiterit,in hac quidem alimēta neque aliquid concoquuntur,neq; corrumpuntur, sed sine vlla alteratione suam naturam quàm diutissimè servant.

Quæ cuncta Magister loco citato exemplo 77
hepatis imbecillitate laborantis,sic alloquens illustrat:si hepar debile sit, nondum tamen magnam debilitatem habeat,sed adhuc concoquere aliquid possit, & alimentum veluti in formam sanguinis immutet, quasi semicoctum relinquens,si inquam sic tantùm debile est hepar in principio quidem debile est,& eius debilitas est incipiens:& ex hac sanè exacta coctione, sive sanguificatione frustrata hepatis, sanguinolentus humor per alvum excernitur,excrementum inquam lotturæ carnium recenter mactatarum simile: à quibus quidem excretionibus plurimæ affectiones hepaticæ initium capiunt, ac per consequens debilitatem incipere indicant: aucta autem affectione nihil amplius tale excernitur,sed aliæ multiformes excrementorum, ac deiectionum qualitates, & compages expurgantur,veluti à ventre cruditate laborante, id est quæ cruditatem ostendere, aut indicare videntur, cùm tamen non solùm cruda sed corrupta, & toto genere præter naturam vitiata ob extremam visceris debilitatem sint.

Dices tamen vlterius satis credendum esse, 78
quòd hepar debile, seu quæcumque corporis pars languida ob suam debilitatem operationes proprias semimalas, semicoctas, aut diminutè coctas relinquat, eo quod ipsa debilitas in defectu, aut diminutione consistit, vt pluries dictum manet: non tamen ita facilè credendum vrget, quòd vlla imbecillitas quà talis est, alimenta, aut humores diu à coruptione vel alia alteratione præservet, eo quod eadem corrumpat, & in substantiam innominatam ac qualitates mutet: vt tamen hæc à nobis exponantur, supponendum expedit, quòd virtus in nobis operativa duo potissimùm præstat: Primum est,omnes actiones,vt coctiones, generationesque humorum perficere: Secundum verò quæ iam concocta, & perfecta sunt, ne corruant,conservare, vt diu perfecta remaneant:commune etenim est,esse, & conservari ab eadem potentia provenire. Quo supposito est dicendum, quòd veluti potentiæ secundum naturam se habenti datum est benè agere, simul aut opus, quod egit, conservare, ita cum debilis est ex defectu caloris nativi: quia non semper eodem modo est debilis: propterea si parum debilis adest semimalè operatur,& quasi ex dimidio tantùm attingit opus; si verò debilitas est major, non tamen magna, aut extrema, illo in casu

jam

iam ex dimidio non operatur ; quia virtus suf-
ficiens ad operationem efficiendam deficit; non
enim quodlibet agit in quodlibet, sed determi-
natum in determinatum, proinde ad quamlibet
actionem virtus determinata, seu sufficiens in
agente requiritur, unde tunc virtus illa debilis
solùm quæ antea genita fuerunt diu conservat,
seu à corruptione præservat ; minus enim ad
conservationem eorum quæ genita sunt, quam
ad generationem in agente requiritur : si tan-
dem debilitas magna, seu extrema est, non so-
lùm generare, aut aliter operari non potest,
verùm neque ob magnam eius debilitatem,
sive caloris defectum conservare ; quare illo in
casu quæ jam genita fuerunt, & quæ generari,
aut concoqui debebant corrumpuntur, omni-
nóque vitiantur ; nam ex Magistro humores
nisi à nostro nativo calore regantur, aut conser-
ventur, necessariam habent in putredinem mu-
tationem.

79 Pro complemento igitur cognitionis imbe-
cillitatis ventriculi, cuiusvisve nostri corporis
partis in præsenti sat erit addere quæ Magi-
ster 8. *secundùm locos, cap. 6.* ita alloquens, af-
fert. Primùm igitur omnium discernendum est,
an debilitas aliqua visceris adsit, an alia quæ-
dam affectio, videlicet an citra debilitatem sive
ventriculus, sive hepar affectum sit inflama-
tione, aut induratione, aut abscessu, aut obstru-
ctione &c. si enim viscus citra debilitatem
ægrotat, remedia multa, & magna facilè fert,
& citiùs curatur ex Gal. 1. *ad Glauconem, c. 15.*
è contra verò si iam aliqua debilitate laborat :
propterea rectè inquit, in qualibet curatione
discernendum esse, an debilitas aliqua jam con-
tracta in viscere, sive in parte affecta sit, vel
non adsit, tertiò etiam *de symptomatum causis,
cap. 1.* sic fatur. Neque enim Medico satis est
ad bene medendum, cognoscere esse vitiatam
coctionem ventriculi, vel jecoris, vel totius
corporis, sed insuper distinguendum restat, an
propter potentiæ imbecillitatem, an ob aliam
causam coctio vitiata fuerit : si enim coctiones
propter errores externos, aut similes causas vi-
tiantur, facilè curantur ; si verò propter facul-
tatis alteratricis, sive concoctricis imbecillita-
tem, non ita, sed immo potiùs si coctio prima,
quæ in ventriculo fit, propter potentiæ imbe-
cillitatem lædatur, in lienteriam, aut timpa-
niam, vel in longos ac pravos affectus muta-
bitur. Si secunda coctio, quæ in hepatis venis
fit, ob frigidos, aut multos, crudosve humo-
res, quos ventriculus venis misit lædatur, fa-
cilè sanabitur : si verò propter sanguificæ po-
tentiæ imbecillitatem in hydropem ascitem
terminabitur, vel in alios similes pravos ab-
scessus, aut in hepaticas, ac in toto genere
præternaturales, innominatásque deiectiones.
Si tandem tertia coctio, quæ in corporis habitu
fit, propter crudos humores afficiatur, ut his
qui recenter à morbis convalescunt, vel præ
immodica ciborum repletione contingit, quan-
quam inde flatu pleni, & quasi turgidi, sive
toto corporis habitu repleti evadant, facilè vel
sola ciborum parcimonia curantur ; at quibus
hoc propter impotentiæ imbecillitatem eve-
nerit, non ita facilè curantur, imò in dies in
pejus ruunt, usque quo in hydropem, tandem
anasarcam degenerant.

Cum ergo Medicus rationalis ad aliquem 80
curandum accedit, primum omnium discernere
debet, an pars affecta debilis sit, an verò absque
debilitate aliquo morbo laboret. an demum de-
bilitate simul, alioque morbo afficiatur, quod
quidem accidere potest : si enim pars debilis
existat, necessario multa excrementa, cum
malè alimenta concoquat, maléque nutriatur,
generat : unde si pars debilis prædicta excre-
menta excernere possit, fluxiones illorũ necessa-
riò suscitantur, ita ut intra corpus veluti in af-
fectibus rheumaticis, sive extra corpus veluti
cum ventriculus, aut hepar debilitantur, huius-
modi fluxiones contingant.

Cum tandem jecur præ imbecillitate ex ven- 81
tre, & intestinis, ait Gal. alimentum trahere
nequit, liquida nondúmque justo modo segre-
gata per sedem alimenta excernuntur : & si tunc
venter simul cum hepate imbecillis, nónque
probe concoquens fuerit, cruda ; si verò vali-
dus, cocta quidem, sive chylosa liquida tamen
deijcientur, eo quod nulla, aut omnino exigua
distributio ad hepar est facta. Si verò jecur ex
ventre, atque intestinis alimentum in se ipsum
traxerit, præ tamen debilitate sanguificare ne-
quiverit, quemadmodum in ventre multifor-
mis corruptio eorum, quæ ex debilitate cruda
remanent, contingit non aliter circa hepar ;
verùm in ventre ciborum corruptiones mani-
festè apparent : circa hepar verò non ita, nisi
ad intestina regurgitent, & indè per os, aut
secessum foras expurgentur : pluries etenim
alimentum circa hepar non coctum ad sangui-
nem priùs genitum, & in ipso viscere, ac ve-
nis contentum distribuitur, & ipsum non so-
lum conspurcat, sed etiam temporis progressu
sua prava miscela corrumpit. Calida igitur in-
temperie jecore laborante, atque languido exi-
stente colliquationes primum humorum, dein-
de carnis ipsius hepatis fiunt, ac per ventrem
bilis crassa, graveolens, & abundè colorata, ut
in febribus pestilentibus accidit, evacuatur ;
frigida verò intemperie laborante, neque assi-
duæ excretiones, nec multæ fiunt ; diutiùs ta-
men affectus perdurat, per plurésque dies ipsis
venter majori copia profluet, cuius neque fœ-
tor, neque color, neque compages his, quæ ex
calore liquefacta sunt, similis est. Verùm mi-
nus graveolentia excernuntur, speciemque
quasi sanguinis putrefacti, aut nigri, non col-
liquatæ carnis referunt, attamen diligenter
consideranti nec sanguis niger, nec grumus,
sed veluti limus sanguinis crassi, qui propè ad
actam bilem accedat, est, & plures, ac ægrè
indicabiles colores circa huiuscemodi affectum
in egestionibus apparent. In utraque quidem
intemperie, tum calida, tum frigida, si intem-
peries humida vel sicca conjuncta fuerit, liqui-
diora in humiditatis complexu ; sicciora verò ex
siccitatis copula excrementa fient.

Quanquam ex Magistro de imbecillitatis 82
naturalis natura, & cognitione loco sæpè citato
satis dicta maneant ; Hipp. verò tum alibi, tum
potissimum in prognosticis, & Gal. *in commen-
tariis*, non solum de imbecillitate, atque digno-
tione

tione facultatum naturalium agunt, verum etiam facultatum omnium aliarum dignotionem commonstrant; nam etiamsi debilitas in naturalibus potentiis potius, ac citius dari videatur; eo quod sæpè sæpiùs coctiones, ac nutritiones corporis vitiatas valdè, proindéque debiles experimur; alias tamen, vitales præsertim languidas reddi, observamus; propterea maxima cum ratione de omnium dignotione agunt. Gal. equidem in opere magno de pulsibus fusissime doctrinam utilissimam sigillat, & ut selectiora pateſiant, supponere oportet, quòd debilitas qualibet in potentia, non solum naturali, ut visum est, sed in animali ac vitali etiam triplex est, incipiens nimirum, media, & consummata sive magna, ita ut dicere valeamus quod debilitas qualibet in potentia, vel positiva, vel comparativa, vel superlativa est, proinde signa debilitatis non tantum in facultatibus naturalibus, sed etiam in vitalibus, & animalibus sunt tot modis diversa.

83 Quibus sic apud Hippocratem jactis, ipse *in septimo libro Aphorismorum sententia ultima,* sic ait. *Qualia fuerint vesica, aut alui excrementa, & ex carnibus, & sicubi alibi à natura corpus exierit, est considerandum; si enim quod excernitur parum à naturali excedit, paucus est morbus, si multum plus; si valdè multum lethale est, aut mortiferum, nam est extremum, aut morbum suprà vires significat esse*: tres ergo sunt gradus comparationis in quolibet excessu, sive à naturali statu recessu, positivus, comparativus, ac superlativus, & adhuc in ipsa debilitate, sive defectu virtutis, quælibet ea sit: unde pulsus parvus, ac languidus, qui nota est præcipua facultatis vitalis languidæ in aliis quidem parvus, ac languidus est; non tamen multum, ut cum parvus languidúsque simul & celer est; celeritas enim ait Gal. robur aliquod in pulsu ad se ostendit: in alijs autem pulsus est parvus ac languidus, non tamen celer, sed potius frequens, quod majorem debilitatem facultatis vitalis certissimè demonstrat; quare cujuscunque imbecillitatis vitalis essentialis certum signum est pulsus perseverans æqualiter parvus ac languidus digitis arteriam leviter comprimentibus cedens: majorem adhuc imbecillitatem si usu adaucto citra arteriæ duritiem nec magnus quidem pulsus fiat, si tunc adhuc celer non fiat.

84 Quia tamen prædictæ debilitates, addit Hipp. *Secundo de ratione victus in acutis, sentent.* 47. modis duobus contrahi possunt, propter videlicet vasorum inanitionem, seu per essentiam, vel morbi acumen, seu aliam irritationem, vel tandem propter repletionem, quæ rectè cognitæ, ac inter se distinctæ sanitatis, veluti non cognitæ mortis causa sunt: nam una contrariam alteri postulat curationem, idcirco videndum nunc expedit qua recta ratione hujusmodi debilitates inter se differant; non enim ex pulsu inæquali in magnitudine, ac vehementia sufficienter distinguuntur, ut communiter profertur, sæpiùs enim ob dolores, morbi acumẽ, seu vehementiã, & ob multam humorũ repletionem ægri sine pulsu redduntur: quare ex pulsuum inæqualitatibus malè vires omnes languidæ per aggravationem cognoscuntur, sed aliunde distinctio sumenda.

Cum igitur non omnes virium debilitates 85
per aggravationem factæ ex inæqualitatibus pulsuum sufficiẽter animadvertantur, propterea ad Hipp. ipsum *secundo Aphorism. sentent.* 28. confugiendum est, ubi integrè omnes depingit, sic alloquens febricitantium non omninò leviter nihil comminui corpus, aut plusquam non postulat, extenuari, malum: illud enim diuturnitatem morbi; hoc verò virium imbecillitatem significat, quasi dicat, virium debilitates aliæ sunt per essentiam, sive propter vasorum, totiusve corporis inanitionem, & aliæ sunt per aggravationem, sive ex humorum repletione: has igitur sic distingues in morbis præsertim, ut nunc inquirimus, si febricitanti, vel alio morbo non omnino levi, sed potiùs satis vehemente laboranti corpus nihil comminuatur, in mole videlicet, atque corpulentia; aut plusquam non postulat, id est plusquam dicit febris, aut alterius morbi intensio, ac vehementia extenuetur, malum est; nam primum virtutem debilem per aggravationem significat, ac proinde morbi longitudinem, quorum utrumque malum est; secundum verò imbecillitatem essentialem, sive exinanitionem, quæ etiam mala est, significat, imò & pejor priori adest, cum secundùm essentiam sit, quamvis prima, quia subitam aliquam suffocationem, ut apoplexiam, aut syncopem imminet, magis periculosa sit.

Sed ulterius duas aphorismi partes in sensu 86
adaucto utrum veritatem contineant, perpendamus: & quoad primam an in morbis nihil corpus comminui signum debilitatis naturæ gravatæ sit, investigemus. Pro cujus intelligentia duo ex Gal. supponenda restant, primum *libro* 10. *hujus operis, capite* 14. est, videlicet quod vires, ubi valentes sunt, omnia superant, contemnunt, & perferunt; vires verò languidæ à quovis offenduntur. Secundum est 4. *de causis pulsus, capite* 1. nimirum quod natura quoties aliqua necessitate, aut irritatione stimulatur, vehementiori vi qua potest suas functiones obit, & adversus id, quod stimulat agit. His sic jactis monstratur intentum hac ratione: febricitanti non omnino leviter, sed febre satis intensa corpus nihil minuitur, neque extenuatur: ergo quia natura est languida, consequentia ex demonstratis patet: nam quando natura est potens omnes errores superat, & vehementiori vi qua potest contra morbum, illiusque causam, vel aliam irritationem agit; ac proinde necessario vi conatus magni in operando corpus minuitur, & secundùm aliquam eius partem extenuatur, eo quod morbo satis valido seu magno laborat; tunc etenim natura totis viribus contra dictum morbum agit; ac illius causam vel extenuat, consumit, vel aliter evacuat; quare necessariò corpus minuitur; unde si in morbis non levibus corpus nihil consumitur languorem naturæ, illiusque oppressionem à morbo, & causa morbifica significat: nec dicere sufficit, quod etiam propter humores nimis crassos, & nimiam

tniam corporis pororum anguſtiam ipſum corpus non minuitur; nam etiamſi hæc veriſſima ſint, cùm tamen vires vigent, nec oppreſſæ ſunt, illo in caſu neque humores ita craſſi generantur, nec pori nimis denſantur.

87 Contabeſcere etiam, ſeu plus qoàm ratio poſtulat, corpus in morbis extenuari, ſignum virium debilitatis eſſentialis, ſive ex earum defectu eſt, vt Magiſter *in Commentario, & in alio 47. 2. de ratione victus in acutis*, probat. Quamvis noſtra natura ex ſe, vtpote aërea, calida & humida à prædominio exiſtens, diſſipabilis ſit, ac ſemper extenoetur, præſertim ſi corporis humores tenues, & pori nimis aperti ſint, plus tamen quàm ratio poſtulat extenuari, & pluſquam inſpecta, attentáque dicta natura, & corporis naturali conſtitutione particulari, debebat gracileſcere ſignum debilitatis, ſeu caloris nativi defectus adeſt, cùm ad ipſum pertineat, ipſam naturam ne pluſquam ratio poſtulat, inaniatur, conſervare. Ita pariter qoamvis plurimæ ſint cauſæ corpus inanientes, vel extenuantes, vt alimenti penuria, ac evacuationes ſive ſenſiles, vt ſanguinis immoderatus fluxus, vel ſudoris, alteriuſve cuiuſcumqoe nimis copioſæ evacuationis; ſive inſenſiles, vt quæ ex vigiliis, laboribus, febris vehementia, vel alterius caloris, aut cauſæ immoderatè agentis, ac noſtri corporis humores attenuantis & inanientis, contingunt; plos tamen quàm ratio poſtulat extenuari ait Galenus, ſolùm provenit ex debilitate naturæ, ſive ex defectu atque inanitione dicti nativi caloris; ac proinde illius ſolum eſt ſignum.

88 Sed inqnires, ait Galenus, quænam erit extenuatio facta, pluſquam ratio poſtulat? Reſpondet ipſe, quòd quando febris, ſive illius intenſio, aut morbi tempus, vel evacuationes pluſquam ratio poſtulat, ſolent extenuare: nam febres intenſiores magis, & citiùs veluti morbi diuturnitas, magnæque evacuationes, præſertim quæ confeſtim fiunt, extenuant, tum etiam in corporibus rari habitus, atque in ætate tam puerili, quàm ſenili; in pueris enim ob nimiam caliditatem atque humiditatem valdè corpora inaniuntur; in ſenibus verò ex virium defectu. Quare his in caſibus etſi fortè tales cauſæ præcedant, ſecundùm rationem erit, quòd corpus extenuetur; abſque his verò corpus præter rationem, id eſt multùm, aut citius extenuari, ex Hippocrate ſignum virium imbecillitatis, caloriſque nativi defectus eſt, vt in facie illa Hippocratica dicta patet, [1]in qua naſus acutus, ſeu extenuatus valdè, oculi concavi, tempora collapſa, cutis intenta, & arida &c. apparent. Quæ omnia exitialia ſigna ſunt, niſi ex alia magna evacuatione, vel alia ſimili cauſa externa ita eveniant, quo caſu minus malum ſignificant: nam tunc evacuatio illa, aut alia ſimilis cauſa corpus inanitum aut extenuatum reddit, ad quod imbecillitas, vel defectus caloris nativi ſequitur; & longè minus malum adeſt, quòd corporis gracilitas, ac nativi caloris defectus, ſimulque humidæ ſubſtantiæ, aut ſpirituoſæ penuria vires dejiciat, quando dictas evacuationes ſequitur, quàm quòd vires infiræ languidæ ſubſtantiam humidam, ac ſpirituoſam continere nequeant, ſed imò fluere patiantur, ſicque corpus eſſentialiter extenuari ſequatur; illud enim eſt error externus, & reparabilis; hoc verò ſecundum maxima cum difficultate, præcipue ſi talis debilitas diu immoretur.

89 Nec in admirationem rapiaris, vt Magiſter Galenus ait, quòd imbecillitas extenuationis ſit cauſa, & è contrà extenuatio imbecillitatis cauſa; hoc enim omnibus in agentibus, & patientibus contingit; diſcernendum tamen expedit, an extenuatio ſolùm ſit imbecillitatis ſignum, an verò cauſa ſimul & ſignum, cùm tunc longè minus malum ſit, vt dictum manet, vt ſi etiam corpus ex aliquo errore vel cauſa externa corpus inanire potente, ſeu ex ipſa corporis raritate, ac humorum tenuitate gracileſcat: nam quando hæc ambo aſſociantur, celerrimè corpus per inſenſilem tranſpirationem evacuant; è contrà verò propter humorum craſſitudinem, & pororum corporis denſitatem tranſpiratio impeditur, & corpus ſine aliqua molis detractione permanet. Propterea in his morbi cunctantur, diutiúſque perdurant, niſi vires multùm valeant, vt ſæpiùs accidit ex denſa carnium contextura. Cunctam igitur ſententiam cum Galeno paucis concludamus: febricitantium non omnino leviter nil corpus minui in morbis provenit ob naturæ oppreſſionem ab humorum multitudine, vel ob cutis denſitatem, & humorum craſſitudinem, ac proinde imbecillitatem naturæ, morbique longitudinem ſignificat. Contabeſcere quidem corpus vel evenit ob humorum tenuitatem, & pororum raritatem, vel ob ſolam virium imbecillitatem, ſeu inanitionem, aut deficientiam. Quare de imbecillitatis completa cognitione atque natura ſufficiant.



CAPVT V.

Quid peculiare reperiatur in curatione cuiuſlibet intemperiei ventriculi.



90 CTVRVS Magiſter in ſequentibus capitibus de peculiari cujuſq; ventriculi intemperiei curatione, in præſenti omnes inter ſe confert, quidque particulare in eis reperiatur oſtendit.

TEXTVS.

Nam ſicuti in libro de demonſtrativa ſecta dixi, &c.

91 QVatuor quaſi concluſiones præſens caput in ſe continet, quarū prima eſt, quòd facilius,

liùs, breviorique tempore sit curatio intemperiei calidæ, ut & etiam frigidæ, secunda conclusio est quod difficiliùs, ac tardiùs acquiritur, curatio intemperiei humidæ ac siccæ. Tertia conclusio; tempus reparandi intemperiem calidam & frigidam est par, seu æquale; periculum verò est impar. Quarta conclusio; tempus humectandi & exsiccandi est impar; securitas verò par. Quas quidem conclusiones seorsim Gal. quasi sic scribens probat: facillimè quidem sunt alterationes, sive curationes, quæ ex calido, & frigido procedunt, quia maximè activis qualitatibus corriguntur; etsi enim omnes primæ qualitates activæ sint; maximè tamen sunt frigiditas, & calor; quare intemperies calida, & frigida, quæ frigote, & calore cutantut, citiùs atque faciliùs curabuntur, quàm humida, & sicca intemperies, eo quòd istæ siccitate ac humiditate, quæ qualitates minus activæ sunt, corriguntur.

92 Secunda conclusio, hac ratione probatur ex Gal. tempus quidem caloris frigorisque reparandi par quodammodo est, securitas tamen impar; ratio est, quia frigiditas est magis nostræ naturæ contraria quàm caliditas, utpote quæ modicè calida & humida est: unde nisi partes circunstantes parti calidæ, quæ curatur refrigerantibus, sint validæ, periculum adest, ne ab his, quæ refrigerant, noxam non levem contrahant; quam è contra ex calidis applicatis non concipient, nisi calefacientia multum excedant, ac pattes, quæ incalescunt debiles sint; tettiam demum, & quartam conclusionem sic Gal. concludit: in reliquis duabus qualitatibus securitas est par, id est non timetur noxa magis notabilis ex applicatione medicamentorum, quæ siccant, quam ex adhibitione eorum, quæ humectant; tempus tamen curationis est multo impar, & longè ampliùs in sicca intemperie humectanda, quam in humida exsiccanda; & ratio est, inquit, quia quod senium in sanis est, id sicca intemperies est in ægris, hoc est, sicut senium non reparatur, neque ex longo usu humidorum, quia illa siccitas insanabilis est, ita in ægris siccitas insanabilis est illa, quæ dicitur consũmata, & quæ consũmata non est, solùm longo usu humidorum instauratur, tempúsque illius curationis multò ampliùs, quàm si humida intemperies siccis remediis curetur, perdurat.

Aliqua super textum dubia.

93 Quamquam litera textus satis conspicua sit, ut tamen dilucidiùs constet, aliqua sese offerunt examinanda. Primò igitur in dubium proponitur, an tempus calefaciendi, & refrigerandi sit par; eo quòd calor qualitas longè magis activa, quam frigiditas sit, ut in igne & aqua patet; sicque videtur dicendum potius impar, quam par esse tempus calefaciendi, ac est tempus refrigerandi in morbis frigidis, aut calidis; nam ut ex Aristotele constat 7. *physicorum capite* 2. quo virtus agendi resistentiam passi magis excedit, breviori tempore æqualem effectum producit, nec cum aliquibus dicere, satisfacit, esse majorem activitatem in calore, quam frigore; quia tum in frigiditate major resistentia, quam in calore adest, ac proinde æqualem productionis effectum habet, tempusque in utrisque par repetitur; hæc inquam non satisfaciunt; qualitas enim magis activa ideò talis, quia magis resistentiam alterius vincit; Respondet igitur calorem & frigiditatem in elementis, & cum in summo adsunt, esse inæqualis activitatis, ac operationis; in mixtis verò, de quibus magister loquitur, quodammodo pares sunt, & ideò tempus caloris, ac frigoris reparandi, inquit, par quodammodo est, hoc est, aut par est, aut parum in tempore agendi distant.

Secundo inquiritur, an intemperies sicca 94
longiori tempore, ac difficilius, quam humida curetur; & ratio dubitandi est efficax, si verum est, quod communiter dicitur, humiditatem dumtaxat qualitatem magis activam, quam siccitatem esse; quod si verum est, sequitur siccitatem breviori tempore curari: nam à potentiori contrario citiùs curatio agitur. Cui ut respondeatur, notandum est, quod siccitas est duplex, una simplex, hoc est sine aliquo defectu, aut deperditione alicuius substantiæ nostri corporis humidæ; alia verò est siccitas composita, seu conjuncta cum amissione, aut defectu alicujus substantiæ humidæ ex illis, quæ sunt in nobis; quo supposito, Respondetur, quod si siccitas curanda simplex sit, & sine aliquo humidæ substantiæ defectu, talis siccitas vel citiùs curatur, vel saltim pari tempore ac humiditas; si verò siccitas curanda conjungitur cum defectu humidæ substantiæ, hæc cum non valeat corrigi sola humiditate utcumque, sed etiam restauratione indigeat, quæ per nutritionem acquiratur, proinde difficilius adquiritur, & non, nisi longo pòst tempore præsertim, si siccitas consummata est, sive cum substantiæ solidæ defectu conjuncta.

Dubitatur tandem, an par sit securitas in 95
humida intemperie exsiccanda, ac in siccitate humectanda: & ratio militat, nam siccitas nobis magis nocua, quam humiditas est, cum natura calidi ac humidi simus; ut enim calor est qualitas nostræ naturæ magis familiaris, & auxiliatrix, quam frigiditas, quia plus caloris, quam frigiditatis ad actiones vitales obeundas in se continet; ita pariter humiditas est magis amica, & naturalis nostræ naturæ, quàm siccitas, eo quod sua in prima generatione majore humoris, quam siccitatis portione constat, omnéque animal dum vivit, a prædominio humiditatis vivit; & ideò ætas est mutatio nativi temperamenti ad siccius, & quia humiditate nativa defraudamur, senescimus: nunc sic militat ratio: quia frigiditas est nobis minus familiaris, quam calor, eius usus minus tutus, magisque periculosus, quam caloris est, ut in textu patet: ergo non aliter siccitatis usus, cum ista nobis sit contraria, erit minus tutus, aut securus, quàm humiditatis. Respondetut re vera dicta sic se habere; quibus non obstantibus Gal. paritatem securitatis in humectando, atque exsiccando posuisse, propter remissam activitatem quæ in siccitate

repeari

reperitur, ex qua provenit, vt in curatione facta per simplicem siccitatem vix per culum eveniat, nisi siccitas humidam etiam aliquam corporis substantiam absumat.



CAPVT VI.

In quo Gal. agit de methodo curandi siccam ventriculi intemperiem.

96 E recta jam methodo curandi singulas ventriculi intéperies Magister acturus incipit in præsenti capite à sicca, in cujus curatione quatuor potissimû præstat; primumque omnium quatuor siccitatis species nostris in corporibus posse dari commonstrat. Secundò methodum curandi siccam intemperiem explicat; tertiò quale alimentum in hac affectione conveniat, docet; vltimo in convalescentia Prognosticum ostendit, sicque majoris doctrinę gratia quatuor in partes caput dividendum est.

TEXTVS.

Est autem prorsus consummata vbi solita est.

97 IN prima equidem capitis parte duo breviter proponit; nam primò quatuor diversas siccitates, quæ ex defectu alicujus substantiæ humidæ dari possunt, explicat, & secundo in omnibus dictis siccitatibus vsum omnium adstringentium maximè nocumentosum esse advertit: sicque ad textum aperiendum sic ferè Gal. alloquitur; tot sunt, vel esse possunt in nobis diversæ siccitates, quot sunt humiditates in nobis, quæ deesse, vel abesse poterunt: sed istæ sunt quatuor videlicet prima humiditas nativa, sive radicalis, idest seminis & sanguinis menstrui humiditas aërea, pinguis, ac oleosa, quæ simul cum alijs elementorum substantijs ac qualitatibus mixta omnia componit in nobis, & conjuncta vsque ad mixti dissolutionem conservatur; secunda est humiditas carnis & adipis, tertia humiditas roris, id est humiditas alimentalis, quæ ex ventriculo, ac hepate per venas ad singulas corporis partes fertur, & roris instar per earum substantiam spargitur, quasi illas irrigans, vt sic illis apposita faciliùs ipsas nutrire possit; quarta denique humiditas sanguinis, sive ipse sanguis contentus in exiguis venis; quæ in proprijs carnibus, & in toto corporis habitu sunt; quare quatuor similiter siccitates morbosæ reperiri valebunt, prima nimirum vbi radicalis similarium partium substantia exsiccata fuerit: secunda quando caro atque adeps deficiunt, tertia quando humiditas nutrimentalis deest, quarta demum quando sanguis in venis non adest.

Accedit tamen in præsenti cauta Galeni locutio in dictis siccitatibus assignandis notanda: inquit enim primam siccitatem tunc dari, quando solida similarium partium substantia siccior reddita est; secundam verò & reliquas quando aliæ substantiæ deficiunt, vt hinc intelligamus solidas substantias, nedum si sint humidæ, posse deperdi, sive deesse; sed ad summum exsiccari, reliquas verò omnes siccari simul, ac deficere posse, vt patet in suis siccitatibus, hic etiam Magister prænotat vltimam siccitatem facilis esse curationis; tres verò priores è contra esse curatu difficiles, & primam, si prorsus consummata fuerit, omnino incurabilem, vt in hecticis solet accidere; etsi enim humiditas vnde partes nutriuntur, est quidam ros per ipsas sparsus, illam tamen particulis ipsis nisi per nutritionem inserere non possumus. Quare eius instauratio, vt & carnis, ac adipis cùm omnino est absumpta, difficillima est, talis enim humiditas partibus solidis per agglutinationem, & intus-sumptionem inseritur, ac proinde per nutritionem veram vt si carnes ipsæ, & partes solidæ restaurarentur. Est autem quarta curatu facilis; nam ad eius restaurationem non indiget nutritione, cum solùm carentia sanguinis, qui ex alimentis ab hepate per coctionem generatur, fit. Animadvertit tandem Magister omnibus dictis siccitatibus vsus adstringentium, atque austerorum, sive alimenta sive potiones, sive medicamenta sint, maximè contrarios esse; eò quòd valdè exsiccant, sicque si quid in partibus naturalis humiditatis, vel nutribilis, vel alterius substantiæ humidæ supereft, eam absumunt; vel quia talem humiditatem consumunt quasi ipsam ebibentia, vel quia exprimunt, sive expellunt à partibus in sinum ventris trudentia, aut in alias cavitates, vel continentes partes transmittentia; astringentia enim pro munere semper valdéque repellunt. 98

TEXTVS.

Curabis igitur ipsas si meatus, qui contracti sint &c.

IN secunda jam capitis parte methodum curandi siccam, atque morbosam intemperiem, illam videlicet in qua multa siccitas, ac substantiæ humidæ defectus reperiuntur, adducit: cum quod tota Magistri intentio, corpus rheumescere sit, tria necessariò sunt præstanda; nam & meatus, qui nimia siccitate contracti sunt dilatari debent, & quod in vicinas particulas est compulsum oportet revellere, idest nutrimentalem humiditatem 99

humiditatem à partibus expulsam ad ipsas trahere opus est; denique singulas similares particulas propria humiditate privatas humidis tum medicamentis, tum alimentis replete: sic enim, nonque aliter siccitas proposita corrigitur, corpusque ad suum naturalem statum redditur: propterea Gal. & balneis aquæ dulcis tepidæ, & inũctionibus, debita victus ratione humectante per vsum lactis, vini, ac similium vtitur. & quia exemplis doctrina confirmatur, in vnico ægro dicta siccitate laborante, atque à se curato, totam rem illustrat.

100 Galenus igitur quasi hoc modò scribit: nos ægrotantem illum, quem *suprà, cap. 4.* diximus fuisse à Medicis ferè in totum exsiccatum ex vsu austerorum, curavimus dicta ratione, atque methodo remedijs exhibitis. Hic itaque ægrotus in ea contrarietate, quæ in frigido ac calido consistit, nullam quidem vincentem habebat intemperiem, neque in reliquo corpore, neque in ventriculo; siccus tamen & gracilis admodùm est reddit us ex vsu adstringentium medicamentorum, eo quod ventriculus eius ex sicca intemperie imbecillis factus, malè concoxerat, vel non poterat concoquere alimenta ad nutritionem necessaria: in hujus ergo curatione, eò cõmune consilium, atque intentum tendebat, vt humectaretur, tum ventriculus ipse, tum reliquum corpus. Quibus autem sigillatim agendis, quibusque præcipuis materijs vsus fuerim, ut voti cõpos essem, sive intentũ consequi possem, non erit abs re dicere. Statim igitur in balneum super linteis positum manè ægrotum intuli; vtique ne si ipse se moveret, tum siccaretur, tum antequam commodũ esset, exolueretur: corpora enim ex siccitate debilitata, vel minimo motu amplius exsiccãtur, tum & per vsum balnei facilè exoluuntur: vnde motus quatenus exsiccat contrarius fit affectui, quatenus verò vires debiles amplius ferit, atque deiicit, moram in balneo minuit, cum tamen è contrà longissimè in aqua versari hominem expediat quàm maximè qui ex nimia siccitate languet, sic enim corpus irrigatur, ac humescit secundùm omnes eius partes desiccatas: Esto autem aqua dulcis, idest expers omnis saporis, aut qualitatis, sitque ad vnguem temperata, idest neque frigida, neque calida: nam quæ frigida & frigus corpori infirmo latenter insinuat, idest vsque ad profundum corporis communicat, calidior autem cogit, constringit, ac densat tenues corporis poros: quos è contrà nos, quia coacti sunt, remitti, laxari, ac dilatari optamus, quod aqua temperata præstat, iucundissima cùm sit, naturam ad explicandam se, atque ad dulcedinẽ, quam præstat, quoquoversus extendendam provocat: contraria scilicet ratione ijs, quæ sunt injucunda: ab ijs enim recedit, fugitque ad profundum. Est enim natura nostra, vt & aliorum animalium vivens, sentiens: vnde nihil mirũ si ex offendentium cõtactu partes nostri corporis sentientes contrahantur in sese, earumque meatus cogantur, atque densentur; & è contrà ab ijs quæ jucunda sunt fundãtur, ac quasi moles fiât plus justo distentæ, & earum meatus dilatentur, vt si quod est iucundum, amplectantur.

101 Ab hujusmodi lavacro, & post sic administratũ balneum statim, inquit Galenus, asininũ exhibui lac, vt sic scilicet siccitas substantificè repararetur. Est enim lac alimentum equidem dulce, ac jucundissimum, estque boni succi, facilis coctionis, & humectans. Quare ex assumpto lacte partes omnes nostri corporis facilè nutriuntur, & consequenter humida substantia lactis convertitur in illas, sicque humectãtur substantificè & non solùm humectantur, sed & substãtiã humida restaurantur, ac quasi replentur: scilicet substantia lactis conversa in sanguinẽ prius, & postea sanguis in carnes, ac reliquas corporis partes, & quidẽ facilè adhuc in corporibus debilibus; quia lac facilè coquitur, ac facilè convertitur, vt dictũ est. Exhibui autem, dicit, asininum lac non vtcunque, sed suo nativo calore constãs actu: vt sic scilicet non solùm partes nutriret, sed & substantiam reficeret, aut augeret nostri caloris nativi: quare lac dedi inducta in ipsam, quã jacebat domũ, asina. Sic enim mihi persuasi quã celerrimè hominem esse sanandum, si fieri posset, vt asinam sugeret: est enim vtilissimum lac ad reficienda corpora, adhuc quę phthoë vel ex vlcere pulmonis contabuerunt, cum ex ipsis mãmillis quis hauserit: sin id ita facere gravaretur (nam plurimis non placet) expedit vt quàm paucissimo tempore in aëre ambiente moretur; propterea quod mutari, & evanescere sit aptum, vt genitale semen, quod extra propria vasa fusum statim suas genitales vires amittit: itaque si ægrotus lac sugere nolit, expedit vt calens, & quàm citissimè ex mammillis emunctum in laborantis ventriculum transferatur.

Lac autem, ait, omnium optimum est mulibre 102
vtpotè nobis cognatum, ac magis familiare: sed quoniam id exhiberi sibi, ceu pueris, plerique recusant, vtique ijs ceu asinis, asininum dari cõveniet: id enim reliquis omnibus ad propositũ affectum est vtilius, quippe quod tenuissimum est, & minimè concrescit, aut in caseum convertitur, aut coagulatur, sed quoquoversus citissimè in corpus digeritur, semper scilicet fluxile perseverans: quod in nostro casu expedit maximè, propterea quòd & celeriter nutrire est opus, & viæ, per quas alimentum transit jam connivent, angustæve sunt ex nimia siccitate. Itaque ob hæc tũ lac ipsum per se talibus ægris est dandum, tum etiam aliquid mellis calidi, vel melius sacchari ei admiscendum; vt sic scilicet minus detineatur lac in vijs, sed promptè distribuatur: natura enim nostra rebus dulcibus delectatur quàm maximè, ideoque quò dulciora sunt alimenta, eò avidius ad se sugit, & ex toto corpore validiùs attrahit.

TEXTVS.

Maxima verò habenda cura est in hujus &c.

HIc agit diffuso sermone Galenus de
lactis, ac mellis qualitatibus, ac bo- 103
nitate, de quibus nos pauca dicemus, quia omnia ex ipso contextu sunt sufficienter nota. Mel ergo inquit jucundissimum esse debet, sive dulcissimum gustanti, parum que acre; sit etiam colore flauum, odore

odore suave, & substantia perlucidum, totumque sibi cohærens, ita vt si digito attollatur continuum sibi permaneat, non verò intercisum ad infra defluat. Quod enim mel has cōditiones habeat, id omnium est optimum. Sic etiam lac quàm dulcissimum, ac iucundissimum esse debet, & sibi ipsi continuum, atque splendens, provt lacti convenit seu moderatè tamen, & minus quàm mel, tum dulce, tum continuum, sed magis splendens: nullam præterea qualitatem ad olfactum, aut gustum pertinentem debet habere; idest nullum debet habere malum odorem, neque saporem aliquem falsum, amarum, acidum, acrem, aut alium præter iucundum, & dulce. Hæc non in lacte solùm, sed in humoribus nostri corporis debent observari, & adesse, vt boni sint, ac benè nutriant, & non lædant. *Super omnia verò, quoad fieri possit, similes omnes habeat partes, non inæquales, alias scilicet crassas, & alias tenues, quia illæ sunt resiccatæ aut terrestres, & istæ sunt crudæ, aquosæ, & per consequens omnes malæ, ac excrementitiæ: sicute contrà quæ sibi simi es sunt, & benè continuæ sunt benè cocta, & bonum præbent alimentum toti corpori.* Quòd verò lac tale, fiat, & idoneis, alimentis alendum est animal, vt fœno, ordeo aliquibusque humidis, herbis, vt sunt borrago, scariola, aut similes: & exercitationibus moderatis est exercendum, & puellus, si quem lactat, ausferendus, & denique animal florentis ætatis esse debet.

TEXTVS.

Sed ad propositum revertor, ac mihi iam rursus &c.

104 Explicatis conditionibus boni mellis, ac lactis, reddit adhuc rationem laborantis sicca ventriculi intemperie, ac debilitate, cum totius corporis macie. Scribit igitur sic: si benè recordamur eorum, quæ acta sunt, & lavatus est æger, & balneo aquæ dulcis balneatus, & lac assumpsit: quare hunc sic ad vsque secundā lavationem quiescere est permittendum, & vsquequo lac assumptum coctum sit, ac distributum ad hepar, aut totum corpus quod spatio quatuor, aut quinque horarum fieri solet; cognoscitur que tum ex ructu, tum ex gravitate ventriculi; nulli enim iā ructus lactis sentiuntur, neque vētriculus aliqua amplius mole, aut gravitate premitur. Tūcque postquam dictam lavationē, & lactis assumptionem, modice fricandus æger est, & vnguēto aliquo conveniente vngendus, priusquam se vestiat: conducunt enim ad renutritionem tum frictiones, tum vnctiones vt balnea: nam cuique parti corporis temperatæ calidam infundas aquam, vel frices vel balnees, videbis quidem primùm quod attollitur, sive intumescit, mox verò gracilescit: & ideò vbi carne implere partē aut totum corpus intendimus, id eatenus tantū calefaciendū est, vt intumescat; si verò digerere & evacuare cupimus eatenus continuandū est; dum quod prius intumuit subsideat: quare occasio implendi carne corpus præceps est, ac momentanea; nam cum primùm intumescit statim est desistendum, ne gracilescat.

Intumescit autem corpus per balneum non 105 tamen semper æqualiter, neque in omnibus corporibus eodē modo, sed singulis corporibus est peculiare provt ipsa corpora ex se sunt magis, aut minus apta, vt intumescant: non enim fieri potest ait Galenus vt qui nunc nobis propositus est gracilis, ita intumescat, vt qui sani sunt, ac sanguine abundant: imo scite oportet quod postquam leviter intumescit statim digeritur, qui gracilis est: quare in ijs corporibus, si ea fricaveris sat erit si rubor appareat in partibus quæ fricantur, si verò laves, sufficiet mediocris calor, aut tumor; nam si vltra peragas, resolues hominem potiùs, quàm nutries. Vngendus etiam oleo post lavationem æger est, ne scilicet plus iusto digeratur, sed densentur aliquo modo corporis spiramenta: valet etiam vnctio adversus siccitatem, & contra incommoda, quæ ab aëre ambiente contingere possunt veloci monimentum est. Atque hæc omnia ita fieri debent in quacunque lavatione, seu balneatione, si vt semel in die, sive bis, vel ter laborantem lavare velis.

TEXTVS.

Sit autem præparatus illi panis purus, & qui &c.

Hic incipit agere de recta ratione nutriendi 106 laborantes ex siccitate ventriculi debiles, ac valde extenuatos, & per consequēs illos omnes, qui multa nutritione indigent, parum tamen nutriri possunt, propter vires languidas: qui enim sicci sunt, & debiles, sive cum substantiæ defecto, non solùm alteratione indigēt, sive humectatione pro sui curatione, sed etiam nutritione, quā substantiæ deperditæ restauentur. Quare propositus æger præter remedia humectantia jam explicata, & ei adhibita, alimentis indiget, ac nutritione, quibus substantia deperdita instauretur. Supponens ergo Galenus dividi alimenta in cibum, ac potum, à cibis incipit, sic inscribens. Sit autem præparatus illi panis purus, & ex pura tritici farina factus, qui curiose in furno sit coctus, quique tum fermenti, tum salis, quod satis est, habeat: sic enim, & non aliter, panis coquitur benè in ventriculo, & bonum, multumque præbet corpori alimentum: similiter carnes assumat boni succi, ac facilis coctionis, vt sunt aleæ, testesque gallinacei, & pullus ipse gallinaceus, qui lacte sit nutritus: tales etiam sunt perdices teneræ, ac passerculi montani: si carne sint molles potiùs quàm duri, & ætate iuvenes, aut saltem non vltra florentem ætatem producti. Vitanda verò sunt palustria, quia excrementis scatent, & quæ carne sunt dura aut glutinosa, quia nequeunt concoqui à ventriculo debili; tandem excrementosa omnia, & quæ pravo constant succo omnino vitanda sunt, caro autem suilla, & boni succi est, & maximè nutriens; sed tamen in nostro casu, & alijs similibus vitari debet, quia non æquè ac prædictæ concoctu facilis est, & præterea, quia glutinosum sanguinē generat; ideo enim in summo est nutriens: quippe adhærere debet, & firmiter affigi;

non autem præ tenuitate defluere, quod nutrire est potens.

107 Si enim nutrimentum ipsum ait Galenus se ipso concoqueretur, ac in partes se digereret; præterea si se alendis partibus assimilaretur, & quibus alimento plurimo est opus, plus adhæresceret; procul dubio alimento maximè nutriente vteremur, sicut est opus: Verum quoniam non aliud est quod nutrimentum desiderat, & aliud quod ipsum conficit, sed quod nutriendum est, ipsum sibi, & nutrimentum attrahit, & immutat, & concoquit, & adjungit, & assimilat: idcirco in opportuno eligendo, ac assumendo cibo, duo necessariò attendenda sunt; vnum ipsius cibi naturam, alterum vires insitas illius, qui cibum assumit: ex quibus deducitur planè, neque quod maxime nutrit esse optimum ijs corporibus, quæ refici magis egeant, vt pote quibus concoquendi facultas non est sufficiens, & non quod ingeritur, sed quod concoquitur nutrit, neque etiam quod facillimum est ad concoquendum, cum ipsum nequeat esse maximè nutriens. Vnde quando indicationes ita ex adverso sibi pugnant, committendum non est, vt dum alterius excessui es attentus, alterius omnino obliviscaris, sed vtriusque memor quoad licet vtrunque misceas. Quod quidem præceptum vbique memoria tenendum est, & maximè in nostro casu, in quo necessariò medium est eligendum.

TEXTVS.

Iam vini tum qualitatem, tum quantitatem &c.

108 Alimentum in cibum, ac potum dividitur ab omnibus; & ideo explicata qualitate cibi in extenuatis, & sicci ventriculi intemperie laborantibus, de vini qualitate, seu specie, in eis adhibenda agit; quia scilicet vinum est pars alimenti, & magnam vim habet ad vires reficiendas: famem enim vini potio solui, inquit Hippocrates secundo aphorismorum sententia vigesima prima, & Galenus sic se habet; quibus refici corpus est opus vino in potu vtendum censeo, modo non febricitent aut inflāmatione aliqua laborent, vel dolore capitis, aut phrenitide, vt addit *primo ad Glauconem cap.* 14. sed quia vinorum duæ sunt differentiæ valde inter se diversæ; vel enim vinum generosum est, & maximam vini vim habet, vel tenue est, sive aquosum, quodque si diluatur minimam sustinet aquæ mixtionem, oligophorum græcè dicitur: id circo vinum in nostro casu dandum est, non quodcunque, sed quod aquosum dicimus, dum modo purum, sive ab excrementis defæcatum sit, & leviter astringens. Vinum enim generosum, quodque plurimùm aquæ in mixtione sustinet, imbecilles vires ferit valdè, atque ideo nunc ab eo cavendum est, dandumque aquosum modicè astringens; vtpote quod ab aquæ imbecillitate recessit, & vini noxam non habet: Quas quidem notas, ac dotes vt quisquam consequi valeat, tum ætatem eius, ait Galenus tum temperamentum invenire debet; quod enim novellum est, & nondum integrè coctum, atque perfectum, id tum aquosius, tum imbecillius est, quàm vt conveniat vino, tum ægrius concoquitur, ac magis excrementosum evadit, antiquius verò ut viniosius est, ita vehementius quàm ut propositis sit ex vsu: quocirca hæc extrema fugiantur, & quod medium fuerit propinari debet.

109 Explicatis qualitatibus ac conditionibus vini quod dari debet in nostro casu, vel simili alio; quia vinum dictas qualitates potest ex sua natura habere, & etiam ex permixtione ipsius cum aqua ideo nunc dicit Galenus, quòd si vinum ex sua natura non sit oligophorum sed generosum, ac minimè astringens, ex ijs vini excessibus, & aquæ vitijs contrarijs, (aqua enim astringit, & effrenem vini vim frangit, ac temperat,) poterit Medicus vinum temperare, ac mixturam vini cum aqua cognoscere, quâ oligophorum fiat, & tum vini, tum aquæ damna temperentur, & ad mediocritatem, atque concordiam redigantur. Porrò pendent, inquit, omnia aquæ vitia ex sua frigiditate cujus culpa, & occasione, & in præcordijs moratur, & fluctuationes excitat, & in flatum mutatur, & corrumpitur, & ventriculi concoquendi vim debilitat, & denique non digeritur, nec digerendo per corpus alimento conducit. Quibus quidem aquæ vitijs bonorum vinorum virtutes adversantur, non enim inflant præcordia, imo si inflata sint subsidere faciunt, neque ibi nimis immoratur, sed ob caloris mediocritatem digestionis vias aperiunt, & ad alimentorum deductionem in corpus conducunt: sunt præterea boni succi, bonumque sanguinem faciunt, & ad miscenda coquendaque alimenta, quæ in ventriculo ac primis venis reperiuntur sunt idonea: tandem vires organorum, sive partium instrumentalium augent, & expellendis excrementis viam faciunt; hincque talia vina vrinas movent, totum corpus celeriter transeunt, & impetu cursus sui excrementa secum pellunt.

Sed de his dicta sint satis: convenit enim, vt 110
qui artem medendi methodo sibi tradi studet, omnes materiæ vires priùs discat, neque ex spectet vt eas in singulis affectibus audiat; debet siquidem omnes sive alimentorum, sive medicamentorum facultates, aut virtutes, ita præcognoscere, vt simul ac curationis speciem noverit, debitam pariter victus rationem, reliquamque remediorum materiam inveniat. Quæ quamvis ita esse debeant, ego, dicit Galenus, ijs consulens, qui veritatis discendæ sunt avidi, quique exercitata ratione, aut cognitione minus sunt habiles, exemplis particularibus sæpe instruo, atque à generalibus ad particularia quasi manu deduco, & horum causa multa seorsim doceo.

TEXTVS.

TEXTVS.

Potionis is modus erit vt neque in ventriculo, &c.

111 HIc de alimentorum quantitate disserit; & bene quidem, cum tradiderit jam eorum substantias requisitas ac qualitates: scribit ergo sic. Potionis is modus erit, & ita debet esse quantitas, ut neque in ventriculo innatet, neque fluctuationis ullius sensum invehat: hinc enim cognoscimus potum esse assumptum in quantitate debita, & secundùm vires ventriculi, ideoque ventriculum, & benè amplexatum fuisse, & bene concoquere assumptum potum. Ad eundem modum ciborum quantitas ea erit, quæ si fieri possit vires non gravet, vel si id vitari in totum nequeat in imbecillo ventriculo ob virium languorem, proximum est, ut quàm citissimè gravis esse desinat. Præterea tentio, inflatióque hypochondriorum post assumptum cibum vitanda est, & si tale quidpiam primo die acciderit pro magnitudine symptomatis ad portionem detrahendum postridie de cibo est: sin rectè omnia cedunt paululum adjiciendum, atque ita administrari debent, non solùm cibi atque potiones, sed etiam omnia alia, quæ ars refectoria in universum docet, id est ita debent dari selecta, atque in majori, aut minori quantitate, non solùm cibi, ac potiones, sed pariter lavationes, frictiones, unctiones, gestationes, inambulationes, & alia, quæ ars refectoria; sive analiptica sive convalescentium docet, prout scilicet corporis laborantis status fuerit, & incrementum processerit, viresque permiserint. Non enim ratio nutriendi, reficiendique, ac restaurandi laborantem nostrum differt ab illa quam ars refectoria in genere docet, sed sub illa continetur, & ut ars totum docet reficere corpus, ita nunc iuxta illam Medicus instruitur ad desiccatum ventriculum reficiendum, & inde totum corpus inanitum.

TEXTVS.

Accidit autem sic affici corpus in diuturnis potissimum, &c.

112 HActenus demonstravit Galenus quòd ac quantùm agendum sit, & potissimum, quæ qualitates, sive species, quæque quantitas cibi, atque potionis dari debeat in curatione ventriculi imbecillitate ob redundantem siccitatem laborantis, & in corporis totius macie inde contracta: his ergo sic præhabitis, modo in hac tertia capitis parte de alijs duobus curationis scopis, & præsertim victus rationis, agit, scilicet quomodo agendum, & quando. Quæ duo ut veriùs ostendat, tradit etiam multa de corporum nutritione, ac refectione, sive renutritione ex generali arte de victus ratione ex arte analytica, sive refectoria, ex arte tuendæ sanitatis, & ex consuetudine: hæc enim omnia sunt necessariò prænoscenda, ut benè corpora in morbis nutriantur, & tempore convalescentiæ reficiantur, & potissimum quæ siccitate laborant, ut in nostro casu.

Quò clariùs autem procedat, ac veriùs intentum consequatur, tradit primò quæ siccitas sit, quam aggreditur restaurandam, restituique potest per victus rationem debitè dispositam, ac administratam scribit igitur sic. Accidit autem sic affici corpus in diuturnis potissimum morbis: utique cum nativa cuiuscunque partium humiditas, ex qua prima nutritio propè modum omnis exhausta iam est, non solidarum ipsarum siccitas ut corrigatur fieri non potest, sicuti nec senium. Quasi dicat Galenus non omnis siccitas, sive substantiæ defectus in nobis est curabilis, neque per nutritionem, aut renutritionem potest restitui, ut patet in siccitate partium solidarum, sive in senio quod idem est, non enim senium corrigi potest, quia siccitas est, sive defectus humiditatis partium nostri corporis solidarum: humiditas autem nutrimentalis, ex qua partes dictæ solidæ nutriuntur, & prima earum humiditas conservatur, etiamsi omnino absumpta regenerabilis est, potestque restitui per modò dictam victus rationem debitè administratam, etsi non facilè. Quod si quæras quæ sit ista humiditas? Respondet: accidit autem sic affici corpus in diuturnis potissimum morbis: & humiditas de qua loquimur, quæ nutrimentalis dicitur, non est humiditas sanguinis, neque adhuc humiditas carnis, & adipis, sed alia distincta ab ijs, magisque viscida, ac sibi cohærens, quæ ut talis nutrit partes dictas solidas insitamque earum humiditatem radicalem fovet, atque conservat, quæque in diuturnis morbis absumitur ex Hippocrate secundo Aphorismorum sententia septima, ubi sic scribit. *Quæ longo tempore extenuata corpora sunt, lentè reficere oportet, quæ verò brevi breviter*: tum ex ipso Galeno in commentar. ijs verbis. Quæ pauco tempore extenuata sunt corpora ob humorum, & spirituum evacuationem, non ex solidarum colliquatione id perpessa sunt: quæ verò longo tempore extenuantur, ijs carnes contabescunt, & debiles etiam ac graciles redduntur, aliæ partes per quas in animalibus concoctio, distributio, sanguificatio, & nutritio perficiuntur. Quare tantum tunc non poterit concoqui alimentum, quanto indiget corpus, quam ob causam talia corpora lentè, sive paulatim, ac longiori tempore reficere oportet. In quibus autem soli humores, & spiritus sunt evacuati in his, celeriter licet reficere, cum fiduciam nobis præstet solidarum partium robur. Ex quibus colligitur quod humiditas, quæ in diuturnis morbis deperditur, & de qua nunc loquimur est alia ab humiditate non solùm sanguinis humorum, ac spirituum, sed etiam carnis, atque pinguedinis; illa scilicet quæ partes solidas nutrit, & suo lentore, ac visciditate 113

carnes vnit, natiuumque calorem firmat ne diffluat, sed conservetur, & sic vires validæ permaneant: consistunt enim in ijs omnibus, ideoque si talis humiditas deficiat, ut in morbis diuturnis potissimum deficit, & carnes contabescunt, & facultates debilitantur, & difficulter restituuntur.

114 Habemus ergo jam quæ siccitas est, quam nunc Galenus curare aggreditur bona victus ratione, defectus scilicet humiditatis nutrimentalis partium solidarum, quæ ex longis potissimùm morbis, ut ex senili ætate exsiccatur, siue deficit, atque consumitur. Hoc sic posito addit Galenus: Atque in alijs refectionibus ventriculus egregiè non afficitur, in proposito autem affectu morbus est ipsius ventriculi; tempore verò totum corpus, utpote parum probè nutritum marcescit: quo rationabilius est exquisitiorem ad hos victus rationem requirere propter concoctionis imbecillitatem. Quasi dicat in alijs siccitatibus, aut gracilitatibus corporis, ventriculus multùm non afficitur, nec debilitatur, vel quia tales siccitates ac gracilitates solùm sequuntur defectum sanguinis, ac carnium, non verò defectum dictæ humiditatis lentæ atque ventosæ, quæ nutrit partes solidas, & vires conservat, ut quando à morbis acutis, potiùs quàm longum corpus exsiccatur, aut gracilescit; vel quia siccitates illæ non sequuntur, nec genitæ sunt ex siccitate ventriculi, sicut ista de qua loquimur, quæ morbus est ipsius ventriculi primò & per se ipsum exsiccans, atque debilitans; posteà verò totum corpus marcescit, quia nutritur parum propter concoctionis ventriculi imbecillitatē, seu defectum; unde necesse est inquit exquisitiorem ad hos victus rationem requirere, ob coctionis debilitatem: & necesse est hos parùm, & sæpè nutrire, aut alere quoad sic meliores fiant dictáque siccitas, atque debilitas corrigatur.

115 Cæterùm cum meliores sunt affecti prosequitur Galenus, & cum per dictam exactam victus rationem meliores fuerint facti, quia dictam lentam humiditatem restaurarunt, & proinde vires, tunc transferendi sensim sunt ægrotantes ad statum convalescentiæ & ad eam victus rationem, quam ostendit ars refectoria siue analytica convenire convalescentibus. Id fiet si pluribus, & frictionibus, & gestationibus quàm antè utemur. Mutanda etiam interea est ciborum qualitas, & quantitas, sic ut tum plures, tū valentiores quàm antea exhibeantur. Tempore autem procedente, & cum ad sanitatis statum propè ventum jam est, supponenda sunt ptisana, & lac, & alia cibaria facilis coctionis antea exhibita, & ad consuetos cibos per sanitatem veniendum: tunc ergo volatilibus avibus cibandi sunt convalescentes, & alijs carnibus consuetis, ad usque suillas carnes ascendendo, dummodo in ætate debita, & tempore debito sint mactatæ: non enim carnes esse debent annosæ, neque nimis invenes ut bene coquantur, & multum ac bonum præbeant alimentum: similiter nunquam recens necatum animal faciliùs concoquitur: æstate sat erit, si manè immolatum animal circa solis occasum comedatur. Tandem alimentum vesperi valentius exhibendum, quia per somnum perficiuntur coctiones, & per noctem plusquam interdiu tempus concoctioni vacat, calorque nativus minus ab objectis externis distrahitur.

TEXTVS.

Satius enim est à principio rem cepisse. Quoniam qui ita, &c.

Hic aggreditur ostendendum quando, & 116
quomodo debeant nutriri laborantes ventriculi debilitate, & totius corporis macie, siue siccitate: scribit enim sic. Quoniam qui ita se habent plurimo nutrimento indigent, nequeunt autem vel quod mediocre est concoquere, paulatim hos, & sæpiùs cibare melius fuerit; atque idcirco fieri non potest, ut semel eos cibasse satis sit, sed nec bis, dum scilicet sunt gracillimi, atque hac de causa ipse ter eos cibare sum solitus. Verùm quando iam manifestò meliores facti apparent, etiam bis nutrivisse erit satis. Ergo tantam exhiberi primam cibationem est rationale, quanta priusquam secunda sumatur, tota prorsus erit concocta; quod contingere valentiori alimento non potest: atque proinde primo loco, & in prandio leve alimentum sumendum his est, quo videlicet & concoquatur celerrimè, & excrementum eius discedat, & vacuus purusque ventriculus secundum excipiat, scilicet quando cœnabit: At quoniam non solùm quies, & somnus sed etiam longius tempus huius naturalem administrationem excipit, huius inquam, id est alimenti quod in cœna assumitur: rationabile est, ut valentiores ciborum hoc maximè tempore offerantur, ut athletæ faciunt.

Sed quoniam, qui sic cœnant convalescentes 117
solent sitire illicò post cœnam, monendi sunt, ut non bibant, quia innatant cibi si tunc bibant, itavt eos ventriculus propter interpositum humorem non benè contingat. Verùm si sitibundi fuerint, ait Galenus prohibere eos in totum, ut grave est, ita neque expediens: sed tantillùm indulgendum, quod & molestiam sedet & sitim levet. Ex Hippocrate verò 5. *Aphorismorum* 27. Qui noctu bibere appetunt ijs supra modum sitientibus si superdormierint bonum: quia ut Galenus dicit *in commentario* concoquitur per somnum, & subsidit quæcunque sit sitis causa. Valdè tamen sitientibus potus est dandus, siue ex potatione vini meracioris, siue ex defectu potus sitis advenerit; nam & defectum supplere adjectione, & vini caliditatem aqua extinguere Theoroma est Medicinale, si modicè sitierint non est dandus potus, sed expectanda nutrimenti coctio est, atque post eam abundè bibere sunt sinendi, ut sic scilicet per corpus digeratur. Manè verò cum deiecerint alvi excrementa, atque urinas, & paululum inambulaverint modicè sunt fricandi. Est autem modica fricatio, quæ eatenus administratur dum corpus incalescat: mox gestationibus

tionibus utendum: deinde rursus lauandi sunt, tum fricandi, idque intra meridiem, aut planè circa ipsum: quo videlicet inde ad vesperam abundè spatium intercedat, nempe ad dandum alimentum, & debitam eius concoctionem celebrandam.

118 Quod autem & de omnibus in quibus convalescentes degunt cura habenda sit, ut nec calidiores sint; nec frigidiores, cuique est notum, & quod convalescentium tota victus ratio debet esse media inter eam quæ sanorum propria est, & quæ ægrotantium: attenta tamen consuetudine; nam alijs semel comedere est consuetum, alijs bis aut pluries, alij pauciores cibos, aut potationes sumunt; alij alijs cibis, aut potibus sunt assueti; alij carnem bubulam facilè concoquunt, alij verò non; denique alij ijs cibis, alij alijs plus delectantur, ac tutiùs utuntur: ita vt non solùm in convalescentibus, sed in ipsis morbis consuetudo attendenda, & quoad fieri possit tenenda sit: nam vt ratio indicare potest totum quod agendum, & speciem remedij, atque alimentorum, ita particularis materia tum ex alijs dictis, tum maximè ex consuetudine est sumenda.

TEXTVS.

Verùm rursus ad propositum redeundum, &c.

119 HÆc est ultima capitis pars in qua agit de prognostico, id est docet quid sperare possit Medicus, in morbis ex corporis siccitate dependentibus; incipitque à prima sic scribens. Siccæ intemperies ubi solida ipsa corpora contigerunt, nunquam ut suprà dictum est perfectè sanabuntur, neque in eum statum, qui ante morbum fuit, iterum redibit corpus, sed potiùs semper debile relinquetur, idque tantò plus aut minus, quantò levius aut fortius dictæ siccitates dictas partes exsiccabũt, & provt partes resiccatæ erunt magis, aut minus principales, & ad vitam necessariæ: si enim hæc solidarum partium siccitas in una quapiam parte consistat, veluti nunc in ventriculo propositum est, ita ventriculum affligit, vel afficit, vt in reliquam vitam imbecillum relinquant, quippè ij senum ventriculum habent priusquam senuerint, quo fit vt facilè à levibus lædãtur caussis, perinde ac senes, neque probè concoquere possint: ex quo evenit ut his etiam totum corpus deterius se habeat, id est gracilescat, ac debilitetur. Ad eundem modum fiet si alia afficiantur parte. Quod si ipso corde sint exsiccati celeriter arescunt, & contabescunt, vocatque Philippus ariditatem hanc ex morbo, senium. Hic autem marasmus non tantùm corpus debilitat, sed brevi mortem affert: proximè huic qui à jecore est inceptus: mox qui à ventriculo: qui verò ab alijs particulis ortum habet, tantò sanè tardiùs, quantò quælibet harum minoris est præstantiæ, quàm illæ.

120 Quod si hæc partium solidarum siccitas non sit in totum consumpta, neque valdè resiccata, sed levis; ut si leviter cordis corpus resiccatum sit: tum quidem laborantes celeriter senescunt; cæterùm per plures annos vivunt, quàm qui vehementer sunt læsi. Ad eundem modum si jecur, aut ventriculus, vel alia corporis pars leviter tantùm exsiccari contigerit tanto minus corpus debilitabitur, & magis vita prorogabitur, quanto levior erit siccitas, & pars minus principalis ad vitam, atque ad alimentorum concoctiones. Quare quæ sic affecta inveniuntur corpora, ea victus ratione indigent pro sui conservatione, & vitæ cursu longiùs protrahendo, quam visum est convenire in reparanda siccitate nutrimentali, sive quam diximus convenire ad restituendam humidam illam substantiam, quæ solidas nutrit partes: siquidem victus ratio eadem est, tum in his duabus siccitatibus, tum etiam in illa quæ ex carnis, ac adipis defectu provenire in principio capitis dictum est: nulla enim ex his tribus siccitatibus potest restitui nisi per nutritionem; & consequenter in omnibus est opus, vt alimenta, quæ assumuntur, coquantur benè, bene distribuantur, bene singulis partibus assimilentur agglutinentúrque, quovsque sic in dictas partes convertantur, vel saltim actu nutriant.

Vt ergo tres dictæ siccitates curantur, aut præservantur difficulter, & solùm adhibita exquisita ratione victus, ita quarta sive illa, in qua venæ sunt sanguine inanitæ, sanatur facillimè: imò hic affectus potius vt frigiditas habitus curatur, quàm vt siccitas; vel vt clariùs loquar frigiditatis respectus in hac siccitate exuperat, periculúmque in ea vertitur, siccitas verò secundùm locum obtinet, & proinde habet propriam sanationem. Siquidem si biduo ijs Medicus exhibeat victus rationem, quæ modicè calefaciat, & tutò nutriat, statim in tertio pleniorem victum sine noxa admittunt, multóque magis in 4. & 5. nam de hac curatione loquitur Hippocrates *2. Aphorismorum, sentent.* 7. vbi ita scribit. Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oporter; quæ verò brevi breviter: corpora enim quæ brevi tempore extenuata fuerunt, ex sanguinis, atque spirituum evacuatione, & non ex solidarum eliquatione, id passa sunt: in quibus autem soli humores, ac spiritus sunt evacuati, non autem carnes, neque partes solidæ; in ijs celeriter, & multùm licet reficere, ait Galenus, quia partes solidæ, ac carnosæ constant adhuc, ac sanæ sunt, & consequenter adhuc vigent facultates & robur corporis ad bene, ac multùm concoquendum alimentum, atque nutriendum, renutriendúmque corpus: sicut è contrà languent, ubi carnes deficiunt, & præsertim si solidæ siccantur. 121

CAPVT



CAPVT VII.

De methodo curandi ventriculum frigida, simul ac sicca intemperie laborantem.

112 
CAPITE sexto, vsque ad decimum inclusivè agit Galenus de rectà methodo curãdi omnes intemperies immateriales ventriculi, quæ sunt octo, vt *capite quarto* vidimus, quatuor scilicet simplices calida, frigida, humida, & sicca; & quatuor compositæ, calida & humida, calida & sicca, frigida & humida, & frigida & sicca: quare tradita *capite sexto superiori* rectà methodo curandi ventriculum sicca intemperie laborantem, agit in præsenti septimo capite de methodo, sive rectà ratione curandi ipsum ventriculum frigida simul ac sicca intemperie malè affectum, ac præter naturam laborantem. Acturus autem de curatione siccitatis cum frigiditate conjuncta quia siccitati morbosæ potest complicari & multa frigiditas sive multum excedens, & non multa sed, mediocriter excedens; ideo de vtraque complicatione, atque de vtriusque curatione agit in *hoc capite*, priùs scilicet de curatione siccitatis cum moderata frigiditate conjuncta, & postea de curatione siccitatis cum multa frigiditate complicata: quare caput secatur in duas partes.

TEXTVS.

Scire autem licet solidorum corporum siccitatibus, &c.

113 ACturus Gal. in hac prima capitis parte de methodo curandi ventriculum siccitate morbosa cum moderata frigiditate laborantem, duo priùs breviter, promittit, ac explicat, vtpote ad rem pertinentia, & ad majorem eius expositionem. Scribit siquidem primò sie, scire debemus solidorum corporum siccitatem, si perduret, succedere necessariò frigiditatem: ratio est, quia corpora sicca non nutriuntur: non nutrita autem celeriter refrigerantur: proptereà quod ex calido sanguine nutriuntur. Advertit secundò in hoc ac superioribus capitibus agere de siccitate morbosa ventriculi, hoc est de illa, quæ tanta est, vel ita excedens, ut vires deijciat: non enim omnis intemperies vires deijcit, sed quæ immodica est, inquit Magister *6. de morbo, & symptomate, capite 1.* ac proindè quibus siccitas modica est adeò exquisita victus ratione, aut curatione non est opus, quandoquidem nec vites ipsis sunt multum collapsæ: at nulla alia de causa difficilis est validæ siccitatis in corpore commoda curatio, nisi quod refici corpus quidem postulat, cibus verò per se coalescere cum eo non potest, sed eios quod nutritur opera, qua præparetur, coquaturque requirit, quod est imbecillum; cum verò id modicè siccum fuerit, quia vires immodicè non conciderunt, vbetiùs cibare licet, nec metus est ullus, ne à modo aberres: Quæ cum sic se habeant, ideò ipsi, ait Gal. de difficillima, seu multum sicca intemperie disserere instituimus, atque in ea veluti exemplo studiosos exercuimus, hinc enim ipsimet exorsi ad mediocres siccitates corrigendas idoneam materiam invenient.

His notatis supponamus quòd ut *capite superiore* siccitatis curationem exequuti sumus, quæ ab initio sola est contracta, & qoia nulla deinceps sensibilis frigiditas sequuta est: ita nonc siccitas quidem sit similis illi, copulatórque ei frigiditas, quæ manifesta quidem, cæterum magna non sit. Est itaque in hoc casu curationis scopus sive intentio non simplex, ut priùs est dictum; cum non tantùm ot humectes danda sit opera; sed etiam ut calefacias. Quare in hac complicatione acriter intendendum est ad præsidiorum materias, ne scilicet his, qoæ humectant ea quæ immodicè calefaciunt adjungamus; quippè ijs etiam quibus siccandi vis vehementer subest, atque ita in tali complicatione quantitas lædens, seu nociva in utraque intemperie ad materiæ inventionem perpendenda erit, & calefacientis materiæ tantum humectantibus addendum erit, quantum ipsa particula affecta frigiditatem iodicaverit, ita ut materia calefaciens nullam siccitatem morbosam inducat, veluti agunt, quæ plusquam in secundo gradu calefaciunt, ut Magister Galen. tum alibi, tum 4. etiam & 5. *simplicium* commonstrat; quæ enim post secundum gradum calefaciunt humidam etiam corporis substantiam resolvunt, & exsiccant. 114

TEXTVS.

Proponamus igitur eam primum modicè refrigerantia, &c.

MAgister igitur in præsenti peculiares materias ad corpus calefaciendum citra aliquam exsiccationem proponit, exemplúmque in corpore valdè exsiccato modicè tamen refrigerato adducit. In hoc ergo casu, inquit, his remedijs, quæ capite superiori attulimus ad humectandum, in lactis quidem usu mel uberiùs adijcietur; vinum verò quod minus sit aquosum, & pluriom annorum, quam ibi concessum fuit, exhibendum est: nam etiam omnia esculenta calidiora propinabimus, non solùm quæ potestate talia sunt, sed etiam actu calida, ut sic frigiditas alimentis potissimum proposita corrigatur, ex Hipp. enim optimum medicamentum 125

tum in alimento Nardino præterea unguento assiduè venter est ungendus, ut nunquam siccus remaneat; quod si hujusce modi unguentum non adsit mastichinum satisfaciet, ventriculus similiter ungi opobalsamo valebit, vel succo balsami, tum ipso per se, tum etiam cum dictis permixto; si verò huiusmodi medicamenta, ut corpori magis adhæreant, studeas, etiam ceræ aliquid admiscebis, si etiam ambiens aër frigidus adsit, lanam his medicamentis imbutam, vel chinam, mastichem in succo balsami, aut nardino unguento liquans lanam inde madentem ventriculo impones, etsi optima sit purpura madefiet utiliùs, quoniam & ventriculum modicè adstringi, & ipsius cutis porositates obstru. valdè oportet, illa etenim quæ laxant, rarúmque habitum efficiunt, tum succos digerunt, & resolvunt, tum particulas frigidis extrinsecus causis advenientibus obnoxias reddunt, quæ verò valenter adstringunt, ea ut calida vehementer etiam siccant, quare medicamentum, quod corpora dicta sicca, ac frigida calefacturum est, hoc nec siccitatem, nec resolutoriam virtutem, neque adstrictoriam immodicam vim habere debet, sed si calefacit manifestè, ut in secundo gradu, etiam modicè adstringat, veluti purpura ita operatur, sic enim quod calefit, & prædicto calore ad partem attrahitur, in ea manebit, & non resolvetur, ac proinde permanens in illa parte siccitatem illius reparabit.

TEXTVS.

Memineris enim velim tum eorum quæ in agris, &c.

126 EX dictis Magister, antiquos illos Medicos, qui siccæ parti medicamenta calida, & acerba materia composita imponebant reprehendit, *ut cap. 4. vidimus*; sunt enim omnia acerba sive nutrimenta, sive medicamenta e ristant, multùm exsiccantia, atque adstringentia, nec minus refrigerantia, quare si quod acerbum est alicui valdè calefacienti admisceatur ex ambobus mixtum minus quidem calefaciet, non verò minùs quàm utrumque exsiccabit, sed qualibet ex parte; vehementer scilicet exsiccando, atque adstringendo maximè contrariabitur his quæ præcepimus, ac proinde in prædicto casu talia composita, veluti & omnia, quæ per se multum calefaciunt exsiccant, & adstringunt, vitanda sunt.

TEXTVS.

At verò si cum siccitatis intemperie multa frigiditas, &c.

IN secunda hujus cap. parte in qua intensæ morbosæque siccitati, & corporis extenuationi si immodica frigiditas adjuncta reperiatur; Magister Gal. curationem instituit, ita ut si ventriculus duabus prædictis intemperiebus laboret, & inde corpus totum simul afficiatur, primúmque in memoriam prædictam intemperierum compositionem omnium esse pessimam revocat, proindéque majorem in se curationis difficultatem involvere. Cum etenim vita nostra, calorque nativus in calido ac humido debitè nitatur. omnibus notum frigiditatem, & siccitatem illis valdè contrariam, atque noxiam esse patebit; ac proinde si hujusce modi qualitates extremæ, valdéque excedentes sint, ut Magister supponit, pessimè & immodicè læsivæ erunt, ita ut non solùm curatu difficiles, eo quòd multùm à naturali statu vitæ recedunt, sed etiam valdè periculosæ, tum quia curationi maximè obsistunt, tum quia vires valdè labefactant, ac languidas reddunt, sine quibus, nec vita, nec opportuna curatio consistere valet, ut Hipp. *6. epid.* debitè, inquit, *Natura morborum medicatrix*, & *lib. de lege: Natura repugnante omnia irrita fiunt.* 127

Quamquam tamen hæc verè sic se habeant, & huiusmodi complicationis curatio ita periculosa, difficilis, atque ardua sit, quia tamen ex ipso Galeno infrà *lib. 10. cap. 10.* constat, quòd *Satius est aliquid cum periculo tentare, quam spe adempta ægrum certò perire.* Idcircò adhuc in hoc casu curatio tentanda est eisdem indicationibus præsuppositis humectandi scilicet, atque calefaciendi, ut in prima cap. parte fuit propositum, & præterquamquod enumerata unguenta pro roborando ventriculo maximè prosint, interiùs quidem mel cum lacte propinandum, ut utile detracta tamen priùs ipsius spuma, ut minus excrementi materiam suppeditet, faciliúsque, & perfectiùs nutriet, mel enim per se despumatum frigido ventriculo optimum, veluti calido adversissimum est, vinum verò semper antiquum seligendum est, dummodo amarum redditum non extiterit, tunc enim potiùs exsiccandi quàm humectandi virtute vigebit. 128

TEXTVS.

Sanè, optimum medicamentum talibus omnibus sit, &c.

HIc Magister medicamenta, quæ optima in talibus affectibus sunt, monstrare aggreditur, si Medicus eis ut oportet uti sciat, pro quorum debita administratione Gal. animadvertit 129

vertit in omnibus particulis, quæ atrophia laborant, valdéque ex nutrimenti defectu, eo quod nutriri nequeunt extenuatæ sunt, remedia quæ attrahant, & sanguine laudabili tales particulas repleant, esse applicanda; ut ex propinquis locis sanguine attracto fiat ibi retentio, quousque ipso sanguine nutriantur: quare hujuscemodi medicamenta etsi attrahere debeant, nullatenus tamen exsiccare, aut resolvere. Quo supposito Magister præscribit medicamentum, quo piscatores quotidiè utuntur in prædictis particulis extremè extenuatis optimum esse medicamentum, nimirum ex pice, resina, ac cera, vel aliquo simili confectum, & quamvis non constet quòd piscatorum medicamentum sit, dicit tamen illinire cum eo totum ventrem convenit, ac priusquam refrigeretur, avelli: atque hoc si bis uno die feceris, abundè erit, sæpiùs enim non expedit: quando ita per habitum digeras, non sanguine bono particulam impleas. Ex quibus liquidò constat dropacem piscatorum remedium esse, & medicamentum ex pice, aut resina, cum cera vel oleo, vel sevo, vel simili ad formam unguenti confectum, ut aptum ad ventrem illiniendum reddatur; ex quo medicamento moderata calefactio in parte extenuata, atque sanguinis attractio ex vicinis partibus resultat, ut ex rubore atque humore ipsius partis percipitur, quo tempore per spatium unius, aut duarum horarum post medicamentum appositum ipsum à tali parte evellendum est, ut sanguine plena virtus nutritiva remaneat, ipsáque pars alatur, si enim ulteriori tempore parti appositum remaneat sanguinem attractum quo pars affecta nutrienda erat resolvit; quod ut præcaveamus statim ac pars ex medicamento applicito aliqua ratione intumescit, aut notabilem ruborem contrahit, mox medicamentum antequam sanguis attractus resolvatur, nec pars refrigeretur, nutritioneque privetur, debet evelli: quæ doctrina Magistri perceleberis veneranda est.

130 Ventriculum etiam calefacere, itaut in qualitate ipsius calorem non intendamus, sed illius temperamentum naturale, quàm maximè tueamur substantiámque augeamus; hoc in eiusmodi affectu laudabile consilium est, quod in victu simul cum alijs antea prædictis alimentis observandum est, videlicet in vino: nam si hoc bene concoquatur, à nativóque calore devincatur, multum, & laudabilem sanguinem generat, substantiámque nativi caloris, cum tantum corpus modicè calefaciat, adauget; ex his verò, quæ corpori extrinsecus apponuntur, boni habitus puellus est eligendus, & ita approximatus sit, ut semper ægrotantis abdomen contingat, hoc enim modo abdomen ægroti famelicum per suas porositates halituosam pueruli substantiam sibi sugit, atque exhalantem eius calorem nativum quasi bibit, sicque nativus ægrotantis calor laudabiliter alitur. Observandum tamen est, ne puellus humida cute sit affectus, qui enim nocte sudore perfunditur, potiùs quam calefaciat, refrigerat: nam ille sudor in pueris naturalis non est, neque substantiæ calidæ alimentitiæ, sed potiùs serosæ, atque excrementitiæ, quæ ex languida nutritione, ac tertia corporis coctione resultat; quare qui ita sudore madescunt, potiùs quàm calefaciant, refrigerant: nam quamvis ille sudor actu calidus exeat, potestate tamen, quia serosus frigiditatem inducit, præsertim in extenuatis corporibus, quæ quia debilia, multúmque inanita, validè ad se sudorem ipsum frigidum sugunt, quo potius quàm calefiant, refrigescunt. Sunt similiter, qui catellorum pinguium usu, tum in adversa, tum in prospera valetudine fruuntur, & meritò: nam hujuscemodi catuli, his qui propter siccitatem solam languidum ventriculum habent, auxiliantur; nocent verò in his affectibus calida fomenta, quæ simul sicca sunt, eo quod roridam similarium partium substantiam depascunt; quæ verò humida sunt, quia hanc digerunt potissimùm, ubi largiùs his utimur, non immeritò, quia nimis rarum, ac frigori; oportunum corpus efficiunt, nocumentosa sunt, sicque maxima cautione his etiam utendum erit.

131

CAPVT VIII.

De curatione ventriculi, intemperie sicca, simul & calida Laborantis.



OSTQVAM Magister in duplici superiori capite de scientifica curatione intemperiei, tum siccæ, tum simul siccæ, & frigidæ ventriculi egit, jam in præsenti de curatione ipsius ventriculi sicca simul, & calida intemperie laborantis sermonem instituit, & maxima cum ratione; nam pauceis exceptis, eadem est curatio *in septimo antecedenti cap.* tradita, quæ ad frigidam, & siccam intemperiem corrigendam ordinatur, quemadmodum ista ad calidam & siccam remittendam reducitur. Magister igitur de secutiori methodo ventriculum sicca simul & calida intemperie laborantem curandi acturus, supponit duobus potissimùm modis dictas duas intemperies inter sese posse complicari, videlicet si intensa siccitas, cum calore non multùm excedente, vel simul ambæ qualitates multùm excedant à naturali statu, siccitas nempe & calor, de prima etenim ferè in toto capite, de secunda verò tantùm in fine agit.

TEXTVS.

TEXTVS.

Abhinc multæ, ut propositum est, ficcitati, &c.

132 AD primam ergo ficcitatis, & caliditatis complicationem Magister deveniens sic inquit: Abhinc multæ, ut propositum est, ficcitati juncta caliditas esto, non admodum multa; & supponamus modo quod ventriculus sit quidem nimis reficcatus, & squallidus, vel gracilis, ut supra est propositum, & simul etiam calidus, non tamen multùm, hoc sic jam posito in huiusmodi casu, & harum qualitatum complexu primus curationis modus, ac methodus, veluti in superiori capite nobis occurrit, ita ut eisdem remediorum, & alimentorum materiis vtamur, dummodò facultatem vini, sive virtutem, copiámque mellis diminuamus; taliter vt mel prorsus non degustetur, sive sensu percipiatur; vinum verò, quòd antiquum aut vinosum sit neutiquam exhibeatur, eo quòd ficcitas morbosa multa, & extenuatio immodica sit, caliditas verò non ita intensa, ac proinde prima curationis indicatio, humectatio, & corporis nutritio est; vt in superioribus citra calefactionem tamen aliquam; calor enim simul cum ficcitate conjunctus levis est; propterea, ne mel bilescat in totum auferendum est; vinum etiam generosum, ne morbosum calorem intendat prohiberi debet, oligophorum verò, sive aquosum, tum vt concoctionem juvet, nutritionem præstet, calorémque extraneum temperet, atque nativum instauret, propinandum est.

133 Ex doctrina jam Magistri deveniendum est ad alimentorum, sive ciborum præparationem, cùm ipse afferat: jam cibos apponemus sub lactis tepore; sed si æstas est sub aquæ fontanæ frigore, quasi dicat in præsenti casu: cùm ficcitas multa sit, & inde concoctio debilis fiat, cibi modicè calentes debent propinari, vt citiùs, faciliúsque à nativo calore, vtpote debili actuentur, præsertim dum caliditas excedens modica est, vt suppositum manet: nam si caliditas plusquam mediocriter excedat, vt si æstas est, tunc quantùm debilitas permittat excedens caliditas temperanda est, cibique aliquantulùm frigidi præbendi sunt, sub eo videlicet frigore, quod aqua fontis in medio veris solet exhibere: tunc enim etsi aqua frigida exeat, parùm tamen & remissè, multóque minùs frigida quàm æstate oritur; propterea si caliditas præter naturam pluscula sit, & plusquam mediocriter excedens, vinum tum aquosius, tum, vt dictum est, actu frigidum exhibebimus, sicque refrigeratio, ac humectatio proportionalis, & indicata vigebit.

TEXTVS.

Atque ipse scio me vna cum Præceptoribus primum, &c.

AD apertam jam curatione ventriculi immodica ficcitate simul cum calore non multum intenso laborantis, duos jam Magister ægrotantes eadem intemperie laborantes, quorum primum ipse Galenus adhuc cum suis præceptoribus ambulantem, praximque exercentem vidit; alterum postea ipse solus:quare & nos cum eo tales ægros referamus, eorumque historias:quippe vtiles omnino erunt iis qui audierunt, inquit, non secus ac fuerit mihi. Sic ergo habet Gal. Atque ipse scio me vnà cum præceptoribus primum omnium vidisse hominem quemdam maturæ ætatis non paucos jam menses vexatum; sed neque eorum quisquam affectum eius intellexit, neque etiam ipse; postea verò cùm jam medendi eius affectum methodum invenissem, mihi in mentem venit hunc vtique illum esse affectum, quem olim fueram contemplatus: affectus igitur huiusmodi fuit. Homo erat quadraginta annos natus, medio dum valebat crassitudinis, & gracilitatis habitu præditus, qui siti vehementer affligebatur, & calidam aversari se dicebat, cui frigidam nullus dabat, tametsi hanc ipse impensè efflagitabat, quia scilicet febricitare Medicis non videbatur, & ventriculus quæ sumpserat tribus aut quatuor horis postea evomuit simul cum potione;gracilis itaque jam redditus, ac periculo propinquus,nentiquam adiutus,tum austeris,acerbisque, tam cibis quàm medicamentis sumpsit post cibum, austerum vinum cùm vltrà sitim non posset tolerare, ac veluti aicbat, mori mallet, quàm in cruciatu vivere; aquam etiam frigidam, simulque multam supra cibum hauriens, protinùs sitire destitit; paulò verò post, plurimum eius evomuit: abhinc horrorem in toto corpore sensit, pluráque operimenta poposcit, cùm priùs omnia abjiceret: tunc igitur totum reliquum diem quo id fecit, noctémque cunctam in quiete egit, cooperimentis se fovens; venter verò circa mediam noctem semel excrevit quæ mediocriter cocta erant, neque siticulosus præterea erat: postero autem die tum coloratior multò, tum firmior est affectus, itaque lavatus etiam citra offensam est, ac modicè cibatus meliùs quàm pridie venter concoxit. Quæstio autem est quòd diffi- 134

culter transglutiret; omnibúsque visum est propter assiduum vomitum gulam illi vellicatam fuisse; cæterùm, vt etiam sequutis diebus symptoma permansit, constabat omnibus ventriculi imbecillitatem esse sanatam; gulam verò perfrigeratam esse: neque sanè mirandum erat, sicut potione illa quod modicè calefactum erat ad mediocritatem reversum est, sic quod mediocriter calebat fuisse refrigeratum. Gulam ergo eius nemo sanare potuit, sed vitio in vitium mutato tandem mortuus est. Hæc Galenus.

135 Quasi Magister diceret: Ipse cum præceptoribus vidimus quemdam hominem quadragenarium habitu præditum dum valebat, vel sanitate florebat neque crasso, neque gracili, qui tamen siti affligebatur, & calidam aversabatur, frigidam verò impensè efflagitabat, ac proinde intemperie calida & sicca ventriculi laborabat: nam qui sic afficiuntur, ait ipse Magister *6. de sympt. & morb. cap. 1.* siti cruciantur; sed neque illorum quisquam affectum eius intellexit, neque ipse quidem tunc, sed longo pòst tempore. Cum igitur illi frigidam nemo daret, sed è contra quæ calefaciunt, atque exsiccant austera & acerba, tum medicamenta, tum etiam alimenta; sic quidem æger resiccatus valdéque gracilis redditus est, quamvis febricitare non videbatur, neque ipse gracilis esset; qui enim intemperie immateriali sive nuda, calida & sicca ventriculi laborant, ait ipse loco citato, febre aliqua sensibili non laborant, sed siti cruciantur, & parvis, tenuibus, quasi hecticis febribus tenentur, quæ ideo plurimis Medicis obscurantur. Iste igitur ægrotus qui congruo remediorum moderatè refrigerantium, ac humectantium vsu in principio curari poterat; ita ex indebita curatione resiccatus ac maximè debilis effectus fuit, vt quæ sumebat coquere non potuisset, sed post tres, aut quatuor horas simul cum potione alimenta evomebat, & sine vlla concoctione aut distributione, aut quia ob nimiam siccitatem facultates languebant, aut distributionis viæ nimis angustæ, seu in totum obcæcatæ erant.

136 Propositus igitur æger cùm jam ex prædictis causis resiccatus sitim vlterius sustinere non posset, frigidam aquam & multam post cibi assumptionem semel ebibens protinùs sitire destitit, sed paulò pòst plurimùm eius evomuit: nam quamvis potione aquæ ventriculus temperatus fuit, & à calore præter naturam liberatus, sicque sitire destitit; quia tamen jam tunc debilis aderat, statim vel ipsa aqua valde gravatus plurimùm eius evomuit, abhincque horrorem toto in corpore sensit, videlicet frigiditate aquæ vniverso corpori communicata proinde omnis corporis habitus à calore etiam liberatus, aut plus quàm par erat refrigeratus obriguit; & ideo æger operimenta poposcit, cùm antecedenter omnia à se abjiceret: corpora enim sicca ex defectu carnium ac sanguinis, quamvis calida intemperie, vt hectici laborent, ab aquæ frigiditate offenduntur, vt ipse Magister *lib. 9.* huius operis *cap. 5.* commonstrat. Cuius est ratio, quia frigiditas actualis ipsius aquæ immediatè partes solidas in quibus sanguis copiosus non adest, statim ferit. Sensit igitur ægrotans prædictum horrorem & refrigerationem in toto corpore, sed operimentis quievit, quia tantùm à causa externa, videlicet ab aqua assumpta pendebat; eam ergo jam quasi totam evomuerat: quare reliquum totum diem quo id fecit, noctemque totam quietam egit; nihil amplius in aliquo læsus, immò siti levatus mansit, & venter circa mediam noctem semel excrevit, quæ mediocriter concoxerat; & postero die coloratior multò firmiórque est redditus, ita vt curatus jam esse videretur; & quidem benè, nisi deglutire difficulter se posse assereret: nam, vt benè ait Galenus, quamvis ventriculus, & aliæ corporis partes, quæ calidiores erant, ex actuali frigiditate aquæ potûs juvari potuerunt; gula tamen, quæ nullo præternaturali calore laborabat, neque aliqua refrigeratione egebat, ab illa læsa remansit, & ita vehementer debilis fuit facta, vt nullo auxilio sanari valuisset, immò tandem æger mortuus fuit: nam vt Hippocrates *quarto de ratione victûs in acutis, sententia vigesimasecunda* inquit, si viribus debilitatis morbus superior evaserit, nullus curationi relinquitur locus.

Secundum jam ægrotantem sub his ver- 137
bis Magister refert. Alterum verò huic similem non paucis annis pòst vidi, cùm omnem ventriculi intemperiem discernere jam possem. Visum igitur est mihi statim majori conatu refrigerandum esse, priusquàm homo magis extenuatus simile quodpiam priori ex refrigeratione pateretur. Tutius autem visum est ea primum refrigerantia experiri, quæ præcordiis imponuntur: quo pacto æstus sanè ventriculi est remissus; cæterùm, homo ea difficultate suspirandi respirabat, tanquam æger totum thoracem moveret: quin ipse quoque interrogatus talem quampiam se sentire offensam videbatur. Adverti itaque illi septum transversum refrigeratum esse, proindéque abjectis refrigeratoriis fovi locum oleo calido: cùm autem respiratio statim naturalem sui motus ordinem recepisset, à fovendo destiti: statui autem hominem longiori spatio moderatè refrigerare: ergo & quæ extrinsecùs applicui, infrà magis imposui à septo, vmbilicum versùs recedens, & cibum, potionémque omnem, excepto lacte, sub fontanæ aquæ frigiditate exhibui; atque ita longiori spatio sanatus est, nusquam alibi offensus. Sed cur, dices, respiratio in huiusmodi laboranti statim ordinem naturalem sui motus recepit? cuius est ratio, quia frigiditas momentanea

momentanea introducta fuit, solúmque in fieri septu transverso impressa; morbus etenim dum in fieri est, facile remediis cedit: è contra verò difficulter, aut nullatenus cùm jam est factus, vt *aphorismorum quarto, commentario vndecimo* Magister commonstrat. Inquires vlterius, cur Galenus huic ægrotanti cibum, cunctúmque potionem, dempto lacte, sub fontanæ aquæ frigiditate præbuit? solvitur dubium, si asseram, quòd quia ventriculus intemperie calida actu, sed sine aliqua debilitate, aut notabili siccitate, ac extenuatione laborabat; tunc enim laborantes non solùm potum, sed etiam cibum actu frigidum, sine vlla noxa, sed maxima cum vtilitate assumunt, dummodo alimenta, vt lac, à frigiditate non corrumpantur: lac enim à qualibet intemperie facilè corrumpitur.

TEXTVS.

Sciri tamen illud ante omnia debebit, &c.

138 IN fine jam huius capitis de calida intemperie, simulque sicca Galenus sermonem instituit, & non quomodocunque, sed vbi validè in duabus qualitatibus qualibet particula immutata est: de hac quidem complicatione duo breviter notanda proponit; primum, vbi in ambabus qualitatibus aliqua vehementer pars immutata fuerit, omnem eius actionem perire, neque reddit rationem: sed neque alius vllus, eorum scilicet quos ego viderim. Quare, an hæc vera sint, & quomodo? vt perpendamus, expedit; principio igitur, quòd si aliqua nostri corporis pars vehementer calida, sicáque sit reddita, omnis eius actio pereat, apertè vidimus in illis hydropicis, qui tales ex morbis acutis fiunt; eo quòd in iis jecur, vt Magister 6. *de locis affectis, capite primo*, inquit. Calida & sæpè sæpiùs sicca intemperie afficitur, vt cibum in sanguinem mutare nequeat; sed quare à calida intemperie hydrops oriri possit? & qua ratione loco sanguinis aquam potiùs generet dices? & quamvis ferè omnes fateantur hydropem, quæ morbis acutis, vt febri ardenti, aut alicui internæ inflammationi succedit, absque dubio ab intemperie calida & reficcata hepatis oriri, vt Hippocrates *secundo prognosticorum, sententia prima* inquit, quia talis hydrops febrem non sedat, sed conservat, quoniam pariter febrilis calor, aut inflammationis, quam sequitur, similiter permanet, sicque si illo in casu jecur sanguinis loco aquam potiùs, aut flatus, aut pituitam, quæ hydropis materia sunt, generat; non quidem tales materias, quia frigidum sit producit, vt communiter dicitur, sed quia vehementer, inquiunt aliqui, calidum ac reficcatum est in facto esse: nam ab his causis ita natiuus hepatis calor languet, & facultas sanguifica ipsius debilitatur, vt nec aliquam sanguinis portionem ex alimentis assumptis, sed aquam, vel alias frigidas materias generet. Vnde talis hydrops, vt *loco citato* ait Hippocrates, lethalis est, cùm in ea sanguis quo partes nutriantur, & vita humana conservetur, non generetur. Certum quidem est quòd omnis immodica intemperies vires dejicit, ac proinde quæ extrema fuerit, sive calida, sive frigida in totum dejiciet, præsertim tamen si calida simul, ac sicca ad extremum devenerit, cùm principium vitale in humido, aëreo, & temperamento modicè calido redundante consistat. Quamquam tamen huiusmodi rationes generationem sanguinis depravatam, in hydrope febrem ardentem sequutam, & jecur intemperie calida correptum significent, non tamen modum quomodo effectus frigidus positivus, qualis est aqua hydropicorum à causa calida positiva, vt est præternaturalis jecoris calor, possint produci commonstrant: nam neque valet huiusmodi effectum frigidum ad debilitatem reducere, cùm ista non sit causa positiva effectus frigidi; neque ad calorem ex accidenti resolvendo, cùm adhuc præsente calore immodico non possit dari prædominium frigiditatis positivæ, cui talis effectus frigidus tribuatur. Vnde, si placuerit tibi, genuiniorem rationem *libro decimoquarto* huius operis à me conscripto eruditam mentem sapientissimi Petri Michaëlis sequendo, invenies.

Aliud quidem quod in huius capitis fine Galenus advertit juxta calidam & siccam intemperiem vehementer redditam, est quod non facilè pars, quæ sic affecta est ad suam pristinam naturam reverti possit, eo quòd omnis extremus morbus difficilis curatu, ac proinde periculosus est, sicque concludens caput inquit: Vbi verò altera tamen qualitas pluſculùm immutata est, veluti nunc siccitatem fiximus, reliquarum aliqua mediocriter se habet, vtique qui ita affectus est sanari potest; cùm nulla scilicet qualitas sit multùm excedens, sed vna pluſculum immutata & altera mediocriter se habeat. 139





CAPVT IX.

De curatione intemperiei calidæ, & humidæ, & calidæ ac siccæ, humidæ tamen & frigidæ, ac humidæ.

140 
VM in superioribus Magister Galenus de curatione ventriculi nimia siccitate laborantis, vel ea quidem sola, vel simul cū caliditate conjuncta egerit, jam in præsenti capite de reliquis vētriculi intemperaturis immaterialibus methodo curandi agit, & vt suprà siccitatem semper multùm excedere supposuit, vt hoc modo insignius artificium curationis ostenderet; ita nunc de ventriculi calida & humida, & calida & sicca intemperie laborantis curatione agit; similiter intemperie humida solùm, aut humida simul & sicca, ita vt in priori casu supponat caliditatem exuperare, humiditatem verò, aut siccitatem mediocrem esse; in secundo verò casu supponit intemperiem humidam excedere, sive sola consistat, sive cum calore, aut frigiditate conjuncta sit: vnde priùs de curatione intemperiei calidæ, postéaque humidæ tractatum stabilit.

TEXTVS.

Proponam itaque rursus exuperare intemperiem, &c.

141 INquit igitur Magister: Proponam, ac suppo-nam exuperare in tali ventriculo intemperiem calidam, huic autem adjunctam esse modò humiditatem, modò siccitatem, vtramque verò mediocrem, ac priùs humiditatem. Quo supposito cuilibet notum erit principaliorem scopum atque intentionem in huiusmodi affectu esse, ventriculum citra aliquam exsiccationem refrigerare: nam licèt ex suppositione facta ventriculus calidus simul, atque humidus aliqua ratione præter naturam sit; quia tamen caliditas vehemens, sive nimis intensa fit, & vt talis exsiccat; hinc fit quòd prædicta caloris, atque humiditatis complicatio præcisè non exsiccationem, sed refrigerationem exigat; proinde concludit hanc intemperiem minori metu aqua frigida curandam: nam quāvis aqua frigida etiam humectet, hoc neutiquam in præsenti casu est nocumentosū, sed potiùs expedit cùm excedens caliditas præcautionis gratiâ, ne corpus exsiccetur humectationem pariter exposcat, ob quam rationem non immeritò in febricitantibus omnibus victum humidum præcautivè, ne vi febris morbosè exsiccentur, præscribit.

Alia similiter ratio propter quam intemperies calida per excessum, ac modicè humida minori metu aqua frigida curari posse apud Magistrum elucescit, nimirum ex prædicto remedio vicinæ partes, quia mediocriter se habent, cùm siccæ per excessum non sint, sed medium inter siccitatem & humiditatem participent, minimè læduntur: nam in siccis affectibus, ait Magister, necesse est, non ea modò quæ proxima sunt, verùm etiam totum corpus gracilius reddi; quare ventriculo nondum exsiccato, vt est suppositum, nec totum corpus attenuatum esse potest, sicque nec frigidæ potu lædi, proinde tutò potus aquæ frigidæ in tali affectu proderit: nam quamvis non vnus & simplex sit morbus, sed duplex ex calore videlicet multùm excedente, & moderata humiditate compositus; quia tamen cùm nulla sit corporis siccitas introducta, nullus inquam alicuius substantiæ nostri corporis defectus adsit, hinc fit quòd de instauratione corporis sive nutritione nihil sit agendum, sed tantùm medio aquæ frigidæ potu refrigeratione, cùm tota regularísque curatio in morbum propellendum per huiusmodi remedium adimpleatur: nam vt commune est, frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora æquè benè: natura enim abhorret superflua. 142

Nec minus Magister animadvertit, vt si alicui evenerit quòd intemperies calida ventriculi adeo excellerit, vt ad ipsum vsque cor perveniat, tali in casu dicta intemperies naturam febris sibi induit, nec tantùm cordi, sed toti corpori præternaturalis calor communicatus erit, & quò plures ac principaliores partes occupando lædit, eo periculosior est, & consequenter maiorem curationis solicitudinem requirit: curatio tamen eadem est, vt infrà patebit. Similiter qui cum siccitate moderata, vt est suppositum, conjunctus calor adest, eadem remedia poposcit, etsi non adeo refrigerationis vsus securus sit, eo quòd corpora sicca quò scciora magis à frigidis læduntur. Cùm igitur prædictus aquæ frigidæ vsus in complicatione calida & sicca non ita sit tutus, proinde indicatio refrigerandi ac humectandi potissimùm per alimenta, aut medicamenta alimentosa, exercenda erit; hoc enim modo non solùm ventriculus refrigerascet, verùm etiam eius siccitas substantificè instaurabitur. 143

TEXTVS.

TEXTVS.

Humida verò intemperies, sive sola consistat, &c.

144 IN hac secunda capitis parte Magister curationem humidæ intemperiei adducit, & priùs duo præstat; primùm enim intemperiem humidam, sive sola, sive cum calore consistat, aut frigori conjuncta sit omnium facillimè curari docet, & meritò: nam vt suprà *cap.5.* adapertum est, humida intemperies facile omnia exsiccantia subsidia, sive alimenta, sive medicamenta sint, admittit, & illa natura beniguiter sustinet, dummodò vsum moderatum non excedat. Vlteriùs tres dictas intemperies frequentissimum ventriculum offendere animadvertit, in ipsisque curationem antiquorum ad imbecillitatem ventriculi per adstringentia jam dictam convenire.

TEXTVS.

Sunt porrò humidæ intemperiei, &c.

145 HVmidæ jam intemperiei ventriculi curationem in præsenti sic alloquens aggreditur. Sunt porrò humidæ intemperiei, cùm sola consistit, remedia, cibi, qui citra valentem calefactionem, aut refrigerationem exsiccent; deinde consuetæ potionis parcitas: nam humiditate, quæ per potum consuetum contrahitur, ablata, vel alimentorum, seu ciborum moderata siccitate, talis ventriculi humiditas, quantumvis redundans existat corrigetur: fontes enim ac putei non tantùm, quia ab illis aqua extrahitur, quantùm quia & venæ & rivuli terræ liquore humido inaniuntur, vt inde aqua in fontes aut puteos non fluat, exsiccantur; quare potionis consuetæ prohibitio, sive ablatio, aut saltem eius parcimonia ad humidum ventriculum curandum præsentaneum remedium erit: curatio verò humiditatis in ventriculo redundantis, quæ cum calore conjuncta est, ciborum & potionum adstringentium vsu perficitur. Sunt verò, ait Magister, austeri sine calefactione; quæ enim austera tamen sunt vt mirtylli, aut acerba, vt sorba, frigida quidem sunt ac sicca: at quæ austeta sunt simul & amara, vt absinthium, aut austera simul & acria, vt vitriolus, simul cum siccitate calefaciunt, proptereaque ad huiusmodi curationem non solùm non conducunt, verùm valdè nocent. Quare debita cum ratione in præsenti à Magistro improbantur.

At eius quæ cum frigiditate humiditas excedens conjuncta est optima præsidia sunt, inquit, omnia acria, sive alimenta, sive medicamenta sint, quoniam calefaciunt simul & exsiccant; quia tamen hæc acria non nisi per accidens exsiccant, & adstrictione carent, quia partes humiditate laxatæ roborari, aut firmari postulant, ideo quòd acribus admisceri debent acerba, & quæ vehementer adstringant, proponit, vt hoc modo prædictas partes immodicè laxatas validiùs firment ac roborent, sed huiuscemodi acerba, inquit, citra manifestam frigiditatem sunt: acerba enim ex se omnia frigida per excessum sunt, vt Magister 4. *simplicium* 12. quæ tamen acerba sunt simul & salsa, amara aut acria non refrigerant, sed calefaciunt, præsertim quæ acria simul & acerba sunt, vt vitriolus, multáque alia mineralia; proinde iis potiùs, ait, quàm acerbis solùm est vtendum; vel acerbis addenda sunt acria, qualia ferè omnia aromatum genera reperiuntur. Optimum etiam est iis exigua potio (sic enim corpus exsiccatur, & humiditas nimia absumitur) atque ea vini insigniter calidi, quod minimè novum est: hæc etenim vini potio, & quia parca est, & quia calefacit ac exsiccat, denúmque alimentum corpori præbet, omnes indicationes, scoposque curationis adimplet. Propterea maxima cum ratione inquit potionem exiguam vini insigniter calentis, sive tale ex sua natura, sive annorum ratione fuerit, optimum remedium esse. 146



CAPVT X.

In quo omnia quæ dicta sunt, comprehendit.



XPOSITIS igitur jam curationibus triplicis intemperiei, siccæ nimirum, calidæ ac humidæ, jam in præsenti de entitate intemperiei frigidæ agendum veniebat, de hac tamen in particulari non agit, vel quia quidquid dicendum atque agendum erat, ex dictis jam quisque facilè valebat percipere, quoniam sive frigida tantùm fuerit, sive frigida & sicca, aut frigida simul, & humida, jam ex prolatis ex intemperie calida lege contrariorum cuique facile quid sit agendum, patebit; vel quia sola frigiditas 147

potissimùm actualis, vt nunc agitur, rarò viuente animali, neque in ventriculo, neque in iecinore, neque in alia nostri corporis parte interna inuenitur. Quare in præsenti cap. de aliis intemperiebus anacephaleosim, siue compendium eorum quæ dicta sunt, agens constituit, & qua ratione omnes immateriales intemperies, & earum vnaquæque curari debeant, commonstrat.

TEXTVS.

Calida ergo intemperies refrigeranda est, &c.

148 CVm omnes immateriales intemperies, quatuor primæ qualitates præter naturam excedentes sint; siue vna sola, siue duæ, vt dictum est, excedant, cúmque dictæ qualitates omnes per se agentes, ac ad inuicem patientes sint: calor enim in frigiditatem agit, & ab ea patitur, siue remittitur, & è contrà frigiditas in calorem, ipsum remittendo, & ab ipso etiam calore patitur, remittitur & temperatur: earitque eadem ratio inter humiditatem & siccitatem, in agendo & patiendo, eo quòd contrarium quodcumque in contrarium agit, & à contrario patitur, ac proinde meritò Galenus in huiusmodi textu ait, quòd calida intemperies refrigeranda, frigida calefacienda, humida siccanda, & sicca humectanda est; & similiter, si duæ simul iungantur, quæ humida & calida fuerit, siccanda & refrigeranda, quæ humida & frigida siccanda, & calefacienda; quæ sicca & frigida humectanda & calefacienda; & tandem quæ sicca & calida humectanda & refrigeranda erit. Concluditque totam curationum doctrinam dicens: Scire verò licet, & aduertendum est omnium dictarum intemperierum, inter simplices siccam, inter compositas verò siccam simul & frigidam pessimam esse. Ratioque solidior est: nam quæ magis nostræ naturæ aduersantur, vel sola siccitas, videlicet substantiæ humidæ defectus est, vel siccitas simul & frigiditas, id est non solùm defectus alicuius substantiæ viuentis, spirituosæ videlicet, carnosæ, atque humidæ, siue solidæ, verùm etiam defectus ipsius actualis caloris, quo dictæ substantiæ viuentes actuantur, conseruantur, fouentur, ac restaurantur.

Notabilia, ac dubitationes super textum.

149 Quamquam diffuso satisque noto sermone, cum Magistro à capite sexto ad decimum vsque de omnium immaterialium intemperierum curatione, quæ ventriculo aut cuilibet nostri corporis particulæ accidere possunt, actum fuerit; aliqua tamen notabilia, & dubiola circa prædicta decidenda offeruntur, vt Galenica doctrina magis elucescat. In calce igitur sexti cap. Gal. docuit siccitatem, siue corporis consumptionem, quæ venarum inanitionem sequitur, siue in qua venæ sanguine inanitæ sunt, potius frigiditatem in habitu, quam gracilitatem, siue extenuationem inducere, vel saltim frigiditatis respectum superare talem siccitatem: in principio etiam sequentis capitis docuit solidorum corporum siccitatibus, si perdurent, necessario frigiditatem succedere; quare veritas harum propositionum examinanda offertur.

Quòd autem ad siccitates dictas, frigiditas in habitu sequatur, siue ex dictis siccitatibus habitus positiuè, & actu refrigeretur Magister probat ex eo, quod tales partes quæ in habitu sunt, ex calido succo, sanguine videlicet, aut massa sanguinaria, quæ actu calida, & humida est, nutrientur; proinde si tales partes, ait Magister, non nutriantur, vel quia sanguis deficit, ut cum venæ sanguine inanitæ, vel quia nimis reficcatæ, atque densatæ sunt, adeò ut quamuis sanguis in venis non deficiat, ipsum tamen neque attrahere possint, neque adhuc attractum in seipsas immutare atque conuertere quod est, nutriri; si igitur aliquæ ex his causis partes, siue totum corpus non nutriantur celeriter ex nutriendi defectu refrigerantur, sicque meritò dicendum erit, quod tum ex nutrimenti defectu, tum ex venis inanitis, siue ex sanguinis in venis defectu, corporis habitum refrigerari: ex defectu tamen sanguinis moderati est intelligendum; sanguis enim perpetuo in quantitate moderata in venis debet reperiri; tantus videlicet, ut suo calore actu corpus calefaciat, nutritionique materiam præbeat: nam si ipse plusquam moderatus sit in venis contentus, cùm non rectè ventiletur calidior se ipso redditur, & febrem generat; si verò non solùm plusquam moderatus contineatur, sed ita auctus vt vasorum cauitates repleat, subitò natiuum calorem suffocat, vt in apoplexia, epilepsia, caro, catalepsi, & præsertim in syncope contingit, in qua propter caloris natiui suffocationem totus corporis habitus actu refrigescit, ac sudore frigido corripitur. Si denique sanguis in venis deficiat, vel defectus est moderatus, vel maximus; si moderatus, corporis habitus refrigeratur, vt in sanguinis missione, quæ febrem extinguit satis claret; natiuus tamen calor partium solidarum, & corporis habitus non exsoluitur, proinde neque vires deficiunt; si verò sanguinis defectus in venis maximus sit, vt in larga aut licètiosa nimis sanguinis missione non solùm corpus frigescit, sed etiã vires deijciuntur, vel in totum deficiunt. Quæ omnia maximè ad praxim debitè exercendã sunt notanda. 150

151 Notandum secundò est, circa Magistri suppositam doctrinam *cap. 6.* posse videlicet nostro in corpore dari siccitatem validam, siue defectum notabilem humidæ substantiæ, sanguinis dumtaxat, siue carnis, siue roris, absque eo quod talem siccitatem aliqua sensibilis frigiditas insequatur, hoc quidem ex nuper ostensis de frigiditate corporis, ex sanguinis defectu falsum

falsum videtur, vel saltim hæc duo inter se non consentiunt. Pro cuius resolutione supponendum est cum Magistro, re vera posse in nobis reperiri intemperiem valdè siccam, & corporis habitum maximè extenuatum, absque eo quod aliqua sensibilis frigiditas adsit, cum in hecticis secundæ, & tertiæ speciei, talis siccitas; non solùm sine frigiditate, verùm cum actuali calore præter naturam reperiatur; quo supposito, juxta frigiditaté corporis ex sanguinis defectu in venis est dicendum, quod cum maxima siccitate corporis, atque extenuatione potest esse, & abesse frigiditas, immò, & calor, prout scilicet sanguis in venis contentus, & à quo corporis habitus actu incalescit, vel deficit, aut non communicatur, vel è contra non deficit, sed immò communicatur: nam si in venis existens corpori non communicatur neque ad habitum fluit, ex se quamvis non deficiat, nec frigidus sit, sed potiùs calidus; tamen corpus calefacere nequit: nam agentia naturalia, ut est sanguis, nisi passum attingant nón operantur: quare si ex defectu sanguinis venalis corpus refrigeratur, hoc eveniet; ut ait Magister, vel quia re vera sanguis in venis deficit, vel quia corpori etsi non deficiat in venis non communicatur, ut accidit cum partes quæ in habitu corporis situatæ sunt præ nimia siccitate, vasorúmque densitate, aut angustia, sanguinem in sui nutritionem, actualémque calefactionem attrahere nequeunt. Quando verò corpus resiccatum non refrigeratur, immò incalescit; ut in hecticis consummatis accidit: hoc fit quia sanguis adhuc fluit, & ipsas corporis partes permeat, vel quia ipse satis tenuis atque fluxilis est, vel quia partes, atque vasa nondum à siccitate omnimodè densata sunt, sed satis aperta, ut per eorum cavitates sanguis ad omnes, & singulas corporis partes usque ad extremas, atque in habitu corporis sub ipsa cute situatas permeare ac fluere valeat.

152 Quibus sic integrè explicatis. denuò supponendum est ex ipso Magistro 1. *acut. comm.* 3. Medicos, curationem morborum, id est correctionem, aut ablationem eorum quæ nostris corporibus præter naturam accidere possunt, ut sunt præsertim morbus, & causa, sibi proponere; secundo supponendum est Medicos huiusmodi morborum ablationes, non utcumque comparare, sed per debitas remediorum materias, veluti diætam, victus rationem, medicamenta, chirurgiam, aut aliquam rectam Artificis operationem: nam sicut morbi, morborúmque causæ multi, atque inter se maximè diversi sunt, ita cuncti multis instrumentis, aut remediorum materijs, ad sui ablationem indigent.

153 Quibus sic jam suppositis Magister cum, ut visum est, in prædictis cap. morborum ventriculi curationem, qui in qualitatibus nudis præter naturam intensis consistunt, simulque in defectu alicuius corporis substantiæ adduxisset; proinde ea remediorum materia usus fuit, quæ ad victus rationem pertinet, videlicet, quæ non solùm alterare dictas qualitates exceden es corrigendo potest, sed etiam deperditas substantias instaurare: quamquam enim diæta, sive victus ratio diversa in sanis ac in ægris sit, ut ipse Gal, *3. epidem. parte 3. comm.* 9. & 1. *de rat. vic. in acut. comm.* 6. docet: in utrisque tamen diæta, sive victus ratio ad plura extenditur, non etenim solùm ad cibum, & potum, verum etiam ad exercitia, deambulationes, frictiones, & ut unico verbo dicam, in sanis ad omnes res nonnaturales, in ægris etiam ad cataplasmata, perfusiones, & clysteres, ut *lib. 11. sequenti cap.* 15. videndum erit, ut enim salubris sanitatis status per similia conservari postulat, id est per moderatum usum non solùm cibi, ac potionis; sed etiam deambulationis, vel alterius exercitij, somni; ac vigiliæ, veneris, gaudij, ac lætitiæ, similiúmque rerum non naturalium; non aliter in ægris victus ratio non est tantum conservatio, sed curationis ductus, id est processus aliquis, sive mutatio ab statu morboso versus naturalem, qui per assuetas materias fit, cibum videlicet consuetum, potionem & alias res nonnaturales prædictas, ut etiam per inunctiones, cataplasmata, & clysteres; ex quibus constat in ægris, etiam alimentis, ut vita servetur, & in nostro casu ut deperdita substantia instauretur, esse utendum; alimentis quidem medicamentosis, ut vita servetur, & morbus corrigatur: propterea Gal. lacte, melle, vino, ac ptisana in prædictis cap. usus fuit, ut quæ alimenta, & medicamenta sunt ad corpus partim nutriendum, partimque alterandum, ut in statum salubrem revocetur. Lac enim non solùm alimentum, si bene concoquatur nostro corpori præbet, substantiámque humidam reparat; sed etiam excedentem aliquem calorem corrigendo temperat, & humidam qualitatem partibus siccis, veluti balneum aquæ dulcis, impertitur: non aliter ptisana, quamvis parum nutriat, quia potiùs detergit, quàm agglutinat: mel verò in senibus, & ubi concoquere, calefacere, nutrire, & cruditates abstergere oportet, est optimum auxilium; quæ omnia feliciter, dummodo non corrumpatur præstat, dummodò, inquam, in bilem, ab excedenti calore non convertatur: vinum denique, ut ex contextu patet, tum nutrit, coctionem iuvat, alimenta digerit, vires roborat, túmque calorem nativum vivificat, ac restituit: proinde Gal. in dictis cap. sæpè ipso, sive solo, sive cum aqua permixto, ut magis convenire videatur, utitur.

Pro integra igitur eorum, quæ dicenda oc- 154
currunt intelligentia, perpendere debemus, quod alimenta, quæ per os assumuntur, ab Hipp. in cibos, sorbitiones, & potiones dividuntur, appellat quidem cibos, alimenta illa solida, quæ masticantur, & masticata devorantur, ut est panis, & caro: sorbitiones verò alimenta illa liquida, quæ sorbendo assumuntur appellat, ut sunt juscula, lac, ptisana, seu farrum cum iure coctum, atque permixtum, & multæ aliæ mixtiones factæ, ex jure cum tritici, aut oryzæ farina, aut cum pane comminuto, quæ panatellæ dicuntur; potiones denique vocat, quæ bibuntur ut est vinum, aqua, vel alia substantia liquida, ac fluida. Advertendum etiam est, quòd alimenta quæ masticando, atque sorbendo per os desumuntur, & ad ventriculum feruntur, ferè semper ad famem sedandam as-

sumuntur; veluti potiones ad sitim extinguendam, præsertim in sanis, nam in ægris pluries, quæ bibuntur ad nutriendum potius, sive famem corrigendam, quam ad sitim sedandam subserviunt, veluti cum Medici ægrotantibus virium languore affectis, aquas ex carnibus, ex conservis, aut rebus similibus stillatas præbent, & eodem fine vinum non tantùm ad sitim sedandam, quantùm ad corpus nutriendum, & ad alios usus ipsis vinum exhibent, cum ex eo tot corpori utilitates suppeditentur.

155 Sunt quidem tanta, támque celebranda nostræ naturæ commoda, tum ad statum salubrem conservandum, tum ad plurimos affectus detruncandos, quæ ex moderato vini usu subsequuntur, ut quamvis lib. 12. bujus operis multa de ipso notanda agendo cum Magistro de syncopis curatione præscripsi, in præsenti tamen, & antecedenter plurima de vini natura generatione, & facultatibus dicenda occurrunt, sicque quid & quotuplex vinum sit aperiendum est. Vinum etenim succus quidam sive liquor, ex maturis vuis extractus in dolio per coctionem genitus est, eo quod in prædicto vase, vel simili extractus, ex propria, & insita virtute paucos intra dies, aut horas valdè fervet, & per fervorem dictum, ita omnes partes ipsius succi agitantur, & fermentantur, ut post dictam ebullitionem, ac fermentationem quiescant, paulatimque intra debitum tempus concoctæ appareant, & in tres diversas substantias, liquorem videlicet, sive substantiam vini, in fæces, quæ in fundo resident, & in spumam, sive florem, qui supra ipsam vinosam substantiam supernatat, separantur. Vnde liquet, ut dictum est, quod vinum est succus sive liquor, sive liquida, & potabilis substantia, quæ ex maturis vuis expressis extrahitur, & in dolio per coctionem generatur, ita ut huiusmodi liquor virtute propria fervefactus, agitatus, ac fermentatus ad integram perfectionem vi coctionis, & excrementorum separationem perveniat, nec mirum, cùm calor insitus, & nativus, sive elementalis succi, homogenea omnia, quæ coctilia sint congreget, & heterogenea excrementa potius appellata segreget, tam crassa, quam tenuia, taliter ut crassa deorsum, tenuia verò sursum collocentur. Cùm igitur prædictus succus vinum appellatus, ex vuis maturis, extrahatur; proinde quotuplex talis succus fuerit, totuplex vinum adinvenietur, vel quales vuæ, à quibus succus ille extrahitur fuerint, tale erit vinum genitum, propterea in prima sui divisione aliud album, aliud verò nigrum, propter vuarum diversitatem orietur, & quamvis aliquando ex liquore vuæ nigræ multum purificato soleat vinum album apparere; hoc tamen in esse albi valdè imperfectum, erit, longéque diversum ab eo quod album absolutè nominatur, & ex albis vuis extrahitur, quare rigorosè loquendo album est quod ab vuis albis maturis, veluti nigrum, quod à nigris extrahitur, nam quod à nigris extrahitur, & multùm defæcatum, aut purificatum est, etsi album dicatur, potiùs tamen fulvum, aut claretum esse videtur, & quasi medium inter nigrum & album erit: album enim vinum, à nigro non solùm in colore, sed etiam in substantia differt, nam album, est substantiæ tenuis, sive partium tenuium; nigrum verò è contra, substantia crassa, ac substantia adstringẽte constat, proinde album partes penetrat, urinam, ac sudorem movet, fluxiones concitat, & humores agitat; nigrum tamen è contra partes roborat, calorem nativum unit, alimentorum coctionem iuvat, ac perficit, & fluxiones valdè parum commovet, & solius sanguinis, quia ipsum auget: rursum verò vinum, sive fulvum, quia inter hæc duo extrema, tam in colore, quàm in substantia & proprietatibus dictis mediat, mediam æquè operandi facultatem obtinebit.

Vinum similiter, tam album, quam nigrum, atque fulvum, aut verè, multumque est vinosum, aut est oligophorum, exiguámque portionem substantiæ vinosæ, multúmque aquæ in se continet, ut Magister *cap. 6.* annotavit; pro cuius expositione animadvertendum est, quòd postquam vinum concoctum, & à fæcibus, ac spuma, sive flore separatum fuit, adhuc ex quatuor elementis mixtum remanet, sed per excessum humidum, tantùm videlicet, quantùm restat liquidum, potabile ac fluidum; notandum tamen est, quod talis vini humida substantia, partim aërea, partimque aquea existit, immò pars aërea utpote modicè calida & humida, lenta humiditate est qua calefacit, concoquit, nutrit, calorémque nativum instaurat; pars verò aquea est qua sitim sedat, corpus humectat, alimenti distributionem iuvat, urinam, & sudorem movet, & fluxiones concitat: humiditas enim aquea cum serosa, valdéque fluida sit, lentorémque non habeat, propterea nec nutrit, sed tantùm æstuantem calorem, ac sitim temperat, & aliam humiditatem aëream ipsius vini, quæ lenta & viscida est, fluidam efficit, ut sic disposita, partibus adhæreat, & media nutritione facilius in substantiam viventem convertatur, unde clarescit, quod vinum qua parte aëreum est, propriè est vinum sive vinosum vinum, ex modo Galeni loquendi, id est multum nutriens, & organorum virtutes, atque calorem nativum roborans, dummodò bene concoquatur, & à nostro calore nativo devincatur: nam quatenus est lentum valdéque nutriens, difficilis pariter concoctionis erit, ut de carne suilla supra cum Gal. est dictum; liquidò igitur ex his constat, quod vinum quo minus aëreum, magis verò aqueum est, eo minus vinum vinosum, aut generosum, sed magis oligophorum est, ac proinde potius æstuantem corporis calorem, ac sitim attemperabit, urinas & fluxiones concitabit, parum verò nutriet, ac vires imminutè roborabit. 156

Præter rationem, quæ omnibus indubitata apparere valet, experientia doctrinam prædictam firmat, nam quæcumque vina, sive alba, sive nigra, sive fulva, quo magis vetusta annosáque sint, si non corrumpuntur, eo fortiora, & magis vinosa fiunt, intensiùs corpus calefaciunt, & vehementiùs caput gravant, nam ratione annorum, & quo vetustiora redduntur, eo minùs aquosa fiunt; nam serosa substantia utpote aquea, quia facilè dissipabilis in dies exsolvitur & exsiccatur; non tamen aërea eo quia 157

quia oleosa, pinguis, ac lenta est; ut Hipp. 4. *de morbis, tex.* 25. juxta Psalium diversum docet, sicque vina quò vetustiora, eò minùs aquosa, & magis vinosa, intensiùs calida, & vehementiùs fumosa, atque caput petentia sunt; nam substantia aquosa, quæ vinosæ permixta est, ipsum temperat; proinde si huiusmodi substantia vinosa alia aquosa, qua temperatur, privetur; in illo casu nimis recoquitur, sicque etsi non consummatur, attenuatur tamen, & bona ipsius portio in vaporem, aut fumum abit, ut celeriter caput irruendo nimis calefaciat.

158 Ex dictis constat quod sive album, sive nigrum, sive fulvum vinum sit, potest esse, vel oligophorum, id est aquosum, aut generosum, id est multùm vinosum, & quod oligophorum ac debile vinum, est illud, in quo cum substantia aërea & vinosa est etiam multa portio substantiæ aquosæ, sive serosæ: unde illa vina, quæ ex dulcioribus uvis, & magis maturis fiant, si bene in doliis concoquantur, vina generosa ac multum vinosa erunt, è contra verò minus vinosa, & magis aquosa, quæ ab uvis non multum dulcibus & maturis extrahuntur, nam quo dulciores & maturiores sint uvæ, eo minus de aquosa substantia, & eo plus de aërea bene cocta atque pingui, quæ dulcis est participant, ut patet in melle: ex quo etiam provenit, quod vina sive alba, sive nigra, aut fulva sint, alia aliis multò magis aut minùs generosa seu vinosa, ratione locorum, ant terrarum, unde uvæ colliguntur, sint; re enim vera ipsa loca, atque territoria, alia aliis multò magis aut minùs aquosa sunt; ac proinde alis calidiora, aut minus calida, & alia aliis pinguiora, aut minus pinguia, sicque uvæ in terris moderatè ficcioribus, pinguioribus, & calidioribus repertæ, multò meliores, ac vinosiores, quàm quæ in contrarijs aquosioribus, aut nimis siccis, & frigidioribus inveniuntur.

159 Difficile tamen apparet quòd nuper dictum est, videlicet, quòd vinum album, veluti à nigro, vel fulvo in colore differt, ita in substantia, & partium tenuitate, & album, esse partium tenuium, seu substantia tenui constare; nigrum verò substantia crassâ, & subastringente, nam si vinum quatenus vinum est, humidum, aëreum, ac pingue, non autem humidum, aqueum adest; consequenter potiùs dicendum erit, quòd vinum, sive album, sive nigrum sit, quo magis oligophorum, sive aquosum erit, magis tenue, & è contra quo magis vinosum erit, magis crassum: non autem quatenus vinum sit album, aut nigrum: quæ dubitatio dissolvitur respondendo, quod quamvis vinum, quatenus vinum est, aëreum sit; non tamen, quia aëreum, ac pingue est, ideò præcisè substantia crassa constat; sed quia dicta substantia aërea minus concocta, minùsque à calore nativo attenuata est: aërea enim vini substantia, si parum coquitur, ut in nigris vinis accidit, parum similiter attenuatur, & consequenter crassa, & subastringens temanet: si tamen multum decoquatur, ut in vinis albis contingit, aut recoquatur, ut in nigris vetustis evenit; tunc multum pariter attenuatur: ac proinde neque substantia vini nigri crassa remanet, sed potius tenuis per ulteriorem coctionem, ut substantia vini albi redditur: quare omnia vina, quo vetustiora, eo magis vinosa, & generosiora, magis tenuia, & fluxiones concitantia, quamvis minus fiot aquosa, aderunt: propterea urinas, & sudores concitabunt: è contra vina omnia quò recentiora præsertim nigra, eo magis crassa, & subadstringentia, immò magis excrementosa, minùsque nutrientia erunt.

Notandum etiam expedit, quod prædicta vinorum substantia aërea, dum decoquitur, non solùm attenuatur, sed aliqua ipsius portio magis decocta tenuiorque reddita, in vaporem mutatur, sicque quo magis sunt vinosa media, & laudabili elaborata coctione, magis pariter redolentia redduntur, eò quod maiorem portionem dictæ substantiæ vaporosæ, quæ magis spirituosa, calida, & attenuans est, continent. Vnde tres diversæ substantiæ in vino reperiuntur, serosa videlicet, siue aquosa, aërea alia, pinguis, ac oleosa, & alia vaporosa, seu spirituosa, valdè redolens, penes quas substantias tria diuersa opera notatu digna nostris in corporibus vinum operatur: nam præ serosa, seu aquosa substantia, qua gaudet distributionem alimenti præstat, urinas, sudoré que movet, & potissimum sitim, æstuationémque corporis sedat, & quamvis prædicta substantia aquosa, utpote cum aliis permixta non actu frigida sit, sed aliquid caloris acquirat, hoc tamen non obstat, ut corpus humectet, ac squallidum calorem ipsius temperet, sitimque sedet, non aliter aërea vini substantia, quæ vaporosa, & odorifera est, non solùm totum corpus, & præcipuè caput calefacit, sanguinem, omnésque alios humores attenuat, ac fluxiles reddit; sed spiritus vitales, quam maximè reparat, & adauget, sicque hilaritatem, & gaudium infert. Altera demum aërea vini substantia pinguis, & oleosa in sanguinem laudabilem magis scilicet, aut minus crassum convertitur, prout magis aut minus prius decocta, benéque defæcata sit, quo quidem sanguine, corpus carnosæ præsertim, ac solidæ illius partes nutriuntur, & insitus illarum nativus calor reparatur. 160

Etsi plurima de vini utilitatibus præscripta sint, quia tamen nullum est tam celebre remedium, quod ex aliqua parte non noceat, quamquam plura commoda vinum præstet, plura tamen incommoda inferre valet, eò quòd non solùm caput tentare, inflãmationes corpori exhibere, aut saltim præter naturam calefacere, fluxionésque impetuosas mouere potest: propterea multoties aquæ mixtione qua corrigatur, seu temperetur indiget, ut faciliùs dicta nocumenta præcaveantur, ac æstuans calor remittatur. Vnde fit ut ferè ab omnibus, pro frequenti usu aqua vinum dilutum assumatur, & quia ex potu aquæ non exigua corpori commoda subsequuntur, proinde de ipsius utilitatibus aliquid in medium agere consonum erit. 161
Aqua igitur potabilis, siue fontana, siue fluvialis, siue pluvialis, siue putealis sit, vel cruda vel cocta bibitur, & quæ cocta bibitur, aut solùm igne, aut cum aliquo medicamento, veluti aniso, cinammomo, & aliis coquitur: prætetea

sive

ſiue cocta, ſiue ſine coctione aliqua, aut ſola, aut cum vino, aut alio liquore bibitur, de quibus in præſenti,ne prolixior ſermo euadat, non ſed de ſola aqua potabili, ac de ipſius bonitate, utilitatibus, atque noxis occurrit agendum. Aqua ergo naturalis, quæ dulcis, quia expers omnis ſaporis eſt,dicitur, & clara, quia nullum colorem obtinet, ſed perſpicua,& diaphana eſt, nullumque refert odorem,ſed tantum fluida & liquida eſt, hæc inquam actu, & poteſtate frigida & humida ex ſua natura eſt; quare, ſiue bibatur, ſiue extrinſecus modicè calida, ut penetret, corpori applicetur refrigerat, & humectat, & quatenus frigida eſt igneum calorem remittit,omnes humorum fluxiones denſat, & ne fumi ex ventriculo caput petant, prohibet; quatenus verò humida eſt ſitim ſedare,corpúſque humefacere valet.

162 Incommoda verò, ex prædictæ aquæ immoderato uſu, non ſunt exigua: primò enim concoctionem impedit, eo quod refrigerat,vel ſaltim calorem nativum, qui eſt opifex, & potiſſima cauſa coctionis, à facultate vitali regulata, remittit. Secundò in hypochondriis ſua frigiditate, atque adſtringendi vi, qua viget, detinetur, ibique detenta flatus excitat, partéſque diſtendit, & tandem corrumpitur, vel ſaltim vileſcit, aut ſalſa fit; unde varia nocumenta ſuſcitantur: aqua enim dum fluit conſervatur, ſuámque refrigerandi & humectandi virtutem cuſtodit, ſi tamen non fluat, ſed immoretur quia ſua natura, quæ eſt fluere, privatur, corrumpitur: unde ſi in hypochondriis multum detineatur, corruptionem acquiret, quod ne fiat ſolet ad ignem concoqui, ut ſic attenuata partibus craſſioribus à tenuioribus ſeparatis, & in fundo vaſis manentibus, melius per anguſtiora vaſa diſtribuatur; ſi verò non concoquatur cum aliqua vini albi vel aceti portione, ut magis penetret ac refrigeret, debet permiſceri.

163 Quòd autem ſi aqua in corpore immoretur, corrumpatur, vel ſaltim vileſcat, aut ſalſa reddatur, ex Hipp. *3. de rat. vict. in acut.* ubi ſic fatur, conſtat. Aquâ, quæ in acutis bibitur morbis, vel aqua quæ,quia actu frigida eſt, bibitur in morbis acutis,ut ſua frigiditate actuali eorum nimia caliditas temperetur,nullum aliud habet officium,id eſt uſum bonum, neque utilitatem: neque enim in peripneumonicis, ſeu ex pectore tuſſiculoſis, tuſſim ſedat,neque ſputum educit, quia quamvis fluida ſit, ſiue actu humida, non eſt tenuium partium ut acetum, neque actu eſt calida, & per conſequens non diſtribuitur per corpus, neque ad pectus penetrat, niſi adjungatur ei aliquid quod eam diſtribuat, ac penetrare faciat, ut ſi ei aliquid oxymellis addatur: ſic enim penetrat uſque ad pectus, ibique intus inundationem parit,ſiue humiditatem, qua ſputum educit, aliàs neque ſitim ſedat, neque refrigerat, ſed amareſcit, videlicet ſi non fluit,ſed detinetur: tunc enim ei qui biliosus eſt, ea bilioſa exiſtit, aut bilioſiſſima ac peſſima ſic evadit, hypochondriis infeſta, & vires maximè labefactans. Addit, quod lienem auget, jecúrque præcipuè, ſi phlegmone obſidetur, fluctuat etiam, atque innatat, & tardè permeat, quia frigida eſt & incoctilis, ideóque neque alvum movet, neque urinas, immò ſtercoris expulſionem detinet, quo multùm nocet, uti etiamſi pedibus frigeſcentibus, & in principiis acceſſionum febrium aliquis eam biberit, quæ ex Hipp. incommoda ab aqua inducta ſufficiant,ac de utilitatibus,& incommodis,tam vini,quàm aquæ.



CAPVT XI.

Qua recta methodo ventriculus curatur, ſi ab humoribus obſideatur, &c.



ACTENVS Magiſter de mala ventriculi diſpoſitione,quæ ſine affluxu humoris evenit, egit: quare in præſenti ſequentique capite de ea, quæ cum humoris affluxu ventriculo evenire poteſt, agit. Acturus tamen in præſenti de ventriculo intemperie materiali affecto, ſiue ex alicuius humoris affluxu; nam cum ventriculus nimis amplam charitatem obtineat;proinde ipſum ab aliquo humore in eo contento, intemperatum ſupponit, ſiue in eius cavitate contineatur, ſiue illius in tunicis imbibitus ſit, ſiue denique ipſius ventriculi parietibus adhærens ſit, potiùs quàm tunicis imbibitus, aut in cavitate contentus,ut vinum in dolio,aut aqua in vaſe; prius verò curationem ventriculi intemperati ab humore in ipſo contento, & poſteà de ipſo in tunicis imbibito, atque adhærente aggreditur, ſicque caput in duas partes diſſecatur. 164

TEXTVS.

Sæpè igitur in ipſo ſinu ventriculi contentus, &c.

IN hac igitur prima cap. parte tria Magiſter præſtat; primò enim ventriculum intemperari,ac præter naturam malè affici, docet,ab aliquo humore, vel in ipſo ventriculi ſinu contento, vel tunicis imbibito; deinde de fluxionis talis humoris ad ventriculum cauſis, agit: tertióque tandem qua recta ratione, ſeu methodo, tum humor fluens, tum fluxus, atque in ventriculi cavitate contentus curari debeat, commonſtrat: quare ad primum protinus deveniens ſic habet. Sæpè igitur in ipſo ſinu ventriculi contentus humor, qui aut calefaciendi, aut refrigerandi, aut humectandi, aut ſiccandi, aut etiam horum aliquam per conjugationem efficiendi naturam obtinet intemperiem creat: 165

interim

interim verò, & in ipsas ventriculi tunicas imbibitus, siue impactus, sunt enim dictæ qualitates omnes per se agentes, atque ideò facilè subiectum, cui insunt, & partes vicinas alterant, siue intemperant: unde & humor intemperatus in calore, &c. siue in ventriculi cavitate sit contentus, siue in ipsis tunicis imbibitus, vel impactus in porositatibus earum, talem ventriculum intempetabit necessariò, nam etiam dictæ qualitates sunt agentia naturalia, & ista passo applicata operantur necessariò, si non impediantur à fortiori contrario. Quibus sic positis addit statim: Ergo prior affectus si semel constiterit per vomitum expurgatus, facilè quiescit; sin rursus ex aliqua alia vel aliis partibus humor cunfluit diligenter discerni indiget, quasi dicat: Humor in ventriculo contentus, aut fluens est, & aliundè venit; vel semel ibi genitus per congestionem potiùs, quàm per fluxionem continetur; nam si humor in ventriculo contentus fluens aliunde non est, sed jam fluxus, aut ibi genitus per vomitum expurgatus facilè quiescit, aut tollitur affectus, tum videlicet ipse humor, tum etiam mala ventriculi dispositio: si tamen humor in ventriculo contentus aliunde fluens sit, cum causam foventem obtineat, humorem dumtaxat ipsum fluentem, aliundèque ad ventriculum venientem, illo in casu distinguendum est, qualis humor qui fluit adsit, & unde & quo fluit, vt infrà patebit; curatio quidem facta priùs efficientis causæ cognitione, statim clarescit, vera enim curatio semper causarum remotio erit, de quibus infrà.

166 Nunc jam ut certum supponendum expedit, quod demonstratum aliàs est, ut 2. *de diff. febr. cap. vlt.* videlicet in nobis nonnunquam ex aliis in alias partes id quod in illis redundat confluere, veluti ex capite ad oculos: nam quoties aliqua nostri corporis pars humoris multitudine gravatur, aut prava eius qualitate vellicatur, quidquid quantitate, aut qualitate molestum est à se depellendum excitatur, sicque hoc modo fluxio ab hac ad aliam partem debiliorem suscitatur: quo casu curata parte transmittente oportet firmitati recipientis consulere, & attendere, quo videlicet eorum, quæ ad se cōfluunt, minùs promptè quicquam recipiat; quare in ventriculi affectu ex fluxione nato priùs id quod supervacuum siue inutile transmittitur, oportet invenire, omnémque huic curam conferre, ac debitam eius evacuationem moliri; de ventriculo quidem tantisper sollicitum esse ne confluentes humores promptè recipiat: quod duplici ratione adimplebitur, una omnium fluxionum satis communi, adstringentibus dumtaxat, ac repellentibus, alia etiam omnium partium, quæ ad naturalem statum redeunt communi, nempe ex ipsarum temperiei mediocritate, & reductione intemperiei ad naturalem temperiem.

167 Dices tamen: Fluxio est motus humoris à termino à quo ad terminum ad quem: ergo fluente aliquo humore opus erit non solùm curare, siue evacuare partem quæ transmittit, sed etiam quæ recipit: & per consequens non solùm ne recipiat studendum erit, sed priùs evacuanda erit, & mox roboranda ne ampliùs recipiat. Quod ut dissolvatur, advertendum est ex eodem Magistro, tum alibi, tum 2. *ad Glauc. cap.* 2. quòd fluentium humorum medela est revulsio, aut derivatio, fluentium scilicet adhuc revulsio, seu retractio, obsidentium verò jam partem, siue locum derivatio, sicque fluens humor, dum fluens est, solum partem mittentem evacuare, & humoris fluxum retrahere siue revellere possit, & partem recipientem, ne denuò suscipiat firmare, sed si aliquid recipit hoc derivandum, & per partem vicinam est evacuandum, non autem ad distantiorem convertendum, ut illum qui actu fluit: quare rectè Magister cum partem mittentem curat, recipientem ne aliquid suscipiat præter naturam illius quod adhuc influit firmat.

Nec minùs Magistri loquutio perpendenda est, cùm asserat nonnunquam confluere ex aliis in alias particulas id quod in illis redundat, quasi asserat non omnem humorum fluxionem ob redundantiam, aut plenitudinem partis mittentis suscitari; sed nonnunquam, aut multoties: re enim vera plurimæ humorum fluxiones eveniunt, quia pars mittens ad aliam, vel alias quod in se quantitate redundat, aut ipsam qualitate molestat, transmittit, & plurimæ aliæ humorum fluxiones accidunt, potiùs quia humores à parte recipiente trahuntur, quàm à mittente mittantur, ut cum aliqua pars dolore afficitur valido, a r multo calore laborat, aut denique in sua essentia debilitatur: pars enim multum dolens, aut valdè calens, seu in sua essentia languida, ex vicinis quod fluidum est trahit, & ita fluxiones præter naturam concitat, ut Magister *lib. de Sang. miss. cap.* 8. 13. *etiam Meth.* ut infra patebit, tum etiam variis in locis docet. Aliæ præterea multæ fluxiones fiunt, eò quòd ipsi humores, non quia trahantur, aut à partibus mittantur, sed quoniam ipsi humores funduntur, aut liquantur, vt 2. *de Sympt. cau. cap.* 5. & 1. *Aph. comm.* 15. vbi sic habet: *Longè plures & graviores fiunt morbi ex humorum fusione, quàm quibus plenitudo dedit occasionem*: Quare attètè dixit confluere nonnunquam ex aliis in alias particulas id quod in illis redundat; tunc scilicet quoties humores fluunt neque à calore attracti, aut dolore, aut alicuius partis debilitate, neque in se nimis fusi, de quibus in præsenti non agit, nam *loco citato de sang. miss.* scribit quod scopus curationis in his non est evacuatio totius scilicet corporis, sed si pars languida sit corroboratior; nisi enim ægro robur comparetur fluxionis causa non deerit; proinde fusius, *in comm.* meritò inquit, quod si pars nimis calida, aut dolorifica sit, temperanda est, & denique si humores fusi fluunt, densandi non evacuandi sunt, eò quòd non redundant, ut neque illi qui vel calore vel dolore attrahuntur. 168

TEXTVS

TEXTVS.

Ergo primum inspiciendum totum corpus est, &c.

169 CVm in præsenti Magister de illis humorum fluxionibus, quæ per evacuationem siue revulsoriam, siue derivatoriam curantur, agat, ac proinde de illis tantùm, quæ propter mittentis partis redundantiam excitantur: idcircò nunc in parte mittente, & eius materia redundante, aut aliter molestante, examinanda se constituit. Scribit igitur quasi hac ratione. Cum in ventriculi affectu præter naturam ex fluxione orto partem mittentem invenire oporteat, & quod in ea redundat: consequenter in tali casu primum vniuersum corpus inspiciendũ est, an videlicet excrementosum, an plethoricum, vel nimia æqualium humorum copia redundans existat, & hoc modo fluxionem ventriculo immittat. Si verò id non videatur, secundo loco singulæ corporis particulæ sunt perpendendæ: nam si corpus nec plethoricum, neque alio excremento repletum extiterit, nulla profectò mittens pars aderit, sed potius aliqua peculiaris pars, quæ quod in ea redundat ad prædictum ventriculum mittat, erit; ac proinde vnaquæque partes tunc expendendæ sunt, inspiciendúmque est, quæ aut quantæ sunt, quæ quidquid ipsis supervacuum sit, ad dictum ventriculum mittant. Qua verò ratione cognoscere valeamus, quòd in corpore siue plethora, siue excrementosus, siue vitiosus humor sit, redundat, *in lib. de plenitudin*, inquit, est demonstratum. Sic etiam *lib. de Sang. miss. cap. 6.* habet: Quibus dum adhuc consueta munia obeunt, aut pars aliqua princeps, aut vniuersum corpus gravatur, vel tenditur, his quidem necessaria est vacuatio, quia scilicet plenitudine laborant: quantò enim sibi grauior homo videtur esse, tantò etiam plenitudinem ad vires auctam esse ostendit, & quantò tensionis sensus augescit, tantò etiam alia plenitudo ad vasa nominata, aucta erit. Verùm vtriusque plenitudinis qualitatem, partim ex colore dignosces, memor colorem corporis humorum esse; siquidem corpus in calore, & frigore externo mediocriter se habeat, partim ex his quæ humorum naturæ insunt, frigidiores enim frigidior corporis sensus sequitur, calidiores autem calidior: sic eos, qui in vasis abundant tumor, ac tensio vasorum sequitur, ut in carne gravitatis, aut tensionis sensus, sanguinei ergo modicè calidi, & bene carnosi, atque rubentes; pituitosi, potiùs frigidi, quàm calidi, pingues, atque albicantes; biliosi verò calidi, graciles, ac pallidiores, aut flaviores, prout bilis magis diluta, aut meracior redundat; melancholici verò frigidi, graciles, & nigricantes sunt.

170 Quòd tensionis, aut gravitatis sensus, & alia proposita signa plenitudinis sint, siue in toto corpore, siue in aliqua parte peculiari reperiantur, satis ex demonstratis constat: quia tamen multæ aliæ corporis plenitudines, quæ dictis signis non deprehenduntur, adsunt; ideò nunc præter signa allata, alia duo examinanda esse Magister addit; primum videlicet an mulieres naturaliter non expurgentur, aut in viris aliqua excretio consueta suppressa sit: vt enim singulis mensibus naturaliter mulieres per vterum eo sanguine, vel aliis excrementis, quibus abundant, expurgantur, ita plurimi viri, vel per venas hæmorrhoidales, vel per nares certis periodis, sanguinem fundere solent: nec desunt etiam, quibus per vomitum è ventriculo sanguinis expulsio certo tempore contingat, præsertim illis, qui vehementem aliquam exercitationem deposuerunt, ab assueta tamen victus quantitate non destiterunt, aut illis, quibus aliquod membrum in totum, ut crus aut brachium, vel pes, aut manus, &c. amputatum est, sunt etiam quibus diarrhœa, siue alvi flux*, aut cholera, vel alia sudoris, aut copiosæ urinæ evacuatio certis intervallis eveniens corporis abundantiam educat: quare si mulieribus, aut viris evacuationes consuetæ supprimãtur, necessariò eorum corpora, aut principes partes replentur, quamquam non grauentur, neque vllam tensionem sentiant, neque prædicta signa appareant.

Ab his illud etiam, advertendum est, inquit 171 Magister, qua victus ratione antecedenter æger usus fuerit; utrùm dumtaxat in assiduas cruditates, aut satietates inciderit, idque in otiosa vita, ac præsertim præter consuetudinem: qui enim præter consuetudinem in frequentes satietates incidunt, maximè replentur ut qui præter consuetudinem inappetentia laborant, & quæ comedunt, non rectè concoquunt, sed potiùs cruditatibus scatent, his quidem aliqua plenitudine afficiuntur, ratione cuius neque appetere alimenta, neque ipsa concoquere valent, potissimùm si otiosam vitam agunt, quamvis aliàs nullam corporis grauitatem, aut tensionem sentiant, neque aliud signum plenitudinis habeant; vnde satietates, & cruditates repletionis causæ, & signa esse possunt. Dixit autem, cum annotatione, qui præter consuetudinem in cruditates, aut satietates incidunt, ut hac ratione huiusmodi cruditates, ac satietates distinguantur, quæ debilitatem potius, quàm redundantiam ostendunt, nam quæ ob debilitatem caloris nativi, aut facultatem ventriculi appetentis, & concoquentis accidunt, cõtinuæ sunt, atque æquales semper, vtpote quæ habitualem intemperiem, vel essentialem vitium defectum insequuntur: quæ verò cruditates, & satietates ex repletione incidunt, non sunt continuæ, æquales, neque consuetæ permanent, sed præter assuetudinem nunc coquuntur, nunc neutiquam nunc parum, & in alio die aliter appetitur, ac alimentum concoquitur, prout videlicet ipsa plenitudo, seu corporis redundantia nunc plus, quàm die antecedenti, aut alio tempore lædit, vel saltim impedit: nam quidquid gravat naturæ coctionem impedit, ut communiter dicitur.

Advertendum tandem expedit: an videlicet 172 aliquod corporis membrum, quòd certo temporis circuitu vexati solitum est, nunc non vexetur: si enim morbus ille cũsuetus cessat, humoris recursus

ad aliam partem minatur,ut in illis, qui podagra laborantes, vel alio articulari morbo, aut cæphalea,aut oculorum doloribus diuturnis afflicti liberantur, experimur, si enim tales affectus cessant, non erit quia soluti sint, sed quia materia morbifica ad alium locum migravit; proinde multi,qui catarrho,& coryza,in destillatione per nares assidue vexantur, solet conversa in ventriculi locum materia certo tempore confluere.

TEXTVS.

His igitur omnibus consideratis, siquidem ex minus, &c.

173 IN secunda hujus capitis parte qua recta ratione,siue methodo humor præter naturam actu fluens, aut jam fluxus & in aliqua parte contentus curari debeat, Magister sic scribens demonstrat. His igitur omnibus consideratis. Primò si præhabitis fluxionis causis, benéque perpensis,unde,quo,& propter quid, ut inquit Hipp. constet humorem fluere ex partibus minus momentaneis, & translatin, siue fluxio à partibus sua natura debilioribus, ad nobiliores fiat, illo in casu, quod superfluum est ad ea revelles, sin ex his quæ maioris momenti sunt, ambabus simul consules,eum semper submovẽs affectum,qui fluxionem excitet,quasi Magister afferat,vera curatio,causarum est remotio,ita vt nullum affectum perfectè curare possimus manente ipsa unde natus est causa, ut sequenti capite docet:quare humorum fluentium medela est revulsio,ex Hipp. *epid.6 p.*2.non tantũ sola, sed vt ibi inquit deriuare, cædentem reuellere statim,renitentem cædere oporter; ac proinde, si fluxio,aut alicuius humoris translatio,ex minus momentaneis partibus ad aliquam nobiliorem, vt ex glandulis, vel cute ad ventriculum fluat, tunc rursus ad illas quod influit revelles, ut hoc modo,non solùm fluxio cesset, verùm & pars affecta, siue recipiens à molestia liberetur:partes enim,quæ minus momentaneæ sunt, viliores corporis appellatæ, facilius mala sustinent, minúsque quàm nobiliores à morbo læduntur;immò pars princeps ex Gal.magnã noxã sustinere nequit,propterea si fluxio,siue trãslatio humoris,ex partibus,quæ maioris sunt momenti fiat,illo in casu ambabus simul consulendum expedit, ita ut à parte recipiente, tum & etiam transmittẽte quidquid molestat,noxiumque existit, protinus auferendum sit, affectum videlicet submovendo, qui fluxionem suscitar, ut hac ratione utraq; pars immunis, ac libera à nocumento adsit,morbusq; radicitus evellatur.

174 Cùm igitur fluxio,si quò nõ oportet vergat, revellenda,vel derivanda,& causa, quæ fluxionem excitat,simul submovẽda sit,consequenter ait Gal.si propter æqualium in toto corpore humorum redundantiam ventriculus fluxione tentatur,sanguine misso,totum corpus vacuandum erit;si verò propter mali succi abundantiã purgandum:deinde ad ventriculum deveniendum, nam si plethora,siue humor vitiosus,vel alia ex suprà dictis causa fluxionis fit,ipsa priùs semper est auferenda,& ab eo quo redundat pars mittens evacuanda, atque hinc ad recipientem est accedendum,siue ad affectum in ea productum removendũ,nam cum fluxio per aliquot dies in partem aliquã delata fuerit,eam quidem necessario non solùm replendo,sed ex malitia eorum quæ contraxit ipsam intemperando vitiavit.

Quòd verò ventriculus per sanguinis missionem vacuandus sit, si propter redundantiam omnium humorũ in corpore fluxione tentatur, aut per purgationẽ,si propter mali succi abundantiam laboret;ex ipso Magistro *6.de comp.secund.loc.c.*1.de Anginæ curatione agente constat:sic etenim fatur: venæ sectione utimur,& purgatione,& inedia,& clysteribus, ubi totum corpus apparuerit,aut multitudinem humorum gravatum,aut eorundẽ malitia vitiatum.Si verò neutrum istorum adsit,statim ad curationẽ per localia remedia pervenimus. Si enim venæ sectione utimur,aut purgatione & sic quidẽ totũ corpus præparare intendimus ad curationem affectuum circa quamcunque partem particularem consistentium.Quare si vẽtriculus propter aliquam corporis redundantiam laboret priùs illa vacuanda est, vel misso sanguine, vel purgatione,vel inedia,aut clysteribus,aut aliis remediis uni versum corpus evacuantibus,quo facto ad ipsum ventriculum est deveniendum,inspiciendúmque,an ex fluxione noxia solidæ eius partes intemperie sint affectæ,nam pro temperamento, vel intemperie noxiæ fluxionis prædictæ partes non leviter solent intẽperari,imò maximè debilitari. Propterea qui ita laborant absinthij potione rectè utuntur,nam absinthiũ rum biliosum humorem expurgat,tum partem languidam roborat, tum etiam perpendendum est an praui succi,ventriculi tunicis sint infixi, ita ut elui facile nequeant,an denique, in eius interno sinu contineantur.Si enim pro temperamento noxiæ fluxionis,ventriculus ipsiusque solidæ partes aliqua intemperie laborent per contraria præsidia corrigi postulant, si etenim, per paucos dies noxa contracta fuit,facile emẽdanda erit, si verò multò tempore permancat, ita ut ipsius tunicæ malo succo impletæ adsint, ita ipsa similarium partium substantia intemperatur,ut non leviter, sed maxima cum difficultate, aut nullatenus in statum naturalem, siue temperiem natiuam reuocari possit,quæ tamen curatio ad affectus immateriales supradictos deuellendas reducitur. 175

TEXTVS.

Reliquum igitur est, vt exponamus quemadmodum, &c.

PRoperat jam Magister in hac secunda cap. parte,de humorum,qui in ventriculi tunicis imbibiti, vel adhærentes sunt, expurgatione acturos,priusque de illis,qui in substantiæ ventriculi porositatibus sũt imbibiti,agit,& postea de illis,qui nondum partibus impacti sunt, sed ipsis parietibus cauitatis ventriculi adhærent sermonem instituit;quare hæc pars expositionis in duas particulas subdividitur:de prima igitur particula 176

particula agens, sic ait: Sunt porrò ad huiusmodi affectus idonea ea pharmaca in genere, quæ modicè purgant, ita ut eorum vis super ventriculi, aut intestinorum loca non ascendat, aut si quid vltra, vasa tantùm in mesenterio contingat; speciatim verò quæ ex aloë componuntur, vel si illa præstò non sint, aloë ipsa per se erit aptissima. Quasi ipse Magister asserat: Humores, qui tunicis ventriculi sunt imbibiti, & in poris earum impacti, & totam ventriculi substantiam penetrantes, ipsis particulis, quasi affixi, firmantur, propterea nulla alia ratione euacuari possūt, nisi per medicamenta purgantia, quæ sua vi purgativa, siue attractiva tales humores extravasatos, siue extra cauitatem ventriculi contentos, ex ipsis ventris carnibus ad se attrahant, & ad ipsam ventriculi cauitatem, indéque posteà per intestina ac secessum expurgent: humores enim extravasatos ad vasa iterum remeare non est facile, potissimùm, qui tunicis ventriculi quæ substantia densa gaudent, imbibiti sunt, ideoq; quod semel absorbent, aut ebibunt, difficilè vomunt, sed potiùs purgatione indigent.

177 Purgandi igitur sunt humores, qui ventriculi tunicis sunt imbibiti non quibusvis medicamentis purgantibus, inquit, sed illis quæ tantùm moderate purgent, & quorum virtus purgatrix ipsa intestina non pertranseat, nam cum materia purganda proxima sit ipsis intestinis, quæ evacuationis per secessū sunt propria loca, propterea, prædictam medicaminum purgantiū vim, seu efficaciam desiderat, quæ modica sit, & quæ vt talis partes tantùm proximas videlicet ventriculi tunicas expurget, & aliunde alias materias trahere nequeat: quare ad prædictum affectum curandum pharmaca ex aloë composita, aut sola ipsa aloës aptissima sunt, quoniam medicamenta prædicta non nisi parum, vel vt rectiùs alloquar, non nisi ipsum ventriculū, & partes eius vicinas usque ad mesenterium expurgant, nam aloës substantia in qua virtus purgatiua reperitur, terrea, siue adstringens potius quam penetrans, atque attenuans est, & ideò mesenterij vias non transcendit, nisi aloës multùm comminuatur, ac in tenuissimum pulverem reducatur, multáque in quantitate assumatur; quorum neutrū fieri debet, eò quòd si minutim pulverisetur immodicè ora venarum aperit, ac sanguinem fundendo evacuat, & si multa in quantitate assumatur non solùm sapore, sed etiam odore ingratissimum adest, veluti omnia pharmaca, quæ ex aloë componuntur.

178 Cum igitur pharmaca purgantia, ex aloë composita ad ventriculū vitiosis succis imbibitum purgandum aptissima sint; proinde inquit Magister huiusmodi aloës compositione, quam omnes Medici picram, & amaram appellant paratā habere oportet, illa etenim dupliciter confecta est, ex aloë nimirum elota, & non elota, aloes enim nō elota valentiùs vacuat, elota verò minùs purgat, magis tamen ventriculum roborat. Compositio etenim hac ratione conficitur, Assumuntur aloës drachmæ centum; admiscentur quidem huic cinamomi, xylobalsami, asari, spicæ nardi, croci, & chiæ, mastichis, singulorū drachmas sex. Hoc quidem medicamentum ad vitiosos succos in tunicis ventriculi contentos expurgandos præstantissimum est, atque utilius si illo sicco, & denudato ab aqua utamur; sunt enim etiam aliqui, qui hanc compositionē humidā efficiunt prædictas materias in despumato melle excipientes, qua ratione pharmacū durabilius fit, cæterùm non perinde ad hos ventriculi affectus utile, eò quòd ventriculum minus roboret, magisque alvum deiciat; ventriculus tamen è contra fieri indicat, cum pars toti corpori deseruiens sit, ac per consequens magis roborari, quàm vacuari desideret, etiamsi evacuatione indigeat.

T E X T V S.

Verùm quibus lenta pituita ventriculo est, &c.

IN hac vltima cap. particula Magister eus curare docet, quibus lenta pituita vētriculi parietibus adhæret, & quasi clauis valde affixa est; his ergo priùs medicamenta sunt exhibenda, inquit, quæ dictam pituitam dissecent, id est, attenuent, & abstergant, & a dictis partibus distrahant; post deinde est purgatiuū, quasi dicat ex Hipp. 2. *Aph sent. 9.* corpora cū quis purgare voluerit debet priùs fluida facere, siue humores attenuare, & sic fluxiles reddere, & vias expurgationis aperire: atque proinde pituita ventriculi tunicis infixa, seu adhærens, priusquā purgetur concoquenda est, id est à parietibus quibus adhæret abstergenda, seu extrahenda est, illiusque crassities attenuanda, ut ita præparata, nonque aliter à medicamento purganti possit expurgari, quamquā in ventriculi cavitate, quæ ampla est contineatur; non enim cedit cruda adhuc passio, ait Hipp. 4 *de rat. vic. in acut. sent.* 22. & neque morbus qui crudus est cedit purgationi, neq; materia, quæ crassa est, aut viscida, siue lenta: proinde cōcocta medicari, id est purgare oportet, concocta inquā, vel materias fluxiles factas, & à partibus quibus infixæ erant separatas, abstersas, seu abstractas: cruda autem, id est, quæ adhuc crassa, viscida, aut lenta, & partibus infixa sunt, mouere, seu purgare non oportet; ista enim, nec purgationi cedunt, nec fluere possunt. Quare si medicamentum purgans illo in casu exhibeatur cruda quæ purgare debebat, non expurgat, quia non cedunt, sed potiùs quæ sana sunt, & morbo resistunt colliquescere facit, sicque vires deiiciuntur, morbúsque superior evadit: ubi aut morbus superior evaserit nullus curationi relinquitur locus: hæc ex Hipp. *loco citato*.

Si verò humor ventriculi parietibus adhærēs, nec lentus, neque crassus sit, maiorē coctionem, seu præparationem, ut expurgetur non petit, quam eā, quæ à ptisana, aut mulsa ad vomendū propinatis potest consequi; mulsa enim, atque ptisana moderatè abstergunt, aut, quæ leviter adhærent, separant; idoneum similiter erit, ait Magister, si mulsa in qua absinthium decoctum sit bibatur: nam absinthium humores etiam in ore atque ventriculi cavitate contentos commode deorsum expurgat. 180

In vltimo tandem capit. Gal. animadvertit, quod huiusmodi doctrina, quæ de intemperiebus agit, est cōmunis cum ea parte tuendæ sanitatis, in qua de parum firmis actionibus agitur, ut 4. 5. ac 6. *lib. de sanit. tuen.* videre est, non tamē est eadem, 181

eadem, nam imbecilla actio, provt magis & minus imbecilla sit pertinet ad sanitat s tuendæ, vel ad medendi tractatū; imbecilla enim leviter actio, vel parum impedita ad priorem, graviùs autem ad posteriorem pertinet.

Notabilia, & dubitationes super Textum.

182 Hucvsque de ventriculi morbis, ut pars similaris est, siue de omnibus intemperiebus, tam immaterialibus, quæ vētriculo accidere possunt Magister sermonem stabiliuit, etiamsi ipse ventriculus, ut est organum chylificationis, alios organicos morbos, ut in obstructione, cauitatis amplitudine, asperitate, aut læuitate, in situ, aut connexu pati valeat, quia tamen ventriculi tunicæ, & nativus illius calor omnes eius naturales actiones, si secundum naturā consistunt operantur, & è contra si intēperie afficiuntur, variis modis naturales operationes vētriculi læduntur, præsertim si ipsæ intēperies inter se cōplicātur, de quibus distinctiùs, clariusq; Magister Gal *secund. loc.* agere aggressus fuit, sicq. nunc aliqua ut veritas magis luceat, breviter adferam.

183 Primò igitur notandum expedit ventriculum, siue intemperie nuda, siue humorali laboret, ferè semper humoribus, aut vitiosis excrementis, a quibus facultates eius naturales læduntur, redundare: non enim ventriculus cum intēperie materiali laborat solùm humoribus, quibus intemperatur abundat, sed etiam cum intemperie nuda, aut immateriali afficitur, nam quāvis ipsa intēperies immaterialis in sola qualitate præter naturam excedente consistat, ut in solo calore, aut frigiditate, in ventriculo tamen variæ humiditates, quæ ipsum non minus, quam intēperies materiales molestant, resultant; nam cum quælibet intēperies sit morbus, & consequēter actiones lædat, hinc fit quod etiam intemperies immateriales ventriculi, ipsum humiditatibus siue excremētis humidis, quæ ex læsa coctione, quandoq; diminuta excrementorum expulsione resultant, repleant; quoniam si alimenta malè concoquantur ut in qualibet ventriculi intemperie accidit, necessariò in excrementitiam humiditatem replentem, ac relaxantem ventriculū degenerant, & inde vomitum, nauseam, aut alvi fluxum concitat, vel prædicta humiditas prava replet, ac pungit, proinde dolorem, anxietatem, viriúmque exsolutionem infert.

184 Cum igitur ventriculus imò, & aliæ omnes corporis partes sæpesæpiùs, ex humorū redundantia malè afficiantur, & raiò ex illorū inopia: hinc euenit, inquit Magister *loc. cit.* S[illegible]*. loc. c.* 2. quòd pharmaca exsiccantia, plerosque magis iuvant, eò quòd humores perfectè absumunt; hæc tamen medicamina exsiccantia in duplici differentia sunt, alia etenim sunt sicca, adstringentia, quæ cogendo, adstringendóque substantiam humorum exsiccant, ut omnia austera, atq; acerba; alia verò è contra sicca dicuntur, quia substantiā rarefaciunt, attenuāt, atq; dissolvunt, proindéque resiccāt, ut sunt omnia medicaméta acria: quare exsiccātia quæ adstringunt sæpè adhibenda sunt, plures enim ægri adstringentibus indigent, nam dum adstringendo medicamenta exsiccant, partes necessariò cogūt, indéque virtutes naturales, & calorē nativum uniendo roborant, è contra verò, quæ attenuando, & rarefaciendo exsiccāt, necessariò debilitant. Vlteriùs ubi humiditates redūdant sæpè partes laxantur, ideoq; simul exsiccari & adstringi postulant, ut in ipso ventriculo patet, cū enim ipse ab humoribus in se contentis relaxatur, ita ut assumpta alimenta nequeat continere, sed ea vel supernè per vomitum, vel infernè per secessum deiciat; tunc quidē non solùm medicamenta exsiccantia quibus humiditates redundantes siccentur, sed etiam adstringentia, quibus laxatæ fibræ cogantur, postulat, ut hoc modo ventriculus debitè alimenta toto coctionis tempore retineat. Vnde potiùs exsiccare adstringendo, quam resolvendo sæpèsæpiùs oportet.

Advertendū tamen est ex Gal. doctrina, quòd medicamenta adstringentia austera, & acerba 185
frigida sunt, propterea si intēperies humida cū frigiditate conjungitur, ut sæpè accidit non solū in ventriculo, verum etiam in qualibet alia corporis parte, illo quidem in casu ægrotantes, qui per sola adstringentia curantur, maximè læduntur; nam etsi exsiccentur, non calefiunt, sed potiùs intēperies ventriculi frigida ab adstringentium medicamentorum frigiditate augescit. Ob hanc rationem plurimæ medicamentorum compositiones, ex mixta materia adstringente nimirum, & calefaciente debent fieri, ut duplici indicationi, tam roborandi, quam intemperiem frigidam corrigendi satisfaciamus.

Notandū similiter est, quòd humiditates, quæ 186
in vētriculo, siue in alia quacumq; parte redundant duplici sunt in differentia; nam, vel sunt merè humidæ, id est serosæ, ac fluidæ prædictæ humiditates, & partes corporis humectant, atq; laxāt, vel non sunt merè humiditates, sed biliosæ, putridæ, vel aliter corruptæ, quæ partes quas attingunt, non solùm præter naturā humectant, sed sua etiam substantia vitiosa laborantes, cruciant. Quòd maximè distingoendum est, nam valdè subsidia diversa pro sui curatione sunt seligenda, quamvis enim omnis humiditas redundans, ut humiditas est exsiccationē postulet, sola tamen humiditas, quæ quasi aqua serosa, tenuis, ac fluida, & sine aliquo notabili vitio adest, exsiccari, atq; absumi per adstringētia exsiccantia medicamēta postulat; nō verò humiditas aliqua vitiosa quacumq; ratione vitiosa reddita sit; cuius est ratio, nam quæ siccant, siue humiditates adstringendo absumunt, illo in casu humiditatē materiæ, quam tangunt absorbent, & absumūt; substantiam verò ipsius materiæ humidæ non consumunt, sed concretam, resiccatamq; valdè relinquunt; proinde si materia humida vitiosa, siue ex se vitiosa sit, ut bilis acris, atque mordax, siue vitiosa ex putredine, vel alia prava corruptione sit, per adstringentia medicamenta exsiccetur, tunc ipsius humida qualitas consumetur, vitiosa tamen substantia neq; consumitur, neq; corrigitur; imò magis cōcreta, resiccataq; pejor fit, siccitas enim vitium, atq; acrimoniam illius materiæ jam antea vitiosæ, vehementiùs acuit: quare humiditates serosæ; sine vitio, aut acrimonia, corruptela, malignitatéve aliqua, solū per adstringentia exsiccantia debent curari, nequiquam tamen aliæ prædictæ humiditates.

Quibus præhabitis meritò dubitabis qua
recta ratione huiusmodi humiditates vitiosæ 187
nuper dictæ curari valeant? Cui satisfit ex demonstratis dicendo, eas necessariò per expurgationem, aut aliam evacuationem curandas esse, nam si vera curatio est causarum remotio,

meritò redundantia materiæ vitiosæ per evacuationem removenda erit. Hæc autem evacuatio duplex ea Magistro constat, per medicamēta videlicet purgantia, vel per ea quæ resolvendo exsiccant, itavt ipsas materias fluidas, ac resolubiles attenuando insensibiliter per resolutionē, vel sensibiliter per sudorē & urinam evacuent.

188 Ex prædicta consequenter doctrina, quod intemperies humorales pharmacis, ipsos humores evacuātibus indigent, siue humiditates vitiosæ, siue non sint, constat; quæ verò intemperies absque his humiditatibus reperiuntur penitus ex evacuationibus in tabem deveniunt, non solùm quæ per medicamenta purgantia, sed etiam per alia quæ calefaciunt, exsiccant, attenuant, extergunt, aperiunt, discutiunt, ac redundantem in partibus humiditatem resolvunt: proinde Empirici his remediis indiscriminatim utentes, etsi sæpè iuvabant, quia ferè semper laborantes humiditatibus scatent, pluries tamen valdè lædebant, præsertim cum corporibus calidis, ac siccis, potiusquam humidis dicta pharmaca propinabant. Intemperies rursus in humoribus, qui vitiosi non sunt, sed tantùm fluidi ac serosi per talium humiditatum purgationē curari possunt, sed longè meliùs per exsiccantia pharmaca quæ adstringunt, nam in quibus multa humiditas, & veluti quispiam mador circa partem affectam adest, citra humores vitiatos, qui sola copia, & quantitate affligit, & veluti ipsam irriguam reddit, in his quidem medicaminum adstringentiū usus, ex Magistro, utilissimus est, quia nō solùm humiditatem exsiccant, verùm laxitatem, ac nimiam mollitiem partis affectæ siccant, adstringunt, corrigunt, ac robotant. Affectiones propterea in humoribus vitiatis consistentes non per adstringentia, sed per pharmaca purgantia, vel per evacuantia, attenuando, & resolvendo rectè curantur. Per purgationem duntaxat, cum humores vitiosi multi sunt, & potiùs crassi, quā tenues; & è cōtra cum pauci sunt & tenues potiùs quam crassi, per medicamenta exsiccantia, attenuantia, & resolventia curātur, hoc etenim modo exsiccantur simul & exsolvuntur.

189 Cùm multæ variæque circa stomachum affectiones sint, quæ omnes ferè in totū ex cruditate oboriantur, hoc quidē totis viribus perpendendum est, etsi fortè per aquarum, aëris ve malignitatem lædantur, quod evenire non implicat, ipsa vitando, ac hominem permutando liberabimus; si verò per incōsuetos cibos læsio fiat eis interdicemus, & in universum ex quacumque causa læsionē fieri suspicati fuerimus, ea prohibēda erit, quod si quis sibi ab omnibus his bono ordine caveat, & iuxta ipsum stomachum concoctio impediatur, unctionibus, exercitiis, vociferationibus, & aliis huiusmodi per expertum artificem adhibitis stomachus corroborabitur, quasi dicat Gal. nihil sine causa fit, ac proinde si vētriculus malè concoquit, ideò hoc evenit, quia ab aliqua externa, aut interna causa læditur: hæc quidem quæcunque, siue aër, siue aqua, siue cibus, vel alia extrinseca causa sit, protinus auferenda est; si verò ab ipsis extrinsecis causis æger liberetur eò quòd recta victus ratione regitur, ventriculus tamen malè concoquit, illo in casu à se ipso coctio vitiatur, quia nativus calor languet; proindéque iste unctionibus, exercitiis, vociferationibus, aliisque huiusmodi causis externis excitandus, vivificandus, ac roborandus est.

Verùm ructu affectis acido in mensura co- 190
chleari coriandrum ante alium cibum edendum dato, & merum insupèr bibendum, quasi Magister asserat, verùm si ventriculus præ frigida intemperie languidus sit, ac malè concoquat, coriandrum ante alium cibum cochleari mensura dari debet, similiter merum, ut hoc modo calor debilis augescat, robustiórque ad aliorum alimentorum coctionē reddatur; vinum etenim atque coriandrum bene præparatum naturalem calorem ad coctionem roborant, præsertim si nativus calor præ intensa frigiditate languescit, propterea Gal. ructu acido affectis dato coriandrum, & merum inquit, ructus enim acidus frigiditatis est soboles, quamvis non semper ut rectè Trallianus prænotat.

Quòd si cruditas moderata, ulteriùs progre- 191
ditur Magister, & quæ contemni possit, oboriatur, lungiori tempore in lecto decumbendū est; etsi id negotia non permittant, quantum possibile sit omnis distensio, atque labor, æstus, ac ira vitanda sunt; seriùs etiam, quam pro tempore consueto ea aqua fervida lauandum est, & in priori balnei domo, aqua tepida, hausta omnia in stomachum coacervata pituitosa reuomenda, & modico cibo, ac potu primo die utendū, quasi dicat: Qui ob debilem nativum calorem, in moderatam incidunt cruditatem, & quæ ob id cōtemni possit, longiori tempore in lecto decumbere debent, & somno, atque quieti indulgere, simulque laborem omnem, distensionem, siue corporis nimiam agitationem, ampliusque æstū ac iram omittere. Qui enim debiles sunt, quiete, & somno indigent, vt hoc modo nativus calor intromissus, ac interna viscera fovens, utpote magis unitus viuacior, ac robustior reddatur; proindéque, quæ cruda sunt faciliùs concoquātur. Sic etiam seriùs, ac rariùs, quàm pro consuetudine fit, ea fervida aqua lauandus est æger ne dissipetur. Nam quāvis balneum ex aqua calida concoquit, & per habitum cruditates, seu excrementa eorum qui debiliter concoquunt expurgat, etiam tamen ipsum calorem concoquentem dissipat, cum à centro ad habitum convecet; proinde in priori balnei domo, & ante ipsum balneum, aqua tepida hausta omnia in ventriculo coaceruata, ut cruda excrementa sunt vomenda, ne ex adhibito balneo in corporis habitum vel saltim ad secundam regionem, ibique conculcata maximè lædant, ferantur.

Si verò fortis ciborum corruptio fiat, & sto- 192
machi morsum sentiant, atque ipsos eructent, ampliúsque nausea afficiantur aqua tepida exhibita vomere cogito, donec omne corruptum expurgetur, ait Gal. Quæ cruda sunt coctionem iudicant non vacuationem, quia cruda sunt quæ concoqui possunt, & cruditati opponitur coctio, non evacuatio, & ideò §. suprà allato. Quòd si moderata sit cruditas: & Gal. concoctionē potius cruditatis procurauit, quam vacuationem; nunc verò evacuationē; corruptio enim generationi opponitur, propterea quæ corrupta sunt, neque concoqui possunt, neque ad aliquem statum naturalem, aut generationis terminum reduci valent: quare rectè Gal. inquit, si fortis ciborum

corruptio

corruptio fiat omne corruptũ expurgetur; deinde caput mollibus linteolis ad ignem calefactis irrigato, aut huiusmodi aliquo non inani ductu locos circa stomachum foveto, & præcordia mitigato: quæ corrumpuntur acria, seu mordacia redduntur, & ob id aqua tepida expurgari postulant; hæc enim sua tepida humiditate non solùm abluit, & vomitum, aut alvi dejectionem concitat, sed etiam acrimoniam ac humorum mordacitatem retundit; hæc simul suo modo relata præstant, capitis videlicet irrigatio, siue lentio ex mollibus linteolis calidis facta, & fomentatio ventriculi, ac hypochondriorum, nam hujuscemodi calida, atque grata fomenta vapores acres ex alimentis corruptis elevatus resolvunt, tum etiam partium læsarum nativum calorem excitant, sicut extremarum partium frictiones, veluti illinitio in ipso corporis habitu, quibus ita factis, concludit Magister in lecto quiescere finito, ac inediam per totam sequentem diem perferre, nisi absurdum
193 quid inde consequatur, qui enim corrupta alimenta vomuerunt, quiete & abstinentia indigent, quiete inquam vt vires roborentur; abstinentia verò, vt quæ cruda restant cõcoquantur.

Hæc quidem in depravata, seu corrupta alimentorum cruditate fieri debent, si satis firmi sint laborantes, etsi ita in illis vires constent, vt tum alia dicta, tum vomitum ac inediam, vsque ad sequentem diem ferre queant: nam si quid inde absurdum sequatur, eò quòd vires languant, & infirmiores ex ægroti depravata cruditate, & alimentorum corruptorum vomitione sunt redditæ, tunc sanè eos expedit moderatis cibis ac potibus reficere, eadem die ad triduum, siue usque ad tertiam, vel quoad sic cibati firmiores fiant, ac lavari pro consuetudine possint laborantes, & ad consuetam redire victus rationem, & cruditatis quidem, talis quædam (vt rudi quadam forma expressi) curatio existit, De his verò quæ ex ipsa proueniunt, veluti profluvio ventris, aut bilis per vomitum, ac secessum rejectatione, aut aliis, quæ in ipso ventriculo continentur, atque cõtingunt suis locis dicetur, ait Magister *loc. cit.* 8. *secund. loc. cap.* 4.



CAPVT XII.

De curatione ventriculi intemperie laborantis vnà cum humore in cauitate eiusque tunicis contento, &c.

194



VCVSQVE qua debita ratione ventriculus intemperie nuda, siue cum materia calida, siue frigida laborans curetur, ostensum manet; non tamen qua methodo, rectàve ratione debeat curari, visum est, si non unica tantùm intemperie, sed pluribus simul afficiatur; propterea Magister in præsenti capite hujusmodi methodicam curationem expositurus aggreditur, & cum ex supra allatis quod ventriculus præter naturam affici diversimodè possit, satis pateat, ita ut solidæ eius partes, siue tunicæ intemperie laborent, malique succi in eo contineantur, qui vel interno eius sinu consistant, vel jam ipsis partibus imbibiti, atq; fixi adsint, ita ut elui facilè nequeant, hæc quidem tria Magister complicat, siue coniungit; & qua ratione ventriculus si aliqua ex his complicatione laboraverit, curari debeat, commonstrat; nã fieri potest, inquit, quòd intemperies cum vitioso humore tunicis imbibito conjungatur, vel cum illo, qui in sinu ventris continetur, vel potest accidere, quod absque producta partium solidarum, aut similarium intemperie ipsi humores vitiosi complicentur, illi dumtaxat qui imbibiti sunt, cum illis qui in cauitate continẽtur, tandémque accidere potest, vt omnes simul coincidant; de hac ergo morborum ventriculi cumplicatione Magister agens duo affert, methodum videlicet generalem, qua curari debẽt, ac peculiare illius exemplum ut magis innotescat, sicque caput duas præsertim partes cõtinet.

TEXTVS.

Neque verò illud latere puto esse aliquando mixtum, &c.

MEdicos, tanquam vltimum finem morbo- 195
rum curationem sibi proponere Gal. 1. *de rat. vict. in acut. com.* 3. scribit, Idest cuique morbo remedia debita in ventre intendunt: hæc autem vt Medicus inveniat ad aliquem ægrotũ curãdum accersitus accuratè distinguere debet, an simplex morbus quem curãdum aggreditur? an multiplex, & plurium affectuum præternaturã complexus sit? si enim simplex, unicus tantum morbus extiterit, per contraria debitè applicita curatur, si verò morborum complexus reperiatur, seu plures affectus præter naturam coincidant diuersi tamẽ aut contrarij sint, res nõ exigui momenti est, sed maturo iudicio indiget, quare hanc plurium morborũ simul concurrentium curationem Magister in præsenti explicat.

In prima igitur capitis parte sic fatur Gal. primum namque in huiusmodi complexu, vel plurium affectuum præter naturam complicatione æstimabis, à quo maxime discrimen ægro impendere videatur: ubi namque à quoquam affectuum non leve periculum instat, tanquam ad id quod urget dirigi primum curantis consilium debet, si verò in affectuum complicatione urgentia non datur, nec magis ex uno, quam ex alio, aut aliis vitæ periculũ imminet, in hoc casu videndum expedit, quis ex prædictis affectibus causæ rationem habeat, & qui, ac quæ ab ipsis efficiantur: ubi enim aliud efficiens est, & aliud quod ab eo efficitur, si urgentia non datur ipsa causa spectanda est, priusque curanda. Si tandem in complicatis affectibus urgentia non datur, neque aliqua causarum subordinatio, atque dependentia, tunc quæ ante alia, & quæ non, sanari possint, videndum est: nam aliquando sunt affectus complicati, quorum nullus ab alio, aut aliis, tanquam à causa pendet, veluti si ulcus cum inflammatione accidat, in hoc tamen casu, nisi priùs inflammatio cure-

tur vlcus curari nequit, quamvis enim inflammatio vlcus non causet, vlceris tamen vnionem impedit; proinde, etsi causæ rationem non habeat prius curari debet.

197 Qua sic ea posita generali methodo, qua plures morbi dum complicantur, curantur; sic addit Gal. verùm in eo consilio quod ab vrgente sumitur magnitudo affectus perpendenda est, quæ triplex est, vna scilicet, quæ ex læsæ partis præstantia spectatur, alia quæ ea propria affectus essentia desumitur, & tertia, quæ ex facultate, quæ læsum corpus gubernat, æstimatur. Quasi dicat Gal. sicut in affectibus complicatis primum omnium est expendendum, an detur aliquis morbus ex quo ægro vitæ periculum immineat, non aliter expedit videre, an aliquis affectus, eorum qui inter se complicantur magnus sit; re enim vera morbus magnus ille ex quo vitæ periculum immineat nuncupatur: ac per consequens idem est quærere an affectus aliquis detur ex quo ægro vitæ periculum impendeat, ac quærere an aliquis affectus ex complicatis repetiatur, qui magnus sit, siue in se & in sua essentia vt cum febris est valdè intensa, & à naturali constitutione multum recedens magnus sit affectus, vel respectu præstantiæ actionis, aut partis affectæ, quam lædit, vt cum morbus notabiliter respirationem, ratiocinium, aut sanguificationem lædit, quæ præstantes actiones meritò appellantur, vel quando morbus, cerebrum, cor, hepar, pulmones, aut alias principes partes, vel ad vitam simpliciter necessarias obsidet; siue denique morbus magnus sit ratione cacoëthiæ, aut mali moris, quo facultatem corpus gubernantem valdè oblædit, etsi ille in se magnus non sit, veluti multæ febres malignæ, & pestilentes, vt diffusiùs in manu medica dextera conscriptum manet.

TEXTVS.

Fingatur igitur in ventriculum defluere ex cerebro, &c.

198 Cvm doctrina communis neminem doctum faciat, vt inquit Magister *lib.* 13. *cap.* 10. nisi in particularibus exerceatur. Propterea vt methodus generalis curandi affectus complicatos exemplis peculiaribus exerceatur. Fingamus, inquit, ex cerebro ad ventriculum pituitam defluere, atque eius occasione intemperiem quandam in ventriculo contractam iam esse; supponamus etiam quod fluxa ad ventriculum pituita non solùm in cauitate redundat, sed eius bona portio in tunicis ventriculi est imbibita, occupátque porositates, siue spatia insensibilia similarium ventriculi partium, siue dictarum tunicarum. In huiusmodi suppositione multi affectus præter naturam complicati adsunt, intemperies nimirum ventriculi, & humor vitiosus frigidus, qui non solùm in magna ventriculi cauitate, vt vinum in vtre, continetur, sed etiam in spatiis tunicarum ventriculi inanibus imbibitus est: in hac ergo complicatione Gal. ait dignatione, siue dignitate maior affectus intemperies erit, quam frigidus humor, qui præter naturam continetur, non solùm in ventriculi cauitate, verumetiam qui in ipsis tunicis imbibitus est, quamquam iste maior, aut magis præter naturam sit, quam qui in cauitate, seu ventriculi sinu continetur; qui enim imbibitus est essentiam ipsius partis viuentis attingit, sicque illam magis lædere valet, quam qui in cauitate continetur, inter quem & partem viuentem cutis interna mediat, quæ ipsam partem, ne ab humore lædatur, tuetur.

In his igitur complicatis affectibus dignitate, atque præstantia maior est intemperies, 199
ait Gal. eò quòd ipsa partis temperies est sanitas, & natura, atque essentia ipsius viuentis; propterea quod hanc essentiam viuentis vitiat, aut immutat, aut aliter malè afficit, non solùm intemperies, sed quodcumque aliud tale fuerit major ratione propriæ essentiæ, circa propositum in sermone ægrum erit. Sic enim videtur legendus locus iste, qui aliquantulum est defectuosus, propter vitium impressionis, etsi verò dignitate, atque ratione essentiæ ægrotantis intemperies facta sit major, quia est lapsus talis essentiæ ab statu naturali ad contrarium; at ponatur ad præsens, inquit, maximum trium affectuum esse succorum, qui in tunicis ventris continentur, videlicet, vel quia multus est, sicque non solùm nimis refrigerare potest, sed etiam calorem partis natiuum suffocare; vel si liber, quia mordax est, ita vt morsus sensum faciat, atque ex eo ipso animi defectum, quosdamque sudores cum syncopis dissolutiue accersat, ita vt quatenus supra vires est maior affectus reliquis sit. Hoc etenim in casu, ac in his affectibus complicatis constat humorem dictum in ventriculi tunicis imbibitum primo sanandum; tum quia ex suppositione ipsum omnium maximum esse ratione propriæ essentiæ laborantis diximus, tum etiam quia vires quarum maxima est dignitas resoluit.

Vbi verò succus in ventriculi tunicis imbibitus medio modo se habuerit ita vt neque præ 200
multitudine, neque prava qualitate vires amplius labefactet, sed sufficienter ipsum, eiusque intemperiem vires ferant, hoc in casu vrgentiæ indicatio cessat; sicque tunc ad causam auferendam est deueniendum, cum nullus affectus perfectè sanari valeat, manente adhuc ipsa vnde natus est causa, vera enim curatio causarum est remotio; propterea, vbi vrgentia ad se curationem non rapit, per ablationem causarum curatio facienda est, quamuis causæ plures sint, vt sæpè euenire solet, ordo tunc seruandus est, & prius ea quæ magis lædit, aut alterius curationem impedit, auferenda est, iste etenim ordo curationis interdum respectu posterioris contraria indicat, interdum non: contraria quidem indicat, vt in vlcere cum phlegmone coniuncto apparet; nam quæ phlegmonem sanant vlcus magis adaugent, quod quamvis ita sit, prius phlegmon, quia vlceris curationem impedit, curatur: aliquando verò curationis ordo contraria non indicat, vt in curatione vlceris cavi patet, in quo quæ cavitatem sanant, siue carne replent vlcu non lædunt: nō aliter in casu nostro proposito: nam qui humorem in sinu ventriculi

contentum

contentum edocit iis humoribus, qui io tunicis continentur alimentum non præbet, imò adauit; sic etiam qui cerebrum ita sanat, vt nullam ampliùs sensibilem redundantiam procreet, is veluti fontem fluxionis in ventriculum destruit. Ex quibus liqoet, quòd in nostro casu ordo curationis cum ordine causarum consentit, quamvis in aliis dissentiat.

201 In colico quidem dolore, aut alio simili vehementissimo quoniam periculum vitæ, aut virium resolutionis imminet, medicamentis sensum stupefacientibus, ac torporem inducentibus vtimor, quamvis hoc modo ipsum naturalem calorem & vires dejiciamus, humorésque frigidos lõgè magis infrigidemus: scimus enim, inquir Magister *lib. 12. huius operis cap. 1.* ex dictis medicamentis narcoticis, seu refrigerantibus prope summum corporis habitum nonnihil esse lædendum, læsionem tamen quàm mortem potiùs optandam, eisdem etiam medicamentis pluries in vigiliis rebellibus vtimur, si alia non prosint, & vigiliæ vehementia, ac viribus resolvendis ad mortis discrimen æger tendat, etsi aliàs læsionem aliquam ex eis medicamentis inducendam esse judicemus. Vlteriùs in febre ex obstructione orta ea quæ caosæ medentur, sive obstructionem reserant sæpè febrem adaugent: sic etiam frigidæ aquæ potus febri medetur, obstructionem tamen auget; in punctura pariter nervi, ne convulsio, aut mors sequatur, totum nervum scindimus, veluti arteriarum vulnera multoties transversim secantur, vt maius quod ex sanguinis fluxu damnum imminet vitemus; in luxatione tandem cum vlcere, hoc insanatam luxationem relinquentes, ne maius malum eveniat, curamus.

202 Ordo itaque curationis interdum cum causarum ordine consentit; interdum verò dissentit, sive contrarius est; propterea in hoc necessariò videndum expedit, quid ante quod, quid cum quo, & quid post qnod agendum sit, vt selectior curatio eveniat, & cum exemplis magis doctrina innotescat, supponamus vlcus cavum, ac sordidum curandum esse, quo in casu curationis ordo, primò sordes abstergendas, atque auferendas, secundò cavitatem implendam, tertiò tandem vlcus agglutinandum esse indicat, non aliter si vlcus cavum, ac sordidum phlegmone simul aut erysipelate, aut gangręna corripiatur: in hoc casu primò phlegmon, vel erysipelas, &c. auferenda sunt, deinde sordes, posteà cavitas implenda est, tandemque vlcus vniendum: nam etsi in iis casibus prædictus ordo cum causarum ordine non convẽniat, sed ferè in omnibus dissentiat, tamen servandus est, qualis præscriptus manet: nam in priori casu neque vlcus vniri, neque cavitas carne impleri valet, nisi priùs sordes abstergantur, vlcúsque expurgetur, ac debitè mundetur; & in secundo casu sordes expurgari, vlcúsque mundificari nõ potest, nisi priùs phlegmon, aut erysipelas, aot gangræna, sive alia quælibet intemperies, quæ conjuncta fuerit priùs cesset, nisi enim vlcus inflammatum, vel aliter intemperatum ad temperiem debitam redigatur, ocque vlcus sanari, neque cavitas impleri, nec sordes deesse poterunt: quippe carnis generatio, qua vlceris cavitas adimpletur, & vlceris agglutinatio, sive solotionis vnitio opera sunt naturæ, proindéque à sana naturalique carne, quæ vlceri subjecta est, proveniunt: ex ea verò, quam phlegmone premit, inquit Gal. *lib. 3. cap. 9.* aut aliter intemperata est, & vno verbo ægrotat, caro gigni nova non potest, neque vlcus agglutinari: propterea tempore quo vlcus inflammatum, aut aliter intemperatum, aut alio morbo affectum est, excrementis, quæ necessariò ex parte inflammata resultant, abundat: sicque in tali affectuum complicatione, vt manet dictum, priùs vlceris inflammatio, vel quod ei conjunctom extiterit auferendum expedit; in secundo loco sordes abstergendæ, in tertio caro gignenda, vt cavitas impleatur, vlcus agglutinetur, tandémque cicatrix inducatur: ex quibus patet, quòd præter causarum ordinem in morbis complicatis ordo dictus sine quo non reperitur, ita vt quid ante quod, quid cum quo, & quid post quod agendum sit, liquidò constet.

Cuncludit tandem Magister caput denuò 203
repetens in omnibus complicatis affectibus triplicis curationis ductum esse; primus ab eo qui vrget, vel qoi maior est, atque vitæ periculum imminet desumitur, secundus à causa pendet, ideóque illius processus juxta causarum ordinem est, tertius sine quo non appellatur, quia incipit, & procedit ab eo, quod curationem aliorum impedit, quamvis non vrgeat, neque aliorum causa sit. Sic ergo fatur Magister: Cæterùm quod ex magnitudine spectatur, id distingui, prout dictum est, debebit; sic primùm quidem id agendum, vt ei quod maximum est, vel ex quo magis imminet vitæ periculum, propriam medicamentorum materiam accommodes: deinde pro causarum ordine rotum cures. Etenim cum neque copia notabilis excrementorum in ventriculo sit, scilicet, neque in capacitate eius, neque in tunicis; sed neque mordicatio, quæ viribus officiat; tunc omnium primum sanandum ipsum cerebrum est, quia est ex suppositione prima causa, atque origo vnde reliqua dependent, ab hoc sinus ipse ventriculi vacuandus, extergendúsque est: posteà ipsæ tunicæ expurgandæ: postremò intemperiei est medendum; dicta verò suprà sunt cuiusque horum medicamenta: quare hic libro finis imponatur; omnium enim reliquarum partium intemperies similiter iis quas in ventriculo proposuimus sanabuntur.

Dubitationes, & notabilia super caput.

Vt peniciùs quæ in conscripto capite con- 204
tinentur & à Magistro doceri conantur pateant: aliquæ sese examinandæ difficultates offerunt. Primò igitur inquirendum occurrit, an tres diversæ methodi à Magistro traditæ ad complicatos morbos curandos diversæ inter se sint? videtur enim duas priores sub tertia contineri. Quod iis rationibus apparet: prima, quia quod vrget respectu alterius habet rationem illius sine qoo non, vt hu-

iusmodi exemplo patet: nam si quis maximam virium debilitatem patiatur, & morbo affectus sit, qui remedia magna vt sanguinis missionem postulet, virtuti occurrimus, & morbi curationem relinquimus, vsquequò roborata, aut instaurata virtute affectum sanare possimus: ergo vires dum vrgent habent rationem illius sine quo non: ergo idem erit in aliis affectibus vrgentibus, cùm omnes quia vrgent priùs quàm alij curari debeant. Secunda ratio sit hæc: morbus non potest auferri manente causa efficiente, aut ipsum augente: ergo methodus curationis, quæ docet incipere, atque procedere per ablationem causæ est eadem ac illa, quæ incipit ab eo, quod habet rationem causæ sine qua non. Sit tertia ratio: quamvis methodus quæ sumitur ab vrgente esset diversa non semper curatio debet ab illa incipere: nam qui habet vlcus sordidum solet inde fluxu sanguinis laborare, & quidem vrgente, quia perseverat, viresque multùm prosternit; at quamquam vrgeat sic fluxus sanguinis curatio ab eo non incipit, sed potiùs à remotione sordis, quæ rationem sine qua non habet, incipere debet, sordes enim sua acrimonia vasa corrodunt, vel saltem aperiunt.

205 Vt huiuscemodi argumenta facilè discussa maneant, explicandum occurrit qua ratione tres illæ methodi morbos complicatos curandi inter se differant, ita vt vnica methodus sub aliis non contineatur. Primò etenim certissimum est, quod sumitur ab vrgente diversum esse à tertia methodo: nam tunc habet aliquid rationem sine qua non, quando illud intendimus auferre vt aliquid aliud curemus, vt in vlcere cum intemperie coniuncto, aut cum sordibus patet: at verò quod vrget non ita se habet, quia illud non aufertur, vt alterum curetur, sed propter se ipsum, vt hoc modo vitemus quòd inde magnum damnum, aut vitæ præsentaneum periculum imminet: ergo non habet rationem causæ sine qua non. Major ex se constat; minor pluribus exemplis probatur. Sit ergo primum quando aliquis nervi punctura laborat, solent inde gravissima & vrgentia symptomata, vt convulsio, phrenitis, epilepsia, & similia sequi; quare si talis punctura aliis remediis non cedat, Medicus ob imminens vitæ periculum totum scindere nervum punctum cogitur, vt hoc modo à prædictis symptomatibus liber evadat, quo in casu convulsio, aut phrenitis non sanatur, vt alter affectus solvatur: nam potiùs major redditur, sed vt mortale symptoma solvatur, ac proinde vitæ periculum præcaveatur.

206 Secundum similiter sit exemplum quando ex arteria vulnerata immodica sanguinis quantitas profluit: si in hoc casu aliis remediis sanguinis fluxus non cedat, arteriam in totum secamus; hoc enim fluxus modo, vel saltem remediis causticis cedit; tertium verò exemplum sit, Quando vulnus magna cum luxatione accidit, manente luxatione intacta vulnus curatur. Vltimum sit aptissimum exemplum ex *lib.* 12. huius operis, *cap.* 2. ubi Magister indicationes dysenteriæ contrarias adducit, cùm asserat quòd quando vehementissimus dolor adest, viresque prosternit, sevo hircino, cerato rosaceo, aliisque huiusmodi, quæ dolorem vrgentem sedant, vtimur, quamvis his remediis vlcus non sanatur, quin potiùs augetur; magis enim sordidum redditur: ex quibus liquidò constat, non auferri id quod vrget, vt alterum curetur, veluti contingit, in eo quod habet rationem sine qua non, ac proinde infertur, quòd methodus, quæ ab vrgenti sumitur, diversificatur à methodo, quæ sumitur ab eo, quod haber rationem sine qua non: ea nimirum ratione, atque via quibus ipsa inter se differunt.

Illud præterea quod rationem causæ efficientis morbum etiam distinguitur, ab eo quod habet rationem sine qua non: nam hoc quod habet rationem sine qua non, quamvis curationem alterius impedit, illud tamen non causat, sed respectu illius curationis se habet, vt conditio sine qua non: in altera verò methodo illud quod indicat est causa alterius, & respectu illius se habet ex parte causæ efficientis: quare tres dicti curationis ductus à Magistro in textu propositi ab vrgente videlicet, à causa efficiente, & ab eo sine quo non, reverà inter se distinguuntur, sicque debitè apud Galenum conscripti manent. 207

Restat verò iam, vt rationes in contrarium allatæ dissolvantur, sicque ad primam est dicendum, quòd vires servare est vitam custodire; ac proinde si necessitas sanguinis mittendi, sive aliud magnum remedium exequendi cum maxima virium iactura coniungatur, tota illo in casu Medici intentio vires instaurare, ac roborare debet esse: hoc enim est quod magis vrget: quare talis virium instauratio præcisè non fit, neque intenditur facta collatione ad morbum, qui per sanguinis missionem curari debet, sed per se ab ipsis viribus languentibus indicatur: nam prima indicatio à viribus desumitur, imò vrgentia est propter vires; & quia vitæ, viriúmque defectus imminet: vnde indicatio à viribus petita ab vrgente, & non ab eo quod habet rationem sine qua non desumitur. Secunda ratio afferendo solvitur: quòd quamvis vera curatio causarum remotio sit; & quamvis affectus perfectè curari non possit, manente illa vnde natus est causa, curatio tamen quæ per ablationem causæ fit diversa est ab illa quæ instituitur ab eo quod habet rationem sine qua non, vt visum est. Tertiæ tandem rationi respondetur, valdè dissonum à veritate esse, quod in ea significatur; si enim propter maximam sanguinis evacuationem imminet vitæ defectus, curatio non est incipienda à sordis ablatione, sed à remotione symptomatis vrgentis: eo enim in casu medicamentis inducentibus escaram, sive crustam, vt sanguis clauso vase detineatur, non verò sordes purgantibus, sive abstergentibus vtendum erit. 208

Quibus sic iactis examinandum venit qua ratione prædictæ methodi curandi in affectibus implicitis differant: sicque primò qua ratione methodus vrgentis affectus exercetur, vel si mavis, qua ratione affectus vrgens curatur: 209

ratur: nam quamvis preceptum apud Magistrum stabiliatur, non tamen qua ratione hoc debeat fieri exponit, quod maximè in prædictis affectibus cum vrgentia scitu dignum est, de quibus dubium proponitur, an cura regulari, an coacta atque irregulari curentur: fortassis quia non omnino constat qua ratione huiusmodi affectus curari debeant. Pro resolutione igitur perpendendũ est affectuum qui vrgent aliquos esse, qui aliis omnibus neglectis curantur; alios verò qui altero, vel alteris non neglectis curantur: quamvis enim in Medicorum oro commune sit, quòd vrgentiori altero non neglecto succurrendum est: nam hoc ita fieri posse sæpè contingit; aliqui tamen vrgentes affectus sunt, in quibus alterum omnino negligimus, vt quando in punctura nervi totum nervum secamus, vt convulsionem sic auferamus: tum etiam cùm totam arteriam, vt sanguinis fluxum sistamus, scindimus; vnde commune etiam est dicere, vrgentiori succurrendum est altero non neglecto, & aliquando neglecto: nam quamvis sæpè ambobus occurrere possumus, aliquando tamen alterum negligere opus est, & pejus illud reddere: hoc enim modo curatur vrgens, & non aliter, vt in exemplis allatis patet: quare vrgentiori est succurrendum altero non neglecto, quoties ita fieri potest, hoc est quoties affectus vrgens potest simul cum alio auferri; sed si vrgens affectus quin aliud negligatur, aut pejus fiat, non potest curari, vt in exemplis adductis accidit, necessariò ita erit agendum: læsionem enim potiùs quàm mortem debemus optare.

210 Expedit etiam inspicere, quòd quamvis affectus vrgens propter ipsius vrgentiam priùs quàm reliqui affectus qui non vrgent curari postulat, omnes tamen vrgentes affectus per ablationem causæ curantur, vt ipse Magister *1. ad Glauc. cap.* 14. commonstrat, cùm agat de curatione animi defectus, qui semper inter omnes vrgens affectus est, & vt talis ibi morbo relicto per ablationem causæ, quæcunque ista sit, curatur: quoniam si nervum aut musculi caput ad tollendam convulsionem secamus, hoc ideo fit, quia hoc modo convulsionis causam, nempe nervi puncturam, vel capitis musculi tollimus: non aliter, si ad fluxum sanguinis sistendum arteriam in totum scindimus, ideo est, quia hac de causa, & non aliter fluxus origo aufertur: ex quibus meritò colligitur, quòd affectus vrgentis curatio non irregularis neque coacta, sed maximè artificiosa, methodica ac legitima est; siquidem solùm irregularis & coacta curatio diceretur, cum neglecta omni causâ, omnique alio affectu postposito, occurrimus. Quod si accidat, potiùs erit in curatione affectus sine quo non, quàm in aliquo alio: nam cùm affectus sine quo non, non sit causa illius cuius impedit curationem, vt suprà visum est, & in vlcere sordido patet, quoniam sordes curationem vlceris impedit, cùm tamen non sit eius causa, sed potiùs affectus & symptoma: nam sordes, atque sanies excrementa quæ pullulant, & quasi resudant ab ipso vlcere adsunt: cùm igitur affectus sine quo non, causa non sit illius cuius curationem impedit, neque ipsum semper à curatione suæ causæ pendeat, vt patet in dictis sordibus vlcerum, quæ sine vlceris curatione auferri possunt, vnde proveniunt; hinc fit quòd si aliquis affectus irregulariter curatur, est dictus sine quo non, Dixi tamen in hoc, si accidat, quia etiam affectus dictus sine quo non frequenter à curatione suæ causæ pendet, vt in inflammatione cum vlcere conjuncta patet: illa enim priusquàm vlcus curari debet, quia vlceris curationem impedit, & est id sine quo priùs curato, vlcus nequit curari; hoc tamen non obstanti talis inflammatio, vt quælibet alia per ablationem suæ causæ curatur.

Cùm satis pateat qua ratione non solùm vrgens affectus, sed etiam, qui rationem sine qua non, habet, curari debeat, solùm in præsenti perpendendum restat, quòd huiusmodi affectus sine quo non duplex est, vnus duntaxat, qui curationem alterius in totum impedit, & alius, qui non tantùm impedit, sed etiam lædit: si enim sordes in vlcere contentæ crudæ sint solùm curationem impediunt; si verò vitiosæ, atque pravæ ipsum vlcus lædunt, simulque cavum reddunt; non aliter si febris accidit, inquit Magister *1. de art. curat. ad Glauc. cap.* 14. ob totius corporis plenitudinem, repertis etiam recentibus cruditatibus ventriculi, tales cruditates rationem effectus sine quo non, habent: nam ante sanguinis missionem, licèt febris causæ non sint, sed corporis plenitudo, semoveri debent, ne sanguine priùs misso venæ inanitæ dictas cruditates ad se trahant, simulque febris obstructio augescat: quare si huiusmodi cruditates tantùm crudæ sint, tanto etiam tempore, ait Magister, differre sanguinis missionem oportet, quantum necesse sit, vt tales cruditates coquantur, vel saltim ad intestina deferantur; si verò tales cruditates vitiosæ, pravæque sint, ita vt inde ventriculus mordeatur, aut evomat, aut anxius sit, illo in casu antequàm sanguis mittatur, cruditatibus & ipsi ventriculo est providendum; cruditates etenim illæ maximè ipsum ventriculum vitiando lædunt, propterea ipsum roborare ante sanguinis missionem oportet; non enim priùs ventriculo roborato, & cruditatibus vacuatis si vena scindatur, ad deteriora pericula laborantes, & lethalia perveniunt. 211

Omnes ferè affectuum præter naturam curationes per ablationem causarum vnde pendent, fiunt, vt demonstratum suprà manet: restat tamen nunc, qua methodo, sive recta ratione dictarum causarum ablatio, fiat scire, vt quælibet curatio cita, tuta, & sine dolore evadat; quia tamen de huiusmodi sine plurima in procemio huius libri de indicationibus, & cum Gal. in contextu prædixi, proinde in præsenti aliqua tantùm pro coronide dicenda offeruntur; sicque primò advertendum est quòd morborum causæ partiales aut totales valent esse; partiales nuncupantur, cùm plures simul concurrunt, & affectus, partim ab vna, 212

vna, partimque ab alia producitur, veluti in tertianis nothis, vt semitertiana patet, quæ partim à bile, & partim à pituita generatur; causæ verò totales illæ appellantur, à quibus affectus non secundùm eius diversas partes, sed totus à qualibet earum pendet, & generatur, vt in febris putridæ causis, quæ sunt putredo, prohibita ventilatio, obstructio, & patet: putrida enim febris tota à prædictis causis pendet, non quidem vt tertiana notha, quæ partim à bile, & partim à pituita ortum ducit.

213 Quo supposito notandum etiam est, quòd causæ partiales rarò, aut nunquam ad suum effectum generandum secundùm ordinem prioris, aut posterioris concurrunt, sed hoc sæpè in causis totalibus evenit, vt in exemplo de causis febris putridæ patet: nam quemadmodum putrida febris immediatè à putredine, ita putredo à prohibita ventilatione, & hæc ab obstructione, tandémque obstructio ab humoribus multis, crassis, ac lentis pendet: quapropter si in morborum causis talis ordo prioris & posterioris reperitur, absque eo quòd aliqua vrgentia sit, vel aliqua earum causa habeat rationem sine qua non, tunc ab eo quod primum est, curatio, sive talium causarum ablatio incipienda est, vt posteà suo ordine ad alias posteriores descendamus, vt satis in textu claret: at si causæ partiales sint, & inter se dictam dependentiam, aut ordinem prioris, ac posterioris non habent, neque aliqua vrgeat, aut sit sine qua non, tunc omnes possunt, ac debent simul tolli; vt in tertiana notha experimur, in qua non solùm bilem, sed etiam pituitam, ac melancholiam simul educimus, si fieri potest, & nisi ex ipsorum ineptitudine humorum aliter evacuare cogamur: si enim omnes humores ad evacuationem parati non sint, tunc qui paratior priùs, deinde alij cùm parati fuerint educendi sunt; nam non solùm ad purgationem, verùm ad quamcunque aliam evacuationem parati, fluxiles, & motui dispositi debent esse.

214 Dices tamen falsum esse in causis morborum habentibus ordinem, causam priorem priùs tollendam esse; nam cùm quis ex constipatione, aut cutis densitate corpore repletur, indeque in febrem incidit, talis ordo reperitur, ac densitas cutis, sive constipatio prior est ipsa plenitudine, & hæc ab illa oritur; curatio tamen non incipit, neque ab illa incipere debet, sed vt Magister *lib. 8. cap. 4.* inquit, à missione sanguinis, & ab evacuatione humoris redundantis qui febrem efficit est incipiendum: ac proinde huiusmodi curatio priùs posteriorem causam respicit, posteáque ad primam tollendam accedit, quam doctrinam vt veram jam in præfatione de indicationibus conscriptam sigillavi, sicque non est objectio contra expositionem elapsi textus: nam dictum manet causarum ordinem in curatione non semper servandum esse, sed cùm vrgens non datur, aut aliquid quod alterius curationem impediat, vt in obstructione accidit: si enim non priùs redundantia corporis evacuata, vel eo quòd ex cutis densitate detinetur, medicamentis rarefacientibus, quæ densitati opponantur velimus vti, non solùm densitatem non curabimus, sed ipsam, ac febrem augebimus: nam adhibitis rarefacientibus medicamentis humores in corpore detenti vehementiùs ad cutim trahuntur, sicque pori densiores fiunt, minus corpus transpirat, auctoque transpirationis impedimento, febris magis intenditur: ordo igitur causarum, quæ inter sese consequuntur, servandus erit, dummodò aliud, quod ordinem perturbet non sit. Notandum etiam expedit quòd cutis dẽsitas nõ solùm ab externis causis, vt frigiditate, siccitate, aut à medicamentis adstringentibus, vt balneo aquæ aluminosæ, sed etiam à causis internis potest accidere, vt contingit in febribus puncticularibus, ac aliis in quibus in cute apparent puncticulæ, sed etiam aliæ maculæ, aut vapulæ, aut similes parvæ eruptiones: nam huiusmodi eruptiones sunt signa densitatis cutis, ac in cute detineri ea, quæ per insensilem transpirationem exire debebant: sicque in iis cutis densitatibus etiam methodus in objectione dicta observanda est.

215 Perpendendum etiam est plures morbos, aut plura simul symptomata posse esse, quorum vnum causa alterius sit, quo in casu à prioris ablatione est incipiendum; quando enim aliquis ex fellis vesicæ obstructione in regium morbum incidit, morbus à morbo nascitur, veluti regius ab obstructione, proinde tunc priùs ad reserandam obstructionem, posteáque ad morbum regium, ac depravatum corporis calorem auferendum accedimus: non aliter cùm ex nimia loquacitate sitis, & ex siti pervigilium sequitur, symptoma à symptomate nascitur, sicque symptomati priori antecedenter, posteà secundo, & tandem tertio ac vltimo oportet occurrere. Notandum demum est evenire posse, quòd duo symptomata ad invicem se causent, veluti dolor, & humoris fluxio, sitis & pervigilium, siquidem dolor fluxionem humoris, & è contrà humoris fluxio dolorem sicut sitis vigiliam, & vigilia sitim excitare potest: quibus in casibus vtrique simul, & vni priùs quàm alii, provt magis expedire videatur, possumus occurrere; & cùm ad majorem textus expositionem quid morbus vrgens, eo quòd ex eius magnitudine cognoscatur, intelligere opus sit, proinde essentiam & differentias morbi magni proponere oportet; quia tamen in expositione de indicationibus, & in Manu Medica dextera satis diffusè clarescunt, ne molestior evadam, omitto.

CAPVT



CAPVT XIII.

& vltimum,

De indicationibus, quæ à læsæ partis natura sumuntur.

216 VI rectè exactiorique methodo morborum curationem exequi velit quinque diversa præcognoscere debet, vt an sit agendum, quid sit agendum, quantum agendum, quando agendum, & vbi agendum: res enim, quæ benè aut malè fieri possunt, vt benè nonque malè fiant quinque dicta requisita inspici debent ex Arist. 1. ethic. Proinde Magister illa debitè adimplenda *in vltimo huius operis de curatione morborum partium similarium nostri corporis* proponit: quid etenim primò agendum sit ex ipsius morbi specie desumitur, proinde omnes morborum partium similarium differentias commonstravit, deinde quantum agendum à morbi magnitudine desumitur, de qua etiam disputavit; tertiò quando agendum potissimùm ab vrgentia desumitur, de qua satis *in superiore* egit: restat verò nunc quomodo agendum & vbi, quæ duo à læsæ partis natura pendent: quare *in hoc vltimo capite* de indicationibus à læsæ partis natura desumptis agit, simulque quomodo & vbi agendum sit, exponit.

TEXTVS.

Semper enim comparandum remedium est, &c.

217 PRimam indicationem, sive quid agendum sit, aot speciem remedij desumendam esse ex ipsa morbi specie semper est verum; ex sola tamen morbi specie hoc quod est quid agendum, non totum desumitur; sed ex morbi specie tantùm quid agendum specificum desumitur, vt ex intemperie calida refrigerandum, & ex frigida calefaciendum esse, noo aliter ex intemperio intensè calida, intensè refrigerandum esse, & è contrà remissè si intemperies parum ab statu naturali recedat; in quolibet quidem morbo & in qualibet eius recta curatione tale remedium specificum adhuc individuatur, si primæ indicationi, quæ desumitur ex morbi idea, sive specie conjungatur coindicatio, quæ à natura partis laborantis peculiariter desumitur: quoniam non omnes corporis partes simili morbo laborantes eadem remedia perferunt, sed oculus v. g. suaviora tantùm, ossa acerrima sustinent, ac proinde subsidia quæ morbus pro sui ablatione adhibenda indicat, ista pro laborantis particulæ conditione & natura moderantur, ac secundùm plurimas & peculiares conditiones immutantur; semper tamen hoc, quod est agendum specificum servatur; semper enim, inquit Magister, remedium, quòd affectui præter naturam contrarium sit, vtpote indicatum eligendum est, & illi remediorum indicationes, sive limitationes, quæ à laborantis natura sumuntur, adjiciendæ sunt; sicque integrum, atque completum quid agendum sit, & particulare remedium in qualibet morborum curatione adimpletur. Quinque etenim sunt res, sive conditiones, quæ in cuiusque partis nostri corporis natura reperiuntur, quæ curationem limitare, aut moderari debent, temperamentum videlicet, sive temperies ex calidi, frigidi, humidi ac sicci mixtione composita, conformatio, actio, atque facultas, situs, & sensus: quas quinque conditiones Magister explanandas aggreditur.

TEXTVS.

Quæcunque calidiores naturâ partes ex frigore, &c.

IN prima igitor capitis parte Magister de indicatione, quæ à partis temperie desumitur, constituit quamvis enim natura qua vivimus, valemus, omnésque actiones naturales edimus, & quæ morbo tanquam ei adversatrix opponitur, non solùm in temperie, sed in tota mixti constitutione consistat, vt in superioribus dictum manet; apud Magistrum tamen temperies est cui potissimùm mixti natura tribuitur, & cui mixti operationes debentur: sicque priùs de temperie servanda io morborum curatione agit; quanquam re vera tota mixti constitutio, sive natura, quæ in spirituum, humorum, carnium, ac partium solidarum non solùm temperamento, sed debita substantia, quantitate atque vnione consistit, servanda semper est; hæc enim est, qua in prospera valetudine vivimus, valemus, robustásque omnes actiones edimus; quandiu enim dictæ nostri corporis substantiæ, spirituosa scilicet, humida, carnosa & solida, non solùm benè temperatæ manent, sed rectè mixtæ, ac debita substantia, vnionéque constant, perfecta sanitate fruimur, omnésqoe actiones naturales exercemus: è contrà verò morbis laboramus, læsásque vel corruptas actiones edimus, si prædictæ substantiæ, aut earum aliqua temperiem naturalem deperdat, vel corrumpatur, aut qoomodolibet aliter suam vnionem atque mixtionem propriam amiserit: propterea, tam in sanis quàm in ægris talis partium natura servanda erit, ita vt si prædictæ substantiæ in statu naturali sint, conservationem indicent, si verò aliquo morbo laborent, 218

borent, morbus quidem contrariis est corrigendus, veluti calidus frigidis, & frigidus calidis; natura tamen partis affectæ, illiusque dictæ substantiæ semper servandæ sunt, & si fortè deficiant resarciendæ, spirituali nimirùm substantia inspirabili, ac vaporoso alimento, humorali cibo, ac potu humido, carnosa denique ac solida alimentis solidis: non aliter naturalis temperies similibus servanda est, imò quò pars sua natura calidior aut frigidior sit, eo calidiora aut frigidiora postulabit remedia, ita vt si v.g. inflammatio aliqua carnosas partes occupet, inquit Magister 2. *ad Glauc. cap.* 2. leviter exsiccandæ sint, quia ex sua natura satis humidæ sunt; si verò inflammatio arteriosas, aut cartilagineas afficiat, magis exsiccari debent, quia carnibus sicciores sunt.

219 In præsenti similiter capite sic vlteriùs Magister fatur: quæcumque calidiores natura partes ex frigore laborant, hæ & liberaliùs, & diutiùs calefieri postulant; sicuti etiam, quæ frigidiores natura sunt, si ex calore laborent, refrigerari: & sicciores, si ex humiditate malè habent, siccari: tandem & humectari, quæ humidiora naturaliter sunt, vbi ex siccitate laborant, tum vberiùs, tum diutiùs postulant: & ratio istorum omnium est, quia quidquid præter naturā est alteratum, atque immutatum, debet necessariò retrocedere ab illo statu præter naturam ad contrarium; imò eatenùs retrocedere debet, & in contrarium mutari, vt non solùm ad statum naturalem in vniversum reddat, sed ad propriam illius naturam, quod alteratum ac mutatum fuit: ac proinde partes dictæ intemperatæ debent contrariis alterari & mutari, non solùm ad mediocritatem temperamenti vsque, sed amplius, & quovsque sic quælibet earum ad suam redeat naturam, sive temperiem, à qua discessit; ad suam videlicet caliditatem excedentem, si pars est natura calida, vel ad excedentem frigiditatem, si pars est natura frigida, & sic de aliis: è contrà verò, inquit Gal. pars quæ calidior naturâ est, si calido morbo ægrotat, exiguâ, brevísque temporis refrigeratione eget, sicut, quæ frigidior est calefactione; & eodem modo in humidis & siccis: siquidem iis in casibus lapsus in statum præter naturam parvus est; quare & reditus ad statum secundùm naturam brevis, ac facilis erit: propterea, inquit Hipp. 2. *aph. sent.* 34. minùs periclitantur quicumque cognato suæ naturæ morbo laborant, quia etiam in iis lapsus parvus est, & longè minor quàm si contrario suæ naturæ morbo laboraverit. Quòd verò doctrina hæc pariter compositis intemperiebus sit vera, satis omnibus est notum, ait Gal. sive enim simplices, sive conjugatæ intemperies inciderint, eatenùs omnes reduci ad naturam postulant, quatenùs singulæ à propria natura partis recesserunt, proinde etiam à laborantis partis temperie remediorum indicatio desumitur, & quid agendum sit individuatur.

TEXTVS.

Ab eo verò, quòd actio eius omnibus animalis partibus sit communis, &c.

220 IN hac secunda capitis parte, secundóque ad Glanconem *cap.* 2. Magister commonstrat temperamentum partis laborantis non solùm quid agendum sit, indicare, & individuare illud in morborum curatione, sed etiam ipsius partis actionem, atque facultatem: pro quarum intelligentia supponendum expedit, virtutes seu facultates, quibus nostrum corpus gubernatur, alias communes, & alias naturales esse: communes duntaxat tres, animalem videlicet, vitalem, & naturalem, quarum quælibet suam habet originem, animalis quidem cerebrum, vitalis, cor, & naturalis, jecur: rursus supponendum est cerebro nervos, cordi arterias, & jecori venas tribui, quibus mediantibus huiusmodi partibus, suas vires corpori communicarent: omnes enim partes sensu atque motu voluntario prædictæ ab animali facultate ornantur; ita vt à cerebro ad ipsas per nervos descendant; quæ autem vivunt à vitali, & à corde per arterias, ac demum quæ nutriuntur, & augentur, à naturali, & à jecore per venas: vnde cùm non omnes corporis partes sentiant, vt ossa, ligamenta, & viscera, neque omnes moveantur, vt cartilagines; propterea non omnes ab animali reguntur; quia tamen omnes vita vigent, & nutriuntur omnes pariter à vitali, & naturali gubernantur. Præter has etiam communes virtutes aliæ peculiares reperiuntur, vt ventriculo conficiendi chylum, vtero concipiendi, efformandique fœtum, oculis videndi, ac hepati sanguificandi, & aliis similiter. Supponere tandem oportet ex nostri corporis partibus quæ dictis facultatibus gubernantur, & quæ præ illis suas operationes edunt, alias esse, quæ sibi solis, alias non, sed multis aliis, vel toti corpori operantur: ventriculus etenim non solùm sibi, sed toti corpori chylum gignit, sic etiam hepar tum sibi, tum corpori reliquo sanguificat, eo quòd sanguinem ad omnes corporis partes nutriendas præbet; vteri verò operatio nihil corpori confert.

221 Quibus sic suppositis perpendendum est subsidia morbis adhibita prædictas vires offendere posse: nā cū vires, sive facultates in calore nativo (vt cōmuniter loquar) insito consistant, ob hanc causam remedia dictum calorem partium nativum resolvendo, ac immodicè laxando, seu rarefaciendo, aut ipsum suffocando, immodica scilicet refrigeratione, vel nimia copia obruendo possunt lædere, ac proinde dictas facultates offendere, dixi (vt sic loquar) nam rigorosè facultates non læduntur, cùm identificatæ cum anima rationali sint;

sint, sed quia calor nativus, qui illarum instrumentum ad operandum est, læditur ob hanc rationem prædictas facultates offēdi asserimus: calor enim noster nativus, quia vnà cum aliqua sēsibili evacuatione humorum per exhalationem evacuatur, aot quia attenuatus per insensilem transpirationem resolvitur, vel quia in sese nimis quasi compressus à vehementi frigore, aut præ multitudine aliqua soffocatus perit: vnde mediis evacuationibus immodicis, ac medicamentis relaxantibus, aut digerētibus, tunc facultates, sive vires, aut si volueris dictus nativus calor debilitatur, ac resolvitur, vel è contra ex nimio suffocante frigore, vel humiditate, vel alia humorum copia, aut prava qualitate extinguente, nimisque comprimente extinguitur: non aliter ex ipsis remediis pro morborum curatione adhibitis evenire potest.

222 Quibus sic jactis, scire opus est, partes, quæ alicuius facultatis origo sunt, vt cor, cerebrum, & hepar, eo quòd suā virtutem, sive robur immittunt in morborum curationibus, quàm maximè perpendendas esse, ne aliquem languorē contrahant, veluti etiam partes, quarom actiones seu opera toti corpori sūt necessaria, vt est vētriculus & jecur: nō enim huiuscemodi partes ita facili tolerantia, sicut aliȩ, quæ vim suam aut operationem non distribuunt curationem morborum perferunt: vnde si cor, aot cerebrū, jecur aut ventriculus aliquo morbo laborent, longè majori diligentia ipsis indulgere debemus, & ne eorum robur solvatur, magis quàm si crura vel brachia, aut similes partes morbo sint affectæ, magis est succurrendum: nam crura, brachia, & similia membra, tum auxilia relaxantia, atque digerentia, tom alias sensiles, aut insensiles evacuationes facilè admittunt, & sine noxa notatu digna sustinent; ab iis etenim remediis dictarū partium vires parum læduntur: ventriculus verò, jecur, & aliȩ principes partes à dictis evacuationibus, ac medicamentis laxātibus, & resolventibus nimis offenduntur, eorumque robur ita effloit, atqoc exsolvitur, vt etiam aliis partibus corporis noxam communicent; ventriculus videlicet, quatenus alimentū corpori concoquit, veluti jecur laudabilius, nēpe sanguinem, cor verò, & cerebrum, quatenus vitam, sensum, ac motum individuò præbent: nam quemadmodum huiuscemodi partes, dum sanæ sunt; suas virtotes, aut bona opera aliis elargiuntur, ita si aliquod vitium, aut notabilē noxam contrahunt, aliis etiam cōmunicant, ita vt earū particulare nocumentū aliis cōmunicatū vniversale reddatur, vt in atrophia, seu corporis consumptione, ex alimenti defectu, vel ob hepatis, aut ventriculi vitium, patet.

223 Præhabitis jam tanquam præmissis propositionibus allatis, cōclusiones satis notas Magister in hac textus parte proponit, inquitque quòd in morbis immaterialibus curatio non immutator, ex eo quòd actio sive opus partis morbo laborantis communis, atque vtilis aliis omnibus animalis partibus sit, sed sibi soli; nam si ventriculus, aut hepar præter naturam calefacti, aut frigefacti sint, quamvis non sibi soli, sed toti corpori suas actiones, seu opera communicent, refrigerari tamen, aut calefieri possunt, quantum recessus ab statu natorali postulet; hoc enim modo nec vires debilitātur neq; actiones lædūtur, imò intemperie ad statum naturalem conversa perficiuntur. In morbis verò materialibus, & qui vt solvātur evacuationem postulant, eo qoòd ex humoribus oriontor, si pars affecta, inquit Magister, soli sibi inserviat, audacter pront affectus indicet, sive suadeat, vacuare licet, nisi aliàs virtuti attendere opus sit, vt si pars laborans qualibet ex occasione, vel ex ipsa evacuatione languida sit, quoniam semper in evacuationibus virtuti ac eius robori est attendendum: quare si evacuanda pars ex illis, quæ toti corpori opus necessarium edit, sit; quemadmodum ventriculus, ac jecur, tunc quidem de virtutis robore, ac prædicto opere conservandis non levis solicitudo est adhibenda, imò maximè curandum ne magna semel evacuatione facta, virtus solvatur, aut operatio toti corpori necessaria lædatur.

Magister tamen in præsenti sibi quasi objicit, multas in nobis partes reperiri asserens, quæ opus toti corpori vtile atque commune exer[illegible], vt jecur & ventriculus, non tamen ideo in eis redundantiam vacuare formidamus; est porrò, ait, cōmune opus & venarū, & arteriarum, & cordis, & thoracis, & renū, & vtriusque vesicæ, tū eius quæ lotiū excipit, tū bilē, & cerebri; & hoc non obstante ex huiusmodi particulis quàm primùm vacuare redundantiam licet, prout volueris, & vt vacuantur partes aliæ, sive organa, quæ neqoe actionem, neque opus commune habent, vt sunt pulmones, trachiarteria, ac fauces. Cui objectioni Magister responsum præbens sic alloquitur: non est par actionum dignitas ad morbos curandos, sed aliæ magis, aliæ minus vtiles sunt; cùm igitur opera, sive actiones communes dictarum partium non omnes sint æqualiter vtiles, sed aliæ valdè, aliæ verò non ita vtiles: idcirco ad portionem dignitatis, sive vtilitatis actionum dignitas etiam cuiusque partis æstimanda est, illiúsque robori est prospiciendum. 224

Maxima igitur est cordis officij dignitas, atq; ægrotantibus maximè omnium necessaria, & consequenter in qualibet morborū curatione maximè perpendenda est, illiosqoe robur, quo magis fieri possit servandū: cerebri verò ad vitā quidē par est momentum, non tamen par robur illius in laborantibus requirimus: nam licèt cùm salute fruimur ad omnes voluntarios motus edendos cerebro, sive motiva virtute, quæ ab eo fluit, indigemus; cùm tamen morbo afficimur, ac in lecto decumbimus, non movemur, ideoqoe solùm ea cerebri virtute, quæ ad respirationem deputata est indigemus: quare sat erit ad profligandos morbos, si tantum animalis facultatis servetur, qoantum ad respirationis munus obeundum requiritur: opus tandem jecoris atque ventriculi cunctis corporis partibus pernecessarium est, non tamen ita ipsius necessitas assidua est, quēadmodum ipsius cordis: nam sine eo quòd hepar sanguinem, & ventriculus chylum generet, per aliquot dies vivere possumus, sine influxu 225

influxu verò cordis, nec temporis momentum vita frui: ac proinde, vt dictum manet cordis officij dignitas omnium est maxima, ægrisque perpetuò necessaria, ventriculi verò ac jecoris non ita est præstans, ea tamen est eorum indigentia, vt neque ex ventriculo, neque jecore nobis vtcumque liceat evacuare, sed cū cautione ne virtuti officias; qui ergo omnium partium tum actiones, vel opera, tum vsus, tum facultates rectè cognoverit, facilè quomodo, cuiusque robur in curatione custodiri oporteat observabit.

T E X T V S.

A figura verò indicatio ipsius modi evacuandi, &c.

226 IN hac tertia capitis parte incipit Magister à figura partis morbo laborantis) vt vertit interpres) ego verò non a figura, sed à figmento, sive à formatione partis laborantis suggeritur indicatio ipsius modi evacuādi quod prçter naturam continetur in ea: ventriculus siquidem ea formatione à natura est fabricatus, vt vomitu & dejectione inaniri possit, videlicet supernè per os, & infernè per piloron, & intestina: ipsa verò intestina dejectione, sicut jecoris cava pars; nam quamvis intestina supra, & infra vt ventriculus perforata sint, naturaliter tamen solùm per inferiora vacuantur, & ideò dejectione; tamen, inquit Gal. quod in se cōtinent, excernunt, vt etiam jecoris cava. Renes autem, vesica, ac jecoris gibba pars si multo vitioso'succo sunt referta, per pharmaca dejectoria expurgantur, scilicet revulsionis gratia, sin mediocri perdiuretica, ac per vrinæ meatus: cerebrum per palatum, nares, & aures: pectus per pulmones, asperam arteriam & fauces; & sic de aliis pro figmento, sive debita viarum formatione, aut dispositione ad expellendū; ex Hipp. quidem *aphor.* 1. *sent.* 21. quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, cò ducere per loca conferentia.

T E X T V S.

A situ indicatio dabitur, tum ad solidarum, &c.

227 A Situ partis in hac quarta capitis parte, inquit Gal. vt ab eius formatione indicatur quomodo fieri debeat morbi curatio, & per quæ loca, ac quo vacuationis genere humores redundantes atque vitiosos vacuare expediat: nam quoad modum curationis spectat, qui præ summa corporis intemperie laborant, eadem remedia admittunt, quæ intemperies requirit; quibus verò in profundo corpore intemperies adest, si medicamentis illis vtamur quæ intemperies postulat, subsidia, sive medicamēta multò imbecilliora, quam requiruntur ad partem laborantem perveniunt, quia scilicet in itinere, & quo maius intervallum adest, eorum virtus frangitur, & exsolvitur; propterea illo in casu fortiora, quàm morbus postulat, sunt adhibenda, vt cùm ad partem laborantem perveniunt intemperiem adæquatè remittere possint, sive ad statum vsque naturalem immutare.

228 Modum jam evacuationis, & per quam partem evacuare oporteat, situs laborantis partis, & societas cum aliis indicat: nisi enim sciremus, quòd cavo jecoris ventriculus subjicitur, veluti jejunum intestinum, & quòd jejuno alia vsque ad anum subjiciuntur, vtiq; nec possemus invenire jecur & per alvum, & per vomitum expurgari; sed aptius per alvum, tanquam vsu jam calentibus intestinis jecoris excrementa tolerare, sic etiam ex colligantia, ac vteri cum mammis societate, atque venis, tū infernis, tum superioribus scimus ex vtero humores retrahi, si cubiti venam quis secaverit, aut mãmis cucurbitas apposuerit, aut manus, atque brachia calefecerit, fricaverit, aut ligaverit: derivari verò, si quæ in poplite sunt venas diviserit, aut cucurbitulas femori admoverit, seu crura calefecerit, fricuerit, aut ligaverit: fluentium enim humorum retractio in contrariam partem est medela; locum verò jam obsidentium derivatio: atque si dextera vteri pars laboret, magis sanguis ex brachio aut crure dextero est educendus; si sinistra, ex membris illis è directo respondentibus: sic etiā si affecto liene ducere sanguinē expediat, vena sinistri brachij interna secatur, jecore autem laborante ex dextro brachio sanguis extrahitur, vt hoc modo rectitudo & societas ab Hipp. commendata servetur: jubet enim vacuationes per viciniores partes, ac è directo magis affectis particulis respondentes agere, vt quæ magis juvant, & citiùs succurrunt; si ergo aliqua ex partibus supernis inflammari contingat, vt in angina fauces, in ophthalmia oculi, & in quacumq; capitis parte extiterit, externas, & quæ è directo respondent, venas secabis, inquit Magister 2. *ad Glauc. cap.* 2. sive retrahere, sive derivare velis, nisi inveteratum jam malū sit: nam tunc ab affecta particula sanguinem duces: proinde in angina, venæ quæ sub lingua sunt, vbi vniversum corpus vacuatum est, & inveteratus affectus fuerit, inciduntur.

T E X T V S.

Non spernenda verò indicatio est ea quam sensus, &c.

229 IN hac vltima textus particula Galenus ex nimio sensu, vel hebetudine laborantis partis curationem limitari ostendit. Nam etsi, inquit, partes quæ tardi sunt sensus admittunt remedia, licèt non leviter mordacia sint: at quæ acuti sunt sensus exasperantur ab eis,

tis; & earum vires dolore resolvuntur, sive medicamenta mordicent, sive humores: si enim acris aliquis humor os ventriculi occupet, atque in eius tunicis imbibatur, in syncopem ægri sæpe labuntur, nisi leviter admodum mordax sit humor; tunc enim solam anxietatem, vel nauseam parit, vel tandem foras vomitu ejicitur: sic etiam si in oculos humor aliquis acer influit, maximum dolorem excitat ex Hippocrate 4. *acut. sent.* 27. cùm dolores accesserint, bilis atræ, acriumque humorum fluxiones fiunt, quia scilicet ab his succis acribus mordentur partes, exasperantur, atque corrumpuntur, & per consequens dolent; dum enim corrumpitur natura dolores fiunt: quare partes acuti sensus valentibus auxiliis ne mederi audeas, neque confertim, ac semel multum eis adhibeas; non enim sustinent, sed remedia quæ tuto potiùs, longiorique tempore, ac sensim operantur: nam ventriculi os neutiquam quod foris imponitur, sustinet, si gravet, minusque oculus, vtpote quia ab iis quæ illinuntur solet gravari; partes verò quæ sensu hebetiori constant, tum gravantia, tum mordentia medicamina facilè ferunt; propterea ab acutie sensus in morborum curatione indicatio remediorum individuatur ac limitatur.

230 *Dubitationes & notabilia super textum.*

Cùm in toto huiuscemodi libro vsque ad præsens caput plurimas curatrices indicationes ex natura morbi desumptas Magister tradidisset, tum etiam in præsenti capite alias multas ex natura partis affectæ assignasset, tandémque has vltimas, quia multùm limitant, atque singulorum morborum debitam curationem individuant, maximè commendasset; propterea nunc quæritur an indicatio, quæ a morbo, atque aliis rebus præter naturam sumitur, an verò quæ à parte affecta, eiusque natura perpenditur majoris momenti & pretiosioris præcepti sit? cui vt veritas innotescat sub distinctione respondeo, primò videlicet, quòd si supponamus vnã ex dictis indicationibus ignorari aliá cognita, maioris momenti erit, affectũ præter naturam cognoscere, parte affecta ignorata, quam è contra: ratio est: nam ex morbi cognitione genus remedij saltem cognoscitur, licèt non ad vltimam speciem aut differentiam contrahatur: cognito etenim auxilij genere, primum pariter curationis fundamentum patet, quod non contingit cùm partem affectam cognoscimus, & morbum ignoramus: nam si Medicus quòd aliquis calida intemperie laborat cognoscat; quamvis in qua parte sit affectus ignoret, ex ipsa tamen rei natura in frigidi remedij convenientis cognitionem ducitur, etiamsi quantitatem ac determinatam speciem ignoret: si verò aliquam partem læsam, aut morbo affici cognoscat, ignoret tamen qualis ipse morbus sit, quasi nihil haberet, anceps est, & circa remedium aut illius speciẽ dubius redditur, quia morbum à quo sumitur ignorat: quare si indicatio vtraque non cognoscitur, cognitio morbi longiùs præstantior erit; si verò tam morbus quam pars affecta cognoscantur, in hoc casu Indicatio, quæ à parte affecta sumitur, potior quàm quæ à morbo adest, cùm neq; à morbo, neque à morbi causa, neque ab aliis, quæ indicant præter naturam cognoscatur, aut indicetur, nisi tantùm auxilij genus; à parte tamen affecta & eius natura particulares omnes conditiones, aut differentiæ individuales debitæ curationis indicantur: natura enim partis laborantis limitat, & contrahit, vel mutat quod in vniversum morbus indicat.

Observandum etiã est, quòd ex multis, quæ sub natura partis affectæ, quæ vnà cum morbo indicat à Magistro cõprehensis, solum temperamentũ ipsius partis similia, sicut morbus contraria indicat; reliqua verò, nempe actio, situs, ac sensus neque similia, neque cõtraria in morborum curatione, sed tantùm modum, aut peculiarem remediorum speciem indicant. Nunc ergo de partis laborantis temperamento agens duo statuit, partes nimirum, quæ sua natura calidiores, frigidiores, aut humidiores sunt, si cõtraria intemperie afficiantur, veluti si partes naturâ suâ calidiores frigida intemperie laborẽt, diutiùs, ac liberaliùs calefaciendas esse: sed à contrario, si pars suâ naturâ calidior morbo calido corripiatur, parum, brevique tempore esse refrigerandam: hoc enim in casu morbi lapsus parvus est, cùm parum à statu naturali recedat. 231

In hanc tamen Magistri rationem argumẽtum occurrit: nam in vlceribus ani, ac pudendorum contrarium observandum expedit: quãquã enim huiuscemodi partes naturâ suâ multò humidiores quàm aliæ sint, cùm tamẽ dictis vlceribus humidis laborãt, non remediis parũ siccis, sed siccioribus, quàm quibus partes siccę curantur, v.g. caput. Cui respondeo, verissimum esse pudendorum & ani vlcera remediis valdè exsiccantibus curari, quia partes vlceratæ, licèt suâ naturâ humidæ sint, tunc non humectari, sed exsiccari postulant, quia non solùm vlceribus, sed humida etiã præter naturã intemperie ab humiditatibus vlceris contracta laborant; imò propter vitiosã, copiosámq; vlceris humiditatẽ partiũ corruptio minatur; propterea tum vlcus, tum talis humiditas excrementitia, partisque laborantis intemperies potenter exsiccari postulant: hæc tamen contra textũ non militãt: in casu enim proposito lapsus est magnus, seu vehemens; textus verò solùm vbi lapsus est parvus, morbúque parum à naturali statu recedit, alloquitur: natura enim quæ similia postulat, conservationémque requirit, temperata est, vel à temperata parum excedit: nam quæ nimis excedit, vt natura valdè biliosa, vel pituitosa non similia, neque conservationem, sed potiùs ad meliorem statum, sive ad naturam magis temperatam per moderata contraria reductionem postulant: vnde senes, quamvis sunt sicci, non siccis, sed potiùs è contrà moderato humidorum vsu conservantur: sic ergo dictæ partes plus justo humidæ petunt exsiccari. 232

Neque semper veritate vigere, quod Magister in textu inquit, videtur, nẽpe partes, quę facultatũ principia sũt, & actiones toti corpori communes edunt, ac simpliciter necessarias roborãdas esse, cũ potiùs in pulmonis, ac pectoris 233

affectibus laxantibus, quàm adstringentibus, & roborantibus remediis vtamur: etsi enim respiratio actio sit toti corpori necessaria ad vitam servandam; si tamen offenditur, & sensibiliter impeditur, vt in asthmate accidit laxantibus, & neutiquam adstringentibus, veluti in perineumonia, ac pleuritide, neque adhuc ipsis laxantibus adstringentia sunt miscenda, vt hoc modo partis robur servetur; ergo non est insequenda doctrina superiùs allata, videlicet partes, quæ facultatum principia sunt, & quæ actiones communes ac simpliciter necessarias toti corpori edunt, roborandas esse. Quod solvitur si respondeam, quòd quamvis indicatio desumpta à parte, quia præstanti, seu principe in roborationem medijs adstringentibus tendat, indicatio tamen, quæ ab actione & vsu expellendi excrementa thoracis magis vrget, proinde ne ipsis retentis vivens pereat, potiùs humida & laxantia, quæ dictam pectoris expurgationem facilitant, non verò adstringentia, quæ ipsam impediunt, exhibenda sunt: maior enim pars curationis affectuum thoracis, vt in pleuritide, perineumonia, & asthmate patet, in excrementorum purgatione consistit; quando verò sanguinis sputū vrget adstringentibus, vt vas apertum occludatur, solutáque vnitas curetur, adstringentibus vtimur, quamvis ista excrementorū expulsionē impediāt: vnde hujusmodi casus præceptū generale necessariò excipiunt.

234 Quæritur tandē, cùm apud omnes ex doctrina Gal. vt certum constet, quidquid præter naturā esse semper sui ablationem indicare, cùm certū sit, quòd illud quod secundùm naturam est, sui conservationem postulet. Vtrùm videlicet aliquando morbum, aut symptoma posse evenire, quæ sui ablationē non indicent, eo quòd læsionem non inferunt, neque verè præter naturam sunt, sed potiùs à natura pro sui conservatione, atque curationis gratia fiunt. Cui affirmativè respondeo: nā cùm fit pus, vt *2. aphor. sent. 46.* inquit Hipp. dolores ac febres augētur magis, quàm ipso confecto: puris autem generatio, seu materiæ concoctio est actio naturę, & morbi solutio, sive curatio; proinde nihil mali evenire potest, ex Hipp. vlceri pus generanti, & coctiones crisis celeritatem, & salutis securitatem demonstrant: quare dum fit pus, alijque humores, cōcoquuntur febres, ac dolores à natura fiunt, aut saltim coctionis gratia augentur; & quia alio modo concoqui nequeunt, neque ad statum naturalem revocari nisi per talem febrem, quæ re vera ipsorum humorū est fervor, quo concoquuntur: ac per consequens talis febris non curanda, sed conservāda est, vsquequo talium humorum concoctio omnino perfecta, consummatáq; sit, quo tēpore ipsa febris, quia fervor cessat à quo oriebatur, solvitur: propterea huiusmodi febres, quāvis cor, aliásq; corporis partes præter naturā calefaciunt, rigorosè, & propriè non morbi, sed naturæ opera sunt: nā etiā ex Magistro *1. ad Glauc. cap. 15.* dolor capitis decretoriā, vel sanguinis evacuationē per nares, vel vomitionē significans caput præter naturam molestat, & tamen symptoma non est, neq; curationem indicat, sed salubre signum est crisis gratia à natura factum, & vt per tales partes criticam sanguinis evacuationem, vel alterius humoris vomitum molliatur.

Ex quibus liquidò constat aliquid in nobis posse esse, quod præter naturam nos alterat, nō tamen sui ablationē indicat, quia potiùs naturę opus, quàm res præter naturā est: quare quando inquiritur, an quod præter naturā est, sui sēper ablationē indicet, solùm intelligi debere de eo, quod re vera præter naturam est, sive morbus, sive causa, sive symptoma re vera sit, sicq; quæstione jā percepta, respondeo, non sēper quod præter naturā est sui ablationē indicare, sed potiùs plurimos casus reperiri, in quibus quod re vera est præter naturā potiùs conservare, quàm auferre oportet, maioris videlicet beneficij gratia: si enim cū convulsione, aut paralysi moderata febris eveniat, quāvis re vera præter naturam, veréque morbus cordis, ac totius corporis sit, non tamen ex Hipp. curanda, sed conservanda est, quia convulsionis, aut paralysis est medella, quas solvere, majus multò beneficium quàm malū ipsius febris est. Lippientem similiter alvi profluvio corripi ex Hipp. bonum est: nam ille alvi fluxus lipitudinem, sive oculorum inflammationē curat, ex quo eventu longè majus cōmodum, q nàm ex evacuatione incōmodū ægro paratur; non aliter si capite laboranti dolor in pede excitetur, sinendus non curandus est, vt præ ipso dolore, quod caput molestat, ad partem infernam, videlicet pedem doleutem descendat: ita pariter si ægrum sine cibo continere oporteat, quamquam cibi fastidio corripiatur, ipsum non curare opus est. 235

Quibus non obstantibus, vt expositum manet, maximè dum aliquid præter naturā se offert, Medicus perpendere debet, an omnino noceat, an verò aliqua ratione magis juvare, quàm lædere possit: nā si quod præter naturam est omnino noceat, necessariò sui ablationē indicabit, si fieri possit; quo in sensu verissima erit propositio communiter prolata, videlicet quòd præter naturam est sui ablationem indicat: si verò res quæ præter naturam est juvare potest, aut actu juvat, sinenda est. propterea abscessus vllus neutiquam impediendus est: solùm enim Medicus, si quò non oportet vergat, revellere debet; sin autem quò oportet eò ducere, vt cum natura morbis internis afflicta ad extimas partes abscessum agit, & cùm principes partes ad sua emunctoria, veluti etiam superiores ad infernas, aut eavitates ad artus, sive ad cutim vniversam suas impuritates transmittunt: cùm enim in hujusmodi morbis tales abscessus, sive humorum translationes fiunt, nullatenus repellendi, sed potiùs juvandi; si, inquam, parvi sint, vel saltim conservandi si effatu digni, ac sufficientes ad naturam exonerandam sint, dummodo partem in ruinam non ducant: nam si eveniat tantam humoris copiā in particulam languidam fluere, vt gangrena, aut caloris nativi suffocatio immineat, casu in tali imminens malū pręcavere licet, non quidē repellentibus, quæ in iis casibus nunquam prosunt, sed evacuantibus, vt sanguinis missione, aut ipsius partis scarificatione: sæpissimè enim dicti abscessus in 236

morbis

morbis acutis fiunt, quia in vniverſali eorum principio non ſufficienter laborantes pro multitudinis ratione fuerunt evacuati, proptercaque ſemper evacuatione, quia natura oppreſſa eſt, indigent; quamquam in principio facta multò meliùs prodeſſet: nam incipientibus morbis ſi quid videtur tibi movendum, move, in ſtatu verò melius eſt quieſcere. Quæ doctrina non ſolùm in acutis ſervanda expedit, ſed etiam in evacuationibus ſymptomaticis, quæ in eorum principiis fiunt; hæ quidem, quamvis in principio eveniant, non ſemper ad perniciem ægrum deducunt, imò ſæpe à natura valida excitantur, vt hoc modo a ſarcina qua premebatur, levata victrix remanentis evadat. Propterea in iis evacuationibus humoris potiùs ſpecies, quæ excernitur, & conferentia ac tolerantia laborantis animadvertenda eſt, quàm coctio, quæ tunc, cùm morbus ſit in principio nulla re vera poteſt eſſe: ſi etenim quæ excernuntur ſolùm coctione careant, & ægri facilè ferant, ſupprimendæ neutiquam, ſed potiùs ſinendæ, aut juvandæ ſunt, donec hoc modo æger à ſarcina liberetur, ne intus relicta materia abſceſſum convocet.

273 Dixi notanter, ſi materia quæ excernitur ſolùm coctione careat: nam plurima quæ excernuntur, aut cocta, aut cruda expurgantur, præterea quæ cruda vacuantur, aut ſolùm carent coctione, aut non tantùm cruda, ſed prava etiam ſunt, vt omnès excretiones ſinceræ & lividæ, cruentæ, valdè fœtidæ, valdéque extremæ ſunt: quæ, inquam, ſolùm carent coctione, juvare poſſunt, proinde tenues ac ſeroſos humores ſtatim purgabis, vt Magiſter & nos cum eo *lib. quos, quibus, & quando* diximus, quamvis tenue, aſperum, & humoris expers ſit, crudum ex eodem Gal. 1. *de criſ. cap.* 11. De his igitur agens 1. *etiam de arte curat. ad Glauc. cap.* 14. ſic ad verbum ſcribit: Si febris accidat vnà cum alvi fluxu non eſt opus alia vti evacuatione, etiamſi non ſit pro multitudinis ratione: quicumque enim plus fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem miſerunt, aut purgarunt, in deteriora pericula laborantes deduxerunt: illa verò quæ evacuantur è corpore non ſolùm coctione carent, vt dixi, eo quòd tantùm cruda ſint; ſed etiam prava, præterquàm quòd nihil juvant, vt ait Magiſter 4. *aph. comm.* 22. pravæ diſpoſitionis ſunt ſigna, proindéque talia ſunt, neque præcedentibus ſignis coctionis exeunt benè, ſed ſemper cum formidatione: vnde Hippocrates morbis quibuſlibet incipientibus, ſi atra bilis, vel ſuprà infra exierit lethale eſſe dicit: imo etiam in profluviis alvi mutationes excrementorum juvant, niſi ad malum mutatio fiat, vel adſint ſigna colliquationis aut ingentis putredinis, vt ſi dejectiones pingues ac valdè fœtidæ ſint, de quibus in prognoſticis præſertim agitur: Quæ de omni huius libri ſelectiori doctrina, ac pretioſiori vtilitate adipiſcenda, ſufficiant.





COMMENTARIVM IN OCTAVVM LIBRVM GALENI de Methodo medendi.

EXPOSITIO II.

PRÆFATIO DE ESSENTIA, & differentiis Febrium.

1 E. METHODO, siue recta ratione curandi omnes febres acturus Galenus ab hoc Libro octauo vsque ad duodecimum inclusiuè, supponit totam doctrinam ac explicationem essentiæ febris, eiusque diuisionem in diarias, hecticas ac putridas; fortassis quia de his egerat vsque ad satietatem in libris de differentiis febrium: quare statim à diariarum curatione incipit, eámque *in hoc ac sequente libro* ferè in totum explicat, atque absoluit. Quod quanquam ita sit, quia tamen cognitio morbi ex ipso Galeno sit inuentio remediorum, ita vt qui benè noscit, benè curet, & qui malè noscit, malè curet; tum etiam quia hic agimus de rationali morborum curatione, quæ per indicationes fit, id est incipit à natura rei cognita, & inde quærit ac inuenit quid agendum sit, vt morbus curetur, vt *libro superiore* est visum: ideo nos nunc antequam ad textus expositionem, siue dictatum febrium curationem explicandam accedamus, ne quid hic deficiat ad benè curandum, scientificámque curationem indicandam, agemus præfationis loco de natura & essentia febris, de eiusque differentiis.

2 De essentia ergo febris breuiter ac verè, quantum fieri possit, acturi, ab his quæ in febribus sensibus nota sunt incipere debemus, & inde ad ea, quæ sensibus latent, nota tamen sunt intellectui, deuenire: nam hæc est ex Aristotele innata via, & debitus procedendi modus ad res abditas inueniendas. Quare cùm in febribus tria sint sensibus nota, ab earum expositione incipiamus: in febribus igitur experimur in primis, quòd calor noster præter naturam augetur, vel quòd febris quælibet nos excalefacit præter naturam, id est multò plus quàm nostrâ naturâ sumus calidi. Secundò experimur in febribus totum corpus incalescere præter naturam, & non vnam solùm aut plures partes. Tertiò tandem experimur in febribus pulsus semper præter naturam immutari, & multoties vrinas, licèt non semper vt pulsus: nam in aliquibus febribus, diariis scilicet aut hecticis vrinæ apparent similes naturalibus, imò & in aliquibus febribus malignis, vt suo loco videbimus: & hæc de sensibus notis in febribus.

3 Cùm febris sit accidens, & calor præter naturam accensus in nobis, non solùm quoad partes sentientes externas, sed & quoad internas insensibiles, vt docent mutationes

mutationes pulsus & vrinarum, quæ in febribus reperiuntur: pulsus enim est actio, siue motus peculiaris, primum cordis, deinde arteriarum, vt ait Galenus; atque ita mutatio pulsus in febribus dicit febrem esse passionem cordis, & arteriarum; similiter vrinæ sunt signa hepatis, ac venarum ex eodem Galeno, & consequenter cùm hæ in febribus præter naturam mutantur, etiam dicetur febrem esse passionem hepatis, ac venosi generis: cùm, inquam, febris sensibiliter sit calor præter naturam adauctus in toto corpore cum pulsuum mutationibus præter naturam in magnitudine, celeritate, ac frequentia, quæ calorem adauctum in corde significant: hinc est, vt cum Galeno communiter omnes Medici dicamus, ac statuamus, quòd febris est calor accensus in corde, & inde toti corpori communicatus, lædens operationes, id est ita adauctus, vt lædat corporis operationes.

4 Sed est aduertendum, quòd si ad esse febris requiritur vt sit calor præter naturam accensus in toto corpore, vt patet experientia, febris pariter erit morbus vniuersalis, ac toti corpori communis, & consequenter non poterit esse morbus cordis, vt instrumentum est, neque alterius corporis instrumenti, quia nullum datur instrumentum, quod totum corpus occupet; sed necessarium erit, morbus partis similaris, atque illius quidem, quæ totum corpus occupat, vel quæ à corde emanans in totum corpus diffunditur, vt est calor natiuus siue sanguis arterialis, & spiritus vitalis, qui in ventriculis cordis, & præsertim sinistro contenti, inde per arterias influit ad omnes & singulas corporis partes toto vitæ tempore, & sine mora aliqua, aut intermissione, vt sic scilicet & ipsi conseruentur, qui sunt semper mobiles, & omnes corporis partes actuent ac viuificent: etsi enim calor vnius partis possit per continuã alterationem vicinis communicari, & ita calor cordis possit tandem toti corpori communicari, scilicet pars post partem omnibus calefactis; in febribus tamen non sic febrilis calor toti communicatur, sed quia febris subjectum toti corpori est commune: qui enim calor per continuã alterationem ex vna parte ad plures, ac totum corpus transcendit & ingens est, & paulatim solùm communicatur, non subitò, & quasi in instanti, vt febrilis, quia scilicet in febre pars affecta non est membrum particulare, sed dictus calor natiuus cordis; hic enim quamuis vnicus sit, & vera substantia sibi cohærens, ac verè continua, ita tamen est mobilis ac fluida, vt à corde ad singulas corporis partes, quas in instanti, & quasi vnico ictu oculi se diffundit; & ideò cùm talis natiuus calor præter naturam accenditur, statim eius calor non tamen cordi; sed & toti corpori impertitur, & consequenter hic est potiùs febris subjectum, quàm cordis corpus.

5 Hæc sunt ita vera, vt quamuis Gal. sæpè, aut semper statuat febrem esse calorem præter naturam adauctum, primùm cordis, & statim totius corporis; *primo* tamen *aphorismorum*, *Commentario* 16. explicat hoc ænigma, dicens: *Quòd febris est conuersio natiuæ caliditatis in igneam naturam*; quasi dicat, quòd febris est calor natiuus in igneam caliditatem mutatus, id est non ignis factus, quia periret animal, sed supercalefactus, aut plus calefactus, quàm secundùm naturam esse debet, primùm accensus in corde, vt in proprio & perenni eius fonte, & inde toti corpori communicatus atque diffusus, lædens operationes corporis, quia præter naturam se habet, & morbus est factus: vt enim talis calor natiuus, dum tamen secundùm naturam se habet, & sanus est, rectè operatur omnes corporis & animæ actiones, vtpote animæ præcipuum instrumentum, ita si morbo afficitur, easdem necessariò lædit, cùm malè affectus benè agere nequeat: etsi enim cùm febre afficitur, vel alio morbo, non ideo desinit operari, quia scilicet non statim ab illo morbo in totum deuincitur, sed ei adhuc resistit, & corporis operationes, ac suas aggreditur: vnde communiter dicitur, quòd natura numquam dormit, sed semper intendit sui conseruationem, & materiæ peccantis, aut morbum facientis expulsionem: tamen dum morbosus est talis calor, perfectè operari nequit, sed eo magis malè, vel minus, quo magis aut minus morbosus erit factus, id est prout magis aut minus à morbo offenditur, aut vitiatur: quare & ex his concluditur, quòd calor natiuus præter naturam accensus est febris subiectum, hoc est substantia calida cordis viuens.

6 Est modò notandum, quòd morbus est affectus præter naturam, non vt cum-

que, sed qui permanet aut perseverans est in subjecto, id est qui per se solùm consistere ac perseverare in corpore potest absque aliquo conservante: qui enim affectus præter naturam sunt, sed propriam existentiam non habent, sed dependent ab aliqua causa conservante, non sunt morbi, sed affectiones præter naturam, quæ reducuntur ad causas morbificas, aut ad symptomata: quare non minus intemperies calida in toto corpore adaucta, nedum in ipso calore nativo erit morbus, neque febris, sed quæ talis erit in facto esse, id est, quæ propriam existentiam aut permanentiã habebit in corpore, sine eo quod detur aliquid à quo foveatur, aut conservetur: videmus enim quotidie ex motu immoderato, aut ex ira incalescere totum corpus, & quidem præter naturam, sed tamen tales calores non sunt morbi, neque febris, quia scilicet solùm sunt in fieri, & non in facto esse, id est, non habent à se ipsis permanentiam in corpore, sed à dictis causis, cessántque & evanescunt, si cessat dictus motus aut ira; quare vt calor præter naturam accensus in calore innato sit febris, ac morbus est, in subjecto vbi inest debet esse factus aut firmatus, ac fixus, vt jam propriam existentiam habeat, id est, vt ibi, quia fixus potius à se ipso conservetur, quàm ab aliqua causa calefaciente; etsi enim calor nativus, & quia est actu calidus, & quia est aëreus, ac pinguis, id est substantia facilè inflammabilis, potest facilè calorem præter naturam in facto esse, concipere, potissimùm si sit siccus, vt in extenuatis esse solet; tamen neque sic semper à causis calefacientibus afficitur præter naturam, neque in facto esse accenditur, quia ipse resistit in quantum potest, ac intendens sui conservationem, ac totius corporis.

7 Cùm igitur ad esse febris requiratur non solùm quòd sit calor præter naturam adauctus, sed & fixus atque firmatus in subjecto: ex his etiam dicendum convincitur febris subjectum, cui vt accidens inhæret, esse nativum cordis calorem: hic enim vt modò dicebamus, & quia semper actu est calidus in nobis, & substantia est facile inflammabilis, non solùm faciliùs quàm alia quælibet pars nostri corporis potest præter naturam accendi à qualibet causa calefaciente: sed est facilius, ac validius calorem conceptum conservare; siquidem similia similibus conservantur, & ex alia parte viscida est substantia dicti caloris, ideoque diu retinet quamlibet qualitatem semel conceptam: etsi enim substantia spirituum longè minus viscida sit, vtpote semper mobilis, & impetum faciens, vt ait Hippocrates, quàm substantia caloris nativi, qui est in humoribus, aut in partibus solidis; nihilominus, & hæc ita viscida est, vt facilè conservet calorem semel conceptum in se, vt experimur in febribus diariis: vnde ex omnibus traditis concluditur, quòd febris est calor præter naturam auctus, & factus, sive positus in facto esse in calore nativo cordis, & arteriarum, & inde toti corpori communicatus, lædensque totius corporis operationes sensibiliter.

8 Sed vt quæ statuimus penitiùs intelligantur, explicare placet quid & qualis sit dictus calor nativus, ac quomodo in omnibus febribus possit esse subjectum. Pro horúmque intelligentia debemus notare, quòd in nostra generatione, & in qualibet fœtus formatione, id est in humani corporis generatione, ac formatione à virili ac fœmineo seminibus in vulva ac vteri cavitate commixtis, ac per quinque aut sex primos dies quasi fermentatis extrahitur, ac separatur substantia quædam mixta quidem ex quatuor elementis ac quatuor humoribus, sed vaporosa multùm ac spirituosa, quasi in totum à materia excrementitia abstracta, lucida ac levissima, vndique sibi cohærens, & verè continua, vtpote multo humido, aëreo, seu lento, aut viscido perfusa, ac quasi nutrita: quæ quidem substantia ab Hippocrate & Galeno multis in locis calor nativus, sive naturalis ac vivens est calor innatus, id est, simul natus cum alis, & spiritus; ac per se mobilis, & denique natura datur, quia ab ea nostrum corpus tum esse, tum vitam, & conservationem accipit: hæc enim substantia à parentibus, seu generatoribus emanans & simul cum suis seminibus in vteri cavitatem illapsa, ita in primis diebus conceptionis vel generationis nostri corporis actuatur, & à materia seminum seclusa ita efficax expedita, & omnipotens redditur, vt quasi divinitùs intendat, aggrediatur, ac compleat ipsam fœtus generationem, sive totius humani corporis efformationem.

In

9 In principio enim, & statim atque in vtero excitatur, aut actuatur, ex portionibus vtriusque seminis, & materno sanguine inter se commixtis, attemperatis, ac vnitis, partes nostri corporis spermaticas architectat, & effigiat, vt quæ totius ædificij sit fundamentum; & simul in earum centro, siue in centro corporis tres partes principes, id est primas & magis principales ad vitam conservandam, scilicet cor, cerebrum, ac jecur ædificat: cùm enim talis calor nativus, & quia actu calidus est semper, & quia substantia est tenuissimus, humidissimus, ac semper fluidus sit admodum dissipabilis; Idcircò, vt conservari diu integer, ac sine exsolutione posset, primùm omnium domum sibi construere in generatione fœtus aggreditur, scilicet ex dictis partibus spermaticis, tanquam ex parietibus, externis & dictis partibus principibus, tanquam interioribus cubiculis, vbi non solùm contineatur, & ab exsolutione liberetur, sed quasi ibi concretus, aut in se compressus roboretur ad validiùs operandum: virtus enim vnita est fortior se ipsa dispersa; & ob has causas solidas dictas partes solidis substantiis dotabit, id est firmis, ac multùm densis, vt sic magis ac meliùs dictum calorem continerent, & ab exsolutione tutarentur, & similiter dictas partes principes tum densis substantiis extruxit, tum multis interioribus cavitatibus excavavit, vt in illis magis reconditis diutiùs conservaretur, suámque vitam sic diutiùs prorogaret, & denique sic robustior factus totam fœtus formationem, & humani corporis fabricam, vel potiùs machinam magnam absolveret.

10 Fecit autem non vnam, sed tres dictas partes principes calor nativus, vt qui non sibi soli, sed & animæ rationali, cuius est præcipuum organum, ac instrumentum, & toti corpori consuleret; vt enim sibi cor construxit, ac fabricavit: ita animæ cerebrum, & totum caput, vbi tanquam in arce superiore & residere, & toti corpori posset etiam facilè providere; jecur tandem condidit, vt se ipsum, ac totam corporis fabricam conservaret: cùm enim tum ipse calor nativus, tum omnes corporis partes adhuc solidæ in dies exsolverentur, imò singulis horis atque momentis, vtpote, quia omnes, saltem viventes, à prædominio, siue humidæ, id est fluidæ, vel quæ semper siccantur, ac resolvuntur; ideo jecur etiam protinùs generavit, ac extruxit, vt per illud sanguinem, aut massam sanguinariam semper haberet, quo & totum corpus, & seipsum nutriret, ac conservaret, scilicet per concoctiones, ac nutritiones restaurans, quod continuò deperditur, labitur, ac consumitur, tum totius corporis, tum ipsius caloris.

11 Condidit quidem dictas partes, & earum vnam quamlibet, imò & quamlibet aliam corporis partem viventem ex tribus diversis substantiis, scilicet solida, carnosa ac spirituosa, tanquam ex tribus elementis; solida scilicet vt diutiùs servaretur, carnosa verò vt humida semper permaneret, & denique spirituosa, vt per illam viveret: partes enim carnosæ & solidæ, quamvis mixtæ sint ex quatuor elementis, tum communibus, tum particularibus, tum neque sic vivunt, sed adveniente eis dicta substantia spirituosa, quæ ipsas actuat, & actu vivere facit toto vitæ tempore: tam diu enim vivunt ac conservantur dictæ substantiæ solidæ ac carnosæ, quàm diu cum illis juncta servatur dicta spirituosa; & quo tempore ista deficit, & dictæ substantiæ mortuæ remanent, & intra paucum tempus concipietur, & earum mixtio dissolvit, vt in mortuis corporibus experimur quotidie.

12 Etsi enim hæc tertia spirituosa substantia non sit in partibus, ita sensibilis, vt solidæ ac carnosæ; dum hæ tum vivunt, & dum corpus vivit, semper cum illis conjuncta est, quæ ipsis infusa reperitur, quasi illas informans: actu enim illas calefacit ac vivificat, imò sua spirituosa substantia eas moderatè replet, siue moderatam corpulentiam eis impertitur, & vividum, siue vitalem colorem imprimit, vt in syncope experimur: qui enim syncope corripiuntur, quamdiu durat, tamdiu mortui jacent, sine sensu, sine motu, aut alia sensibili actione, tum etiam actu frigidi sunt, extenuati, & mortali calore affecti, quia scilicet in his dum syncope durat dicta substantia spirituosa à dictis partibus solidis & carnosis secernitur, retrahiturque ad suam originem, vt in somno facultas animalis sensifica & motiva, quousque ablata syncope redit iterum ad dictas partes actuandas, & illæ iterum ipso stante vivunt, ac calorem, calorémque vitalem recuperant, & moderatam corpulentiam omnes actiones

vitales.

vitales. Ex quibus colligitur, quod ista substantia spirituosa in singulis partibus viventibus reperta est calor natiuus de quo loquimur, à se vivens, & aliâ vivificans omnia efficiens, atque perficiens quæ in hominis generatione, & in admirabili humani corporis fabrica constructa reperiuntur, quamvis opus videatur potius divinum, quàm naturale humanum corpus organizatum.

13. Cum enim anima rationalis sit actus corporis physici, & organici, supponit, antequam corpori adveniat tale corpus, organicum, & benèquidem, atque secundum omnes suas partes absolutum; & consequenter hæc omnia operatur in vtero dictus calor natiuus, antequàm anima à Deo creata, corpus ingrediatur, quòd in viris solet esse trigesimo quinto die post conceptionem, & in fœminis 45. Ex quibus etiam colligitur, quòd calor dictus natiuus in cordis ventriculis contentus, & potissimum in sinistro est, qui inde per arterias influens non tamen in cerebrum, ac jecur, sed & in totum corpus, atque in singulas corporis partes, desinit in illam substantiam spirituosam, quæ ipsas actuat, imo primo mixtas facit, ac componit ex quatuor elementis, postea debitum figmentum, sive formationem eis impartitur, & tandem ipsas actuat, sive vivificat, quasi esset earum forma: non enim simpliciter, sed anima ipsa, cujus subjectum est corpus ex tribus illis substantiis, scilicet solida, carnosa, ac spirituosa constitutum, atque compositum: vnde, & hæc spirituosa substantia est vinculum animæ cum corpore, & eius immediatum subiectum ac conservativum: nam etiam abeunte hoc nativo calore anima abit, & corpus, ac omnes partes eius relinquit, ut patet in jugulatis, & in illis qui sani sunt & repente suffocantur ac moriuntur; non enim in his corporis partes integrantes deficiunt, sed tamen dictus calor natiuus & anima: verum sit quod illis absentibus parum durant, sed corrumpuntur breviter, quia ab illis servantur.

14. Ex dictis tandem colligitur etiam quod in singulis partibus corporis viventibus datur duplex calor natiuus; unus scilicet qui à Medicis dicitur complexio naturalis, id est, qui simul cum aliis elementis complexionem, sive temperamentum partibus tribuit, & componit; & alius vitalis quique ipsis vitam actualem tribuit, ut enim una quælibet pars vivens non tantum vivens est, sed mixta, ita duos petit calores naturales per quos constituatur tum in esse mixti, tum in esse viventis, quare calor naturalis, qui constituit partem in esse mixti, & ille qui simul cum aliis elemetis componit, constituitque ipsam partem, & peculiari ratione mixtam facit, est, non utcunque mixtam, sed tam diversa ratione, quantum ipsa pars ab aliis omnibus distinguitur, diversaque esse apparet: & ideo iste calor, & si non sit actu talis, sed in potentia. Complexionalis quæ simul cum aliis elementis, est tum naturalis, singularis, & insitus, in qualibet parte mixta, neque potest ab ea separari unquam nisi mixtio solvatur, & pars corrumpatur, quia scilicet, ipsa constituit in esse mixti, & mixtionem conservat: calor verò vitalis partes actu vivificans, est ille calor qui à corde emanans per arterias influit in totum corpus, & arterias egressus infunditur, & quasi imbibitur in partibus mixtis ut eas sic actuet, sive actu calefaciat, vivificet, & simul cum ipso omnes operationes vitales operari faciat: unde iste calor vitalis scilicet in partibus viventibus infusus contineatur, non est insitus ipsis, ut complexionalis, sed separabilis ab illis, ut diximus separari in syncope retrahitur in ea ad cor; unde emanat semper.

15. Itaque calor natiuus noster, qui in singulis partibus viventibus infusus reperitur toto vitæ tempore, eas actu vivificans, est idem cum spiritu vitali, & sanguine arteriali, sive cum vitali calore cordis, sive qui in sinistro cordis ventriculo, ut in fonte perenni toto vitæ tempore continetur, & conservatur, ut inde influat in totum corpus, non enim agentia naturalia agere possunt, nisi attingant passum; & consequenter neque talis calor natiuus operari potest quamtumvis sit vitalis nisi ipsas partes attingat, in quibus operatur, aut quibus tamquam instrumentis vtitur ad operandum, nam revera omnes partes corporis sunt eius instrumenta varia, quibus opus habet ad omnes corporis, ac animæ exercendas operationes, cum enim ipse in se non sit varius, sed vnus semper, & idem in omnibus consequenter indiget variis instrumentis ad diversimodè operandum, vel saltem varia petit instrumenta, nempe dictas corporis partes diversas, ut in illis infusus, ac quasi imbibitus ab illis varius fiat, sive individuetur

viduetur in singulis ad operandum in partibus, id est influxu animali vt in facultate animali experimur, & si enim facultas animalis à cerebro emanans una, & indifferens est ad sensus, aut motus animales efficiendos, cum tamen, instrumentis est infusa individuatur ut in oculis ad visionem tantùm efficiendam, in lingua ad loquendum, vel sapores percipiendos, in musculis ad movendum; & sic de aliis: hoc ergo idem accidit in calore nativo, sive vitali cordis, iste enim in se, & à corde egrediens, unus est & indifferens, ad quodlibet operandum; cum verò in diversis partibus imbibitur varius fit, determinaturque ab eis per suum singulare temperamentum insitum, ad hoc potius, quàm ad aliud efficiendum; sicque quamvis unus semper sit, & idem omnia potest & omnia quæ in corpore fiunt operatur, quamquam sint fere infinita.

16 Dixi quòd calor noster natiuus, atque vitalis, unus est semper in se specie, & idem in omnibus, quamvis in singulis varius fiat ob peculiarem complexionalem naturam, atque mixtionum singularum corporis instrumentorum, quibus infunditur ad operandum: quia ut docet Galenus 5. *simpl. capite 9.* talis calor spiritus est in se, sive spirituosa substantia, illa scilicet quæ ex Hippocrate copiosissima cum sit in pueris omnes actiones naturales adauget: *Hanc ergo noster ait Galenus in quocumque animantium natiuum spiritum nominamus, quia re vera spiritus est, i. est, semper spirat semper, vivit, semper mobilis est, semperque operatur sine intermissione aliqua verum nihil prohibet*, (addit Galenus) *sanguineam substantiam, simul aëream vnà cum spiritu calidum in audire innatum, quia scilicet talis naturalis spiritus in se tenuissima sanguinis pars est, atque aëris, ex eisque toto vita tempore nutritur*, tum etiam quia quamvis spiritus dictus vitalis à partibus atque humoribus abstractus purus spiritus sit, semper mobilis ac perperuo spirans, vt cum in cordis, cerebrique ventriculis, ac cavitatibus arteriarum continetur, cum tamen partibus ipsis viventibus atque humoribus naturalibus infunditur, atque imbibitur ab istorum substantia lenta firmatur, atque quiescit, ita ut amplius non pulset, neque spiret, sed solum per insensibilem transpirationem corporis ventilatur, quasi tunc non tantum spiritus sit, sed simul cum sanguine ac aëri identificatus, materialis, & crassus factus, & si sit spiritus semper, idem in omnibus & singulis partibus, & hæc de tota essentia nativi caloris, ac eius operibus tamquam instrumenti animæ.

17 Ex tradita notitia, atque natura nostri caloris cordis, atque totius corporis intelligitur clare, sicut ex antea prælibatis, esse hunc nativum, atque vitalem calorem subiectum in omni febre, quamvis febris dividatur, in diariam, putridam, hecticam, ut postea videbimus: cum enim dictus natiuus calor sit actu semper calidus, semperque à corde ad totum corpus diffundatur actu calefaciens, sequitur necessariò ex eius caloris præter naturam augmentatione solum cor, & eius adnata, nempe arterias præter naturam esse excalefacienda, sed & reliquum totum corpus idque consistet quovsque talis calor natiuus preter naturam accensus perseverabit: quare de isto calore præter naturam adaucto, loquitur, atque intelligitur Galenus, quoties dicit, ac docet febrem esse calorem præter naturam accensum primum in corde, & deinde toti corpori communicatum, nisi aliquid impediat talem communicationem cum toto, & similiter de isto calore nativo loquitur, atque intelligitur quando dixit quod febris *est conversio nativa caliditatis in igneam naturam*, & nos pariter de hoc calore loquentes concludimus, quod febris est calor natiuus in igneam mutatus naturam, sive præter naturam excalefactus primùm in corde, deinde in toto corpore nisi aliquid impediat, ut solet aliquando accidere, lædens operationes in partibus interioribus principaliotibus inflammatis. Hic iterum dico etiam quod quamvis in calore nativo dantur duo, substantia scilicet & calor; in febribus temen non requiritur, quod & substantia, & caliditas mutentur in igneam naturam, sed, sola caliditas præter naturam adaucta in dicto calore natiuo facit febrem, si permaneat, etiam si eius substantia non adutatur; neque aliquam sensibilem jacturam, ac diminutionem, aut corruptionem patiatur, ex tali febre, sed substantia nativi caloris remaneat in suo esse, ut erat ante ipsam febrem: & sanè res ita est; nam alias in febribus non operaretur, neque benè, neque malè, si & quoad substantiam, & quoad caliditatem præter naturam mutaretur, ut experimur in illis in quibus vel ob morbi malignitatem, vel ob longitudinem, aut aliam

rectè Galenus declinante febre multos mori quia non eſt vera declinatio ſed falſa, ſcilicet ſoluto calore vitali id eſt quia emoritur,vel ſaltim tunc incipit mori vt ex pulſibus pravis,& ex aliarum facultatum extinctione colligitur,ſive ſubito intereat, vt ſi ſuffoeatur,ſive ſenſim vt cum reſoluitur,tunc enim paulatim emoritur,& in dies ſenſim deficit, & febris pariter magis in dies deficit, ideoque imperitis ſpes melioris exoritur, cum tamen ſit moribundus æger. Imminuuntur autem iſtæ febres, vel in totum deficiunt,quoniam ſpiritus natiuus emoriens,& ad minimam molem redactus,aut nullam, aut non niſi paucam flammam poteſt efficere,ſcilicet cauſæ calorificæ, & incendium facientes vehementes exiſtant: Et ſi enim potẽtia inflãmationis aut putredinis humorum vigeat,poteſt ceſſare febris,vel digeſto fervore in materia putrida, vel ex defectu caloris nativi,vt in Hermocrate acciditſe docet Galenus 3. *epidem.p.1. ægr.* 1.hic enim à principio vſque ad 10. & febre acuta, & aliis multis pravis ſymptomatibus laborans circa vndecimam leuata omnia viſa ſunt & 14. abſque febre fuit, dormivit, prorſuſque mente conſtitit,non ſcilicet quia vera eſſet febris declinatio,ſed quia calor natiuus moriebatur,vndecimo enim cœpit declinare,& à malignitate morbi devinci,& ideo tunc omnia leuata viſa ſunt ; 14. autem in totum eſt devictus, & ideo in totum febris ceſſavit:poſt quam ſolutionem,etſi circa 17. & ſequentibus incaluit,redivitque febris acuta ſtatim 20. iterum iudicatus ſine febre fuit, vtque non fuit ratione caloris nativi iterum ferventis accenſa,ſed ſola putredinis ratione & ſuccenſis in modum febris putreſcentibus humoribus,cum enim nativa caliditas,ait Galenus ob imbecillitatem coctionis non aggreditur,neque dolent laborantes,neque febriunt,niſi valdè parum,& ſi tunc multum corpus accenditur, vt huic contigit 17.& 24. diebus,fit ſolum ob nouam putredinem humorum,ideoque febris citò,ceſſat,ac de repente, ſcilicet vt ceſſat fervor in materia putrida,& vt ceſſant acceſſiones in febribus intermittentibus,& alijs hujuſmodi.

22 Ex his apparet ſolutio argumento ex febre ſyncopali deſumpto,quod probare conatur non omnem febrem eſſe calorem præter naturam adauctum: ſic enim arguitur, febris ſyncopalis eſt vera febris in omnium opinione ; atqui in ea calor natiuus cordis non eſt adauctus,ſed potius, è contra præter naturam imminutus,vt docent pulſus qui in ea ſunt parviſſimi, tardi, & rari, quique ex Galeno non cordis caliditatem redundantem,ſed frigiditatem ſignificant,ergo non omnis febris eſt calor præter naturam accenſus in corde &c.Reſpondetur enim febrem ſyncopalem eſſe veram febrem, in qua calor adauctus, poſtulat pulſus magnos,celeres, & frequentes ; cum his tamen pulſus vel nullus vel parviſſimus eſt debiliſſimus, tardus,ac rarus. Quia deficit facultas pulſatilis, ac dictus calor natiuus pulſans, ſive arteriarum movens; deficit autem in ſyncopali febre facultas pulſifica, quia ſyncops eſt præceps, id eſt vehemens, ac repentinus omnium virium lapſus,ſive defectus,ſed potiſſimum vitalium,& per conſequens pulſificæ facultatis, ſive caloris vitalis cordis. Etiam 2. arguitur in febricitantibus morti proximis ſolet expiratio eſſe frigida,ergo quia tunc neque calor eſt præter naturam accenſus,in corde, neque illa febris conſiſtit in calore præter naturam. Reſpondet Galenus 3. *de criſibus*, *c.5.* quod circa mortem ſæpè febrilis calor vna cum nativo expirat: ideoque nihil mirum ſi ambobus deficientibus reſpiratio eſt frigida, & pulſus deficit atque vita.

23 Tandem vt huic diſputationi de natura,& eſſentia febris,atque nativi caloris finem imponamus ſolum explicandum reſtat qua ratione vivit calor dictus natiuus in nobis: nam in noſtro corpore illas ſolum partes viuere experimur quæ ſunt animatæ,ideoque dentes non vivunt quia anima non informantur,neque capilli,aut vngues:& quod iſte calor natiuus anima informetur non oſtendit,tum quia ante ipſam animam eſt in corpore,& tunc ſaltim non informatur ab ea,tum etiam neque poſtea, quia eſt ſeparatus à corpore,& potius pars contenta,quàm continens,anima autem ſolum informare poteſt partes corpus componentes, ſive partes quæ continentes ab hippocrate dicuntur non autem contentas vt ſunt humores, neque impetum facientes vt ſunt ſpiritus, & dictus calor natiuus. Pro ſolutione eſt notandum,quod vivere in vniverſum ſtat dupliciter, nam imprimis quidquid vivit vel à ſe, vel ab alio vivit, vt in corpore, & anima conſtat: corpus enim non à ſe ſed ab anima vivit, anima verò vivit à ſe, & ideò etſi anima ſeparetur à corpore vivit ; corpus autem ab anima ſeparatum mortuum

G

tuum est. Prorsus sive à se, siue ab alio, aliquid vivat, adhuc vivere stat dupliciter scilicet in actu 1. & vivere in actu 2. vivere in actu 1. non est aliud, quam rem aliquam in se, & in sua natura continere, sive includere vitam, qua vivit; vivere vero in actu, 2. est operare actiones vitales, vt cum res à se ipsa conservatur per nutritionem, aut de ambulationem &c.

Itaque quod vivit in actu primo, nihil operatur, sed solum in se vitam continet,
24. & virtutem ad operandum actiones vitales: & ideo quod tales edit operationes dicitur vivens in actu, 2. sive in exercitio. Anima ergo rationalis antequam corpori adveniat aut postquam à corpore separata est vivit in actu 1. quia revera continet in se vitam, & potentiam ad operandum actiones vitales, non tamen vivit in actu 2. quia hæc non operatur actiones vitales, non enim anima nutritur neque augetur, sed est purus actus à Deo creatus ex nihilo spiritualis incorruptibilisque, & per consequens nulla indigens aut nutritione, aut augmentatione, quare solum anima cum est corpori physico organico unita vivit in actu, 2. quia tunc operatur actiones vitales: ipsa enim tunc corpus actuat, primum, id est actu vivens facit, & postea toto vitæ tempore ipsum conservat, vel auget, ac perficit, scilicet per quotidianas alimentorum coctiones per nutritiones, & reliquas naturales, ac vitales operationes. Quamvis enim anima non consumitur rationalis, corpus tamen & reliqua quæ in eo sunt in dies exoluuntur; imo singulis horis, atque momentis, ideo continua indigent reparatione sive refectione per nutritionem, & reliquas naturales, ac vitales vt ex eo patet, quod si anima à corpore separatur, statim corpus corrumpitur quia scilicet non à se, sed ab illa conservatur, & vivit toto vitæ suæ tempore. His sic notatis atque explicatis, consequenter dicimus quod calor, noster natiuus est à se vivens, & non ab alio neque ab anima, cum enim antequam anima corpori adveniat ipse sit, operatur que non solùm sui conservationem, sed & totius humani corporis admirandam fabricam, atque organizationem, quis dubitare poterit, quod tunc vivit? & quidem potius à se quam ab anima aut à corpore cum ante vtrumque ipse existat, ipseque corpus generet, & non à corpore generetur, quod erat notandum ab illis qui dicunt generari à corde: falluntur enim, cum ipse potius cor generet ut & alias corporis partes, sitque ante omnes illas & ante totam generationem, ad id quod dicitur in nostro corpore solum partes animatas vivere, vel solumque anima informatur. Respondetur quod quæ non vivunt à se, ut sunt corpus & omnes eius partes continentes, ut vivant debent necessariò anima informari, verũ est. At quia calor natiuus à se vivit non indiget anima. An vero hoc non obstante informetur anima, necne si quæsieris. Respõdetur quod cum sit vinculum animæ cum corpore calor natiuus informabitur ab illa, imo neque corpus omnino materiale anima potest informari nisi per dictum calorem vtpote spiritum & animæ sic appropriatum subjectum vinculum, atque instrumentum ad existendum, & operandum omnes corporis actiones tamen non solùm animales, sed vitales ac naturales sed denique. Quomodo ab anima informetur calor natiuus si non est vnitus corpori, sed pars potius contenta, quàm continens. Respondeo res spirituales vt anima est, & dictus calor non possunt ita uniri inter se, nec materialibus sicut istæ inter se, quare sat erit si conjungatur, ut cum calor natiuus infunditur, sive imbibitur in singulis corporis partibus, at hac saltem ratione anima & dictus calor absque dubio iunguntur, & fiunt unum, ut patet in iugulatis, in quibus anima abit; quia eius vinculum simul cum sanguine vacuatur, nempè spiritus vitalis & calor natiuus: quare & de his satis.

Expositis iam quid sit febris, & eius subjectum ad febris differẽtias explicandas accedamus, febrium differẽtiæ vel essentiales sunt, vel accidentales: essentiales esse dicũtur
25. quæ ab essentia febris desumuntur, ut quæ sumuntur ab ipso calore febrili aut eius subjecto: accidentales verò quæ ab aliquo febris accidente, ut sunt febres continuæ, aut intermittentes, febres quæ repetunt per circuitus aut non, febres quæ incipiunt cũ rigore, horrore, aut refrigeratione vel non, & multæ aliæ istiusmodi: essentiales verò febris differẽtiæ aliæ ex qualitate febrilis caloris sumũtur, aliæ ex motu illius, & deniq; aliæ ex subjecto: & sic enim febris cum in solo calore præter naturã adaucto consistat ut visum est, in sua tamẽ essentia tria dicta includit, subjectũ scilicet, quia est accidẽs, & reliqua duo, quia concomitantur ipsam febrem, ut proprietates essentiam. Ex qualitate ergo caloris febrilis, oriuntur febres illæ quæ dicuntur magnæ, aut paruæ, vel rectius intensæ

tenſæ,aut remiſſæ,aut ardẽtes,vel mites;magnũ enim,aut parvũ quantitatis,potius quã qualitatis ſunt differẽtiæ:ex modo verò motus caloris oriuntur illæ febres quæ dicũtur lõgæ,aut breves,acutæ,aut non acutæ;denique ex ſubjecto dividitur febris in diariam, putridã,aut hecticam,vt ſtatim videbimus differenti febris,quæ ex qualitate, ac motu caloris ſumuntur à materia pendent vt ſubjecto,nam calor febrilis ideo multum, aut parvum intenditur quia eius materia, aut ſubjectum plus aut minus ardet aut accenditur, ſic etiam ſi calor febrilis celeriter movetur,& cito tranſit ſua tempora ideo eſt quia eius materia tenuis eſt, facile accenditur, facileque conſumitur, è contra ſi calor febrilis tardè movetur , & lento gradu ſua currit tempora , ideo eſt quia materia, quæ ardet vel febrem cauſat craſſa eſt,aut viſcida,ac lenta multum reſiſtens incendio, aut conſumptioni, quare differentiæ, quæ ſumuntur à materia eſſentiales & maximè propriæ à Galeno ſtatuuntur, ideoque earum curam tradit his libris.

26. Cum igitur differentiæ febrium maximè propriè & maximè eſſentiales, à ſubjecto febris vel materia deſumantur:hinc eſt quod tales differentiæ ab aliquibus à materia, ab aliis à ſubjecto ſumãtur,qui à ſubjecto has diſtinguũt differentias & dicunt quod cũ febris ſubiectum ſit;cor & eius calor natiuus,in ſpiritibus,in humoribus,& ſolida eius ſubſtantia contentus ; conſequenter ſunt tres febrium differentiæ à ſubjecto petitæ, ſcilicet diaria,ſive ſpirituoſa,aut in ſpiritibus cordis accenſa;in illis ſcilicet, qui in eius ventriculis continentur,putrida in humoribus putreſcentibus,ſive tales humores putreſcentes ſint ipſius cordis vt in malignis,ſicut humores putreſcentes potius in venis, vel aliis partibus cordi communicentur,vt in febribus putridis ordinariis contingit, & denique hectica quæ in carne,ſive corpore ipſius cordis accenditur,nam corpus cordis dicitur pars ſolida,quamvis non ſolum febris cõſter,quæ ſunt ſolidæ,ſed & propria carne,quæ ſolida non eſt,ſed tantum febris illis vere ſolidis intertexta: ſi enim ſpiritus vitalis in corde contentus,vel alis cordi communicatus (nam non datur alius) ab aliqua cauſa calefaciente igneſcat præter naturam in facto eſſe,inde humores,& partes ſolidæ quæ ſunt in corde ſolum in fieri incaleſcunt, & per conſequens tunc ſolum fit febris diaria:ſi autem humores,qui in corde,& arteriis continentur igneſcunt in facto eſſe, ex his ſpiritus,& partes ſolidæ tamen in fieri incaleſcunt,atque ideo ſolum febris fit putrida,vel humoralis,denique ſi partes ſolidæ cordis accendantur præter naturam in facto eſſe inde humores, & ſpiritus ſolum in fieri accenduntur ; & ideo tam fit febris hectica, & ſi enim ſubſtantia ſpirituum,atque humorum,quantum eſt ex parte ſua poſſit facilius igneſcere,quam partes ſolidæ, hoc tamen non eſt ita ſimpliciter ac ſemper neceſſarium quàm etiam fiat quod partes ſolidæ incaleſcant in facto eſſe,& humores, ac ſpiritus tantum in fieri & ita verè & realiter dicitur febris hectica.

27 Hæc eſt communis ſententia,& explicatio,dictarum febris differentiarum ; quæ tamen aliquibus magnis Medicis non placet ; quia ſic non aſſignatur ſubiectũ febris in communi,quod debet prius aſſignari,& vnum quidem in omnibus quia genus eſt commune omnibus ſpeciebus,& ideo vnum,vnde iy ſubjectum febris in communi dicunt eſſe calorem nativum,atque vitalem cordis,qui vnus,& idem eſt in omnibus febribus ſive ſint diariç,ſive humorales,ſive hecticæ,hunc cordis calorem natiuum nõ omnes,ſignant,& vnde,nam Capivacius docet eſſe inſitum,illum ſilicet quẽ nos ſupra multoties diximus infixum, ſive imbibitum in ſubſtantia ſolida cordis,& in ſingulis aliis partibus viventibus noſtri corporis. Montanus Veronẽſis dicit eſſe calorem natiuum in cavitatibus cordis,& arteriarum cõtentum:putat ergo Capivacius inſitum aut infixum cordis calorem eſſe febris ſubjectum;quia iſte eſt qui vnà cum ipſa ſubſtantia cordis informatur anima rationali,& ideo eſt verè vivens:Montanus autem potius influentem,ſive in cordis & arteriarum cavitatibus contentum,eo quod iſte eſt ad cujus alterationẽ, ſeu murationem pulſus alteratur,& mutatur,vt alterari & mutari in qualibet febre experimur,alij verò ambos amplexantes dicunt ſubjectum in omni febre eſſe vnum natiuũ, atque vitalem cordis calorem influentem & infixum, non enim calor vitalis ſingulis partibus viventibus infixus,neque in ſubſtãtia cordis imbibitus diſtinguitur ab influẽte ipſius cordis,qui in eius ventriculis,& arteriarũ cavitatibus cõtinetur,ſed ambo ſunt vnus,& idẽ in omnibus,vt in ſyncope,& animç pathematibus experimur & ſi vnus dicitur influens , quia actu fluit & alius fluxus aut infuſus , quia eſt partibus imbibitus, & pariter ille dicitur in via,& iſte in termino,ſed non ideo dividitur nec multiplicatur ſed influens & infixus eſt ſemper vnus & idem ; & ideo in ſyncope non ſolùm in-

fluens,sed fluxus,atque in partibus viventibus influxus retrahitur ad suum centrum, sive ad sinistrum cordis ventriculum, vt patet ex frigiditate partium corporis exter-narum, ex earum extenuatione repentina, & colore cadaveroso, aut mortali,quæ in illis accidunt ex defectu dicti caloris, sive ex retrocessu dicti vitalis caloris, qui in syncope ab eis retrahitur ad dictum fontem, vt sic vigoratus iterum foras influat: imò & calor vitalis infixus in substantia solida ipsius cordis retrahitur ab ipsa, recurritque ad dictum cordis ventriculum in syncope, vt ex eo constat, quia tunc & corporis cordis actiones pereunt,vel quàm maximè imminuuntur,vt aliæ totius corporis.

28 Ex his enim,& ex passionibus animæ,atque mutationibus,quæ in eis fiunt,inquiunt aliqui,dictos calores vitales fluentem & fluxum non esse duos,sed vnum,& quòd fluxus non est infixus,quamvis infixus esse dicatur communiter ab omnibus,nunc medius dicitur:cùm enim in dictis animæ passionibus vitalis calor maximum in modum immutetur & influat, nunc scilicet intus foris,vt in gaudio,nunc è contra foris intus,vt in timore & tristitia; in aliis autem aliter bene sequitur evidenter influentem, & fluxũ non distingui,sed esse vnum & eundem, modò scilicet in via,modò potius in termino: similiter cùm iste calor in talibus passionibus,aut saltem in aliquibus à circumferentia refluat ad centrum,sit hinc evidens non esse infixus:nam hic fixus est ipsis partibus,& neque potest locum mutare, neque ab ipsis partibus separari, vt docet Gal. & ex eo constat,quia est idem cum parte mixta, sive qui ipsam partem mixtam constituit in esse mixti,& singularis mixti:nam ideo est pars partis,cùm alia similis in corpore non reperitur;vnde iste vitalis non est vt infixus, sed vivificatus ab infixo:ex quibus constat quòd calor vitalis influens & fluxus sunt idem.

29 Satis manifestè quòd calor vitalis cordis influens, & inde aliis partibus viventibus infixus est vnus & idem constat; quod quamvis ita sit, tamen præcipuum & immediatum subjectum febrium est dictus calor vitalis influens potius quàm infusus, inquit celeberrimus Montanus *1. ad Glauc. cap.2.* id est qui in cordis & arteriarum cavitatibus continetur; iste enim in diariis, iste in putridis, iste in hecticis excandescit in facto esse, & inde multoties aliæ substantiæ excandescunt in fieri; quòd verò calor vitalis cordis influens, aut contentus in eius ventriculis & cavitatibus arteriarum sit subjectum in omni febre ex mutationibus pulsuum, quæ in omnibus febribus fiunt colligit Montanus: experimur enim, inquit, non solùm quòd in omnibus febribus mutantur pulsus secundùm multas eorum differentias, sed etiam sæpe tantùm easdem: re vera enim non solùm in diariis experimur dari pulsus magnos, celeres & frequentes,quæ sunt differentię vsus adaucti, sive caloris cordis præter naturam adaucti,sed in putridis & in hecticis,nisi vires deficiant,aut infra non obediant, quo tẽpore solet magnitudo minui plus,aut minus pro impedimenti magnitudine:cùm ergo experimur hæc in febribus,& similiter quod calor solùm pulsat contentus in corde & arteriis non extravasatus, quia pulsarent sic aliæ partes viventes,quæ ipsum extravasatum recipiunt,atq; imbibunt:hinc intelligimus pariter pulsus omnium febrium insequi alterationem dicti caloris in cordis arteriarumque cavitatibus contenti,& non alicuius extravasati,ne dum illius qui ad ipsam substantiam cordis effunditur,quia non datur ratio specialis ob quam potius extravasatus ad substantiam cordis pulset, quàm extravasatus ad alias partes. Et vlteriùs experimur,ait autor, quod spiritus animalis in ventriculis cerebri contentus pulsat tantùm,non verò extravasatus in cerebri substantia,neque contentus in substantia nervorum; quod idem accidit proportione servata in vitali cordis & arteriarum:omnes enim solùm intra ampla vasa contenti pulsant,& non in porositatibus. His addit:si supponamus caloré febrilé subjectari in infixo corporis corde, aut in eius substantia,vel humoribus,nisi ille calor febrilis communicetur,& subjectetur in dicto calore vitali contento in ventriculis cordis & cavitatibus arteriarũ nequit diffundi,neque diffunditur per vniversũ corpus,quare potius iste quàm infixus est subjectum in omni febre,ersi proximum & immediatũ in omni febre est vnũ,quo pacto non omnes febres sunt eiusdem generis,sed dividuntur in diarias, putridas, ac hecticas. Respondet acutissimus Salius Diversus, quòd identitas subjecti non facit identitatem passionũ,vt patet cerebri exemplo, quòd scilicet sit vnicum delirij subjectum, non ideo omnia deliria sunt eiusdem rationis, sed valdè diversa, alia scilicet cum risu, alia cum furore, cum taciturnitate alia, alia cum perpetua loquacitate,

sitate, &c. quare licèt spiritus vitalis cordis sit vnicus, & vnicum subiectum in omnibus febribus non ideo sequitur, vt omnes febres sint eiusdem rationis, sed diversæ ac divisibiles, tum aliter, tum in diarias putridas ac hecticas, sed stante hac subiecti identicate in omni febre; vnde & qua propria ratione febres secãtur in diarias, putridas ac hecticas suspenduntur, quod dividuntur ratione causarũ atq; materiæ; si enim spiritus vitalis in cordis ventriculis cõtentus à causis externis accenditur præter naturam in facto esse, vel ab aliis quæ sunt in corpore calefacientes sine putredine, sic quidem fit febris ephemera, sive diaria; si verò accẽditur ab humoribus putrescentibus in ipsis arteriis, vel in venis, aut aliis partibus, vnde cordi communicantur, ac dicto spiritui vitali, fit putrida; si denique ex intemperie calida ipsius substantiæ cordis vel alterius, aut totius corporis ferveat in facto esse, vitalis spiritus fit febris hectica.

30 Quòd hæc sic se habeant ex ipsis febribus, si benè notantur fit manifestum: communiter enim dicitur quòd febris diaria ab aliis differt, quia brevi temporis spatio durat, quia in spiritibus fundatur, qui semel accensi ad summum per vnum diem conservantur, ac calorem præter naturam à se deponunt, quia sunt substantia dissipabilis, non verò potiùs quia causæ à quibus accenduntur cessant facilè, aut facilè ab ipso spiritu vincuntur: quæ enim febres diariæ à causa fiunt permanente, vt quæ fiunt à constipatione, à fervore sanguinis ex abundantia, à bubone, &c. eo vsque durant, quoad dictæ causæ durant sine putredine, imò si causæ putrescunt, spiritus non ideo refrigeratur, sed de novo intensiùs incenditur à causis putrescentibus, sicque speciem mutat, & fit putrida, duratque hæc sicut antea cùm erat diaria, quousque causa putrescens vel coquitur: nam coctio facit cessare putredinem, & consequenter febrem, vel consumit vel excernit, vt quotidie in febribus intermittentibus experimur: hæc enim quamvis in humoribus cõmuniter fundari dicatur, ideo longius protrahi atque durare, quàm diariæ, quia humores sunt crassiores longè, quàm spiritus in singulis diebus intermittunt, aut de tertio in tertium, aut ad summum de quarto in quartum, quia scilicet tunc humor putredine accensus, & accessionem faciens consumitur, aut vacuatur; quo abeunte, spiritus vitalis statim ad suum statum naturalem redditur, & sic febris cessat, vt cum causa febris diariæ cessat calefactione aut abit: vnde ostenditur ex Montano, quòd tam in diariis, quàm in putridis febribus dictus spiritus vitalis cordis est febris subiectum, & quòd ideo febris diaria re vera non est magis brevis quàm putrida, sed quia vt in plurimum causæ febris diariæ faciliùs cessant, quàm causæ febris putridæ, potissimùm cùm est continua, non tandiu fervet dictus spiritus quandiu putris humor putridum in cor fumum expirat: cessat autem eius fervor cessante putredine, aut deficiente eius expiratione in cor: ideo Hippocrates scripsit: *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt delirio solvuntur*, id est, vt ait Galenus *in Commentario*. Quibus ferventibus humoribus in venis, febres fiunt ardentes, solvuntur tremoribus, ac delirio supervenientibus, quia tunc non in cor, sed in cerebrum suos transmittunt fumos, qui antea ad cor fluentes febrem efficiebant: febres autem hecticæ neque accessiones, neque intermissiones faciunt, sed semper eundem tenorem servant, quia in eis dictus spiritus vitalis cordis non fervet ex aliqua humorum agitatione, aut scandescentia, aut putrida expiratione, sed ob partium solidarum, vel ipsius cordis, vel aliarum totius corporis impressam calefactionem à fuliginibus, aut ob calidam atque immaterialem intemperiem, quæ vt continua est, ita æqualiter dictus spiritus scandescit, & consequenter febrem in eo generat, sive dictam scandescentiam æqualem continuò: quare febrium divisio in diarias putridas & hecticas non est, quia subiectũ in eis sit tripliciter diversum, sed quia à causis tribus modis diversis subiectũ febris, nẽpe calor vitalis cordis, sive eius spiritus evanescit, à causis scil. facilè recedentibus diariæ à causis difficulter, aut nullo modo recedentibus hecticæ & putridæ, à causisque inter dicta extrema facilè aut difficilè recedentia sunt mediæ.

31 Sed contra istam doctrinam illud vnum stat inconveniens, scilicet quòd spiritus vitalis est substantia tenuissima, sẽper mobilis, fluidus & caducus, seu resolubilis multa ex quavis causa, & consequenter videtur in putridis febribus, & multò minus in hecticis non potest esse febrile subiectum, cùm in hecticis, & putridis longis febribus

G 3 subiectum

subjectum sit permanens per totum tempus talium febrium reperitur apud hos autores spiritum vitalem esse tenuissimum, esseque semper in continuo motu & semper humidissimum, & consequenter esse caducum, sive fallibilem, sicut & omnia alia mixta potissimum humida tandem sunt caduca, atque pereunt; quia quotidie labuntur, exoluuntur, atque deficiunt. Hæc tantū quamvis sic se habeant spiritus vitalis vnus,& idem permanens est in ventriculis cordis, & arteriarum cavitatibus ac in poris singularum corporis partium viventium non tamen, dum in hecticis febribus, ac aliis omnibus est earum subjectum; sed & toto quidem tempore quo vivimus: etsi enim non in omnibus corporibus neque in omni ætate sit semper æqualis in copia, sed inæqualis ita ut in aliis plus, in aliis minus sit copiosus; non tamen in aliquo ita fallibilis est aut dissipabilis, quod eius sufficiens copia in corpore non subsistat, non solum ut sit subjectum in dictis febribus, sed etiam ut vitam impertiatur toti corpori, quamvis ergo quotidie labitur, diu tamen multus in corpore permanet toto vitæ tempore usq; ad extremam senectutem, & quia quotidie per nutritionem reficitur, ut ait Hipp. 6. *Epid parte* 5. *Sententia*, 5. & quia substantia constat multum aërea, quæ longissimè conservatur; & multò magis quàm aqua resistit consumptioni, ut clarissimo exemplo olei & aquæ docet Hippocrates, 4. *de morbis, textu* 25. ibi enim dicit quòd si quis oleum & aquam in æquali quantitate in singulis vasis ad ignem applicet, & fervere æqualiter faciat experietur quod aqua quia serosa est, & facile dissipabilis fervendo autem in totum consumetur oleum non ita similiter fervens sensibiliter minuetur; quia scilicet hoc cùm aëreum sit ac pingue ut dictus spiritus resistit valde consumptioni: quare quamquam spiritus vitalis tenuissimus sit, fluidus aut dissipabilis, & subjectum omnium febrium esse potest, & multum adhuc perdurare. Quamvis Montani doctrina in aliquibus sit vera, in aliis tamen à vero dissonat; calor enim vitalis influens valde ab influxo & insito differt, influxus animatur & vere nutritur, influens nequaquam, & huc & illuc movetur, neque gaudet facultatibus ut nutriatur discontinuatur neque parti viventi est unitus; unde insitus est immediatum subjectum febris, & si influens etiam & primo dicatur accensus, & ideo spiritus vitales accensi potius causæ immediatè febris quàm subjectum dicentur, sicque medio spiritu accenso fit febris diaria tamquam à causa, veluti humoribus accensis & putridis fit, febris putrida, veluti fuliginibus calefactis hectica; sicque diuisio febris penes causas, non verò subjecti ratione sumitur cum semper immediatum subjectum sit calor vel calidum in concreto insitum in corde quod ut vivens & animatum, ut ait Capibacius est amplectendum.

32. Adeunt-ne aliæ in nobis species febrium, quæ ad dictas diarias putridas aut hecticas non reducantur? Resp. quod non, sed in summa omnium febrium genera ad dicta tria capita reducuntur. Ad diarias solū illæ pertinent, quæ simpliciter sunt tales, id est, quæ spatio unius diei vel diei simul ac noctis terminantur, sed ut sunt illæ quæ ex ira fiunt, ex motu immodico, ex vigiliis, ex fame, aut alimentis, vel medicamentis præter naturam calefacientibus, ex tristitia, aut mœrore, ex mora sub sole, aut similibus, quæ extrinsecus corpori adveniunt, & in corpore non relinquuntur, cùm calore præter naturam semel affectum aliquem eum conservantem utque constipationem inducendo diariam generant, autque bubonem, aut cruditatem, aut aliam similem affectionem permanentem: non, inquam, solum sunt diariæ febres, quæ ab illis causis accenduntur, impresso earum calore, sine aliqua alia mala affectione in nostro corpore ac in dicto nostri cordis vitali calore insito; sed & illæ omnes quæ, ut suprà dictum est fiunt à causis permanentibus facile tamen solubilibus & sine putredine vt quæ fiunt ex cruditatibus ventriculi, aut leuibus corruptionibus, quæ fiunt ex levibus cutis constipationibus, aut majori aliquo modo; sed in habitu benigniori; quoniam in his omnibus, ut in synocha sine putredine spiritus vitalis cordis, & humores solum præter naturam accenduntur, & neque ille, neque sanguinis massa putrescit, quamvis febres extendantur ad tres continuos dies, aut quatuor, & aliquando usque ad septimum, ex doloribus etiam atque cruciatu vehementi; imo & ex magnis irritationibus solent febres fieri, ut in dolore colico ac renali & similibus casibus multum corpus, atque naturam molestantibus experimur quæ etiam ad diarias referuntur, quia in his omnibus ob ingentem cruciatum fervet, ac prætet naturam scandescit dictus calor, &

alij

alij corporis humores, qui facilè sunt inflammabiles, vt sanguis ac bilis. Ex bubonibus tandem solent etiam fieri tales febres, quando scilicet ex illis vapor calidus expirat, ex quo calor vitalis insitus accenditur. Dixi autem quando ex bubonibus vapor calidus expirat: nam etiam ex bubonibus solent supervenire febres putridæ, imò & malignæ, vt multis in locis docuit Hippocrates; ex illis scilicet ex quibus quod transpirat suave, aut vaporosum benignum non est, sed putridum, acre, ac malignum; quod ergo fuliginosum est potiùs quam vapor: vt enim ex bubonibus alij sunt benigni, alij maligni, ita quod ab eis expirat.

33 Ad febres putridas revocantur omnes illæ quæ accenduntur per expirationem fuliginosi halitus in cor, vt sunt omnes illæ, quæ putrescentibus quatuor humoribus, vel eorum aliquo, aut pluribus fiunt, sive intra venas, sive extra venas, sive in ipsis arteriis putrescat: tales etiam sunt quæ vlcera insequuntur, potissimùm partium internarum, vt sunt vlcera pulmonis, hepatis, ventriculi, lienis ac hypochondriorum. Ex his ergo vlceribus continuò in cor, & eius spiritū putridus & fuliginosus vapor expirat, qui in eis febrem generat putridā atq; continuam, imo quasi hectica sæper vniformem, & sine exacerbatione aliqua, vtque non pendet ex humorum fluxione, sed tantùm ex dicta putrida vlcerum exhalatione: tales etiam sunt quæ fiunt in suppuratis, aut in illis qui pus contentum habent in cavitate pectoris, aut in hypochondriis, aut his huiusmodi, non etiam ab his expirat in cor putrida fuligo, putridam & continuā febrem excitans quasi hecticam, scilicet parvam ac semper vniformem, sicut & illa est quam Galenus affert 3. *de symptomatum causis c.* 1. ex corruptione vitiosa alimentorum in ventriculo intemperie calida laborante: qui sic afficiuntur, ait Galenus, siti cruciantur, & parvis tenuibus quasi hecticis tenentur febribus, primò vniformiter vt hecticæ, quanquam sunt putridæ, quia pendent ab effumatione putrida ciborum, quæ non facit periodos, aut exacerbationes, sed sensim semper exhalat, & cor, ac eius calorem vitalem præter naturam calefacit in facto esse. Tales rursus sunt quæ ex chyli corruptione aut putredine fiunt, & quæ fiunt ex corruptione vermium in intestinis contentorum, ex gangrenis, ex pravis abscessibus, ac similibus casibus non omnes hæ fiunt expirante in cor ex dictis morbis, aut affectibus vitiosis, putrida fuligine, sicut & quæ fiunt ex fæcum retentione & putredine.

34 Ad putridas etiam febres refert doctissimus Salius diversas illas febres, quæ ex vsta, & superassata, non autem verè putrescente fiunt bile, quarum vnam esse ait illam quam affert Galenus 10. *Method. cap.* 3. narrans historiam cuiusdam juvenis gracilis, hirsuti ac musculosi, qui in febrem incidit, quasi tertianam per circuitus repetentem ob bilem, non quidem putrescentem, sed excandescentem ac exustam, cùm ex motu repentino ac immoderato sub sole fervente, & longa sabulosa, & squalida via facto, tum ex vigiliis, ex ira, & aliis causis potenter adurentibus, ac resiccantibus; nos verò cùm videamus hanc ex contextu Galeni non esse putridam, hinc & ex eius curatione: non ad putridas, sed potius ad diarias spurias revocamus; etsi enim hæc febris humoralis sit vera & ex bile adusta orta, tamen non, quia ex adustione fit, ideo precisè debet ad putridas revocari, sed sicut humores aut ex adusta putredine resultat, atque vruntur aut non ex putredine, sed vt in illo juvene ex causis externis potenter exsiccantibus atq; excandescentibus, ita febres quę ex humoribus ex putredine vstis ac valdè resiccatis oriuntur, illas ad putridas reducemus, sicut ad diarias illas quæ ex humoribus adustis fient ex causis vrentibus externis; quòd verò hæc ita distingui debeant ex earū curatione docet Gal. *cap.* 5 *sequenti*: nam cùm in corporibus, ait, gracilibus ac multum biliosis aut resiccatis accenditur febris propter mordentem acrimoniam ex calefacti attenuatique succi ex sole media mora & laboribus, vt in illo juvene maximum eius remedium est humidum nutrimentum, sicuti è diverso vbi ob copiam vel obstructionem vel phlegmonem, vel vt semel dicam, ait Galenus, ob humoris alicuius putredinem febris orta est, maximo malo est, omnibus scilicet in accessione, quasi dicat Galenus eas febres esse inter se maximè diversas, quæ contrarias habent curationes: atque putridæ omnes febres adversantur cibos aut nutrimentum, quod èontra in nostris febribus est maximum remedium: ergo quia adversantur inter se, & consequenter ad eandem speciem nequeunt pertinere, sic etiam dum pus fit febres augentur, ait Hipp.

aut excitantur, si antea non erant, quæ quidem febres aut putridæ sunt, aut diariæ ut erit pus quod conficitur, si enim fiat pus optimum, febris erit diaria ex elevatis vaporibus optimi puris ferventis, si verò pus quod conficitur prauum sit putrida ab eo excitatur fuligo, quæ putridam, aut pravam generat febrem, & non diariam.

35. Ad tertium genus febrium non aliæ febres pertinent aut revocantur, quàm illæ quæ partibus continentibus nostri corporis excandescentibus imo intemperie calida habituali laborantibus accenduntur, scilicet enim in febribus putridis, aut diariis calor cordis vitalis præter naturam calefactus, & febrilis factus dictas partes continentes & totum corpus calefacit, ita vice versa cum partes continentes quæ sunt in corpore, & dictum calorem natiuum atque humores continet, incalescunt præter naturam, incalescit pariter ab eis dictus calor etsi in facto esse incalescat, fit febris hectica, id est orta à calore præter naturam, qui est in partibus continentibus, quæ sunt in habitu corporis quæque dicuntur hecticæ, quia sunt solidæ, & fixæ, & non fluidæ, vt quæ dicuntur contentæ scilicet humores, & dictus calor natiuus. Sed dices calor præter naturam accensus in facto esse in partibus continentibus solidis est morbus cum sit in facto esse, & febris cum sit accensus in toto corpore; ergo erit febris hectica, & non causa febris hecticæ. Respondetur. quod febris est propria passio cordis, & eius caloris vitalis insiti, vt docent pulsus, & ideo calor præter naturam accensus in partibus solidis continentibus, quamvis morbus sit, & intemperies calida; tamen nequit esse febris nisi corde communicetur, & eius calori vitali, qui continetur in cordis ventriculis, & in cavitatibus arteriarum. Quare solum potest esse causa febris hecticæ quando scilicet calorem dictum cordis & postea arteriarum calefacit præter naturam & quidem in facto, *ut lib. de fib. explicatum est.*

36. Itaque partes solidæ viventes nostri corporis & à febre, id est à calore præter naturã cordis, & à propria intemperie calida possunt lædi, & malè affici; à propria intemperie calida læditur earum complexio sive temperamentum, & consequenter læduntur tunc illæ partes prout mixtæ sunt, cum verò partes illæ præter naturam excandescunt, ex accessione febrili caloris natiui, atque vitalis cordis læduntur tanquam viventes ideoque ex hac læsione non solùm earum temperamentum vitiatur; sed & earum substantia, quia re vera tunc spirituosa substantia partium fervet à calore febrili, sicque plus aut minus aliquod eius deperditur, atque exsiccatur, & per consequens succedit, exsiccatio corporis quia sic scilicet privatur corpus, & eius quælibet pars propria substantia: imo privatur ea substantia, quæ actuatur, augetur, aut saltem conservatur; vnde partes continentes nostri corporis, & ab earum tẽperamento calido, ut in biliosis accidit gracilescunt, ac exsiccantur, & à calore febrili febrium hecticarum; nam re vera cujusque caloris immoderati est; non tamen corpus calefacere, scilicet attenuare, exsiccare, & resolvere, & per consequens corpus extenuare, non tamen eiusque caloris extenuantis est debilitare, nam biliosi quamvis graciles sint, viribus constant, & multoties magis quàm carnosi aut corpulenti: calor ergo hecticorum corpus exsiccat, & simul debilitat, ut qui non solum carnes corporis, & alias humiditates alimentales, vnde corpus conseruatur, ac reficitur, attenuat, atque resolvit; sed & ipsam substantiam vitalem atque spirituosam ipsarum partium quæ fundamentum seu essentia est ipsarum: virium hæc enim substantia ut pote aërea, ac multum sibi cohærens multaque humiditate oleosa referta ac nutrita resistir quidem consumptioni multo magis quàm aliæ substantiæ humidæ nostri corporis, à vehementi tum calore etiam devincitur; ideoque in febribus hecticis, aut in aliis longis aut in acutis malignis, aut in ardentibus valdè ac colliquantibus consumitur notabiliter, atque resolvitur, tuncque corpus languet simul, ac extenuatur, nempe quia privatur dicta substantia vitali, qua corporis corpulentia, & vires conservantur, & in febribus alijs, & toto vitæ tempore.

37. Sed ut dicta integrè intelligantur est advertendum, quod in qualibet parte vivente reperiuntur quatuor diversæ substantiæ, nempè solida, carnosa, nutrimentalis, & dicta spirituosa, substantia solida, & carnosa, nutriuntur, quia advenit eis per venas ex hepate sanguis sive massa sanguinaria quæ intra vasa totis titu spargitur per illas, & partim in eis imbibitur, partim quæ in superficie agglutinatur (nutrimentalis tunc dicitur) quo ad in totum assimilata ac dicta substantia spirituosa convertatur in dictas partes viventes solidam, atque carnosam. Tádem nota quod substantia spiritualis, seu

seu vitalis eiusque corporis partis viventis, & dictas substantias solidam, ac carnosam actuat, fovet, atque conservat toto vitæ tempore, ex nutrimentalis ita etiam dictam nutrimentalem, utque simul cum illa infusa est in dictis partibus actuat, etsi enim nutrimentalis humiditas spirituosæ iuncta non est actu vivens; est tamen sic actu nutriens, & ad id actuatur jam ab ipsa substantia spirituosa vitali, cum alioquin nequeat converti in dictas substantias viventes, ex quibus fit, quod in febribus hecticis ex accenso calore febrili in dicta substantia spirituosa, tres dictæ substantiæ vna cum illa deperdantur, primum scilicet nutrimentalis, utque magis fluida est, & minus consumptioni resistere potest, secundo loco substantia carnosa, & tertiò tandem solida; sicque febris hectica triplex à Galeno, & alijs medicis statuitur, scilicet incipiens, media, & consumata, sive marasmodes incipiens dicitur illa in qua ex fervore febrili substantiæ spirituosæ substantia nutrimentalis potissimum carnis, utque minus viscida est, quam quæ nutrit partes solidas, absumitur, media in qua ipsa substantia carnosa, sive ipsæ carnes tabescunt, & tertia tandem in qua partes solidæ exsiccantur, & dicta substantia spirituosa in tantum exoluitur atque absumitur, vt inde vita pereat: vnde in febribus hecticis duo prava simpthomata inveniuntur, nempe debilitas vitium, & corporis consumptio, virium quidem debilitas ex defectu spirituosæ substantiæ, sive caloris vitalis, qui vasis est, & fundamentum omnium virtutum; corporis autem consumptio tum ex eiusdem substantiæ spirituosæ defectu, tum etiam ex defectu aliarum humiditatum corporis silicet, nutrimentalis, & carnosæ nascitur, nam solida ex Galeno exiccati quidem potest, non tamen consumi, hæc pro nunc sint satis de essentia, ac differentiis febrium de quibus libro de febribus diffusius egi.



CAPVT PRIMVM.

De his quæ in Cõmuni sciri, ac distingui prius debent, ad febres rectè curandas.

38 

CTVRVS Galenus in hoc libro octavo de curatione rationali, Febriũ diar'arũ, affert in primo capite eas cõmunes febrium differentia, atq; indicationes, quæ prius cognosci, atque distingui debet, non tamẽ ad febres diarias rectè curandas, sed etiam ad omnes alias: sive enim febres diariæ sint, sive putridæ, sive hecticæ, vt benè curentur duo in eis, ac earum singulis, cognosci, ac distingui debent scilicet an febres sint hecticæ, idest difficiles curatu, sive difficile mobiles à subjecto, an potius si hecticæ, id est curatu faciles, tum etiam an febres habeant causas adhuc præsentes, easque conservantes, & quæ illæ sint, an vero non, sed in qualibet febre causa quæ eam excitabit jam deserit nullumque in corpore præter febrem reliquerit affectum præter naturam, à quo febris conservetur, nisi enim medicus, ait Galenus hæc ad vnguem memoria teneat, & quę causę febres generent & in quocumque affectus, his numquam methodo dum febri prospiciet, satisficiet, quia scilicet hæc similia evariant curationem: hæc autem, vt melius doceat, ostendit prius quid est febris, aut quod febris est morbus partium similarium, & earum intemperies calida: vnde duo esse quæ hoc capite agit Galenus, & consequenter duas eius esse partes.

TEXTVS.

Quemadmodum verò febres quoque non secus quàm alijs, &c.

HÆc est prima capitis pars, in qua Galenus quasi sic alloquitur, scopus, aut intẽtum hoc, ac sequentibus libris de febrium rationali curatione agere nam quamvis omnis febris morbus sit in intemperie consistens, & de omnibus morbis in temperie consistentibus, deque eorum curationibus. Iam actum sit, quia tamen doctrina communis neminem doctum facit, nisi in particularibus exerceatur, vt 13. libro sequenti c. 1. traditur, ideo & nũc, & in sequentibus libris in parcular agitur de febriũ curatione, ostẽditurque, quod peculiarea de vnaquælibet febrium habeat ratiõne cujus curatio, quoque peculiaris, ac propria in eis esse debeat: antequam autem rem aggrediatur aggreditur explicare quid febris sit, & qua ratione distingui, aut dividi debeat, vt rectè curetur, primum ergo demonstraturus in hac capitis parte, supponit ex demõstratis in aliis lib. & quod partes similiares nostri corporis, ex calidi, frigidi, humidi, ac sicci mixtura, atque temperatura suam essentiam, ac constitutionem accipiunt, & quod ideo tales partes similares, tum alios morbos patiuntur, tum potissimum intemperie calida, aut frigida &c. simplici, aut composita consistentes, & per consequens laborant febre: nam febris, inquit, vnusquisque eorum est morbus, quos intemperies creat, cum vtique adeò inmodicè auctus calor est in corpore? vel & hominem offendat & actiones corporis lædat, si enim neutrum horum efficiat, quamtumvis sit homo hunquam antea calidior, nondum tamen febricitare cum monstravimus: & nos pariter 39

in

in præfatione; quarè de his nunc & de hac prima parte plura non agimus.

TEXTVS.

Quoniam autem quid, quia, præter naturam in nobis oritur, &c.

40. HÆc est secunda capitis, in qua ostendit ad rectè curandas febres non esse satis scire, quid febris, neque scire quod febris est intemperies calida præter naturam partium similarium, & quidem in tantum acuta quod laborantem offendat, & eius actiones lædat, sed requiritur vlterius ut febris in partiales differentias diuidatur, quia scilicet tot sunt diuersæ medendi rationes quot sunt morborū ideæ. Primæ differentiæ, *ut secundo hujus operis, lib. cap.* 7. dicit ipse Galenus & nunc quia quod est præter naturam sui ablationem, ita ut quod peculiari ratione est præter naturam etiam peculiari ratione indicat sui ablationem ut in pleuritide experimur, pleuritis enim inflammatio est pleuræ costas subcingentis, ideoque, & morbus est, nempe inflammatio, & talis morbus, scilicet, inflammatio pleuræ, siue dictæ tunicæ in particulari pleuritis ergo quia morbus est, id est quæ affectus præter naturam lædens actiones indicat sui ablationem, vt sic, qua vero inflāmatio est, indicat sui ablationem, per remedia euacuantia, & refrigerantia, est enim inflāmatio tumor præter naturam calidus, *ut secundo ad Glauc. cap.* 1. videre est; id est inflāmatio est immoderata partis repletio à materia præter naturam calida facta qualis sanguis, aut bilis esse solet: & ideò inflammatio tum per euacuationem materiæ flagrantis, ac partem replentis, tum per attemperationem, siue refrigerationem, quæ incendium temperet, curari debet. Hæc ergo communis inflammationū curatio in pleuritide, siue in pleuræ inflāmatione, peculiaris est, id est distinctis remediis euacuantibus, ac refrigerantibus fit à curatione inflammationum aliarum corporis partium tum scilicet distinctis qua pleuritis est inflammatio peculiaris, distinctave ab aliis corporis inflammationibus verbi gratia à phrenitide, hepatide. Quare qui rectè curare vult, debet non solum communes morborum curationes scire, sed singularum in particulari: & ob hæc ait Galenus, *nunc quamvis, lib. sup.* actum est de omnium morborum partium similatium intemperie calida laborantium curatione, & per consequens de curatione febrium in communi siue quatenus febris est calor præter naturam: hæc tamen non voluit, quod hic & in sequentibus seorsim, atque in particulari agamus de febrium curationibus particularibus imò ita fieri est necessarium, quia doctrina communis neminem doctum facit nisi in particularibus exerceatur ut supra est iam demonstratum.

41. Cùm igitur ad rectè curandas febres, vt & alios morbos, in eas differentias prius distinguì debeant, ex quibus proprias seu speciales indicationes curatiuas, desumamus idcirco hic Galenus febres diuidit, & quidem dupliciter siue duobus diuersis modis. Primò enim sic habet: est igitur una febrium differentia, illa in qua causa adhuc adest, febrem creans aut febri excitata jam desit. Secundò diuidit febres in eas, quæ hecticæ dicuntur: primæ quæ difficulter curantur, & in illas, quæ vocantur hecticæ; primò facilè curantur, omnes enim affectus, inquit, qui facilè discutiuntur hecticæ græcè dicuntur, & qui tales non sunt, sed contrarij hectici, ex ait Galenus sunt primæ febrium differentiæ, id est, hæ sunt differentiæ, secundùm quas febres, primum distingui debent, ut benè curentur, cum enim curatio cujusque morbi sit eius ablatio, cumque omnes morbi non possint tolli eodem modo, sed alijs quidem per se, siuè per suum contrarium immediatè, nempè, qui facti sunt, & à nulla causa dependent; alij verò per ablationem causæ, aut causarum à quibus dependent, ut qui sunt in fieri: cum inquam hæc sic se habeant, sequitur consequenter, ut nisi Medicus cum dictis differentiis specialibus vniuersales jungat indicationes, quæque ab essentia rei desumuntur, nequeat tales morborum proprias curationes, aut ablationes rectè facere neque adinuenire, ut fieri debet.

Etsi enim febres qua febres sunt primo prout sunt intemperies præter naturā calidæ indicant non solū sui ablationē, sed refrigerationem, utpotè earum contrarium quo tolluntur, aut curantur: nam ut his libris Galenus, inquit, perit unumquodque in contrarium, & à contrario. Hæc tamen non esse satis ad rectè medendum, sed ulteriùs distinguendum est, ut dicit in præsenti capite an febris fiens sit, an facta; sed enim curandi eius consilium solùm est, ut refrigeretur, solumque tum quærenda nobis materia est, quæ cum redundante calore paria refrigerandō faciat: at sic in generatione adhuc febris est, id est, si adhuc à causa fit, aut ab ea conseruatur, tunc causa, quæ eam accendit est submouenda: nam ut communiter dicitur, vera curatio est causarum remotio, & ut libro superiori *cap.* 10. dicebamus impossibile est affectum aliquem curare, manente, illa motus scilicet causa: quare neque febris, quæ in fieri est, curatur, nisi per ablationem causæ, unde si febris ait Galenus quam curandam aggredimur pars iam genita est, siue à causa est in dependens, & pars adhuc est in gignendo, aut dependens in conseruatione, tunc utrisque consulendum est, priùs quidèm submouendo, quæ febrem excitat causam deinde extinguendo, quæ ab hac accensa fuit febrem: prius enim ait in arte medicinali, unamquamque oporter abscindere causam; & posteà ad eam, quæ facta est, dyscrasia, id est, ad intemperiem deuenire; & nunc in fine sic habet: primo nisi quis ad unguem memoria teneat, & quæ causæ febres generent, & in quo cujusque affectu is numquàm methodum febri prospiciet, is non benè 42.

ne curabit, nam re vera paucæ ſunt febres adhuc diariæ, quæ cauſas non habent, aut alium præter naturam affectum; vnde dependent, & per conſequens debent benè cognoſci & prius auferri vt febris curetur.

Notabilia, & dubitationes ſuper caput.

44 Satis aperta, & benè tradita eſſe videtur Galeni doctrina, & litera textus, aliquas tamen patitur difficultates, quæ debent explicari vt ſic veritas magiſtri pateat. Primo igitur vt tradita à Galeno penitus intelligantur debemus advertere, ac ſupponere, quod morbi, quos medici curare aggrediuntur, ſunt in triplici differentia ſcilicet aut facti, aut fientes, aut imminentes, primo qui potius futuri ſunt, quàm præſentes jam facti, vel actu fientes vt laſſitudines ſpontaneæ morbos prænuntiant, ait Hippocrates *ſecundo aphoriſmorum ſententia* 5. primo ſignificant morbos futuros, ſeu venturos potius, quam præſentes, aut actu exiſtentes, vt ergo morbi indictos ſtatus dividuntur, ita eorum cura atque ſanatio ait Galenus in *fine cap. ſequentis* diverſa eſt, & 4. *lib. ſup. cap.* 3. nam in primis præſentes affectus tollere, curare dicimus, curare autem, ne accidant, non curare; ſed providere, ſive providentiam vocamus: providentia eſt morbos, qoi fiunt, ne vltra procedant, curare: vnde providentia curantur. Tum morbi fientes, tum futuri, ſive imminentes, & ſolum morbi jam facti, & à cauſis omnibus independentes abſolotè curantur, quippe quæ adhuc in generatione febris eſt, dum aufertur cauſa, ipſa vna interit, ait Galenos *ſequenti cap.* proſpicimus pariter, neqoe amplius proveniat adimentes cauſam, ſanamus vero ſive curamus id febris, quod jam invaſit, etiam ſi exiguum ſit. Quare morbis ſolum factis debetur curatio, ſive ablatio, per ſuum contrarium: fientibus adhuc, & imminentibus, aut futuris debetur. Providentia, & ad hoc diſtinguendum in textu eſt febres dividendas, in fientes, & factas, & partim fientes, & partim factas.

45 Dixit etiam Galenus febres, quæ jam factæ ſunt, & à cauſis jam dependent, vnicam ſolum habere indicationem, ſive vnam ſolum indicare refrigerationem pro earum, curatione. Hinc; ergo oritur dubium, an ſit aliquis morbus, qui vna ſolùm indicatione curetur? & ſi ſic, quæritur etiam qualis ſit talis curatio? pro cujus brevi, ſimulque vera deciſione ſuppono, nullum eſſe morbum, qui vnica tantum curetur indicatione, quia vt ſupoſito lib. viſom eſt, in qnalibet morbi curatione præter illam indicationem quæ ſumitur morbo, dantur etiã aliæ, quæ ſumuntur à natura laborantis, ab anni tempore, à conſuetudine, & alijs: hæc tamen ſic ſe habeant, quando morbus ſuum non habet cauſam permaoentem; aut ſymptoma, aut aliom affectum præter naturam, qnæ ſimul cum ipſo morbo indicant ſni ablationem; dicunt communiter medici curari morbum vnica indicatione per ſui ſcilicet contrarium, ſive per ſui ablationem à contrario factam. Et hæc eſt illa curatio, quam pariter Medici communiter dicunt, curatio eſt per primam intentionem facta: primo quidem facta per illam intentionem, quam in morbis curandis primo Medicus intendit: Medicus quippe in morbis omnibus, primum omnium curationem eorum intendit, & conſequenter cum Medicus hunc finem, ſive ipſam morborum curationem primo conſequitur, & ſine eo quod ante id præcedat ablatio cauſæ, vel ſymptomatis, aut iſtiusmodi; tunc dicitur curatio facta per primam intentionem, ideſt curatio facta ad ſolam primam Medici intentionem conſequendam, & non ad auferendas cauſas, aut ſymptoma, aut alia huiuſmodi, quæ ſecundo loco intenduntur à Medico, nempe ratione morbi intenduntur, quamvis ſpe prius quam ipſe morbus curentur, ſive auferantur, quando ſcilicet morbi curatio pendet ab eorum ablatione vt accidit cum eſt in fieri. Itaque ſi quis verbi gratia laboret recenti vulnere, ſive ſolutione continui in carne, in quo neque ſit contuſio, neque inflammatio, neque intemperies, neque fluxio, aut quid ſimile, quod ſimul cum vulnere, aut prius indicet ſui ablationem, curat. Tunc tale vulnus per primam intentionem, per ea remedia quæ apta ſunt ad conſequendam primam Medici intentionem, in tali vulnere nempe per medicament aglutinantia: nam prima intentio Medici in tali vulnere eſt vnire carnem vulneratam, ſive carnem per vulnus diviſam, ad quod glutinantibus vtitur remedijs, vtpote quæ vnionem faciunt; quia vulnus vnit, ſive caro diviſa; hoc idem accidit in oſſis fractura; nam oſſa fracta ſolum poſtulant vnionem, ſive medicamẽta muliũ agglutinantia, ac ſicca quibus coaleſcant, atque vniantur inter ſe, & ita etiam hæc curatio fit per primam intentionem licet enim talia oſſa fracta in adultis vt ait Galenus *ſexto hujus operis libro* 1. non poſſint vniri, niſi media genita ſubſtantia vniente inter ipſa oſſa fracta, quæ ſubſtantia vniens oſſa fracta dicitur callus; quia tamen hoc non intẽditur à Medico ſed præter Medici intẽtionem accidit: nam cum ibi non ſit amiſſa pars aliqua oſſis, noo eſt cur medicus intendat ipſam generare, vel aliquid loco eius: quare ſi generatur, & per eam, ſit vnio, hoc eſt per accidens, ideoque curatio facta per primam intentionem dicitur.

Inſuper curationes febrium hecthicarum, 46
quæ dicuntur incipientes, & curationes febrium diariarum, quæ tales ſunt conſtitutione ſua, primoque vnico tantum die finiuntur, quia carent cauſa, vel alio affectu, vt conſtipatione, à quibus prorogantur omnes fiunt per primam intentionem ſolaque omnes vnica intentione curantur, ſolum ſcilicet remedijs refrigerantibus, & humectantibus: ſiquidem in primis febres dictæ diariæ, quæ cauſa carent, vel alia affectione, quæ indigeat providentia, aut precantione, curantur per primam intentionem, primo ſola indicatione à morbo, ſive à morbi ablatione deſumpta, ſo-

lum

ilum videlicet adhibitis remediis refrigerantibus, & quidem non quibusvis, sed quæ moderatè tantum refrigerant, quia ipsa febris moderata est, & facilè mobilis à subjecto, sive facilis est, curationis itaque parum intensa est, & minus in subjecto radicata quam putrida, aut hectica: sic similiter febres hecticæ incipientes omnes per primam curantur intentionem; cum enim hæ jam non dependeant à causa sola omnes unica curantur intẽtione scilicet remediis solum refrigerantibus & humectantibus, quæ calorem, ac siccitatem extinguant dictæ febris hecticæ, incipientis.

47. Quæ enim febres hecticæ sunt incipientes, etsi jam factæ sunt, & ab omni causa independentes, tamẽ nondũ cum defectu substãtiæ carnosæ, aut solidæ junguntur, ut aliæ febres hecticæ, quæ dicuntur mediæ, aut cõsummatæ in quibus simul cũ dicta febre hectica jungitur defectus carnis, vel carnis defectus simul & siccitas partium solidarum: cum ergo incipientes febres hecticæ factæ sint, sed sine aliquo alio affectu præter naturã qui postulet corrigi aut curari sola prima intentione refrigerandi ac humectandi curantur: febres verò hecticæ mediæ cum non solùm sint factæ, & à causis independentes, sed insuper secum habeant conjunctum defectum substantiæ carnosæ corporis: hæc item consequenter nequeunt curari per solam primam intentionem refrigerendi ac humectandi, sed indigent & secunda intentione seu indicatione scilicet restituendi, sive regenerandi carnes, vel alias substantias quæ ab ipsa febre sunt exsiccatæ sive consumptæ, aut dissipatæ; quod idem accidit in febre hectica consummata, ; & proinde solùm febres hecticæ incipientes curantur per primam Medici intentionem, sive solam, indicationem refrigerandi, ac humectandi, & quidem modicam, aut brevem ut in diariis visum est, sed majorem & magis continuatam, ne vires deficiãt prout ipsa febris hectica magis intensa est, quàm diaria, & multo magis difficilis cum rationis, quod advertendum, ac distinguendum voluit Galenus, quando dixit febres esse dividendas in eas, quæ dicuntur hecticæ, aut schecticæ.

48. Hic etiam dubitatur an à causa; quæ non manet aliqua sumatur indicatio: etsi enim *hic & lib. 4. antecedenti cap. 3.* & alibi dicat Galenus quod ab eo, quod non est, non sumitur indicatio curatrix, & quod causæ nisi sint præsentes non indicãt, nihilominus tamen causæ externæ etiam ex ipso Galeno *loco citato* conferunt ad inventionem, seu cognitionem ipsius morbi, imò, & alicujus peculiaris conditionis morbi, quæ indicat curationem, aut morbi curationem mutat: si enim quis ab aliquo animali venenoso mordeatur tunc ex cognitione causæ, sive illius animalis venenosi cognoscet Medicus non solùm, morbum, sive morsum, sed & eius peculiarem qualitatem, aut conditionem, quæ curationem limitat, & peculiarem qualitatem remedij indicat, quo curari æger debeat, cognito enim animali venenoso à quo aliquis fuit morsus cognitum Alexipharmacum est remedium, quo talis morsus debet curari sic etiam, si ex assumptis alimentis incidat quis in febrem, ut sæpè in diarijs solet accidere, talia alimenta cognita conferunt; non tantum ad febris dignotionem, sed etiam ad eius curationem, possunt enim alimenta duobus modis febrem in nobis accendere, scilicet vel suis qualitatibus nimis calidis inducto calore præter naturam in spiritibus vitalibus cordis, aut non sic; sed ex illis alimentis genito sanguine, aut massa sanguinaria in tanta quantitate ut inde febris accendatur aucta; sic scilicet calida substantia nostri nativi caloris, ut in priori casu non substantia; sed sola eius qualitate adaucta vndè cum quis ex assumptis alimentis febricitat non solùm quod alimenta præcesserunt Medicus cognoscere debet, sed etiam distinguere an assumpta alimenta ex illis sint quæ parum nutriunt, sed multum corpus calefaciunt ut sinapi, nasturtium, raphani, allia, cepæ, & similia; an vero ex illis quæ parum excandescunt corpus sed multum nutriunt, multamque sanguinis quantitatem generant, ut sunt carnes, panis, ac vinum, quod non sit nimis generosum uel annosum: nam hoc etiam multum calefacit: his ergo sic distinctis non solum affectus, cognoscitur, sed & distincta eius invenitur curatio; in primi enim casu curatur febris solum mutatis alimentis & adhibitis refrigerantibus medicamentis; in posteriori verò casu sanguinis missio, & evacuatio materiæ redundantis est præcipuum curationis remedium: ex quibus liquet quod & causæ absentes indicent.

Respondetur tamen dubio, quod ab eo quod non est, ut ait Galenus, nulla sumitur curatrix indicatio, & patet ex se: nam ab eo quod non est præsens nulla potest dari indicatio, quæ eius ablationem arguat, aut petat, cum iam sit ablatum, & in hoc sensu loquitur Galenus & nos cum eo; hoc verò quamvis ita sit, non obstat ut ex causis prægressis possimus aliquoties, & morbum cognoscere, & aliquam eis curationem invenire, ut in exemplis positis experimur: non inquam hæc obstant: nam re vera cum dicta accidunt, & cum tales causæ absentes dictas indicant curationes; eas non tamen ex se indicant in quantum aliquem affectum relinquunt in corpore ægrotantis, unde potius, quàm ab illis causis præteritis indicatur, quod in ipsis etiam traditis exemplis experimur, si enim quando quis mordetur ab aliquo animali venenoso indiget cognitione animalis venefici, à quo morsus fuit, ideò quidem est quia inde cognoscitur alexipharmacum, sive speciale remedium debitum ad compescendum, vel extinguendum venenum ab illo animali in laborante relictum. Similiter si quando quis febricitat ex prægressis assumptis alimentis indiget distinctione talium alimentorum, quæ præcesserunt; hoc ideò est quia sic cognoscit Medicus, an in corpore relictus sit, nec-ne aliquis apparatus morbosus scilicet redundantia sanguinis, vel aliorum 49

humorum

humorum nimia copia, quæ curari debeat sicuti ipsa febris & per consequens, quæ cognosci debet, vt in fine capitis docet Galenus, his verbis: *Nisi quis ad vnguem memoria teneat, & quæ causa febres generant, & in quo cuiusque corporis affectu, is numquam methodum febri prospiciet.* Quasi dicat nisi medicus sciat, & benè teneat omnes causas, quæ febrem generant, & illos affectus, quos præter naturam in corpore relinquunt, à quibus febres generantur, aut conseruantur, numquam methodo, siue recta ratione febri prospiciet, neque eius debitæ curationi, quia scilicet dependet ex omnibus istis vt latè in sequentibus videbimus: quare accedamus jam ad secundum caput enarrandum.



CAPVT II.

De curatione febriū diariarum ex constipatione in calidis, ac siccis naturis, & quod media in his febricitantibus lædit maximè.

50 
T quæ affert Galenus in hoc, ac sequentibus capitibus penitiùs intelligantur, aliqua placet præmittere, quæ pertinent ad essentiam, atque naturam febrium diariarum intelligendam: & si enim in his libris Galenus naturam, & dignotionem morborum non quærit, sed supponit; nos tamen non supponere, sed explicare debemus, vt veritas elucescat magis, cum cognitio morbi, sit inuentio remediorum, & curationis; quare nos hic ea breuiter de natura, differentiis, & causis diariarum febrium afferamus ex quibus quæ Galenus tradit integrè capiamus.

51 Febris igitur diaria, siue calor natiuus spirituum vitalium cordis mutatus in igneam naturam, est duplex, vna scilicet vera, seu exquisita, quia spatio vnius diei terminatur, siue spatio 24. horarum, & alia non exquisita, ac minùs vera, quæ vsque ad tres, vel plures dies solet se extendere: illa ergo febris exquisita est, siue quæ ex se spatio vnius diei, ac noctis terminatur, quæ à causis fit externis per se calefacientibus, nullumque in corpore relinquunt affectum à quo febris conseruetur. Vt sunt illæ febres, quæ fiunt ex æstu nimio, ex motu immoderato, quæ ex inedia accidunt, ex nimio studio, ex nimia venere, ex vigiliis immoderatis, ex ira, ex tristitia, & id huiusmodi: hæ enim febres sunt verè diariæ, cum ex se ablatis dictis causis, nunquam diem prætergrediantur vnum naturalem; quæ verò febres diariæ ex cruditatibus alimentorum; vel ab excrementorum retentione generantur, aut ex multa sanguinis aut aliorum humorum calidorum repletione fiunt, quæque ex cutis, ac pororum corporis constipatione, ex his obstructionibus, aut inguinum bubonibus exteruis oriuntur, ea quidem quamvis spatio vnius diei terminari possint; ideoque diariæ etiam dicūtur nō tamē sunt legitimæ primo non semper, neque ex se vt aliæ legitimæ intra diem, & noctem terminantur, sed ad tres, aut quatuor, & aliquando ad sex dies extenduntur, ita vt metus impendeat, ne in putridas degenerent.

Sed vt dicta magis intelligantur est advertendum ex eodem Galeno 1. *ad Glauconem*, *cap.* 2. quod omnes febres diariæ, siue sint verè diariæ siue non, pendent à causis externis; proprium enim est; ait etiam Galenus 1. *de differentiis febrium diariarum*, fieri à causa externa; attamen tales causæ externæ febres diarias generantes non omnes eodem modo generant eas: sed quædam earum per se inducendo calorem præter naturam in ipsis spiritibus cordis, vt lassitudo, siue motus corporis immoderatus, ira siue furor, aut animi exscandescentia immodica, timor vehemens, vigilia nimia, cibi defectus, siue inedia, & calor ingens solis, aut aëris ambientis: aliæ autem sunt causæ, quæ febres generant diarias, non per se ac primò, vt assignatæ, sed alium inducendo affectum, seu vitium præter naturam in corpore, vt sunt quæ constipatione inducta febrem generant, & quæ per ciborum cruditates febres creant vt immodicè vinum sumptum, sæpè facere consueuit, si cum ciborum abundantia plethoram facit, aut calidorum humorum redundantia, vnde febres suscitantur, & denique cum ex causis externis suscitati bubones febres producunt. Quæ ergo febres diariæ à causis per se agentibus, seu calorem præter naturam inducentibus generantur, sicut febres diariæ legitimæ curantur, vt quæ per primam intentionem vt supra dicebamus, quæ verò febres diariæ à causis per accidens operantibus generantur, vt per constipationem, aut per leues obstructiones: & quæ ex cruditatibus ventriculi, aut ex excrementorum alui detentione, & quæ ex sanguinis feruore, aut aliorum humorum calidorum redundatia, & denique ex bubonibus fiunt; omnes istæ sunt illegitimæ, & nothæ, potiùs quàm veræ diariæ, atque ex sua natura, quia ad plures extenduntur dies; & constitutione, quia affectum præter naturam in corpore permanentem, potiùs quàm causam externam sequuntur; & denique curatione quia per secundam intentionem curantur, vt suis locis clarè videbitur. His sic prælibatis ad textum explicandum accedamus.

Acturus Galenus in hoc, & sequentibus libris de curatione febrium diariarum agit in præsenti cap. secundo, de febribus diariis ex constipatione ortis, in quo quatuor potissimum præstat; nam in primis explicat in quibus corporibus constipatio generet febrem, scilicet in corporibus calidis & siccis vt potè quia id quod transpirat suave non est, sed acre, atque adustum, quodque, si ex 53

cōſtipatione in corpore moretur neceſſe ipſum icandeſcit, febremque producit. Secundo demonſtrat in his corporibus inediā, ſeu cibi abſtinentiam eſſe maximè nociuam, & per conſequens antiquos medicos, diatritarios dictos quia primam morborum curationem, per inediam trium dierum faciebant, reprehendit, quia tali ſua abſtinentia dictos febricitantes non ſolum non curabant, ſed maximè lædebant, atque in longè pejores febres eos neceſſariò immutabant. Tertiò docet qua recta ratione dicti febricitantes ſint regendi, & quibus alimentis ſint nutriendi, & quartò tandem docet quot, & quæ ſint cauſæ conſtipationis, quæ quidē vt ſic ſe habēt, ita docēt. Caput diuidi in quatuor partes.

TEXTVS.

Dictum namque eſt in his corporibus meatuum conſtipatio, &c.

54 HÆc eſt prima capitis pars in qua docet, quæ corpora ſint in quibus conſtipatio febres producit: docet igitur ex noſtris corporibus alia eſſe, quæ mites, atque ſuaues ſuccos, ſiue humores habent, ideoque quod tranſpirant, primum quod per habitum corporis, & per poros cutis continuo exhalant ſuaue eſt, atque halituoſum, ſiue iucundum, non autem acre, aut mordax, ſeu moleſtum ad ipſum ſenſum, vt experimur in corporibus temperatis, atque ſanguineis, quæque quadrata, ſeu boni habitus eſſe dicuntur: Alia autem ſunt corpora, quæ è contra humoribus acribus abundant, ideoque quod tranſpirant neutiquam halituoſum, aut ſuaue eſt, ſed acre, & ad ſenſum inſuaue, aut mordax fumus, ac fuligo vt ſunt corpora bilioſorū, & corpora omnia gracilia, ſiue extenuata, hirſuta, ſiue pilis multis, ac nigris ſtipata, & colore quoque nigello prædita; hæc enim corpora vtpotè per exceſſum calida, & ſicca etiam ſi ſecundum naturam ſe habeant acribus, & ad tactum mordentibus abundant fumoſis excrementis, vel ſaltim multum calidis atque exſiccantibus, vt ſi in corpore detineātur, liberè non tranſpirent, ac per habitum corporis, & cutis poros continuo non excūt, ſed conſtipata cute, aut clauſis eius poris intra cutim detineantur, neceſſariò ſic corpus præter naturam calefaciant; ac febrem accendant, & per conſequens conſtipatio ſola in his corporibus ait Galenus etiamſi reliquæ cauſæ corpus calefacientes deſint, febrem accendere poteſt, cum conſtipatio pro nunc idō ſit, ac pororum, qui ſunt in cute, & habitu corporis denſatio, ſiue anguſtia, aut occluſio non quidem omnimoda; quia hæc natiuum calorem ſuffocat, & ſic eſt cauſa frigiditatis, vt *libro de cauſis morborum*, *cap*. 2. 3. docet ipſe Galenus, ſed quæ impedit liberam tranſpirationem, atque ventilationem dicti caloris natiui, & ſimiliter liberam, ſeu totalē expulſionem dictorum excrementorum præcalidorum, hæc enim conſtipatio, & quia dicta detinet excrementa, & quia ventilationem corpois, ac natiui caloris impedit, febrem generat, & calorem in toto corpore.

Cum enim dicta corpora ex ſe & ex ſua 55 temperatura ſint per exceſſum calida & ſicca, ſcilicet intra limites ſanitatis, cumque ſimul dictis abundent acribus humoribus, ac fuliginoſis excrementis: ſi hæc, inquit, corpora debitis lauationibus ex aqua dulci non tēperent; ſi frictionibus, aut in vnctionibus rarefaciētibus non vtantur, & denique ſi exercitatione moderata, & bona victus ratione, quæ dulces efficiat ſuccos non præcaueant protinus febricitant, vtpotè quæ in ſe cauſam febris ſemper continent, nempè dictos acres, atque præcalidos, ſiue aduſtos, tum humores, tū fuliginoſos vapores: vnde ſi huiuſmodi naturas, à conuenientibus ſibi lavationibus prohibeas, protinus febricitant, ait Galenus & nihilominus, ſi conuenienti cibo priues, & inediā tolerare facias, vt medici diatritarij ante quidem more habebantur: tū etiā aduerſiſſima eſt his lotio frigida, vel ex aqua aluminoſa, & exercitatio acuta, & frictio dura, & victus mali ſucci & vigiliæ, & ira & triſtitia, & cura, ſeu nimia ſollicitudo, & vſtio ſeu mora ſub ſole, & fatigatio, & huiuſmodi; quare qui dicta corpora à febribus liberare vult, non ſolū priora eis debet adhibere, ſed & detrahere poſteriora,

Quæ igitur conſtipatio non in quocumque corpore febrem generet, ſed in quibus quod 56 tranſpirat fumoſum eſt acre, ac mordax, id eſt in naturis calidis, ac ſiccis, & quæ excrementis acribus abundant: hinc intelligitur reperiri tres indicationes adimplendas in febribus diariis ex cōſtipatione ortis. Prima enim, & principalis ſumitur ex ipſa conſtipatione. Secunda ex cauſis conſtipantibus. Tertia ex ipſa febre, & natura laborantis, atque humorū, ſeu excrementorū, quæ cōpetentia febrem generāt, atq; conſeruant: conſtipatio ergo cum ſit pororū clauſura, ſeu denſatio, rarefactionem cutis, & partium, quæ ſunt ſub cute indicat, ſiue id fiat per calidum balneum aquæ dulcis, ſiue per inunctiones aperientium medicamentorū, ſiue per blandas frictiones, & exercitationes moderatas, ex ſecunda indicatione cauſæ omnes conſtipantes penitùs ſunt remouendæ, ſiue enim frigidus aër ambiens cauſa ſit conſtipationis, ſiue adſtringentia medicamenta corpori applicata vt balneū aquæ aluminoſæ, vel calchatodis, ſeu vitrioli aut factum cum aliis, vel decoctis adſtringentibus vt ex murta, roſis ſiccis, roſis balauſtris, malis citroneis, corticibus granatorum, ac nucibus cupreſſi, ſiue denique medicamenta ſint exſiccantia, vt ſal nitrū frictiones duræ, puluis, æſtus, aut mora ſub ſole, aut in aëre exſiccante: ſiue inquam, iſtæ, aut illæ vel omnes dictæ cauſæ conſtipantes, adſint neceſſariò, ſunt auferendæ ſimul cum dicta conſtipatione, vel antea, cum effectus tolli nequeat, manente illa, vnde natus eſt: cauſa denique ex tertia indicatione, & calor febrilis temperandus, ſeu refrigerandus eſt & natura laborantis, & humores acres mitificandi: hæc tria conſequi debent, non ſolùm adhibitis medicamentis, atque alimentis conuenientibus, ſed remotis omnibus nocentibus, de quibus in toto cap. agit fuſiſſimè Galenus: eſt enim indicatio comprehenſio

hensio rei iuuantis simul cum comprehensione nocentis; & ideo vera curatio fit adhibitis iuuantibus, & ablatis nocentibus & non aliter, vt hic videtur.

TEXTVS.

Ego namque reliquis pretermissis, cum tibi, &c.

57 Demonstraturus Galenus in hac capitis parte quod per dictas indicationes curantur febres diariæ in calidis, ac siccis corporibus, atque picrocholis. idest quæ biliosis, & acribus humoribus abundant, affert historiam vnius hominis qui cum esset picrocholus, ac natura calidus, & siccus, in aquis aluminosis lauatus, aut balneatus, sicque constipatus, & cute densata febricitauit, quippè satisfacientis, ait Galenus pro claritate sermonis, veluti exemplum. Historia est hæc: Tempus anni erat quo hæc agebantur parum post caniculares dies; hoc ergo tempore homo circiter quinque, & triginta annorum, colore nigello, & habitu corporis gracili atque hirsuto, cum qui tangentibus, etiam cum valeret manifestè calorem exhiberet mordentem: vrinas quoque habebat abunde flauas, ac si pluculum cibo abstinebat etiam mordentes. Aluus assiduè sicca erat, quæque excernebat exigua acria, & sicca, mores animi ad iram, & cogitationem propensi: ipse pauci somni, & qui perpetuo de vigiliis querebatur. Hic igitur ter aut quater vsus dictis aquis aluminosis, septima diei hora, vel parum post meridiem, nocte febricitauit: quem cum tertia hora diei sequentis duo Medici contemplati essent iusserunt non eum modo diem, verum etiam posterum totum per inediam transigere, quo tertiæ diei noctem, & accessionem obseruarent, atque his dictis abierunt, polliciti tépore debito se redituros.

58 Nos tamen ait Gal. cum post illos digressos, superuenimus, non permisimus hominem à cibo abstinere, sed statim in balneum perductum, siue in locum tepidum, & tepenti oleo largissimè perfusum, tamen blandissimè perfrictum, quam plurimum temporis in calidi solis aqua versari iussimus, mox egresso, ac frigida ex consuetudine vso, tum sindone cooperto, considere paululum ad vires recreandas præcepimus; postea denuo in balneum perducto, ac rursus similiter tum vncto, tum perfricto, ac in calida morari iusso deinde rursus educto, ac frigida merso detersoque exhibuimus cibum protinus quidem vt egressus est, atque aquam bibit, ptisanæ cremorem; deinde paruo internallo lactuca & post hanc ex simplici iure albo piscium aliquod eorum qui molli sunt carne, vt sunt saxatiles omnes. His sic peractis ministris præcepimus, si medici vespere venirent, quiescere hominem dicerent eosque remitterent, ac postridie manè redire iuberent: vt verò abierunt rursus hominem simili modo lauatum ac cibatum his ipsis quæ egimus dormire probè fecimus.

59 Accedentes autem postridiè manè Medici censuerunt, etiam eo die cibo illi abstinendum etiam si quam maximè sine febre prorsus esset, non tamen ita factum est; sed bis lauatus, & pransus vt ait Galenus, quia æger per triduum laborauerat nimis, & sub sole feruente, & quia per sanitatem bis se lauare, aut balneare solebat, propter laborem inquam, æstum, ac consuetudinem, tertio etiam ad vesperam balneatus est; sed antea circa occasum solis ministrorum quispiam adiisse Medicos nunciat, hic se febricitare simulat, ac veste circumdatus inuolutusque quominùs bibisse vinum ab ipsis deprehenderetur amico cuidam mandat, medicis, si quid percontentur pro se respondeat; erant autem de more vbi inuolutum curiosè hominem etiam cum capite viderent, primum illud solemne ipsi rogaturi, quota hora accessio inuasisset; cū autem amicus respondisset, ferme ne vnam quidem integram, ex quo cœpisset interc. sisse horam cum horrore, ne an frigore cœpisset rogant, eò cum horrore respondente rangunt hominem iam corpore propter risum, & operimentum madentem; itaque vbi hominem laudassent, quod sibi obtemperasset; nec quidquam ante diei accessionem comedisset ob ipsum inquiunt nunc te deseruit, horrorisque sudoris indicium, ac multa humiditas, circa cutem, haud quaquam eruinisset, nisi inediam per triduum tolerasses. Iussi igitur propinquis si quæ guttulæ illi manarent, diligéter detergerent ne frigore affieeretur, manè se redituros præfati discedunt, ne tū quidē post sudores hominē iubentes nutriri: visæ enim sunt illis noctes eo tempore breues, vtiliusque esse postridiè manè nutrire.

60 Digressis igitur ipsis perfusus sudore iuuenis, ita vt inuolutus vestibus fuerat in balneum cucurrit & tertiò lauit, ac similiter est cibatus. Postridiè priusquàm aduentarent Medici, egressus domo dedita opera est, ne se deprehenderent. Itaque cum paulo post venirent, & egressum intelligerent mirati inter se sunt quod tandem hominem egredi subegisset, iam bidui passum inediam.

61 Hæc Galenus ex quibus duo concludit, atque ostendit, primum scilicet qua ratione curari debeant dicti febricitantes, & secundum benè curati quam citò, ad sanitatem, & integram salutem perueniant: cum enim ij squalidi sint, seu sicci, & calidis, ac siccis scateant excrementis necessario indigent refrigeratione, humectatione, & dictorum excrementorum euacuatione, & per consequens balneis; indigent dictis, & alimentis, atque si his rectè vtantur intra triduum sanantur, & si ex causis adstrictione ex externis causis constipantibus febricitauerint: si enim balneis dictis vt fecit Galenus vtantur; siquidem & à constipatione liberantur, & à causis cōstipantibus, & ab excrementis detectis expurgātur, &

humectantur, ac modicè refrigerantur, vt enim in balneo plures sunt partes, ita penes illas omnia dicta consequuntur, nam per primam eius partem cutis densata ex frigore, aut aquis stipantibus modicè calsit, ac raresit, & materia attenuatur atque ad euaporationem disponitur, quæ eadem præstant inunctiones, & blandæ frictiones, quæ tunc etiam administrantur post quæ sequitur solium, siue lauacrum aquæ dulcis, ac moderatæ calidæ vbi laborantes diutius detenti humectantur, rigantur atque à calore liberantur febrili, vbi etiam excrementis vacuantur rarefacta cute, & attenuatis materiebus, sicque resolutis, post hæc frigida, submerguntur, vt sic & roborentur, & amplius temperentur, quibus factis sequitur cibus, & potus, quibus non tantum qualitatiuè, sed substantificè, & per nutritionem ægrotantes, & humores non modo attemperantur, sed in totum; sed sanitatem veniunt.

T E X T V S.

Ergo si hoc vno malè ab huiusmodi medicis, &c.

62 EXposita debita curatione febrium diariarium ex constipatione cutis in corporibus calidis, & siccis, biliosis, atque excrementis acribus redundantibus aggreditur in hac secunda capitis parte demonstrate quantum noceat in his ægrotantibus inedia, siue cibi abstinentia, & per consequens curatio eorum medicorum antiquorum qui diatritarij vocabantur, quia febres curabant, aut curare aggrediebantur per inediam trium dierum: in primis cum huiusmodi laborantes curari rectè possint sine tali inedia, vt in exposita historia est demonstratum, perperam cruciantur in tanta inedia, nam quæ sicca sunt & calida corpora humoribus quæ constant acribus, ac resiccatis, inedia magis resiccantur, & humores acriores redduntur, quia priuantur sic suis attemperantibus, sic humectantibus nempe cibis, ideoque cruciantur, ac molestè ferunt si convenientes potus, ac cibos non assumunt; saltim bis quotidie, & si hoc verò ait Galenus mali ab huiusmodi medicis ægri afficerentur, quod pluribus diebus in cubilibus detinerentur, cùm liceret sine intempestina hac inedia multo carius ad consueta vitæ munera redire: esset profectò vel id pergrave: verum longè grauius est quod accidit.

63 Cùm enim temperies naturæ, & humores nimis sint ex se resiccati, & exscandescentes vbi febricitantes sub tali victu reguntur grauissimis occupantur febribus, scil. ardẽtibus acerrimis acutissimisque à quibus promptus est in hecticis transitus atque ab his rursus in torridum marasmum, aut si os ventriculi consentit, vt dictis in viris facilè patet; in eum qui syncopem, vel animi defectum infert. Non enim veluti qui humidi ac boni succi sunt, vbi in febre diaria, longam dictam inediam sustinere coguntur, vnum id tantum patiuntur, quod frustra cruciantur, sed vlterius statim in alias transeunt acerrimas, atque malignas febres, quales sunt dictæ, imo dictæ naturæ, & si sanæ sint sibi duo inediam sustineant, hinc solum febre corripiuntur: si quid cui nec suberat prius quidquam in corpore quo grauaret: neque aliud extriusecus accessit is planè ex inedia febricitabit, vt non vni, alterive, sed omnibus planè sic intemperatorum accidit, vbi inediam tolerarunt: ex quibus deducitur liquido, quod inedia, seu cibi abstinentia nocet quam maximè omnibus illis quibus in corporis temperatura, siccum prævalet humido, & calidum frigido, vti quibus corporis habitus gracilis est, hirsutus, nigrior, & nimis calidus, ac mordax ad tactum, quibus etiam bilis flaua plurima est vrinæque ac dejectiones biliosæ nimis aut flauescentes, pulsus sunt magni, somni leues, ac pauci, & animi impetus, siue ira vehemens, aut excandescentia, aut istius modi.

Rectè ergo Hippocrates horum memor. 6. *epidemion* dixit calidæ naturæ conuenire refrigerationem, aquæ potum, & quietem, vbi nomine refrigerationis intelligit eam quæ fit per alimentum, vt pòstea videbimus, & constat ex alia dictione aquæ potum, in secundo etiam de ratione victus in acutis sic scripsit, sed & qui bis in die comedere consueuerunt, hi si non prandent, ægrotant, tum imbecilles, & infirmi fiunt, & timidi ad quodvis opus, propterea cordis dolorem, idest in ore ventriculi sentiunt, & quidem suspensa illis viscera videntur & calidum, pallidumque mingunt, & dejectio oritur, sunt præterea quibus os amariat ventriculi, cauantur tempora, saliunt, aut ventres (vt in Græco est exemplari, ac sæpè in fieri experimur) & extremæ partes frigent, quia scilicet in corporibus, aut hominibus pierocholis inedia est aduersissima, eamque difficiliùs, quam alij homines ferre possunt, si enim qui bis in die comedere est assuetus ex eo solum quod non prandeat tot malis, tamque grauibus afficitur, vt ait Hippocrates, quid dicemus, atque sperabimus, in illis qui biduo inediam sustinere coguntur: scilicet quod ad mortem, aut saltim ad mortales morbos sic perducuntur? Quæ quidem & nos benè advertere debemus, nam etiam si his nostris temporibus non sunt medici diatritarij; sed neque sunt qui tales naturas balneis dictis, debitaque victus ratione præ se ferunt, neque febricitantes, dicta febre diaria curent, vt hic docet Galenus. 64

TEXTVS

TEXTVS.

Nam refrigeratio, quam calidis naturis suasis &c.

65 HÆc est tertia capitis pars, in qua dictus Galenus acturus de recta ratione cibandi picrocholos febricitantes, siue eos qui non solum graciles sunt, ac per excessum calidi, siccique, sed etiam biliosis, atque adustis abundant humoribus, & excrementis, aduertit in primis quod refrigeratio, quamuis naturis his, atque corporibus conuenite dixit supra Hipp. fit non solùm per aquæ potiones, aut per alia, sed potissimum per cibi exhibitionem. Qui enim, inquit originale temperamentum, siue natiuum, vt dictum est intemperatum habent, caloremque natiuum, squalidum, atque acrem, ij quidem ex assumptis alimentis multum attemperantur, & horum insitus calor squalidus, ac mordax ex cibis multum mitescit, minusque mordens efficitur. Quamuis enim aquæ potio, balneatio, atque multæ corporis inunctiones, refrigerare, atque humectare, valent corpora calida, & sicca, imo, & actimoniam succorum, atque ipsius caloris natiui obtundere seu mitificare, non tantum æquè benè, vt cibi, ac debita alimenta, cum illa non nutriant, hæc verò maximè, ideoque illa solum alterando, vt medicamenta, & per iuxtapositionem; hæc verò per intus-sumptionem, & quia conuertuntur in substantiam, corporum ipsorum, atque dicti caloris natiui, sic enim talia corpora, & omnes humores optimos teddunt, id est non solum temperant, atque humectant, sed & mitificant valde, vt de vino in particulari docet Galenus ipse 7. *aphorismorum, comment.* 56.

66 Expedit autem tales homines illis nutriri cibis, ait, qui boni succi sint, non tamen multum nutriant, neque vllam sensu perceptibilem qualitatem medicamentorum habeant, & modicè refrigerent, debent in primis, ibi esse boni succi, vt malos sic rectificare possint; non debent autem multum nutrire. Quare corpora ista vtpotè sicca parum concoquunt, & alimenta, quæ multum nutriunt sunt difficilis coctionis: debent ergo succi boni esse cibi, & facilis coctionis. Tertio debent, esse solum cibi; & sine permixtione alicuius facultatis medicamentosæ, vel excrementitiæ: nam sunt multa boni succi, & parum nutrientia, vt maluæ, & lactuca, & brassica, beta, & alia multa olera, & fructus; verùm sic vt in his exiguum, quod est inutile, è contra in pane puro, & ouis, & carne, & alica, plurimum est quod nutrit; minimum quod est inutile. Quod si id inutile quidquid admixtum vtili est aerem habet, aut acutam, aut acerbam, aut amaram, aut denique vitiosam aliam qualitatem siquidem non solum inutile; sed nocens efficitur in dictis corporibus, atque naturis. Denique conuenit vt his ægrotantibus frigidum, humidumque quodammodo nutrimentum exhibeas, cum corpus in eis, tum calidius, tum siccius sit redditum, & ipse calor natiuus & alij omnes humores.

Quare commodissimus in his cibus est Ptisanæ cremor, ideft succus, seu lac Ordei, ad vnguem coctus in quo nullum sit superfluum condimentum, vtpotè qui & refrigerare, & humectare, & sine siti hominem seruare potest, & nullum detinet corporis excrementum: quæ enim per aluum excrementorum dejectiones fiunt astringentia retinere solent, vt quæ per vrinas, aut sudores; quæ lenta sunt exiguis, meatibus hærent, emplasticáque ob id vocantur; ptisana verò neque exiguos cutis meatus obturandi, neque astringendi vim habet vllam, sed detergendi potius, siue reserandi meatus vt mel, siue sordidum corpus extrinsecùs ptisana frices, siue ex ventriculo per vomitum educere piruitam mediocriter velis vti mulsa, dato ad vomendum ptisanæ cremorem est sanè, & aqua mulsa, siue aqua mellis moderatè detergens, & ad dictas omnes excrementorum expulsiones ciendas idonea; verum sitim vt Ptisana non extinguit, & in amara bile abundantibus naturis facilè vertitur in bilem, & ob id in huiusmodi temperamentis optimum nutrimentum est Ptisana, deinde alica, cui aceti aliquid ad faciliorem distributionem sit adjectum: qui etiam panis in furno coctus, & saxatiles pisces, siue qui in saxis, aut petrosis locis degunt, & non in cœnosis, aut lutosis, neque in paludibus, aut lacunis, vbi aquæ parum, aut nihil fluunt, qui enim in his locis degunt exctementosi sunt maximè & ideò malè nutriunt, ex volatilibus optimi sunt, perdices, & montani omnes passeres, ab his gallina, ceu phasiani, & iuuenes colubæ, sed neque hæ in his claudendæ, cum excrementosa sint omnia, quæ exercitatione carent, quo fit vt etiam ex ipsis suillis carnibus optima sint montana; ab his deinceps hœdi sunt in quibus omnibus fugienda sunt, tum vetula, tum recens edita quia illa duriora coctuque difficilia, hæc immodicè humida, & excrementosa potissimum, quæ sua natura sunt humida, vt Oues, & Sues, & hæc de cibis. 67

TEXTVS.

Reuertamur ergo rursus ad propositum, &c.

IN hac vltima capitis parte agit de causis constipationis cutis, & partium, quæ

quæ ei ſubjacent, repetit quæ ad id quod ſupra latius docuerat, nempè quibus aëre quotidie tranſpirant, ſi cutis ipſis ſtipetur própè febre corripi ſcilicet detentis ſic calidis illis excrementis, & cordi communicatis. Docet ergo cauſas cutem ſtipantes, eſſe tres ſcilicet aſtringentia omnia corpori extrinſecè applicata, vt aqua, ſeu balnea aluminoſa, tum quæ lentore ſuo, aut craſſitudine exiguis cutis meatibus inhærent, & denique immoderatior ſiccitas. In primis aſtringentia omnia (inter quæ frigiditatem externam, ſiue aëris ambientis comprehendit) ſunt cauſæ cutim conſtipantes, vt quæ tùm refrigerando, tum exſiccando cutis ſpiramenta, ſeu poroſitates denſant, atque claudunt: aſtringentia enim & frigida ſunt & ſicca, vſque ad ſecundum gradum, & craſſa conſtant ſubſtantia, etiam ſi aliqua ſint calida, & ſicca, vt alumen vſtum, quæ omnia, & ptopter multam ſiccitatem, & terream, ſeu craſſam ſubſtantiam, & quæ ſunt frigida, ſua frigiditate poros claudunt corporis, & per conſequens corpus conſtipant, atque eius cutem, quare balneum aquæ aluminoſæ, aut calcanthi, ſeu vitrioli, aut paratum ex aqua in qua cortices granatorum, & roſæ ſiccæ aut ænanthes, ideſt vuæ ſylueſtres immaturæ ſint concocta aſtringunt, & conſtipant, & quidem pluſquam mediocriter, tùm ſimiliter inunctiones ex oleis aſtringentibus, vt ex oleo myrtillorum, melini, ſiue citoneorum maſtichini, aut ex oliuis immaturis, aut ex calcantho; aut ex lentiſco, & ſimilibus.

69 Simplex etiam refrigeratio cum nimis excedit, vt in hyeme, & frigida, aut gelida conſtitutione certè cutim aſtringit, & eius poroſitates denſat non parum, cum frigiditatis ſit conſtipare, cogere corpora, ac coarctare, & è contra caliditatis eſt fundere, attenuare, aperire, ac reſoluere, & ſexiccare, præcipuè ſi nimis excedant, aut nimis intenſæ ſint, vt nunc loquimur. Rursùs & ſimplex ſiccitas ſi multa eſt, cutim denſat, & tranſpirationem impedit, quia corrugatur cutis, & carnes concidunt multum exiccatæ, aut nimis exuſtæ tandem & emplaſtica, ſiue agglutinantia medicamenta lenta ſunt viſcoſamque habent ſubſtantiam, qua cuti applicata facilè adhærent; ſicque poris imbibuntur, & totam ſuperficiem illiniunt, atque proindè, ab omnibus dictis denſatur cutis, vt Galenus ſcribit, ſed vt hæc magis intelligantur, aliquos affert caſus ad rem pertinentes, quia & conſtipationem indicant & cauſam ſtipantem.

70 Proinde inquit qui ænanthe in balneo vtebatur, hunc vt nos vidiſti, quo tempore inæqualitatem ſentire ſequeretur. Ænanthe, eſt vitis ſylueſtris fructus cui aſtringendi vis ineſt non pauca, & potiſſimum ſi in totum non ſit maturus, tunc enim dulcis quodammodo fit, ideoque minus deſiccat; atque comprimit; ſemper tamen aſtringit, atque proinde videns Galenus quod qui ænanthe in balneo vtebatur inæqualitatem corporis, ſiue horrorem ſentiebat, intellexit inde tum ex balneo hominem conſtipari, tum excrementis acribus abundare, quæ potius apertis poris corporis exhalare debebant, quam cutè denſata detineri, quare vetuit cautè tali vti balneo ſimili modo, & qui largo vino cum oleo exiguo vtebatur Ariſtoteles *octauo de Hiſtoria animalium, capite ſeptimo*, docet inſecta alia oleo illinita perire, quia prohibetur eorum tranſpiratio, quod & nunc accidere ex balneo vini cũ oleo ſupponit Gal. & benè, nam & vinum nigrum, & oleum tranſpirationem corporis morantur, extrinſecus applicata; illud quidem, quia moderatè aſtringit, iſtud verò quia poros obturat ſuo lentore, ac ſubſtantia viſcida: item qui lentiſco vtens denſitudinem ſentiebat, hunc de cætero vti prohibui lentiſcum; ſiquidem manifeſtè guſtum exaſperat, & conſequenter ſenſibiliter aſtringit, & proinde iſta omnia balnea prohibent tranſpirationem corporis, quæ ſemper per habitum fit, & per poros corporis quamuis ſit inſenſibilis.

Inhibuimus non minus, & eum qui quotidie inſolabatur, & eum qui pulvere vtebatur. Retinent enim non minus ac dicta tranſpirationem, quæ cutim immodicè ſiccant, & ideò multis, qui ſole feruido, atque ſqualido nimis vtuntur, aut cum aliis pulveribus exiccantibus, tùm multo nitro, aut ſale conſtipantur ob nimiam ſiccitatem, ſicut & qui exercitatione multa, aut frictione durâ corpus macerant, aut fomentis calidis reſoluentibus. Quare hæc omnia vitanda iis ſunt, qui fumidum è corpore exhalant, ſicuti etiam quæ glutinoſum, & craſſum generant ſuccum, quandoquidem hæc paruis meatibus inhærentia tranſpirationem morantur. Iam alium (tandem ait) curauimus mirantem quo pacto vna lauatione ac debita frictione, horridam eius multorum dierum inæqualitatem diſſoluerimus: vtebatur enim & ille aſtringente oleo, hoc inquam præter alios vſus celebri, quod hiſpanum vocant, & nos omphacinum, ſiue crudum ac ex oliuis immaturis factum: hoc igitur mutantes ac Sabino tum pingui vngentes, quia modicè humectat, atque relaxat vt camomelum aut anethinum cum oleo amygdalarum dulcium; tum molliter vlterius fricantes, ac bis lauantes, illico ſanum reddimus; ſic ſcilicet ablata conſtipatione apertis poris, cutis & habitus corporis, & materia acri reſoluta. 71

Quod ſi obiicias hæc præcepta pertinere potius ad partem ſanitatis tuendæ, quàm ad morbos curandos. Reſpondet huiuſmodi præcepta eſſe tum valentium, tum eorum qui de valetudine queruntur communia, & ſi enim febris, quæ jam facta eſt, non conſulunt ei tantum quæ nunc fit, & adhuc in generatione 72

eſt

est, & consulunt, & prospiciunt, tollendis scilicet iis, quæ illas excitant causis, idest, quia docet tollere causas, quæ tales febres generant, sicque eas docent curare: quippe quæ adhuc in generatione febris est vti est febris à constipatione orta, de qua in hoc capite agimus, & qualibet alia, quæ causam habet conseruantem, dum aufertur causa, ipsa vna interit, nam ablatâ causâ necessario tollitur effectus, qui in fieri est, id est non factus, & per se subsistens, sed dependens in conseruari à sua causa, quare dicta præcepta, quæ *in libris de sanitate tuenda* traduntur etiam ad eos pertinent, qui febricitare incipiunt, quique adhuc febribus laborant non in totum factis, sed fientibus, & à causis adhuc pendentibus, siquidem per illa eadem curantur siue talem sanationem appellemus curationem, siue prouidentiam; nam propriè ac rigorosè loquendo id febris quod iam inuasit, idest factum est, etiamsi exiguum sit curamus, aut curare dicimus, quod autem adhuc fit prospicimus ne quid amplius proueniat, adimentes causâ eius.

Notabilia, & dubitationes super Caput.

73 Egit Galenus *in hoc capite* 2. de curatione febris diariæ ex constipatione ortæ in corporibus picrocholis, & calidis, ac siccis; quod & si ita sit, non tamen integrè & vt conuenit de hac re est actum, quia constipatio, non solùm febrem generat diariam in dictis corporibus, sed in aliis, quæ neque ita sunt calida, & sicca, neque ita amarulenta, aut amara bile redundantia: non solùm enim, corpora calida, & sicca nimis, atque gracilia, & hirsuta, transpirant fuliginosa, & acria excrementa, à quibus per constipationem detentis, febris accenditur, sed & alia multa, quæ talia non sunt; neque solum bilis adusta acres à se expirat fuligines, sed & sanguis adustus, & pituita salsa aut putrida, & succus denique melancholicus adustus, ac præter naturam resiccatus. Quare in omnibus his constipatio inducit febrem, & per consequens in his quoque febribus videndum est qua ratione constipatio auferri debeat, & tales febres sint curandæ. Imò si attentè legimus contextum intelligimus potissimum curare Galenum in hoc secundo capite eam febrem diariam, quæ ex constipatione cutis oritur, ex vsu aquarum astringentium, tum propter earum frigiditatem, tum propter permixtionem aluminis vt in aquis albulis, de quibus præcipuè agit inaniuntur. Quare cum etiam differant in curatione febres, quæ ex cutis constipatione oriuntur ob vsum dictarum aquarum, aut similium ab his quæ ex calore nimio, aut siccitate immoderata rugatâ cute generantur. Ob id cujusque earum seorsim meminisse est necessum. Tandem notum est etiam ex contextu præcipuam Galeni curationem in vsu balnei, & diuersarum eius partium consistere, verum cum balnei vsus his nostris temporibus sit abolitus; adhuc curatio Galeni mutanda veniet, atque aliis frequentioribus debitisque auxiliis substituenda, quapropter de singulis sigillatim venit agendum.

Pro omnium resolutione est notandum quod corpora quæ constipata febricitant, possunt esse in triplici differentia: vel enim simul cum constipatione habent aliquem alium in corpore humorum præter naturam apparatum, quo replentur quodammodo, vel non, sed libera sunt ab humorum malorum redundantia, præter fuligines, quæ ex constipatione detentæ febrem generant quæque exhalare per habitum solebant: vel denique non solùm non laborant cum constipatione aliquo alio humorum apparatu, aut redundantia; sed potiùs, è contra laborant ex defectu carent, quæ aut carnibus, aut humoribus, aut spiritibus, qui secundùm naturam esse debebant, vt in picrocholis, atque extenuatis accidit corporibus, & non solùm in iis; sed in illis omnibus, quæ ex vstione constipantur, ex exercitiis immoderatis, ex duris frictionibus, & denique ex aliis causis multum corpus exsiccantibus, vt ex curis immoderatis, ex vigiliis, ex mœroribus, aut timoribus diuturnis, & denique ex medicamentis, vel intra corpus assumptis, vel extra corpori applicatis, quæ valdè exsiccant. 74

75 His sic notatis, & suppositis, si corpora quæ ex constipatione febricitant, sunt libera ab aliis præter naturam affectibus, in hoc casu attendenda constipationis causa est, etsi quidem constipatio, ex densante frigore oriatur, aut astringente alia qualitate frigida, vt ex aqua aluminosa in tali casu quamvis vsus balnei calidi, ac humidi, melius quàm alia poterat cutim densatam laxare, ac poros aperire, sicque detentas fuligines exhalare, atque calorem ipsum febrilem, quia tamen nedum in corporibus ab humorum redundantia liberis tutum est primo accessu & sine aliqua præmissa euacuatione tale balneum adhibere: idcirco aliis tutioribus auxiliis est vtendum, quæ scilicet idem beneficium præstare possint absque tali periculo: in hoc ergo casu atque in eius curationis primo accessu aërem, vbi laborans degit calefacere oportet moderatè, vt cum vapore ex aqua feruente, linteisque mollibus corpus fricare: nam sic & frigiditati constipanti consulitur & constipationis apertioni. Hoc facto, etsi febricitans nulla plenitudine humorum sit affectus, modicè sanguis est detrahendus, benéque aliquantulum sunt inaniendæ, vt sic non solùm impediatur motus humorum ex venis ad cutem calefactam, sed & etiam prohibeatur transitus febris diariæ in putridam: inter omnes enim febres diarias ait noster magnus Mercatus, ea promptius, vel nullo errato commisso, in putridam commigrat, quæ ex cutis densitate, vel obstructione leui suboritur; quia videlicet in eis priuantur humores debita ventilatione, & per consequens facilè putrescunt; cum sint actu calidi, ac humidi saltim secundùm naturam.

76 Præmissa sanguinis evacuatione bis aut pluries prout habitus corporis naturalis consentire, & facilè substinere videbitur, oleis tepidis emollientibus, modiceque discutientibus corpus est inungendum, maximè iuxta dorsum, ventrem atque thoracem, bacque corporis vnctione, atque frictione molli modicè que corpore linteis cooperto sudor est suauiter prouocādus ac procurādus, vt sic constipatione aperta, materia detenta, & calor febrilis exhalētur sanè corpora dicta solent sanguine misso, & vt dicimus disposita facilè sudare, maximè si ventri applicetur decoctū buglossæ, florum papaueris rubri, & camomæli exceptum vesica. Sed si hæc non sufficiant, præstant & potus qui sudorem citra notabilem calefactionem citare possunt, vt qui conficiūtur, ex decocto buglossæ, camomillæ scabiosæ, & papauere rubro, & parum anisi; eundem effectum præstant aquæ tormentillæ, naphæ, buglossæ, & scabiosæ, si calidæ propinentur cum puluere lapidis bezoar, aut cornu rhinocerotis, qui quidem pulueres in pauca quantitate debent dari, vt ad sex, octo, aut decem grana pro vna qualibet vice.

77 Quoad victus rationem pertinet in primis si isti febricitantes ventrem lubricum non habeant clisteribus aluus est citanda, atque emollienda, saltim alternis diebus ne ex excrementis fæcalibus detentis febris magis augeatur. Alimenta autem pauciora debent esse, & tenuiora, quàm in consuetudine, & tempore sanitatis vtebatur febricitans, quià corpora & constipatione dicta potius replentur, quàm inaniuntur, & ideò potiùs inaniri, quàm nutriri debent atque indicant: bibant vero aquam cinamomi, aut anisi, vel corticis citri, vtque totum corpus calefacere modicè possunt, poros aperire, & transpirationem iuuare; quòd idem vinum oligophorum, aut dictis aquis dilutum præstat: præterea omnes corporis concoctiones iuuat & excrementorum expulsiones præsertim per vrinas & sudorem ideoque non est mirum quòd Galenus omnibus febricitantibus febre diaria præbeat vinum, licèt in nostro casu minus conueniat quia nutrit quod non intendimus nunc, sed èconatra euacuare quod corpus replet. Neque hic maiorem quæras febrilis caloris refrigerationem, quia constipationis causa est actualis frigiditas, aut astrictio, quarum vtraque augeretur, & ipsa constipatio à refrigerantibus febrem.

78 Modo agamus iam de curatione eorum, qui ex constipatione febricitant simul cum defectu potius quàm cum redundantia, vt sunt picrocholi & graciles de quibus agit Galenus in hoc capite tum etiam qui ex adustione, aut solis, aut ignis, ex media, ex exercitationibus immoderatis ex duris frictionibus fuerunt constipati: in his ergo casibus, vt causa constipationis est nimia siccitas, ita principales indicationes, & scopi curatiui sunt humectare laborantes, & nutrire citra aliquam calefactionem, imò cum aliqua refrigeratione ratione febris, & ideò, qui sic febricitant, ac constipati sunt potissimum alimentis boni succi, & potionibus humectantibus debent nutriri leuiter, refrigerari, & sufficienter humectari: si enim in aliis verum est illud commune, *optimum medicamentum in alimento*. Hoc potissimum in dictis casibus est verissimum: alimentum enim dum nutrit corpus essentialiter ipsum irrigat, atque humectat potissimum si sit boni succi, & potestate sit humectans. Quare, & dictis alimentis, ac potionibus adhibitis in nostro præsenti casu totum corpus humectat nutritur, atque irrigatur, siccitas atque rugositas cotis corrigitur, humores dulces fiunt, fuligines mitescunt, & exhalantur apertis poris ex siccitate densatis, & tandem febrilis calor expirat, & defectus triplicis substantiæ deperditæ reficitur: his igitur laborantibus cibis, atque potionibus humectantibus indulgendum est quiete, aut moderato exercitio, aëre temperato, sed maximè vino aqua diluto, & non astringente. Tandem si constipatio febres excitans coniungatur cum aliquo præter naturam corporis apparatu, aut humorum redundantia, vel vitio curatur vt docet Galenus infra *cap. 4.* agens de curatione febris diariæ factæ ex obstructione: quare de hac agemus eo in loco.

Explicatâ curatione febris diariæ ex constipatione à causis astringentibus, aut deficientibus exorta restat agendum de curatione eiusdem febris ex eadem constipatione à causis obturantibus, seu claudentibus poros, siue ab illis causis, quæ suo lentore, aut crassitie poros cutis claudunt atque obcæcant extrinsecùs corpori applicatæ; etsi enim pori, qui sunt in cute, & in toto habitu corporis non solùm obturari, siue obstrui possunt à causis dictis crassis, ac lentis extrinsecùs corpori occursantibus, aut applicatis, sed & etiam ab intrinseco, siue ab internis partibus ipsius corporis venientibus, hic tamen solùm de constipatione à causis externis agimus, ac de eius curatione, quia hæc est, quæ facit febres diarias, de quibus nunc agimus; aut de quibus agit Galenus *in præsenti capite 2.* sicuti *cap. 4. ac sequentibus* de aliis, quæ causas habent intra corpus. 79

De curatione ergo constipationis cutis ob poros eius obturatos, siue obcæcatos à causis crassis, ac lentis extrinsecùs cuti aduenientibus, acturi, duo potissimum explicabimus, primùm scilicet in quo consistat dicta pororum obturatio, & quomodo differat à constipatione ab aliis causis astringentibus, aut reficcantibus inducta, secundùm, quæ sit particularis ac propria huius constipationis curatio: quare ad primum statim accedentes aduertimus hic constipationem cutis aut alterius partis, quæ à causis astringentibus, aut reficcantibus, oritur consistere in densitate, & quasi compressione ipsarum partium, tam enim causæ, quæ astringunt, quàm quæ exficcant, corpori applicatæ comprimūt, contrahuntque in sese partes, quas attingunt, si partes sunt ex illis, quæ comprimi contrahique possunt, vt sunt omnes partes carnosæ, 80

quæ

quæ sunt in corpore, & dicta cutis, sic autem dictæ partes compressæ, & in se contractæ, densantur, siue angustantur, & in se concidunt, ac comprimuntur, tum pori earum, tum & aliæ cauitates, sicque sunt aliæ, & hæc densitas, siue compressio, aut concidentia pororum, in se dicitur constipatio, atque ideo talis constipatio consistit in densitate, constipatio autem cutis, aut aliarum partium, quæ ob poros obturatos prouenit à causis lentis, ac crassis non consistit in dicta, neque partium, neque cauitatum densitate, aut compressione, sed in obstructione potius cauitatum ipsarum, siue ipsorum pororum, differt autem obstructio cuiusque cauitatis, ab eis densitate, atque compressione, quia obstructio fit ab humoribus crassis, lentis, aut multis ipsam cauitatem replentibus: densitas autem, siue compressio cauitatis non fit ab humoribus, vel aliis causis in se contentis, sed extrinsecus applicatis, ipsamque sic cauitatem coarctantibus, seu comprimentibus, aut angustantibus: quare constipatio cutis de qua loquimur in pororum obstructione consistit à causis viscidis crassis, aut lentis orta, sicut aliæ antea dictæ in ipsorum pororum densitate.

81 Iis sic constitutis, atque benè distinctis, inde ad obstructionem aperiendam accedamus: cum igitur constipatio, de qua loquimur, in pororum obstructione à causis crassis, aut lentis extrinsecus occursantibus producta consistat; hinc deducitur, quod huius constipationis peculiaris, ac propria curatio in duobus consistet, primum scilicet in abstersione ipsarum causarum, & secundum in apertione dictorum pororum, cum enim causæ dictæ constipantes lentæ sint, ac viscidæ hærent quidem corpori applicatæ, & per consequens abstergi debent, & acu è extrahi cui adhærent: hæc autem abstersio duobus potissimum modis, aut remediis, consequi poterit, scilicet aut lauationibus ex aqua abstergente factis, vt ex aqua hordei, siue cum hordeo cocta, aut pauco nitro, vel solum frictionibus abstergentibus, aut mundificantibus cum panno lineo, non omninò leni factis: sic enim quæ lenta sunt, & sua viscida substantia cuti adhærent extrahuntur, ac separantur, potissimum si vel lauationes, vel frictiones fiant moderatè calidæ, si enim facilius materiæ viscidæ à partibus absterguntur ac separantur, quia calor iuuat ad talem separationem, & frigiditas nocet quia constipat, seu astringit. Quod si prius lauationes fiant, & post lauationes frictiones, sic quidem securius consequitur intentum; cum enim oleosa sint, quæ lentorem habent, aut viscidam substantiam, non omninò extrahi possunt à partibus quibus hærent per solas lotiones cum humectent sed post has per dictas frictiones siccas, siue ex lineis pannis siccis.

82 Nunc quoad apertionem pororum cutis attinet sedulo est notandum qua ratione rectè fieri possit: cum enim caloris solum sit aperire, calore propterea talis pororum apertio facienda erit, quia tamen calor febrem auget, & febris non calorem, sed frigiditatem postulat, ea quidem ratione pororum apertio calore molienda erit, qua simul febris refrigerationem consequamur. Quare ad vtrumque præstandum, ambientem aërem, vbi laborans degit refrigerabimus, ita vt qui in spiratione ab ægro trahitur refrigeret interna, corpus verò ac cutis vniuersa pannis, aut stragulis contegantur in totum, vt sic aucto scilicet calore in cute, & tota ipsa rarefiat, & eius pori aperiantur, sic enim ex Hippocrate gubernari debent non solùm qui febricitant ex dicta, aut simili constipatione, sed & quicumque alij febricitant, ab aliis causis in quibus calor in partibus interioribus augetur, & deserit externas, vt in somno, seu in tempore somni accidit, & in multis febribus malignis, aut ex constipatione obortis. Hæc sunt, quæ peculiari ratione fieri debent pro recta curatione febris diariæ, ex constipatione ortæ à causis externis poros obturantibus sua lentitie, aut crassitie, aut vtraque simul, simul tamen cum his ex omnia fieri debent, quæ diximus supra agentes de curatione constipationis, quæ libera est ab aliis affectibus præter naturam: hæc enim communia sunt & esse debent in curatione cuiusque constipationis, excepta sanguinis missione, quæ in constipatione cum defectu aut multa corporis siccitate omitti debet, vt omittit Galenus in picrocholis, ac calidis, siccisque valdè, quamuis vrinæ essent flauæ, aut abunde coloratæ, quod est notandum.

Vt finem imponamus huic capiti, disputandum restat, an in alendis ægrotantibus, & febre potissimum laborantibus pisces sint carnibus præferendi: cum enim pisces modicè nutriant, facilè coquantur, & succum corpori præbeant aliquantulum frigidum, ex his dicendum videtur in ægrotantibus, & præcipuè febre laborantibus, pisces esse præponendos carnibus; nam carnes plus iusto nutriunt, & ideò facilè, vt pisces non coquuntur, neque succum frigidum præstant. His tamen non obstantibus Arabes medici vsum piscium damnant in morbis, & quia sunt praui succi, & quia sunt difficilis coctionis: apud nostrates, etiam vsus piscium interdicitur laborantibus, & quia sunt facilis corruptionis, & quia secum multam continent excrementitiam substantiam crudam, atque vitiosam potissimum, qui in locis cœnosis degunt, & non fluentibus, aut parum fluentibus aquis, vt anguillæ & thenchæ esse solent: vndè solum saxatiles, id est, qui in locis petrosis, & aquis optimis, ac continuò fluentibus degunt, ægris apud nos conceduntur, & his adhuc raro, & tunc solum cum alia appetere nequeunt, quia & hi facilè corrumpuntur, etsi sint boni succi, & longè minus excrementosi, quam qui in stagnis degunt, aut in locis cœnosis. Quod his non obstantibus, & hoc in capite, & alibi sæpè Galenus suis ægrotantibus pisces pro vsu ordinario, & familiari alimento concessit, 83

ceſſit, ideo eſſe videtur, quia potius maritimos, quam fluuiatiles continuò habebat, & quotidiè propè ſpirantes ei afferebantur: piſces enim maritimi, & minus ſunt excrementoſi, & magis multò reſiſtunt corruptioni, vtpote in aqua ſalſa valdè creati, & ita ſunt ſalubriores, quàm fluuiatiles, quos nos habemus; etiamſi ſint ſaxatiles.



CAPVT III.

De curatione febris diariæ ex ira, triſtitia, vigiliis, curis, laſſitudine, vſtione, & refrigeratione.



EXPLICATA curatione febris diariæ ex conſtipatione agit Galenus *in hoc cap.* 3. de curatione febrium diariarum ex ira, triſtitia, vigiliis, &c. quia ſcilicet curationes iſtarum omnium febrium in multis conueniunt, & omnes quaſi vna curandi ratione curari poſtulant, quamuis vnaquæque illarum aliquid peculiare habeat, tum quoad victus rationem pertinet, tum quoad medicamenta, quibus tales febres curantur: ſunt autem tria potiſſimum de quibus *in hoc capite* agit Galenus: nam primò agit de medicamentis quibus curantur iſtæ febres: 2. de earum victus ratione: & tertio de medicis diatritaris agit de eorum mala curatione in his febribus, quare caput in tres partes ſecatur.

TEXTVS.

Veluti verò iam dictarum maximè naturarum & cum valent, &c.

85 ACturus in hac prima capitis parte Galenus de medicamentis ſpecificis, quibus febres diariæ curantur, cum ex ira proueniunt, ex triſtitia, aut aliis cauſis expoſitis ſupponit duo, primum ſcilicet has cauſas in corporibus picrocholis, gracilibus, ac per exceſſum calidis, & ſiccis, ut enim conſtipatio non in omnibus corporibus accendit febrem, ſed in dictis, aut aliis ſimilibus, ita pariter, neque ira, neque triſtitia, neque laſſitudo, neque vſtio, &c. generant febrem niſi in corporibus ad id diſpoſitis, vt ſunt prædicta calida, & ſicca vel ſimilia. Secundum ſupponit prædictas cauſas cum tales febres generant in dictis corporibus non ſolùm calorem præter naturam inducere, atque creare in eis, ſed inſuper aliquid aliud vnamquamque earum ſimul producere, à quo ſumitur peculiaris indicatio curandi, & eius, cauſa quælibet earum curatio aliquid habet peculiare, ac proprium tum in victus ratione, tum adminiſtratione aliorum remediorum, vt videbitur cum de ſingulis agetur.

His igitur ſic ſuppoſitis docet in principio capitis iram, & alias dictas cauſas febrem aſcendere in dictis corporibus quaſi ſic in totum locutus, vt corpora biliosa calida, & ſicca, & quæ ſcatent humoribus acribus aut excrementis aduſtis; ſana ſint duo debent neceſſariò habere; nam in primis debent habere corpus, vndique flexile, & tranſpirabile, ne ab excrementis detentis ob læſam tranſpirationem in febrem accendantur & ſimiliter debent fugere tum vigilias, tum iram, tum triſtitiam, tum curam, tum vſtionem, & frigus, tum laſſitudinem: nam vt dicta corpora, ex morata excrementorum tranſpiratione, per habitum incidunt in febrem. Ita ſimiliter poſt dictas cauſas promptiſſime febre capiuntur: quare vt ab hac liberentur, & ſana ſint talia corpora, & benè tranſpirare debent, & omnes dictas cauſas fugere, imò etſi aliæ inueniantur, quæ vt poſitæ, poſſunt in nobis febres accendere; bonum enim ex integra cauſa, & malum ex quocumque defectu. 86

TEXTVS.

Sanare verò eos quoties ex aliqua dictarum occaſionum, &c.

HIc iam febricitantes ex dictis cauſis, balneis, frictionibus, & irrigationibus curare docet, ſic enim ſcribit: Sanare verò eos oportet quoties ex aliqua dictarum occaſionum febricitauerint. Partim ſimiliter his quos ex ſtipata cute laborare diximus, partim diſſimiliter. Quippè in prima acceſſione inclinante ducendi in balneum omnes ſunt, tum pinguitut, ſimul ac molliter fricandi his quidem, qui ex aliquo quod cutim aſtrinxit laborant, qui vero ex ſiccitate fricandi, quidem, & ipſi ſed parcius, lauandi autem vberius. Reſpiciendum enim ſemper ad modum affectionis in omnibus huiuſmodi auxiliis. Quaſi dicat Galenus, qui ex ira febricitant, aut triſtitia, aut vigiliis, aut vſtione, vel ex aliis dictis cauſis, quamuis omnes febricitant vna ſola febre diaria, non ideo tamen omnes eadem curatione; debent curari ſed partim quidem illis ſimiliter, qui ex conſtipatione febricitare ſupra diximus, partim aliter, prout ſcilicet modus affectionis, ſeu febricitationis à dictis cauſis eſt diuerſus: etſi enim omnes declinante acceſſione 87

in

in balneum sunt ducendi, tum pinguitur, & blande sunt fricandi: qui tamen ex aliqua dictarum constipante febricitant verbi gratia ex frigiditate largius fricandi, vt sic pori aperiantur, qui verò ex siccitate, fricandi quidem & ipsi, sed parciùs, lavandi autem vberius, nam siccitas balnei humiditate corrigitur, & acrimonia humorum mitescit, sicuti constipatio olei frictione molli curatur, quia sic & cutis laxatur, & pori aperiuntur, scilicet excalefacto habitu corporis à larga illa frictione.

88 Itaque, etsi omnes qui laborant febre diaria indigent balneo, siue lavationibus aquæ dulcis, ac modicæ calidæ vt eius vsu modicè refrigerentur & pariter quamuis omnes indigent frictionibus, quæ emolliunt, & laxant corpora excrementaque detenta resoluuntur, vt quæ ex oleo largo fiunt, id est, ex oleo maturo vt camomelino; non tamen omnes indiscriminatim eis indigent, & eodem prorsus modo, sed qui ex ira, inquit, vel tristitia, vel vigiliis, vel curis febricitant, neque frictione multa, neque multa lauatione, indigent, sed oleum tepidum largè eis est infundendum, tum paululum fricandum, atque ex consuetudine lauandum; ira enim quamuis feruor sit irascibilis facultatis ex ipso Galeno 1. *de differentiis febrium, cap. 3.* siue feruor sanguinis arterialis, & spirituum vitalium, qui sunt in corde, non tamen multa indiget refrigeratione, aut humectatione, vt qui ex vstione febricitant, quia ira citò cessat, & sedatur ex se antequam corpus exsiccetur; tristitia vero, & vigiliæ, & curæ exsiccant quidem corpus, atque debilitant vires, & idcirco, oleo tepido non astringente postulant inungi potius, quàm multum fricari, aut aqua lauari, vt tali vnctione, & febris temperetur, & siccitas corrigatur, & vires recreentur, ac demulceantur: oleum enim non astringens ea moderatione poros cutis oblinit vt caloris natiui exolutionem prohibens excrementorum expulsionem per habitum non moratur: sunt enim humores excrementitij, qui per cutim expurgantur tenuiores ipso calore natiuo, nam vapores sunt, aut fuligines facilè resolubiles, & ideo, qui oleo communi benè maturo, aut non astringente vnguntur, humectantur plusquàm ex balneo, & excrementis fuliginosis liberantur compescũtque effluuiũ caloris natiui, sicque & febris tẽperatur, & siccitas corrigitur, & vires exolutæ reparantur.

89 Vstio verò protinus ab initio refrigerationem desiderat, tum & frequentem lauationem, non autem, aut oleum largum, aut crebram frictionem. Est autem vstio prout ad præsens attinet magnus corporis æstus, aut ardor, aut calor ab igne, aut sole feruenti, vel alia re externa vehementer calida corpori applicata, aut adueniente. Dicitur quidem vstio dictus magnus corporis æstus, siue à sole, siue ab igne, aut re simili procedat, quia cutis, & corpora cum diutius patiuntur dictas causas non solùm incalescunt; sed ex ardore nimio arescunt, contrahunturque, atque rugantur, vt si verè vstionem paterentur. Hæc igitur vstio ait Galenus statim ab initio refrigerationem desiderat, & frequentem lauationem, aut balneationem aquæ dulcis tepidæ potius, quàm oleum largum, aut crebram frictionem; quia quamuis talis adustio non aliter quàm frigus cutim constipet; & transpirationem excrementorum impediat, hæc constipatio ab actuali immodico calore orta frigiditate curatur, & multis lauationibus aquæ dulcis tepidæ, quæ humectat attemperat, aperit poros vstosque fumos expurgat; non autem frictionibus, aut oleo largo vt quæ non refrigerant, sed potius calefaciunt, & exsiccant resoluendo. Quare in hoc casu inunctiones ex eis sint, quæ sine exolutione refrigerent, vt est oleum rosaceum, & oleum ex oliuis immaturis confectum quod omphancinum nominatur. Etsi enim oleum rosaceum in aliis casibus applicatum refrigeret simul & astringit, & potissimum omphancinum; in biliosis tamen corporibus, atque adustis, vt nunc supponimus potius aperit quàm astringit, aut densat, aut constipat, & ratio est quia talia corpura vstà à calore deurente incalescunt simul & constipantur, & ideo à dictis oleis frigidis aperiuntur, potius quàm densantur: siquidem, ex Aristotele liquantur calore, quæ frigore densantur, & pariter lactuca ex Dioscoride menses mouet, scilicet suppressos ex humoribus deustis; (ait) Baptista Montanus; quia in aliis casibus potiùs obstruit, quàm deobstruit, aut menses mouet, cùm sit frigida, & humida, & humores densans, potius quàm attenuans, neque vias aperiens; vt esse debet quod propriè menses mouere dicitur. Febris ergo diaria ex vstione orta ait Galenus & balneis, & inunctionibus refrigerari desiderat vt sic febris non solùm temperetur, sed & humores à feruido calore fusi, aut liquefacti densentur ad quod præstandum dicta olea magis frigida facies si vas in quo continentur in puteo suspendas; ita vt aquam tangant, & adhuc magis si fluxus frigidæ aquæ contingat, aut vas niue circundas.

Sic autem frigefactum rosaceum oleum 90 aut omphancinum ex alto infundere oportet sincipiti scilicet sublata in altum manu, & inde effuso oleo vt sic magis penetret, & frigiditas ad ipsum, cerebrum perueniat, cerebrum enim in his febribus ex vstione solis, aut ignis obortis potissimum afficitur atque ardet ita vt inde non solùm febris accendatur, sed frequentissimè simul cum destillatione accidat, scilicet liquefactis humoribus capitis à dicta vstione, aut à cerebri vrente calore, atque proinde protinus ab initio huius febris caput illis oleis irrigari debet, vsque quo febris declinet, & flogosis, sine incendium capitis, atque distillatio si adsit remittantur, & si enim alij febricitantes in balneum ducendi non sunt, nisi in remissione febris, neque qui cum capitis grauitate, aut destillatione febricitant, prius quàm hæc concocta sint lauari possunt; quia à balneo

fuso

fuso humore læderentur; tamen qui ex vstione febricitant lauari possunt ac debent existente fluxione capitis, & febre non declinante propter rationes traditas, & vt *6. de sanitate tuenda* ostensum est: quæ enim ibi in vstis, & refrigeratis citra febrem facienda docentur, eadem simili modo in febricitantibus fieri debent, paucis mutatis: qui enim ex vstione febricitant intendendam postulant, quæ ex refrigerantibus constat curationem: qui vero ex frigore remittendam, quæ ex calefacientibus fit atque proinde post lauacrum madefacienda amborum capita veniunt, eorum quidem qui ex vstione febricitarunt refrigerantibus dictis oleis, aut vnguentis, qui verò ex frigore calefacientibus solùm moderatis cuiusmodi sunt irinum, & nardinum vnguentum. Neque his lauari possunt nisi in accessionis remissione.

TEXTVS.

Reliquum autem fuerit vt communitatem, ac differentiam, &c.

51 IN hac 2. *capitis parte agit* Galenus de recta cibatione dictorum febricitantium, quasi sic locutus. Qui ex dictis causis in propositis corporibus diaria febre laborant non vtcumque nutriri debent, sed ea communi ratione omnibusque singularum proprium complectatur. Communis igitur omnium erit victus species, quæ & boni succi sit, & facilis coctionis, & quæ exiguis cutis meatibus non hæreat, id est nullum lentorem habeat, sed facilè fluat. Qui enim febricitant; etiamsi febre miti, aut parua laborent vt est diaria patiuntur ab ea & læsi sunt, potissimum secundùm actiones, & facultates naturales vt in præfatione, agentes de læsione febris diximus, atque ita alimentis indigent boni succi, quibus, quod deperditur restauretur, & facilis coctionis, vel quæ à facultate læsa facilè coquantur faciléque per corpus distribuantur, ne in partibus plus iusto detenta corrumpantur; quod in febribus, vel ob alimentorum aliquem lentorem, aut crassitiem, vel ob tardam digestionem, seu distributionem sæpè fit.

TEXTVS.

Sed his qui exusti sunt cum eo quod refrigeret, &c.

20 DEbet autem victus dictorum febricitantium ait nunc esse non solùm boni succi, facilis coctionis, & facilis distributionis ac sine aliquo lentore, aut crassitie, sed & insuper his qui exusti sunt aut ex adustione febricitant refrigerans, & humectans; & his etiam quos ira malè habuit, aut furor, aut excandescentia, quia scilicet omnes istæ causæ excalefaciunt multum corpus ex se, atque earum propria natura, & proinde coindicant simul cum ipsa febre refrigerationem atque humectationem, nam si in idem conspirant ait infrà *lib. 11. cap. 1.* & quæ febrem extinguunt, & quæ eius causam oppugnant sine cunctatione agendum est. His verò qui refrigerati fuerunt, vel ex refrigeratione febricitant modicè calefaciens, vt sic causæ occurramus, nam vera curatio est causarum remotio, & vt habet loco citato plerumque causæ maior est vis, vel prius indicat sui curationem, vlterius illi qui vel ex vigiliis, vel tristitia, vel nimia cura affecti febricitant, humectans, & somnum concilians, quia istæ causæ corpus exsiccant, & vires debilitant illis pariter, qui fatigati sunt magis nutriens; quia vt qui inediam passi fuerunt sunt nimis inaniti; quibus vero refrigerati sunt minùs nutriens, quia non resoluuntur. Denique reliquis febre diaria laborantibus quod medium sit ambobus, causæ scilicet, & febri, dabimus alimentum inquit Galenus vt sic æqualiter affectui simul ac causæ consulamus.

TEXTVS.

Vinum vero ipse conscius os omnibus me huiusmodi, &c.

QVamuis laborantes febre diaria pro diuersitate causarum diuersa postulant alimenta, aut ciborum diuersas facultates, vt visum est, quoad potum tamen attinet magis communicant: atque proinde vinum inquit, Galenus quod tum aspectu tum viribus sit aquosum, omnibus eiusmodi febricitantibus concedo: hoc enim vinum in febricitantibus ad omnia vtilius est quàm aqua, quia non solùm refrigerat vt illa sed & concoctionem iuuat, & vrinas, atque sudores prouocat; vnde fit vt Hippocrates non in diariis modo febribus, sed etiam in acutis vinum det *3. scilicet de ratione victus in acutis.* Quòd si idem Hippocrates *6. epidemion parte 4. sententia 15.* calidis natura vinum prohibet, etsi non febricitent: sic enim ait; in calida natura refrigeratio potus à quo quies. Respondetur vinum non interdicere, sed bibendum esse dicit aquam, aut quod vt ipsa refrigerat scilicet vinum dictum aquosum, vinum enim multa aqua dilutum, vt ipsa aqua refrigerat, aut plùs, nam longè plusquàm sola aqua sitim sedat, vt docet experientia, qui enim vinum aquosum, bibunt minùs bibunt. quàm qui bibunt solam aquam, & ideo Galenus in commentario citatæ sententiæ præcipiendum inquit, vt bibant aquosum, vel ipsam aquam: his addu quod aqua facilè bilescit. 93

TEXTVS.

TEXTVS.

De potione verò frigidæ, agendum, &c.

94 DVbitat hic Galenus an potus aquæ frigidæ conueniat his febricitantibus corporibusque propè ſitis calidis, & ſiccis. Reſpondetque affirmatiue ſic dicens, ego igitur eius generis natura & dum valent eiuſmodi potione magnopere iuuari; neque in diuturna febre his quibus in vſu fuit eam circumſcribo: itaque in corporibus pierocholis, ſiue biliofis calidis, & ſiccis, ſiue ſani ſint, ſiue febricitent vtilis eſt potus aquæ frigidæ, vel niue refrigeratæ, dummodò antea fuerit vſitatus, ſi quis verò non ſit aſſuetus huic per febrem, inquit dare non incipiam niſi priſtina [illegible] pruis reddita, [illegible] & quia refrigerat, & quia humectat [illegible] non ſolùm à febre, ſed etiam [illegible] calidis & ſiccis eis, quia [illegible], & potiùs craſſiatima, quàm [illegible] non ſolet in præcordiis detinere, poſſibuum ſi venæ latæ non ſint, & [illegible] putreſit, bileſcit, augetque febres, obſtructiones creat, & mala alia affert, aut ſaltim poteſt afferre ſi non ſit antea conſueta, quæ enim tempore ſanitatis bibitur ſine detrimento, neque aſtringit, neque obſtruit, neque corrumpitur, ſed liberè permeat per venas corporis, quare quibus ita latæ venæ ſunt, adhuc febricitantibus febre diaria conuenit, & confert ad refrigerandum, & humectandum quamuis naturales excrementorum vacuationes non moueat, neque nutriat ſicut vinum multâ aqua dilutum ſiue oligophurum, ergo benè Galenus aſſuetis frigidam concedit, non aſſuetis ſi febricitant, interdicit, quoad tempore ſanitatis vſus eius expleretur.

Vnde addit quod ſi propter timiditatem,
95 vel propter conſuetudinem à pueris, vel falſam opinionem aliquis frigidam timeat, cum opere homini perſuadeam, obſeruans in æſtate cum æſtuat, tum oratione poſt opus. Quaſi dicat ſi quis temperamento bilioſus, vel propter timiditatem, vel propter falſam aliquam opinionem frigidam timens, nequeat eam, cum ſanus eſt experiri: in hoc caſu & opere, & ratione homo perſuadendus eſt, vt frigidam experiatur, potiſſimum in æſtate cum æſtuat: cum enim ſit calidus ſiccus atque bilioſis humoribus redundans, niſi venas meſenterij habeat obſtructas, aut ex ſua natura anguſtas iuuabitur ſine dubio, ſi tempore dicto æſtatis frigidam bibere aſſueſcat; nam huiuſmodi potionis vſu liberabitur, ſtatim ab æſtu interiore, ſtomachus firmabitur, aut roborabitur ſiti liberabitur, alimentaque meliùs appetet, ventriculus per ſedem bilioſa deiiciet, coctiones omnes melius perficiet, & totum corpus nutrietur meliùs, ac reficietur; hæc enim omnia præſtat aqua frigida in dictis naturis atque corporibus ſi ea aliquis vtitur, & benè eam digerit, ideſt, non mutatur in hypochondriis, neque corrumpitur, aut bileſcit, ſed liberè per corpus digeritur, etſi enim aqua non nutrit quia tamen dictas naturas, & humores attemperat, atque ad mediocritatem reducit, quidem, & coctiones omnes iuuat, & nutritiones perficit, & carnes auget, ac corpus reficit; contraria enim contrariis curantur, atque corriguntur, ſiue ad mediocritatem reducuntur, cum ſunt ſcilicet intemperata, aut à mediocritate debita, ſeu magis perfecta excedunt, aut recedunt, vt accidit in dictis naturis. Quæ enim ſic à mediocritate recedunt, ait Galenus quia morbis ſunt proxima, & ſanitatem dubiam, ſiue lubricam aut parum firmam habent, in meliùs debent mutari, ſcilicet per vſum moderatè contrariorum, vt latiùs *in libris de ſanitate tuenda* eſt monſtratum à 4. [illegible] vſque ad [illegible].

TEXTVS.

Tanquam autem eum qui in aluminoſa aqua, &c.

HÆc eſt vltima *capitis* pars in qua iterum reprehendit Galenus curationem 96
eorum medicorum, qui diatritarij, dicebantur, quia febres curabant, aut febres curare volebant media trium dierum inedia: hi enim non cibabant febricitantes, niſi tranſacta acceſſione tertiæ diei, & poſtea alternis diebus, atque ita primum in quarto cibabant febricitantem, poſt in 6. tertiò, in 8. & ſic de aliis deinceps: quippè dicebant iſti ex Hippocrate 4. *de ratione victus in acutis, ſententia* 32. inconſtantes febres donec conſtent ſinere oportet, cum autem conſtiterint conueniente victu, ac medicamentis pugnabis: cum ergo febres donec conſtent, ſinere oportet, cumque potiſſimum per acceſſiones tertiæ diei febres conſtent, ſiue cognoſcantur ex eodem Hippocrate 1. *aphoriſmorum, ſententia* 12. acceſſiones, & conſtitutiones morbi indicabunt, &c. idcircò dicebant iſti in febribus neceſſariò tertiæ diei expectanda eſt acceſſio, antequam ægrotus cibetur ne cibus incognito morbo, & conſequenter tempore indebito exhibeatur: non enim febris ante tertium diem, aut tertiam acceſſionem integrè cognoſcitur, quare neque tutò cibatur ante quartum diem: neque poſtea cibatur bene, niſi alternis diebus, quia in acceſſionibus cibum dare noxium eſt, ex eodem Hippocrate *ſententia antecedente*, & acceſſionis tertiu die 5. 7. 9. & ſic de aliis [illegible] ſemper eſſe ſolent, ſiue repetere.

Hæc quamuis ex Hippocrate deſumpta

esse videantur taxat Galenus atque reprehendit, & merito quidem quia malè intelliguntur, & alia principaliora indicantia victum omittunt, seu tacent. Quæ enim potissimum victum indicant non tantùm in sanis sed & in ægrotis, atque in febribus ipsis sunt vires, & natura laborantis, nam semper vires indicant sui conseruationem per similia, id est per victum, siue per cibum, & potum optimos, & quantitate, ac tempore debitis assumptos. Quod si in morbis, eorum status, aut accessiones, aùt alia huiusmodi impedire dicimus alimentorum exhibitionem, hoc eatenùs intelligitur, & verum est quatenùs vires, aut natura patientis non repugnant, nam si sic prima indicatio sumitur a viribus, vt communiter dicitur, & in picrocholis, de quibus hìc agimus, ex ipso Hippocrate in accessionibus ipsis parum ante illas cibamus, vt infra *libro* 10. latè videbimus, quare in *fine præsentis capitis* concludi. Galenus dicens: sunt enim naturæ quibus aut nihil, aut non magnopere incommodet tot dierum inedia; sicut è diuerso aliæ quibus non modo innoxia, sed vtilis est tantum dierum inedia; propositum vero temperamentum inediæ in summum ducunt discrimen cuicumque iungatur febri, sed præcipuè his diariis coniunctum quas modo tractamus scilicet ex vstione ortas, ex ira, & laboribus immoderatis, ex vigiliis, atque ex mœrore, si enim quis hos febricitantes, vt consulunt diatritarij, non nutriat in ardentissimas febres intra 4. diem degenerare faciet, si vero vt Galenus docet intra quartum diem sanantur, & ne transeant
98 in peiores febres vetat.

Quapropter debemus nos hæc maximè aduertere: etsi enim his nostris temporibus non sint Medici diatritarij, tamen sunt multi qui vt diatritarij supponunt omnes febres pendere ex cruditatibus, aut humoribus crudis, crassis, ac frigidis, ideóque consulunt febricitantibus, præsertim mulieribus, vt quàm maximè à potu se abstineant per totum tempus curationis, vnde etiam hi hac sua portionis abstinentia laborantes adustos aut picrocholos non minùs, quam diatritarij in pessimos morbos degenerare faciunt, in quibus enim biliosi humores redundant, & inedia, & portionis abstinentia sunt multum nocentes, etsi corpus non sit valdè extenuatum, quia ex defectu portionis, & humidi alimenti ex scandescunt humores 4. de morbis inflammantur, & adeo acres redduntur, vt degenerent in prauos mores, & consequenter morbos pariant malignos. Notent ergo hæc & sedulo fugiantur, quia benè cognita sunt causa sanitatis, & si non præcaueantur ducunt ægrotantes ad interitum, & sanè Medici triuiales hæc non notant, quare sæpè errant non solùm siti ægros cruciantes, sed & morbos malignantes.

Notabilia, & dubitationes super caput.

Vt penitius intelligantur, quæ di- 95
cta sunt in contextu, veniunt modo aliqua prænotanda: sit ergo primum quod quamuis inter potissimas causas febris diariæ affert Galenus iram, ex scandescentiam, exercitationes immoderatas, inediam, vigilias, curas, mœrores, & æstuationes; non ideo sunt semper malæ, aut præter naturam, vt plethora, cacochymia, & similia humorum vitia, sed imò potiùs, in multis casibus, sunt causæ salutares; nam sunt res non naturales, quæ si vt conuenit applicantur, iuuant, & proinde ad excitandum debilem calorem natiuum, & corpus attenuandum, liberandum à materiis crudis, ac pituitosis vtimur exercitationibus, & quidem magnis, quia sic calor natiuus sopitus excitatur, & vegetior, siue intensior fit, partes totius corporis ab excrementis crudis refrigeratæ incalescunt satis materiæ attenuantur, & resoluuntur; sicque corpus attenuatur vel ab opressione qua premebatur, liberatur: sic etiam per iram calor natiuus excitatur, & ardet, & ideò cum ex mœrore, aut frigore sopitus est, & nimis, reconditus ira non minùs, quàm exercitio excitatur, sic in principiis accessionum quartanæ, timorem mortis solemus ægrotantibus, & quidem repentinum inferre, vt sic vehementer ad centrum roboremus naturam, siue calorem natiuum, sicque roboretur magis concretus magisque vnitus, & sic possit faciliùs non solùm accessionem, sed & ipsam quartanam in totum vincere.

Secundum notabile sit quod ira, seu 100
ex scandescentia, & motus immoderatus, & vstio, & vigiliæ, aut mœrores cum febres generant, possunt, diarias eas duobus modis producere primò scilicet solum calorem præter naturam inducendo in spiritibus, seu in calore vitali cordis. Secundò, producendo simul cum dicto calore præter naturam aliam malam dispositionem in corpore verbi gratia constipationem ex adustione, siccitatem ex mœrore, aut timore dissipationem ex vigiliis, aut curis, & denique debilitatem, siue triplicis substantiæ defectum ex motu immoderato, & ex iracundia, vt enim ira, & iracundia, ex scandescentia cordis siue caloris eius sunt, sed cum hac differentia, quod ira est excandescentia, quæ citò transit, ac in totum cessat, iracundia ècontra, excandescentia, quæ multum durat, quia secum habet affectum permanentem,

nentem, ira verò non ita dictæ causæ febris diariæ, cum talem generant febrem, vel solùm eam producunt, sine alio affectu præter naturam, qui ablata causa permaneat in corpore, vel simul cum febre aliam concausam generant, quæ ablata causa & febre conseruar, & laborantem lædit, & per consequens indicat sui ablationem, sicut ipsa febris, etiamsi causa externa, ex qua orta fuit iam cessauerit, aut aliter in totum extincta fuerit. Sic ex adustione verbi gratia solis, vel sola generatur febris diaria citra corporis densitatem, aut constipationem pororum, vel non sola genita fuit febris, sed simul cum illa, dicta corporis densitas, & constipatio pororum, similiter ex motu immoderato potest sola oriri febris diaria, vel non solùm febris diaria, sed simul cum illa exolutio, siue dissipatio atque defectus triplicis substantiæ corporis, præsertim spirituosæ. Similiter ex vigiliis (idem de aliis proportione seruata) vel sola suscitatur febris diaria, vel non febris sola, sed simul etiam debilitas, & languor virtutum ob resolutionem spirituum vitalium, & natiui caloris; hæc quidem vt sic se habent, aut sic se habere possunt, ita pariter curatio variatur, nam cum à dictis causis sola oritur febris diaria à quacumque causa procedat vnica solùm curatur indicatione refrigerandi, & per consequens euratur per primam intentionem tantum, cum verò à dictis causis, aut aliis quibusuis, non solùm oritur febris diaria, sed alius affectus permanens, curatur per duas intentiones, siue indicationes, scilicet per ablationem illius quod præter naturam permanet in corpore, & per febris refrigerationem, imò si causa externa adhuc est præsens, & actu causans, sunt tunc tres intentiones, debetque primum omnium causa externa auferri. Deinde ad alias indicationes est accedendum, & adhuc si aliquod symptoma complicetur, vt cum ex vstione solis, aut ignis non solùm febris diaria oritur, & cutis densitas, sed & destillatio capitis vt sæpè accidit in tali casu dantur quatuor intentiones curatiuæ in febre diaria: quare adhuc in curatione febrium diariarum ex causis dictis externis pendentium stat videndum, & distinguendum, an simplex sit curatio, an non sed duplex, aut triplex, postquam abit causa externa, his sic notatis.

101 Modo aduertimus quod febres diariæ quas Galenus curat in contextu quamuis ex ira, tristitia lassitudine, vstione, atque vigiliis, aut curis ortas supponat, & quod istæ causæ iam omnes præcesserunt, siue cessarunt agere cum curatur febris ab eis relicta, tamen non cursatur ab ipso vt omninò simplices, neque per primam tantùm intentionem, sed per secundam; quia quamuis causæ recesserint supponit remanere ex eis aliquid præter naturam in febricitante præter ipsam febrem, quod non minus quàm febris indicat sui ablationem. Etsi enim non est semper necessarium quod aliquod permanens præter naturam remaneat in corpore, post ablatam causam externam, quæ febrem exeitabit, ferè semper tamen, vel saltim maiori ex parte remanet: & ideò Galenus curat tales diarias non per primam solùm intentionem, sed per secundam vt docet ipse contextus, & diuersus modus curandi, vel saltim diuersa exigbita medicamenta, & alimenta iuxta diuersitatem causarum, & aliorum affectuum præter naturam in corpore permanentium. Etsi enim hic diuersitatem causarum expressè non explicat; tradit tamen expressè 1. *ad Glauc. cap. 3.* vbi dicit perpetuò infestanti causæ contraria esse opponenda remedia scilicet labori, quietem, vigiliis somnum, iræ, tristitiæ, & scandescentiæ sermones, & spectacula, vel rerum narrationes, quæ animo voluptatem afferant, eiusque mores componant.

Ex dictis oriuntur duæ dubitationes decidendæ 1. est cur Galenus hic solum egit de curatione febrium diariarum compositarum, si ex ira, adustione, vigiliis, &c. oriuntur non solùm febres diariæ complicatæ, sed & simplices, & quæ per primam tantùm intentionem curantur. Secunda est, quæ recta ratione curari debent tales febres cum solùm sunt diariæ simplices, & secum non habent aliquod aliud malum permanens. Respondetur ergo ad primam Galenum hic egisse de febre diaria à multis causis dependente, vt visum est, vndè potius communem omnium curationem demonstrat, quàm singulorum simplicem, ac propriam imò in his libris methodi medendi solùm communes morborum medendi methodos explicat, etiamsi particularibus exemplis sæpè confirmat, atque demonstrat, quod vniuersaliter docet, aut saltim commune esse multis ostendit, quare non solùm hic sed & primo ad *Glauc. capite 3.* omnes febres diarias balneo curat, & curandas esse docet, & frictionibus totius corporis cum oleo tepido, ac largo & modicè resoluente, & denique victu modicè refrigerante, atque humectante. Ex quibus etiam colligimus secundum quod hic quæritur, scilicet qua ratione curantur, aut curari debent febres diariæ cum sint affectus simplices. Respondetur enim curari balneo, frictionibus, atque victu modicè refrigerante, ac humectante, & apud nos qui balneis non vtimur, neque inunctionibus corporis nisi rarò, & in affectionibus solùm constipantibus curantur simplices diariæ, quæque secum non habent affectum aliquem præter naturam permanentem, victu sine alimentis modicè refrigerantibus, & humectantibus, & aliis quibus 102

quibus potionibus, quæ modicè refrigerant, atque humectant quales sunt quæ parantur ex aquis codioix, eiboriæ acetosæ, borraginis, aut de acido citri, vel limonum, quæ in statu, aut declinante accessione assumuntur ab ægrotis in quantitate competente vt calor febrilis temperetur, hæ enim febres cum simplices sint affectus à causis iam separatæ, & à quolibet alio malo permanente, cumque sint affectus parum radicati, & potiùs in fieri esse videantur, quàm in facto esse, ac verè permanentes cedunt facilè remediis etiam si sint moderatæ actiuitatis, vt dicta sunt.

103 Sed dices si vera sunt quæ modo dicimus, quomodo dicit Galenus in texto in his qui ex vstione febricitant intendendam esse curationem refrigerantium temediorum, in his verò qui ex frigore remittendam quæ ex calefacientibus fier: vt respondeatur supponendum est, agere Galenum de febribus diariis in corporibus biliosis, & non vtcumque, sed pretocholis vel supra modum calidis ac siccis atque gracilibus, quique amara abundant bile. Hoc supposito inquit Galenus eum in talibus corporibus ex vstione oritur febris aliqua etiamsi simplex sit diaria, & sine coniuncta aliqua constipatione intendenda est curatio frigidorum; non solùm ob ipsam febrem, & eius causam scilicet adustionem, sed etiam ob ipsam corporis patientis dyscrasiam calidam, siue ad ardendum maximam dispositionem. Quæ enim corpora eo vsque temperamento calido sunt prædita, & ita sunt teficcata, atque gracilia, biliosaque, etsi sola laborent febre diaria ex adustione, siue immodico calore externo illicò, ait Galenus refrigerari debent, & non vtcumque, sed plusquàm modica refrigeratione, quia veretur transitus in hecticam, aut in ardentem prauam ob maximam ad eas corporis dispositionem; si statim adhibitis refrigerantibus, talis transitus non impediatur: Præterea cum corpora nimis sunt intemperata, aut extrema intra limites sanitatis, quamuis actu sana sint, sunt tamen morbis congeneribus valdè proxima, & facilè obnoxia, & ideo hæc similibus non sunt conseruanda, quamuis quod secundum naturam est, sui conseruationem indicet, & similia similibus conseruentur, sed moderato vsu contrariorum ad statum magis perfectum; & simpliciter naturalem debent mutari; ac per consequens dicta corpora biliosa etiam ex hac parte refrigerationem indicant; similiter cum dicta corpora ex frigore ait Galenus incidunt in febrem, remittenda est applicatio remediorum calidorum attento temperamento, & habitudine naturæ laborantis vsque adeo morbosæ, aut morbis sibi similibus obnoxiæ: hæc enim naturá biliosorum dictorum, etsi sana; sit primò nondum totam latitudinem sanitatis egrediatur, est tamen ita extrema, & proxima morbis calidis, vt licèt ex frigore febricitet, non nisi moderatè calefacientia, aut magis leuia admittat remedia calida ad dictam causam tollendam, vel saltim in peiùs æget mutabitur, siue in intensiorem febrem: quare rectè dicit in his Galenus remittendam esse ex calefacientibus curationem, sed hæc non sunt contra nostram curationem, quæ neque vrgentiam supponit, neque extremam aliquam indicationem vt Galenus vstionem, & naturam laborantis,

104 Itaque quamquàm temperatæ naturæ, & aliquantulum intemperatæ siue à mediocritate parum recedentes in morbis seruandæ sunt similibus: quando tamen laborantium naturæ extremæ sunt vel à mediocritate maximè distant, non sunt conseruandæ, sed simul cum ipsis morbis sunt corrigendæ, primò suis contrariis, vt ipsi morbi ad statum moderatum, vel saltim ad magis temperatam naturam sunt reducendæ, vt si iam essent actu morbosæ, aut actu iam temperatura in morbum conuersa: non solùm ergo cum corpora sunt biliosa, & in excesso talia; sed & in omni temperatura, quæ extrema est, vel saltim à mediocritate recedit multùm, indicatur regressus in meliorem ac magis naturalem statum per vsum contrariorum, & ideò si natura frigida, febre laborat, frigidorum curatio remittenda est vsu, neque hæc contrariantur illis, quæ *libro sup. cap. vlt.* sunt statuta; & docuit Galenus scilicet cùm calidiores naturæ partes ex frigore laborant liberalius, & diotiùs calefieri postulant: & èconttra pars quæ calidior est si calido morbo ægrotat exigua breuique temporis refrigeratione eget. Non inquam hæc dictis contrariantur, si benè intelliguntur, quamquàm à prima facie contrariari expressè videantur, vt enim in isto tertio *capite* naturas extremè calidas & siccas febre laborantes, quia morbis sunt proximæ & leui quauis occasione in hecticas intemperies, aut febres ardentes possent transire, & per consequens ex ipsa febre licèt sit mitis, atque diaria non conseruat Galenus, sed corrigit, & ad minus calidas, & magis temperatas reducere intendit, vsu frigidorum, & ad id consequendum intendendam esse statuit curationem refrigerantem, ita *libro superiore*, & alias communiter quia non supponit naturas extremas, sed parum à temperata natura recedentes non mutare, sed potiùs conseruare intendit, quando simili morbo laborat, & in eiusmodi inquit parum est lapsus in id quod est præter naturam. Quasi dicat cum naturæ à mediocritate temperamenti parùm distant: etiamsi simili morbo afficiantur parum distant à natura temperata

temperata verbi gratia cum natura moderatè calida in febrem incidit, quamuis febricitet non recedit multum ab statu naturali: & ideo non indiget multa refrigeratione qua attemperetur, aut corrigatur, sed potius aliqua caliditate qua conseruetur: quare si pars quæ sit moderatè calida & calido morbo ægrotat exigua inquit brevis temporis refrigeratione indiget, quia lapsus præter naturam est paruus, & natura non indiget correctione, quia non est extrema, aut multum distans à media sed potiùs conseruatione, quia parum recedit à moderata, & parum pro nihilo reputatur, ideòque potius conseruari indicat, quàm mutari in statum contrarium sic etiamsi pars quæ frigida est, sed parum incidit in frigidum morbum solum modica indiget calefactione, quia frigiditas præter naturam est pauca, & quæ est secundùm naturam postulat conseruari, quare vtrobique vera docet Galenus, & nullatenùs contrariatur, si benè intelligatur; imò eadem veritas ac doctrina in putridis febribus cum suis causis complicatis obseruatur, nam in febribus v. g. quotidianis remittimus frigidorum curationem, quæ debetur febri, quia causa nempè pituita est sua natura nimis frigida quæ potiùs concoqui, atque calescere indicat, quàm refrigerari, ècontra in biliosis febribus intendimus curationem frigidorum, vt sic non solùm febrem, sed & eius causam nimis calidam corrigamus, & naturam ægri.

CAPVT IV.

De curatione febris diariæ ex obstructione, & vitiosis succis orta, &c.

105 

XPLICATIS curationibus febrium diariarum, quæ à causis externis oriuntur agit iam Galenus de aliis diariis, quæ à causis dependent internis, siue à causis, quæ intrà corpus continentur. Etsi enim proprium esse dicatur febris diariæ oriri, à causa externa: hoc tamen non est eius ita proprium quod semper ab illa pendeat, sed quia sæpè, aut ferè semper ita accidit: potest tamen etsi raro à causa oriri interna, vt ab obstructione de qua nunc agere aggreditur Galenus: acturus ergo in hoc *capite* 4. de curatione febris diariæ ortæ ex obstructione in summa duo docet, primùm est ex qua obstructione, aut obstructionibus generatur febris diaria; secundùm qua rectâ ratione debet curari; vnde caput in duas potissimum secatur partes.

Sed antequam textum explicandum aggrediamur, aduertimus quod hæc quatuor nomina scilicet obstructio, astrictio, densitas, aut constipatio, & conniuentia solent multoties à Galeno pro eadem re vsurpari videlicet ad significandum cauitates, atque meatus nostri corporis coarctatos, aut plus iusto angustatos. Quod quamuis ita sæpè accidit; sæpè etiam eadem nomina distinguit, & potissimum obstructionem à densitate, siue constipatione vt in præsenti *libro ex* 2. *capite*, & hoc 4. euidenter colligitur, & benè quidem, nam propriè loquendo densitas, ac constipatio, ad poros corporis tantùm refertur, & potissimum cutis quando scilicèt à causis externis constipantibus densantur, seu coarctantur, vel angustiores plus iusto fiunt vt à frigore, vel calore, vel siccitate immoderatis accidere solet. Vti etiam à medicamentis astringentibus vt ab aqua aluminosa, aut calchantode, aut masticata, aut chalybeata, &c. obstructio autem omnes coarctatas cauitates significat, siue pori sint, siue venæ, siue arteriæ, aut nerui, vel aliæ corporis cauitates sensibiles si scilicet ab humoribus in se contentis obturentur, clauduntur, vel saltim se ipsis angustiores fiunt præter naturam tales cauitates. 106

Quamuis enim cauitates venarum, & arteriarum, & aliæ omnes, quæ sunt in nostro corpore sensibiles, aut per se patentes ac manifestæ ex vsu medicamentorum, aut alimentorum astringentium non minùs quàm pori possint coarctari, & præter naturam fieri angustiores, & non minùs ac quando obstruuntur ab humoribus crassis, viscidis, ac lentis, vel multis in ipsis cauitatibus impactis: & quamuis venæ, ac reliquæ dictæ cauitates ex vsu astringentium coarctatæ aperientia indicent remedia pro sui curatione non minùs ac quando obstructæ reperiuntur: his tamen non obstantibus obstructio propriè loquendo solùm vasorum, atque pororum angustiam, aut talem obturationem significat ab humoribus impactis orta; siue ab humoribus in ipsis cauitatibus, contentis talesque cauitates, aut poros obturantibus, & quidem de obstructione in hoc sensu agit nunc Galenus & de febre diaria orta ex obstructione quamuis *libro sequenti*, *capite* 1. constipationem facit genus ad obstructionem & densitatem pororum, & cauitatum, vt videbimus ibi. 107

TEXTVS.

Etenim ſi propter obſtructionem aliquando vt dictum eſt, &c.

108 Acturus Galenus de curatione febris diariæ ex obſtructione ortæ explicat in primis in hac prima capitis parte, quæ obſtructio eſt quæ febrem generat diariam; & deinde quomodo debeat præcauere, ſeu curari, ne in putridam tranſeat, vt enim obſtructio (quæ nihil aliud eſt, quàm impeditus tranſitus cuiuſque cauitatis ab humoribus impactis, aut contentis in ea) prohibet liberam tranſpirationem corporis, & motum naturalem ipſorum humorum, ita in eis infert facilè putredinem, & per conſequens generat facilè febrem putridam niſi præcaveatur: vnde Galenus hic primum omnium explicat qua ratione debeat curari febris diaria, ex obſtructione orta, ne degeneret in putridam; & poſtea in ſecunda capitis parte oſtendit qua ratione, aut debita curatione febris diaria ex obſtructione orta, ſit curanda attentâ eius naturâ, & eſſentiâ. Principio igitur vt oſtendat Galenus, quæ obſtructio generat febrem diariam; ſupponit primò obſtructionem poſſe eſſe duplicem, vnam ſcilicet à multitudine ſolùm factam, vt quæ in corporibus accidit plethoricis, vel quadratis: ac multò ſanguine redundantibus, alteram factam ab humoribus vitioſis multis ſimul ac craſſis, vel glutinoſis, & hæc obſtructio eſt frequens aut frequentior, multò quàm prima. Supponit ſecundò obſtructiones dictas poſſe producere febres diarias; ſed cum hac differentia, quod prima à ſola multitudine facta poteſt diariam febrem producere, etiamſi obſtructio ſit magna, aut pluſquàm parua vt apparet in febribus ſynochis ſine putredine de quibus agit in libro ſequenti, obſtructio autem, quæ à multis viſcoſis ac craſſis, & glutinoſis ſuccis fit ſolùm ſi moderata, aut ſi parua ſit poterit generare febrem diariam, etſi momentanea fuerit, ait, non ita poteris promittere, ſed neceſſario hæc in mali ſucci naturis in eam, quæ ex putredine humorum accenditur, ſuccedet, ac mutabitur: quare hic de febre diaria ex hac parua obſtructione orta agit, demonſtratque prius quomodo, ac quando talis parua obſtructio generat febrem diariam, & quando & quomodo talis febris minatur tranſitus in putridam, & mutabitur quidem niſi ſanguine miſſo præcaueatur.

109 Demonſtraturus ergo Galenus quomodò obſtructiones paruæ adhuc in naturis in quibus ſunt ſucci vitioſi vt ſunt picrocholi poſſunt generare febres diarias, ſcribit quaſi in hunc ſi propter obſtructionem aliquam moratur tranſpiratio, vel ſi propter obſtructionem impeditur libera humorum atque natiui caloris ventilatio, ſiue attemperatio, corpus in febrem accenditur quia ſcilicet vt ait celeberrimus Petrus Garcia calor noſtri corporis ſi non ventilatur ſed compreſſus detinetur, & anguſtiori loco circumdatur, ſi non ſuffocatur calidior ſe ipſo redditur, & per conſequens obſtructus calorem concipit præter naturam, & febrem generat ſi non ſuffocatur, vt accidit quando obſtructio eſt ſumma, vt docet Galenus *libro de cauſis morborum, cap. 3.* ſed hanc hic non ſupponimus ſed moderatam, ideóque febrem generat itaque ex obſtructione de qua hic agitur, oritur febris, quia ab ea impeditur ventilatio, ſiue attemperatio, aut debita refrigeratio caloris natiui, qua ventilatione priuatus mutatur in igneam naturam, & fit febris, ſimiliter ex obſtructione humores putreſcunt quia impeditur eorum fluxus à quo conſeruantur: eſt enim humor corpus fluidum ex ſua eſſentia; & ideo ſi non fluit vt accidit in obſtructione corrumpitur, ſiue putreſcit. Vnde benè dicit Galenus quod febris ex obſtructione orta, etſi ſit diaria, poteſt facilè in putridam tranſire, ſi benè prius curata, atque diſpoſita tranſitus ad putridam non caueatur.

Sed aduertit hìc Galenus quod vbi obſtructio parua eſt ſolùm ob eam febricitant illi in quibus vitioſus eſt ſuccus: & benè quidem nam ſucci boni atque laudabiles reſiſtunt putredini, & eò magis, quò magis ſunt naturales atque perfecti: quare ij etſi modicè ſolùm ventilentur, vt accidit quando obſtructio eſt parua conſeruatur, & neque putreſcunt, neque febrem accendunt: èocontra verò ſucci qui ſunt vitioſi longè maiore egent ventilatione & ideo vel mediocriter oſtructi, & febrem accendunt, & putreſcunt facillimè, ſi non præcauentur, ſunt autem vitioſi ſucci in vniuerſum, qui naturalem ad vnguem non ſeruant ſuam naturam, ſiue temperaturam; ſed à ſuis naturalibus qualitatibus primis, aut ſecundis in ſtatum præter naturam mutati ſunt propriè tamen & vt nunc loquitur Galenus ſucci vitioſi illi ſunt, qui propriam, ſiue naturale temperamentum in calorem ſimul, & humiditatem, aut ſiccitatem, vel denique qui in prauos mores, aut ſapores præternaturales tranſiecrunt, vt in ſalſum, amarum, acrem, acidum, fumoſum vel alios magis prauos atque innominatos. Qui enim ſucci in frigiditatem præter naturam mutati ſunt & ſolùm ſunt inſipidi quamuis teuera ſuam debitam naturam, mutarunt, crudi potius, quàm vitioſi dicuntur, & ratio eſt, quia illi per concoctionem poſſunt in ſanguinem naturalem mutari, non verò qui re vera ac propriè ſunt vitioſi. 110

Habentus iam quod in quibus ſucci ſunt vitioſi vt in picrocholis corporibus de quibus 111

bus in toto hoc libro agimus obstructio licet sit parua excitat febrem. Nunc ergo aduertit Galenus quod vbi obstructio aliqua est parua, etiamsi ob eam febricitant in quibus vitiosus est succus, in hac tamen in primo die, atque etiam in secundo aliqua parte nullum est in pulsu putredinis signum vt neque cruditatis in vrinis: sed febris tunc solùm est diaria, vel saltim similis diariis sed quæ ex parua oritur obstructione & per consequens, quæ oritur ex fuliginosis excrementis, aut vaporibus à vitiosis succis exsiccatis, ac eorpentibus, & non resolutis, sed detentis intra corpus ob obstructionem, quæ cum ita sint, si in hoc casu medicus inquit Galenus rectè deterserit secundam fore accessionem vitauit. Debet enim Medicus in his casibus in declinatione primæ accessionis ad detergendam obstructionem moderatam, aut paruam statim accedere, & in secundo, ac tertio die similiter agere: quia etsi tunc non sint signa cruditatis, neque putredinis obstructio tamen adhuc declinante prima accessione remanet (si non apparent signa eius apertionis de quibus statim dicemus) & ideò reserari statim debet, antequam tertio die alia superueniat accessio, quæ veniat, & forsan putrida, si per dictam obstructionis apertionem, seu detersionem, dictis diebus factam non esse præcaueatur; sicut enim vitiosi succi ita putredini obnoxii, vt videbimus parum post, vt nisi penitus transpiret citissimè putrescant: & ideo quamuis in obstructione parua neque in primo, neque in secundo die putrescant; postea putrescunt si obstructio, vel mediocris permaneat.

112 Cum igitur in corporibus picrocholis, aut in quibus vitiosi succi sint, adhuc obstructio parua possit efficere febrem diariam quæ statim siue in triduum, in putridam transeat, id circò nunc Galenus docet distinguere, quando talis febris diaria suspecta redditur ne in putridam transeat, etiamsi eam Medicus detergat, idest obstructionis apertionem intenderit per medicamenta detergentia. Dicit ergo & verè docet quod in quibus febris orta ex obstructione statim post statum primæ accessionis ad dissolutionem, siue declinationem festinat, atque paulo post in totum cessat, cum aliquo totius corporis sudore, vel madore, siue humiditate modica, aut cum multa bona vrina, & cum signis in pulsu bonis hæc quidem febris diaria, vel saltim diariæ similis, quamuis ex moderata obstructione oriatur, tamen si benè detergatur, neque secundam habebit accessionem, neque in putridam transiet, sed perfectè curabitur, & per dictam detersionem obstructio, & febris benè finietur per dictum moderatum corporis sudorem, aut madorem, vel per dictam multam bonam vrinam; in quibus verò febris ex obstructione genita post summum vigorem primæ accessionis aliquantulum declinat, non tamen declinatio in totum cessat, sed protrahitur, & perseuerat febris per totum sequentem diem, & parum aut nihil sudat, neque multa bona excernitur vrina suspectus redditur affectus vel periculum infert ne in putridam mutetur statim febris quamquàm facta fuerit ab obstructione, ita parua quod adhuc in secundo die neque in pulsu, neque in vrina appareant putredinis signa. Quippè vitiosus succus nisi penitus transpiret aut necesse est, vt putrefiat, vel nisi integrè ventiletur, scilicet statim vt intra triduum quia succus vitiosus est putredini proximus vel citò putrescit, si liberè non transpirat, nam libera transpiratio omnes nostri corporis succos conseruat ne putrescant, adhuc vitiosos vt experimur quotidie in multis qui prauis atque vitiosis scatent succis, aut excrementis, & tamen non febricitant, sed actu sani sunt, quia scilicet liberè transpirant & sine aliquo impedimento. In diariis vero ex parua obstructione ortis, in quibus prima accessio in totum non declinat, intra fines diariarum vel intra diem, & noctem, sed etsi remissa perseuerat in secundo die quamuis tunc neque in pulsu, neque in vrinis sint adhuc putredinis signa periclitatur, valdè vt in putridam degeneret in sequente accessione tertij diei, & potissimum si in declinatione neque sudauerit, neque copiosas, vrinas ac coctas dederit: significant enim hac adhuc obstructione perseuerare, & neque per poros corporis, neque per venas humores vitiosos posse transpirare, neque foras extra corpus expurgari, vt accidit in primo casu, siue quando febris diaria benè, & verè declinat. Si enim sufficienter in suspecta accessione transpirarent; humores saltim accessio in totum declinaret, & in totum cessaret: quæ cum non cessat vt in primo casu, arguit diminutam transpirationem, & per consequens minatur putredinem; quamquàm nondum appareant actu signa putredinis, neque in pulsu, neque in vrina.

Itaque in corporibus vitioso succo præditis obstructio si magna sit, aut plusquàm moderata, non solùm febrem facit ait Galenus sed putridam, & qua intra fines diariarum, neque intra secundum diem ad statum naturalem potest reuocati; si verò obstructio fuerit moderata, aut parua febrem facit saltim inter initia diariis similem, idest in qua neque in primo, neque in secundo die putredinis indicia solent apparere, si tamen in his febribus declinatio primæ accessionis protrahatur ad secundum diem, neque in totum remittatur, suspecta redditur, ne statim degeneret in putridam, quia vitiosus succus à quo conseruatur febris satis non transpirat, neque per sudorem, neque per vrinam expurgatur. Sed dices verum est quod succus vitiosus indiget ventilatione, & transpiratione, ne putrescat: at quando obstructio parua est transpirat sufficienter ne putrescat vt patet ex ipsa febre orta ex tali obstructione in qua quamuis febris per se curatur, post vigorem tamen remissa permanet in prima accessione, & ne- 113

que in pulsu, & neque in vrinis dantur signa putredinis, quæ dari debebant, si humores sufficienter non transpirarent. Respondetur transpirare quidem vitiosos humores in dicto casu, sed non sufficienter vt non putrescant, vt patet ex eo quod declinatio febris non perseuerat vsque ad totalem remissionem, sed protrahitur febris, & perseuerat semper etsi remissa; & neque sudores superueniunt, neque abundantes vrinæ vt cum integrè, & verè febris diaria declinat,vt in priori casu dicit Galenus,quare vt diximus in his febribus diariis ex paruis obstructionibus ortis, si declinatio prima accessionis protrahitur nimis, & in totum non cessat intra fines diariarum suspecta redditur,& metus est ne citò in putridam transeant.

114 Quippè vitiosus succus ait Galenus, nisi penitus transpiret vel nisi integrè, sufficienter, ac omninò liberè transpiret necesse est putrefiat, vel necesse est corrumpatur, & calidior, atque acrior & magis vitiosus reddatur, quam erat antea; quæ enim putrescunt calidiora, & acriora se ipsis redduntur, & magis vitiantur, aut corrumpuntur, cum putredo sit mutatio totius substantiæ corporis putrescentis ad corruptelam à calore, extraneo, quare si vitiosus succus liberè, & sufficienter non transpiret, necesse est vt putrescat, & peior, atque calidior se ipso statim reddatur. Ergo vt transpiret, prosequitur Galenus, maiori iam auxilio indiget, vel remedio magno euacuatorio indiget, qui scilicet vitiosi succi bona parte emissa, qui relinquitur liberè diminutus transpiret, nam certum est quod qui relinquetur post euacuationem factam tantò magis, ac meliùs transpirabit,quantò minor factus melius per cauitates influet, & discurrere poterit, etsi aliquantum sint ex parua obstructione obcæcatæ, siue impeditæ. Hæc ergo cum sic se habeant, concludit Galenus quod si in dicto casu æger neque puer, neque senex sit (nam Galenus rarò senes, aut pueros phlebotomauit) inter has ætates si vires adsint sanguis statim extrahendus est, etiamsi plenitudinis signa non adsint; præstat enim maiori parte emissa ad detergendas obstructiones accedere, cum alioquin metus sit si obstructionibus liberandis priusquàm vacuaberis,studeas ne ipsas magis impingas. Quasi dicat quod licèt in dicto casu nulla dentur plenitudinis signa, quæ possint petere sanguinis missionem, est tamen tunc sanguis mittendus ob duas alias causas, siue indicationes; scilicet vt præcaueamus succos vitiosos ne putrescant, neque febres diariæ in putridas transeant, & vt sanguine misso tales febres tutò curentur per medicamenta abstergentia cum alioquin ait metus sit, si obstructionibus liberandis prius studeas ne ipsas magis impingas.

115 Rectè autem Galenus statuit hic hanc suam doctrinam, & quoad vtramque partem facilè quisque potest eam verificare quamuis nostris temporibus tales indicationes sanguinis missionis à nemine quod suam ita admittatur, dubitatur, nam in primis quoad primam partem expectat nulli dubium esse potest qui succus, vitiosus vel fumosus & ex se facilè putrescibilis ne putrescat & peius fiat indiget, vt ait Galenus libera transpiratione id est indiget vt sine mora, aut impedimento, tum ipse humor influat per venas, aut arterias, vel aliàs cauitates, tum eius fumi foras per poros corporis, ac cutis transmittantur: quare si talis humor vitiosus ita liberè non transpiret, sed vel obstructione, vel ex quauis alia occasione vel suo fluxu priuetur, vel suorum excrementorum expulsione putrescet statim, & peior fit à se ipso & suis excrementis vitiosis detentis, etiamsi aliorum humorum nulla sit plethora, aut redundantia, & ita tunc, etsi signa plenitudinis non adsint ne putrescat humor & magis vitiosus factus maiora mala faciat, vel saltim alia noua statim sanguis mittendus est, & in ea quidem quantitate ex qua vt inquit Galenus vitiosi succi maiore parte emissa quæ relinquitur in venis facilè fluat, atque benè transpiret, & sic non putrescat, sed conseruetur in suo esse, aut si potest in statum meliorem mutetur per sanguinis missionem factam, sæpè enim accidit quod sanguine misso sanguis, & alij humores vitiosi exeunt, sicque morbus curatur sine alio auxilio, quia tunc sanguine misso qui remanet in corpore rectificatur, siue ad statum salubrem, aut naturalem reducitur.

Quod vero tutus vsus detergentium petat etiam sanguinis missionem etiamsi plenitudinis signa non adsint diffusè docet ipse Galenus in textu: quare doctrinam hic tantùm aggrediamur, sic igitur ad verbum de hac re habet Galenus nam soluunt quidem obstructiones quæ deteriorem facultatem habent, siue febris ratione cuti admoveant Medicamenta, siue intro in corpus assummantur periculum tamen est ne & quæ foras trahunt, quæ obstruunt vnà cum his aliquid aliud nocens attrahant, & quæ ab introrsum feruntur aliquid etiam secum ex his quæ in vasis continentur rapiant, siue tenax sit, & crassum, siue multum tantum cor, minus enim aliquando quod multum est non minùs quàm ea quæ glutinosa sunt & crassa obstruendo hærere possunt: quare vt tutò dictis vtamur deterioriis, erit vtilissimum corpus inaniisse vt sic non solùm iter liberum dictis detergentibus demus,sed etiam fuliginosis fumosisque humorum excrementitiis, quæ transpirant. Præterea succis ipsis per sanguinis missionem imminutio, & fuliginosa dicta excrementa pauciora restabunt, & febris ipsa fiet minor prout ex euacuatione minor obstructio relinquetur. Hæc Galenus quæ ita aperte & necessariò intentum concludunt, & quod nos dicimus vt nulla alia opus sit neque probatione neque expositione. Solùm hic aduertere placet etiam in purgationibus obseruari propositam Galeni doctrinam:nullus est enim bonus Medicus 116

Medicus, qui si aliquem purgare vult ante purgationem, & ante adhuc præparationem humorum purgandorum, per syrupos, sanguinem non mittat, etiamsi in corpore non sint signa plenitudinis; vt enim hic Galenus suspectum habet vsum abstergentium, sine præcedente sanguinis missione, ita pariter Medicus rationalis timet præscribere non solùm medicamenta purgantia, sed & syrupos humores præparantes ad expulsionem quin priùs sanguinem mittat, etiamsi non sint plenitudinis signa, vt sic scilicet venis inanitis propriis humoribus, natura eos qui relinquuntur arcte teneat, atque ita validè retineat, vt neque à medicamentis præparantibus, neque purgantibus agitentur.

117 Concludit hîc Galenus primam capitis partem breuiter repetens, atque conformans quæ hucvsque latius dixerat, & demonstrata sunt vt hinc ampliùs intelligamus esse ad benè exercendam medicinam maximè necessariam: nam vt ipse Galenus dicere solet neque Hippocrates alioquin breui locus veretur reperere quæ ad curationem sunt maximè necessaria; scribit igitur quasi ad hunc modum. Cum suspicio erit eutim esse ex obstructione occlusam, vt si ex nulla manifesta causa febris accidat diaria, etsi in prima accessionis remissione vacuatio satis magna non fiat, sed sibi similis perseueret remissio, tunc haud quaquam deserendum est sanguinem mittere, & in ea quantitate quantum vires consentiunt, tum obstructionis modus, siue magnitudo postulabit: quò enim obstructio erit maior eò copiosiùs sanguis erit vacuandus, si vires consentiant, vt sic eatenus corpus euacuetur, quatenùs satis sit, vt tum obstructio minuatur, tum putredo humorum, & imminens febris putrida præcaueatur. Discernetur autem obstructionis magnitudo ex ipsa magnitudine febris, vt quæ ex maiori obstructione maior, ex minori minor accidat, cum enim febris ab obstructione pendet si diaria sit, & non putrida, in tantùm erescit, aut minuitur in quantum obstructio eresèit, aut diminuitur, in putridis autem ratione putredinis etiam augetur febris: quare in diariis tantum vera est hæc doctrina, vbi verò modicè vacuaueris, vel quantum sit satis ad cohibendam putredinem humorum obstruentium, & ad detergentia tutò exacuenda tunc aut multò post, ait, aut nutrimentum aliquod, aut pharmacum ex his quæ detergunt exhibebis: vt sic scilicet & vires recreentur, si ex euacuatione aliqua ratione debilitatæ fuerint & obstructio in totum reseretur, aut auferatur. Etsi enim ex parua solùm obstructione & potissimum cutis febris sit orta, & tantum sit diaria, si tamen humores obstructi sunt vitiosi citò vt visum est putrescunt, & ideò non tantum citam postulant sanguinis missionem, qua maiori ex parte vacuentur, sed etiam citam administrationem detergentium, siue obstructionem aperientium, vt sic tutò febris, cesset, & putredo humorum præcaueatur: bonum enim ex integra causa, & malum ex quocumque defectu potissimum in præsenti casu vbi succi sunt potiùs vitiosi, quàm boni.

TEXTVS.

Sunt porro non multa quæ in febribus id præstant, &c.

Hæc est secunda capitis pars in qua de his agit quæ abstergentia dicuntur siue alimenta sint, siue medicamenta, quia humores impactos in cauitatibus, aut poris imbibitos, vel partibus adhærentes extrahunt, ac separant, & tandem euacuant, sicque obstructiones reserant, vel meatus, ac cauitates aperiunt, quia ab humoribus impactis liberantur; quamuis enim non tantùm abstergentia medicamenta obstructiones aperiant, sed etiam alia multa, siue alimenta, siue medicamenta, quæ dicuntur aperitiua, quæque attenuare, atque incidere humores dicuntur, inter omnia tamen abstergentia sunt, quæ obstructiones reserare dicuntur potissimum quia præ aliis hæc sunt, quæ partes, seu cauitates nostri corporis ab infartu liberant, vel quæ melius & tutius materias partibus imbibitas abstergunt, siue extrahunt, ac segregant ab eis, & tandem expurgãt, sunt enim abstergentia exsiccantia vsque ad secundum gradum, & siue calida sint, siue frigida sunt tenuium partium sed moderatè tantum: hæc ergo quatenùs sicca sunt humiditates partibus impactas non solùm exsiccant, sed sibi adhærere faciunt sicque extrahunt ac separant à partibus quamuis ipsis sint imbibitæ, & tunc sua moderata partium tenuitate non solùm eas attenuant, sed sensim fluere faciunt per loca conuenientia, ac tandem expurgant: aperientia autem incindentia, & attenuantia neque ita exsiccant vt abstergentia, neque parùm attenuant, sed multùm, aut nimis, sicque sæpè obstructiones adaugent potius quàm aperiant, plùs iusto attenuatis, atque agitatis humoribus, quòd in febribus potissimum solet accidere: & proinde Galenus nunc solùm per abstersionem reserare aggreditur, & non per alia. Præterea aperientia eas potissimum reserant obstructiones, quæ frigore densantur vel à materiis frigidis sicuti attenuantia quæ ab humoribus crassis, ac crudis, siue frigidis, quos neque in febribus diariis supponit Galenus. Et ideò solùm abstergentibus earum reserat obstructiones, sunt etiam abstergentia, quæ humores glutinosos, & crassos & incidunt, & attenuant, scilicet quantùm est satis vt dictum est vt fluant, & expurgentur. Quare in dictis febribus talia abstergentia sunt præcipua ad deobstruendum, siue ex- 118

trinsecùs

trinſecùs applicentur, ſiue intra corpus aſſumantur.

119 Hæc autem abſtergentia cum ſint duplicia ſcilicet alimenta, & medicamenta de vtriſque acturus aduertit primo pauca eſſe abſtergentia, quæ in febribus id efficiant, ſiue quæ abſtergere poſſint citra caleſactionem, vt in febribus fieri debet: ex alimentis enim inquit ſolùm ptiſana, & mulſa vel ſolùm ſuccus ordei, & aqua mellis detergunt, & non ſcandeſcunt febres mulſa ſcilicet aquoſa, vel quæ multa aqua diluitur, vt infra videbitur ex medicamentis aut ſolùm oxymel abſtergit & quæcumque incoquere in mulſa licèt vt ſi calamintam,& hyſſopum,& origanum, & ſerpillum, & irim, & apium in mulſa coquamus, verùm hæc iuſto ſunt calidiora, ſcilicet ad ſecundum, aut tertium gradum, & ideo omnia febres accendunt, vt etiam vinum; oxymel verò ſolum eſt quod neque febres accendit, & ſtrenuè detergit ita vt adhuc quæ glutinoſa ſunt atque viſcida diſſoluat, & meatus obſtructos aperiat, atque ab infartis humoribus liberet. Eſt autem oxymel compoſitio conſtans ex vna libra aceti albi acerrimi, duabus optimi mellis, & quatuor aquæ fontis: quæ tria coquuntur ſimul ad conſumptionem tertiæ partis ſpumâ interim detractâ. Quod ſi mel optimum fuerit ſat erit ſi coctio fiat ad conſumptionem 4. partis.

120 Hæc igitur, ait Galenus compoſitio & ſtrenuè detergit, & glutinoſa craſſaque diſſoluit, ac febres non accendit, & benè quidem: nam in primis ratione mellis abſtergit ſufficienter, ſed mel cum aceto coniunctum abſtergit magis, quia ab aceto acuitur mellis abſterſoria facultas, quia acetum quæ craſſa ſunt, ac glutinoſa potenter inſcindit, & attenuat. Vnde oxymel prout ex melle conſtat, & aceto non ſolùm extrahere, ſeu abſtergere dicitur, ſed & abradere; & per conſequens benè dicit Galenus quod ſtrenuè detergit, vel detergit efficaciter, extrahit, atque abradit quidquid partibus adhæret. Diſſoluit etiam ac fluida facit, quæ glutinoſa ſunt, & craſſa, quia non ſolùm detergit ſtrenue, ſed etiam inſcindit atque attenuat ſufficienter dictas materias glutinoſas crudas ac craſſas, acetum enim quò magis, eſt acerrimum, eò magis inſcindit, & attenuat dictas materias cui mel auxiliatur; per ſe, ac per accidens, per ſe ſcilicet quia etiam mel inſcindit, & attenuat, & ſi minus quàm acetum, per accidens verò, quia non ſolùm mel abſtergendo, & ſegregando dictas materias à partibus quibus adhærent iuuat ut acetum magis, & melius incidat eas atque attenuet, ſed etiam quia ſua ſubſtantia lenta mel firmat acetum,& facit vt in partibus detineatur diutius, & per conſequens magis ſuas vires exerceat in dictis humoribus: ſicque illos in totum diſſoluat, & fluere faciat quantumuis craſſi exiſtant, viſcidi, ac lenti. Denique oxymel febres, non accendit quia caliditas mellis; & acredinis aceti quibus febres poterat accendere remittuntur à frigiditate aquæ in dupla, & quadrupla quantitate permixta: quare oxymel omnes dotes præſtat quas refert Galenus, & alias quæ ab eo explicantur aliis locis.

Hìc aduertit Galenus inter mulſam & oxymel eſſe medium quod apomel græcè dicitur; ſicut etiam ſaccarum. Quaſi dicat quod etiam apomel ac ſaccarum inter abſtergentia enumerantur. Quod ſanè ita eſt: ſi quidem in primis apomel compoſitio eſt vt mulſa, ex melle, & aqua conſtans, vt enim mulſa ex melle puro coctoque, & aqua pluuiali componitur; ita apomel ex melle crudo quod ex fauis per ſe decidit ſiue liquatur & aqua fontana: vnde vt multa, ratione mellis abſtergit ita apomel: quamuis apomel detergit magis quia ex melle crudo magiſque aëre componitur: & ideò dicit Galenus inter mulſam & oxymel medium locum habere apomel, vel minùs detergit quàm oxymel, quia caret aceto, ſed pluſquàm mulſa quia conſtat melle magis acri. Conficitur quippè opomel cum expreſſum à fauis mel eatenus in aqua coquitur quoad nulla inde ſpuma exeat, ſic igitur ex multa aqua, & pauco melle confectis mulſa & apomelle vtebantur antiqui frequentiſſimè non modo ad detergendum, ſeu etiam tempore æſtatis & in morbis acutis ad refrigerandum, aut ſaltim temperandum calorem intenſum; ſicut nos cum aqua & ſaccaro facimus, & ſi enim ſaccarum album multò minùs caleſacit, ac magis attemperat, quàm mel. Antiqui tamen ſaccaro non vtebantur ad attempetandum, ſed mulſa aut apomelle, fortaſſis quia ſaccaro albo carebant: ſicque ſolùm ſaccaro rubro vtebantur ad detergendum, vt ex præſenti textu colligitur, nam re vera ſaccarum quodlibet ſit, ſiue album, ſiue rubrum detergit, ſed rubrum magis, quam album, quia rubrum eſt, amarum, & ideo detergit magis, quàm dulce, ſed minùs quàm mulſa, vt docet Galenus, etſi amarum non eſt acre vt eſt mel. 121

TEXTVS.

Ex hoc victu ſeruabis quantùm de febrili calore, &c.

DIxit ſupra Galenus in declinatione primæ acceſſionis febris diariæ ex obſtructione dependentis, ſi ſuſpecta remaneat vt in putridam tranſeat, eſſe ſtatim mittendum ſanguinem, & ſanguine miſſo in quantitate debita aut multò poſt eſſe exhibendum, aut nutrimentum, aut pharmacum detergens. Nunc ergo poſitis, & explicatis materiis alimentitiis, & quæ per os exhiberi poſſunt ad id præſtandum, ſcribit. Ex hoc victu vel ex dicta curatione propoſita adminiſtrata obſeruabis quantùm de febrili calore fuerit imminutum: 122

imminutum: etenim si tertio die mane videris imminutum esse quod de febre relinquitur, ac neque putredinis humorum in pulsu nota subsit, neque in vrina cruditatis, suspecta, verò hora qua primo die febris occupauit extra meridiem sit, tunc hominem lauabis, & quàm ocyssime: scilicet tribus saltem horis ante meridiem. Quod si alia hora accessio sit suspecta ad eam respiciens tres, aut quatuor horas inter eam, & balneum interponere debemus. Itaque sanguine misso & dictis abstergentibus, atque nutrientibus adhibitis in remissione febris diariæ ex obstructione ortæ, scilicet in secunda die, in tertia ægrotus balneandus est, si adhuc febris diaria subsistat, vel nondum sint signa putredinis, vt per balneum simul cum aliis administratis ampliùs obstructio reseretur cutis, antequam tertia accedat accessio quæ ventura timetur & quòd in putridam transeat cum humores biliosi liberè in totum non transpirent.

123 In balneo autem, ait Galenus corpus priùs vnctum, ac moderatissimè frictum, mox detergere; & ablui. Quasi dicat in balneo non solùm æger ablui debet, sed priùs quidem vngi, & modicè fricari corpus debet, & mox ablui, detergerique extrinsecùs. Quum enim nunc balneo vtatur Galenus ad detergendam cutem obstructam: consequenter illis omnibus vtitur partibus balnei, quæ ad intentum conferunt, & proindè antequam febricitantem abluat, aut in aquam calidam balnei mittat corpus præparat, vngens illud, ac modicè fricans cum oleo modicè calido, atque aperiente, vti camomelinum est, aut anethinum; sic enim & pori cutis laxantur. Et materiæ obstruentes mollescunt atque ad abstersionem præparantur similiter extrinsecus corpus abluit simul atque detergit scilicet eadem aqua calida balnei vt sic cutim ab externis sordibus emundet, & his sic præhabitis tandem balneum, siue irrigatio aquæ balnei modicè calentis promptius, atque faciliùs partibus se insinuat, porique corporis ac cutis magis aperiantur & humores obstruentes liberè effluant; sicque transpiratio integra reddatur, expulsa per poros materia obstructionis, & per consequens febris dependens ab hac obstructione in totum curata maneat.

124 His sic statutis refert aliquas materias ad abstergendum corpus magis accommodatas. Ait ergo veluti ad hunc modum dum ex abstergentibus alia magis, alia minùs abstergant; quæ sequuntur sunt deligendæ tanquam magis apta, & longo vsu confirmata moderatissimè detergunt, ait tum erui farina tum ordei, atque fabarum, similiter etiam & mulsa, quæ sit aquosa, magis verò, quàm hæc abstergent iris, & panacis radix & aristolochia, & mulsa, quæ mediocris est mixturæ, & denique hæc magis, quæ est meracissima; mulsa enim, vt antea diximus abstergit ratione mellis; & itaque meracissima est, quia plus mellis in se habet, quàm aliæ; pariter enim omnium maximè abstergit. Est autem meracissima mulsa, ait Galenus; ea in qua tanta solum aquæ quantitas miscetur, quanta requiritur, vt liquatum mel exiguos cutis meatus facilè possit ingredi, determinatam autem quantitatem non assignat sed communiter ad duas libras mellis, vna aquæ inicitur, & ambo cocta simul ad spumæ expurgationem dicitur mulsa meracissima, vtpote quia sic sufficienter diluitur mel, vt partibus imbibatur, quæ autem sit mulsa aquosa, aut mediocris, neque hic neque in alio loco dicit Galenus: vnde prouenit, vt neque ab aliis tradatur determinate, communis tamen est medicorum sententia, vt si ad duodecim, aut quindecim libras aquæ vna misceatur mellis, erit mulsa aquosa, sed ad abstergendum. Adhibenda autem in acutis ad octo libras aquæ vna mellis vncia, tandem si ad sex, aut octo libras aquæ vna mellis misceatur dicitur mulsa communiter mediocris: sed his relictis prosequitur Galenus suum intentum dicens magis, quàm mulsam meracissimam detergere, tum spumam nitri, tum ipsum nitrum si fuerit tenuium partium vt est vere nitrum, tum etiam aphronitrum, & sapo, tandem ait ex iis est quæ maximè detergere valent, quæ quidem omnia sunt vera, quia omnia sunt salsa, & amara valdè, & proinde multùm exsiccant, atque detergunt, & ideo quamuis etiam sunt nimis calida, quia tamen extrinsecùs tantum administrantur si necessitas vrgeat abstergendi, & iis vti poterit bonus medicus.

Sed dices qua recta ratione, aut modo debito dicta detergentia dispensanda, ac componenda sunt, vt benè applicata totum corpus detergant, & cutem obstructam, ab infarctis humoribus liberentur. Respondetur ex Capiuacio dispensari, aut componi sic: 125

℞. farinæ fabarum & ordei an. ℥ ß. puluer. iridis ℈ij. mulsæ moderatæ ℥ij. ß. Misce. administratur actu calidum, & fricando, itaque siue iis moderatè detergentibus vti velimus, siue fortioribus ea medicamenti forma dispensari, aut confici debent, qua facilè tota cutis corporis fricari, ac quasi abradi, aut mundificari possit. Notandum etiam est quòd cum intentum sit abstergere, seu extrahere, quæ cuti adhærent, aut sunt imbibita, debent talia abstergentia non solùm exsiccare, sed etiam substantiam aliquam glutinosam in se includere, vt sic excrementis cuti hærentibus adhæreant, siue vniantur sicque ipsis quasi ligata abstergentia extrahant faciliùs, atque euellant talia excrementa cutis poris imbibita; hæc ergo supponens Capiuacius vidensque quod farinæ fabarum & ordei, ac puluis iridis carent dicta substantia glutinosa, ideo his addidit tantam mulsæ quantitatem quanta requiritur, vt tota compositio modicè vnctuosa,

ſa, ac glutinoſa ſibique atque aliis facilè adhærens euaderet. Vnde ſi huic compoſitioni ſapo mollis addatur, aut loco mulſæ miſceatur, ſiquidem abſtergentium omnium virtus augebitur magis.

TEXTVS.

Tempeſtiuum enim eſt iam ad ea quæ poſt balneum, &c.

126 QVamuis curatio febris diariæ, quæ oritur ex obſtructione priùs ſanguine miſſo abſtergentibus aſſumptis, & tandem vſu balnei explicari adimpleri videatur: aliquid tamen reſtat faciendum atque proinde tempeſtiuum eſt, iam ait Galenus, vt ad ea quæ poſt balneum adhibentur in curatione talis febris accedamus; ſunt enim ea non multa, nam præter aquam in qua parum apij incoctum ſit nihil his eſt afferendum, licet inter balneum, & horam ſuſpectæ acceſſionis ſpatium ſit trium horarum, ſi verò tempus ſpatij ſit longius, vt ſi circa veſperam, aut parum ante expectatur acceſſio, in tali caſu lauari poterit æger manè, atque cibari, ſed tantùm ptiſanæ cremore, vel ſucco aut lacte ordei, quo ſcilicet parum nutriatur; & calore temperetur, interim ſimulque abſtergatur ægrotus, antequam ſuperueniat acceſſio: quæ etiamſi non acceſſerit neque ſuſpectæ horæ aliquid noui afferunt, & lauari rurſus, & cibari poſtea debebit æger, ad eas quas diximus conſiderationes attendendo: nam ſic quidem tutiùs curatus manebit febricitans, & metus recidiuæ ampliùs ceſſabit. Quod ſi aliquid acceſſionis eueniat id conferendum erit cum acceſſione primæ diei, & tum vrinæ, tum pulſus erunt obſeruandi, quæ omnia profectò mediocria apparebunt vbi exigua obſtructio relinquitur: quare ipſum & lauabis quarto die, & cibabis, ad iam dictas conſiderationes ſpectans, ſperabiſque nihil quinto die ſuperuenturum. Etſi magna obſtructio facta ſit ea febris ex diariarum genere non erit, quare in proximum differatur librum: cum in hoc de diariis tantùm agere ſtatuerimus, hæc Galenus ferè in nihilo mutata, namque ex ipſo patent nefas ſit vel tantillum immutare.

Dubitationes, & obiectiones ſuper textum.

127 Multa diximus pro expoſitione, & debita intelligentia literæ textus: ſed plura adhùc ſuperſunt dicenda ampliúſque examinanda, atque explicanda, vt doctrina Galeni tradita in hoc capite & potiſſimum in prima eius parte magis pateat: imò vt penitius intelligantur, quæ his noſtris temporibus, vel à magnis Medicis traduntur aduerſus veram Galeni doctrinam, & hic, & alibi ab ipſo expreſſam, & in operibus artis confirmatam, etſi enim acta atteſtentur principiis, & qua ratione Galenus cognouit, ac demonſtrauit experientia, & rectus curationis vſus quotidianus confirmet, nec ſic quidem omnia quieſcunt, aut vincuntur ingenia, ſed ſemper habent in quo contradicere, aut facere valent, quamuis enim benè veréque demonſtrauerit Galenus in *hoc capite*, vt viſum eſt ad aperiendas obſtructiones in febribus diariis, & vt ſuccus vitioſus in eis repertus potius tranſpiret, & non putreſcat, eſſe ſanguinem mittendum, & per ſanguinis miſſionem maiorem partem vitioſi ſucci eſſe vacuandum, quamuis plenitudinis ſigna non adſint. Contra hæc quidem ſtatim obijciunt ipſum Galenum infra *lib. 11. cap. 14.* vbi ſic ait. *Quum neque putredo, neque obſtructio curari poſſint per ſanguinis miſſionem, neque alia poſtulent auxilia aliquid ſanguinis pro ſtatio curationis relinquendum eſt, ne ægrum poſtea intempeſtiuè nutrire cogamur*: quare in febre diaria, ex obſtructione orta, inquiunt dicti; non eſt opus ſanguinis miſſione ſi plenitudinis ſigna non adſint, etiamſi ex obſtructione putredo immineat, nam neque putredo, neque obſtructio ait Galenus curantur ſanguinis miſſione, ſed vt ipſe etiam docet ac dicit *libro citato, capite vndecimo*, & priùs *libro decimo, capite ſecundo*, quando multitudo obſtruit, curatur ſanguinis miſſione tanquam euacuatione ei contraria, quando autem craſſitie humorum, aut excrementorum attenuantibus, & denique quando lentore, aut viſciditate detergentibus remediis.

Sed re vera hæc non obſtant, neque contrariantur dictis in *præſenti capite* ſi benè intelligantur, nam neque hic dicit Galenus quod obſtructio indicat ſanguinis miſſionem, ſed ſi parua ea ſit, qui rectè deterſerit ſecundam fore acceſſionem vitabit, ait ſtatim in principio *capitis*. Quaſi dicat detergentia medicamenta ſunt, quæ obſtructiones reſerant, ſeu aperiunt, & potiſſimum ſi obſtructiones non ſunt magnæ, ſed potiùs paruæ fuerint, etſi enim magnum, ac paruum non mutant ſpeciem, & tamen cum obſtructio parua eſt, qui rectè deterſerit, ait Galenus obſtructionem reſerabit, cum ſic non ſolùm aperiat, auferatque obſtructionem, ſed & etiam febrem, acceſſionemque independentes. Quare neque hic Galenus vtitur ſanguinis miſſione ad obſtructionem curandam, aut aperiendam præcipue, ſed vt vitioſus ſuccus ſanguine miſſo in tantùm minuatur, vt qui relinquitur in venis liberè tranſpiret, vel ita ad minùs vt nō putreſcat: & ad obſtructiones tutò detergendas, nā etſi ſanguinis 128

miſſio

missio obstructiones nō referet, disponit saltē corpus ad medicamenta deobstruentia tutò adhibenda: ex quibus liquido constat, & ostenditur, quod sanguinis missio in casu dicto non indicatur ab obstructione, nempe ab obstructionis causis, vel ab humoribus crassis, viscidis, ac lentis à quibus indicantur attenuantia, & abstergentia neque à multitudine quia ex suppositione, hîc non datur, à qua poterat indicari, sed ab ipsis succis vitiosis, & vt detergentia rite administrentur.

129 Sed & contra hanc conclusionem obiicitur, etiam idem Galenus, tum alibi, tum potissimum 4. *huius operis lib. cap. 6.* vbi expresse dicitur quod vt sanguinis missione vtimur, & propter eius abundantiam, & propter vim morbi, ita propter abundantiam alterius cuiuspiam succi, & propter vim morbi purgationem conuenienter adhibemus: quare succi vitiosi ex Galeno non sanguinis missione, sed purgatione vacuantur, atque vacuari debent, nam nulli dubium esse potest, quin succi vitiosi, de quibus in textu egit Galenus, sint alij à sanguine, & consequenter postulent, non sanguinis missionem, sed purgationem ad sui euacuationem, iuxta istum textum, & ipsius Galeni doctrinam modo traditam: & confirmatur ex ipsa natura rei, siue ex ipsa natura sanguinis missionis, ac purgationis: nam & apud Galenum, & apud omnes Medicos rationales est communiter receptum, quod sanguinis missio est euacuatio sanguinis, vel humorum quantitate peccantium, & quod purgatio est euacuatio humorum vitiosorum, siue humorum qualitate potius quàm quantitate peccantium, similiter commune est apud omnes, quod plethoræ debetur sanguinis missio & cacochymiæ purgatio. Quare semper humores vitiosi per purgationem expurgati debebunt, & nunquam sanguinis missione ex natura rei, siquidem humores vitiosi, qua tales, sunt nunquam plenitudinem faciunt, neque plethoram, quamvis multi in corpore, aut redundantes esse possint, sed semper sunt cacochymi, & saltim qualitate vitiosa, & non quantitate peccantes.

130 Sed his omnibus obiectionibus respondetur facilè, & verè plenitudini, ac plethoræ humorum deberi quidem sanguinis missionem, & cacochymiæ purgationem. Ex his tamen non deducitur quod non sint alia indicantia sanguinis missionis, aut purgationis, & quod non liceat mittere sanguinem, sine eius abundantia, aut purgare, sine cacochymia, quia licèt plethora, aut humorum redundantia indicat sanguinis missionem, & cacochymia purgationem, ita alia sunt indicantia cuiusque earum, nam quando quis cadit ab alto, aut afficitur aliquo dolore vrgente, seu vehemente, & ex quolibet existimetur magnus aliquis morbus, aut notabilis humoris fluxus ad partem ictam, aut dolentem indicatur sanguinis missio, & non est Medicus aliquis ait Galenus *loco citato*, qui in artis operibus sit sciens, atque exercitatus, qui in dictis casibus sanguinem non mittat, etiamsi in eis nulla sint signa plenitudinis; ergo non solùm plethora, & humorum redundantia indicant sanguinis missionem, sed alia etiam ab aliis distincta, & per consequens humores vitiosi quamvis non sint plethora, neque quantitate peccantes, sed qualitate, poterunt ex alio capite scilicet ne putrescant, vt dicit Galenus in textu vel ne inflamment aliquam partem, & ne dolorem excitent intolerabilem, aut ne vires deficiantur, atque dissoluantur, indicare sanguinis missionem, similiter in febribus putridis sanguis mittitur, & quidē sæpè vel vt sanguine misso natura leuetur à sarcina si aliqua premitur, vel saltim, ne putrescentes humores amplius putrescant aut alios ipsis coniunctos inquinent. Quod verò & purgatio indicatur ac exerceatur non existente cacochymia, patet manifestè in illis de quibus Hippoc. loquitur in Aphorismis sic scribens: *Quibus sanguinis missio, aut purgatio confert iis verè facienda est.* Agit enim de iis qui tempore æstatis, aut autumno solent in morbos incidere quos docet, à talibus morbis præseruare per sanguinis missionem, aut purgationem factas antea multo quàm accidant & per consequens purgat antequam cacochymia actu existat, quia faceret actu morbum in vere, si tunc esset humor actu 131
cacochymus, vt cum in æstate, aut autumno facit.

Sed videamus iam ex natura rei, siue ex ipsa natura sanguinis missionis, ac purgationis quod vnaquæque earum efficiat, aut quos humores ex sua natura euacuet sanguinis missio, & quos, & quales purgatio. Quæ vt pateant supponimus, vt omnes Medici supponunt, quod sanguinis missio, & purgatio sunt ea duo magna remedia, quibus medicina rationalis vtitur, & semper vsa fuit ad morbos magnos curandos, & ad expurgandas, seu euacuandas materias morbificas, aut causas morborum materialium, etsi enim præter sanguinis missionem, & purgationem sint alia multa euacuantia remedia, quibus etiam vtitur medicina ad morbos rectè curādos, nempe clysteres, cucurbitulæ, frictiones, ligaturæ, inunctiones, balnea, & inedia, quia tamen hæc parum euacuant, aut longo post tempore; ideo potissimum sanguinis missione, aut purgatione, vt dictum est, in magnis morbis curandis, & eorum causis expurgandis, aut vacuandis medicina rationalis semper est vsa; non quidem indiscriminatim, sed maxima semper cum præmeditatione, ac legitimo præhabito examine, quo eorum potiùs expediat adhibere, an scilicet mittere sanguinem an purgare & sanè, quàm benè, quia quamvis tam purgatio, quam venæ sectio sint magna remedia euacuantia, atque alterantia

alterantia morbos;& eorum causas deferunt tamen multùm inter sese, tum in humorum euacuatione, tum in corporis atque morborum alteratione, uam sanguinis missio semper sanguinem euacuat, & alios humores qui sunt simul cum sanguine in venis,& fluere sunt paratiores; purgatio verò nunquam sanguinem purgat nisi sit ex maximo errore, & valde præter naturam, & solùm euacuat humurem, aut humores familiares purgantibus medicamentis, dummodo concocti sint, aut saltim à sanguine, seu massa sanguinaria separati, & tenues, ac fluidi facti.

132 Et ex his euenit quod sanguinis missio sic communiter definiatur: est euacuatio venæ sectione facta, quæ omnes humores in venis contentos, simul cum sanguine indiscriminatim euacuat, vel saltim omnes qui redundant, aut naturam molestant aliqua ratione; purgatio autem sic, est euacuatio alicuius humoris à sanguine distincti, aut plurium humorum, qui non sunt sanguis, sed sanguinem vitiant, aut saltim conspurcant facta à medicamento purgante, siue per se, & familiaritate substantiæ abstractæ. Itaque sanguinis missio quamuis sanguinem euacuat, & alios humores vnà cum sanguine, in venis contentos, non tamen eligit hunc potius, quàm illum, sed omnes simul euacuat, potissimum illos qui in venis redundant; aut aliter præter naturam in venis continentur, etsi enim sanguinis missio redundantes humores neque aliter vitiosos, aut præter naturam in venis consistentes, aut alibi eligit, nihilominùs tamen in sanguinis missione scissâ venâ illi potissimum, primúmque humores exeúnt, qui præter naturam in venis continentur, à facultate scilicet venarum expultrice educti siue expulsi, natura namque nunquam dormit, sed vt dicitur communiter semper intendit sui conseruationem, & materiæ peçantis expulsionem, & ideò apertâ venâ in sanguinis missione natura statim ad scissam venam, & locum apertum mittit quidquid in venis contentum peccat, & illam molestat, imò si in sanguinis missione tales peccantes materiæ non exeunt, est malum signum, quia dicit quod natura à morbo deuincitur, vel opressà sarcinâ, vel deuictâ quod est peius, aut quod materiæ peccantes fluere nequeunt, quod in sanguinis missione rarò accidit, vnde sæpè apertâ venâ sanguis exit vitiosus, & non laudabilis, neque humores naturales, sed vitiosi, ac præternaturales, quia scilicet natura ad sui conseruationem naturales omnes retinet humores, & solùm vitiosos, aut qui sunt præternaturales sinit expurgari: vt enim expultrix facultas expellit quod est inutile, ita retentrix detinet, quod vtile est, potissimum quod est ad vitæ conseruationem. Vndè etiam experimur, quod si sanguis mittitur cum natura emoritur, aut saltim patitur syncopen, aut animi defectum, exit sanguis laudabilis, atque ruberrimus, & non vitiosus, vt antea solebat, quia tunc fit sanguinis euacuatio omninò præter naturam, in qua scilicet neque facultas expultrix expellit quod nocet aut est inutile, neque retentrix detinet quod est vtile, & debeat retinere; vt retinuit semper antea, & quoad potuit.

133 Sed dices etiam experimur multoties quod in principiis morborum sanguis exit bonus, atque ruberrimus, etsi in venis adsit vitiosorum humorum apparatus, & tamen in principiis morborum non supponitur natura ita deuicta vt nequeat expellere quod nocet, & detinere quod est vtile, & debet retineri. Respondetur reuera posse accidere, quod assèritur, & quidem si in principiis morborum ita fit, & tales morbi non sunt deplorati, aut omninò maligni atque lethales, à duabus causis id ita contingit, scilicet vel quia sanguis bonus abundat in venis, vt in plethoricis, ideóque apertâ venâ natura ipsum expurgat, quia quantitate peccat, aut si non peccat quantitate, saltim est ita copiosus in venis, vt quamuis sanguis exeat eius defectum non sentit adhuc natura, & ideo sinit eum exire; vel secundò quia natura tunc est oppressa à sarcina humorum multorum atque crassorum, qui vel vias obstruunt, vel ipsam naturam opprimunt, siue impediunt, quò minùs eos possit excernere: & ideo dixi antea quod si in sanguinis missione sanguis non exit vitiosus in vitioso corporis apparatu, hoc ideo fit, vel quia natura deficit, vel materiæ peccantes fluere nequeunt, quare in principiis morborum in quibus sanguis exit bonus, & corpus est vitiosum si natura non est deuicta, saltim impeditur grauata vt benè operetur & vitiosum expellat.

134 Habemus iam & quid est sanguinis missio, & quos humores euacuat, *vt libro de sanguinis missione dixi*, quare videamus modo quos purgatio euacuat, aut potest expurgare: etsi enim dictum sit quod purgatio est euacuatio determinati alicuius humoris, vel plurium, qui à sanguine sunt distincti vi medicamenti facta, nam non datur medicamentum aliquod purgans sanguinem, quia tamen purgatio vt rectè fiat plura requirit, ideirco nequit semper humores vitiosos à sanguine separare,& educere: & proindè rectè nunc quæritur, quos potest expurgare: requiritur enim purgatio vt benè fiat non solum medicamentum, aut medicamenta à quibus humores purgandi seligantur, & ab aliis segregentur, qui purgare non debent & materiam vitiosam,

vitiosam, aut saltim à massa sanguinis naturalis distinctam quam ad se trahant purgantia vsque ad intestina, & non sanguinem, & alium humorem massam sanguinis naturalem componentem, sed requirit etiam quod talis materia purganda sit benè cocta vel à natura victa attemperata, & à massa sanguinis separata, vel saltim diuisa, & in se satis fluida, atque tenuis facta, nullum lentorem, aut crassitiem retinens, neque calorem vrentem, neque acrimoniam, si enim hæc omnia non habet materia purganda, aut non purgatur aut cum torminibus, atque angustiis, aut animi deliquiis educitur: tandem requirit, & quod viæ sint reseratæ & quod in visceribus nulla reperiatur inflammatio, aut inflatio.

135 Hæc igitur cum sic se habeant sequitur inde quod quamuis purgatio purgat, atque euacuat humores in venis contentos, non tamen omnes, qui redundant, aut fluitant in venis vt sanguinis missio, sed solum illum, aut illos quos medicamenta, purgantia seligunt, atque attrahunt, siue redundant, siue non; & siue expurgari debeant, siue non. Præterea neque purgatio humores in venis contentos per medicamenta purgantia seligere, ac purgare potest, nisi sint à sanguine separati, & bene fluidi, & ideo concocta medicari nportet ait Hipp. 1. aphorismorum 22. & omnes cum eo monere non cruda neque in principiis nisi materia turgeat. Quasi dicat concocta medicari, siue purgare, oportet non verò cruda quia quæ cruda sunt non cedunt purgationi, vt ipse etiam dicit 4. de ratione victus in acutis 22. nisi turgeant, vel nisi actu fluida sint imo hic inde irrequieto motu, agitata, ac concitata, & à massa sanguinaria separata, quod rarò accidit in principiis: nam ferè semper incipientibus morbis materiæ morbificæ sunt simul cum massa sanguinis permixtæ, ideo que motu solum ipsius sanguinis sursum scilicet, & deorsum per venas perpetuo mouentur, neque extrauasantur, neque aliquam excitantur excretionem, vt quarto de morbis ferè in medio docet Hipp. Præterea, quamuis purgatio, vt sanguinis missio humores quos attrahit, purget, non tamen ita facile, & placidè, sed cum agitatione ac conturbatione humorum naturalium: nam reuera quo purgantia magis purgant, eo magis humores omnes agitant: & ideo in morbis acutis rarò, aut nunquam Hipp. purgat, nisi in declinatione ne humores à morbis acutis excitati magis à purgantibus medicamentis agitentur, atque turbentur. Tandem quamuis purgatio, vt sanguinis missio purgat, si potest materias morbificas, non tamen refrigerat, sed calefacit corpus; missio enim sanguinis refrigerat quia sanguinem enacuat, quæ est materia atque subjectum caloris, vt ait Galenus, *libro de sanguinis missione, cap. 5.* statim in principio vnde purgatio non refrigerat, quia sanguinem non purgat, sed agitat sicque excalefacit, & ex alio capite medicamenta purgantia sunt per excessum calida: ideo in acutis morbis, atque calotis rarò vtendum purgatione, vt satis *lib. de purgatione* est dictum.

Quum ergo ex natura rei inspecta, atque experientia constet, quod sanguinis missio est 136 remedium euacuatorium longè magis vniuersale, atque tutum ad alterandum, siue attemperandum corpus, & ad materias omnes morbificas adhuc vitiosas expurgandas, siue euacuandas; purgare verò vt ait Gal. 1. *de humoribus* 12. non est aliud nisi humores vitiosos vacuare, siue fiat sanguinis missione, siue purgatione, quod est notandum: cumque vt supra dicebamus, in morbis magnis medendis, & ad curandos ferè omnes morbos materiales, opus sit magnis euacuationibus: magnis enim morbis magna debentur remedia, & paruis parua ex 1. *aphor. 6.* & quos morbos parit repletio curat euacuatio *ex 2. aphor. 22.* hinc sit ait Galen. *eod. libro Comm. 29.* vt circa initia illorū morborum, in quibus speratur ægrotus cōualiturus tentanda maiora sint remedia: præcipuè quidē venæ sectio nōnunquā verò & purgatio; venæ enim sectio meliùs, aut magis atq; faciliùs, quàm purgatio potest morbis atque eorum causis subuenire, cum omnem redundantiā euacuet, vnde morbi dependent. Quare sæpè, siue præcipuè venæ sectio tentanda, atque exercenda est in morbis curandis ait Galenus vt sic causa morbifica in tantum minuatur quoad reliquum natura possit concoquere, vel vt in præsenti capite, dicit vt sic maiori parte succi vitiosi, aut facientis morbū emissa possit Medicus tutò ad detergēdas obstructiones atque ad præferibendas materias concoquentes humores accedere Hipp. etiam 4. *de victus ratione in acutis sententia 21. & 115.* ferè de omnibus morbis acutis docet non posse solui, vel curari, si quis primum tentet purgare: sed venæ sectio ait in talibus principalis est etiam si materia morbifica qualitate potius quàm quantitate in morbis acutis peccet, deinde clysteribus agendum, dicit si magnus, & fortis morbus sit, & tandem si in declinatione opus est expurgare, adhuc tunc in acutis magna opus est mediocritate, & securitate, quia scilicet vt ait Gal. 1. *aphorism. 24. Comm.* non est periculū minimū in morbo acuto malè vti purgatione, sed maximum quia multa requirit, vt benè fiat vt antea dicebamus, & ipse in dicto Commentario.

Sed dices si sanguinis missio in plethoricis dispositionibus rectè administratur, sed etiā ad 137 euacuādas materias vitiosas, & quæ potius malis qualitatibus, quàm copia, aut multitudine peccant, & si in morbis non solum acutis, sed ferè omnibus aliis curandis sanguinis missio præferēda est purgationi saltim in principiis, & cum maiores, aut copiosiores, ac frequētiores morbi postulant euacuationes, quando & in quibus morbis, aut occasionibus purgatio locū habebit: & quando benè ac secundū rationem exercebitur, aut exerceri poterit atq; debebit? Respondetur breuiter, & verè sic, purgatio vel in sanis exercetur præseruationis gratiâ, vel in morbis præsertim acutis, atque febrilibus, si purgatio potius ad præcauendos morbos futuros, aut imminentes, quàm ad curandos

curandos præsentes statuitur, tunc & toties benè exercebitur cum materiæ, siue causæ dictorum morborum erunt distinctæ, vel aliæ à sanguine dummodo coctæ sint, aut coquantur, & aptæ reddantur ad expulsionem antequam purgans medicamentum propinetur; similiter si purgatio à Medico exhibeatur ad curandos morbos materiales, non acutos, sed diuturnos, aut contumaces benè etiã exercebitur si dictæ conditiones seruabuntur. Tandẽ si purgatio in morbis acutis atq; febricitantibus instituatur, statum, atque augmentum eorum est fugiendum, quia tunc temporis vt ait Hippocr. accidentia morborum sunt omnia fortiora, & humores, ac viscera laborantium maximè flagrant, febresque maximè vigent. Vnde in statu melius est quiescere, vt ait Hipp. in principiis autem horum morborum, si salus expectatur, sæpè tentanda sunt auxilia magna, vt ait Galenus præcipuè sanguinis missio, quæ simul causam morborum educit, ac corpus refrigerat, rarò purgatio in principiis morborum acutorum potest benè adhiberi, quia humores tunc sunt crudi, & maximè intemperati, solùm scilicet in turgentiis, & cum humores sunt toto genere præter naturam, atque omnino corrupti, & à bonis seiuncti, dummodo viæ sint reseratæ, humores sint tenues, ac fluidi, viscera ab inflammatione, aut inflatione sint libera, & febris non sit nimis ardens, & denique si in principiis morborum, vel alio quouis tempore aliquid vtiliter vacuatur, & citò & repentè supprimitur, in his enim casibus, & si materiæ purgandæ crudæ sint, & morbi acuti ac febricitantes statim purgandum est, si reliqua ad benè purgandum requisitã adsunt. Denique in declinatione vera atque perfecta tutò exhibetur purgatio, & si in acutis passionibus, rarò, & in principiis vtendum purgatione, dicit Hippocr. 1. aphorismorum, sententia 24. ob vehementiam passionis, & quia rarò acuti morbi declinant perfecta declinatione, sed vt ait Galenus 3. *de crisibus, vt cap 9.* multoties ad falsam declinationem veniunt, vt lib. de crisibus diximus, quæ est impediens purgationem.

138 Itaque sicut sanguinis missio non solùm in plethoricis affectibus, sed in multis aliis qui tales non sunt benè & secundum rationem adhibetur: ita purgatio adhuc in morbis acutis rectè administratur, non modo cum materia purganda est iam concocta, vel victa à natura, atque correpta à sanguinis massa naturali separata, & actu fluida facta; & viæ sunt reseratæ, & viscera, atque humores sunt ab inflammatione, aut nimio æstu, aut incendio liberi, & vires adsunt, & tempus anni permittit, & reliqua concurrunt, quæ communia sunt sanguinis missioni, ac purgationi, & concurrere debent, vt rectè fiant, non solum inquam cum hæc omnia simul conueniunt purgatio rectè exercetur, scilicet ex præsentia postulantium & absentia impedientium; verùm etiam cruda existente materia in turgentiis, & aliis casibus dictis, dummodo reliqua dicta adsint. Quæ vt clarè constent, præstat vt de singulis seorsim differamus.

Principio igitur quod in turgentia statim sit purgandum cruda existente materia, si reliqua adsint ad purgandum requisita, constat non solum ex Galeno 1. aphorismorum, Commentatio 24. sed etiam ex Hipp. 4. aphorismorum, sententia 1. vbi sic ait. *Medicari in valdè acutis purgante medicamento, vt in acutis, si materia turgeat eadem die oportet*; vel intra secundum vt ait Galenus in commentario, tardare enim in talibus malum. Cum enim materia turget, quamuis cruda sit est tamen non solum separata à commercio massæ sanguinariæ naturalis, sed actu est turgens, vel actu agitata, atque irrequieta scilicet sua sponte concitata, & hinc inde irrequieto motu actu fluens sine ordine: & per consequens tunc apta est, quantum est ex se ad expulsionem: imo statim purgari debet ait Galenus antequam firmam aliquam inclinationem faciat ad aliquam principem partem vbi firmata eam suffocet, ac mortis repentinæ sit causæ. Et si enim dum turgens est humor vel irrequieto motu mouetur, sua acrimonia & maligna, aut ferina qualitate mordaci vehementes concitat dolores vagos, vel repentè successiuos plurium partium per quas inquietus fluit humor, & quibus turgẽtia cognoscitur, & ab aliis distinguitur sic tamen minus offendit, quam si in parte aliqua firmatur, aut imbibitur, nam sic natiuum partis calorem suffocat, & in parte principe non solùm suffocat, sed de repentè etiam aut breui temporis spatio mortem affert, nã pars princeps, ait Galenus diù magnam noxam sustinere non potest: quare materia turgens, & si cruda sit statim est purgãda, si aliæ adsint cõditiones bonæ purgationis, & non aliter vt Gal. docet *loco cit. 1. aphorismorum. Comm. 24.*

Non solùm vero humores turgentes quamuis crudi sint possunt, ac debent statim purgari si cætera annuant purgationis requisita, sed etiam cum humores sunt toto genere præter naturam omnino cachoëthes, & in totum corrupti aut putrefacti; quod enim omninò est præter naturam nequit amplius ad meliorem statum reuocari, & ideo putredo, quæ facta est indicat purgationem vt infra *lib. 11. cap.* 10. docet Galenus 4. *etiam de sanitate tuenda cap.* 4. sic habet. *Vbi humores morbos facientes, aut corpus alterantes parum infra sanguinem subsistant, aut supra procedunt, audacter sanguis est mittendus, vbi plus consideratione agendum: Vbi plurimum nullatenus est sanguis mittendus*, similiter 6. *Epidemian parte 3. Commentario 43.* sic habet: *confert quibusdam, vt sanguis detrahatur qui scilicet eo abundant, & nondum in alium humorem conuersione insigni conuersus fuerit: non autem detrahendus quibus jam conuersus sit.* 140

His enim locis quasi sic habet Galenus 141
Vbi humores morbum facientes, aut facturi sanguinem sunt, vel parum distant à natura sanguinis indicatione sumpta ab eorum specie indicatur sanguinis missio, & quidẽ audacter

quia

ab eo distant, & per consequens audacter, vti ipse sanguis indicāt sanguinis missionem, quia parum pro nihilo reputatur: vbi verò humores maximè distāt à natura sanguinis & vbi sanguis iam in totum mutatus est in alium humorem, nullatenùs sanguis est mittendus, attenta eorum specie, & natura sed si crudi sunt, & infrà sanguinem concoqui debent; & per maiorem alterationem in sanguinem mutari: si verò non sunt crudi, sed supra sanguinem, in totum vitiati ac corrupti, per purgationem indicant sui euacuationem, cum iam sint cacochymi: nam cacochymia vt docet Galenus 2. *Aphorismorum Commentario* 17. in fine, est extremum vitium humorum quodque ad meliorem statum amplius negauit reuocari; cacochymiæ autem purgatio debetur non sanguinis missio, quamvis nihil prohibet ait Vallesius in Commentario quin in his etiam mittatur aliquando sanguis secundum alias de mittendo sanguine præceptiones, & benè quidem; imò si in his casibus, siue in turgentia siue in aliis similibus instet scopus purgationis, & nequeat administrari, quia sunt impedientia ad purgandum, si vires adsint, & alia sint consentientia sanguinis missionis, meâ sententiâ tunc purgatio suppleri debet sanguinis missione, cum certum sit à virtute constante, quod molestat, atque vitiosum est per venam sectam posse expelli, & quod vtile est detineri; etsi materiæ vitiosæ in extremo, potius petunt purgationem per Pharmacum; purgans tandem si humores vitiosi medij sunt inter extremè malos, & ipsum sanguinem tunc cum consideratione agendum est ait Galenus 1. per sanguinis missionem, aut purgationem sunt euacuandi attenta eorum natura, & specie scilicet prout magis ad sanguinem vel extremos humores accedunt: sic enim in principiis morborum potius sanguinis missione, quàm purgatione euacuantur humores & in declinatione, aut inueteratis morbis per purgationem, potius quàm sanguinis missionem, quia in principiis morborum humores, etsi sint vitiosi magis accedunt ad naturam sanguinis & in declinatione, aut in inueteratis, aut multùm protractis morbis, humores ad extremè malos magis accedunt.

142 Denique si in principiis morborum, vel quolibet alio tempore aliquid vtiliter euacuari contingat, nempè cum conferentia, ac bona tolerantia, perque locum conferentem, & tamen citò supprimatur, ac quasi repentè cesset, statim esse purgandum indicat, quamvis materia existat cruda, quia arguit retrocessum illius, quod vacuabat ad viscera; & partes internas, in quibus si aliquantulum detineatur corrumpitur, ac malignatur, sicque perniciosos statim generat morbos. Quod si adijcias ex Galeno 4. *Aphorismorum Commentario* 22. quod in principiis morborum, si quid excernitur nihil tunc vtiliter excernitur, aut naturæ ratione, sed omnia sunt prauæ dispositionis indicia. Respondetur quod experientia docet contrarium, siquidem experimur in principiis morborum & cruda existente materia. Interdum accidere euacuationes vtiles, vel per quas laborantes à morbis liberantur, vel saltem leuiores fiunt, & facilè ferunt, & ideo ipse Galenus 1. ad Glauconem *cap.* 14. sic ait: *Si accidat febris vnà cum alui fluxu non est opus vti alia euacuatione, etiamsi non sint pro multitudinis ratione, quicumque enim plus fore necessarium putantes aut sanguinem miserunt, aut purgarunt in deteriora pericula laborantes deduxerunt* 4. etiā aphorismorū Commentario 2. sic ait: *Cum natura superfluum euacuat iuuatur animal, & benè quidem: nam vacuatur causa morbifica, & vera curatio est causarum remotio: si autem quod excernitur est ratione symptomatis præterquam quod nihil iuuat, praua dispositionis est signum*. Itaque Galenus his locis non damnat vacuationes, quamvis in principiis morborum accidant, sed vt laudabiles permittit, atque conseruat etiamsi non sint pro multitudinis ratione ad in totum auferendas causas morbificas, dummodo à natura fiant quæ superfluum euacuat, & ideò iuuat, & non à morbo à quo nihil vtiliter euacuatur, cum sit affectus per se lædens actiones sed si ab eo aliquid excernitur, est prauæ dispositionis signum, quod enim per se lædit nequit per accidens iuuare, vt dicitur communiter.

Quamvis ergo in principiis morborum materia morbifica cruda sit, nam principium morbi materialis est totum tempus cruditatis, non tamen ideo est necesse quod semper in principiis morborum materia, morbifica sit ita cruda, & ita immobilis, aut inuicta quod à natura non possit excerni, si tenuis sit, & à massa sanguinaria separata, nam & ipse Galenus lib. quos, quibus, & quando purgare oporteat scribit; *tennes, & serosos humores statim purgabis, quia qui tales sunt facilè cedunt expulsiori*: quare & à natura vel eius facultate expultrice, si ab eis molestatur poterunt expelli, quamvis sint crudi: si enim molestatur natura, statim excitatur ad expulsionem, si vero non molestatur priùs concoquit, quàm expellat. Vnde Aëtius qui æquiparatur Galen. *libro* 9. *c.* 35. in confirmationem dictorū sic ad verbum scribit. *In principio enim aliena à natura salubriter, euacuare consueuit, ipsa videlicet natura. Vndequaque ad superfluum, & incommodum reiiciendum cogente: quemadmodum in febrilibus morbis frequenter fieri videmus*, & parum infra: *quare in principio ea quæ in corporis commoditatem vtiliter euacuantur, minimè inhibere oportet*. 143

Sed si dicta vera sunt, quid est dicendū Galen. 4. *Aphorism.* 22. Respondetur quidem ex ipso Gal. *eod. lib. Comment.* 47. quod malæ excretiones sunt signa malarū in corpore dispositionum, siue in principio fiant, siue non, & quod sæpè fiūt sicuti ichores saniosi in vlceribus, qui nihil dispositioni conferunt; interdū verò sicut bonum opus benè expurgans partem affectam: Vnde *deiectiones in febribus liuida cruenta fœtida, & biliosa scilicet sincera omnes sunt, mala* ait Hppp. In textu, quia indicant morbos malos, aut multùm recedentes. 144

tes, à statu naturali, quod quamvis ita sit si prospere excernantur inquit ipse possunt esse bonæ, nam si sint causa morbi, & oon symptomata sed à natura excernantur, per loca conferentia, possunt esse bonæ, vel si malæ sint, signa iuuant quia per tales excretioues, aofertur, siue euacuatur causa morbifica, & sic aufertur morbus aot saltem leuator æger iuxta commune illud: ablata causa tollitur effectus: & ideo Hipp. neqoe omnino malas excretiones absolutè damnat sed cum limitatione, vt cum dicit *dysenteria si ab atra bile inceperit, est lethalis, & morbis quibuslibet incipientibus si atra bilis suprà vel infra exierit lethale.* Sensus enim est quod tales excretiones in principiis morborum contingentes sont deteriores, qoam si aliis temporibus, & morbis procedentibus excernantur quia significant materias irredocibiles, quæ ad meliorem statom, iam nequeunt reuocari, & ita significant quod morbus in ipso principio est omnino supra ipsam natoram; vbi verò morbus sic superior euaserit nollus curationis relinquitur locus 4. *de victus ratione* 22. in declinatione vero, aut protracto morbo à natura vincente exeunt: quare tunc iuuant.

145 Quare si incipientibus morbis aliquid excernitur non pravum, sed mediocriter, aot parum recedens à statu naturali non erit prauæ dispositionis signum, quamvis exeat in principiis: neque erit lethale vt cum excernitur bilis atra: nam si sic absolutè dixisset Hipp. morbis incipientibus si quid excernitur est lethale, & non particulariter si atra bilis exeat: quare si quid excernitor in principiis morborum non sit pranum, sed mediocriter distans, & simol iuuet, vel potius iuvet, quam noceat hoc non solum non erit signom prauæ dispositionis, sed potiùs erit signum naturæ rectè agentis, aut causam morbificam expellentis, & proindè etsi Hipp. *concocta medicari docet, & cruda non mouere*; excretiones tamen, quæ à natura fiunt vel ab arte an bonæ sint, aut malæ non iudicat, aot colligit ex coctionibus, *sed si tales fiant quales fieri debent* (ait) *& ægri facilè tolerant, vel si conferunt, & facilè tolerantur, vel è contra.* Quæ enim conferunt, vel morbos leuant, & facilè tolerantur semper ab ipso laudantur siue fiant in principio, siue non, & sioe coctæ sint, siue crudæ vt docet *l. de humoribus* 22. his verbis: *Quæ deiiciuntur qua vergunt: non spumea, cocta, cruda, frigida, fœtida, sicca, humida, maleolentia.* Galenus etiam *in Commentario* sic habet: *De his agit quæ sua natura, vel sua sponte excernuntur. Videndum enim est qua vergant,* etsi per loca exeant conferentia permittendum ægrotantibus, præsertim si non spumea & cocta sint, verùm si cruda sint tunc habe in memoria distinctiones, facilitatem tolerandi, & difficultatem, siue enim cruda, siue frigida, siue fœtida, siue liquida, siue sicca sint, ægrotus verò facilè ferat, cohibenda non sunt. At si ille ægrè toleret supprimenda: vnde & ipse Galenus crudas approbat excretiones saltem ex accidenti & per consequens excretiones factas in principiis morborum.

146 Posito ergo iam satisque firmiter demonstrato quod euacuationes in principiis morborum factæ, & aliæ quamvis crudæ sint possunt vtiliter euacuari: modo consequenter addimus, quod si tales euacuationes crudæ, spontè factæ, & cum commodo animalis, & bona tolerantia procedentes de repentè supprimantur, aut maiori ex parte cessent, sunt statim purgandæ, siue sont statim citandæ, & de nouo exeitandæ quamvis crudæ siur vt sic materia cruda quæ intro retrocedit, aut intro relinquitur ibi non detineatur, sed iterum foras petat, & iotegrè expurgetor ne intus detenta affectum grauiorem reddat, aut noua alia grauiora generet mala, cum sit materia ineoctilis: *excretiones enim, quæ fieri cæperunt & protinus desierunt deteriores sunt quam quæ nullo apparent pacto,* ait Galen. 1. *prorrheticorum, Commentario* 1. in fiue, apparet enim in his veluti excitatio quædam, natora ea quæ molesta sunt excernere conante, præ imbecillitate tamen quod propoloetat perficere neqoeunte: & ita tales excretiones, quæ protinus desierunt, & aliæ repentinæ mutationes ad meliùs, sunt malæ, & indicant non morbi solotionem, quamvis in totum de repente cessent, sed in peius mutationem, scilicet morbum esse reconditum, siue occultatum; non verò esse solotum, nam solutio, siue resolotio nequit citò fieri, sed sensim, & paulatim. Vode Hipp. 5. *Coacarum* scienter scribit: *Vrina de repente præter rationem, & parum cocta, aut cocta mala, & in morbo acuto pessima*; quia scilicet non arguunt morbi solutionem, sed retrocessum vt dicimus, & si tunc corpus statim non purgator, morbus malignior redditur aut æger parum post repente suffocatur, vel alia mala excitantur.

147 Vnde Aetius scientissimus *lib. & cap. sup. citato*, benè, atque verè scriptum atque notandum nobis relinquit, quæ sequuntur omnia. *In principio aliena à natura salubriter ipsa natura euacuare consuenit, vndequaque ad superfluum, & incommodum reiiciendum coacta: quemadmodum in febrilibus morbis frequenter fieri videmus, conuenit itaque rebus sic stantibus aut vsquequo natura omnem curam suam impenderit expectare, aut ipsius etiam motus adiuuare, etenim obluctari & excretionis cohibitionem moliri maiorem morbum facit. & paucis verbis interpositis concludit. Quare in principio ea quæ in corporis commoditatem, vtiliter excernuntur minimè inhibere oportet: postquam vero diutiùs perseuerauerint fluxiones, non solum superflua euacuantes, verum habitum veluti colliquantes virésque consumentes, tunc sanè resistere eis oportet. Si itaque biliosa pura prodierint in magnis salubria permutare oportet*: biliosa enim pura vocat, quæ sont sincera, & acria oimis & ita in magnis, salobria esse mutanda docet, non tamen ea cohibere etiam si cruda sint, siue pota: *biliosum enim*: ait, *tum in ventre, tum in ieiuno intestino aggregatum, atque detentum maximoperè lædit: nam & stomac*

um

machum subuertit, & visceribus inflammationes infert, & sitim accendit, & febres instaurat, & sursum per latum dolores capitis, aut phrenitidas, & cunctum aliis lethargos, aut parotidas infert perniciosas, atque in totum grauiorem affectum reddit. Hæc Actius quæ clarè nostram confirmant sententiam & pariter nos in totum, concludimus in quibus casibus ac morbus sanguinis missio & purgatio sint vtiles & quando hac potius, quam illa sit vtendum.

148 Quia in textu dixit Galenus quod diaria accessio finitur cum sudore, aut, madore dubitatur hic, quæ sit causa, vel materia illius sudoris; si enim febris diaria passio est spirituum solùm & non humorum non inuenitur materia talis sudoris, cùm spiritus in sudorem nequeant mutare neque degenerare cum spiritus sit semper, & essentialiter mobilis, perpetuo, tenuis, & qui neque sisti potest, neque densari, vt sudor requirit. Sed respondetur in diariis nothis vt est quæ ex obstructione oritur, simul cum spiritibus adest etiam materia alia humoralis, quæ à calore febrili attenuata mutatur in vaporem. Et iste in declinatione accessionis in sudorem degenerat: nam sudor fit vt docet Mercurialis *in annotationibus in lib. 1. de Morb.* Hipp. ex vaporibus ab intimis corporis partibus ad cutim propulsis ibique aeris frigore in aquam condensatis: similiter in diariis legitimis, aut exquisitis, siue spiritus, siue calor naturalis vitalis sint subiectum febris, mutatur tandem in declinatione accessionis in sudorem quidquid alij dicant cùm vel ipsi spiritus sint substantia vaporosa ex Galeno & omnium sententia, & ita possunt ad cutim accedentes à frigore externo cutis concrescere, & in aquam, aut sudorem mutari: maximè cum tunc iam non sint spiritus, sed in aquam desierint. Imò addo quod neque febris diaria, neque alia humoralis declinat vnquam, aut cessat nisi subiectum febris; aut materia ardens, & febrem fouens, aut conseruans euacuetur aut saltim in vapores dissoluatur, atque degeneret, vt docet Hipp. *libro citato 1. de morbis, parte 3. textu* 117. his verbis: *Quicumque in diebus indicatoriis morbi iudicantur, & calores febriles demittunt in his quod de pituita, & bile tenuissimum est, id est quod biliosum, & flagrans est, funditur, & liquatur, succeditque, partim extra, & fit sudor, partim intus.* Cum enim materia febrilis funditur, & liqoatur succedéntque pariter, inquit, Hipp. vel à foco separatur, & in amplam capacitatem mutatur siue extra exeat, siue intus feratur; sicque necessario febris cessàt quovsque, qood intus relinquitur, iterum concrescat, sicque nouum faciat focum febrísque accessionem. Hic etiam dubitatur an in diariis dentur accessiones; quia etsi Galenus *in hoc capite* 4. expressè docet quod febres diariæ de quibus loquitur, possunt habere accessiones 3. & 5. die, quia tamen hic agit de febribus diariis ex obstructione ortis potest consequenter dubitari, an accessiones illæ sint dictarum febrium diariarum? an potiùs humorum obstruentium? & quidem respondetur in diariis, quæ exquisitæ sunt & legitimæ; atque in quibus vna cum ipsa febris diaria non est aliquis alius affectus permanens, atque ipsam febrem conseruans non dantor plures accessiones sed vna solúmque 24. horarum spatio terminatur, aut parum postea eo quod calor natiuus, aot spiritus vitalis in quo fundatur, aut subiectatur febris prædicto temporis spatio à dicta febre dissoluitur, ac dissipatur; in diariis vero nothis quæ causas habent fouentes, ac permanentes vt in diariis quæ fiunt ex constipatione, aut obstructione dant, reuera accessiones, vt docet Galenos *in isto cap.* 4. & quidem de tertio in tertium diem repetentes vt quæ à vitiatis humoribus febrilibus calidísque per excessum, vt bilis est, oriuntur; non enim accessiones dantur in febribus, neque aliis morbis nisi materiales sint & ab humoribus dependentes; imò nisi humores sint vitiosi, & a massa sanguinaria naturali secernantur, vt Hipp. 4. *de morbis, textu* 23. docet, & experimur in febribus synochis, quæ continentes sunt, sine vnica tantū clauduntur accessione, nisi massa sanguinis, vnde prouenit, corrumpatur; sicque secernatur ab alia naturali massa, tunc enim iam accessiones habet, & circuitus de tertio in tertium repetentes, quia sanguis dum supra admodum assatur, aut putrescit tenuior pars transit in bilem à qua fiunt accessiones tertianæ, & crassior in succum melancholicum cum à quo accessiones succedūt, quarto quoque die repetentes. Imò neque rigores, aut horrores neque dolores, aut refrigerationes accidunt in febribus, vel aliis morbis ait Hipp. *loco citato*, si non turbetur humor morbum faciens, & massa sanguinis, & de ipsa plus aut minus secernatur, & alius alium superet atque excernat, & sic accessiones fiant, & reliqoa omnia; quare quamvis in diariis nothis dentur accessiones, in legitimis tamen nequeunt dari.

Vt finem imponamus huic capiti & eius 149
annotationibus placet ea verba textus magis ponderare, atque explicare, vbi sic loquitur Galenus: *Ergo cum suspicio erit esse ex obstructione occlusam haud quaquam differendum est sanguinis aliquid ita laborantium mittere, scilicet ad portionem, seu magnitudinem, tum virtutis, tum obstructionis, siue febris vt quæ ex maiore obstructione maior, ex minore minor incedat, vbi verò modicè vacuaberis non multo post exhibebis, aut nutrimentum aliquod, aut medicamentum ex his quæ detergant.* Quasi dicat Galenus in febribus ex obstructione orris mittendus quidem sanguis est ad magnitudinem ipsius obstructionis, & febris, si vires consenserint, sic enim suceis vitiosis imminutis excrementa, quæ transpirant pauciora restabunt: quare inde quoque minor reddetur febris. Quia tamen sanguinis missio vt visum est supra per accidens refrigerat, & per consequens refrigerando ipsam obstructionem potest adaugere, proinde sanguinis aliquid ita láborantium mittere expedit, vel ea moderatè in his casibus san-

guis mitti debet quantus satis sit, vt magnitudo obstructionis ac febris, quæ inde pendet, remittatur, sed nihil amplius neque plus aliquid quam expediat, ac moderatum sit ne corpus refrigeretur, & sic obstructio augeatur, ac febris; vbi verò sic modicè vacuaveris statim aut nutrimentum, aut pharmacum detergens est exhibendum, vt si aliquod peccatum in extractione sanguinis commissum fuerit corrigatur, & quæ restant obstructiones factæ quæque sanguinis missioni non cedunt, ab illis reserentur.

150 Hæc verba sic nunc volui aperire, & annotationis loco hic afferre, vt hinc omnes intelligamus in febribus ex obstructione ortis, non esse in totum ad magnitudinem febris intendendum, sed magis ad magnitudinem obstructionis, vtque ipsius febris sit causa. Quamuis enim in obstructionibus atque in febribus humoralibus magnitudo febris possit insequi non solùm ipsam magnitudinem obstructionis, sed potiùs intensionem caloris putrescentis humoris atque obstruentis, qui attemperari indicat, semper tamen verenda est obstructio, & omnibus modis reseranda; atque proinde in his febribus vt neque in phlegmonibus Galenus ad potum aquæ frigidæ nunquam accedit, nisi prius manifesta appareant signa coctionis, vt *libro sequenti, capite* 5. videbimus. Vnde illi sæpè male agunt, qui in quauis febre magna, aut nimis intensa ad valida accedunt refrigerantia quæ obstruunt & per consequens sæpè lædunt, & quidem valdè, quia sæpè magnitudo febris sequitur magnitudinem obstructionis, quæ non frigidis sed abstergentibus, ac deobstruentibus, vt docet Galenus sanatur; quare hæc benè omnes memoriæ mandemus.



CAPVT V.

De curatione diariarum febrium quæ cruditatibus ciborum superueniunt.



151 ACCVRATISSIMAM diariarum febriũ quæ alimentorum cruditatibus succedunt curationem explicat Galenus *in præsenti capite* curationem inquam earum febriũ, quæ ciborum in ventriculo corruptionibus nidorosis superueniunt: non enim quæcumque ciborum cruditates, quæ in ventriculo, aut alia parte fiunt generant febrem; sed illæ solùm, quæ sunt præcalidæ, quales sunt dictæ ciborum cruditates nidorosæ, siue quæ fumosæ, aut fuliginosæ esse dicuntur, quia in ipsis ex alimentis crudis, aut corruptis ructus excitantur nidorosi, siue acres, aut mordaces, vt ipse fumus est oculis: acturus ergò Gal. de curatione febrium, quæ his cruditatibus alimentorum superueniunt, duas affert potissimum in hoc capite curationes. Vnam scilicet eorum quibus clausa aluus est, & aliam eorum quibus, è contra aluus est fluens, quare caput in duas præcipuè secatur partes, agitque prius de curatione cruditatis cum alui fluxu, & tandem de eadem ciborum cruditate, cum aluo astricta clausave.

TEXTVS.

Quoniam igitur diariæ febres in propositis corporibus, &c.

ACturus Galenus nunc, vt dictum est, de curationibus diariarum febrium, quæ cruditatibus alimentorum in ventriculo accidere possunt, explicat in primis in hac prima capitis parte, & in principio capitis quæ cruditates sint, quæ dictas febres generare possunt: scribit enim in hunc modum. *Quoniam diariæ febres in corporibus biliosis sæpenumero etiam, ciborum cruditatibus succedunt, placet de ipsis disserere.* Ergo pessima quidem in eiusmodi temperamentis est, citissimè quæ febrem accendit in qua cibi in nidorulentam, & fumosam qualitatem corrumpuntur, quandoq; ea in acidam vertitur, vt rarò his naturis contingit ita minus nocet. Quasi dicat Galenus cibus nos occidit qui corpora conseruat: neque est mirum quia etiam principia rem constituentia sunt & principia differentiarum: & ideo cibus qui benè coctus atque digestus nos viuificat, atque conseruat toto vitæ tempore, ipse si assumptus non concoquitur ac distribuitur, sed crudus remanet: statim nauseatiuam satietatem id est repletionem in ventriculo causat, vt ait Auicenna, & alia multa corporis mala affert non solùm in ventriculo, & prima corporis regione, sed & in hepate, ac venis, & in aliis corporis partibus: quod quamuis ita sit in præsentiarum tamen sermone agimus de curatione diariarum febrium non de curationibus morborum qui ciborum cruditatibus accidere possunt, sed de curatione vt dixi diariarum febrium, quæ in corporibus picrocholis, siue biliosis, & amara bile redundantibus ex ciborum in ventriculo cruditatibus accidere possunt, scilicet de curatione febrium, quæ in dictis naturis, seu temperamentis generatur ex ciborum in ventriculo cruditatibus nidorosis, siue quæ in fumosam qualitatem per illam cruditatem corrumpuntur. Hæc enim inquit Galenus fumosa alimentorum cruditas, siue corruptio, & mutatio ciborum in nidorosam substantiam, ac qualitatem nidorosam, estque potissimum in naturis biliosis de quibus nunc agimus febrem accendit. Nam altera ciborum cruditas, siue corruptio quæ in acidam mutatur substan

ſubſtantiam atque ſaporem, aut qualitatem, & ra.ò in his naturis contingit, aliquando nocet quidem minus, quia potiùs refrigerat, quam calefacit.

153 Sed vt quæ dicta ſont ac veniunt dicenda penitiùs intelligantur aduertere debemus ex Galeno *libro de ſympt. diff. cap.* 4. quod cruditas ventriculi (aut hepatis, aot alterius cuiuſque corporis partis) eſt triplex ſcilicet abolita, diminuta & deprauata, ſicut tria ſunt ſymptomata in qualibet actione læſa, ſiue in qualibet actione à ſuo ſcopo aberrante, vt enim ciborum coctio vna eſt ſemper ſcil. alteratio & transmutatio eorũ in qualitatem, & ſubſtantiam ſimilem animanti; vt ita cruditas, ſiue coctionis læſio, aut aberratio à ſuo ſcopo eſt triplex, ſcilicet diminuta, deprauata, aot abolita: diminuta cum cibus mutatur in qualitatem, ac ſubſtantiam ſimilem animanti, non tamen perfectè, vt in coctione, ſed longiori tempore, & vix permutatur, quia plures partes remanent crudæ, ſeu incoctæ, quàm quæ perfectè coctæ fuerunt: deprauata cruditas illa dicitur in qua cibi in alienam qualitatem, ac ſubſtantiam tranſeunt, quum tamen in naturã mutari debebant. Denique abolita cruditas dicitur in qua cibi omnino immutati, atque inalterati remanent, quare hæc cruditas eſt coctionis omnimoda priuatio. Hæc antem quamuis ita ſint alteratio inquit Galenus in alienam qualitatem, quæ non ſit ſecundum naturam apepſia vel cruditas nominatur. 8. etiam ſecundum locos cap. 6. ſic habet: *Si verò traxerit quidem hepar in ſe ipſum ex ventriculo, & inteſtinis alimentum ſanguificare autem ipſum præ debilitate nequiuerit, quemadmodum in ventre multis formis corruptio contingit, eorum quæ cruda remanent, ſic etiam circa hepar.* Dico antem nunc apepſiam cruditatem ſolam non comprehendi; hoc ſermone, nec tardam coctionem, neque eam in qua alimentum crudum permanet; ſed ſi & has velis cruditates appellare, neque ego fugio appellationem: quaſi dicat Galenus: apepſia, ſiue cruditas abſolutè prolata deprauatam potius ſignificat ciborum coctionem, ſeu corruptionem, quàm diminutam, atque abolitam eorum concoctiones, ſed ſi etiam quis dicere velit cruditates coctiones diminutas, atque abolitas, permittatur ita eas nominare, & ſi coctio minuta, & abolita propriè non dicantur apepſia, ſioe cruditas vt corruptio ciborum dicitur; ſed diminuta coctio ciborum dicitur bradypepſia, & abolita coctio caret proprio nomine quamquã claritatis gratia abolita coctio poſſit vocari apepſia, diminuta bradypepſia, & deprauata dyſpepſia inquit ipſe loco cit. de differẽtiis ſymptomatũ.

154 Hæc nunc hic ita referre placuit vt inde iuniores intelligant primum ſcilicet in lectione antiquorum cruditatem ciborum includere in ſe non ſolùm coctiones inminutam, ac abolitam, ſed etiam deprauatam: & ſi enim nos & ferè omnes recentiores, per humorum, aot ciborum cruditates eorum debilem, atque diminutam concoctionem intelligamus, vel abolitam & deprauatam potius corruptionem, quàm cruditatem vocemus. Galenus tamen, & ante ipſum alij; vt apparet ex dictis apepſiam, ſiue cruditatem vocabant ſolam ciborum corruptionem, ſiue illam ciborum alterationem, quæ in alienam eos mutabat naturam, quàm tamen natura eſſe debebat ſcilicet in dictam corruptionem, vel in aliam concoctioni contrariam, & omnino diuerſam alterationem. Secundò eſt notandum in præſenti capite non agere Galenum de omni ciborum in ventriculo, ac primâ corporis regione cruditate; quamuis ciborum cruditas omnes læſas alimentorum coctiones comprehendat, & quamuis tales cruditates, & earum quælibet ſit præter naturam, & plures in noſtris corporibus generent morbos maloſque affectus alios, qui multum lædant; & ſi enim hæc ita ſint, hìc tamen Galenus de curatione febrium diariarum diſſerit, & ideo de illis tantum ciborum cruditatibus agit, quæ tales febres valent efficere: ſcilicet de deprauatis cibi cruditatibus, & illis peſſimis corruptionibus, quæ cibos in nidorulentas qualitates mutant: nam iſtæ ciborum corruptiones ſunt ait Galenus, quæ inter omnes alimentorum cruditates febres valent efficere. Vt quæ ſolum calidæ ſunt poſſuntque corpus ac cor præter naturã calida reddere: non verò cruditates aliæ ſiue coctiones diminutæ, neque abolitæ cum hæc non calorem, ſed frigiditatem corpori inducant, quoniam igitur ciborum in ventriculo corruptiones nidoroſæ atque fumoſæ, aot fuliginoſæ ſunt quæ ſæpius in temperamentis incidunt biliosis, & citiſſimè febres diarias accendunt ait Galenus, tardò autem accidunt corruptiones acidæ vt dicemus de vtraque ſeorſim, incipientes ab ea quæ ſæpius in iis accidit, & magis lædit ſcilicet, à nidoroſa, ſiue fumoſa cruditate ſiue ciborum in ventre corruptione; de nidoroſa ergo ciborum cruditate nunc Galenus agens primum docet quod cruditas nidoroſa ſemper peſſima eſt, ſi tamen in ea aluus eſt fluida, ſic aliqua eius portio educitur foras, & per ſedem expurgatur; & ideo tunc minus eſt noxia qoia vt ipſe Galenus ait, 4. *aphoriſmorum Commentario* 2. Cum natura ſuperfluum euacuat iouatur animal: ſi verò in hac cruditate aſtringitur, aluus grauis eſt, quia ex aſtrictione eius, vel ex diſtenſione cruditates ita vitioſæ, atque præcalidæ naturæ cholericæ & corpora gracilia calida, atque bilioſa in febres promptè incidunt, & potiſſimom ſi neglecto conſilio in lecto domi manendo ad ſolita conuertuntur opera: nam ſi adhuc magis ſucci vitioſi excandeſcunt, ſiquidem motus eſt cauſa caloris, & multa mota nocent quæ quieta non nocerent, quare ſi cruditates vitioſæ per operationes conſuetas agitantur lædunt magis.

Nihil igitur mirum ait 1. *de differentiis* 155
febrium, cap. 3. quod ex his qui cruditate laborauerunt, vel vitioſa ciborum corruptione, alij quidem febricitarunt, alij verò non, nam ſi pleni iam ſuccis vitioſis, & his,

qui

qui malè difflabantur intempestinè : laborauerint, aut balneis immodieè vsi sunt, promptum erat febricitare : qui verò bonis pleni fuerant succis, ac benè difflabantur, & quieuerunt ventticulo, & bepate robustis non poterant febrieitare. Monet enim in his hinc circa ventriculum, & bepar quidquid corruptum, & à ventriculo malè eoquente vitiatum fuit, quod spatio temporis paulatim coquitur, atque bonum efficitur, non verò vitiosi, atque corrupti cibi, qui per vehementiores motus, aut æstinum solem, aut balneum aquarum dulcium in vniuersum corpus transmutantur. Quasi dicat Galenus, quamvis cruditates nidorosæ pessimæ sint, & magis quam aliæ omnes sint potentes inducere febres ; nihilominus tamen neque ex his omnes qui cruditate laborant febricitant, nam adhuc in his cruditatibus quibus corrupti cibi deorsum lati sunt, & aluo fluente foras expurgati, febris non succedit, nisi ob aliam causam fiat, vt postea videbitur, similiter neque corrupti cibi & in fumosam, aut nidorosam qualitatem mutari febrem accendunt in corporibus temperatis, qui bonis succis potius, quàm vitiosis abundant, qui benè transpirant ; ventriculo, ac hepate sunt robusti, & stante cruditate quieuerunt : in his enim corporibus etiamsi cibi corrumpantur, & in calidos fumos, ac nidorosos mutentur febris non accenditur etiam si tales cruditates deorsum ad aluum non descendant, sed circa ventriculum, & hepar maneant : & ratio est quia adhuc ibi positæ, ac permanentes tales cruditates fumosæ, acres, atque præcalidæ ventilantur & liberè per habitum corporis transpirant sine aliqua cordis læsione, aut febris accensione ; quin imò sic liberè ventilatæ ab hepate, & ventriculo robustis paulatim & spatio temporis eoquuntur, & bonæ fiunt si malæ omninò non fuerint, sed ad meliorem statum possint reuocari, vt sæpè accidit in putredinibus.

156 Itaque ciborum in ventriculo corruptiones nidorosæ atque fumosæ, quamvis omnes calidæ sunt, per excessum, acres, & mordaces non tamen necessariò generant febres, nedum diarias, nisi in corporibus valdè dispositis, vt in biliosis, atque gracilibus, & in quibus aluus astricta est, ac minimè fluida, & adhuc in his casibus cum neglecto consilio quiescendi & in lecto domi manendi intempestinè exercitantur, vel balneis aut alia praua causa vitiosi cibi agitãtur magis, exscãdescunt, turbantur, atque vitiantur, sic enim & cor atque eius natiuum calorem alterant præter naturam, atque in febrem accendunt, & hepar, ac reliquas corporis partes exscandescere faciunt : vel in his casibus ; si omnia dicta simul concurrunt non solùm dictæ ciborum cruditates febres diarias poterunt generare, sed & ardentes, aut hecticas ; diarias scilicet si solùm cor ; atque eius vitalem calorem oppugnent, & quidem leniter ; ardentes verò si cor simul ac hepar ; atque materiam biliosam, seu bilem flauam ardere faciant. Et hecticas si ipsas etiam solidas partes, vel earum insitum calorem ponant præter naturam in calefacto esse : si enim benè dicitur quod maior pars generationis morborum consistit in passi dispositione, ita biliosa corpora, quæ picrocbola sunt, vel amara bile, ac flaua abundant, atque gracilia seu extenuata sunt nimis, de quibus Galenus agit in textu, sunt ad concipiendas febres disposita ; vt à dictis pessimis cruditatibus alimentorum præter naturam detentis agitatis, ac conturbatis in ventriculo & primis tantum venis diariæ generentur : ab eisdem ad hepar & venas delatis ardentes fiant, & denique hecticæ ab ipsis in vniuersum corpus transsumpti : vt enim nidorosæ cruditates è ventriculo suscitatæ, ac cor ascendentes diarias febres facere possunt, ita si hepar petant, ac venas maiores ipsum, atque biliosos eius humores accendere poterunt, atque inflammare, vt postea latiùs videbimus, & denique si tales cruditates nidorosæ per vehementiores motus, aut æstiuum solem aut per balnea aquæ dulcis calidæ, non tamen ad hepar, ac venas maiores ferantur, sed in vniuersum corporis habitum, siquidem, & partes solidas & insitum earum natiuum calorem accendere poterunt cum æquè atque aliæ partes dictæ sint aptæ, atque dispositæ ad calorem, febrilem concipiendum, vel magis, atque magis siccæ sunt, sint graciles, quàm cor, aut hepar, aut aliæ partes internæ, vndè prouenit quod dicat Galenus (& benè quidem) posse febrem hecticam inuadere à principio, id est non præcedente alia febre, sensibili aut inflammatione, aut alia affectione simili, quam sequatur sed solam causam.

His sic positis aduertit Galenus quod nido- 157
rosa ciborum corruptio etsi per aluum expurgata, est minus noxia, & sæpè sic febris indè exorta sanetur : interdum tamen febricitant aliqui eorum, quos dicta diarrhæa ex cruditate molestat, vel interdum ex ipso alui fluxu, & ex ipsa euacuatione, ac deiectionibus nidorosis per secessum factis aliqui febricitant, vt si sæpè surgendo ad aluum exonerandam in lassitudinem inciderint, aut phlegmone ventriculi, vel intestinorum ex transitu humoris vitiosi corrupti fuerint, vt accidit cum crosio, aut dolor, aut calor immodicus in ventticulo, & intestinis persentiunt, laborantes in dictis excretionibus, & alui fluxu : itaque alui fluxus inquit Galenus qui sæpè ac ferè semper in eiborum cruditatibus vitiosis est bonus, curatque febres diarias independentes, interdum, è contra febrem excitant, & quidem vno aliquo duorum modorum scilicet, vel quia ex desurgendi frequentia corpus lassatur, & partes affectæ per quas transit humor proritantur, ac excandescunt vt ipsa febris, vel quia ventriculus aut intestina inflammatione aliqua scilicet Phlogosi dicta corripiuntur : sic enim fluxus, siue euacuatio atque expulsio humorum calidorum, atque eiborum corruptorum sine dubio possunt febres excitare, & quidem non tantum diarias, sed & putridas si ventriculus,

aut

aut inteſtina phlegmone, ſiue inflammatione vera corripiantur ex affluxu ſcilicet ſanguinis, aut humoris bilioſi quod non ſupponit Galenus, ſed phlogoſim tantum, ſiue incendium, aut adurentem calorem dictarum partium: ciborum enim cruditates longè diſtant à natura ſanguinis, atque aliorum humorum maſſam ſanguinariam componentium, & ideo neque imbibitæ in ventriculo, aut inteſtinis poſſunt facere veram inflammationem ſed phlogoſim dictam, ſiue incendium, aut quaſi adurentem, aut nimis auctum talium partium calorem.

158 Sed dubitatur nunc: an præter aſſignatas cauſas, atque rationes omnes ſit alia ob quam diarrhœa ventralis, aut alius alui fluxus poſſit excitare febrem, & partes quas attingit, aut per quas tranſit inflammare? præſertim quia prima ratio à Galeno tradita ex deiiciendi frequentia eſt parum firma; nam videmus etiam ſæpè in bonis diarrhœis dari eamdem frequentiam exurgendi, atque deiiciendi, quæ tamen neque laſſitudinem affert, neque ſchrem accendit, neque partes inflammat, ſed potiùs contraria omnino operatur. Reſpondetur in deprauatis diarrhœis ventralibus, & aliis alui fluxibus vitiatis excitari febres, & inflammanres partes per quas tranſeunt fluxiones, non tantum ex aſſurgendi frequentia, quantum ex earum prauitate; & quia ſymptomaticæ ſunt excretiones, & non opera naturæ, quæ vt penitus intelligantur, eſt aduertendum quod adhuc excretiones, quæ prauæ ſunt in ſe poſſunt eſſe opera naturæ, vel poſſunt ab ipſa natura rectè operante expurgari & eſſe ſymptomata, vel à morbo potiùs quam à natura excerni: quæ enim excrementa à natura potente & benè agente expurgantur, quamvis in ſe praua ſint benè exeunt, & non ſolum non nocent, ſed iuuant laborantem, ac morbum minuunt, vel ſaltim leuant: nam etſi prauæ excretiones, ſunt ſigna prauarum in corpore diſpoſitionum ex Galeno 4. *Aphoriſmorum, Commentario 42. ex eodem etiam lib. 1. o. ſequenti cap. 4.* vires vbi valentes ſunt omnia contemnunt, & ſuſtinent & naturæ potenti nihil eſt difficile (etſi prauæ excretiones ſint ſigna prauarum in corpore) vndè & excrementa praua à natura potente poterunt mitificari & benè expurgari & cum commodo animalis, ſiue cum conferentia, vel tolerantia laborantis: è contra verò excretiones ſymptomaticæ, ſiue excretiones, quæ ab ipſis morbis fiunt ſcilicet fuſis, atque liquatis materiis à malignitate, aut vehementia morbi præterquam quod nihil iuuant, ait Galenus 4. *Commentario 2.* prauæ diſpoſitionis ſunt ſigna: à qua quidem praua diſpoſitione prouenit, quod materiæ, quæ expurgantur de nouo exſcãdeſcant, & ita acres ac ſeipſis calidiores reddantur, vt etiã loca per quæ tranſeunt exulcerent, inflammemt, vel aliter præter naturam malè afficiant, aut in totum perdant: Vndè Hipp. de his excretionibus agens ſic ait: *Multa mota nocent, quæ quieta non nocerent*, & libro de hominis natura ſuppoſito quod propter quatuor humores maſſam ſanguinis componentes homo ſanus eſt, aut dolet, in ſententia 20. ſic ait: *Dolet autem cum horum aliquid ſeparatum in corpore ſit: neque contemperatum omnibus.* Sic etiam in ſequenti 21. *Neceſſe enim eſt cum aliquod horum receſſerit & per ſe conſtiterit non ſolum locum ex quo receſſerit morbidum euadere, ſed eum etiam vbi conſtiterit, & influxerit dolorem, laborémque exhibere.* Quaſi dicat Hipp. vt quatuor humores noſtri corporis, & maſſam ſanguinariam conſtituentes, dum virtute & copia, & verè mixti atque ad inuicem contemperati ſecundum naturam reperiuntur, ſanum eſt animal, & corpus non dolet: ita ſi eorum aliquis ab aliorum commercio ſeparatur & aliorum attemperatione priuatur, neceſſariò dolorem corpori infert: imò cum aliquis humor ab aliis recedit, & per ſe conſiſtit aliis non contemperatus in tantum ſic malignatur aut effrænis, ac ferinus redditur, vt tunc non ſolum locum in quo eſt, & ex quo receſſerit morboſum; ac doloroſum efficiat, ſed etiam in quem influxerit à ſe ſcilicet, & ſua maligna qualitate concitatus. Quare in noſtra opinione humor vitioſus à natura vel ab arte ab aliis ſeparari poterit, & ſic ſeparatus cum commodo animalis expurgari, non tamen à ſeipſo, aut à morbo ſeparatus, vt ipſe Hipp. inſinuare videtur 4. *Aphoriſmorum, ſententia 22.* his verbis: *Deiectiones nigræ ſanguini atro ſimiles & ſponte procedentes ſiue cum febre, ſiue ſine ipſa peſſimæ, & quantò colores praui fuerint plures, eo deteriores, à medicamento autem purgante meliores, quia ſcilicet iſta non ſunt ſymptomatica, illa verò ſic & peſſima.*

TEXTVS.

Eſt autem eorum quibus clauſa aluus eſt, &c.

IAm ad curandas febres diarias accedit Galenus quæ ex cruditatibus ventriculi oriuntur, ſiue ex ciborum corruptionibus ac mutationibus in fumoſas, ac nidorulentas qualitates, & quia curatio iſtarum cruditatum non ſemper eſt eadem, ſed diuerſa, ſiue duplex, vna ſcilicet in quibus aluus eſt clauſa; & alia in quibus eſt fluens; ideò de ſingulis inquit ſeorſim agendum venit; vt ſic appareat non ſolum quantum inter ſe differunt tales curationes, ſed etiam in quibus conueniunt, quare ab ea incipiens, quæ cum aluo fluida accidit ſic ratiocinatur Galenus ſi ea tantum quæ corrupta fuere vacuata eſſe videntur tunc & lauandus, & nutriendus in remiſſione febris æger eſt, ſed his quæ circa ventriculum ſunt priùs conſultatis. Si non ita multa inanitio, aut prius facta, aut nunc etiam in homine duret, & virtus iam defeſſa ſit ſatius eſt omiſſa lauatione cibare: ſed conſulto prius his quæ circa ventrem ſunt. 159

Quaſi

160 Quasi dicat Galenus in morbis fientibus, aut qui in dispositione cõsistunt potius quàm in habitu quales sunt febres diariæ vera curatio est causarum remotio, atque ita si in ventriculi cruditate nidorosa & in corruptione ciborum febrem generante accidat, quod aluo fluente per sedem excernatur ea tamen quæ corrupta fuerint, id est ea omnia, & sola quæ corrupta fuere tunc, & lauandus est æger, & nutriendus in remissione febris quia reuera per talem alui fluxum curatur integrè febris dicta à cruditate genita, & proinde in declinatione accessionis æger iam tutus est & à febris repetitione securus, quare tunc nihil aliud restat agendum nisi laborantẽ lauare, id est moderatè refrigerare, & nutrire his scilicet attentis, & consideratis quæ ventriculus passus est & adhuc attenta ventriculi natura & operationibus naturalibus consideratis, vt enim ventriculus pars est atque officina, quæ deseruit toti corpori; ita semper roborari postulat, & potissimum cum euacuatur, aut postquam euacuatus est, & de eius nutritione, ac conseruatione agitur: quare lauandus est æger, nutriendúsque, & ventriculus roborandus in dicto casu. Quod si acciderit ait Galenus in ventriculi cruditate vitiosa febrem efficiente, quod aluo fluente non tantùm quæ corrupta fuerunt vacuentur, sed ita multa inanitio, aut prius facta fuerit, aut nunc etiam in homine duret, vt inde iam virtus sit defessa, seu deiecta: tunc latius omissa lauatione cibare laborantem, consultò etiam prius his, quæ circa ventrem sunt, cui enim vires languent lotio balnei est omittenda; quia vires resoluit.

TEXTVS.

Consuletur ita laborantibus si modo vacuatio amplius, &c.

161 QVa recta ratione Medicus debeat administrare remedia, aut alimenta dicta in suppositis ventriculi cruditatibus, & consulere dictis laborantibus atque ventriculo malè concoquentibus, aut corrumpentibus, cibos: nunc ostendere aggreditur, sic scribens. Consuletur ita laborantibus, si modo vacuatio amplius non duret embrocatione, siue fomento ex oleo ex absynthio. Quasi dicat si febricitantes febre diaria ex cruditate ventriculi, ac ciborum nidorosa corruptione, aut alia simili aluo fluente, omnia quæ corrupta fuerunt expurgauerint; sicque à febre ac dicta cruditate liberati fuerint, tunc adhuc & à laborantibus, & in hoc statu positis consuletur Medicus, si modo vacuatio ampliùs non duret (nam de perseuerante dicetur postea) vt foueatur ventriculus ex oleo & absynthio, vel oleo absynthij, & ratio est quia etiamsi per alui fluxum cruditas ventriculi, & cibi omnes corrupti fuerint euacuati, ac febris sic iam curata sit, ventriculus tamen his peractis, & finita expurgatione dictorum excrementorum debet roborari, & benè disponi ad assumptos nouos cibos bene concoquendos: cum enim præcedentes corruperit, & ex alui fluxu aliqua ratione sit exolutus necessariò roborari debet, & benè disponi ad nouos cibos assumendos & benè concoquendos, vel his vt alij corrumpentur de nouo. Hanc ergo vẽtriculi corroborationem, & ad benè coquendos cibos bonam dispositionem, cum inter alia, oleum, & absynthium præstẽnt, idcirco ex oleo & absynthio ventriculum esse fouendum docet Galenus: expedit autem tingi absynthium, quo minus nidore offendatur, feruenti aqua. Quasi dicat cũ in absynthio duæ reperiãtur diuersæ substantiæ, vna astrigens, aut roborans nempè amara, & altera fumosa, nempè odorosa, expedit, quod absynthium intingatur siue infundatur in feruenti aqua, vt sic nitrosa, aut nidorosa eius substantia, nempe fumosa odora quæ offendit, siue auget nidorosam ventriculi dispositionem præter naturã separetur ab amara, & exhalet per aquã feruentem, sicque absynthium roboret ventriculum eiusque coctionem naturalem iuuet, ac foueat sine aliqua nidoris noxa; oleum autem, & quia poros obtinet, & quia calidum est, & humidum coctionem iuuat: quare bene dicit Galenus in casu proposito ventriculum esse fouendum ex oleo, & absynthio, ex oleo vt iuuetur coctio, ex absynthio vt seruetur tonus, seu robur.

Quod si in dictò casu & post expulsionem 162
ciborum ventriculi corruptorum, aliquis morsus, aut doloris sensus in ventriculo superfit, tunc inungi illi penicillus post fomentum debebit, qui vel calidus sit & siccus, vel ex oleo in quo absynthium incoctum fuerit madens & plurimum expressus. Per penicillum intelligit Galenus mollem aliquam substantiam, quæ possit facilè ventri applicari, & quæ in se multum possit imbibere olei, aut alterius liquoris similis substantiam: vnde penicillus parari poterit ex panno lineo, aut laneo simplici, vel duplicato, ex molli spongia, vel ex lana carminata: hæ enim materiæ sunt quæ facilè ventri aptari possunt siue ipsæ solæ calidæ, ac siccæ administrentur, siue oleo, aut vino, aut lacte, vel alio liquore madẽtes atque expressæ, quare rectè docet Galenus, quod in casu posito ad dolorem, aut morsum ventriculi sedandum adhibeatur penicillus dictus; & quidem cinctus vt sic non solùm parti appositus detineatur, sed pars affecta per ligaturam roboretur, sicque validiùs expellat materiam dolentem; nam virtus vnita est fortior seipsa dispersa. Quod si vero velit Medicus vt talis, penicillus magis possit, satius hinc erit si nardino oleo, aut vnguento imbibitus ventri inungatur, & adhuc satiùs si purpura marina, & longè satius, si purpura sit optima Tyria, quæ nardino imbibita ventri applicabitur, quippè tenuiorem astringendi vim habent, tùm dicta purpura Tyria, tùm optima nardus, quare his applicatis earũ vis desiccans, calefaciens, ac roborans

attempera

attemperare potest scilicet ad ipsum ventriculum, & in corpora, siue partes, quæ circa ipsum habentur. Quod si os ventriculi quod stomachum appellamus imbecillum sit, tunc etiam ea portione chiæ mastiches in nardino fusa, & addita, vnde modicè crassescat madefactam ex eo purpuram imponemus: chia enim mastix magis robotat, quàm vel nardus, vel purpura: & ita si multa opus est roboratione, aut astrictione, vt cum debilis est ventriculus, tunc necessariò mastix aliis additur, vt compositum ex omnibus integrè adimpleat indicationes & potissimùm vrgentem; iis sic positis, atque explicatis, aduertit Galenus, omnia dicta remedia esse ventriculo applicanda abunde calida, & reddit rationem, quia quæ tepida administrantur ventriculi firmitudinem, siue robur dissoluunt. Aduertit etiam non vtcumque esse calefacienda talia medicamenta, cum conficiuntur, aut corpori, atque ventriculo applicantur. Sed in duplici vase scilicet conjecta priùs in vas maius aquâ feruente, & minori vase medicamentum continente intra maius posito, ita vt à feruente eius aquâ incalescat sufficienter, vas simul ac medicamentum; si enim hæc medicamenta, inquit, aliter calefacta componantur, atque applicentur, vitiatur eorum facultas: sunt enim omnia dicta per excessum calida, & sicca, & ideò si à calore sicco præparantur, atque calescunt, vruntur potius quàm incalescunt, quare benè dicitur quod aliter calefacta vitiatur earum facultas.

TEXTVS.

Cæterum fluente adhuc aluo vtilius est optimo, &c.

163 Vidimus quæ remedia debeat medicus ventriculo extrinsecus applicare in febre diaria ex cruditate ventriculi facta, postquàm per alui fluxum expulsis cruditatibus febris soluta fuit, & vacuatio etiam cessauit: Nunc ergo ea affert, quæ debent apponi in eadem febris solutione, sed adhuc fluente aluo scribit igitur sic: *cæterum fluente adhuc aluo vtilius est vti optimo oleo melino recenti*; id est oleo citoneorum simili modo quo nardino: vtile etiam ad eadem est & mastichinum vti & ea pretiosa Romanorum vnguenta, quæ tum spicata, tum foliata vocabant. Quod verò fluente aluo vtilius applicentur hæc posita remedia ex eo constat, quòd & roborare possunt ventriculum & sistere pariter alui fluxum, sunt enim mala citonea, ex quibus oleum melinum conficitur frigida, atque astringentia, vt mastix astringens cum calore. Quare hæc debito modo ventri applicata non solùm substantiam debilem caloris natiui, siue dissipabilem sistere potetunt, poros cutis, ac carnium cogendo, aut astringendo, quod dicitur corroborare, sed etiam aluum ipsam, & intestina possunt astringere, ac consequenter fluxum compescere vt debet; cum iam cruditas in totum fuerit expurgata & febris pariter in totum cessauerit. Hæc eadem præstant Romanorum dicta vnguenta, & insuper quia suauissimis odoribus vt ambare, & moscho flagrant, augent calorem natiuum, atque spiritus omnes regenerant.

Hic aduertit Galenus quòd si laborans cinctum non patiatur, vel quia non sit consuetus cingere se, neque ventriculum aut hypochondria compressa habere, vel ob delicias cingi recuset; in tali casu poterit medicus penicillo, & cinctu demissis cerato idem efficere; id est poterit medicus eisdem vti remediis, aut medicamentis in modum cerati, vt est illud quod ex cera bona fit in vnguento nardino liquata cui postquàm refrigeratum est aloës, ac mastiches, mollissimus puluis est admistus. Debet autem singulorum hic esse modus ceræ, ac nardi partes pares aloës, pars octava sic etiam, & mastiches, vel si placet huius aliquid plus v. g. ℞. ceræ & olei nardini an. ℥j. aloës, ac masticis an. ʒj. puluerisentur tenuissimè, & benè cum oleo ac cera liquata misceantur, & omnibus in panno lineo imbibitis fiat ceratum, quod ventriculi regioni applicatum ei adhæreat, vt si esset penicillus cinctu alligatus. Quod si cerato, ait aliquid è sumptuosis Romanorum vnguentis admisceas præstantibus, sic medicamentum habebis, quæ omnia ita ex se sunt aperta, vt non egeant aliqua alia expositione. 164

TEXTVS.

Si autem, ventriculus intus oritur ita vt affectus, &c.

Hactenus de medicamentis extrinsecus ventriculo applicandis egit Galenus, in cruditate nidorosa per alui fluxum expurgata, & neque febre, neque alio affectu præter naturam in ventriculo remanente. Etsi enim dixerit etiam quod si morsus, aut doloris sensus in ventriculo supersit, tunc incingi illi penicillus post fomentum debet tamen, neque sic mutatur curatio, neque inde diuersæ consurgunt indicationes, quia morsus ille, aut dolor solùm significat portionem aliquam tenuem materiæ vitiosæ, aut crudæ, quæ imbibita remanet in substantia sensibili ipsius ventriculi, quæ exsiccari postulat, atque consumi ab eisdem calidis, ac siccis medicamentis, scilicet per penicillum cinctum, vt per medicamenti, & partis affectæ compressionem citius intentum consequatur. Nunc ergo si ventriculus in casu proposito, & ex cruditate nidorosa per aluum iam purgata intus vritur inquit Galenus ita vt affectus quidam phlegmone, id est phlogosi, similis in eo consistere videatur, tūc vtilius est ceratum, quod ex melino conficitur; cum vt dictum est oleū melinū vtpote ex succo citoneorum confectum refrigeret & reprimat calorem præter naturam, & sua siccitate exsiccet absumatque materias humidas calefacientes, alia etiam multa 165

ſunt vt enanthe vel oleum roſarum omphancinum, & hypociſtis, id eſt ſuccus prunæ ſilueſtris, & roſæ baluſtriæ id eſt florum granatorum, & palmularum caroque ventriculo tum refrigerando, tum firmando, ac exſiccando idoneæ ſunt, vt caro aut ſuccus citoneorum: quare & horum, quoad rem præſentem videbitur magis commodum id quidem poterit etiam Medicus eligere iis ipſis, quas in aliis memorabimus conſiderationibus intentus.

TEXTVS.

Cibandi verò ij ſunt fluente quidem etiam nunc ventre, &c.

166 DIxerat ſupra Galenus tum lauandos tum nutriendos in remiſſione febris eſſe illos, qui ex cruditate nidoroſa febricitauerant, ſi aluo fluente ea quæ ventriculum vitiauerant, iam eſſent expurgata, ſed iis quæ circa ventriculum ſunt priùs conſultatis: quare iis præhabitis, & bene huc vſque præuiſis, conſultatis, ac reparatis; nunc accedit ad cibandos, atque nutriendos tales febricitantes; ſcribitque in hunc modum. *Cibandi verò ii ſunt fluente quidem etiam nunc ventre polenta, & pane quem Græce oxilype, aliquantulum acetoſum vocant, qui ſcilicet minimum aceti habeat non minus in dyſenteria; & diarrhæa diuturna præparare ſolemus ad earum curationem, ſeu ablationem conſequendam.* Quaſi dicat Galenus, qui diaria febre ex corruptione ciborum nidoroſa febricitarunt, & quæ corrupta fuerunt alimenta integrè per alui fluxum exierunt cibandi non tamen vtcumque, ſed priùs conſultatis cibis, qui non ſolùm nutriant, & benè coqui poſſint, verùm etiam conferant ad curationem eorum quæ adhuc in ventriculo, & corpore laborantis reſtant corrigenda, aut prorsùs auferenda; ſicut ob eandem rationem, & ea quæ extrinſecus ventriculo fuerunt applicata, omnia fuerunt pariter examinata, & benè conſultata: tales igitur febricitantes, iis quæ ſequuntur cibandi ſunt fluente quidem etiam nunc ventre polenta, & pane qui minimum aceti habeat. Polenta enim tenuiſſima eſt ordei recenter moliti farina; quæ refrigerat moderatè, ſed acres bilioſaſque fluxiones mirum in modum ſiſtit, incraſſat atque demulcet, & quamuis ægrè concoquitur, & ægrè diſtribuitur difficulter etiam corrumpitur à ventriculo calidiori; vnde prouenit quod in caſu propoſito ſit præſtantiſſima ac maximi vſus. Debet autem polenta eſſe recenter molita, vt inquit Galenus, quia ſic eſt magis incraſſans, & acres materias nidoroſas, aut billoſas demulcens magis, ſicuti etiam farrum, atque ptiſana, quod eſt benè notandum pro curatione. Cum enim ſcopus eſt incraſſare materias tenues, acres atque feruentes, eaſque ſiſtere, vt nunc iis recenter trituratis, aut molitis debemus vti imò etſi fieri poſſet ex ordeo recenti factis: ſi verò ſcopus fuerit detergere, deſiccare atque extrahere, eiſdem eſt vtendum, ſed diu iam antea præparatis, aut trituratis, ſic enim euaneſcit ſubſtantia incraſſans, & ſolùm remanet, quæ exſiccat, atque abſtergit ex Muſa 1. *acutorum.*

Itaque cibandi ſunt qui ciborum corruptione nidoroſa laborant, ſimul & alui fluxu polenta, & pane qui minimùm aceti habeat, quia quamuis panis non incraſſat vt polenta, aut valdè parum, tamen corruptioni reſiſtit vt polenta & plus, quidem maximè ex leui illa permixtione aceti, qua quidem tum panis, tum dicta polenta magis reſiſtunt corruptioni calidioris ventriculi, magis refrigerant, & meliùs diſtribuuntur; polenta potiſſimùm quæ vt magis lenta, magis indiget aceto quo diſtribuatur, & permeare poſſit ad hepar, & deſcendere ad inteſtina. Hic aduertit Galenus quod minima tantùm quantitas aceti pani nunc iniiciatur; non autem illa maior, aut notabilis quæ pani ſolet admiſceri in dyſenteria, aut diuturna diarrhæa: vt intelligamus in dyſenteria, & diarrhæa acetum eſſe baſim, id eſt, qui morbo, ſiue euacuationibus illis contrariatur, in noſtro verò caſu non, ſed ſolùm eſſe vehiculum aliorum, & per quod meliùs; etſi enim acetum interius aſſumptum maximè aſtringit, non tamen in qualibet minima aſſumptum quantitate, ſed in ſufficiente vt patet in ſcintilla ignis, quæ quamuis ignis non ſolùm nõ vrit nos, verùm neque calefacit: quare acetum in ſufficiente quantitate aſſumptũ, vt aſſumitur in pane pro curanda dyſenteria, ac diarrhæa contumaci præparato, aſtringit quidem, & magis exactè, quàm multa alia aſtringentia remedia; in noſtro verò caſu non aſtringit, quia in minima, aſſumitur quantitate, quæ quidẽ minima eſt ad aſtringendum, ad diſtribuendum verò eſt ſufficiens, cum ſit tenuiſſimarum partium vt crocus, & ideo ambo penetrant maximè, adhuc in minima quantitate aſſumpta, vel deuorata ſola, aut cum aliis. Sed dices: Cõtra, acetum aſſumptum neque in multa quantitate aſtringit, ſed potiùs aperit, & deobſtruit, atque attenuat vt in oxymelite, & in chalybe cũ aceto acerrimo præparato aperte experimur. Reſpondetur in medicamentis acetum aperire, vt patet in dictis, in cibis autem, vt in pane aſſumptum aſtringere; acetum enim cum ſit acerrimum & ab aliis quibus miſcetur non corrigitur intra corpus aſſumptum irritat partes internas, quas attingit, & ita expellitur à natura, & vnà cum illo quæcumque ſunt coniuncta, & ſic acetum aperit obſtructiones & materias craſſas educit, atque euacuat; ſi vero aceti acrimonia à cibis coniũctis corrigitur vt cum pane permiſcetur, tunc non irritat, ſed ita ſubſtantiam panis frænat vt fluxum alui ſiſtat valdè. 167

Habemus ergo iam quod polenta eſt cibus valdè accommodatus ad nutriendos laborantes, qui cibos corrumpunt atque in nidoroſos, acres, ac fumoſos permutant, & potiſſimum ſi vnà cum iis aluus etiam fluida eſt. Nunc igitur his ſic præmiſſis, 168

addit

addit Galenus inspergere aotem pollentam debebis alias aquæ calidæ vbertim, aliàs vbi scilicet venter adhuc plus iusto excernit, vel mali punici, vel pirorum, vel malorum succo, potissimum citoneorum vel si iucundius erit laboranti etiam decocto ex pirus aut malis, aut myrtis præparato pollentam inſperges: pollenta enim aqua calida, aot dictis succis, vel decocto benè dissoluta, & quasi potabilis reddita, non tantùm assumitur meliùs sed & actuatur à ventriculo, atque distribuitur, præsertim si aquæ calidæ aut decocto vbertim, vt ipse ait inspergitur: pollenta siquidem, & quia cruda assimitur, & quia substantia lenta constat, indiget calore, & aqua, à qoibus & diluatur, & benè actuetur, ac distribuatur: & ideo nisi ventriculus plus iusto sit calidus, pollentam inspergere aquæ calidæ debemus, & benè diluere vt sic à ventriculo facilè actuetur, concoquatur, atque ad intestina vsque ad hepar distribuatur: si verò ventriculus æstuat, & materiæ fluentes plus iusto sunt calidiores; tunc quidem si etiam aqua frigida diluatur pollenta, & ita assumatur operabitur benè, & debitè administrabitur. Sic enim pollenta exhibita, atque assumpta, cum diutissimè in ventriculo citra corruptionem maneat, neque acescens, neque immaturas, quæ vitia sorbitionibus accidere aliquando solent sensim concoquitur, ait ipse Galenus infra *lib. 10. cap. 3.* ideóque nos sæpè pollentam ex optimo tritico factam cum aqua portulacæ in similibus casibus exhibuimus felicissimo cum successu; scilicet viribus constantibus, & corporibus præcalidis existentibus, valdéque biliosa excernentibus; vbi enim vires languent ex aqua calida citraque conditurам alica, aut pollenta est assumenda; ex eodem loco. Itaque nos pollentæ dictæ ℥j. vnciis quatuor aquæ portulacæ inspergere consueuimus; hancque sorbitionem dictis ægrotantibus exhibere, & facilè sic contumaces alui fluxiones biliosas, atque præcalidas sistimus.

TEXTVS.

Si enim venter non ampliùs excernit; suffecerit, &c.

169 VIdimus qua recta ratione cibandi sint febricitantes ex cruditate ventriculi postquàm tales cruditates fuerunt per secessum expurgatæ, sed fluente quidem etiam nunc ventre: nunc ergo docere aggreditur qua ratione cibari debeant, si venter non ampliùs excernit; sic scilicet scribens: *Si enim venter non ampliùs excernit sufficiet, tum alica similiter ptisana præparata, hoc est aceti habens pauxillum; tum ex ea sine aceto sorbitio.* Quasi dicat: si expurgatis cruditatibus nidorosis per secessum febris diaria ex eis genita declinauerit, & alui fluxus cessauerit, tunc sufficiet laborantem cibare sorbitione ex alica similiter vt ptisana præparata, scilicet aceti habens pauxillum, vel sine aceto; quia alica, aut zea, vel auena minus est lenta, quàm pollenta, & ideò vel sine aceto assumpta poterit à ventriculo actuari atque distribui. Vel dicamus quod alica cum possit exhiberi vel integra vt farrum, vel solum secundum cremorem, aut succum, vt est ptisana, cum integra datur, cum pauxillo aceti dari debet, vt sic facilè coquatur, ac distribuatur, cum verò ex ea sorbitio datur, siue succus sine aceto & concoqui potest, & benè distribui. Præterea cibari poterunt dicti laborantes gallinaceorum testiculis, darique eis poterunt saxatiles pisces, & fructuum aliquis, ex his qui astringunt, vel solus vel cum pane, maximè si venter adhuc fluat. Quod si appetentia cibos auersetur vt accidere solet iis, quos diarrhæa ex cruditate malè habet, etiam eis vnum aut duo cochlearia succi citoneorum dabis, aut si huius copia non est, eius quod ex carne citoneorum componitur *sexto de sanitate tuenda.* Atque ita quidem in prima remissione iis, qui ex cruditate febricitant ventre excernente mederi conuenit, & hæc pariter de prima parte capitis.

TEXTVS.

Si verò omnino venter astringitur pertractatis, &c.

HÆc est secunda capitis pars in qua acturus 170
Galenus de curatione febris diariæ ex ventriculi cruditate nidorosa pendentis ex aluo non fluente; neque per vomitum, neque per vrinam, aut aliam euacuationem expulsa materia, sed intus inclusa remanente, primùm omnium, distinguere aggreditur in quanam totius ventris parte talis materia vitiosa contineatur, sic enim scribit: *Si verò omnino venter astringitur pertractatis prius hypochondriis mox toto ventre. considerabis diligenter num cibus in gracile intestinum, aut in colon descenderit, &c.* Quasi dicat si febricitantibus ex cruditate ventriculi venter astringitur ita vt alimenta corrupta, neque superius per os, neque inferiùs per aluum exeant, sed intùs in ventre, aut præcordiis, siue hypochondriis remaneant tunc pertractatis priùs præcordiis, & toto ventre, considerabis diligenter, & benè distingoes num cibus vitiosus in ventriculo adhuc contineatur;

am verò in gracile intestinum, aut in Colon descenderit: debent hæc enim benè distingui, vt recta instituatur curatio: nam si alimenta cruda adhuc in ventriculo continentur longè aliter curari debent, quàm si iam ad intestina descenderint, vt saltim videbimus. Hæc ergo vt distinguamus ægrum ait Galenus interrogabimus, quâ maximè in parte vel morsum, vel grauitatem sentiat: qualesve habeat ructus: qua enim in parte vel morsum, vel grauitatem senserit æger, ibi continebitur materia cruda, siquidem ex Hippocrate *vbi dolor, ibi morbus.* Similiter vbi calor, & vbi tumor, aut grauitas, vel sensus ponderis, aut grauitatis: quare si ventriculus mordicabitur, aut sensus ponderis molestabitur, aut ructus expurgabit fumosos, aut aliter vitiosos, in ventriculo corruptela ciborum continebitur; si verò in regione ventriculi nullus percipiatur sensus tensionis, neque mordicationis, neque ructus aliquos emittat; sed tensio, aut mordicatio infra ventriculum persentiatur, vt ad regionem vmbilici, vel adhuc infra vmbilicum: tunc sine dubio materia cruda iam ad intestina descendit.

171 Vbi ergo ex signis ait Galenus compertum habueris, in quanam totius ventris parte nutrimentum consistat (id est cruditas,) siue materia vitiosa, quæ febris est causa, si in superioribus partibus pendet, secundò in ventriculo, nam inde ructus emergunt; tunc aliquod diatrium pipereon dabimus, non quidem medicamentosi, siue ex multis variisque medicamentis compositi, sed illud quod *lib. de sanitate tuenda* simplicissimum componit, scilicet ex solis tribus piperis speciebus, quodque iis qui cruditate laborant aptissimum esse ibi ostenditur. *Dabimus autem in cruditate ventriculi adhuc nidorosa & febrem faciente* (dicit Galenus) *diatrium pipereon, quod simplicissimum est, & solis constat tribus piperis speciebus, vt quod iis qui cruditate laborant, est aptissimum, id est ad cruditates ventriculi concoquendas:* est enim piperis qualibet species non modo calida, sed effetuescens; vt sensus gustus manifestat omnibus. Quare piper quodcumque sit iuuat potenter ventriculi coctionem, suo feruido, aut efferuescente calore, id est calore quo omnia, quæ sunt in ventriculo ab eo feruescunt; ac fermentantur, sicque concoquuntur in totum; & distribuuntur, id est non solùm quod coctile est; & purum ab impuro, & excrementitio separat, sed omnia ad intestina descendunt post dictam coctionem, aut fermentationem, vt accidit quotidiè in concoctionibus naturalibus, quæ à ventriculo fiunt secundum naturam se habente: iste enim non solùm concoquit alimenta, sed quæ concoquit expellit ad intestina. Vndè cautè dicit Galenus si in superioribus partibus pendent, id est ad intestina, non descendunt alimenta, sed in ventriculo quasi appensa continentur.

Quòd si obiicias calorem piperis esse intensum ferè ad tertium gradum, ideóque non posse alimenta, aut cruditates concoquere, quia coctio fit à calore moderato, non verò inflammabili, aut ita intenso vt est in pipere. Respondetur facilè calorem concoquentem esse quidem moderatum non tamen vtcumque, neque in abstracto, sed moderatum respectu materiæ concoquendæ: Vnde medicamenta humores concoquentia, in se quidem multa sunt ita intensa, aut plusquàm piper, nam origanum, tragoriganum, ac pulegium, aut calaminta, quæ concoquentia sunt humorum crudorum ex Galeno, & omnium opinione longè magis excalefaciunt corpus, quàm piper, & tamen concoquunt humores crudos, quia respectu eorum sunt moderatè calida, id est illum habent calorem, quo tales materiæ crudæ concoqui possunt, & non minori; etiamsi minor calor ratione materiæ temperatæ sit etiam concoquens, & ratione naturæ temperatæ sit moderatus, & non dictus. Sed adhuc obiicies in nostro casu non posse subsistere quod dicimus, etsi enim dici possit quod quæ concoquunt, vel ad coctionem disponunt materias valdè crudas, id est intensè frigidas, viscidas, aut crassas, vt pituitosæ esse solent, sunt calida vt piper, vel plus, & talia esse debent; vt possint dictas materias ad mediocritatem reducere: at in nostro casu, in quo materiæ crudæ sunt acres, nidorosæ, ac fumosæ, & in summo, ita calidæ præter naturam quod febrem generant, neque piper neque quidquam aliud, quòd nimis calefaciat, vt piper poterunt concoquere, & multò minùs perficere tales materias crudas, neque vnquam Galenus aut alius cordatus Medicus materias biliosas medicamentis calidis: aut concoquere est aggressus; sed semper frigidis. 172

Validum fateor, videtur argumentum; sed ita etiam per se opertum, vt non dubitem, & Galenum vidisse illud: nam quis ex nobis sibi tantum arrogare poterit, vt credat latitasse Galenum quod ipsi facile videtur. Hinc ergo factum puto quod alij communiter dicant præbere Galenum diatrium pipereon qui cruditatibus ventriculi, si in superioribus partibus pendent, non vt eas concoquat, sed potius vt flatus resoluat, & dictos ructus nidorosos, aut fumosos consumat, qui causa sunt vt materia corrupta ad intestina non descendat, sed supra suspensa permaneat, & ita ventriculum lædat, & sequentes coctiones corrumpat; è contra verò solutis flatibus materia vel suo pondere, ad intestina descendit, & ventriculum purum ab excrementis relinquit, ac per consequens benè dispositum ad sequentes ciborum concoctiones perfectè edendas. Neque periculum imminet, dicunt, vt ex nimio calore piperum febris accendatur; quia præterquàm quod ope diatrium pipereon dissoluuntur flatus calidi febrem fouentes, aut efficientes, talis medicamenti caliditas ita est tenuissima, vt dum flatus dissoluit, & ipsa euanescit: nam ideo. 173

ideo dicit Galenus quod piperis caliditas iecur non transcendit. Itaque caliditas piperum, siue concoquat quæ cruda, atque vitiosa in ventriculo continentur, siue flatus independentes resoluat febrem non accendit, sed potiùs aufert dissiparis flatibus, aut coctâ materia cruda, vnde febris oriebatur, & dum hæc agit ipsa caliditas in totum euanescens. An verò potiùs flatus dissoluendo, quàm quæ cruda sunt concoquendo, & ad intestina transmittendo, vel è contra diatrium pipereon prædictos iuuet laborantes semper dubitatur, & benè quidem nam ex vna parte Galenus neque hic, neque alibi inter propriè dissoluétia flatus annumerat piperum genera, sed rutam, cuminum, anisum, anethum, & alia similia, & ex alia parte, & hic, & 4. *de sanitate tuenda* apertè, docet iis qui cruditate laborant esse diatrium pipereon aptissimum remedium, & commune est apud omnes quod piperis grana vel integra assumpta iuuant concoctionem ventriculi, quare potiùs vt concoquat cruditates vitiosas, quàm vt flatus dissoluat vtitur Galenus in nostro casu confectione diatrium pipereon.

174 Sed dices quamuis piper concoquat non tamen concoquet quod corruptum est, & concoqui nequit vt est cruditas, de qua in hoc capite agit Galenus, sc licet nidorosa, atque vitiosa acris, ac fumosa. Respondetur cruditates nidorosas esse quidem vitiosas, non tamen toto genere præter naturam secundùm omnes suas partes; sed vt putredo alia fiens, est & alia facta, vel rectiùs in putredine, aliæ sunt partes solùm putrescentes, & aliæ iam omninò corruptæ, ac putrefactæ vt infra *lib.* 11. *cap.* 10. docet ita in cruditate nidorosa, aliæ sunt partes iam in totum vitiatæ, omninò corruptæ, ac toto genere præter naturam, quæ ideo nulla ratione concoqui possunt; & ideo non concoqui, sed expurgari postulant: sed cum iis aliæ etiam multæ sunt tantùm putrescentes, aut quæ actu corrumpuntur, & actu vitiantur, non tamen in totum sunt vitiatæ, aut corruptæ, sed in eo corruptionis statu quod & concoqui possunt, & per talem coctionem possunt ad statum salubrem reuocari: siquidem coctio est alteratio, quæ facit cessare putredinem manente substantiâ, vt in arte Medicinali docet, etiam, id est coctio est alteratio quæ facit cessare putredinem fientem, siue putredinem actu putrescentem materiam, vtque est capax coctionis non verò materia in totum putrida & toto genere præter naturam corrupta, quare cruditates nidorosæ concoqui possunt, scilicet secundùm partes fientes & Galenus ad concoquendas has cruditates vtitur confectione diatrium pipereon.

TEXTVS.

Post deinde præcordia omnemque ventrem perfundes, &c.

POst vsum debitum confectionis diatrium pipereon. *Deinde præcordia, siue hypochondria (ait Galenus) omnemque ventrem perfundes, hocque facies etiamsi inferius descenderint, quæ vitiosa sunt,* &c. Quasi dicat duo sunt quæ secundùm rationem præstari debent in curatione rationali cruditatum ventriculi, cum tales cruditates per secessum non expurgantur, sed venter astringitur, & intus in ventriculo detinētur. Primum est aliquid diatrium pipereon dare, vel eam moderatam quantitatem, quæ sit satis ad dictam ventriculi cruditatem ampliùs concoquendam, & quò magis fieri possit. Secundum est, post exhibitum dictum medicamentum, & post sic procuratam maiorem, aut meliorem ciborum biliosorum coctionem, præcordia omnémque ventrem perfundere, id est aqua calida hypochondria ac totū ventrem laxare, ac emollire; etiamsi inferius descenderint quæ vitiosa sunt, quæque nesium ex assumpto diatrium pipereon ampliùs concoqui, vt sic facilè ad anum vsque descendant, & tandem per secessum, aut alui fluxum expurgentur: vt enim, quæ putrescunt priùs concoqui, & postea purgari debent: ita pariter quæ in ventriculo corrumpuntur, atque vitiantur priùs concoqui, quæ possint, & deinde quæ ad statum salubrem redire nequeunt per aluum purgari debent, vt colligitur ex hoc capite, & expressè traditur *lib.* 11. *cap.* 9. his verbis, ergo à corporibus, quæ sic afficiuntur expellenda quæ putrescunt per vrinas, & aluum, & sudorem, sunt. Quod si ad os ventriculi aliquando sua sponte impetum capiant etiam per vomitiones, aliter autem non est quod ea præter naturam irrites. Itaque nedum quæ in ventriculi fundo excrementa vitiosa, aut putrida continentur, debent per vomitum expurgari, sed per aluum, & partem infernam, nisi excrementa sua sponte sursum perant ad ventriculi os, sicque eius facultatem expultricem per vomitum irritent. Quòd velim vt aduertant, qui docent materias in ventre præter naturam detentas esse expurgandas, si in ventriculo sint, & supra vmbilicum per vomitum, si verò in partibus vmbilico inferiores per secessum siue per alui fluxum, non enim hæc semper sunt vera; sed per secessum, & partem inferiorem, quæ in ventriculo præter naturam detinentur, debent expurgari, & nequaquam supernè per os, quia re vera ventriculi os siue ostium superius ad assumendum est à natura fabricatum, & non ad expellendum, sicuti è contra os ventriculi infernum ad expellendum factum est à natura, quod in ventriculi cauitate contentum molestat

molestat, & non ad attrahendum, quamuis aliquando præter naturam possit contrarium accidere.

176 Itaque in cruditatibus ventriculi siue ciborum corruptionibus, priùs quæ omninò corrupta non fuerunt concoqui debent, & deinde quæ corrupta omnino fuerunt per secessum expurgari atque ad hoc consequendum, & præcordia, & totum ventrem perfundere, siue aqua calida fouere atque mollificare, aut laxare etiamsi inferius descenderint, quæ vitiosa in ventriculo detinebantur. Nam ex Hippocrate 2. aphorismorum 9. *corpora cum quis purgare voluerit oportet priùs fluida facere* id est, vias aperire, atque laxare, & humores fluidos reddere quorum vtrumque consequitur in nostro casu per dictam ventris atque hypochondriorum perfusionem ex aqua dulci calida: hæc enim partes, quas fouet, atque perfundit, laxat, emollit, ac dilatat, ac consequenter earum cauitates disponit, siue aperit ad distributionem, aut expulsionem humorum per illas: similiter aqua calida humores omnes attenuat, atque ad fluxiones concitat, & ita etiam ad expulsionem. Vnde rectè dicit Galenus in dicto casu, non solùm dictas partes esse perfundendas; sed addit dictam perfusionem pluris minorisque ratione esse variandam, pro ratione dictæ præparationis: siquidem plus, & temporis, & perfusionis exigunt ad præparationem eorum quæ deinceps sunt agenda (scilicet ad expulsionem per secessum, & aluum inferiorem) quibus in superioribus ventris corruptum nutrimentum adhuc manet cum enim per talem perfusionem animus sit ventris corruptum alimentum ad inferiora deducere vsque ad secessum, siue vsque ad intestinum rectum; ideò necesse est vt plus temporis, & perfusionis exigat, ad talem descensum ventris corruptum nutrimentum, quàm quod in partibus inferioribus iam constiterit.

177 Per perfusionem ergo hypochondriorum ac ventris, Medicus deducere debet alimentum in ventriculo corruptum ad inferiora, quare si motum id notabiliter, ait Galenus ad inferiora sit adiuuandum, id est, si corruptum in ventriculo alimentum, vel ex perfusione dicta vel sine illa motum ad inferiora notabiliter fuerit, tunc adiuuandum erit, & quo natura vergit eò ducere per loca conferentia, scilicet aut glande subdita, aut per inferius infusione, id est aut subdito suppositorio, aut iniecto clystere leuiter purgante: sic enim aluus excitatur magis ad expulsionem eorum excrementorum, quæ deorsum vergunt per intestina. Quòd si materia vitiosa, quæ fluitat per intestina morsum excitat sua acrimonia, hanc per clysterem dictum, aut suppositorium mitigabimus, si verò flatum, & hunc comprimemus: quare si neutrum fuerit idest, si ex descensu materiæ vitiosæ, & transitu per intestina, neque morsus suscitetur, neque flatus ex melle, aqua, & paulo olei idque subter inijcitur id est clysterem qui infunditur per sedem faciemus: si verò morsus vrget sabinum oleum, aut camomelum vel alium anodynum, aut temperatum, in quo aliquid seui anserini sit liquatum est vtilius, quia est anodynum, siue morsum sedans aut vehementem dolorem. Quòd si anserinum seuum non adsit, gallinaceum substituatur, vel caprinum. Si etiam gallinaceum desit. Quòd si caprinum non sit inijciendum oleo parum ceræ est potissimum elotæ: adipes enim dictæ, & cera lota substantiam habent magis lentam, quàm oleum, & ideò oleum simul cum aliqua dictarum, magis quàm per se solùm post humores acres obtundere atque morsus, doloresque vehementes inde ortos sedare. Denique si flatus molestant intestina tales flatus sunt discutiendi injecto per sedem clystere ex eo in quo ruta; & semina, quæ flatus discutiunt fuerint incocta cuiusmodi sunt apij, & cumini, & anisi, & anethi, & alia id genus. Nota quod hic annumerat flatus resoluentia, & non affert diatrium pipercon. Quia vt supradixi non est discuticus flatus.

178 Hæc sunt quæ affert Galenus ad expurgandas vitiosas ventriculi cruditates, potissimum per secessum, siue per alui fluxum, sed cum perfusiones ventris atque hypochondriorum parum moueant, & suppositoria, ac clysteres lenientes solùm possint educere, quæ ad intestinum rectum descenderunt, ex his pariter accidit sæpe sæpiùs quod dictæ cruditates non expurgentur per tales perfusiones, neque per dictos clysteres, sed adhuc intùs maneant, siue in ventriculo, siue in partibus ventriculo inferiores: quare cum sic res acciderit necessium erit ad alia transire, quæ valentius, aut efficaci ratione tales cruditates in totum expurgent. Tunc ergo accedendum erit ad lenientia medicamenta per os assumenda: cum enim materia purganda proxima sit non indigemus medicamento attrahente, sed lubricante tantùm, vel ad summũ moderatè tantum expultricem facultatem irritante: lubricans materia assumpta est aqua calida, & oleum amygdalarum dulcium, aut decoctum camomillæ, aut florum cordialium, aut florum, & fructuum. Materia verò modicè excitans facultatem expultricẽ est pulpa cassiæ recenter extractæ, pulpa thamaryndorum syrupi solutiui ac manna in iure pulli, aut pullæ dissoluta, quare nos in iis cruditatibus si aluus non fluit sed potiùs in superioribus partibus adhuc pendet primum aquam calidam aut buglossæ, aut florum cord. aut camomillæ ad ℥v. cum pauco saccari exhibemus & post horã vnam, clysterem infundimus lenientem quo sæpè multam excrementorum copiam excernunt laborantes, maximéque sic leuantur à querimoniis ventriculi: atque totius ventris. Quòd si iis adhibitis semel, aut bis æger non leuatur, quod non nisi rarissime accidit; tũc ad potionẽ ex manna cum iure, aut rosato solut. ac decocto florum ac fructuum cord. accedimus, & feliciter etiã ac mitissimè dictæ cruditates expurgãtur, sed de iis infrà latiùs.

TEXTVS.

TEXTVS.

Vacuata verò aluo nutriendum protinùs in cæteris, &c.

179 Diximus supra quod in diariis febribus vt & in aliis omnibus, quæ fiunt in fieri, siue in dispositione tantùm & non in habitu, ablata causa tollitur febris: quare & nunc Galenus iubet vacuata aluo nutriendum protinus, in cæteris quidem iis quos memorabimus similiter est, amotis tamen iis, quæ astringant. Quasi dicat duæ sunt tantùm indicationes, aut intentiones adimplendæ in curatione rationali febrium diariarum ex cruditate ventriculi pendentium, scilicet educere siue expurgare dictas eruditates, & nutrire febricitantes: quare vt supra diximus in prima capitis parte, cum ex aluo fluida contigerit euacuare omnia, quæ corrupta fuerint, tunc statim in remissione primæ accessionis febris esse ægrum lauandum, atque nutriendum, scilicet cum debitis modis ac requisitis: ita nunc eadem docet id est esse pariter febricitantem ex cruditatibus, ventriculi nutriendum, postquam vacuata aluo idest postquàm per secessum expurgata fuerint corrupta alimenta, quæ in præcordiis quasi suspensa, aut pendentia permanebant, &c. siquidem primo die ad vesperam hæc egeris, aut etiam noctis qualibet hora, etiam secundo die similem adhibebis prouidentiam. 1. Si primo die diariæ febris ad vesperam, aut noctis sequentis qualibet hora in qua febris remiserit hæc egeris, 2. & quæ cruda, aut corrupta erant vacuata aluo expurgaueris, & ægrum nutrieris, atque in cæteris eandem adhibueris prouidentiam, vt supra in prima parte est præceptum, amotis tamen iis, quæ astringant, quia hic aluus non supponitur laxa vt eo loco, sed èconetra astricta; etsi hæc eadem 2. sequenti die similiter feceris, rectè quidem ita te geres circa laborantem: etsi etiam 2. die planè febris cesset lauari hominem fines: sique in sequenti nocte quietus citra offensam dormierit sanum iam hominem prorsus existimabis, nam quibus crisis, vel accessio futura est iis nox, quæ antecedit grauior est, vt aut Hippocrates, vt quæ subsequitur leuior maiori ex parte.

180 Habemus quomodo æger nutriri debeat febricitans ex cruditate ventriculi si accessio primo die ita tunc acutè duret nutriendus est, in tali casu 2. die æger expurgandus per sedem est, & nutriendus; si verò, & nox 3. diei febris aliquid afferat, nec sic quidem formidandum, sed hos quoque postridie lauabis nutriesque, ac reliqua omnia in illis vt antea definitum est ad portionem exequeris. Quasi dicat Galenus cruditates ventriculi solent aliquando febres accendere, quæ non solùm durant per totum primum diem, sed & per totam sequentem noctem, cum scilicet eruditates vitiosæ non expurgantur, sed intra corpus relinquuntur, potissimumque partibus ventris superioribus quasi appensæ: in hoc ergo casu in 2. die, febris saltem declinabit aliquantum; cum cruditas sit nidorosa, quæ redolet naturam bilis. Quare eo die æger expurgandus erit, & à dictis cruditatibus liberandus per sedem, siue per secessum; & hoc facto nutriendus etiam erit eo die, quod si & nox 3. diei aliquid febris afferat; nec sic quidem est formidandum; quia parum pro nihilo reputatur: quare hos quoque postridie, siue 3. die lauabis, & nutries, reliquaque omnia in illis exequeris, quæ antea fuerunt definita, & in prima capitis parte fuerunt tradita, & declarata & superiore à nobis sunt repetita omissis astringentibus.

TEXTVS.

Sanè mutationes crudi alimenti in acidam, &c.

IN hoc vltimo capitis loco breuiter agit Galenus de ventriculi cruditate, in qua alimenta quæ corrumpuntur in acidam mutantur qualitatem, sicuti & de illis, qui tarde concoquunt, & quia tardè alimenta concoquunt, sæpè illa corrumpunt mutantque in acidam qualitatem. Scribit igitur sic: *sanè mutationes crudi alimenti in acidam qualitatem, neque incidere in eiusmodi naturis cernuntur, nisi ad modum raro, idque ex cibis qui promptè acescunt*, &c. Quasi dicat: eruditates acidæ in naturis præcalidis de quibus nunc agimus, non accidunt nisi rarò admodum, & cum cibi assumuntur, qui ex se promptè acescunt, vti est vinum; neque dum accidunt in dictis naturis accendunt febrem diariam, vt neque tarditas concoctionis. Si enim accidit aliquando quod in dictis naturis quibus amara bilis abundat propter acidam cruditatem febris excitatur, obstructionis & humorum putredinis suspicio est, & febris excitatur putrida potius, quàm diaria, orta scilicet ex humorum putredine, & obstructione materiæ acidæ. Quòd verò ex cruditate acida, neque ex tarditate concoctionis non oriatur febris diaria, adhuc in picrocholis naturis, atque gracilibus ex eo deducit Galenus quod fumidus vapor, qui est febris causa ex tarditate concoctionis, aut ex cruditate acida numquam excitatur, sed frigidi halitus iique paucissimi à talibus succis, siue cruditatibus excitantur. Cum enim neque in iis, quæ sunt extra corpus aliter, aut fumum edi, aut fuliginem videamus, quàm fumum ex materiis, vt ita dicam semiustis, fuliginem ex inmodicè assis vstisque: est namque fuligo vapor ter- 181

restris, vt fumus mixtio quædam ex terrestri, aqueaque substantia. Cum inquam fumus, atque fuligo vapores sint præcalidi atque adusti, consequens est quod ij in nostris corporibus, vt in externis excitentur ex materiis immodicè assatis, aut exustis, non verò à frigidis, vt ab acidis, vtque diutius cruda remanent: quare neque à cruditate acida, neque ex tarditate concoctionis generabitur febris diaria, ait Galenus, neque hic audire expectes, qua ratione aut qui tardè concoquunt, aut qui acidum eructant, sint curandi, quia hæc pertinent ad libros de sanitate tuenda, vt hic agere de cruditatibus, quas febris consequitur; in libris enim de sanitate tuenda scilicet 4. 5. & 6. ea tractantur, atque demonstrantur quæ per sanitatem agenda sunt illis, qui cruditate laborant, hic verò quænam in febribus diariis quæ cruditati superueniunt. Quare quoniam diaria febris cruditates acidas non consequitur, quæ verò ex putredine humorum oritur, ea quandoque sequitur, ideo distuli de hac cruditate præcipere, ait Galenus in eam tractationem quæ de illis, siue de putridis instituitur. Itaque quia in præsenti capite est intentum agere de febre ex cruditate, non declarat methodum curandi cruditatem acidam, aut tardæ concoctionis, quia vi istarum febris non fit, sed tantùm ob cruditatem nidosoram, aut fumosam.

Notabilia, & dubitationes super Textum.

182 Quamuis multa notatu digna dicta sint in expositione capitis, & pariter multæ dubitationes sint traditæ, atque solutæ, non tamen omnia dici potuerunt, quæ ad integram capitis expositionem necessariò requiruntur; quare quæ reliqua supersunt dicenda nunc breuiter aperiamus. Sit igitur primum notabile: nullam febrem diariam ex cruditate ortam, siue nidorosa sit, siue aliqua quæuis, curari per primam intentionem, sed per secundam, siue indicatione sumpta à causa quæ est ipsa cruditas, quæque tantum est causa, & non morbus, vt *sup. capite de obstructione* dicebamus. Oportet ergo in omni febre diaria ex ventriculi cruditate excitata statim ac primùm omnium ipsam causam, siue ipsam cruditatem, aut materiam crudam, aut vitiosè coctam auferre, & quidem breui tempore; quia periculum est ne ex ventriculo ac intestinis distribuatur ad iecur & secundas venas, & sic ex diaria fiat febris putrida, scilicet vel obstruendo iecur, aut dictas venas, vel massam sanguinariam suo contactu putrescendo, nam omne corruptum corrumpit sibi coniunctum.

183 Hoc autem notabile cum sit verum, atque benè præstandum: dubitatur nunc qua recta ratione Galenus in curatione febris diariæ ex cruditate ventriculi nidorosa orta, tot medicamentis calidis, non solùm exterius appositis, sed interiùs assumptis vti potuit? Cum enim nidorosa cruditas ex ipso Galeno sit nimis calida, arguatque causam eius præcalidam, scilicet vel alimenta per excessum calida, vt allia, sinapi, nasturtium, & similia, vel ventriculi intemperiem nimis calidam, vel acria, aut nimis calida ventriculi excrementa, vel humorem biliosum præcalidum: cum inquam nidorosa ventriculi cruditas sit ita præcalida, irrationale potiùs quàm secundum rationem esse videtur, quod Galenus ad expurgandam hanc ventriculi cruditatem nidorosam vtatur & fomentis calidis, & calidis oleis, vt ex absynthio, vel nardo, & calidis antiquorum vnguentis, & denique confectione diatrium pipereon: hæc enim cum calida nidorosam cruditatem, & eius causam fouent. Respondetur facilè Galenum dictis vti remediis, & benè quidem in suis casibus, non enim eis omnibus vtitur indiscriminatim sed vt in textu diximus, perfusionibus vtitur calidis ad materias partesque affectas laxandas, atque ad expurgationem disponendas, illis inunctionibus, & confectione diatrium pipereon ad roborandum ventriculum, ad concoctiones perficiendas, & ad exsiccandas, atque in totum absumendas prauarum cruditatum reliquias. Quod si dicas, morbus, & intemperies ventriculi, cum calida sit, frigida, & non calida indicabunt medicamenta astringentia, roborantia, concoquentia, & exsiccantia. Respondetur facilè regulas generales omnes habere suas exceptiones; & ideò *doctrina communis, neminem doctum facit* (ait ipse Galenus infrà lib. 13. cap. 10.) *nisi in particularibus exerceatur.* Cum enim ventriculus pars sit instrumentalis deseruiens toti corpori suis bonis concoctionibus, fit hinc vt si malè concoquit, licèt eius intemperies calida sit, in exiguo recessu; sumpta tamen indicatione à parte ipsa, & eius actione, ac conseruatione sui innati, atque copiosi caloris, dicta potiùs calida concoquentia, & roborantia debeant adhiberi, quàm frigida quæ ex morbo, aut intemperie parum calida oriebatur: siquidem in hoc casu indicatio partis est præstantior, quàm quæ sumitur à morbo, vt patet manifestè ex his quæ statim affert Galenus; si enim inquit Medicus cognouerit intemperiem calidam morborum, siue nimiam esse, frigidis vtatur. Hæc benè notentur, quia sunt vera, & ab aliis non ita, sed longè aliter explicantur.

Hic etiam dubitatur an in hac cruditate 184
nidorosa ventriculi aluo fluente nimis, prohibendum sit balneũ, vt dicit textus; quia è contra 1. *ad Glauc. c.* 14. in immodico fluxu ventris balneum commendat, quia ab intestinis reuellit humorem ad cutem, & ita prohibet fluxum ventris. Respondetur facilè *in præsenti cap.* balneum prohibere Galenum, non in quauis multa ventris, atque alui euacuatione; sed in ea tantùm, quæ vires iam deiicit, imò in qua virtus iam est defessa, vt ipse textus dicit: constat autem quod balneum vires resoluit, & quia poros corporis aperit, & quia humores, & substantiam nostri caloris natiui attenuat, atque exhalat: quare vbicumque

vires

vires languent à balneo necessario abstinendum est, etiamsi ex alio capite balneum possit indicari, & viribus consentientibus in alui fluxu nimio ad reuellendum prosit, & debeat applicari vt loco citato docet Galenus, semper tamen ad balneum exequendum requiritur virium robur: quia remedium hoc ex se robur dejicit. Hìc etiam nota, quod existente cruditate ventriculi, etsi vires constent, non licet vti balneo; etiamsi alui fluxus sit nimius: quia nunquam licet, quæ in ventriculo, ac prima regione detinentur cruditates vitiosæ ad hepar reuellere, neque ad secundam aut tertiam regionem: quia sunt partes nobiliores respectu primæ, & consequenter cruditates ad dictas partes delatæ, maiora multò mala generant, quam si in prima detineantur regione; vnde cantè Galenus ait in textu. *Si quæ corrupta fuere vacuata esse videntur* (de alui fluxu loquitur) *tum lauandus, tum nutriendus in remissione febris est æger*: & ideo hìc Galenus non vtitur balneo ad reuellendum alui fluxum, sed ob aliud.

185 Tandem dubitatur hìc an cruditas ventriculi acida semper sit frigida, vt Galenus non modò in isto capite, sed alibi sæpe, ac semper statuit an saltim aliquando aliqua cruditas acida in se, & ex sua prima generatione calida generetur, vt tenet Alexander Trallianus non semel, sed sæpè etiam: itaque punctum difficultatis non est, an aliquando, saltim aliqua cruditas acida sit præter naturam calida, & non frigida; quia hoc supponit Galenus *in præsenti capite* scilicet quoties dicta cruditas acida putrescit, aut ex ipsa inducta in humoribus putredine febris generatur? sed quod hìc quærimus est an talis acida cruditas, in sua prima generatione à præcalida ventriculi temperatura, aut ex materiis, aut alimentis nimis calidis possit generari? sic intellecta quæstione multi sunt qui Galenum sequuti dicunt, semper cruditatem acidam esse frigidam, & generari semper à frigiditate. Quod si obiic es experientiam, & dices quod ventriculis præcalidis accidunt multoties & ructus acidi, & cruditates acetosæ. Respondent, verum hoc esse non tamen sibi aut Galeno esse contrarium: quia quando ex ventriculo calidiori cruditates acidæ suscitantur calor natiuus extollitur à ventriculi intemperie calidiori, & ideo cruditas acida non sequitur calorem præter naturam ventriculi, sed defectum natiui caloris, & per consequens intemperiem frigidam: nam ex defectu caloris natiui sequitur priuatiuè intemperies frigida.

186 Alij autem sequuntur Trallianum dicuntque cum ipso multoties cruditates acidas esse frigidas non tamen semper, sed aliquas esse calidas: immò, & calidiores, quàm multæ nidorosæ, & sanè inter hos cogor ego numerari; ex his quæ millies mihi euenerunt toto tempore vitæ meæ: ille enim ego sum qui à vigesimo anno vsque ad quadragesimum, ætatis meæ panem scilicet plus, aut minus millies vt dixi quæ comedi, ac bibi in acidam, imò acetosissimam qualitatem fuerunt mutata, atque corrupta, sed quæ semper temperaui, ac sitim simul, atque calorem inde excitatos assumptis lactucis, & aqua frigida, & quidem in multa quantitate; quibus quidē assumptis non solum cruditas, siue aciditas sitis, atque calor sedabantur: sed ventriculus mirum in modum ad sequentes cibos assumendos, & bene concoquendos instaurabatur. Ex his ergo, & quia in eisdem temporibus alimenta quæ erant boni succi, sed difficilis coctionis, ac corruptionis bene concoquebam, quæ verò erant facilis coctionis, citò corrumpebam, aut quæ in dictam acidam qualitatem mutabantur ex his inquam, & dicta eorum curatione clarè cognoui in me sententiam Tralliani verificari, atque cruditates acidas à calore, & quidem vehementi generari, nam argumentum ex curatione desumptum ex Hippocrate atque omnibus est adæquatum 2. *aphorismorum* 22. & insuper ex ipso Galeno *sexto de morbo, & symptomate cap.* 1. confirmatur: vbi sic habet: *Nullus enim cibus in ventriculo calidiori diu sine corruptione permanere potest*; & paucis interiectis de variis ciborum corruptionibus cōcludit: *Qui sic afficiuntur siti cruciantur, & paruis tenuibus quasi hecticis tenentur febribus; è contra verò qui frigida intemperie laborant neque sitiunt, neque febricitant, & alimenta in ventriculo sine vlla alteratione multo tempore conseruant, aut aliqui flatus inde excitantur.*

Itaque in me sæpe cibi in acidam crudi- 187
tatem degenerarunt in florente, & magis biliosa mea ætate, & quo tempore à rebus crudis, frigidis, ac humidis, siue alimentitiis, siue medicamentosis semper bene habenda à cōtrariis autē calidis, aut tēperatis facilè putrescibilibus, vt à piscibus omnibus, à lacte, à vino potissimùm generoso pessimè semper habui, & quidem intra vnam, aut duas horas ab assumptis dictis cibis. Quare per totam vitam meam generaliter à piscibus omnibus, à lacticiniis, & à vino nisi admodum aqua diluto necessario abstinere sum coactus: vti etiam ab omnibus oleribus, aut aliis condimentis acribus, aut nitrosis, ideoque ferè semper solo pane duro, bonisque carnibus duris potius, aut crassis, quàm tenuibus, atque elixis potius quàm assis, & adhuc lactucis, & aliis herbis frigidis, ac humidis temperatis sum nutritus. Verum sit quod horum alimentorum coctiones semper fieri post septem, aut plures horas sum etiam expertus: vnde pariter intellexi in meo ventriculo esse quidem parum calidi innati, & ideo non nisi tardè posse edere suas actiones, siue dictas ciborum concoctiones, sed simul esse per excessum calidum, ac siccum, cum à contrariis frigidis, atque humidis semper bene se habuisset, & è contra pessimè à calidis, & siccis. Et confirmatur hæc veritas, ex post apparentibus: nam ab anno vigesimo quinto meæ

ætatis

ætatis vsque ad quadragesimum quo tempore hæc scribo fere in totum eruditates dictæ, ȝeetosæ abierunt , quia seilicet ratione ætatis, & ab ipsa senectute nimia caliditas ventris mei , atque eius caloris insiti remissa fuir: vnde etiam fit quod , & nunc lac iam possum assumere , aut aliquem pisciculum , quin corrumpantur , dummodo statim ab istorum assumptione aquam frigidam bibam,& quidem in multa quantitate;sic enim ita temperatur meus ingens calor nunc , vt sine eorruptione , & lac , & pisces debiles concoquat quæ tamen antea ; & vinum , & multa similia pessimè corrumpebat , & non solùm in saporem acidum , sed & in substantiam veneno similem permutabat , & angusthæ , & anxietates vehementes tunc accidentes ostendebant , si statim per vomitum , aut secessum non expurgabantur. Quæ omnia ita referre placuit : quia sunt verissima , & ideo edocent verè dari multas eruditates acidas à calore adurente per se genitas , & sine putredine tales eruditates inducere sitim immoderatam , atque calorem nimium : quamvis non nego quod per putredinem possint idem facete.

188 Habemus ex dictis quod non solùm cruditas eiborum nidorosi est per excessum ealida ? sed quod , & acida solet etiam esse præcalida , siue ab excedente ventrienli calore etiam generari : quare cum etiam acidà eruditas à frigiditate fiat in omniũ opinione dubitatur nũc quomodo talis eruditas acida à ealore simul,& frigiditate generatur : vt respondeatur,& notandum quod noster natiuus calor qui concoquit, & à quo totum corpus actualem ealorem recipit, potest esse temperatus,& potest esse adauctus,'aut diminutus : temperatus ille esse dicitur,qui vel medius est inter extremè frigidum , & calidum, vel qui aliméta bene eoncoquit,& reliquas actiones naturales perfectas edit : vnde dicitur primus temperatus ad pondus ; & secundus ad institiam. Calor autem noster adauctus , & idem de imminuto est duplex , scilicet vel intra limites sanitatis auctus, aut diminutus, vel præter naturam insuper ealor præternaturam auctus in nobis aut vstiuus est , aut putredinalis , id est qui cibos , aut humores corporis nostri adurit , aut putrefacit : vt enim temperatus noster calor alimenta bene eoncoquit , ac ex eis bonum sanguinem generat , reliquosque humores naturales , ita qui præter naturam adaugetur , eos necessariò eorrumpit , siue in putredinem , aut vstionem transire facit, quia vt calor natiuus eoneoquit , ita præter naturam auctus corrumpit, siue quæ alterat in dictas substantias prauas degenerare facit : itaque vt corruptio est mutatio alimentorum , aut humorum in peregrinam qualitatem à calore præter naturam factam , ita talis corruptio ad vstionem, aut putredinem refertur , atque terminatur.

189 Calor autem præter naturam auctus tunc humores eorrumpit , & eorum putredinem molitur , cum quæ concocta erant , & concoctione vnita , nam coctio congregat homogenea , separat inter se , & potissimùm partes humidas à terreis , vnde omnes tandem crudas reddit soluto calore vitali , qui eas congregauerat , atque mixtas , siue vnitas conseruabat : tunc autem vrit,cùm eibos, aut humores corrumpit , non tamen eorum partes secernit , aut separat , sed omnes simul in eandem peregrinam naturam , aut substantiam transmutat , vt in substantiam nidorosam acidam , fumosam, cœnosam , aut aliam innominatam atque absurdam , vt cum ventriculus ructus emittit ouorum putridorum , aut piseium. Diminutus verò calor noster natiuus alia duo distincta facit , nam vel ingesta alimenta multùm temporis ineocta conseruat , & alimenta quæ deuorata fuerunt plurimum temporis inalterata conseruat , permanentque eadem forma ae assumpta fuere , siue hoc ita fiat ex defectu dicti caloris , siue ob exsuperantem copiam ipsorum alimentorum à qua scilicet innatus calor deuincitur , ac debilitatur ad eorum alterationem , aut mutationem , vel calor noster diminutus alimenta assumpta in acidam mutat qualitatem ; idque pariter , vel quia sua frigiditate talia alimenta in dictam acidam naturam mutat , vel ipsa alimenta diu in ventriculo detenta , & non concocta ex defectu caloris , tandem ipsa corrumpuntur , atque in acidam qualitatem mutantur : ex quibus iam apparet , & quod eiborum corruptio aut mutatio in acidam qualitatem potest prouenire à frigiditate , aut à ealore, & quomodo à colore , aut frigiditate prouenit, & denique quod ex ipsa mora in ventriculo potest prouenire, vt suprà diximus, sed dubitatur nunc quomodo Medicus distinguere poterit, quod talis corruptio eiborum in acidam qualitatem prouenit à frigiditate , & non à colore ; vel è contra à calore , & non à frigiditate. Respondetur ex Galeno *lib. 3. de symptomatum causis.c.1.* quia quæ à calore prouenit sitim intensam secum affert & aliquam febriculam : quæ verò a frigiditate prouenit , neque sitim affert , neque febrem aliquam.



CAPVT VI.

De febre diaria ex bubone.



VT tractatui de curatione febrium diariatũ finem imponamus, inquit Galenus solùm restat agendum de febre diaria ex bubone; quia reuera febris diaria ea est quæ ex se spatio vnius diei,ac noctis,siue spatio viginti 196

quatuor

quatuor horarum terminatur: nam ideo diaria dicitur; at febris quæ ita parum durat ab externa potius oritur causa, quàm ab interno aliquo corporis apparatu, quæ enim causæ externæ sunt, inquit Galenus 4. *de ratione victus, Comm.* 125. & 1. *de hum. Comm.* 12. (nisi in corpore prauum inueniãt apparatum eumque suscitent, siue agitent, & quasi de potentia ad actum reuocent, qui morbum plurium dierum generet) ex se quidem solum morbum vnius diei generare possunt, qualis est febris diaria: non enim possunt affectum magis permanentem producere in nostro corpore causæ externæ, nisi ex ipsis causis externis aliqua in corpore generetur permanens, quæ morbum producat, vt cum ex frigore, aut rebus astringentibus externis constipatur cutis, & constipatio febrem detinet, aut protrahit ad plures dies. Itaque cum febris diaria propriè dicta ea sit, quæ vnum tantùm diem ac noctem durat: quia à causa tantùm oritur externa: cum iam de curatione aliarum febrium quæ à causa externa excitantur, huc vsque sit actum, idcirco vt tractationi de curatione omnium febrium diariarum finem imponamus, solùm restat agendum de curatione febris diariæ, quæ ex bubone dependet, vt enim ex ira, ex vstione, ex motu immoderato, ex frigiditate, & ex aliis causis externis de quibus actum est, febris accenditur diaria in nostris corporibus, ita etiam ex bubonibus, vt statim videbimus: quare de curatione febris diariæ ex bubone ortæ adhuc restat agendum, vt sic tractatus de curatione diariarum finiatur.

TEXTVS.

Dicta mihi ferè sunt de diariis febribus, &c.

91 De curatione febris diariæ ex bubone pendentis acturus Galenus *in præsenti cap.* 6. solùm generationem eius breuiter proponit, & statim diatritarios reprehendit, siue illos Medicos qui in curatione istarum febrium ex bubone pendentium trium dierum inediam imperabant. Cum enim curatio febris diariæ à bubone ortæ, atque pendentis in curatione bubonis, & vlceris curationem supponit, & quasi docet potius ad Chirurgos pertinere, quàm ad Medicos: vnde curatione chirurgica supposita tanquam externa, & vel ipsis Chriurgis nota, quod potissimum in hoc capite docet, est instruere Medicos rationales adhuc in diariis febribus, quænam earum remissiones erunt tutæ, & quæ non, sed in tertio accessio est expectanda: qui enim verè Medicus est, ait Galenus 1. *de crisibus, cap.* 3. futurum statum in morbis præcognoscere debet, cum omnem victus rationem ad eum respiciens instituat; quare, & accessiones futuras, qu'a etiam in accessionibus cibum dare, est malum 1. *aphorismorum, sententia* 11. vnde Medici generosi, atque Hippocratica arte digni officium est scire quando sit in tertio accessio futura, & quando non, vt in diariis solet frequenter accedere; ideò in his victus ratio, & ciborum debita administratio administrari nequit, sine dicta accessionum cognitione, si enim secunda accessio febris diariæ futura non est, æger est lauandus, & nutriendus in declinatione primæ accessionis, & ita deinceps vt non hic solùm, sed in superioribus capitibus, docuit Galenus, & nos cum illo; si verò secunda accessio futura timetur die 3. vel nullo modo aut magna cum cautione æger nutriendus est adhuc in remissione primæ accessionis, & in toto secundo die vsquequo accessio 3. diei transacta fuerit, & vt valdè remissa. Quæ quidem cum sic se habeant, placet primùm litteram textus fideliter legere, atque exponere, & postea loco dubitationum de curatione diariæ ex bubone ortæ agere.

Sic igitur scribit Galenus: *dicta mihi ferè sunt de diariis febribus vniuersa, quando qui ex bubone febricitant Medicos, quid sibi sit agendum, neque consulunt quidem, sed vbi tum vlceri quod bubonis occasio fuit, tum postea buboni ipsi prospexerit in remissione eius quæ inciderit accessionis lauantur. Ac si quis tum diatriton, vel nominent omnes irrident, &c.* 92 Quasi dicat: nunc de curatione febris diariæ ex bubone pendentis restat agendum, vt omnes diariarum febrium curationes explicatæ maneant. Quia tamen qui ex bubone febricitant, nedum Medicos consulunt quid sibi sit agendum, & quid agere debeant ad tales febres rectè curandas: sed vbi tum vlceri quod bubonis occasio fuit, tum postea buboni ipsi prospiciunt, & vbi prius vlceri, quod bubonis occasio fuit curationem adhibent, & postea buboni) si quidem à curatione desistunt, & nulla alia febris diariæ curatione adhibita in remissione eius accessionis lauantur, quasi sic iam sint sani, & à febre liberi, atque à futura accessione securi; quare à primo ad vltimum, sic etiam de curatione febris diariæ ex bubone ortæ videtur esse actum, & per consequens de diariis febribus omnibus: si quis enim tunc diatriton nominet, & si quis Medicus tunc dicere velit quod æger non lauetur, neque nutriatur, sed inediam trium dierum sustineat adhuc vt sic præcaueat ne altera febris accessio tertio die superaccedat, quæ potest: omnes irrident scholastici eumque talem Medicum appellant, potius logicum, quam Medicum esse dicunt cum nesciat futurum morbi statum, & an sit futura accessio in dicta febre diaria ex bubone orta, an non? qui enim diatriton colunt, aut transacta prima accessione inediam imperant laborantibus id ita faciendum, & à cibo abstinendum dicunt per triduum, vt sic tertio die futura accessio præcaueatur ne superueniat scilicet per cibi abstinentiam, consumptis prauis

prauis humoribus, aut excrementitiis, quæ accessionem venturam facerent: hæc autem futura accessio in diaria ex bubone non datur, neque superuenit inquiunt: si tum vlceti, vnde bubo prouenit, tum buboni debita curatio adhibetur, vt docet ipsa experientia, & ipsa natura rei, siquidem causæ externæ vt antea dicebamus non generant febres per circuitus reperentes, neque plus durantes, quàm per diem, ac noctem: quare in hac febre, ait Galenus id transmittendum non est, id est timendum, aut supponendum non est, quod omninò non erit, & ideò diatriton in his transmittenda non est: quia accessio futura non erit, sic enim mea sententia iste locus explicatus magis mentem Galeni aperit, quàm vt explicatur à Iulo Alexandrino.

193 Quod verò, qui verè Medici sunt, scire debeant futurum morbi statum, & quando in febribus accessio fit in tertio die ventura; & quando non ex eo isti supponunt, ait Galenus quod censent, id est tanquam certum supponunt tales debere esse Medicos in omnibus morbis aliisque accidentibus præter naturam, quæ sensum effigiunt quales ipsi sunt in iis, quæ sensui apparent. Porrò in omnibus tales esse, ait Galenus, nihil est aliud, quàm intelligere quando sit in 3. accessio futura, & quando non sit, vnde sicut illi qui ex bubone ab vlcere febricitant, vel ab alia causa externa solùm, natura ipsa edocti intelligunt, non ampliùs esse febricitaturos si vlceri, atque buboni prius curam debitam adhibeant, & consequenter, neque tunc diatriton esse transmittendum, aut sustinendum ad futuram accessionem, sic præcauendam, aut inhibendam quæ nulla erit; sic & Medici verè scire ex ipsa arte debent, quod omninò non erit, vel non sunt verè Medici cum hunc futurum morbi finem, aut statum non intelligant: nam certum est, quod Medici rationales, qui verè Medici sunt, & medicinæ scientiam integrè callent, intelligunt pariter ex eadem scientia, quando accessiones sunt venturæ in febribus, aut aliis morbis, & quando non, vt ipse Galenus 1. *de crisibus*, *capite tertio*: ostendit ex Hippocratis sententia, ac rationali doctrina.

194 Qui etiam qui refrixerunt, ait Galenus, aut vsti sunt, aut fatigati, aut tale quidpiam passi, posteà verò febricitarũt, hi vbi in remissione talem status quietem sentiunt, qualis erat per sanitatem, ne tunc quidem eos, qui diatriton numinent ferre possunt. Quasi dicat non solùm qui febre diaria ex bubone febricitant curato bubone, & eius causa externa statim in remissione primæ accessionis febris, & lauantur, & cibantur sine expectatione, aut præcautione accessionis tertio die futuræ: qui etiam qui refrixerunt, aut vsti, aut fatigati sunt aut tale quidpiam passi, id est, qui etiam refrigerati febricitant, aut adusti ex vehemente calore, aut fatigati ex nimio motu, vel alio exercitio immoderato: aut denique qui ex alia quapiam causa externa prægressa febricitãt: hi quidem omnes vbi in remissione febris, & primæ eius accessionis talem quietem sentiunt, aut in febricitationem qualis erat per sanitatem, ne tum quidem eos qui diatriton nominent, ferre queunt, id est nullo modo amplius inediam sustinere volunt, sedet, lauantur, & nutriuntur, & ad consueta per sanitatem opera tunc accedunt sine metu, aut expectatione futuræ accessionis, quam non timent quia actu iam sani se sentiunt, & perfectè curati esse supponunt, & quidem ita res se habet: quia solùm à causa externa fuerunt morbo, aut febre affecti, vnde diatriton, aut abstinentia trium dierum in dictis morbis ab omnibus irridetur, qui naturaliter se habent, & ad similem febris remissionem perueniunt: etsi ij priuati sint, aut rustici qui nullam medicinæ, aut chirurgiæ veram cognitionem habeant: sunt tamen ita mente expediti dum secundùm naturam se habent quod sophistarum quovis veriores opiniones habent. *Nuper enim* (ait Galenus) *quidam è plebe, qui in splendida cœna epulis, ac potu plurimum sibi indulsit venit domum errabundus, ac manuductus: cum autem ea quibus grauabatur in ventriculo eius fluitarent, omnia euomuit, & per noctem quidem febricitauit, dormiuit autem magnam partem sequentis diei, postea surgens, ac paululum inambulans, lauit sese, ac cibum assumpsit, risitque eum qui sibi diatrium manendum suaserat; illo namque auctore, etiam postridie inediam tolerare debuisset.*

195 Quasi dicat Galenus ecce casũ in quo diatritarius sophista inediam trium dierũ imperat laborantibus febre tolerare vt sanitas consequatur, & futura tertio die accessio praecaueatur, in quibus diebus æger, è contra sua sponte lotus, & modicè cibatus post somno deditus eoque inessensè fruens, tertio die manè surrexit ad consuetaque sua opera sanus rediit, ad eaque facetus accedens risum excitauit commemorans eum, qui sibi tantam inediam temerè, ac sine vlla necessitate imperauerat: etsi enim Medicus diattitarius viderat quòd plebeius ex crapulis, & nimia epularum repletione ebrius fuit factus, & errabundus, ac manu ductus domum suam venit, & quamuis vidit etiam quod vomuit omnia quibus ventriculus grauabatur, quia tamen post hæc videt ipsum plebeum per totam noctem febricitantem, & die sequenti multùm dormientem, timuit hunc affectum, & accessionem tertio die venturam crediditque dictam accessionem, & somnum per maiorem partem diei sequentis esse signa demonstrantia, quòd adhuc corpus scatebat cruditatibus, quæ inedia dictorum dierum indigebant ad eorum concoctionem, ac consumptionem, & ne aliter ex eis accessio febris tertio die fieret. Plebeius verò quamvis ex crapulis, & nimia ciborum satietate, aut repletione laborauit, atque inebriatus fuit, quia tamen omnia vomuit, & similiter à febre se sensit liberatum, intra tempus debitum nempè spatio 24. horarum post febris remissionem

ſionem lauauit ſe ac modicè cibum ſumpſit poſtque cibum ſomno ſe dedit, eòque vſus ſine offenſa imò recreatus ac reuocatus, mane tertio die ſurrexit, ac ſanus factúſque ſe ſentiens ad conſueta tempora ſanitatis exercitia reddidit expreſſo conſilio, aut mandato Medici inediam duorum dierum imperantis, atque in lecto, ac quiete manere dicentis vſque ad integrum tertium diem ſiue vſquequo tempus ſecundæ acceſſionis tranſiret quæ tertio die ventura erat.

196 Hæc quidem, quæ plebeius, ſiue idiota, aut qui carebat omni ſcientia fecit ſua ſponte, aut ſuo ſolùm lumine naturali ait Galenus hæc inquã docebat faciendum res ipſa benè inſpecta: quare melius ruſticus quid agendũ, quam pſeudo Medicus diatritarius indicabat. Nam re vera ruſticus, qui lautè epulis, ac potationibus cœnatus ebrius factus fuit, ac febricitauit, ſi poſtquàm omnia vomuit, ac febris demiſit non fuiſſet lotus, atque cibatus, ſed biduo adhuc inediã ſuſtineret aut dubiè corpus eius eſſet reſiccatũ, & ſordiũ plenum eſſet redditum: etſi enim ex epulis; ac ebrietatibus læſus eſt, ac ebrius factus, quia tamen poſtquam omnia vomuit febricitauit, docuit conſequenter eius temperamentũ eſſe calidum, ac ſiccum, vtpotè, ad concipiendum dictam febrẽ cibo diſpoſitum: in his autem corporibus quantum inedia noceat ex ſuperioribus ſatis conſtat, quare benè dicit Galenus quod ſi in dicto caſu manè in ſecundo die in remiſſione febris non eſſet æger lotus, atque cibatus, & veſperè eiuſdem diei, ac tertio ſimiliter, ſed per integros etiam hos dies inediam ſuſtineret, vt diatritarius monebat, aut dubiè reſiccaretur eius corpus ob inediam, ſiue ex defectu nutritionis, & reſtauratis aduſtis, atque conſumptis, nam ideò nutrimur quotidie vt quod deperditur reſartiatur, & ne carnes atque humores humido alimẽto priuati vrãtur.

197 Cum igitur multoties plebeius melius, aut verius, quàm ſophiſta Medicus de rebus ſentiat, cumque multoties ſit plebi non obſcurá quæ præter rerũ euidentiam temerè audẽtur; ex his meritò ſit, ait Galenus quod tales Medicos multi ex plebe logiatros, id eſt verbis tantùm Medicos dicunt: quomodò enim non iure hac appellatione nominantur, qui ea neſciunt, quæ nemo, è vulgo ignorat? & quomodo non irridendi carpendique ſunt, qui etiam cum talia ignorant Hippocrati ſe præponunt. Sanè irridendi ſunt hi & penitus deſpiciendi: ſimiliter, & qui his noſtris miſeris temporibus non ſolùm Hippocrati ſe præponunt, ſed & Hippocrati & Galeno ſe oppoount, potiſſimum quia vt ait Galenus iſtorum ſtupiditate ne Mercurius ipſe cum muſis ſanabit. Sunt enim non ſolùm ignari, ſed & ſuperbi: ſuperbia autem cum ignorantia coniuncta ex Hipp. eſt indelibile vitium. Quæ omnia eò tendunt, quidem vt non modo Medicos malos reprehendat, ſed omnes moneat ac vehemẽter exortetur ad artem totam integrè, atque ſcientificè ſcite omnia, & ſingula, quæ indignotione prognoſtico, ac curatione humani corporis, atque morborum eius cognoſcenda, prædicenda atque curanda poſuit Deus, atque natura; coniectura enim artis Medicæ ait Galen. *2 ſecundùm locos cap. 2.* in affectum cognitione conſiſtit, quæ vbi conſtiterit non coniecturaliter: ſed ſcientifica ratione indicat curationem, vt ſit palam ex dictis *in præſenti cap* in hoc enim cap. non ſolùm febris proponitur cognitu atque curatione facilis, ſed etiam alij affectus cognitu faciles ex ſe, quique vt tales ab ipſa plenè & noſcuntur, & benè curantur, ab ipſis verò logiatris, aut malis Medicis non benè comprehenſi, prætorquam quod non benè curant ægrotantes ex ſiniſtra curatione fiunt peiores vt cum ex inedia indebita ac temerè adminiſtrata corpus exſiccatur. Vnde Hipp. 1. *epid. p. 2. ſent.* 50. cautè dixit *ita te exerce vt morbis proſis, vel ſaltim non noceas*, & ideo etiam remedium eſſe dicitur quod corpori applicatum iuuat vel ſaltim non nocet.

Quò etiam tendunt quæ dicit Galenus *in* 198
hoc cap. vt ſciamus, atque vt veriſſimum ſupponamus quod febris, quæ à cauſa ſolùm pendet externa non habet repetitiones poſt ablatam talem cauſam, neque amplius durare poteſt quàm per ſpatium 24. horarum, & ita ſi febris diaria repetit, aut amplius durat, quàm per ſpatium diei vnius, ac noctis, indicat conſequenter cauſæ permanentiam, aut alium affectum complicatum permanentem à quo febris conſeruatur, & acceſſio excitatur: ſiue talis affectus permanens ſit ſecunda cauſa ab externa in corpore genita vt cum ex frigiditate externa, aut ab aſtringentibus externis medicamentis cutis conſtipatur, & inde febris oritur: ſiue talis affectus ſit aliquis malus corporis apparatus, vt cum vitioſus corporis humor conſtipata cute penitus non tranſpirat. Quum enim ex bubone ait Galenus orto à cauſa externa verbi gratia à vulnere febris ſuſcitatur; quamvis tum bubo, tum vulnus ſint res factæ, ac permanentes, quia tamen ambo ſunt cauſæ externæ, ſiue ab extrinſecò pendentes non verò ab aliqua cauſa interna neque à malo aliquo corporis apparatu, aut debili, ac praua eis indiſpoſitione: idcirco febris ex talibus bubone, atque vulnere oborta, diaria tantum eſt, id eſt curatis dicto bubone, atque vulnere ſtatim intra diem, & noctem integrè ſoluitur, & ita perfectè curatur, vt in remiſſione illius acceſſionis, ſiue febris illius tutò poſſit nutriri æger ſine metu futuræ alius alicuius acceſſionis, ſicuti etiam febris orta ex crapulis, atque ebrietate, ſi omnia vomantur, aut per ſeceſſum expurgentur ſtatim intra diem, & noctem non ſolùm remittitur, ſed integrè, atque perfectè declinat neque poteſt amplius repetere, quia facta fuit à cauſa externa ſcilicet à cibis, atque potationibus, quæ cõcoquere non potuit, potuit tamen omnia euomere, & ita febris benè curata fuit, & in corpore nihil remanſit à quo febris conſeruaretur, aut repetere vnquã poſſet: ſic enim loquitur Galenus *in præſenti capite* vt infrà latius videbimus *ex cap. 31. de arte curat.* ad Glauconem de curatione febris diariæ ex bubone.

Febris diariæ ex bubone curatio.

199 Vidimus in contextu quod curatio febris diariæ ex bubone genitæ desumitur, atque dependet ex curatione ipsius bubonis, & causæ externæ, vnde bubo fuit excitatus, vidimus etiam quod Galenus *in hoc capite* neque curat dictum bubonem, neque vulnus. Vnde supponit esse ortum, & quod magis est neque, *ad Glauc. cap. 3.* vbi etiam de diaria ex bubone orta agit. Sunt enim tum bubo, tum vulnus affectus præter naturam, vti ipsa febris, quæ ab ipsis oritur, sed sunt adeo diuersi quod aliàs multo diuersas habeant curandi rationes ab ipsa febre: vnde factum esse videtur quod tum hic, tum *1. de arte curat. ad Glauc. cap. 2.* intactas relinquat talis bubonis, atque vulneris curationes. Quod quamvis ita sit nos tamen hîc curationem febris diariæ ex bubone excitatæ agemus, siue curationem bubonis à quo febris diaria & eius curatio dependet ostendemus; & quidem accuratissimè quantùm fieri possit, vt sic curatio omnium febrium diariarum hic integra, atque perfecta inueniatur.

200 De curatione ergo diariæ febris ex inguinum bubone acturi, siue de curatione bubonis à quo oritur, & à cuius curatione pendet diariæ febris ablatio, & quidem non vtcumque, sed scientificè, & verè, quantum per humanam fragilitatem fieri potest ab vtriusque dignotione exordium facimus, dicimusque breuiter, quod febris diaria ex bubone ea esse dicitur, quæ ab inguinum tumore calido exoritur. Per bubonem enim illum tumorem calidum intelligunt omnes Medici ac chyrurgi cum Hippoc. ac Galeno, qui in partibus glandulosis externis nostri corporis contingunt vt retro aures, sub axillis, & potissimum in inguinibus: in his enim partibus vtpotè glandulosis, seu languidis, & ad recipiendum quoduis paratissimum accidunt facillimo negotio tumores siue calidi, siue frigidi, siue à causa externa, siue ab interna dependentes, quæ quamvis ita sint bubo tamen propriè loquendo tumor est calidus, & quidem in inguinibus præcipuè genitus scilicet à sanguinis affluxu ortus, siue solus sanguis sit, siue sanguis mixtus cum bile. Vnde bubo, à quo febris diaria oritur erit inflammatio inguinum vel vt ipse, ait, Galenus *1. ad Glauconem cap. 3.* tumor phlegmonosus, aut phlegmonosus simul atque erisipelatosus inguinum: cum enim febris passio sit calida cordis præter naturam necessariò dependet à causa vehementer calida, qualis est phlegmon, aut erisipelas, & ideò bene dicimus, quod febris diaria ex bubone ea dicitur quæ à tumore calido inguinum oboritur, id est ab inguinum inflammatione phlegmonosa, aut erisipelatosa.

201 Cæterùm vt dicta penitius intelligantur est aduertendum quod, vt dicebamus, isti bubones atque tumores inguinum, aut aliarum partium externarum possunt fieri, vel ab extrinsecis occasionibus tantum, vel ab intrinsecis. Ab extrinsecis occasionibus fiunt, vt cum à calore externo aut ab aliquo dolore externo tumor excitatur in aliqua dictarum partium; verbi gratia si quis vt ait Galenus *in textu* in pede, aut crure vulneratus non quiescat, sed sine intermissione deambulet, & præcipuè non citra dolorem siquidem in inguine tumor, atque bubo facilè exoritur, & inde febris, quia scilicet à vulnere, & ex vi motus excitatur dolor qui agitat sanguinem in venis contentum, atque à partibus supernis ad affectas infernas allicit, ac fluere facit, qui in inguinum poris imbibitus ob inguinum aptitudinem ad recipiendum in dictos bubones degenerat. Sic etiam à causis internis atque à multis morbis nostri corporis internis bubones in inguinibus, & aliis partibus externis glandulosis generantur, vt non solùm in morbo Gallico, sed in affectibus malignis, ac febribus pestilentibus docet experientia.

Sunt autem maximè notandæ ac benè distinguendæ istæ bubonum diuersæ generationes quia differunt, quàm maximè in prognostico ac curatione, qui enim bubones, aut tumores dictarum partium à causis solùm oriuntur externis omnes sunt salutares; & neque alium maiorem possunt excitare, aut arguere morbum, quàm febrem diariam, & ideo ipsi, atque eorum febris facilè curantur: qui verò bubones, aut alij tumores partium externarum ab interna corporis dispositione oriuntur, sæpè pessimi sunt, sæpèque arguunt morbos lethales valdè. 202

Quæ vt magis intelligantur, est aduertendum quod bubones & alij humores quicumque sint generantur ex sanguine aut alio humore ad partem affectam veniente, vel quia attrahitur talis humor ab ipsa parte, aut ab aliqua causa, seu occasione externa, vel quia ab alia corporis parte ad ipsam transmittitur; bubones ergo qui per expulsionem, aut transmissionem humoris fiunt pendent, ab interna corporis causa scilicet vel à multa copia talis humoris, vel mala eius qualitate, quæ naturam ad expellendum cogunt, aut irritant, qui verò tumores, atque bubones à causis externis fiunt, quamvis fiant fluente sanguine, aut alio humore ex venis ad partem affectam, non tamen arguunt causam aliquam internam transmittentē, neque aliquam humorū quantitatem, aut qualitatem irritantem, atque naturam impellentē ad expulsionem, sed fluxio solùm est humoris naturalis, siue humoris qui in venis cōtentus quietus erat, & sine aliqua molestia, aut sensibili læsione, in eis cōtinebatur, etsi enim in corpore nulla sit humorū plectora, aut cacochimia fiūt dicti bubones, atq; tumores à causis externis; quia scilicet ab his sanguis naturalis in venis contētus ad corporis nutritionē, & cōseruationē attrahitur ad partē externā, vbi bubones dicti generantur: vnde consequenter euenit, quod isti bubones solùm à causa externa orti salu- 203

tares

tares sint, & facilè curantur, & solùm febres diarias generet, vtpotè qui solùm à paucis humoribus naturalibus excitantur, & potius attraacti ab ipsa parte, quàm à corpore expulsi: è contra verò bubones qui ab intrinseco pendent sæpè sunt pessimi, quia sæpè etiã prauam arguunt corporis internam dispositioné, ant prauorum humorum apparatũ.

204 Dixi cum aduertentia quod bubones qui ab externis occasionibus non dependent, sed per transmissionem fiunt ab intrinseco corporis, sæpè sunt pessimi, sæpéque arguunt morbos valde lethales, quia etiamsi in inguinibus, & aliis glandulis possint fieri bubones salutares, non solùm à causa externa, sed ob multitudinem sanguinis in vniuerso corpore, vt dicit Aëtius *tract. 2. sent. 1. c. 67.* hoc quidem raro accidit, sed sæpè praua corporis dispositio, vel prauorum humorum apparatus est causa dictorum bubonum, ideóque ab his ortæ febres putridæ sunt potius atque malignæ, quàm diariæ, & vt in pestilentibus constitutionibus, & malignis experimur.

205 Sed vt dicta magis aperiantur, scire nunc debemus ex ipso Galen. 1. *de humorib. Commẽt.* 12. & 4. *de ratione victus in acutis Comm.* 115. quod causa externa non datur vlla, quæ ex se possit efficere in nobis morbum aliquem magnum, aut malum, aut maioré, ac est febris diaria: nam neque calor, ait, vehemens, neque ira, neque labores immoderati, neque vigiliæ, aut mœrores, neque externi dolores ex se quidem & ex sua efficacia possunt maiorem efficere morbum, quàm diariam, neque naturam possunt labefactare, aut debilitare vtpotè quia causa externa neque naturã valet euincere, neque humores corrumpere, sed ad summum potest humores exagitare, atque naturam excitare, quare si præcedentibus dictis externis causis, aut earum aliqua morbus aliquis excitatur malus, vel vires debilitantur; hæc quidem non tam fiunt à dictis primitiuis, siue externis causis, quàm ab interna praua corporis dispositione aut malo humorum apparatu; solet enim nostrum corpus, ait, Galenus ita in se esse vitiosum, vel ad morbosam, aut malam affectionem paratum, vt si quid extrinsecus ei accedat affectionem dictam quasi actuans apertam faciat, sicque vel febrem accendat, vel dolorem capitis, aut destilationem, aut tussim, aut quidpiam simile ex quo non solùm malè se habeat æger, sed cũ periculo langueat, scilicet ex dicta corporis ad morbosam affectionem præparatione, ac mala dispositione; non enim cursus, aut alius validus motus, neque intemperantia, neque refrigerium, aut calefactio, neque res venereæ, neque vinũ, neque aliud quidquam externum, morbum magnum, aut prauum, neque magnam corporis læsionem, aut naturæ imbecillitatem suaptè natura excitare potest, sed vel febrem diariã, vel quod tale quod ad exigui temporis spatium perdurat; quare non est ignorandum, ait, has res externas non esse causas dictorum malorũ morborum, sed occasiones, quatenùs scilicet veras causas internas excitant siue agitant, aut quasi de potentia ad actum reuocant scilicet prauam corporis dispositionem, & humorum vitiosum apparatum.

Simili etiam modo est notandum quod 206
bubones qui ab intrinseca corporis dispositione oriuntur, & non generantur per attractionem materiæ ab extrinseca causa attractæ, sed per expulsionem materiæ morbificæ partes internas molestantis, etsi maiori ex parte sunt pessimi, & arguunt prauam corporis dispositionem; aut temperaturam, aut prauorum humorum internum corporis apparatum, qui naturam irritant, & partes internas ad eorum expulsionem, & transmissionem ad dictas glandulas, & partes externas recipientes, interdum tamen sunt boni, & salutares valdè, caréntque prauis accidentibus, vt qui sunt ex causa externa, quia scilicet à natura fiunt rectè se habente, atque potente materias morborum internorum concoquere, mitificare, ac frenare non solùm, sed etiam ad dicta emunctoria, ac partes glandulosas recipientes expurgare; vnde isti bubones non sunt symptomatici, sed critici, & quamvis ab interna corporis dispositione originem ducant, non generant febrem putridam, aut prauam, sed imò febrem putridam internam indicant, siue extinguunt, scilicet transmissa materia intus putrescente, & febrem putridam ibi efficiente ad externam partem languidam: tandem isti bubones carent prauis accidentibus, quia etsi à sanguine, aut bile fiunt præternaturali, sunt tamen iam à natura correcti, atque concocti, & quasi ad statum naturalem reuocati: quare tales bubones critici solùm si suppurantur febrem excitant diariam, atque dolorem in glandula, quia dum pus fit, dolores, & febres augentur; quod fieri non repugnat in illis etiamsi à materia intra corpus cocta sint geniti, quia cum mutet locum! pariter mutat speciem, ac potentiam generatque nouum morbum, qui suppuratur atque coquitur de nouo, vt sic ad statum salubrem etiam deueniat.

Habemus ex dictis quod licèt bubones, 207
quem à causis, siue occasionibus fiunt externis, differunt multùm ab aliis qui fiunt à causis internis nostri corporis, non tamen ideò præcisè omnes bubones qui præcedentibus causis externis oriuntur, sunt mites, atque salutares, generántque solùm febres diarias: neque omnes qui fiunt à causis internis sunt pessimi, atque exitiales: sed interdum ex præcedentibus causis externis generantur bubones aut febres, aut alij morbi per iudiciales, valdéque lethales ob corporis prauam dispositionem, ob pessimum humorum apparatum, & pariter generantur interdum bubones à causis internis salutares atque benignissimi, quia vel ob solùm fiunt sanguinem redundantem in toto corpore, vel à natura criticante, rectéque operante atque materiam morbificam vincente ac expurgante: quare etsi maiori ex parte,

ac ferè ſemper bubones à cauſa externa orti ſunt ſalutares ſolúmque generant febrem orariam mittem, atque ſalutarem; & pariter ſic & maiori ex parte ac ferè ſemper bubones à cauſa interna geniti ſunt peſſimi valdéque lethales, abſolutè tamen & ſemper neutrum verificatur & ideò Hippoc. 4. *Aphoriſmorum ſententia* 55. non diſtinguit inguinum bubones, neque eorum febres bonas à malis, quia fiunt à cauſis externis: ſed in vniuerſum ſic concludit ex inguinum bubonibus febres omnes malæ præter diarias. Quaſi dicat, quod bubones ſiue à cauſis fiant internis, ſiue externis ſunt neceſſariò vel mites, ac benigniſſimi, aut pluſquam mediocriter mali: mites quidem ac benigniſſimi, qui ſolùm generant febres diarias, aut quod ſimile: plus verò quàm mediocriter mali, qui febres generant malas, ſiue non diarias: nam febres ex bubonibus ortæ omnes ſunt malæ, id eſt, peſſimam inſequentes atque indicantes naturam præter diarias, quare bubones indicant peſſimos, aut ſaltim pluſquam mediocriter malos; ideóque in morbis accidunt malignis.

208 Sed dices, ſi non benè diſtinguuntur febres diariæ ex inguinum bubone ortæ à malis, ex eo quod fiant à cauſa externa, qua recta ratione diſtinguentur? Reſpondetur ex ſolis quidē cauſis aut occaſionibus externis non diſtingui, ſed ex illis ſimul cum miteſcētia ac benigna qualitate ipſius febris, & ex obediētia remediorū ac facilè in ratione ipſius febris, atq; bubones, febres enim diariæ & bubones qui eas generant, omnes ſunt mites quia tametſi bubones partem inflammant, atque in ea calorem præter naturam, ac dolorem, ruborem, & renitentiam inferunt vt aliis phlegmones, quia tamen tales bubones à ſanguine fiunt ſolo, aut cum bile naturali, vel alia materia laudabili mixto, idcirco mites ſunt tales bubones, ſolùm inferunt dolorem, aliaque ſyntogmata moderata, quæ omnia quia talia ſunt facilè cedunt remediis, totalémque admittunt curationem, & hæc ſint ſatis pro nunc de natura, & cognitione febris ex bubone.

209 Iam ergo rationalem curationem febrium diariarum, ex bubone dicere aggreſſi, pariter indicationes adimplendæ: primum omnium explicemus: igitur cum tria ſint præter naturam in dictis febribus, ſcilicet febris, bubo, & eius cauſa ſcilicet vulnus, vt ait Galenus *in textu* vel alia cauſa externa à qua bubo excitatur: conſequenter indicationes curatiuæ in his febribus à dictis tribus præter naturam affectibus deſumi poterunt (& dixi notanter deſumi poterunt) quia prima indicatio, quæ à febre ſumitur in noſtro caſu omittitur, quia ſcilicet febris à bubone orta eſt potius res in fieri ſiue à bubone dependens, quàm res permanens, ac verè facta, & ideò Galenus in textu apertè dicit quod vbi tum vlceri, quod bubonis occaſio fuit, tum poſtea bubonem proſpicitur, nihil amplius reſtat agendum pro curatione, niſi in remiſſione eius, quæ tunc accidit acceſſionis labore febricitantes, & parcè nutrire; quare in noſtro caſu curatiuæ indicationes adimplendæ ſolùm deſumuntur à bubone. Vnde febris diaria exoritur, & à cauſa bubonis, quæ vulnus in tibia, aut in crure inflicto à cauſa externa vulnerante, vt ab enſe, aut gladio, aut lapide, &c. quæ quidem res vulnerantes ſi actu agunt indicant etiam ſui ablationem, vt ipſum vulnus, ac bubo aliàs non indicant ſui ablationem, vt hoc opere *lib. 4. cap. 3.* docet ipſe Galenus, hæc autem quamquam ſic ſe habeant, & quamquam vulneris curatio in exſiccatione, & partiū diuiſarum aglutinatione conſiſtat, *vt libro citato 4. huius operis cap. 5.* latè docet Galenus & bubones quia ſunt humores, & materiales intemperies generalem reſolutionem indicant, ac reuulſionem illius quod in parte affecta præter naturam continetur, & denique quamvis ſic à medicis ferè omnibus curantur; nos tamen non ſic in vniuerſum ſed vt facit Galenus *lib. 13. cap. 5. huius operis*, in particulari, agemus hîc de curatione bubonis ab vlcere, ſeu vulnere externo suborti; quia ſpecifica quidem eſt, & in pluribus non ſolùm diuerſa; ſed oppoſita curationibus aliorum.

210 De phlegmonibus ergo ſiue inflammationibus noſtri corporis acturus, Galenus *libro citato* incipit *cap. 5.* à bubonibus inguinum, qui ab vlcere fiunt, ſiue à vulnere externo quia frequenter accidunt, & peculiarem habent curationem, & ab aliis inflammationibus in multis diuerſum. De curatione igitur dictorum bubonum acturus incipit ab eorum dignotione, cauſis; atque generatione, quia cognitio morbi eſt inuentio remediorum, ſic ergo habet Galenus, *poſteaquam propè magnam arteriam, aut venam vlcus oritur, celerrimè bubones excitantur: ſic igitur fit vt propter vlcus quod in manus, aut pedis digito fit, eiuſmodi glandula, in inguinibus, & ſub alis intumeſcant, & phlegmone afficiantur; cum deſtuentem ad vltimos artus ſanguinem priores exceperint. Quin etiam in collo, & ſecus aures ſæpè numero glandulæ his quibus in collo, capite, vel alia vicina parte vlcus eſt natum intumeſcunt. Nominanc autem ipſos adenas, cum intumeſcunt bubones.* Quaſi dicat ſi in manu, aut pede vulnus accidat à cauſa externa: ſtatim propter tale vulnus, ac eius dolorem tumores fiunt in glandulis, quæ ſunt in inguinibus, & ſub axillis, quia fluente ad vltimos artus, ſiue partes remotas ſanguinem priores excipiunt, glandulæ ſunt quæ ſunt in inguinibus, & ſub axillis: ſicque intumeſcunt, atque inflammantur; hancque glandularum inflammationem bubonem communiter nominant Medici.

211 Sic expoſita bubonum, de quibus nos agimus natura, ac generationis modo, & cauſis, aduertit, quod vera curatio in morbis fientibus eſt cauſarum remotio, atque ita inhibitio incipientium inflammationum ex

gene

generante eas causa tollenda præstatur; quare si in bubonibus, qui ad vulneta succedunt, totum corpus sit plethoricum, vel malo succo redundet, difficilis curatio redditur, si verò sit sanum siqnidem curatio est facilis. Et ratio est, inquit, quia in bubonibus, qui ex vulnere fiunt, oportet excalefacere, & humectare modicè totum membrum, quo sic dolor mitigetur. Quasi dicat bubones, qui ex vulnere fiunt propter vulneris dolorem excitantur, & humores corporis agitantur, fluuntque ad partem vulneratam dolentem, & ad dictas glandulas; etiamsi in corpore nulla detur sanguinis, aut alterius humoris redundantia, neque detur aliqua pars mittens ad dictas recipientes, aut affectas: quare tales bubones & vulnera à quibus oriuntur, omnia indicant calida & humida moderatè esse adhibenda; quo sic dolor mitigetur; sicque fluxio cesset, & bubones remittantur: etsi enim vulnus qua tale est exiccantia indicat quibus partes diuisæ vniantur, quia tamen dolorem excitat, atque fluxionem sanguinis ad partem affectam, indicat anodyna: siue quæ dolorem sedant, vt sunt dicta medicamenta calida & humida moderatè, similiter quamvis bubonis quatenùs humores sunt, atque phlegmones exiccantia indicant remedia, vt ex Hipp. docet Galenus 4. *huius operis lib. cap. 5. supra citato*, quatenus verò bubones sunt, siue inflammationes partium adenosarum, aut glundulosarum, & quatenus dolent dicta postulant calida, & humida medicamenta laxantia, atque dolorem, fluxionémque sedantia.

212 Sanè medicamenta, quæ modicè sunt calida & humida corpori applicata partes laxant, materiásque demulcent, ac mitificant, poros aperiunt, humores attenuant, tenuésque resoluunt, quibus quidem dolor sedatur, atque inflammationes remittuntur, atque attemperantur. Verum autem est, quod fluxiones per se reprimere non possunt, quia nihil repellunt, sed potius, è contra corpus laxant, ac partes quibus applicantur; ex accidente tamen, & quatenus dolorem sedant, pariter fluxiones ob dolorem concitatas sistunt, quare si in bubone ex vulnere, aut alia externa causa nato, corpus sit sanum, id est sine vlla humorum redundantia, aut excrementorum, curatio per dicta mendicamenta calida, & humida moderatè, ac dolorem sedantia optima est, & facilis, quia sic & bubo, & vulnus rectificantur, atque mitificantur, quia cessat potius, quam excitatur fluxio ad partes affectas, cum cesset dolor à quo humores trahebantur ad illas.

213 Sed dices medicamenta dicta moderatè calida, & humida, quamvis dolorem sedant, & sic fluxionem ab ipso excitatam sistunt, quia tamen partem cui applicantur, & humores laxant, sic etiam nouam humorum fluxionem ad partem laxam excitabunt. Respondetur id esse verum in corporibus plethoricis, aut alio quovis humore redundantibus, vt statim videbimus: non autem in quibus sanum est corpus, & sine aliqua humorum redundantia, in his enim corporibus facultates naturales sunt satis robustæ, & ideò quamvis dicta medicamenta laxent partes recipientes, atque humores, non tamen fluxio aliqua excitatur, quia facultas retentrix est valida, & dum talis est, retinet quod debet, id est quod sibi non nocet, sed sibi vtile est: in corporibus autem plethoricis, vel alio succo vitioso redundantibus, curatio, inquit Galenus, per ea quæ siccant & fluxionem ad membrum non eitant; quia tunc natura, etsi sit robusta, non detinet quod redundat, quodque sibi nocet, atque molestat, sed ad partem laxam ire permittit, atque à facultate expultrice eo expellitur quia à retentrice tunc minimè impeditur.

214 Sic expositis indicationibus, & quid agendum in bubonibus ex vulnere externo depédentibus, transit tandem ad materias explicandas, applicandasque ad tales indicationes consequendas: dicit igitur, ipsi vlceri tetrapharmacum esse imponendum, potissimùm ex oleo rosaceo liquatum, vel alio relaxante, scilicet in linteolo distentum, & calidum applicatum; quin etiam super ipsum tetrapharmacum calidum extrinsecùs cataplasma apponit, quod ex farina, vel ordeacea, vel triticea, vel ambobus mixtis, constet, humorémque habeat aqua cum pauco oleo, toto verò membro air, pãno lanæ ex calente oleo imbuto circundato. Non secùs verò etiam ipsi adeni quæ phlegmone vrgeri cœpit, vt mitigetur, imponi debebit primo die lana ex oleo calente madens; non autem, sicut nonnulli faciunt statim addito sale: post enim sale vtimur, cum & tumor per totum membrum fuerit remissus, & dolor vlceris sedatur. Hæc Galenus & his concludit curationem bubonis ex vlcere orto in corporibus sanis, in quibus nulla datur redundantia humoris.

215 Quod verò per traditas materias fiat integra, atque perfecta bubonum ex vlcere, aut vulnere curatio in corporibus sanis, manifestè constabit illi, qui secundum rationem tales examinabit materias: quare, & nos sigillatim de singulis nunc agamus. Principio igitur tetrapharmacum, id est medicamentum ex quatuor simplicibus constans, quæ sunt cera flaua, resina, oleum dulce & pix nigra secundum hanc formam ℞. ceræ flauæ, resinæ ac picis nigræ an. ℥ij.ß. olei dulcis ℔.j. fiat vnguentum: hoc inquam tetrapharmacum, siue vnguentum ob vires eximias, quas habet ad humores concoquendos, aut superandos basilicum seu regium dicitur: est enim modicè calidum & humidum, quia resina, atque pix temperantur à cera & oleo, quare vlceri applicatum dolorem mitigat, humorem noxium parti impactum coquit, illius acrimoniam lenit, potissimũ si vt ait Galenus liquatur oleo rosaceo, & carne vlcus implet, quod si obiicias quod vlceris atq; phlegmonis curatio est exsiccatio, vt supra dicebamus, & quod medicamenta per excessum humida vt dicta possunt vlcus reddere sordidum, aut putridum. Re-

ſpondet Galenus eo loco: non enim quæ calida ſunt & humida vt propoſita vlceri applicantur niſi caro aliqua contuſa ſit quæ celerrimè debeat ſuppurari,aut aliquis,ſit dolor,vt in noſtro caſu qui debeat ſedari:vnde cum iſta adhibetur curatio potius aliquod accidens complicatum curatur, quam aut vlcus, aut phlegmon.

116 Triapharmacum etiam, ſiue cataplaſma extrinſecùs applicatum ex tribus conſtans; ſcilicet ex farina ordei; aut tritici, vel ex ambabus cum ſufficiente quantitate aquæ, & pauco oleo, eadem præſtat, & præcipuè dolorem mitigat, vt dicto loco docet Galenus his verbis: *Cæterum curatio phlegmones per ordei farinam dolorem lenire ſtudentis eſt non medentis, & contra malum pugnantis*: Quare & in præſenti caſu ad ſedandum dolorem potiſſimum applicat Galenus quamuis etiam concoquit, atque reſoluit materias impactas in partibus læſis; farina quidem ordei cum aqua, & pauco oleo mixta concoquit, atque reſoluit; tritici farina potiùs concoquit, quàm reſoluit, ſed dolorem lenit valdè atque ſuppurat, vt quotidie experimur. Quod tandem lana oleo calente imbuta, atque madens dolorem mitiget manifeſte docet Galenus cum dicit ipſi denique phlegmoni vrgeri cœpit, vt mitigetur imponi debet 1. die lana ex oleo calente; ſic enim lenit partem, atque laxat, & acrem humorem demulcet, ac reſoluit moderate, & ideo addit non ſtatim ſale addito, quia cum morſu exſiccat, atque reſoluit, ſed cum tumor membri remiſſus fuerit, & cum partibus tenuioribus diſſipatis remanent craſſæ, terreſtres, ac frigidæ, & dolor vlceris ſedatus calidis exoluitis.

117 Sic expoſita curatione bubonis ex vulnere in corporibus ſanis tranſit ad ipſum curandum in corporibus plethoricis, vel malo ſucco redundantibus; ſic ergo ſcribit: *At ſi vel plethoricum corpus ſit, id eſt ſanguine plenum, vel malo ſucco redundet curatio per ea quæ ſic calent* (de prædictis calidis, atque humidis loquitur) *fluxionem ad membrum citat. At neque alia vlla vti datur. Cogimur aliàs ſanguinem mittere, alias purgare; ſcilicet ad euacuandum, ac reuellendum, quod quantitate redundans, aut vitio in corpore ad glandulas erat fluendum. ex adhibitis calidis, atque humidis ſuper illas.* Quaſi dicat Galenus curatio bubonis, ſiue phlegmonis, aut inflãmationis in inguinibus, aut aliis glandulis ex vulnere externo orti in corporibus ſanis, & ſine vlla ſanguinis, aut alterius humoris redundantia facilis eſt, & tuta ex adhibitis medicamentis modicè calidis, & humidis quæ dolorem mitigant: Curatio verò dicti bubonis per ea quæ ſic calent, atque laxant in corporibus plethoricis, aut malo ſucco redundantibus difficilis eſt, & periculoſa; quia fluxionem concitat ad partem affectam eorum humorum, qui in corpore redundant.Quare cogimur inquit ſanguinem mittere, aut purgare cum dicta adhibemus calida, ac humida medicamenta, vt ſic ſimul dolor vlceris; atque phlegmonis ſedetur (nam ad hoc nulla alia datur curatio.) & fluxio ſanguinis, aut alterius humoris in corpore redundantis reuellatur, atque euacuetur: ſic enim benè occurritur, & ſedationi doloris, & temperationi phlegmonis, & plenitudini, ac fluxioni.

Aduertit hic quod in his caſibus, ſiue ſanguis mittatur per venæ ſectionem, ſiue per membrorum ſcarificationem debent manu laborante crura ſcarificari, & altero crurum male habente reliquum, quia ſcilicet plerumque poſt hæc præſidia ita adminiſtrata glandularum phlegmon deſinit. Quaſi dicat: Quum accidunt inguinum bubones cum plenitudine ſanguinis cogimur non vtcumque ſanguinem mittere, & plenitudinem euacuare, ſed facta vacuatione reuulſionis gratia ſcilicet ex parte contraria membro recipienti, & non deriuationis gratia ſeu ex parte vicina, quia quamuis ſanguinis euacuatio, quæ ſit per partem vicinam recipiente diuertit, ſeu deriuat fluxionem, ſic tamen non decurrimus plenitudini partis mittentis: ſi verò ſanguis extrahitur per partes oppoſitas, atque diſtantes, ſiquidem & fluxio diuertitur, atque reuellitur, quod magis eſt, & plenitudo partis mittentis, etiamſi ſit totum corpus educitur: & ideò rectè concludit quod plerumque poſt hæc præſidia glandularum phlegmones deſinunt, id eſt poſt adhibitis parti affectæ medicamentis laxantibus anodynis, ſeu dolorem ſedantibus, & poſt factis dictis euacuationibus reuulſoriis, & plenitudinem vacuantibus: etſi enim difficilis eſt iſta curatio, & dictorum affectuũ complicatio, ſi tamen tres dictæ indicationes leniendi ſcilicet dolorem, reuellendi, atque euacuandi corporis redundantiam integrè implentur, benè ſuccedit curatio; ſicque glandularum phlegmones benè ſanantur. Sæpè tamen accidit, ait quod vel ipſo, qui curat ad corporis totius vacuationem ſegniore, vel ipſo qui laborat præ mollitie eam nõ admittente phlegmone maior fiat, & ad ſuppurationem perueniat; ſanguis enim citiſſimè inter omnes humores ſuppuratur. Quare & inflãmationes ſi integre ſanguine miſſo non vacuantur in pus, ſiue ſuppurationem ſtatim mutatur, vt nunc docet Galenus, quæ omnia ſunt maximè notanda cum ab aliis omittantur; non enim ſic ſed longè aliter curant noſtri Medici febres diarias ex bubone ortas ſequentes Auicennam ſuper *ſen 1. quarti canonis*. 118

119 Eo enim in loco Auicenna bubonibus,atque glandulis affectis applicat, frigida, & humida, atque repellentia, vt oleum roſarum, ac violarum cum ſucco endiuiæ, ac lactucæ, & poſca, ſiue aqua, & pauco aceto niue frigerata vt ſic ſcilicet non ſolùm calor bubonis remittatur, ſed & fluxio repellatur, quia ſaltim à cauſa externa ad partem affectam citatur, ſine attrahitur. His tamen quaſi occurrens Galenus ſic philoſophatur. Verum eſt, quod in bubonibus, aut aliis inflammationibus ſi corpus eſt plethoricum,aut alio ſucco redundans curatio; quæ ſit per calida

calida medicamenta & relaxantia excitat fluxionem, sed non ideò alia vlla curatio datur, id est, sed non ideò licet vti curatione alia, quæ repellat, atque refrigeret, nam quamuis quæ refrigerant, atque repellunt, vt sunt proposita, & phlogosi, siue incendio bubonis conueniunt atque fluxioni humorum; vlcera tamen exasperant, atque dolori, & transpirationi, ac resolutioni phlegmonis sunt impedimento: frigidum enim vlceribus mordax, & anodyna calida sunt, moderate non frigida, quæ quidem cum sic se habeant cogimur inquit aliàs sanguinem mittere, alias purgare, vt sic quod redundat, aut vitiosum est vacuetur, ac reuellatur, sed non ideo medicamenta calida atque anodyna mutantur, aut mutari debent, sed conseruati semper, quia solùm moderate calida, & humida, sunt quæ bubonibus actu calida applicata; & dolorem sedant, & humores mitificant, & tumores remittunt, atque phlegmonem breuiant, & vt vno verbo in nostro casu dicam omnes indicationes adimplent.

220 Quoad diætam autem pertinet omnes conuenimus tenui diæta esse vtendum, & vinum esse in totum interdicendum, ac denique solùm in declinatione febris esse cibandum ægrotantem. Qui enim febre diaria laborant ex bubone, vt qui ex constipatione cutis febricitant indigent victu tenui, quia parum transpirant, parumque corpus consumitur, à vino etiam debent abstineri; quia calefacit, & humores agitat, atque fluxiones auget, & ita sang. fluxum ad bubonem adauget. Tandem cum morbus in suo vigore consistit, & materiæ morbificæ violentia viget tenuissimo victu, id est inedia est vtendum, & ideo æger in nostro casu non nisi post declinationem completam est cibandus, præsertim quia in hac febre vires consentiunt, quia causa potiùs est repletio, quàm inanitio.

221 Sed dubitatur hîc an in curatione bubonis in corpore sano, & ab humoris alicuius redundantia libere possit, aut debeat sanguis mitti? Respondetur affirmatiue ex Galeno in eodem capite, sic enim habet parum infra, *sanè vacuamus totum corpus* (sicut in libro de plenitudine monstrauimus) *non modo cum corpus est plethoricum, sed etiam cum mediocritatem succorum continet, si morbi magnitudo suadeat,* si quidem dolor, & membri in quo phlegmone sedet calor, etiã si purum ab excrementis totum corpus sit, fluxionis causæ fiunt. Et ideò in nostro casu cum bubo ex vulnere, atque dolore pendeat, & febrem accendat, & partem inflammet, ex his sanguinis missio indicatur, saltim præcautionis gratia in corporibus sanis; nam quamuis in his bubo, & eius inflãmatio, ac febris, quæ inde oritur, omnes sunt parui affectus, & omnes dependent à causa externa, & non ab aliqua corporis morbosa dispositione, neque ab aliquo corporis apparatu, imminet tamen febris putrida, & imminet putredo bubonis, vnde oriatur morbus magnus; siquidem dolor, & mẽbri calor sunt fluxionis causæ, & sic augent affectus vt ait Galenus etiamsi purum ab excrementis sit corpus: quare in casu supposito ad reuellendam, aut deriuandam fluxionem, & ad dolorem, atque calorem bubonis remittendum non solùm clysteribus, aut cucurbitulis, vel aliis paucis remediis erit vtendum, sed etiam sanguinis missione scilicet in moderata quantitate, & quanta sit satis, vt pars affecta, & eius calor sufficienter transpirent, & dolor remittatur, ac fluxio cesset, aut saltim deriuetur. Quum enim in casu supposito nulla detur corporis plethora, aut humoris plenitudo expedit, ait Galenus parcius corpus vacuare, prout maximè tum ætati laborantis, tum naturæ congruere videbitur, æstimatis etiam anni tempore, & regione, ac consuetudine laborantis.

Hic etiam dubitatur ex qua parte sit sanguis mittendus in casu supposito? Respondetur quod cum in hoc casu nulla detur corporis plenitudo, neque pars mittens, quantitate grauata, aut qualitate irritata sanguis est mittendus à parte proxima bubonis, & non à remota: cum enim in corpore nulla est redundantia humorum, neque pars mittens, sed solùm materia fluens & fluxa, in parte affecta, seu recipiente, vt in nostro casu sanguis deriuationis gratia extrahitur, id est non solùm ad fluentem materiam diuertendam, & fluxam euacuandam reuera vt reuulsio, siue sanguinis missio, quæ ex parte distante, atque opposita sit euacuat partem mittentem, & fluxionem reuellit ita deriuatio, siue sanguinis euacuatio à parte proxima, atque vicina parti recipienti diuertit fluxionem, & simul euacuat materiam in parte recipiente receptam: vnde Galenus 2. *ad Glauconem, cap.* 2. fluentium adhuc humorum, ait retractio, obsidentium vero iam locum, deriuatio est remedium: materia enim quæ fluxa est etiam euacuatione cedit, vt sanguinis missione, si non sit fixa iam, siue in parte firmata, aut ei adhærens, atque cum ipsa concreta. Quare in nostro casu, non vt suprà, altero crure laborante alterum scarificabimus; sed vt ait Galenus loco citato crus è directo respondens: sic enim ait Galenus *ex vtero* v. g. *retrahes si cubiti venam secueris, deriuabis autem si qua in poplite sunt diuiseris; atque si dextra vteri pars laboret, sanguis ex dextra manu, à crure ducendus est, si in lana à membris illi respondentibus:* sic enim deriuatio celebratur; siue duo supra dicta simul præstantur, scilicet & fluxio diuertitur, & fluxum vacuatur: quæ pariter duo simul debent exequi cum non opponantur. 222

Sed obiicies hæc curatio est irrationalis in sensu explicato: si quidem ad partem affectam non licet materiam attrahere: nisi materia sit maligna, quæ hîc non supponitur, sed bona, at sanguine misso in inguinum bubone, si ex eodem mittatur crure, materias fluentes ex partibus superioribus ad bubonem non reuellet, sed potiùs citabit nam vt ait Galenus *ex vtero retrahes si cubiti* 223

venam secueris; non autem si quæ in poplite sunt, diuiseris: quare nisi fluxio priùs cessauerit, aut reuulsa fuerit sanguine misso ex eadem parte in nostro casu, & quolibet alio, aut nocebit augens fluxionem ad partem, aut non magis partem affectam vacuabit, quàm de nouo eam repleat noua fluxione excitata. Huic obiectioni occurrit Galenus libro de affectibus renum, & vesicæ cap. 16. sic. *Sed quia affectus renalis est, & materia ex qua generatur lapis, crassa: materiam qua crassam sursum reuellere promptum non est magis verò ad ipsim translationem expectamibus deorsum vacuare expedium: ob id si valida virtus sit, venam, qua in poplite est aperiemus, vel qua ad maleolos: si imbecillis venam qua est in cubito, nam si virtute debili infra euacuabimus, facultas retentrix qua est imbecillis non retinebit; sed vniuersa materia in praceps rapietur, & partem assiduo de fluxu impetet, succis videlicet in locum imbecillum perpetuè procumbentibus.* Quapropter cum firma virtus est, conuenit ex vena quæ in poplite est, sanguinem mittere; cum debilis ea est reuelli ad superiora. Hæc Galenus loco citato.

224 Quasi dicat facultatis naturalis retentricis munus est, atque officium retinere quod sibi vtile est, & toti corpori necessarium ad sui conseruationem, quapropter si in affectibus renum, aut vesicæ, aut vteri, vel aliarum partium infernarum sanguis sit mittendus, ad materiam fluentem auertendam, & fluxam, ac partem affectam molestantem vacuandam, vel saltem minorandam: si inquam res sic se habeat, & æger neque plenitudine laboret, neque cacochymiâ; sed corpus mediocritatem solùm contineat succorum, & denique virtus firma sit, vt est in nostro casu; tunc quidem conuenit ex vena, quæ in poplite est, siue malleolo cruris vicini, & è directo respondentis parti affectæ, sanguinem mittere, quia sic promptè occurritur parti affectæ, & eius euacuationi, sine fluxionis augmento aliquo, sed potiùs cum eius deriuatione, aut diuersione per partem proximam, & inferiorem iuxta humoris, atque fluxionis inclinationem. Non autem sic tunc augetur fluxio ex superioribus partibus ad infernas, quia retentrix valida retinet quod commodum, atque moderatum est in corpore ad sui conseruationem, si verò virtus debilis sit, aut corpus humoribus redundet; tunc ex cubito sanguis est mittendus, vel saltim vno crure laborante alterum est scarificandum, quia cum virtus debilis est, aut sarcina grauatur non detinet, sed vniuersam materiam scilicet vtilem, aut redundantem in partem affectam sinit irruere: hæc doctrina est benè notanda non solùm in nostro casu præsente, sed in aliis morbis materialibus, siue sint partium corporis infernarum, siue supernarum: quia in omnibus ita ab Hippocrate, & Galeno seruatur, & ideò in pleuritide sanguinem mittunt ex eodem brachio in phrenitide ex vena cephalica, & inflãmatione hepatis ex vena basilica brachij dextri, & in lienis inflammatione ex vena basilica brachij sinistri, & sic in aliis.

Tandem dubitatur hîc, an in bubonibus inguinum vel aliarum glandularum, qui non fiunt à vulnere, aut dolore, sed ab alia causa vt ex ardore externo, vel ex partis laxitate, & humoris tenuitate vti possimus medicamentis frigidis repellentibus, sicut in principiis aliarum inflammationum ad attemperandum calorem partis, & repellendam materiam fluentem, atque in parte recipiente contentam communiter adhibentur? Respondetur affirmatiuè: quia etsi bubones sint inflammationes partium debilium, siue glandularum, & hac ratione repellentia, atque actu refrigerantia prohibentur, & non indicantur: cum tamen bubones sunt benigni, & à parua materia ac bona facti, non verò à materia praua, vt in febribus malignis, neque fiunt per viam crisis, atque bonæ iudicationis: cum inquam bubones sunt benigni, & à dictis exceptionibus liberi, quæ repellentia in totum respuunt; benè possumus in eis adhibere medicamenta frigida, ac repellentia, vt fecit Galenus 1. *de remed. paratu facili, cap.* 24. sic de parotidibus, id est, de inflammationibus in glandulis quæ sunt retrò aures agens. Quæ enim sola dilatatione, aut defluxu materiæ proueniunt, id est, ex sola laxitate partis recipientis, aut solùm ex defluxu materiæ liquatæ, vel à calore attenuante, neque multa existente materia, neque venenosa, neque corpore existente pleno sola spongia ex posca imposita sistuntur, è contra in parotidibus, quæ morbi alterius sunt soboles. Vt ergo posca, id est aqua, cum pauco aceto benè in dictis parotidibus adhibetur, quia materia quæ à posca repellitur in illis pauca est, & bona sicque etsi retrocedat, & ad partes nobiliores recurrat, non potest nocere, ita pariter in bubonibus explicatis materia bona est, ac pauca, atque corpus, sine aliqua plenitudine, aut alia mala dispositione, & ideò etsi ex adhibita posca, aut alio repellente materia bubonis intrò aliquantulum recurrat, non ideò corpus nocebit, sed bubo sic temperabitur, ac remittetur sine aliqua corporis noxa, & hæc de curatione febris diariæ ex bubonibus orta, & de dubitationibus, quæ circa illam decidendæ se obtulerunt. 225

CAPVT



CAPVT VII.

De curatione febrium diariarum in corporibus calidis, & humidis.

226 
EGIT huc vsque Galenus de curatione omnium febrium diariarum in corporibus biliosis, siue in corporibus per excessum calidis, & siccis, atque extenuatis, vt sunt corpora eorum qui picrocholi, & amaruleuti dicuntur, quia in ipsis bilis flaua, siue amara nimis redundat: quare hac febrium diariarum disputatione, siue curatione finita, agit *in hoc capite* Galenus de curatione earum febrium diariarum in corporibus calidis, & humidis: cum enim ait Galenus corpora per excessum calida, & humida non minùs, quàm dicta calida ac sicca vitiosis abundent succis: hinc fit quod etiam ista corpora calida, & humida à causis externis febribus diariis corripiantur, vt corpora dicta per excessum calida, & sicca; & ideò hic de istorum curatione agendum venit, cum sit aliqua ratione diuersa à coratione earum quæ in superioribus fuerunt explicatæ. Tria autem potissimùm sunt quæ affert Galenus *in hoc capite*, nam in primis demonstrat, quod corpora calida, & humida à causis externis afficiuntur febribus diariis, sicut corpora calida & sicca: secundò agit de curatione talium diariarum febrium: & tertiò tandem demonstrat dicta corpora calida & sicca, & calida ac humida, siue talia fuerint sua natura, siue per accidens acquisita affici dicta febre à causis externis, quare caput in tres partes secatur.

TEXTVS.

Absoluta verò in his naturis quibus, &c.

227 HÆc est 1. capitis pars in qua demonstraturus Galenus quod corpora calida, & humida sunt ex se variis morbis obnoxia, & quod possunt à causis externis affici, tum aliis morbis, ac febribus, tum diariis non minùs, quàm corpora calida, ac sicca; docet in primis talia corpora calida, & humida maximè omnium morbis putridis esse exposita, quia scilicet per ipsam sanitatem, id est, ex suo statu naturali, & ex dicta sua temperatura calida, & humida proximè accedunt, ad putredinem, id est facilè putrescunt. cum enim potredo ex Aristotele, & Galeno sit interitus proprij, siue naturalis caloris cuiusque rei in vnoquoque humido à calore extraneo: Hinc facilè infertur, quod corpora calida, & humida, ex sua natura sunt maximè disposita, vt ait Galenus ad putredinem concipiendam, & per consequens ad morbos putridos patiendos: ex Aristotele enim in elementis symbolis, siue similibus facilius fit transitus, quàm in dissymbolis aut dissimilibus, & consequenter si putredo in redundante corporum humiditate, & calore extraneo siue præternaturali consistit, vt ait Aristoteles & Galenus dicta corpora calida, & humida sunt maximè disposita ad putredinem ex sua naturali temperatura cum, facillimo negotio ex humiditate, & calore naturali possint transire ad præter naturam in quibus putredo consistit.

Quod verò dicta corpora per excessum 228 calida, & humida etiam secundùm naturam se habentia sint putredini obnoxia, aut etiam in statu naturali existentia sint putrediui proxima ex sudoribus eorum qui grauiter olent, conijcitur, tum & ex vrinis,& deiectionibus, tum insuper ex ipsa respiratione, aut totius corporis transpiratione, etenim qualis est hircorum expiratio, ac transpiratio talis est dictorum corporum temperies, & excrementorum fœtor. Corpora enim calida, & humida nidorosis cruditatibus promptè capiuntur & infra dicit Galenus & verè: nam officinas concoctionis habent calidiores, atque humidiores scilicet ventriculum, iecur, & totum habitum corporis: quæ vt sic se habent, ita pariter cum concoquunt tenuiorem partem alimentorum, & magis calidam, atque humidam in dictam nidorosam mutant cruditatem, quæ species quædam est non concoctionis, sed corruptionis, aut putredinis, vt quæ à calore fit immoderato, potius quàm naturali, aut mediocri in vnoquoque humido alimentorum: quare excrementa istorum corporum fumosa, siue nidorosa omnia euadunt, vt hircorum transpiratio, atque natura, siue temperies, & ideò sudores eorum, vrinæ, deiectiones, atque expiratio, & transpiratio fœtent.

Quum igitur corpora calida, & humida 229 adhuc in statu salubri, putredini sint valdè proxima, & vitiosis, ac nidorosis abundent excrementis: hinc facilè, fit ait Galenus quod ex qualibet occasione, aut causa externa tum aliis morbis, tum verò febribus promptè corripiantur. Qui enim hac intemperie sunt præditi; & dictis cruditatibus nidorosis scatent, si cutis eorum stipatur febrem effugere non possunt, neque si perusti in sole fuerint, aut tale quodpiam passi: vti enim corpora calida, & sicca, ac in quibus amarabilis redundat, si constipantur, in febrem incidunt necessariò, ob eorum dispositum intemperamentum, & biliosorum excrementorum apparatum ad febrem: ita pariter corpora dicta calida, & humida si constipantur ad putredinem, & per consequens ad

ad febrem sunt prompta, & quia per excessum sunt calida, ac humida, & quia dictis abundant cruditatibus nidorosis quæ febrem facilè generant, *vt cap. 5.* est demonstratum. Quod etiam corpora calida, & humida ex sole adusta in febrem incidant diariam: & ex qualibet earum causarum, quas antea diximus in naturis amara bile vitiosis accendere febrem, constat manifestè ex talium corporum prompta dispositione ad putredinem, & ex redundantia dictorum excrementorum putridorum; siue nidorem, aut febrem referentium. Tandem quod & obstructio in dictis corporibus calidis, ac humidis febrem accendat, quid attinet dicere. Cum *capite 4.* hanc potissimùm febres accendere sit abundè demonstratum; qua enim ratione obstructio caloris natiui, atque humorum naturalium ventilationem impedit, ac transpirationem liberam moratur, eadem quidem, putredinem humorum creat, & pariter qua ratione obstructio putredinem humorum generat, eadem & febrem accendit scilicet diariam, si obstructio, atque putredo leues fuerint, putridam autem de qua postea agetur, si fuerint maiores, quare diariæ omnes, non minùs in corporibus calidis, ac humidis, quàm in calidis ac siccis, atque amara bile redundantibus generantur.

TEXTVS.

Curationem quæ per similem illis habent, ac in paucis, &c.

231 IN hac secunda capitis parte agit breuiter de curatione febrium diariarum in corporibus calidis, & humidis. Quum febres diariæ in corporibus calidis, & humidis non differant natura, neque causis, neque generationis modo à diariis, quæ generantur in corporibus calidis, & siccis; sed omnes in se & in sua natura sint eædem, scilicet calor præter naturam accensus in spiritibus vitalibus cordis, & inde toti corpori communicatus, & omnes vt visum est ab eis differant causis, & tandem omnes generentur eisdem modis: cum inquam hæc sic se habeant, & solùm differant ratione subiecti, aut naturæ laborantis, idcircò dicit Galenus & benè quidem quod omnes curationem habent similem, ac paucis solùm differunt, scilicet ratione subiecti, siue ratione temperamenti, naturæue laborantis: nam cum corpora de quibus nunc agimus natura sint humidiora, quamuis calida sint magis ferunt famem, ac sitim, quàm corpora supra tradita calida, & sicca: quare si corpora calida, ac humida fame per diatritarios crucientur, aut sibi per triuiales Medicos nostri temporis minùs lædentur, quàm calida, & sicca; si tamen transpiratio illis libera non deficiat: cum enim corpora calida, & humida abundent semper cruditatibus nidorosis calidis, ac siccis, si constipantur vel libera transpiratione priuantur, breui temporis spatio replentur multum dictis excrementis prauis calidis, & siccis, quæ excrementa si victu frigido, ac humectante non attemperantur, scandescunt valdè, & pessima euadunt nihilominùs, quàm excrementa biliosorum amarulenta; quare cautè dicit Galenus quod corpora calida, & humida minùs læduntur inediâ, ac potionis abstinentiâ, dùmmodo libera ipsis sit transpiratio, per quam fumosa exhalēt dicta corporis excrementa, nisi enim dicta corpora ab his nidorosis excrementis detentis exsiccentur, atque vrantur, ipsa ex se ita sunt humida, vel ita carnibus, atque humiditatibus abundant, vt inedia, aut cibi abstinentia multo, minùs lædantur, quàm corpora biliosa, & quæ saltim sunt sicca.

Sic explicata natura corporum calidorum, ac humidorum, & inde demonstrata ratione ob quam inediam, ac potionis abstinentiam facilius ferre queant, quàm corpora calida & sicca, id est inde demonstrato quod corpora calida, & humida minùs sunt cibanda, ac humectanda in curatione febrium diariarum, quàm corpora calida, & sicca; atque gracilia: *de quibus antea est actum*; concludit Galenus hanc secundam capitis partem, & peculiarem curationem febrium diariarum in dictis corporibus calidis, & humidis: dicens in his corporibus balneum esse adhibendum, vt quod cutim eorum laxet, nam etsi corpora humida cutim, ac carnes habeant laxas, & molles; quia tamen abundant semper excrementis, aut vitiosis humiditatibus indigent consequenter multa ventilatione, ac transpiratione totius corporis, qua dicta excrementa in totum expurgentur: & ideo corpore calida, & humida (*ait Galenus*) balneum requirunt, vel magis, vel certè non minùs quàm corpora calida & sicca, in quibus amarabilis abundat: balneum enim aquæ dulcis tepidæ; & cutim laxat, & eius poros dilatat, & humiditates dictas excrementitias attenuat, sicque per transpirationem corporis vniuersi expurgat, quò fit, vt ob hanc causam inquit Galenus talia corpora humida balneo indigeant non minùs, quàm sicca, licèt in quantum humectat balneum non requirant, sed potiùs moderatam exsiccationem, & his concludit totam curationem febrium diariarum in corporibus calidis, & humidis. 232

TEXTVS.

Quæcumque verò de huiusmodi natura sunt dicta eadem, &c.

EXplicata curatione febrium diariarum in corporibus calidis, & siccis, & calidis, & humidis adocrtit in hac *3. capitis parte,* quod 233

quod dicta corpora calida, & sicca, ac calida, & humida possunt esse talia ex prima eorum formatione, aut generatione, vel non ex prima eorum generatione, sed postea per accidens acquisitis dictis temperamentis à causis extrinsecis: quod quamuis ita fiat quæcumque de huiusmodi corporibus natura sua calidis, & siccis, ac calidis, & humidis dicta sunt; eadem etiam dici debent de acquisitis dictis temperamentis calidis, ac siccis, & calidis ac humidis, id est siue corpora calida, & sicca, & corpora calida, & humida talia sint ex prima sua generatione, siue non, sed postea facta talia per accidens, quæ huc vsque dicta sunt de febribus diariis, & earum curatione eadem dicta intelliguntur, & dici debent in omnibus illis: nam non solùm corpora calida, & sicca, & calida & humida, quæ talia sunt ex sua natura, siue ex prima eorum generatione afficiuntur febribus diariis à causis externis, & curantur, vt est demonstratum; sed & etiam corpora calida, & sicca, & calida, & humida per accidens talia reddita, & postquàm fuerunt à parentibus suis genita: quare curationes febrium diariarum demonstratæ hæc omnia corpora comprehendunt.

233 Quod autem corpora post eorum generationem possint reddi calida, & sicca, aut calida, & humida, & hæc temperamenta per accidens acquisita possint febribus diariis affici à causis supra explicatis, & consequenter debeant etiam curari eisdem methodis probat seorsim Galenus sic. Aliqui enim quibus boni sunt natura succi; vel qui naturâ suâ sunt temperati; coeuntibus eodem tempore pluribus causis corpus calefacientibus, ac exsiccantibus, in calidum, ac siccum temperamentum, ac in amaræ bilis vitiosum habitum mutantur: nam supponamus, ait quod aliquis qui benè temperatus est, & optimi succi æstatis tempore veniat in regionem calidam, & siccam, & eodem tempore calor, & siccitas nimis excedant, insuper quod vescatur cibis calidis, ac siccis quod plurimùm laboret, quod cogitet, nimis irascat, tristetur, ac vigilet, quod per id tempus, venere vtatur frequenter; atque in sole maiori ex parte versetur, & denique medicamenta sæpè assumat, aut bibat, quæ potenter exsiccant, atque calfaciunt vt est theriaca: cui ergo omnia dicta per æstatem contigerint hunc necesse est calidum, & siccum reddi, & amara bile abundare quamuis antea optimi succi fuerit; quare, & hic etiam ex causis supra dictis febris diariæ febricitabit, & curari debebit, vt supra dictum est. Ad eundem modum, si aliquis homo benè temperatus, & qui boni succi est ac locum temperatum incolat illi ne se in alterum solùm calidum & humidum veris tempore transferat, fitque status cœli calidus & humidus, fitque victus ratio calida, & humida; is quoque in temperamentum calidum, & humidum, naturaque putredinosum mutabitur, indeque facilè tentabitur, tum febribus, aut aliis morbis putridis, tum etiam non minimè diariis, ex causis earum supra dictis: quare & hic curabitur vt alij calidi, ac humidi.



CAPVT VIII.

Quæ natura sit paratior vt incidat in febrem, & ad ferendam inediam.



EXPOSITA curatione febrium diariarum in corporibus calidis, & siccis, & in corporibus calidis, & humidis agit *hoc cap. 8. de corporibus præparatis ad febres*; & benè quidem ac cum maxima attentione nam vt ipse docet libro de causis procatarticis ad Medicos pertinet diligenter scrutari singulas causas, quæ præcipuè solent morbos committere, nec non affectus corporis, qui ipsis causis consentiunt, aut repugnant, quia prætereaquàm quod ex Hippocrate, si morbus respondeat corporis temperamento est minùs periculosus, & è contra difficilior, & magis periculosior, si sit contrarius temperamento nulla causa potest corpus afficere, nisi sit ad patiendum paratum, atque dispositum: quare traditis in superioribus causis febres generantibus, agit nunc de corporibus, quæ ad febres sunt disposita, siue de corporibus in quibus tales causæ febres generantes poterunt eas excitare: vnde colligitur quod hæc tractatio est quàm maximè vtilis, & necessaria ad benè curandum siue ad rectos sciendos, atque curandos morbos. Dico autem cum præcipuè doceat Galenus nunc, scilicet quæ corpora, siue naturæ sint ad febres paratiores, aut minus paratæ, & quæ inediam facilè tolerant ex consequenti caput secabitur benè in duas partes. 234

TEXTVS.

Cum vero intemperies in vniuersum sint octo vt ostendimus, &c.

CVm non omnia corporum nostrorum temperamenta sint ad febres disposita, sed alia quidem sic alia verò non, ideo Galenus in hac prima capitis parte omnes nostrorum temperamentorum differentias percurrit docetque, quæ nam eorum ad febres ferendas aut suscipiendas, sed alia sunt magis, & alia minus disposita similiter per 235

ordinem

ordinem docet, quæ corpora magis, & quæ minùs sint in se, & secundùm eorum temperamentum disposita ad dictas febres ferendas, scribit igitur in hunc modum. *Cum certa sint corporum intemperies opportunæ ad febres, inter omnes oportunissima est ad febres suscipiendas calida, & sicca: propinqua huic est calida, & humida: tertia ab his est intemperies calida tantum, huic proxima est intemperies sicca tantùm.* Post has quatuor sequitur omnium media. Quatuor autem, quæ reliquæ sunt intemperies difficulter febribus patiuntur.

236 Quasi dicat Galenus quamuis nouem sint omnium temperamentorum differentiæ, vna temperata, in qua scilicet nulla excedit qualitas, & octo excedentes, seu intemperatæ, scilicet quatuor simplices calida, frigida, humida, ac sicca, & quatuor compositæ, nempè calida, & humida, calida, & sicca, frigida, & humida, & frigida & sicca vt 1. *de temperamentis* est ostensum ex his omnibus quinque sunt ad febres concipiendas dispositæ, scilicet aliæ magis, & aliæ minùs nempè calida & sicca, calida & humida, calida tantùm, sicca tantùm, & temperata, ac omnium media, & quatuor reliquæ potiùs sunt ineptæ, quàm dispositæ ad febres. Quum enim febris vt ait ipse Galenus *aphorismorum commentario 16.* sit passio calida, & sicca, & ex Aristotele in elementis symbolis faciliùs fiat transitus, quàm in dissymbolis; ex his colligitur liquido quod corpora calida, & sicca erunt præ omnibus aliis ad febres disposita quia vtraque qualitate sunt ipsi febri maximè proxima: imò addit Galenus quod intemperies calida, & sicca, & ad febrem est ita valdè disposita, vt nisi hanc medicus, vt supra dictum est cibet in principio accessionis, aut parum antea, ocissimè mutabitur febris licet solùm sit diaria in acutam, scilicet propter subiecti nimiam dispositionem ad vtramque earum.

237 In secundo vero loco ad febres faciles suscipiendas ponit Galenus corpora calida, & humida: quamuis ad alia sint deteriora, ait Galenus, & magis disposita, quàm calida, & sicca, scilicet ad putridos morbos, & ad febres putridas vt *sup. cap. dicebamus*: nam re vera corpora per excessum calida, & humida habent iecur ita præcalidum, atque humidum, quod & sanguinem ex alimentis generet plurimum, & plurimis excrementis humidis ac malè olentibus, ac quasi semi-putridis, & ex his causis, aut dispositionibus promptissimè labuntur, tum aliàs morbos, tum etiam in febribus putridis, & quidem promptius, atque faciliùs quàm corpora calida & sicca: Quare rectè inquit Galenus quod ad alia sunt deteriora, sed quod ad febrem attinet post corpora calida, & sicca magis disposita sunt calida, & humida, quàm reliqua, & ita in secundo gradu sunt ad febres megis disposita; in tertio loco ponit temperamentum calidum tantùm, scilicet quia febri solùm vnica qualitate calida est symbolum. Quod etsi ita sit dubitatur benè, cur temperamentum calidum & humidum ponatur a Galeno magis dispositum ad febrem suscipiendam, quàm temperamentum calidum tantùm, cum humiditas non augeat calorem, sed vt communitèr dicitur torpidas reddit omnes actiones, & reliquas agentes qualitates frangit, adhuc ipsum calorem quamuis omnibus sit actuior? Respondetur quod humiditas est duplex scilicet aquea atque aërea, & quod aquea humiditas est quæ remittit alias qualitates, atque calorem non verò aërea quia hæc potiùs est pabulum ignis, vt patet in oleo, & cera; quare corpora nostra calida, & humida cum sint humida humiditate carnis, sanguinis, ac putredinis, quæ est aërea, atque facilè inflammabilis consequenter sunt magis disposita ad febres concipiendas à causis externis, quàm corpora, quæ solùm sunt per excessum calida quarto loco ponit temperamentum siccum tantum, quia siccitas est minus essentialis febris, quàm calor quamuis sæpè febris sit calida, & sicca.

Tandem inter corpora ad febres concipiendas, disposita ponit quinto, atque vltimo loco Galenus corpora omninò temperata in quibus scilicet nulla qualitas excedit sed omnes sunt mediæ, & benè adinuicem contèperatæ ex eo scilicet quia ista corpora etsi non habent aliquam caliditatem, aut siccitatem, aut humiditatem aëream excedentem, ac febri congenercam tamen habent has omnes moderatas, & ita etiam ad febrem suscipiendam sunt disposita, etsi minùs, quàm illa in quibus dictæ qualitates excedentes reperiuntur; quare corpora ad pondus temperata erunt, etsi parum ad febres suscipiendas disposita, non autem reliqua quatuor posteriora, nempè corpora frigida, & sicca, frigida tantùm, humida tantùm scilicet humiditate aquea, & frigida, & humida: Nam etiamsi hæc vltima frigida, & humida sint magis opposita, & repugnantia naturæ febris, etiam reliqua repugnant vnica saltim qualitate, & per consequens omnia sunt indisposita ad febres. 238

Sed dubitatur qua recta ratione Galenus hic asserit hominem temperatum esse ad febres patiendas, aut concipiendas magis dispositum, quàm multa corpora intemperata qui libro de optima corporis constitutione, & in arte medendi docet hominem temperatum resistere magis omnibus causis morbificis quàm reliqua intemperata. Communiter respondetur hominem temperatum generaliter, ac collectiuè omnibus causis morbificis magis resistere, quia longè pluribus resistit, quàm reliqua corpora intemperata, quamuis aliquibus causis in particulari minùs resistat: Nam (verbi gratia) quamuis verum sit quod natura temperata, quia omnium media est, & magis perfecta in vniuersum, & collectiuè magis multo resistit omnibus causis morbificis, quàm natura frigida, & humida, quæ imperfecta est, & intemperata in particulari tamen & in ordine ad febrem suscipiendam minùs resistit, quàm dicta 239

dicta intemperata naturâ frigida, & humida, siquidem frigidum, & humidum distat longius à febre, siue à calido, & sicco, quàm quod temperatum est. Quæ quidem doctrina pro nunc est ita accipienda, cum hic solùm agamus cum Galeno de corporum dispositionibus, ad suscipiendas, & potissimum ad febres requisitas, & quidem ex parte têperamentorû.

240 Hic etiam dubitatur an benè Galenus in isto *capite 3.* ponat in secundo loco corpora calida, & humida, vt minùs disposita ad febres concipiendas, quàm corpora calida, & sicca; qui in antecedenti immediato videtur contrarium statuere: sic enim ibi haber, *Intemperies calida, & humida maximè omnium putredinis morbis est exposita, propterea quod per ipsam sanitatem proximè putredini accedit, veluti conijcere est, tum ex sudoribus, qui grauiter olent, tum ex vrinis, dejectione, atque etiam ipsa expiratione, etenim qualis lyrcorum talis est talium naturarum temperies, ideòque ex qualibet occasione promptaest, tum aliis morbis, tum verò febribus corripi. Hæc Galenus capite superiore*, & *1. etiam de temperamentis à capite 4. vsque ad octauum* multa affert ex Hippocrate testimonia quibus probat constitutiones calidas, & humidas esse putredini quàm maximè obnoxias, grauesque, ac pestilentes morbos efficere, & re vera si res benè attenditur, ita videtur dicendû, atque statuendum: siquidem corpora calida, & humida, & qua talia sunt, & adhuc magis quia abundant semper humidis prauis excrementis, videt ad morbos, atque febres longè plures, ac grauiores, quàm corpora calida, & sicca esse disposita.

241 Huic etiam dubio respondetur communiter corpora calida, & sicca ad febres, vt febres sunt passio calida, & sicca vt ad diarias, aut hecticas esse magis disposita, quàm corpora calida, & humida; ad alias verò febres nempe putridas omnes, ac pestilentes, & ad alios plures morbos humorales, aut malè moratos corpora calida, & humida esse magis disposita, quàm calida, & sicca: & certè res vera ita se habet: nam corpora calida humidaque, & quia vtraque sua qualitate congruit putredini; cum certum sit in calore, & humiditate redundantibus vniuersum seminarium putredinis consistere; & quia quàm multis abundant vitiosis humoribus, aut excrementis, sunt longè magis disposita, quàm calida & sicca ad omnes febres putridas, ac pessimas suscipiendas, & ad omnes morbos cachoetes, siue malignos, ac pestilentes perpatiendos: cum enim Galenus affectus corporis annotat qui causis agentibus præter naturam consentiunt, aut repugnant, non solùm corporum temperamenta diligenter attendit, sed etiam quæcumque alia simul cum temperamento consentire, aut repugnare possunt: ad quem modum quamuis Galenus ex Hippocrate statuat calidam, & humidam corporum, atque aëris constitutionem esse ad pestem dispositam, addit non sic solùm, sed potissimum si talia corpora sint excrementis, aut aliis humiditatibus superfluis referta, si sint valdè obstructa, aut malè transpirabilia, sic enim multò magis incurrunt dictam labem: & ideò cum similes morbos, aut constitutionem ad eos timet Galenus, non solùm qualitates corporum redundantes corrigit; sed & eorum plethoras euacuat, impuritates expurgat, obstructa aperit, & corpora benè transpirabilia reddit, vt sic integrè ab imminentibus malis corpora liberet: quia scilicet hæc omnia sunt dictis malis obnoxia, & consequenter corpora calida, ac humida omnibus his causis sunt magis, quàm alia ad morbos posita, tum materiales omnes, tum ex putredine dependentes.

Quod si quemadmodum fecit Galenus de corporibus in vniuersum ad febres dispositis, aliquis pariter cupiat certum ordinem habere eorum corporum, quæ sunt magis parata ad febres putridas, nam expedit certè ad ferè omnes morbos materiales benè cognoscendos, ac distinguendos. Hunc ordinem communiter constituunt Medici. In 1. gradu seu magis disposito ponunt. Calida, & humida propter rationes dictas. In secundo calida, & sicca, quia licet siccitas contrarietur putredini caliditas tamen siccitate copulata valet magis humores destruere, aut corrumpere, siue verè putrescant; siue potiùs vrantur, & sic febris oritur humoralis putrida, aut adusta, quamuis enim, quæ calida, & humida sunt per excessum faciliùs corrumpuntur, id est faciliùs in contrarium, ac peregrinam mutantur substantiam, quàm, quæ sunt calida, & sicca, tamen, & hæc per adustionem etiam corrumpuntur, atque in prauam substantiam mutantur, quæ dicitur, etiam putredo, licet minùs propriè, quam quæ à calido, & humido corrumpuntur. In 3. loco ponuntur corpora humida tantùm, & in 4. calida solùm ex eo scilicet quia humiditas redundans plùs possit ad corruptionem disponere subiectum, quàm sola caliditas, quamuis hæc sit longè magis actiua: Post hæc annumeratur communiter corpus temperatum: meâ tamen sententiâ corpus temperatum ad pondus magis resistit putredini, quàm frigidum, & humidum, imò & quàm frigidum tantùm, quia scilicet ista cum sint intemperata infra mediocritatem sunt pariter debilia, & ideò resistunt minùs corruptioni, & interitui caloris natiui, quàm natura media, sed dices ex Galeno *sexto de sanitate tuenda*. Constat, quod corpora calida, & per excessum humida sunt longioris vitæ, quàm reliqua alia; ergo vel hæc non sunt vera, vel corpora calida, & humida non erunt ita morbis obnoxia, sicut hic statuitur. Respondetur corpora dicta quò magis humida scilicet humiditate aërea, quæ est natiua, eò esse magis longæua, scilicet si benè transpirent, atque excrementis sint libera, quia tamen ferè semper prauis humiditatibus abundant, ac malè ventilantur ideò prauis morbis, atque putridis sunt magis obnoxia, quàm reliqua alia.

TEXTVS.

Quatuor quæ reliquæ sunt intemperies, &c.

243 HÆc est secunda capitis pars in qua Galenus affert corpora, quæ ad inediam tolerandam sunt magis disposita, quàm ad febres concipiendas, etsi enim in prima parte expositum sit, quod ex nouem temperamentorum differentiis quinque sunt promptæ ad febres suscipiendas. Scilicet calida, & sicca, calida, & humida, calida tantùm, & sicca tantùm, ac denique temperata: tamen quatuor quæ reliquæ sunt intemperies ait Galenus nempè frigida, & humida solum, frigida solùm, & frigida ac sicca; neque facilè febribus ex occasionibus, aut causis supra traditis afficiuntur, neque diaria tentatæ, si inediam tolerant in plurium dierum, febres transeunt imò aliquæ earũ, vbi redundantiam humorum citra corruptelam contraxerunt, vt assiduæ contrahunt vtilitatẽ ex inedia sentiũt, ac potissimũ, quæ frigida est, & humida; ab hac quæ humida est, & tertia quæ frigida: qua autem quarta & vltimo loco restat sicca, & frigida offenditur inedia. Inedia enim id est defectus cibi, atque potus ex illis rebus est siue causis externis, quæ nostrum corpus multùm desiccant, ideóque atrophia est corporis totius consumptio, siue exsiccatio ex alimenti defectu per se, ergo inedia corpus exsiccat, & per accidens calefacit quando scilicet auget, aut acuit humorem biliosum: vndè inediam corpora frigida, & humida, & humida solùm, & quæ solùm sunt frigida per excessum sine noxa sustinebunt, cum ab ea qualitates excedentes dictorũ corporum corrigantur potiusquàm augeantur; aut aliter lædantur præter naturam. Imò si talia corpora redundantiam humorum citra corruptionem contrahunt (vt assiduæ solent contrahere ex defectu concoctionis, ac nutritionis ob temperamenti frigiditatem, & debilem coquentem calorem) vtilitatem ex inedia sentiũt, quia sic dicta humorũ redũdãtia liberantur, vti & qualitatibus excedẽtibus, quibus constant maximè corpora frigida, & humida.

244 Si enim post diarias febres discussas aliquis cogatur, ait Galenus, diatriton transmittere, siue inediam per triduum sustinere alia quidem nulla in frigidis temperamentis febris excitabitur, neque in frigidis, & humidis quia etsi inedia febris etiam sit causa, prohibetur à frigiditate excedente temperamenti laborantis, Cæterum si fortè fortuna ait Galenus aliquod iis humorum vitium adsit acquisitum, fieri potest, vti in fame, & illoti per triduum custodiuntur, vt ex diariis in plurium dierum febres immigrent: etsi enim hæc corpora per excessum frigida, & humida, inedia, scilicet moderata, vt duorum, aut trium dierum, non læduntur, sed suo dicto temperamento resistunt inediæ, & eius læsionibus, si tamen vitioso succo redundent ex tali inedia facilè lædi possunt, nam talis succus vitiosus, scilicet siue verè putridus sit, siue adustus, aut merè biliosus ex inedia fermentatur, & agitatur, atque exhalatatur de nouo magis, vitiatur, & flagrat magis, vndè benè dicit quod sic affecti si inediam patiantur ex diariis in plurium dierum febres migrant, scilicet in putridas,, aut humores vitiosos. Quod est benè notandum, tum quia multoties potest contingere; tum quia in tali casu indicationes contrariantur, scilicet, quæ à morbo, & eius causa sumuntur, opponuntur aliis, quæ à natura laborantis, & eius temperamento pendent.

Tandem corpora frigida, & sicca, & ha- 245
bitus corporis siccus, & frigidus quamuis aliis causis febres diarias inducentibus resistant, ex inedia tamen læduntur, & quidem ita maximè vt nisi longo tempore ad statum naturalem, qui ea sunt intemperie redire non possint, si enim inedia semper exsiccat, hoc potissimum in symbolis corporibus, siue iam siccatis præstabit: ideo nihil mirum quod corporis habitus siccus inedia lædatur, & quidem maximè. Quod verò corpora, quæ sic sicca sunt solùm longo tempore restituantur *sup. lib. est explicatum*, sic enim partes solidæ exsiccantur, vt accidit ex inedia in siccis habitibus, tunc quidem non nisi ex longo tempore, & malè restituuntur, non enim integre restituuntur, quæ sic siccantur; sed querelis plenè siue semper displicent, & de sanitate sua quam vitia eam obtinent conquæruntur, quæ omnia ita fiunt, quia deficit in illis calor natiuus, qui auctor est coctionis, ac nutritionis, & ideò semper minùs concoquunt, & nutriuntur, quàm ad integram restaurationem, & defectum subueniendum erat necessarium. Atque sicca quidem ait corporis natura est, sed in altera contrarietate tẽperata, scilicet in calore, & frigiditate, ea in longioribus inediis scilicet in dictis, gracilescit magis, quàm quæ sicca est, & frigida, reficitur tamen faciliùs cum idoneum, nacta est victum. Quàm natura frigida, & sicca sit omnium pessima, & magis debilis. Dubitari indè poterat an talis intemperies ex inedia lædatur, magis quàm quæ solùm est sicca. Cui quasi occurrens Galenus dicit quod hæc magis gracilescit, siue læditur ex inedia, quàm illa, quia scilicet mediocris calor istius auget siccitatem, quãuis enim calor tẽperatus tãtùm sit maior tamen est quam in frigida natura, & ita calor naturæ solùm siccæ magis promouet siccitatẽ ex inedia, quàm calor naturæ frigidę, & siccæ, etsi hæc sit magis lãguida, & debilis, quàm illa vndè prouenit quod dicat Galenus reficitur tamen facilius cum idoneũ nacta est victũ: natura enim, quæ calore cũstat moderato, aut mediocri, vt quæ solũ est sicca meliùs concoquit, multò, quam quæ simul sicca, & frigida est per excessum, nam coctio fit à calore moderato: quare natura per excessum sicca; sed calore moderato prædicta si idoneũ nacta sit victũ scilicet humectã faciliùs multò reficietur, quàm sicca simul, & frigida, cum hæc omnium malè concoquat, quia coctio fit à calore in humido moderatis, quorum vtrolibet caret natura frigida, & sicca.

CAPVT

CAPVT VLTIMVM.

De qualitate cibi exhibendi in febribus diariis, & in aliis.

246 EORVM occasione, quæ in fine capitis superioris de idoneo victu in febribus diariis, & corporibus siccis dixit Galenus agit in præsenti *capite 9. ac ultimo de qualitate* cibi exibendi in febribus diariis, id est docet cuius temperamenti esse debet, cibus quem in febribus Medicus debet exhibere non modò diariis, sed aliis quibusvis. Demonstraturus autem Galenus qualis esse debeat victus, seu cibus, & potius in dictis febribus diariis indicant victus, ac cibi qualitatem, & qualem singuli per se cibi qualitatem postulant, postea verò docet, qualis esse debeat cibus in complicatis, atque contrariis indicationibus: cum enim cibus non solùm in diariis; sed in aliis febribus, & in alio quocumque morbo à pluribus indicetur rebus, vt statim videbimus, consequenter scire debemus in vna quaque febre, aut alio quouis morbo, qualis cibus dari debeat, & potissimum si contrariæ sint indicationes, cum enim indicationes cibum indicantes inter se aduersantur: necessariò videndum se offert, quid agendum cum simul omnes debito modo possint exerceri. Duo ergo sunt quæ nunc agit Galenus, quare, & caput in duas secatur partes.

TEXTVS.

Enim verò eiusmodi omnibus victus ratio alteranda est, &c.

247 HÆc est prima capitis pars, in qua Galenus acuratè demonstrat quod victus, siue cibi qualitas in diariis sumitur à pluribus scilicet, non solùm ab ipsa febre, sed à natura, siue à temperamento laborantis, ab eius ætate, & consuetudine, ab anni tempore, ac cœli statu, & in summa à rebus omnibus non solùm præter naturam; sed & à naturalibus, ac ab ambiente. Quamuis enim in *hoc capite* vt postea inquit scopus sit, solùm idoneum inuenire victum vnicuique corporum intemperatorum de quibus *sup. cap. actum est*; tamen neque huius victus, aut cibi qualitatem possumus inuenire, nisi sumptis indicationibus ab omnibus dictis. Et quamuis nunc ex professo non agatur de victu vniuerso, sed de ea eius parte, quæ cibo ac potu continetur; non enim hic de perfusionibus agitur, neque de cathaplasmatis, &c. sed tantum de danda debita qualitate cibi, atque portionis in febribus diariis, siue in corporibus febre diaria laborantibus, tamen hæc cibi, atque potus qualitas indicatur ab illis omnibus rebus, neque aliter benè haberi potest. Nam febris siue diaria sit, siue alia quæuis cum sit passio calida, & sicca præter naturam indicat victum contrarium, siue cibum, atque portionem frigidam, ac humidam, quâ temperetur, siue corrigatur, & ad meliorem statum naturalem reducatur, similiter corpora, quæ febricitant, siue temperata sint, siue intemperata victu conuenienti sunt alteranda, vt statim in principio capitis docet Galenus 1. eo victu conuenienti sunt cibanda, quo & conseruari possint, & febri resistere, & à febris iniuriis liberari: febris enim est hostis infestissimus nostræ naturæ, & ideò corpora nostra si febre laborant, & si solùm sit diaria, indigent victu conuenienti, & aliis remediis quibus liberentur à febris vehementia, & aliis vitiis.

Posito iam quod cibi qualitas in febribus 248
diariis, & indicatur non solùm ab ipsa febre, sed & à natura laborantis, siue febricitantis, & ab aliis huiusmodi: explicat consequenter, qua ratione singula dictorum indicant cibi qualitatem, id est explicat qualem victum, aut ciborum qualitatem singula eorum indicent, & petant, attentâ eorum naturâ. Sic enim habet Galenus dictum namque sæpènumero iam est id quod secundum naturam, est similia semper postulare, quod præter naturam est contraria: quia quod secundùm naturam se habet custodire, quod præter naturam verò tollere oportet, at similia similibus conseruantur, & contrariis, quæ præter naturam sunt curantur, vel tolluntur: quare febris omnis cum præter naturam sit, ideò victus rationem frigidam, humidamque exigit. Temperamenta verò ipsa laborantium, aliàs similia, aliàs postulant contraria: quæ enim vitio carent, similia perpetuò indicant; quippè quæ seruare expedit, quæ verò vitium habent, aliàs similia, aliàs contraria: cum enim hæc ad vnguem non sint temparata, neque omninò secundùm naturam se habeant; nam aliàs non essent vitiosa, scilicet, & qualia accepimus seruare similibus duntaxat transferre, atque immutare à moderato vsu contrariorum.

Itaque cum intemperatas corporum natu- 249
ras, siue temperaturas possimus, qualis accepimus, seruare, vel ad melius transmutare cum valent benè ait, & non ægrotant, vel aliter de se queruntur, aut malè habent, licet victus rationem illis immutare: quia ex Hippocrate 2. *acutor.* Naturæ semper gaudent consuetis; & consuetudo adhuc in morbis, & in illis, qui sibi iam displicent, ac extra cœtum sunt eorum, qui secũdum naturam se habent est seruanda: ex consuetudine ergo in morbis, ac naturis intemperatis indicationem vt sequitur sumere conuenit;

siquidem multò iam tempore intemperatas naturas contrario victu ei, quæ vicit intemperiei cibauerimus, aut cibatas inuenerimus, ita etiam & cum parum ex sententia se habent, vel malè se habent faciemus si non minùs indicationem, quæ similia temperamento suadet præferemus: vt docet Hippocrates 1. *aphorismorum* 16. sic scribens: *Victus humidus febricitantibus omnibus conuenit, maximè pueris, & aliis qui ita cibari sunt assueti*: febricitantibus enim in quantùm febricitant ex contrariorum indicatinne humidus victus conducit: pueris ex similium. Eodem autem modo, & quæ à consuetudine sumitur indicatio, & quæ ab ætate, nam, & ætas cum ex iis sit, quæ à natura nobis insunt similem sibi victum postulat, & proinde seruare Hippocrates iubet ætatem, & consuetudinem in febribus.

250 Sed est hic adhuc notandum, quod quæ nobis insunt sunt secundum naturam nempè temperamenta, atque ætates sunt in duplici differentia scilicet vel temperata, aut parum à temperatis recedentia, vel intemperata sunt plusquàm mediocriter, & potiùs ad extremum, quàm medium naturæ accedentia: quæ ergo secundum naturam nobis insunt, & temperata sunt, aut parum à temperatis recedunt, indicant similia, aut sui conseruationem per similia, quia sunt temperata, atque perfecta; quæ autem secundum naturam nobis adsunt, sed tamen intemperata sunt, & quidem plusquàm mediocriter: indicant contrarium, siue sui correctionem, aut reductionem ad statum meliorem, siue mediocrem, quod fit per moderatum vsum contrariorum. Vndè natura nostra non solùm ad pondus temperata, sed & quæ ad iustitiam talis est, etsi hæc sæpè aliquantulum à temperata ad pondus recedat, similibus gaudent semper, quia semper postulant conseruari cum sint temperata; aliæ verò naturæ nostræ, quæ has superant, atque excedunt, etsi nobis insint secundum naturam potiùs contrarium; atque correctionem indicant ex se, quàm similia ac conseruationem, quia sunt plusquàm mediocriter intemperatæ, & longè magis ad extremum temperamenti, quàm ad medium accedunt. Similiter ætates, quæ mediæ sunt vt iuuenum, aut puerorum similibus conseruari postulant, quia sunt robustæ, atque perfectæ; quæ verò sunt extremæ, & imperfectæ vt senectus, & declinantium ætas correctionem indicantur per vsum contrariorum. Sic & anni tempora, & cœli status, & regiones, quæ temperata sunt indicant similia, vel sui conseruationem per similia, quæ verò sunt intemperata non similia; sed correctionem indicant per contraria, vndè ver quia temperatum est similia indicat, & sui conseruationem, æstas autem, atque hyems contraria & sui correctionem.

251 Itaque quamquàm verum sit quod natura nostra similibus gaudet, non solùm quæ temperata est; sed etiam intemperata, atque extrema, & quamquàm consuetudo, quæ multo iam tempore contracta est; quia sic fit quasi altera natura acquisita ex tali larga consuetudine conseruari postulat in morbis, & ideo non solùm natura nostra, quæ media est, aut ad iustitiam temperata similis victu, & conseruatur, & delectatur; ac gaudet; sed etiam quæ intemperata est, vt calida, ac sicca, aut calida, ac humida per excessum plusquàm moderatum calidis, ac siccis, aut calidis ac humidis sibi similibus delectatur, conseruatur, ac gaudet, & è contra natura frigida, ac humida, aut frigida ac sicca, & sic de aliis intemperatis naturis, & potissimum si iis accedit similium consuetudo ex multo iam tempore contracta. His tamen nonobstantibus naturæ dictæ intemperatæ, quia vitiosæ sunt, & sanitatem lubricam faciunt; imò corpora sic constituta potiùs neutra, quàm simpliciter sana euadunt, potiùs corrigi postulant, ac debent per contraria, quàm vsu similium conseruari, nam qui sic sunt intemperati, si moderato vsu contrariorum non alterantur, atque ad statum magis perfectum, seu moderatum non mutantur semper sibi displicent, & perpetuis querimoniis laborant atque afficiuntur. Quare si tales naturæ intemperatæ (idem de anni temporibus, cœli statu, ac similibus) in morbis potiùs conseruantur, quàm mutantur, vt hic dicit Galenus hoc vel ex eo fit, quia morbus ita faciendum postulat, nam quia vlceris curatio est exsiccatio, ideò in vlceribus omnibus temperamentum partis vlceratæ, si cum similibus conseruari desiderat vt in febribus ardentibus temperamentum corporis frigidum, & humidum, vel ex longa consuetudine prouenit, nam sicut naturæ omnes gaudent consuetis, ita insuetis alterantur maximè, quod ne accidat in morbis consuetudo perpetuò est seruanda adhuc si sit vitiosa.

TEXTVS.

Itaque etiam nos cum ex omnibus, quæ circa ægrum, &c.

HÆc est secunda capitis pars in qua Gale- 252
nus explicat qualis esse debeat victus, siue ciborum qualitas in diariis non solùm cum concordes sunt indicationes; sed cum sunt inter se contrariæ, aut saltem oppositæ: sic enim scribit Galenus: *Itaque etiam nos cum ex omnibus quæ circa ægrum spectantur eius quod conducit conuenit inuentionem moliri, id est tùm quando indicationes omnes secum consentiant, & quando inter se dissentiant inspicere debemus semper: omnibus enim consentientibus vnam prorsùs victus speciem constituemus; dissidentibus verò inter se, quæ valentiores, ac plures fuerint præferemus, ita vt victus species, quam hæ præscribant præferatur, sic tamen ne contraria sit neglecta.* Quasi dicat Galenus qui rectè in febribus diariis, aut aliis morbis victum vult præscribere, atque

atque exhibere duo debent necessariò præstare, ac benè intelligere, alterum scilicet ex omnibus quæ circa ægrotum spectantur, quæque victum indicant eius quod conducit inuentionem moliri, id est, singulorum quodlibet per se indicet: alterum etiam quando omnes indicationes, quæ victum indicant erunt inter se concordes, & quando non; sed inter se discordes, & diuersa indicantes. Quamuis enim plures sint res, quæ victum indicant in febribus, ac aliis morbis & quamuis tales res diuersas indicent ciborum qualitates, non tamen semper ita indicant diuersa, quod aliquando non possint omnes conuenire, & inter se consentire: quare omnibus inquit consentientibus vnam prorsùs victus speciem constituemus: dissidentibus verò inter se, vt sæpè contingit, quæ valentiores sunt ac plures res victum indicantes præferemus, ita vt victus species, quàm hæc præscribunt præferatur; sic tamen ne contraria negligatur.

253 *His sic statutis concludit dicta sic Porrò prælatio hæc aliàs vtrisque in vnius auxillis materia mixtis perficitur, aliàs seorsim sūptis.* Quasi dicat si indicationes v.g. dandi cibi calidioris vicerint, vt si duæ fuerint, quæ calefactionem indicent, & vna solum refrigerationem; in hoc casu sine dubio præferendus est cibus calidus; ita tamen vt qu a vna etiam refrigerandi indicatio adest, factum rectè simus, si vel duos cibos calidos, & vnum frigidum miscuerimus, vel vnum tantùm cibum calidum, nullum frigidum. Hoc enim vel illud facere possumus; & hoc ita facere, est quod dicit Galenus interdum scilicet vtrisque in vnius materiæ auxillis mixtis, interdū seorsim sumptis. Ex quibus colligitur quod quamuis indicationes dandi cibum inter se sint contrariæ, aut è diametro oppositæ, ita vt quod vna indicat, altera contra indicet, non ideò tamē earum indicatum aliquod omninò interdicitur, sed quasi contraria adinuicem temperantur, quamuis in compositione, vnum alterum excedat: vnde etsi in aliis contrariis indicationibus cōtrariis remediorum aliorum auxiliis, cogamur multoties vrgentioribus occurrere neglecto omni alio, in indicationibus tamen & indicatis, quæ ad victum, aut cibum in morbis exhibendum pertinent, hoc non accidit; sed semper temperari possunt, ac debent, tum ob cibi benignam qualitatem, ac naturā, tum ob eius perennem indigentiā, sæpè enim in morbis ex plenitudine ortis indicatur euacuatio sanguinis, & quidem in multa quantitate, quia plenitudo magna est, & tamen sanguis neque in pauca quantitate extrahitur, aut quia vires deficiunt, aut quia alia est indicatio contraria, quæ omninò interdicit sanguinis missionem. Et in cibi administratione ita non contingit; sed si ex vna parte vna est indicatio, quæ omninò cibum subtrahit, aut calidum v.g. petit & alia ex alia parte; è contra cibum petit, & frigidum, tunc stimatis talibus indicationibus, vrgentiori occurritur alia non neglecta; sed vrgentiori plùs, non vrgentiori minùs damus.

. Exposita iam inquit Galenus communi ratione omnium, quæ inter se complicatæ sunt contrariarum indicationum. Quomodo hanc ad visum conferre oporteat videndum venit; & præsertim, quia aliquando ipsi morbi coeuntes sunt contrarij; aliquando verò morbus vnus est; sed qui contrariam indicationem subiœit, aut naturali laborantis temperamento, aut ei quod nunc acquisiuit præterea & ætati, & consuetudini, & regioni, & anni tempori, quæ vt est dictum diuersis modis disponi debent, vt in ipsa singulorum particulari tractatione ostendemus. Nunc ergo cum propositum hoc loco solum sit victum conuenientem in febre diaria laborantibus inuenire, & potissimùm in corporibus intemperatis superiore capite relatis, idcircoque cæpimus methodi cibandi modum veluti sub exemplo, vt sequitur examinetur. 254

Supponamus ait correptos febri esse duos homines in regione natos, educatosque temperatā, nunc verò in ea non esse; sed alterum in calida, & sicca, & alterum in frigida, & humida per excessum. Supponamus etiam eosdem diuerso esse temperamento, tum natura, tum consuetudine, tum ætate: præterea si placet supponamus etiam sub diuerso anni tempore, & statu cœli ægrotare; ita scilicet vt alter calidus, siccusque natura sit, ac tali victus rationi in totum insueuerit; hicque præterea iuuenis sit, & hyeme ægrotet, atque in humida, frigidaque regione, & statu cœli simili: alter autem frigidus, ac humidus sit simili victu assuetus, & ætate puer, atque æstate, in calida, siccaque regione à simili cœli statu laboret. Nempè quæ à febricitando sumitur communis amborum est atque refrigerent, & humectent desiderans: reliquorum verò nulla est præterea communis vt constat *ex dictis antea.* 255

. Priori siquidem, & propter naturam, & propter ætatem, quæ simili sibi victu fuerunt assuetæ calidioris, sicciorisque temperamenti cibus est idoneus: ab ætate omni, & natura inquit infra non absolutè indicatur cibus, sed cum consuetudine. Præterea cibus etiam calidus, & siccus indicatur ab anni tempore, statu cœli, ac regione supramodum frigidis, ac humidis: non enimque ab his suppeditatur indicatio similia desiderat; sed contraria; cum sit intemperata vt *supra diximus*, & ipse Galenus dicit pariter parum infra, quare in casu supposito sola indicatio. Quæ à febre sumitur suadet, ac petit cibum frigidum & humidum: reliqua verò omnia, è contra calidum, & siccum. 256

Alteri autem febricitanti ex suppositis propter ætatem ait, & naturam, & consuetudinem similia ipsis exhibenda indicantur: propter ætatem quidem humida modicéque calida; propter naturam, & consuetudinem humida, & frigida, à consuetudine enim semper est indicatio similium quoad scilicet ægrotant homines: propter regionem denique, & anni tempus, & statum cœli 257

contraria id est tantò temperatis frigidiora, & humidiora, quantò regiones ipsæ, (& anni tempus, ac cœli status) sunt temperatis calidiores, & ficciores, ab ætate equidem, natura, regione, anni tempore, & cœli statu vbi temperata hæc sunt, similium semper est indicatio præsidiorum, siue valeant, homines, siue ægrotent. E contra ab intemperatis anni tempore, statu cœli, & regione contrariorum est indicatio, & pariter etiam ab ætate, ac natura intemperatis, nisi consuetudo contradicat; vsu rerum contrariarum ex longo tempore acquisitus.

TEXTVS.

Porro nihil in contrariis indicationibus tam conuenit, &c.

258 VIsum est textu superiori quod sæpè in febribus contrariantur inter se indicationes, quæ victum præscribunt, quæ cum sic se habeant, cumque vt supra diximus, indicationes cibum ostendentes, atque postulantes, & si intet sese sint contrariæ, omnes simul debeant adimpleri, sed quæ earum fuerint maiores, aut magis efficaces, quæ verò minores fuerint minùs debeant impleri: cum hæc omnia inqnam sic se habeant, id eirco nunc scribit. *Porro nihil in contrariis indicationibus tam conuenit expendi, quàm magnitudinem eorum, quæ ad indicationem coierunt*: Etsi omnia quæ cibum indicant in morbis necessario sint attendenda, & eorum cuilibet sit subueniendum, quæ tamen maiora, aut digniora, aut præstantiora erunt, aut magis erunt vrgentia, hæc quidem magis, ac priùs erunt subuenienda, quàm alia quæ minùs indicabunt, & minora erunt, aut nihil vrgebunt, itaque vt in contrariis indicationibus victum indicantibus in morbis conuenientem victum possimus adhibere, ait Galenus necessariò debemus distinguere, & benè intelligere non solùm quod & quales sunt, quæ victum indicant; se simul etiam singularum indicationum propiam magnitudinem.

259 Hæc autem contrariarum indicationum aut indicantium magnitudo provt ad præsens attinet vt 3. de sanitate tuenda *cap.* 9. etiam ostendimus, (ait Galenus) est duplex altera scilicet quæ ex ipsorum, quæ indicantur dignitatibus desinitur, altera verò, quæ ex ipsorum propriis substantiis; siue essentiis pensatur. Non est enim in omnibus rebus; ait loco citato 3. de sanitate tuenda vnius rationis ipsius maioris natura; sed aliàs pro viribus, & quasi dignitate rei, scilicet indicantis, aut indicatæ, aliàs pro ipsius propria essentia spectatur: Nàm dignitate quidem, & viribus maior lassitudo est quæ phlegmonis sensum præfert, quàm excrementosa. Vtraque tamen ipsarum ratione propriè essentiæ magna, paruaque esse potest: quare cum contrariæ sunt indicationes, quæ victum in dicant, in diariis febribus (ait nunc Galenus) conuenit non solùm earum numerum, id est an sint numero pares, aut impares, quæ inter se contrariantur, inuenire; sed & etiam singularum magnitudinem benè expendere; singulas scilicet expendendo, & conferendo cum medioeri, & quod secundùm naturam est: nisi enim ita quisque indicationum potestates examinet, sanè mensuram victus inuenire non poterit, vt enim cum concors est omnium indicatio nullum exhibetur negotium ita vbi discors pro pluribus, ac potioribus formari debet victus ratio id est, quæ plures erunt, & maiores, aut dignitate magis præstantes, similiter erunt quæ potissimum victum exhibendum indicabunt, quamuis omnibus sit subueniendum saltim aliqua leui ratione.

260 Sic statutam vniuersalem doctrinam explicat magis atque confirmat ex exemplis duobus parum antea suppositis, & benè quidem, quia vt ipse habet *lib. sequenti, cap.* 4. doctrina quæ exemplis patefit est omnium expeditissima, & citò, ac facilè discentium animos arripit. Scribit igitur quasi ad hunc modum. In exemplis parum antea propositis videmus ex eo quod febricitant ambos postulare refrigerantem, atque humectantem victum non tamen ex cæteris; sed ille solus cuius tum ætas, tum temperamentum, vna cum consuetudine, tum regio, tum anni tempus, & cœli status humectantia, refrigerantiaque exhibenda indicant, qui quidem secundus est ex propositis: Tunc ergo (omnibus scilicet indicationibus idem dictantibus) non solùm refrigerare, & humectare debemus ait, sed multùm quidem, ac vehementer. Cuius vero reliqua omnia refrigerantem humectantemque victum vt febris non indicant: sed contrarium scilicet calefacientem & siccantem, vt in primo casu supra supposito est videre in hoc sanè casu vti pugna, & discordia datur indicationum inter se, ita magnopere opus est tum numerum indicationum, quæ inter se pugnant, aut contrariantur: tum magnitudinem simul conferre: quippè quæ à febre sumitur indicatio, eam reliquis. Æquando, omnes contrarium faciendum præscribunt; numero quidem inferior est magnitudine tamen, quæ ex dignitate, aut potestate indicantis, aut lædentis, aut quomodocumque appellasse libeat, spectatur vt quæ superior est: potissimum si longè à natura recedat; quippè tunc duplex magnitudo febri accidit vna scilicet quæ ex febris genere prouenit, & quæ propria est ipsius febris; febris siquidem quæcumque sit, est nostræ naturæ contraria, læditque omnes nostri corporis actiones, sicque plùs cæteris omnibus dictis sollicitos nos reddit, quia magis lædit multò quàm reliqua omnia, altera verò magnitudo ex ipsius febris intensione, siue augmento oritur, nam si febri præterquàm quod

febris

febris est etiam, magnitudo aliqua notabilis accidat, siquidem contrarias omnes dictas indicationes indicent, atque obumbrant, tum quia nulla earum est sicuti febris præter naturam, tum quia febris, & magnitudo eius potissimum dignitate, aut necessitate reliquas omnes superant.

261 Et ideò si parua fuerit febris, ait Galenus fas est cum ea alias contrarias indicationes conferre, atque expendere, etsi pares videantur, neque febris indicatio præfertur scilicet refrigerandi; & humectandi, neque indicatio aliorumque calefaciendum, ac siccandum suadent; sed media victus ratio, vbi ita se corpus habebit eligenda erit: Siue altera indicatio exuperet, tantùm recessisse à temperamento, & medio victu par est, quantùm ea, quæ pollent, sua contraria superabunt.

262 Sed dices: febris etsi parua sit est morbus, & passio, siue calor præter naturam cordis, atque totius corporis viuentis, quare indicatio, quæ sumitur à febre, quæcumque sit, cum sit magna dignitate non poterit æquari ab alia indicatione, quæ sumitur à re naturali, neque ab aliis omnibus, quas ponit Galenus contrarium indicantes, cum omnes sint à rebus naturalibus desumptæ, & ita dignitate paruæ, aut saltim inferiores eique à febri desumitur, quæcumque sit: quare quantùm his febris parua sit, & vna sola, & alia omnia, quæ victû quo indicant, sint pluri, & contrarium indicent victum quàm ipsa febris non poterunt æquare indicationem, quæ sumitur à febre, sed semper alimenta excedere debebunt mediocritatem temperamenti tantò excessu frigiditatis, atque humiditatis, quantò febris parua superabit mediocritatem naturalem, ipsius laborantis, atque ætatis, & anni temporis, &c. vt rectè respondeatur est aduertendum *quod libro sequenti, cap. 13.* affert Galenus scilicet posse accidere quod corpus euacuatione indigeat ob aliquem morbum, aut plenitudinem præter naturam, & vires sint extremè debiles: hoc ergo tempore inquit Galenus & in hac indicationum complicatione, atque indicantium discordia reficiemus priùs vires nihil agentes circa morbum; quia scilicet indicatio quæ à virtute naturali sumitur est præstantior, & potentior tunc ad indicandum, quàm quæ sumitur à morbo, aut plenitudine præter naturam: quare ex eo præcisè quod febris, aut alia res sit præter naturam non sequitur quod semper indicet magis quàm res naturales, & ratio est quia res naturales, siue quæ à natura nobis insunt, possunt alterari, atque mutari à sua naturali perfectione, ac debita mediocritate, & quidem multum vt liquido ostenditur, in exemplo proposito de viribus extremè languidis: Si ergo res naturales à sua debita perfectione, ac natiua mediocritate deficiunt, tunc vt res ipsæ præter naturales assumunt dignitatis magnitudinem, & eo quidem magis quo plus à naturali mediocritate, aut perfectione recedunt, & sic res naturales, & earum indicationes possunt, non solùm æquare indicationem morbi, atque ab ipsius febris debet superare vt in exemplo posito vires extremè debiles ostendunt.

TEXTVS.

Ac diariarum quidem febrium indicationes ex his, &c.

263 TAcitæ obiectioni respondet in hoc textu, ac in fine libri Galenus poterat enim aliquis dicere, atque obiicere quod Galenus in hoc libro quamuis acuratissimè videatur agere de curatione omnium febrium diariarum, atque de earum cibatione, victusque ratione; nihilominùs tamen, neque in earum curatione aliqua neque in aliorum administratione desumpsit aliquam indicationem à viribus laborantium, cum tamen ab istorum temperaturis, ætate, anni tempore, &c indicationes assumpserit, tum antea, tum potissimum in hoc vltimo capite. Huic igitur obiectioni, quasi occurrens Galenus scribit, in fine libri *diariarum quidem febrium indicationes ex his generibus capiuntur, raroque accidit si alicubi à laborantis virium modo, &c.* quasi dicat quamquàm verùm sit, quod in aliis febribus, quæ pluribus diebus affligunt etiam indicatio à viribus petita est adhibenda, & quamuis verùm sit quod in talibus febribus non est leue consilium; siue indicatum quod à viribus petitur, tum quia per plures dies durant, corpusque molestant, tum ratione causarum, quæ ipsas excitant, vt in putridis febribus, siue humoralibus passim experimur, quamuis inquam hæc sic se habeant, tamen in diariis febribus raro aut numquam accidit quod à viribus laborantis indicatio sumatur, cum diariæ parum corpus affligant, & rarò ad tertium, aut quartum diem extendantur, vt in superioribus est monstratum: indicatio enim à viribus desumpta tunc est vtilis, ac necessaria, cum natura nostra vel à morbo magno, vel ab eius causa, aut aliquo symphthomate vehementi conflictatur, vel alitet virium lapsus timetur vt in administratione sanguinis missionis, vel alterius magni remedij, potissimum euacuantis, & ita in morbis magnis, aut diuturnis indicatio à viribus orta vtpote quæ vires conseruare, aut custodire suadet maximè attenditur, sicuti etiam quoties, tum alia magna remedia, tum copiosæ euacuationes, & potissimum sanguinis in nostris corporibus exercentur. Vndè in diariis rarò accidit sollicitudo conseruandi vires, vt quæ in eis consistent semper, cum neque à febre diaria, neque ab aliquo eius symphthomate, neque ex earum adhibita curatione, & remediorum administratione deiiciantur vt in aliis accidit febribus, in putridis enim, & humoralibus, & quia acutæ sæpè sunt, aut longè, & quia sæpè symphthomatibus complicantur vehementibus,

mentibus, atque naturam, seu vires labefactantibus. Et denique, quia multis euacuationibus curantur indicatio virium plurimum præstat: sic etiam in febribus hecticis cum longissimæ sint, & sæpè cum virium langore coniungantur, indicatio virium, & earum restauratio necessariò excitatur. Quod si obiicias quod cum febris diaria vt & hectica sit res facta, & calor cordis præter naturam permanens etiam in ea vt in reliquis morbis à viribus sumetur indicatio. Huic respondet Galenus quamuis commune sit hecticis, ac diariis, hoc quod est non ampliùs fieri; sed esse eam in facto, vtpote quas nulla accendit causa; differunt tamen maximè, siquidem diaria in affectione consistit, id est, & in eo leni affectu qui calorem præter naturam conceptum citò amittit; hectica verò febris consistit in habitu, qui ægrè soluitur, & ideò febris diaria, etsi morbus sit, & res facta secum non habet coniunctam virium debilitatem, vt hectica; atque proinde indicatio quæ à viribus sumitur in diariis necessariò non datur, vt in aliis febribus, neque in diariis vires per se indicant, *sed ex accidenti de quo in sequentibus differit.*

Dubitationes super Textum.

263 Multa supponit Galenus *id hoc capite* quæ maiori egent explicatione, ac probatione: quamuis enim Galenus ea supponat tanquam vera sint, quia tamen argumentum ab autoritate, quæcumque sit, non inducit scientiam; sed tantùm opinionem: idcircò, quæ Galenus supponit ampliùs explicabimus, & an vera sint, ac qua ratione demonstrabimus vt sic, quæ probabilia reliquit Galenus tandem scientifica reddantur. Principio igitur in *secunda capitis parte supponit*, scilicet quod & conseruatio fit à simili, vel quod similia similibus conseruantur, quare duo hîc supponit, scilicet quid sit conseruatio, & à quo fiat: vndè hæc duo sigillatim, & suo ordine in primis explicanda, & ex natura rei demonstranda aggrediamur: sic enim quod est probabile scientificum euadet.

264 Conseruatio ergo cum sit permanentia rei cuiusque in eodem statu: hæc rei permanentia, siue conseruatio in eodem statu est duplex vna rigorosa, in qua scilicet res verè permanet in eodem esse, aut in eodem statu sui esse, vt cum lumen aëris conseruatur ab illuminante: Certum enim est quod si lumen secundum duos gradus verbi gratia, sit productum in aëre conseruabitur sine mutatione aliqua à quolibet illuminante si in se habeat eosdem duos luminis gradus, sic etiam duo gradus caloris in subiecto introducti conseruantur à calefactione vt duo; altera rei conseruatio dicitur à Galeno, & ab omnibus Medicis, non quidem quia vt in prima, res quæ conseruatur permaneat in suo esse sine mutatione aliqua, sed quia si mutatur per conseruationem hanc corrigit mutario, siue quod immutatum fuerat: Sunt enim multæ res, vt & nostra natura est, quæ sunt in perenni mutatione, atque defectu; omnia enim viuentia naturalia sunt talia; & potissimum nostra corpora, quæ vt magis sunt perfecta ita singulis diebus, singulis horis, atque momentis permutantur, atque exoluuntur, quod quamuis ita fiat; & nostra corpora, & alia dicta viuentia conseruantur, & conseruari verè dicuntur hac secunda ratione, quia etsi semper diffluunt, atque mutantur secundum aliquid, quod tamen sic ineuitabili ratione deperdunt, corrigit per hanc secundam conseruationem, & sic per multum tempus res istæ labiles, atque caducæ conseruantur in suo esse viuentis ac sanitatis.

His duabus conseruationis differentiis sic expositis, docet Galenus *libro ad Trasibulum cap. 17. conseruationem 1.* modo non expectare ad artem medicam, quia vt visum est nostra corpora sunt semper fluida, & in continua mutatione posita, ac à natura constituta: Docet etiam conseruationem secundo modo esse partem Medicinæ, hanc ergo partem Medicinæ conseruatoriam esse de genere correctiuarum, quia scilicet hæc Medicinæ pars conseruatoria corrigendo vitia parua & mutationes nostri corporis insensibiles nos conseruat, sicut pars Medicinæ curatrix morbos fugat, & ad pristinam sanitatem nos reuocat corrigendo ipsos morbos, alia quæ vitia magna, aut saltim sensibilia; quæque sensibiliter præter naturam nos immutabant, his ergo sic positis, & exposito iam quid conseruatio sit & quotuplex nunc videndum venit, an conseruatio fiat à simili, & vt ait Galenus an similia similibus conseruentur? Certum est conseruationem propiè dictam, & à nobis primo loco explicatam fieri à simili: hæc enim à similibus qualitate, & gradu procedit, aut sit eo modo quo procedere potest, aut fieri, quia re vera conseruatio, & permanentia rei in suo eodem esse non est actio, nam actio, modus, & mutatio sunt idem; & ideò à similibus ait Aristoteles non fit actio; sed actio semper prouenit à præpollenti qualitate, seu vt ipse dicit à proportione maioris inæqualitatis: Conseruatio ergo rei, & permanentia sui esse in eodem statu prouenit à simili qualitate, & gradu, quia sicut contrarium agit in contrarium, & pariter à contrario; ita simile non agit in simile, neque pariter à simili; sed similia similibus gaudent, & conseruantur. Quæ enim res ex sua natura non mutatur dictis similibus conseruantur, vtpotè, quæ conseruantur sine correctione alicuius vitij, neque insensibilis, sed per solum influxum rei similis similem conseruantis.

Conseruatio autem earum rerum, quæ ex sua natura intrinseca, sunt mutabiles, vt sunt res omnes viuentes, quamuis similibus etiam fieri dicat Galenus non tamen ita fit vt modo dicebamus, sed vt ait Galenus similia similibus conseruantur, id est si res naturales, atque 266

atque viuentes à ſuo ſtatu naturali mutantur; Vt re vera mutentur ſemper ſimilibus conſeruantur, id eſt quod mutatur, atque deficit per productionem ſui ſimilis corrigitur, atque reficitur, ſicque ſubiectum conſeruatur, & remanet idem; ſi non re vera ſaltim ſenſus iudicio, & per regenerationem aut nouam productionem rei ſimilis deficientis, ſic enim noſtri corporis ſubſtantia, quæ continuò diſſipatur per ioſenſi.em totius corporis tranſpirationem, atque reſolutionem, continuò etiam reficitur, ſeu reſtauratur ex alimentis, ac cibis ſimilibus quotidie aſſumptis, & à facultatibus naturalibus concoquente, atque nutritiua in ſubſtantias viuentes ſimileſque deperditis, conuerſis ſic ſimiliter eadem corpora noſtra viuentia, & ad iuſtitiam temperatá, ex ſimilibus in qualitate, & gradu alimentis cooſeruantur in ſua debita temperie, quantum magis fieri poteſt, quia talia alimenta quamuis a dictis facultatibus alterantur, & mutantur mutatione totius ſubſtantiæ in ſubſtantias viuentes, in qualitatibus tamen & gradu ſimilibus non motantur, quia ſimile vt dicebamus non agit in ſimile, oeqoe patitur à ſimili; ſed ad inoicem conſeruantur; & ideo talia alimenta, adhuc conuerſa in partes viuentes remanet temperata, vt erant antea, atque proinde velent non tantùm corrigere, ac reſtaurare ſubſtantias deperditas; ſed & conſeruare temperamentum ſibi ſimile ipſius corporis temperati ad iuſtitiam ſcilicet quantùm naturaliter, vt dixi fieri magis poteſt; quia vt ait Galenus, & experientia confirmat ita homini neceſſarium eſt exſiccari, vt per nullam artem conſeruandi corpora, neque corrigendi vitia, aut defectus poſſit ad eundem humiditatis ſtatum reduci, etſi non ſimilibus ſolùm, ſed & per exceſſum humidis nutriatur.

267 Sed obiicies ex Galeno *libro artis med. cap. 13.* vbi agens de oculorum temperie ita ſcribit: à cauſis ſuæ temperaturæ ſimilibus læduntur, iuuantur verò moderato contrariorum vſu, & hoc dicit in vniuerſum eſſe verum reſpectu temperamenti cuiuſque partis. Tertiò, etiam aphoriſmorum commentario ſecundo, docet contrarias naturas ad contraria anni tempora benè, ad ſimilia verò malè ſe habere; ergo ſi naturæ iouantur contrariis, & ſimilibus læduntur ſequitur conſeruationem non fieri ſimilibus; ſed contrariis, & confirmatur ex ipſa natura rei, nam ſi vt poſitum eſt conſeruatio noſtræ naturæ correctio potiùs eſt vitij, qood immutatur, quàm permanentia in eodem ſtatu, ſequi videtur conſequenter quod qui corrigendo conſeruat, aut reſtaurando quod deficit, conſeruat quidem; ſed ſubiectum mutat, ſcilicet nouum ſubiectum producens: quare hæc mutatio fiet à contrario, quia nulla mutatio fit à ſimili; ſed ſemper à contrario conſeruatio, quæ ad Medicinam pertinet, de qua nunc agimus non ſimilibus fiet, ſed à contrario, aut cootrariis.

268 Vt iis obiectionibus rectè reſpondeamus, debemus ſupponere, & aduertere quod vt conſeruatio in vniuerſum, eſt duplex vt ſuprà eſt explicatum; ita aliud eſt quærere an aliqua natura conſeruetur ſimilibus, aot contrariis, & aliud an indigeat reductione, aut correctione vt ſic ſaltim conſeruari valeat. Iis enim ſic diſtinctis, ac ſuppoſitis nunc vt antea ſunt diſtincta conſequenter obiectionibus reſpondetur, primæ quidem, atque ſecundæ, quæ à temperamento ſumuntur dicimus ſiue ſecundum naturam ſint, ſiue non ſint temperatæ; ſed intemperatæ rei ſimilibus conſeruantur, atqoe in ſua temperatura permanent: Etſi oculi aut alia quæuis corporis pars ſimilibus non iuuantur; ſed læduntur, iouantur verò moderato vſu cootrariorum, hoc ideò accidit, quia talium partium temperamenta ſunt iotemperata, & qoia talia ſunt potiùs correctione indigent, & reductione ad ſtatum perfectiorem, quàm conſeruatione, aot permanentia in eo in qoo reperiontur; etiamſi à prima ſuarum generatione tales partes illis temperamentis ſint conſtitotæ, confinnationi etiam dicimus quod qui corrigit, aut reſtaurat ſubiectum deperditum, aut diminutum mutat aliquid & de nouo prodocit, qoia tamen quod producit de nouo eſt ſimile deperdito quaotùm fieri poteſt: ideò & hæc correctio, aut reſtauratio, aut conſeruatio fit à ſimili, & nollatenùs à contrario, nam nullum contrarium reſtaurat; ſed deſtruit ſuum contrarium: ſed ſimilibus ſimilia conſeruantur, ac reficiuntur ſi forſitan ſecundùm aliquid labantur.

269 Itque cooludamus aſſertiuè quæ ſtatuamus, quod natura quæcumqoe ſit ſi ſemel admittamus quod debeat conſeruari in eo eſſe quo iouenitur poſtulat ſimilia, vel in ſubſtantia, qualitate, & gradu, vel ſaltim in qualitate, & grado? ſi verò natura correctione potiùs egeat, quàm conſeruatione, io hoc caſu accidere poterit, quod ſimilibus corrigatur, aut contrariis, nam ſic correctio ſimilibus celebratur; ſic verò correctio conſiſtit in reductione alicuius exceſſus, ſiue ſubſtantiæ, ſiue qualitatis, aut quantitatis ad mediocritatem; hæc quidem fit vſu contrariorum: non ſolùm enim ſi natura noſtra indebitè eſt calidior, aut frigidior, &c. vſu contrariorum ad debitam caliditatem, aut frigiditatem, &c. poſtulat reduci, verùm ſi ſubſtantia ſit iuſto craſſior, aut corpulentior, &c. poſtulat etiam vſu contrariorum ad debitam mediocritatem redire, quare ſi correctio in reductione alicuius exceſſus conſiſtit contrariis cõſequitur.

270 Secundò ſupponit Galeous in textu quod natura temperata vtpote quæ vitio caret, ſimilibus perpetuò eſt conſeruanda: nos etiam & communiter omnes ita ſupponimus: nihilominùs tamen contra hoc ſuppoſitum; en validum argumeotum Argẽnterij, natura calida, & humida ex Galeno etiam, & communi medicorum ſententia eſt longioris vitæ, quàm natura temperata, ergo natura temperata debet ad calidam, & humidam reduci, vt ſic loogiori tẽporis ſpatio conſeruetur, quare non ſemper natura temperata, & quæ vitio caret

caret ſimilibus eſt conſeruanda. Reſpondetur, quod licèt natura calida, & humida, ſcilicet per exceſtũm moderatum ſit longioris vitæ, quàm temperata quatenùs vita opponitur, naturali morti, quæ fit per frigiditatem, & ſiccitatem ſubiecti viuentis, non ideò tameu natura temperata ad talem calidam, & humidam eſt reducenda, & tatiu eſt quia temperies calida; & humida non eſt abſulutè meliur, quàm temperata; ſed re vera peiur, & quæ pluribus cauſis murbificis ſubiicitur, & multis quidem mortem inducentibus: quibus quidem natura temperata valdè reſiſtit, & multò magis, quàm calida, & humida: præthereà calida, & humida natura, ſeu temperies ſubiectum diſponit multùm, vt incidat in morbo, ex putredine, qui peſſimi ſunt; quibus etiam natura temperata multùm reſiſtit, ex quibus omnibus prouenit quod natura temperata ſæpè ſæpiùs ſit longiuris vitæ, quàm calida, & humida, etſi ſolùm talis ſit per exceſſum moderatum: nam quæ multùm eſt calida, & humida, potiùs peſſima eſt, valdéque murtifera, quàm lungiuris vitæ, vt docet experientia in cunſtitutionibus aëris calidis, & humidis per exceſſum, quæ ſæpè ſunt peſtilentes, vt tum Hipp. tum Galenus, tum omnes alij Medici, ſemper obſeruarunt.

271 Sed contta ſolutionem dices. Ex hac ſulutiune ſequitur quod pueritia, quæ calida, & humida eſt non debet conſeruari quodque in contrarium ſtatuat Hipp. & Galenus etiam in contextu, ſed potiùs reduci ad temperatam naturam, quia hæc eſt potior, & abſolutè uptima. Reſpondetur negando ſequelam: etſi enim natuta temperata uptima ſit, aut potiur, quàm calida, & humida; non ideò tamen pueritia calida, & humida reducenda eſt ad magis temperatam, ſed in ſuo eſſe calido: & humidu quantùm fieri poſſit conſeruanda, quia nullu modo debemus prohibere puerorum augmentum, quin potiùs ipſum prumouere, & excitare ſcilicet dictum pueritiæ temperamentum calidum & humidum conſeruando: nam vt docet Galenus *lib. de ſalub. diet. Comm.* 7. augmentum viuentium maximè indigeat calore, & humiditate, & nos etiam in plantis experimur: videmus enim plantas omnes tempore veris quod eſt calidum, & humidum ſemper vireſcere, & creſcere, quamvis ergò natura calore, & humiditate intempetata ad temperatam ac mediam ſit reuocanda de pueritia tamen aliter., ſentiendum.

272 Pueritia enim non vtcumque eſt calida, & humida, neque calore, & humiditate tedundantibus eſt intempetata, nam ſic aliqua ita ſe habeat, etiam eſt ad meliorem, & magis temperatam teducenda: ſed pueritia quidem calore temperata eſt, & pueri, ac iuuenes æqualem habent gradum caloris, ſcilicet temperatum, vt probat Galenus 2. *de temp.* 2. humore autem pueritia abundat; ſiquidem ex Hypp. 1. *Aphoriſmorum ſententia* 14. *Qui creſcunt plurimùm habent calidi innati*; ſiue humidi naturalis: hæc autem humiditas naturalis ſubſtantia eſt pinguis, & oleoſa, vtpotè humiditate aërea ſufficienter irrigata, & benè nutrita; nun ideò tamen reſultat humiditate tedundans, aut intemperata ſubſtantia caloris natiui, ſed temperata quidem & ad omnes corpuris actiones apta potiſſimùm ad augmentum, & cunſeruationem corporis & ad vitam longius prorogandam: hæc enim humiditas natiua eſt de qua Galenus loquitur, quando docet quod natura calida, & humida eſt longioris vitæ, quàm aliæ: quare pueritia; vt quæ humida eſt humiditate dicta natiua, ac temperata, ſimilibus eſt conſeruanda, ſcilicet moderatè humidis, etſi humiditas natiua aërea ſit pinguis ac viſcoſa, & vt talis reſulutioni, atque exſiccationi multùm reſiſtit, vt ſic vita diutiùs duret, quia tamen humiditas ſuo termino non finitur; ſed ſemper cedit termino alienu: ideò & natura humiditas in dies exſiccatur, atque ita hæc natiua humiditas victu humido. vt ait Hipp. eſt conſeruanda, id eſt nun ſolùm quod de eius ſubſtantia labitur reſtaurandum eſt; ſed & humiditas, quæ remanet, atque de nouu pruducitur, ſemper irriganda eſt humiditate victus, vt ſic minùs exſiccetur, & diutius duret.

273 Tettiò ſuppoſuit Galenus in textu temperamenta corpurum febricitantium, vel aliter præter naturam laburantium interdum ſimilia indicare, aut poſtulare, interdum contraria: quæ vitio carent ſimilia ſemper vt viſum eſt, quæ verò vitium aliquod habent aliàs ſimilia, aliàs contraria poſtulare. Vnde oritur dubium adhuc quæ natura, vel temperies intemperata poſtulat ſimilia, & per conſequens cunſeruari, & quæ non ſed corrigi per contraria? Neque huic dubiu ſufficienter fuit ſatis factum quamvis textum explicantes dixerimus intemperatas corporum tẽperaturas poſſe nos quales adinuenerimus conſeruare, & ſimiliter poſſe ad melius tranſmutare; vnde ſi intentum ſit tales temperatutas conſeruare. & ſi intemperatæ ſint ſimilia indicabunt; quia ſemper ſimilia ſimilibus conſeruantur ſiue ſint temperata, ſiue intemperata in ſe, ſi verò fuerit intemperatas naturas, aut temperaturas corrigere, & ad melius mutare tunc non ſimilia, ſed contrarias indicabunt qualitates quibus corrigantur; nam de his abſolutè verificatur quod contraria conttariis curantur, & ſimilia ſimilibus conſeruantur, quamvis etiam de aliis minus propriè verificetur. Non inquam ita dubio in totum fiat ſatis: Nam benè eſt quod temperamenta intempetata ſi cunſeruari intendant. Cunſeruentur ſimilibus, ſed cum ſint intemperata non videntur conſeruanda, ſed corrigenda, & ad meliorem ſtatum mutanda vſu ſcilicet moderato contrariorum. Quæ enim naturæ ſic intempetatæ ſunt, maximè ſunt diſpoſita vt in ſimiles incidant murbos: quare oportet tales naturas non conſeruare; ſed corrigete, & ad mediocritatem temperamenti reducere, vt ſic nullis morbis ſint diſpoſita prætereà natutæ iſtæ intemperatæ & ſi actu non ægrotant, tamen vt ait

Galenus

Galenus neque ad vnguem naturaliter se habent, sed in eo sunt statu in quo iam sibi homines displicent, & perpetuis quærimoniis, seu querelis afficiuntur; quas sanè conseruare non decet; sed è contra corrigere tolleréque. Quare ex his omnibus videtur dicendum quod naturæ intemperatæ nunquam sunt conseruandæ; & per consequens, quod tales naturæ nunquam indicant similia.

274 His tamen non obstantibus similia inquit Galenus desiderant naturæ intemperata tum in aliis de quibus post dicetur, tum in vlceribus omnibus, vt sæpè in superioribus monstratum est: tertiò enim, *libro cap.* 4. sic habet. Qoin etiam ad eundem modum quem, priùs diximus in cauis vlceribus, nunc ad portionem, naturam corporis æstimabimus mollis ne, ac laxa sit, an dura, sicca, & compacta; siquidem prior quantò est humidior tantò medicamentis minus siccantibus eget: posterior quatenus est siccior eatenus rursúsque vehementibus siccant magis quæ astringant desiderant capite etiam tertio antecedente sic scribit. Atque vlcus quidem quò est humidus, & sanè medicamento quò magis siccet, indiget: corporis natura verò quantò est humidior tantò quod minus siccet medicamentum postulat: quare si quæ sunt vlcera, quibus par est humiditas quod in ficciore corporis temperamento consistit, vtique magis siccari postulat; quod in humidiore, hoc sanè minùs quo natura naturæ interest. In aliis autem locis sæpè eadem supposuit, & vt in præsenti textu dicit, demonstrauit: quare ex Galeno intemperatæ naturæ tum in aliis, tum in vlceribus similia indicant, ac conseruationem, non verò correctionem per contraria, & ex natura rei. Probatur hæc sententia, nam vt ait Hippoc. *6. epidemion parte 5. sententia* 1. natura est morborum medicatrix: quare natura quæcumque sit saltim præstabit auxilium in curatione morborum, & per consequens similibus erit conseruanda, & nullo modo adhibere contraria conueniet, etsi fuerit intemperata: siquidem natura contrariis labefactatur & debilior fit.

275 Hæc doctrina quamvis fundata sit authoritatibus Galenum ac Hipp. ex eodem Galeno patitur duas exceptiones: nam in primis si natura intemperata longo vsui contrariorum sit assuefacta, non sibi similibus est conseruanda, sed similibus consuetudini, quamvis ipsi naturæ sit contraria, vt in prima parte textus statuit Galenus, & ratio est quia consuetudo, quæ longo temporis vsu est contracta; est potior ad indicandum in morbis, quàm quæ sumitur ab ipsa natura. Secundò ab vniuersali doctrina tradita excipiuntur naturæ omnes intemperatæ plurimum recedentes à natura temperata, & mediocritate temperamenti: tales enim neque in morbis debent conseruari vt textum exponentes insinuabimus & exemplo vlcerum in pudendis partibus existentium experimur: hæ enim partes humidiores sunt quàm temperatæ; imò & humidiores, quàm aliæ ferè omnes corporis partes humidæ his tamen non obstantibus in vlceribus pudendorum exhibere minus sicca non licet, neque tutum est; sed ficciora adhibentur remedia quia tales partes sunt ita præhumidæ, vt si vlceratæ parum siccis remediis curentur potius in malignam putrescentiam, quàm debitam exsiccationem ac curationem inutentur. Similiter si homo plurimum lapsus sua natura in calorem, & siccitatem incidat in febrem ardentem, non debet Medicus exhibere minus frigida, & humida, vt similibus conseruetur natura, quia imminet periculum vt æger incidat in marasmum; sed frigidiora, humidioráque debet dare vt sic & febris temperetur, & natura reducatur à tanto lapsu, & imminentia marasmi: quare in his ac similibus casibus naturæ intemperatæ, neque in morbis debent seruari; sicuti neque anni tempora nimis intemperata, neque ætates, aut regiones, aut cœli status, multùm intemperatæ similibus debent conseruari; sed vsu suorum contrariorum corrigi, & ad medium reuocari.

Quartò supponit Galenus quod à natura, 276
& ætate non absolutè indicatio datur; sed cū cōsuetudine, quibus verbis videtur insinuare, quod neque natura neque ætas possunt ex se aliquid indicare nisi interueniente cōsuetudine, hoc autem falsum est, quia ætas potest indicare repugnante consuetudine: & ætas potest indicare contraria consuetudini: ergo ætas non indicat interueniente consuetudine, neque cum consuetudine: & patet hoc exemplo: si puer calidus, & humidus assuetus siccis alimentis incidat in febrem, indiget curatione, atque remediis: nullus tamen Medicus scientificus in hoc casu potest exhibere auxilia exsiccantia, quamuis à consuetudine indicentur, quia vt supra dicebamus prohibet poerorum augmentum sed è contra humectātia quæ non solùm à febre, sed ab ætate puerili indicantur, vt textum exponentes ex Hippocrate demonstrauimus; ergo ætas sine interuētu cōsuetudinis indicat, & contraria cōsuetudini potest indicare. Hæc igitur cū sic se habeant suppositio Galeni magis explicanda sese offert, vt verus eius habeatur sensus: sic ergo in totum scribit Galenus; à consuetudine enim semper est indicatio similium, quoad scilicet ægrotant homines. Ab ætate, natura, regione, omni tempore, & statu, cœli, vti tēperata hæc sunt similium semper præsidiorū, & rationis victus indicatio est, siue valeant homines, siue ægrotent. Contra ab intemperato anni tempore, statu cœli, & regione, contrariorum est indicatio, cæterùm ab ætate, & natura non absolutè; sed cum consuetudine. His ergo vltimis verbis non insinuat Galenos naturam, & ætatē non indicare nisi interueniente consuetudine: sed significat ab ætate, & natura intēperatis non sumi indicationē ad cōtraria nisi cum cōsuetudine, id est cū natura, aut ætas contrariis assueta est, quia cōsuetudo in eis præualet etiāsi sit cōtraria, & quāuis in tēpore āni intēperato, & cœli statu, atque regione, nō præualet cōsuetudo aliqua.

Quintò

277 Quintò, supposuit Galenus in textu quod natura intemperata, etiam in magno excessu est in morbis conseruanda similibus nisi multo iam tempore contrario victu eique vicit intemperiei cibatam inuenerimus. Sed quamquàm hoc ita Galenus supponit, atque statuit; oportet hanc sententiam magis examinare; quia non est aliqua ratio fundamentalis, quâ sufficienter stabiliatur, imò è contra si benè suprà positum, atque demonstratum est quod extra morbum hæc natura intemperamenta non est similibus conseruanda: sed vsu contrariorum ad temperatam, ac mediam est reducenda; hoc idem in morbis ipsis videtur similiter dicendum; quia ex vna parte nullum sequitur inconueniens, quod tunc reducatur. Et ex alio capite argumentum Galeni extra morbos conuincit etiam in illis: si enim verum est extra morbos non esse conseruandam naturam intemperatam, quia est maximè disposita, vt incidat in similes morbos; sequitur etiam quod & dum laborat morbo præsente causa ad similem morbum conseruandum habet aptitudinem: & ex consequenti natura sic intemperamenta, neque in morbis est seruanda; sed tutius est illam reducere, neque valet si in contrarium dicere velis, quod natura cum sit morborum medicatrix, vel supra ex Hippocrate est demonstratum debet in morbis conseruari, quamuis sit intemperata, & ratio est, quia vt dicebamus natura quæcumque sit vel absolutè morbos curat, vel saltim aliquod præbet auxilium in curatione morborum non inquam hoc dicere, quia natura quæcumque sit morbos curat aut saltim præstat auxilium ad morbos curandos, pariter si natura intemperata corrigitur, mutaturque ad mediocritatem perfectioremque statum magis atque perfectius curabit tales morbos, aut saltim auxilium præstabit: quare naturæ intemperatæ etiam in ipsis morbis debent vsu moderato contrariorum corrigi, atque ad mediam reduci; nisi vt textum exponentes dicebamus, vel ipsi morbi, qui curantur, vel longa consuetudo tales naturas postulent intemperatas conseruare. Vndè natura Galeni, & dictæ suppositiones ex natura rerum ipsarum fiunt veræ, si vt exposuimus intelligantur.

278 Sic igitur explicatis difficultatibus quæ ex prima capitis parte oriebantur restat de magnitudine, aut dignitate contrariarum indicationum quantum satis sit ad doctrinam Galeni integrè intelligendam agendum, dixit enim Galenus in secunda capitis parte in contrariis indicationibus nihil esse tam expendendum quàm ipsam magnitudinem eorum quæ ad iudicandum coierunt, quàm in libris de sanitate tuenda esse duplicem ostendit; alteram scilicet ex dignitatibus eorum quæ indicant ortam, alteram ex ipsorum propiis essentiis, Infra etiam *libro 2. capite 3.* in fine sic scribit ostendimus enim eligendas esse eas indicationes, quas digniora, maioraque indicantia præscribent: ac dignitatem torum vel vitæ, vel sanitatis respectu indicandum: magnitudinem verò duplicem esse, vel propriæ substantiæ ratione, vel declinationis à naturali habitu, Quo quidem loco non tantùm magnitudinem distinguit, & alteram facit à dignitate, sed simul etiam duplicem facit magnitudinem dignitatis, vnam respectu vitæ, & alteram respectu sanitatis; vt sine aliqua expositione textus ostendat, quæ quidem cum ita sint, & nostrum pariter erit, dicta magis explicare, & demonstrare, qua recta ratione omnia sint vera, & quomodo in diuersis locis diuersa statuit sine oppositione, aut repugnantia.

Principio igitur quod dignitas indicationum, aut magnitudo earum ratione dignitatis sit duplex vt ait Galenus scilicet, aut vitæ respectu, aut respectu sanitatis, verum est, & sequentibus exemplis ostenditur manifestè: indicatio enim quæ à viribus desumitur, id est à virium conseruatione, dignitate magna est, aut maxima: quia vt omnes fatentur, Cum Galeno vires seruare nihil aliud est, quàm vitam custodire: at quod vitam custodire sit prima & omnium maior indicatio, siue dignior, ac præ aliis magis attendenda, nullus dubitat: similiter indicatio, quæ à febre sumitur vel ab alio quouis morbu respectu sanitatis dignitate est magna, aut maior, quàm aliæ omnes quæ à rebus naturalibus, aut non naturalibus sumuntur: & ratio est manifesta, nam morbus quisquis sit opponitur magis sanitati eamque lædit, ac labefactat magis, quàm res omnes naturales, aut non naturales cum ipse solus sit affectus præter naturam per se lædens actiones, atque naturam nostram, viresque omnes vitales præsertim, quare verum est quod magnitudo dignitatis, seu præscellentia indicationum ratione dignitatis, aut præstantiæ, est duplex, vna scilicet respectu virtutis vel vitæ, & altera respectu sanitatis, atque salutis. 279

Ad rei confirmationem est adæquatum exemplum quod *libro sup. cap.* 12. affert Galenus dicens si humor frigidus à capite defluens ad ventriculum non solùm eius cauitatem replear, aut aliter malè afficiat, sed & tunicis imbibatur, generetque sic similem intemperiem in eo: In hoc quidem casu multæ sunt indicationes, & quidem præter naturam scilicet, ex descensu materiæ, vna, alia ex cauitatis ventriculi repletione, & alia ex ipsis ventriculi frigida intemperie, inter has ergo indicationes dignitate maior est, ait Galenus, intemperies, & reddit rationem quoniam ipsa opponitur temperiei, quæ est sanitatis ventriculi: quare indicatio à morbo desumpta est aliis maior, seu dignior respectu sanitatis, quia magis quàm aliæ opponitur sanitati; & magis quàm aliæ lædit ipsam sanitatem, His sic positis addit Galelenus, si verò talis humor non tantùm ventriculum intemperet; sed etiam morsum inferat ventriculo, ita vt æger molestè ferat, incidat verò in syncopem, aut in frigidum sudorem; in hoc casu non solùm indicationes sunt plures, & omnes præter naturam; 280

sed

sed inter ipsas dantur duæ quæ aliis sunt dignitate, siue excellentia, siue præstantia maiores vna scilicet respectu sanitatis, nempè intemperies vt visum est, & altera respectu virium, sine qua vires lædit, aut deiicit videlicet quæ desumitur ex morbo ventriculi: effectus enim qui vt dictum est, vires offendit, aut deiicit non solum dignitate magnus est: sed & maior quocumque alio adhuc respectu illius qui magnus dignitate dicitur respectu sanitatis, quia prima indicatio est virium conseruatio.

281 In nostro etiam præsenti capite duo proposuit exempla ad eandem rem pertinentia, & ex quibus possumus dignoscere magnitudinem indicationis, quæ desumitur ex dignitate, aut præstantia indicantis, sint, inquit Galenus, duo homines scilicet alter calidus, & siccus similibus alimentis assuetus, & in simili regione educatus, alter verò his omnibus modis sit frigidus; sed ambo incidant in febrem: in vtrisque vna sola est indicatio communis, quæ à febre desumitur, & aliæ multæ diuersæ, quæ sumuntur à natura eorum à consuetudine, &c. quæ quamuis ita sint, & quamuis indicatio, quæ à febre desumitur vna tantùm sit in illis, & numero inferior, quia tamen magnitudine, siue dignitate respectu sanitatis est maior in quolibet eorum, quàm aliæ omnes desumptæ à natura, consuetudine, anni tempore, atque regione: ideo in vtrisque indicatio à febre petita prius est adimplenda, quàm aliæ, etsi hæ sint numero plures.

283 Habemus ergo iam quod magnitudo indicationis ratione dignitatis potest esse duplex, vna scilicet respectu sanitatis, & altera respectu vitæ, id est, virtutis laborantis, siue respectu virium *vt libro sequenti 12. capite tertio*, ponit Galenus; sed est notandum quod eo loco dignitatem indicationum distinguit ab eorum magnitudine in præsenti verò capite magnitudinem indicationum dicit esse duplicem, vnam respectu dignitatis eorum quæ indicant, & alteram ratione propriæ essentiæ eorum quæ indicant, vel declinationis ipsorum à naturali habitu, siue mediocritate; quare hæc quoque nunc videamus an vera sint & quomodo? Respondetur ergo facilè quod nullum est inconueniens nomen generis vni ex speciebus accommodare; nam in multis aliis doctrinis ita factum ab aliis inuenitur: quare licet re vera magnitudo indicationum etiam ex dignitate indicationis sumatur, potuit Galenus dignitatem à magnitudine distinguere saltim claritatis, & maioris distinctionis gratia. Sed cur his in locis Galenus magnitudinem tantùm facit, & *4. libro superiore, cap. 6. & libro 7. capite duodecimo* diuidit magnitudinem in tres distinctas differentias, & cur in his locis non solùm diuersas assignant magis differentias, sed à diuersis rebus in singulis locis tales magnitudinum differentias oriri demonstrat. 284

Vt respondeamus, supponimus quod *quarto huius operis libro, capite sexto, & libro septimo capite duodecimo* ponit tres magnitudinis differentias Galenus, sed non vbique omnes omninò easdem quamuis multi sint, qui ostendere conantur vtrobique esse omnes omninò easdem: *quarto enim libro capite sexto de magnitudine morbi indicantis agens* dicit, & probat, quod morbi magnitudo est triplex vna scilicet, quæ desumitur ex magnitudine essentiæ cuiusque morbi, vt quæ sumitur ex magno vulnere, aut vlcere, quæ ex magno tumore desumitur, & quæ ex magna seu intensa febre sumitur, altera morbi magnitudo sumitur ex affectæ partis præstantia, aut excellentia, vt vulnus in capite, aut in corde, aut in ore ventriculi &c. Hæc enim vulnera, etsi in se magna non sint, sed mediocria, tamen ex partium læsarum præstantia magna euadunt, vel magna reputantur, & vt verè magna magnum indicant remedium, atque requirunt auxilium pro earum curatione, denique tertia morbi magnitudo sumitur ex eius cacoëthia, seu malo more, aut malicia, aut malignitate. Vlcera enim, aut vulnera, quæ in articulis accidunt, quamuis neque in se, & quatenùs vlcera sunt aut vulnera sint magna; sed potiùs mediocria, aut parua, & quamuis neque ratione præstantiæ partium laborantium, seu affectarum, aut læsarum sint magna, nam articulorum nullus est pars princeps nostri corporis, neque ad vitam simpliciter necessaria: si tamen articulorum omnia vulnera, ac vlcera sunt magna ratione cacoëthiæ, siue mali moris, vel ex malicia, ac malignitate eorum: si quidem articulorum vlcera; aut vulnera quæcumque sint sunt cacoëta, vel vitio, atque malicia magna, vel quæ mortem, aut pessima secum afferunt symptomata; sicut reliqui aliis morbi qui ex se sunt verè maligni.

285 Similiter *libro septimo superiore capite duodecimo de magnitudine morbi* vrgentis, siue de magnitudine indicationis quæ ab vrgentia affectus desumitur, sic ait Galenus atque in eo quidem consilio quod ab vrgente innititur affectus magnitudo perpendenda est, ea triplex est, alia, quæ ex læsæ actionis præstantia expectatur, alia quæ ex propria affectus essentia, & tertia præter has quæ ex facultate, quæ læsum corpus gubernat æstimatur, vt in manu Medica *libro de sanguin. miss.* dixi; quasi dicat quod magnitudo morbi non solùm desumitur ex eius propria magnitudine verbi gratia ex magnitudine, aut magna intentione febris; sed etiam ex læsione magna, præstantis alicuius actionis vt cum morbus lædit respirationem verbi gratia angina, aut cum morbus lædit actionem propriam non solùm cordis, aut cerebri, aut hepatis; sed & ventriculi, &

morbus etiam qui impedit expulsionem vrinæ: hi enim morbi quamuis in sua essentia non sint magni ex eis oritur etiam magnitudo indicationis, vt si essent verè magni, quia scilicet lædunt actiones præstantes, seu magnas ex quarum scilicet læsione imminet vitæ periculum, non minùs quàm ex ipsis morbis magnis. Tertiò, etiam ait Galenus magnitudo morbi spectatur ratione facultatis, quæ corpus ægrotantis gubernat: vel etiam morbus magnus dicitur ille qui quamuis in se magnus non sit, lædit tamen, atque labefactat aliquam facultatem earum, quæ nostrum corpus gubernant, & vitam conseruant, quæ sunt vitales naturales, & animales: nam quamquam maximè sit cordis dignitas, vt ait Galenus, siue facultatis vitalis, quia scilicet ad huius læsionem atque defectum sequitur, quàm citissimè mors, tamen & aliæ animales ac, naturales sunt simpliciter necessariæ ad vitam conseruandam, & ad earum læsiones, atque defectus sequitur mors, quamuis non ita citius, vt cum deficit facultas vitalis, quare morbi qui aliquam dictarum facultatum lædunt, aut debilitant quamuis in se parui sint, tamen ratione facultatis læsæ magni euadunt.

185 Habemus ergo ex dictis quod indicationum magnitudo, ac magnitudo morbi in his duobus libris Galenus est triplex, & non duplex vt infra *libro 11. & 3. de sanitate tuenda* statuit, ac ponit, Notandum etiam est quod tertia species magnitudinis non est eadem in dictis duobus libris, vt prima, & secunda, sed variatur; siquidem *libro quarto capite sexto*, dicit tertiam speciem magni morbi pendere ex eius cachoetia, aut malignitate, aut malo more: septimo verò libro dicit desumi ex læsione, aut debilitate alicuius facultatis earum quæ nostrum corpus regunt, atque gubernant; etsi enim morbus malignus, vt si quis aliquis facultates nostri corporis lædere possit, non ideo tamen morbi malignitas idem est, atque læsio alicuius facultatis, neque solum cachoëthia, seu malignitas, aut malitia morborum lædit facultates, quæ nostrum corpus conseruant, atque regunt, sed & alia permulta: quare malignitas, seu cacoëthia morborum. Vnde tertia morbi magnitudo desumitur, *quarto libro capite sexto* diuersa est à læsione, ac debilitate alicuius facultatis earum, quæ nos conseruant ex qua *lib. 7. cap. 12.* dicit Galenus desumi tertiam speciem, aut differentiam indicationis magnæ, atque vrgentis.

186 Sed nota quod malignitas morbi, & cacoëthia distinguitur à læsione seu debilitate facultatum, quæ nos gubernant: siquidem vt ipse Galenus docet eodem *libro quarto cap. 4. & 5.* morbus cacoëthes, seu malignus; idem est ac morbus contumax atque rebellis, siue ita resistens curationi, vt omnibus ritè, & rectè administratis, quæ ad curationem desiderant; tamen non sanatur: quod idem confirmat *primo epide Parte tertia in proœmio*, quamquàm verò sic morbi malignitas differat à læsione facultatum: non ideo tamen absolutè distinguitur, quia etiam *eodem 4. lib. cap. 4.* docet ipse Galenus fieri morbos cacoethes, siue malignos propter partis affectæ imbecillitatem, aut propter causæ agentis malitiam, siue humoris morbum facientis prauitatem, quare læsio actionis, siue debilitas facultatis ingreditur etiam essentiam morbi maligni. Ita vt interdum Galenus magnitudinem indicantis sumat ex morbi cacoëthia, seu contumacia curationis, interdum ex læsione, aut debilitate facultatis corpus conseruantis, quæ simul cum morbo maligno reperitur, siue quia morbi malignitas sit ipsa debilitas, aut læsio facultatis siue non, sed potiùs sit prauitas, aut malitia causæ agentis, siue humoris facientis morbum, à qua quidem humoris malitia seu cacoëthia, & contumax redditur morbus, & virtus, lassatur. Quæ quidem sita hic explicare placuit, & quia vera sunt, & insuper quia ostendunt manifestè, in quo consistat morborum malignitas.

Sed si benè dicit Galenus illis in locis, 187
quod morbi magnitudo, & magnitudo indicationum est triplex, cur in *præsenti capite & tertio libro de sanitate tuenda* solum duas dicit esse differentias magnitudinis indicationum. Respondetur in his locis omisisse Galenum magnitudinem, quæ desumitur à malignitate morbi, atque à læsione, seu debilitate facultatis, quæ nostrum corpus gubernant, tertiam magnitudinis differentiam, quia scilicet hic solùm agit de febribus diariis à quibus vt tales sunt, malignitas nulla oritur & tertio *de sanitate tuenda* agit de corporibus sanis in quibus læsio, aut labefactatio, aut debilitas facultatis nulla reperitur; sed extra statum naturalem est facultates nostrum corpus gubernantes labefactari, aut debilitari, vti & morbos malignari: nam horum vtrumque in corporibus præter naturam se habentibus, & malignis morbis laborantibus reperiuntur, atque proinde hæc magnitudinis morborum ac indicationum differentia meritò à Galeno omittitur, & hoc loco & tertiò *de sanitate tuenda*, & hæc sufficiant pro libri expositione, & dubiorum solutione.

Finis libri octaui methodi medendi.

APPENDIX

Eorum quæ de eadem re Galenus affert 1. de arte curatiua ad Glauconem.

PRÆFATIO.



VLTA exposuit Galenus hoc libro 8. methodi medendi de febrium diariarum dignotione, ac curatione: aliqua tamen hic omisit quæ primò de arte curatiua ***ad Glauconem cap*** 2. & tertiò tradit & quibus totam dignotionem, ac curationem febrium diariarum, quæ tales sunt èx sua natura absoluit: quare vt omnia ad rem pertinentia habeantur hic ex Galeno placuit post explicationem eorum quæ attulit nunc, etiam quæ ipse affert loco citato breuiter exprimere antequam sequentem librum nonum explicandum aggrediar: etsi enim loco citatò 1. ***ad Glauconem*** non solùm quæ hic omisit de signis ac dignotione febrium diariarum, & de accidentibus, quæ diariis accidere possunt addat; sed & de reliquis agat de quibus hic differit, de his tamen agit breuiter, vt & nos agemus ne simus molesti, & ne eadem repetantur: quamuis commune sit dictum; quæ pulchra sunt, & decies repetita placebunt, & quæ ad artem pertinent maximè, neque Hippocrates veretur repetere, explicaturus verò caput secundum & tertium dicti libri primi ***ad Glauconem***, quæ agunt de diariis febribus pariter primum caput exponam, quia & proœmium est, & vniuersalem medendi methodum continet; ideóque priùs tradi debet, atque explicari, vt quæ postea veniunt dicenda, atque facienda ad eius instar & doceantur, & exerceantur.



CAPVT PRIMVM.

De his ex quibus medendi methodus constituitur.



289 E rationali febrium curatione acturus Galenus in *hoc 1. lib.* de arte curatiua ad Glauconem agit in primo capite de generali medendi methodo, vt in sequentibus ad eius instar febres rectè curare doceat: de medendi ergo methodo, acturus Galenus animaduertit esse difficillimum rectam medendi rationem exquirere, & exquisitè exponere: etsi enim vniuersa peritia curationis in duobus tantùm sit sita, vt *lib. 1.* dicebamus nempè in inuentione congruentium remediorum & eorum debita applicatione, ac vsu congruo: ad hæc tamen duo debitè consequenda, ostendenda, atque exercenda, multa requiruntur cognitu difficilia, & quæ dictam methodum exquisitè exponere non sinunt facilè sed multis præhabitis benè cognitis, benéque dispositis, efflagitasti enim o Glauco (inquit Galenus,) vt sibi summarim vniuersalem morborum medendi viam seu methodum ac curationem describerem, hæc autem non vtcumque perficitur, sed qualitate, & quantitate cuiusque remediorum, & debito vtendi modo, ac opportunà occasione, quæ omnium difficillima est, sicuti & certam quantitatem remediorum inuenire: quare & difficillimum erit exquirere.

190 Quod verò morborum curandi methodus non vtcumque fiat, sed multis indigeat vt rectè exerceatur; & eius natura sic ostenditur, curatio morborum ex illis est rebus, quæ benè, & malè fieri possunt, vt semper docuit experientia, quare vt benè fiat, & non malè, debet vt ait Aristoteles 2. *ethicorum* quinque limitationibus circunscribi: debet enim in eius efficientia examinari quid sit agendum quantùm, quando sit agendum, quomodo sit agendum, & vbi sit agendum: His enim quinque sic examinatis, ac benè constitutis, & morborum curatio, & alia quælibet res fit benè, quantùm per humanam fragilitatem licet, & fieri potest: vnde Galenus hæc ita se habere sciens, atque supponens dicit consequenter vniuersalem morborum medendi methodum, siue rationem esse cognitu difficillimam, vtque solùm quinque dictis quæsitis benè cognitis, ac præhabitis in quolibet morbo perficiatur. quæ omnia sic exponere, aut exquirere in vniuersum, & in singulis morbis non est facile, sed satis arduum; atque artificiosum valdè, quia vnumquodque eorum plura requirit, quæ neque sunt inuentu facilia, neque cognitu, sed è contra cognitu ardua, & laboris, atque artificij multi plena, quæ vel ipsam medendi methodum difficilem faciunt, siue eius inquisitionem, atque explicationem. Sed dubitabis hìc si ad benè curandum ex Aristotele requiruntur quinque, cur Galenus quintum prætermisit? Respondetur Galenum suis quatuor limitationibus includere omnes quinque Aristotelis, & nullã omisisse, nam re vera sub quatuor, hanc & quintam Aristotelis complectitur, scilicet quomodo agendum: & vbi agendum vt latius constabit ex sequentibus.

Itaque cum & vniuersalis medendi methodus, & cuiusque morbi particularis curatio cognitis debeat perfici, ac circunscribi dictis quatuor aut quinque cognitis circunstantiis, seu requisitis conditionibus: consequens est vt qui rectè morbos curare scire vult, pariter scire debeat indicationes omnes, atque indicantia vnde dicta pendent atque desumuntur, nempe remediorum certa qualitas, quantitas, occasio & vtendi modus, quare de his sigillatim, hæc breuiter disseramus, quantum satis sit: à qualitate ergo remediorum exorsi supponimus tamquam omninò certum, quod remediorum qualitates aliæ primæ sunt, nempe caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, & aliæ sunt secundæ, siue ex primis natæ, vt quæ emolliunt indurant, quæ attenuant, incrassant, quæ meatus, seu cauitates corporis aperiunt, vel densant, astringunt, quæ attrahunt, aut repellunt, & aliæ multæ istiusmodi, quæ *5. simplicium* docet Galenus istas ergo remediorum qualitates, siue primæ sint, siue secundæ, affectus ipsi præter naturam, siue ipsi morbi qui curantur, atque eorum causæ, aut symphomata, primum, ac potissimum indicant, siue adhibendas esse ostendunt, vti etiam natura ipsa laborantis, ac partis affectæ: morbi enim & eorum causæ ac sympthomata vtque sunt præter naturam, contrarias ipsis indicant remediorum qualitates, siue primæ sint, siue secundæ, at natura laborantis, ac partis affectæ interdum similes indicat, ac petit remediorum qualitates, interdum dissimiles, siue contrarias, si enim laborantis natura ac partis affectæ temperata sit, aut saltim temperata fuerit ante accessum morbi conseruari postulat adhuc præsente morbo, & consequenter indicat remediorum qualitates similes sibi, quibus conseruetur, & hoc siue natura sit temperata ad pondus, siue ad iustitiam, & potissimum siue ætate fuerit temperata, aut parum attemperata ac media recedente & assueta fuerit talibus qualitatibus: si verò natura laborantis, aut partis patientis intemperata fuerit, & quidem non parum sed vt supra dicebamus ad extremum potiùs temperamenti naturalis accedens, quàm ad medium, tunc quidem nisi consuetudo ex longo tempore contracta aliter faciendum dicat, non indicat sui conseruationem, sed correctionem; &

& consequenter neque postulat similem remediorum qualitatem, sed contrariam saltim moderatè vbi eius intemperies moderata est, vt potè naturalis, siue intra latitudinem sanitatis contenta, quod de natura temperata, aut intempetata dicimus, intelligitur etiam de ætate, anni tempore, regione, ac cœli statu: Hæc enim vt ipsa natura si temperata sunt, indicant sui conseruationem, & per consequens indicant sibi similia: si verò sint intemperata indicant sui correctionem per contraria moderata.

292 Quantitas etiam remediorum à morbis ipsis siue eorum magnitudine, aut paruitate primum definitur, & à propria laborantis natura, atque à virium robore: extremis enim morbis vt ait Hippocrat. 1. *aphorismorum sententia 6.* extrema sunt adhibenda remedia magnis magna, ac paruis parua, scilicet attenta eorũ magnitudine; aut paruitate, si vires consentiant, nam ex præsentia indicantis & absentia impedientis, deliberamus de remedio, & non aliter, quia bonum fit ex integra causa, & malum ex quocumque defectu similiter naturæ laborantium, vt variæ ac differentes sunt, ita medicamenti quantitatem variant: sunt enim naturæ quæ si medicamentum deuorent, id in alimentum conuertunt, quare his vehementius ac liberalius, seu maior copia quàm morbus postulat est exhibendum remedium: similiter sunt aliæ naturæ dictis contrariæ; quæ à qouis offenduntur, quæque solo medicamenti olfactu ad vomitum prouocantur; atque ideò his parciùs, ac mitiùs est adhibendum: similiter partes quæ maximo sunt sensu præditæ vehemens, aut copiosum medicamentum respuunt, quæ verò sensum habent obtusum facilè admittunt: sic denique partes principes, & quæ toti corpori suum opus communicant, quales sunt ventriculus, iecur, cor, ac cerebrum pauciora, ac mitiora postulant remedia, quare verum est quod quantitas remediorum indicatur non solùm à morbis atque eorum causis, aut symptomatibus vel ab eorum magnitudine, aut paruitate, verùm etiam à natura propria laborantium, atque à viribus.

293 Sed vt dicta magis intelligantur aliqua sese offerunt magis explicanda: Primò ergo est aduertendum quod vt morbus omnis est lapsus, siue recessus naturalis corporis constitutionis a suo statu naturali, ita magnitudo, aut paruitas cuiusque morbi in primis sumitur à magno, aut paruo eius recessu à naturali corporis dicta constitutione. Vndè quia hæc naturalis constitutio determinat dictum morbi lapsum, ideò communiter dicitur, quod etiam natura corporis laborantis indicat quantitatem remedij: etsi reuera natura talem remedij quantitatem non indicet, sed lapsus dictos, siue recessus morbi à natura laborantis, siue à corporis ægri naturali statu: & ideo si morbus à naturali corporis constitutione parum recedit, paruus est, paruamque ob id indicat remedij quantitatem: si verò, è contra morbus multùm re-

cedit à corporis naturali constitutione, siue quod idem est à natura laborantis tunc quidem magnus fit morbus; & propterea magnam, aut multam indicat remedij quantitatem, vbi etiam est notandum quod contumacia affectus includit in se magnitudinem, & ideo affectus contumax licet in se non sit magnus magna indicat remedia, aut remediorum multam quantitatem, vt in malignis, atque diuturnis affectibus experimur & Galenus aduertit.

Secundò est notandum, quod quantitas remedij est duplex, vna scilicet est quantitas, 294
siue mensura ipsius remedij vt sic & in abstracto, & alia est quantitas remedij in executione, siue quantitas remedij quod actu administratur ad morbum curandum, quantitas ergo remedij in prima significatione indicatur vt est visum à morbis ipsis, atque natura laborantis: quantitas verò remedij in secunda significatione siue in executione, siue determinata quantitas, quæ in quolibet morbo actu administratur ad talem morbum expugnandum, siue curandum non solùm desumitur, atque indicatur à morbis dictis atque natura laborantis; sed & insuper à viribus cuiusque corporis, ægrotantis: etsi enim vires non indicant per se curatiuè, & per consequens, neque indicant quantitatem remediorum, quia tamen vires, siue vitales sint siue animales, aut naturales semper indicant sui conseruationem, ideò in exhibitione remediorum, & potissimum in administratione magnorum remediorum coindicant haud dubiè simul cum dictis morbis, atque natura indicantibus, quatenùs scilicet assensum præbent, aut non, id est, quatenùs consentiunt, aut repugnant administrationem talium remediorum, & quantitatem eorum; quare hæc remediorum quantitas administranda tandem à viribus determinatur, & limitatur postquàm ab aliis magna, aut parua, vel mediocris prout morbi sunt, atque natura indicantes exhibenda indicatur. Etsi enim magnus morbus magnum indicet remedium adhibendum, si tamen vires non sint vehementes, quæ id consentiant, sed debiles, tunc quidem remedium magnum non administrabitur, quia non sunt vires, quæ consentiant, sed vel paruum remedium exhibebitur, aut nullum, si vires valdè languidæ nec paruum consentiant: nam plùs possunt vires ad contradicendum, quàm morbos ad indicandum: quare quantitas remedij adhibendi in curatione etiam à viribus coindicatur.

Tertium requisitum ad de benè medendum 295
& singulorum morborum exercendam debitam curationem, est scire quando agendum, siue scire oportunum tempus ad agendum: Medicinæ enim certo tempore exhibitæ prosunt, intempestiuæ autem maximè lædere solent, vt communiter dicitur, & ideo captare occasionem in morborum curatione est magni momenti ad benè curandum, quando ergo agendum sit in morbis, vel quo tempore exhibenda sint curatoria remedia in

Vniuersum sumitur ex duobus videlicet ex præsentia postulantis, & absentia impedientis: quoties enim aut morbus, aut eius causa, aut sympthoma efflagitat curationem, & aliquod remedium si non sit impediens est exhibendum, & continuandum quoad sic morbus curetur, aut saltim indicans tale remedium cesset, & ita benè dicitur quod ex præsentia postulantis, & absentia impedientis deliberamus de remedio, & de eius occasione, siue de eios administratione. Hæc quidem vera sunt, sed quia doctrina communis neminem doctum facit nisi in particularibus exerceatur vt sæpè dictum est ideò nunc in particulari videndum venit, quæ sunt ea quæ in morbis indicant, aut postulant remedium, aut remedia, & quæ sont, quæ talia remedia impediunt, aut saltim possont impedire? Principio ergo remedia postulant morbi omnes eorum causæ, atque sympthomata, & nullum est tempus in quodicta auxiliis non egent, nam quidquid in nobis præter naturam est semper sui ablationem indicat, at tamen non omnia remedia in quolibet tempore sunt opportuna: vnde Hippocratis 2. aphorismorum 29. *incipientibus morbis si quid tibi videtur mouendum moue*, (ait) *in statu autem melius est quietem habere*; quia scilicet in statu omnia morbi sympthomata sunt fortiora, & ideò natura hinc magis affligitur, quàm vt commodè possit, & morbo resistere, & remedia actuare, aut aliter adiuoare. Sic etiam remediorum alia sunt quæ in principio conueniunt, alia in incremento, alia in statu, & alia in declinatione conferunt vt in curatione inflammationom omnes sopponunt quod idem reperitur in aliis. Eodem etiam modo & si ex Hippocrate in accessionibus abstinere oportet: multoties tamen in accessionum principiis vomitum prouocare licet & in declinatione ventrem inferiorem mouere, aut sudores elicere sic scilicet naturæ motum imitantes: quæ ex Hippocrate in accessionibus, & potissimum in eorum angmento, & statu, humores sursum eleuat ad pectus, ac caput, in declinatione verò descendere facit ad partes infernas.

296 Itaque vt remedia postulant morbi, & aliæ res omnes præter naturam, & adhuc res multæ naturales, quæ indigent correctione; ita multa sunt, quæ dictorum remediorum administrationem possunt impedire, sed potissimum vires sunt quæ si robustæ non sint, vel saltim si moderatæ non subsistant, aut vigeant, impediunt executionem, aot exhibitionem remediorum, & præsertim si magna remedia sint, quæ administranda indicantur: curatio enim debet esse cita, & tuta atqne iucunda; aut sine dolore: quare vt tuta sit debent administrari remedia non solùn talia qualia, & in tempore debito sed etiam consentientibus viribus, aut saltim non repugnantibus; nam vt ait Hippocrates libro de lege, *natura repugnante omnia irrita fiunt*. Vnde quia vires nostri corporis, & per initia morborum, & in declinatione eorum magna ex parte vigent, aut saltim non deficiunt: idcircò per ea tempora remedia magna; scilicet sanguinis missio aut purgatio administrantur: in principio enim si sanguis abundet; aut morbus sit magnus nullus est Medicus qui in artis operibus sit exercitatus, qui sanguinem non detrabat, si vires constent, & ætas sit florens, vt tum aliàs tum quartò, methodi *cap. 6*. docet Galenus similiter etiam in principio si materia turgeat, vel saltim ad excretionem parata sit, vt si à massa separata ad aluum vergat, vel ad alia loca conferentia purganda est, nisi aliquid simul accidat, quod talem purgationem impediat in declinatione rarò sanguis mittitur; sed sæpè purgare oportet, ne morbus recidiuam faciat: aliàs enim *quæ relinquuntur in morbis post indicationes recidiuas facere consueuerunt*, vt secundo aphorismorum sententia 12. dicit Hippocrates si ergo vires, atque natura laborantis, remediis à morbo, aut eius causis vel sympthomatibus non repugnent, sed consentiant, & benè tolerent opportunæ tunc administrantur: si verò quod morbus indicat, vel natura, vel vires repugnant tunc cautè Medicus attendere debet, quod facere expediat: tunc enim vrgentiori est succurrendum, sed altero non neglecto: si enim morbus vrget multum, & vires, aut natura multum non repngnant, tentanda sunt remedia, sed cum limitatione, quia datur prohibeos: quod si vires sunt instaurandæ ante omnia, quia prima indicatio sumitur à viribus, siue natura quæ languidæ fuerint, siue ex se, aut ex sua natura, siue per accidens potiùs & ex aliqoo defectu: vires enim nostri corporis in aliquibus, v. g. in candidis, ac multum mollibus vt in pueris, debiles sunt, vel saltim parum firmæ sicuti in illis quibus superius os ventriculi est ad modum sensile; similiter corpora gracilia, & mollia facilè exsoluuntur, & denique aliquæ sunt naturæ, quæ si inediam nimis sustineant statim animo linquuntur vt & aliæ si purgentur, aut misso sanguine mediocriter euacuantur. Vnde istæ naturæ atque eorum vires sunt benè notandæ; etsi constare videantur: Denique vires omnes, etsi ex se sint robustæ debilitantur, ex inediis, vigiliis, doloribus atque euacuationibus immoderatis ex morborum diuturnitate, vel malitia, aut vehementia: quare ob hæc omnia vires poterunt obsistere executioni remediorum.

Explicatis indicantibus, & consentienti- 297
bus remediorum qualitatem, quantitatem, & occasionem: restat, vt ait Galenus, agendi modus, id est, quomodo, aut qua recta ratione remedia debeant applicari & vbi; siquidem Galenus per modum agendi quomodo, & vbi agendnm, siue administrandum remedium in curatione cum Arist. comprehendere voluit: & benè quidem, quia vt modo videbimus ferè in omnibus conueniunt, qoomodo, & vbi agendum. Principio igitur hæc quæstio quomodo agendum medicamenti debitam formam postulat, &

debitum

debitum administrandi modum, an scilicet remedium dari debeat sub forma solida, an liquida, an in forma emplastica an alia, an per os dari debeat an per anum, &c. an potius extrinsecus debeat applicari, an semel tantùm, an potiùs per vices sit administrandum remedium, & alia istiusmodi; quæ potissimum ex natura laborantium, ex parte affecta ex morbi conditione, & eius causa desumuntur: sunt enim naturæ laborantium, quæ melius solida, quàm liquida assumuntur medicamenta, & alia sunt quæ e contra liquida melius quàm solida deuorant; sic etiam liquida potiùs oculi, aut emplastica, quàm solida admittunt remedia, etiamsi leuissimum puluerem eis applices: pars etiam affecta an per os, an per secessum, aut per vterum, vel vrinæ meatum, vel aliam viam; an potiùs partibus externis, quàm internis applicari debeat medicamentum demonstrat, quia vt ait Hippocrates expedit proximum ventrem soluere, id est expedit quod in parte affecta præter naturam retinetur per partem proximam educere, vt si in ventriculo, aut in superioribus intestinis contineatur per os, si in inferioribus per secessum. Scilicet ad eundem modum morbi conditio, & eius causa modum imponunt remediis: Nam vbi morbus peracutus est statim postulat curari, sine mora scilicet aliqua ab iis remediis: si verò morbus est cronicus è contra lentè debet curari, & sensim: sic similiter si causa mortifica in partem nobilem vergat hanc statim reuellere, aut derinare oportet, nam etiam reuellere statim oportet, ait Hippocrates 6. epid. *Si quo non oportet vergat humor: si autem quo oportet ducere*. Tandem quomodo, & simul vbi agendum indicat pars morbo affecta, & eius conditio, vt in pleuritide, phrænitide, & hepatide vnus & idem sit morbus nempè inflammatio, quia tamen partes affectæ diuersæ sunt, & vna quæque earum suam habent peculiarem conditionem, seu naturalem proprietatem: idcirco phrænitis diuersa remedia postulat, & diuersum agendi, siue applicandi modum à remediis, & applicatione pleuritidis, aut hepatidis, & phrænitis in capite, & pleuritis in latere pectoris, & hepatidis, supra iecur postulant applicari remedia; quia scilicet partes affectæ sunt in illis locis, & cuique sua est conditio, quæ remediis modum imponit.

298 Habemus ergo iam vnde in morbis sumantur indicationes, quæ ostendunt, quod quantum, quando, quomodo, & vbi agendum sit in qualibet morbi curatione; quare his expositis accedamus ad explicandam literam textus, & Galeni mentem? *Postulasti ô Glauco, inquit Galenus, vt tibi vniuersalem, aut communem tantùm medendi viam, atque rationem. quasi summatim scriberem & sine descensu ad particularia, vt sic sine multo labore aliquis habeat aliquam curationis morborũ notitiam.* Sed nota quod nequit fieri vt postulas: nam recta cuiusque morbi curatio indiget non solùm vniuersalium, sed simul etiam particularium rerum cognitione. Nam in primis, vt ait Hippocrate 1. *epid. parte tertiâ sententiâ primâ* Medicus ad rectè curandum non solum communem omnium hominum naturam cognoscere debet, sed & cuiusque propriam, vt in ipsis artis opereribus, siue in singulis curationibus experimur numquam enim hominem in communi sumptum curamus, sed hunc aut illum particularem scilicet Petrum, Ioannem, aut Paulum &c. & similiter neque curamus morbum aliquem communem, sed particularem semper, vt hanc febrem, in Petro, illam phrenitidem, aut pleuritidem, &c. in Ioanne, aut alio indiuiduo: quare ad rectè curandum Medicus necessariò scire debebit & communem, & proprias hominum naturas, vti etiam communem, & proprias morborum naturas; atque differentias imò & causarum, & sympthomatum differentias & particulares. Similiter particularis morbi cuiusque curatio cum dependeat ex determinatis, & certis quod quantùm, quando, quomodo agendum, neque istæ haberi possunt per solam vniuersalem, aut communem rerum cognitionem, sed per communem quidem, & singularium particularem, sine propriam, quare ex omnibus constat, quod ad rectè curandum vniuersales methodi non sunt satis.

Sed dices: vniuersales methodi non sufficiunt ad benè medendum; sed morborum curationes omnes desumuntur ex particularibus & omnes sunt particulares, quare ergo vniuersales doctrinæ traduntur cognoscendæ? & quare omissis vniuersalibus doctrinis statim non accedimus ad particularia cognoscenda, atque agenda? Respondet huic Galenus breuiter quia propria cuiusque natura perinde, atque communis non potest haberi. nihil enim ait, quod proprium sit verbis explicari potest scilicet per demonstrationem, quia de particularibus, aut propriis, aut indiuiduis, aut singularibus rebus non datur scientia: sed scientia est rerum vniuersalium: & sensus aut experientia rerum singularium, & ideò singularia, & propria cuiusque natura ex experientia, aut à posteriori per aliquos effectus poterit aliquantùm cognosci; numquam tamen per veram, aut scientificam demonstrationem. Cum igitur ad rectam curationem faciendam plurimùm conferant, non solùm qualitas remediorum; sed cum occasio, tum quantitas eorum: cumque hæc singulis ægrotis sint propria: cum denique nihil quod proprium sit verbis explicari satis possit: idcircò, atque ob has causas quod commune est cogimur scribere atque addiscere: vt sic in rebus singularibus non omninò hæsitemus, aut cæcutiamus. 299

Sed instabis sic verum est quod de singularibus, ac propriis rebus nequit dari scientia, 300

scientia, quia scientia est solùm cognitio rerum vniuersalium, at quamuis hæc sic se habeant: singularia tamen per sensus, aut ex sensibilibus rebus certò haberi possunt, atque cognosci, & per consequens singularia, quæ cognoscenda requiruntur ad morborum rectam curationem, siue vniuersalium cognitionem per solos sensus, aut solùm ex sensibilibus sufficienter haberi possunt, vel puterunt: nam verbi gratia quamuis de natura Petri, aut Pauli, aut alterius indiuidui scientia haberi nequeat, vt de natura communi: à posteriori tamen & ex multis accidentibus sensibilibus, quæ in Petro aut Paulo, &c. inueniuntur, vt ex corporis colore, calore, habitudine, vel ex corporis crassitie, aut gracilitate, & ex arteriarum pulsu vario, potest Medicus propriam dictorum indiuiduorum naturam sufficienter cognoscere ad rectè curandum. Huic instantiæ occurrens Galenus fatetur veram esse suppositionem, & eius consequentiam: tamen neque ex his tollitur cognitio vniuersalium: & ratio est inquit, quia plerumque ad inuisendos, siue curandos ægrotantes accedimus, cum quibus antea cum sani erant versati non fuimus, & proinde cum calorem antea habuerint, aut quam corporis habitudinem, quem natiuum calorem, arteriarumque pulsum ignoramus, quæ quidem si antea cognita nobis fuissent inde & propriam cuiusque ægrotantis naturam, & morbi magnitudinem probè iudicare possemus: Cuiusque enim morbi magnitudo tanta est, quantùm à naturali statu recedit: quantùm verò recedat morbus ille scit, qui naturalem ægrotantis habitum, siue propriam naturam ad amussim cognoscit: hoc autem cum in illis ignoremus cum quibus antea dum sani erant versati non fuimus, ne in talibus omninò hæsitemus ad id quod commune est, confugimus: & quod ex propriis signis aut sensibilibus habere non possumus ex vniuersalibus, aut communibus sumimus. Sunt autem communia non solùm morbus, atque ægrotantis natura, sed etiam ægrotantis ætas, tempus anni, regio, victus ratio, & alia similia: ex quibus benè cognitis, benéque distinctis, seu diuisis, etsi particularia desint, curationem absoluimus.

301 Quisquis enim omnia quæ secundùm, & præter naturam in nobis sunt benè diuiserit ait Galenus, scilicet à summis generibus auspicatus ad genera subalterna descendat, & sic procedent per immediatas differentias perueniat vsque ad infimas species, & ex omnibus his, quæ per talem diuisionem inuenta sunt integras desumpserit indicationes, is quidem quantùm per humanas vires licet, medendo non errabit: notos tamen meliùs, quàm ignotos sanabit: veruntamen, & ignotos quantùm fieri poterit maximè secundùm illos curabit. Si quis enim probè distinxerit primùm ætatum, deinde temperaturarum differentias, & vires, multaque id genus quæ homini insunt, cuiusmodi est calor, color, corporis habitudo, arteriarum motus, consuetudo, studia, & animi mores, quibus addiderit, maris, & fœminæ discrimen, & quæ ad regiones pertinent, anni tempora, & alias ambientis nos aëris constitutiones ad propriam ægrotantis naturam cognoscendam propè accedet: quemadmodum, & si quæ præter naturam sunt vniuersa, vt inter se formis, ac generibus differant distinxerit, ac cognouerit, propè ad eorum cognitionem adueniet, sicque omnibus ritè, & rectè distinctis, atque præhabitis curationem colliget debitam, etiamsi sit eorum, quorum nobis non erat perspecta natura, nam ex eo quod perfectè distinctum est, id etiam quod tale non sit inueniri potest: & ideò vniuersale etiam est distinguendum. Sed nota hic, quod nomine diuisionis non solùm vera diuisio, sed & quælibet alia rei partitio, & resolutio comprehenditur: vt enim genus propriè in suas species & differentias diuiditur, ita totum in suas partes distribuitur, & ita etiam effectus in suas causas, & causæ in suos effectus resoluuntur; sicque ita omnia diuidi, atque distingui dicuntur.

Dubitationes super Textum.

Vt quæ in Textu affert Galenus magis inotescant duæ dubitationes sese offerunt dicendæ, atque explicandæ. Prima est, quid nomine naturæ intelligatur. Secunda an naturæ singulares habeant aliqua signa, quibus possint explicari, & sufficienter cognosci, etsi enim dicat Galenus in Textu quod ad rectè curandos morbos debet Medicus cognoscere non solùm omnium hominum naturam communem, sed & singulorum propriam, quid tamen intelligat nomine naturæ non explicat: quare hoc adhuc restat decidendum, atque ostendendum: similiter ad rectè curandum plurimum conferre, tum occasionem, tum quantitatem remediorum scire, docuit Galenus in Textu, & hæc esse singulis ægrotantibus propria, & denique nihil quod proprium sit posse verbis explicari: Vnde dubitatur benè an singulares, & propriæ singulorum hominum naturæ habeant signa aliqua quibus possint sufficienter explicari, & cognosci? si enim fieri non potest vt visum est, vt quis rectè curet, nisi his non modo communem, sed & propriam, priuatamque cuiusque ægrotantis naturam cognoscat, tum quia aliæ naturæ, alia remedia efflagitant; tum potissimùm quia debita remediorum quantitas, & occasio desumuntur ex propria ægrotantis natura: consequens est quod vel curatio non erit debita, vel dabitur cognitio rerum, singularium, & naturæ propriæ cuiusque ægrotantis. 302

Ad primam ergo quæstionem decidendam accedentes, quod quærimus, est quid nomine naturæ intelligant Hippoc. & Galenus quando dicunt, & communem omnium hominum naturam 303

naturam, & singulorum propriam esse cognoscendam, vel quid intelligant nominè naturæ. Communis quãdo cõmunẽ omnium hominum naturam, ex adverso opponunt propriè vniuscujusque naturam: nam in hoc potissimum inter Expositores est difficultas, pro cujus resolutione est advertendum, quòd pro nomine naturæ apud Hippocratem & Galenum solent in diversis locis diversa significari, atque intelligi: frequentissimè enim nomine naturæ temperamentum intelligunt, & per hominis naturam ejus temperamentum ferè semper significant, vt cùm *3 aphorismorum, sententia* 2 dicunt: naturarum aliæ qoidem ad æstatem, aliæ verò ad hiemem benè, vel malè se habent: nam vt ait Galenus in Commentario natura in hac sententia vt ferè semper significat temperaturam quatuor elementorum, calidi, frigidi, humidi & sicci, quæ vel temperata esse potest, seu media; & sine excessu aliquo, quæ optima est, vel cum excessu alicujus qualitatis, quæ ob id temperata, atque vitiosa dicitur, sive vna excedat qualitas tantùm, vt temperamentum calidum tantùm, aut frigidum tantùm, &c. sive duæ excedant qualitates, vt temperamentum calidum, ac siccum, & calidum ac humidum, &c.

304 Secundò nomine naturæ solent Hippocrates & Galenus intelligere naturalem corporis constitutionem, sive formationem, vt cùm dicunt aliquos habere angustum pectus; aliquos habere crura torta, aut spinam, &c. Tertiò naturæ nomine intelligunt etiam facultatem, quæ regit nostrum corpus, vt cùm dicunt 6. Epidem. *Natura est morborum medicatrix.* Aliæ dantur significationes naturæ, sed tres dictæ sunt frequentiores, & quæ potissimùm conferunt ad intentum præsens. His sic suppositis quod quærimus est, qoòd in textu intelligat Galenus nomine naturæ, an scilicet temperamentum nostri corporis, an potius ipsam corporis constitutionem, sive formationem substantiarum, & partium, qoæ sunt in corpore, ipsumque componunt: an neque temperamentum, neque constitutionem corporis, sed facultatem, quæ corpus gubernat, quæque corpus conservat, omnesque corporis actiones, atque operationes exercet, atque moderatur: an denique naturæ doas ex illis, vel omnes tres intelligat.

305 Sic supposita qoæstione, & significationibus naturæ credidit Stephanus Actenieosis per hominis communem naturam non esse intelligendum corporis temperamentum in hoc capite, sed potius corporis constitutionem, & formationem, & facultatem, quæ nostrum corpus regit atqoe conservat; fundamentum hujus est, quia hîc nomine naturæ intelligit Galenus quidquid commune est, & proprium in homine, vel quod non solùm proprium & peculiare in homine reperitur quocumque, sed etiam quod commune est hominibus multis, aut omnibus: nam ideò dicit quod ad benè medendum debet Medicus cognoscere, non solùm naturam communem hominum, sed vniuscujusque propriam.

At autem, ait Actenienfis, non omnes homines habent id temperamentum, sed vnusquisque proprium: habent tamen multi homines similem constitutionem organicam, & omnes habent similes facultates, quibus gubernantur, conservantur, & suas exercent operationes, quare nomine naturæ hic non temperamentum, sed corporis constitutionem, & facultates intellexit Galenus, & nos pariter intelligere debemus ex sententia hujus authoris. 306

His tamen non obstantibos contraria sententia est tenenda: etsi enim hoc nomine naturæ tum facultates corpus gubernantes, tum corporis habitum, & organicam omnium partium constitutionem, aut formationem etiam intelligat Galenus, potissimùm tamen per naturam communem hominis, temperamentum intelligit: nam si hîc ad benè medendum agit de natura Galenus, & hanc tum communem, tum propriam esse à Medico cognoscendam in vnoquoque ægrotante statuit, hinc clarè colligitur per naturam nunc intelligere eam ex qua curativæ indicationes exoriuntur, sive eam quæ majorem vim habet ad indicandam, sive ostendendam rationalem & debitam cujusque ægrotantis curationem; & per cõseqoens nomine naturæ in hoc proœmio & primo capite temperamentum laborantis intelligit, cùm temperamentum cujusque ægroti sit potissimùm indicati, & vt ait Galenus, ex temperamenti naturalis lapsu cognoscitur, atque metitur recessus morbi, sive ejus magnitudo, aut parvitas, & inde quantitas remedij; neque ratio Stephani, quæ contrarium docet, convincit, quia etsi temperamentorum plores sint differentiæ, nempe novæ, vnum scilicet temperamentum, & octo à temperamento, seu medio recedentia, & sic ex ægrotantibus alij aliis temperamentorum differentiis sint constituti; etsi inquam ægrotantes alij temperati esse possint, & alij intemperati, & his alij calidi, alij frigidi, &c. tamen hæc non prohibent qoòd omnes homines, vel saltem plures habeant commune temperamentum: nam inprimis si homo comparator ad alia animalia; omnes homines sunt temporali respectu reliquorum animalium: quare in hoc sensu vnam omnes habent communem temperatoram, scilicet temperatam, id est, magis mediam, atque perfectam, quàm reliqua alia: similiter quamquam ex hominibus alij sint temperati, alij non, sed vel calidi, vel frigidi, &c. hæc tamen non tollunt cùm plures homines possint esse temperati, plures alij calidi, alij plures frigidi, &c. & per consequens isti plures habebunt temperamentum commune, in quo conveniunt, temperati scilicet temperiem mediam, calidi autem calidum temperamentum, frigidi frigidum, & sic de aliis

aliis intemperatis : quare quamvis nomine naturæ intelligatur tẽperamentum in hominibus, dabitur natura cõmunis, vt propria, & omnes homines habebũt idem temperamentum temperatum respectu aliorum animalium , & ipsi homines intra suam speciem, temperati scilicet temperatam, calidi calidam , & sic de aliis.

307 Habemus jam quòd nomine naturæ in præsenti intelligit Galenus non solùm organicam nostri corporis constitutionem, seu conformationem, & facultates , quæ nos regunt , atque conservant , sed etiam temperamentum , & tandem res omnes naturales , quæ vim habent indicandi in morbis: est etiam expositum quòd in ægrotantibus non solùm reperitur temperamentum individui , sive proprium cujusque laborantis , sed & commune : quare qui rectè curare vult , ait Galenus , communem & propriam naturam cognoscere debet ; & per consequens dictum commune & proprium temperamentum. Vnde modò videndum venit quomodo Medicus talia commonia & propria ægrorum temperamenta possit cognoscere, atque invenire , saltim sufficienter , & prout ad rationalem curationem requiruntur. Duo sese offerunt agenda. Primum scilicet , tradere etiam signa ex quibus natura communis , sive temperies hominis cognoscatur : & secundum, tradere etiam signa ex quibus particolaris natura , sive temperies cujusque ægrotantis innotescat : quare de primis agemus primùm , & postea de aliis : etsi autem de vtrisque, tum alij , tum Galenus fusissimè disserat , potissimùm in arte medicinali fortassis , & quæ nunc dicentur non displicebunt , præsertim quæ ad cognoscendam communem naturam dicemus : ergo cùm natura communis vna temperata sit , scilicet vel ad pondus, vel ad justitiam , & octo intemperatæ , de singularum propriis signis acturi , à signis naturæ temperatæ incipiamus.

308 Natura ergo temperata , quà talis est perfectas edit actiones totius corporis , & potissimùm naturales : vnde corpus temperatum benè concoquit , benè nutritur , calore nativo abundat , & viribus constat robustis, coctiones omnes , atque maturationes perficit , & sic non est gracile , neque obesum , sed boni habitus , benè carnosum, sed minimè plethoricum , calore vivido , seu roseo est præditum , & calore moderato, natura autem intemperata non solùm calida & frigida , &c. sed vnaquæque earum est multiplex , calida videlicet in primo gradu, vel in secundo , vel in tertio : quare penes tales gradus etiam vnaquæque natura intemperata non solùm ab aliis naturis , sed ab aliis ejusdem naturæ signis propriis distinguitur ; natura verò calida , quæ calida solùm est in primo gradu , etsi calida sit revera , quia tamen , vt ait Galenus , calor in primo gradu calefacit quidem , sed ferè insensibiliter , iden quasi esset naturalis , perfectè concoquit, & iam natura calida in primo gradu , atque maturat , etsi non ita perfectè atque natura temperata : vnde in reliquis parum etiam , aut nihil à natura temperata distinguitur. Natura autem calida, quæ ad secundum caliditatis gradum accedit jam alicujus ignei caloris , sive intemperati particeps est. Vnde hæc potius vim habet attenuandi corpus , atque ejus humores , & rarefaciendi , atque aperiendi meatus , quàm perfectè concoquendi , & nutriendi corpus; & ideo etsi parum calorem nativum, & corpus attenuat. Denique natura calida in tertio (nam in quarto nulla dantur, quia quartus gradus non solùm est præter naturam, sed extraneus) exsiccat , inflammat , sitim excitat, corpus tabefacit , & colliquat. Sed nota quòd qui sanguine , aut massa sanguinaria constant tenuiori, & sunt rari habitus, sunt pariter graciles, & tabefacti , vt calidi in tertio : differunt tamen facilè inter se , quia isti sunt graciles, sed ad tactum non sunt duri, neque calorem acrem tactui repræsentant , vt qui calidi sont in tertio.

Natura frigida in primo , etsi insensibiliter tantùm refrigerat , sic quidem innatum calorem infringit , ita vt neque coctiones, neque maturationes, aut nutritiones ad exactum finem possit perducere : quare retardat istas operationes , ac diminuit. Quæ verò ad secundum gradum frigiditatis accedit, nocumenta dicta manifestè calorem naturalem obtundit , quare non solùm humores corporis incrassat , verùm crudorum humorum moltitudinem generat , & inde obstructiones patit. Quæ in tertio gradu frigida est astringit corporis meatus intrinsecos, succum exprimit natoralem , stupefacit sensus, & plumbeum calorem inducit : omnes denique corporis distributiones impedit. Natura humida in primo gradu lubrica est , & lenis : quæ in secundo, humores acres obtundit , crassiores potius quàm fluidos reddit, naturalem membrorum tonum imbecillem reddit. Humida tandem natura in tertio gradu non solùm relaxat corpus , sed & facultates debilitat : vnde assiduæ nauseæ , & vomitus fiunt , vti fluores alvi, atque lyenteriæ , totum corpus efficitur pigrum , aut torpidum , motusque omnes & actiones manifestè obtundunt. Natura sicca in primo tantùm grado corpora reddit validiora, sensusque omnes vegetiores ; quæ verò sicca est in secundo manifestè astringit , & corpus tabescere , aut gracilescere facit. Denique quæ in tertio gradu est sicca, omnes cavitates, ac meatus corporis reddit angustiores , sicque humorum transitus, atque expulsiones impedit , succos corporis exsiccat , & tabem inducit : tales igitur cùm sint effectus sensibiles , qui fiunt in nobis à natura non solùm temperata , sed & ab intemperatis simplicibus , ex his & compositas poterit quisque judicare , atque cognoscere; quare sic etiam omnes naturæ poterunt habere non communes tantùm , sed & particulares : hæc tamen vt pateant magis dictis signis , alia magis particularia addamus , vt in 309

in textu ſaciendum monet Galenus. Si qois enim, ait, probè diſtinxerit temperamentorum differentias, ſcilicet vt factum eſt, & ætatum, & vires, aliaque id genus quæ homini inſunt, vt eſt color, calor, corporis habitudo, arteriarum motus, conſuetudo, ſtudia, & animi mores, quibus addiderat maris & fœminæ diſcrimen, & quæ ad regiones, anni tempora, & alias aeris ambientis conſtitutiones pertinent ad propriam ægrotantis naturam cognoſcendam, sic accedet. Rectè autem dictis temperamentorum differentiis diſtinctis, etiam ætatum, & aliarum rerum differentias & varietates, aut diſcrimina docet eſſe addenda, qnia ſcilicet ſic magis ad propriam ægrotantis naturam capeſſendam accedimus; etſi enim diverſis temperamentorum differentiis per ſingulos gradus ad particularia etiam accedimus, tamen adhuc magis tales naturas individuabimus, ac magis particulares efficiemus, ſi vnicuique earum ætatum differentias, & alia quæ dicit Galenus adjicimus: pueritia enim in quolibet temperamento calida eſt moderatè, & per exceſſum humida; & è contra ſenectus ſicca eſt per exceſſum, & frigida: quare ſi in puero appareut ſigna calidæ, ac humidæ naturæ, v.g. in ſecundo aut tertio gradu, adhuc ratione ætatis, ſive pueritiæ id magis verificabitur; & è contrà ſi in eodem puero appareant ſigna temperamenti frigidi, ac ſicci in aliquo gradu, ſive primum ſit, ſive ſecundum, aut tertium, certum eſt quòd ratione ætatis temperabitur, id eſt, ratione pueritiæ erit minus frigidus, ac ſiccus, quam ſigna demonſtrabunt, cum pueritia adhuc in naturis ſiccis ſit per exceſſum humida: & ſenectus adhuc in naturis humidis eſt ſicca; & ita ſi in ſenectute apparent ſigna temperamenti humidi, humidum ſanè eſt corpus, minus tamen quàm ſigna indicant, quia ætas atteſtatur ſiccitatem.

310 Similiter 'ſi vires', ait Galenus, diſtinguntur, & temperamentorum differentiis junguntur; ſic etiam ad cognoſcendam propriam ægrotantis naturam magis accedimus: nam etſi vires per ſe quidem non apparent, neque poſſunt indicare, à ſuis tamen manifeſtantur actionibus, aut operibus, & per tales actiones aut opera peculiaris natura facultatum & partium, quæ corpus totum gubernant, cognoſcitur. Vt enim vis animalis ex motu voluntario robuſto aut languido, v. g. ex aprehenſione, forti, aut debili, & ex ſenſuum externorum, internorumque perfectione, aut imperfectionibus cognoſcitur, ita ex his ejus naturam temperatam, atque perfectam, aut è contrà intemperatam colligimus; & quidem non ſolùm facultatis, ſed & cerebri, vel aliarum partium organicarum, quæ inſtrumenta ſunt talium actionum animalium, vitalis etiam facultas ex arteriarum pulſu vehementi, aut languido, vel aliis differentiis, & naturalis ex concoctionibus, ac nutritionibus, & ſuis excrementis pateſiunt, atque ſingularum naturas cognoſcimus, colores etiam qui in corporis cute reperiuntur coindicant peculiarem naturam ejus, ſive humorum, qui ſunt in corpore, quia vt ait Hippocrates 1. *de humor.* 51. talis eſt color apparens in cute, qualis eſt humor redundans in corpore, niſi intrò refluat: quare varij corporis colores cujuſque humoris propriam naturam indicant, calor ſimiliter qui in corpore ad tactum apparet ſi mitis eſt, naturam eſſe temperatam ſignificat, ſi verò acris & mordax ſit, bilioſam eſſe demonſtrat, quemadmodum corporis habitus carnoſus calidam & humidam eſſe temperaturam dicit, pinguis frigidam & humidam, gracilis, ſive extenuatus ſiccam, & quadratus temperatam: viri etiam calidi ſunt, ac ſicci, fœminæ è contrà frigidæ ac humidæ. Conſuetudo pariter naturæ propriè talem oſtendit: nam ex longo otio & victu humido humida evadit natura; ex labore verò longo & victu ſicco, aut parco ſicca: pariter vitæ genus, vel ars ſi magni ſit laboris, atque caloris, vt ferraria, calidam ſiccamque reddet naturam, è contrà humidam ac frigidam, ſi corpus non fatigatur; ſed otij indulgentia, atque ignavia animi, etiam mores cujuſque naturam propriam docent: nam ira, aut furor, aut excandeſcentia teſtificant caliditatem, iis contraria frigiditatem, timores, triſtitiæ; cogitationes vehementes, atque vigiliæ immoderatæ atteſtantur ſiccitatem: regio denique temporis, conſtitutio, & ambientis nos aeris conditio, qualiſque erit talem reddit, teſtaturque eſſe naturam corporis: quare benè dicit ac docet Galenus, quòd qui hæc omnia addit corporibus, atque ſignis naturæ communis cujuſque laborantis, ij ſic non ſolùm communem, ſed cujuſque propriam cognoſcit naturam.



CAPVT II.

De ſignis & differentiis febrium diariarum.



311 ROGATVS à Glaucone Galenus vt ſibi medendi methodum conſcriberet, reſpondit, vt viſum eſt capite ſuperiore: *At quiſquis omnia quæ ſecundùm & præter naturam ſunt per diviſionem veram docuerunt Mneſitheus & Plato, prius invenerit, & deinde ex omnibus bene inventis, ac cognitis integras deſumpſerit indicationes, ſolus is erit, qui quantum per humanas vires licet, medendo non errabit*. Quaſi dicat: debita curandi methodus in duobus potiſſimùm conſiſtit; ſcilicet in integra diviſione, ſeu diſtinctione

ctione eorum omnium, quæ in morbis possunt indicare, quod, quantum, quando, & quomodo sit agendum in qualibet curatione, & in debita, sive perfecta cognitione dictorum omnium indicantium; & benè quidem, nam inprimis omnium indicantium curatio, distinctio & diversitas est necessariò habenda ad benè curandum, quia re vera sunt tot diversæ curandi rationes quot sunt morborum ideæ, seu differentiæ, vt ex his eisdem verbis scribit & docet Galenus 2. *methodi capite* 7. Deinde singulorum dictorum requiritur exacta cognitio ad benè medendum, quia nihil indicat nisi prius sit cognitum; nam natura cujusque rei præcognita est quæ indicat quod sit agendum, aut quantum, &c. & ideò communiter dicitur: *Qui benè noscit, benè curat, & qui malè noscit malè curat.* & Galenus 1. secundùm locos capite 2. *Conjecturalis medici, ait, in affectuum cognitione consistit, quæ vbi constiterit non conjecturaliter, sed scientifica ratione indicat curationem.* Quæ omnia cum sic se habeant, ideirco acturus Galenus de curatione febrium in primo libro ad Glauconem, & incipiens à diariis, vt quæ simplicissimæ sunt, & hac ex parte priores, aut curatu faciliores, agit in præsenti secundo capite de febrium diariarum signis, aut de earum differentiis & signis, & tertio sequente de earum omnium curatione: acturus antè Galenus in præsenti secundo de differentiis & signis febrium diariarum secundò docet qua recta ratione tum febres diariæ, tum aliæ omnes debent inquiri vt benè cognoscantur; & sine fraude, aut deceptione curentur; & tertiò tandem docet cognoscere causas febrem diariam facientes, si prægressæ fuerint, aut ab ægris aut astantibus non dicantur. Quare caput secabitur in tres partes.

TEXTVS.

Igitur à febribus; quoniam harum curandarum, &c.

312 IN hac prima capitis parte de differentiis febrium diariarum acturus Galenus, earum causas efficientes demonstrat; & benè quidem, quia febres diariæ, sive calor sint præter naturam spirituum vitalium, sive caloris nativi cordis, atque arteriarum non habent alias differentias in quas dividantur, præter illas, quæ ex causis desumuntur: non enim calor nativus influens, aut spiritus vitalis jam implantatus, qui sunt subjectum febris, saltim diariæ; habent aliquas differentias essentiales in quas dividantur; & ita neque febres diariæ possunt aliter dividi, aut multiplicari, aut variari inter se, & in curatione, nisi causarum efficientium ratione, & ideò rectè Galenus de differentiis harum febrium acturus causas ostendit à quibus fiunt,

sed nos antequam has causas cum Galeno enarrandas accedamus, aliqua breviter præmittemus, vt omnia hic de hoc argumenti genere habeant: ergo in hac te advertendum supponimus quòd febres diariæ multoties ab ipsa natura curantur sine aliquo remedio, quia scilicet sunt morbi & sic facilè mobiles à subjecto: interdum tamen in morbos graves transeunt, si earum debita cognitio & curatio negligantur. Vnde provenit quòd hic Galenus de his duobus agat acuratissimè: etsi enim febris ephemera, sive diaria ea sit, quæ attenta sua constitutione, & pauca duratione spatio vnius diei, sive 24. horarum soleat terminari, & ad statum naturalem, vel nihil adjecta pervenire, interdum tamen ad tres, aut plures dies extenditur, saltim quæ diaria notha est, & tum hæc, tum propria diaria, atque exquisita possunt malignari. quare omnes indigent scientifica dignotione, & curatione, vt asserit Galenus.

Iam de causis febrium diariarum agens 313 Galenus eas hic affert, quæ externæ sunt, quæque propriæ sunt causæ febris diariæ: nam re vera febris diaria ea est, quæ spatio vnius diei ac noctis terminatur, vt dicebamus, & nomen ipsum indicat: Febris autem quæ sic breviter terminatur, ea est quæ & in spiritibus subjectatur, qui accensi præter naturam non conservantur sine consumptione, aut resolutione, nisi per spatium dictum 24. horarum, & à causis solùm oritur externis, quæ solum affectum inferunt, aut passionem, aut alterationem in nostro corpore durante tantùm per dictum vnius diei, ac noctis spatium: vnde Galenus 1. *de differentiis febrium, capite* 7. dicit esse proprium, & sic non inseparabile, febris diariæ fieri à causa externa, non autem interna nostri corporis oriuntur, vt quæ à levi aliqua provenit obstructione, vel à sanguinis fervore: hæ quidem non sunt propriæ diariæ, sed nothæ tantùm: vnde de his hic non agit, neque earum causas inquirit Galenus. Diariæ igitur febres, ait Galenus, vel ex lassitudine nascuntur, id est, ex immoderato corporis motu aut labore, vel ex tremulentia; id est, ex nimio vini potu, vel ex ira, vel ex mœrore, vel ex excandescentia, furore animi, vel denique ex aliis vehementioribus animi cutis; vt enim febris diaria est passio vitalium spirituum, atque caloris nativi, ita potissimùm à vehementioribus vel animi, vel corporis motibus, sive laboribus exoritur: vnde & pervigilium sæpè etiam attulit simplicem febrem, sive diariam, quemadmodum & algor, seu vehemens corporis frigus, & nonnunquam ardor. Denique in hoc genere continentur febres, quæ à bubone originem ducunt, exceptis his, quæ sine manifesto fiunt vlcere: hæ enim suspectæ sunt, & minimè mites. Hæc Galenus: quòd verò diariæ febres à dictis oriantur causis breviter ostenditur, vt sequitur. Vehemens corporis motus non solùm lassitudinē, sive fatigationē inducit in musculis, atque

atque articulis, qui nimis agitantur, atque mouentur, sed & nimium calorem, qui inde cordi communicatus febrem accendit, tremulentia quoq; febrem producit, quia vinū præsertim generosum, si immodicè sumptum a corpore actuatur, atque deuincitur, feruentes vapores ad cor, cerebrumque transmittit: vnde febris enascitur; hæc eadem præstant, tum vbi calidi, tum satietates ventriculi nidorosæ; iracundia autem, scandescentia, aut furor cùm sint feruor quidam, ac motus vehemens irascibilis facultatis circa cor, à fortiori etiam febrem gignit: in mœrore verò spiritus & calor naturalis ad suam originem recurrunt, nempe ad ipsum cor, sic ibi compressi accenduntur, febremque lentam efficiunt; calor enim in angusto positus si non suffocatur, calidior se ipso redditur: in curis verò & cogitationibus in cerebrum feruntur, vbi etiam accensi inde cordi calorem ac febrem suggerunt, vigiles semper agunt, transmittuntque spiritus à cerebro ad partes subjectas, qui sic accensi febrem generant: pariter solis ardor, tum in spiratu, tum arteriarum attractu, tum cutis contactu spiritus accendit, & febrem; frigus si est vehemens cutis poros claudit, sicque insensibile totius corporis effluviū cohibet; quòd si calidum, acreque fuerit gignit febrem, si benignum plenitudinem: denique bubones vel fiunt à delitescente intra corpus causa, vt à viscerum inflammatione, vel plenitudine nimia, vel malignitate, vel à causa externa, vt à vulnere, ictu, aut dolore aliquo externo: bubones ergo qui à causa finut interna, mali scilicet & curatu difficiles, vt qui à multa proueniunt plenitudine, prauo humore, aut interna inflammatione, & consequenter si his febrem generant, non est simplex, aut mitis, aut diaria, sed putrida potius aut maligna vtpote depēdens ab inflāmatione interna, aut à maligna humorum putredine, vt ait Galenus 4. *aphor. comment.* 43. qui verò bubones orti à causa externa febrem generant, vt sunt illi qui vulnera insequuntur, aut dolores juxta magnas venas, aut arterias, vt cùm ad vulnera aut dolores, vel ictum in cruribus, aut brachiis, aut in capite oriuntur bubones in inguinibus sub axillis aut retro aures mites quidem, siue diarias eas creant, scilicet solùm calidis vaporibus à bubonibus eleuatis, & cordi communicatis: cùm enim tunc in venis nō repetiatur aliquis prauus humoris apparatus, sed solus sanguis naturalis; hinc est quòd solùm vapores calidos sanguinis tales bubones possint à se emittere, ac cordi, aliisque corporis partibus communicare.

314 Traditis sic causis febrium diariarum, aduertit Galenus quòd omnes istæ febres curantur facillimè: & ratio est nota, siquidem febres diariæ sunt febres parum aut nihil in subjecto radicatæ, & solùm pendent, seu generantur à causis externis, & non ex prauo aliquo apparatu corporis, neque ex humorum sarcina, aut farraginе: & proinde febres diariæ facillimè, in quit, solui possint, scilicet per balneà aquæ dulcis appropriata, & vsitatam victus rationem. Hæc verò quamquam ita sint, tamen ob malam talium febrium curationem solent non solùm difficulter curari, sed reddi pejores; & quidem non parum. Quod quidem est valdè notandum, atque dolendum non in diariis solùm, sed in omnibus aliis tum febribus tum morbis: nam quid quæso dolendum magis nobis accidere potest, quàm per nostras curationes, indebitas, ne dicam erroneas, ægrotantes lædere, & morbos qui curari bene poterant non solùm non curare, sed reddere incurabiles, aut deteriores. Quod verò ita fieri hoc accidat in diariis, & aliis morbis ex duabus malis curatio manifestat: principio enim, ait, qui in febribus diariis diatriton admittunt, id est, qui curationē dictarum febrium diariarum per inediam trium dierum, vt ante qui solebant consequi intentant, non solùm non attingunt intentum, sed sæpe febres reddunt acriores, siue pejores, atq; acutiores, præcipuè in naturis biliosis, quæ promptè accenduntur atque exsiccant: longa inedia enim, qualis est trium dierum, & adhuc duorum, vel vnius tantùm in naturis biliosis, quales sunt quæ ex ira, aut excandescentia, ex labore, aut nimio exercitio, ex vigiliis, ex mœrore, & aliis causis hujusmodi febrem diariam accendunt, non solùm non curat tales febres, sed in hecticas eas transire facit, vel in torridum marasmum, etiam syncoposum, si ventriculi os superius in injuriis consentiat. En ergo quòd ex indebita curatione morbi, qui facilè poterat curari, nēpe febres diariæ fiunt incurabiles, vel mortales, aut saltim longè pejores quàm in se erant, & ex sua natura.

Neque sic solùm Medici errant, ait Galenus, dictas febrium diariarum, vel aliarum curationes, sed aliis diuersis modis: 315 quippe Medicorum non paucos videmus qui quoties ægrotos inuisunt, seu visitant, ita errant vt manufactas ægritudines inducant, id est, quasi manufactos morbos inducere videantur. Nonnulli enim, ait, parum postea, casu quodam, & Medicorum, & negligentia in graues sæpe morbos inciderunt veluti sole exusti, vel furore concitati, vel labore fatigati, vel vigilias passi, vel refrigerati, vel alia externa occasione eorum, quæ corpus lædere solent, affecti, simulque vitio humorum vel obstructione, vel cruditatibus laborantes; si enim dictos febricitantes Medicus curare aggressus, solùm, attenderit ex æstu vel lassitudine, vel vigiliis, vel ex alia causa externa febricitare, & non animaduerterit subesse etiam in talibus ægrotis aliam internam affectionem præter naturam, is quidem casu quodam ob hanc negligentiam tales febricitantes incurabiles morbos, vel saltim ægrè sanabiles merè facit: nam si Medicus ad ægrum accersitus vidit omnia de quibus quæritur æger, ob causam externam accidisse, neque aliam subesse in corpore affectionem arbitratur, certum

certum est quòd statim ad nutriendum talem ægrum accedet;quare re vera qui ex æstu vel lassitudine, vel vigiliis,vel furore, vel mœrore,vel alia simili causa externa febricitant,& in corpore nulla subest affectio præter naturã,quæ impediat vt cruditas,obstructio , aut humorum putredo: qui,inquã,sic febricitant, certũ est quòd omnes debent cibari in declinatione primæ accessionis,vt sæpe dictũ est; imò si tales febricitãtes sint graciles & amara bile in ventriculo redundãtes vel graciles simul ac imbecilles,aut vẽtriculo debiles, debent in principio accessionis nutriri,vel parũ antea,vt 1.methodi non semel docet Gal. At sicut isti omnes febricitantes victu conveniente curantur , & quidem facilè ; ita si tales febricitantes laborant etiã aliqua dictarum internarũ, affectione & negligentur, ac sine maxima attentione dictæ internæ affectionis nutriuntur,sic quidem in incurabilẽ,aut ęgrè sanabilem morbũ,ruunt necessariò , ex quibus ostenditur quòd ex curatione indebita qui morbi poterant facilè curari, fiunt incu-
316 rabiles,vel mortales.

Diariarum igitur febrium prompta est curatio,ait Galenus,sed diligentiam exigit majorem dignotio:id est,curatio febrium diariarum facilis est,atque brevissimè consequi benè potest, si benè cognoscunt ; sed dignotio istarum febrium non est æquè prompta , aut facilis vt curatio, sed diligentiã exigit majorẽ:sunt enim febres diariæ affectus præter naturam parùm recedentes ab statu naturali, signaque quibus deprehenduntur parũ à salubribus differunt , & ideo non nisi à magnis Medicis,& benè exercitatis noscuntur.Quæ cùm sic se habeant ostendunt pariter nõ esse promptum , aut facile diarias febres cognoscere.Præterea cùm satis non sit ad benè medendum communem naturam morbi cognoscere,sed cuiusq; propriã speciẽ,aut differentiam,vt parum superiùs est demonstratũ,hinc sequitur quòd neque sufficit ad benè medendam febrem diariam cognoscere bene,quòd diaria sit,sed requiritur etiam cognitio ejus propriæ differentiæ, quæ in his febribus , vt etiam est demonstratum , sumitur ex causis; at has causas distinguere,vt infra videbimus, non est facile,& per consequens, neque distinguere an ab hac , vel illa causa febris sit facta,præsertim si non sit præsens,sed jam sit transacta.Rursus neque satis est ad benè medendum morbũ in cõmuni simul & in specie cognoscere,& propriam ejus causam præsentem aut transactam,sed requiritur etiam scire an simul cum dictis subsit in corpore laborãtis affectus aliquis præter naturam,aut aliqua prava corporis aut humorum dispositio, quæ vel ad præsens,vel in futurum possit vel curationẽ turbare,aut immutare,vel ipsum morbum,atque laborantem reddere deteriores:ob hæc igitur omnia,ait Galenus, adhibẽda omninò diligentia est in qualibet curatione,etiã si sit omnium facillima,qualis ex se est febriũ diariarũ cura,vt dixit Hipp. non solùm præsentia cognoscamus , sed præterita & futura, quia sic solùm,vt visũ est,potest Medicus rationalis benè,& sine errore , aut aliqua deceptione curationẽ alicuius morbi consequi: etenim id quod nunc de diariis dicimus,& ab his etiã morbis est commune:ex quo fit quòd multi curando non tantùm diarias,sed & alias febres ac morbos hallucinantur, siquidẽ ante nos,dicit nullus quantũ res postulabat de hac re conscripsit:sicuti re vera neque nunc, nam etsi omnes practici de signis agunt , quibus morborũ species cognoscuntur, non tantũ ad magis particularia descẽdũt neq;an aliquid intrinsecus lateat reconditũ ostendunt,aut non vnde nos nunc;vt autẽ Gal. tantùm curando hallucinamur,quantũ à dictorum cognitione aberramus,saltim in curatione morborũ eorũ quos occultos vocamus,vel rectiùs,quos non cognoscimus secundùm id quod reconditum habent cognoscendum.

TEXTVS.

Accedentes igitur ad ægrotum in primis quæ in ipso sunt , &c.

VIdimus quantùm oporteat ad benè me- 317
dendum febres diarias,etiamsi simplicissimæ sint,perfectè cognoscere,& ab aliis exquisitè distinguere vsque ad magis particulares differentias,si non propter ipsas , saltim propter maximos errores,& pericula,quæ ex istorũ ignorãtia cõtingere possunt:cùm enim ab eisdem causis externis soleant exoriri non solùm febres diariæ, sed interdum etiam putridæ,eaq; inter initia mites,vel quia , vt ait Hipp.in principio & fine omnia imbecilliora,vel quia sunt malignæ;hæc quidem solent esse causa vt febris existimetur diaria, & simplicissima,quæ tamen non est talis, sed prava,atq; maligna,quæq; neglecta,& incognita parũ postea,vel ex se,vel ex improba curatione,ac præcautione,vel ad mortem, vel ad extremum periculum perducit laborantẽ:scribit enim Gal. t *.epid parte 3.com.29*. in casu quem refert Hipp.ex levi occasione cœpisse febricitare quẽdã levi quadã febre, quã neglectâ comedit & bibit:vnde mox recrudescens morbus adeò increvit,vt ad extremũ periculum laborantem deduxit; ex quibus animadvertere debemus,ait Gal, quantũ referat Medicos esse diligentes, valdéque sollicitos vt morbus statim per initia exquisitè noscatur,vt inde valeamus tũ ægrotantẽ regere,tũ debitam curationẽ ministrare: sic ergo modò in hac secunda capitis parte,dicit Gal. *Accedẽtes igitur ad ægrotũ in primis quæ in ipso sũt præcipua,deinde verò alia contẽplari oportet, ne minimũ quidẽ si fieri possit,omittentes.* Quasi dicat:maximè quidẽ expedit quòd Medicus tũ omnes alias febres,etiã tũ simplicissimas,sive diarias (nã hæc cõmmunia omniũ sunt) exquisitissimè cognoscat vt sic rectè eas tractet, neque in putridas transeant , vel in alios morbos pejores.Sed est advertẽdũ,quòd hæc exquisita febriũ cognitio non vtrũq; haberi potest,quia vt benè dicit Arist.nõ quodlibet sequitur ex quolibet,sed determinatũ ex determinato;

terminato. Sic igitur cùm primùm accedimus ad invitendum aliquem febricitantem, quàm maximè, diligentes esse debemus in explorandis omnibus signis quæ in eo esse poterunt atq; inveniri; sed primùm quidẽ quæ in ipso sunt præcipua: deinde verò & alia, primum quidem illa quæ in morbo cognoscendo scimus esse majora, aut vim habere majorem ad morbum cognoscendum: deinde & alia quæ etsi ad id non sint ita magna, ad alia tamen conferunt multum, primaque confirmantur.

318 Vt enim in vnoquoque morbo multa dãtur quæ à Medico debent cognosci, nẽpe morbi species, & ejus particularis differentia, magnitudo ejus, tẽpus & mos, sive bonitas, aut malitia, & causæ omnes; vt inquam hæc omnia dantur in quolibet morbo à Medico cognoscenda, *ex 3. de crisibus, capite* 4. ita istorũ vniuscuiusque sua sunt propria signa, & aliqua sunt communia aut minus propria; atque proinde bonus Medicus ad ægrotum curandũ accersitus diligenter, ait Galenus, dicta omnia signa quærere debet, & invenire ad bene curandũ, primùm quidẽ quę in ipso sunt pręcipua, id est, quæ magis certò atque scientificè morbum exprimunt, & deinde alia quæ dictis addita, licet minus sint præcipua, simul tamen cum illa reddunt illustriorẽ & magis exactã morbi cognitionem, vel ea ipsa alios affectus produnt. Maxima ergo signa in febricitantibus omnibus, ait Galen. ex pulsibus, & vrinis desumuntur, quibus alia quæ in ægrotante apparent debent adjungi: siquidem vt indicationi quæ à maximis signis sumitur magis, aut minus credamus ex aliorum accessione efficitur, quasi dicat: principes notæ, & quæ magis necessariò febres omnes demonstrant, & singulas earum species, ac magis particulares differentias ex pulsibus & vrinis sumuntur: nam ea sunt maxima signa, seu notæ magis necessariò febres ostendentes, quæ ex earum essentia ex actione læsa partis, sive subjecti præcipuè laborantis, & ex causarum excrementis desumuntur: quare cum febris essentia in calore præter naturã aucto consistat; primum febris signum sumetur ex augmento caloris totius corporis, vel ex ejus acrimonia aut mordacitate, aut ex intensione caliditatis ad sensum tactus: similiter cum pars affecta & subjectum febris præcipuè sit cor, & arteriæ, pariter ex harum partium actione læsa, nẽpe ex pulsibus immutatis sumetur alterum signũ maximum, sive maximè proprium ad febres indicandas: denique causæ internæ materiales febrium sunt humores in venis, arteriisq; contenti, quorum propria signa sunt vrinæ: nam vrina est serum humorum in venis, arteriisque contentorum à renibus attractum, & per vesicam, aut ejus orificium ac collum foras expurgatum; quare febres etiam ex vrinis maximè certè cognoscent, & ita benè dicit Galenus quòd in febribus omnibus maxima signa maximè propria, & magis scientifica ad eas cognoscendas, & particulares earum naturas ex pulsibus & vrinis desumũt, vt quę maximè immediatè attingunt ipsã febris essentiã, sive ipsum calorẽ febrilẽ, & febris subjectum, etiãsi subjectum febris extendatur vsq; ad ipsas venas, & vsque ad ipsas febris internas causas.

Itaq; in febribus signa maximè propria, ait Gal. ex pulsibus & vrinis desumũtur, sed quãvis hæc tanti sint momenti, tamen neque alia sunt despicienda, sed etiã cognoscenda quæcũq; in ægrotante apparuerint, etsi non sint tanti momenti, ac dicta, sicuti si causa aliqua procathartica, sive externa & recens, aut non multùm antiqua præcessit, vt si cibo, aut potu nimis est vsus æger, si multùm vigilavit, si immoderatè se exerceat, si furore, aut irâ correptus fuit, si tristitiâ, aut timore, aut curis immodicis est affectus, si deniq; refrigeratus nimis fuit, aut quid simile passus. Præterea etiam si æger vomat, aut sudet, aut alvus sit fluida, vel astricta, si nimis sitiat, si anxius sit, aut inquietus, si dormire nequeat, sunt cautè attendẽda. Denique & alia sunt benè attendenda, atque notanda, quæ circa faciem, vel in alia quavis corporis parte apparent circa acubitũ respirationẽ, & reliqua omnia quæ Hipp. affert in prognosticis: his ergo omnibus benè inspectis in qualibet febre nullo relicto, ne dum in febre simplicissima, de qua est præsens disputatio, ait Gal. & collatione facta posteriorum cũ primis, sive maximis siquidem quantũ indicat, quæ à maximis sumitur, sit fidendum intelligemus: si enim signa adhuc maxima multoties infida, atque fallacia, & ideo cum pulsu bono & bona vrina interdum moritur æger: quare adhuc signa maxima indigẽt aliis ex quibus non fallacia, sed certa evadant, hæc autem alia sunt posteriora omnia dicta, atque proinde in omnibus febribus etiã simplicissimis, seu diariis omnia sunt habenda à Medico, & intimè cognoscenda, vt cognitis singulorum propriis significationibus, id est, quod vnumquodq; dictorum signorũ benè significat, cùm plura habemus, vel omnia quæ consonant cũ aliis, quæ maxima dantur, & majorẽ habent vim significandi morbum, & veram ejus naturam, sic quidẽ ex omnium quasi consensus, sive consonantia habeamus sine formidine, aut fallacia febris cognitionem, & adæquatam scientiam naturæ ejus.

Sed dices: signa quæ maxima dicuntur & majorem habent vim significandi, aut demonstrandi morbum, & ejus propriam naturam, sunt infida, & possunt nos decipere in cognitione morbi, quem significant: ergo signa posteriora, & quæ maxima non sunt, quia minus quàm ista significant morbum, minus firma erunt, vel saltim æquè infida, aut fallacia, vt priora, & per consequens neque si hæc addant maximis, cognitio morbi erit fida, aut satis certa ad ejus curationem scientificè tradendam, atque ostendendam. Vt rectè respondeatur, est supponendum quòd ex signis morbos significantibus, & eorum causis, alia sunt scientifica, & alia scientificis inferiora, & alia tertio minus adhuc certa, vt *lib. de plenitudine, fere in fine* est videre. Hęc verò quãvis ita sint, & quãvis signa primi ordinis sint, sine cõparatione ma-

gis certa, quàm quæ sunt secundi ordinis, & hæc quàm tertij: his tamen non obstantibus, ait Gal. loco citato, si signa secundi ordinis consunant, aut correspondent signis, aut significationibus primis, sic quidē certior evadit rei ognitio, & certior adhuc ac omnibus modis absoluta, si non solùm signa secūdi ordinis, sed & tertij etiam consonant, sive coindicant, sive correspondent primis, sive scientificis signis, & eorum indicationibus, aut significationibus; & ratio est, quia omnia dicta signa ducuntur ex illis rebus, aut principiis, quæ plus, aut minus pertinent ad essentiā rei quàm significant, & quā quærimus, & ideo si quæ minus certa sunt coindicant, & correspondent certioribus, sic quidē hęc adhuc magis certa, aut sciētifica evadūt. Vt enim adaucto calore cordis magis multo satisfit magnitudine, plus quàm celeritate, & hæc quā frequētia; & tamē si frequētia additur magnitudini pulsus, melius vsui adaucto satisfit, & adhuc melius, ac magis, si nō solùm celeritas, sed & frequentia pulsus addūtur ejus magnitudini, ita pariter in dictis signis contingit.

321 Quamvis enim, ait Gal. loco citato de plenitudine signa primi ordinis, quæ sumūtur ex symptomatibus morborum sunt longè magis certa, quàm signa secundi ordinis, quæ sumūtur ex victus ratione, & vitę studio, & hęc secūdi ordinis quàm tertij ordinis, quęq; sumūtur ex aliis causis externis, & ex ætate, anni tēpore, regione, ac similibus; quāvis inquam ista signa sic inter se differunt, & posteriora prioribus sunt inferiora, ac minus certa: hæc tamen nihil obstant, quin imò si signa secundi ordinis coindicant cum primis, sic indicatum ex omnibus est magis certum, quàm ex solis primis erat, & si hæc sint signa scientifica, illa verò non: sic etiam si signa tertij ordinis coindicant idem, quod signa secundi & primi ordinis, redditur magis certa, & infallibilis, quantum per fragilitatē humanā esse potest: quare & in nostro casu etsi signa maxima longè magis certa significent febres, & particulares earum species, quàm reliqua posteriora: si tamen hęc illis respondent; sic quidem rei cognitio magis scientifica & absoluta manet, quia, vt dictum est, non solùm signa maxima oriuntur ex natura rei, sive ex morbi natura, & ejus causis, & actionum noxa, sed etiam alia quæ postea consideranda proponit Galenus, & per consequens omnia signa quæ hic affert, sive maxima sint, sive non, sunt maximè notanda.

322 Dubitatur etiam hîc vnde provenit quòd etiam signa maxima morborum sunt fallacia, aut possunt nos decipere, vt accidit cùm in febribus pulsus est bonus, & vrina etiam, & tamen æger tendit ad mortem. Vt respundeatur est notandum, quòd pulsus & vrina, & quodlibet aliud signum morborum ea solùm ratione possunt significare, aut ostendere morbos quia ab ipsis morbis, aut ab earum causis alterantur, sigillanturque, aut aliter variè mutantur ab eorum impressione, & quasi charactere; si enim à febre aut ejus causa pulsus non mutatur, neque vrina, neque qualitas caloris, quæ ad sensum tactus in partibus externis percipitur, vt in febribus malignis solet accidere, in talibus quidem casibus signa sunt fallacia, quamvis signa dicantur maxima, cùm non ostendant tunc quod debeant, nempe morbum, aut ejus causam; sed cur hunc morbum non ostendunt, aut causam ejus si febris adest? cur ab ea, aut illius causa dicta signa non mutantur? respondetur, quia tunc neque febris, neque illius causa attingunt talia signa, sed ab eis recedunt, ac separantur, & vel intus latent, vel retrocedunt ad viscera, vel ad partes principaliores, quæ sensu carēt, vel denique exolvuntur, aut recurrunt ad aliā partem distinctam quidem ab illis, aut contrariam: Pro quorum majori notitia est advertendum quòd pulsus & vrina sunt solùm signa propria febrium, & eorum morborum humoralium qui sunt punctiones venosi generis, sive passiones cordis & arteriarum, ac hepatis & venarum: si enim cor, atque arteriæ præter naturam incalescunt, vt accidit in febribus, pulsus saltim alteratur, & ad pensum caloris adaucti mutantur: similiter si humores qui in hepate & venis continentur, atq; in corde, arteriisque reperiuntur, agitantur præter naturam, aut effervescunt, aut putrescunt, aut aliter fermentantur, aut turbantur, sive à suo naturali cursu mutantur, statim vrinæ etiam mutantur, aut in calore, aut in substantia, aut in contento, aut in bis omnibus à suo naturali variant statu, plus scilicet aut minus, prout à dictis humoribus afficiuntur: de quo latiùs *lib. de crisibus.*

Sed est hic advertendum quòd in morbis aliquibus, vt in febribus malignis, quamvis dicti humores venarum & arteriarum fermentantur præter naturam, sive agitantur, & multum à suo statu naturali mutantur, non tamen sic mutant multùm pulsum, aut vrinā à suo statu naturali, quia scilicet tunc humores morbum facientes non agitantur, aut fervent, aut fermentantur modo ordinario, vt in aliis febribus ordinariis, in quibus pulsus & vrinæ mutantur ad pensum mutationis humorum, qui febres faciunt, sed agitantur quidem ita præter naturam, & modo ita extraordinario, quòd per talem agitationem & mutationem, aut motum humores illi maligni potiùs, vt dicebamus, separentur à pulsibus, ac vrinis, quàm cùm ipsis misceantur, aut aliter ipsas immutent: vt enim fæces, sive excrementa crassa è coctionis naturalis cursu deorsum vergunt, & ferè semper à facultate expultrice per secessum expurgantur quotidiè, & tamen aliquando, vt accidit in volutilo, per os solent excerni; ita quamvis in febribus omnibus ordinariis, ac boni moris pulsus & vrinæ mutantur ab eis, atq; ab earū causis, sive humoribus, prout ipsi sunt præter naturam alterati, & mutati tamen in dictis febribus malignis, aut aliter fallacibus non ita contingit, sed humores agitati, ac febrem generantes abscedunt potius quàm accedūt ad pulsus, 323

atque

atque vrinas, & à venis, atque arteriis ordinarus extravasantur, ac recurrunt ad viscera, aut ad alias partes, vbi latitant, aut quiescunt, taliter quòd & febrem sic minuant, aut in totum extinguant, & pulsus atque vrinas quasi naturales reddant, quousque de novo putrescant, aut fermêtêtur in novo foco, sicq; febris de novo crescat, aut vsquequo victâ sic omnino naturâ æger ad sensum levatus à morbo facilè in totum pereat. Qui enim humores morbum facientes non vtcumque vitiantur, neque mediocriter tantùm mali fiunt, sed extremi fiunt, & omnino vitiosi, vt accidit in morbis malignis, hinc quidem vt qui turgent separantur ab aliorum consortio, atque ab aliorum massa, seu vnione, imò ipsi à se ipsis separantur, scilicet tenues à crassis, sicque febres minuunt, aut in totum extingunt, vt docet Hippocrates 1. *de morbis sect.* 117. quòd quamvis ita fiat, nisi tamen qui sic fusi fuerunt humores, & à naturalibus separati foras extra corpus expurgentur, scilicet evacuatione aliqua sensibili, aut insensibili, periculum est, ne ruant in aliquam partem principem, & ibi firmati, sive muti, aut denuo ferventes vbi firmantur iterum & denuo febrem excitent.

324 Itaque in febribus omnibus, vt ad institutum Galeni redeamus, signa aut notæ, aut significationes, quæ ex pulsibus, & vrinis desumuntur, sunt maxima, quia scilicet sunt quę præcipuè, & magis quàm alia signa docêt ipsâ febris speciem: nam re vera ex pulsibus & vrinis magis certò quàm ex aliis signis cognoscimus non solùm quòd sit febris, sed & distinguimus quòd sit diaria, aut putrida, aut hectica: imò si febris sit materialis, & non infida, aut mali moris, sed sit boni moris, ex pulsibus & vrinis cognoscimus, atque distinguimus causam, aut causas internas ipsarum febrium, & earum tempora, atque magnitudinem: ex pulsibus enim atque vrinis sæpè clarè cognoscimus & quòd febris est magna, sive intensa, vel parva, & quòd augetur, aut minuitur, & quòd est in principio aut in augmento, aut in statu, aut declinatione. Quæ quamquam ita sint, ait Galenus, tamen neque alia signa sunt negligenda, sed omnia sunt attendenda, & benè cognoscenda à Medico, scilicet non solùm illa quæ simul cum pulsibus & vrinis indicant singularum febrium species, verùm & alia omnia quæ totam singularum febrium constitutionem poterunt demonstrare, scilicet febris magnitudinem, sive vehementiam, ejus motum, seu acutiem, & ejus morem, seu bonitatem, aut malitiam, imò & signa omnia quæ demonstrant si febris trahit in consensum aliquam partem principem, aut aliam notatu dignam; si febris aut ejus causa non solùm opprimit naturam, seu impedit, sed & offendit, aut dejicit sensibiliter, aut in totum vincit, atque debilitat, nam re vera hæc omnia sunt scientificè cognoscenda, & distinguenda in qualibet febre, & in quolibet alio morbo, vel curatio non erit rationalis.

TEXTUS.

Perspectis autem tum ex pulsibus, tum ex vrinis, &c.

Quia doctrina communis neminem doctum facit, vt sæpè dictum est, nisi in particularibus exemplis ostendatur, idcirco nunc in diariis febribus traditam doctrinam explicat Galenus, sic scribens: *Perspectis autem tum ex pulsibus, tum ex vrinis febris moribus*, &c. quasi dicat, tradita doctrina etiam in diariis febribus est observanda, id est, quamvis febres diariæ ex pulsibus & vrinis possint sufficienter cognosci, ex pulsibus scilicet nullam inflammationis notam, aut inæqualitatem habentibus, & ex vrinis, quæ scilicet vel naturales sunt, vel à naturali statu parùm recedunt: non enim pulsus in diariis febribus possunt esse inæquales aliqua inæqualitate notatu digna, neque possunt esse duri aut tensi, ac multùm calidi, quales fiunt in internis multis inflammationibus, cum in diariis saltim, quæ tales sunt nulla detur inflammatio, aut humorum putredo, vel sarcina, quæ pulsus tales reddat, aut inæquales, imò neque quæ vrinas possit multùm immutare à suo statu naturali; quamvis inquam diariæ febres possint sufficienter à Medicis cognosci, atque ab aliis distingui ex earum calore benigno, & ex pulsibus, atque vrinis ferè naturalibus, vel ab statu naturali parum recedentibus: nihilominus tamen his sic perspectis ac benè cognitis, quamvis sint præcipua non est acquiescendum, sed insuper aliam, quæ antea memoravimus, omnia sunt dictis addenda, atque benè cognoscenda, videndumque est si omnia veluti concentu quodam consonant, id est, si omnia in vnum conspirant, & posteriora prioribus correspondent, atque coindicant. Si enim hæc ita consonant, inquit Galenus, jam fidendum est, & omnibus in vnum conspirantibus est acquiescendum, & non aliter: si enim in diariis febribus non solùm pulsus & vrinæ sunt, quales dicimus, sed insuper recedat aliqua causa externa earum quæ febres generant diarias, si etiam æger febrem facilè ferat, & expectata prima febris accessione, aut accessionis solutione, in pulsibus nullum relinquatur febris vestigium, sed arteriarum motus ei qui in sanis percipitur omnino respondeat; neque si quis cum febre sit capitis, aut alterius partis dolor, aut aliud symptoma amplius maneat, sed cessante accessione omnia aboleantur: si denique febris in madores solvatur, aut vapor copiosus ex imo corpore exhalet, & vrinæ tunc meliores quàm per initia longè appareant; ex his omnibus oritur certum indicium, & quasi quoddam sigillum impressum febris diariæ, atque mansuetæ, seu benignissi- 325

mæ. Quòd si his præmissis dum lavantur febricitantes neque horrorem aliquem sentiunt, neque aliam molestiam, sed post lavationem facilè tolerant, & roborati potius quàm aliqua ratione lassati se sentiunt, adhuc sic magis exprimitur febris, mansuetudo; atque benignitas, & quòd in corpore nullus subest pravus excrementorum, aut aliorum malorum humorum apparatus; sed quòd æger cibari potest, quare tunc cibus est offerendus, vinumque potui dandum sine formidine quantum res postulabit.

326 Itaque quamvis ex pulsibus & vrinis potissimùm febres cognoscuntur, tum aliæ omnes, tum etiam diariæ, ait Galenus, quià tamen præter pulsus & vrinas dantur alia multa signa in febribus, quibus etiam cognoscuntur, ideo omnia sunt à Medico benè notanda; & ex omnium consensu, & non aliter cognitio febris est desumenda, etiamsi febris solùm sit diaria: vnde quia non solùm est proprium febrium diariarum habere pulsus parum à naturalibus recedentes, id est, magnos, celeres, ac frequentes ratione febris, & vt sic vsui adaucto benè satisfaciant, sed non inæquales, aut duros, aut vibratos, aut serratiles, qualis in internis inflammationibus solet esse; nam vt inflammatis est semper idem, sed in in internis aut externis magnis inflammationibus per initia pulsus fiunt, magni vehementes, celeres, ac frequentes; in incremento verò; & in statu etiam durus, ac magis vibratus, & quasi serratilis evadit, nisi vires à morbi vehementia victæ imbecilliores reddantur. & sic duri, parvi, & debiles fiunt pulsus; quia inquam in diariis non solùm pulsus dicti sunt proprij, & vrinæ quasi naturales, sed etiam proprium est febrium diariarum fieri à causa externa, & facilè tolerari ab ægrotantibus, & pervenire ad accessionis non solùm remissionem, sed & integram infebricitationem (quod neque in tertianis, inquit Galenus, neque in quartanis, neque in alia febre intermittente reperitur etiam si spatium inter vnam & alteram accessionem longum sit) & aliorum accidentium si quæ sint totalem ablationem, & denique fieri cum madore quodam; aut quasi sudore, aut multo vapore per cutem exhalante: idcirco hæc omnia in diariis sunt advertenda, & an omnia accidant necne est benè notandum; nam si omnia reperiantur, certò certiùs indicant esse febrem diariam, & ideo eis est fidendum, etsi præterea in corpore nulla alia signa mala reperiuntur, vt si neque horror aliquis, aut alia molestia in corpore sentiatur, neque aliquis vitiatus color aut in facie, aut in partibus aliis corporis potissimùm extremis apparet; neque aliqua est sensibilis, aut notatu digna læsio in respiratione, aut in appetitu, aut in somno, aut aliis actionibus cerebri, cordis, vel hepatis, aut aliorum viscerum; ex his etiam habebimus certè & infallibiliter esse febrem diariam boni moris, & sine complicatione alicuius vitiosi corporis apparatus, aut alterius mali morbi: quare adhuc in febribus diariis sunt attendenda, & benè expectanda præterita omnia, præsentia, & futura quæcumque. *In prog.* docet Hippocrates in aliis morbis.

327 Quòd autem diariæ febres, quæ tales sunt debeant omnia habere signa quæ à Gal. sunt tradita, & non alia quæ possunt aliquã febris malitiam ostendere, facilè probatur ex natura ipsarũ: si enim febres diariæ illæ solùm sunt, quæ ex accensis præter naturã vitalibus spiritibus, aut calore vitali oriuntur, & hæc spirituũ præter naturã scandescentia non est à causa interna morbosa, sed vel ex toto fervore sanguinis, vt accidit in synochis, aut ex cruditatibus ventriculi, vel levibus quibusdã obstructionibus, aut ex aliis causis merè externis, vt ex ira, aut motu, aut vini potu, aut similibus; cùm inquã febres diariæ non habeãt nisi parvã intensionẽ, & ferè nullã radicationẽ in subjecto, neque causam aliquã permanentẽ, sed vel solam externam, aut internam mitem, & quasi aëream facilè exhalabilem: ex his intelligitur benè & facilè quòd etsi febris diaria est calor accensus, sive in facto esse firmatus in spiritibus vitalibus, aut in calore vitali influẽte, tamen talis febris diaria, vt nomen sonat, non amplius durat ablata causa, quàm per spatiũ vnius diei, & quòd sicut pulsus & vrinæ febris diariæ parum recedunt à naturalibus, quia humores in diariis non peccant, aut si peccant est parum; ita si in diariis tempore accessionis aliquod excitatur symptoma, vt dolor capitis, vel tussis, aut aliqua distilatio, quando febris fit à nimia mora sub fervente sole in declinatione febris cessat in totum, & sua accidentia omnia simul abolentur: cùm enim febris & symptomata omnia pendeant à causa externa tantùm aut à materia pauca & tenui potius quàm crassa, ideo in declinatione accessionis in totum febris cessat, & reliqua accidentia, quia vt causa externa abit, ita pauca illa materia, ac tenuis, quæ febrẽ fovebat; & accidentia à calore febrili tempore accessionis magis attenuata exhalabitur, aut in vapores conversa in levem sudorem resolvitur, quo plurimæ diariæ terminantur: quo tẽpore vrinæ meliores, aut magis coctæ quàm per initia apparẽt, quia sic natura restituitur, & quasi à sarcina qua premebatur, levatur; sicque in febris declinatione non solùm cessat febris in totum, & si quæ sunt accidentia; sed faciente febre, & reliquis accidentibus, quæ etsi parum naturam impediebant ad melius operandum: tandem sicut febres diariæ non oriuntur à morbosa, seu vitiosa aliqua corporis dispositione, neque ab aliquo pravo corporis apparatu, sed ex meris causis externis; aut levissimis causis internis, ita in diariis, quà tales sunt, nulla possunt dari signa, quæ malitiam significent, sed si aliqua dantur aliam pravam arguunt cum diariis junctam corporis ægritudinem.

328 Solùm illud dubium relinquitur quod de

modò

modo solutionis febris diariæ statuit tamquam proprium, & inseparabile Galenus scilicet solum in diariis cessante accessione cessare omninò febrem, & motum pulsus ad statum omninò naturalem redire: cum his inquit in nulla alia febre ad naturalem statum redeat etiamsi temporis spatium inter prioris accessionis finem, & sequentis initium lungum sit, vt in tertianis, & quartanis in quibus semper febris vestigium relinquitur hoc inquam, quod sit verum dubitatur, siquidem sensus indicio, saltim meo, multæ dantur febres intermittentes tertianæ, & quartanæ, siue quæ tertio aut quarto die repetunt in quibus & febris, & pulsus febrilis scilicet magnus, celer, & frequens cessant, & ad naturalem statum, seu mediocritatem redeunt toto illo temporis spatio quod intercedit inter prioris accessionis finem, & sequentis initium, etsi enim in multis etiam intermittentibus tertianis, aut quartanis tempore intermissionis relinquatur, vt ait Galenus febris vestigium, & pulsus febrilis aliquis; hoc tamen in omnibus non obseruatur saltim in nostra hac Hispaniarum regione; quare vnum duorum relinquitur dicendum in re proposita, aut supposita à Galeno scilicet vel quod fallitur Galenus vel quod febres illæ tertio aut quarto die repetentes, sed cessante accessione sensibiliter in totum, apud nos intermittentes vsque ad sequentis initium non sunt veræ tertianæ, aut quartanæ, sed diariæ per tales circuitus repetentes, & quidem hoc secundum est magis probabile, tum quia & diariæ, & aliæ febres, quæ neque tertianæ sunt, neque quartanæ possunt accessiones habere, & repetere de tertio in tertium, vel de quarto in quartum, &c. tum etiam quia quod hac nostra regione obseruamus frequenter, est verosimile etiam obseruasse Galenus in sua regione, maximè cum Græcorum clima sub quo habitauit Galenus ac Medicinam exercuit non omninò distet à nostro; sed imò ambo. sint satis simbola, & ideò verò simile est quod Galenus vt nos vidit sæpè multas febres earumque tertio, aut quarto die repetunt, verè intermittentes, quas tamen tertianas non, aut quartanas esse dicit; sed potiùs diarias nothas, siue humorales repetentes per dictos circuitus; sed non putridas, neque ab himoribus putrescentibus ortas, vt quæ veræ sunt tertianæ, aut quartanæ, sed solùm ex feruore humorum calidorum dependentes biliosorum scilicet, aut aliorum adustorum, & quæ ideò cessante accessione febris, & omnia symptomata abolentur non verò in putridis; etsi intermittant cum in his etiam tempore intermissionis remaneat putredo in foco, à qua vestigium febris in pulsibus conseruatur, & relinquitur toto intermissionis tempore. Quod verò dentur febres humorales non putridæ per circuitus repetentes liquido manifestat Galenus *lib. subsequenti* 11. vbi ibi latè videbimus.

TEXTVS.

Nos verò vt nosti ab ægroto sciscitari non sustines, &c.

HÆc est tertia capitis pars in qua Galenus affert notas quibus Medicus potest cognoscere externam causam quæ diariam febrem præcessit, ac generauit: ponit enim signa ad quamlibet febris diariæ causam cognoscendam. Sed dices causæ omnes febris diariæ sunt procatharticæ, siue externæ, & per se sensibiles, ac manifestæ; quæque ab ipsis ægrotantibus cognoscuntur, & possunt referri: cum ergo hæc ita sint dubitatur hic cuius vtilitatis erit quod Medicus cognoscat tales causas procatharticas per propria signa aut per signa quæ corpori imprimunt cum ipsæ sint per se sensibiles, & à quouis perceptibiles, & ab ipso ægroto cognoscuntur cum accidunt, & possunt si præcesserunt referri, & à Medico percunctanti nunciari? Respondetur primò quia potest accidere quod æger nequeat, aut nolit explicare causam, aut causas quæ præcesserunt, & ratione quarum ægrotat, quo casu claudicabit curatio si Medicus sua peritia, & dictis signis quæ præcesserunt causas non cognoscat, nam & in diariis etiam vera curatio est causarum remotio; & ideò benè suprà aduertit Galenus quod est facilis diariarum febrium curatio, difficilis verò cognitio, & quæ non nisi debita diligentia haberi potest, neque causarum, vt constabit ex dicendis. Secundò, respondetur quia sic Medicus fidem sibi comparat, & ægri obedientiam: cum enim videt æger quod ea quæ aliis ignorant nisi ipsi aperiat, Medicus quasi diuinans enarrat illum admiratur, & illi sic magis credit, & in omnibus paret, sicque curatio faciliùs succedit. Tertiò, respondetur quia argumenta, aut corporis passiones, aut impressiones quibus causæ dictæ procatharticæ cognoscuntur sunt maximi momenti non solùm ad earum dignotionem, sed simul etiam ad cognitionem diuersarum passionum, aut mutationum quibus vel à dictis causis & earum vna quælibet afficitur natura nostra, siue calor natiuus nostri corporis, quas etiam Medicus debet scire, & benè aduertere ad curationem rectiùs exercendam; quare & quæ nunc affert Galenus accuratissimè explicanda aggrediamur. 329

Vt ergo quæ dicenda veniunt meliùs intelligantur duo primùm se se offerunt notanda; primum est quod causæ quas ægrotans solet tegere & neque Medicis curationis gratia referre sunt plerumque animi affectus, vt ira, timor, mœstitia, amor, gaudium, vel alia id genus. Est secundò notandum quod causæ procatharticæ quæ febres generant diarias vel alias quascumque vel alios morbos, aut sunt præsentes adhuc, aut iam recesserunt: 330

recesserunt: solent enim manere post accensam febrem cutis constipatio, obstructio, bubonum inflammationes, & cruditates ventriculi: mœstitia etiam, timor, vigilia, cogitatio, gaudium, otium, vacuatio, dolor, sitis, fames, sæpè etiam diu durant, & febri assistunt, ira autem breuis est furor, & ideò non solet diu manere sicut neque solis ardor, si scilicet eum possumus citò deuitare. His igitur sic notatis textum aggrediamur vbi sic scribit Galenus *si vero manentibus adhuc animi motibus ægrum contempleris maximè ex pulsibus; vt in libris de pulsibus declaratum est deinde ex aliis dignotio petenda est*, &c. Quasi dicat, si animi affectus, seu passiones præsentes sint, verbi gratia si ira, aut gaudium, aut mœror, aut timor, &c. adhuc in febre diaria permaneant à medico perito facilè deprehendi possunt, etiam ægrotante minimè detegente: ex pulsibus potissimum qui in talibus animi affectibus fiunt deinde ex aliis: non enim in animi passionibus, quæ actu fiunt, & adhuc durant, datur alia lenior cognoscēdi via, quàm ex pulsibus, nam vnusquisque animi affectus suas habet pulsuū differentias. Vt libris de differentiis, & de præsagitione pulsuum demonstrat abunde ipse Galenus: quare qui pulsus peritiam tenuerit, ille inde facilè omnes anim. affectus quasi dininabit: quod si iam animi passiones, aut perturbationes sedatæ fuerint nisi aliæ remaneāt in corpore affectiones sensibiles, aut impressiones, parum iam ex pulsibus habebit Medicus ad iudicandas tales animi passiones quia desinente animi motu desinit etiam pulsus alteratio vel omninò, vel maxima ex parte: vnde tunc aliunde petendæ sunt notæ, & primùm quidem ex vrinis: nam in omnibus ait animi perturbationibus dictis vt plurimum vrinæ rufæ apparent. Et ratio est quia dum animi motus, siue passiones animæ febres generant diarias, sanguis, siue massa sanguinaria vnà cum spiritu vitali efferuescit, aut vehementi, & concitato inordinatoque motu agitatur, aut mouetur, alioquin febris non accenderetur: Ex hoc autem sanguinis feruore serum biliosum oritur, à quo vrinæ rufæ apparent, saltim vt in plurimum, vt inquit ipse Galenus, quare ex vrinis pallidis aut rufis in diariis cognoscit Medicus aliquam passionem animi fuisse causam v. g. iram, aut mœstitiam, aut gaudium, aut furorem, &c.

331 Qualis autem sit determinata passio cordis, siue animi, aut innati caloris, quæ febrem generauit ex vrinis rufis non distinguitur, quia hoc est commune & aliis causis, siue animi passionibus quare particularis passionis animi cognitio aliunde petenda est, vt ex qualitate caloris ex corporis colore, aut corpulentia eius, vel gracilitate, si enim iræ, aut furori mœstitiam comparemus, & si omnibus diariis calor febrilis mitis sit tamen in ea quæ mœrorem sequitur, minùs mitis est, quàm in ea quæ iram, aut furorem comitatur; & ratio est quia in mæstitia corpus exsiccatur, & ita calor fit acrior à siccitate præterea copia caloris in febre diaria ex tristitia minor est quàm in diariis ex ira, aut furore, quia per siccitatem tristitiæ consumitur materia, siue humiditas caloris aut humorum calidorum, quæ est fundamentum caloris: vnde tristitia quo maior est siccitas, eo minor fit caloris emporatio, è contra in ira efferuescit sanguis, sed non exsiccatur, & ideo ex sanguine feruente multa copia vaporum feruentium, siue calidorum eleuatur, & per totum corpus diffunditur, atque ad cutim ipsam peruenit, & proinde in ira copiosus calor, sed non acris, aut valde parum percipitur à tactu, sic similiter si febricitantes ex mœstitia conferamus cum illis qui curis, & cogitationibus, vel assiduo studio, aut simili alia causa febricitant, & conficiuntur corporis habitus eos distinguit: etsi enim signa quibus distinguntur mœrentes ab iratis sunt communia illis, qui curis confecti aut studio assiduo, aut vigiliis, aut istiusmodi febricitant, nam in omnibus emaciatur corpus, vel arescit, oculi caui fiunt, vrina rufa redditur, & tandem omnes decolores redduntur, tamen ex eisdem discernuntur, quia in vtrisque non eodem modo se habent, nam licet extenuatio, cauitas oculorum, & pallor sint omnibus communia, sed in mœrente sunt magis manifesta, quia scilicet tristitia magis quàm alia dicta corporis habitum exsiccat tum quia vehemens est animi passio, aut ab ea calor natiuus magis patitur, quàm à dictis aliis passionibus, tum etiam quia in tristitia calor influens non solùm resoluitur vt in aliis, sed recurrit ad interiora.

Differunt etiam inter se ait Galenus mœrentes, & alij dicti argumentis aliis, quæ potissimum in oculis, ac facie apparent: nam in primis si quis ea quæ ad oculos spectant attentè consideret, inde tales passiones comprehendet; etenim & in benè valentibus ex oculis iudicantur, qui mœsti sint, qui hilares, qui sint cogitabundi, & qui irati: quare in morbis, aut febricitantibus à dictis passionibus signa ex oculis desumpta distinguit tales passiones: cum certum sit quod causæ, siue externæ sint, siue internæ magis afficiunt languida corpora ægrotantium, quàm fortia bene valentium: igitur oculi mœrentium, siue sani sint, siue ægrotent, quasi immoti manent, cogitantium verò, & variis curis agitatorum, e contrà oculi sæpiùs mouentur: His enim ait stephanus, Atheniensis sequuntur motum factum in principio, id est, motum varium spirituum in cerebro, ij siquidem vt variis curis cruciantur, vel cogitationibus, ita eorum oculi sæpè sæpiùs mouentur, qui verò mœsti sunt vt qui vni tantùm rei sunt intenti, oculis immotis persistunt, & quasi fixis, hic, & vigilantibus oculorum motus ab aliis diuersus, & ait Galenus, quia vix palpebras attollunt hisque inest humiditas, in mærore verò, & cura affectis arescunt: Qui etiam ex vigiliis febricitāt decolorationis differentia ab aliis discriminatur, quia scilicet ipsis facies subtumida est; 332

etsi

etsi enim vigilantes, vt alij decoloratam faciem habeant, quia spiritus animales potissimum, ex vigilia continua, & actionibus vigilantis resoluuntur, nequeuntque restaurari; nisi per somnum ad interiora reddantur, & sic alimentum vnde foueantur recipiant; quia etiam coctiones improbæ fiunt, nam non nihil vt somnus ad coctiones facit, ideo vigilantibus ex sanguinis boni, & spirituum inopia pallida facies redditur; sed humida simul, & oculi lacrimantes ob cruditates, vel humiditates crudas, quæ ex vigilia generant quod in aliis affectibus non fit, vt qui minùs male concoquunt alimenta, quæ deuorant itaque quamuis mœrentes, & vigilantes, & nimio studio, aut aliis curis affecti graciles fiunt, & decolorati, & oculis cauantur, & febrilis eorum calor temperatur, aut tepescit, & denique pulsus magnitudo, ac vehementia perit: quamuis inquam in iis omnibus communicant, & per hæc omnia differunt ab iratis, aut furore affectis cauitate oculorum colore, calore, & pulsibus non enim in iratis, aut furore correptis oculi cauantur, neque decoloratio manifesta conspicitur, neque calor febrilis remittitur, neque pulsus magnitudo, aut vehementia perit; furore enim vel irâ percussi oculos habent non cauos; sed prominentes, neque faciem habent pallidam? sed coloratam, & calidiorem, sicut & vniuersum corpus spiritus scilicet simul cum sanguine in eis efferuescentibus in alto corporis, siue in profundo, & inde prorumpentibus ad partes exteriores omnes, sed potissimum ad faciem & oculos ob vindictæ appetitum vnde & corpus totum calet, & rubet, sed magis facies, & oculi; sed pulsus non fiunt debiles, neque vires detrahuntur, vt in aliis affectibus dictis imò maiores vehementiores, & magis celeres, ac frequentes ob auctum calorem cordis, & validam spirituum vitalium agitationem. Quod si vehementer irati, pallidi fiunt, & tremunt, in his vna cum ira commixtus est timor, aut virium debilitas à quibus pallent, aut tremunt non verò ab ira; nam hæc potiùs vires excitat, quàm ferit, timor autem vires deiiciens nimisque ad centrum reuocans ad pallorem, & tremorem corpus perducit, vt & conspectus magnorum regum & hæc de passionibus quæ ad animam pertinent deque earum impressionibus.

333 His igitur sic expositis agit Galenus de cognitione eorum affectuum animi qui ad corpus primum attinent scilicet de labore affectis, aut lassitudine, de cutis densitate, & glandularum bubone; ergo à lassitudine affectis exorsus, quibus lassitudo, inquit, siue laboriosa exercitatio febrem intulit, iis aridior; quàm in alia quacumque diaria cutis redditur, corpus enim ex immodica exercitatione, non solùm incalescit nimis, sed & siccius euadit, quæ quidem siccitas durat, vsque ad consistentiam, siue vsque ad accessionis vigorem: nam in statu accessionis, & morbi vigore à calore nimis aucto dissoluitur humorum, aut corporis aliqua humiditas, quæ per sudorem, aut vaporem excreta cutim molliorem reddit. Quibusdam verò adhuc post vigorem siccitas, perseuerat, illis scilicet, qui labore supra modum fuerunt vexati, aut refrigerati, aut exusti vna cum defatigatione, in iis enim humiditas corporis non attenuatur tantùm, sed consumitur, & ideo siccitas post vigorem perseuerat. Neque hæc sola datur differentia in exercitatis; sed etiam in pulsibus differunt, nam si labor non sit plurimùm immoderatus vires adauget, & pulsus reddit maiores, & vehementiores: exercitium enim vt tale est, natiuum calorem excitat, si quid aliud: immodicus tamen labor, aut qui extremus est, spiritibus dissolutis, vires languidas reddit, & pulsus paruos: quare benè dicit Galenus quod in exercitatis pulsus etiam variantur.

Nunc de diariis, quæ ex cutis densitate nascuntur deque earum cognitione, agens, tradit duo: primum est has tantùm febres esse affectus præter naturam in astrictione consistentes. Secundum est has febres ex tactu deprehendi. Quoad primum ergo, quod febris ex constipatione orta sit passio astricta propter methodicos Medicos dicit; qui tria dicebant esse in partibus similaribus morborum genera, scilicet in affectione stricta consistentia, vel è contra in affectione fluente, vt sunt omnes corporis fluxiones præter naturam, vel denique in affectione ex vtraque composita, & consequenter febrium omnium genus dicebant in astrictione consistere, omnes febres esse astrictas affectiones. Hoc ergo quasi reprehendens Galenus dicit hic solùm febres ex constipatione ortas in astrictione consistere, & benè quidem: nam sicut febres, quæ ex obstructione vasorum, vel cutis, aut pororum constipatione consistunt in astrictione, vel rectius ex astrictione pendent, à qua generantur, ita præter has nulla datur alia febris, quæ astricta affectio possit iure appellari; cum febres omnes, vt febres sunt, sint intemperies calidæ, quæ neque in affectione stricta, neque laxa, aut fluida, consistunt, & solùm illæ ex constipatione cutis, aut densitate corporis, vel vasorum obstructione dependent. 334

Quod autem cutis densitas, quæ febris est causa, siue ortum ducat ex aëris externi valida refrigeratione, siue ex balneo, vel vnctione, aut re alia simili astringente, vt aqua aluminosa, aut ex calcanto, rosis balaustris, & nitro facta, ex tactu deprehendantur, aut possit cognosci ab eo, qui tactum habeat exercitatum, constat inde ait Galenus quod in iis febribus, carnes, & cutis ex constipatione indurantur magis, quàm antea erant & solidiores, aut magis asperæ, quàm antea, percipiuntur à tactu. Quod si obiicias hæc signa, aut dictarum partium affectiones, etiam reperiri in aliis febribus, quæ ex lassitudine, & solis ardore contrahuntur. Respondetur esse verum hoc; non ita tamen, quod exercitatum tactum fallere possit: nam 335

etsi

etsi cutis densitas, aut constipatio, carnes reddit duras, & squalidas, siue asperas; asperitas verò in carnibus & cute constipata minor est, quàm durities, & quàm est asperitas, & siccitas, siue squallor qui reperitur in lassitudine, & solis ardore: vnde hæc tactus exercitatus potest, & debet distinguere. Sed neque alia desunt signa, quibus facilè distinguntur, nam imprimis ipse calor febrilis in febribus ex cutis constipatione ortis, est diuersus à calore ex corporis lassitudine, & solis ardore contracto; imò ab aliis causis exorto: calor enim febrilis ex corporis immoderata exercitatione, aut lassitudine, vel ex solis ardore, aut ab aliis causis ortus in ipso primo occursu, vel prima manus applicatione percipitur sicuti est, qui verò oritur, ex corporis densitate, aut cutis constipatione primo occursu mitis percipitur, si verò carnes tangendo diutius manus immoretur, acris, vel acrior, quàm antea sentitur, scilicet, quia talis est in partibus interioribus, tamen propter corporis, seu carnium densitatem, & propter angustiam pororum, qui sunt in cute constipata, primò occursu non percipitur sed diu manu carnibus, seu cuti applicatâ, præsertim si manus pectori adhibeatur: nam in aliis vix calor febrilis sentitur, quia nequit ob densitatem meatuum sese offerre calor, & foras egredi, qui intus clauditur. Præterea in hac febre desunt multa, quæ reperiuntur in aliis diariis; nam neque vrina est rufa, vt in aliis quæ ab animi perturbationibus concitantur; non enim in constipatis serosa vrinæ humiditas consumitur, neque per cutis poros digeritur, vt in delassatis, aut sole exustis &c. Sed intus continetur, & per venas atque arterias defertur vnà cum sanguine; quo fit vt sanguis non liquescat etiamsi ferueat ob febrem; quia vt Hyppocrates docet, 4. *de morbis*, hæc serosa humiditas frænat humores ne inflammentur, aut liquescat sanguis, vnde vrinæ rubescant vel saltim fiant rufæ. Ob eandem causam atque rationem in febribus ex constipatione ortis; corporis moles non concidit, aut consumitur, vt in aliis, quia scilicet non digeritur corporis humiditas; imò è contra quæ in sanis digeri, atque excerni solebat, detinetur ob constipationem. Eadem de causa neque in iis oculi cauantur, aut exsiccantur, sed potiùs humidi, & prominentes fiunt, neque pulsus in iis fiunt minores, vt in illis qui ex mœrore, curis, vigiliis, aut labore immodico febricitant: quare febris ex cutis stipatione orta ex multis noscitur, seu ab aliis distinguitur, præter signa, quæ in ea percipit tactus.

336 In fine capitis affert signa, quæ ostendunt febrem diariam quæ ex bubone oritur; quæ vt benè intelligantur, est supponendum apud Galenum bubones esse glandulas inflammatas, quæ in inguinibus sub alis, & collo secùs aures intumescunt: nisi in schirrum obduruerint; tunc enim strumæ dicuntur. Bubones autem, vt supra diximus, vel à causa fiunt externa, vt ex vlceribus, quæ in pede, manu, aut alia vrina parte nascũtur, propè aliquam magnam venam, aut arteriam ab ictu, casu, aut re alia simili externa; vel fiunt à causa interna, vt ex viscerum inflammatione aut per abscessum humoris maligni, ad dictas glandulas, vt sæpè accidit in affectibus pestilentibus. Qui igitur bubones ex causa manifesta externa ortum habent, diarias febres generant, quas comitantur pulsus maximi, ait Galenus celeres, & frequentes, sed sine inæqualitate nam communis omnibus diariis est, pulsus æqualitas, paucis admodum exceptis, in quibus inæqualitas aliqua in vno arteriæ ictu percipitur, etsi parum manifesta: comitantur etiam febres diarias ex bubone ortas, caloris tum abundantia, tum suauitas, & statim à vigore, siue statu febris sudor mitis, faciei rubor ac tumor, & denique albicantes vrinæ. Sunt verò pulsus maximi, celeres, & frequentes, quia sanguis vna cum spiritu vitali feruent in iis febribus, potissimum in parte inflammata, vt in iratis dicebamus: & ideo calor plurimum accensus inde cordi communicatur, qui tales pulsus facit, vt tanto vsui satisfaciat, cum nihil impediat, & nihil sit in hac febre, quod vires deiiciat. Non enim in diariis febribus dantur magnæ obstructiones humorum, aut vaporum malorum, neque magnæ inflammationes, quæ pulsandi instrumenta impediant ad omnes pulsus differentias liberè exercendas: neque in hac febre facultas patitur aliquem defectum aut debilitatem, aut exsolutionem, vt accidit in aliis quæ ex mœrore fiunt, aut ex vigiliis, vel curis, aut exercitiis immoderatis, & proinde in diariis ex bubone ortis pulsus fiunt dicti, & potiùs vehementes quàm languidi, & sine inæqualitate, vel si aliqua sit adeo obscura, vt vix tactu percipi possit. Calor etiam abundans est, sed mitis, atque suauis ob eandem rationem, nempè quia est à sanguine & spiritu vitali feruentibus. Cum enim in humoribus qui feruent, aut fermentantur nullum datur vitium, neque vapor inde oriens potest vllam referre acrem qualitatem, etiamsi copiosus exhalans multum excitet calorem, vt in nostro casu. Caloris porrò abundantiam dictam sequitur tum rubor faciei, tum tumor & sudor blandus seu mitis ex alto corpore, vt ait Galenus ad cutem delatus & denique vrinæ albicantes: nam in multo calore sanguine cum spiritu ebulliente multus pariter vapor ab eo digeritur, qui sursum ad faciem, & cutim fertur, sicque dicta generat accidentia: calefactus etiam sanguis facile ad superiora ascendit, nisi eum aliquid in profundum distrahat, vt mœstitia, timor, & huiusmodi, vnde & vrinæ albicantes minguntur, quia serum sanguinis aut bilis, à quo rufæ, aut subrufæ fiunt, cum secundum naturam minguntur, sursom fertur vnà cum ipso sanguine, vel fertur ad partem affectam inflammatione siue ad bubonem, vt dixit Galenus & hæc de cognitione febrium diariarum

riarum

riarum in particulari, & penes diuersas causas de quibus agit Galenus non solùm hic, sed & 2. *de cris. cap.* 13. vt autem nihil deficiat circa rem propositam, adhuc restat distinguendum febrem diariam ex æstu, aut solis ardore, tum ab aliis, tum potissimùm ab ea, quæ ex frigore externo ortum habet: quare & de iis nunc hic agamus cum ipso Galenus 1. *de dif. feb. cap. vlt.*

337 De iis ergo acturus Galenus loco citato incipit ab ea quæ ex solis æstu fit, quam duplicem facit, vnam scilicet in qua is qui sub ardente sole versatus febre corripitur, corpus habet humoribus plenum: aliam verò qui è contra corpus habet purum, & excrementis vacuus. Iis ergo sic distinctis, si qui ex æstu, aut solis ardore febricitat excrementis vacat, & humorum redundantia, ait Galenus facilis cognitu est affectio, quoniam cutis eius calidior, & squalidior, à tactu percipitur, quam videatur requirere calor febrilis, quem pulsus repræsentat: non enim pulsus mutatio, quæ à febre fit, est tanta, quantus est calor, & ariditas cutis: & ratio est, quia cutis solis ardore exusta, & arefacta, maior in ea flagrat calor, quàm ille qui interius in corde per pulsum ostenditur. Hoc idem & inde deprehenditur, quod is qui ad tactum multus in cute percipitur calor, & siccitas, minùs tamen sitiunt, quàm alij qui tantundem caloris videntur habere in se: quod quidem signum est eos in interioribus calere minùs, quàm cutis demonstrat. Neque sic solùm febricitantes ex æstu solis distinguntur; sed etiam, quia in eis calor statim vigens percipitur, secùs quàm in illis, qui ex cute constipata febricitant; in quibus dicebamus, quòd prima manus applicatione, calor leuis percipitur, deinceps verò, & diu detenta manu increscit, & acrior euadit. Iis etiam qui ex solis ardore laborant, caput veluti vri videtur, & plurimùm delectantur, atque iuuantur profusione aquæ frigidæ, aut alterius rei similis, denique & oculi iis, & calidiores & rubicundiores cum siccitate apparent.

338 Quibus verò febricitantibus ex æstu solis corpus excrementis vel aliqua plenitudine laborat, iis caput facillimè repletur, scilicet vi caloris fusis atque attractis in ipsum humoribus redundantibus, vnde tunc & facies rubet, & caput sanguine repletur, & venæ tument; ac distenduntur, scilicet in oculis, temporibus, fronte, atque vniuersa facie, inde etiam, & distillationes, & corizæ excitantur, & quædam signa ex superioribus occultantur: nam in iis, neque facies arida apparet; obstat enim humor, quo caput refertum est; neque oculi sunt sicci, sed è contra, in distillationibus ferè semper lacrimant, vel saltim humiditate abundant, ex quibus prouenit quod non sit facilis distinctio huius febris, ab illa quæ ex refrigeratione euenit: vtraque enim istarum, si corpus sit plenum, vel saltim caput distillatione corripitur, & coryza, & lachrimis, & facies potiùs tumida est quàm arida; neque in iis color rubeus, neque calor in cute est tantus, vt in illis, qui solis ardore laborant sine plenitudine, vt ergo inter has febres distinctionem ponat Galenus aduertit, quod in illis, qui distillationibus sunt obnoxij, sæpè febris accenditur, quasi solius capitis symptoma, siue ex solius capitis, vel vstione, vel refrigeratione: sæpè etiam, aut plerumque sequitur totius corporis affectum: nempè calefactionem, vel refrigerationem. Cum igitur febris ex calore prouenit, & non adest plenitudo, ab ea quæ ex frigore oritur facilè distinguitur, ex cutis calore, & ariditate, tum ipsius cutis, tum oculorum: si verò adest plenitudo, & subinde distillatio, licèt oculi non sint aridi, arida tamen est cutis, & multum calida, quæ non reperiuntur in febricitantibus ex frigore. Et hæc de diariarum notis, quæ sunt maxima obseruatione dignissimæ ad benè medendum; cum non solùm febres diarias certò demonstrent, sed etiam omnes animi, siue caloris naturalis affectiones, aut passiones, quibus sæpè afficitur in morbis ferè omnibus, non solùm à causis externis agitatus, aut aliter à suo naturali decursu mutatus, sed ab internis ferè omnibus: ab vtrisque enim sæpè concitatur eodem modo.

An febris diaria possit esse maligna.

Vt quæ Galenus posuit in contextu magis intelligantur, examinanda proponitur quæstio, an febris diaria possit esse maligna? nam præterquam quod quæstio proposita communis est apud practicos recentiores, in ipsa lectione Galenus apparet dubitanda, & decidenda: suprà etiam *capite* 9. *fine vltim.* & in fine nostræ expositionis diximus tum ibi, *tum* 3. *de san. tuen. omisisse* Galenus magnitudinem morbi aut dignitatem indicationis à malignitate desumptam, quia in febribus diariis quà tales sunt supponit Galenus nunquam dari malitiam, & tamen in hoc præsenti capite eam videtur supponere, siquidem in prima cap. parte, postquam Galenus numerauit non solum signa diariarum præcipua, sed etiam superuenientia, quæ malignitatem ostendunt, concludit dicens *Hec quidem febrium omnium communia sunt, atque in iis etiam simplicissimis, de quibus præsens est sermo nullum horum relinquendum est* Quasi dicat: in diariis etiam vt in aliis omnibus febribus posse dari malignitatem: nam in qua febre signa malignitatis apparent eam esse malignam ostendunt, etiamsi sit simplicissima diaria, & non alia. Quæstio ergo erit, an sicut febres malignæ multæ dantur putridæ, & aliquæ hecticæ *vt* 1. *meth. cap. vlt.* in fine 3. *de præsag. ex puls. cap.* 3. & 4. docet Galenus ita aliqua saltim diaria detur etiam maligna, aut possit malignari, quatenùs diaria est; siue quatenùs febris est solius caloris natiui passio, à causa externa genita, & non ab interna cacoëthia siue maligna humorū nostri corporis dispositiune 339

In

340 In hac ergo controuerſia, vt certa ab incertis ſeparentur certum eſt ex Galeno 12. *meth. cap. 5.* quod calor noſter natiuus influens, aut ſpiritus vitalis, qui eſt ſubiectum ipſius febris diariæ, poteſt à cauſis externis non ſolùm accendt in febrem ſed & maligna alteratione alterari: ſic enim habet Galenus: alteratio verò in ſpiritu tum ex vitioſis prouenit ſuccis, tum ex ambientis aëris malitia, qui aliàs alia de cauſa in hanc eſt mutatus: præterea venenatis facultatibus, aut aliter quæ vires eiectant, venenis. Hæc vero etſi ita ſe habeant; quia tamen febris maligna, vt & peſtilens, pro ſua ratione eſt epidemia pernitioſa, vt 1. *de rat. vict. in acut. comm. 9.* docet Galenus id eſt eſt morbus contagioſius, qui multos eodem tempore apprehendit potiſſimum aſtantes multos pariter breui temporis ſpatio interimit: Idcirco nunc quod quærimus eſt, an febris diaria, vt talis eſt poſſit eſſe maligna, id eſt an calor noſter natiuus, ſeu ſpiritus cordis, poſſit à cauſa aliqua externa verbi gratia ab aëre externo malignato, non ſolùm febricitare, ſed ea febre affici, quæ & verè diaria ſit, ſcilicet ex ſolis accenſis ſpiritibus vitalibus, atque calore natiuo cordis non verò humoribus, aut partibus ſolidis cordis, & pariter ſit contagioſa, ac pernitioſa, quæque non tantum multos inuadat eodem tempore; præſertim ſi ſint præſentes, aut circumſtantes, ſed multos etiam eorum perdat intra vnum, aut duos tantùm dies cum vehementia ſymptomatum, vt cum anxietatibus cordis, & inquietudine laborantis notatu digna, & quæ aliàs neque in pulſibus, neque in vrinis, neque in aliis actionibus, animalibus, aut naturalibus multum diſtet à ſtatu naturali vt accidit in verè diariis.

341 Sic intellecta quæſtione reſpondet Maſſarias *cap. de febre peſtilenti* nullam febrem diariam eſſe peſtilentem; & quia febres diariæ ſua propria, aut eſſentiali ratione carent accidentibus pernitioſis vt ſupra dicebamus, & quia carent contagio, vel alia pernitie, cum omnes ſint planè ſalutares certum eſt, ait Maſſarias maximam contradictionem implicare, quicumque morbum ſalutarem volunt eſſe peſtilentem & pernitioſum. Et quamuis negandum non eſt ſpiritus poſſe putreſcere; ſi tamen ſoli putreſcant ſpiritus, non communicata putredine alteri ſubſtantiæ, tunc febris nullo modo fiet pernitioſa, ſed quæ paucis horis benè terminabitur. Hæc Maſſarias, ſed fallitur mea ſententia, nam ſi ſpiritus putreſcunt, aut ea pernitie afficiuntur, quibus affecti humores, aut partes ſolidæ febres generant malignas; aut peſtilentes, & iis generabunt diariam malignam; cum ſpiritus dicti vitales, cum ſani ſunt, non minùs ad vitam conferant, quàm humores, & partes ſolidæ; ſi verè diximus de febris eſſentia agentes, tales ſpiritus eſſe per ſe vitales & ab ipſa vna cum anima, viuere humores, & partes ſolidas: ſi enim hæc vera ſunt, vt eo loco ſatis euidenter demonſtrauimus: ſi etiam benè dicitur optima quæque dum putrent, peſſimè putrent: ex iis conſequenter dicendum conuincitur, quod ſi ſpiritus vitales in diariis putreſcunt non vtcumque, ſed maligna putredine, vt humores in febribus putridis malignis putreſcunt, ſic quidem diariæ fiunt, non ſalutares, ſed lethales, & pernitioſæ malignæ aut peſtilentes, vnde quidquid dicat Maſſarias nunc, vt rem concludamus verè examinare debemus, an ſpiritus vitalis, aut calor naturalis, qui eſt ſubiectum febris diariæ ab aliqua cauſa externa putreſcens v. g. ab aëre ambiente putrido, vel ab alimentis aut aquis peſſimè vitiatis, aut corruptis poſſit non vtcumque putrefieri, ſed eadem maligna, aut contagioſa putredine, qua ab eiſdem cauſis putreſcunt humores noſtri corporis quomodo putridas malignas gignunt febres? 342

Dixi cum aduertentia an calor natiuus ſeu ſpiritus vitalis qui eſt ſubiectum febris diariæ, poſſit ab aliqua cauſa externa putrefieri, non vtcumque, ſed ea maligna putredine, aut pernitie, quæ requiritur vt inde diaria febris euadat maligna, ſiue contagioſa, & lethalis, id eſt quæ multos inuadat & multos interimat. Quia re vera ſpiritus vitales, & calor natiuus poſſunt à cauſis externis putrefieri, ſaltim ea ordinaria putredine, quæ ſæpè humores à dictis cauſis externis vitiatis putreſcunt, cum febres generant putridas ordinarias, ſiue putridas non contagioſas, neque lethales valde: etſi enim ſpiritus vitalis, & calor naturalis ſint ſubſtantia aërea, pinguis, & oleoſa, quæque vt talis facilè inflammari, ſeu in calorem præter naturam facilè accendi poteſt, difficultet autem putrefieri, aut corrumpi, aut conſumi poteſt vt exemplo olei ſeruentis docet Hippocrates 4. *de morbis* iis tamen non obſtantibus cum tales ſpiritus ſubſtantiâ ſint humidiſſimi poſſunt putreſcere, & ſunt neceſſario putreſcibiles, cum humiditas, adhuc aërea ſit materia putredinis: vnde quod dubitamus eſt, an à cauſis externis, aut earum aliqua poſſint malignari, aut ea ſolida, aut cacoëte putredine affici, quæ requiritur, vt diariam generent malignam? cum enim ſpiritus vitales, & calor natiuus, ſint ſemper mobiles, ſic quidem reſiſtunt putredini magnæ, vti è contra, quies, & prohibita ventilatio, id eſt impeditus liberus motus eorum, ſunt cauſæ putredinis, vt omnes ſupponunt, & experimur in humoribus.

Reſpondetur ergo ſpiritus vitales, & quia 343
ſubſtantia ſunt aërei, pingues valde, ac oleoſi, & quia naturaliter ſunt ſemper mobiles, ſaltim motu ventilationis, non ita facilè corrumpi, aut in totum putrefieri, ſicut alij humores, nedum ſicuti ſanguis, generatio enim, & corruptio ſunt oppoſita & ideo quò res plus habet generationis eſt minùs corruptibilis, etſi ſit mixta: quare ſpiritus vitalis, & calor natiuus, cum ſint natura, & ipſa generationis noſtræ principia, vt latè demonſtrauimus, in proœmio libri expoſiti octaui; erunt pariter valde reſiſtentes putredini: Iis tamen non obſtantibus, cum ſpiritus ſint mixti, & non ſolùm humidi, ſed humidiſſimi,

idcirco

idcircò corrumpi possunt, & quidem non vtcumque, sed sordida, siue omnimoda corruptione, siue putredine; etsi enim spiritus vitales aërei sint, in totum corrumpi possunt, aut in totum possunt putrescere; nam & ipse aër, aut multæ partes eius in totum putrescunt; & licèt spiritus sint nostræ generationis causa efficiens, & ipsa nostri corporis natura, vt cum Hipp. suo loco diximus, sic etiam sunt corruptibiles, quia vt ait Gal. *in proœmio de hom. nat.* natura in suo principaliori significatu sumpta, id est sumpta pro ipsis spiritibus vitalibus, aut ipso calore natiuo, à quo nostra corpora in vtero matris generantur, natura inquam, quæ nos generat, ait Gal. est id quod peculiari ratione conuenit omnibus corporibus generatis, & corruptibilibus; & per consequens, in nobis etiam natura est id a quo generamur, atque corrumpimur, quia & ipsa natura est corruptibilis: imò in nobis materia prima & forma substantialis, nempè anima sunt incorruptibiles, quare solum vinculum animæ & materiæ, quod est dicta natura, est corruptibile, & quidem, non vtcumque, sed pessima ac sodidæ putredine: nam vt dicebamus, optima quæque dum putrent pessimè putrent, & vt communiter dicitur, semen detentum generat venenum, est enim semen humanum ipsa nostra natura, & substantia purissima omnium earum, quæ in nobis reperiuntur, vtpote genita in testiculis ex portione sanguinis, aut Moysæ sanguinariæ, magis perfecta, magisque spirituosa, vnde si semen detentum præter naturam putresit, vel aliter corrumpitur, generat venenum, quia pessimè putret.

344 Imò si atente contemplamur contagiis naturam, & conditionem essentialem cuiuscumque affectus contagiosi, inde etiam intelligemus, quod calor natiuus putrefactus, non solùm pessimè putret, & venenum generat sed etiam ipsum contagium, nam contagium, vt omnes supponunt, est aura quædam, aut vaporosa quædam substantia viscida, ac facilè adhærens, quæ ex pessima aliqua putredine genita, ac suscitata, & quasi turgens, aut feruens, euaporatur, siue aura sit ita pessima, vt clamet latente, aut inexplicabili, aut insensibili ratione, communicata corporibus præsentibus, vel absentibus, in eis suam generet pessimam qualitatem; similem scilicet sibi generans morbum, si corporibus ad ægrotandum dispositis communicetur, vel saltim fermentũ suũ, aut inguinamentum aliis impertitur rebus multis, vnde corpora ægrotantium si eis adhæreat afficiantur, & similem sibi morbũ patiantur; siue morbus genitus pessimus euadat, & citò mortalis, vt in malignis, aut pestilentibus constitutionibus experimur, siue morbus genitus non sit pessimus, neque mortalis, vt in scabie & opthalmia, quæ fiunt per contagium videmus, siue denique morbus genitus pessimus sit, & valde lethalis, non tamen citò, sed post longum tempus, vt in pthysicis experimur, qui ex aliis inquinatis eadem pthysi laborant, vt enim contagium dictum, siue pessimum sit, siue non, substantia est vaporosa, viscida, & facilè aliis adhærens, atque in eis semper aliquid sibi simile generans: ita apertè dicit esse nostrum calorem natiuum, ea ratione, ex putredine præter naturam mutatum, qua non solùm substãtia vaporosum, facilè spirãs, & facilè aliis adhærens adhuc perseuerat, sed, & potens generare sibi simile, etsi præter naturam, vti ipse præter naturam est mutatus, id est prout ipse magis, aut minùs pessimè putrescit, aut corrumpitur. 345

Itaque in nostra sententia, ideo in febribus putridis ordinariis, & in aliis multis morbis ex putrescentibus humoribus ortis, non datur contagium, vt in malignis, quia in eis etsi calor natiuus feruet, aut ascenditur præter naturam, vel aduritur, atque in siccam exhalationem dissoluitur, non tamen degenerat in vaporosam substantiam viscidam, quæ vt vaporosa facilè spirat, siue exhalat & vt viscida facilè aliis rebus adhæret, in eisque facilè etiã affectũ sibi simile generat vel saltim fermentum eis impertitur, quod applicatum corporibus dispositis generet affectum similem sibi: non enim calor dictus natiuus quomodolibet præter naturam mutatus redditur contagiosus, nisi solùm cum præter naturam affectus corrumpitur, ea corruptione qua in dictã substantiam vaporosam viscidam degenerat; hæc enim, etsi ex dicta corruptione, aut putredine, iam non est calor natiuus, neque semen naturale; quia tamen neque omninò ex corruptione aduritur, aut in meram fauillam abit, quæ iam nihil potest facere, sed potiùs remanet quasi fermentata, id est feruens, & euaporata, ac quasi turgens, siue ad operandũ actuata; ideo remanet facilè potens, siue efficax ad generandum sibi simile quasi semen actuatũ: vnde ista contagiosa nostri caloris natiui præter naturam dispositio, siue affectio, est quasi quædam media mutatio, inter eius feruorem, aut scandescentiam solam citra substantiæ fusionem & inter eius omnimodam cõsumptionem aut exsiccationem, aut totalem eius interitum, ac desitionem: vt enim cum solùm feruet calor natiuus, aut solùm scandescit citra substantiæ fusionem, aut notabilem euaporationem, etsi sit præter naturam, non infert aliquod contagium, sed aliàs malas operationes facit, prout in qualitatibus præter naturãm mutatur, & cum omninò consumitur, aut aduritur, iam nihil facit; ita cum dictum quasi medium adquirit statum, & non solùm qualitatibus alteratur, sed & substantia mutatur nõ tamen in totum consumitur, aut in fumum, vel fuligines abit, sic contagiosus vt ostendit manifestè eius curatio, quæ potissimum alexipharmacis adquiritur potenter desiccantibus, valde atenuantibus, & ad cutim euocantibus, ac resoluentibus, vt vsn theriacæ, etsi affectus sit calidus, sic enim materia dicta contagiosa, etsi viscida sit, siue oleosa, multumque resistẽs consumptioni vt pore nostra natura; tamen vsn theriacæ, & aliorum alexipharmacorum potenter exsiccantium, & resoluentium curatur, partim, quia valida siccitate consumitur, & ad nihil redigitur, & partim quia attenuatur, & in fumos, aut siccas fuligines foras

per habitum porosque cutis exhalat, aut si remanet non nocet, quia scilicet remanet omninò resiccata, & in meram fauillam versa, quæ nihil potest operari, cum iam omninò infimum, sine aridum excrementum abierit.

346 Iis igitur omnibus sic explicatis, atque benè constitutis, tandem quærimus: an aliqua febris diaria possit esse maligna: id est an calor noster natiuus, aut spiritus vitalis, qui est subiectum febrium diariarum, possit à causis externis, aut ab aliqua earum, vt ab aere pestilente, vel aliter malignato non solùm præter naturam accendi, & in febrem, aut igneam naturam mutari sed ea maligna putredine, contagiosa, atque lethali valde affici, qua in vaporosam substantiam, viscidamque auram conuersus, simul restet facilè spirans, plures malè afficiens, & citò interimens cum vehementia symptomatum, saltim in anxietatibus, aut angustia notatu digna laborantis, & citra notabilem noxam in pulsibus, neque in vrinis? Cui respondetur affirmatiuè, propter rationes traditas, & potissimùm, quia substantia caloris natiui, etsi viscida sit, id est humidissima, ac valde sibi cohærens, siue vnita, est tamen ex se spirituosa valde seu euaporabilis: & ita potest non solùm ab interna maligna humorum putredine fermentari; sed etiam ab externo aere malignato, vel alia simili causa spirituosa, aut vaporosa, quæ vti aër ipse externus, & vnà cum ipso, per inspirationem continuò cor ingrediatur, substantia enim caloris nostri natiui, non est magis alterabilis, aut passibilis, à causis internis, atque ab externis: & ita ab vtrisque putridis, aut malignatis, poterit putrefieri, aut malignari; etiamsi non ita promptè à causa externa aërea aut vaporosa, vti ab interna humorali & magis materiali: Vnde prouenit, quòd sæpè ab humoribus malignis malignetur calor natiuus, febresque sic fiant putridæ, atque malignæ; raro vero, & valde tarde, à solis causis externis, & sine commercio internarum, aut saltim alicuius causæ internæ, siue humoris malignati: vnde etiam factum fuit, quod Gal. locis supra citatis *cap. vlt. lib. 8. meth. & 3. de san. tuen. dixerit*, aut supposuerit febres diarias, quæ tales sunt non malignari; nam vt communiter dicitur parum pro nihilo reputatur, & pariter, quod rarò accidit: at si res consideratur, in toto suo esse possibili, sic quidem saltim aliqua febris diaria potest, etsi tarò malignari; & hoc est satis vt nunc benè scribat Galenus signa malignitatis, esse omnibus febribus communia; & ideò etiam in diariis, aut saltim diaria aliqua aliquod malignitatis signum vnà cum aliis reperiatur: itaque, ait in iis etiam simplicissimis diariis, nullum signorum & sine aduertentia relinquendum.

CAPVT III.

De curatione febrium diariarum.



Vm febres diariæ plures sint, vt multoties est demonstratum, ideò de earum, curatione duobus modis potest benè agi in communi scilicet, & in particulari siue de earum omnium communi ratione curandi & de singularum particulari: de singularum febrium diariarum curationibus egit Galenus 8. *meth. vt vidimus*: quare nunc de earumdem communi curandi ratione disserit. Doctus ergo hîc Galenus communem methodum curandi omnes febres diarias supponit, quod qui ex methodo vult omnem curationis rationem habere, atque ostendere, debet totam hanc rem in suas indicationes reducere, aut resoluere, id est debet omnes curandi indicationes habere, atque earum vires, siue indicandi potestates cognoscere, vt sic pro earum dignitate in proprium ordinem omnes disponat, aut dirigat, sicque ab eis scopos desumat; quos in remediorum inuentione & eorum congruo viu spectare, & habere oportet. Insuper, vt indicationes omnes curatiuas, Medicus ex methodo habeat & earum qualitates, atque ordinem debitum, supponit Galenus affectum, quem curare aggredimur, aut intendimus, esse distinguendum an sit simplex, an cum aliquo alio complicatus, quod aliqua consideratione foueat, vel periculum aliquod inferat, vel aliqua ratione curationem impediat; si inquam affectus curandus sic simplex omninò sit, pariter simplex est eius curatio, & vnica indicatio: si vero plures sunt affectiones curandæ, vel vna quidem sed cum alia aut aliis iuncta, quæ suam etiam considerationem aut attentionem petant in curatione, tunc non potest esse simplex curatio, neque vnica indicatio, sed multiplex & varia, quatenùs multiplex erit conuentus talium rerum indicantium. Tandem supponit Galenus quod quamuis febris diaria in sua essentia simplex sit affectus, nempè calor præter naturam ascensus in spiritibus vitalibus, & sic simplex est eius curatio & vnica indicatio refrigerandi talem calorem præter naturam adauctum; quia tamen talis simplicissima febris diaria potest complicari simulque coniungi, vel cum causa externa, à qua orta fuit, & à qua variatur curatio, vel cum alia affectione, aut accidente, à quo etiam mutatur curatio,

curatio, vt cum febris diaria ex frigore orta, ablato frigore, remanet complicata cum constipatione; idcirco curatio febris diariæ in communi, vnica semper & eadem esse non poterit, sed tripliciter diuersa; interdum simplex, & vnica, scilicet quando talis diaria febris sola erit, & sine complexu alicuius causæ, vel symptomatis, aut alterius accidentis, quæ petant aliquam curationem: interdùm vero composita; & hæc duplex; vna videlicet desumpta ex ipsa febre vna cum sua causa coniuncta, & altera desumpta ex eadem febre coniuncta cum aliquo accidente, vt cum dolore capitis, aut cum destillatione, vel cum constipatione, vel obstructione leui, vel alio affectu eorum, qui à causis febrium diariarum solent in corpore permanere, & curationem immutare.

TEXTVS.

Omnes quidem balneo curandæ sunt. Quod si ex cutis, &c.

348 Supposito quod curatio febrium diariarum in communi nequit esse eadem semper, in omnibus, sed tripliciter diuersa, vt est ostensum: ideo à prima & simplicissima incipiens Galenus scribit: omnes quidem balneo curandæ sunt: Quasi dicat, quod sicut febres omnes diariæ, in sua essentia solùm consistunt in calore præter naturam cordis siue spirituum vitalium; ita omnes vnica indicatione refrigerandi, & humectandi curantur: febris enim, vt febris est, intemperies est siue passio calida, & sicca præter naturam nostri caloris natiui: quare & febris diaria, quà febris est, refrigerantibus, & humectantibus curabitur, tam exteriùs adhibitis, quàm interiùs assumptis: interiùs quidem cibo, & potu, qui humectant, & refrigerant: ob hanc enim causam victus humidus ait Hippocrates 1. aphor. 16: conuenit omnibus febricitantibus; victus enim quà victus est, seu nutrit, caloris acrimoniam temperat, & demulcet, præsertim humidus; quare febris vt passio calida est, simul, & acris, nam talis est calor præter naturam, indiget frigidis, quæ refrigerant, & simul acrimoniam auferunt, vt victus frigidus & humidus, & adhuc qui solùm sensibiliter humectat: itaque febris diaria, quà simplex febris est, frigidis & humidis remediis interiùs assumptis indiget; exteriùs verò balneo, aut balneis, inquit Galenus scilicet balneis aquæ dulcis, siue aquæ, quà in potu vtimur, nam balneum absolutè sic prolatum, balneum aquæ dulcis significat, & hoc debitè applicatum vim habet refrigerandi, etsi calidum actu adhibeatur, & magis humectandi; quare tale balneum conuenit omnibus febribus diariis imò & aliis omnibus, quà febres sunt.

349 Sic breuiter relata curatione febrium diariarum, in communi, & quatenùs febres sunt, sineque aliquo eis coniuncto, quod mutet, aut alteret, secundùm aliquid, talem curationem statim aliam earundem febrium curationem aggreditur Galenus in qua vna cum febre coniungitur aliquid, quod, etsi non in totum, saltim aliqua ex parte dictam primam, & simplicissimam curationem mutat, aut variat: sic igitur scribit. *Quod si ex cutis densitate, aut bubonibus febricitantis in balneo immorari iusseris, haud quamquam lædes*, &c. Quasi dicat quod sicut febris diariæ curatio communis in refrigeratione, & humectatione consistit, & frigidis ac humidis rebus perficitur, tum interiùs sumptis; tum exteriùs adhibitis: ita determinata materia, & adhibendum dictorum, quæ in rationali curatione febris diariæ, præscribuntur, atque administrantur, desumitur, ex aliquo accidente, quod vnà cum ipsa febre diaria coniungitur: si enim febricitantes febre diaria non vtcumque febricitant, sed etiam cum cutis densitate, aut bubonibus; ij quidem in balnei aëre immorari debent: reliqui verò omnes quàm citissimè ab aëre balnei abducendi, siue auferendi sunt. Balneum enim aquæ dulcis vt variæ partes sunt, ita & variæ sunt virtutes, aut facultates, & varius est vsus: sunt ergo tres balnei partes, nempè aër balnei, & lauacrum, vel solium quod aqua calida plenum est, & denique locus vbi frigida aqua seruatur, qui aliis partibus calidior est, & talis in quo, qui diutius permanet sudat; nam talis aër balnei, non solùm calfacit & humectat, sed etiam humores attenuat, & poros cutis aperit sicque sudorem ciet: aqua verò calida quæ est secunda balnei pars, & ipsa quidē digerit, atque resoluit, calfaciendo scilicet humectando, attenuandoque humores, & cutem molem, ac raram efficiendo, hæc tamen minùs præstat quàm aër, sed longè magis humectat quàm aër: tandem tertia balnei pars frigida refrigerat, & roborat & ideò eius vsus erat post balneū ad corrigendū calorem, si aliquis erat contractus ex vsu balnei actu calidioris, & ad roborandas partes, atque calorem natiuū, debiles ex laxitate ob balneum contractæ.

350 Cum igitur partes balnei, & virtutes earum tales sint, idcircò vsus balnei, ait Galenus non vtcumque in diariis bonus esse potest, quamuis omnes balneo curandæ sint, sed si febris diaria simplex est, & sine alterius rei complicatione, vsus aquæ calidæ est solùm opportunus, quia in ea solum est opus humectatione & refrigeratione, quamuis enim balneum aquæ calidæ, actu calfacit, potestate tamen refrigerat, & quidem magis, quare eius vsus curationi febris diariæ simplicis, est congruus, atque opportunus; nulli autem febri diariæ per se quidem digestione, aut aliqua euacuatione est opus; cum solùm sit intemperies calida spirituum vitalium; sed si aliquando indiget aliqua discussione, id est ratione alicuius alterius affectionis cū ea coiū-

ctæ : quare si ex cutis densitate aut bubonibus febricitantes ait Galenus; in balnei aëre immorari iusseris haudquam lædes: reliqui vero omnes ab aëre abducendi quàm citissimè sunt: id est quamuis omnes qui laborant febre diaria simplici sunt ab aëre balnei calido abducendi, vt qui nullà indigent vacuatione aut humorum vel vaporum resolutione si tamen aliqui ex cutis densitate, aut bubonibus, aut re alia simili febricitant; iis quidem ab aëre calido balnei arcendi non sunt; imò si in eo immorari tales febricitantes iusseris, haudquam lædes, sed iuuabis, nam ij indigent euacuatione: aut resolutione eorum exerementorum, vel humorum qui ex cutis densitate in corpore præter naturam morantur, aut in partibus bubone affectis, ac repletis, quæ quidem euacuatio, aëre calido balnei benè perficitur, vt qui tales materias foras educit à corpore, per sudorem scilicet vel eas resoluendo insensibiliter.

351 Habemus iam quod qui ex densitate cutis, vel ex bubone febricitant, si ad balneum perducti in aëre eius calidiore diutius detinentur, non modò non læduntur, sed iuuantur, & quidem non parum: iuuantur etiam, ait Galenus, etsi lauantur, & in aqua calida diu versantur, nam & sic humectantur, temperantur ac vacuantur, sed quamuis hæc aquæ calidæ balneatio dictis omnibus prosit, ea tamen si copiosior fuerit, vtilior erit illis qui laborant densitate, & meatuum astrictione; quàm iis, qui ex bubone febricitant: ratiò est, quia qui ex densitate cutis laborant; replentur excrementosis vaporibus, aut fumosis, qui febrem generant, & augent, si non vacuantur: vacuantur autem cutis rarefactione, & ipsorum vaporum attenuatione, quod præstat, non solùm aër balnei, qui vt diximus cutim laxat, poros aperit, & excrementa detenta attenuat, ac discutit; sed pariter etiam aquæ calidæ lauacrum, si in eo diutiùs morantur laborantes: qui verò ex bubone febricitant, aut inflammatione alicuius Glandulæ, aut emunctorij naturæ, parciùs lauandi sunt, & breuiori tempore permittendi, vt in aquis permaneant; quia scilicet importuna balnea augent fluxiones, scilicet vi balnei fusas materias suscitant, & præcipuè si sint sanguinis, vt in bubonibus accidit, nam ideo infra *cap.* 14. vetat balneum in fluxu sanguinis; quare in fluxu sanguinis, & in aliis fluxionibus, aut distillationibus, quæ non sunt sanguinis, si adest corporis aliqua plenitudo, balneum aquæ calidæ est formidandum & vitandum, vsquequo plenitudo sit deposita in totum, vel saltim magna ex parte, scilicet sanguine misso, aut purgatione, aut alia vacuatione. Et hæc de balneo in illis qui ex cutis densitate, vel bubone febricitant.

352 Reliqui verò, ait Galenus, in quibus siccitas, aut squalor, vnà cum febre coniungitur, quales solent esse, qui ex ira, vel scandescentia, ex mœrore ex vigiliis, & studio assiduo, aut curis, vel nimio labore in febres inciderunt, cum communis omnium sit siccitas, ab aëre balnei omnes sunt abducendi; sed in aqua calida diutissimè versari debent, & sæpissimè quantùm commodi fieri potest, imò post balneum multò oleo dulci scilicet, tepido sunt inungendi, & diu molliter fricandi, præcipuè qui ex labore, seu lassitudine febricitant, ac desiccantur: vt enim balneum humectat, & mollit indurata, ac exsiccata, ac digerit, ita oleum: quod etsi adiuuat digestionem excrementorum, suo tepido, ac modicè resoluente calore, sua tamen emplastica substantia, quia poros linit, prohibet quominùs copiosa fiat spirituum digestio, aut resolutio. Propterea verò addit Galenus sæpius quantùm possibile est, lauandi sunt isti febricitantes, quia vires semper consulere oportet; qui enim languidi, aut imbecilliores facti sunt neque frictiones, neque balnea multa ferre possunt, vt qui ex astricta cute aut bubonibus febricitant, & hæc de balneo.

Ex eadem varia febricitantium dispositio- 353
ne oritur, & in ratione victus diuersitas: nam qui ex cutis astrictione, aut bubone, aut obstructione febricitant, tenuem victum efflagitant, cum ij sine aliqua plenitudine esse nequeant. qui verò ex lassitudine laborant, & qui calido, ac sicco sunt præditi corporis habitu, hi à fame & inedia multum læduntur: videmus enim quod ij, si à cibo abstinentur, etsi sani sint, incidunt in febres: quare qui ex lassitudine laborant, ait Galenus sæpè cibandi sunt, & ea comedere debent, quæ probe conficiant, vitata sola cruditate; qui etiam vini tantùm bibere, quantùm concoquere possint, & ratio est, quia ij instauratione egent, & humectatione, cum attemperatione, quæ cibo, & potu debitis perficiuntur, vt enim inedia, & cibi abstinentia corpora exsiccant, & febres accendunt, ita è contra debitus potus, ac cibus si benè coquuntur, non solùm alunt, & corpus, ac vires instaurant, sed etiam febrilem calorem attemperant; etsi aliquem habeant in se calorem vt vinum: quare fatigatis, & aliis similibus ea comedere imperare debemus; concludit Galenus & vinum bibere, quantùm concoquere possint; quod ex viribus laborantis, ætate, natura, temperie, consuetudine, anni tempore, regione, & similibus desumitur, & magis indiuiduatur; nam non solùm cibus qualis esse debeat, ac quantus, sed vinum determinatur, aut variatur, ex diuersitate dictarum indicationum; illis enim; qui ex labore febricitant, & iis qui ex vigilia, vinum dari debet, quantùm possint concoquere, cum vinum moderatum & modicè bibitum, vires instauret, somnum conciliet, & potenter nutriat, ac carnes corporis instauret, at illis qui ex bubone febricitant, donec solutus sit, vinum est auferendum, quia nocet inflammationibus, & auget fluxiones: illis autem, qui ex cutis densitate, aut frigiditate laborant, interdum dandum est vinum, interdum

interdum non; si enim astrictio, aut refrigeratio sit leuis, ac nulla sit in corpore plenitudo vinum est propinandum: vinum enim corpus rarefacit, & calefacit & simul vires roborat, atque calorem natiuum: quare in refrigeratis, ac constipatis vinum conuenit, vtpote calefaciens, atque aperitiuum; dummodo tamen; neque constipatio, neque refrigeratio sit magna, neque corporis plenitudo; nam in iis vinum fundit materias, fluxiones auget, atque obstructiones, sicque calorem natiuum obruit, aut extinguit: vinum insuper in mœrentibus conuenit, in iratis, in cura affectis, vti in vigilantibus est dictum; præterquam, quibus caput dolet, aut tempora pulsant, quia vinum facilè tentat caput, & lædit suis multis vaporibus, ideóque iratis, aut scandescentia febricitantibus vinum non datur nisi motus sedatus sit, nam alioquin auget feruorem, vti humidam, atque spirituosam multam substantiam excitat, quâ quidem mœrentes curâ confecti, tristes, vigilantesque recreantur exsiccati.

354 Sic exposita curatione febrium diariarum, cum vnà cum febre coniungitur aliquis alius permanens affectus, qui sui attentionem in curatione postulat, & aliqua ratione curationem alterat, aut ab aliis immutat; tandem in fine capitis, agit de curatione earumdem febrium sine accidentibus, aut sine affectu aliquo permanente, à quo mutetur curatio, sed adhuc præsente causa, vel causis ipsis externis, quæ tales febres generarunt: dicit igitur, quod si adhuc causæ febres efficientes præsentes sint, primum omnium est procurandum, vt tales causæ auferantur; & benè quidem, quia cum agentes naturales sint, necessariò operantur passo applicatæ; atque ideo si præsentes sint, singulæ suo contrario indicant auferri, perpetuò enim ait Galenus infestati causæ contraria opponenda sunt remedia, vt labori quies: ex Hipp. enim vbi motus laborem facit quies lassitudinem sedat 2. Aphor. 48. labori ergo quies erit iungenda sicuti si vigiliæ sint causæ febris, omni ingenio est elaborandum, vt somnus concilietur: sic si tristes cogitationes animum angunt, vel febrem foueant, amicis, blandisque sermonibus, aut historiis delectantibus, vel lætis nuntiis aut promissionibus, aut similibus aliis rebus animus est serenandus, ac lætandus: illis etiam, qui ex ira febricitant, aut scandescentia eadem sunt applicanda, vel alia, quæ animum temperent, atque componant: illis verò quibus ex assiduo studio, aut curis multis febris oritur, studium, curasque tantisper auferre oportet, donec conualescant: ita si qui ex sole febricitant, in vmbram recedere debent, si qui etiam ex bubone, vel inflammatione in febrem inciderunt, oportet inflammationem protinus auferre; imò si talis inflãmatio ab vlcere procedat vt in diariis sæpè accidit; vlcus primum est curandum, ita si ex constipatione cutis oriatur febris, ea omnia declinare debemus, quæ valent constipare, aut densare cutem, sicut infrigidantia balnea, aut astringentia, aut quæ nimis exsiccant: Denique si ex obstructione aliqua, aut satietate, vel aliqua ciborum cruditate excitatur febris, ea omnia sunt vitanda, quæ tales obstructiones, vel cruditates, aut parare, aut fouere possunt: nam tum in aliis febribus, aut morbis, tum præcipuè in diariis priùs vnamquamque abscindere oportet causam deinde ad eam, quæ in corpore facta est discrassia seu intemperies est deueniendum vt iis ipsis verbis firmat Galenus *in art. med.*

Sic explicatis omnibus quæ hoc *capite 3.* 355
affert Galenus de communi curatione febrium diariarum aduertimus duo: primum est, quod hic nullam affert Galenus curationem earum quæ ex ardore solis generantur: secundum est, quod neque hîc agit integrè de curatione simplicis febris diariæ, cum qua scilicet nulla sit, vel causæ, vel alterius rei complicatio: quæ cum sic se habeant, placet hæc duo nunc hîc ponere, vt nihil deficiat: igitur de curatione febris diariæ ex æstu, aut solis ardore, quamuis hîc non agit Galenus, quia tamen hanc affert *cap. 3. libri superioris*, & quidem satis acuratè; idcirco de ea hîc pauca dicemus, cum ibi omnia à nobis sint exposita: totum enim curationis caput, atque momentum curationis huius febris in eo consistit, quod & interiùs assumptis & potissimum exterius capiti applicatis temperentur: æstuat enim in iis totus corporis habitus, & præcipuè caput ex solis ardore: Quare frigidis perfusionibus & delectantur, & iuuantur, & isti, sicut qui ex ardore solis capite dolent, curantur oleo rosaceo, præcipuè omphancino sæpiùs irrigato capite eo scilicet ex alto cadente, & niue, aut aqua frigida refrigerato. Vinum autem in iis cum sit vaporosum & tentans caput, non est admodum vtile, nisi valde dilutum & multa aqua temperatum, ac refrigeratum bibatur.

Accedamus ergo statim ad integrè curan- 356
dam simplicissimam febrem diariam; eam scilicet, in qua nulla est aut causæ, aut alterius rei complicatio, quæ febris curationem immutet: in hac igitur febre, cum refrigeratione indigeamus, & humectatione, vt suprà est monstratum, si has qualitates alimentis, aut balneo consequi volumus, vt statim in principio huius capitis faciendum proponit, & monet Galenus, proinde secunda balnei pars erit opportuna, vt quæ præ aliis refrigerat, & humectat, etsi enim actu calida sit potestate tamen, magis refrigerat, atque humectat, quàm aliæ partes balnei, adhuc magis quàm tertia, quæ actu refrigerat, atque humectat, nam hæc astringit, & sic febrem auget potiùs quàm refrigerat, quamquàm etiam refrigerat aliquid, nam ideò antiqui Medici aqua frigida in balneo post calidæ vsum vtebantur, quia vires reprimit, ac calorem natiuum, ne exsoluantur, etsi calor balnei præcedentis aliquid corpori impressit detrahatur. Post balneum etiam, qui hac febre laborant oleo tepido dulci vngendi sunt, & moderatè fricandi; nam & oleum dictum & lenis, & moderata frictio, humectandi,

laxendi ac digerendi aliquã vim babent: in iis enim non nisi pauca vnctio, & pauca frictio conuenit, quia febris nvlla per se indiget digestione, aut laxitate, sed solùm moderata refrigeratione.

357 Victus etiam in hac febre moderatè refrigetare debet, ac humectare, sicut & ipsa febris modica est, & parum, aut nihil in subiecto radicata: & ideo quantùm ad cibum pertinet temperatus esse debet, aut parum tantùm refrigerans, atque humectans facilis concoctionis, non exerementosus neque multùm nutriens: vt enim cibus boni succi, & temperatus, aut non nihil frigidus, ac humidus si benè coquitur atque in alimentum couertitur, tum corpus reficit, tum febrem moderatam temperat, ita cibus mali succi aut excrementosus, aut difficilis coctionis, tum in aliis corporibus, sed præcipuè in febricitantibus nocet potiùs quàm aliqua ex parte profit. Quare, & in simplicissimis febribus diariis eibus debet non solùm esse boni succi, quique in bonum sanguinem conuertatur, & facilis concoctionis, vt facilè coneoquatur, ac distribuatur, adhuc à facultate læsa febricitantis, & minimè excrementosus, ne congestis ex illo multis excrementis, & putrescentibus, aut aliter vitiatis febris putrida euadat, aut aliter vitiosa: Cibus ergo in iis primus proponitur pthisana, aut farrum, vt in quibus continentur omnes dotes, quas dicimus debet habere cibus optimus, de quibus hîc magis in particulari non agimus. quia hæc egimus omnia ad satietatem *lib. sup.* Neque de alica bìc multa agam quæ ponitur in secundo loco, quia & de ista etiam suprà abundè est disputatum: solùm enim repeto quod alica vincitur à pthisana, quia aliquem habet lentorem, aut emplasticam substantiam, quæ meatibus hærens potest obstruere, & esse putredinis causa: sed hoc vitium facilè corrigitur, si pauco aceto concoquatur, vt eo loco vidimus: vnde & qui farrum ob id damnant, aduertant, quod addito pauco aceto dum coquitur demitur eius lentor, aut vis emplastica: Tertio loco ponitur panis aqua frigida madefactus vel ex iure leui coctus: cum enim in hac febre cibus debeat esse parum nutriens. Cumque panis, longè magis nutriat, quàm, vel pthisana, aut farrum, vel alica: ideò panis, aut aqua lotus, aut iure leui coctus datur, vbi non solùm refrigerare, sed & aliquid nutrire est opus, pro ratione scilicet naturæ laborantis, nam alij sunt magis, alij qui minùs ferunt victum tenuem aut parum nutrientem; vt est ptbisana aut farrum, vel alica: verum sit quod panis si aqua lauatur, vt lentorem deponit, & vinum salis atque fermenti, quæ calefaciunt & siccant, ita minùs nutrit, atque refrigerat. Quoad carnes verò pertinet, etsi multæ sint optimæ, præcipuè perdices, phasiani, & aliæ auiculæ montanæ, quibus succedunt Gallinæ, atque capones, pulli columbini: & similes si tamen rure, & liberè aluntur, nam qui clausi custodiuntur, carnem habent excrementosam, sicuti & hædi, ac vituli, non nuper nati, neque veteres, quia illi sunt etiam excrementosi, & ij non facilè concoquũtur; etsi inquam omnes istæ carnes, & arietinæ aut veruecinæ sint optimæ, tamen in diariis rarò propinantur, aut possunt benè propinari laborantibus, qui multùm nutriunt: sic etiam olera, & legumina, & similia, quæ excrementosam substantiam habent, vel qualitatem aliquam vitiosam, vt sunt acria, amara, austera, salsa aut nimis acida omnia sunt vitanda, vt quæ nimis exsiccant & multa generant excrementa, & denique pisces nisi sint saxatiles, & in aquis salsis, atque fluentibus creati omnes sunt vitandi, quia eorum substantia, est facilè corruptibilis, & vitiosa.

Qnoad potum autem attinet in febribus
si aqua sit optima, hæc erit eligenda, vt quæ 358
refrigerat, etsi non nutriat, sed & vinum dari potest dummodo non sit potens, aut annosum, sed quod oligoforum dicitur: Hoc enim vinum est parum vinosum, & multa aquea substantia dilutum, & ideo non calefacit, sed refrigerat, neque astringit vt aqua sed vrinam citat, humectat corpus, vires roborat, & spiritus instaurat: quare hoc vinum concedit Galenus non solùm in diariis, sed in aliis fere omnibus febribus, dummodo non dentur impedientia vini, vt interna corporis inflammatio humorum putredo, vel cruditas, neque dolor capitis, aut pulsatio. Sed dubitatur hìe quomodo ij febricitantes ad balneum ducendi sunt, quantumque in illo sint immorandi, quomodo etiam cibandi sunt, & quantùm? Respondetur qnod inclinante febre sunt ducendi ad balneum, quanto autem tempore sit in eo immorandum, nemo potest exquisitè definire, sed pro virium ratione, & aliis limitatur: ita & cibus post balneum dandus est, non tamen qui repleat, sed eatenus æger cibandus est, quatenùs coniiciamus, quod ab eo facilè ferri & confici poterit, habita scilicet ratione ætatis, naturæ, temperaturæque, & temporis anni, consuetudinis & virium, nam hæc vt ait Galenus semper siue in vsu balnei, siue in exhibitione alimenti, aut alterius remedij sunt aduertenda, nam pro singulorum, aut plurium, vel omnium qualitate, aut vi limitantur, & variari debent. Et hæc de febrium omnium diariarum dignotione & curatione, & pro secunda expositione sufficiant.

COMMEN



COMMENTARIVM
IN NONVM
GALENI LIBRVM
de Methodo medendi.

EXPOSITIO TERTIA.

PRÆFATIO continens intentum Libri.

1 VERAT Galeni propofitum in his Libris agere de recta methodo curandi omnes febres, vt *libro fuperiori* diximus; quare à curatione febrium diariarum, quæ fimpliciter dicuntur tales, five quæ diariæ dicuntur, quia tales funt ex fe, tum naturâ, tum temporis duratione: febris enim diaria fimpliciter, & abfolutè talis, duo in fe debet habere, fcilicet naturam diariæ febris, quæ diftincta eft à putridis atque hectica, & duratione folùm vnius diei, five diei ac noctis tantùm: quæ enim febris fimpliciter & abfolutè diaria eft, vnica ac fimpliciffima eft acceffio, quæ ex fe fuaque natura vno, vt plurimùm, die terminatur, aut faltim ad declinationem pervenit: traditis ergo libro fuperiori curationibus earum diariarum febrium quæ fimpliciter funt diariæ, & ex fe fpatio vnius diei terminantur; nunc in hoc libro nono abfolvit methodum curandi omnes febres diarias, fcribens, agenfque in eo fynocharum febrium generatim, & qua methodo curandæ fint. Quæ enim febres fynochæ funt, vnica vt diariæ clauduntur acceffione, etfi non finiantur die, fed ad tres aut quatuor vel plures dies protrahantur. Cùm enim fynochæ febres fanguineæ fint, fiantque à fanguine in venis omnibus, aut faltim majoribus, quafi intra inguina, & alas fervente; tunc provenit quòd fynocha febris, etfi vnica fit acceffio, ad plures extendatur dies, cùm fanguis in venis contentus vnus fit cum aliis humoribus maffam fanguinariam componentibus, ac verè mixtus, ac ita etiam fi effervefcat, ac febrili calore accendatur, refiftit valdè attenuationi & refolutioni, & per confequens refiftit per plures dies febris declinationi, quod in diariis fimpliciter non accidit, fed in eis acceffio ftatim declinat, intra fpatium viginti quatuor horarum, quia in eis folùm fpiritus vitalis fervet, aut calore febrili eft accenfus: cùm enim fpiritus vitalis fubftantia fit tenuis, vel

ſaltim tenuior ſanguine, ſitque ab aliis ſubſtantiis ſeparatus, & per ſe ſubſiſtens, ac facilè mobilis, imò ſemper mobilis, atque irrequietus; ex his fit, quòd ſi talis ſpiritus vitalis efferveſcat præter naturam, aut aliqua febre accendatur, & ſimilis ſit, qualis diaria, ſtatim ab ea vincatur, & attenuatus foras exhalet per poros corporis, aut in madorem, vel levem ſudorem mutatus, febrem finiat, ac acceſſionem. Itaque intentum Galeni in hoc libro nono eſt agere de curatione febrium diariarum, quæ quamvis diariæ non ſint duratione, ſed ad tres, vel quatuor, aut plures extenduntur dies; ſaltim natura ſunt diariæ, id eſt, febres ſunt revera, non tamen putridæ, cùm nullam putredinem humorum ſequantur, neque hecticæ, aut habituales, ſed quaſi ſpirituoſæ & facilè mobiles à ſubiecto, vt ſimpliciter diariæ & vnica à principio vſque ad finem clauduntur acceſſione, vt verè diariæ, quales ſunt febres ſynochæ non putres, vel febres ex ſanguinis fervore ortæ, tantumque dependentes: ſanguis enim & cùm putreſcit, & ſine putredine cùm fervet ſolùm excitat febrem, & calorem nativum in igneam mutat naturam: imò ſanguis ſi fervet, non ſolùm febrem generat, calorémque nativum igneſcere facit, ſed ſe ipſum ad putreſcendum diſponitur, & quidem putreſit, ſi cito non curatur, & ſtatim febris illa, & fervor dictus ſanguinis non ceſſant, atque in totum ſedantur. Quæ cùm ſic ſe habeant, idcirco Galenus nunc agere aggreditur de recta methodo curandi febres ſynochas ſine putredine, atque harum exemplo concludit curationem earũ febrium diariarum, quæ ex ſe quamvis revera ſint ſimplices, ſine putredine, & vnica circumſcriptæ acceſſione, tum per plures durant dies: de his enim reſtabat agendum adhuc poſt alias de quibus egit libro octavo.



CAPVT PRIMVM.

De tranſitu diariarum in alias febres, & de ipſarum duratione.



2 VAMVIS Galenus *primo de differentiis febrium, capite ſecundo* febres dividat omnes in diarias, humorales & hecticas. Deinde humorales in putridas & non putridas; communiter tamen, vt hoc etiam capite in diarias, putridas & hecticas dividit; & benè quidem, & rectæ curationis gratia: putridæ enim febres, diariæ & hecticæ, longè aliter curantur inter ſe vti multum ad invicem diverſificantur: vnde febres curationis gratia melius dividuntur in diarias, putridas, & hecticas, quàm in diarias, humorales, & hecticas; cùm ex humoralibus, aliæ putridæ ſint, & aliæ non, ſed ſine putredine, quæ ob id ad diarias revocantur. Cùm igitur curationis gratia febres omnes in diarias, putridas atque hecticas dividantur, conſequenter ſequitur, quòd quæ febres putridæ non fuerint, aut hecticæ, ſub diariis contineantur, ſive tales ſint revera, ſuaque natura, & duratione, ſive non, ſed minus propriè diariæ dicuntur, vt quæ pluribus durant diebus, quales ſunt illæ, quæ ſynochæ ſine putredine dicuntur, & ſunt revera, cùm ex ſanguinis ſolùm fervore generentur, citra ejus putredinem, aut putreſcentiam; etſi enim ſanguis fervens ad putreſcendum diſponitur, tamen non ſtatim ac fervet putreſit, ſed poſt tres, aut quatuor, vel ſex dies, prout ſanguis fervens plus aut minus fervet, aut plus, vel minus reſiſtit putredini, quo enim ſanguis magis eſt perfectus, eo magis reſiſtit putredini, licèt efferveſcat præter naturam, & quidem vehementer, vt accidit in ſynochis.

Cùm ergo febres quæ non ſunt putridæ, 3
aut hecticæ, ad diarias referantur, hinc fit quòd, vt ait ipſe Galenus *libro ſequenti, capite ſecundo*, multæ appareant eſſe diariarum particulares differentiæ, imo variis modis conſideratæ, variis etiam modis dividuntur: nam in primis febres omnes diariæ dividuntur in ſimpliciter vel propriè diarias, & nothas, ſive improprias: propriè diariæ eſſe dicuntur, quæ non ſolùm natura, ſed tempore aut duratione tales exiſtunt; nothæ verò reliquæ omnes, quæ etſi non ſint putridæ, aut hecticæ, tum neque ſunt ſimpliciter diariæ, vel quia ad plures dies protrahuntur, vel quia natura omnino non ſunt tales, quales ſunt propriè diariæ, ſcilicet ex ſolis accenſis præter naturam ſpiritibus vitalibus ferè nihil radicatæ, ſed intra vnum diem ad ſtatum, aut declinationem, vnica circumſcriptæ acceſſione pervenientes. Deinde ex duratione ſumpta differentiæ diariæ etiam dividuntur in illas; quæ ad tertium vſque

diem

diem nunquam progrediuntur, & in alias, quæ ad tertium vel quartum, aut sextum perdurant: etsi enim febres diariæ dicuntur, quia ferè semper intra vnum diem terminantur, hoc in eis non est essentiale, neq; de omnibus verificatur, sed possunt febres diariæ ad plures dies protrahi, quamvis verè sint diariæ, vt statim videbimus. Rursus quamquam febres diariæ ferè semper non repetant per circuitus, sed vnica claudantur accessione, aliquæ tamen sunt quæ tertio ac quinto diebus, vel aliis repetunt: & tandem quamvis febres diariæ ferè semper sint mitissimæ, soleantque terminari facilè ad salutem sine transitu ad alias febres pejores, scilicet ad putridas aut hecticas; hoc tamen non semper ita evenit, sed, vt hoc capite ait Galenus, transeunt sæpe diariæ febres in putridas, vel hecticas, nisi Medicus eas rectè tractet, id est, nisi Medicus rationalis transitum talem prævidens, debita curatione adhibita damnum præcaveat. Denique ex diariis febribus aliæ sunt simpliciter & absolutè diariæ, & aliæ potius mediæ inter diarias & putridas, aut hecticas, quàm verè diariariæ, de quibus potissimùm agit Galenus non solùm in præsenti capite primo, sed & toto libro, & majori parte libri sequentis, vt videbimus ipsas explicantes.

TEXTVS.

Diariarum, ô Eugeniane curationem in libro qui hunc, &c.

4 DE transitu diariarum in alias febres, & earum duratione acturus Galenus in hoc primo capite animadvertit statim in principio febrium diariarum genus seu essentiam vnica accessione comprehendi, quæ vt plurimùm vnico die circũscribitur, seu terminatur: quæ enim febris ex adustione sola oritur, ait, infra, vel cruditate, vel lassitudine, vel vigilia, vel aliqua animi passione, vt ira, aut mœrore, &c. vel bubone, qui ab externa aliqua causa fiat, vnica est febris accessio, sive spirituum vitalium accensio in calorem præter naturam, quæ nunquam ad tertium vsque diem progreditur, nisi delictum aliquod circa laborantem accidat: quod quamquam ita sit, quippe febris quæcumq; fuerit, potest, vel per Medicorum ignorantiam; vel ægrotantium intemperantiam, vel ministrantium errorem non solùm prorogari, sed in aliud genus transire: imò & qui sani sunt, ægrotare solent ex dictis erroribus; quare nihil mirum quòd febres diariæ, licèt simplicissimæ sint, & sua natura intra vnum diem soleant terminari ex aliquo peccato dictorum prorogetur, aut in aliud febris genus transeat, scilicet in putridam aut hecticam. Docet autem Galenus diarias febres sua natura non habere accessiones, aut repetitiones, vnica dumtaxat accessione circumscribi, vt intelligamus inde febres synochas sine putredine, aliasq; humorales non putridas, sed ex humorum ardore ortas, & tertianæ exquisitæ esse solent, & aliæ de quibus agit libro sequenti, ad diarias pertinere, esseque revocandas, cùm febres sint continentes, vel continuò, & sine intermissione affligentes citra putredinem.

Secundò etiam animadvertit Galenus quòd febres dictæ synochæ, aut similes humorales absque putredine, & quæcumque aliæ in transitu sunt diariarum in alias febres, licèt ad diarias referantur, quia carent putredine, vel quia ab humoribus fiunt effervescentibus, sed non putridis, aut putrescentibus, nihilominus tamen potiùs esse febres medias inter verè diarias & putridas, aut hecticas, quàm aut diarias, aut alias dictarum: vt enim, ait Galenus, quæ vno genere comprehensæ, ita inter se similes natura sunt, vt mutuò in se transire, aut transmutari possint, tertia quædam forma, aut natura in transitu ipsarum existit, quæ neutrius extremarum formam, aut naturam in totum exhibet, sed quasi mediam; sic etiam in transitu diariarum in alias febres imaginare debemus. Quasi dicat Galenus, febres diariæ, quæ simpliciter tales non perseverant, sed in transitu jam potiùs sunt, & quasi in via ad alias febres; hæ quidem in transitu sic constitutæ neque absolutè diariæ sunt, neque putridæ aut hecticæ, quamvis ipsis sint natura similes; sed neutræ, & quasi diversum genus febrium constituentes, à diariis, vel putridis, vel hecticis, sicuti corpora, quæ inter sana & ægra mediant neutra sunt, atque diversa à simpliciter sanis, & ægris. Itaque inter febres verè diarias, de quibus libro superiori actum est, & verè putridas, aut hecticas, de quibus agemus libris sequentibus decimo & vndecimo, omnes aliæ quæ in via sunt, aut quasi mediæ vt synochæ non putres, constituunt alterum quoddam genus febrium, quod neutri extremitatum sit idem, sed diversum, quamvis adhuc ad diarias referantur, potiùs quam ad alias, quia cùm in via solùm sint, potiùs natura diariæ sunt, quàm putridæ; vel hecticæ; nam vt *primo de differentiis febrium, capite primo* ait Galenus, multum distat incalescens ab incaluisse, & putredo fiens, quamvis sit in via ad corruptelam emendari potest, & ad statum naturalem redire, quia parum distat ab eo, vt libro vndecimo capite decimo videbimus. 5

Cùm igitur febres diariæ, quæ in via sunt ad putridas vel hecticas potiùs mediæ sint & neutræ, quàm simpliciter tales; idcirco de his seorsim agit Galenus, atque explicatis libro superiori verè diariis, in præsenti primum de his mediis venit differendum, videndumque sicuti aliæ, quomodo tum protinus noscantur, cùm incidunt, tum cognitæ inhibeantur, statim in primo ortu, & antequam auctæ, aut nimis protractæ ægrè sanabiles, aut insanabiles evadant: etsi enim 6

enim istæ febres solùm in via sint ad putridas aut hecticas, & potiùs neutræ sint, aut mediæ, quàm putridæ, vel hecticæ, quia tunc sunt præter naturam, & in transitu sive motu ad has, ob id possunt facillimo negotio ad terminum ad quem pervenire: quare benè dicit, ac docet Galenus primùm de his esse disserendum, protinusque videndum qua recta ratione cognoscantur, ac curentur, antequam insanabiles fiant, vel saltim in pejores permutentur, quod fiet facilè & celeriter, cùm sint actu in via, atque dispositæ ad ipsas. His sic positis advertit hîc Galenus hoc medium febrium genus inter diarias & putridas, vel hecticas repertum, cùm inciderit non posse cognosci, aut curari nisi à Medicis, qui extremitatum, quarum est medium speciem seu scientiam habuerint; vbi communes vel diariarum notæ, aliquatenus sunt alienatæ, ait, vel reliquarum simul apparent, hinc & non aliter transitum jam suspicamur: quare cognitio medij dicti pendet ex certa cognitione suorum extremorum, sicuti & cognitio vera medij cuiusque in suo genere, & hæc sunt quæ primùm agit Galenus in 1. cap. ideóque possunt ad primam ejus partem pertinere.

TEXTVS.

Ergo ex adustione, cruditate, lassitudine & vigilia, &c.

7 AGit in hac parte secunda capitis Galenus de febribus diariis, quæ quãvis diariæ sint, potiùs quàm putridę, aut hecticæ, tamen simpliciter ac diariæ non sunt, sed nothæ, & potius mediæ, atque in via ad putridas vel hecticas quàm verè & propriè diariæ, cùm diariarum terminum, seu durationem excedant, & quidem non parum, vt videbimus. Acturus ergo Galenus de diariis, quæ propriè tales non sunt, sed nothæ & plurium dierum, quæque potius mediæ sunt & in transitu, seu in via ad putridas, vel hecticas, quàm propriè diarię, agit quidem prius de diariis propriis, & bene quidem, atque vt sic quæ nothæ sunt ac impropriæ certò cognoscãtur, cùm istæ vt dicebamus, pendeant ex earum cognitione: ergo febres, ait Galenus, quæ ex adustione generantur, vel cruditate, aut lassitudine, aut vigilia, aut animi perturbatione; vel bubone, qui ex evidente aliqua causa fit, nunquam ad tertium vsque diem progrediuntur, nisi aliquod delictum circa laborantem simul acciderit. Quasi dicat Galenus; cùm febris aliqua accenditur in nobis ex sola causa externa prægressa dependens, vt ex nimia solis adustione, aut ex sola nimia vigilia, aut ex sola ira, &c. Hæc quidem febris ad tertium vsque diem nunquam progredietur, sed in secundo desistet, vtpote quæ solùm est diaria, sive orta ex spiritibus vitalibus præter naturam calefactis à causa externa aliqua calefaciente, sed jam prægressa: quæ enim febris sic solùm in nobis accenditur ad tertium vsque diem nunquam prorogatur, sed spatio 24. horarum ad statum perveniet, & ita secundo die declinabit, & in totum desinet esse, nisi delictum aliquod circa laborantem accidat, quod febrem conservet, atque retardet, quia, vt superiori libro dicebamus cum Gal. 4. *de ratione victus in acut. comm. 115. & 1. de humoribus comm.* 12. morbus qui solùm à causa externa provenit vnico die finitur, vel saltim ad statum venit, & sequenti die desinit, quia causa externa prægressa nequit affectum magis radicatum in nobis producere quantum est ex se, atque proinde dicit benè nunc Gal. quòd febris accessio, quæ ex sola externa causa accidit, ad tertium diem nunquam progreditur, nisi aliquod peccatum circa laborantem committatur; à quo protrahatur, scilicet vel ex Medicorum ignorantia, vel ægrotantis intemperantia, vel ministrantium errore, vt suprà dicebamus, vel in corpore sit aliquis apparatus ad febrem, vel denique ex causa prægressa aliquis affectus in corpore relictus sit præter naturam, à quo febris protrahatur ad plures dies, vt accidit quibus corporis constipatio febris occasio est: ipsi enim qui constipati sunt ex frigore v. g. febricitant, accessio non solùm ad tertium vsque diem, sed etiam vltra prorogari poterit, etsi frigus cesset, si constipatio prorogatur, & durat, cùm constipatio sit immediata causa generationis, & conservationis illius febris:

8 Dicit autem cum advertentia Galenus quòd febris verè & propriè diaria; nunquam ad tertium diem prorogatur, nisi quod delictum circa laborantem committatur, à quo protrahatur ad tertium vel vltra; vt intelligamus hinc quòd etiam febres dictæ verè diariæ in se, & solùm à causa externa pendentes fiunt nothæ; & illegitimæ, vel neutræ, & potiùs mediæ, atque in transitu ad putridas vel hecticas quamvis verè diariæ, quoties ex aliquo peccato ad tertium vsque diem, vel vltra protrahuntur, sive peccatum prorogationis febris procedat ex Medicorum ignorantia, sive ex ægrotantis intemperantia, vel astantium alio errore, sive ex alia quacumque occasione; vt ex pravo corporis apparatu, aut mala dispositione, vel denique quia causa externa febrẽ generans, etiam affectum alium permanentem reliquit in corpore, à quo febris prorogatur; etsi enim errores Medicorum, ægrotantium, & ministrantium ad causas externas, aut errores externos revocentur, sicque minus videantur offendere quàm aliæ internæ, quæque ab ipso corporis apparatu procedunt; vel mala dispositione, tum à quovis peccato istorum, vel alio protrahatur febris diaria vltra suum terminum naturalem, aut ordinarium vnius diei vsque ad secundum ad summum vitiatur, & desinit esse verè diaria, transitque in notham, vel neutram & mediam inter verè diarias ac putridas,

putridas, vel hecticas, de quibus *hoc lib.* agere Gal. instituit.

TEXTVS.

Quoniam stipatio vel obstructis exilibus meatibus, vel, &c.

9 Hic etiam cautè animadvertit Gal. quòd non semper atque in diariis legitimis committitur aliquod delictum, ex dictis necessariò desinunt esse verè diariæ, neque protrahuntur ad tertium diem vel vltra, neque fiunt illegitimæ, aut neutræ, vel mediæ, aut suspectæ, atque in via ad putridas, vel hecticas, sed solùm si peccatum quod committitur est magnum, vel saltim plusquam mediocre: etsi enim febres, ait, vel conniventia meatuum, vel recens corporis densatio generet, possunt verè diariæ tum esse, tum appellari, & desistere post primam accessionem, ante tertium diem, si quis recte eas tractet, seu curet, scilicet per detergentia, vt libro superiori, capite 4. est demonstratum: sic etiam & febres, quæ ex obstructione creantur, prosequitur Gal. Si hæc pusilla sit, solvi similiter vt diariæ possunt, scilicet post primam accessionem ante tertium diem, si Medicus eas legitimè sanet: sin valentes humores impacti sunt, ita vt valentius aliquod, quod eos eximat, desideret; pariter febres, quæ inde oriuntur, vltra vnum diem necessariò porriguntur, ac diariarum febrium genus egrediuntur: nam quomodo dici vltrò diaria febris poterit, quæ in tertium vsque diem extenditur, quomodo ex ipsa nominis ratione, in secundo eam die desistere par erat? Quare vt febres diariæ legitimæ ex errore aliquo aùt peccato circa laborantem desinant esse legitimæ diariæ, & ad tertium diem protrahantur, fiantque neutræ, aut suspectæ, vt in putridas transeant, requiritur quòd tale peccatum sit momentaneum, vel quòd malè à Medico curetur, aut alius error accidat vel ministrantium, vel ipsius febricitantis.

10 Rursùs hîc etiam de causis constipationis & obstructionis disserit Gal. vt inde doceat quomodo ab his febres diariæ protogentur & fiant illegitimæ aut neutræ potiùs quàm verè diariæ. Quò clariùs verò causas referat constipationis, scribit quòd constipatio duobus modis accidit, scilicet vel obstructis aut conniventibus poris, sive insensibilibus meatibus nostri corporis, vel corpore ipso immoderatiùs densato: vnde hîc Galenus constipationem ponit tanquam genus ad obstructionem & densitatem corporis, quamvis aliàs constipationem & corporis densitatem, ac pororum angustiam distinguat manifestè ab obstructione, tanquam species ab specie differunt. Quoniam igitur, ait Galenus, stipatio, vel obstructis exilibus meatibus, id est, poris, vel conniventibus accidit, vel etiam corpore ipso immoderatiùs densato, &c. Quasi dicat: vt constipatio duobus modis potest accidere, nempe vel poris corporis obstructis, vel ipso corpore, aut ejus carnibus ac cute densatis, ita pori corporis coarctantur, sive connivent, & corpus ipsum densatur, vt superiori libro dicebamus, ex frigore & balneis, quæ contactu refrigerant, vel facultate, vti etiam ex pharmacis aut medicamentis, quæ multùm vt balnea refrigerant, vel actu, vel potestate, & pari modo ex his quæ cutim siccant, vt sole fervente, vel ex his quæ exsiccant, vt dura frictione; quare omnes istæ res sunt causæ constipationis corporis, & febris ex constipatione pendentis: ab his siquidem causis, si nimis excedunt, vel densato corporis habitu, vel poris corporis aut cutis conniventibus, non solùm constipatio oritur, sed & febris, scilicet detentis sic intra corpus fuliginosis, atque præcalidis ejus excrementis, quæ per insensilem transpirationem & poros cutis foras exire debebant. Vt enim ex vehementi frigore externo, aut alia re adstringente, vt ex vsu aut balneo aquæ aluminosæ, & ex multa siccitate, & ex æstu solis, aut dura ac desiccante frictione corpus nostrum, porique ejus densantur, aut stipantur, ita inde fumosa dicta colliguntur excrementa, quæ febrem generant.

11 Sic expositis atque explicatis causis densitatis, aut stipationis corporis, affert etiam causas obstructionis Gal. dicens obstructionem vel propter glutinosos, vel crassos, vel copiosos succos incidere: & benè quidem, nam obstructio est occlusio alicuius cavitatis ab humoribus impactis, aut in ipsa cavitate contentis, & consequenter obstructio, vt ait Gal. ab humoribus fit vel glutinosis, vel crassis, vel multis: siquidem cavitas cujusque vasis occluditur, aut clauditur, aut impeditur ab humore aliquo aut humoribus in se contentis, sive talis humor, aut humores sint glutinosi & facilè adhærentes, sive crassi, aut corpulenti, sive multi solùm. Vt enim humores glutinosi partibus vasorum hærentes obstruunt, sive cavitates vasorum coarctant, aut claudunt, & humores crassi sua corpulentia; ita multi sua copia, vt experimur, quando multi homines simul ingredi, aut egredi per vnum ostium conantur; sic enim & sese multùm comprimunt, & totum ostium obstruunt: quare causæ obstructionis & constipationis sunt haud dubiè quot & quales affert Gal. His ergo sic expositis, advertit quòd vt constipatio cùm parva est si rectè curatur solùm generat febrem diariam, sive quæ vt verè diaria vnico die terminatur, ita & obstructio si pusilla sit solùm febrem producit vnius diei, vel quæ vno die vt aliæ diariæ potest solvi si rectè curetur: si verò obstructio sit momentanea, aut humores impacti tales sint vt valentius aliquod quod eos eximat desiderent, pariter & febres inde ortæ

vltra

vltra vnum diem necessariò progrogantur, & durationem verè diariarum egrediuntur; quod quamvis sic fiat, si tamen neque humor putrescens subsit, neque corpus ipsum febrilem calorem, vt habitum susceperit, vt accidit in febribus synochis non putridis ad diarias revocabitur, cùm à duobus aliis generibus sit diversa: vel enim aliud febrium genus præter tria dicta in prima atque vniversali febrium divisione est ponendum, in quo dictæ febres, quæ plures dies durant, sine putredine collocentur, vel appellatione pro nihilo habita ipsas diarias nominabimus, ad eas reducemus, dicentes, & verè supponentes, quòd diariæ vocabulum non est de essentia istarum febrium, verùm convenienti nomine destituti, ab eo quod sæpius accidit iis febribus, febres quæ neque putridæ sunt, neque hecticæ, diarias omnes nominamus, quia natura eadem est in omnibus eis, etsi non nomen, aut duratio, sed dictæ ad plures progogantur dies.


Dubitationes super Textum.

12 Duæ sese offerunt decidendæ dubitationes ad majorem intelligentiam eorum quæ dicta sunt, quæque Galenus statuit in præsenti. Prima est an sint tria tantùm febrium genera, & secunda qua ratione debent curari febres diariæ ne degenerent in alias pejores, vel saltim ad plures protrahantur dies? quare de his seorsim nunc breviter agamus: igitur quoad primam attinet, quamvis Gal. non solùm in hoc cap. sed pluribus aliis febres dividat in tria tantùm genera, scilicet diarias, putridas, aut hecticas, hæc tamen divisio non caret difficultatibus, quæ aliter persuadent, & per consequens saltim magis explicari, & bene intelligi postulant. Principio si Gal. adhuc in præsenti cap. inter febres verè diarias & putridas, vel hecticas affert plures medias, & quarum genus, vt ipse dicit, neutri extremitatum est idem. Ex his concludendum videtur non tria, sed quatuor esse omnium febrium genera, duo scilicet putridarum atque hecticarum, tertium diariarum, & quartum denique neutrarum. Similiter Gal. postquam octavo lib. superiori egit de febribus diariis, & quidem diffusè, atque ad satietatem vsque, hoc toto libro nono agit de synochis sine putredine, sive de febribus, quæ ex sanguine fervido, vel phlogosi, id est excessivo calore affecto generant, quasi de febribus, & natura, & curatione distinctis à diariis putridis, atque hecticis: quare adhuc ex Gal. non tria, sed quatuor erunt diversa febrium genera. Et confirmatur ampliùs ex eodem Gal. qui non solùm *1. Epid. par. 2. comm.* 10. demonstrat febres ardentes fieri non semper ex biliosorum excrementorum retentione, atque putredine, sed sæpe ipsa bile ex caliditate tum in vasis, tum in visceribus aucta ex statu valde calido in flammam conversa, vt fit in illis qui plus quàm oportet sese excitaverunt, aut valdè meditati sunt, aut plus quàm decet in sole sunt versati, vel cibis ardentibus vsi sunt, vel qui ex his plurima vel omnia fecerunt, aut perpessi sunt, sed etiam *lib. sequenti à cap. 1. vsque ad 6.* vbi ponit aliquas febres per circuitus repetentes in corporibus biliosis pichrocolis, vel aliter multum debilibus atque extenuatis, quas advertit non esse putridas, sed ex biliosis humoribus multum calidis vel acribus ortas. Vnde non tantum synochæ febres non putridæ, sed & istæ ex bile fervida pendentes erunt diversæ à diariis, putridis, ac hecticis, ideòque omnes istæ diversum ab aliis genus constituunt.

Respondetur breviter & verè ex præsenti contextu huiusmodi febres esse medias inter verè diarias, & putridas, vel hecticas, & sic constituere alterum quoddam genus febrium quod neutri extremitatum sit planè idem: cæterum hoc febrium genus quamvis medium statuatur inter verè diarias, & putridas aut hecticas, revera tamen accedit multo magis sua naturâ ad diarias, quàm ad aliarum aliquam: etsi enim febres dictæ mediæ si rectè non curantur, possunt citò in putridas vel hecticas transire, vt textum exponentes dicebamus, iis tamen non obstantibus potius sunt diariæ quàm aliæ, cùm ex natura rei in eis calor nativus insluens, & non fixus afficiatur, & non aliqua putredine, aut vapore putrido, sed tamen fervescente, aut squalido & nimis adusto. Vnde quamvis in textu dicit Gal. quòd vt in cæteris rebus, quæ vno genere comprehensæ, sunt etiam in naturis, ita inter se similes, vt motuò in se transire valent, tertia quędam formula in transitu ipsarum existit, quę neutrius extremitatum formam planè exhibet, ita in diariis imaginare licet; hęc tamen non obstant, aut contradicunt quod nos dicimus, sed compatitur quidem quòd febres istę mediæ, aut quę sunt in transitu nulli extremitatum sint idem, & quod magis ad vnum quàm alterum extremorum declinent: quare in sensu explicato loquitur Gal. sicque febres, synochas & alias dictas ponit distinctas locis citatis à putridis & hecticis. 13

Ex iis & ex dictis in contextu insurgit secunda dubitatio, scilicet qua ratione debeant curari istę febres, quę mediæ sunt inter diarias & putridas, vel hecticas, & quæ facilè in has transire possunt si citò curatæ non præcaventur ne transeant in ipsas? Cui respondetur quòd curantur vt docet ipse Gal. *lib. superiori*, in præsenti, & *lib. sequenti*; vt enim *lib. 8. superiori, cap. 4.* & aliis docuit curare febres diarias parum tutas, quę accidunt in corporibus, quę redundant pravis aut vitiosis succis, & quę simul cum constipatione oriuntur, ac similes, ita in *præsenti, lib. 9.* curat synochas sine putredine; & *lib. sequenti, à cap. 1. vsque ad 6.* curat reliquas ex bile pendentes exusta, quę etsi diariæ sunt, id est, non putridæ, neque hecticæ, sunt tamen parum tutæ, citòque possunt tales fieri, si vt hic & ibi docet 14

cet non curentur: quare ad secundum caput explicandum accedamus.



CAPVT II.

In quo Galenus definit synocham febrem, eamque diuidit in vniuersum in duas differentias.

15 
CVM ex febribus humoralibus aliæ sint quæ repetunt per circuitus, & aliæ quæ carent repetitionibus, sed à principio vsque ad finem earum vna est febris accessio in singulis, sine sensibili exacerbatione, aut circuitu, aut repetitione, in quibus vna accessio, ait Galenus, ab initio ad finem perpetuò manens, in multos dies porrigitur, eas febres synochas, id est, continentes appellat. Etsi enim nomen synochus impropriè talibus tribuatur febribus, cæterùm hoc solœcismum committendum potiùs rati fuerunt Græci antiqui, quàm formam ipsarum sine nomine linquendam: quare etsi nomen fuerit ineptum, tamen fuit apud veteres, vt nunc, communiter receptum ad dictum febris genus nominandum. Quòd autem vocabulum synochus negligenter, & impropriè sit à veteribus assumptum, ad febres continentes significandas; patet ex eo quòd synochos Græcè continuus propriè dicitur, est autem non parva differentia inter febres continentem & continuam: nam in continente nulla fit feruoris remissio, quæ accessionem aliquam causet, aut aperiat; continua verò in singulis accessionibus sensibilem habet feruoris, siue febris remissionem: vnde continens febris vnica est febris accessio à principio ad finem vsque durans; continua autem plures habet accessiones, siue repetitiones.

16 Quæ vt magis intelligantur, aduertit Galenus accessionis remissionem ex feruentium humorum transpiratu contingere, id est, ex eo quòd humor noxius febrem faciens attenuatus ad extra corpus, per insensilem transpirationem pellitur: cùm enim homo febricitet, ait Hippocrates *quarto de morbis*, prope medium conturbatur humor febrem faciens, id est, feruet, & agitatur nimis, sicque plus aut minùs de eo attenuatur, & secernitur à massa, & foras propellitur; & hac ratione febris remittitur, & accessionis remissio contingit: imò si in febribus humor non turbaretur, & de eo plus aut minùs secerneretur, & alius alium superaret, neque febres exacerbarentur, neque in eis horrores fierent, neque aliæ ægrotantium maiores affectiones; sed hæc siquidem fiunt, quia noxius humor morbum faciens exacerbatur, vel agitatur nimis, sicque ab aliis secernitur, extrauasatur, & concitatus per sentientes corporis partes discurrit violenter, & præter naturam sic molestat, & dicta inducit accidentia, aut symptomata, donec quiescat, aut extra corpus expellatur: si enim humor febrem faciens non turbatur, & ab aliis separatur, sed sursùm ac deorsùm intra venas ab his humoribus mixtus voluitur, sic quidem febrem generat continentem solùm, quia scilicet non euacuatur, id est, extra vasa non secernitur, sed solùm intra venas simul cum massa sursùm & deorsùm fluit, aut cursu naturali voluitur; vnde ex Hippocrate humores intra vasa existentes nullius partis particularem actionem possunt vitiare, neque horrorem efficere, neque vehementem dolorem, aut aliud vehemens symptoma, quamquam intra vasa multitudine redundantes, & non liberè ventilare possint febrem, & quidem magnam, ac continentem efficere; etsi in totum obstruant causent appoplexias, ac similes affectus suffocantes; aut derepentè homines extinguentes, & extremorum refrigerationes, & pulsuum ablationes in totum, & reliqua quæ refert 4. *de ratione victus* 13. *& sequentibus.*

Cùm igitur remissio, ait Galenus, ex 17 feruentium humorum transpiratu contingere soleat; cúmque corpora constipata, & quidem vehementi constipatione, non transpirent, cùm denique à feruentibus humoribus vapor plurimus attollatur, ex his euenit quòd in febribus synochis, siue ex redundante, atque efferuescente sanguine ortis febris continens seruetur semper vsque ad infebricitationem: qui enim redundante nimis sanguine febre accenduntur, stipantur, etiam sanguinis multitudine: quare si feruentibus humoribus vapor plurimus attollitur; in constipatione autem effluit foras exiguus: ex his sequitur necessariò vt qui relinquitur in corpore continuò seruet, & accessionem multorum dierum, cùm sit plurimus semper conseruet, & ideo potens tum febrem facere, ac conseruare, tum proxima adurere, quæ febrem excitent: vnde in tali febre nulla subest occasio, quæ alterius accessionis principium exciter, neque inuasionis alicuius significationem faciat, sed permaneat ab

initio ad finem vna febris, quæ neque quotidianæ, neque tertianæ, neque quartanæ naturam secum afferat, quamvis sit multorum dierum febris : hæc ergo febris dicitur synocha, vel rectius continens, sive conclusa vnica accessione à principio vsque ad finem. Et hæc in vniversum est duplex, scilicet putrida, vel sine putredine, quædam namque, ait Galenus, manifestam habent putredinis notam, quædam prorsus non habent, quas ex diariarum febrium esse genere diximus capite superiori : sed de his seorsim posteà erit agendum : quare hic plura non agit, solùm advertit, quòd quamvis suprà dicit, qui vehementi constipatione stipati sunt non transpirant, non est ita intelligendum, vt nullum ex humoribus attenuatis effluere foras permittat vehemens stipatio, cùm nec si de ossibus ita dixeris, id verum sit, vnde multò minùs de carne & cute; quare dicere non transpirant idem est ac dicere quod transpirant, & foras effluunt, exiguum est, aut nihil respectu eorum, quæ constipata intra corpus detinentur, & debebant foras ire.



CAPVT III.

Dividit febres continentes in particulares differentias, earumque causas, & signa ostendit.

18 

DVO sunt quæ potissimùm agit Galenus in præsenti : dividit enim primùm, aut subdividit febres synochas in acmasticas, homotonas, & paracmasticas, id est, augescentes, eundem tenorem servantes, & decrescentes, & posteà causas earum demonstrat; quare caput in duas partes secatur : in prima ergo scribit, vt sequitur.

TEXTVS.

Quoniam igitur ex duobus his servari febris, &c.

EXplicaturus Galenus in hac prima capitis parte, quòd febres synochæ sunt tripliciter diversæ, scilicet vel augescentes, vel decrescentes, vel eundem semper tenorem servantes animadvertit statim in principio capitis, quòd duobus modis potest febris humoralis conservari, & conservatur de facto in nostro corpore, scilicet & quia totus humor; vel vapor qui febrem facit non transpirat, sed intra corpus cohibetur, sicque febrilem calorem conservat, & quod idem humor aut vapor ea quæ contingit calefacit, & quidem taliter, vt ipsa sicuti ille febrem generet : sive enim vapor fervidus, aut febrem generans (nam febris à fervore dicitur) non transpiret, sive transpiret quidem, & foras extra corpus effluat, anteà tamen ea quæ contingit præter naturam excalefaciat, febris conservabitur, scilicet ab ipso vapore, dum non transpirat, & ipso transpirante, aut effluxo ab aliis ab ipso excalefactis præter naturam. Quoniam igitur, ait Galenus, febris humoralis duobus dictis conservatur modis, scilicet, vel quia fervens humor, aut vapor non transpirat, sed intra corpus manet, vel quia quæ proxima ipsi sunt adurit : ex his oritur quòd in synochis febribus tres reperiantur differentiæ, & quòd ex his aliæ sint semper sibi similes, sive pari semper permanentes magnitudine febris, ea, quam statim in prima accessione summam habuerunt, aliæ semper augescentes, aut crescentes, & aliæ è contra semper decrescentes : si enim in febribus istis tanti vaporis accensi, aut effervescentis transpirat, atque dissolvitur extra corpus, quantum alius de novo accenditur; ita quidem calor febrilis æqualis conservatur sine diminutione aliqua, aut augmento, ac si nihil demeretur, vel adjiceretur, quia quod demitur ex transpiratr, ac resolutione vaporum, adjicitur nova alterius humoris accensione : vnde febris semper sibi similis perseverat sine aliquo ascensu, aut augmento sensibili, neque declinatione : si verò in his febribus plus accenditur humoris, quàm consumitur, vel resolvitur accrescens, sic semper oritur febris, & è contra si plus consumitur, aut exsolvitur humoris accensi quàm de novo accenditur. 19

His sic expositis advertit Galenus quòd etsi 20

etsi verè sit dictum febres synochas dividi in homotonas, vel semper sibi similes, ac masticas, vel augescentes, & paracmasticas, vel declinantes: non ideò tamen semper sibi similes sunt, nam neque omnibus, quæ augentur est par augmentum, neque omnibus quæ minuuntur est æqualis demptio, sed aliis quidem æqualis est, aliis non, verùm inæqualis, prout alias transpiratio exsuperat generationem febris, & alias è contrà: vt enim in his multa est tum excessus, tum defectus differentia, ita in dictis febribus non solùm altera magis aut minus, quàm altera, tum augetur, tum minuitur, sed etiam quæ augetur, vel imminuitur, inæqualiter sæpe tum accrescit, tum decrescit, quia in ipsis impar est excessus defectusque differentia. Hic etiam advertit Avicenna ex his febribus magis periculosam esse accrescentem, minùs vniformem, & adhuc minùs declinantem, quod quidem verum est in febribus quæ sunt semper æqualiter tales: nam inter omnes inæquales sunt pejores, sive sint inæqualiter accrescentes, sive decrescentes, sive vniformes; ideò enim febris inæqualiter augetur, aut declinat, aut vniformis non perseverat, quia materia prava est, & naturæ inobediens, quare ingens malum: tandem concludit primam capitis partem Galenus, repetens quod superiori capite dixerat, scilicet febres synochas, seu continentes in vniversum esse vel diarias, id est, fine putredine, vel esse putridas, videlicet cùm in omnibus vasis, præsertim maximis, quæ sunt intra inguina & alas æquabiliter succi, sive humores, vel massa sanguinaria putrescunt.

TEXTVS.

Eiusmodi febrium in gracili, & frigido corpore neutra, &c.

21 VT synocharum febrium causas clariùs & faciliùs afferat Gal. in hac 2. cap. parte, animadvertit, quòd neutra istarum febrium potest accidere in corporibus gracilibus & frigidis, sed è contrà in his qui sanguine abundant & corpulenti sunt: sive enim febris synocha vel continens sit diaria, ac sine aliqua putredine, sive sit putrida, necessariò requirit, quòd in omnibus vasis, vel saltim maximis, quæ sunt intra alas & inguina æquabiliter omnes humores redundent, quod quidem evenire solet in corporibus corpulentis boni habitus atque sanguineis, si aliqua ratione constipentur, non enim obstructio citra putredinem, quæ est causa febris synochæ sine putredine, excitat febrem, nisi id quod transpirat & copiosum sit, & calidum, vt accidit in corporibus dictis; neque humorum putredo in vasis, quæ sunt intra inguina, & alas æquabiliter & citò potest dari in frigido corporis habitu, vt requiritur ad synocham febrem cum putredine: debent enim quæ putrescunt tum calida ac humida esse, tum difficilem transpirationem habere: quare febris continens neque in frigida ætate, neque in frigido corporis temperamento; sed neque in gracilibus, & qui raro sunt corporis habitu, & sanguine carent excitabitur vnquam, sed in ætate & temperamento calidis, præcipuè carnosis, & bono, & multo sanguine redundantibus, & denso corpore præditis, aut etiam calidis excrementis refertis.

TEXTVS.

Proinde fit, vt qui ita febricitant iis & pulsus maximus sit, &c.

EX dictis colligit in fine capitis Galenus signa vtriusque febris synochæ: 22 scribit ergo quasi in hunc modum. Qui ita febricitant iis pulsus est maximus, vehemens, celer, frequens, & æqualis: his etiam arteriæ habitus, sive consistentia, neque dura est, neque mollis, sed pro natura media: celeritatis autem, & frequentiæ non sic media, sed quæ eò pervenit, quò febris ipsa magnitudo. His ergo verbis arguit quasi in hunc modum: Quòd febres synochæ ex sanguinis calidi redundantia proveniant, non tantùm ex corporibus carnosis, & ætate, ac temperamento calidis quæ febricitant, dignoscitur, sed etiam ex eorum pulsibus relatis, & arteriarum consistentia: qui enim sanguine abundant, abundant pariter carnibus, & calore nativo: nam vt ait ipse Galenus *libro de sanguinis missione, capite quinto, in principio*, non solùm partes animantis sanguine aluntur, sed & nativus calor mansionem ex sanguine habet, id est, perseverantiam, ac conservationem, perinde atque ignis qui in foco est ex lignis ad ardendum idoneis, à quo totas ædes calefactas conspicimus: quare qui tali sanguine abundant, atque calore; non modò sunt carnosi, & bono corporis habitu præditi, quia benè & multùm nutriuntur, verùm etiam pulsus habent magnos, celeres, frequentes, æqua-

les, & vehementes, ac medios inter duros, mollesque: pulsus enim magni, celeres, & frequentes sunt ad vsui adaucto subveniendum, sive ad ventilandum, attemperandumque abundantem calorem nativum: vehementes etiam sunt ob facultatem robustam, quæ est ipse calor nativus abundans, sive copiosus: sunt insuper æquales, & neque duriores, aut molliores quàm pro natura media inter siccam vel mollem conveniant, quia sanguis est temperatus, vel modicè calidus, & humidus, & ideò nisi immodicè redundet, & vasa nimis repleat, nullam in pulsibus facit sensibilem inæqualitatem, neque in arteriis tensionem, aut consistentiam, quæ aliquam duritiem in pulsibus repræsentet: tandem in synochis pulsus fiunt frequentes & celeres plus quàm mediocres, vt sic vsui præter naturam adaucto satisfaciant, sive calori febrili, qui his differentiis præsertim subvenitur.

23 Tandem concludit caput dicens: *Atque hæc quidem ambarum sunt communia: alteri verò, privatim putredini, insunt notæ, idque tum in lotio, tum in pulsu, tum caloris ingrata qualitate*, quasi dicat: febres synochæ putres, & sine putredine conveniunt in multis, vt in omnibus modò explicatis, & in aliis quæ hic omitit, quia non agit ex instituto de signis, iis tamen non obstantibus synochis, cum putredine privatim, insunt putredinis signa non solùm in lotio, sive in vrinis, sed & in pulsu, & caloris febrilis ingrata qualitate, scilicet acri & mordaci. Quòd autem febribus synochis putridis præter relata signa communia insint privatim aliæ quæ sint putredinis notæ, certum est, atque ab omnibus ita admittitur: non tamen omnes explicant hæc particularia in febribus putredinis signa, fortasse quia in omnibus putridis non sunt eadem, vt in lotio, seu vrina videmus: vrina enim tum in aliis putridis febribus, tum in synochis sæpe varia apparet, & quidem non parum: imò in eadem febre putrida solet multoties dari eadem diversitas vrinarum, & nihil est mirandum, quia vrinæ non solùm à febribus putridis, aut ex humorum putredine diversificantur, aut variant, verùm etiam à rebus ipsis naturalibus, vel non naturalibus: nam non solùm vrina, fœtida verbi gratia, in febribus putridis malignis apparere solet, sed etiam ex vsu asparagorum: vnde nisi signa sumpta ex vrinis cum aliis conferantur à pulsu petitis, & caloris febrilis qualitate, nihil fœdum ex eis significabitur: quia ergo in putridis febribus ex humorum putredine non solùm vrinæ fœtidæ redduntur, aut saltim odoris extranei, & ingrati, sed etiam pulsus in contractionibus accelerantur propter vrgentiam expulsionis excrementorum putridorum, & calor febrilis acris & mordax percipitur à tactu, proinde si cum pulsu inæquali, in quo scilicet contractio est maior, & celerior dilatatione, & in quo quies externa ferè nulla percipitur, sed statim post arteriæ dilatationem sine mora aliqua sequitur eius contractio, & cum caloris febrilis ingrata ac nimis mordace qualitate coniungitur vrina tetra, scilicet pravo colore, aut substantia, atque odore fœtido, vel aliter parum grato infecta; sic quidem & vrina talis est privatim nota putredinis, & ex omnibus Medicus febrem esse putridam certò cognoscit, atque prædicit.

Dubitationes super Textum.

Aliquæ sese offerunt dubitationes decidendæ, vt magis constent, ac penitùs intelligantur quæ statuit Galenus in præsenti tertio capite, quarum prima est, an in febribus synochis dentur quatuor vniversalia tempora, vt in aliis, an verò non? Et ratio dubitandi est, quia ex febribus synochis aliæ sunt semper augescentes, aliæ è contra semper decrescentes, & aliæ semper vniformes vsque ad infebricitationem: quare augescentes solùm augmentum habere videntur, vt decrescentes declinationem solam, & denique vniformes semper statum. Respondetur quòd licèt vna istarum febrium semper in statu esse videatur, & alia semper in augmento, & denique alia semper in declinatione; habent tamen omnes, & quævis earum quatuor tempora, vt alia omnia morborum genera, nempe principium, augmentum, statum & declinationem, licèt non omnia sint sensibus nostris nota, vt docet Galenus *libro de morborum differentiis, capite quinto*. Quæ enim est vniformis, vel semper eundem tenorem servans, solum statum habet manifestum, vt quæ est perpetuò augescens augmentum, & quæ semper minuit declinationem; habent tamen & reliqua tempora sensibus nostris ignota: nam vt benè ait Gal. febris ad statum statim nequit ascendere, sed necessariò priùs incipit & augetur, etiamsi neque principium eius, neque augmentum sensibus percipiatur, & idem de aliis; de hoc tamen latiùs disputatione de febribus egi. 24

Dubitatur secundò an in febre decrescente ante statum vera declinatio reperiatur? vel rectiùs, an febris verè declinet antequam ad statum accedat, vt insinuat Hippocrates *1. Epid. par. 3. sent. 10.* dicens continuas aliquas febres à principio vigere, sive esse summas, & prope indicium declinare, id est, prope statum: nam indicium, sive crisis in statu fit, ex ipso Hippocrate & Galeno *3. de crisi. capite decimo*. verùm huic assertioni ratio manifesta adversatur, quoniam 25

quoniam declinare febrem nihil aliud est, quàm fieri remissiorem, aut minorem ac antea erat in suo statu, sive in tota sua vehementia, nam status est deterior pars totius febris, & vehementissimum morborum tempus ex Galeno & omnium consensu: quare febris post statum declinat, & Hippocratis assertio falsa est. Respondetur quòd febris declinat verè quoties minor fit ac erat antea, sive declinet, aut minor fiat post statum, sive non: ante enim quàm febris ad summum sui esse, aut intentionis accedat, potest remitti, & in totum cessare, vt quotidie experimur in ipsarum febrium curatione, & in curatione aliorum multorum morborum, quorum alij in principio, & alij in augmento curantur, & in totum finiuntur, ac declinant, quin vllus eorum statum accedat: vnde quod Hippocrates asserit verè potest accidere, & sine aliqua repugnantia, scilicet quòd febris quæ statim in suo principio viget, aut vehemens est, posteà prope statum, nempe in augmento ipsius, & antequam ascendat ad suum statum, & summam quam habere poterat intensionem, declinet; nam etsi febres, vt plurimùm, priùs ad statum ascendunt, & postea declinant, hoc tamen non est necessarium, sed, vt dixi, ante statum possunt declinare.

26 Cur verò febres non omnes declinent post statum, vt majori ex parte solet fieri, si quæsieris? Respondetur, quia omnes sunt boni moris: quæ enim sunt benemoratæ omnes declinant post statum ex se quidem, & nisi curatæ in principio, augmento, vel statu desinant; quæ verò sunt mali moris ante statum, & in ipso statu, possunt, & declinare solent, ex sua scilicet & earum malitia, potiùs quàm ex curatione. Quæ vt intelligantur, observare debemus quòd si febres declinant, aut in totum cessant, est quia earum materia funditur, aut liquatur, seceditque sic à foco vbi fervens aut ardens excitabat febrem; materia enim si liquata à foco recedit, vel ab aliis humoribus, quibus erat admixta, dissolvitur febris, quia dissolvitur mixtio materiæ, quæ ardet, febrisque est causa; sic enim ait Hippocrates 1. *de morbis*, *sententia* 117. Quicumque morbi in diebus judicatoriis judicantur, aut calores febriles dimittunt, in his quidem quod de pituita, aut bile tenuissimum est, & pingue, id est, quod ardet, ac febrem excitat, funditur, & liquatur, secedit partim extra corpus, partim intus. Quasi dicat Hippocrates, quicumque morbi acuti, aut febres in diebus judicatoriis, aut decretoriis judicantur, id est, subitò solvuntur, atque ad sanitatem veniunt, vel saltim calores febriles dimittunt: in his quidem hæc ita fiunt, quia tunc temporis quod de pituita & bile tenuissimum est, id est, quod in talibus morbis de causa morbifica est ardens, facitque febrem, funditur, seu liquatur, atque in totum dissolvitur, sive in varias partes tenues, ac crassas partitur, seceditque sic partim extra corpus per poros cutis, scilicet partes ejus tenuesque evaporantur, & partim intùs reconditur, nempe quod crassum relinquitur, & non potuit in vapores dissolvi. Itaque juxta hanc Hippocratis sententiam, vt morbi judicentur, vel eorum calores febriles dimittantur, sat erit si quod de eorum causis liquari potest, eliquetur, & ejus partes atque mixtio dissolvantur, secedantque sic inter sese, & à foco, sive à parte affecta, vbi concretæ, sive obstructæ fervebant, & febrem generabant, sive partes liquatæ foras extra corpus secedant, sive non, sed intùs relinquantur, vel partim intùs, & partim foras.

His sic notatis, debemus etiam adver-
tere, quòd sicut caloris est fundere, at- 27
que liquare, & è contrà frigiditatis cogere, atque concrescere, ita dicta humorum febrem facientium fusio, atque dissolutio provenit à calore ipsorum febricitantium, sive calor qui liquat sit ipse febrilis, sive alter nativus: nam non solùm calor febrilis est potens eliquare, sive attenuare, & ab aliis secernere humores morbum facientes, verùm etiam calor noster nativus, siquidem huius etiam est proprium congregare homogenea, vel quæ sibi sunt vtilia, & segregare heterogenea, sive quæ sunt excrementitia, ac sibi nocent: solùm differunt in eo quòd calor noster nativus, dum concoquit ipsos humores morbum facientes, & post eorum coctionem separat, atque excernit quod eorum est noxium, aut excrementitium: calor verò febrilis, vt qui non concoquit, sed corrumpit, quolibet tempore, & ante coctionem potest dictos humores agitare, eliquare, atque à se ipsis, vel ab aliis secernere, ac separare: & consequenter febres, & alij morbi, qui benè morati sunt, solùm post statum eorum declinant: ij enim à nativo calore tractantur, reguntur, atque curantur, non quidem in principio, aut tempore cruditatis curantur, quia tunc opprimitur natura à sarcina ipsorum humorum morbum facientium; & quia materia cruda, dum talis est, non cedit expurgationi, sed in augmento, atque statu ipsius morbi; in augmento scilicet, quia tunc concoquit, & concoquendo separat vtile ab inutili; & in statu non solùm separat, sed & excernit, scilicet sensibiliter, vel insensibiliter: sensibiliter quidem in crisibus, insensibiliter verò in aliis omnibus morbis, qui non crisi, aut suppuratione, sed per resolutionem terminantur: vnde bene Galenus *quarto aphorismorum*, *commentario*

22. ait, præire coctionem, subsequi discretionem, & tandem evacuationem, vt bona sit crisis, sive iudicium, & inde declinatio bona sequatur: febres verò, & alij morbi mali moris à natiuo calore non domantur, neque evinci possunt; quare neque hic certo tempore terminantur, aut decrescunt, aut crises faciunt, vel alias solutiones, quia vt *3. de cris. cap. 10.* ait Gal. determinati sunt, atque ordinati naturæ motus, & morborum solutiones, aut mutationes, cùm valida existit, & materiæ dominatur, & proprias operationes operatur: indeterminati verò, atque inordinati, atque ideò incogniti, quando succumbit: vnde si natura dominatur materiam morbificam, vt accidit in morbis ordinariis, atque boni moris solùm post statum vniversalem morbi sequitur declinatio; si verò natura non gubernat causam morbificam, vt sæpe accidit in malignis febribus, aut aliis morbis declinatio quovis tempore potest accidere; & quidem prope statum vniversalem, vel parum anteà, si, vt ait Hipp. febris statim in principio viget, nam tunc præterquam quòd natura materiam non dominatur, calor febrilis est tam vehemens, quòd potest non modò agitare, atque attenuare materiam quæ morbum facit, sed & ipsam dissolvere, atque secernere, aut expurgare sensibiliter, aut insensibiliter, & sic potest morbus declinare; vt enim calor nativus coquendo, ita febrilis fundendo, & mixtum dissolvendo potest febrem minuere, aut extinguere, & quidem cum ægri pernicie: nam ideò iis, qui tamen ratione leviores non sunt facti, non oportet fidere, vt ait Hippocrates *in aph. & in porrett.* perniciosa in morbis sine signis levantia mortem signant, quia tales declinationes fiunt à morbo naturam solvente vnà cum aliis, vt *3. de cris. cap. 9.* pulchrè atque satis ad longum docet Gal. Lemosius autem solvit difficultatem dicens, quòd duplex est in febribus declinatio, vna quæ fit propter majorem exsolutionem vaporum putridorum efficientium febrem, quàm regenerationem aliorum, qui febrem committere deberent: altera declinatio est, quæ vacuationes sensibiles & iudicia sequitur: primo modo particularis accessio declinat, & febris dicta decrescens statim inter initia declinat, vt hîc Gal. insinuavit: altera verò declinatio, quæ vacuationes, & iudicia sequitur post statum accidit. Hæc Lemosius: sed non placent: nam licet verum sit quòd declinatio in febribus fit duobus dictis modis, non tamen est semper verum, quòd febres decrescentes ante statum decrescant primo modo, & sine evacuatione sensibili, neque semper declinationes, quæ fiunt post statum sequuntur sensibiles evacuationes, aut iudicia: nam re verâ, & post statum, & ante ipsum possunt decrescere aut declinare febres, atque alij morbi quolibet modo, ex duobus illis: neque declinatio, quæ post statum fit postulat potiùs fieri per sensibilem evacuationem criticam, quàm per primam quæ contingit sine evacuatione sensibili: siquidem solutio morborum fit bona & per suppurationem, quæ sensibiliter posteà educitur, & per resolutionem, estque hæc longè magis perfecta; si vera est resolutio materiæ morbificæ, quamvis resolutio à natura fiat sine evacuatione sensibili: quare aliter ex Hippocrate & Galeno propositam difficultatem solvere fuit necessarium.

Tertia examinanda dubitatio est an in febribus synochis pulsus sint æquales, vt dicit Gal. in textu, & nos explicuimus. 28 Et ratio dubitandi est, quia ex ipso Galeno febres omnes habent pulsus inæquales, & quatenùs febres sunt, & maximè quatenùs sunt putridæ. Respondetur quòd febres, quà febres sunt habent pulsus inæquales, quia re verà in eis ex Gal. sententia principium & vltimum dilatationis arteriæ citiùs quàm medium dilatantur; & similiter febres quia putrescunt habent pulsus inæquales, quia in putridis contractio pulsus est celerior dilatatione, quia vrget vis expulsionis excrementorum putridorum quæ fit per pulsus contractionem, hæc tamen quamquam sic se habeant, bene nunc scribit quòd in synochis febribus pulsus sunt æquales, quia dictæ inæqualitates sunt ferè imperceptibiles, & in hoc sensu etiam *2. de cris. cap. 3.* dicit Gal. tertianæ pulsus esse æquales: quare synochæ febres sive sint sine putredine, sive sint putridæ pulsus habent sensibiliter æquales, nisi ex alio capite, vt ex intensa putredine, aut ex vasorum insignibus obstructionibus, aut humorum multorum magna farragine, inæquales sensibiliter reddantur, atque appareant.

Quartò dubitatur an in febribus synochis pulsus sint vehementes? nam etsi in synochis sanguis abundet, & calor nativus, vt 29 diximus textum exponentes; quia tamen febres vt & alij omnes morbi lædunt actiones, & potissimùm naturales, atque dictum calorem nativum: ex his consequenter videtur dicendum, quòd neque in synochis, neque in aliis febribus aut morbis possunt pulsus esse vehementes, sed sat erit si non sint debiles, cùm actu lædantur à morbo, vel febre. Respondetur, quòd quamvis omnis morbus lædit actiones cordis atque caloris nativi, quia est huic contrarius & inimicus valde, his tamen non obstantibus, accidit sæpesæpius quòd in febribus & aliis morbis, atque aliis affectibus præter naturam pulsus sint vehementes, aut vehementiores appareant quàm erant ante morbum, & tempore sanitatis. Et ratio est, quia etsi omnis morbus lædit actiones, non tamen ideò statim vires debilitat, nam vt docet ipse Gal. *6. de morb. & symp. cap. 1.* solùm immo-

dica intemperies dejicit vires ; quare in febribus , atque in aliis morbis vehementibus.& in doloribus intenſis,antequam vires exſolvantur pulſus majores fiunt & vehementiores ac erant anteà ob auctam neceſſitatem , quia vt 4. *de cauſis pulſ. cap.* 1. dicit Gal. in dolore vehementi (nam ſolùm dolor vehemens pulſum mutat) fiunt pulſus magni , vehementes, celeres & frequentes vt in ipſis febribus , non quidem quia dolor vires augeat , ſed quia nondum dejicit , etſi ſit vehemens , & tunc natura dolore afficitur : quoties verò natura aliqua neceſſitate conflictatur aut afficitur vehementiori vi , quà poteſt , ait Gal. ſuas obit functiones , vt ſic ſubveniat neceſſitati: ſic enim in ira pulſus fiunt vehementes & alti, ac magni ob vehementiam paſſionis , vnde & in febribus & aliis morbis pulſus vehementes eſſe poſſunt , etſi morbus lædat actiones.

CAPVT IV.

Continet duorum adoleſcentium duas curationes , quorum alter continente febre ſine putredine , alter cum putredine febricitabat.

30 DVAS tantùm refert Galenus in hoc capite duorum febricitantium curationes : quare caput in duas partes videbatur ſecandum, claritatis tamen gratiâ, atque maioris diſtinctionis, non in duas, ſed in quatuor partes caput ſecabimus , quia quatuor ſunt re verâ , quæ caput continet: nam in primis docet Galen. quòd exemplis exercitari diſcentes expedit quam maximè: ſecundo & tertio loco dictorum duorum febricitantium affert & latè explicat curationes : tandem quarto & vltimo loco docet in omnibus febribus ſynochis , aut continentibus eſſe præſentaneum , ſive vnicum remedium ſanguinis miſſionem vſque ad animi defectum ; quare iis ſic ſe habentibus, de ſingulis ſeorſim agamus.

TEXTVS.

Ac tibi exempli cauſa redigam in memoriam , &c.

31 DOctrinam , quæ exemplis illuſtratur, ac patefit, expeditiſſimam judicat Galenus. In hac prima capitis parte & quòd in exemplis exercitari expedit diſcentes demonſtrat : non enim , inquit , ſatisfaciunt ad exactam cognitionem vniverſales methodi , id eſt , doctrina communis neminem doctum facit , niſi in particularibus exerceatur : quare præcepta omnia , & vniverſales omnes methodi, ſive doctrinæ, ſive ſcientiæ in multis particularibus exemplis tradi debent , atque explicari , vt rectè doceant, & rectiùs atque faciliùs à diſcentibus intelligantur ; etenim exempla , cùm particularia omnia ſint , rem omnem , quaſi in præſenti agatur , ante oculos diſcentibus ponunt , & facilè inſtruunt , memoriæque meliùs inhærent : eò ſiquidem tendunt exempla , & à Gal. paſſim per libros hiſtoriæ diſperſæ , vt inde dignotionem, vel curationem optimè omnes facere poſſint, & facilè meminiſſe ; quare exempla ſunt inter alia pro potioribus habenda , potiſſimùm ſi ea aguntur , quorum quædam particularis eſt actio.

TEXTVS.

Sunt autem exemplorum ea pro potioribus habenda , &c.

EXempla talia ſunt adducenda , qualia ſubjecta res poſtulat : quare in Medicina , cùm medica facultas plurimùm ſenſu ducatur , ea exemplorum , ait Gal. erunt aptiſſima , & pro potioribus habenda , quæ ipſis oculis vſurpavimus : ſi enim omnes, qui docere , ſcriberéve aliqua ſunt aggreſſi, ea priùs operibus oſtendiſſent , prorſus pauca folio dicerentur : ratio enim ab experientia ſunt duo tantùm invenienda virtutis inſtrumenta ; & ità ſi quod ratio adinvenit experientia confirmat particularibus exemplis , ſic quantum per humanam fragilitatem licet, veritas conſequitur. Nunc verò plerique alios docere tentant , inquit, quæ neque ipſi vnquam fecerunt , neque aliis oſtenderunt : ſic ergo opinioni ſapientiæ magis , quàm veritati inhærentes ſuos decipiunt auditores , ea docentes , quæ neq; maturo judicio , & verè edidicerunt , neque opere, & particularibus exemplis exercuerunt. Verùm non ſufficit ratio noſtra,ait, ſed ſtatim ab adoleſcentiæ philoſophiæ ſtudio capti , primùm nos ad eam contulimus , mox patris evidentiſſimo inſomnio moniti , ad Medicinæ ſtudium excolendum venimus , ac per totam vitam operibus magis quàm verbis vtrique ſtudio incubuimus : quominus mirum eſt , ſi in quo tempore alij totam vrbem ſalutando luſtrant, hoc omni ſedulo nos laborantes ; primùm quidem omnia quæ à veteribus pulchrè ſunt inventa didicimus , mox eadem opera tum judicamus , tum exercuimus : ſic enim ac non aliter fit doctus , & potens ad docendum : vnde rationabile eſt , ait Libro, 32

si quis optimus Medicus est, eundem esse Philosophum, tum propter malam educationem, qua temporibus iis vtuntur homines, tum propter diuitias virtuti præpositas, vel qualis Phidias inter Plastas, vel qualis inter Pictores Appelles, vel qualis inter Medicos Hippocrates talem hac ætate effici neminem videas; quamquam nobis, quibus post antiquos illos nasci contingit, & ab eisdem artes plurimùm prouectas accipere, non paulò plus commodi ad artes ipsas datum est: facillimum enim erat nos ea, quæ vt inueniret diu laborauit Hippocrates breui tempore edoctos, quod vitæ supererat, id in iis quæ arti deerant inueniendis consumere. At quisquis plùs diuitiis, quàm virtuti tribuit, artique non indè hominibus bene merendi, sed quæ status gratia petit, cum non licet artis finem expetere, quem si expetimus ante omnia iudicatur, alij vero nos ad id quod habemus animo peruenimus: non enim possumus & pecuniam cogere, & arti tam magnæ operam dare; sed qui alteram vehementiùs appetat alteram contemnet necesse est. Hæc Galenus hæcque sic ad verbum afferre placuit vt quæ iis nostris temporibus plusquam in aliis sunt ponderanda: nunc enim nullus est qui Medicinæ operam det, ob scientiæ amorem, quamtumuis magna sit, si quæ alia, Medicinæ virtus dignaque maximè, vt ipsa per se sola ab omnibus expetatur, & non propter lucrum: neque nunc est aliquis ita studiosus, vt sedulò, ac sine intermissione omni tempore Medicinæ incumbat opere ac iudicio, licèt sit ars adeò longa vt nedùm sit vita, vt ait Galenus duplò magis prorogaretur sufficiat ad eam integrè capessendam: vnde Hippocrates *lib. de lege sic ait.* Medici nomine & fama sunt vt quàm plurimi se autem valde pauci: scilicet, quia in textu ait Galenus vulgus Medicorum contemptis bonis moribus, opinioni sapientiæ, magis quàm veritati inhiant: Hæc ergo nos seu Christiani, præ aliis pensare debemus, & scientiæ, ac veritati semper incumbere.

TEXTVS.

Ergo qui palæstræ peritus iuuenis erat vbi febricitare, &c.

33 HÆc est secunda *cap. pars*, in qua, & in sequenti adducit Galenus curationes duorum adolescentium, qui febre synocha, siue continente laborabant, de horum ergo curationibus seorsim acturus, aduertit statim in prima capitis parte quod alter dictorum adolescentium erat liber & palæstræ, siue exercitationibus peritus; alter vero seruus in palæstræ vsu parum exercitatus ad quotidiana tamen, quæ seruum decent; tum exercitia tum opera tractanda, satis idoneus. Porrò liber, inquit, continenti citra putredinem febre laborauit, seruus continenti cum putredine: horum vtrique quænam sit adhibita curatio tempestiuum est dicere, quandoquidem exemptis exercitari quisuis discentes maximè expedit, quia non sufficiunt ad exactam conditionem vniuersales methodi sed requiritur etiam in particularibus exercitatio, *vt cap. 6.* sequenti latiùs cum ipso Galeno demonsttabimus. Iis sic notatis, atque prælibatis affert in secunda hac capitis parte historiam, & curationem illius, qui liber erat, & palæstræ peritus, sic scilicet scribens. Ergo qui palæstra, &c.

Quasi dicat Galenus. Iuuenis iste, quoniam circiter triginta dies exercitationes consuetas dimisit, & pridie quàm febricitauit exercuit vehementiùs, etsi non multùm; idcircò febricitauit; quoniam enim exercitationis consuetudinem intermisit sanguine repletus est: nam exercitium, vt si quod aliud excrementa consumit, & corpus attenuat: cum ergo iuuenis esset, & sanguine plenus: cumque pridie ante febrem omissum exercitium vehementiùs exercuisset, hinc sanguine ascenso febricitare cepit; cum igitur ex iis causis, febricitare horâ primâ noctis, id est vespere cæpisset, ait, postridie mane horâ tertiâ, scilicet ante meridiem, vidi eum, inuenique febrem admodum calidam, sed pulsus æquales, & maximos, & celeres, & frequentes, & vehementes; tum caloris qualitatem, quæ tactum non mordebat; & vrinas tum crassitudine tum colore à naturalibus non multùm alienas: cum item rubicundus plenusque homo appareret atque etiam plenitudinis sensum se percipere diceret: ex iis itaque omnibus constabit febrem esse ortam ex sanguinis redundantia & potiùs ex eius feruore quàm putredine; cum calor esset multus sed suauis, & non acris, & vrinæ, non nisi parum crassæ apparerent, & colore parum à naturalibus recederent, ex permistione scilicet aliqua fieri sanguinis feruentis. Iis itaque sic perpensis à Galeno quiescit nihilque faciendum præcipit. Sed heus Galene, inquit Lemosius, cur iis signis præsentibus, & febre magna venam secare vereris? Respondet ergo vt certiùs sciret cuius generis febris illa esset: primo enim die synochus absque putredine vix à vere diaria separari potest. Simul etiam propter eam quæ præcesserat concoctionis tarditatem; etsi enim quo die febricitare cepit ægrotus solùm cibos solitos, id est quos coquere solebat facilè, sumpsisset atque eos concoxisset, tarde tum tunc, & ægrè propter febrem, quæ superuenit; vtpote cum febris vespere occupasset, id est statim post cibos in die assumptos.

Sed quæritur hîc an in casu proposito vel alio simili, sanguis statim sit mittendus? Videntur enim quod sic: tum quia incipientibus morbis, si quid videtur mouendum debet educi, vt ait Hippocrates 2. *aph.* 29. tunc potissimùm, quia licèt nondum tunc constabat, de specie determinata febris: constaba t 35

ſtabat ſaltim iam febrem eſſe magnam ex redundante ſanguine, atque feruente ottam: hæc autem ſtatim eſſe mittendum ſanguinem indicat ſine mora ne in puttidam tranſeat, vel aliter fiat peior; nam feſtinare ad ſanguinem detrahendum oportet *ait cap. ſequenti*: quibus corpus ex ſuccorum abundantia inhabile ad tranſpirandum ita redditur, vt iam febricitet: niſi enim iis tantum ſanguinis detrahatur, quantum vires tolerant, periculum eſt præſentaneum, non modò quod ſanguis putreſcat, verùm quòd æger ſuffocetur, vel ſyncope apprehendatur, niſi vel virium robur, vel plurimus ſudor, vel largum ſanguinis profluuium, cum à pernicie vindicet: quare quamuis Galenus prima die febris dictæ acceſſitus ad inuiſendum ægrotantem ſanguinem non miſit, ſed abiit, nihil tunc temporis faciendum præcipiens: tamen impoſito clyſtere attemperante ad leniendam aluum propter concoctionis tarditatem ſtatim ſanguis copioſus debebat mitti, ad exonerandam naturam, & ſanguinem feruidum attemperandum. Neque rationes Lemoſij ſatisfaciunt, quia etſi prima die ſynocha febris à diaria non diſtinguatur, eſt tamen tunc febris magna, atque ex ſanguinis abundantia otta, quorum vtrumque ſanguinis euacuationem indicat, neque præcedens tarda coctio impediebat, quia iam etſi tardè cibos concoxerat, quare ſolùm excrementorum expulſionem per clyſterem mollire debebat, & ſtatim ſanguinem mittere.

36 Abiit itaque Galenus mane viſo febricitante veſperique rediens, febrem ſimilem tenorem, aut vigorem, habere ac anteà inuenit, nihil ſcilicet ſenſibiliter remittentem: vnde ſuſpicio iam erat, inquit, ſynocham eſſe, hancque ex obſtructione, & ſanguinis abundantia, & præ carnis copia ſtipatione. Non ſolùm autem veſpere vt mane febris æqualiter magna viſa eſt, ſed parem magnitudinem, per totam ſequentem ſecundam noctem ſeruauit: vnde poſtero die viſum eſt omnibus Medicis, qui ægrum inuiſerant ſanguinem eſſe mittendum: Quum enim omnes intelligerent euidenter febrem ſuum vigorem ſemper ſeruare, conſequenter cernebant ſanguinem eſſe mittendum ad tantũ febrilem calorem remittendum: tunc ergo diſcordia orta de tempore mittendi ſanguinis, qui id in ſequentem diem differendum ſuadebant, febris per totum eum diem ſecundum euidenter viſa eſt ſuum vigorem augere. Itaque ſi Galenus ſtatim ſecundo die ſanguinem non emiſit huic febricitanti, hoc ideò fuit, vt benè ait Lemoſius, quoniam alij Medici qui iuuenem ſimul cum Galeno inviſebant, in ſequentem diem differendum ſuaſerunt, expectantes fortaſis acceſſionem, quæ ſequente tertia nocte timebatur ventura. Vnde patet quod plurium Medicorum concurſus, ſi omnes in vnum non conueniunt, poteſt nocere laboranti, vincentibus, ſcilicet qui ſuadent quæ minùs expediunt, ne dicam, quæ nocent, vt in præſenti caſu contingit, in quo, quia ſecundo die ſanguis vena ſecta non eſt miſſus, febris viſa eſt per totum diem ſuum augere vigorem. Porrò cum in hac febre ſanguis non vacuaretur, neque prima, neque ſecunda die, tertia nocte ſequenti alia acceſſio, quæ primæ reſponderet minimè incidit, ſed æſtus maximus, & laboranti intolerabilis fuit vrgebatque tum tenſio totius corporis, vtpotè repleti, tum capitis pulſatio, ac dolor, tum vigilia & difficilis accubitus, iuuene ſcilicet in aliam alias ſe figuram iactante: quæ cum vltra ferre non poſſet, horâ noctis quaſi octauâ, miſit ad me, ait Galenus miniſtrum, rogatque ad ſe ocyùs veniam: ipſi annuo atque abeo, inuenioque febrem calidiſſimam, pulſumque qualem prædixi: & quod neque in lotio, neque in pulſu, neque in ipſa caloris qualitate, erat aliquod indicium putredinis humorum; quapropter optimum factu viſum eſt venam incidere, antequam putredo inciperet. Auferro itaque ab homine de induſtria eo vſque ſanguine quoad animo linqueretur: maximum plani, vbi vires valentes ſunt, continentis febris remedium. Primùm namque ex animi defectu celerrimè corpus refrigeratur, tranſitque ſic in contrarium ſtatum ac erat: hoc autem nemo inuenire poteſt, neque quod ægris, neque quod naturæ, quæ animantes gubernat, inuidiùs, vtiliùſue fit: ſecundò in eiuſmodi corporibus ſupernenit frequenter alui deiectio, nonnumquam etiam bilis vomitio; quas res ſtatim à toto corpore madores, ſudoreſue excipiunt. Quæ omnia cum ſic contingunt, vt huic iuueni euenerunt, protinùs febrem extingunt; vnde quidam ex iis qui aderant, cum repentè ex dictis febrem ablatam cernerent, iugulaſſe me febrem per iocum dixerunt: vnde omnes riſimus. Hæc Galenus quæ ſic ad verbum referrè placuit, vt poſteà peculiari dubitatione latiùs poſſint explicari.

Nunc autem ſolùm eſt aduertendum, de induſtria, ſine ſcientet, & voluntaria ratione, ſanguinem mittere Galenus in febribus continentibus, ad animi vſque defectum, tanquam maximum, & præſentaneum ipſarum remedium, dummodo valentes vires ſint: ex iis enim duo ſuppoſit, ſcilicet, & quòd in continentibus febribus datur rationalis indicatio vacuandi ſanguinis vſque ad animi deliquium, aut defectum, & quòd in talibus febribus dentur, aut poſſint dari, vires ſufficientes, ad benè tolerandam executionem tanti remedij. Et quidem quoad primum attinet probatur clarè ex natura ipſarum febrium continentium, atque ex natura ſanguinis miſſionis, vſque ad animi defectum; nam imprimis redundantia ſanguinis & caliditas febris continentis, maxima eſt; atque intolerabilis, quæque laborantem inquietum facit, ſcilicet ſæpè aliam in alias figuras corporis mutantem, quia nullam inuenit, in qua quieſcere poſſit, ob æſtum maximum, adhuc ſi febris ſit ſine putredine, vt erat de qua nunc agitur: cum ergo caliditas continentium febrium maxima ſit, atque extrema ſiue intolerabilis: cumque extremis morbis 37

extrema

extrema debeantur remedia, magnis magna, & paruis parua, nam sic & non aliter curatio fit per æqoalia *vt 1. aph. sent. 6.* docet Hippocrates: ex iis consequenter seqoitur, quod in febribus continentibus datur ex natura rei indicatio refrigerandi extrema: siquidem extremis morbis, ait Hippocrates extrema exquisitè remedia optima sunt, *& infra sent. 23.* deijectiones multitudine æstimandæ non funt, sed si vsque ad animi defectum expedit ducere faciendum, si æger possit tolerare: extrema autem refrigeratio in continentibus febribus maximè sanguine misso vsque ad animi deliquium, ait, Galenus consequitur; cum sic totum corpus refrigeretur, quo nihil iucundius, vtiliusve laboranti inueniri potest. An vero vires sint in febribus continentibus ita vehementes, vt possint sine noxa tolerare, euacuationem sanguinis vsque ad animi defectum, hic Galenus non docet, sed supponit: quare & nos docere pro nunc omittimus, quia infrà sumus acturi diffusè de hoc argumenti genere.

38 Sed dices ex Galeno *cap. sequenti*, duo sunt maxima continentium febrium remedia, nempè detractio sanguinis, & potio aquæ frigidæ: & benè quidem; nam si detractio sanguinis corpus refrigerat, quia sanguinem feruentem educit: etiam potus aquæ frigidæ extinguit calorem feruidũ dicti sanguinis atque totius corporis: imò potus aquæ frigidæ opponitur per se ipsi calori febrili, & cuique alij: detractio autem sanguinis non sic sed per accidens, & qoatenùs substantiam calidam euacuat: quare potus aquæ frigidæ potiùs indicabitur à febre maxima continentium quàm sanguinis detractio; etsi hæc vt potus aquæ frigidæ possit totum corpus refrigerare: & conseqnenter in continentibus febribus, ad extinguendum æstum earum intolerabilem poterit Medicus vti potu aquæ frigidæ, non minùs, quàm sectione venæ, aut sanguinis detractione, imò potiùs potu aquæ frigidæ vti debebit, quàm sanguinis detractione vsque ad aoimi defectum, cum illa per se, & hæc per accidens indicetur; & hæc, adhuc viribus constantibus, sit plena periculis, illa verò non; sed tuta simul, & cita, quod est maximè petendum; præcipuè in nostro casu, in quo cum sit continens febris sine putredine non timemus impedimenta potus aquæ frigidæ, qoæ poterant obstare, *vt cap. sequenti demonstrat* Galenus. Iis tamen non obstantibus. Respondetur, esse quidem maxima febrium continentium remedia, venæ sectio, aut sanguinis detractio, & potus aquæ frigidæ: Verùm illa, ait Galenus nollo non tempore, modò vires sustineant; hæc cum & in pulsu, & vrinis concoctionis eoidentes cernuntur notæ, febris autem est maxima. Etsi enim potus aquæ frigidæ potens est vt venæ sectio & sanguinis detractio corpus totum refrigerare; non tamen est potens ipsum sanguinem redundantem educere, neque plenitudinis obstructiones reserare, vt venæ sectio; sed imò tales auget obstructiones, & alias quascumque sua frigiditate immoderata: quare in continentibus febribus, si vires constant sanguinis detractio præfertur, quia in eis emitti abundantia indicatur, & calor attemperari, quæ duo solùm detractione sanguinis, vsque ad animi defectum consequitur, vt latiùs infrà videbitur.

TEXTVS.

Verùm quo narrationem omnem absoluam nihil malè erit, &c.

VIdimus Textu soperiori, quod Galenus 35
fecerit ad extinguendam derepentè febrem summam continentem, siue ad extinguendum æstum intolerabilem febris continentis; scilicet de industria secta vena sanguinem detraxisse vsque ad animi defectum: nunc ergo narrat quod post illam extremam sanguinis euacuationem egit. Inquit igitur: post duas à sangoinis missione horas, pauco nutrimento dato ac iusso quiescere decessi. Post sanguinis tantam euacuationem necessàrio pauco nutrimento dato debuit Galenus ægrum recreare; ac vires reficere: nam omni euacuationi est annexus casus virtutis, sed potissimùm sanguinis vacuationi; quia sanguis est vitæ thesaurus, atque virtutum vitalium, quas potissimùm vires vocamus. Sed cur post duas horas à sanguinis missione, & non anteà nutriuit Galenus? Respondetur quod tempus aliquod debet interponi inter venæ sectionem & alimentum, ne venæ ioanitæ tunc alimentum ex ventriculo ad se trahant, sed alium sanguinem relictum in aliis partibus: non tamen semper duas horas à sanguinis missione alimentum distare debet, sed aliquando magis, aliquando minùs, *vt 4. de sanit. tuen. cap. vlt.* docet Galenus. Hic autem post duas horas à sanguinis missione ægrum nutriuit, & quidem parum, quia sanguinis detractio fuit extrema; quæque totum corpus atque natiuum calorem actu refrigerauit: quare ante cibum necessariò debuit calor natiuus actuari de nouo, ac roborati genitis spiritibus nouis vitalibus sufficientibus ad sui roborationem, & ad concoctionem alimenti assumendi, & ad eius distribotionem, vnde cautè dicit pauco alimento dato iussoque quiescere decessi, ad coctionem enim requiritur quies, præsertim cum vires sunt debiles vt nunc.

His sic dispositis, horâ quintâ reuersus 40
Galenus ad inuisendum ægrum, tam profundo somno eum dormientem inueni, ait, vt tangentem me prorsùs non sentiret; & ministri adeò illi altum somnum fuisse dicebant, vt ne cum madores eius abstergerent expergisceretur: suasit ergo ita facerent intelligens inde esse iam hominem prorsùs à

febre

febre liberum. Quia enim ait Hippocrates vbi motus laborem facit, quies laſſitudinem ſedat poſt illam copioſiſſimam & per conſequens laborioſam ſanguinis euacuationem, & poſt ſumptum alimentum, ſomnus & quies erant neceſſaria ad coctionem ſimul & vires reficiendas, nam etiam per ſomnum perficiuntur coctiones, & per coctiones & ſomnum vires teſtaurantur: quare dormire tunc rectè permiſit atque ſuaſit; & quidem multùm, quia profundo ſomno ſudabat, non ſcilicet, ex oppreſſione naturæ, aut aliqua cataphora, ſed quia iam febre liberatus erat æger, tuneque profundo ſomno dormiens, & alimenta perfectè concoquebat, & excrementa corporis, atque reliquias febris per ſudores expurgabat; ita autem profundo ſomno atque longo dormiuit, vt reuerſus Galenus decimâ rurſus horâ, etiam dormientem tunc inuenerit: quare egreſſus, ait, iterum ad alios viſendos ægros. Reddo horâ primâ noctis, non tamen vt anteà tacens, ſed voce de induſtria ſublata qua ægrum à ſomno excitarem; quod ita contingit, tuneque ſolo ptiſanæ cremore ipſum nutrini, & ab:j: cmus modo poſtero die augens tertio lauatum dimiſi. Ac quæ ad hunc pertinebant infirmum; ita ſunt geſta. Perpende diligenter ait hic Lemoſius, diligentiam Galeni in ſuis ægrotis inuiſendis; qui etiam pernoctans vt non raro faciebat, tet ſequenti die iuuenem illum inuiſit. Sed cur per totum ferè diem illum dormire permiſit? Quia poſt laborioſam euacuationem ſanguinis laborantem nutriuit: Etſi nutrimentum paucum dedit, quia vires ex euacuatione fuerunt deiectæ, & quidem vſque ad animi defectum indigebant longo ſomno, atque quiete vt ſic & alimentum perfectè concoquerent, & ipſæ competenter reſtaurarentur. Quia verò ſomnus atque vigilia vtraque ſi modum excedant eſt malum; ideò horâ primâ noctis ægrum à ſomno ex induſtria excitauit, ſcilicet ne deinceps læderet; atque vt iterùm cibum daret, ſcilicet ptiſanam, vt quæ nutrit ſimul & refrigerat; cuius modum, ſine quantitatem poſtero die, id eſt ſecundo poſt ſanguinis miſſionem auxit, quia ptiſana parùm nutrit, & ideò tempore conualeſcentiæ eius modum debet augeri ſi vires valent.

TEXTVS.

Quæ verò ad alterum nunc dicam. Is cum totùm diem multum laboraret, &c.

41 HÆc eſt tertia capitis pars; in qua Galenus exemplo alterius iuuenis ſynocham cum putredine, ſiue febrem ſanguinis putreſcentis, curare nos docet: Is ergo ait Galenus cum toto die multùm laboraſſet, & poſteà lauatus paucula comediſſet cœpit noctè febricitare, totum etiam continuans ſequentem diem. Labor immoderatus, corpus excalfacit præter naturam ſi quod aliud: labor tamen neque inediæ cum ſint ſolùm cauſæ externæ, ſolùm ex ſe valent febrem diariam producere, vt in ſuperioribus non ſemel eſt demonſtratum: quare & nunc ſeruus iſte qui per integrum diem multùm laborauit ſine cibo, quamuis poſteà lauatus paucula comediſſet potuit inde febricitare; nam longè plùs nos calfacit labor multus, quàm vel lotio vel paucus cibus poſſunt refrigetare; imò paucus cibus vt inedia multos in febrem accendit; non tamen inde ſolùm potuit febre ſynocha cum putredine aſſici: ſed quia ſanguis ex labore dicto accenſus, & inedia, erat in ſe vitioſus, & vt ait Galenus 4. *de ratione vict. comm.* 115. & 1. *de hum. com.* 11. propè confectus ad putredinem; quo caſu ſi quod extrinſecum contingit, affectionem illam apertam facit, & magnam: nunc ergo quia ſanguis huius adoleſcentis erat in ſe ad putreſcendum ita paratus, vt penpè confectam iam in ſe putredinem haberet; ideircò cum is, qui ad hanc morboſam affectionem ita paratus erat toto die multum laboraſſet, & paucula comediſſet, inde non ſolùm in febrem incidit ſanguinis, ſed in ſynocham cum putredine: quamuis neque labor ille neque defectus alimenti, neque alia cauſa externa ex ſe febrem putridam generarunt, ſed ſolùm latentem eam in corpore apertam fecerunt: Vnde ſtatim proſequitur Galenus dicens. Hunc nos poſt ſecundam noctem vidimus, in cæteris quidem omnibus anteà dicto iuueni ſimiliter affectum; verùm putreſcentium humorum euidentes præbentem notas.

Itaque ad videndum hunc ſeruum non fuit vocatus Galenus primo die morbi, ſicut anteà vocarunt ipſum ad liberum, ſed poſt ſecundam noctem, quo tempore æger iam non ſolùm laborabat febre continente, vt prior, ſed continente cum putredine, propter rationes dictas; nam putreſcentium humorum, ait, euidentes habebat notas calorem dico, acrem, & mordacem ad tactum, pulſum inæqualem, ſiue in contractionem magis celerem, quàm in dilatationem vrinam rubram, & craſſam, & quidem non parum, vt ſynochus ſine putredine; ſed plùs quàm mediocres craſſas & rubras, ob vigentem ſanguinis fluxionem, agitationem, atque turbationem, ortas, ex ipſius ſanguinis feruore valido, atque putrefactione; Vrinæ enim craſſities, atque flauities, aut rubedo, vigentis fluxionis, & ſanguinis feruoris, aut putredinis ſunt notæ, vt patet, in febribus malignis, in quibus vrinæ ſubiugales apparent, id eſt, non totùm craſſæ, ſed conturbatę, quia putredo eſt maior quàm in aliis putridis ordinariis: in continentibus autem putridis, vel aliis, quæ malignæ non ſunt, neque vrinæ ſunt ſubiugales, nempè craſſæ, turbatę, ac decoloręs, vt 42

vt lixiuium, ſed craſſæ tantùm & rubræ vel flaueſcentes ob vigentem æſtum ſanguinis, & ebullitionem, quapropter hîc quoque ait, Galenus vena protinùs inciſa vſque ad animi defectum vacuari: & benè quidem; *nam vt lib de ſang. miſ.* ex Hippocrate ait Galenus quæcumque præſentibus iam morbis rectè faceremus meliùs eſt vt incipientibus ipſis vel iam imminentibus ante vertendo faciamus; atque proinde ſi in continentibus febribus ſine putredine, ne in putridas tranſeant, ſtatim eſt ſanguis mittendus, vt anteà vidimus; pariter in continentibus putridis incipientibus ſanguis eſt mittendus, vt ſic protinùs extinguatur putredo incipiens antequam conſummata incurabilis fiat: non enim putredo facta emendatur, quia de priuatione ad habitum non datur regreſſus: quare putredo incipiens, vt quæ imminet, ſtatim ſunt curandæ.

43 Poſt ſanguinis miſſionem dictam vſque ad animi defectum idoneo interpoſito ſpatio, cibaui, inquit Galenus laborantem, primum mulſa; deinde vna interpoſita hora ptiſanæ cremore, quæ omnia, intra quintam acta ſunt horam. Cibauit autem ægrum Galenus primùm mulſa, quia multùm detergit, & putrida excrementa purgat per ſedem ſimul, & vrinam, poſteà, & ptiſanam præbuit, quia refrigerat ſatis efficaciter cum moderata abſterſione: vnde mulſa adhibita, ſimul cum ptiſſana non ſolùm ægrum nutrire voluit Galenus ſed & omnes eius adimplere indicationes curatiuas, ſcilicet nutriendi, purgandi materias putridas, & temperandi calorem, vel æſtum febricitantis: quamquàm neque his neque dicta ſanguinis miſſione, vſque ad animi defectum facta, potuit Galenus febrem extinguere, vt ſuprà, ſed ſimilis ſibi perſeuerabat. Cum autem, ait Galenus ſimili ſibi perſeueraret febris, ſynocham eam fore ex putredine expectauimus, atque accidit: Quippè cum eam ſecundâ noctis horâ, pari magnitudine cerneremus, tertia die acceſſio an futura eſſet, an ſecùs, diligenter obſeruare volebamus, cuius in ſeptima hora noctis ſuſpicio erat. Itaque cum ſummo manè ſuperueniſſet ſcilicet tertio die, inueni quod expectaram, nam neque tertiana inciderat acceſſio; febriſque remiſſior paulò quàm veſperi fuerat, apparuit. Vt autem rurſùs hominem meridie vidi, iam certiſſimum erat, & febrem decreuiſſe, & ſynocham eſſe, ſed quæ aſſiduè decreſceret: Vnde ſatiùs viſum eſt tunc quoque hominem ſimiliter nutrire. Quarta verò exacta nocte, manifeſtè minor, etiam quarto die erat: quo rurſùs quoque ad eundem modum, homine cibato, aduertimus tum illo die toto, tum quæ hunc ſequuta eſt, quinta nocte magnitudinem remittere, ſic vt quinto die liquido planè apparet minor eſſe febris, quàm antè. Itaque ad proportionẽ minuentis ſe febris, vrinæ quoque concoctio proceſſerat, eratque haud obſcurum ſeptimo die (id quod factum eſt) finiendum.

Hîc ſeſe offerunt duo examinanda dubia, 44
vt penitùs doctrina Galeni intelligatur, & ſucceſſus diuerſitas: dubitatur ergo primò cur ſanguine miſſo vſque ad animi defectum in iſto ſeruo febris non ceſſauit, vt in libero antecedenti, ſiquidem ambo febre ſynocha, aut continenti ex ſanguinis multa abundantia laborabant? Secundò dubitatur, cur in dicto ſeruo, perſeuerante febre ſynocha, & putrida, poſt ſanguinis dictam euacuationem, iterùm aut pluries, vt nos facimus, Galenus ſanguinem non miſit, neque aliam remediorum adminiſtrationem docuit ad extinguendam febrem relictam eiuſque putredinem? Quod ad primum dubium, videtur reſpondendum, ex ipſo textu, quia alter laborabat ſynocha febre ſine putredine, & alter cum putredine: quæ enim febris ſynocha eſt ſine putredine, licèt fiat ex ſanguinis multa redundantia, ac æſtu maximo, extinguitur ſanguine miſſo vſque ad animi defectum, quia ſic non ſolùm dicta ſanguinis multa quantitas euacuatur, ſed & obſtructiones inde ortæ, ſi quæ erant, reſerantur; quæ autem ſynocha eſt cum putredine nedum ſanguine miſſo vſque ad animi defectum extinguitur, quia in ea, etſi euacuatur ſanguis redundans, obſtructiones tamen ſic non diluuntur, quia obſtructiones in putridis febribus ſunt maiores, aut peiores, quàm in non putridis: Vnde quia liber ſynocha laborauit ſine putredine per ſanguinis miſſionem illam, liberatus in totum fuit à febre: ſeruus verò, quia ſynocha cum putredine laborauit, neque ſanguine miſſo vſque animi defectum, potuit a febre liberari, ſed perſeuerauit febris vſque ad ſeptimum, quia vſque ad illum diem perſeuerarunt obſtructiones, & putredo.

Hæc ſanè videntur à prima facie ita ſe 45
habere; ſi tamen magis ſpeculantur, dubio non ſatisfaciunt: nam ſi ſynocha febris putrida dependet ab obſtructionibus, ex redundante ſanguine ortis, non aliter, atque ſynocha ſine putredine: ſicut iſta, ſanguine miſſo vſque ad animi defectum extinguitur, & putrida debet extingui: quia ſynocha febris ſine putredine, dum talis eſt laborat non ſolùm ſanguinis redundantia, ſed & obſtructionibus inde ortis, vt textum legenti eſt notum, *& cap. ſequenti* latè videbitur; & conſequenter ſi ſynocha ſine putredine extinguitur ſanguine miſſo vſque ad animi defectum, id contingit, quia vacuatione illa non ſolùm plenitudo ſanguinis educitur, ſed & obſtructiones inde ortæ reſerantur; nam bonum ex integra cauſa, & malum ex quocumque defectu: quare etiam in ſynochis febribus cum putredine per ſanguinis miſſionẽ euacuabitur ſanguis peccans & obſtructiones inde dependentes, & per conſequens in his etiam ſanguine miſſo vſque ad animi defectũ, obſtructiones ex redundante ſanguine ortæ ita diluentur, vt & febris extinguatur; vel ſi remanet, vt in noſtro caſu, erit quia nedum ſanguine miſſo vſque ad animi defectum tota ſanguinis redundantia fuit educta, ſed

adhuc

adhuc tanta restabit in corpore, quanta opus est vt febris & putredo seruentur. His adde Galenum in synochis cum putredine si vires adsint administrare, vt visum est, talem sanguinis missionem, vt in aliis sine putredine; ergo quia sperat in vtrisque parem fructum, siue extinctionem ipsius febris, & per consequens ablationum redundantiæ simul & obstructionum; cum aliter febris non extinguitur.

46 Hæc quidem cum sic se habeant: cumque ex textu constet notabilis diuersitas, quæ contingit in prima sanguinis missione, vsque ad animi defectum, ex qua febris derepentè extincta est; non verò in alia secunda postquàm febris perseuerauit: ex his dicendum colligitur, atque conuincitur: in seruo sanguinis missionem, vsque ad animi defectum non extinxisse febrem, vt in libero, quia ex illa, vt in libero, non fuit sanguis liquatus, neque secessit à foco, vel à se ipso, vt suprà dicebamus ex Hipp. 1. *de morb.* 117. si ergo in libero sanguine misso, vsque ad animi defectum febris extincta penitus fuit, hoc ideò ita contingit, quia sanguis feruidus febrisque causa per illam largam sanguinis euacuationem, & per dictum animi defectum, fusus est, liquatusue, vt ait Hipp. & quidem non vtcumque sed taliter, quod eius mixtio deperdita, partes à se ipsis abscederent, vti à foco, vbi mixtæ inter se & vnitæ obstruebant & febrem causabant; non autem posteà liquatæ & à foco febris, atque à se ipsis abscedentes, sic enim liquatæ, atque ab vnione solutæ non obstruunt, neque quiescunt, sed fluunt potiùs liquidæ factæ vnde vomitus succedunt, alui deiectiones, sudores, aut similes euacuationes, vt in primo casu & dicto iuuene libero narrat Gal. euenisse; & pariter si in seruo sanguine misso vsque ad animi defectum febris non fuit extincta, sed posteà perseuerauit per plures dies: hoc ideò ita accidit, quia neque per sanguinis missionem illam, neque per illum animi defectum causa febris fusa fuit, sed vt anteà permansit concreta & continua & quidem in tanta copia, vt & obstructio, & putredo, & febris conseruarentur, vsque ad septimum, vel vsquequo à natura per coctionem separata fuit, ac tenuis facta: Vnde in hoc seruo post animi defectum, neque sudores superuenerunt, neque euomitus, aut alui deiectiones, vt in libero; sed vt ait textus, ad portionem minuentis se febris vrinæ quoque coctio processerat: id est ad instar præcedẽtis cõcoctionis vrinæ, febris diminuta fuit, quia vt suprà quoque dicebamus natura dũ cõcoquit quod vtile est cõgregat, quod verò inutile segregat, & secernit ab vtili, & foras expurgat sensibiliter, aut insensibiliter.

47 Iam ergo accedamus ad secũdũ dubiũ diluẽdum, quærebamus enim in eo cur Galenus in seruo synocha putrida laborãte sanguine misso vsque ad animi defectum statim secundo die, & febre non deficiente, sed post talẽ euacuationem magna perseuerante, vt erat anteà saltim vsque ad quintum diem, vt dicit textus sanguinem non emisit iterùm ad maiorem causæ morbificæ expulsionem, & vt sic febris extingueretur, vel saltim infringeretur, vsque ad sensibilem declinationem, & manifestã coctionem, vt nos nunc morbos curantes ferè semper facere solebamus? Respondere quis poterat facilè dicendo, ideò iterùm non misisse sanguinem Galenum, quia priùs miserat vsque ad animi defectum, siue ad virium exsolutionem; & ideò posteà vires deerant ad sanguinis missionem. Sed re verâ hæc ratio non satisfacit: nam etsi sanguine misso vsque ad animi defectum, vires labuntur, & quidem multum, sed tamen citò restaurantur; scilicet inter diem & noctem vt docet Hipp. 1. *prognos. sent.* 4. & Gal. *in com.* sanguinis enim missio, licèt sit vsque ad animi defectum, & sic vires deiiciat si tamen est à causa externa facta, vt in nostro casu, citò reficitur eius lapsus repentinus; scilicet inter diem & noctem, quia causa externa malum longiùs quàm per diem & noctem producere nequit vt Gal. *ait in comm.* Præterea 2. *aph. comm.* 7. sic habet. Quæ pauco tempore extenuantur corpora ob humorum & spirituum euacuationem, non ex solidorum colliquatione id perpessa sunt. & paulò inferiùs. In quibus soli humores & spiritus sunt euacuati, in iis celerrimè cumularè, & affatim licet reficere cum fiduciam nobis præstet solidarum partium robur. Tandem, neque vires debiles factæ ex euacuatione impediunt semper sanguinis missionem vt in fluxionibus sanguinis præter naturam quotidie experimur, nisi debiles sint in extremo, vt cum æger ex euacuatione redditur cadauericus, aut facie Hippocratica affectus, & pulsus parui ac languidi simul sunt redditi; quorum neutrum in nostro casu supponitur; neque in continentibus, aut plethoricis, potest accidere ex sanguinis missione vsque ad animi defectum facta, vt notat Galenus 1. *prognos. comm.* 4. citato videantur ibi dicta.

Cum igitur in nostro seruo laborante fe- 48
bre synocha cum putredine post sanguinis missionem vsque ad animi defectum factam, febris continens permaneret, & vires postridie non deessent ad nouam sanguinis missionem tolerandam, saltim moderatam: aut paruam: consequenter sequitur quod si tunc Galenus iterùm venam non seccanit, vt non secuit, ideò ita fecit, quia credidit, atque cognouit corpus laborantis esse satis euacuatum, & pro ratione plenitudinis, per factam sanguinis missionem vsque ad animi defectum: etsi enim post factam talem sanguinis euacuationem febris permansit in eadem intensione ac erat anteà, quia tamen in dies non augebatur, sed similis perseuerabat, vel aliquod decrescebat licèt valde parum: ex iis sufficienter esse iam vacuatum ægrum cognouit Gal. & quod maior pars multitudinis, erat dimissa; & quod natura poterat superare reliquum quod restabat concoquendum ac resoluendum vel aliter purgandum: non enim, vt nos hodie communiter facimus, antiqui illi magni Medici quotidie

ægros vacuabant, neque quolibet morbi tempore sed solùm in principio morbi, imò solum in primis morbi diebus, vt intra tertium, vel quartum, & non posteà, nisi anteà non essent vocati ad curandum ægrotantem: Galenus ergo & Hippocrates & alij eis similes Medici antiqui accersiti ad inuisendos laborantes morbis acutis, statim ac deposita erant impedimenta, vacuabant illos pro multitudinis ratione, sæpè sanguinis missione rarò purgatione; scilicet semel aut bis tantùm adhibitis, quo minorem sic factam materiam, ait Galenus 2. *aph. com.* 29. faciliùs natura possit concoquere: nam ad id, atque ob id ait Hipp. cùm morbi inchoant, si quod videtur mouendum moue, cum verò consistunt ac vigent melius est quiescere. quia tunc debent concoqui à natura, atque euinci; cum autem natura morbum concoquit, aut criticat Medicus quiescere debet, nedum cibum dare, nisi tenuissimum, quodque non diuertat naturam rectè operantem: vnde dicti antiqui Medicinæ Patres, post dictam vacuationem materiæ redundantis statim in principiis morborum acutorum factam, reliquam curationem sola victus ratione; & quidem tenui, aut tenuissima, vt morbus postulabat, & natura laborantis, anni tempus, ætas, & similia complebant: & benè quidem; quia vt ait Fernelius celeberrimus, quibus recta viuendi ratio sanat, frustra Medicina fatigat: & consequenter qui in morbis fuerunt statim in principio vacuati pro multitudinis ratione, & adhuc si in totum plenitudo non sit euacuata, frustrà posteà repetitis vacuationibus fatigantur, quia tunc eos recta victus ratio placida, atque iucunda potest eos persanare: victus enim tenuis in morbis acutis post factam dictam euacuationem administratus, vt ab antiquis dabatur, non solùm vires seruat & ad concoquendam materiam morbi relictam roborat, sed & ipsam materiam temperat, attenuat & in dies minuit ita vt intra paucos dies iam victa, & superata talis materia à natura sensibiliter appareat per manifesta signa coctionis, & parum post in totum consumpta, aut per crisim expurgata. & sic morbus facilè, placidè; integrè, ac feliciter curatus.

Sed prob dolor! si hæc ita sunt, cur & nos
49 ita curamus! Cur nos nunc repetitis sanguinis missionibus, per totum morbi decursum, imò & clysteribus, & cucurbitulis, & vexicatoriis, & aliis asperis mediis ægrotantes fatigamus, atque cruciamus? Respondeo breuiter, & verè quia in principiis morborum & cum inchoant, vt ait Hippocrates parum vacuamus, & multo minùs quàm fieri debet, & quia nunquam tenuem victum præscribimus ægrotis, sed plenum; vel ad summum mediocrem, cum tenuissimum dare debebamus. Non enim nos sumus Medici, qui accedentes ad febricitantes vel aliis morbis acutis, valdéque calidis laborantes, statim sanguinem educimus ad duas, tres, vel quatuor, libras sanguinis etiamsi febris sit synocha, aut magna interna inflammatio, aut istius modi aliud; & licèt corpus sit plethuricum, vel multitudine sanguinis, atque humorum laboret; petatque talem euacuationem semel factam, sed ad summum, si res multum vrgere videtur, manè primo die sanguis mittitur vsque ad librã vnam statim prandiũ præscribitur, ex iusculo, pane, ouis, aut similibus, vespere iteratur sanguinis missio, quam statim sequitur cena vti prandiũ potiùs plena, quàm tenuis, neque tenuissima, vt esse debebat. Quibus sic peractis, si secundo die morbus perseuerat imposito clystere iterabitur sanguinis missio, aut sumpto aliquo attemperante alimento, ne ex sanguinis missione aliqua citetur bilis portio ad ventriculum, vel aliter vires aliqua ratione excoluantur, quibus succedent prandiũ, ac cœna vt in die externo, & vespere si vrgeat capitis dolor, aut quid simile cucurbitulæ dorso, ac cruribus affigentur, aut frictiones fortes, & inũctiones aut similia: rursùs tertio, quarto & aliis sequẽtibus diebus, si morbus perseuerat, & vires, iteratur sanguinis missio saltim ad ℥viij. aut plùs, vel minùs, & victus ratio continua, quoad sic aut morbus minuatur valde, coctionesque manifestæ appareãt, atque perseuerẽt, aut viribus deficiẽtibus cesset cõsẽtiẽs ad vlteriorẽ sanguinis missionẽ. Hæcque est nostra omniũ communis morborũ accutorũ, atque maiorũ curãdi ratio, nũc in hac nostra regione: & quidẽ quãuis omninò bona nõ sit, suppositis tamẽ duobus dictis peccatis, scilicet, & quod parum vacuamus in principio, & quod tenuẽ dictã nũquã damus, quia ægri, atque ministri, eã omninò renuũt, fit necessaria, ne laborãtes citò suffocentur: si enim benè ait Hipp. 2. *aph.* 22. quos morbos parit repletio curat euacuatio, & in antecedẽte 17. vbi cibus præter naturam plùs ingestus est morbũ facit, ostendit autẽ sanatio: sequitur cõsequenter, vt qui sic præter naturã plùs cibi ingerunt quotidie, si quotidie nõ vacuãtur, statim suffocati pereunt, potissimũ si aliàs ex plenitudine laborẽt nõ satis euacuata: Quare lõgè meliùs multò Hipp. & Gal. tales morbos curarunt, & nobis curãdos docuerũt, per statim factas largas euacuationes, pro ratione multitudinis, & per tenuem diætam, potissimùm in statu, & cum concoctio agitur causæ morbificæ, quæ sit vacuata plenitudine, nam quidquid grauat impedit naturæ coctionem; quare concoquit sublato impedimento.

Quod autem Gal. sua diæta post sanguinis 50
missionem vsque ad animi defectum potuerit reliquam curationẽ febris serui illius curare, & benè quidem, sine alio magno auxilio, neque noua alia euacuatione; apparet liquido si textum iterùm attentè legimus: sic ergo habet Galenus nam quæ multùm ad artem pertinent neque Hipp. veretur repetere. Itaque vena quoque huic protinus incisa vsque ad animi defectum vacuauimus. Post id idoneo interposito spatio cibauimus, primùm mulsa, deinde vnã interpositã horã ptisanæ cremore; atque hæc omnia intra quintam horã acta sunt; tempus enim dandi cibum, tum in iis febribus, & casibus, tum in aliis est in quo ægri morbũ meliùs tolerãt, quod vt plurimũ est tempus matutinum; potissimũ in iis synochis,

in quibus nullæ dantur accessiones, neque remissiones: hunc ergo nos, ait post secundã noctem vidimus, nẽpe manè secũdo die, cui protinus sanguine emisso, vt dictum est, etiã intra quintã horam cibum dedimus, primũ mulsam, deinde vnâ interposita horâ ptisanæ cremorem, scilicet, quasi horâ decimâ ante meridiẽ. Cum autem iis sic positis similis sibi perseueraret febris, eamque secunda noctis sequentis horâ pari magnitudine cerneremus tertiæ diei accessionem futurane esset, an secùs, diligenter obseruare volebamus, cuius in septimam horã noctis suspicio erat, id est post mediam noctem: itaque cum summo manè superuenissem, scilicet die tertio inueni quod expectaram; nam neque tertiana inciderat accessio, febrisque remissior paulò, quàm vesperi fuerat apparuit. Rursùs meridie hominem vidi, eratque iam certissimum & febrem decreuisse, & synochã esse, sed quæ decresceret: Vnde satiùs visum est, ait, tum quoque hominem similiter nutrire: id est satiùs visum esse hominẽ nutrire tenui diæta solùm, vt die antecedenti, & neque sanguinis missionẽ, neque aliã vacuationem mollire; etsi ratione temporis poterat fieri, quia erat dies tertius manè, & vires non deficiebant, saltim ad moderatã sanguinis euacuationẽ, deerat tamen postulans, verùm quia etsi febris synocha putris perseuerabat post factam sanguinis vacuationem extremam, erat iam sic sufficiẽter euacuatus, cum tunc febris, etsi parum, iam decresceret; solúmque indigebat tenui diæta dicta, scilicet tenuissima, ex sola mulsa, ac ptisana qua citra vllam aliquam nouam repletionẽ, sed tenuiter nutritus æger vires seruarentur, liberæ, atque expeditæ, ad morbũ statim concoquendũ, atque in totum expurgandum. Cibus enim ait Hipp. sano quidem robur, ægrotanti morbus, & Gal. victus quantùm viribus prodest, tantùm, vel ampliùs morbis nocet; quia impura corpora, vt ægrotantia sunt, quantùm magis nutries, tantùm magis lædes, non enim tunc coquuntur alimenta, sed corrũpuntur à morbo, nisi paucissima sumantur, quæ sufficiant, vt sunt dicta in nostro casu, & similibus aliis: sic ergo tenuissimè nutritus æger post extremam dictam sanguinis euacuationẽ: non solùm vires deuictæ ex euacuatione sufficienter roboratæ sunt, sed & ita validæ contra morbum pugnarunt, vt quarta nocte, & die sequentibus manifestè febris fieret minor; & pariter quarto die ad eundẽ modum homine cibato aduertimus, ait, tũ illo die toto, tum quæ huic secuta est quinta nocte magnitudinem remittere, sic vt quinto die liquido planè appareret minor esse febris quàm anteà: Itaque ad portionem minuentis se febris, vrinæ quoque concoctio præcesserat: id est, eo victu tenui æger cibabatur, quo in dies morbus decrescebat, & simul vires vigebant aduersùs ipsum, & aduersùs cruditatem causæ illius: nam ideò vrinæ quoque concoctio in dies procedebat, & perficiebatur: eratque haud obscurum septimo die (vt factũ est) febrem esse finiendam: vnde iuxta hunc textum, & rei veritatem, in morbis acutis ea tenuis diæta præscribenda, atque exhibenda est, qua post factam statim in principio morbi sufficientem euacuationẽ causæ morbificę, sine alio adminiculo ipsa sola sit potens morbum in dies, & continuò diminuere, & parum post integrè demolire, scilicet leuata sic natura ab eo quo veluti sarcina premebatur, & excitata ad eius coctionem, & consequenter si nos velimus deinceps, ægrotantes ferè omnes, citiùs, tutiùs, atque iucunde curare, statim incipientibus morbis acutis, scilicet intra primos, duos, aut tres dies, ipsos sufficienter euacuemus pro ratione morbi, atque corporis plenitudine, & posteà solum tenui diæta, aut tenuissima ægrotantes nutriamus, quo magis ferri possit vt solo iure refrigerante & parum nutriente semel in die exhibito vsque ad septimum, vt docet Gal. vel sorbitione ad summum aliqua, ex iure, ptisana, aut cucurbita, aut re simili, demptis carnibus omnibus, ouis, vino, nisi admodum diluto, & similibus, quæ nutriunt multũ, vires opprimunt, & viscera inflamãt, & sic placidè & citò ferè sẽper curabimus, vel saltim in dies minuemus.

TEXTVS.

Hanc igitur planè continentẽ ex humórum putredine febrem, (et) quæ &c.

IN hac quarta & vltima cap. parte demonstraturus Gal. quæ sanguinis missio conueniat febribus synochis aduertit tria. primum est, quod febres synochæ possunt esse tripliciter diuersæ, scilicet, vel decrescentes, vt de quibus modò est actum, vel augescentes, vel semper eundem tenorem seruantes, de quibus iam superiori cap. egerat, & nos cum illo, ideóque nos ampliùs hic agimus. Secundum est, quod febres synochæ putres aliæ statim in primo die possunt habere notas putredinis, aliæ in tertio, vel ad summum in quarto, rursùs aduertit hic, quod febres, quæ tertio aut quarto die putrescere incipiunt, aut notas putredinis tunc primum ostendunt possunt ita fieri, non solùm à se ipsis, aut ex humorum ad putrescendum dispositione, verùm etiam propter medicorum inscitiam, siue ignorantiam, qui sanguinem in talibus febribus, ac casibus non miserunt, aut propter ipsorum laborantium timiditatem, qui vt tales sanguinem mittere recusarunt. Siquidem eorum, ait Galenus qui ex sola obstructione febricitarunt, id est ex obstructione, ex sola plenitudine orta, nemo in putredinis febrem incidit, qui priùs sanguinem miserat: vnde constat quanta sit eius efficacia in iis casibus. 51

Iis sic notatis, atque suppositis demonstrat quæ sanguine misso fieri debeat in febribus synochis: scribit igitur sic. Quem (de sanguine loquitur) vbi valida virtus subest, & ætas permittit, vsque ad animi defectum mittere expedit: Vbi verò alterum istorum non satis respondet, tutius est quantùm satis visum fuerit, tantùm principio detrahere; quod deficit iteratione supplere. Quasi dicat ita sanguinis euacuatio in febribus continentibus omni- 52

bus est vtilis, ac necessaria, vt si valida virtus sit, & ætas permittit sanguinem vsque ad animi defectum mittere expediat. Si verò vires, aut ætas, hanc sanguinis euacuationem ferrè nequeant, tutius erit, quantùm satis visum fuerit, id est quantùm siue animi defectum ferre poterunt, tantùm principio detrahere, & posteà, quod defuit iteratione supplere. Quasi adhuc clariùs dixisset in curatione febrium continentium non solùm indicatur sanguinis missio, sed quæ est maxima aut extrema vsque ad animi defectum, propter rationes dictas in secunda parte capitis: quare si in iis febribus, virtus & ætas validæ sint vsque ad animi defectum expedit sanguinem mittere; vt sic scilicet, si fieri potest, nõ solùm quod abundat in corpore educatur, sed & æstus, aut incendium febris protinùs ex animi defectu extinguatur. Si verò aut virtus, aut ætas, non sint sufficientes ad talem euacuationem tutò faciendam, tunc tutius est talem maximam sanguinis euacuationem partire in duas vices, & prima vice quantùm satis visum fuerit, & vires, atque ætas sine defectu notabili poterunt ferre, tantùm principio detrahere, posteàque debito interposito, spatio, vt vires recreentur, quod deficit iterata vacuatione supplere: sic enim animi defectus ex extrema euacuatione semel facta vitabitur, non tamen extrema sanguinis missio, quæ in continentibus indicatur, & necessaria est statim in principio ad earum rationalem, ac debitam curationem faciendam. Etenim, ait Galenus, hoc præsidio omisso, qui ita febricitant, in summum discrimen veniunt: nisi eos vel virium robur, vel largum sanguinis profluuium, vel sudor copiosus ex manifesta pernicie eripiat, id est ex manifesto periculo suffocationis.

53 Qui enim synochis febribus tentantur, & sanguinis plenitudine laborant, & corporis stipatione, ac venarum obstructionibus ex repletione, quod inde immineat præsentaneum periculum, non tantùm putredinis humorum, sed quod longè priùs est, vel syncopis, vel suffocationis, aut mortis repentinæ, vt sæpè experientia docuit. Et tamen nonnulli ex Medicis sunt, ait, qui tametsi manifestissimè vident naturam sanguinis profluuio, in multum larga vacuatione non paucos eorum qui sic periclitantur, seruare: tamen sanguinis missionem fugiunt, nullam neque experientiam, neque veram rationem secuti. Hæc sunt notanda maximè; nam tametsi iis nostris temporibus sanguinis missionem nos non fugimus in iis casibus, sed statim admittimus, atque ministramus; non tamen in quantitate debita, sed longè minori quàm docent Gal. & experientia: & ideò fit quod etiã multi eorũ, qui à nobis sic curantur statim pereant inspectata occasione ob dictam suffocationem, aut vasorum interruptionem siue repletionem, quæ reserari debebat larga vacuatione statim facta, antequam vires succumberent à plenitudine victæ, & vasa in totum replerentur. Cæterùm hos mittamus, concludit Galenus, quia contra illos abundè disputatum *est lib. de sang. miss.* contra Erasistratum: & nos pariter, quia *sequenti cap.* de eadem re est ampliùs agendum.

Dubitationes super Textum.

Multæ dubitationes excitantur à Medicis ex iis quæ Gal. docet tum *hoc cap.* tum sequenti: quare & nos aliquas earum afferamus, scilicet, quæ magis ad rem præsentem pertinere videntur, vt ergo cap. superiori duo primum dubitauimus, nimirum an in febribus continentibus dentur quatuor tẽpora, & an febres ante statum possint declinare, ita in præsenti alia duo in primis diluemus dubia, nempè an febres continentes careant accessionibus? & an quæ semper decrescunt possint esse lethales? Quoad primum ergo pertinet: constat ex textu præsenti, quod Gal. spectauit attentè an in febribus propositis duorũ illorũ adolescentiũ darentur accessiones: quas cum non videret iudicauit inde febres esse continentes. & benè quidem, si benè supra diximus cum ipso Gal. & cũ aliis cõmuniter, quod febris cõtinẽs est illa, cuius ab initio vsque ad finẽ vnica est exacerbatio, aut febris generatio atque productio, nullã alterius exacerbationis significationẽ faciẽs: quare quod febres cõtinẽtes careant accessionibus, aut circuitibus, aut repetitionibus, videtur plusquàm certissimũ: Iis tamẽ non obstantibus Gal. *3. de cris. cap.* 4. contrariũ docere videtur: sic enim habet. *Synochi quidem rarò conueniunt, & vbi nullus fit error in quarto finiuntur per crisim natura propriis circuitibus ad crisim perueniente.* Iis quippè verbis Gal. indicat satis clarè quod in febribus continentibus dantur accessiones seu febris repetitiones, quia circuitus in febribus est reditus ad idem: quare circuitus, accessio, & repetitio in febribus sunt idem; nam tunc datur accessio in febribus, cum febris, quæ præcessit iterùm repetit, id est de nouo incipit, & augetur vt anteà fecerat; & per consequens reddit ad idem, siue repetit, quod priùs fuit. Respondetur ergo quod febres synochæ, siue continentes, non habent accessiones, neque possunt repetere, quia fiunt ex sanguine, aut massa sanguinaria, in vasis omnibus contenta, atque tota massa coniuncta, siue vnita existente: in quibus casibus nulla febris repetitio dari potest; nam quæ repetunt, ex Gal. repetunt quando fluit humor ex aliis partibus ad locum siue ad determinatam partem particularẽ recipientem quod in synochis nequit esse cum non detur particularis pars quæ recipere de nouo possit cum omnia vasa sint iam plena imò & repleta: Neque ex Hippocrate possunt accessiones habere febres continentes, cũ fiant à sanguine ex quatuor humoribus cõmixto, sine alicuius secretione: quo casu, ait Hipp. *4. de morbis* nulla potest dari accessio febris neque repletio, & similia, quia hæc tunc solùm fiunt cum tubatione humorum, & aliquid secernitur ab aliorum commercio, & separatus, febrem facit, aut rigorem, & similia quæ dantur in accessionibus. Vnde si Gal. *3. de cris. cap.* 4. febres synochas circuitus habere dixit, intelligendus est de circuitibus qui in Medici 54

notitiam

notitiam non veniunt, vt ſupra dicebamus de pulſibus inæqualibus: ſic enim ſe ipſum Galenus *explicat 3. de diebus decret. cap.* 8. vbi febrem ſanguinis obſcuros circuitus habere dicit; id eſt qui Medici ſenſum fugiunt.

55 Iam ergo dubium ſecundum diluendum accedamus, quod erat an febres ſemper decreſcentes poſſint interficere laborantes? Videtur enim quod non; nam febris, quæ ſemper decreſcit, ſemper fit minor; ergo vt minor ſemper fit, minùs corpus offendit, & conſequenter, ſi anteà erat maior, & non potuit interimere laborantem, minùs poterit poſteà minorata, & continuò minor facta. Et confirmatur Galeni autoritate *ex 3. de criſ. cap. 9.* vbi ſic habet. Vbi morbi ſtatus preterierit, natura jam ſuperior euaſit; nullum autem metum mortis tunc aduenientis, excogitari poteſt; præterquàm ex errore, quod nunc non proponimus, ſed an morbi ratione in declinatione mori contingat. Reſpondetur tamen ex eodem Galeno illo in loco in declinatione propter virium imbecillitatem moriuntur quàm plurimi laborantes: & quamuis hoc ſolùm in declinationibus particularibus acceſſionum verificari doceat ibi, non vero in vniuerſali morborum declinatione, de qua nunc loquimur: nihilominùs, experientia demonſtrat multos morbos declinare, ſcilicet vniuerſali declinatione, ſeu poſt eorum augmentum, vel ſtatum, & tamen mori propter imbecillitatem, vt ipſe dicit, nam mors eſt omnimoda virium proſtratio: quare in quolibet morbi tempore hæc accidit moritur æger, *vt cap. 1. einſdem libri* teſtatur dicens; ſex ſunt in morbis mutationum differentiæ: vel enim ſubitò ad ſanitatem veniunt, vel ſubitò interimunt, vel paulatim horum vtrumque contingit, vel mixtim. Paulatim quidem, vel ſcilicet morbo decreſcente, vel ægri viribus debilitatis: mixtim vero, quando ſubita aliqua, ad melius, vel ad peius commutatio facta fuerit, deinceps verò vſque ad omnimodam ſolutionem, vel mortem reliquum tempus paulatim & languidè exceſſerit, *vt libro de febribus & de criſi* abundè dictum ſt.

56 Itaque cuiuſque morbi declinatio poteſt eſſe duplex, ſcilicet bona, aut mala, ſeu vt Galenus dicit, vera, vel falſa: bona declinatio, aut vera declinatio morbi à natura fit quando morbum ſuperat, aut euincit, atque eius cauſam, vel cauſas; mala autem, atque falſa morbi declinatio è contra fit à morbo, quando vel ſuperat, & vel ſuffocat, aut diſſipat ipſam naturam, in bona ergo declinatione, & quando morbus declinat, quia natura morbum ſuperat nullus æger moritur, niſi ſit ex errore, quia tunc, vt ait Galenus natura ſuperior euadit; in falſa autem declinatione, quæque à morbo fit moritur ægrotus; quia à morbo natura deuincitur, atque exſoluitur, vel ſuffocata, atque omninò oppreſſa à multa ſarcina, atque malignitate humorum, vel quia eius habitus, vel ſubſtantia concreta ſpargitur, atque diſſoluitur. Horum itaque nonnulli, ait Galenus loco priùs citato ſubita morte opprimuntur, vt præſentes exiſtiment deficere animo potiùs, quàm mori (tales etiam ſunt qui ſynocha febro affecti, & ſanguine miſſo non vacuati, aut ſuffocantur, aut ſyncope periclitantur, *vt in præſenti capite & ſequenti* dicit Galenus) quidam verò paulatim non ſubitò moriuntur: incipientes quidem omnes mori in ſtatu, ſed latenter multis, vt videantur multò citiùs quàm ſpectabantur à ſtatu ad declinationem tranſire. Et hæc de ſecundo dubio: quæ ſunt digna vt benè notentur, & diſtinguantur: quia cum declinet morbus, & omnia eius accidentia remittantur in falſa declinatione, & cum natura ſuperatur, & victa deiicitur, non aliter atque cum verè declinet morbus, quia à natura ſuperatur, & vincitur, in qualibet morbi declinatione cautus, ac diligens debet eſſe Medicus, & ſtatim diſtinguere, an talis declinatio ſit bona, vel mala, vera, vel falſa: ſi enim verè declinat ſaluatur æger, & è contra mori periclitatur, ſi falſò declinat; quamuis in ipſa, vt in vera declinatione omnia quæ erant præter naturam in totum remittantur.

Tertiò dubitatur, quæ ſit cauſa febrium ſynocharum, ſiue continentium, an ſcilicet ſit ſanguis quartus humor, an tota maſſa ſanguinaria, quæ ex quatuor humoribus inter ſe mixtis ac vnitis conſtat, atque componitur? Etſi enim in præſenti *cap. ac ſuperiori clarè demonſtrat* Galenus quod ſynochæ febres fiunt ob ſanguinis plenitudinem, ac redundantem in coporibus ſanguineis; & tunc potiſſimùm, cum talis ſanguis redundat in omnibus venis ac vaſis, ſaltim maioribus, quæ ſunt intra alas & inguina: tamen neque ſic explicatur qualis ſit iſte ſanguis qui tales febres producit: ſed ſolùm docet Galenus fieri has febres in dictis vaſis, nimis repletis, aut obſtructis, calor natiuus liberè non ventilatur, ſed è contra priuatur totaliter ſua naturali ventilatione, ac tranſpiratione, quòd ob id febrilis redditur, mutaturque in igneam naturam, & quidem non parum, ſed in multum, aut magnum calorem præter naturam. Sed reſpondetur breuiter, quod ſanguis ſiue ſolus ſit, & quartus humor, ſiue vna cum aliis mixtus, poteſt eſſe cauſa febrium continentium dummodo tantus ſit, & talis, vt non ſolùm corpus carnoſum ac denſum ob eius plenitudinem reddat, ſed ſimul etiam vaſa omnia corporis repleat, atque obſtruat, ſaltim dicta maiora, quæ ſunt in corpore à iugulo, ad inguina; hæc enim requiruntur præcisè ſic repleta calidis humoribus, vt ſanguis eſt ad hoc vt inde febris ſynocha oriatur, id eſt continens & magna, vt diximus in textu: Quapropter feb es ſynochæ rarò fient à olo ſanguine quarto humore, quia rarò ſolus 57

ſanguis redundat in nobis in tanta quantitate; ſiue aliorum commercio, ſiue vnione, atque augmento, ſæpè enim vna cum aliis tribus naturalibus commixtus, ac quaſi conuutritus: quare & febres continentes ſæpè, aut ſemper fiunt à redundante tota maſſa ſanguinis, & quando omnes quatuor humores æquabiliter omnes augentur.

58 Quartò tandem dubitatur an ex ſanguine putrido fiant febres ſynuchæ putridæ? Etſi enim hîc Galenus *& cap. ſequenti, &* 11. *lib.* clarè docet dari febres continentes putridas, & per conſequens, ex ſanguine putrido factas, cum omnes continentes, vt parum anteà dicebamus ex ſanguine fiunt, vel ſolo, vel ſimul cum aliis humoribus permixto, atque vnito: iis tamen non obſtantibus ipſe Galenus 2. *de diff. feb. cap.* 9. contrarium ſtatuit; docet enim ibi quod ſanguis dum ſupra modum aſſatur tennior pars vertitur in bilem, & craſſior in ſuccum melancholicum: vnde & ſanguis putridus, aut putreſcẽs deſinit eſſe ſanguis, mutabiturque pars eius tenuis in bilem, & craſſior in melancholiam, aut in alios prauos humores: nam certum eſt quod ſanguis qui putreſit aſſatur ſupra modum, atque corrumpitur, ſiquidem putredo eſt corruptio rei putreſcentis à calore extraneo; & ideò ipſe Galenus 2. *de criſ. cap.* 6. *&* 12. febres putridas ſolùm diuidit, in tertianas, ſiue bilioſas, quotidianas, ſiue pituitoſas, & quartanarias, ſeu melancholicas, non autem in continentes, aut ſanguineas. Vt reſpondeamus rectè eſt hîc obſeruandum quòd ſanguis, ſiue ſit quartus humor, ſiue tota maſſa ſanguinaria, poteſt putrefieri, & de facto putreſit, ſed minùs, & magis difficulter, quàm alij humores, quia pluſquàm ille abundat calore natiuo, atque ſpiritu vitali à quibus multùm defenditur ne putreſcat, aut corrumpatur. Notandum etiam eſt, quòd ſanguis qui putreſit dupliciter corrumpitur ſimul, & diſſoluitur in varias partes, vt in dictas tennes & craſſas, interdùm verò corrumpitur quidem, ſed tamen eius partes non diſſoluuntur, nec ſeparantur inter ſe, ſed omnes permanent inter ſe commixtæ, aut inter ſe confuſæ, ſibi adhærentes, & coniunctæ: experimur enim quotidie in ſanguinis miſſionibus quod in aliis ſanguis, qui expurgatur, exit fuſus, atque dum refrigeratur diuiditur in tres partes diuerſas, ſiue ſubſtantias, nempè in tenuem bilioſam, craſſam melancholicam, & ſeroſam, ſiue ichoroſam citrinam: in aliis verò ſanguis exit putridus, ſed non diuiſus, ſed ſecundùm omnes ſuas partes confuſus, ſibi cohærens, atque coniunctus: Verùm ſit quod ſanguis, qui putridus expurgatur, longo frequentiùs exit fuſus, quàm ſibi cohęrens, & ſine dicta partium diuiſione, aut fuſione, aut ſeparatione, Vnde prouenit quòd febres ſynochæ putridæ raroſiant: & quæ fiunt ſine putredine intra paucos dies degenerent in putridas, quæ repetunt de tertio in tertium diem: non enim fit febris ſynocha putrida, neque febris alia acceſſionibus caret, niſi ſanguis putreſcens à quo oritur repleat omnia vaſa, & ita ſit concretus ſecundùm omnes ſuas partes, quod nequeat fluere, neque ab vna parte, vel pluribus, ad aliquam determinatam peruenire, nam ſi fluit repetit, & acceſſiones facit: At verò ante turbationem, id eſt fuſionem, & ſeparationem non habet multus humor quo procedat, inquit Hippocrates 4. *de morb. text.* 29. ſed ſursùm ac deorsùm voluitur, & diſtrahitur alij humori permixtus; omnia enim plena ſunt; in turbatione verò euacuantur, id eſt funduntur plures partes, ſeparantur ab aliis atque euacuantur: Verùm aliud alio magis euacuatur: id eſt ſed non omnes partes maſſæ ſanguinariæ in febribus putridis putreſcunt, neque turbantur aut ſeparantur, verùm plùs aut minùs de maſſa turbatur, ac euacuatur, prout magis vel minùs putreſit in quo caſu accidit, quod humor multus, id eſt qui non turbatur, ſed maſſa ſanguinis ſemper permanet, ſuum locum occupat, id eſt ſursùm ac deorsùm per venas, & arterias diſcurrit ſemper ad nutriendum corpus; & alienus alij non amiſcetur, ſed præter naturam fluit ſeparatus, aut fuſus à reliqua maſſa, niſi firmatus quieſcat in aliqua parte, priúſque ille viribus adæquetur, poteſt enim adæquari &c. Quare febres ſynochæ putridæ fiunt, & fieri poſſunt, à ſanguine putreſcente, non autem ab eo in totum putrido: nam ſanguis, qui vel aduſtione, vel putredine diſſoluitur in bilem, aut ſuccum melancholicum facit febres per circuitus repetentes: etſi enim ſanguis, qui putreſcit, in via eſt ad corruptionem, & totalem mutationem, dum tamen putreſit vnus eſt & non mutatus, aut varius factus: & conſequenter ſanguis putreſcens: vt putreſcens non mutatur, neque ab eo aliquid ſecernitur, ſed ſolùm tunc ad mutationem diſponitur, ſiue ad corruptionem ſui eſſe, & ad ſeparationem ſuarum partium vnitarum; nam per putredinem mixta corrumpuntur, & partes eorum terreæ ac ſiccæ ab humidis ſeparantur: quare ſanguis putreſcens, vt dictum eſt, generat febres ſynochas putres, ſiue putridas continentes, aut ſine acceſſionibus, & ſine repetitione aliqua, quia adhuc tunc vnus conſeruatur, & ſursùm atque deorsùm, vt ait Hipp. per venas voluitur, ac diſtrahitur ad nutriendum corpus & omnes eius partes, ſine aliqua turbatione, aut partium eius à partibus ſeparatione, vt quando iam eſt putridus, & quando ſic fuſus, aut in alias diuerſas ſubſtantias mutatus febres facit repetentes hoc vel illo modo penes circuitus ſeu repetitiones humoris, in quem mutatus fuit: Ad hunc etiam modum Galenus 2. *de diff. feb. cap.* 2. *dixit.* Continuarum autem, quæ ex bile naſcontur, duplex eſt genus, vnum ſcilicet earum quæ continentes nominantur, alterum verò earum, quæ continuæ dictæ, multis circuitibus

continentium

continentium: sensus enim est, vt ait Vallesius in comm. febres continentes ex sanguine fiunt, aut putrescente, aut non putrescente: verùm febres, quæ ex putrescente sanguine fiunt ex bile facta, dici merentur, quia vt dicitur 2. *de cris.* quæ ex sanguinis putredine fit, jam quodam modo biliosa est, quia sanguis putrescens fit se ipso calidior, & sic vertitur in bilem: Et ideò duplex genus febrium continuarum oriuntur, ait Galenus, ex bile, id est, ex sanguine putrescente, quique vt talis bilescit, & tandem vertitur in bilem, vnum earum quæ continentes vocantur, & quarum vniversum tempus à principio vsque ad finem vnica est accessio: alterum verò earum, quæ continuæ sunt, sed cum circuitibus, sive accessionibus tertio quocumq; die repetentibus: quæ namque febres fiunt ex sanguine putrescente & bilescente tantùm, continentes evadunt, & vnica solùm accessione finiuntur, quia à sanguine fiunt solùm bilescente, & nondum converso in bilem; quę verò fiunt ex sanguine jam in bilem converso, etsi continuæ permaneant, non tamen continentes, sed repetentes per accessiones & circuitus tertianarios, vt febres aliæ, quæ ex bile nascuntur mera bile, atque ab aliis humoribus distincta, & separata; & inde etiam provenit, quòd febres continentes, sive sint putridæ, sive non, intra paucos dies fiunt repetentes per circuitus & accessiones habent: quia scilicet solùm sanguis fervens aut putrescens facit febres continentes dum sanguis permanet, & non degenerat, in alium humorem, aut in alios humores mutatur, quod solùm solet durare per priores sex, aut septem dies post quos si febris perseverat mutatur, & quæ anteà continens erat, jam deinceps accessiones sensibiles habet.



CAPVT V.

Cur præsentaneum sit remedium in febribus synochis sanguinis missio magna, & magnus potus aqua frigidæ.

59 XPOSITA per historiam curationr febrium continentium in duobus adolescentibus superiori capite propositis, nunc per methodum docet eas curare Galenus, & benè, quia vt ipse dixerat *lib. 3. cap. 2.* duo sunt adinveniendæ veritatis instrumenta, nempe ratio, & experientia. Voluit hic Gal. edocere curationem dictarum febrium, atque proinde vtraque via veritas cuiusque rei inquiri debet vt perfecta habeatur: nam si quod ratio adinvenit, experientia confirmat, certissimum est, quantùm per humanam fragilitatem haberi potest. Priùs autem per historias, sive per experientiam voluit Galenus hic edocere curationem dictarum febrium, quia experientia neminem fallit, ratio verò fallere potest: nam judicium, vt ait Hippocrates, est difficile: quare experientia in rebus dubiis atque periculosis, vti est sanguinis missio vsque ad animi defectum, necessariò est præmittenda; id est, quia experimentum potest esse periculosum, quod expertum fuerit sine noxa priùs proponi debet, vt inde ratio ejus quæratur: quod enim per experientiam benè accidit, id quidem ex recta ratione procedit: vnde & sanguinis missio vsque ad animi defectum facta, quantumvis extremum statuatur remedium, ac maximè periculosum: si tamen experientia ritè & rectè facta benè succedat, ac sine noxa notatu digna administretur, & morbum tollat, aut saltim imminuat, etiam ex natura rei ac recta ratione procedit, & non ab errore, quamvis etiam ab errore rectum in suo sensu possit emanare.

Demonstraturus igitur Galenus in præsenti capite quinto qua recta ratione fieri possit quòd febres synochæ, sive continentes, etsi non sint putridæ, sed solùm diariæ, ex redundante sanguine ortæ, indicent sanguinis missionem vsque ad animi defectum, pro sui curatione statim in principio cap. repetit brevissimè ferè omnia, quæ in hoc libro vsque adhuc exposuit: quare & nos eadem ante alia breviter repetemus, tanquam fundamenta eorum, quæ sequuntur dicenda, & quæ scientificè demonstrare aggreditur Galenus. Dicit igitur in hoc libro de suis febribus agere sibi propositum esse, quæ ex stipatis per obstructionem meatibus oriuntur, id est, de febribus continentibus, quæque ex redundante tantùm sanguine in corporibus carnosis oriuntur, vt inde non solùm corporis meatus, & carnes omnes constipentur, atque densentur præ multitudine sanguinis, sed etiam venæ omnes obstruantur, ac nimis repleantur. Quæ enim corpora sic carnibus, ac sanguine replentur in omnibus vasis, atque porositatibus, malè ventilantur, & inde non solùm febricitant, sed febribus continentibus sine aliqua repetitione, aut accessione, quia vasa omnia in eis sunt plena, aut totus sanguis, vel massa sanguinaria tota flagrat, sine alicuius humoris exceptione, aut secretione ab aliis, à quo possit fieri aliqua accessio nova, aut repetitio, vt suprà ex Hippocrate *quarto de morbis* dicebamus. 60

His positis dicit etiam dictas febres continentes si sine putredine sint esse diarias: etsi enim ex flagrante sanguine pendeant in toto corpore, atque in omnibus vasis 61

accenso, si tamè sanguis, aut massa quæ ardet putrida non est, sed solùm æstuans, aut ardens, sic quidem solùm facit febres diarias, aut febribus diariis similes, scilicet ex solo calore aucto præter naturam ortas, quamvis ad duos aut plures durent dies. Si verò iis putredo aliqua, vel saltim ab initio, vel postmodùm superveniat, sic quidem desinunt esse diariæ, & putridæ fiunt, sive continentes permaneant, sive non, si enim in omnibus venis, ac præcipuè magnis putredo consistat, continentes putridæ excitantur, si verò in vnica animalis parte putridæ, quæ per accessiones certo tempore repetunt. Quæ quamvis sic se habeant, verùm de his quæ putridæ sunt, inquit, posteà agemus, scilicet libro 11. & hic solùm de synochis sine putredine, vt sic clariùs constent indicationes, atque indicata remedia, quæ talibus debentur febribus: maxima verò continentium febrium remedia, inquit infrà, hæc duo sunt detractio sanguinis, & potio aquæ frigidæ, quorum vtrumque probat primum, & posteà docet quæ impedire possint tum potum frigidum, tum sanguinis missionem: quare caput totum integrè in tres dividitur partes.

TEXTVS.

Erat verò in præsenti disputatione propositum de his febribus, &c.

62 HÆc est prima capitis pars, in qua Galenus demonstrare aggreditur, & ostendit quòd sanguinis missio & potus aquę frigidæ sunt duo præcipua, & efficientia remedia ad rectè curandas febres continentes. Vt autem hoc scientificè demonstret, supponit ex partim anteà traditis ac repetitis, quòd in febribus continentibus non solùm reperitur febris magna, aut multus calor præter naturam, sed & sanguinis, atque omnium humorum massam sanguinariam componentium tanta copia, quòd inde immineat periculum suffocationis, vel saltim syncopis: quibus enim, ait Gal. corpus ex succorum abundantia inhabile ad transpirationem redditum tantum caloris congessit, vt inde jam febricitet: his quidem nisi tantum sanguinis detrahatur, quantum vires tolerant, pro certo est habendum fore vt vel suffocentur, vel syncope periclitentur, nisi eos vel virium robur, vel plurimus sudor, vel largum sanguinis profluvium, à morte vindicet: quare in febribus continentibus, & in dictis casibus festinare oportet ad sanguinem detrahendum, & quidem in multa quantitate, quantùm vires ferre possint, quo sic natura à sarcina qua premitur levetur, ac liberetur, vasa omnia obstructa reserentur, atque integrè aperiantur, & denique totum corpus liberè transpiret; ita scilicet vt ex transpirando, ventilandoque naturalem temperiem servet, aut recuperet, qua humoribus eo quòd inter initia modò dominetur: quando si ad intemperiem febrilem versum jam corpus laboraverit, metiendum est, ne humores putrescant; nam quæ calida, & humida sunt, vt massa sanguinaria, vel dicti humores si in calidis & humidis locis detinentur, citissimè putrescunt.

Quasi dicat Gal. quatuor reperiuntur distincta in singulis febribus continentibus, 63 quæ indicant sanguinis missionem in multa quantitate, ac subitò factam, etiamsi febris continens non sit putrida, sed tantùm diaria, & solùm ex fervente sanguine orta, nempe febris ipsa, sanguis multùm abundans, obstructio omnium vasorum, ac densitas nimia totius corporis, & denique præsentaneum periculum suffocationis laborantis, vel saltim syncopis. Si ergo vnumquodque ex his natura sua indicat sanguinis missionem in multa quantitate, ac subitò factam, à fortiori eandem indicabunt febres continentes, cùm in earum singulis dicta quatuor reperiantur. Quòd verò quodlibet dictorum quatuor indicet pro sui curatione dictam sanguinis missionem, probat Gal. quasi sic arguat: in primis febres continentes, quà febres sunt, indicant dictam sanguinis evacuationem: nam etsi solùm sint diariæ, caloremque non habeant actem ex putredine, aut vstione humorum ortum, sed ferventem solùm ob sanguinis incendium, atque fervorem, est tamen tantus quòd nisi citò cesset, atque extinguatur, potest ipsum sanguinem aut in putredinem immutare, aut quod pejus est fundere, ac liquare, sicque in partem principem aliquam, vel ad vitam necessariam præcipitare, & laborantem subitò suffocare, aut interimere: nulli enim dubium est quòd calor præter naturam, qualis est febrilis, potest fundere atque liquare humores, & per consequens sanguinem, qui cùm natura sua sit calidus, & humidus, est magis dispositus ad id, quàm aliquis alius. Multò verò plures, ac graviores morbi, quàm quibus plenitudo dedit occasionem, ex humorum fiunt fusione, ait ipse 1. *aphorism. comm.* 15. quia tunc à natura nequeunt dominari, sed à se ipsis humores & excrementa ad motum insurgunt, si vel calefiant, vel extenuentur, vel in spiritum, sive vapores degenerent, vt 2. *de sympto. causis*, *cap.* 5. etiam ipse dicit: quare in nostro casu & in qualibet febre continente laborantes ob solam febrem veniunt in summum vitæ discrimen, sive periculum, cùm ab ipsa citò ac facilè sanguis & putrescat, & fundatur, nisi statim sanguis mittatur in tanta quantitate, quòd inde febris extinguatur.

Secundò febres continentes, quà febres 64 continentes sunt, abundant multo sanguine in omnibus venis, atque arteriis, & quidem æstuante, ac supra modum calido:

quare

quare & hac de causa indicant sanguinis missionem in multa quantitate factam, vt sic& abundantia vacuetur, & corpus refrigeretur: est enim sanguinis missio remedium quod simul sanguinem educit, & corpus refrigerat, quia vt ait Gal. *lib. de sanguinis missione, cap. 5.* non solùm partes animantis ex sanguine aluntur, sed & nativus calor mansionem, sive conservationem ex sanguine obtinet, perinde atque ignis, qui in foco est, ex lignis ad ardendum idoneis. Quemadmodum igitur ignis offenditur, interim ei confertim injectim lignis, interim si non multis, tamen admodum humidis, nonnumquam autem omninò non impositis, aut prorsùs exiguis; sic calor qui in corde existit, vel propter sanguinis copiam, vel propter multam ejus indigentiam, vel ob qualitatem frigidam se ipso minor efficitur: interim verò major, aut propter calidam sanguinis qualitatem, aut ob exiguum defectum. Quidquid autem cor per caliditatem, vel frigiditatem patiatur, huius etiam confertim aliæ corporis partes participes fiunt. Si ergo sanguinis missio simul sanguinem fundens, corpus refrigerat, quia evacuat subjectum ipsius caloris, & calor qui in corde est, & inde in toto corpore, propter multam sanguinis indigentiam, sive defectum se ipso minor efficitur, atque refrigeratur: consequenter sanguine misso in multa quantitate in febribus continentibus poterit non solùm plenitudinem educere, sed & calorem æstuantem temperare: atque proinde hæc sanguinis missio duobus modis debet esse, magna, aut maxima, scilicet & quia plenitudo talis est, & quia calor cordis, vt ait Gal. solùm propter sanguinis indigentiam, aut evacuationem multam minuitur; ob exiguum verò ejus defectum augetur potiùs quàm minuitur, quod est notandum maximè.

65 Insuper febres continentes, quæcumque sint, ex succorum abundantia habent corpus nimis densum, atque repletum, indeque inhabile ad transpirationem, ita redditum, & ita secundùm omnes venas, atque arterias obstructum, vt ob hoc non modò febricitet, sed periclitetur, quòd vel suffocetur; vel syncope prehendatur: constipatio enim seu obstructio cùm ita magna est, aut maxima, ait ipse *lib. de cau. morb. cap. 3.* causa est repentinæ suffocationis, atque interitus caloris nativi ob venarum interceptionem, sive nimiam repletionem, vt ait Hippocrates *4. de ratione victus in acut. sent. 23.* Quare quibus corpus ex humorum abundantia sic inhabile ad transpirationem jam redditum est, iis tãtũ statim sanguinis est detrahendũ, quãtum vires ferre poterunt; pro certo habentes, atque scientes, nisi iis, qui hoc sunt præter naturam habitu, aut statu, id adhibeatur præsidium fore vt vel suffocentur, vel syncope corripiantur, nisi eos (vt anteà diximus) vel virium robur, vel plurimus sudor, vel largum sanguinis profluvium à morte vindicet: qui siquidem morbi ex repletione fiunt, curantur inanitione, & extremis morbis extremè exquisita remedia optima sunt, vt ait Hip. & ita etiam febres continentes, quæque corpus habent vti athletarum sanguine turgens, summéque repletum, indigent extrema sanguinis evacuatione, quanta scilicet opus est vt corporis summa repletio, densitasque, atque omnium venarum, arteriarumque obstructiones in totum tollantur, & febrilis calor extinguatur, sicque æger ab imminentibus periculis arceatur.

Sed hìc poterat aliquis dicere, quòd ple- 66
nitudo sanguinis atque omnium humorum est duplex, scilicet ad vires, vel ad vasa; & per consequens, quamvis corpora quæ laborant febre continenti, etiam laborent plenitudine sanguinis, poterunt laborare, saltim aliquando, plenitudine tantùm ad vires: quare saltim in hoc casu tales febres continentes non indicabunt sanguinis evacuationem extremam, neque statim in multa quantitate factam, tum quia plenitudo ad vires in multa quantitate humoris non consistit, nisi admodùm rarò, vt statim dicemus, tum quia in hac plenitudine vires non consentiunt, multam sanguinis evacuationem confertim factam, vt omnes fatentur. Huic instantiæ quasi occurrens Gal. advertit hìc non esse nunc sermonem de ea abundantia, quæ ad virtutem comparata, dicitur plenitudo ad vires, sed de altera, quæ dicitur ad vasa: etsi enim plenitudo potest esse dicta duplex, hìc tamen non loquitur de abundantia ad vires comparata, sed de altera, quæ dicitur ad vasa, quia talis est aut tanta, quæ contineri à vasis vltra non valet, quæque ob idipsum tum perrumpere vasa, tum recludere solet: de hac inquam, ait Galenus mihi hic habitus est omnis sermo, tum etiam habendus, vtpote, quia ex hac plenitudine sanguinis atq; humorum oriuntur continentes febres, & eorum corpora densantur, atque obstruuntur, non verò plenitudine ad vires: nam plenitudo, quæ ad vires dicitur, quamvis plenitudo dicatur, hæc tamen neque sic obstruit venarum ora, vt refrigerationem, aut ventilationem caloris nativi prohibeat, neque tunicas earum distendit, neque ruborem, neque tumorem invehit, multóque minùs vel carnis, vel cutis transpirationem moratur: quare hæc plenitudo nequit facere febres continentes, sed quæ obstruit, repletque totum corpus, sicq; febrem accendit, & caloris nativi ventilationem moratur, scilicet plenitudo ad vasa: hæc omnium est ea sanguinis, atque aliorum humorum massam sanguinariam componentium redundantia, & multa copia, quæ præ multitudine contineri à vasis, ac porositatibus corporis vltra non potest, sed ob id venas distendit, replet, atque recludit, sive obstruit, ac nimis claudit, ob id etiam carnis ac cutis transpirationem moratur, ac impedit, & ruborem, atque tumorem corporis invehit, & in summam omnes affectus ac symptumata inducit, quæ in synochis febribus reperiuntur, nempe obstructionem,

disten

distensionemque vasorum omnium, & corporis densitatem, tumorem, atque ruborem; & quidem tales, vt ob idipsum vasa rumpi soleant, aut quod pejus est, intercipi, id est, in totum recludi, & sic ægrum derepentè suffocari.

67 Hic etiam poterat aliquis dicere, quòd si tanta plenitudo sanguinis requiritur in venis omnibus, atque in toto corpore ad generationem febrium continentium, nulla dabitur, neque dari poterit continens febris absque putredine: nam cùm plenitudo ad vasa tanta est quòd omnes venas obstruit, & multùm replet, atque totius corporis transpirationem impedit; tunc quidem & putridos humores inducit; siquidem obstructio, & impedita humorum, atque totius corporis transpiratio sunt causæ putredinis, atque febris putridæ, vt infrà *lib.* 11. *cap.* 10. docet ipse Gal. Huic objectioni quasi occurrens ait: nunc quòd plenitudo ad vasa, quantumvis sit magna, potest cum virium robore consistere, & dum vires constant potest non solùm suã servare bonitatem, sed & pariter augeri cum virium robore: humores enim non à se gubernantur, & à putredine vindicantur, ait Gal. *secundo de differentiis febrium. capite vltimo*, sed potiùs ex se necessariam habent in putredinem mutationem, cùm sint actu calidi & humidi, nisi à nativo calore conserventur; quare dum vires vigent, sive dictus calor nativus, copia hæc, quæ dicitur plenitudo ad vasa, & suam bonitatem adhuc servat, & pariter augetur citra aliquam putredinem, aut corruptelam, & per consequens tunc febrem continentem valet generare absque putredine: si verò jam tanta est, quòd vires gravat, vt aliquando solet contingere, nec de cætero augebitur, & bonitatem naturæ amittet, ita vt putrescat: non enim aut humores in nobis, aut aliud vllum ex his quæ foris sunt, humidum, calidumque corpus manere imputrescibile cernimus, nisi à natura vel arte præservetur: ergo festinare in his casibus ad sanguinem detrahendum oportet, quo sic venarum natura à plenitudine liberetur non solùm, verùm etiam naturalem temperiem recuperet, qua humoribus eo quòd inter initia modò dominetur, & calor febrilis extinguatur; quem si quando rudis quispiam Medicus auxit non vacuata causa stipationis in incerto reliquum omne remedium est, scilicet omnium primo prætermisso.

68 His verbis ponit Gal. quartum argumentum ad probandam sanguinis missionem in febribus continentibus: sensus enim est. Si Medicus rationalis in febribus continentibus sanguinem non evacuat statim, & in magna quantitate quantum vires tolerant, non solùm febris augetur non vacuata stipationis causa, sed incertum relinquit reliquum omne remedium, & per consequens ægrum relinquit in certo vitæ discrimine, ac evidente periculo: nullus enim est morbus qui si non curatur, hominem non perdat: & per consequens etiam febris diaria, de qua agimus; erit lethalis, si ritè & rectè non curetur, scilicet statim misso sanguine in multa quantitate, quanta requiritur vt causa constipationis, & totius corporis plenitudinis evacuetur, & calor febrilis extinguatur: in febribus enim continentibus sine putredine, quamvis febris præsens magna non sit, neque aliquis detur alius morbus, aut symptoma magnum, quod præsentaneum immineat vitæ periculum, est tamen tantus sanguinis ad ardendum apparatus atque redundantia, quòd si statim non deponitur, & quidem in magna quantitate, necessariò & febris intenditur multùm, & funesta superveniunt symptomata, syncopes scilicet, aut suffocatio. Nec dicere valet, verum est quòd dictus sanguinis apparatus in febribus continentibus est magnus, & quòd si aliqua ratione non educitur intenditur necessariò febris, & æger sic est in præsentaneo periculo suffocationis, aut mortis; non tamen si sanguis educitur aliqua moderata evacuatione, vel aliter, ejus fervor, aut incendium corrigitur: etsi enim moderata sanguinis missio, & moderata refrigeratio in totum non evacuabunt in totum corporis redundantiam, neque in totum extinguent febrem, saltim imminuent, & sic vitabitur periculum suffocationis. Non inquam, hæc dicere valet, neque sic vitatur periculum suffocationis, & vitæ discrimen: nam præterquàm quòd nullum paucum est criticum, vt communiter ac verè dicitur, sanguinis missio in pauca quantitate facta, vt suprà diximus & notavimus ex Gal. *lib. de sanguinis missione. capite quinto* non temperat febrem, sed adauget, & suprà 5. *lib. cap. vlt.* docet quòd in magnis morbis parva præscribere remedia non est curare, sed longum comparare interitum laborantibus; in quorum confirmationem dicit nunc, quòd si Medicus parum peritus aliquando febrem auxit non vacuata stipationis causa, in incerto relinquit reliquum omne remedium: nam sensus est: si Medicus in febribus continentibus, per effatu dignam sanguinis missionem non evacuat corporis redundantiam, & constipationis, atque obstructionis causam, sed aliis vtitur remediis minoribus, sic quidem non solùm febrem auget, sed incerta facit reliqua remedia, quæ applicat, id est, dubia an sint remedia, an potiùs causa nocens: quia in morbis magnis parva remedia adhibita sensibiliter non possunt juvare, & quæ sic non juvant incerta relinquuntur an sint remedia, an non, sed causa nocens?

Habemus ex dictis quòd sanguinis missio 69 in magna quantitate, & confertim facta est, remedium indicatum ex natura rei in febribus continentibus, & in qualibet earum, & quidem propter quatuor diversa, quæ in singulis reperiuntur, scilicet propter

tet ipsum calotem febrilem, propter sanguinis plecthoram, propter totius corporis constipationem, atque omniom vasorum obstructiones, & ob imminens periculum suffocationis, aut mortis repentinæ laborantis: hæc antem quamvis sic se habeant, inde tamen non demonstratur quòd in talibus febribus indicetur ex earum natura sanguinis missio vsque ad animi defectum, vt sup. cap. Gal. videtur supponere, ex industria, vt ipse ait, in eis sanguinem fundens vsque ad animi deliquium: immò hic consulit Gal. quòd in iis febribus mittatur sanguis in multa quantitate, ne in syncopem incidant laborautes, quod idem videtur dicendum de animi defectu. Vt huic objectioni respondeatur clarè, est observandum, quòd sanguinis evacuatio vsq; ad anim. defectum est talis; quòd potest non solùm febrem temperare, sed subitò extinguere; quia scilicet ipse animi defectus est passio caloris nativi, in quo, aut quo non solùm subitò, & quasi in instanti minuitur, sed multoties in totum calor febrilis aut præter naturam refrigeratur, atque extinguitur: Hippocrates enim 4. de ratione victus in acut. sent. 61. sic ait: *Si in febre hiemali lingua sicca sit, & aspera, prehendatque animi defectiones, huic febris remissio fieri consuevit.*, quia scilicet ipse animi defectus solet non totum calorem nativum imminuere, sed & febrilem, extinguere, vt cap. sup. in prima historia vidimus; cùm igitur animi defectus talis sit; ait Gal. quòd etsi vires minuit, potest calorem febrilem subitò in totum extinguere: si vires sint ita robustæ quòd possint sustinere illum defectum, aut diminutionem, qui datur in animi defectu ex magna sanguinis evacuatione facto, pariter poterit, & fieri debebit talis sanguinis missio in febribus continentibus, & aliis casibus in quibus vsus refrigerationis & extinctionis febrilis caloris vrgebit; vt in dictis synochis, & magnis inflammationibus solet non rarò vrgere: quare etsi sanguinis missio vsque ad aoimi defectum facta non indicatur præcisè ex natura rei in febribus continentibus, vt tales suot; sed solùm ea quæ fit confertim, in magna quantitate; si tamen vrget febris, & sanguinis incendium, ita vt inde timetur præsentaneum periculum vitæ, aut suffocationis laborantis; in tali casu indicatur; vt sic subitò subveniamus vrgentiæ caloris; & vitemus tantum periculum: nam animi defectus vi sanguinis missioois factus. in tali casu tantùm abest, quòd sit periculosus, quin imò potiùs liberat à periculo dicto, vt infrà latè explicabitur.

TEXTVS.

Vbi magna emitti abundantia postulat, calor autem, &c.

SAtis efficaciter videtur demunstratum, quòd sanguinis missio est præsentaneum, & præcipuum remedium ad curandas febres continentes: vlteriùs tamen idem hic demonstrat, quasi sic aliquis objiceret Galeno. Duæ sunt tantùm indicationes, quæ in febribus continentibus reperiuntur adimplendæ, scilicet evacuatio causæ efficientis, sive sanguinis redundantis, atque ferventis, & refrigeratio ipsius, atque caloris febrilis: quæ quidem duo sine sanguinis missione possunt satisfieri, & per consequens curatio febrium continentium: quare sanguinis missio, & qoidem in magna quantitate, ac confertim facta non erit tam necessarium remedium ad curandas febres continentes, sicut restat suprà dictum, atque insinuatum. Quòd autem abundantia sanguinis, quæ reperitur in synochis febribus possit vacuari, & calor earum febrium, attemperari sine sanguinis missione patet manifestè, ex eo quòd dantur multa medicamenta evacuantia sanguinem & alios humores nostri corporis præter ipsam sanguinis missionem; & similiter quæ refrigerant corpus, atqoe ipsam febrem: vnde indicationes, quæ sunt in continentibus febribus poterunt sine sanguinis missione satisfieri, ac bene adimpleri, ac per consequens talis sanguinis missio non erit solùm remedium adæquatum ad tales febres curandas sicut asseritur. 70

Huic igitur objectioni quasi occurrens Gal. non solùm ei hic respondet, sed inde efficaciùs concludit, qoòd sanguinis missio in febribus continentibus est remedium quod adæquatè ac sufficienter adimplet indicationes si fiat in quantitate multa, non aotem alia remedia, quæ Medicus velit sustinere. Sic igitur scribit: Vbi namque emitti abundantia postulat, calor autem refrigerari pugna, discordiaque oritur inter ipsa sanandi remedia, &c. Quasi dicat: verum est; quòd in continentibus febribus sont duæ indicationes potissimùm, quæ necessariò postulant impleri, & quidem citò vt rectè curentur, & mala qoæ imminent præcaveantur, scilicet evacuatio causæ efficientis febris; sive sanguinis redundantis; & refrigeratio caloris febrilis: at istæ indicationes sunt tales, quòd remedia earom pugnant inter se, aut remedia vnius indicationis nocent alteri: nam re verâ remedia quæ refrigerant; vt potus aquæ frigidæ, aut quod simile, quamvis calorem febrilem extinguant, aut temperent, & sic naturalem 71

ralem corporis naturam, aut temperiem concilienr, attamen abundantiam non evacuant, sed è contrà intra corpus detinent, quia & poros corporis densant, & materias incrassanr sua frigiditate: è contrà medicamenta, quæ attenuando materias, & cutem rarefaciendo redundantiam corporis evacuanr, sunt ita calida, vt si per hæc abundantiam mittere velis, febrem augeas: quare, vr dictum est, hæc medicamenta, aut remediai nter se ita pugnant, vt si quis illis febrem refrigerare velit, abundantiam moretur, aut si abundantiam emittere, febrem adaugeat. Er hæc quidem ita sunt vera, ait Gal. vt in hanc consilij inopiam, sive in hæc inconvenientia, ac noxas devenıant, qui in febribus huius generis statim à principio per sanguinis missionem corpus copiosè non vacuarunt: solùm enim sanguinis missio in multa quantitate facta est remedium quod in dictis casibus simul evacuat, ac refrigerat æqualiter, ac efficaciter sine noxa aliqua, si vires adsint, quæ consentiant talem evacuationem, aut possint tolerare, quia, vt suprà dicebamus, sanguinis defectus in multa quantitate non solùm corpus evacuat, sed & eius calorem refrigerat: atque proinde optimum est in iis febribus statim in principio sanguinem mittere antequam vires deficiant, nam si non deficiunt sed robustæ sunt, non solùm in principio, & vsque ad sextum diem, sed etiam in sequentibus est mittendus; quippe quòd si servatus est æger, sic fuit curatus, id quod nos semper in re quaque ita facere vidisti. Hæc Galenus.

TEXTVS.

Quòd si curare aliquando infirmum cogeris, cui non solùm, &c.

72 HIc advertit Gal. quòd poterit dari casus, etsi rarò accidat, in quo potus aquæ frigidæ, quod est alterum magnum remedium febrium continentium, poterit dari quin præcedat sanguinis missio. Etsi enim recta harum febrium curatio sit protinùs, & ante omnia sanguinem mittere, vt dictum est, & posteà si talis sanguinis missio non sufficiat, & morbus patiatur atque ægrotus, ad potum aquæ frigidæ est accedendum, quo tandem tota curatio perficiatur: si tamen, inquit Gal. curare aliquando infirmum cogaris, cui non solùm anteà remedium secandæ venæ est prætermissum, sed & nunc quoque omittitur, vel propter Medicorum ignorantiam, vel propter ipsius laborantis, propinquorumve eius timiditatem: in tali casu diligenter discernes an frigidam aquam exhibere ossis sine detrimento, aut cum nocumenro exiguo: nam si sic res se habeat, offerenda potio est aquæ frigidæ, & quidem quantum vnica vice bibere ægro licet; idque magis audebis si frigidæ potioni fuerit assuetus: hæc enim potio per se quidem potenter refrigerat, & per accidens solet copiosum sudorem movere, aut aliquam evacuationem citare, si tempore debito quibus convenit exhibeatur, & per consequens tunc dari poterit, ac debebit, etiam si sanguinis missio non præcedat, & tunc febris continens refrigeratione simul & copiosa evacuatione per sudorem movere, aut aliam excretionem factã benè curabitur. Si verò magnum timetur incommodum ex frigidæ aquæ potu; ob hanc quidem abstinendum, atque aliis auxiliis vtendum est, quibus & abundantia vacuetur, & obstructio aperiatur, & febris fervor remittatur, ac eesset: etsi enim ad has indicationes implendas præcipua sunt remedia sanguinis missio, & potus aquæ frigidæ, si, vt dictum est, exerceantur ritè & rectè: si tamen ista remedia non administrantur, vel quia nolunt laborantes, aut adstantes, vel quia aliàs fieri nequeunt, in tali casu alia quærenda sunt auxilia, quibus indicationes adimpleantur, aut saltim quo magis fieri possit, & citiùs cõsequantur: nam satius est, ait Celsus anceps experiri remedium, quàm nullum: Et cùm majora locum non habent, mediocria, aut minora debet Medicus adhibere remedia, ne æger sine auxilio relinquatur. Hic explicandum veniebat in quibus casibus potus aquæ frigidæ sine nocumento, aut exiguo propinatur, sed omittitur, quia statim, vt videbimus, idem ostenditur.

TEXTVS.

Porrò incommoda, quæ frigidam potionem intempestivè, immoditéque, &c.

HÆc est secunda capitis pars, in qua de impedimentis aquæ frigidæ agit Gal. sicut posteà in tertia, ac vltima parte agit de impedimentis sanguinis missionis; rectè autem de impedimentis dictorum remediorum hic agit Gal. quia sunt remedia magna, id est, quæ multùm corpus alterant, atque immutãt cùm adhibeantur, & consequenter vt benè exhibita multùm prosunt. Ita si benè, & cum omnibus requisitis non administrantur, nocent valdè, & multò magis si exhiberentur præsentibus eorum impedimentis: nam non solùm sanguinis missio, & potus aquæ frigidæ, sed & quodcumque aliud remedium debet administrari ex præsentia postulantis indicatum, & absentia impedientis cuiusque. Acturus ergo Gal. in hac secunda cap. parte de impedimentis potus aquæ frigidæ, sive de illis rebus, quæ impediunt administrationem potus aquæ frigidæ non solùm in febribus continentibus, de quibus nunc agimus, verùm etiã in aliis febribus, aut morbis supponit, 73

Punit quòd talia impedimenta sunt in vniversum in duplici differentia, & quòd eorum alia se tenent ex parte ipsarum febrium, aut morborum, in quibus talis potus erat exhibendus, & alia se tenent ex parte ipsurum corporum laborantium: vt enim tum potus aquæ frigidæ, tũ aliud quodlibet remedium debitè applicetur, debet non solùm applicari a morbo indicatum pro sui curatione, verùm etiã coindicatũ, aut facilè ac benè ab ipsa natura laborãtis amplexatũ, atq; permissũ, & deniq; à nullo aliquo impeditũ, aut cõtraindicatũ aut cũtradictũ: hęc ergo cõtraindicãtia, aut impediẽtia, & nõ cõsentiẽtia potum aquæ frigidæ docet & ponit hìc Gal.

74 Quæ vt magis intelligantur, supponimus, quòd putus aquæ frigidæ est duplex; vnus scilicet quotidianus, & in prandiu ac cœna aliisque occasionibus sanis atque ægris ordinarius ad sitim sedandam, & ad devorandus, ac concoquendos cibos, qui assumuntur necessarius; & alius agonisticus dictus, qui in febribus, atque aliis morbis calidis multoties à Medicis præscribitur ad æstum magnum attemperandum, sitimque inexaustam, aut siccitatem laborantium extinguendam. Hæc autem quamquam sic se habeant, & quamvis potus ordinarius, vt agunisticus possit esse nocivus si non sumatur justo modo, ac ex præsentia ipsius postulantis & absentia impedientium; tamen hìc Gal. solùm agit de potu agonistico, sive de illo qui in ægris in multa quantitate certis temporibus morborum atque occasionibus à Medicis præscribitur, atque dari debet, ad extinguendum æstum magnum, ac sitim laborantium, & ad irrigandum totum corpus, eiusque siccitatem attemperandam, & denique ad ipsam naturam exaustam recreandam, ac roborandam: nam hæc omnia bona præstat talis potus, si vt convenit exhibetur in morbis. Etsi autem hìc Gal. sulùm de isto potu aquæ frigidæ agat per se, atque ex institutu, quia tamen non sulùm iste, sed & potus ordinarius in sanis ac ægris indiget suis debitis requisitis vt sine noxa bibatur, atq; sit vtilis assumenti, & quia in vtrisq; ferè sunt eadẽ indicantia, cõsentientia, ac repugnantia, vt benè speculãti cõstabit: idcirco, quæ hic docet Gal. consentientia, aut impedientia potus magni aquæ frigidæ, eadẽ etiam in potu ordinario, ac quotidiano servari debebãt, & benè notari, vti etiam quod in vtrisque agitur de aqua frigida naturali, aut nive refrigerata, sed quæ pura sit atque optima, qualis fontana sępè esse solet, scilicet quæ citò calefit, ac citò refrigeratur, vt ait Hipp. splendens, & sine sapore, aut colore, aut odore aliquo, aspectu tamen purissima, atque gustui jucunda.

75 Porrò incommoda, inquit Gal. quæ frigidam potionem intempestivè, immodicéque exhibitam sequuntur, in his consistunt, quòd lentos, crassósque humores attenuari, digerique prohibent, &c. Quasi dicat; quæ frigidam potionem in multa quantitate exhibitam consequuntur inconvenientia ex parte morbi sunt, quòd humores eorum lentos, crassósque non solùm attenuari, digerique prohibent, verùm crassiores, ac magis lentos reddunt: aqua enim si frigida sit, satisque fluida, incrassat nostri corporis humores, & poros densat sua frigiditate, & potissimùm si humores & corpus ad id sunt parati ex se, vt qui crassi sunt, ac lenti, qualis pituita esse solet: quare quoties ex iis febris accenditur, sive obstructiones efficiantur, sive putredinem, sive phlegmonem, sive qualis erisipelas, aut schyrrum, vel ædema, neque ad æstum extinguendum, neque ad vacuandos tales humores frigida data conducit: nam quamvis ad præsens conferre videatur, & levamen inducere, propterea quòd accensam febrem extinguit: verùm quia causam eius non admittit, sed adhuc persistit in nihilo minorata: idcircò aliam denuò accendi est necesse, atque ea quæ præcessit, nonnunquam difficiliorem, proptereà quòd densatum ex frigida corpus est, & humores redditi frigidiores, magisque crassi, viscidi & lenti, & hæc de impedimentis, aut incommodis aquæ frigidæ ex parte morborum.

Explicatis impedimentis potus aquæ frigidæ, quæ se tenent ex parte febris, aut aliorum morborum, accedit statim ad explicanda alia, quæ ex parte corporis, atque naturæ ægrotantis se tenent, ac desumuntur: quæ quidem vt magis constent, debemus supponere ex eodem parum infrà, quòd in corporibus ægrotantium requiruntur duo, vt potus aquæ frigidæ tutò detur; scil. robustæ vires, tum totius corporis, tum singularum eius partium, præsertim internarum, & carnis ac sanguinis sufficiens copia, quæ sit pro munimento corporis, & partium eius sulidarum adversus ipsam putus aquæ frigiditatem: non enim tuta est potio frigida, inquit, iis qui exiguum sanguinem, carnemque obtinent, quia celeriter ad sulidas animalis pervenit partes, nulli quod eius vim frangat occurrens; ideóque fit quòd hecticæ febres neque multam desiderant aquam, neque eam quæ nimis sit gelida, vt quæ immediatè æstuatis corporibus, exiguique sanguinis incidat: vt ergo ad potum aquæ frigidæ tutò exhibendum in morbis requiruntur duo ex parte corporis cui exhibetur, scilicet, & quòd viribus constet, & carnibus, ac sanguine abundet; ita ex hac parte, ait Galenus, si laborantis corpus debile sit, aut aliqua eius particula interna imbecilla reperiatur, sive ita se ex naturali temperie habeatur, sive ex vitio posteà acquisito, atque adscititio, à frigida læditur, & ita quidem, quòd hæc debilitas sit etiam illius impedimentum, non minùs quàm humorum crassities, atque lentor; multæ enim corporis debiles particulæ, ex aquæ frigidæ potu insigni-

ter læsæ sunt : alij namque gula vehementer est affecta , vt vix possit deglutire: alij ventriculus sic vt vix concoqueret, alij os ventriculi , aut jecur , aut colon intestinum , aut pulmo , aut septum transversum, aut renes, aut vesica,aut tale quidpiam aliud à frigida percussum , ad propr um inde opus infirmum est redditum : nonnulli etiam ex intempestiva , immodicaque eius potione illicò difficultate respirandi , & convulsione, aut tremore correpti fuerũt: ex quibus patet quòd debilitas laborantis , & cuiusque eius particulæ est impedimentũ potus aquæ frigidæ , vti etiam si corpus laborantis sit pauci sanguinis , atque ex carne , vt in hecticis esse solet. Quæ cùm sic se habeant , non ignoro, ait Gal. quin inde formidolosum te ad frigidam offerendam redderent , nisi ea me vti sæpè vidisses, semperque cum successu felici, neque ægrum in aliquo manifestè læsisse.

77 Etsi enim quibus in principe aliqua particula tumor aliquis phlegmonosus, aut ædematosus , aut schyrrosus constitit, iis frigidam offerre non oportet , neque illis quibus obstructio , vel putridus humor non concoctus incommodat , quia frigida potio talibus exhibita impedit eorum concoctionem , atque resolutionem , quibus maximè indigent : tamen in aliis casibus , vbi aliquod horum non impedit , si coctionis notæ manifestæ apparent , & ægrotantis corpus , aut pars aliqua eius temperamento adeò frigido non sit , vt in hanc noxam procumbat , tutò datur , & cum ægrotantis commodo , si morbus sit ex illis qui frigida curantur , vt sunt omnes calidi , & sicci : nam in primis erysipelas , quòd verum , seu solum erysipelas sit , non aliter sanatur , at si mixtum cum phlegmone sit , in hoc concoctionis spectandæ sunt notæ , quia erysipelas cùm inflammatio sit ab humore bilioso sincero, atque tenuissimo facta , non aliter meliùs quàm aqua frigida curatur ; siquidem eius vsu corrigitur , atque extinguitur phldgosis , sive incendium erysipelatis , & humoris biliosi , & per consequens inflammatio , & vires laborantis ardore lassatæ recreantur ; pori pariter corporis , & humor biliosus ob æstum nimium magis aperti , atque attenuati moderatè densantur , & sic ad naturalem suam mediocritatem reddunt , & denique fumosa , aut plus justo resiccata , atque extenuata excrementa humectantur, atque expurgantur per insensilem transpirationem , aut sudorem. Quod de erisipelate dicitur accidit in febribus ardentibus . quæ sunt simpliciter tales , sive ex sincera bile tenui ortæ : quare & his , ac in aliis similibus febribus , vel morbis potus aquæ frigidæ statim est propinandus , si ex parte corporis laborantis illius vsum aliquid non impediat. In erisipelate autem cum phlegmone conjuncto concoctionis notæ expectandæ sunt , id est , materia phlegmonis priùs est concoquenda , quam frigida bibatur , quia ante coctionem exhibita nocet valdè : etsi enim materia phlegmonis sanguis sit , substantia mediocris , & præcalidus , cùm tamen non sit actu fluidus , vt cùm in venis continetur , sed fixus , atque imbibitus in porositatibus partium inflammatarum , idcirco si ante coctionem phlegmonis , atque eius sanguinis inflammati, potus aquæ frigidæ propinatur , recrudescit , ex eo quia incrassatur , ac magis impingitur , seu imbibitur ipsis carnibus ob eam quæ frigiditatem , & pori amplius densantur : vnde inflammatio non solum non minuitur , verùm increscit non parum.

Si verò in erysipelate cum phlegmo- 78
ne conjuncto post materiæ coctionem aqua frigida exhibeatur , juvat , & quidem non parum , quia tunc non solùm æstum corporis extinguit , sed & attenuatos per coctionem excrementitios humores expurgat : quippe solidarum animalis partium natura tunc potu aquæ frigidæ recreata, ac roborata aggreditur humores per coctionem attenuatos , & fluxiles redditos, atque qui eorum vtiles sunt ad nutriendum , hos ad se attrahit , inutiles verò vel per ventrem , vel per cutim ejicit: etsi enim communiter dici soleat , quæ concoquuntur crassiora redduntur , quia per concoctionem natura homogenea , ac sibi vtilia congregat , & heterogenea segregat , revera tamen omnia attenuat , atque comminuit , vt sic meliùs vtilia ab inutilibus separet ; & proinde coneocta purgare oportet ex Hippocrate , cruda autem non movere , quia concoctio disponit humores ad expulsionem , id est, fluidos facit ; & quidem non tantùm illos , qui intra venas contenti concoquuntur , sed etiam illos, qui extravasati, atque in partibus ipsis imbibiti tumores in eis , aut alios morbos materiales generant.; de iis enim loquitur Hippocrates 4. *de ratione victus* 22. vbi de purgatione in principio agens , sic scribit inter alia , non enim cedit cruda adhuc passio: id est, quæ cruda sunt non cedunt purgationi,sed quæ cocta sunt,sive per concoctioně attenuata & fluida facta:nam & ipse 2.*aph*.9.dixerat: Corpora cùm quis purgare voluerit,oportet priùs fluida facere:quare in phlegmonibus , & aliis tumoribus , aut morbis aliis materialibus crudis, quantumvis sint præcalidi,potus aquæ frigidæ nocet valdè,vno excepto erysipelate,quia auget cruditatě eorũ,ac materias morbificas,& porositates corporis,& potissimum partiũ laborantiũ magis densat: in ipsis tamen jam concoctis è contrà juvat duobus modis , & quia refrigerat,extinguitque æstum magnum corporis,& quia naturam instaurat ad expulsionem excrementorum , atque omnium humorum morbum facientium jam concoctorum.

Satis

Satis clariter, atque efficaciter videtur jam esse demonstratum, in quibus casibus & cum quibus circumstantiis potus aquæ frigidæ sit dandus ad morbos curandos, sed vt veritas magis pateat, vlterius idem demonstrat, & magis confirmat Gal. in febribus continentibus, de quibus in particulari agitur nunc: scribit igitur quasi in hunc modum. Duo sunt febrium continentium genera, vt suprà dicebamus, scilicet quarum aliæ sola obstructione, ac ex sanguinis fervore sunt exortæ, sine aliqua putredine, quas exinde diarias vocamus: aliæ verò cum putredine per omnes venas: quæ quamquam sic se habeant, cum in iis concoctionis humorum notas videris, audacter frigidam dabis, &c. Quasi dicat: potus aquæ frigidæ non solùm nocet si exhibeatur in phlegmonibus crudis, & aliis morbis præcalidis, qui dependent, aut complicantur cum humoribus putridis vel crassis corpus obstruentibus, sed etiam in febribus ipsis synochis putridis, vel sine putredine, quæque solùm dependent à sanguine fervido in omnibus venis: nam & in iis datus antequam concoctionis humorum signa apparent manifesta, nocet, quia & materias magis incrassat, & corpus densat, & auget obstructiones: etsi enim continentes febres, cum & sine putredine à sanguine ferventissimo oriuntur, non quidem in porositatibus imbibito, vt in phlegmonibus, vel aliis tumoribus, sed in venis corporis majoribus contento, est tamen in illis præ nimia multitudine ita compressus, quòd non solùm naturam gravat aut premit sua multitudine, sed se ipsum densat, ac venas obstruit, & totius corporis transpirationem impedit, & quidem tantum, vt nisi citò redundantia, atque naturæ ac venarum oppressio tollatur, necessariò intra paucos dies sanguis putrescat: quare si eo tempore potus aquæ frigidæ detur, nocet, quia sanguinem sua frigiditate magis comprimit, aut densat, & sic naturam magis gravat, magisque corporis atque venarum transpirationem moratur, & febrem ac putredinem adauget: si verò præcedentibus coctionis notis exhibetur, juvat, quia tunc jam multitudo est deposita, & obstructiones reseratæ, & natura à gravitate liberata; non enim aliter concoqueret: nam quidquid gravat impedit naturæ coctionem, vt communiter dicitur: vnde tunc talibus ablatis impedimentis, & sanguine atque aliis humoribus per coctionem attenuatis, potus aquæ frigidæ extinguit corporis incendium, aut æstum magnum, & non solùm non gravat, cùm plenitudo sit deposita, sed potius eam roborat, sive lassatam ab æstu recreat, atque ad naturalem temperiem reducit, & ita quidem vt prætenuatos humores morbos aggrediatur, atque vtiles retinendo, inutiles per ventrem, aut cutim ejiciat: quare concludens scribit Galenus maxima continentium febrium remedia hæc duo sunt, detractio sanguinis, & potio frigida: verùm illa nullo non tempore, modò vires sustineant, hæc autem, cùm in pulsu & vrinis concoctionis evidenter cernuntur notæ, febrisque est maxima.

Itaque in continentibus febribus, sive sine putredine sint, sive cum putredine, cum concoctionis humorum notæ manifestæ appareant, potio frigida est maximum remedium, ideóque audacter est exhibenda, & magnà cum fiduciâ, præcipuè si æger frigidæ assuetus fuit: ex hac enim experientia Medicus fit doctus quòd ægrotantis viscera omnia sunt robusta, quodque vt alia frigidæ occursum familiariter tolerant: si enim viscus aliquod frigidum, aut debile esset, ab vsu frigidæ offenderetur sine dubio tempore sanitatis, cùm tunc in corpore non sit calor excedens, à quo aquæ frigiditas temittatur: quare si per sanitatem nulla corporis particula ab vsu aquæ frigidæ læditur, neque inter febricitandum lædetur ab ea, quia à febre temperabitur aquæ frigiditas, quæ poterat lædere: vnde si aliqui aquæ frigidæ potioni non assueti, tamen propter ardentem, aut continentem febrem eam bibere coacti, nullum incommodum senserunt, minus profectò sentiet quisquam eorum qui ei assueverunt: consuetudo enim est altera natura, & ideò quæ consueta sunt non nocent, vel minùs nocent quàm insueta. His addit Galen. quòd in synochis febrib' partes corporis frigidæ, aut debiles minus quàm in aliis læduntur ex potu aquæ frigidæ, quia scilicet illis ipsa caloris copia est quasi munimentum, aut tegumentum: cùm enim in febribus continentibus, ait, in vasorum sinibus plurimus contineatur calor, vtpote tum aërea in iis substantia, id est, spirituosa, tū succis omnibus inflāmatis, id est, tota massa sanguinaria, & omnibus humoribus in venis, arteriisque contentis, talis multus calor, quantùm à frigido patitur refrigetatur, tantò in frigidum calefaciendo agit; sicque, vt dictum est, corporis partes minuit, atque defendit à nocente frigiditate; ideóque frigida potio non est tuta hecticis, neque aliis qui exiguum sanguinem carnemque obtinent, quia celeriter in talibus ad solidas animalis pervenit partes, nulli quod eius boni frangat occurrens. 80

Ex quibus concludit febrium continentium esse maximum remedium detractionem sanguinis, & potum aquæ frigidæ, sanguinis scilicet detractio, & magna quidem, in quolibet tempore sanguis abundet, ac æstus, modò vires sustineant, esse debet; potus autem aquæ frigidæ, cùm in pulsu & in vrinis coctionis notæ evidentes fuerint, & febris maxima, est condonandus. Dicit autem quòd sanguinis missio in febribus continentibus est maximum remedium, si vires sustineant: non quidem quòd inde graventur vires, cùm non ad vires, sed ad vasa sit plenitudo, quæ reperitur in synochis, vt 81

suprà animadverterat, sed si virtus fert, dixit, vt intelligamus quòd vires nunquam sint expendendæ, sed conservandæ semper tantùm, quod neque ex magnis evacuationibus, vt est sanguinis missio ad animi defectũ facta, multùm deficiant, aut aliter lædãtur. Quæ autem sint notæ concoctionis in vrinis *1. de cris. cap. 12. & 17.* explicat Gal. & alij cum eo communiter afferunt: quare de his signis in vrinis hìc non agimus, sed de signis coctionis in pulsibus, quia horum notitia est magis obstrusa, & parum trita; in pulsibus ergo concoctionis signa ex eorum æqualitate, robore, aut vehementia, & magnitudine moderata desumuntur; & quia vna cum dictis dilatatio celerior quàm compressio deprehenditur: ex Hippocrate enim dum pus fit, id est, dum coquitur materia morbifica, dolores & febres augentur, magis quàm jam confecto. Augentur verò dolores & febres dum pus fit, & causa morbifica coquitur, quia tunc calor nativus vehementiori vi qua potest agit adversus morbum, eiusque causam, intenditque vtriusque interitum, atque victoriam: tunc ergo vt in partibus sentientibus, & pus continentibus dolores augentur & febres, sive fervores humorum qui concoquuntur, ita in pulsibus pulsationes fiunt majores, & celeriores in dilatatione, quæ visum adauctum, sive calorem concoquentem, & liberum ab excrementis fuliginosis contractionem accelerantibus insequuntur, & vehementes, atque æquales, quia à natura fiunt non pressa, sed libera, atque vincente morbum, eiusque causam.

TEXTVS.

Attendenda verò cum venæ secandæ indicationibus sunt, tum quæ, &c.

82 HÆc est vltima capitis pars, in qua de impedimentis venæ sectionis agit, non sanè de omnibus, neque de illis omnibus, quæ venæ sectionem in totum auferunt, sed de illis potissimùm quæ limitant, aut retardant illius executionem, & meritò quidem, quia in hoc capite egerat de sanguinis missione facienda, non vtcumque, sed in multa quantitate, & vsque ad animi defectum: quare rectè hìc affert, quæ talem evacuationem limitant, aut retardant, aut auferunt: si enim aliud quodcumque remedium debet esse tutum, & omnis curatio debet esse ita tuta, ac sine dolore, certè sanguinis missio à fortiori debet tutò fieri, cùm in ea evacuetur sanguis qui est vitæ thesaurus, & fundamentum caloris nativi, vt suprà est demonstratum: docet ergo nunc Galenus priùs quæ limitant sanguinis missionem, & tandem ponit quæ hortantur, aut dehortantur eam: atque ad primum accedens sic scribit: Attendenda cum venæ secandæ indicationibus sunt, tum quæ eam præcedunt, tum quæ excipiunt: nam si præcedat ciborum cruditas, &c. Quasi dicat: Qui sanguinis missionem rectè velit exercere, is non solùm indicationes scire debet, quæ eam indicant, sive faciendam petunt, vel persuadent, sed simul cum his scire debet quæ dehortantur in totum, aut saltim limitant ipsum: si enim præsentibus indicationibus sanguinis missionis præcedat ciborum cruditas, vel alia sit sanguinis evacuatio, vt si menses, vel hæmorroides actu fluant, vel ad quidpiam aliud simile accidat, certè in his casibus Medicus cautè procedere debet, & attentè considerare diversas complicationes, quæ de facto accidunt: si enim quo tempore sanguis mittendus indicatur adsit ciborum cruditas; vel parùm anteà præcesserit; in hoc casu, & tali complicatione tanto tempore differre venæ sectionem Medicus debet, quantum satis fuerit tum ad eorum coctionem, tum vt excrementa descendant ad infimum ventrem, vel ad rectum intestinum: & ratio est, quia vt ipse dicit *quarto de sanitate tuenda, capite quinto*, incisa vena bonus sanguis exit, qui in vasis majoribus continetur, quibus inanitis malus attrahitur, ac cibus crudus, qui circa jecur est mesenterium in primis venis colligitur, aut in ventriculo ac intestinis superioribus: itaque etsi ciborum cruditas non tollit sanguinis evacuationem, saltim eam impedit ad tempus, sive retardat vsquequo quæ cruda sunt concoquantur, & eorum excrementa descendant; similiter si tempore mittendi sanguinis alia quæpiam vacuatio contingat, vt si menses moveri cõtigerit, aut hæmorroides, aut narium hæmorrhagia, tunc tantum de eo quod redundat est relinquendum quàm per eam est vacuandũ. Vnde sive sanguis fluat ex vtero, sive ex nare, aut alia parte, in hoc casu si inspecto fluẽtis sanguinis impetu, ipse satis fore videtur, qui solus vacuet quod requiris, naturæ, quæ talem molitur sanguinis evacuationem, rem omnem permittes: si verò natura totam sanguinis abundantiam non evacuet, sed minus, tunc tantum ipse detrahes, ait Gal. quantum ex conjunctis ambobus perficiatur quod postulas, aut morbus indicat, atque eius causa: nam re verà morbus eiusque causa sunt qui postulant evacuationem.

Quòd verò Medicus attendere debeat an 83
sanguinis missio simul cũ alia evacuatione cõjuncta sit, vt rectè exerceatur, constat, inquit, non tantùm in evacuationibus dictis sanguinis, aut aliis manifestis aliorum humorum, sed etiam in aliis, quæ sensu non percipiuntur: qui enim sanguinis missionẽ rectè vult in ægris, atq; in sanis ipsis adhibere, nõ solùm cautè attẽdere debet si quo tẽpore sanguis mittitur, aliqua alia sit corporis sensibilis evacuatio sanguinis aut alterius humoris, sed & insuper ipsam corporum vacuationem;

tionem insensibilem, quæ naturaliter semper fit: sunt enim multi sua natura ad exhalandos corporis succos valdè dispositi, nempe qui tenues habent humores: & sunt rari habitus, aut poros cutis ac carnium habent plus satis apertos: pueri etiam propter ætatem plus quàm mediocriter perpetuò exhalant, atque per insensilem transpirationem digeruntur: & pariter cœli status vbi calidus est nimis, & siccus aërem ambientem similem sibi reddit, atque ambo supra modum calefacti, & exsiccati corpora nostra exsiccant nimis, ac resolvunt: quapropter cùm sanguis mittendus proponitur, non tantùm alias sensibiles evacuationes, quæ possunt adesse debet attendere Medicus, sed & ipsam naturam corporis, & ætatem eius, qui vacuandus proponitur, & cœli statum: propensi enim sunt, ait Gal. ad digerendos corporis succos, sive humores quicumque natura sunt humidi, magisque si accedat caliditas, & qui raro sunt corporis textu, & quibus os ventris amara bile redundat, aut imbecillum est, aut supra modum sensibile: vnde hæc omnia sanguinem detrahendum dehortantur, scilicet vel in totum, vel ex parte tantùm, prout in se sunt majores, aut plures simul, cōplicantur, si enim v.g. natura laborantis, aut eius qui evacuandus aggreditur, ex illis est, quæ multùm exsolvitur, & ætas similiter, & cæli status; in hac quidem complicatione nullatenus sanguis mittatur, etsi alia ex parte morbi sit indicatus, & quidem in multa quantitate, quia contra indicantia sunt plura, & numero ac dignitate superant indicationem evacuationis, vt *lib. de sanguin. mis.* dixi.

84 Cùm enim sanguinis missio, vt ait Gal. pro vacuatione omninò suscipiatur, id est, ad evacuandum ipsum sanguinem fiat, necessariò secum affert aliquam virium exolutionem: nam, vt communiter dicitur, omni evacuationi est annexus casus virtutis, & præcipuè evacuationi sanguinis, cùm sanguis sit fundamentum caloris nativi: quare vt sanguis tutò mittatur, non solùm indicari debet à morbo, vel alio affectu præter naturam, cuius causa tequiritur, sed & adhortari etiam debet, seu consentiri, & quidem à multis, nempe à natura atque habitu corporis, quod evacuatur, ab ætate, & anni tempore, ac cæli statu: nam in rei veritate quædam istorum sanguinem mittendum adhortantur, & quædam dehortantur, siquidem quædam transpirationes corporis morantur, quædam promovent, & quædam ad vacuandum prompta sunt, & quædam secùs. Sanè transpirationes corporum prohibent quæ meatus densant, vt corporis siccitas, atque frigiditas, & habitus densus ac durus, tum etiam circumdantis nos aëris humiditas, & frigiditas, & ætas senilis: è contrà promovent quæ iis sunt contraria: quapropter quæ evacuantur, si calida & humida sunt ac tenuia, ea celerrimè digeruntur, è contrà quæ crassa sunt, aut glutinosa, quæque dura sunt, seu densa, & quæ frigida sunt ægrè transpirant, & parum resolvuntur, quamvis evacuentur: vnde tandem colligitur, quòd sanguinis missio tunc benè exercetur, cùm à morbo, aut eius causa, vel ab vtrisque indicata, vel ab aliquo symptomate cohortatur, seu coindicatur, aut consentitur à natura temperata, ac boni habitus, ac duri seu densi corporis laborantis, ætate florente, & non senili, neque puerili, atque ab anni tempore ac cæli statu temperatis, vel ad moderatam siccitatem aut frigiditatem declinantibus: nam si modum excedunt potiùs impediunt.

85 Concludit caput Galenus dicens: Atque hæc quidem ad rem propositam de missione sanguinis, ac frigidæ aquæ potione, non ignorasse expedit: quarum vtramque metuentes non paucos Medicos vidisti, vtique imperitos, quorum alteros amphobos, id est, sanguinis mittendi timidos, alteros psicrophobos, id est, frigidæ exhibendæ formidantes Græcè nominamus, sicut qui à cane rabido sunt morsi hydrophobos, sive aquæ timidos, vel formidabiles, & meritò: nam procul dubio horum etiam sunt aliqui pro dogmatis sui studio non levi in rabie. At nos his relictis, quod institutum fuerat prosequamur, &c. Et nos pariter hos relinquamus, & neque metuentes, neque temerarij simus, sed docti atque prudentes, operemur semper ex natura rei præcognita, & integrè præhabita, tam quæ indicat: quàm quæ coindicat, ac dehortatur: nam qui benè noscit benè curat, & qui malè noscit malè curat; & natura rei benè cognita indicat quid, quantum, quando & quomodo agendum, non conjecturaliter, aut cum timore, sed scientifica ratione, *ex 2. secundùm locos cap. 2.* repetit etiam hic quare post diarias de quibus egit lib. sup. in hoc nono agat de continentibus, nempe quia affectus obstructionis, sive qui ab obstructione dependet, vt febris continens, cùm ipsa obstructio ex illis est, & rectè curatur, solam diariam febrem facit; cùm verò vel propter magnitudinem obstructionis, vel Medici inscitiam, aut negligentiam in curatione diariarum tempus excedit, aut in continentem transit, aut in aliquam earum, quæ repetunt per circuitus, cùm ergo febris continens, etsi à sanguine redundante, & omnia vasa obstruēte orta, si rectè curetur, scil. sanguine emisso in multa quantitate, quantū vires ferre possint, diaria fit tempore, & cōstitutione, & adhuc si diariæ tempus excedat, sæpè etiam continens perseveret, sine aut cum putredine: ob has causas, aut rationes, inquit, placuit in hoc libro nono post octavum de diariis completum, de continentibus agere, quę diariis sunt cognatę, sive quę licèt ad aliquos protrahantur dies neque repetunt per circuitus, neque sunt putridæ, sed vt diariæ vnica accessione clauduntur à principio vsque ad finem, & sine putredine permanent, & post istas de putridis, nempe lib. 11. solumque visum est nunc clari-

tatis,& exercendi legentis causa vnius ęgroti in vtroque febrium genere mentionem facere,vt vidimus cap.sup.

Annotationes, & Dubitationes super Textum.

86 Multæ sese offerunt hîc explicandæ , & scientificè demonstrandæ annotationes , & dubitationes , vt pleniùs intelligantur quæ statuit Gal.*hoc 5 .cap.* ponit enim multa quæ multis sunt dubia,& non satis firma,quamvis ea Gal.ratione,& experientia confirmare nitatur ; quare de singulis seorsim magis specialiter agamus ; & in primis de plenitudine ad vires, de qua in prima cap. parte sic habet. Plenitudo, quæ ad vires dicitur,quamvis re verà plenitudo sit , atque dicatur respectu virium , hæc tamen neque sic obstruit venarum orificia, vt refrigerationem , aut ventilationem caloris nativi prohibeat,neq; tunicas earum distendit , neque ruborem, neque tumorem corpori invehit, multóque minùs vel carnis, vel cutis transpirationem moratur : sed plenitudo ad vasa est quæ dicta facit : hæc enim est, quæ vasorum capacitates , seu cavitates ita replet , vt & vasa distendat , & obstruat , & attemperationem , atque ventilationem caloris nativi prohibeat , & carnium ac cutis transpirationem moretur, & tumorem, ruboremque, vel alium colorem , qualis est humor redundans , corpori inducit , & denique quæ contineri à vasis vltra non valet, sed ob id ipsum vasa disrumpit , aut ita recludit , sive claudit , quòd suffocet calorem nativum , aut in totum extinguat : re verâ enim hæc plenitudo , si extrema est, alterum istorum duorum solet efficere , scilicet aut vasa prærumpere , aut calorem nativum suffocare.

87 Quòd ergo plenitudo ad vasa sua multa copia aut redundantia valeat vasorum cavitates ita suprà modum replere , quòd non solùm obstruat tales capacitates , & corporis totius porositates , & ob id ipsum reliqua faciat reliqua symptomata, aut mala vsque ad laborantis suffocationem , satis ex se notum est : quare solùm de plenitudine ad vires dubitamus duo ; primum est , si hæc plenitudo est re verà plenitudo , quomodo non obstruit,aut saltim corporis transpirationem , & caloris nativi ventilationem non impedit , neque moratur , neque tumorem , aut colorem corpori aliquem imprimit , potissimùm cùm febrem inducit, aut dolorem , vel lassitudinem , vt sæpe solet inducere. Secundum est , quibus signis dignosci poterit hæc plenitudo , si ordinariis dictis caret.

88 Ad primum ergo accedentes. Sanè difficile videtur , quòd plenitudo hæc non obstruat , neque corporis liberam transpirationem impediat , neque tumorem faciat vbi est , neque colorem immutet : nam licèt hæc plenitudo vasa non repleat , vt alia quæ dicitur ad vasa , quà tamen plenitudo est , aliquam dicit humoris redundantiam , quæ plus aut minus debet obstruere , si non vasa majora , quia parum abundat , saltim porositates corporis vbi datur , & per consequens ibi saltim tumorem aliquem etiam facere debet , & colorem mutare. Et confirmatur hoc ex ipso Galeno *secundo aphorismorum , commentario decimo septimo.* vbi de hac plenitudine ad vires agit , & quidem satis diffusè , acuratéque , sed tamen de ea non advertit , quòd non obstruat , neque transpirationem impediat , &c. Imò contrarium videtur demonstrare , nam primò sic scribit : Semper igitur verbum plus ad aliquid dicitur. Verùm in nostris corporibus duplex est , vnum quantum ad vasorum capacitatem , alterum ad vires , sive ad illam , quæ nos gubernat naturam , de quo nunc Hippocrates dicit cibum largiorem esse præter naturam : ne eos qui ita cibo sunt repleti , vt venter extendatur , omninò ex hoc arbitremur sensuros læsionem , neque eos , quibus aliquid deest ad conceptaculi mensuram pauca assumpsisse , & omninò benè illa concocturos : nam priores contingit , quæ pleno ventriculo continentur concoquere , si natura fortis eorum extiterit , secundos verò non posse concoquere propter imbecillitatem , &c.Si ergo posita dignotione & distinctione inter plenitudines ad vasa & ad vires posteà concludit, dicens : Si quis enim plus consueto assumpserit cibi , æquali autem prioribus , aut etiam minori vtatur exercitio , mox aggravato corpore,cum rubore atque tumore venarum incipiat febricitare,non absque ratione , quispiam illum ex multitudine febricitare existimaverit. Hic itaque locus liquidò ostendit , quòd plenitudo ad vires gravat corpus , simulque ruborem affert, atque tumorem venarum , aut vasorum , vbi de facto contenta reperitur : nam re verâ sensus est talis : si quis cibum assumat plus quàm naturæ modo conveniat , sic quidem plenitudinem contrahet ad vasa,vel ad vires : quare si hac præcedente victus ratione mox gravato corpore , cum rubore , atque tumore venarum febricitet, febricitabit ex multitudine ad vires,vt demonstrat corporis gravitas,quæ in omnium opinione est certissima nota plenitudinis ad vires simul cum rubore & tumore venarum , quæ sunt notæ materiæ redundantis , atque naturam gravantis.

Vt respondeatur , debemus advertere , 89
quòd plenitudo ad vires potest esse duplex, scilicet ad vires, & ad vasa : id est , vires possunt gravari ab vtraque plenitudine : nam quamvis plenitudo ad vasa possit non gravare vires,& sæpè ita accidit; tum & ista, vt vidimus in Textu , potest vires gravare: hæc enim plenitudo ad vasa, non solùm plenitudo est,seu redundantia humorum,sed humorum quidem naturalium: quare hæc plenitudo nisi extrema sit , potiùs vires auget, quàm

quàm gravat; quando enim ad tantã ascendit quantitatem, etiam vires grauat, quia omne nimium est naturæ inimicum, vnde tunc inquit Gal. hæc plenitudo ad vasa ampliùs bona non permanet sed vitiatur, quia humores si à natura non gubernantur necessariò putrescunt, ex ipso Galeno 2. *de diff. feb. cap. vlt.* & ita quamuis sint boni si naturam grauant vitiantur, quia sua grauitate impediunt naturæ actiones, & per consequens impediunt suam conseruationem qua conseruantur à natura liberè agente. Itaque plenitudo ad vasa duplex est, vna scilicet, quæ quantumuis vasa repleat, vires tamen non grauat, sed vna cum virium robore augetur, vel aucta conseruatur; & altera quæ vasa replet simul & vires grauat: & ista quidem, quæ vasa replet, ac sua repletione, vires deiicit, aut grauat; ista inquam plenitudo ad vires non solùm corpus grauat, siue ipsas vires, sed etiam obstruit vasorum cauitates, & transpirationem carnis moratur, & denique tumorem facit vbi reperitur, & colorem mutat: & nihil mirum, quia scilicet in illa coincidunt ambæ plenitudines, ad vires, atque ad vasa: hæc enim redundantia humorum in venis, aut aliis cauitatibus contentorum sua multa copia, est redundantia est plenitudo ad vasa, & sic vasa replet, atque porositates vbi abundat sicque obstruit cauitates omnes, & vasa distendit, vel alios tumores facit, & colorem mutat; hæc etiam redundantia est supra vires, & vt talis eas grauat: quare plenitudo ad vasa est quæ obstruit vasa distendit &c. vt dicit Galenus in contextu, siue talis plenitudo ad vasa etiam vires grauet siue non. At altera plenitudo quæ non est ad vasa, sed tantùm ad vires, hæc quidem nihil dictorum efficere potest, vt ait Gal. cum non sit plenitudo, quæ vasa repleat, neque distendat, neque in redundantia consistit, sed sæpè in defectu, etsi semper est supra vires, aut plùs quàm vires ferunt. Vt enim vires cum valentes sunt omnia contemnunt, & sustinent, ita vires languidæ à quouis ostenduntur, ait ipse Galenus *infrà lib. 10. cap. 4.* quare & vires languidæ. Etiamsi in ipsis paucus sit sanguis, sæpè grauari solent, vt etiam ipse dicit *lib. de sanguinis miss. cap.* 8. imò & si pars aliqua inquit, ab humoribus in se contentis non grauatur, tamen excrementa quædam in qualitate præter naturam possunt eam grauare, vel ad eorum expulsionem excitare non minùs, quàm humores quantitate redundantes: atque ita plenitudo ad vires citrà aliquam abundantiam humorum consistere potest, vel potiùs cum eorum defectu; & per consequens de hac loquitur Galenus in textu, & hæc reuerâ neque obstruit vasa, neque distendere potest, neque transpirationem morare, &c. cum omnia hæc non defectum, sed redundantiam aliquam petant, ex quibus ad obiecta, aut in contrarium posita est facilis solutio.

Habemus iam quod plenitudo ad vires,
90 qua talis est non obstruit vasa, neque ca distendit, neque corporis transpirationem moratur, neque tumorem inuehit in partem vbi reperitur, neque colorem immutat: quæ cum sic se habeant, dubitatur modò quibus signis cognoscatur, aut circumscribitur, etsi enim indicatis omnibus differat ab alia plenitudine, quæ dicitur ad vasa, tamen inde non deducitur, quo signo proprio circumscribatur cum adest: quare quæramus hic, atque examinemus quæ sint propria signa plenitudinis cuiusque scilicet ad vires, vel ad vasa: siquidem hic de vtraque plenitudine agit Gal. non tamen docet quomodo dignoscuntur, neque quibus propriis signis circumscribitur; & quod magis est, neque in hac re sibi omninò constare videtur, neque signa quæ affert *lib. de plenit. & de sang. miss.* de dictis plenitudinibus ab auctoribus probantur absolutè, sed cum variis circumstantiis, aut limitationibus, vel additis: Vnde res hæc ardua est, acrique ingenio examinanda venit, vt eius veritas intelligatur. Agemus verò de ea ex ipso Galeno: nam si benè intelligatur ipse solus est, qui rem scientificè pertractat, resoluit, ac concludit.

Galenus *lib. de sang. mis. cap.* 4. acturus 91
de notis plenitudinis ad vires, & ad vasa primum omnium docet esse examinandum, quam vtilitatem, aut noxam humores, qui in corpore continentur partibus eius afferant! Et meritò quidem, quia res vt se habet ad esse, se habet ad cognosci ex Aristot. atque proinde, vt humores corporis iuuabunt, aut lædent dignoscuntur scientificè, & meliùs, quàm quauis alia via, aut ratione. Humores ergo in nobis omnibus ita vtiles sunt, atque necessarij, vt nec viuere, neque benè iuuare possimus, sine eorum debita copia, ac qualitate: sanguis enim, pituita, & vtraque bilis, tum flaua, tum atra, sunt hominis natura, ait Hipp. *lib. de hom. natura sent.* 18. & propter hæc sanus est, vel dolet; siquidem virtute, copia, & lege mixtionis secundùm naturam se habeant, sanus est homo; dolet autem si virtute, aut copia, vel lege mixtionis præter naturam se habuerint: debent siquidem dicti humores esse copia moderati, siue à mediocritate, neque nimis deficientes, neque redundantes, supra modum, & pariter in virtute, siue qualitatibus debent esse temperati, atque inter sese benè commixti, vt sic omnes partes corporis nutriant & calorem natiuum in se contineant, aut conseruent, ac nutriant; nam reuerâ non solùm partes animantis sanguine sic disposito aluntur, sed & natiuus calor perseuerantiam ex sanguine habet, & ipse calor cordis ex tenuiore sanguine, & aëre inspirato nutritur, ex ipso Galeno: quare vt humores sunt nobis natura, nosque viuificant, atque conseruant, benè commixti, benè attemperati, & copia moderati existentes: ita si in aliquo dictorum excedunt, desinunt esse natura, & morbosi statim fiunt doloresque generant varios, vel alia mala præter naturam: quare

hîc dictorum humorum exceſſus aggrediamur explicandos : hos autem exceſſus reuocat Gal. tum *lib. de plenit. tum de ſang. miſſ.* ad duo cap. ſcilicet ad plenitudinem ad vaſa , vel ad vires : nam quamuis humores peccare poſſint non ſolùm copia ſeu quantitate, ſed in qualitate , aut lege mixtionis , vt dicit Hippocrates : & quamuis quantitas eorum poſſit eſſe multa , vel pauca , & qualitas intenſa vel remiſſa , & denique ſubſtantia vitioſa, vel non : hæc quidem mala omnia humorum , ſiue receſſus eorum à ſua naturali mediocritate comprehendit Gal. ſub dictis duabus plenitudinibus : & benè nam ſiue humores quantitate ſint præter naturam excedentes, ſiue deficientes poſſunt vires grauare, vel non , & vaſorum capacitates replere vel non : & ſimiliter ſiue eorum ſubſtantia ſit bona , vel non , ſed vitioſa , ſeu corrupta vel aliter cachochyma ; & denique ſiue qualitate ſint benè temperati , vel non , atque inter ſe ſint benè vniti , vel non ; vt rectè ſpeculanti conſtabit.

92 Itaque quamuis redundantia humorum in nobis poſſit eſſe multiplex , ſcilicet redundantia eorum in quantitate peccantium, quæ plectora dicitur , vel redundantia humorum corruptorum , vel cachochymorum ; & vnaquælibet ex iis ſubdiuidatur in plures differentias ab auctoribus ; omnes tamen iſtæ inquit Galenus in ſumma ſolùm ſunt plenitudines ad vaſa , quia eorum cauitates replent, vel ad vires , quia ſunt ſupra ipſas vires, aut ſunt plures , quàm vires commodè ferrè poſſunt : quare nunc de ſignis humorum peccantium in nobis acturi quæramus ſigna eorum qui dictas duas plenitudines faciunt , ſcilicet ad vires , vel ad vaſa : ergo qui conſueta etiam nunc munia obeunt , & ſentire ſe graues dicunt pigros , ſegnes , & ægrè mobiles , hæc grauitas & pigritia ad motum , eſt plenitudo ad vires , ait loco citato *lib. de ſang. miſſ. cap.* 4. veluti etiam cum ab exercitiis tendi videntur , quia implentur eorum carnes humoribus , vt brachia , aut crura , caput &c. eſt nota alterius plenitudinis ad vaſa dicta , ſiue illius , quæ ex humoribus invaſis infuſis conſiſtit:vt enim qui onus geſtat , non protinùs vbi grauatur ac fatigatur concidit , aut ab eo deuincitur , eodem modo fieri poteſt , & ſæpè accidit , quod vires à plenitudine grauentur , & nondum ægrotet homo : quare grauitas & pigritia ad motum eſt ſignum plenitudinis ad vires , vt tenſio , ſiue extenſio vaſorum , vel carnium eſt nota alteriùs putredinis ad vaſa, ſiue tales putredines ſint totius corporis , ſiue non , ſed tantùm huius , vel illius partis , & ſiue tales plenitudines ſint humorum quantitate peccantium , ſiue qualitate vitioſorum , vt accidit cum poſt motiones , aut exercitationes vlceris ſenſus ſentitur in corpore ; hîc enim vlceris ſenſus vicioſi humoris eſt ſoboles , etiamſi hoc accidat benè valentibus, & adhuc conſuetas obeuntibus actiones , & quamuis dicta ſigna in toto corpore non appareant, ſed in partibus quibuſdam : quippè caput aliquando ſolum grauari , aut vlceris quemdam ſenſum habere experimur , ait Gal. vel ſolùm temporum muſculos tendi cum calore aut ſine illo : pari ratione in ore ventriculi , aut grauitatem , aut morſum , aut nauſeam , aut ciborum faſtidium , aut abſurdam inappetentiam percipimus : denique in iecore , liene, coſtis ſepto tranſuerſo , aut aliis partibus grauitatem ſæpè numero ſentimus.

Quod ſenſus tenſionis aut ponderis , vel 93
grauitatis in corpore ſint ſigna plenitudinis ad vaſa, vel ad vires ſatis explicatum eſſe videtur ; ſed adhuc magis explicat atque confirmat ipſe Gal. eodem *lib. de ſang. miſſ. cap. 6.* ſequenti ſic ſcribens. Cæterùm vtriuſque plenitudinis quantitas & propriorum ſignorum magnitudine definietur : quantò enim homo grauior ſibi videtur eſſe , tantùm magis auctam eſſe plenitudinem ad vires intelligamus : ad eundem modum quantùm tenſionis ſenſus augetur , tantùm etiam altera plenitudo ad vaſa dicta aucta erit. Verùm vtriuſque plenitudinis qualitatem dignoſces, partim è calore ; memor calorem humorum eſſe in nobis , ſiquidem corpus in calore & frigore externo mediocriter ſe habeat , partim ex iis quæ humorum naturæ inſunt : frigidiores namque frigidior corporis ſenſus ſequitur , calidiores autem calidior. Quaſi dicat Gal. ita ſenſus grauitatis , atque tenſionis in noſtro corpore ſunt ſigna vtriuſque plenitudinis ad vires & ad vaſa , quod conuertuntur cum illis, & augentur , ad earum augmentum. Valet enim dicere , eſt plenitudo ad vires : Ergo datur ſenſus ponderis in corpore , aut pigritiæ ad motum ; & ſimiliter valet dicere,datur plenitudo ad vaſa : ergo datur ſenſus tenſionis in parte repleta : præteredicerca etiam valet eſt magna plenitudo ad vires : ergo ſenſus ponderis , aut ſegnitiei , ad motum multus percipitur in corpore , vel in parte grauata ; & denique dicere valet, eſt magna plenitudo ad vaſa : ergo & tenſio magna. Etſi enim ſenſus tenſionis , & ponderis , aut pigritiæ ad motum paſſiones ſint facultatis animalis ſentientis, & non vitalis , neque naturalis ; iis tamen non obſtantibus ſenſus tenſionis , vel ponderis , aut pigritia ad motum ſigna ſunt plenitudinis ad vaſa , vel ad vires non ſolùm animales , ſed & vitales ac naturales , & experientia quotidiana experimur quod tales ſenſus conſequuntur non ſolùm grauitatem facultatis animalis ſentientis , ſed etiam aliarum facultatum ; fortaſſis, quia hoc quod eſt grauari eſt proprium ipſius caloris natiui , qui omnibus facultatibus eſt communis, vel quia facultas animalis ſenſifica compatitur aliis facultatibus grauatis , vt communiter dicitur : quare à primo ad vltimum ſenſus tenſionis aut ponderis ſunt ſigna plenitudinis ad vaſa & ad vires ſaltim in vniuerſû & ſine alia magis indiuiduali diſtinctione, huius vel alterius facultatis , vel huius aut illius qualitatis plenitudinis, cuius ratione poſſunt aliquo modo alterari, aut mutari.

Vt

94 Vt enim facultates quæ nostrum corpus gubernant sunt diuersæ inter se, & diuersas prorsùs obeunt actiones; ita grauatæ, aut repletæ, quæcumque earum diuersum pariter sensum grauitatis, aut repletionis ostentabit, aut aliud quodpiam sibi magis particulare sensibile symptoma, quo cognoscatur secum habebit: si enim in venis humores contenti nimis coaceruentur, non solùm vires grauare poterunt, & cauitates distendere, sicque & tumorem in eis facere; & tensionem; sed & temperamentum earum alterare, & actiones lædere poterunt, & per consequens simul cum grauitate corporis, aut venarum tumore, ac distensione, aut sine iis, accidere poterunt calor febrilis, & ipsorum humorum, vel cruditas, vel corruptio, cum propria actio venarum sit humorum conseruatio, & distributio: sic similiter si humores in carne coaceruentur, non solùm sensum grauitatis atque tensionis inducere possunt, sed etiam caloris aut doloris, aut alterius ingratæ qualitatis, nam carnes sunt præcipuum instrumentum sensificæ facultatis animalis: sic denique si humores in arteriis coaceruentur, non solum facultatem vitalem laxare, aut grauare poterunt, & ipsas arterias tendere, sed & insuper pulsus poterunt immutare, atque inæquales efficere, & deficientes in aliqua, vel aliquibus pulsationibus: hæ enim pulsuum inæqualitates sunt propriæ, ac peculiares facultatis vitalis grauatæ, siue in se ipsa grauata sit, siue consentiat grauitati aliarum facultatum principum; nam reuerà dicti pulsus inæquales non solùm in plenitudinibus reperiuntur, vel totius corporis, vel arteriarum, sed etiam in obstructionibus magnis partium nostri corporis internarum, ac principum, *vt 1. de arte cur. ad Glauc. cap.* 14. aduertit ipse Galenus vnde grauitas corporis, seu lassitudo spontanea, aut pigritia ad motum, vel per se solæ consistentes, vel simul cum alio dictorum coniunctæ, erunt notæ plenitudinis ad vires, vt tensio seu extensio vasorum, & tumor, atque tensio totius corporis, vel alicuius eius partis sunt nota plenitudinis ad vasa: siue vasa, aut carnes tendantur, aut extendantur humoribus, siue vaporibus solùm: nam re verà vapores vasa replent, & carnes, tendere possunt, non minus atque humores ipsi: sed distinguntur facilè, quia humores grauant partes quas replent, sed non vapores, & ideò tensio sine grauitate est nota plenitudinis vaporum.

95 Hic etiam obseruandum sese offert, quod quamuis nomen sanguinis dupliciter à Medicis vsurpari soleat, vt vult Gal. 1. *de nat. hum. com.* 27. vno scilicet modo quatenùs quatuor humores in venis contentos naturaliter comprehendit, & altero, quatenùs sanguinem solùm significat, distinctum ab aliis tribus, nunc tamen de sanguine redundante agimus in prima significatione: nam licèt verum sit quod sanguis solus quartus humor potest præter naturam accendi, & febrem facere, vt in phlegmonibus experimur; tamen in venis omnibus non ita solus abundat, quod febrem synocham efficiat, sed vna cum aliis humoribus augetur: cum enim sanguis purus naturaliter crescit, aut augmentatur, etiam alij humores augentur, etsi non tantùm quantùm ipse sanguis; siquidem materia laudabilis, aut temperata, ex qua sanguis purus quartus humor generatur, præstat, etiam materiam aliis humoribus generandis, nam talis est vt calor natiuus agens in eam, siue sanguificans, partes magis temperatas illius mutat, in dictum sanguinem purum, partes, aut calidiores in bilem, frigidiores in pituitam, & terrestriores, in melancholiam; quamuis, enim materia, ex qua sanguis generatur substantia sit optima, & temperata magis, quàm alia, quia tamen mixta est, includit etiam in se partes omnium elementorum, & per consequens partes dictas ex quibus alij humores naturales generantur in nobis: Et hinc fit quod in phegmonibus solus sanguis possit præter naturam accendi, & febrem efficere, nempè, quia tunc ab aliis secernitur, seu separatur, solusque imbibitur in parte quam inflammat: in venis autem non ita accidit; nam in venis sanguis semper aliis humoribus præpollet, saltim in statu naturali, & cum ipse præpollet insumit secum alios humores, quibus contemperatur, atque permiscetur: etsi enim sanguis in se temperatus sit, & magis perfectus humor, quàm alij, tamen illis etiam indiget, quibus temperetur magis, vel saltim temperatus conseruetur, nam re verâ cum ab illis separatur, vel alij ab ipso secernuntur, scandescit, & putrescit, vel aliter vitiatur, vt non solùm experimur, in dictis phlegmonibus, sed & etiam in aliis tumoribus dependentibus, ex humoribus separatis: quare in venis sanguis si augetur, simul cum aliis augetur, atque redundat, & simul cum aliis commixtus conseruatur, estque hominis natura, vt dicit Hippocrates, & per consequens sanguis sic commixtus cum aliis est causa febrium continentium, de quibus hîc agitur.

Vlteriùs obseruare debemus, quod si massa sanguinaria ita abundat, in nobis quod omnes venas repleat, vt in continentibus febribus accidere supponimus, debet quàm citissimè euacuari, sanguine misso, antequam sic abundans, & vasa nimis replens, magis præter naturam scandescat, & calorem acquirat febrilem, & antequam putrescat; non enim massa sanguinaria est hominis natura, vt ait Hipp. nisi virtute, copia, & lege mixtionis secundùm naturam se habeat; & per consequens neque perfecta permanere potest, si præter naturam alteratur, vel suprà modum augetur, in virtute, aut copia, vel lege mixtionis: cum enim copia nimis abundat, & vasa suprà modum replet sanguis si non suffocatur, vt ait Montanus, calidior se ipso redditur, sicque putrefit, vel aduritur, & non solùm desinit esse natura, sed è contra, causa corruptionis, aut mortis; 96

Vnde

Vnde festinare tunc debemus, ait Galenus in textu, ad sanguinem detrahendum, & dictam sanguinis redundantiam, vasorumque repletionem evacuandam, vt sic venarum natura transpiret, & liberè ventiletur, sicque transpirando ventilandoque naturalem temperiem seruet humoribus, & eis eo quo inter initia modo dominetur: si enim natura aduersa temperie laborauerit, metuendum est ne humores putrescant; nam humores à se non conseruantur, sed corrumpentur, si à natura, aut calore natiuo non conseruantur: natura enim venarum, vt hîc ait Gal. est quæ humores conseruat ne corrumpantur, sed naturalem temperiem retineant, scilicet cum secundùm naturam se habet, benè temperata est, & benè transpirat; sic enim ipsa conseruatur, humoresque conseruat ne putrescant. Sed dices, si in synochis febribus, & aliis morbis, in quibus sanguis redundat in vasis, debet Medicus statim sanguinem redundantem vacuare sanguine misso, antequam nimis scandescat, aut putrescat, & antequam natura vasorum, siue calor natiuus eorum ignescat, vel aliter intemperatus desinat esse natura, & ampliùs non conseruet humores, sed potiùs corrumpat; quare posteà dicit ac docet in iis febribus continentibus sanguinem esse mittendum quocumque morbi tempore modo vires sustineant: non enim ait, numero dierum sed vni virium robori est attendendum in talibus febribus, quippè quod si seruatum est, non solùm sexto, aut septimo; sed etiam sequentibus diebus sanguis est mittendus: hæc sanè superioribus aduersantur. Auicenna etiam sic habet. *Et sciat quod phlebotomia, quando est intensio sanguinis, non est ex genere eius, in quo spectatur digestio; & cum postponitur phlebotomia, à principio agritudinis, tunc non phlebotomes in statu eius, cum non sit ei intensio.* Quasi dicat quod sanguinis missio, est remedium eorum, quod si indicatur à morbo debet statim administrari, in principio illius, non verò posteà in statu eius, quia tunc iam non indicatur. Hipp. similiter incipientibus morbis, si quid tibi videtur mouendum moue, ait, in statu autem meliùs est quietem habere: quare, & in synochis ita faciendum.

97 Respondetur in synochis febribus, & aliis etiam in morbis, in quibus indicatur sanguinis euacuatio, vel propter morbi ipsius magnitudinem, vel propter ipsius sanguinis multam redundantiam, debet statim educi propter rationes in textu à Gal. traditas, & hîc à nobis repetitas: si tamen postponitur, & in principio sanguis non educitur, si vires consentiant, in augmento, vel statu est euacuandus: nam quamuis verum sit quod sanguinis missio in principio facta faciliùs toleratur, tum quia natura est robustior; tum quia humores distant parum à statu naturali, & ideò sanguinis missio vsque ad animi defectum, in principio, & non in statu morbi exerceri debet, cum indicatur: Si tamen in principio omittatur ob aliquam causam, si vires robustæ perseuerant, in augmento, aut statu fieri poterit, atque debebit, cum vires consentiant, & postulans, nempè morbi magnitudo, & materia multùm abundans perseueret: non enim status morbi, aut eius augmentum omninò impediunt sanguinis missionem, sed potiùs limitant, prout in eis vires minùs vigent, & materiæ morbificæ magis vitiantur, atque à statu naturali recedunt magis: Cum enim humores, ait Gal. *quarto de san. tuen. cap.* 4. parum distant à natura sanguinis, audacter sunt sanguinis missione euacuandi; cum verò multum distant nullatenùs, & denique cum mediocriter distant cum consideratione agendum: Vnde Hipp. rectè scribit, ad Cratebam omnis procrastinatio mala, præsertim in nostra Medicina, in qua dilatio sæpè vitæ periculum, vel mortem ipsam infert. Nunc, vt argumentis in contrarium positis, ex Hipp. & Auicen. rectè respondeamus aduertimus, quod ex morbis alij salutares sunt, alij verò non: qui salutares sunt, in augmento concoquuntur à natura manifestè, & in statu perfectè: quare isti neque in augmento indicant sanguinis missionem, aut aliam euacuationem sed quietem; nam ad coctionem requiritur quies, & proinde de iis loquuntur Hipp. & Auicen. cum dicant in statu melius est quietem habere, cum non sit ei intensio, aut indicatio tunc ad sanguinis missionem: Vnde neque nos, neque Gal. in textu loquimur de iis, sed de aliis, qui augmentum, aut statum, habent malum, vel saltim in quibus natura potius conflictatur à morbo, quàm concoquit: tunc enim ait Gal. si vires constant, sanguis mittendus est, & quidem in tanta quantitate, quanta sit satis vt leuetur natura ab eo quo veluti sarcina premitur, & quod reliquum fuerit possit vincere, atque cõcoquere: Vnde Hip. 3. *epid.* in Anaxione pleuritico, octauo die venam secuit; & sanguis exit copiosus, ait, qualis oportuit, quia febris & dolor intendebatur, & calida fomenta non iuuabant.

Insuper hîc aduertendum est, quod vt 98
ait Gal. *in text.* si aliquando Medicus coactus fuerit curare ægrum synocha laborantem, qui non solùm anteà venæ sectionis auxilium omisit, sed etiam nunc, aut propter timiditatem, aut propter aliam repugnantiam; in tali casu ad frigidæ exhibitionem veniendum est, si febris est maxima, vt esse solet; quia ad propulsandas febres ardentissimas, est tam efficax, & præsentaneum remedium, quod scribit, Gal. 4. *de vict. rat. comm.* 12. neminem mortuum esse, cui aquæ frigidæ potum exhibuerit. Et addit, sed fortè quispiam, me asserere putabit, nullum ex iis qui febre ardente laborant moriturum, qui aquam tempestiuè biberit, quamquàm id non asserui, sed quod omnibus, quibus propinaui, cum adeò multi extiterint, vt numeri non meminerim, successit auxilium & salus: Vnde potus aquæ frigidæ dignitas, & præstantia in suis casibus est maxima. Verùm quantum dignitatis,

aut

aut vtilitatis habet hoc remedium tempeſtiuè datum quibus conuenit, tantum habet periculoſi, ſi tempeſtiuè, & vt oportet non exhibeatur: ideoque Gal. in textu, multas affert cautiones, vt tutò propinetur: & nos etiam nunc quærimus an potus aquæ niue refrigeratus non vtcumque refrigeret, ſed multum, potiſſimum potus agoniſticus, de quo nunc agimus, id eſt potus aquæ in multa quantitate bibitus, ſcilicet quanta vnâ vice æger poſſit bibere, cum inquam potus agoniſticus, & quia quantitate multus eſt, & quia niue refrigeratur multùm refrigerat, conſequenter quæritur benè, an adhuc in febribus tutò dari poſſit, cum omne nimium ſit noſtræ naturæ inimicum?

99 Sed reſpondetur affirmatiuè: nam aqua niue refrigerata, niſi extremè frigeſiat, quod non ſupponimus nos veró quidem refrigerat, ſed non plùs quàm oportet, ſi quibus conuenit propinetur, tum ſanis tum ægris, ſiquidem vtriſque eam innoxiè præbuit Gal. ſcilicet non ſolùm febrientibus, vt viſum eſt, ſed etiam ſanis *lib.* de bono & malo ſucco *cap.* 1.3. vbi ſic ſcribit. Qui niue vti conſueuerunt, hac ipſa refrigerant ante, qui verò fontana aqua, ac recenti vtuntur, nulla niuis neceſſitate: Sic porrò dilutum, quoque vinum ad hunc modum refrigeratum, id eſt, vel niue, vel gelidiſſima aqua refrigerata, vaſe videlicet quo vinum continetur aquæ indito. Atque hæc ego iis conſulo, qui vitam negotiis plenam degunt, cuiuſmodi ſunt, qui gentibus ac ciuitatibus regendis præſunt, horumque imprimis miniſtri: nec ſanè minùs, qui militiam exercent, aut iter longinquum ingrediuntur. Ac quicunque negotiis iis ſoluti degunt, iis ſiquidem, vt ſoliti ſunt ſe exerceant per quàm rarò frigidæ vſus neceſſarius eſt: quod ſi non exerceant ſe, & calorem multum perſentiant, æſtate vigente, tuto ij fontanam biberint, repudiata niue; nam tametſi ipſa ſtatim nix noxa ſenſibili non videatur iuuenum corporibus afficere, temporis tamen proceſſu, paulatim, occultoque increſcente noxa, vergente nempè ætate, articuli iis, neruique, ac viſcera morbis corripiuntur, vix aut nunquam ſanandis. Itaque Galenus etiam ſanis, qui vitam negotiis plenam degunt, conceſſit vſum niuis, & iis qui militiam exercent, vel aliter multùm ſeſe exercent, vt qui iter longum ingrediuntur: aliis verò alio modo exercitatis, vel illis qui omninò exercitio carent, tarò vſus niuis eſt vtilis, niſi ætas vegeat, vel caloris multum perſentiant; vt corpora bilioſorum ſolent perſentire, & qui multa bile abundant amara,

100 Vlteriùs dubitatur hîc an clyſteres debeant præcedere venæ ſectionem, an ſubſequi! etſi enim Gal. in textu apertè dicat ac doceat, quod ſi tempore mittendi ſanguinem præcedat ciborum cruditas tanto tempore differre venæ ſectionem oportet, quantùm ſatis ſit, tum ad eorum coctionem, tum vt excrementa deſcendant; & alibi ipſe atque Hipp. prædicant ante venæ ſectionem eſſe inſpiciendum an ſtercoris detentio, vel aliorum excrementorum redundantia in inteſtinis ſit: Sique ita eſſe deprehendatur, molli clyſtere aluus antea vacuari debet, ne venæ putridam excrementorum colluuiem attrahant poſt ſectam venam: iis tamen minimè obſtantibus ſunt multi Medici qui exiſtimant clyſteres, non debere præcedere ſanguinis miſſionem, ſed ſubſequi. Principale iſtorum fundamentum eſt, quia vident Hippocratem ſæpè poſt ſectionem venæ vti clyſteribus in morborum curationibus: 4. *enim de rat. vict. in morb. acut.* vbi de acutorum ferè omnium morborum curatione agit: reucta ita procedit ferè ſemper, vnde *ſent.* 21. agens de curatione ferè omnium acutorum morborum, qui in cauitatibus naturali, atque vitali fieri poſſunt, & de aliis qui dicuntur Syſtrophas, ſiue collectiones, quia fiunt ob multitudinem, atque concurſum plurium humorum in partibus collectorum, ſcribit, hos non poſſe ſolui, ſi quis primùm tentet expurgare: ſed venè ſectio in talibus principalis eſt; deinde autem clyſteribus eſt agendum. Quaſi dicat ex 1. *aph.* in acutis paſſionibus tarò, & in principiis vtendum purgatione, ſcilicet antequam humores fluentes, aut agitati firmentur in aliqua parte, & antequam ventres ac carnes laborantium nimis incaleſcant: carnes enim & ventres, cum nimis incaleſcunt, *ait lib. de med. purg.* medicamentum aſſumit, & nihil purgantur, ſed febris maior fit: quare in acutis morbis tarò & in principiis poſſumus purgare: imò in dictis omnibus acutis, qui dicuntur morborum collectiones, ſiue concurſus, ac repletiones multorum ſuccorum, in partibus naturalibus, aut vitalibus, nunquam in principiis poſſumus purgare, neque tales morbi poſſunt ſolui, ſi quis eos tentet primùm expurgare: ſed venæ ſectio in talibus principalis eſt, deinde clyſteribus, eſt agendum, ſi magnus, & fortis adhuc ſit morbus; alioquin poſteà opus eſt expurgare. Indiget autem ſecuritate, & mediocritate expurgatio, poſt miſſionem ſanguinis. Ecce inquiunt iſti, quod Hipp. in morbis ferè omnibus acutioribus, ac magis periculoſis, qui in cauitatibus naturali ac vitali fieri poſſunt, priùs ſanguinem mittit, & poſtea clyſteribus vtitur ſi ſanguinis miſſioni non cedit morbus.

101 Eodem etiam *lib. ſent.* 74. & 75. agens de curatione pleuriticorum ſcribit. Secare oportet venam internam in brachio, quacumque parte dolor ſit, ſecundùm eam: auferrè verò ſecundùm corporis habitum, & anni tempus, & ætatem, & colorem: ampliúſque confidentur ſi acutus ſit dolor, vel ducere vſque ad animi deliquium: deinde poſt hæc clyſtere vti. In ergo quod hîc etiam poſt miſſionen ſanguinis in affectionibus pleuriticis vtitur Hipp. clyſtere, expreſſis verbis: quæ docet, inquiunt iſti, nunquam ante miſſonem ſanguinis; ſed ab

ea

ea semper esse vtendum clystese. Verùm falluntur quidem: si quis enim attentè legat, quæ Hipp. vel hoc opere scripsit, intelliget facilè, neutrum esse agendum perpetuo, sed sua occasione vtrumque, & vt ses postulabit: si enim quo tempore sanguis debet mitti sit satietas aliqua, siue ciborum repletio in ventriculo, vel in intestinis sint fæces detentæ, vel alia excrementa, sanè in iis casibus clysteres debent præcedere sanguinis missionem, non solùm ex Gal. sed ex ipso Hipp. *lib. 1. de rat. vict. in acut.* si verò nulla sit ventriculi satietas, neque in intestinis excrementorum redundantia, sed solùm materia morbi sit euacuanda, in hoc casu iubet Hipp. sanguinem priùs mittere, & mox clystere vti; & benè quidem; nam tunc ante ipsam sanguinis euacuationem nullus est vsus clysteris, cum nulla sit excrementorum redundantia in ventre, aut intestinis, quæ clystere petat euacuari: Post sanguinis autem missionem in morbis magnis, aut acutis, indicatur quidem clyster, vt id bilis quod agitatione sanguinis à massa secernitur, & à natura expellitur ad intestina clystere subducatur: si enim materia morbifica, in venis contenta non est omninò commixta, aut vnita secundùm omnes suas partes cum massa sanguinaria, agitatur, haud dubiè per sanguinis missionem id quod seiunctum à massa est, & à natura roborata, & à sarcina leuata, sanguine misso, expellitur è venis ad intestina, siue ad mesenterium, tanquam ad cloacam communem, vnde tandem foras pellatur à facultate expultrice, vel arte, scilicet clystere. Itaque ad euacuandas matesias redundantes in aluo, & prima regione vtimur clysteribus ante, & post sanguinis missionem: ante quidem ad eas, quæ ex assumptis cibis, aut aliis externis erroribus colliguntur ibi, ne vacuatis venis eo deducantur, si etiam aluus sicca est mollire eam clystere oportet, ne misso sanguine magis siccescat: ob propriam verò morbi materiam, quæ ex venis concitatus vtimur clystere post missum sanguinem, vtrum autem hoc potiùs quàm illo, vel vtroque opus sit, ses ipsa & occasio indicabit: in morbis enim acutis, aut malignis, vel aliter vitioso corporis apparatu affectis, sine dubio reperiuntur in venis materiæ dictæ vitiosæ, atque biliosæ, tenues, ac separatæ, à commercio sanguinis, & aliorum humorum, qui massam componunt: quare in iis Hipp. sanguine misso maxima cum ratione iubet vti clystere, vt eo per secessum citentur, ac subducantur tales vitiosæ materiæ, ne petant alias partes principales, quod est facile, cum sint tenues, agitatæ, & à massa sanguinis separatæ, sicque possint facilè post ipsam sanguinis missionem vel caput petere, vel cor, vel aliam partem, & malum magnum, ac quasi instantaneum facere; vt multoties fieri visum est; quod non aduertimus nos, nisi cum accidit: Hippocrates autem aduertit, & clystere præcauet ne fiat: vnde clystere vnâ horâ post sanguinis missionem, est iniiciendus.

Sed iam explicandum aggrediamur, quod 102
Textum exponentes præmisimus, scilicet quod animi defectus est passio, siue defectus ipsius caloris natiui, a quo calor febrilis solet non solùm minui, sed in totum subitò extingui; & quod animi defectus ex nimia sanguinis fusione factus potest esse sine periculo aliquo: etsi enim eo loco ex Hipp. demonstrauimus, quod in febsibus ardentibus, in quibus accidunt animæ defectiones solent inde accidere febrium ipsarum defectiones, hoc autem quomodo fit, & cur ita fiat non ostendimus, si enim diximus ibi, quod animi defectus ex misso sanguine factus in febribus Synochis si vires constent non est periculosus, neque hoc probauimus: Quare hæc nunc demonstranda aggrediamur, suo ordine. Hæc autem, vt rectè habeantur in primis explicare debemus, quid sit animi defectus, aut quis sit animi defectus ille de quo Gal. atque Hippocrates loquuntur quando dicunt, quod animi defectus minuit febrem, aut subitò eam extinguit? Non enim apud Medicos benè constat, quis sit iste animi defectus: neque apud omnes constat quid sit animi defectus, sed variè explicatur à recentioribus: ij enim supponentes animi defectum esse defectum facultatum animæ, seu virium corporis, variant in explicatione; nam alij dicunt animi defectum esse defectum facultatum, aut virium animalium; alij vitalium; alij non animalium solùm, neque vitalium, & animalium simul, sed defectus omnium facultatum, atque virium nostri corporis: etsi enim, dicunt isti, animi defectus passio sit atque defectus proprius, atque primarius facultatis vitalis; quia tamen inde dependent facultates animales & naturales; nam omnes reuerà sunt vitales, & à vitali aliæ semper vitam suscipiunt, hinc fit necessariò, quòd animi defectus sit defectus omnium facultatum animæ, quamuis affectus sit proprius solius facultatis vitalis. Sanè magni sunt Medici, qui tenent animi defectum esse passionem facultatum animalium primò, & per se: Sed mea sententia meliùs sentiunt qui dicunt esse passionem primò facultatis vitalis & inde aliarum: etsi enim, apoplexia, epilepsia, caro, & catalepsis sint se vera defectus facultatum omnium, aut ferè omnium facultatum animalium, & earum actionum; non ideò tamen tales affectus dicuntur à Medicis animi defectus; sed alij, in quibus facultates omnes deficiunt, vt Syncope est & vteri suffocatio, & similes repentinæ animæ defectiones omnium actionum nostri corporis: siue enim Syncope detur, siue animi defectus, siue vteri suffocatio, in iis quidem subitò deficiunt omnes facultates, aut facultatum omnium actiones; nam qui Syncope afficiuntur derepentè priuantur, non solùm sensu, atque motu voluntario, vt qui laborant apoplexia, catalepsi, & aliis dictis passionibus facultatis animalis,

lepsi, & aliis dictis passionibus facultatis animalis, verùm etiam pulsu privantur, & respiratione sensibili, & quasi essent mortui jacent, & repentè cadunt, privati in totum omnibus suis actionibus, non tantùm animalibus, sed & vitalibus ac naturalibus; quod idem in histericis passionibus, sive in vteri suffocationibus contingit; quare in iis potiùs, quàm in morbis capitis,& solius facultatis animalis, datur verus animi defectus, sive defectus actionum omnium animæ, cùm in apoplexia & aliis dictis morbis capitis pulsus non deficiat, neque respiratio, & multoties, neque multùm lædantur, aut præter naturam alterentur: concludunt itaque quòd animi defectus est defectus virium omnium aut facultatum animæ, & totius corporis, non passio solius facultatis animalis, quamvis in apoplexia, & aliis dictis capitis magnis morbis subitò vt in syncope & vteri suffocatione, pereant omnes facultates animales, & earum actiones.

103 Sed dubitabis, inquiunt isti, in quo differunt animi defectus, vteri suffocatio, & syncope, si in eis pereunt omnes animæ actiones, atque operationes. Respondetur cum distinctione: nam in primis animi defectus & syncope differunt a suffocatione vteri, quia affectiones sunt, quæ parum durant, citóque ægrotantes in eis ad se redeunt, & ad suas actiones vitales exercendas: vteri autem suffocatio, sive histericæ mulierum affectiones solent per duos, vel tres dies durare, vt ipsa apoplexia: etsi enim in his vteri affectibus, vti in syncope soleat respiratio deficere in totum, & pulsus, saltim sensus judicio; & quamvis communiter dicatur, quòd est impossibile viventem non respirare: his tamen non obstantibus experimur qui syncope afficiuntur, & dictis histericis suffocationibus vivere sine pulsu, neque respiratione, cùm posteà redeant in se, & ad exercendas, vt anteà, suas vitales omnes operationes: vnde vivere stat dupliciter, vt advertit Toletus 2. *de anima text.* 4. scilicet vivere in actu primo, & vivere in actu secundo vivere in actu primo, est animam esse vnitam corpori nihil agendo; vivere verò in actu secundo est agere actiones vitales, sive operationes omnes nostri corporis exercere: in primo ergo vitæ statu nulla est respiratio, neque pulsus, neque vlla alia operatio, quia respiratio quælibet ea fit, est actio animæ, aut corporis animati, & tunc nihil agit anima, neq; corpus, etiamsi sit animæ conjunctum: in statu verò secundo respirat animal, reliquasque vitales exercet operationes, quia, vt communiter dicitur, prius est esse, & posteà operari: quare in secundo vitæ statu verificatur, quòd est impossibile viventem non respirare, quamvis in primo statu nihil respiret, neque aliam operetur actionem animal, aut omnia. Respondetur etiam quòd animi defectus, de quo ex instituto nunc agimus, differt à syncope, & ab histeticis dictis suffocationibus, quia minùs offendit, neque semper in animi deliquio in totũ abolentur operationes sicut in syncope & vteri strãgulatione, sed animi defectus antecedit dictos affectus, & quasi corũ est principium: est enim animi defectus ea resolutio roboris, sive ea debilitas facultatum omnium atque exsolutio, in qua ita deficiunt, quòd derelinquũt actualem corporis administrationẽ ferè in totum: vnde pulsus, seu anhelitus, seu respiratio in animi defectu adeò languidi sunt, vt vix percipiuntur, sudores, & alvi excrementa, ex defectu retentricis sæpè involuntariè excernuntur, sensusq; omnes tã interiores, quàm externi à suis operationibus ferè in totum cessant, quasi essent jam verè mortui, aut actu morientes.

104 Sed vt hæc magis intelligantur, aliqua sunt vlteriùs explicanda. Primum ergo notare debemus ex Gal. *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 14. quòd hæc duo nomina, animi defectus, & exsolutio sunt synonoma, id est, significant vnã eandemque rem, scilicet defectum, sive diminutionẽ substantiæ caloris nostri nativi: anima enim apud Hipp. & Gal. non animam rationalem significat, sed eius præcipuum instrumentum, nẽpe calorẽ nativum: quare animi defectus, sive exsolutio est solutio, aut inanitio, aut deperditio talis caloris nativi, & verus defectus substantiæ eius: etsi enim calor nativus præter naturã refrigeretur, & sic eius qualitas calida remittatur, aut solvatur, aut deficiat, tamen iste defectus non dicitur defect⁹ aut exsolutio apud Gal. sed cùm substantia dicti caloris revera solvitur, deficit, atque diminuitur, & quidem non vtcũque, sed multùm, & eo vsque quòd ob eius defectum amplius operari nequeat: cùm enim calor nativus refrigeratur, sed substantia eius non solvitur, neque diminuitur, aut deficit, tunc quidẽ non cessat operari, neque sic in totum impeditur ad agendũ, sed producit effectus frigidos; cùm verò substantia eius exsolvitur, ac multùm deficit, amplius nihil operatur, quia ex defectu dictæ substantię virtus operativa penitùs solvitur: vt enim scintilla ignis, ignis est, & tamen non vrit, neque calefacit nos, quia substantia est minima, ita noster calor cùm multùm deficit nihil operatur.

105 Secundò est advertendum quòd quamvis Galenus loco citato dicit animi defectum præcedere multos morbos, vt syncopem, vteri strangulationem, marasmum, apoplexiam, & alios; & plures etiam alios insequi, aut comitari; non tamen explicat, aut advertit magis, quid sit iste animi defectus, qui syncopem, & alios affectus antecedit, & alios comitatur, aut sequitur; neque explicat an in animi defectu omnes corporis actiones pereant, aut ferè in totum deleantur, vt Medici recentiores ferè omnes supponunt, sed imò potiùs inter alia sic scribit. Et ingens fames, quæ bulimos dicitur nihil aliud est, quàm animi defectus; in bulimia autem solùm fames deficit, sive appetitus ciborum: nam bulimos, vt ipse ait *secundo aphorismorum, commentario* 21.

est defectus appetitus alimenti à frigore externo, sive est defectus facultatis cibos appetentis à frigore externo deiectæ: quamvis enim bulimos, aut bulimia idem sonat, atque ingens fames, quia ab ea incipit, sed statim famem in totum amittit, ob defectum facultatis appetentis: cùm enim ex magno frigore externo ventriculus multùm frigescit, priùs famescit, multumque edit, & non satiatur, sed posteà cessat fames, & appetentia cibi in totum aufertur, quia facultas appetitiva lassatur valdè, atque exsolvitur à frigore illo, & ita quidem, vt amplius nihil appetat, sed in totum fames, seque fit bulimos, sive defectus appetitus à frigore externo, & ingenti fame: vnde apud Gal. vt non repugnat quòd animi defectus lædat omnes vires corporis, aut omnes animæ facultates prosternat, vt qui antecedit syncopem, aut vteri strangulationem, aut marasmum, sive totius corporis consumptionem; ita non est necesse, quòd omnes perdat, sed sat erit, si vnam tantùm, aut plures animæ potentias, aut vires ita dissolvat, quòd ampliùs operari nequeant, neque proprias actiones edere valeant, vt in bulimia fieri videmus in facultate appetente, quæ dicitur fames.

106 Tertiò est advertendum, quòd animi defectus, quamvis est semper defectus caloris nativi, & eius substantiæ exsolutio, & quasi impotentia ad operandum; iis tamen non obstantibus animi defectus non solùm est animi defectus, cùm ob suam impotentiam ampliùs non potest operari, vt cùm in bulimia jam non datur fames, verùm etiam cùm talis animi defectus, sive solutio, aut diminutio caloris nativi operatur, & quidem non diminutè, sed potiùs depravatè, vt patet in ipsa bulimia, in qua, ait Galenus, & ingens fames nihil aliud est quàm animi deliquium. Quasi dicat: bulimos non solùm est animi defectus in fine, quando deest fames, & nullus datur ampliùs appetitus ciborum, sed & cùm incipit, atque ingens est fames: & ratio est, quia ingens hæc fames oritur ex ipso defectu animi, sive ex defectu substantiæ caloris nativi, & quidem magno: quamquam enim in bulimia in fine cùm jam non est fames, magis deficit calor, qui est causa famis, quàm in principio, cùm ingens est fames, sive ciborum appetitus: tamen & tunc dictus calor multùm deficit cùm depravatè operetur, & non diminutè: cùm enim calor nativus parum deficit, pariter diminutè, parumque operatur, si verò multùm deficit, potiùs depravatè operatur, quàm diminutè, vt *libro septimo* agentes de debilitate latè ostendimus. Quòd autem ingens fames, quæ datur in bulimia sit actio depravata, potiùs quàm diminuta, constat manifestè, non quia ingens est, seu multa, ac magna, verùm quia est talis quòd alimentis non satiatur: quæ enim fames alimentis assumptis sedatur, quamvis ingens sit, depravata non est, sed solum magna; quæ verò alimentis non tollitur, prava est, aut depravata, cùm non corrigatur cibis assumptis, quibus fames corrigitur atque sedatur cùm fames est magna, aut parva: fames enim est appetitus cibi, vt sitis appetitus potionis: quare fames, quæ depravata non est, cibis sedatur, & sitis potu: nam, vt inquit Montanus, nullus appetit id quo abundat, sed id quo caret, atque destituitur, si benè appetit, & non pravè, neque erroneè, & aliter ac appetere debebat, quod est appetere depravatè.

107 Itaque bulimia, sive affectus ille, qui dicitur fames canina, est animi defectus, non solùm in fine cùm jam fames est nulla, quia deficit appetitus, sed etiam cùm incipit, & ingens est fames, quia sequitur magnum defectum facultatis appetentis, sive ipsius caloris nativi, qui appetit. Sic enim anxietas est animi defectus non solùm in fine cùm jam anxij moveri nequeunt, sed quiescunt, quia deficit sensus, qui molestiam persentiat, sed anteà cùm laborantes actu anxij sunt, sive actu sunt inquieti, & quiescere nequeunt, ob anxietatem, sive passionem validam, aut pessimam, qua multùm irritantur, & quam ferre nequeunt: est enim anxietas æstuatio vehemens, & quasi agonia caloris nativi, in qua laborantes ita molestantur, & ea angustia, aut passione pessima corripiuntur, in qua cùm moveri non possint neque quiescere possunt; & ideò nihil facere possunt, neque quiescere nisi cum angustia, atque anxietate, & quemcumque locum mutent, aut quærant, non inveniunt requiem, neque passionis levamen, sed à quovis dolent, molestantur, & malè habent, quia omnia dolent, & quocumque eorum calor nativus de novo patitur, magis irritatur, vel saltim de novo anxius fit, atque cruciatur, & quidem ita vehementer, vt si talis angustia, vel anxietas citò non sedatur, ac cessat, etiam intra paucum tempus cessat angustia, & amplius laborantes anxij non sunt, sed quiescunt, & liberantur ab omni molestia, aut irritamento, quibus antea premebantur, non quia sint sani, sed quia tunc ipsa anxietas ita multùm dissolvit, aut imminuit calorem nativum, vt ob defectum amplius jam operari nequeat, neque modestiam percipere, qua anteà premebatur, cùm sensum habebat & irrequietus erat.

108 Sed dices: in anxietate quieta ob animi defectum ita deficit calor nativus, vt ob eius nimiam diminutionem amplius nequit operari, neque sensationem molestã, atq; pessimam, qua afficitur persentire: ergo tunc æger privabitur etiam derepentè sensu ac motu, pulsu atque respiratione, & aliis omnibus corporis actionibus, vt in syncope & vteri suffocatione ob talem defectum fieri videmus.

videmus. Respondetur nego sequelam; & ratio est quia vt suprà notabimus ex Galeno animi defectus licèt exsolutio sit: at iste defectus non semper includit priuationem omnium corporis operationum, vt accidit in Syncope; quamuis in eo multoties multæ pereant, vt in senibus fieri videmus, & in marasmo, inque aliis totius corporis extenuationibus maximis, atque extremis debilitatibus: Senes enim & qui marasmo corripiuntur, vel aliter atrophia laborant, aut maxima totius corporis gracilitate, vel extenuatione, ex defectu dicti caloris natiui, & defectu nutritionis, aliarumque omnium actionum naturalium dictam corporis consumptionem patiuntur, quamquàm inde syncope non afficiantur, neque animalibus, aut vitalibus actionibus priuentur, & multoties neque sensibiliter læsæ apparent, vt læduntur, & omninò deficiunt, in syncope. Quæ vt plenè intelligantur, est aduertendum quod cum calor natiuus exsoluitur, aut multùm imminuitur potest quidem multùm deficere ita vt qui remanet soluatur à corpore recurratque subitò ad suum principium, nempè cor, derelinquatque omnes alias corporis partes; & potest etiam deficere quin soluatur à corpore qui restat, neque recurrat intrò, sed fixus, aut fluxus perseueret in partibus: cum ergo calor natiuus exsoluitur, multumque minuitur, aut deficit, qui tamen remanet non recurrit ad centrum, sed permanet in corpore, atque eius partibus, tunc est animi defectus, non verò syncops; nam hæc vtrumque includit in se, scilicet exsolutionem, & recursum; vel vt ait Galenus animi defectus, qui antecedit syncopem, quæ est præceps omnium virium lapsus, & consequenter in recursu caloris ad centrum consistit, vt qui subitò fit, & subitò soluitur, vt docet experientia: hunc quidem recursum antecedit animi defectus dictus, tanquam eius causa: non enim syncope dari potest, neque marasmus, aut diaphoresis, vel corporis resolutio, aut carnium magna consumptio, neque vteri suffocatio, aut apoplexia neque denique maligna epilepsia, ait Galenus quin præcedat dictus animi defectus quasi eorum causa.

109 Si itaque senes multùm gracilescunt, atque eorum carnes nimis consumuntur, ex eo quidem fit, quia calor natiuus, qui earum causa est, & conseruator, exsoluitur, siue deficit tantùm, vt ampliùs nutrire corpus nequeat, neque quod deperditur quotidie reficere; similiter si in marasmo, aut in diaphoresi, omnes partes corporis humidæ consumuntur, & ferè in totum exsiccantur; certè hoc inde prouenit, quia calor natiuus earum partium ferè in totum deficit, vel ita deficit, vt ampliùs corpus neque alere, neque restaurare, aut conseruare valet, sed quasi in totum soluitur naturales omnes operationes. derelinquit, quod est proprium animi deliquij, siue animi defectus, & per consequens præcedit vt Galenus dicit, marcorem, & diaphoresim, siue corporis dissolutionem, animi defectus, quamuis sic syncope nulla datur, sed postea solet superuenire, si ad dictam corporis, atque caloris natiui exsolutionem, aut diminutionem, sequatur recursus subitus alterius caloris, qui remanet in suum principium, seu fontem, scilicet in cor, vt in marasmo syncoposo accedit, id est in marasmo cui syncops superuenit: cum enim calor natiuus multùm exsoluitur, vel aliter multùm defatigatur, solet subitò omnes operationes corporis relinquere, & ad cor præceps recurrere, vt ibi, tanquam in proprio fonte ac centro requiescens, ab operibusque cessans, instauretur, & sic instauratus inde iterùm fluat in corpus ad operandum vt anteà: nam cum motus laborem facit, ait Hippocrates 2. *aphor.* 48. id est fatigat, vt Galenus ait *in comm.* quies lassitudinem sedat, & virtus vnita fortior est se ipsa dispersa; atque proinde calor natiuus laboribus nimis defatigatus, vel ex alia quauis causa nimis fusus, siue solutus; præceps recurrere solet ad cor, vt sic roboretur, & robustus factus possit iterum foras exire ad operationes totius corporis exercendas, quas antea exercebat; vnde prouenit quod iste recursus ad cor, & quies in eo caloris natiui, non semper sit æqualis, sed in syncope parum durare solet; in vteri verò strangulatione, & in aliis suffocationibus, duret ad duos vel tres dies, & postea tandem suscitatus iterùm foras influat ad partes.

Quod autem marasmus non syncoposus 110 sit cum animi defectu coniunctus, & inde tanquam à causa oriatur, ex ipsius natura sic ustenditur: marasmus est *extenuatio extrema totius corporis, siue consumptio omnium partium eius humidarum*: Deficit etenim in marasmo, vti in senio, substantia humida carnium, & partium solidarum, vsque ad ossa ipsa: hæc autem consumptio totius corporis, & partium eius, quæ datur in marasmo, sequitur, vt ait Galenus, animi defectum, sive defectum caloris nativi, & quidem in multa quantitate, cùm marasmus non solùm sit morbus siccus, ob defectum dictarum partium humidarum, sed siccus pariter & frigidus ob defectum actualem dicti caloris nativi, à quo partes omnes corporis, cùm secundùm naturam se habent, actu incalescunt, moderatam corpulentiam, & colorem vividum, seu vitalem ac pulchrum suscipiunt, & per consequens animi defectus, sive defectus caloris nativi, qui præcedit marasmum, privat dictas partes non solùm sua moderata corpulentia, quam anteà habebant, sed simul etiam suo actuali calore, & colore vivido, seu roseo naturali ipsis debito à natura; & idcircò marasmus est affectus siccus simul & frigidus,

dus, atque liuido , vel alio colore malo præditus ob defectum dicti caloris natiui. Cum enim iſte calor multùm deficit in corpore , ac eius partibus, ita ex defectu, laſſatur, aut fatigatur, quod ampliùs neque alimentum ſufficiens trahat ex venis etſi in iis non deficiat , neque quod attrahit benè retinet, aut concoquit , & in partes corporis , aut in ſubſtantiam earum conuertit, quod eſt nutrire , ſed ſinit exſolui, aut exſiccari , & corpus conſumi , & quod magis eſt ſic ſe ipſum magis exſoluit atque conſumit , vel ſiccat , vtpote qui in illis partibus humidis imbibitus , aut ſitus conſeruatur, vt quæ erant partes ipſum continentes , aut conſeruantes , ne exhalaret , aut ſiccaret nimis , quamquàm ex ſe ſit fluidus , ſeu facilè exhalans,cum ſit ſemper humidus.

111 Quod in maraſmo fieri diximus, hoc ipſum accidit in ſenibus , in diaphoreſi , vel atrophia , vel alia quacunque corporis extenuatione immoderata ; nam etiam ſenes nimis extenuantur ob animi defectum ſiue quia in eis parum ineſt caloris natiui vt ait Hippocrates 1. *aphor* 14. & qui diaphoreſi laborant , id eſt magna corporis diſſolutione ob animi defectum ita deficiunt , atque diſſoluuntur,quia ſcilicet in eis calor natiuus ex defectu laſſatus aut fatigatus ſui & totius corporis conſeruationem derelinquit, permittitque ſic ſuæ eſſentiæ , & vitalis caloris totius corporis exſolutionem , quamuis tùnc adhuc viuat animal, reſpiret , pulſet, ſentiat , atque moueatur , & multas alias animales exerceat , atque vitales operationes , ob conſeruationem caloris influentis , per venas, arterias , ac neruos , & parum illius inſiti , qui adhuc remanet in corpore ; quique vt talis eſt impotens ad corpus nutriendum , & ſe ipſum reficiendum , eſt tamen potens impedire , ne fluens præceps recurrat in cor, fiatque syncops , & ſic dictæ omnes deleantur : vnde de hoc animi defectu , ſiue de hac caloris natiui debilitate loquitur Hippocrates cum 2. *aphor*. 28. ſic ſcribit febricitantium non omninò leuiter nihil comminui corpus , aut plùs quàm ratio poſtulat contabeſcere , malum ; illud enim longitudinem morbi, hoc verò imbecillitatem ſignificat , id eſt defectum caloris natiui , decrepiti enim ob virium imbecillitatem , extenuationem patiuntur , inquit Gal. *in comm.* & quicumque addit , ſine cauſa manifeſta extenuantur; ità vt extenuatio ipſa ſit ſignum imbecillitatis, ſiue dicti defectus caloris natiui , & imbecillitas ſit cauſa extenuationis. Hæc de animi defectu ex Galeno.

112 Multa ſunt dicta de animi defectu ex Galeno , ſiue ad explicandum , quid ſæpè Galenus intelligat , per animi defectum , & quid recentiores intelligant : reſtat ergo explicandum quid Hippocrates intelligat per animi defectum , cum & Hippocrates ſæpè de animi defectu agat , & ſæpè vel ſemper aliter , aut in alio ſenſu , atque Galenus: Galenus ſiquidem , vt eſt demonſtratum , animi defectum diſtinguit à ſyncope, dicitque eſſe exſolutionē virium,ſiue exſolutionem natiui caloris, quæ antecedit ſyncopem; Hipp.verò virium exſolutionem diſtinguit manifeſtè ab animi defectu , vt patet 7. *aph. ſent.* 8. vbi ſic habet. A tuberculi introrſum ruptione , virium exſolutio , vomitio , aut animi defectus fit. Quaſi dicat ſi ſuppuratus aliquis tumor in ventre introrſum rumpatur,v.g. ad ventriculum,tria ſymptomata ſuperueniũt, quæ ſunt virium exſolutio,vomitus & animi defectus : primum ſiquidem à tumoris ruptione ad internam aliquam partem ſequitur virium exſolutio, propter malitiam puris, qui rupto tumore excernitur: ab eo enim à vomica, in qua continebatur excreto, etſi laudabilis videatur, tales exhalant vapores, vel ita contrarij ſpiritibus vitalibus, atque calori noſtro natiuo , vt ſtatim ab illis exſoluantur , & quidem multùm , vt dicunt pulſus parui, languidi & frequentes , qui ſuperueniunt ; etſi antea non ita erant. Secundò ſuperuenit motus materiæ ſuppuratæ ; cum enim ad ventriculum fertur, ad hanc inquit Gal. *in comm.* conſequitur vomitus. Tertiò ſequitur animi defectus, id eſt repentinus caſus omnium facultatum , atque operationum corporis , qui ſyncops dicitur propter ſubitum recurſum ad cor alterius ſpiritus non exſoluti adhuc , & qui ne, alius in totum excerneretur , per vomitum, vel ipſam exſolutionem , cogitur in arcem ſuam præceps ſe reducere : ſic enim à totali interitu tutatur.

Sed dices;eclypſis,ſiue exſolutio virium,ex 113
ipſo Hipp.eſt potiùs ſyncops,quàm animi defectus,ſiue lypothimia,aut lypoſichia,quæ interpretatur animi defectus:Hipp. ſiquidem 5. *aph.* 41. ſic habet. Qui ſæpè , & vehementer , ſine cauſa manifeſta animo linquuntur, id eſt eclypſi deficiunt animo , derepentè moriuntur : ſi ergo qui eclypſi deficiunt repentè moriuntur , eclipſis potiùs , quàm animi defectus, erit ſyncops, ſeu præceps virium lapſus, in doctrina, & lectione Hippocratis. Reſpondetur facilè ex ipſo textu, & dicimus: quia eclypſis ſiue virium exſolutio apud Hippocratē eſt lōgè minor animi defectus, quàm lypothimia , atque ſyncops ; idcircò ſcribit Hippocrates non abſolutè , qui animo deficiunt ex eclypſi, ſed ſuperaddito forti,aut vehementer adverbio,quorum neutrum copulat cùm lypothimia , vt quæ abſolutè ſignificat præceps virium lapſus, aut veram ſyncopem : quare concludimus in lectione Hippocratis hæc tria nomina eclypſim , lypothimiam , atque lypoſichiam, aut eſſe ſynonema,& quodlibet eorum ſignificare animi defectum , ſeu ſyncopem , magis vel minùs fortem , aut ſi magis differunt lypothimia potiùs , quàm alia duo ſignificat ſyncopem vt ſatis manifeſtè inſinuare videtur Galenus infrà *libro* 12. *capite* 5. in fine ſic ſcribens. Quod ſi nec obſtruant neque onerent (de humoribus multis , crudis , ac craſſis agit) syncope ij certè non inferunt , ſed animi deliquia , quas lypopſichias Græci vocant, ſiquidem

ſiquidem reſoluuntur huiuſmodi laborantes, niſi frequentiùs nutriantur; non quidem copioſè ſemel, neque alimentis craſſis, aut frigidis, ſed quæ attenuent, ac calefaciant ſaltim moderatè, & quæ febrem magis non accendant, &c. Et hæc de animi defectu in communi de quibus *lib. de ſang. miſſ.* actum eſt.

114 Habemus iam quid ſit animi defectus quo poſito duo reſtant explicanda, ſcilicet, quis animi defectus ſit, qui ſubitò febrem extinguit, vt Gal. & Hipp. dicunt, & an ſanguinis miſſio vſque ad animi defectum facta poſſit eſſe tuta, vel quod idem eſt, an vires noſtri corporis poſſint eſſe ita robuſtæ quod poſſint tutò ſuſtinere ſanguinis miſſionem, vſque ad animi defectum, vt Galenus ſupponit in textu; quare hæc duo ſuo ordine examinanda aggrediamur: atque ad primum ſtatim accedentes notare debemus, quod febris poteſt duobus modis tolli, nempè ablata eius cauſa, & ex defectu caloris natiui: cum enim febris cauſam habet à qua generatur: aut conſeruatur, non alia ratione meliùs curatur, aut tollitur, quàm ablata illa vnde naſcitur cauſa, & à qua conſeruatur, nam vt communiter dicitur, vera curatio eſt cauſarum remotio: ſic ſimiliter, cum febris ſit paſſio propria caloris natiui, nempè eius caliditas in igneam mutata naturam, *vt 1. aph. comm. 16.* dicit Galenus ſequitur inde quod febris deficiet, ex defectu ipſius caloris natiui, nam etiam eſt commune & verè dictum, quod deſtructo ſubiecto deſtruitur ſubiectatum: ſecundò notare debemus, quod tam cauſa febris, quàm calor natiuus poſſunt duobus modis deficere, & febris extingui, cauſa ſcilicet. vel quia reuera tollitur, atque in totum expurgatur, vel quia etſi non tollitur, neque euacuatur, ceſſat agere, vel tranſmittitur à foco febris in aliam partem: ſimiliter calor natiuus, cum vel in ſanguine, vel in ſpiritibus ſuam eſſentiam, aut conſeruationem habeat, ex cuiuſque defectu deficiet neceſſariò, quia bonum ex integra cauſa, & malum ex quocumque defectu: Vnde animi defectus, qui ex Galeno atque Hippocrate febrem extinguit, vno aliquo dictorum modorum eam tollit, vel multis, aut omnibus dictis modis, etſi enim animi defectus, vt viſum eſt, ſolùm ſit defectus, ſeu diminutio, vel exſolutio caloris natiui, quia tamen iſte eſt auctor, aut inſtrumentum primarium eorum, quæ ſunt in corpore, conſeruatque omnia in debita concordia, quantitate atque mixtione, fit inde, vel ſaltim poteſt fieri, quod in animi defectu non ſolùm calor natiuus, & eius ſubſtantia ſanguinis, aut ſpiritus deficiat, ſed & alij humores qui ſunt febris cauſa vacuentur, vel ſaltim à foco febris tranſmittantur in alias partes, ſicque focus reſtet ſine vlla febre, aut calore præter naturam, vt enim ſecundùm naturam ſe habente natiuo calore omnia rectè fiunt in corpore, ita ſi deficit abolentur, aut multùm perturbantur, atque à naturali curſu deficiunt.

Sed vt veritas magis pateat placet ſeorſim de ſingulis agere: ergo quod deficiente cauſa febris, atque in totum ablata, ipſa febris deficiat, aut deficere debeat, facilè perſuadetur ex iam dictis, vel febris erit hectica, & independens à cauſa, de qua hîc non agimus: Quod etiam febris deficiat, ſi cauſa ampliùs non agat, quamuis non purgetur, ſed in corpore maneat, conſtat manifeſtè ex illo Hippocrate 2. *aphor.* 47. Dum pus fit dolores & febres augentur magis quàm iam confecto: etſi enim pure confecto non ſequatur eius eruptio, aut extra corpus ex purgatione tamen febris remittitur, quia pus feruens, & ſic febrem augens ceſſat agere, ſiue feruorem facere, aut efferueſcere purè confecto: Denique quod cum cauſa febris non purgatur, nec ceſſat agere, ſed ſolùm focum febris relinquit, & in alium locum ſe confert, vel ab alia cauſa tranſmittitur, febris extinguatur, etiam ex Hippocrate conſtat 6. *aph.* 25. vbi ſic ſcribit. Qui in ardentibus febribus tremores fiunt delirio ſoluuntur. Quaſi dicat: quibus febribus ardentibus tremores ſuperueniunt tremoribus ſoluuntur; vt & tremores ipſi, ſi delirium ſuperueniat: quamuis enim ait Galenus *in comm.* impropriè dictum eſt febrem ardentem à tremore ſolui, cum tremores, ac delirium, quæ febribus ſuperueniunt ardentibus ſint paſſiones grauiores, aut ſaltim æquales ipſis febribus: hæc autem ſuperuenientia non ſolet Hippocrates dicere ſolutiones, ſed quæ omninò hominem liberant: quamuis, inquam, febrem ardentem à tremore ſuperueniente impropriè ſolui dicatur, ſaltim ſic tolli poteſt, & in totum extingui; cum ſic cauſæ quæ febrem faciunt in genere venoſo contentæ, ad neruos transferantur, vbi tremores faciunt & non febrem vt ſi inde in cerebrum fluant, ceſſant tremores, & ſuperuenit delirium; ſic etiam febre ardente laboranti, ait ipſe Hipp. 4. *aphor.* 58. rigore ſuperueniente, ſolutio fit, quia ſcilicet materia biliosa, quæ in venis compreſſa aut contenta, ac feruens, febrem generabat, tranſlata ad partes ſentientes, & quidem veloci motu, ſoluit febrem, ibique facit rigorem: nam febrem ardentem, inquit Gal. *in comm.* fieri, nouimus, æſtiuo tempore quod venæ exſiccatæ acutos, ac biliosos ad ſe liquores, ſeu humores attraxerint.

Iis ſic expoſitis, aduertit Gal. loco cita- 116
to 6. *aphor. comm.* 25. quod ſicut in febribus ardentibus fit tranſlatio materiæ morbificæ, & cauſæ febris, à foco ipſius ad alias partes, ſic & in omni alia febre poteſt fieri; & omninò, inquit, ex arteriis, & venis, ad neruos transfluxus humorum noxiorum fieri poteſt; ſicuti rurſus ex neruis ad has. Hæc autem vt ſic ſe habent, ita quidem ſunt maxima notatione digniſſima ad intelligenda multa quæ in febribus ſæpè fiunt, & inde pendent, quæque multoties in totum deſinunt, aut multum leuantur, cùm tamen

peius se habeant. Solent siquidem in multis febribus, vel aliis morbis venosi generis materiæ febres facientes in caput præcipitari, aut in pectus, ibique varia mala excitare, grauia, aut non parui momenti, prout ipsi humores transmutati magis, aut minùs mali sunt, aut partem obsident magis, aut minùs nobilem, vel, saltim quia partem offendunt, quæ est magni vsus; sic enim si materia translata fertur, ad pulmones, aut fauces, solet suffocare, si ad septum transuersum, vel os superius ventriculi solet cardialgiam, aut syncopem excitare, aut delirium, sicut cum in ipsum cor, aut cerebrum petit: vt igitur in febribus, præsertim acutis, accidere solent, aut superuenire plura, ac varia symptomata, vel alia mala magna, ex translata materia febrili à venis in alias partes nobiles, aut magni vsus, atque sentientes, ita quidem solet accidere, non semel, sed satis frequenter, potissimùm in malignis, quod tales febres, & sua omnia Symptomata auferant in totum, aut multùm minuantur; non sanè quia tales febres, aut Symptomata curentur, aut benè declinent, neque earum causæ sunt euacuatæ, sed quia à foco recurrunt ad viscera, vel ad centrum corporis, & ad partes insensiles: sic enim materia morbifica siue in vasis sit, siue in partibus corporis viuentibus, atque sentientibus recurrit ad centrum, aut reconditur in partibus, quæ non sentiunt; siquidem morbus pariter ipse reconditur, siue occultatur, & eius accidentia; non tamen sic soluitur, aut benè cessat, neque curatur, sed peius efficitur, & longè magis periculosus, cum sic multò magis lædat vires, siue ipsum calorem natiuum, qui potissimùm in internis partibus degit, vt in eis magis vigeat, ac conseruetur, sicque tales partes internas magis defendat ab iniuriis omnibus, vt quæ simul cum ipso sunt, in quibus potissimùm vita consistit.

117 Sunt sanè hæc ita vera, & ita benè notanda, vt aliter fieri nequeat, quin sæpè decipiamur in curationibus morborum, atque in multis eorum falsis solutionibus: nam certum est, & plusquàm certissimum, quod multi morbi declinant multoties, aut in totum cessant, & omnia sua accidentia leuantur, aut saltim multùm imminuuntur, non quia curentur, sed quia è contra peiores fiunt, ob dictam causam: inde enim Hermocrates, apud Hippocratem *3. epid. par. 1. ægr. 4.* qui vsque ad decimum diem febre ardente laborauit multis, ac magnis comitata symptomatibus circa vndecimum omnia leuata visa sunt, inquit textus, & decimo quarto, absque febre factus fuit, dormiuit, prorsùs mente constitit; quibus tamen melior non fuit factus, sed peior; imò sic natura ad mortem, & calore natiuo ad extinctionem properante, vt ait Galenus *in comm.* natura enim si non soluitur à morbo, id est si non vincitur in augmento, & statu multò magis, quàm in principio agit contra morbum, atque eius causam, & idcircò in statu omnia sunt fortiora, inquit Hippocrates quare, & in Hermocrate, qui vsque ad decimum diem acutè febricitauit, pluribusque aliis Symptomatibus laborauit, si ab iis natura non vinceretur, aut esset iam defessa, atque postrata, etiam vndecimo, & decimo quarto, atque aliis diebus vsque ad veram morbi declinationem certaret haud dubiè, & quidem vehementer; siquidem tunc morbus vigebat valde, naturamque ipsam expugnabat quàm maximè, scilicet cum esset reconditus, & ipsi naturæ immediatus, aut saltim longè magis propinquus, quàm erat anteà in partibus externis: cum autem natura aliqua vrgetur necessitate ait Galenus *4. de caus. puls. cap. 1.* agens de pulsu doloris, vehementiori vi qua potest suas obit functiones. Vnde benè colligit Galenus quod in Hermocrate non cessauit benè decimo quarto die, neque vndecimo, leuatio benè fuit, sed præter rationem quia natura moriebatur deuicta à morbi malitia. Ex eadem causa solet similiter fieri, quod in morbis febrilibus pulsus, & vrina sani, aut boni esse videantur, & tamen æger tendat ad mortem, vel saltim sic peior fiat; nam in hoc sensu, *in prorrec.* ait Hippocrates & vrinæ coctæ malæ; & *5. coac.* vrinæ derepentè, præter rationem, & parum coctæ malæ, & in morbo acuto pessimæ: quæ enim vrinæ à natura concoquuntur rectè operante sensim quidem, & à facilioribus, ad difficiliora procedente concoquuntur, scilicet primum bonum colorem ponente in vrina, deinde substantiam mediocrem, & tandem contentum album, leue & æquale, siue continuum: vnde vrina quæ vt ait Hippocrates derepentè, præter rationem, vel parum concoquuntur malæ sunt, & in morbo acuto pessimæ, vt quæ potiùs à natura oppressa, vel à morbo victa, vt si in acuto appareant, quàm ab ipsa rectè agente concoquantur.

Sed dices, si natura est iam deuicta quomodo benè concoquit, & vnde prouenit quod pulsus bonus esse apparet, atque vrina bona? vt apparere solent in mortalibus morborum quorundam declinationibus? Respondetur communiter, quod tunc natura cum sit à morbo extremè afflicta, apponit pariter extremos conatus, siue dictos pulsus, atque vrinas, quibus tandem morbo resistat: sed non placet; nam videtur impossibile, quod natura moriatur, & simul benè concoquat, aut aliam naturalem actionem moliatur, vt est pulsus bonus, atque vrina bona: quare rationi magis est consonum dicere, in malis morborum declinationibus fieri pulsus bonos, & vrinas bonas, quia tunc natura dissoluitur, siue facultas retentrix laxatur: certum est enim quod in mortalibus morbis vltimo loco deperditur facultas retentrix, siue vltimo loco laxatur sinitque foras abire, quod ad sui conseruationem, 118

conservationem, & ad conservationem vitæ, atque totius corporis, vsque ad illud vltimum tempus conservaverat: nam ideò in jugulatis, ait Hippocrates vltimo loco, & cum vita finitur exit sanguis rubertimus, & magis purus quàm anteà, quia adhuc apertis venis detinebatur à tali natura ne exiret, quia talis sanguis erat vitæ thesaurus, & à quo potissimum conservabatur, vtpote quia optimus erat, & magis purus, atque perfectus quàm qui priùs fundebatur. Vt ergo in his qui jugulati pereunt, vltimo loco exit sanguis purissimus & omnium optimus, qui erat fundamentum caloris nativi, & præcipuum vitæ alimentum; ita similiter in dictis morbis mortalibus, ac morti proximis, exit vrina cocta, & pulsus bonus apparet, sive mediocris in magnitudine, & vehementia, magis quàm erat anteà, quia tunc tandem laxatur, aut exsolvitur facultas retentrix, sicque exire finit, non quod tunc concoquitur, sed quod coctum servatur, ad vitæ nutrimentum, & quod roboris servabatur ad vitam servandam. Sed adhuc instabis, & dices: Hæc quidem videntur satis vera, atq; rationi consona: attamen si ita vera sunt, cur ita non apparent in mortalibus morborum omnibus declinationibus, sed raro hęc ita contingunt, atque potissimùm in morbis pestilentibus, vel saltim valdè malignis. Respondetur facilè, quia materiæ morbificæ retrocessius ad interna, aut translatio à foco ad alias partes distantes non contingit in morbis, qui non sunt maligni, etiamsi sint magni, & terminentur ad mortem; neque talia signa esse possunt, aut apparere, nisi tales materiæ ex venis & arteriis ferantur in alias partes distinctas, sicque facultatem retentricem hepatis, ac cordis tantùm exsolvant, quòd ampliùs sibi vtile retinere nequeant, quod raro contingit, nisi constitutio sit pestilens, aut morbus fiat valdè malignus.

119 Ex dictis possumus etiam facilè intelligere ob quam rationem, ac quibus modis animi defectus poterit febrem de medio tollere, aut multùm minuere: si enim verè est demonstratum, quòd causa duobus modis potest febrem extinguere; scilicet & quia in totum solvitur, aut cessat agere, & quia intrò translata focum relinquit: sic quidem similiter animi defectus duobus illis modis potest febrem extinguere, aut multùm imminuere, videlicet aut quia in animi defectu calor nativus, qui in febre ardet, vel in igneam naturam est mutatus exsolvitur, & foras expurgatur, aut quia intrò translatus & ad centrum recurrens, focum febris, & alias corporis partes relinquit actu frigidas: non enim partes corporis, neque corpus ipsum à se sunt calidæ actu, vt suprà dicebamus, sed dumtaxat in potentia, sicut non sunt nisi in potentia vitam habentia: & ideò si à calore dicto nativo non actuantur, aut actu calefiunt, statim refrigerantur, aut actu frigida apparent: quare sive sanguis sit qui in animi defectu deficit, sive spiritus vitalis, vel ambo simul, siquidem sic qui febre ardet, vel exsolvatur, ac foras exeat; vel intrò reconditus retrocedat à foco febris, sine dubio extinguetur, aut minuetur: extinguetur si ferè totus retrocedat, vel exsolvatur; minuetur solùm si non ita multus, aut ferè totus nativus calor deficiat, sed in pauca quantitate: vnde à primo ad vltimum ille animi defectus extinguit febrem, & quidem subitò, vt in textu ait Gal. qui causa est vt subitò dictus nativus calor, qui febris est subjectum, vel exsolvatur, vel in totum relinquat focum febris introrsum revocatus: quæ omnia cùm sic sint demonstrata, tandem accedamus ad explicandum ac demonstrandum, an sanguinis missio vsque ad animi defectum possit esse tuta.

120 Quæstio an liceat sanguinem mittere vsque ad animi defectum? ferè ab omnibus exagitatur Medicis: nam tametsi eam consulant, atque exerceant Hippocrates & Gal. qui in aliis apud omnes habentur quasi dij, in administratione tamen tanti remedij à multis non probantur, eo quòd sit extremum, & idcircò vel ex illis ipsis periculosum valdè; & ideò notandum, ait Lemosius, nullo tamen modo imitandum, alij admittunt quidem sanguinis missionem ad animi defectum, ne videantur tales Medicinæ Patres relinquere, sed limitantes animi defectum ad solam virium aliquam exsolutionem, non verò ad eam in qua præceps est omnium virium lapsus, adeò vt qui illa corripitur, neque audiat, neque pulset, neque respiret, neque denique aliquam vllam actionem sensibilem edat, sed quasi mortuus jaceat, frigidus actu & facie deflorata: hæc dicont isti: affectio animi est syncops vera, & magnus defectus caloris vitalis, ad quam nunquam sanguis est mittendus, cùm nunquam talis defectus possit esse tutus: maxima enim est cordis officij dignitas, atque ægrotantibus omnibus maximè omnium necessaria, ait ipse Galenus *superiori libro septimo, capite decimo tertio*, quia scilicet est prima, atque præcipua ad vitam servandam, vt naturalis ad morbos materiales concoquendos, & animalis ad corpus movendum: quare neque sanguinis, neque alterius cuiusque humoris evacuatio vsque ad dictam syncopem factam poterit vnquam esse tuta, sed cum maximo vitæ discrimine, cùm in ea vitale robur, sive ipsa vita, aut calor vitalis non parùm, sed multùm, ac ferè totus exsolvatur. Et confirmatur hoc ex eodem Galeno 5. *de loc. affec. cap. 1.* vbi dicit quòd cor est viscus adeò præstantissimum, vt neque solutionem aliquam continui, neque aliquam inflammationem, aut intemperiem validam sustinere possit: quare multò minùs sanguinis missionem vsque ad syncopem, cùm in hac multò plus patiatur cor, aut ejus vitalis spiritus exsolvatur, quàm in dictis morbis. Sanè qui sic philosophantur meliùs sentiunt,

quàm Lemosius, aut qui cum eo statuunt nunquam ad animi defectum esse sanguinem mittendum. Cùm enim Hippocrates, & Galenus eam admittant, & faciendam proponant in suis casibus, & hoc non semel dicant, sed sæpè repetant, vt videre est in suis operibus, hinc certum educitur talem sanguinis missionem apud tantos authores esse tutam saltim, vt dicunt isti, cùm non fit ad dictam syncopem, sed solùm ad virium aliquam exsolutionem, aut levem animi defectum.

121 Multi quidem sunt, aut ferè omnes Medici, qui ita de sanguinis missione vsque ad animi defectũ faciendã sentiunt, atque statuunt: solus Baptista Montanus, quem etsi diligam in multis renuo, docet posse Medicos sanguinem mittere vsque ad syncopem, vt videre est 1.aph.in comm. ad Tex.Hipp. *Et vbi ad animi defectum expedit ducere, faciendum, &c.* quare & nos quid in re tam gravi, ac varia tenere debeamus, ex ipsa rei natura benè inspecta, hic jam demonstrandum aggrediamur. Atque pro eius debita resolutione supponamus primò id quod sæpè fieri experimur, nempe quòd ex sanguinis missione solet accidere præceps omnium virium lapsus, vt in vera syncope: experimur equidem multoties quòd sanguine misso ægrotantes ita exsolvuntur, vt subitò cadunt sine sensibus, sine motu aliquo, sine pulsu, aut respiratione sensibili, cum facie deflorata, & quasi cadaverica, imò cum sudore frigido, atque alvi insensibili, involuntariaque excretione, vt in ipsa vera syncope contingit. Experimur etiam quòd etsi multoties ægri sanguine misso animo deficiunt ad modum dictum, non ideò tamen inde moriuntur, aut sic tunc mortui relinquuntur, sed sæpè intra paucum tempus cessat illa affectio, & ægri in se redeunt, calorque nativus, atque vitalis cordis iterum aggreditur suas, & totius corporis actiones exercere, vt anteà solebat: experimur rursus non solùm redire, & ad suas omnes corporis actiones edendas qui ex sanguinis evacuatione animo deficiunt vsque ad syncopem, verùm etiam si ita exsolvantur, ex alia evacuatione, aut ex magnis morbis, à quibus solet fieri.

122 Secũdò supponimus, quòd etsi animi defectus nõ semper includit dictum subitum omnium virium lapsum, tamen non ei repugnat, sed imò sæpè ita fit, vt colligitur clarè ex ferè omnibus animi deliquiis, quæ refert Gal. 1. *ad Glauc. cap.* 14. suprà citato: ibi enim ferè infinitos numerat casus, in quibus talis animi defectus accidit, vt textum cautè legentibus fit palam: & addo; quòd quamvis animi defectus non ita frequenter secum involverat syncopem, aut subitum omnium virium lapsum, saltim ille; de quo Gal egit in textu *cap.*4. & infrà *cap.* 10. agit, & cuius gratia nos nunc de eadem re agimus, debet esse talis, & talem subitum, atque vehementem omnium virium lapsum debet continere: nam solus est iste, vt dictum est, in quo non solùm subitò calor febris, quamvis sit magnus, extinguitur, & totum corpus actu refrigeratur, sed & sudores, vel bilis vomitus, & alvi dejectio supetveniunt, & debent accidere, inquit Gal. in quo de animi defectu loquimur, vt febris solvatur; sic enim habet: quæ omnia cùm huic contigissent protinus febrem extinxerunt. Addo etiam quòd Hippocrates non agnovit aliam syncopem, quàm animi defectum, vt vidimus, atque proinde apud ipsum, etiamsi omnis animi defectus non sit syncops, saltim omnis syncops erit animi defectus, & per animi defectum ipsam syncopem poterit intelligere.

His sic suppositis, ex eis resultat, quòd 123
si animi defectus vsque ad syncopem factus est extremum remedium, non tamen tantum, quod sit semper, & necessariò mortale, cùm sæpè post enim labotantes redeant ad suas actiones, atque ad sanitatem, & per consequens solùm erit periculosum, si extremum fuerit, aut quia est extremum: nam reverà omne nimium est naturæ inimicum; & ideò periculosum. At licèt remedia sint extrema, & vt talia periculosa, non ideò tamen sunt rejicienda, & in totum ab vsu eliminanda, sed si vires ferant exercenda, quia extremis morbis extrema remedia sunt optima, ait Hipp. quamvis sint periculosa, vt extrema sunt: non enim est aliquod tam celebre remedium, ait Gal. & cum eo omnes communiter, quod aliqua ex parte non noceat; & consequenter, etsi remedium extremum sit periculosum, & possit nocere, si tamen noxam non inferat mortalem, aut irreparabilem, & vrgeat necessitas, seu ægrotantis præsentaneum mortis periculum impendat exequendum est haud dubiè, quia vt omnes communiter dicunt, satius est aliquid cum periculo tentare, quàm spe adempta ægrum certò perire: & ipse Gal. infrà *lib.*12. *cap.*1. Si ex vigiliis, ait, & viribus resolvendis ad mortis discrimen æger tendat, tunc profectò tempestivè narcoticis, aut opiatis medicamentis vtare, scilicet non ignarus corpus ex his lædendum, læsionem tamen quàm mortem potiùs optandam: nam si hæc admodùm magna non sit, saltim posteà longiori spatio eam sarcire licebit: vnde etiam in his casibus Medicus rectè procedit, si vrgentiori occurrit altero non neglecto: immò addit Gal. sin ita immodica læsio fuerit, vt nec prolixo spatio persanari queat; hanc certè ipsam potiùs eligendam remur; quàm vt homo pereat: quare si vires ferant, ait Gal. in febribus synochis sanguis est mittendus, vsque ad ipsam syncopem, quæ rigorosè de animi defectu non extremo intelligitur; si ferant, inquam, vires, id est, lædantur quidem, sed non ita vt inde æger pereat, aut statim moriatur, sed è contrà subitò à morbo liberetur, & posteà sensim, atq; spatio tẽporis vires resarciãtur, in suũq; statum naturalem, vt erant anteà, redeant.

Cùm

124 Cùm igitur cardo totus executionis remedij, & tota difficultas illius ex demonstratis, in eo consistat quòd sint vires, quæ sufficiant, aut sine magna noxa possint tolerare sanguinis missionem vsque ad animi defectum, vel vsque ad ipsam syncopem; quæramus hîc tandem, & verè ostendamus an possint vires tantam ferre tutò sanguinis effusionem, & quæ sint illæ quæ sufficere poterunt ad tantum remedium? Principio quòd vires nostræ possint esse robustæ, vigentes & validæ, in sententia Hipp. & Gal. quòd possint dictam sanguinis evacuationem tolerare satis ex eorum monumentis constare videtur: nam cùm vterque dicat in multis casibus sanguinem esse mittendum vsque ad animi defectum, si æger possit tolerare, aut quod est idem, si vires sint vehementes, ac ferre valeant; certè ambo pariter supponunt, quòd saltim in aliquo tempore aut occasione poterunt tales inveniri; aliàs enim frustrà & impertinenter dicerent, si vires adsint, aut sufficiant, vel si æger possit tolerare: quare supponentes pro nunc quòd poterunt tales esse, quæramus eas, atque ab ipsis Hipp. & Gal. Videamus tandem quæ sunt nostræ vires, quæ tutò ferre poterunt sanguinis missionem ad vsque ipsam syncopem in sensu explicato. Et dixi cum advertentia, quæramus ex ipsis quæ sunt vires, quæ tantum remedium tutò ferre poterunt: nam præterquàm quòd tunc necessariò labimur, cùm ab eorum doctrina, atque præceptis, vel tantillùm deflectimus, solùm ex ipsis scientificè inveniri possunt, aut nos saltim solùm in ipsis tales vires invenire potuimus. Relictis ergo multis aliis de re proposita authoritatibus atque doctrinis Hipp. & Gal. ex paucis quæ sequuntur intentum concludamus: 4. siquidem *de vict. rat. sent.* 74. & 75. sic habet Hipp. de curatione pleuritidis agens: *Si dolor sursum vergat, venam brachij internam secare oportet, qua parte dolor afficit, sanguinemque auferes pro corporis habitu, anni tempore, ætate, & colore: ampliusque non veritus si dolor acutus fuerit, ad animi vsque defectum detrahes.* Gal. in comm. *Quòd dolor acutus sit, plus quidem sanguinis vacuamus; sed fluere sinimus, non quia acutus sit, sed si virtus robusta fuerit, florueritque ætas, sanguis abundaverit, & laborantis natura sit carnosa, tum densior, tum durior, atque ægrè perspirabilis: anni etiam tempus, regio, ac temperamentum calidum & humidum; nempè quod ad animi defectionem, vsque ad sanguinem auferre non vereamur, nobis ex iis accidit.* Hæc quidem Hipp. & Gal. loco citato, quæ sine expositione aliqua videntur satis clarè nostrum intentum concludere: vt veritas tamen elucescat magis, placet rem totam amplius explanare.

125 Hippocrates igitur rationalem pleuritidis curationem facturus, & simul demonstraturus, supponit, vt suprà etiam 2. lib. supposuerat, quòd pleuritis, & dolor eius lateralis potest sursùm vergere vsque ad mammas, brachium, aut claviculas, vel è contrà ad hypochondria, & partes septo transverso inferiores descendere. His sic suppositis, si dolor, inquit sursum petat ad claviculam, vel ad mammam & brachium, oportet secare venam internam in brachio, id est, venam basilicam in cubito, qua parte scilicet dolor sit. Est enim pleuritis morbus magnus, nempe inflammatio pleuræ, vel musculorum lateris intercostalium, sive internorum; & ideò in ea sanguis est mittendus, ratione inflammationis, quia interna est, sive magna, aut cum vitæ periculo. Sanguis etiam, ait, mittendus est, ex ea parte, quacumque dolor sit: cùm enim pleuritidis inflammatio interna sit, secum involvens febrem continuam, & sæpè acutam, atque dolorem continuum, acutumque, & alia symptomata non parum molesta, nempè tussim, & difficultatem respirandi; cùm inquam hæc omnia reperiantur in pleuritide, consequenter hæc pariter omnia indicant sanguinis evacuationem, ex eodem latere affecto, & nullatenus ex opposito, vel ex alio magis distante, vt multi malè sentiunt cum Avicenna; quia quamvis pleuritis sit intemperies materialis, dependeatque ex humorum fluxione, ad partem affectam, quæ indicat revulsionem, hæc neque in principio sola exercenda est, sed simul cum evacuatione humoris jam fluxi in parte, & inflammationem, aliaque omnia dicta causantis ac conservantis: nam revera humor qui est in via, & actu fluit, quique revelli solùm postulat nihil dictorum facit, neque potest causare, sed potiùs qui fluxus est, atque in partem jam receptus: non enim agentia naturalia possunt operari nisi attingant passum: at verò quòd in pleuritide sanguis mittatur, aut mitti debeat, ad inflammationem curandam, vel saltim minuendam, simulque ad dolorem sedandum, & reliqua accidentia, nullus quidem debet dubitare, cùm hæc sint quæ præcipuè lædunt laborantem & vires.

126 Itaque omniscius Hippocrates in pleuritide non solùm ad revellendum humores fluentes, sed potissimùm ad fluxos educendos, vt qui magis vrgent, cùm ipsi potiùs quàm fluentes sint, qui inflammationem excitant, & dolorem lateris acutum, reliquaque symptomata pleuritidis, quæ curari, aut saltim statim corrigi postulant sanguinem mitti ex eodem latere, & ita mittendum semper esse docet, non verò ex latere opposito, neque ex pede lateris dolentis, quia solùm revellit fluxionem, & nihil evacuat eorum humorum qui morbum faciunt, ideóque primùm debent expurgari: sic autem definitis remedij specie & parte, vnde sanguis debet educi, accedit ad quantitatem ejus definiendam, sic scribens: *Sanguinemque auferes pro corporis habitu, anni tempore, ætate, & colore.* Quasi dicat: in pleuritide, seu in dolore lateris acuto,

acuto, vt in quelibet alio morbo magno, aut periculoso, vel ex quo imminet vitæ periculum: nam nunc de morbo in hoc sensu magno loquimur; sanguis est mittendus, & quidem copiosus, quantùm vires ferre possint, quia pleuritis est morbus non vtcumque magnus, seu periculosus, & ex quo imminet vitæ discrimen, sed etiam est acutus, & dolorem secum affert acutum, multúmque molestantem, & alia symptomata, quæ possunt vires satis demoliri, nisi citò, aut intra paucos dies sedentur; & ideò si vires consentiant, non vtcumque sanguis est mittendus, sed copiosus, quantùm vires ferre valeant, vt sic cito, & magis efficaci remedio tantis malis fiat satis: quare in dicta pleuritide sanguinem auferes, inquit, pro corporis habitu, &c. id est, sanguinem evacuabis in tanta quantitate, & copia, quantum corporis habitus & color, ætas, & anni tempus, sive vires corporis tolerare poterunt: vires siquidem, & virium robur ex dictis quatuor, & ex pulsibus scientificè colliguntur, & verè, quia revera in illis consistunt, aut ab illis pendent ac generantur: vt enim dicit Gal. tunc virtus aut vires sunt robustæ, & possunt sustinere tutò evacuationes, & sanguinis missionem vsque ad animi defectum, cùm ætas floret, anni tempus & regio, & temperamentum laborantis est temperatum & habitus corporis est benè carnosus, non mollis, sed densus, ac durus, & non multùm transpirabilis, & sanguis abundat, & inde bonus color, vt ait Hipp. id est, color roseus, & pulcherrimus, seu vividus: cùm enim hæc omnia simul conveniunt, & pulsus sunt fortes, seu vehementes, de quibus Hipp. admodùm pauca dixit: vires sunt quidem firmæ, atque robustæ, & ita concludit Gal. ac dicit: Nempè quòd ad animi vsque defectionem sanguinem auferre non vereamur, nobis ex his accedit, id est, ex dictis, quæ indicant vires omnes corporis esse fortes, quantùm magis esse possunt, & quæ tutò sustinere possunt sanguinis missionem, vsque ad animi defectum. Et Hipp. similiter sic concludit: *Ampliusque non verearis, si dolor acutus fuerit, ad animi vsque defectionem sanguinem detrahere.* Quod est notandum valdè, cùm in animi defectu non solùm vires exsolvantur multùm, & plusquàm thoracis morbis conveniat, vt quibus exercitatio est maximè necessaria, & hæc eget multo robore virium, sed etiam sæpè fit recursus ad interna homorũ ex toto corpore, qui nocet valdè pleuriticis, & aliis omnibus morbis internis, quorum neutrum timent, neque Hipp. neque Gal. vt qui sciunt in casu posito non accidere, sed cùm vires non sunt fortes, sed debiles.

127 Dices: nunc ferè nullus Medicus dubitat quòd in synochis febribus, & in aliis morbis sanguis possit mitti vsque ad animi defectum, & quòd vires possint talem sanguinis evacuationem sustinere: quare neque dubitatur hìc quòd Gal. aut Hipp. vereantur in dicta pleuritide cum dictis consentientibus dictam sanguinis fusionem efficere, sed illam aliam, quæ non solùm sit ad animi defectum, sed etiam ad syncopem, sive ad omnium vitium defectum, atque casum præcipitatum: hanc enim & timuerunt, & timere debuerunt in quolibet casu, & in quocumque concursu constantium virium, etsi multùm constent, quia sanguinis missio vsque ad syncopem facta est magis extrema, atque periculosa, quàm vt tutò vnquam valeat Medicus eam exercere, si enim omnis extrema evacuatio est periculosa, & omne nimium est naturæ inimicum, ex ipsis Hipp. & Gal. sequitur inde consequenter, quòd evacuatio multùm nimia & nimis extrema erit valdè periculosa, & nullo modo tuta, quia est suprà vires, vt recta curatio, & remedij administratio esse debet. atque ita sequitur etiam quòd nulla evacuatio ad syncopem facta sit non solùm nimia semper, & extrema, sed extrema omnium, & extremè nimia, vltra quã nulla alia datur, neq; dari amplius potest, quamvis æger inde moriatur, vt visum est accidere Medicis, qui tales evacuationes tentarunt; & aliis supervenient, ait Gal. infrà cap. 10. nisi opportuno tempore, ac debita mensura fiant: *Duo namque*, inquit, *in ipsis Medicorum manibus perire vidi, qui postquam animo linquerentur nunquam revixerunt: multi verò etsi non protinus, at postea propter virtutis infirmitatem perierunt, quos si quis citra eius resolutionem vacuasset, minimè periissent, &c.*

Vt rectè & ad satietatem respondeamus 128
his argumentis, aut instantiis, quæ multos convincunt, duo potissimùm notare debemus, atque supponere, quæ vera sunt, & solvunt difficultatem: primum vt suprà dicebamus, est supponendum, quòd animi defectus in lectione Hipp. & Gal. non semper conjungitur cum syncope, neque semper infert ægroto subitum lapsum omnium vitium, vt infert syncops, attamen multoties infert quidem, & quod magis est debet inferre ille de quo nos loquimur, & quem Gal. de industria, vt dixi cap. 4. in duobus ægrotantibus febre synocha induxit, vt per tales animi defectus, aut per sanguinis evacuationem vsque ad tantum animi defectum factam eorum febres extingueret, vt extinxit in primo; in cuius curatione sic habet locus in integrum. Aufero itaque ab homine eo vsque de industria sanguinem, quo ab animo linqueretur: maximum planè, vbi valentes vires sunt, continentis febris remedium: idquod tum experientia tum ratione didici: primum namque in contrarium statum agitur corpus celerrimè ex animi defectu refrigeratum; hoc verò nemo invenire potest, neque quod ipsis ægris, neque quod naturæ, quæ animantes gubernat, jucundius vtiliusve sit: postmodum in huiusmodi corporibus necessariò supervenit alvi dejectio, nonnunquam etiam bilis vomitio, quas res statim

tim à toto corpore madores, sudoresve excipiunt: quæ nimirum omnia cùm huic quoque contigissent protinùs febrem extinxerunt, sic vt qui aderant jugulasse me febrem per jocum dicerent: vnde omnes risimus. Hæc Gal. quæ apertè demonstrant istum animi defectum, de quo loquitur, aut esse syncopem veram, aut saltim esse cum illa conjunctum, cùm in hoc animi defectu, vt in syncope rigorosa ille subitus detur omnium virium lapsus, ex quo corpus febricitans in contrarium statum mutatur, celerrimè ex animi defectu refrigeratum, & non tamen hoc, sed postmodùm supervenit alvi fluxus, aut bilis vomitus, & inde à toto corpore sudores: sanè ex Gal. infrà *lib.* 12. *cap.* 5. syncops solùm sic definitur, præceps virium lapsus, quam definitionem omnes admittunt, præsertim cùm subito virium lapsui succedunt dicta accidentia, nempe subita totius corporis refrigeratio, alvi dejectio, aut vomitus, & ex toto corpore sudores, aut sudatiunculæ, quas madores vocat Gal. quia sudores sunt parvi, non judicatorij, sed inutiles multoties, & ob debiles vires facti.

129 Quod si adhuc aliquis dicat: nam nihil aliud dicendum ampliùs invenio, scilicet in animi defectu, de quo agimus, & quem Gal. per sanguinis missionem ex industria induxit multoties ad morbos curandos, dari quidem dicta accidentia, nempe repentinam totius corporis febricitantis refrigerationem & alvi dejectionem, aut vomitum, atque sudores: non tamen ideò esse syncopem, cùm in tali animi defectu non detur præceps virium lapsus, quod est ad similitudinem syncopis, vt modò ex Gal. dicebamus: si inquam aliquis sic fugere velit difficultatem, advertat neque hoc esse verum in nostro casu: nam dato quòd in alio animi defectu possit ita contingere, quod nunc non disputamus, tamen Gal. nunc hunc non intendit inducere per sanguinis missionem, sed illum potiùs in quo vna cum aliis dictis reperitur præceps omnium virium lapsus, vt in ipsa syncope, vt constat manifestè infrà *cap.* 16. citato, vbi dicit: duos namque in ipsis Medicorum manibus perire vidi, qui postquàm animo linquerentur, nunquam revixerunt. Ecce isti duo nunquam revixerunt, ait Gal. id est, nunquam ampliùs redierunt ad exercendas actiones, quas in animi deliquio penitùs perdiderunt: quare in animi defectu, de quo in præsenti agimus, & de quo nunc agit Gal. & quem ad extinguendam febrem magnam febrium continentium aliosque magnos morbos curandos, ex industria per sanguinis missionem inducere curavit Gal. multoties, ex consilio Hipp. vt in verâ syncope reperitur præceps omnium virium lapsus, sive subitus casus omnium actionum corporis, & multoties simul cũ tali viriũ lapsu nõ solùm repentina reperitur totius corporis refrigeratio, atq; caloris febrilis extinctio, verùm etiam sudores, atque alvi dejectio, aut bilis vomitus, vt *superiori cap.* 4. in primo ægroto acciderant; & ex quibus febris repentè extinguitur, vt ibi textum exponentes latè demonstravimus. Neque dicere valet in animi defectu dari repẽtinum casum virium, non tamen omnium, vt nos dicimus, neque vitalium, cùm sit periculosissimus, sed tantùm animalium, qui est longè minùs periculosus, cùm in eo vires cordis, seu vitæ non solvantur, sed serventur, vt pulsus ostendunt, qui in tali animi defectu aut parùm, aut longè minùs quàm in syncope læduntur, vel in illo animi defectu, qui cum syncope conjungitur, seu in quo pulsus ferè in totum deficiunt, vt in syncope; neque inquam ita arguere quidquam valet; nam etsi verum est quòd animi defectus, in quo solùm datur lapsus actionum animalium est minùs periculosus, quàm alius de quo loquimur, & in quo pulsus multùm patitur, & ferè non percipitur; quia tamen ille non extinguit febrem, vt experimur quotidie in febribus cum epilepsia, aut apoplexia coniunctis, & simul permanentibus, sed potiùs alius de quo loquimur, qui est lapsus facultatis vitalis, seu spirituum vitalium, & caloris naturalis cordis, qui sunt subiectum febris: idcirco istum & non alium intendit Gal. per sanguinis missionem ægris inducere, & nos intelligere debemus.

150 Secundum supponere debemus, quòd animi defectus vsque ad syncopem, quamvis sit præceps omnium virium lapsus, non ideò tamen est ita periculosissimus, aut mortalis, vt asseritur in argumento, nisi vt Hipp. & Gal. docent 2. *aph.* 41. tres habeat conditiones: nam vt Hipp. inquit: *Qui sæpè & vehementer, & sine causa manifesta linquuntur animo, vel animo deficiunt, sunt qui derepentè moriuntur*, propter passionis vehementiam & extremam, ex ea caloris naturalis læsionem, & facultatis vitalis defectum. Gal. in com. sic habet: *Non omnes qui deficiunt animo derepentè moriuntur, nisi tres distinctiones adjeceris, vnam quidem primam vt sæpiùs hoc patiantur, secunda vt fortiter, tertia vt sine causa manifesta: quicumque enim sine causa manifesta aliqua sæpiùs ac fortiter linquuntur animo, hi ob virtutis vitalis debilitatem hoc patiuntur; sicuti & ille cui dum exsolveretur, cor fortiter palpitabat derepentè mortuus est.* Quasi dicant: non omnes qui animo deficiunt, aut subitò sensibus, motu, aliis corporis operationibus privantur, moriuntur repentè, aut necessariò, sed illi solùm qui ob virtutis debilitatem hoc patiuntur, & neque ij omnes, sed illi solùm, qui ob talis virtutis imbecillitatẽ sæpè & vehemẽter animo deficiunt: & quidem benè dicunt, quia mors non sequitur quamlibet virium debilitatem, neque quemlibet defectum facultatis vitalis, sed solùm cùm ad extremum imbecillitatis pervenit; nam mors, vt communiter dicitur, est omnimoda virium prostratio, vel rectiùs, mors ad extremam aut omnimodam omnium virium prostrationem, seu defectum sequitur: at qui animo deficiunt

ciunt ex causa manifesta, vt ex immoderata sanguinis evacuatione, de quo nunc loquimur, licèt fortiter animo delinquant, non deficiunt animo, inquit Gal. ex virtutis debilitate, saltim in subjectis robustis, in quibus talis sanguinis missio debet exerceri, sed solùm ex præsentanea spirituum & humorũ, sive sanguinis evacuatione, quæ in dictis subjectis nullatenus est lethalis, sed citò reparabilis ob solidarum partium robur; & ideò non est extrema supra vires. Quæ enim pauco tempore extenuantur corpora, ait ipse Gal. 2. *aph.* 7. ob humorum & spirituum evacuationem, non ex solidorum liquatione, seu debilitate id perpessa sunt, vt quæ longo tempore extenuantur: quare ista corpora lentè aut longiore tempore reficere oportet, quia cùm imbecilla sint, tantum non possunt coquere alimentum, quanto indiget corpus: in quibus verò soli humores & spiritus sunt evacuati, in iis celeriter & affatim licet reficere, cùm fiduciam nobis præstet solidarum partium robur.

131 Itaque vbi non est virium debilitas essentialis, nempe solidarum partium eliquatio, id est, corporis tortius gracilitas, & carnium tabescentia, & earum partium internarum, per quas concoctio in animalibus, & distributio, & sanguificatio, & nutritio perficiuntur, sed è contra robur in iis ex sententia Gal. loco citato non cum periculo mortis, sed cum fiducia salutis; accedere potest Medicus rationalis, & verè dogmaticus ad exercendam sanguinis missionem, ad vsque animi defectum, & quidem fortem, qualem vidimus ex industria Galenum induxisse in textu ad extinguendam febrem synocham: cùm in talibus fiduciam præstet solidarum partium robur ad sanguinem mittendum, & spiritus vitales exsolvendos, vsque ad ipsam syncopem, sive vsque ad dictum fortem animi defectum, in quo non tantùm subitò totum corpus actu refrigeratur, & omnes corporis actiones subitò ruunt, sed & sudores totius corporis superveniunt, & alvi dejectio, aut vomitus bilis: hunc ego animi defectum voco syncopem, quia in illo, vt in ista dicta dantur symptomata: tu verò si non syncopem, sed animi defectum, aut biictiri velis vocare, vt lubeat; ego enim quæstionem de nomine non exagito, sed rei veritatem inquiro, eamque ex ipsis rerum essentiis, & propriis naturis educo, aut verbis exhaurio: nam revera ex dictis liquidò sequitur in corporibus robustis, qualia suprà posuimus ex Hipp. & Gal. posse Medicos facultatem vitalem vsque ad dictum defectum exsolvere per sanguinis missionem, sine periculo mortis, quamvis in eo fortiter exsolvatur, eo quòd ad id præstet fiduciam non solùm solidarum partium robur dictum, sed & etiam causa externa, quæ vt talis est, essentialiter debilitatem nequit efficere, nedum ipsa sanguinis missio, sed tantùm dictam subitaneam, & citò reparabilem spirituum solutionem: vnde colligit Gal. & concludit, quòd qui sæpè & vehementer sine causa manifesta animo linquuntur, non tantùm ex exsolutione facultatis vitalis id patiuntur, sed ex hac simulatque eius debilitate, à qua est periculosa, & non si solùm spiritus exsolvantur, nedum vehementer vt sanguine fuso potest accidere.

Ex dictis patet quid sit respondendum argumentis contrariis: etsi enim fatemur sanguinis missionem ad dictum animi defectum factam esse extremam, vltra quam non datur alia; tamen neque ideò est extremè periculosa, vt arguitur, quia est res longè diversa remedium esse extremum, vltra quod non sit aliud, atque est esse extremè periculosum: ex Hipp. enim quod medicamentum non sanat, sanat ferrum, & quod ferrum non sanat, sanat ignis, quod ignis non sanat, est insanabile, quia ignis est extremum remedium, vltra quod non datur aliud; & tamen ignis non est extremè periculosum, sed salutiferum si quid aliud. Neque evacuatio sanguinis vsque ad syncopem facta, de qua diximus in sensu nostro, est extrema omnium vltra quam non datur alia; cùm vt visum est, sit evacuatio solius sanguinis, & resolutio spirituum vitalium, vltra quam datur alia, in qua non solùm sanguis, & spiritus deficiunt, sed & partes solidæ, vt patet in marasmo syncoposo, & in aliis quæ fiunt ex virium imbecillitate, in quibus idcirco sanguinis missio neque ad syncopem, neque ad aliquem alium animi defectum exercetur à Medicis rationalibus, neque potest exerceri sine vitæ discrimine, quia in tali casu non sunt vires, sed omnes deficiunt tam solidæ, quàm influentes: vnde nihil mirum, quòd in his casibus ex sanguine misso vsque ad animi defectum sequatur mors repentina, & in Medicorum, aut Chirurgorum manibus ægri subitò linquantur animo, & nunquam reviviscant, cùm in eis omnes vires deficiant: in his enim casibus animi defectus à qualibet evacuatione factus est lethalis, & valdè periculosus, imò & ille, qui non provenit ab evacuatione, aut alia causa externa, sed ab ipso morbo, aut virium imbecillitate, vt in febribus malignis, vel vt Hippocrates ait, quibus in febre hiemali lingua sicca est & aspera: in his enim etsi animi defectus febrem solet extinguere, sed malè quidem, & potiùs ad mortem, quàm ad salutem, vt qui sequitur exsolutionem, non tantùm spirituum, sed ipsius cordis, & solidarum partium defectum essentialem, sive defectum caloris nativi insiti, & influentis totius corporis, qui casus est lethalis, non verò cùm solùm influens exsolvitur. Vnde etiam Gal. *Et ille, ait, cui dum exsolveretur, cor fortiter palpitabat, derepentè est mortuus, non aliter quàm illi, qui acutissimis cordis affectibus, quos syncopas vocant arrepti subitò intereunt*: sunt enim isti omnes affectus, aut animi defectus mortales, non quia ad syncopem ipsam exsolvuntur laborantes, sed vt ipse dicit, quia ex nulla causa externa linquuntur 132

quuntur animo, sed ob virtutis vitalis imbecillitatem hoc patiuntur, siue ob defectum totius caloris vitalis insiti atque influentis ipsius cordis.

133 Concludo: nam sat multa, si sat benè; etsi res sit maxima, si quæ alia in scientia Medica; ex sententia Hipp. & Gal. licere Medicis rationalibus curantibus in multis morbis sanguinem mittere vsque ad animi defectum, siue vsque ad syncopem in sensu explicato, & quidem sine mortis periculo, imò cum ægrotantium bona tolerantia, & magna vtilitate, quia sunt multa corpora in quibus concurrunt conditiones requisitæ, ad eam tutò tolerandam, quanquam evacuatio sanguinis fit ita maxima, quòd ob eius effusionem in multa copia superveniat syncops, potiùs quàm ob bilis influxum, ad os superius ventriculi. Nam in rei veritate animi deliquium, de quo loquimur, ex venæ sectione factus solet vno è duobus modis accidere, scilicet non solùm ob nimiam sanguinis evacuationem, & spirituum, ac caloris vitalis defectum magnum, verùm etiam ex solo bilis fluxu ad ventriculum, atque ad eius superius orificiũ: sæpè enim in quibus dictum os ventriculi debile est, aut multa bilis tenuis in venis abundat, solet in sanguinis missione exagitari, & ex venis, aut eius vesica ad ventriculum & ipsius orificium dictum defluere; & licèt sanguinis evacuatio sit parva, causare sua mordacitate vel malignitate animi defectum, & non parvum semper, sed multoties satis magnum: potissimùm cùm insuetis ac timidis sanguis mittitur; de quo hic non loquimur, neq; debemus loqui, vt aduertit Gal. 1. *aph. comm.* 23. vt qui sit insufficiens ad intentum consequendũ, sed de primo potiùs, quique fit ratione magnæ euacuationis, aut ex tanta sanguinis effusione, quanta in maximis inflammationibus, in febribus synochis, seu continentibus, & in vehementissimis doloribus fit potens ipsum calorem nativum exsolvere vsq; ad dictũ animi defectũ, & sic dictos magnos, aut maximos morbos subitò extinguere: non enim quidlibet sequitur ex quolibet, sed determinatum ex determinato, & ideò extremis morbis extrema remedia optima sunt, ait Hipp. 1. *aph. sent.* 6.



CAPVT VI.

Docet quod scientia Medicinæ vniversalia simul & particularia intra se cõprehendit.

134 

QVÆ *hoc cap.* 6. affert Gal. ad confirmationem pertinent eorum, quæ dixerat, atque docuerat 4. & 5. *cap. superioribus*: docet enim nunc in vniuersalibus methodum, & in particularibus exercitationem consistere, & per consequẽs docet quòd Medicina, cùm sit scientia practica, id est, cuius finis est operatio, nẽpè sanitatis conservatio, aut si perdita sit restitutio, vel curatio, includit in se, siue docet vniuersalia dogmata, seu præcepta, quæ generaliter requirũtur cognita, & præhabita, ad talem finem rectè consequendũ, in quibus methodus consistit, & non tantùm hæc, sed etiam includit, seu docet rectum modum exercendi in particularibus casibus, seu exemplis, aut in particularibus operationibus ac curationibus dicta vniuersalia dogmata, documenta, vel præcepta; & ita docet ipsum exercitiũ, quo ipsa sanitas, & finis Medicinæ consequitur. Quæ quidem vt sic se habent, ita clarè dicunt, atque docent, quòd nullus Medicus, aut morborum curator poterit scientiam medicam consequi, aut rectè exercere, nisi priùs methodũ habeat, per vniuersalia dicta theoremata, aut documenta, & inde in particularibus exemplis, scilicet in ægris sigillatim se exerceat. vnde duo in Medico necessaria desiderantur, nempe eruditio, aut vera scientia omniũ suorũ præceptorum, & omnium doctrinarũ, quæ ad consequendũ finem requirũtur, & exercitatio recta in pluribus particularibus: & ideò, inquit nunc Gal. quia in vniuersalibus est methodus, & in particularibus exercitatio consistit, idcirco in superioribus capitibus iis duobus modis in synochis febribus sanguinis missio fuit administrata: nam quod vniuersim de tota dicitur scientia, dicitur pariter de qualibet eius exercitatione, & de singulorũ remediorũ executione, & debita eorum in morbis administratione.

TEXTVS.

Igitur quoniam hæc nobis peracta sunt, ac per ea, &c.

OStendit Gal. breuiter in hoc cap. quòd vniuersales methodi non sufficiunt ad rectè medendũ, seu ad rectè curandũ morbos, & quòd nullus Medicus potest in particularibus curationibus rectè, & vt conuenit se exercere sine vniuersaliũ cognitione. Arguit igitur ad hunc modũ: Demonstratũ est in superioribus, & præcipuè in fine libri superioris, oportere in febribus, quæ merè diariæ nõ sũt, faciendorũ indicationes desumere, non modò ab ipsa febre, & ab aliis rebus, quæ in ipsa, aut cũ ipsa coniunctæ præter naturã reperiuntur, & ægrũ molestant, vt facere sæpè symptomata solent, sed etiã ab ea causa quæ febrẽ excitat, & à laborantis viribus. Hæc igitur quãuis ita sunt demonstrata, ait, tamẽ nedũ ista sic ex natura rei per vniuersales methodos inuenta sufficiunt ad rectè curandũ: non enim sic licet alicui vllius artis scientiã nancisci, & per cõsequens neque Medicinæ finẽ consequi, neq; morborũ curationem, sed requiritur quòd & methodũ habeat per vniuersalia vocata theoremata, id est, & scientiã habeat, aut certam atq; infallibilẽ cognitionẽ triũ dictorum, ac omniũ remediorũ, & modũ certũ sciat, quo in particularibus exẽplis sit exercitatus, aut sæpè exerceatur: cùm enim Medicina, & aliæ artes liberales sint scientiæ practicæ, id est, vt parũ anteà dicebamus, habeant pro fine non nudã 135

rei contemplationem, sed operationẽ, seu ipsius finis consequutionem, idcircò istæ scientiæ nõ solùm suos fines contẽplantur, & quæ ad finẽ consequendũ conducunt, demonstrant scilicet per methodum, siue sciẽtificas cognitiones, sed etiam & modum docent, vel practicam veram, qua talis finis cõsequatur in particulari, id est à Medico consequatur, rectè in particularibus curationibus morborũ se exercente: non enim scientiæ ipsæ sunt quæ suum opus consequuntur, aut consequi possunt, sed methodos docent, & debitos modos, quibus artifices rectè se exerceant, & sic suum intentum, & finẽ artis cõsequantur: vnde istæ sciẽtiæ practicæ à nullo haberi possunt sine multiplici exercitatione, neq; fieri potest, ait Gal. vt sine multiplici in ægris sigillatim exercitatione, quod ex vsu fit, facias, quia vt in vniuersalibus methodus, ita in particularibus cõsistit exercitatio, quas docet scientia, & quarũ vtramque bonus Medicus debet habere necessariò: nam vt fieri nequit, ait Gal. quòd sine multiplici in ægris sigillatim exercitatione Medicus consequatur aliquid quod sit ex vsu, siue vtile, & vt convenit, ita neque sine vniuersalium cognitione probè exercitatio procedit, sed recta exercitatio ex omniũ vniuersalium scientifica cognitione procedit, & ideò cõmuniter dicitur, qui benè noscit benè curat, & qui malè noscit, malè curat; & ipse Gal. 2. *secundùm loc.* 2. apertè dicit, quòd conjectura artis Medicæ in affectuũ cognitione consistit, quæ vbi constiterit, non conjecturaliter, sed scientifica ratione indicat curationem, & in præsenti cap. sic concludit: tanquã qui iter aliquod ingredi studet, vtroque invicem vtitur crure, vt rectè ambulet; qui verò claudus est, & vno duntaxat vtitur, & longo spatio, & sæpè errans viã peragit: ita sanè & qui finẽ cuiuslibet artis consequi parat duobus dictis veluti cruribus, vel instrumentis, vel quomodocumque appellasse libet vti debebit, scil. in vniuersalibus theorematis methodo, & in particularibus exercitatione; & hæc de hoc cap.

Quæstio an scientia, an exercitium sit Medico magis necessarium?

136 QVamvis satis evidenter sit demonstratũ in textu quòd nullus Medicus potest rectè medicinã facere, neque alicuius curationẽ tutò exercere, nisi & scientiã habeat Medicinæ, & secundùm eã in pluribus casibus particularibus sit benè exercitatus: quia tamen nõ omnes Medici iis semper duobus instrumentis tanquã cruribus morborũ curationes percurrunt, sed multi solùm vniuersalia scientes, & multi alij inscij, solúmq; exercitati morbis medentur; idcirco quæritur hîc, an scientia medica, an exercitatio sit Medico magis necessaria, id est, an minùs erret in curationibus Medicus, qui solùm est speculativus, solúmq; habet sciẽtiã medicã quoad partẽ speculativã pertinet, & non simul practicã, an ille potiùs qui in praxi est multùm exercitatus, sed inscius, aut parùm callens vniuersalia Medicinę dogmata, aut omnes curandi methodos, quas scientia Medicinæ docet ad rectè curandum: etsi enim omnes ij mali sint Medici, & mala conscientia, atque in animæ suæ interitum, & ægrorũ detrimentũ medicinam faciunt, sæpè potiùs lędunt laborantes, quàm levant: tamen quia iis nostris tẽporibus multi dantur Medici, qui parũ scientes statim praxim exercent, morborũq; curationes toto suæ vitę tempore profitentur, & indecenter operantur, propterea & vt tales malos Medicos charitate christiana corrigamus in quantũ possumus nos, & illi opus habent, hîc dictã quæstionẽ exagitare, & decidere vt debitè aggrediamur. Et quia hanc quæstionẽ, quæ ad Medici electionẽ pertinet, atque ad eius approbationem, sapientissimus Rasis *lib. 4. ad Almãsorẽ, cap. 32.* excitat, atque dirimit absolutissimè: idcirco placet integrũ eius caput transcribere, vt sic ex doctrina tanti viri cõstet quis Medicus sit ad curandos ægros eligendus & approbandus. Et vtinam, ait Lemosius, Hispanè esset editum, & publicum factum.

137 Sic igitur habet Rasis: Valdè considerari debet in quibus vitã suã expendit Medicus, & in quibus illud quod de suo præteriit tẽpore exercuit, atq; de quibus stando solus cogitat: si enim suæ vitæ spatiũ Medicorũ, ac Philosophorum libros perscrutando præteriit, eiusque studium est quando solus stat eos intueri diligenter, bona de eo haberi potest suspicio. Quòd si vitæ suæ spatiũ in aliis quàm in his quorũ fecimus mentionẽ studẽdo præterivit, ac solus stando in cantilenis & instrumentis musicis delectatur, aut his similia concupiscit, suspicio mala de eo haberi potest. Postquam autẽ scitũ fuerit quòd ipse frequenter libros intuetur, considerãdũ erit qualis sit eius astutia, atque ingenium, & an cum oppositoribus sit conuersatus, & si in eo sit potẽtia perscrutandi, vel medicandi, vel non, est etiã perquirendum, si cũ prædictis hominibus, quos prædiximus, diu societatem habuerit, & ab eis sit adeptus perscrutandi & medicandi virtutem. Obseruari etiã debet si ea quæ legit intelligit, vel non. Rursus postquã eũ libros legere, ac intelligere notũ fuerit, etiã sciri debet, an in infirmorum cura laborauerit, & eis medicatus fuerit, atq; si hoc in ciuitatibus famosis, vbi Medici, atq; infirmi multi sunt, egerit, aut non, diligenter erit perquirendum; qui enim hæc duo habere inventus fuerit, sapiens erit, & aliis præferri debet. Quippe qui talis invenitur, habet scientiã & eius vsum, siue curãdi exercitium, ideóq; rectè dicit, quòd qui hæc duo habere inuenitur, aliis debet præferri.

138 Quod si contingat, inquit, atque prosequitur, quæstionem absoluit; si inquam contingat alicui istorum vnum deesse, conueniẽtius est vt operandi magisterium ei desit, quàm vt eã quæ in antiquorũ libris cõtinetur sapiẽtiã penitùs ignoret, dũmodo operationis expers omninò nõ sit, sed operãdi aliquã partẽ nouerit: qui enim quod in libris est nouit, atq; imaginatur, aut cõtẽplatur, cũ pauca operationis notitia peruenit ad rectã curationẽ faciendã, ad quã nullo modo peruenire poterunt qui ea quæ in libris continẽtur non nouerũt, neq; imaginati sũt: nõ enim operari sciunt,

sciunt, nisi qui ab his qui longam scientiam habentes è dictis fuerint, quique cum eis in civitatibus famosis vbi multi infirmi inveniuntur, & curantur diu fuerint commorati, & eorum curationes experti: si quis enim huius doctrinæ nomen sit adeptus, qui literas non novit, vel si literas novit, verba tamen non intelligit, neque cum sapientibus moratus fuerit, sive sapientiæ non est credendum, imò sciēdū est eum nullo modo proficere: impossibile est enim vnum hominem, etiamsi longo tempore vivat, huius doctrinæ posse magnam consequi partem, nisi secundum præcedentium incesserit regulā; huius enim doctrinæ quantitas vitæ hominis mensuram multùm excedit: quod non in hac tantùm doctrina, verùm etiam in pluribus inuenitur. Quare qui de hac doctrina vsq; nunc aliquid sunt consequuti, etsi fuerunt non pauci, tamen neque in brevi hęc consequuti fuerunt, sed fuerunt mille, & in mille annis hoc adepti fuerunt: at horum libros si quis frequenter perscrutatus fuerit, in brevi omnes videre videbitur, ac si illi mille annis vixissent, & illorum laborem mille annis pertulisset: quapropter si quis libros non perscrutatur, atque ex eis ægritudinum formas non intelligit, antequam eas videat, quamvis ipsas multoties videat, & in tota vita sua quantùm poterit perscrutatus fuerit, & quāvis omnibus hominibus sit acutior, atque doctior videatur, dimittat eas, quia eas non cognoscit, & absolutè pertransit eas, nullo modo aliquid ex eis intelligendo.

139 Hæc Rasis sapientissimus, isque eruditionem Medicinæ, partemque eius theoricam, ac verè scientificam ex assiduo studio bonorum librorum diuturna communicatione cū præstantissimis Medicis, & nulla digressione ad alia comparatam, præfert exercitationi in Medico, etsi ex se sit acutissimus, & toto tempore suæ vitæ in curandis morbis sit exercitatus, & quasi Hippocrates videatur: & benè quidem, nam revera oportet primum Medicum qui curationem aggreditur, omnes contemplationes, sive doctrinas scientificas suæ artis percepisse, & iis præhabitis in curatione, sive in ipsis singulorum morborum curationibus, juxta contemplationes exercitari; nam tales contemplationes etiam rectum modum operandi continent, & docēt, vt in textu dicebamus; & ideò cōmuniter dicitur, qui sufficit ad cognoscendum sufficit ad curandum, & potissimùm, si vt ait Rasis, aliquam operandi partem nouerit, id est, si jam in aliquorum morborum curationibus sit exercitatus, aut saltim à bonis Medicis instructus in aliquibus casibus operari juxta artis documenta: è contra autem impossibile est aliquem in particulari benè, aut scienter operari sine vniversalium scientia eorū cōmuniū præceptorum, quæ docent debitum modum operandi particularia, aut singulorū morborū particulares curationes. Quòd si objicias curationes morborum posse haberi non solùm dogmaticè, vel juxta rationaliū Medicorū sectā aut scientiā, de qua nunc agimus, sed etiā empiricè, aut ex sola experientia, quæ abstrahit ab omni scientifica contēplatione, aut cognitione. Respōdetur facilè, ex sola experiētia solùm posse curari morbos, qui sæpè ita sunt; & ij non omninò certè, sed cū formidine, an juuet medicamētū necne, cùm ab experientia nihil omnino certū colligatur, vt *lib. 7.* agentes de essentia indicationis demonstrauimus manifestè; præterquā quòd experientia, vt bona sit requirit multa quæ etiā nūc ignorant, qui se curare profitentur experientia; vnde prouenit, quòd ij suis experientiis, aut remediis expertis si ex bona fortuna aliquos curent; sed plures interimūt, aut pejores relinquunt: vnde semper cōcluditur oportere Medicū esse perpetuò studiosum, primumque percepisse, & attento animo contēplasse vniversalia omnia Medicinæ documenta, & tādē juxta illa in particularibus esse exercitatum, saltim in aliquibus, vt benè curet, & qui sic non curat malè curat, suamque animam & salutem hominum perdit.



CAPVT VII.

Convincit illos, qui negabant indicationē desumi à viribus laborantis.



ACTVRVS jam Gal. de viribus ægrotantium, demonstraturusq; in sequentibus à viribus eorum esse etiam sumendam indicationem in morborum curatione; incipit hoc cap. suam disputationem, convincens eos, qui curādi indicationē à laborantiū viribus sumi negabāt; & benè quidem, & sic in aliis vsus est facere semper, quia nimirum falsis primùm rejectis opinionibus, inde oritur via plana ad ea quæ vera sunt invenienda, atque enarranda: quæ enim in rebus, quę disputantur, falsò dicūtur, si quæ vera sunt non tollunt, saltim obūbrāt; ideòque si protinus falsa explodantur, sic tolluntur illicò impedimenta, quæ poterant tui veritatem obumbrare. 140

TEXTVS.

Reversi igitur ad methodum, nunc agendi ægrotantis, &c.

QVæstio erat apud antiquos Medicos, ait Gal. an ad morborum curationem conferant quidpiam vires, an planè nihil; cui plures eorum respondentes, sic in negativam partem eam definiebant: indicatio quæ præscribit remedium ægro adhibendum, solùm ab eo quē curamus affectu sumitur, & nequaquam à viribus, vt quę sui conseruationē sēper indicāt, nunquā remedium, imò vires multoties remediū tollunt, non præscribunt: quare vires ad morborū curationē, inquiunt isti, nihil conferunt; 141

ferunt; vt neque anni tempus, regio & cæli status; neque corporum temperies, neque animalis partes: siquidem neque ab his, aut istorũ aliquo sumitur indicatio, quæ remedium præscribat ægro adhibendũ, sed solùm à morbo, aut morbis, à causis morborum, aut symptomatibus, si vrgent. Quòd si obiicias mutari sæpiùs curationẽ, vel remediũ à morbo indicatũ, tum à viribus, tum ab aliis dictis, respõdent mutari quidem sæpè remedium ab his, non quia indicent curativè, aut curationem doceant, sed quia vel contradicant curationi, vt cùm vires languidæ vetant evacuationem faciendã à morbo indicatam, vel quia conferunt ad materię inventionem, id est ad remedij inuentionem, vel ad eius mutationem, aut differentiam particularem inveniendam.

TEXTVS.

Itaque quod modò dixi, nunc quoque repetam, nempè quòd, &c.

142 HIc arguit Gal. contra sophistas illos Medicos, qui argutè magis quàm vtiliter, ac vere volebant docere in morborum curationibus nullam aliam esse curatricem indicationem penes illam, quàm affectus qui curatur præscribit, quamvis vires sæpè talem indicationem prohibeant, & alia multa remedium à morbo indicatum non indicent, neq; contraindicate sit revera indicare, & quasi quæ remedium à morbo indicatum, mutant, aut limitant, nihil indicent, & quasi limitare remedium, aut mutare non sit reuera indicare. Hos ergo hîc reprehendit Gal. & meritò quidem, ex eo quia rationes vtiles, & ad finem Medicinæ debitè consequendum necessarias omittant, vel saltim vertunt in logicas quæstiones, faciuntq; eas quæstionem de nomine, quæ sunt inutiles, cùm ad curationem nihil conferant, sed solùm sint ad ingenij acumen ostendendum: reuera enim logicæ quæstiones sunt & de nomine tantùm, quærere an quæ in morborum curatione coindicant remedium à morbo petitum, vel quæ ipsum specificant; aut limitant, ac determinant, & quæ remedium à morbo indicatum contradicunt, aut consentiunt indicari dici debeant, an non; sed solùm affectus aut morbus, qui remedium primò insinuat? Etsi enim anni tempus, sive ætas, aut temperamentum laborantis, aut pars affecta, & similia, non indicent remediũ vt morbus, sed tantùm coindicent cum illo, & limitent, aut determinent specialem eius differentiam; & licèt neque vires remedium indicẽt, sed eius executionem admittant, si sint robustæ, vel sufficientes ad ipsũ sine noxa, aut defectu sustinendũ; aut vitẽt, quia sint debiles, aut non satis robustæ ad tale remedium facilè tolerandum: etsi inquam hęc sic se habeant, idcóque potiùs coindicare, aut contraindicare dicantur, tamen ex eo absolutè dicendum minimè est non indicare, cùm reuera exacta morbi curatio, & remedij specifici inventio, & debita eius administratio inde pendeat, ac desumatur, non minùs quàm ex ipso morbo, qui dicitur indicare, quia speciem præscribit remedij, & non limitat, aut individuat.

TEXTVS.

Ego verò non veto nominibus, quibus libitum sit vti, &c.

COncludit nunc Gal. atque absolvit pro- 143
positam quæstionem, non vt illi antiqui stropha, id est fraudulenta fallacia vsus, sed vtiliter ac verè, nempè ex ipsa rei natura, id est ex supposito ipsius partis fine, seu vtilitate: est enim, inquit, artis Medicinæ finis, vel vtilitas, auxilia, quibus æger sanetur invenire; & idcirco quidquid quomodolibet conducere videbitur ad tales auxiliorum inventiones, id fatendum est ad curationem esse necessarium, vtcumque nominetur, & sive indicare id propriè dicatur, sive coindicare, vel contraindicare, &c. Non enim qui sic dicta indicantia curationem nominat, quique hac nominum diversitate vtuntur, purgantur pro iis quæ falsò affirmant; neque sic certò quæstionem dirimunt, sed indefinitam relinquunt, vtpote qui re vtili aut necessaria relicta, de nominibus litigant. Quare nos, ait Gal. iis relictis, atque eorum fallaci sophia, videamus tandem, an virtus in ægris necessariò sit consideranda à Medico pro eorum debita curatione, an non? sive virtus indicare dicatur, sive consentire, vel contraindicare. Quæstioni sic respondet: Ego sæpè maximè esse necessarium autumo; sic scilicet, vt quæ circa ægrotum administrantur, omnia fermè eius causa fiant. Quasi dicat: necessariò est attendendum, vt quæ circa ægrum administrantur, id est quæ ad ægrum non solùm curandum, sed & conservandum administrantur, omnia fermè eius vnius causa fiant; sive enim ægrotus curandus sit, sive nutriendus solùm; & sive æger qui curari debet curandus sit per evacuantia remedia, sive per alterantia tantùm, certè hæc omnia, aut ferè omnia vnius virtutis causa fiunt, id est, vnica virtus laborantis est, quæ hæc omnia indicat aut permittit, vel repugnat, sive contradicit: alimenta siquidem in ægris, vt in sanis maximè à viribus indicantur; & quæcumque auxilia, sive alterantia, sive evacuantia ad curandos ægrotantes Medici præscribunt, ex virtute consentiente, aut non repugnante præscribũt vel malè administrantur. Quæ cùm sic se habeant, cumque vires tam maximè conferant, ad auxiliorum inventiones, quibus ægri curantur, sequitur consequenter esse maximè necessariò à Medico curante cognoscendas, attendendasque, id est, esse maximè à Medico cognoscendũ, attendendumque quid vires in morbis indicent, an scilicet consentiant auxiliorũ administrationẽ, an non, sed repugnent in totũ, aut ex parte, quod à morbo faciendũ indicatur pro sui curatione: nihil enim eorũ quæ morbus postulat ad sui curationẽ potest fieri, nisi virtus permittat: quod rectè dicit Gal.

Gal. quòd quæ circa ægrum administrantur, omnia vnius virtutis causa fiunt, id est, fiunt, quia ipsa non contradicit, sed permittit.

144 Satis evidenter demonstrat Galenus, quòd vires conferunt, vt si quid aliud ad morbos rectè curandos, & quòd omnia, vel ferè omnia, quæ in ægris, qui curantur, administrantur, fiunt virtutis causa. Vt hæc tantùm magis pateant, contra sic quasi arguit sibi: virtus in morbis, qui curantur, tantùm indicantur, vt ferè omnia, quæ circa ægrum administrantur, eius vnius causa fiunt: malè ergo in multis morbis indicatio à viribus petita negligenter, aut cur in curatione multorum morborum negligitur omninò indicatio à viribus? Huic objectioni respondet Galenus, & dicit, quòd quamvis ad ea omnia, quæ in ægrorum curatione facienda sunt, consilium, sive consensus petatur à viribus, non ideò tantùm præcipua faciendorum ratio ad vires solùm refertur, sed & à morbis dependent, ab eorum causis, & ab aliis multis, quæ aliqua ratione conferunt ad curationem debitè consequendam: vnde vires non semper suum consilium, aut consensum præbent in curationibus omninò idem, sed sæpè, inquit, maximè est necessarium, aliquando non nisi mediocriter necessarium est, & aliquando adeò parùm ad invenienda remedia, eaque administranda vires indicant, ac conferunt, vt propter exilitatem lateat earum necessitas, & eius consideratio silentio prætermittatur, quasi prorsus ex vtiliter considerandis non sit: vt enim cùm morbus magnus est, vel extremus, virium consideratio maximè est necessaria, earumque consilium, atque consensus est maximè necessarius ad rectè inveniendum ac exequendum remedium tanto morbo debitum; ita cùm morbus est mediocris, mediocriter solùm consideratio virium, earumque consensus sunt necessaria; & si morbus est parvus, aut mitis, atque benignus, & cætera annuunt, nempe natura bona laborantis, ætas florens, & anni tempus temperatum, tunc virium consideratio adeò est exilis, id est, adeò exiguum confert ad invenienda, aut exercenda remedia, vt prætermittatur à Medico, quasi ex vtiliter considerandis non esset. Verùm quod accidit in virtute, id in reliquis omnibus, quæ aliquid faciendum in curatione indicant, vsu venit, ait: nam aliquando aliud eorum alio plus, aut minus valet: aliquando adeò est valens, vt solùm indicare videatur, aut ita imbecillum, vt omittatur, ac si nihil indicaret.



CAPVT VIII.

Medendi methodum primùm ab Hippocrate inventam, deinde à Galeno declaratam, absolutámque fuisse.



EORVM occasione quæ *superiori capite* dixit Galenus de viribus, & earum necessaria cognitione, ad morbos methodo, aut rectà ratione curandos, agit in præsenti de medendi methodo, redditque rationem, quare ipse de methodo medendi agit nunc, & postquam de eadem curandi methodo ipse Hippocrates egit: fuit siquidem Hippocrates penè divinus Medicus atque inventor totius Medicinæ rationalis: vnde si ipse ex professo de curatione morborum egit, videtur superfluum, quòd alius aliquis, nedum Galenus agat de eadem re: docet ergo nunc medendi methodum fuisse quidem ab Hippocrate inventam, non tamen absolutè definitam, aut declaratam, neque omnia debitè ordinavit. 145

TEXTVS.

Hæc igitur dum doceo, adsis animo, velim illum habens, &c.

CVm ars sit *collectio plurium preceptorum ad vnum aliquem finem rectè consequendū directorum*; & consequenter Medicina sit ars, aut illa scientia practica, quæ docet ea omnia & singula, quæ quomodolibet conducunt, aut possunt conducere ad sanitatem in hominibus conservandam, atque eorum omnes morbos expugnandos, seu curandos: hæc dum doceo, ait Gal. adsis animo velim, id est, scias velim, & memoria teneas quòd curatio, quæ per methodum agitur, id est, non vtcumque agitur, sed rectè, quantùm per humanam fragilitatem fieri potest, non in aliis consistit, neque aliunde dependet, nisi ab his, quæ cap. sup. sunt relata, & etiam cap. sequenti iterum referam, & sigillatim explicabo: pars siquidem Medicinæ curatrix non aliud intendit, nisi affectum ægrotantis, id est, quod ægrum offendit, amovere; & consequenter maxima præcipua eius cura est ea invenire, ex quibus debitè administratis talis ægrotantis affectus præter naturam curetur, aut in totū auferatur: hæc autem vt primò intendit practica Medicinæ pars, ita mediatè invenire intētat res omnes quæ indicant, aut indicare possunt dicta auxilia, quibus administratis 146

nistratis curantur morbi, vel illi affectus, qui cruciant ægrotantes: vt enim morbus curari nequit nisi debitis adhibitis auxiliis, seu remediis, ita hæc auxilia non aliter habentur certa nisi per indicationes, id est, nisi ex præhabitis, atq; præcognitis multis rebus, quæ indicant, seu dicunt, vel certò demonstrant talia remedia: vnde medendi methodus, de qua nunc ag mus, duo maximè in se continet, aut facere debet, atque ostendere, scilicet quot, & quæ sunt quæ in morbis indicant dicta remedia, & qua recta ratione singula quæ indicant, talia remedia indicant, & ipsam remediorum debitam executionem, aut applicationem: hæc quidem vera sunt; hic tantùm de his non aliud agit, nisi quòd curatio morborum, quæ per methodum traditur, pendet ex indicationibus, quæ desumūtur à rebus suprà relatis, quæ sunt non solùm morbus, & aliæ res præter naturā, sed & res naturales, & vires, & anni tempus; & quòd de iis nullus ante ipsum sufficienter egit, quamvis ab Hipp. via ad id fuerit inventa.

147 Supponit itaque Gal. eadem quæ nunc ipse dicit edocere Medicum morborum curationē, eadem, inquam, ipsa Hipp. primum omniū invenisse, atque scripsisse indicare veram curationem morborū: & ita Hipp. fuit rationalis Medicinæ primus omnium inventor; quod quamvis sic se habeat, verùm Hipp. vel quia primus inventor, vel quia breviloquus, quæ invenit omninò non perficit, vt verificetur semper quòd nullū inventū est primum perfectum: neque enim, ait, debitum omnibus ordinem dedit, neque cuiusque indicationis dignitatem ad vnguem definivit, & quasdam in ipsis discretiones omisit, obscuréque plurima pro antiqua dicēdi veritate est interpretatus: præterea de cōplicatis affectibus paucissima præcepit, & in summa omnem ad curandum viam aperuit, non tantùm perfecit, sed ita eā reliquit, vt curam adhuc, diligentiamque ad absolutionem desideret: veluti nonne quoque videmus quasdā veterū interim vias, quæ indigent perfectione, vt quibus pars quæpiam est vel lutosa, vel lapidibus, sensibusve impedita, vel molestè ardua, vel periculosè prona, vel feris obsessa, vel propter magnitudinem fluminum invia, vel longa, vel aspera. Itaque cùm sic se haberent omnes in Italia viæ, eas Trajanus Imperator reficit, quæ scilicet earū partes humidæ ac lutosę erant lapidibus sternens, aut æditis agrestioribus exaltans; quæ senticosæ & asperæ erant, eas expurgans, ac flumina, quæ transire non possent pontibus jungens: vbi longior quàm opus erat via videbatur, aliā breviorē scindens: sic vbi propter arduū collē difficilis erat, permitiora loca deflectens: si obsessa feris, vel deserta erat ab illa transferens, ac per habitata ducens, & asperas complanans: sic inquam Trajanus ille omnes Italiæ vias reliquit perfectiores.

148 Itaque mirari nemo debet, prosequitur Gal. si eùm methodum, id est, viam, rationéq; medendi ab Hipp. inventā esse sim testis, ipse tamen hoc opus scribere etiā sim aggressus: nō enim seu hæc methodus nullo modo sit inventa, sed veluti quæ proximè diximus desideret, ad hæc conscribenda venimus, nemine priorū, qui eā methodū absolverit ante nos invento: non enim fuit aliquis Medicus ante Gal. qui quæ Hipp. de meth. medendi dicere prætermisit adjecerit, neque quæ indefinita reliquit definierit, aut quæ inordinata erāt in debitū ordinē reduxerit, neq; deniq; quæ pro antiqua dicēdi brevitate obscura tradidit, insceperit interpretanda, atq. perfecerit, vt erat opus: quare hæc Gal. post Hipp. addere in toto hoc opere de meth. medendi est aggressus, vt explanare vnde omnes curativæ indicationes desumantur, & quòd vires sæpe indicant curativè, earumque dignitatem, atque præstantiam esse magnam.



CAPVT IX.

Continet ferè omnia argumenta vnde indicationes curativæ sumuntur, & ad sequentia se præparat.



Dixerat *cap. sup.* Gal. continere in se medendi methodum, atque edocere res omnes quæ indicant quid agendum in morbis, & omnia remedia quibus curantur: nunc ergo docet id esse verum ex demonstratis in toto libro superiori. 149

TEXTVS.

Vtile autem ad claritatem eorum principium sumetur, &c.

Qvòd vera morborum curatio, quæque per methodum agitur, per indicationes fiat, quidque maximè præcipua faciendorum indicatio in morborum curatione ab affectu ægrotantis, sive ab affectu qui ægrum molestat desumatur, ex revocatis ad memoriam his quæ lib. sup. sunt exposita, cùm de diariis ageret constat satis; in calce quoque eius libri, sive in vltimo cap. dictum, ac demonstratum est, conferre ad auxiliorum inventionem, tum ipsam laborantis corporis temperiem, vna cum consuetudine, tum regionem, anni tempus, & cœli statum: in quibus quoque morbis egregius aliquis affectus in parte aliqua animalis subsisteret, veloti ex adustione in cap. etiam indicare; & tādē à parte affecta aliquam faciendorū indicationē sumi dictū est. De viribus autē neq; de causa qua affectus crescit in eo libro nihil est dictum; non quia nihil indicent, sed ex eo quia neque vires in diariis febribus providentiam requirant, vt quæ omninò validæ sint, neque affectus vllus sit, vel causa permanēs interna inverè diaria febre, quę cā vel gignat, vel augeat; quāvis rationalis medēdi methodus hęc omnia cōtinet, aut ex his omnib* 150

benè

benè cognitis, atque digestis, debitam morborum curationem colligit, consequunturque; & consequenter bonus Medicus eadem omnia debet ad plenum cognita habere, & integrè digesta, ne in curatione decipiatur, & falsos laborantis minos benè quàm sit par consequatur: Verùm nunc, concludit Gal. priùs de viribus præcipiam, deinde ad causas, quæ febrem excitant, accedam, cum de aliis sit actum iam.



CAPVT X.

Docet quot & quales sunt vires nostri corporis, & quatenùs curatiua indicatio ab illis petatur.



151 DIXERAT *cap. octauo* Galenus quod qui medendi methodum docet, aut statuere intendit, debet accuratissimè indicationes omnes curatiuas quærere, atque adinuenire, & cuiusque indicationes dignitatem ad vnguem definire; quare & nunc de viribus Galenus agere agressus acuratè duo in præsenti cap. tradit, ac explicat, quot scilicet, & quales sint vires nostri corporis, quæ in morbis sunt attendendæ pro eorum curatione, & quatenùs curatiua indicatio ab illis petatur, id est cur, quando, quantùm, & quomodo à viribus indicatio curatiua sumatur: quare caput secatur in duas partes.

TEXTVS.

Gubernant animal, vt in libro de Hippocratis & Platonis, &c.

152 HÆc est prima capitis pars, in qua Galenus demonstraturus, quot sint & quales vires nostri corporis, quas Medicus debet attendere in morborum curatione docet esse tres in nobis diuersas facultates, quæ animal gubernant, vna quælibet scilicet toti corpori ex suo principio, veluti quodam fonte distributa; & benè quidem, nam virtus atque facultas in nobis est idem, nempè causa efficiens operationis, aut operationum, quæ in nostris corporibus toto vitæ tempore aguntur; atque proinde de facultatibus agens Galenus quæ animal regunt, atque conseruant, agit de viribus, quas Medicus in morbis conseruare debet, & semper, eo quod vires seruare sit vitam custodire; vt enim vires alias omnes animalis operationes agunt, ita eius vitam conseruant, vel potiùs vires ipsæ sunt ipsa vita; & ita vires semper conseruari debent, vt & vita nobis conseruetur, & inde aliæ corporis operationes seruentur etiam. De viribus ergo seu facultatibus, quæ in nobis reperiuntur, & à Medicis ad benè medendum debent cognosci, atque attendi, hic agens Gal. docet quot, & quales sunt, ac quomodo vna quæque earum à proprio fonte emanans toti corpori distribuatur; non tantùm earum substantiam, aut essentiam nunc demonstrat, sed infrà *lib. 12. cap. 5.* quod quamquàm ita sit, nos tamen hic vtrumque explicabimus, eo quòd vtrumque scire debet Medicus ad benè curandum, vt videbimus.

Hic igitur & alibi sæpè Galenus tres esse facultates diuersas dicit, quæ in singulis hominibus reperiuntur, & totum animal, aut humanum corpus gubernant, scilicet naturalem, vitalem, atque animalem: dicit autem quod dictæ tres facultates gubernant animal, quasi dicat quod animal ab iis non vtcumque, sed optimè agitur, regitur, atque conseruatur, & quod si animal optimè se habet, ideò est, quia à dictis facultatibus benè gubernatur, vti res publica gubernata dicitur, cum à magistratibus optimè dirigitur, atque disponitur: & quidem ita est; nam reuera facultates dictæ, si benè se habent totum animal, aut humanum corpus interiùs, & exteriùs perficiunt, id est optimè disponunt, atque componunt, vt diu viuat, aliasque actiones edat perfectas; & ideò benè dicitur, quod has facultates conseruare, est vitam custodire, & omnes actiones. Dicit etiam has facultates esse genere diuersas, & quia sub se quælibet earum plures habeat species in quas subdiuiditur; & quia quæque ex suo oritur diuerso prorsùs corporis principio, vnde veloti ex fonte manans per proprios ductus, quasi canales distribuitur ad omnes corporis partes, & denique, quia quæ operantur sunt diuersi generis, sicuti sunt actiones naturales, vitales, & animales. 153

Quòd autem hæc sic se habeant, demonstrat clarè, agens seorsim de vnaquaque earum, à naturali incipiens, vt quæ latiùs pattet, & non hominibus solùm, sed & aliis omnibus animalibus ac plantis est communis. Naturalis igitur facultas, ad nutriendum animal necessaria inquit, est illa, quæ iecur veluti pro fonte habens, venasque ab hoc, seu canales, in totum corpus sparsas corporibus alimentum præstat. Quasi dicat. Naturalis facultas est illa, quæ alimentum corporis in hepate ab ipsa tamquam in proprio instrumento & loco genitum, inde per venas transmittit ad omnes, & singulas nostri corporis partes, vt eo nutriantur, & sic conseruentur per plures annos, & per totam vitam: sunt siquidem humana corpora; & eorum omnes partes viuentes semper fluidæ, siue resolubiles, vt potè per excessum humidæ: quare indigent nutritione vt conseruentur, id est indigent restauratione illius substantiæ, quæ semper fluit, aut per insensilem transpirationem semper exsoluitur, quod fit per nutritionem singularum partium, scilicet per nu- 154

tritionem, quæ ex alimentis ab hepate ab ipsis delatis quotidie in illis agitur, ab ipsarum insito calore, vt sic diu conseruentur: facultas ergo naturalis, alteratrix aut appetitiua etiam dicta, quia, quæ necessaria sunt corpori ad sui conseruationem appetit, alterat, atque elargitur, est illa virtus aut potentia, quæ in hepate, ac præcordiis, quæ sunt inter septum transuersum & vmbilicum, existens quasi esset agreste quoddam pecus ait Plato in Tymæo, primum appetit esculenta; aut potulenta, id est cibos atque potus qui corpori sunt necessarij ad sui nutritionem, & ibi alterat, seu concoquit, seu sibi assimilat atque in sanguinem, aut massam sanguinis conuertit, & tunc tandem inde per venas ad omnes & singulas corporis partes transmittit, vt eo corpus sibi connexum nutriatur, & sic licèt mortale sit, diu viuat conserueturque.

155 Altera facultas est, ait Galenus, vitalis communiter dicta, quæ etiam stirpibus, id est vita præditis plantis, ac animalibus, vt naturalis, inuenitur à Deo elargita, quæ sedem aut domum habet in corde, ipso quoque insiti caloris quodam seu fonte & inde per arterias, vt per canales, vitam toti corpori impertitur: vocatur etiam hæc non vitalis solùm quia ab hac vita dependeat, sed irascibilis, aut animosa, quia isti affectus pendent etiam ab illa: itaque vt in nobis ac aliis animalibus, ex hepate per venas à naturali facultate largitur alimentum toti corpori, quo nutriatur; ita similiter ex corde, tanquam vitæ fonte facultas vitalis per arterias vitam communicat, atque impertitur, omnibus, & singulis partibus corporis viuentibus; quamuis hæc nobis & aliis animalibus sit insita, inquit Galenus, non aliter, atque plantis, aut stirpibus vita præditis, quæ tenera naturalis est, id est semper operatur, & non ad libitum vt animalis. Tertia facultas est animalis, aut ratiocinatrix in hominibus tantùm reperta, atque in cerebro residens voluntariis actionibus omnibus, & sensibus corporis præsidet: hæc enim non solùm in cerebro vbi domicilium habet, tres principes animæ actiones operatur, nempè imaginationem, ratiocinationem, & memoriam, sed inde per neruos, vti per canales, sensum motumque animales, seu voluntarios, vel si vis influxum in totum corpus transmittit.

TEXTVS.

Ergo has facultates seruare nihil planè est aliud, &c.

156 Explicatis dictis tribus facultatibus, quæ animal gubernant, concludit hic dicens: ergo has facultates seruare nihil planè est aliud, quàm vitam seruare. Quasi dicat Gal. ita istæ tres facultates, animal gubernant, regunt, atque conseruant, quod ad conseruandum ipsum animal, atque ad conseruandam eius vitam necessariò debeant seruari tales tres facultates: etsi enim facultas, quæ à corde manat vitalis dicitur, potissimùm quia inde vitam transmittit; atque largitur cunctis aliis partibus viuentibus totius corporis; & ideò cor vitæ principium, & primum viuens, ac vltimum moriens communiter dicitur; vita tamen à dictis tribus facultatibus seruatur, ita quidem vt altera earum amissa necessariò reliquæ pereant, & vita vna cum ipsis: vnde communiter dicitur, quod vita est communis consensus, ac conseruatio trium dictarum facultatum, & mors earum deperditio, vel vt hic ait Galenus deperditio cuiusque earum, quia bonum ex integra causa, & malum ex quocumque defectu: quare benè dicit, quod has vires seruare, & vitam custodire.

Sed contra dices, ex ipso Gal. 5. *de loc. affec. cap.* 1. vbi sic ait. Cum itaque tres sint principes partes, quibus gubernatur animal, semper mors ad immodicas sequitur cordis intemperaturas, &c. hic enim clarè docet vitali potentia pereunte cæteras interire non tamen contra: Respondetur facilè, quod quamuis dicat Galenus semper mors ad immodicas sequitur cordis intemperaturas, non tamen negatur, quod aliis destructis principiis, scilicet cerebro, aut iecore, cor etiam pereat & tandem cum eo vita: imò a. *de ratione vict. in acut. com.* 47. expressè hoc statuit, ita scribens. Didicisti enim vnam esse in neruis facultatem, quæ principium habet cerebrum; alteram. in arteriis, cuius principium est cor, tertiam verò in venis, quæ ex hepate oritur. Ergo partis vnius quamuis illa fuerit intemperatura, propriam interdum facultatem violauit, cui affectus participatione consenserunt reliquæ duæ facultates: velocissimè igitur fiunt corde patiente mortes, deinde affecto cerebro tardissimè ab hepate producuntur funesti casus quia scilicet non omnia ad vitam largiendam, aut seruandam æque conferunt, sed potiùs inæqualiter, & plus aut minùs prout citiùs, aut tardiùs mortes accidunt illis patientibus, atque à morbis victis: velocissimè siquidem fiunt corde patiente mortes, quia est vitæ principium, seu fons principalissimus, vnde vita emanat longè magis, quàm ex aliis, cerebro autem affecto non ita citissimè fiunt mortes, & tardissimè ab hepate, quia ab eis vita longè minùs dependet, quàm à corde; quamuis tandem & ab iis quoque pendeat, saltim affectus participatione ipsis consentiente corde: videmus enim in atrophia, atque in senibus multis. facultates naturales, atque animales esse valde languidas, aut debiles nimis, & tamen sic diu viuere, & quo vsque cor, eiusque potentiam in consensum trahant, id est ipsi suam communicent noxam, sicque ipsum debilitent, & inde mors sequatur. 157

Itaque verum est quod in morbis ex defectu, seu ex debilitate contractis, & in morbis immaterialibus magnis, debilitatæ facultates 158

facultates dictæ non æque neceſſariò, neque ita citò inferunt mortem; ſed ad defectum facultatis vitalis citiùs multò, & magis neceſſariò ſequitur mors, quàm ad defectum aliarum; & ideo ſuprà *lib. 7. cap vlt.* ſic habet. Maxima igitur eſt cordis officij dignitas, atque ægrotantibus maximè omnium neceſſaria: cerebri verò non par roboris eius in ægris requirimus, ſed abundè fuerit ſi tantum eius ſeruatum ſit, quo reſpirationis munus ſit obeundum: neqoe iecoris opus adeò perpetuò eſt neceſſarium, ſicut ipſius cordis: iis tamen non obſtantibus ſapientiſſimè hîc abſolutè, & ſine diſtinctione aliqua, aut limitatione inqoit, atque concludit dicens: ergo has facultates ſeruare nihil eſt aliud quàm vitam ſeruare: benè inquam dicit, & quod earum qualibet amiſſa neceſſariò aliæ pereunt: nam in morbis materialibus experimur frequentiſſimè fieri mortes æque citò, ac neceſſariò, cerebro patiente, aut vtero, atque affecto corde videmus ſiquidem ex apoplexia multos ſubitò interire, & multas mulieres iſtericas ſimiliter mori, ac ſi ſyncope cordiaca afficerentur: experimur etiam ad epilepſias fortes, aut malignas, & ad catalepſim, ac catum, intra paucos dies, aut horas, ſeqoi mortes, vti ad alios proprios morbos cordis: denique experimur phrenitides, lethargos, & ſimiles affectus cerebri, imò & iecoris inflammationes, & ventriculi, & aliarum internarum corporis partium, & febres magnas multas, quæ venoſi generis ſont paſſiones ſæpè citò ad mortem terminari, & cum multis prauiſque ſymptomatibus, ac ſi eſſent propriæ paſſiones cordis, aut morbi acuti, ac lethales ipſius cordis: ex quibus conſtat, quod à morbis materialibus, atque organicis, læſæ facultates animales, ac naturales poſſunt æque citò ac neceſſariò mortem inducere, ſicut ipſa vitalis; & per conſequens in iis caſibus, qui quotidie accidunt, non minùs citò & neceſſariò vocant in conſenſum facultatem vitalem animalis, & naturalis, quàm è contra: atque proinde benè nunc ſine exceptione aliqua ſcribit Galenus has facultates ſeruare eſſe vitam cuſtodire, & qualibet earum amiſſa alias neceſſariò perire; quaſi dicat, qualibet earum amiſſà, æque neceſſariò aliàs duas citò conſentire.

159 Sic explicatis facultatibus, quæ noſtrum corpus regunt, atque earum neceſſitate expoſita, tranſit Gal. ad oſtendendum iſtarum facultatum conſeruationem, potiſſimùm in libris de ſanitate tuenda tractari; quamuis & hic, atque in ipſorum morborum curatione, etiam de ea tractari debeat: in opere ſiquidem *de ſanit. tuen.* ex inſtituto omne conſilium eo dirigitur, primum vt vires conſeruentur, non aliter atque ipſa ſalos, aut ſanitas corporis; in hoc verò opere *de meth. medendi* primùm propoſitum eſt morbi ſublatio, ſiue curatio, ſed non vtcumque, ſed benè quantùm fieri poſſit, cum virium ac vitæ cuſtodia: nos verò antequam de iis agamus, hîc ex ipſo Gal. de eſſentia virium agemus, aut ſaltim in quibus conſiſtant explicabimus, vt iis præmiſſis inde meliùs cognoſcantur, & quibus rationibus conſeruentur aut ſeruari debeant clariùs conſequamur, vt in morborum curatione fieri debet. Sed quia de virium eſſentia, aut ſub quo in quo conſiſtunt multa diximus, non ſolùm *lib.* 7. agentes de debilitate, verùm etiam in hoc *lib.* agentes *cap.* 5. de animi defectu, & de ſanguinis miſſione vſque ad animi defectum; idcircò hîc de iis non niſi breuiſſimè, quantùm fieri poſſit, agemus.

160 Explicaturi ergo quid vires ſint, aut in quo earum eſſentia conſiſtat ſupponere debemus quod paulò anteà dicebamus, nempè vires in nobis eſſe cauſas efficientes omnium noſtrarum actionom, ſeu operationum, & conſequenter virtus, aut vires, aut facultas pro nunc non ſolùm dicunt potentiam ad operandum in cauſa agente, vt communiter cum Ariſtotele dici ſolet, ſed etiam ipſam cauſam agentem, aut potentem, ad operandum: Gal. ſiqoidem 1. *de fac. nat. cap.* 3. ſic habet: Ac quod agentis cauſæ ignoramus ſubſtantiam, facultatem eam ſiue potentiam appellamus: in venis quidem ſanguificatricem dicemus, in ventriculo concoctricem, in corde pulſificam, ac in ſingulis reliquarum particularum propriam eius quam edunt actionem: itaque Gal. nomine facultatis, aut potentiæ, aut virtutis, non intelligere vult ipſam facultatem ad operandum, ſed ipſum qood facultatibus ad agendum eſt præditum; cuius ſubſtantia, quoniam plerumque ignoratur, inquit, cogimur nomine facultatis eam exprimere, vt quæ ſenſibilis, ſaltim ex actionibus: ſic enim ratiocinatio, imaginatio, ac memoria, quia ab anima tanquam principio proficiſcuntur, animæ facultates dicuntur à Gal. quia vt ipſe ſæpè dicit, qualis animæ ſubſtantia ſit ignoro: ſic *lib.* 1. *de cauſ. pulſ.* agens de cauſa pulſus effectrice, inquit, cauſam, quæ pulſus molitur quæcumqoe ſit, & nos fugiat eius eſſentia, quod facultatem habeat pulſus efficiendi facultatem pulſificam illam vocabimus: quare quærere nunc quid vires ſint, aut in quo virium ſeu facultatum noſtri corporis conſiſtat ſubſtantia ſiue eſſentia, erit idem ac quærere, quæ ſit illa noſtra viuens natura, aut efficiens cauſa, quæ omnia in nobis operatur, etſi ſint varia?

161 Sic intellecta quæſtione communiter reſpondent Medici apud Gal. virium, aut facultatum eſſentiam cōſiſtere in temperamento corporis: ſæpiſſimè namque Gal. noſtri corporis actiones temperamento tribuit, vt inter plura alia, quæ breuitatis cauſa omittuntur, clarè docet 1. *de facult. nat. cap.* 3. *citato*: Vbi ſic ſcribit: At mihi quidem tam vena, & arteria, quàm reliquarum partium ſingulæ, ob certam quandam qualitatum temperiem, quam ex primis qualitatibus ſunt nactæ, hoc vel illo modo agere videntur. Qoæ quidem quanquam ita ſæpè ſtatuat Gal. multoties etiam, & cum rem magis examinat, non temperamento, ſed calori natiuo

tribuit

tribuit nostri corporis operationes: & hoc est verum; nam sola temperies nihil operatur benè, vt in senibus multis expetitur, qui quanquam in qualitatibus sint temperati, non nisi debiliter operantur, quia in illis debilis est calor natiuus, qui operatur instrumentaliter.

162 Galenus siquidem multis in loc. *vt 5. simp. cap. 9. 2. de cauſ. ſymp. cap. 5. & 1. aphor. comm. 15.* huic calori natiuo tribuit omnes animæ, & corporis nostri actiones, naturales, vitales & animales: sic quidem habet ad verbum, hoc vltimo loco. Neque enim aliud quidquam animal ab initio formauit, sicuti neque rursus adauxit, aut vsque ad mortem enutriuit, præterquam iste calor innatus de quo nunc habetur sermo: hic enim est omnium operum naturalium causa: id est naturalium, vitalium & animalium; nam vt parum infra dicit; non est aliud quidquam natura animalium præter hoc calidum secundum Hipp. opinionem. Quare iste calor natiuus pro nunc dicitur facultas, & causa est efficiens omnium operationum nostri corporis, & naturalium, vitalium, atque animalium, atque proinde quærere quæ sit essentia facultatum; aut quæ sit essentia virium nostri corporis erit idem ac quærere quæ sit essentia dicti caloris, vel quæ sit substantia in qua consistit talis natiuus calor? Nam certum est calorem natiuum esse substantiam moderatè calidam & humidam, & non solùm calorem humoremque moderatos, neque solùm temperamentum qualitatum. Sic igitur intellecta quæstione respondet Gal. *loco citato 1. aphor. comm. 14.* substantiam innati caloris esse aëream, & aqueam, id est esse quidem mixtam ex quatuor elementis, sed in qua substantia aërea, & humida exsuperat alias, & potissimum siccam, sicut ex semine ait, licet coniectare, quòd paucam omninò terrenam substantiam participat, plurimum autem aëris calidi, humidique in se ipso continet vt in *lib. de ſemine* ostenditur. Quod idem colligitur etiam de sanguine menstruo altero nostræ generationis principio, quod humidum est: Est ergo ait Gal. substantia caloris natiui, aërea, & aquea, id est humida humiditate multa tum aërea tum aquea, & ideò temperata est in calore, non ignea, aut acris ad tactum, sed suauis, & alituosa, nihil triste, neque mordax præ se ferens, vt in pueris sanis experimur: cum igitur duæ substantiæ calidæ sint, concludit Gal. vna quidem, quæ suauem habet caliditatem, & suaues vapores à se exhalat; altera verò tristem, seu quæ acres, aut mordaces ad tactum effumat vapores; hæc quæ fuliginosum, & acre à se expirat ignea est, id est nimis calida & terrea; illa autem, quæ suaue, aut tactui iucundum, temperata est, atque aërea. Quare hæc mitis, & benè temperata, atque aërea substantia est substantia nostri caloris natiui, sicuti alia substantia calida acris, & mordax est caloris ignei, id est caloris extranei, caloris puttedinalis, aut præter naturam.

Sic in vniuersali declarata substantia caloris nostri natiui descendit Gal. *com. sequenti 15.* ad magis particularia, vbi ita scribit. 163
Tria autem hæc erant corpora quæ primæ nostræ naturæ substantiam compleuerunt, spiritus, sanguis, & aërea humiditas, ex qua fiunt partes animalis solidiores, quasi dicat: Substantia nostræ naturæ, siue caloris nostri natiui, in Spiritibus in sanguine, aut in carnibus, quæ ex sanguine generantur, & in ea seminalis, siue aërea substantia humida, viscida, ac lenta, (ex qua partes solidæ generantur in primo ortu) consistit: ipse enim Gal. sic se ipsum explicat infrà *lib. 11. cap. 1. & 3.* nam in primo sic habet: Ac fortuna quidem, & ars, & artifex, materierum interuentu agunt, natura verò per se ipsam: ea ex iis tribus, partibus constat, ex spiritibus, & earum, quæ verè dicuntur solidæ substantiæ (quas alibi ex semine genitali conditas esse demonstrauimus) & tertia ab iis carnosa quæ cuique particulæ est sua: *tertio* item *cap.* sic habet: Quoniam verò viriũ substantia tum ex spiritu, tum ex carnosa specie, tum solidis ipsis completur; ex quibus quidem liquidò constat quod substantia facultatis nostri corporis, siue naturæ nostræ, quæ nos gubernat, siue nostri caloris natiui, est illa aërea, aut oleosa aut alituosa substantia, modicè calida, suauis, & magis iucunda, aut benigna, quæ in spiritibus, sanguine, carnibus, ac solidis partibus nostri corporis reperitur; id est illa substantia, quæ in spiritibus est magis vaporosa, pinguis, seu vnctuosa, & magis pura splendens, atque viuida; in sanguine siue in massa sanguinaria illa, quæ est magis dulcis, atque punicea, seu rubra, benè fluida, & facilè sibi cohærens; in carnibus, quæ mollis est, sed non nimis, sed mollis, seu cedens tactui, cum moderata tensione, aut duritie; denique in partibus, quæ viscida est ac tenax, non tamen dura, sed facilè sequax, aut quæ facilè flectitur, & non difficiter, neque rumpitur. Quare cum dicit Galenus in textu: ergo has facultates seruare nihil aliud est, quàm vitam custodire, & qualibet earum amissa necesse est reliquas vnà perire; de dictis substantiis loquitur, atque intelligi debet, & cum in iis *libris de metho. med. & in opere de ſan. tuen.* vires esse seruandas dicit, idem est ac dicere prædictas substantias esse custodiendas.

TEXTVS.

Quod enim secundæ valetudinis tuendæ gratia geritur, idem statim, &c.

HÆc est secunda cap. pars, in qua Gal. demonstrat quatenùs curatiua indicatio sumitur à viribus, vel qua recta ratione indicatio curatiua sumitur à viribus in morborum 164

morborum curatione, quamuis vires, vel in ipsis morbis indicent sui conseruationem, & non remedium, neque morbi medelam. Hæc ergo vt demonstret supponit quod aliàs sæpè dicit, scilicet vltimum finem tum methodi medendi tū artis tuendæ sanitatis esse vnum, nempè vitæ custodiam, licèt magis speciales sint alij duo. vnicuique nimirum vnus proprius: nam proprius sanitatis tuendæ finis est conseruare sanitatem, aut vires dictas custodire; proprius autem artis medendi est morbi sublatio, ad morbi autem curationem siue ablationem sequitur vitæ custodia, vti ad conseruationem sanitatis, aut virium: quare vtrique earum communis est finis vitæ custodia. Iis sic suppositis aduertit omnia, quæ sanitatem tuentur, vel omnia, quibus ars tuendæ sanitatis vtitur, ad sanitatem conseruandam; omnia inquam, hæc vires conseruare, & ipsam vitam: non ita tamen, quæ morbos curant, aut quæ ars medendi applicat ad morbos curandos; sed multa sunt, quibus ars medendi vtitur ad morbos curandos, seu tollendos, quæ vires non conseruant, neque omninò vitam custodiunt: imò aliqua sunt, ait, eiusmodi prædita facultate, vt si immoderatè, aut intempestiuè vtaris, vitam adimant, vt patet *in sang. missione* (quam vsque ad animi defectum faciendam esse anteà diximus, quo flamma in continentibus ex meatuum clausura febribus extingueretur) ex qua non parum sequetur incommodum nisi opportuno tempore, aut debita mensura fiat; si enim sanguinis missio intempestiuè; aut immoderatè fiat, vel vires debilitat, vel vitam adimit.

165 Quod autem sanguinis missio, & alia corporis nostri humorum euacuatio; si intempestiuè fiat, aut immoderata, vel nimia quantitate, vires debilitet, & vitam possit adimere, probat Gal. ex aliquibus experientiis, quanquam, & ratione poterat facilè ostendere; nam si vires nostri corporis, vt est expositum, consistunt in dicto sanguine, aliisque corporis humiditatibus, necesse est, quod siue sanguis, siue aliæ dictæ humiditates intempestiuè, aut in nimia quantitate excernantur, vires pariter debilitentur, aut illis omninò prostratis mors accidat. Quare duos, inquit Gal. in ipsis Medicorum manibus perire vidi ex sanguinis missione intempestiuè facta vsque ad animi defectum, qui postquam animo linquerentur, nunquam reuixerunt: multi verò & si non protinus, at postea propter virtutis infirmitatem perierunt; quos si quis citra eius resolutionem vacuasset, minimè periissent. Quin etiam aliqui in morbos inciderunt longos, postquam immodica vacuatione resoluta vis naturalis fuit. Aliis cum immodicæ vacuationis noxam sarcire non potuissent, in omne reliquum vitæ tempus totius corporis temperamentum redditum est frigidius: ex qua refrigeratione facilè ex quauis occasione læsi, alij decolorati, ac malo corporis habitu vixerunt: alij ex eo ipso in morbos deciderunt exitiales, aquam inter cutem, orthopneam, iecoris, ac ventriculi imbecillitatem, & apoplexiam, & deliria. Hæc Gal. quæ sine alia expositione intentum confirmant.

Sed vt res magis intelligatur aliqua sese offerunt notanda: sit ergo primum. Cum in hoc libro mittendum ad animi vsque defectum sanguinem esse præcepisset, & in huius remedij executione attendenda maxime sit virium facultas, seu constantia; idcircò nunc, & in sequentibus, de viribus agit diffusè, demonstrans quot, & quales sint in nobis, quatenùs conferant ad morborum curationes, atque remediorum administrationes, & quomodo conseruentur, aut debent conseruari tum in sanis tum in ægrotantibus: nam aliter quidem in sanis, atque in ægris conseruantur vires, aut conseruari debent, vt ipse Galenus docet 1. *aphor. com.* 4. sic scribens: in sanis itaque corporibus semper oportet robur seruare virium, vel augere alimentis, non diminuere: in ægrotantibus autem rarò quidem accidit vt robur corporis maius reddere, quàm acceperimus, studeamus: magna vero ex parte studemus in longis quidem morbis seruare vires, in acutis verò moderate debilitatas conseruare; quod idem nunc insinuat, in administratione sanguinis missionis, aut aliorum vacuantium remediorum; nam sanguinis missio, quæ vsque ad animi defectum fit, quamuis tempestiuè fiat, & non in maiori quantitate, quàm sit necessaria, ad morbi solutionem, aut extinctionem, & quamuis fiat in subiecto robusto; iis tamen non obstantibus debilitabit vires; quia vt communiter dicitur omni euacuationi est annexus casus virtutis, & potissimùm si sit sanguinis, quod quāquàm ita sit in morbis tamen acutis, si ad eorum curationem, aut extinctionem requiritur, faciendum est, si vires possint tolerare, quia in acutis morbis non studemus vires augere, sed moderatè debilitare, aut modicè debiles conseruare. 166

Secundò est aduertenda loquutio Gal. in hoc textu cum de animi defectu loquens sic scribit: qui postquam animo linquerentur, nunquam reuixerunt: quasi dicat Gal. duos namque in ipsis Medicorum manibus perire vidi, qui postquam animo iam deficientes essent, nunquam reuixerunt: dictio enim *postquam animo linquerentur*, præteritum tempus significat non futurum: Vnde patet eos malè sentire, qui tenent quod cum Gal. dicit acri lipothymias, id est ad animi vsque defectum, non de ingressis iam in deliquium esse intelligendum, sed de iis, qui propè iam sunt vt ingrediantur: non enim ad animi defectum futurum, aut proximè venturum dicit, sed ad factum potiùs; & ideò cum Galenus docet sanguinem mittere vsque ad animi defectum, non exclusiuè, sed inclusiuè loquitur; & ita est intelligendus, quidquid alij dicant: nam tametsi duo illi, qui Medicorum culpa, vacuati ad dictum animi defectum nunquam reuixerunt, & alij non protinùs, sed posteà propter virtutis infirmitatem mortui sunt: multi etiam alij cum successu 167

uccessu bono, ait Iulius Alexandrinus super hunc locum vsque ad talem animi defectum secta vena vacuati sunt; & illi quoque duo, quos supra *cap.* 4. Gal. vacuavit ad animi defectum bono successu vacuati fuerunt; non enim aliter eos pro exemplis adduxisset Gal. & constat ex euentu: ambo enim inquit benè curati sunt, quanquam secundus ex euacuatione vsque ad animi defectum non protinus fuit à febre liberatus.

168 Cum igitur ex sanguinis euacuatione vsque ad animi defectum facta necessariò vires debilitentur, quamuis alias benè succedat euacuatio, & per illam ægri salus consequatur, idcircò talis sanguinis missio, neque in continentibus febribus, neque in alio aliquo morbo facienda est, ait Gal. nisi opportuno tempore, & debita mensura fiat, id est nisi fiat ad moderatum tantùm virium defectum, aut debilitatem, siue ad illum virium defectum, ex quo soluatur quidem morbus, seruetúrque sic æger, atque à morte liberetur, sed debilis non fiat; qui enim multùm vacoantur, siue sanguine misso, siue ex alia quauis vacuatione perire possunt, vel saltim tam debiles manere, vt noxam sarcire postea non possint; sed semper ita debiles permaneant, vt in omne reliquum vitæ tempus decolorati, ac malo corporis habitu præditi viuant, facileque ex quauis occasione in morbos incidant exitiales, qualis est hydrops, orthopnea, atque apoplexia, & hepatis atque ventriculi imbecillitas, & similes morbi ob debilitatem geniti. Itaque quanquam ad morbos curandos, & ægros sanandos liceat Medicis sanguinem mittere, aut aliam euacuationem, vel curationem moliri, ex qua vires aliquantulum debilitentur, nunquam tamen ad eam inanitionem euacuatio debet fieri, quam vires ferre nequeant: sed si affectus quò expugnetur notabilem vacuationem desiderat, & vires ferre valent exsequatur; si autem quò affectus sanetur multa vacuatione sit opus, vires autem ex tanta vacuatione resoluantur, id est debilis essentialiter fiat virtus naturalis corporis non modò homini non proderit, sed etiàm illi maximum periculum affert. Vnde in hoc sensu est intelligendus Galenus in præsenti cap. cum dicit vires seruare est vitam custodire: sensus enim est talis; quia vita est quæ magis præ aliis cunctis rebus in nobis æstimatur; idcircò, non in sanis solùm, sed etiam in ægris in primis ipsa vita est procuranda: & consequenter si morbi vt curentur, & vita seruetur desiderant eam notabilem euacuationem sanguinis aut alterius cuiusque succi, ex qua spiritus, & calor vitalis deficiunt vsque ad animi defectum, non tamen ita vt inde naturalis vis exsoluatur, aut aliàs iam sit exsoluta, sed constet, & firma seruetur, facienda sanè talis est euacuatio, atque curatio quanquam dictas vires vitales, aut fluentes debilitet aliquantulum; cum tunc ille virium defectus non sit essentialis, sed præsentaneus, & qui reparatur à facultate naturali, quæ ex suppositione constat, & per alimentosum sanguinem, concoctiones atque spiritus deperditos restaurat quotidie, & toto vitæ tempore, potissimùm si non sit debilis, sed robusta.

TEXTVS.

Porrò in iis continentibus febribus, quæ ex stipatione meatuum, &c.

Hic docere vult Gal. quando, aut in quibus corporibus sanguinis missio tutò fieri potest, & quando non: scribit igitur, Porrò in iis continentibus febribus, quæ ex stipatione meatuum accenduntur, quoniam valida plerumque virtus est, citra periculum vacuatio adhibetur: in aliis vero morbis maximè est periculosa. Quasi dicat: In febribus continentibus, vt quæ ex stipatione meatuum accenduntur, id est, vt quæ in corporibus fiunt quadratis, carnibus scilicet densis ac multo sanguine redundantibus & repletis, quia virtus plerumque valida est, ob carnis solidæ copiam, sanguinis redundantiam, & pororum corporis densitatem ratione repletionis, ideò in eis citra periculum vacuatio adhibeatur; in quibus enim corporibus talis est apparatus, & vires omnes ita vigent, ex euacuatione virtus nihil læditur: vnde prouenit, quod inconsiderati indicationem à viribus desumptam prætermittant, seu nusquam quidquam indicent: falluntur autem, quia licèt vires nunquam remedium indicent, sed morbus, qui curatur coindicant tum remedij executionem, vel illud limitant, aut in totum vetant, vt videre est cum vires sunt essentialiter debiles, quales supra refert Gal. ex immodica facultatis naturalis resolutione, & experimur etiam in multis morbis, in quibus euacuatio est periculosa, quia virtus quæ consentire debebat est debilis, & ideo nequit vacuationem tolerare, potissimùm si fortè accidat, ait Gal. virium debilitas simul cum corruptela humorum, ex dictis ergo concluditur tutò, & ad morborum solutionem aut curationem exerceri sanguinis missionem, aut aliam euacuationem cum vires sunt robustæ, & corpus bonis est refertum humoribus, è contra autem cum periculo cum vires languent aut satis non resistunt. 169

170 Iis sic positis concludit caput Gal. explicans quid agendum sit in morbis cùm vires languent, & simul incidit humorum corruptela, tunc quidem aduersantur inter se faciendorum indicationes; nam tunc quod affectui præter naturam remedium est scilicet vacuatio, id cum virtutis custodia pugnat. Quare in iis casibus expedit maximè scire quid sit faciendum; & bonus Medicus hoc debet benè scire, & in multis morbis materialibus attendere;

attendere; nam vt supra notauit Gal. cum vires sunt debiles facilè ex quauis occasione accidunt morbi exitiales, vt hydropes, orthopneæ, apoplexiæ, & deliria, & alij plures morbi graues materiales, qui vt tales postulant vacuationem, & quidem non paruam cum morbi sint magni, quæ tamen cum virtutis custodia pugnat, potissimum in nostro casu, in quo vires sunt lãguidæ, & omni euacuationi est annexus casus virtutis: Quare, & in iis casibus expedit quam maximè scire quid agendum sit; nosque hic de vtrisque agemus, priùs vt nihil deficiat.

171 Demonstraturus ergo Gal. qua ratione se debeat gerere Medicus in morborũ curatione in quibus viriũ lãguor reperitur, simul cum humorũ corruptela, sic ratiocinatur. Quod corruptum est, alienum à natura est, quod tale est, id se auferẽdũ dictat; nã quidquid præter naturã est sui ablationem indicat: quare affectus ex corruptela factus vacuãdũ esse præcipit, idque, vel vena incisa, vel purgatione. Harum autem neutram ferunt imbecillæ vires: Quid igitur faciendum, ait, cum ita est incerta succurrendi ratio in eiusmodi repugnantiis? Respondet: vel in isto casu insanabilis omninò affectus relinquitur, vel nõdũ est omninò insanabilis, sed adhuc sanari potest, licet ægrè, & longo spatio temporis, idque si magnũ nactus sit medicum qui sic laborat: oportet enim vbi indicationes ita sibi aduersantur, & morbus nondũ est deploratus, & paulatim quod vitiosum est vacuare, & paulatim inuicem, quod salubre est pro eo reponere. Vocant autem eiusmodi vitiosi succi curationem Græcè epicrasin. Quasi dicat cum vires languidæ incidunt cum humorũ corruptela, vel ita debiles sunt vires, & humorũ corruptela talis est, quod affectus iam omninò est insanabilis, quia vires sunt extremè languidæ, aut corruptela est extrema, aut extremè vitiosa, & ideo irreparabilis; vel nõdũ affectus est ita mortalis, aut incurabilis, sed adhuc aliqua est spes curationis si affectus omninò est insanabilis, prognostico est relinquẽdus, ne infamẽtur remedia: cũ enim desperata est omninò salus, ait infra *lib.* 11. *cap.* 9. imprudẽtis Medici consiliũ fuerit apud vulgus infamare auxilia, quæ aliis fuerũt saluti, non enim tũc remedia prosunt, sed è contra nocẽt, & ideo infamãtur: si affectus omninò insanabilis nõdũ existat, etiã si curatio sit difficilis, & nimis longa, aggrediẽda est; nã satius est, ait *lib. sequenti, cap.* 10. aliquid cũ periculo tentare, quàm spe adempta ægrum certò perire: quare in tali casu & cum indicationes ita sibi ad inuicem aduersantur oportet, & paulatim quod vitiosum est euacuare, & paulatim inuicem, quidquid salubre est pro eo reponere: cum enim vires ita sunt languidæ tutissimus debet esse curationis modus; tutissimus autem semper habitus est paulatim euacuare quod noxium est, & paulatim quod salubre est pro eo reponere. Sed quæres si prima indicatio sumitur à viribus, cur hic vbi sunt vires valde imbecilles prima indicatio sumitur ab euacuatione vitiosi humoris? Respondetur quia impedit succus vitiosus restaurationem virtutis; & si enim vbi vires lãguidæ sunt scopus curationis non sit euacuatio sed corroboratio, inquit Gal. *lib. de sang. miss. cap.* 8. tamen ab euacuatione est incipienda curatio qui vt dixi impedit corroborationem, & virtutis restaurationem cum sit materia praua: & ideo talis quæ epicrasin indicat, id est vacuationẽ cum attemperatione: nam epicrasis quasi attemperationem quandam significat, ait Iulius Alexandrinus: & ideo in nostro casu epicrasis datur, siue attemperatio, non solùm cum paulatim quod vitiosum est euacuatur, sed cum pro eo reponitur quod salubre est; nam repositione eius quod salubre est non modò locus repletur euacuati vitiosi succi, sed etiam alterius qui remanet in corpore malitia contemperatur, atque mirum in modum corrigitur.

172 Sic littera Textus exposita, quærimus nos qua ratione curari debeant illi affectus materiales exitiales, quos in Textu dixit Gal. in corporibus debilibus ex quauis occasione posse facilè superuenire: non enim ij curari possunt, vt alij affectus materiales; & quod magis est, neque isti affectus ex debilitate contracti possunt curari ea ratione qua ipsi curantur, cum sunt ordinarij & ab alia causa oriuntur, non ob debilitatem: cum enim apoplexia v. g. aut orthopnea, &c. ex debilitate non fiunt neque tales affectus antecedit animi defectus, potissimùm sanguinis missione curantur, vt docent communiter Practici omnes, & ipsa experientia; cum vero ex debilitate fiunt, aut cum tales affectus antecedit animi defectus; tunc quidem sanguine misso non solùm non curantur, sed peiores fiunt ita vt sanguinis missio eiusdem apoplexiæ v. g. possit esse remedium, & causa nocens: remedium quidem si debite applicetur, nempè in apoplexia ordinaria, & quam nullus comitatur aut antecedit animi defectus, aut virium defectus atque exsolutio: si verò apoplexiam antecedat animi defectus, aut ab illo fiat, tunc sanguine misso non curatur, sed augetur valde, & citiùs interficit laborantem: quod est notandum valde, & in apoplexia, & in epilepsia, & in phrenitide, pleuritide, aliisque ferè omnibus magnis morbis materialibus: in quibus ferè semper sanguinis missio est præsentaneum, ac magis efficax remedium; & tamen in ipsis in aliquibus casibus solet nõ modò non efficaciter iuuare, sed sensibiliter nocere: nam solent manifestè peiores reddi tales affectus cum vena secatur, & quoties sanguis emittitur, quia scilicet tempestiuè non adhibetur; id est, quia tunc affectus non est ex illis, quibus sanguinis missio succurrit, sed è contra quibus nocet, scilicet vel ob debilitatem dictam, vel ob aliam causam, de qua nunc non agimus, sed casus aduertimus plures, in quibus ordinaria curatio non iuuat, sed nocet, ideóque mutanda.

173 Satis difficile videtur ex demonstratis viam quærere, ac debitam methodũ ad rectè curandos propositos morbos: eam tamen affert Gal. accuratissimè vt solet 1. *ad Glauc. cap.* 15. quare quæ eo loco agit, hic nos breuiter aperiamus, & sic dubio proposito respondeamus.

Galenus igitur rationalem morborum materialium curationem *loco citato* demonstraturus, proponit sibi curandum dolorem capitis, tanquam exemplum aptissimum ad rem propositam integrè, ac verè explicandam: sic ergo quasi ait: Cum affectus omnes materiales curari debeant per ablationem materiæ, à qua pendent, & vera curatio sit causæ remotio, vt omnes admittimus; ex iis consequenter sequitur, vt in omnibus morbis materialibus communis scopus sit, scire causam à qua tales affectus materiales fiant; ipsa enim conueniens remedium tibi ostendet; id est communis intentio, aut requisitum est in morbis materialibus quærere causam à qua materiæ illæ generantur ex quibus fiunt tales affectus; nam reuera morbi materiales, ideò materiales quia ex materia fiunt, tanquam ex subiecto, quãuis pro formali sint qualitates, vel aliud accidens, ideòque Gal. per causam morborũ materialiũ non intelligit materiam ob quam materiales dicuntur, sed potiùs aliam à qua materia generatur, quæ morbum materialẽ facit: illa enim causa est quæ conueniẽs remediũ indicat, siue ostendit, ad talẽ materiã tollendã, siue ad talem morbũ materialẽ curãdũ, veluti in capitis dolore ostẽditur: cum enim dolor capitis materialis est, imprimis potest, vel per cõsensũ fieri, vt ex stomacho, vel potius materia existẽte in capite: si dolor capitis solùm fiat per cõsensũ, vt materia existẽte in vẽtriculo, & non in capite, vt cum quis cibum fastidit, & stomachi rosionem sentit simul cum dolore capitis, tunc quidẽ sic causa propria cognita, vomere iussus, qui capite dolet, vel bilẽ, vel pituitã, vel vtrãque vomitione rejiciet, atque curabitur dolor, vt qui inde tanquam à causa efficiente pendebat: affectus enim materiales, qui solùm per consensum fiunt, perfectè curantur ablata prima causa, siue materia morbifica contenta in parte mandante, & primò affecta: quare dicit rectè Gal. quod dolor capitis per consensum ventriculi factus curatur vomitu, & sic vacuata materia ventriculi.

174 Sic exposita curatione doloris capitis per consensum laborantis (nam vno posito exemplo in ventriculo, comprehendit alias partes quæ caput possunt trahere in consensum) transit ad explicandam curationem doloris capitis in propria essentia laborantis, siue materia existente in ipso capite & non alibi. Hanc ergo curationem dicere aggressus, supponit materiam dictam in capite contentam, & dolorem efficientem, siue contineatur in toto capite, siue in aliqua tantum eius parte, esse duplicem, scilicet vel quantitate grauantem, aut corpulentam, vel non grauantem, sed vaporosam, aut valde tenuem, qualis bilis esse solet: Supponit etiam materiam in capite contentam vno è tribus modis posse facere dolorem, scilicet, vel replendo, vel obstruendo, vel inflammando; & ex iis, atque illis oriri quatuor species, aut differentis doloris, nempè dolorem grauantem, aut grauatiuum dictum, tensiuum, vlcerosum, seu acrem, ac mordicatiuum, & pulsatorium, aut pungitiuum: qui quidem diuersi dolores notari debent, atque distingui, vt qui diuersam materiam indicant, atque affectionem, & inde diuersam curationis rationem: qui enim dolor grauatiuus est multitudinem significat, tensiuus verò repletionem, siue humoris, siue vaporis & obstructionem, vlcerosus, aut mordicatiuus acrimoniam, denique pulsatorius inflammationem. Quibus quidem sic suppositis, atque distinctis, inquit, causa vnde singula proficiscuntur est consideranda; siquidem illa curandi rationem tibi demonstrabit: Vt cum vel vaporis, vel humoris copia continetur in capite distinguẽdum est an ob febris magnitudinem fusi, ac feruefacti humores caput subierint, an propter partis imbecillitatem, vel corporis totius plenitudinem: hanc enim facile curabis, nimirum corporis vniuersi euacuatione: eam verò quæ ob partis imbecillitatem, partim quidem reuocando in totum corpus, partim verò affecto loco remedia adhibendo, &c.

175 Satis manifesta esse videntur, quæ hic affert Gal. de curatione doloris capitis materialis, materia in capite existente: manifesta quidem sunt satis, sed simul etiam annotatione dignissima; potissimùm quo ad illam partem vltimã, vbi concludẽs dicit. Iis igitur omnibus distinctis, causa, vnde singula proficiscuntur est cõsideranda: siquidem illa curandi rationem cõmonstrabit. Hæc enim emphasim quandam habent: quare omnia, & singula sedulò perpẽdamus. Scribit igitur: Iis omnibus distinctis, causa, vnde singula proficiscuntur est consideranda; siquidem illa curandi rationem cõmostrabit. Quasi dicat Gal. Qui dolore capitis laborãt symptomatico (nam vt paulò inferiùs inquit, doloris capitis decretoriam, vel sanguinis eruptionem, vel vomitionem nuntiantis curatio vestigãda non est, vt qui non symptoma, sed salubre signum potiùs sit existimãdus; quemadmodum, & alia non pauca, quæ multos quidem ante crisim terrent, salutem verò promittunt.) Qui dolore inquam capitis symptomatico laborant non semper omnes eandem indicant aut requirunt curationem, sed diuersam quidem, tum ex aliis tum ob causam propriam, vnde singula proficiscuntur: Vt enim dolores capitis solùm per consensum laborantis, quia tunc caput non suo sed alieno affectu laborat (nam hoc est propriè affici per consensum) ideò peculiariter curantur, non curato capite, sed curata ea parte, quæ per se & proprio affectu laborat, ac cui caput consentit: ita quidem dolores capitis, non per consensum, sed per proprium affectum laborantis alij aliter & peculiari ratione curari desiderant; & quidem multis modis: nam & quia materia in capite contenta varia est, scilicet, aut humoralis vel vaporosa variatur curatio, & quia siue humoralis siue vaporosa sit diuersos causat in capite affectus præter naturam, scilicet repletionem, obstructionem, aut inflammationem, & diuersas doloris differentias, nempè dolorem grauatiuum, tensiuum, vlcerosum, aut pulsatorium; & potissimùm propter causam,

vnde

vnde singula istorum proficiscuntur, curatio, aut in totum, aut aliqua ex parte variatur: quæcumque enim materia sit, siue humoralis, siue vaporosa, quæ in capite contenta ipsum repleat, aut inflammet, vel aliquem alium affectum faciat dolorem præter naturam, aut aliud symptoma, indicat sui ablationem, licet diuersam, ratione humoris aut doloris, &c. nam si materia non solùm caput replet, sed vel obstruit, vel inflammat, vel dolorem infert acrem, vel aliter nimis cruciantem non solùm vacuationem indicat, sed determinatam, vnam scilicet, quæ vacuet. simul atque deobstruat, cum obstructio datur; aliam, quæ vacuet; atque refrigeret, cum est inflammatio. Et alia quæ vacuet, atque mitificet dolorem, cum fuerit acrimonia, vel aliter nimis molestans: imò & diuersam insuper rationem causæ, vnde singula hæc proueniunt; & ideò cum vaporis copia, aut humoris in capite contenta aliquid dictorum facit, distinguendum est, an propter partis imbecillitatem, an propter totius corporis plenitudinem, sic enim si hæc vltima causa distinguatur, illa curandi rationem commonstrabit, id est vna, cum aliis debitam curationem vltimò demonstrabit.

176 Quod verò dicta sint vera, sigillatim demonstrat dicens: si caput vaporis, vel humoris copia redundans doleat, aut aliter malè afficiatur, propter totius corporis plenitudinem, hac facilè curabis, nimirum corporis vniuersi vacuatione: eam verò quæ ob partis sit imbecillitatem, partim quidem reuocando in totum corpus, partim verò affecto loco remedia adhibendo. Facilè inquam curabis, ait vacuato toto corpore, eam capitis repletionem, quæ oritur propter totius plenitudinem; siquidem accedendum est ad occasionem, & ad occasionis principium, vt communiter dicitur; atque ideò quoties pars determinata repletur non ex se, aut ex proprio affectu, sed propter plenitudinem corporis, hoc curato, seu vacuato, vacuabitur & pars particularis, quæ ab illo repletur, nam & fontes vacuantur, aut siccantur, quoties origo siccatur, vnde aqua manabat. Eam verò, ait, capitis plenitudinem, quæ ob ipsius capitis sit imbecillitatem non curabis corporis vniuersi vacuatione, sed partim quidem reuocando in totum corpus, & per consequens potiùs corpus replendo, quàm vacuando, & partim affecto loco remedia adhibendo: cum enim aliqua pars debilis est, facilè repletur, vel quia vt debilis attrahit ex aliis, aut toto corpore, vel quia necessariò recipit quod à corpore, ad illa transmittitur: vnde vacuari indicat, sed citra nouam jacturam; & per consequens citra corporis euacuationem sensibilem, aut effatu dignam aliquo modo, cùm talibus euacuationibus sit annexus casus virtutis: quare solùm vacuari poterit dicta capitis repletio, vt ait Gal. partim quidem reuocando in totum corpus siue reuellendo quod caput replet, & partim affecto loco remedia adhibendo, scilicet illa quæ roborando primò repellant, quod continetur in capite, & postea resoluant: sic enim & non aliter talis capitis plenitudo potest benè vacuari: Hæc Gal. quæ sunt benè notanda.

Notare sanè debemus hic quod in curatione plenitudinis capitis propter totius corporis plenitudinē non dicit esse reuellendum, sed quod facilè curatur, nimirum corporis vniuersi euacuatione. Vnde neque esse repellendum, statuit, neq; capiti esse applicandum aliquid: in curatione autem plenitudinis capitis propter eius debilitatē, & reuellēdū esse dicit, & repellendum, & resoluendum: hæc, inquam sunt valde notanda, & an vera sint demonstranda; quia videntur rationi esse aduersa, & ordinariam morborum materialium curationem euertere: siquidem vel ex ipso in *arte medic. capit. 95.* constat quod immoderata capitis repletio, primam habet indicationem vacuationem, vt & nos parum antea ita supposuimus: hæc autem euacuatio capitis neque resoluendo fieri potest, nedum repellendo, ait Gal. *loco citato*, nisi priùs præcedat vniuersi corporis vacuatio: si enim resoluentibus medicamentis velimus quod in capite redundat dissoluere, plus erit quod attrahetur vi caloris; si verò repellendo, corpus plenum non patitur, sed impedit: vnde in iis casibus, non vna, sed quatuor dantur indicationes curatiuæ, ait Gal. vna & prima euacuandi totum corpus, secunda reuellendi, quod parti laboranti influit, tertia repellendi quod iam fluxit, & quarta resoluendi, si quid in capite relictum fuit: quæ quatuor indicationes, non in nostro casu tantum, sed in omnibus morbis materialibus, & in omnibus morbis ex fluxione dependentibus reperiuntur, vt omnes supponunt: & conuincitur veritas ex traditis hoc loco; nam si in capitis repletione ex imbecillitate dantur tres indicationes, nempè reuellendi, repellendi & resoluendi, à fortiori in aliis in quibus corpus est apparatum, aut plenum, erunt quatuor scilicet tres dictæ, & quarta, ac prima seu principalis, nempè vacuatio totius corporis, aut alterius cuiusque partis corporis mandantis. 177

Sanè hæc est communis medendi methodus, & in doloribus, & in aliis morbis materialibus, non ideò tamen semper ita exercenda; sed imò potiùs vt in præsenti nos docet Galenus; vera enim curatio est causarum remotio, & consequenter hic causas omnes distinguit, vsque ad vltimas, vt inde vnà cum aliis singulares morborum curationes certò eliciat; vt cum vaporis, vel humoris copia caput dolet, inquit, distinguendum est an propter totius corporis plenitudinem caput repleatur, atque doleat, an aliter: si enim ob totius corporis plenitudinem caput repleatur, atque doleat & non propter aliam causam, facilè inquit hanc curabis, & morbum, atque dolorem, qui ab illa pendent nimirum vniuersi corporis euacuatione, id est non quatuor illis indicationibus, sed vna solà corporis euacuatione: qui enim morbi solùm sunt in fieri, vel vt ipse Gal. dicit r. 178

de loc. affect. cap 2. si affectus adhuc sit fiens, non iam stabilis, atque finnatus, ij inquam morbi non aliis curantur adhibitis indicarionibns, sed vnâ solâ vacuatione causæ, & consequenter dolor, inquir, capiris plenitudme laborantis ob totius corporis replerionem, & non propter aliam causam solâ vacuatione totius corporis curabitur, & quidem facilè, cum solus sit affectus in fieri, vel vt clarius loquar, cum solùm sir affectus dependens à causa quæ non est fixa, aut firmata in corpore, vt cum dolor fit & caput repletur propter imbecillitatem, sed fluens tantum est, & quasi pertransiens tantum per partem læsam; vel fluens ex toto corpore vsque ad partem affectam: Vnde ipse Gal. 2. *ad Glauc.* 1. sic haber: Cum corpus à solis agentibos qualitaribus alteratur, solá calefaciendi, refrigerandi, humectandi, ac exsiccandi facultate ad naturalem habitom citra vllam vacuationem reducitur, cum verò solo materiæ, eiusque temperatæ influxo laborat, solà vacuatione est opus; si enim intemperata materia sir, vacuationem, simul & alterationem per contrarias qualitates desiderat: eodem etiam capite sic haber: influentium igitur adhuc humorum retractio, id est reuulsio, obsidentium verò iam locum, deriuatio est remedium; & consequenter in nostro casu in principio, & cum solùm sunt humores fluentes; reuellendum est, scilicet ex parte distante, mox verò cum non solùm fluit humor, sed iam eius aliqua pars partem obsidet affectam, eamque molestat, deriuandum est, seu vacuandum ex parte vicina: sic enim non solùm quod partem obsidet, atque ostendit promptè educitur (quod potissimùm desideratur, quia lædit) sed & quod fluit reuellitur moderate, & denique quod redundat in corpore excernitur; & iisde causis Hipp. & Gal. ferè semper proximum ventrem soluere, & proximam venam secare iubent.

179 Itaque cum morbi materiales fientes sunt tantum, curantur, vr dictum est: si autem non sunt solùm fientes, sed fientes simul & facti, id est si in eis materia à qua oriuntur atque dependent, non solùm est floens, sed fluxa; & hæc partim fluxa solum, partim non modò fluxa, sed etiam fixa iam in parte affecta: si inquam morbi materiales, vt dicimus sunt iam facti curantur quatuor illis indicationibus, ex Gal. desumptis, in arte medicandi; scilicet non solùm vacuando totum corpus, aut quod in corpore redundat, sed revellendo quod fluit & repellendo quod iam fluxit, & partem affectam obsidet, vt dicit Gal. sed non est fixus adhnc, & denique resoluendo, quòd iam fluxit, & neque reuelli potest, neque repelli; vel quia crassum est, vel quia fixum in parte, vel propter vtrumque. Vnde licet Gal. semper vera docet, sed nõ semper docet eadem, sed sæpè diuersa; imò diuersas sæpè affert doctrinas, quæ videntur inter se pugnare, & ideo indigent expositione, & declaratione, quæ dicant in quo sensu vera sunt omnia, vt accidit in nostro casu; in quo si loquimur de morborum materialium curatione in tota sua latitudine, reuera quatuor dictis curantur indicationibus, aut debent curari, quia omnia dicta indicanria possunt habere, vt est ostensum: si verò loquamur de morbis dictis non in tota sua latitudine, sed cum distinctione, vt fieri deber ad benè medendũ, scilicet quatenùs ex illis alij sunt fiẽtes solùm; alij solum facti, & alij, vt exposui modo simul fiẽtes, & facti; sic quidẽ loquendo non omnes curantur, neque curari debent dictis quatuor indicationibus: nam qui solùm sunt fientes, vt qui sunt per consensum curantur ablata prima causa, cum ex se nullam habeant stabilem permanentiam, qui solùm sunt facti, cum nullam iam habeant fluxionem, sed solùm materiam fluxam, non indigent euacuatione totius corporis neque reuulsione humoris fluentis; & per consequens, neque ij curantur quatuor indicationibus.

180 Sic igitur demonstratis curationibus morborum materialium; expositaque curatione doloris capitis plenitudine laborantis propter totius corporis redundantiam: accedamus cum Galeno ad demonstrandam curationem doloris capitis materialis ob debilitatem, quam fieri inquit, partim revocando in totum corpus, partim affecto loco remedia adhibendo; primum quæ repellant aut quę repellendi vim habeant, secundò quæ resoluant, & postremò quæ roborent: vnde patet, quod ij dolores non curantur vt multi alij priùs euacuato toto corpore, & ratio est, quia debilitas essentialis, de qua loquitur Galenus & nos intelligere debemus, potiùs in defectu consistir, quàm in corporis repletione, vt non semel in superioribus dictum atque ostensum est, & consequenter in morbis ex debilitate contractis, quamuis sint materiales, non indicatur totius corporis vacuatio, neque in eis, *vt lib. de sang. miss. cap.* 8. air ipse, scopus curationis non est euacuatio, sed corroboratio, quamuis ab euacuatione illius quod partem debilem obsidet debeat incipere curatio, & postremò roboratio succedat, vt nunc demonstrat. Omissa ergo vniuersali totius corporis euacuatione in isto nostro casu incipit Galenus curationem à reuellentibus, & inquit; reuocamus quidem acribus clysteribus, & vinculis, ac multis infernarum partium strictionibus, & si necessitas vrget, sanguinis aliquid detrahendo. Sanè neque hæc curatio videtur casui omninò adæqnata; quia si affectus est dolor capitis ex debilitate contractus, & non ob aliquam corporis replerionem, aut fluxionem ad caput, videtur expediens, vt quod in capite conteutum infert dolorem reuellatur, sed non in totum corpus, neque per partes magis distantes, quales sunr partes infernæ respectu capitis, sed ad propinquas, vel non multùm distantes, vt sic materia lædens faciliùs retrahatur à foco, & citiùs cesset affectus, potissimùm cum ex suppositione partes vicinæ non sunt plenæ, sed inanitæ, & ideò apta ad recipiendam materiã venientem ex capite ad ipsas: neq; materia quæ in capite redũdat multa est, quia vires languidæ à quouis offẽdũtur

&

& facilè grauantur, etiamſi paucus in ipſis ſit ſanguis, vt *eodem cap.* 8. *de ſanguinis miſſ.* demonſtratur.

181 Iis tamen non obſtantibus, reuocamus, inquit Gal. in totum corpus & reuellimus ex partibus infernis, ac magis diſtantibus in affectibus capitis ob debilitatem contractis; quia ſic & non aliter in talibus affectibus poteſt reuelli, & à capite ad partes ſubiectas extrahi quod continetur in eo: cum enim pars debilis grauatur, tunc quidem, vt ait Hippocrates 6. *epid.* quam longiſſimè à parte fluxione tentata, quod redundat reuellere oportet; nequaquam verò ex parte vicina, quia impedit partis affectæ debilitas: pars enim debilis dum talis eſt, ita promptè attrahit ad ſe, aut recipit, ex vicinis, vt ſi ex reuellentibus in iis agitetur aliquid id quidem influat ad partem debilem, potiùs quàm reuellatur ab ea, aut ab ea extrahatur, quod grauat atque lædit præter naturam: vnde reuellere ad partem vicinam quod in parte affecta præter naturam continetur,in robuſtis ſolùm benè ſuccedit, & in quibus pars affecta nondum eſt deiecta, quia in iis vt dicit Galenus *lib. de affect. renum, & veſicæ, cap.* 16. extrahitur ſic citò quod moleſtat partem affectam, atque laborantem; non verò ad illam quidquam influit ex aliis partibus, aut ex toto corpore, quia impeditur à facultate expultrice partis laborantis, cuius officium eſt repellere à ſe quod nocere poteſt, & ita quidem facit quoties viribus conſtat, & non grauatur, vt accidit cum vigentibus viribus aut nondum deiectis, grauata pars affecta per proximam vacuatur: & hinc eſt quod in multis morbis feliciter ſuccedunt euacuationes ex partibus proximis, etiamſi ſtatim in morborum principiis fiant, & nondum præcedentibus aliis vniuerſalibus corporis vacuationibus, quod eſt benè notandum.

182 Notandum inſuper eſt, etiam ſanguinis miſſione eſſe reuellendum in dolore capitis ex imbecillitate contracto, ſi ſcilicet vrgeat neceſſitas, id eſt ſi opus fuerit ad vacuandum, & reuellendum quod in capite præter naturam contentum inuenitur: ſed cum limitatione, aut ſolùm in pauca quantitate, quia obſtat debilitas: vires enim languidæ à quouis offenduntur, ſed præcipuè ab euacuatione, cui potiſſimùm eſt ſemper annexus caſus virtutis: & idcircò in affectibus ex debilitate ortis, de quibus hîc agimus, ſæpè euacuationes lædunt, & non parum, vt ſupra dicebamus, & experientia multoties demonſtrat: non enim in iis ſcopus curationis eſt euacuatio, ſed corroboratio, ait Galenus *de ſang. miſſione, cap.* 8. *ſupra citato*, quamuis à ſanguinis miſſione ſit incipienda curatio; cum ſcilicet languidæ partes principales grauantur pauco aliquo humore: tunc enim niſi vires ſint extremè languidæ, ſanguis moderatè eſt mittendus ſcilicet ex parte diſtante, & ſi humores multum praui exeant, purgatio quoque eſt adhibenda, quamuis nullius plenitudinis ſint ſigna, ſed ſit pars affecta ob debilitatem grauata & etiam ſi paucus in ipſa ſit ſanguis, vt leuetur,& præcaueatur, ne in totum ſuccumbat.Cum enim pars debilis grauatur aliquo humore ab eo magis debilitatur, quanquam ſit paucus & ideò ſtatim indicat euacuari,antequam vires in totum ab eo vincantur, & ſubitò ſequatur mors, vt ſatis frequenter fieri experimur. Vnde colliges quod & vires languidæ eſſentialiter, non extremè indicant, & ferunt euacuationes, & ſi non benè ferunt, ideò eſt quia iam ſunt extremè languidæ, aut à morbi vehementia, vel malignitate deiectæ mirum in modum.

Sic tradita curatione doloris capitis propter totius corporis plenitudinem, atque ob ipſius debilitatem, accedit Galenus ad explicandam curationem ipſius doloris capitis ob febris magnitudinem. Scribit ergo ſic: cum ex febris magnitudine dolor accidit, remediaque efflagitat,frigidæ tum qualitates, tum virtutes auxiliantur, & quæ ex hydroleo, oxyrrhodino, & papaueris emulſionibus fiunt perfuſiones, quaſi dicat; cum ob febris alicuius magnitudinem dolor capitis accidit magnus, & qui vt talis remedia efflagitat, ea auxiliantur quæ refrigerant, potiſſimùm capiti applicata, vt perfuſiones, quæ ex hydroleo fiunt, id eſt ex aqua & pauco oleo, vel ex oxyrrhodino, ſcilicet ex aqua & oleo roſarum compoſito, vel ex calycibus, ſeu capitibus papaueris. Siue enim dolor capitis ob febris magnitudinem factus oriatur ex ſolo febris ardore, qui caput præter naturam accendat, ſiue ex fuſis atque feruentibus humoribus ex venis, ſiue ex foco febris in caput ſublatis, ipſumque tum replentibus, tum nimis calefacientibus; certe dicit benè quòd ſi remedia efflagitat, & curari indicat, auxiliantur qualitates, & virtutes quæ refrigerant, id eſt quæ tum actu tum potentia, aut virtute refrigerant. Nam vt caloris eſt proprium, non modò calefacere, ſed & fundere, atque euaporare humores, & humidas partes noſtri corporis, ita frigiditatis eſt proprium, non ſolùm refrigerare, ſed incraſſare, & cogere, quod calore liquatur, ſiue frigida ſit actu, vt aqua, nix, aut gelu, ſiue ſolùm in potentia vt lactuca calida actu oxyrrhodinum, & decoctum ex capitibus papaueris: quare talia auxiliabuntur quidem, ſiue intra corpus aſſumantur, ſiue extra ſolùm ipſi capiti laboranti applicentur, ſcilicet ritè & rectè quantùm fieri poſſit. 183

Sed dubitatur hic an in rationali curatione doloris capitis ob febris magnitudinem de qua agimus, dentur aliæ indicationes attendendæ & adimplendæ præter refrigerationem dictam? Nam videtur quidem qood ſic, cum febris ſit magna, atque humoralis, & caput non ſolùm doleat, ſed & repletum ſit, & ex ſuppoſitione feruent humores, & attenuati ſurſùm petunt, quæ omnia euacuationem indicant magnam, ac reuulſionem; præſertim per ſanguinis miſſionem, vt quæ non ſolùm 184

vacuet, ac reuellat, sed simul refrigeret. Respondetur dolorem capitis ob febris magnitudinem factum posse esse duplicem, vnum scilicet, in quo non tantùm sunt humores fusi caput petentes, & illud lædentes, sed etiam in venis abundantes, atque in toto corpore; alterum verò in quo solùm sunt dicti humores ob febris magnitudinem ferventes in venis, sed ita liquati ac fusi, & ab alia sanguinis massa secreti, vt ob id sursum petant, & febris focum relinquentes caput repleant & dolorem excitent in eo: si dolor capitis ob febris magnitudinem factus sit simul cum redundantia humorum in venis, & plenitudine corporis, sine dubio indiget euacuatione, & sanguinis missione, quæ euacuet, atque reuellat, & febrem temperet, aut extinguat, vt argumentum probat. Si autem dolor capitis solum oritur ex fusis humoribus ob febris magnitudinem, & ita quidem, quod ob id venis relictis in caput subierunt; certè iste dolor capitis vt dicit Galenus solùm remediis curatur frigidis, potissimùm capiti applicatis: cum sic, vt visum est, non solum caput, & humores in eo contenti, ac dolorem facientes temperentur, ac repellantur ad partes subiectas vnde exierunt, sed simul etiam incrassantur ac per consequens cessat fluxio, siue ascensus materiæ ad caput; sicque cessant omnia; quæ talem dolorem causabant in capite.

Annotationes, & dubitationes super Textum, & alia dicta.

185 VT quæ in præsenti capite sunt demonstrata magis intelligantur, restant aliqua notanda, & aliquæ dubitationes decidendæ; quare de iis nunc sigillatim agamus, vt si fieri potest nihil intactum relinquatur, quod possit conducere ad integram cognitionem eorum quæ demonstrata sunt. Sit igitur prima dubitatio an facultates quæ nos gubernant sint tres vt exposuimus in prima capitis parte? Nam videtur quod non, sed vel duæ tantùm, vel quatuor: si enim Aristoteli credimus *6. topic. capite 5.* facultas vitalis naturalis est, & vita per naturalem facultatem definitur: Vnde Aristoteles semper, & Galenus multoties vt videre est *1. de fac. natur. cap. 1.* facultatem vitalem sub naturali comprehendunt, sicque solùm duas tunc esse dicunt facultates, quæ nos conseruant, quæque in nostris corporibus reperiuntur, vnam nempè naturalem, & aliam animalem: si vero vitalis à naturali distinguitur, & diuersa ponitur, quia oritur à diuerso principio, & sibi soli proprio scilicet à corde, vt naturalis ab hepate, & animalis à cerebro; sic quidem facultates quæ nos gubernant, atque in nostris corporibus reperiuntur, non tres solùm, sed quatuor erunt, vel tres dictæ, & quæ dicitur generatrix, cum quatuor sint membra præcipua vnde emanant, non solùm nempè cor, cerebrum, & iecur, sed etiam testes ex quibus tanquam à propria origine, aut fonte oritur facultas generatiua. Respondetur breuiter, reuera facultates omnes dictas esse duas solùm, nempè naturales vel animales: ratione tamen dictorum principiorum, & diuersarum dictarum operationum diuidi in quatuor dictas à Galeno *lib. art. med. capite 9.* quod licet ita sit, hic tamen de testium facultate consultò non egit Galenus, quia de iis differit, quæ vitam conseruant, ad quam testes non conferunt, neque eorum facultas.

Diximus etiam in prima parte capitis in morbis ex defectu, aut ex debilitate facultatum contractis, non æque citò, neque necessariò sequi mortem: Sed ad defectum facultatis vitalis citiùs multò, & magis necessariò sequi mortem, quàm ad defectum aliarum; in morbis autem materialibus, & qui potiùs repletione fiunt, quàm ex defectu, aut immateriales sunt, æque citò, ac necessariò fieri mortes cerebro patiente, aut vtero, hepate, vel renis, atque affecto corde: sed cur hoc ita fiat non diximus. Quare nunc loco annotationis demonstrare accedimus quæ sit causa ob quam morbi dicti materiales solent de repente laborantes interficere, siue sint affectus cordis, siue non; sed vel cerebri, aut vteri, aut solùm venarum? Vt respondeatur est notandum quòd humores nostri corporis, qui quantitate abundant possunt multis modis lædere: nam primo humores, qui nimia copia abundant, etiamsi substantia sint boni, & benè in qualitatibus attemperati non possunt alere, aut nutrire; quia copia impedit calorem natiuum ad eos ampliùs alterandos ac transmutandos in substantiam aliti, siue in substantias partium; quæ debebant ex eis nutriri. Secundò humores, qui nimia copia redundant, licet boni sint, grauant naturam, quia omne nimium est naturæ inimicum, & peculiari ratione natura nostra quantitate grauatur, ac qualitate irritatur, vt omnes communiter dicimus, ac supponimus. Tertiò humores qui nimia copia abundant calorem natiuum obstruunt, obruunt, aut extinguunt; obstruunt quidem cum præ multitudine eum integrè ventilare non permittunt, sed impediunt; obruunt autem, seu suffocant cum sua nimia copia in totum prohibent ventilationem dicti caloris: Vnde qui obstruunt, calorem augent præter naturam, ac febrem generant; qui verò obruunt, aut suffocant, è contra calorem extinguunt actualem, & corpus refrigerant vel in totum vitam auferunt laboranti.

187 Iis sic notatis dicimus ex Hippocrate *4. de rat. vict. in acut. sent. 13.* fieri aliquem repente sine voce, aut repente interire, aut subitò sensu, ac motu, aliisque corporis actionibus priuari, propter venarum, aut vasorum corporis interceptiones, id est nimias, aut omnimodas repletiones, vt Gal. interpretatur *lib. de caus. morb. cap. 3.* Cum igitur supra

supra modum implentur venæ, vel arteriæ, vel aliæ corporis magnæ cavitates, premi virtutem, gravarique est necesse, ait, atque in extinctionis periculum venire nativam caliditatem, vtpote, quæ ob talem multitudinem, copiamque suffocationi quidpiam simile patitur: vnde sopores graves fiunt, & veternum, & epilepsiæ, & apoplexiæ, & syncopes cardiacæ: nam cum vasa, aut corporis cavitates ita maximè constipantur, id est, sanguine, aut alia substantia replentur, vt nequeat eorum calor nativus transpirare, necesse est subitò extingui, & corpus ipsum emori, quemadmodum externa flamma petit illicò, si privatur commercio aëris externi. Itaque calor noster nativus ita ex se mobilis est, aut ea perenni indiget ventilatione, quòd si ipsum cohibeas, ac includas, ait Galen. ita vt nullam possit habere cum circumfuso aëre communicationem, illicò suffocat; sic enim si quis respiratione privatur, statim perit suffocatus. Sed notandum est, quòd calor nativus, quoties in totum suffocatur perit, sed non semper subitò corpus emoritur; cùm enim extra vasa suffocatur, partes illas mortificat, non tamen subitò, sed sensim; primùm enim tales partes frigefiunt, deinde gravantur, & tandem moriuntur, cùm verò suffocatur intra vasa subitò interimit, vel saltem animal privatur suis operationibus, scilicet quia deficit earum instrumentum, aut causa efficiens; & quidem sive solus deficiat spiritus animalis, vt patet in apoplexia forti, sive solus naturalis, vt experimur in his mulieribus, quæ subitò pereunt suffocatæ ex vtero: vnde Hippocrates cautè dixit fieri aliquem de repentè sine voce ex venarum interceptione, id est non ex qualibet caloris nativi suffocatione, sed illius quæ sequitur vasorum maximas repletiones, & aliarum cavitatum, vt vteri, cerebrum, &c.

88 Vt ergo humores qui in corpore abundant non semper abundant eadem nimia quantitate; sed vel abundant in gradu positivo, vel comparativè, vel superlativè, ità tribus diversis modis lædunt vires corporis, aut dictum calorem nativum: nam cùm positivè abundant, non tamen in magno excessu supra mediocritatem naturalem; tunc quidem obstruunt, id est, vasa densant, ac corporis cavitates, non tamen nimis; & ideò tunc calor nativus privatur ly *vera*, aut integra ventilatione, ob angustiam cavitatum, non tamen extinguitur, imò fervet, ac præter naturam calescit, atque in igneam mutatur naturam, sive in febrem, vt ait Gal. quia parùm ventilatur, vel minùs quàm debebat, ad sui naturalem temperiem conservandam: quando autem humores non solùm abundant in gradu positivo in nobis, sed in gradu comparativo, id est, in magno excessu supra mediocritatem, non tamen in gradu superlativo, & in totum extremo, tunc sanè ita obstruunt, aut corpus densant, aut replent, aut cavitates coarctant, vt calorem nativum tum gravent, tum obstruant, id est non solùm aut laxent sua nimia quantitate, sed & obstruant, id est potiùs refrigerent, aut extinguant, quàm accendant, aut ardere faciant, vt antea cùm positivè tantùm abundabant: & ideò tunc febriles calores remittuntur, aut in totum cessant, aut corporis partes extremæ tepescunt, aut refrigerantur, aut caput gravatur, & æger soporosus fit, id est commatosus, aut gravi somno quasi lethargico afficitur, aut pulsus fiunt intermittentes, aut in totum deficientes, aut denique ægrotantes derepentè voce privantur, vt ait Hippocrates, id est, non voce solùm, sed simul etiam sensu ac motu voluntario, aliisque corporis operationibus, vt contingit in epilepsia & apoplexia, in affectionibus vteri istericis, & in syncope. Denique si humores redundantes abundant in extremo, aut gradu superlativo, tunc non solùm obruunt, aut suffocant, sed extinguunt in totum calorem dictum nativum, sicque laborantes derepentè enecant, & subitò mortem inferunt.

In secunda etiam capitis parte diximus licere Medicis ad morbos curandos & ægtos sanandos sanguinem mittere, vel aliam evacuationem facere, ex qua vires debilitentur, dummodo debilitas non sit extrema, sed reparabilis, quia vita magis æstimatur, quàm vires, & ideò si vt vita servetur, requiritur vacuatio talis, aut aliud remedium ex quo vires debilitentur, exequendum est, dummodo debilitas reparabilis maneat; nam sic vita simul & vires reparantur, ac permanent, quando aliter erant omnes perituræ. Sed dubitatur hic an ex evacuatione aliqua tempestivè facta vires possint debilitari, etiamsi fiat evacuatio vsque ad animi defectum; videtur enim quòd non: nam evacuatio ea dicitur tempestivè facta, & quantitate debita, quæ fit ad vsque morbi curationem in tempore debito, atque viribus consentientibus, id est existentibus viribus sufficienter robustis ad talem faciendam evacuationem. His ergo omnibus simul concurrentibus, non videtur sensibilis debilitas virium ex evacuatione, licèt fuerit sanguinis missio vsque ad animi defectum, sed vt supra dicebamus agentes de sanguinis missione vsque ad syncopem potiùs cum ægrotantium bona tolerantia & magna vtilitate: & probatur: nam ex Gal. in hoc ipso textu si abundantia fuerit paulò viribus superior, ex moderata evacuatione non solùm viribus nullum incommodum accidit, sed è contra statim maximum commodum ægro comparatur: cùm enim vires multitudine gravatæ sunt nullum aliud habent præstantius auxilium, quàm commoda evacuatio, vt 1. *de rat. vict.* 47. dicit Galen. & benè, quia sic quod vires premebat aufertur: ergo & in quibus plenitudo erit maxima, aut morbus materialis magnus, multùmque periculosus, si cætera dicta concurrant,

curant, atque annuant, etiam sanguinis missio copiosa erit tempestiva, & fine debilitate fiet, quamvis ad animi defectum accedat. Et confirmatur ex his quæ accidunt quotidie in opere practico: experimur siquidem sæpè sæpiùs ex emisso sanguine in debilitatis per aggravationem statim levari, & vires fieri robustiores; neque mirum, cùm sic vires liberentur ab eo, quo veluti sarcina premebantur: quare sanguinis missio, vel alia evacuatio tempestivè facta non debilitabit, sed vires conservabit, aut potiùs adaugebit. Confirmatur ampliùs ex Hippocrate 2. *epid. par. 4 ad finem*, vbi sic scribit: Estymargij ancillæ, cui neque sanguis fluxerat, postquam filium pepe-risset, os autem vulvæ aversum erat, ac dolor in coxam & crus pertingebat, ex talo sanguis detractus profecit, etsi tremores totum corpus occuparent: hanc igitur historiam Gal. *lib. de trem. cap. 5.* sic explicat: Qui viribus copia humorum grauatis tremunt, iis evacuationes remedio sunt, quasi dicat Gal. ex Hipp. historia & curatione eius constat tremores totius corporis mulieris illius esse signa debilitatis per aggrauationem, atque pendere à copia humorum qui post partum purgari debebant, & detinebant; siquidem misso sanguine ex talo mulierem liberavit à dictis tremoribus totius corporis.

190 Respondetur ex Hipp. quòd *evacuationes non sunt multitudine æstimandæ, sed si tales fiant, quales fieri debent, aut quamdiu prosunt, & ægri facilè tolerant: imò vbi opus est & debilitare, & ad animi defectum evacuare*, ait Gal. 2. *de humorib. 17.* faciendum, si æger possit tolerare: non enim semper mittitur sanguis, aut alia fit corporis evacuatio, ad id solum evacuandum, quod in corpore redundat, aut aliter præter naturam continetur in corpore, sed interdum ad id etiam, quod non peccat, ut cum debilitare opus est, id est cùm opus est ægrotum evacuare vsque ad eius debilitatem: cùm enim æger evacuatur secundùm id solum quod redundat, atque hoc fit in tempore debito, & existentibus robustis virtutibus, certè tunc non debilitatur, sed conservatur, vel ampliùs roboratur, scilicet ex evacuatis, quæ molestabant: vnde in his casibus probant argumenta sic posita quòd evacuationes tempestivè factæ nequeunt debilitare, sed potiùs roborare, aut laborantes ab oppressione liberare; hæc tamen non tollunt alias evacuationes maiores, aut quæ fieri debent, vt morbi aliqui curentur, ad ægrotantium vsque debilitatem, aut animi defectum, si has evacuationes tales ægri possint tolerare: imò neque istæ evacuationes quæ fiunt vltra id quod peccat in dictis morbis, atque laborantibus sunt intempestivæ, neque immoderatæ, licèt evacuent quod non peccat, sed vtile est in se, sed tempestivè ac moderatè, cùm sic & non aliter, neque cum minori evacuatione tales morbi curentur: dantur siquidem morbi, qui vt sanentur, vel rectiùs, qui ne citò laborantes interimant, debent evacuari, non tantùm secundùm id quod in eis redundat, aut aliter peccat, verùm etiam secundùm aliud quod non peccat, neque morbum facit, sed naturam, viresque servabat, quia sic scilicet & non aliter sanantur, & sic mors evitatur. Quare istæ evacuationes necessariò debilitant secundùm id quod evacuant vtile, ac vires conservant; verùm non ideò intempestivæ sunt, neque immoderatæ, etiamsi fiant vsque ad animi defectum, si vires possint tolerare, scilicet illum earum defectum, aut debilitatem, quæ ex talibus vacuationibus sequitur necessariò. Quæ omnia ostendunt, vt inde intelligamus sanguinis missionem, aut aliam euacuationem recentet factam esse posse triplicem, vnam scilicet in qua vires neque læduntur, neque levantur: secundam in qua vires grauatæ levantur, atque ab oppressione liberantur, & tertiam denique in qua vires debilitantur, sed non vtcumque, sed debilitatione facilè reparabili.

191 Tandem in fine capitis diximus cum Galeno affectum aliquem morbosum fieri insanabilem omnino duobus modis, scilicet vel quia vires sunt extremè languidæ, vel quia corruptela humorum est extrema, aut extremè vitiosa: hæc autem quamvis ita sint, inde tamen non negamus, quòd morbus ex alia aut aliis causis possit esse insanabilis: nam quamvis vires non deficiant, neque humores sint omnino vitiosi, accidit mori ægrum ex ipsa morbi vi, seu vehementia, aut ex suffocatione, vel plenitudine humorum, vel aliis de causis. Quare verum est quòd morbus fit insanabilis omninò; cùm vel vires in totum deficiunt, vel humores sunt in totum corrupti; cùm enim ita vires aut humores sunt præter naturam mutata, certè ampliùs ad statum naturalem nequeunt redire, & per consequens affectus est necessariò mortalis; sed non solùm sic morbus mortalis esse potest, sed ex aliis causis, vt dictum est: vnde nos si solùm diximus in textu quòd morbus sit insanabilis ob virium extremam debilitatem, & humorum putredinem, hoc ideò ita diximus, quia de iis agit Gal. ibi sive de curatione morborum, in quibus reperitur virium languor & humorum corruptela, vbi etiam diximus sibi maximè esse adversas indicationes quæ sumuntur à dictis viribus languidis, & ab humoribus vitiosis, quod ideò nunc annotandum proponimus, vbi etiam particularis methodus observanda in eis: cùm enim indicationes curativæ, ait Gal. ita inter se adversantur, vt quod vna indicat, alia repugnet, aut contradicat, tunc quidem epicrasi est vtendum, vel insanabilis omninò relinquetur affectus. Quasi dicat: in complicatione contrariorum omninò indicationum ille peculiaris modus curandi servandus est, qui per epicrasim fit, id est, per attemperationem, seu correctionem moderatam dictorum extremorum; vt cùm vires

vires languidæ coincidunt cum humorum corruptela, oportet vti epicrasi, id est, necesse est vtrumque extremum temperare, & quasi ad mediocritatem reducere, scilicet & paulatim quod vitiosum est evacuando, & paulatim invicem quod salubre est pro eo reponendo: sic enim vtrique extremo occurrimus paulatim, & paulatim vtrunque temperamus extremum, quod est epicrasis, vt dicunt Græci, id est, modus curationis specialis, qui servari debet in complicatione earum contrariarum indicationum, quæ pugnant omninò inter se, vt morbus calidus & frigidus, febris & hydrops, & aliæ multæ sensibiles indicationes contrariæ, aut inter se omninò oppositæ, atque repugnantes; itaque iste modus curandi est specialis & diversus ab aliis antea traditis ad alios morbos complicatos curandos, aut ad alias diversas indicationes rectè exercendas, siquidem in aliis docemur quid prius aut posterius agendum sit, non verò vt nunc quod simul vtrique extremo inter se maximè oppositis: in aliis ergo methodis docemur priùs occurrere ad id quod vrget, vel ad id quod habet vicem causæ, aut rationem sine qua non: hic verò non vni priùs, sed simul vtrique extremorum: quare specialis est, & benè notandus.

192 Ex dictis insurgunt duæ dubitationes decidendæ; prima est, an humores omninò corrupti attemperari queant, id est, ad naturæ gratiam redire, an non: secunda est cum ex Gal. quod corruptum est vacuari petat, vel secta vena, vel purgatione, quarum neutram ferunt imbecillæ vires: si vires aliquam permittant, quam exercebimus? Quare ad primam accedentes respondemus breviter attempetationem humorum esse duplicem; vna enim est qua secundùm excedentes qualitates corriguntur, & altera, qua ad statum naturalem redeunt. His sic suppositis, humores omninò corrupti attemperari possunt primo modo, non tamen secundo; cùm enim omninò sunt corrupti, iam ampliùs ad naturalem statum nequeunt redire, vt docet Gal. 1. *aph. comm.* 17. *in fine*; sed qui ad naturæ gratiam redeunt, sunt vt vinum acescens, quod putrefit quidem, sed nondum est in totum acetum factum, sed adhuc habet multas partes vini optimi, quo fit, quòd etsi acescit potest iterum fieri vinum bonum: non ergo humores omninò corrupti possunt ad naturæ gratiam in sensu explicato redire, benè tamen possunt temperari in qualitatibus; nam si nimis sint calidi possunt refrigerari, si sint acres possunt obtundi, si crassi attenuari, & sic de aliis: quare in hoc sensu inquit Gal. non solùm in isto capite, *sed* 1. *aph. comm.* 17. quòd humores corrupti indigent epicrasi, siue attemperatione. Vt secundæ dubitationi respondeamus, verè ac breviter supponimus ex Gal. *lib. de sang. miss. cap.* 12. quòd sanguinis missio limitatur à Medico, finitque evacuare quod vult, & non ampliùs, quod in purgatione nequit facere: vnde clarè colligitur, quòd si corruptum vacuare volumus complicatum cum virium languore, tutiùs venâ sectâ vacuabitur, quàm purgatione, cùm vires languidæ non quamlibet ferant vacuationem, sed moderatam solùm, quæ longè minùs purgatione, quàm venâ sectâ limitari aut metiri potest: neq; valet, si dicas quòd humores vitiosi, aut corrupti potiùs aut meliùs vacuantur purgatione, quàm misso sanguine, cùm apertè dicat hic Gal. vel venâ incisâ, vel purgatione corruptelam vacuari, & *superiori lib. cap.* 4. ad succos vitiosos vacuandos vtitur sanguinis missione, etiamsi plenitudinis signa non adsint: & benè quidem, nam vt ipse dicit 2. *aph. comm.* 17. sæpè humores corrumpuntur propter plenitudinem ad vires, quod quamuis ita fiat sanguis est mittendus, donec ex superflui euacuatione residuum bonum fieri possit; vel saltim donec vitiosi succi maiori parte emissa, quod reliquum est possit concoqui, vel ad expurgationem præparari, vt ipse etiam dicit *lib. sup. loco citato*: non enim humores corrupti indicant determinatè purgationem nisi sint extremè tales, aut tales quòd ampliùs ad statum naturalem nequeant reuocari, vt colligitur ex comm. citato, & potissimùm ex 4. *de sanit. tuen. cap.* 4. vbi cùm humores parùm distant à natura sanguinis, audacter, ait Gal. sunt sanguinis missione euacuandi, si maximè distant nullatenus, si mediocritet, cum consideratione agendum.



CAPVT XI.

Exemplo venæ sectionis docet quatenus indicatio à viribus petatur in morborum curatione.



IXERAT *cap. superiori* Gal. non omnia quæ ad morbos curandos applicantur à Medicis conseruare vires nostri corporis, sed è contra esse aliqua, quæ si tempestiuè & in debita quantitate non administrentur, potiùs lædunt vires, quàm conseruant, vt præ aliis experimur in sanguinis missione, quæ si intempestiuè aut immoderatè fiat, non parum affert incommodum, sed vel vires debilitat, vel vitam adimit laborantis, vt multis exemplis docuit in textu. Quæ cùm ita se habeant, ideirco in præsenti cap. agit de rectà administratione sanguinis missionis, demonstratque non solùm à quibus indicatur facienda in morborum curatione, sed etiam quod coindicatur à viribus, & quòd virium consideratio ac conseruatio est attendenda in sanguinis 193

guinis missione, & quidem plus quàm in aliis humorum vacuationibus, quæ fieri possunt ad curandos morbos, vt ipsa sanguinis missio: itaque duo sunt, quæ in præsenti cap. explicat Gal. quare & caput secatur in duas partes.

TEXTVS.

Memineris verò mihi ad ea quæ dicenda sunt, &c.

194 HÆc est prima capitis pars, in qua explicaturus Galenus quot modis diversis potest sanguis qui in nobis reperitur indicare sui euacuationem ad morbos curandos, & vitam conseruandam, primum omnium aduertit sanguinis euacuationem esse faciendam cum maxima cautione, aut attentione, ne noceat: sic enim ait. Quoniam venæ sectio fit ad effundendum sanguinem: sanguis autem est naturæ vtilis, imò simpliciter necessarius ad vitam seruandam: proinde hanc administrare conueniet sic, vt quod inutile naturæ sit emittat. Quasi dicat: Quoniam venâ sectâ sanguis effunditur contentus in venis, qui non solùm naturæ vtilis est ad sui nutritionem, & totius corporis, verùm etiam simpliciter necessarius ad ipsam vitam conseruandam; nam vt patet in iugulatis, venarum effuso sanguine effunditur vita: idcirco semper sanguis venâ sectâ ea cautione vacuandus est in morborum curatione, vt quod inutile naturæ sit educatur, & non quod est vtile; ne vires lædantur, aut vita periclitetur: nam re verâ & vires, & vita habent etiam suam stationem, aut permanentiam, aut conseruationem in dicto sanguine bono, vt in carnibus, atque aliis solidis corporis partibus, & consequenter omnes sunt semper seruandæ ad vitam conseruandam.

195 Supposito quòd sanguis venâ sectâ solùm est vacuandus qui sit inutilis, accedit Galen. ad demonstrandum quot modis diuersis sanguis fit inutilis in nobis, vt inde constet quot etiam diuersis modis poterit in morbis sanguis indicare sui ablationem. Scribit igitur sic: fit autem sanguis naturæ inutilis bifariam, &c. Quasi dicat: sanguis in se consideratus vt nos nutriat, & vires conseruet, debet esse benè temperatus, & in quantitate moderata, vel tantus quòd abundet quidem; sed ita neque vasa repleat, neque vires premat, aut grauet: quare sanguis duobus modis potest fieri naturæ inutilis; scilicet vel cùm propriam qualitatem ad vnguem non seruat, id est cùm ita vitiatur quòd amplius nutrire nequeat, vt antea cùm erat vtilis, vel ita multitudine crescit, vt aut vires premat, aut tum venas, tum arterias distendat, vel scindat, vel obstruat: cùm enim aliquo istorum trium modorum sanguis in nobis à statu naturali discesserit, & naturæ inutilis factus fuerit, tunc quidem sanguinis missio est vtilis, seu vacuantium præsidiorum vna, id est cùm aliquo ex his tribus modis sanguis fit naturæ inutilis, indicat sui euacuationem per sanguinis missionem, vt quæ ad euacuandum sanguinem sit præcipua; etsi enim alia sunt præsidia ad evacuandum sanguinem, vt frictiones, lotiones aperientes poros, atque attenuantes humores, vigiliæ, inedia, atque exercitia, tamen sanguinis missio omnium vacuantium præsidiorum est vna, siue major, & ideò magis præcipua ad sanguinem vacuandum, siue sanguis peccet in qualitate, aut aliter vitiosus nutrire nequear, siue peccet in copia, aut quantitate ad vires, vel ad vasa: nam in his quidem sanguinis missio vtilis est, seu vacuantium præsidiorum vna, ait Gal. id est in his est vtilis sanguinis missio, vt quæ euacuat sanguinem inutilem in corpore contentum, & qui talis jam factus petit euacuari sanguinis missione, potiùs quàm alia euacuatione. Iu aliis addit Gal. id est in aliis casibus in quibus sanguis non peccat in substantia, aut qualitate, neque in quantitate aliqua ad vires, neque ad vasa, sed in motu, aut quia fluit præter naturam, quò non debet, aut aliter quàm oportet: in his etiam sanguinis missio est vtilis, vt quæ non solùm sanguinem euacuat, verùm etiam quæ humorum vehementiorem impetum ad diuersam partem reuocet, vel propinqua deriuet: reuellit siquidem sanguinis missio si fiat ex parte distante, à parte fluxione tentata, deriuat, aut diuertit influxum, si fit ex parte vicina.

196 Itaque venæ sectio, etsi sanguinem euacuat, vtiliter tamen exercetur, ait Gal. quoties sanguis in nobis peccat, aut qualitate, aut quantitate, aut motu; tunc enim venâ sectâ sanguis exit inutilis, id est peccans, ac præter naturam factus, vno aliquo dictorum modorum, aut plurium; atque proinde in quolibet casu ex illis tribus vtiliter evacuatur sanguis, exitque qui peccat, ac inutilis est: non solùm enim sanguis qualitate vitiatus, aut substantia, quique ob id amplius jam nutrire nequit vtiliter euacuatur, & corpus alacrius redditur sic, vtpote expurgatum sanguine prauo; verùm etiam sanguis, qui peccat vel quantitate vel motu: nam & etiam sanguine misso in qualibet plenitudine corpus à grauitate, aut plenitudine leuatur, atque ad mediocritatem reducitur, dolores aut lassitudines placantur, calor natiuus erigitur ac recreatur, obstructiones vasorum reserantur, expeditiúsque functiones omnes naturales celebrantur. sic similiter sectâ venâ cùm peccat sanguis in motu fluxus auertitur, aut diuertitur, sic morbus arcetur inde dependens: quare rectè concludit Gal. quòd sanguinis missio est vtilis in dictis singulis casibus. Sed dices contra primò: cùm sanguis peccat qualitate, aut substantia, & quidem tantum quòd amplius nutrire nequeat, est cacochymus, & per consequens qui talis est non sanguine misso, sed per purgationem est euacuandus.

dus. Respondetur communiter sanguinem vitiosum posse esse permixtum, aut separatum, cùm reliqua massa sanguinaria, quæ continetur in vasis, & conseruat naturam, ac vires totius corporis; & consequenter sanguis vitiosus si sit permixtus cum reliqua massa sanguinis laudabilis sanguine misso euacuabitur, vtpote vnitus cum sanguine bono qui vacuatur; si verò sit separatus, purgatione est euacuandus, cùm sit cacochymus & massæ innatans. Nos verò respondemus, cùm sanguis vitiatur separatur à bono ex Hipp. 4. *de morb.* & idcò tunc si vires constant sectâ venâ exit sanguis vitiosus, quia expellitur à facultate expultrice, & vtilis à retentrice detinetur; etsi ita non sit sanguinis missio, nocet potiùs quàm confert: quare & sanguine misso exit sanguis cacochymus, aut vitiosus, non minùs quàm purgatione; & ideò *cap. sup.* quod corruptum est, vel venâ sectâ, vel purgatione esse vacuandum dixit Gal. vnde & nunc bene dicit quòd sanguis qualitate inutilis vacuatur sectâ venâ non minùs quàm qui peccat quantitate, vel motu. Dices secundò, quòd plenitudo ad vires potest fieri ex cruditate humorum per corpus, & in hoc casu nocet sanguinis missio, vt aduertit Gal. *lib. de sang. miss. cap. 9. & aliis locis.* Sed respondetur nihil ad rem, cùm hic solùm agatur de plenitudine sanguinis: quomodo sanguis qualitate peccans indicet venæ sectionem? vide librum *de sanguinis missione.*

TEXTVS.

Postulat autem semper valentes vires, quæ modo, &c.

197 Hæc est secunda capitis pars, in qua Gal. demonstrat quòd sanguinis missio non solùm indicatur à sanguinis vitio, in qualitate, quantitate, aut motu, verùm etiam à viribus: scribit enim sic. Postulat autem semper valentes vires, quæ modo vacuationis eius respondeant: ad hæc igitur respicientes sanguinem detrahimus, aliàs semel, aliàs bis, vel ter, vel sæpiùs, vt in sequentibus patebit. Quasi dicat Gal. demonstratum est quòd sanguinis missio indicatur multifariam in morborum curationibus, non solùm ab ipsis morbis, sed ab ipso sanguine præter naturam in venis contento: hæc autem quamuis ita sint, etiam scire debemus quòd talis sanguinis missio coindicatur à viribus: id est non solùm indicatur à morbis, atque à sanguine ipso, sed etiam à viribus, & quidem duobus modis: nam in primis sanguinis missio postulat semper valentes vires, scilicet quæ consentiant & benè ferant talem euacuationem: non enim deliberamus benè de remedio solùm ex præsentia postulantis, sed & consentientis, & absentia impedientis: & consequenter neque solùm deliberamus benè de sanguinis missione ex morbis, morborumque causis postulantibus, sed & ex viribus consentientibus, id est quæ consentiant, & benè ferant talem sanguinis euacuationem: etsi enim vel morbus sit, vel sanguinis peccatum, vel vtrumque, quæ petant sanguinis missionem; si tamen vires non consentiunt, nullatenus exercetur, quia virium defectus est potior ad impediendam exequutionem talis euacuationis, quàm multa quæ eam petant: vnde patet manifestè quòd sanguinis missio coindicatur à viribus, vti à morbo ipso. Insuper sanguinis missio includit in se debitam quantitatem, vt sit remedium: hæc autem quantitas non minùs indicatur à viribus, quam ab ipso morbo, aut à sanguinis copia, sed vel æquè principaliter, vel potiùs à viribus: nam re verà sanguinis missio, ait Gal. non vtcumque postulat vires, quæ consentiant, sed quæ modo euacuationis eius respondeant, id est, postulat vires robustas, & quæ sufficiant ad facilè tolerandum modum euacuationis, sanguinis missio diuersimodè indicatur in morbis; & multi sunt casus, in quibus vnica vice, aut vnica sanguinis euacuatione indicatur expulsio totius causæ morbificæ, etsi multa sit, vt accidit in febribus synochis, sine ex plenitudine sanguinis ortis; in aliis autem non semel, sed bis, aut ter, aut sæpiùs indicatur mittendus sanguis, morbusque vacuandus: quare si vires robustæ sunt, aut saltim sufficiunt cuique euacuationis modo, sanguis tunc si optatur à morbo, semel euacuatur; si verò non ita sufficiunt vires, neque semel sanguis totus emittitur, etsi ita faciendum morbus indicet, vel ipse sanguis peccans, ita postulet, sed vel partitis vicibus, vel in pauca quantitate, prout vires consentiunt, aut talem sanguinis euacuationem benè ferre possunt: quare vires non minùs quàm morbus, vel sanguis peccans indicant faciendam sanguinis missionem, & ejus modum, seu quantitatem limitant; & nos ad hæc omnia respicientes semel aut per vices sanguinem mittimus.

Quòd verò tum morbi ipsi, tum sanguis solus peccans in corpore indicent diuersos modos sanguinis missionis, non solùm ex traditis in præsenti clarè colligitur, sed ex pluribus aliis, si attendantur: cùm enim magnis morbis magna remedia, & paruis parua dicimus conuenire, non solùm speciem remedij significare volumus, sed & quantitatem, aut diuersos quantitatis modos: cùm enim Hipp. extremis morbis dicit extrema remedia optima sunt, potiùs modum explicant quàm speciem remedij, id est, non tam exponit speciem, quàm ejus multam quantitatem, & vnica vice esse adhibendam docet, & per consequens docet modos remedij, qui ab ipsis morbis indicantur, non minùs quàm ipsa remedij species, siue remedium fuerit euacuatorium, vt sanguinis missio, aut purgatio, &c. siue solùm alterans, 198

rans, vt quæ calefaciunt,refrigerant, &c. Vlteriùs cùm medicari in valdè acutis eadem die dicit Hipp. tardare enim in talibus malum, & vbi morbus peracutus est statim extremos habet labores: igitur statim tenuissimo victu vtendum; sine dubio docet etiam diuersas conditiones remediorum potiùs, quàm eorum speciem: sed vt quæ dicimus integrè intelligantur, est aduertendum, quòd ex morbis magnis qui indicant magnas euacuationes, & potissimùm per sanguinis missionem, de qua nunc tractatur; sunt alij qui pendent ex sanguinis, aut massæ sanguinariæ,& quidem calidioris multa copia: alij verò sunt morbi magni, qui potiùs ex impetuosa humorum, aut sanguinis fluxione excitantur, quàm ex eorum copiosa multitudine; qui ergo morbi magni sunt, aut multùm periculosi, pendentque ex multa quantitate sanguinis calidioris, aut massæ sanguinariæ nimis efferuescentis, vt in synochis febribus, seu continentibus accidit, & in multis internis inflammationibus, in multis vehementissimis doloribus, atque in lassitudinibus phlegmonosis: ij inquam omnes ex Gal. 2. *de hum. comm.* 17 si vires constant copiosissimam sanguinis euacuationem postulant, & semel factam: qui verò ex humorum fiunt fluxione sæpè repetitas indicant vacuationes, vt sic fluxio cesset, ac reuellatur: quantò enim maiorem in numerum particulares auxeris detractiones per sanguinis missiones factas, tantò efficacior fit reuulsio, ait Gal. *lib. de sang. miss. cap.* 12. Insuper plenitudines quæ sunt ad vasa ex Hipp. 4. *de rat. vict. in acutis* 24. non solùm indicant sanguinis missionem, sed maximam ac semel factam, quantum vires ferre possint: quare & morbi ipsi, & sanguis solùm peccans indicant sanguinis missionem, & certos vacuationis modos, vtpote à quibus coindicantur non minùs, quàm ab ipsis morbis, atque ab ipso sanguine peccante.

TEXTVS.

In præsentia verò illud manifestum fecimus virtutem, &c.

199 QVamuis ad satietatem vsque sit demonstratum quòd vires indicant curativè, siue vnà cum morbo, eiusque causa coindicant, seu consentiunt, vel repugnant, quod à tali morbo & causa indicatur: vt veritas tamen magis elucescat persistit in eodem proposito, & nunc nouo vsus argumento conuincit idem. Sic ergo scribit: *In præsentia verò illud manifestum fecimus, virtutem vacuantia remedia aliquando citra noxam ferre, scilicet neque adiutam ab his quidquam sensibiliter, neque læsam; sæpè verò magis, minúsve, tum juuari, tum lædi, &c.* Quasi dicat: Verum est quòd vires non sentiper ex remediorum euacuantium administratione læduntur quidquam, aut juuantur, quod sit æstimandum, aut quod sentiri queat: quia possunt tales vires esse vehementes satis, & euacuatio insufficiens ad sensibile juuamentum: hæc tamen etsi ita sint, & tunc quidem coindicant illam euacuationem: & probatur, inquit, sic. Quoties ex euacuationibus factis ad morbum submouendum sequitur notabilis noxa, aut vtilitas, siue juvamen, toties patet, atque ostenditur ipsam quoque virtutem vtile aliquid indicare, aut coindicare, scilicet consensum, aut repugnantiam, ad tales faciendas, aut non faciendas euacuationes: ergo & etiam vbi ex his quæ affectum submouent, nec commodum accidit vllum, nec incommodum. Quasi dicat: Cùm ex euacuationibus quæ fiunt ad aliquem morbum soluendum, vires læduntur, quamuis morbus soluatur, constat tunc quod vires indicant, scilicet sui conseruationem, vel potiùs indicant euacuationes esse faciendas absque virium læsione; & ideò quæ vires lædunt esse malè factas, quantumuis morbos soluant: similiter cùm euacuationes quæ fiunt ad morbum submouendum, vires juuant, etiam tunc apparet quòd vires indicabant sui conseruationem, & quantitate grauatæ euacuationem, qua liberentur ab oppressione, & liberatæ ab onere, quo premebantur, roborentur; sic enim juvantur vires ex euacuationibus: ergo etiam vires indicabunt sui conseruationem, & eam debitam aut rectam euacuationum administrationem, ex qua non lædantur, sed potiùs juventur, aut conseruentur in illis euacuationibus, quæ fiunt ad morbos soluendos, ex quibus neque commodum viribus accidit vllum, neque incommodum, quamuis ob hanc causam talis virium indicatio tunc quasi esset nulla, aut inutilis omittatur.



CAPVT XII.

Continet obiectionem eorum qui dicebant à viribus non desumi indicationem aliquam curatiuam.



EMONSTRATVRVS est Galenus in 200
sequenti capite qua recta ratione vires nostri corporis debent seruari in morbis, aut in morborum curationibus: hoc. ergo vt tunc commodiùs doceat, supponit in præsenti capite 12. quòd vires semper indicant sui conseruationem: vnde antiqui multi tenebant

bant quòd vires non indicant curativè, neque possunt indicare: sic enim dicebant hi, quod vnum est vnum indicat, & quidquid indicat pro sua natura indicat, & quod vnam habet naturam vnum semper indicat: si inquam hæc sic se habent, vt ab omnibus esse dicuntur, sequitur consequenter, quòd virtus nostri corporis nunquam poterit indicare curativè in morborum curatione; siquidem virtus in nobis, aut vires nostri corporis omnes vnum tantùm indicant, nempè sui cõseruationẽ: quare vnum erit indicatum, nempè quod confert, aut conservat vires, scilicet victus, non verò remedia, quæ vires potiùs lædunt, non conservant: quare & hanc objectionem ponderat nunc, vt in sequenti cap. eam etiam commodiùs dissoluat.

TEXTVS.

Porrò vna semper est, quæ ab hac præstatur, &c.

201 IN præsenti capite agit Galenus breviter de constantia curativarum indicationum: docet enim quędam eorum quæ indicant perpetuò sui conservationem indicare, quædam verò ablationem, & quod simplex est simplicem habere indicationem, non simplex verò compositam; docet autem cautè hæc se habere ita ne decipiamor si in aliquibus casibus videatur contrarium, aut contrarium esse verum aliquando alicui videatur. Scribit igitur sic: *Porrò vna semper est quæ à virtute præstatur conferentis indicatio, veluti etiam reliquorum omnium, &c.* Qoasi dicat: qoidquid indicat id certè semper vnum indicat pro sua natura: ens enim & vnum sunt reciproca. Quare & quidquid indicat, cùm sit ens, est pariter vnum, & per consequens vnum semper indicabit, scilicet pro sua natura, ideò prout sua natura erit: si enim indicans vnam habeat naturam, id est, si id vnum quod indicat simplex sit, vnicam vt tale habens naturam, simplex quoque erit eius indicatum; qoia quod vnum & simplex est solom facit indicatum simplex: si verò illud vnum qnod indicat est compositum, eius quoqoe indicatum erit compositum: vt ergo hæc sunt verissima, ita in hoc sensu est verum quòd à viribus vna semper præstatur conferentis indicatio, id est, quòd vires semper indicant sui conservationem, vt & reliqua omnia, quæ sunt secundùm naturam in nobis; nam quædam sunt in nostro corpore, quæ sui custodiam indicant, nempè qoę sunt secundùm naturam, vt vires, quædam quæ indicant ablationem, scilicet quæ sont præter naturam, vt morbi, sive autem quæ indicant indicent sui conservationem, sive amotionem, quod simplex est, simplicem quoque indicationem habet, & quod non est simplex, etiam non simplicem: & idcircò *in superioribus libris 7. & 8.* simplicem intemperiem simplicẽ indicationem præbere diximus, veluti in frigiditate & caliditate: non simplicem verò, etiã indicationem suggerere non simplicem, sed calidam, siccamque intemperiem, v. g. curationem sui per ea quæ humectent & refrigerent, mollendam, seu amovendam indicare, & sic de aliis.



CAPVT XIII.

Quibus modis vires conservari possint, & qua serie ab indicatione virtutis ad alias indicationes liceat pervenire.



EMONSTRATVRVS Galenus in hoc cap. quibus modis vires possint conservari in morbis, atque in morborum curationibus, ponit etiam indicationem à viribus desumptam, non esse ex curatricium numero, sed vitalium, id est, quæ ad vitæ custodiam per se & primò pertinent: neqoe enim vt valeamus, inqoit, id est, vt simus sani, neq; vt à morbis liberemor à virtute qoidquam primò desumimus; sed vt vivamus solùm, licet ex accidenti aliquando virtutis roboratio ad affectus curationem conducit, vt videbimus; priùs ergo demonstrat quibus modis virtus, ac vires possint conservari, & posteà qua serie, aut recta ratione ab indicatione virtutis ad alias indicationes exercendas debeat Medicus accedere: quare & caput benè in duas secabitur partes. 202

TEXTVS.

Ergo vires semper quoque vnam rem indicabunt, &c.

IN hac prima cap. parte demõstraturus Gal. quòd vires servantur in nobis: primò & potissimùm corrigendo quod de substantia earum, vel inanitum, vel alteratum est. Secundò prohibendo quæ ipsarum substantiam vacuare, aut alterare possunt: dicit antẽ benè quòd vires servantur, & servata earum sobstantia, ac debita temperie, & ablatis omnibus, quæ ipsarum substantiam vacuare, aot alterare possunt præter naturam: nam ideò indicatio est comprehensio rei juvantis simul cum cõprehensione nocentis, qoia quæ conferunt adhiberi debent, & simul auferri quæcumque nocere possunt, vt res aliqua servetur: nam bonum ex integra causa, & malũ ex quocũq; defectu oriuntur. Scribit igitur quasi in hunc 203

modum: Demonstratum est huc vsque quòd vires indicant semper vnam eamdẽ rẽ: nempè sui custodiam, aut conservationem: quare his sic expositis sequitur inquirendum, ac demonstrandum, quomodo, aut quibus rationibus, aut quibus modis conservabitur virtus, quæ nos conservat? cui respondetur quòd servabitur, atque servari debet duobus modis: primò scilicet, & potissimùm corrigendo, seu restaurando quod de substantia virium inanitum, vel alteratum est; & secundò prohibendo quæ ipsarum substantiam vacuare, aot alterare possunt: res enim vt se habet ad esse, se habet ad conservari; & eadem principia rẽ constituentia, eadem sunt & conservationis: quare vires nostri corporis non alia ratione conservari possunt quàm servatis illis earum principiis, aut causis essentialibos, siue elementis, quibus constant, aut sunt constitutæ in suo esse: hæc ergo cùm sic se habeant cúmque, vt ipse dicit Gal. infrà *lib.* 12. *cap.* 5. essẽtia virium, quibus regitur corpus tum in spiritibus, tum in solidorum corporum temperamento consistat, hæc nobis & vbi integra sunt servari, & vbi corrupta sunt ad integrum revocari omnino debent; scilicet vt modò dicit corrigendo quod de substãtia istorum deperditum fuerit, & quod alteratũ præter naturam revocando in statũ naturalẽ.

204 His sic expositis sibi objicit Gal. quasi in hunc modum: Essentia virium non ex solà substãtia & temperamento spirituum & carnium corporis, ac partium solidarum constat atque integratur, sed etiam ex vuione talium partium & substantiarum; & quidem seorsim cuiusque earum, & omnium inter se: quare vt vires serventur, servari debebit, non substantia earum, ac temperamentum tantùm, sed & vnio ipsarum. Huic ergo objectioni occurrit, & dicit: comprebensa verò inter ea quæ alterant brevitatis gratia sint, & quæ earum vnitatem distrahunt. Quasi dicat: Verum est quòd essentia virtutis integratur ex spiritibus & multis aliis corporis partibus vnitis, & non aliter, quia omnes sunt mixtæ, & mixtio est alteratorum miscibilium vnio; & consequenter vires non conseruantur, nisi seruata earum substantia vnita, ac benè temperata, quia ex his tribus integratur essentialiter; & ideò hæc tria compreheuduntur, cùm dicimus seruari vires, seruata earum substantia, & non alterata, quia inter ea quæ alterant comprehenduntur brevitatis causa, non solùm quæ temperamentum, verùm etiam quæ voitatem distrahunt. Dices etiam hìc quòd Gal. variatur in assignanda essentia virium, siquidem, vt in superiotibus visum est, ipse Gal. infrà *lib.* 11. *capitibus* 1. *&* 3. dicit essentiam virinm tum ex spiritu, tum ex carnosa specie, tum solidis ipsis partibus completur: loco autem citato *lib.* 12. *cap.* 5. ex spiritibus solùm ac partibus solidis. Sed respondetur facilè inter solidas partes carnosas contineri, vt quæ vnà cũ solidis corpus cõponunt, quod vnà cũ spiritu dicit, præstat substantiam virtutibus, vt in annotat. ad cap. 10. sufficienter ostendimus.

Rorsus dices hìc: vires, vt ait Galenus, 205
potissimùm custodiuntur corrigendo, qood de substantia earum vel inanitum, vel alteratum est: ergo vires non indicant sui conseruationem, sed potiùs correctionem, quæ est res longè diuersa à conseruatione: conseruatio enim est permaneutia rei in eodem statu; correctio autem mutatio ad id quod erat antea; quare correctio & conservatio maximè distant, aut opponuntur; & consequentet si vires correctione custodiuntur, correctionem ex se indicant, non conseruationem. Respondetur rerum conseruationem esse duplicem: vt enim res sunt in duplici differentia, scilicet aliæ permanentes, & aliæ semper fluidæ; permanentes vt calor, vt lumen; successiuæ, vt tempus & motus: vt, inquam, res aliæ sunt in se permanentes, & aliæ non, ita conseruatio alia est rerum permanentium, & alià earum quæ non permanent, quamuis conseruatio rerum quæ semper fluunt, & quiescere nequeunt in vno, atque eodem statu, propriè correctio sit, & dicatur, quia scilicet aliter non possont conseruari: quæ enim res semper fluunt aut mutantur, aut semper deperduntur, atque de earum substantia semper aliquid labitur, vt sunt nostra corpora, & omnia mixta, quæque generationi & corruptioni sunt subjecta: quæ, inquam, res sic in se sunt fluidæ, labiles, atque caducæ, aut deficientes, non aliter custodiri, aut conseruari possunt, quàm corrigendo, aut restaurando quod de substantia, aut essentia talium rerum in dies labitur, atque inanitur, vel aliter mutatur: quare quia vires nostri corporis sunt huiusmodi, ideo dicit benè Gal. quòd custodiuntur, seu conseruantur, potissimùm corrigendo quod de substantia earum vel inanitum vel alteratum est; & secundò prohibendo quæ ipsarum substãtiã vacuare, alterarene possunt: vt enim lumen v.g. alio simili lumine conseruatur & permanet, & vt calor vt vnum, vel vt duo, &c. conseruatur & permanet alio calore sibi simili in gradu, quia scilicet sunt res permanentes; ita res successiuæ, aut quæ semper labuntur, seruantur correctione eorum, quæ perduntur.

206 Itaque vires nostri corporis semper sui custodiã indicant, ait Gal. & semper eodẽ prorsusmodo cooseruantur, licèt in sanis aliter, atq; in ægris fieri videatur; quia in sanis agẽdorũ consensus est semper ad conseruationẽ, id est in sanis omnia, quæ adhibentur sunt æquè bona ad vires servandas, atq; ad sanitatẽ tuendam: in ægris autem non semper quæ morbos curant seruant vires, neque semper in morborũ curatione, quæ præscribuntur sunt ad vires custodiẽdas. Quæ vt magis intelligãtur debemus aduertere, quòd etiãsi vires nostri corporis, & nostra vivens natura est semper fluida, & in dies semper deperditur, nõ tamen semper perditur æqualiter, sed in sanis longè minùs, & multò magis lentè, quàm in ægrotantibus: in sanis enim vires & corpora conseruantur ab ipsa natura ne pereat, aut labatur, quantum fieri potest; in ægris verò natura morbo oppressa nequit vires conser-

uare:

nare: quare tunc vires à morbo multùm conflictantur, & facilè multùm labuntur: vnde prouenit vt communiter dicatur, habita sanitas conseruatur, & amissa recuperatur. Quasi dicamus: in sanis, atque in opere de sanitate tuenda sanitas conseruatur, atque conseruari indicat per similia, ac bonam victus rationem, non autem corrigi, quia parum labitur in sanis virtus, talisque lapsus alimentis resarcitur: in morbis verò non semper virtus conseruatur, sed, vt suprà dicebamus, cum ipso Galeno 1. *aphorismorum, commentario* 4. in diuturnis morbis semper seruare vires intendit bonos Medicos; in acutis autem potiùs aliquantulum vires debilitare, quàm eas conseruare intendit: quare in sensu explicato in valentibus agendorum consensus est semper ad conseruationem virium: in ægrotantibus autem non semper, sed vt est expositum.

207 Iam igitur his omnibus præmissis tem propositam concludamus: quærebamus enim quibus modis custodiantur vires quæ nos conseruant, id est spirituosa, carnosa, & solida substantia nostri corporis, in quibus vires & vita nostra continentur, qua ratione tueri poterunt, tum in sanis, tum in ægrotantibus: etsi enim dictum sit, atque monstratum quòd seruantur, ac custodiri debent, seruata earum trium substantia, tum in quantitate, tum in qualitate in statu naturali quantum fieri possit; sed nedum sic benè concluditur; & ideò quæ sequuntur addit ipse Gal. loco sæpè citato *libro duodecimo, capite quinto.* Sed cùm essentia virium, quibus regitur corpus tum in spiritibus, tum in solidorum corporum temperamento consistat: hæc nobis vbi integra sunt seruari, & vbi corrupta sunt ad integrum reuocari omnino debent. Et parum infra. Spirituum substantia vnà cum solidis corporibus in non naturalem habitum, quæ sensim & paulatim fit, corrigere ad artem pertinet, ita eam, quæ simul multa irruit sarcire spectat ad medendum, sic in nobis custodienda sunt, vt tum quantitate, tum qualitate fieri, licèt naturaliter se habeant: ac siquidem sic prospici his posset, vt nec substantiæ eorum quidquam vacuaretur, neque immutaretur, id esset antiquissimum, id est sic conseruaretur semper, sed quia *in comm. de san. tuen.* ostendimus fieri non posse, vt id generabili corpori vnquã contingat, proinde id agendum est, vt quæ substantiæ portio defluit, hanc apponẽdo sarciamus, quod alterascit in debitam temperiem per contrariam altetationem vindicemus, seu reducamus: si igitur tum vacuatio, tum alteratio sensim paulatimque fiant, per artem sanitatis tuendæ sont reducendæ; si verò confertim, per peritiam methodi medendi, de qua nunc agendum, aut agere debemus: nam vt mutationem sanitatis tuendæ peritiam.

TEXTVS.

Quo tempore æstimari debibit, quod vel magnitudine, &c.

Demonstraturus est Galenus statim in hac secunda capitis parte, qua serie, aut qua recta ratione Medicus procedere debeat in executione indicationum, quæ in morborum curatione possunt vires ostendere aliquo modo; hoc ergo vt tunc clariùs doceat, nunc dicit inter artes sanitatis tuendæ, & morborũ medendi, dari hoc discrimen, quòd omnia quę aguntur in sanitate tuenda ad salutem conseruandã, omnia illa simul vires seruant, atq; custodiunt: in arte verò medendi non semper accidit, vt quæ morbos curant, vires debilitãt, vt cùm in febribus continentibus ad extinguendã earum igneã caliditatẽ sanguis emittitur vsq; ad animi defectum: in iis ergo casibus ait nonc, vel in hoc tẽpore, aut quo tẽpore indicationes ita aduersantur, tunc quidem æstimari debemus, quòd vel magnitudine, vel dignitate prævaleat; id est cùm in morborum curatione indicatio quæ à morbo desumitur, aduersatur indicationi quæ petitur à viribus, tunc aduertere debemus quæ dictarũ indicationum sit major aut dignior, vt ei priùs succurratur altera nnn neglecta: etsi enim suprà *cap. 10. in fine* expositum fuit quòd cùm complicantur virium languor cum humorum corruptela, vtrique simul sensim est subueniendum; non sic tamen nunc agenda est curatio, quamvis indicatio desumpta à morbo sit contraria indicationi à viribus desumptæ, vt ibi: sed videndum est quæ istarum indicationum sit præstantior, id est, ex cuius defecto magis impendat vitæ periculum, vt ei, vtpote magis digniori priùs succurratur: vrgentiori enim est priùs succurrendum, altero non neglecto, si aliqua ratione fieri possit. 208

Porrò quòd in morborũ curatione, in qua indicatio, quæ à morbo desumitur, cõtrariatur indicationi, quæ sumitur à viribus sit distinguendum quænam earum sit dignior, vt ei priùs succurratur: demonstrat hic immediatè quòd indicatio, quæ sumitur à viribus, est dignior, aut magis attendenda in dictorum morborum curatione, imò & in qualibet alia morborum curatione. Maxima igitur, ait, est dignitas virium, quando viuere ipsum constat nobis pendere ex harum custodia, & quòd vita sunt ipsæ vires, vel earum actiones, at vita ipsa nihil esse priùs potest in nobis, neque in alio quouis animantis corpore, propterea quòd neque sanos esse citra vitam licet. Cùm ergo dignitas viriũ sit omnium prima; pariter indicatio quæ à viribus sumitur in morborum curatione erit prima omnium: verùm non sic prima vt quæ curationem doceat: non enim est ex numero curatiuarum indicationum, sed prima vitalium, siue quæ ad vitæ custodiam pertinent: quare à primo ad vltimum dicere. quòd 209

virium dignitas est omnium maxima; & quòd ideò prima indicatio in morborum curatione sumitur à viribus, licèt non sit curatrix, est idem ac dicere quòd vires in morborum curatione sunt primum omnium custodiendæ. Quasi dicat, vt dicit paulò infrà: Quidquid indicationi, quam vires probant, adversatur in morborum curatione, id est secundi loci, aut posterioris, quam quæ vires petunt; quia virtus est prima omnium custodienda, id est primò sunt facienda quæ vires custodiunt, atque conservant, & secundo loco quæ viribus adversantur, & morbos curant. Servabitur autem virtus, inquit, si neque eius substantia inaniatur, neque tanta alteratione alteretur, vt ea corruptioni sit propinqua: vnde huius custodiæ pars est, vbi vel temperiem ipsam præsentem servamus, vel absentem inducimus, vel vitiatam reducimus; eam scilicet quæ est proxima corruptioni, non verò quæ jam est corrupta, quia de privatione ad habitum non datur regressus naturaliter; & ideò dixit notanter Gal. si non ita alteretur, quòd jam corruptioni sit propinqua.

TEXTVS.

A virium indicatione proxima est, quæ ab effectibus, &c.

210 Hic ponit jam, qua serie, aut qua rectà ratione liceat Medico procedere ab indicatione virtutis ad alias indicationes curativas: etsi enim jam sit demonstratum, quòd prima indicatio in morborum curatione sumitur à viribus, & quòd reliquæ indicationes, quæ adversantur virtuti sunt posteriores, nondum tamen est ostensum posteriores quæ sunt, neque qua serie sunt exercēdæ post dictā primā, imò neque si multæ sint indicationes, qua methodo debeant adimpleri, nec denique dictū est, quousque vires in morbis sunt custodiendæ: quare hæc breviter ac verè demonstrat in præsenti: scribit igitur sic: ***A virium indicatione proxima est, qua ab affectibus, quos curare proponimus, datur, postea deinceps reliqua, &c.*** Quasi dicat: In omnium morborū rationali curatione prima indicatio exercenda est quæ sumitur à viribus, & in secundo loco est exequēda, quæ sumitur à morbis, aut aliis affectibus prẹter naturā, quos curare aggredimur: etsi enim in morborum curatione primus scopus, seu intentum non sit vires servare, vt in opere tuendę sanitatis, sed potiùs curare morbos omnes, & alia omnia, quæ præter naturam in nobis reperiuntur, & nostras lædunt operationes; hoc tamen non obstat, quòd prima agendorū indicatio sumatur à viribus in morborū curatione, quanquā vires nihil indicent curativè. Et ratio est, quia morbi & alij affectus præter naturam qui indicant curativè, id est qui indicant sui ablationem per sanguinis missionem, vel purgationem, aut per clysteres, aut per oximel, vel aquam mulsam, vel alia auxilia; isti, inquam, affectus, qui curationis remedia indicant, atque postulant; indicant quidem, petuntque talia auxilia cum subordinatione ad vires, vel ad virium consensum: non enim solùm ex præsentia postulantium deliberamus de remedio, sed simul ex pręsentia consentientium, quæ sunt vires dictæ, & absentia impedientium, si alia præter vires possunt impedire: quare non solùm in parte medicinæ salubri prima indicatio sumitur à viribus, verùm etiam in ipsa curatrice, sive in ipsa singulorum morborum curatione.

Hic poterat dicere aliquis, quòd benè intelligitur cur indicatio à viribus desumpta debeat esse prior quàm aliæ in morborum curatione, sed nedum sic intelligitur methodus, aut series exercendi tales indicationes; imò neque adhuc satis intelligitur quomodo prima indicatio sit exequenda: quare nunc hæc magis explicat, & in primis docet quid sit dicere, prima indicatio sumitur à viribus in morborum curatione. Scribit ergo sic: ***Quidquid igitur indicationi, quam vires præbent, adversatur, id secundi est loci, &c.*** Quasi dicat: vires sui conservationem indicant semper, & non vtcumque, sed ita quidem, vt quidquid in morborum curatione adversatur, huic indicationi sit posterius, id est, postquam viribus sit consultum, debeat exequi; id est, non cùm succurrimus virtuti, sed posteà. Sed cùm dicimus quòd prima indicatio sumitur à viribus in morborum curatione, & primo loco est exercenda; postea verò & in secundo loco quæ sumitur à morbo non ita prima est intelligenda, ait Galenus, quòd in omni curatione sit necessariò primò exequenda, sed solùm quando indicationi, quam vires præbent, adversatur curatio, id est, quando remedia, quæ adhibentur ad morbos sanandos cum his, quæ viribus conducunt, competunt, atque in idem conspirant: hæc, quia vtrumque calculum referunt, scilicet conservationis virtutis & curationis morbi; hæc, inquam, citra controversiam sunt facienda, scilicet primo loco, vt quæ solùm vires servant. Quæ verò adversantur aliquando administranda prorsus non sunt, aliquando paulatim: quippe si quem curare studes affectum, iis vacuationem requirit; vires autem extrema imbecillitate laborant: toto illo tempore quo vires reficimus, nihil eorum quæ affectum sanent ægrotanti exhibebimus: vbi verò eò roboris pervenisse eas conjicimus, vt nihil, aut parum ex vacuando sint lædēdæ, tunc est ad affectus quoque curationem accedendum: ex quibus intelligitur non solùm quando & quomodo prima indicatio sumitur à viribus in morborum curatione, sed etiam qua serie, ac rectà ratione ab indicatione à viribus desumpta ad alias sit procedendum. 211

His sic expositis cōcludit caput dicens, quòd prima indicatio in morborū curatione sumitur à viribus, non quia ab ea quidquā primū desumamus, neq; vt valeamus, neq; vt à morbis liberemur, sed vt vivamus. Quasi dicat: hoc quod est vivere, est quod primum intendimus semper, 212

sẽper, sive sani simus, sive morbo affecti: vnde quia vivere dependet à viribus, & vires servare est vitam custodire, vt sæpiùs est dictum, atque expositum: proinde dicimus, quòd prima indicatio sumitur à viribus in morborum curatione, quanquam à viribus aliquid nunquam primum sumamus, quo valeamus, vel à morbis liberemur. Additum autem in sermone est, inquit, illud verbum *primum*: quia ex accidenti aliquando virtutis roboratio conducit ad affectus curationem. Quasi dicat: sæpè est dictum atque monstratum, quòd vires ex se & primò non indicant curativè, neque aliud quidquam præter sui conservationem, hoc tamen non negat, quod ex accidenti aliquo possint ad affectus curationem conducere. & quòd sic possint indicare curativè: sunt enim vires ex Hippocrate *6. epidem. p. 5. sent.* 1. morborum medicatrices multorum, potissimùm cùm sunt robustæ: vnde provenit sæpè quòd in morborum curatione cogitemus de virtutis roboratione, vt ait Gal. ad affectus curandos: non solùm enim cùm vires sunt languidæ roborare eas intendimus, vt sic roboratæ possint facilè tolerare evacuationes, sed etiam & roboratæ curationem promoveant: roborata namque natura, quos priùs concoquere non poterat crudos succos concoquet, & segnior antea ad expellendos noxios robore sumpto expellet, atque affectui omni dominabitur, vincetque noxam omnem, quia naturæ potenti nihil est difficile, & vires languidæ à quovis offenduntur. Itaque vires ex se solùm indicant sui custodiam, vt vivant, ac vivamus; ex accidenti tamen possunt indicare curationem, imò & ipsam curationem facere; siquidem quæ imbecilla priùs fuerat virtus, resumptis viribus sanat, ex accidenti scilicet, seu quia roboratur, quasi sanasse ex accidenti sese dicatur, qui Medicus idem fuerit & ægrotus.

Annotationes super Textum.

213 Aliqua sese offerunt hic notanda, & magis explicanda, vt pariter intelligantur magis quæ tradidit Gal. in hoc cap. & nos exposuimus. Sit ergo primum notandum: bis in contextu posuisse, ac dixisse Galenum servari vires potissima, seu primaria ratione corrigendo, quod de substantia earum, vel inanitum, vel alteratum est; secundo loco prohibendo quæ ipsarum substantiam vacuare, alterareve possunt: quæ quidem non videntur rectè dicta, sed videtur è contra dicendum, atque docendum: nam re verâ prius, ac melius est prohibere inanitionem, alterationemque virium, & cujusque alius substantiæ vtilis nostri corporis, quàm inanitam, alteratamve corrigere: non enim indiget correctione quod non peccat. Sed respõdetur facilè, ac dicimus: prius ac melius est quidẽ prohibere ne vires inanientur, aut alterentur, quàm earum inanitionem, aut alterationem corrigere, si ita fieri possit; vbi verò inanitio, & alteratio vitari nequeunt, vt accidit in nostro casu, sed jam præcedunt, tunc ab istarum correctione rectè incipitur. Secundò respondetur in parte Medicinæ curatrice, quam nunc agit Gal. primus scopus est curandi ratio, ejusque quod vel alteratum, vel aliter à statu naturali mutatum fuerit, ita vt actiones lædat in suũ locum restitutio, & postea ne immutetur præcautio, vt nunc faciendum dicit Gal. 214

Secundò advertendum dixisse Gal. bis in hoc textu, & pariter bis infra *lib. 12. cap. 5.* quòd vires nostri corporis servantur, ac custodiri debent corrigendo, quod de substantia earum inanitum vel alteratum erit, & prohibendo ne talis substantia inaniatur, aut malè alteretur: ex quibus clarè colligitur quòd essentia virium, seu virtutum non consistit solùm in qualitatum temperie, vt multi malè statuunt, ac supponunt, sed in substantia & debita quantitate spirituum, sanguinis, carnium, ac partium solidarum nostri corporis, aut simul optima, aut moderata temperie talium substantiarum: vnde vires nostri corporis ex tribus coalescunt, & quatuor in se includunt essentialiter: nam coalescunt quidem ex optima substantia spirituum, & reliquarum partium ac substantiarum nostri corporis, ex sufficiente earum quantitate, & debita temperie, atque ex his vnitis vltimò resultant: quare ab his omnibus dependent essentialiter, id est, consistunt vires in debita substantiæ quantitate, debita temperie atque vnione. Quod est benè notandum, non solùm ad convincendos multos, qui tenent consistere vires nostri corporis in sola partium temperie, sed etiam ad integrè cognoscendas causas debilitatis, aut defectus talium virium, cùm re verâ vt constent vires quatuor dicta debeant secundùm naturam habere, & possint debilitari, aut in totum deficere, ex quocumque defectu dictorum quatuor.

215 Tertiò est notandum dixisse Galenum in textu vitam, aut ipsas esse vires, aut earum actiones. Quasi dicat posse vitam consistere non solùm in ipsis facultatibus, sed etiam in facultatum actionibus, quæ videntur falsò dicta, & contra ipsum Galenum: ipse enim quærens in quo consistat sanitas, an in actionibus nostri corporis, quæ rectè fiunt, an in constitutione naturali: vnde actiones rectæ proveniunt; concludit *lib. de differentiis morborum, capite 2.* non posse consistere in actionibus quæ rectè fiunt, quia multi qui dormiunt sunt sani, & tamen tunc multæ actiones neque benè, neque malè fiunt. Respondetur tamen quòd vivere stat dupliciter, vt suprà est demonstratum, scilicet in actu primo, & in actu secundo, & consequenter vita non solùm consistit in ipsis viribus, sed etiam in earum actionibus, cùm vivere in actu secundo nihil sit aliud quàm actu exercere actiones vitales: quare vita ad vsque actiones ipsas sese extendit,

dit, quanquam sanitas non in actionibus, sed solùm consistat in constitutione.

216 Quartò est aduertendum quid intelligere debeamus cùm dicit Gal. Atque huius custodiæ pars est, vbi vel temperiem ipsam præsentem seruamus, vel absentem inducimus. Sensus enim est, pertinere ad partem Medicinæ curatricem, siue ad præsentem tractatum methodi medendi, non solùm morbos curare, siue affectus, qui sunt præter naturam, atque actiones lædunt corrigere, & ad statum naturalem reducere, vel si absentes sint iterum inducere;verùm etiam qui sani sunt conseruare. Quasi dicat: licet ad partem medicinæ salubrem pertinet agere de conseruatione nostri corporis, hoc tamen non tollit quod pars medicinę curatrix, & præsens potissimùm tractatus *de methodo medendi* agat etiam de conseruatione ipsius corporis: quia in rei veritate pars medicinæ salubris solùm recto vsu rerum non naturalium docet conseruare sanitatem nostri corporis, at pars medicinæ curatrix, tum vsu rerum non naturalium, tum aliis multis docet idem, & plura addit ad præsentem sanitatem conseruandam, ne in morbos labatur, quæ in sanitate tuenda non ita exactè traduntur, atque explicantur: cùm enim corpora sunt actu sana, ita à natura custodiuntur, quòd solùm requirunt ad sui conseruationem vsum bonum sex rerum non naturalium: cùm verò corpora ægrotant, cùm à natura parum aut nihil tueantur, requirunt ob id custodiam multò maiorem, quàm nunc vult Gal. exprimere, dicens: Atque huius custodiæ pars est, &c.

217 Quintò est notandum dixisse Gal. vires quæ extrema imbecillitate laborant impedire euacuationem, ideoque tunc tales vires eò vsque esse reficiendas, vt nihil, aut parum ex vacuatione lædantur. Quibus verbis insinuare videtur quòd vires solùm cùm sunt extremè debiles impediunt aut contradicunt vacuationibus; quod non quadrat cum antea dictis *cap.* 11. vbi de sanguinis missione facienda loquens concludit ac dicit: Postulat autem semper valentes vires, quæ modo vacuationis eius respondeant.Sed si attentè notamus quæ dicit Gal. tum hîc, tum ibi, intelligemus inde solutionem: vt enim vires possunt esse robustæ aut debiles, & adhuc istæ aut parum debiles, aut multùm vel extremè debiles, ita quidem evacuatio, siue fiat venâ sectâ, siue purgatione, aut clysteribus, aut scarificatis cucurbitulis, aut hirudinibus corpori applicatis, aut alio quovis modo, potest esse multa aut extrema, vel pauca, vel media inter dictas. Vt igitur vacuationes magnæ aut extremæ fiant, necessariò vires debent esse vehementes, & tantum quidem, quòd, vt ait Gal. respondeant modo huius vacuationis, id est, possint benè tolerare talem magnam, aut extremam vacuationem; vt verò pauca fiat evacuatio non requiruntur vires vehementer robustæ, sed vel moderatæ, vel non multùm, aut extremè languidæ, quia quæ tales sunt, tolerant etiam benè paucam evacuationem, vt vehementer robustæ extremam: vnde concluditur quòd solùm vires, quæ extrema imbecillitate laborant, impediunt totaliter omnem evacuationem; non autem aliæ, sed quæ parum sunt robustæ, aut languidæ sunt, non tamen extremè limitant evacuationem, quia quæ parum sunt robustæ, non benè ferunt nisi vacuationes moderatas, aut in quantitate moderata factas, & quæ debiles sunt moderatè solùm parvas possunt tolerare benè: & in hoc sensu dicit benè Gal. suprà quòd sanguinis missio postulat semper vires robustas, id est, quæ benè ferant talem evacuationem, & nunc etiam benè dicit, quæ viribus adversantur aliquando administranda prorsus non sunt, quando scilicet vires extrema imbecillitate laborant; aliquando paulatim, id est, per vices, ac in moderata, aut pauca quantitate, prout vires sunt debiles, aut parum robustæ.

Ex dictis constat esse maximè attendendam qualitatem, ac quantitatem virtutis ad quamlibet evacuationem rectè exercendam: 218
& per consequens debere Medicos distinctè cognoscere quæ vires sunt robustæ, aut vehementes, & quæ languidæ? Quare de his nos hîc ea breviter ostendamus, quæ dictis possint satisfacere: etsi enim omnes supponamus esse maximè necessarium tales virium qualitates distinguere, & benè cognoscere, ad rectè moliendam aliquam evacuationem, & potissimùm per sanguinis missionem, aut purgationem, vt quæ sunt magna remedia evacuantia; & quamvis multa tradantur signa à Medicis ad tales vires cognoscendas, ac distinguendas, non sunt tamen vtcumq; certa, sed multas patiuntur limitationes, vt scientificè indicent, seu demonstrent dictas virium differentias, atque proprias qualitates, aut quantitates, quas nos hîc indiuiduabimus, supponentes quòd vitalis facultas, quam è corde prodire diximus, ex pulsibus deprehenditur; naturalis autem, quæque ex jecore oritur ex vrinis & alvi dejectionibus; animalis denique, quæ à cerebro fluit, ex motibus arbitrariis, seu ex motibus voluntariis; etsi enim animalis facultas sit triplex, scilicet motiva, sensifica & princeps, & harum omnium actiones possunt ostendere vim aut debilitatem facultatis animalis; potissimùm tamen motiva actio, siue motus voluntarius id demonstrat, vt qui talis est quòd ad ipsum obeundum, seu edendum magna vis animalis concurrit, aut magis multò quàm ad sensus efficiendos. Itaque animalis facultas vehemens est, quæ tales motus efficit robustos, aut vehementes, & è contra languida aut debilis, quæ debiles tantùm, aut diminutos facit motus: naturalis etiam tunc valida est cùm hepar perfectas edit suas operationes, nempe alimentorum coctiones, & generat bonum sanguinem, aliosque humores naturales; quod ex vrinis benè coctis, & alvi excrementis naturalibus cognoscimus: non enim actiones

actiones naturales sunt in se perceptibiles aliquo sensu vt sunt animales, ac vitales, atque ideo per sua excrementa cognoscuntur; si cocta quidem sint sanam, cruda autem ægram ostendentia suam facultatem, vt ait Galenus 1. *de cris. cap.* 6. & consequenter ex vrinis crudis, & ex cruentis alui deiectionibus initio quidem aquosis, & tenuibus, deinde verò amurcæ in modum crassis, cognoscit Gal. 1. *de art. cur. ad Glauc. cap.* 14. in fine debilitatem hepatis & facultatis naturalis: denique ex pulsu vehementi ac magno colligitur robur facultatis vitalis, & è contra ex eius debilitate, ac paruitate languor noscitur.

219 Sed hîc est maximè notandum, quod signa dicta non sunt semper omninò certa; quamuis vt talia ab omnibus habeantur: neque mirum, quia vires ipsæ in se, aut in suo robore, atque debilitate variantur: interdum enim validæ sunt aut debiles reuera, interdum verò non, sed apparenter, vt potissimùm experimur in vitali; sæpè enim senes pulsus habent magnos, atque vehementes, seu tactui resistentes, & tamen senes non robusti, sed languidi sunt tantò plus aut minùs, quantò magis ad vltimam senectutis partem accedunt. Sic ex Gal. 4. *de caus. puls. cap.* 1. dolor vehemens mutat pulsus, in magnitudinem, vehementiam, celeritatem, & frequentiam, & similiter inflammationes, & ferè omnes magnæ febres putridæ, si malignæ non sint, & tamen neque in dolore, neque in inflammationibus, neque in dictis magnis febribus vires augentur, aut roborantur, sed satis est si non minuuntur, cum omnes sint causæ debilitantes vires potissimùm vitales, vt docet Gal. & ipsa experientia. In multis etiam delirantibus experimur motus voluntarios vehementes multum, cum tamen talia deliria potiùs facultatem animalem prosternant, quàm roborent: denique & in facultate naturali ex Hipp. *in prorrehect. & 5. coacar.* dantur vrinæ coctæ malæ, & in morbo acuto pessimæ, quia non fiunt à facultate valida, sed victa: vnde manifestò ex iis colligimus, quod vires multoties apparent robustæ, aut vehementes, quæ tamen reuera non sunt tales, sed solùm per apparentiam. Cum enim natura aliqua necessitate premitur, inquit Gal. *loco citat.* 4. *de caus. puls. cap.* 1. vt cum dolore affligitur, aut inflammatione, aut magna febre, aut alia causa nimis stimulatur, tunc quidem vehementiori vi, qua potest, suas obit functiones, vt patet in dictis casibus, atque in phreniticis furiosis; in furiosis enim delirantibus, irritata facultas animalis motus facit animales, vehementes & deprauatos, etiamsi talis facultas in se non sit robusta: sicut in dolore, & aliis, facultas vitalis pulsus edit vehementes, quamuis talis non sit, vt sic vehementiori vi, qua potest, expellat malum, quo irritatur, quanquam sæpè sit in vanum, & nihil consequatur, sed suam lassationem. Quod autem vires dictæ debiles esse soleant non solùm reuera, sed per apparentiam, seu, vt communiter dicitur, per aggrauationem, omnes supponunt: quare ex dictis concluditur certò quòd vires possunt esse tum robustæ, tum debiles reuera, aut per apparentiam.

Hæc igitur cum ita se habeant, conse- 220
quenter necesse est benè distinguere quando vires sunt robustæ reuera, & quando solùm per apparentiam; & pariter quando sunt debiles in rei veritate, & quando non, sed per aggrauationem: quod est idem ac quærere, atque distinguere, quando aut quomodo signa tradita ad vires validas, aut debiles indicandas, demonstrabunt eas esse tales reuera & quando solùm per apparentiam? Huic quæsito respondetur communiter, per se esse vires robustas, vel languidas, cum dicta signa perpetua sunt, aut semper permanent æqualiter talia; v.g. cum pulsus semper est magnus, ac vehemens sine aliqua differentia ad debilitatem, tunc vitalis facultas est reuerà robusta: si verò semper non ita permanet, sed mutatur pulsus in paruitatem, aut languorem, tunc facultas non est robusta reuerà, quamuis robusta, atque vehemens esse videatur, ex multis pulsationibus magnis; atque vehementibus, similiter si pulsus sit semper paruus atque debilis, dicit esse debilem facultatem reuerà; cum verò nunc languidus, nunc non, sed vehemens, aut magnus pulsus apparet, tunc facultas non est languida reuerà, sed per aggrauationem. Verùm enim verò, neque sic sufficienter quæsito respondetur: nam docet experientia, quòd in aliquibus casibus dantur dicta signa, vt supponimus, & tamen non indicant quod dicimus, aut supponimus; siquidem in morbis malignis solet accidere, quòd pulsus sit bonus, & vrina bona, & tamen æger tendit ad mortem; quamuis talia signa bona perseuerent æqualiter talia vsque ad mortem ipsam: similiter in multis morbis malignis pulsus apparent inæquales in magnitudine, atque vehementia, ita vt aliæ pulsationes sint paruæ, ac debiles, aliæ magnæ aut vehementes; & tamen sunt essentialiter vires languidæ, & non grauatæ, sed omninò deiectæ; & morti propinquæ, vt statim experitur. Rursus experimur etiam dari in multis casibus pulsus paruos, atque languidos æqualiter, vel in totum deficientes, sine essentiali debilitatione facultatis pulsatilis: experimur tandem dari pulsus intermittentes, inæqualesque sine grauitate.

Quum igitur posita signa per se sumpta 221
non sint sempiternæ veritatis, sed in multis casibus possint nos decipere, necessariò alia eis sunt addenda, quibus magis firmentur, vel ex quibus nos cognoscere possimus, quod reuera significant: quare à signis bonis exorsi, in statu naturali, in bono corporis habitu, in ætate florente, anni tempore temperato, atque in corporibus debitè nutritis exercitatisque signa bona, nempè pulsus magnus, atque vehemens, motus voluntarij fortes, atque vehementes, vrinæ, & alui excrementa benè cocta certò indicant

vires esse essentialiter, & verè robustas: in statu autem præter naturam, atque in morbis, vt supra dicebamus, pulsus magni, atque vehementes, & motus voluntarij validi, aut fortes, potiùs vehementiam ipsorum indicant morborum, quàm robur facultatum, vel si mauis potiùs dicunt irritationem, quàm vehementiam dictarum facultatum: vnde & tunc ad alia Medicus accedere debet notareque an æger sit boni habitus, scilicet quadratus & modicè durus, an potiùs mollis ac candidus, an sit ætate florens, an puer vel senex, aut inter has ætates; & an sit sibi similis cum erat sanus, an non, sed facies sit deflorata, aut, plusquàm ratio postulat, extenuata; si enim primas habet dotes æger, vires etiam habet validas; vti è contra debiles si notas habet posteriores. In morbis etiam salutaribus vrinæ & alui excrementa cocta, quæ sensim & pauiatim concoquuntur, non autem subito, aut derepente, sed quæ priùs ponunt bonum colorem postea mediocrem substantiam, & tandem bonum contentum, atque continuò in melius persenerant, vsquequo sic ad optimum perueniant statum; hæc quidem significant robustam, atque vincentem facultatem naturalem: si verò è contra in morbo exitiali, & in quo vrinæ, & alui excrementa præcedunt, non solùm cruda sed praua, aut vitiosa; & postea subitò coquuntur, aut breui temporis spatio apparent mutata in naturalem colorem, substantiam, atque contentum, pessima sunt, notantque facultatem retentricem naturalem à morbo euictam, atque naturalem potentiam essentialiter debilitatam, vt in superioribus dicebamus: similiter cum in morbis malis vrinæ & alui excrementa & sputa, & aliæ corporis superfluitates derepente parum coquuntur, aut modo coctæ, modo crudæ apparent, significant ex Hipp. *in prognost.* morbum esse diuturnum & non securum.

222 Sic explicatis signis bonis, transeamus ad alia, & potissimùm ad explanandos pulsus malos, scilicet inæquales in magnitudine, & vehementia, aut intermittentes, aut in totum deficientes, aut denique semper debiles, & paruos, quia ij sunt qui plura significant, & ideò medicos sæpè decipiunt. Pulsus igitur inæquales in magnitudine, aut in vehementia, illi scilicet qui in magnitudine non sunt pares, sed impares seu inæquales, quia aliæ expulsasionibus sunt magnæ, aliæ minores, aut paruæ; & pulsus inæquales in vehementia, id est tales quod aliæ pulsationes eorum sunt vehementes, aliæ debiles, vel mediæ, inter vehementes & languidas: isti, inquam, pulsus, vt dictum est, inæquales dicuntur communiter à Medicis esse signa facultatis vitalis pondere humoris grauatæ; quia scilicet natura dicta grauata tales solet facere pulsus. Sed est hîc diligenter attendendum, quod vires vbi valentes sunt, omnia contemnunt, ac sustinent, vt *lib. sequent. cap.* 4. dicit Galenus; vires autem languidæ à quouis offenduntur: vnde vires quæ reuerà sunt vehementes, etsi sint grauatæ, non efficient pulsus inæquales; nisi debilitentur, vel saltim vincantur ab onere: atque proinde si facultas vitalis facit pulsus inæquales dictos, non semper eos tales facit quia grauatur, sed vel quia pondere premitur, vel potiùs, quia debilis est in se atque in sua essentia, irritaturque ab aliquo ad pulsus magnos, atque vehementes ponendos, vt si languida existente, dolore irritetur, aut alia vehementia morbi; tunc quidem, vt si grauata sit, inæquales sine dubio faciet dictas pulsationes. Iis adde quod etiam pulsus fiunt inæquales, propter compressiones, vel obstructiones magnas partium internarum, præcipuè earum, quæ sunt magis principales, aut ad vitam magis necessariæ, vt non solùm cor, atque hepar sunt, verum & pulmones, & leues eius arteriæ, vt 1. *lib. ad Glauc. cap.* 14. docet Gal. imò in huiusmodi affectibus, ait: Siquidem magni sint, pulsus intermittunt: denique & cordis inæqualis intemperies pulsus facit inæquales ex *lib. 2. de præsag. ex puls. cap.* 4. Nos etiam in suppurationibus multis factis, tum in pectore, aut pulmonibus, tum in cauitate naturali pulsus fieri vidimus, inæquales in magnitudine, atque vehementia, & intermittentes, in aliquibus pulsationibus: vnde ex pulsuum dictorum inæqualitatibus, atque intermissionibus malè colligitur causa determinata, cum sint tantæ, tantumque inter se diuersæ, vt est dictum. Si igitur in morborum principiis tales pulsus appareant, & antequam corpora ægrotantium sit euacuata, tunc est maximè rationi consentaneum, quòd tales pulsus sequuntur facultatem grauatam: si verò iam morbo protracto, & præcedentibus multis euacuationibus vel causis euacuantibus superueniant, potiùs aliàs sequuntur causas, v. g. obstructionem, si alia sint obstructionis signa, vel causæ, vel inflammationem suppuratam, si affectus præcesserit inflammationis, vel denique cordis inæqualem intemperiem, vel languorem si alia desiderentur signa; quæ alias causas comitantur, vel aliter ostendere possunt.

Tandem pulsus paruus & languidus æqualiter, siue sic semper permaneat, siue postea in totum deficiat, & non redeat creditur communiter, ab omnibus esse signum facultatis vitalis debilitatæ essentialiter, & languidæ in extremo: ex eo scilicet quia cum talis est, nequit alios pulsus maiores, aut meliores facere. Sed etiam isti pulsus sunt fallaces, & sæpè nos decipiunt, quia in rei veritate fiunt tales, non solùm ob dictam facultatem vitalem essentialiter languidam, sed etiam ob acumen multorum morborum, vel ob vehementiam doloris, aut alterius irritationis, vt Hipp. 2. de rat. vic. in acut. sent. 47. docet dicens: *Neque enim ita peritos video medicos, qui, vt oportet, dignoscant eas, quæ in morbis contingunt virium infirmitates, scilicet, & quæ ob vasorum fiunt inanitionem, id est ob defectum facultatis, & quæ ob morbi acumen, vel* 223

aliam

aliam quampiam irritationem, aut laborem; quamuis cognita salutem, & mortem non cognita afferant: quia scilicet curantur contraria omninò ratione, vt etiam ipse docet sequenti sent. 48, *quæ enim vires debiles sunt ex defectu, atque essentialiter extremè debiles; nempè quæ dictos pulsus faciunt, ex euacuatione intereunt, victuque debito curantur: quæ verò ob morbi acumen, &c. debilitantur, sæpius sine pulsu redduntur*, ait Gal. in comm. *animique deliquia incurrunt, & nullo modo queunt moueri, & tamen vacuatione indigent, non refectione; imò qui cibum ex iis exhibet maximum affert detrimentum*: ad eundem modum nos multoties in debilitatis ob morborum, aut dolorum vehementiam, aut aliam irritationem vidimus pulsus extremè debiles, ac paruos æqualiter, quibus euacuationibus non læsimus, sed multùm iuuauimus, & per tales vacuationes robustiores pulsus fecimus, non aliter ac si essent grauati, & pluries ipse multos sine pulsu existentes sanguinis missione ad salutem reduxi.

224 Itaque pulsus extremè languidi, aut deficientes, quamuis semper tales permaneant, sunt necessariò distinguendi, videndumque an ex defectu virtutis tales sint ideóque victu, atque alimentis indigeant an potiùs ob morborum acumen, aut vehementiam, quique vt tales non victum, sed vacuationem petant. Hoc igitur vt verè distinguamus debemus aduertere, quod vires vitales non solùm pulsus mutant in varias differentias, sed & totum corpus alterant in calorem, colorem, & corpulentiam, vt in superioribus non semel tetigimus: si enim facultas vitalis vehemens est reuera, & secundùm naturam se habet, aut operatur, non modo pulsus edit magnos, ac vehementes æqualiter, sed & totum corpus calfacit actu, scilicet calore moderato, & moderatè corpulentum, seu carnosum reddit, ac denique colore viuido, seu roseo, aut vitali, aut pulchro afficit: è contra si talis facultas reuera est debilis, aut deficit, non solùm pulsus edit paruos, ac languidos æqualiter, aut in totum deficientes; verùm etiam corpus totum manifestè emaciat, & colore pallido aut cadauerico afficit, potissimúmque in facie vt quæ tempore sanitatis, & cum talis facultas viget, magis frustratur, atque participat de illius influxu. Denique cum dicta vitalis facultas debilitatur morbi acumine, aut alio eius simili irritamento, pulsus facit paruos multum ac languidos æqualiter, vel in totum deficientes, non tamen corpus, aut faciem extenuat, neque viuidum colorem immutat in cadauericum, atque proinde ex iis aliis, quæ coincidunt cum dictis pulsibus, distinguit facilè bonus Medicus, id quod cognitum salutem, & non cognitum mortem affert necessariò.

225 Sed cur dices debilitata facultas vitalis, ob morborum acutiem, neque corpus, neque facies extenuantur, neque eorum color natiuus vitalis mutatur, & tamen pulsus vel in totum deficiunt, vel debilitantur maximè? Vt rectè respondeatur est aduertendum, quod tribus modis debilitatur dicta facultas in nobis, scilicet, aut ex defectu, & quia reuera deficit, vel quia suffocatur, id est obruitur, vel ita comprimitur, vt extinguatur, vel denique, quia impeditur ad operandum; vt cum quis ligatis pedibus impeditur ad deambulandum: iste enim ambulare nequit non quia facultas deficiat, aut sit euacuata; neque quia facultas suffocetur ligatis cruribus, sed quia sic impeditur valde ad benè deambulandum. Iis ergo sic notatis respondetur quæsito, quod facultas vitalis debilitata ob morbi acumen, aut aliud irritamentum si neque suffocatur, neque exsoluitur, saltim impeditur ad pulsus bonos efficiendos, vt qui ligatis cruribus nequit ambulare; & non impeditur ad alia in facie ac toto corpore edenda, eo quod reuera non deficiat talis facultas: vt enim qui ligatis cruribus non impeditur ad mouendum corpus, caput, neque brachia, quia, reuera facultas motiua non deficit ob ligaturas; ita ob morbi acumen non deficiente facultate vitali potest impediri ad pulsus edendos, & non ad alia quæ fiunt in facie, vel in aliis corporis partibus. Dixi notanter si facultas vitalis ob morbi acumen, neque suffocetur, neque exsoluatur: nam reuera & suffocari potest, aut exsolui ab illis: cum enim ob morbi acumem, vel quid simile, talis facultas exsoluitur, vel aliter reuera deficit, tunc quidem & pulsus deficiunt, & corpus, ac facies extenuantur, & color viuidus deficit; si verò suffocatur, corpus neque facies non tabescunt, color tamen vitalis in liuidum mutatur, & partes extremæ potissimùm tepescunt; vel refrigerantur, quare omnia hæc benè notari debent, & dignotionis, & debitæ curationis gratia.



CAPVT XIV.

Docet tres esse diuersas res ex quibus desumuntur curatrices morborum indicationes.



VT superiori cap. docuit Gal. quod vires in morborum curatione, aut simul cum morbo indicant quid agendum, aut quantùm agendum, seu euacuandum sit, in morbis qui indicant euacuationem pro sua curatione, ita in præsenti demonstrat, tum morbum, tum naturam laborantis, tum ambientem aërem, in morbis indicare curatiuè, quamuis natura non sit res præter naturam, & quamuis aër ambiens sit solùm res non naturalis: vt enim 226

vires

vires multoties indicant curatiuè in morbis, quanquam ex se solùm postulant conseruari; ita pariter natura laborantis, quamuis ex se, & vt res naturalis est, solùm indicet sui conseruationem, poterit ex aliquo accidenti indicare curatiuè, vel coindicare simul cum morbo aliquid conferens ad morbi curationem, quia reuera morborum curatiuæ indicationes, non solùm à morbis desumuntur, sed à natura. ait Gal. & ab ambiente, id est à rebus naturalibus & non naturalibus, nempè aëre ambiente. Duo porrò sunt quæ potissimùm affert: uam primùm docet curatiuas morborum indicationes, quamuis plures sint, omnes tamen desumi à tribus solùm rebus inter se diuersis,scilicet à morbo, à natura ægrotantis, & ab ambiente; secundùm docet cur potiùs ab ambiente, quàm ab aliis rebus non naturalibus, tertia sumatur curatiua indicatio: quare caput secatur in duas diuersas partes.

TEXTVS.

Nunc ad pensum rursus redeamus, in paucas summas, &c.

227 VT quæ dicenda sese offerunt penitus intelligantur debemus supponere, quod curatiua indicatio est illa, ex qua deliberamus de remedio, vel saltim de aliquo remedij scopo; non enim est necessarium ad hoc vt indicatio curatiua sit quod remedium indicet v.g. sang. missionem, aut purgationem, aut refrigerationem, vel calefactionem,&c. sed sat erit si indicet aliquem remedij scopum, v. g. quantitatem sang. missionis, aut purgationis, vel quantùm morbus calidus sit refrigerandus, aut frigidus calefaciendus, & sic de aliis. Hoc ergo sic supposito: medicatoriæ siue curatrices omnes indicationes, inquit Gal. in hac prima cap. parte, à tribus in vniuersum desumuntur, videlicet à morbo ipso, à corporis temperamento, & tertiò ab ambiente nos aëre: nam vt statim videbimus à morbo & ab ambiente sumitur, siue indicatur, quid agendum in curatione, & à natura, aut temperamento ægrotantis quantùm agendum: quare omnia indicant curatiuè.

228 Poterat hîc dicere aliquis quòd in morbis non solùm indicant curatiuè morbus, temperamentum laborantis, & aër ambiens, sed & alia plura, vt ætas ipsius laborantis, & consuetudo, & anni tempus, & cœli status, & alia: & per consequens, erunt plures quàm tres indicationes curatiuæ, vel res, quæ in morbis indicant curatiuè erunt multò plures, quàm tres dictæ, nempè morbus, corporis temperamentum, & aër ambiens. Huic ergo quasi occurrens dicit hîc Gal. reuera etiam indicare curatiuè, quæ sunt relata, & adhuc alia, sed omnia reducuntur ad tria dicta, aut sub illis continentur: siquidem corporis temperies, ait, quæ illo tempore fuit, quo ægrotare æger cæpit, quæque ad inuenienda remedia est vtilis, ex natura ipsius corporis laborantis, ætate, consuetudineque, & ambiente aere ortum habet: similiter, & ambiens aër, qui nos circundat, si calidus, aut frigidus, &c. ita redditur, quod indicet curatiuè, id est corrigi debeat ad morbum curandum, talis quidem redditur propter tum regionem ipsam, tum anni tempus, tum cœli statum: non enim inquit, aër nos ambiens à se, vnus cum sit, calesit, ac refrigeratur, &c. sed ex dictis multis talis efficitur, sicuti neque corporis temperamentum à se solùm est nunc calidum, aut frigidum, &c. sed, vt dictum est propter ipsam ægrotantis naturam; vel propter ipsam totius corporis, atque humorum constitutionem, & propter ætatem, & consuetudinem laborantis, & denique propter ipsum aërem ambientem: nam reuera ab iis omnibus alteratur corporis cuiuslibet temperamentum, vti aër ambiens, ab anni tempore, cœli statu, atque regione: vnde ab iis tanquam causis generantur, conseruantur, aut mutantur, in dictas differentias, nempè in calidum, aut frigidum, humidum, &c.

Affectus verò aduertit Gal. & dicit, haud quanquam in causas diuidi est aptus, sed in differentias. Quasi dicat. Quamuis aër ambiens, & temperamentum corporis ægrotantis, diuidi possint, in calidum, frigidum, &c. penes causas, à quibus talia fiunt; & quamuis morbi calidi, aut frigidi, &c. suas habeant causas calefacientes, ac refrigerantes, & à quibus oriuntur; non ideò tamen affectus, siue morbus in causas, aut per causas diuiditur, sed proprias habet intra se differentias, in quas diuiditur: morbus enim siue consistat in partibus similaribus, siue in instrumentariis, plures habet differentias, in quas diuiditur; siquidem morbus consistens in similaribus, id est proprius partium similarium, nempè morbus in intemperie imprimis diuiditur in intemperiem simplicem, & compositam, & postea vtraque istarum in alias plures, sicuti morbus partium instrumentalium, diuiditur primùm in morbum malæ positionis, formationis, numeri, vel magnitudinis, & postea quilibet istorum in alias differentias. Quare quamuis plura sunt, quæ curationem indicant, omnia tamen ad tria dicta reuocantur, & pertinent, nempè ad morbum, qui curatur, ad naturam ægrotantis, quæ patitur, ad ambientem nos aërem; vel si mauis ad ambientem aërem, & ad duas, quæ in ægrotantibus reperiuntur corporis constitutiones, vnam, quæ dicitur naturalis, seu natura, & altera, quæ dicitur præter naturam, quæ sanè est ipse morbus, qui naturam offendit, ideóque auferri indicat. 229

TEXTVS.

TEXTVS.

Non poſſe autem plura eſſe genera indicationum, &c.

230 EXplicata pluralitate indicationum curatiuarum, aggreditur nunc oſtendendum ex natura rei quod indicationes omnes in vniuerſum, ſcilicet curatrices, & non curatrices, continentur ſub illis tribus generibus indicationum, & quod non poſſunt eſſe alia plura genera indicationum, id eſt quòd non poteſt aliquid indicare curatiuè, vel non curatiuè, quod ſub aliquo eorum non contineatur: duo ergo aggreditur hic oſtendendum, primum ſcilicet quod indicationum omnium alia genera, aut differentiæ non dantur quàm tria dicta, ſecundum quòd curatrices indicationes dependent ab illis tribus: ad primum ergo accedens ſic arguit. Morbus, & ſanitas ſunt corporis affectus, quorum ille ſe tollendum, hæc ſe indicat conſeruandam: ambiens verò eſt cauſa ſine qua neque tolli morbus, neque ſanitas tueri poteſt. Quaſi dicat. Morbus & ſanitas ſunt duo noſtri corporis affectus, quorum altero neceſſario afficitur; corpora enim animalium, dum viuunt, vel ſana ſunt, vel ægra, ſeu morboſa, vel morbo affecta: quare cum ſanitas ſit affectus corporis naturalis, & à quo rectè ſe habet, omneſque ſuas actiones rectè operatur; & morbus è contra actiones lædit præter naturam, corpuſque vitiat immoderatè; idcircò ſanitas affectus eſt, quæ ſui conſeruationem indicat, vel quod idem eſt, ſanitas affectus eſt, quem corpus cuſtodire indicat, vt ſic ſanum ſit, rectéque omnes ſuas exerceat operationes, & è contra morbus eſt affectus, qui indicat ſui ablationem, vel potiùs corpus indicat illius ablationem vt eo ablato ſanitate fruatur, atque ſine vlla noxa aut impedimento, ſuas omnes actiones obeat. Quum ergo ſanitas & morbus ſint tales noſtri corporis affectus, quod ſanitas ſui conſeruationem petat, & morbus ſui ablationem; cum etiam ſanitas ſimilibus conſeruetur, & morbus contrariis curetur: ſequitur conſequenter ſolùm poſſe indicare quæ ſanitatem conſtituunt, & conſeruant, nempè res naturales, non naturales, & præter naturam, vt conſtabit ex dicendis, vel ex dictis parum antea conſtat iam: Quare omnia indicationum genera erunt tria tantùm expoſita, neque aliquod dabitur indicans curatiuè, vel non curatiuè, quod ſub aliquo eorum non contineatur. Quòd verò res non naturales poſſint indicare patet in aëre ambiente, qui etſi ſit materia remedij, & cauſa ſine qua ſanitas & morbus non curantur, tamen indicat, vt videbimus in ſecunda cap. parte, non enim repugnat eſſe indicans & indicatum.

231 Nunc etiam ex natura rei ſiue ex natura curationis aggreditur Galenus oſtendendum, quod curatiuæ indicationes omnes ſumuntur ex tribus dictis, & non aliunde, neque ex aliis: Hæc ergo ſcientificè demonſtraturus ſupponit, quod curatio cuiuſque morbi perficitur ex tribus, potiſſimùm ſi benè habeantur; ſcilicet ex remedij ſpecie, debita eius quantitate, & denique eius congruo vſu, aut in tempore debito applicato, & benè quidem ſupponit, quia dicta tria ſunt præcipua, & in multis ſufficiunt, vt patet in febribus; febris enim, inquit, cum ſit calor præter naturam accenſus in toto corpore, refrigerationem humectationemque requirit, ita vt ſi ſola ſit ad refrigerandum, humectandumque omne medentis conſilium dirigatur: at verò cum id quod ægrotat alteramus, niſi conſtat, ait, quouſque ſit mutandum, vtique quando ſit ab alterando deſiſtendum, non intelligemus; quare in febribus v. g. non ſolùm ſcire debemus quod eſt refrigerandum, & humectandum, ſed etiam quantùm eſt refrigerandum: Iis autem duobus in febribus inuentis, & inde habita materia idonea ad tales ſcopos conſequendos, ad curationem earum non aliud deſideratur, niſi opportunum tempus, in quo talia frigida, & humida remedia adhibeantur, & quandiu debeant adhiberi: etſi enim membratim aliqui ſunt morbi particularium partium, qui ad ſui curationem poſtulant, non ſolùm certam remediorum ſpeciem, aut qualitatem, & debitam quantitatem, & tempus opportunum ad operandum, ſed & inſuper quomodo, & vbi ſit agendum efflagitant; hæ tamen febres, & alij multi morbi non poſtulant, vt benè curentur, ſed ſolùm tria tantùm dicta, nempè certam remedij ſpeciem, ſeu qualitatem, & certam talis remedij quantitatem, ac denique tempus debitum, ſeu opportunum ad operandum: quæ quidem tria vt ſtatim videbimus, indicantur à tribus antea ſuppoſitis, nempè à morbo, à natura ægrotantis, vel ab ambiente; imò & etiam quomodo, & vbi agendum: quare omnes curatiuæ indicationes comprehendentur ſub tribus generibus dictis.

232 Quod autem ſpecies remedij, & eius certa quantitas, atque tempus debitum ad remedium adminiſtrandum ſumantur ex dictis, ſcilicet morbo, natura ægrotantis, aut ab aëre ambiente, inductione ſic demonſtrat: inprimis quale debeat eſſe remedium docet ipſe morbus qui curatur, aut curandus aggreditur, vt patet in febribus; febres enim omnes, quia ſunt paſſiones omnes caloris natiui, ſiue mutationes illius in igneam naturam, vt ipſe Gal. ait 1. *aphor. comm.* 16. indicant remedia frigida & humectantia, quibus, tanquam contrariis corrigantur, ſicque ad naturale temperamentum redigantur: contraria enim contrariis curantur, & ſimilia ſimilibus conſeruantur; & proinde, quilibet morbus indicat ſpeciem remedij, nempè eius contrarium, quo corrigatur, aut auferatur, nam vt ſæpè dicit Gal. perit enim quidque in contrarium, & à contrario;

quantitas

quantitas verò remedij desumitur ex recessu morbi à statu naturali ægrotantis: quippè quantùm morbus magis vel minus recedit à statu naturali ægrotantis, tantò remedium maius, aut minus. vel magis, aut minus intensum esse debet v. g. febris sine calor & siccitas eius, si multum excedit mediocritatem temperamenti febricitantis indicabit frigida, & humida multum refrigerantia, & humectantia; si verò parum excedit, non nisi quæ parum refrigerant, atque humectant: qui quidem recessus, quia metitur à naturali temperamento laborantis. ideò dicitur quod quantitas remedij indicatur à natura ægrotantis, id est coindicatur, quatenùs ab ipsa metitur atque declaratur: denique tempus opportunum ad operandum, sine ad remedia applicanda in morbis pro eorum curatione ex quatuor eorum temporibus inquit Gal. desumuntur; quia reuera alia in principio eorum, sunt magis opportuna, alia in augmento potiùs, aut in statu, aut declinatione, vt experimur in praxi vt videre est expos. 1. de indicationibus agendo. Ex quibus patet quòd omnes curatiuæ indicationes, vt & non curatiuæ continentur sub tribus solùm generibus, & quod non possunt ad plura genera sese extendere.

TEXTVS.

Sanè ambiens si contrariam morbo temperiem habet, &c.

233 HÆc est secunda cap. pars, in qua Gal. demonstrat qua ratione aër nos ambiens indicat curatiuè; non enim videtur posse indicare, cùm sit materia remedij, aër enim ambiens, in morbo quocumque vel contrariam habet temperiem, vel similem, ait Gal. si contrariam morbo habet temperiem est materia iuuans, & vnus è numero remediorum: si verò aër similem morbo habet temperiem, nocet, quia auget ipsum morbum, & ita tunc est causa morbi. vel vnus è causis ægritudinalibus. Quare non videtur quod aër ambiens pro nunc indicet curatiuè; siquidem hìc non agimus de indicationibus præcautiuis, quæ desumuntur ex causis, sed solùm de curatiuis quæque ab ipsis tantùm morbis desumuntur, seclusis causis omnibus. Hæc ergo quamuis sic se habeant, ait Gal. & quamuis aër ambiens in morbis habeat rationem, modo materiæ sanantis, modo causæ morbum facientis, aut fouentis: quippè cum humectari, refrigerarique morbus postulat, si hæc præstat, sanantis materiæ rationem obtinet; sin calefaciat, & siccet, causis morbificis est annumerandus: quoniam tamen reliquas materias remediorum, aut causarum lædentium, possumus tum deligere, tum fugere; non autem eam quam ambiens præstat; imò necesse est præsenti cœli statu vti; idcirco huic quoque attenti esse cogimur, scilicet non minùs, atque ipsi morbo: & vbi cum medendi indicationibus consonat pro gratia est habendus; vbi aduersatur, inhibenda eius noxa est, scilicet reliquorum auxiliorum alteratione contraria.

234 Itaque aër nos ambiens, & cœli status in morbis causæ sunt, quæ nos alterare, atque immutare possunt, vti aliæ omnes res non naturales, & sicuti omnes aliæ causæ; & sic quidem aër ambiens, ac cœli status non indicant, sed indicantur ab ipsis morbis; at verò quatenùs causæ ineuitabiles sunt, & quæ velimus, aut nolimus, necessariò nos semper alterant, siue iuuent siue noceant, ideireò vt tales sunt, indicant quid agendum, vt ipsi morbi, quia se habent vt causa sine qua non, id est sunt tales, quod si aduersantur nobis, debent non minùs, quàm ipsi morbi corrigi, & ad statum salubrem mutari, vt morbus curetur, & sanitas conseruetur. Vnde si obijcias, quod materiæ remediorum non indicant, sed indicantur? Respondetur, quod materia remediorum est duplex, scilicet ineuitabilis vna, & alia quæ potest euitari: hæc quæ vitari potest est quæ non indicat, sed indicatur: Quæ verò est ineuitabilis. vti aër nos ambiens potest indicare & indicari; cum enim nobis aduersatur, aut morbum auget indicat sui correctionem, vt ipse morbus; cum verò nobis est conferens, & morbo aduersa indicatur, vti aliæ omnes vtiles materiæ remediorum: quare aër ambiens indicat curatiuè, vt morbus, & natura laborantis, in multis occasionibus, quamuis sit causa externa, & res, siue materia, quæ valet nos & morbos omnes immutare, atque curare, non minùs, quàm omnes aliæ materiæ remediorum.

TEXTVS.

Sedulo igitur agendum est, vt ambientem quoad fieri, &c.

DEmonstratum relinquimus in morbis aërem esse eligendum, qui morbo aduersetur: hoc supposito dicit nunc, quòd si in morbis aër ambiens morbo non contrariatur, sedulo talis à nobis arte debet parari, qualis morbus suadet. atque ideò si morbus v. g. febris est vehemens, domus est eligenda, aut arte paranda, quæ refrigeret, atque humectet, in qua febricitans degat toto tempore febricitationis: sic similiter si morbus è contra sit frigidus, & humidus, qui calefieri siccarique postulet, eligenda, vel præparanda domus est, quæ calefaciat, & exsiccet: etsi enim totum aërem attemperare non sit facile, saltim qui in domo ægrotantis continetur, & à quo inspirato, ac circumstante æger semper alteratur, temperari postulat; & ideò domus, inquit eligenda, vel paranda est qualem morbus suadeat: eligenda, inquam, ait, si ex se talis inueniatur domus, qualem morbus indicat, seu 235
requirit

requirit vt curetur, vel saltim mitescat, seu temperetur; præparanda verò cum à nobis talis molitur domus qualis esse requiritur ad morbum sedaudum: per æstatem igitur in febribus subterraneas domus & ad septentrionem versas eligimus inqoit, vt quæ tunc aërem continent frigidum, & humidum, quo febricitantes, & iooantur & maximè delectantur: si verò domus tales ex se non habeamos, tunc eos nos arte tales paramus, scilicet pauimenta earom assiduo humore, id est aqua frigida aspergentes, & flores ac germina, quæ refrigerent homectentque, per arcam, aut folium projcientes, tum vt ex euripo aliquo aura inspiret machinantes: Euripi ait lemos, sunt aëris vel aquæ ductores; & ideò hic euripus aëris ductum significat: aduertit etiam ne huiusmodi domus sint nouiter calce, aut gypso illotæ, quia tunc vehementer excalefaciunt ex Gal. *1. prorrhet.* 8. has etiam nos vitamus, quia tunc constipantem, atque malignam humiditatem exhalant, qua nostrum corpus moltum offenditur, nisi tales domus prius siccescant, atque in totum prauam illam auram, atque humiditatem amittant: per hyemem verò ait Gal. contraria molimur, præsertim si morbus suadet; nam si non suadet, excessus tantùm vtriusque temporis remittimus.

Annotationes & dubitationes super Textum.

236 Quod indicationes curatiuæ in vniuersum desumantur à morbo, à natura ægrotantis, & ab ambiente, vt modo dixit Galenus omnes ferè Mediei receperunt: quæ quidem licet sic se habeant; inde tamen aliqua pullulant dubia, quæ indigent expositione, atque decisione, vt quæ dicta sunt in textu magis intelligantur, ac veritas magis pateat. Principio igitur in prima eap. parte ait Galenus ægrotantis temperamentum oriri ex natura ipsius, ætate, consuetudine, & ambiente nos aëre; alibi verò solum à natura, ætate, & consuetudine. Et ita quidem videtur melius dici: nam aër ambiens ad consuetudinem videtur reducendos: siquidem vsus aëris qui nos ambit, & quem velimus, aut nolimus semper attrahimus, atque inspiramus, non minùs, quàm vsus alimentorum, seu victus rationis verbi gratia, sed magis potest temperamentum immutare, & assuetum facere: si enim aliquis temperamento exemp. gratiâ, frigido, & humido præditus in calido atque sicco aere versabitur, & illi diutius assuescat, non modo calidum, siccumque induet temperamentum, sed & assuescet illi, non minùs ac si ex consueta calida, ac sicca victus ratione mutetur, assuescatque tali temperamento calido & sicco. Sanè aër nos ambiens consuetus valet, si quid aliud nostram naturam immutare, & sic potest haud dubio ad consuetudinem reduci; tamen non ideò nunc malè Gal. affert illum distinctum à consuetudine inter causas temperamentum nostrum alterantes, & mutantes; qoia re vera aer ambiens, non solùm si per multum tempus assuescat, vt ad consuetudinem causandam requiritur, valet temperamentum immutare; sed etiamsi multum non duret, scilicet si multum sit intemperatus, vt in æstate, aut hyeme esse solet: quare ad hoc demonstrandum Gal. in Textu dixit non solùm consuetudinem, sed & aërem ambientem mutare temperamentum.

237 In eadem etiam capit. parte dicit Galenus quod morbus non diuiditur per causas vt indicet curatiuè, sed per plures differentias quas habet. Quod etiam videtur infirmum: nam licet morbus habeat plures proprias differentias, seu species, in quas diuiditur, & quarum singulæ indicant curatiuè: hæc tamen non tollunt, neque impediunt, quod morbus etiam habeat causas, in quas curationis gratia diuidatur, cum earum ratione etiam morbi varietur curatio: nam reuera multæ sunt causæ morborum, quæ vt ipsæ morbus indicant sui ablationem per contraria; & ideò Hippocrates 2. *aph.* 22. scripsit, quos morbos parit repletio, curat euacuatio, & aliorum contrarietas. Quare causæ morborum, vt ipsi morbi indicant curatiuè, & earum vnaquælibet diuersam facit curationem. Respondetur esse verum, quod non tantùm morbi, & morborum propriæ differentiæ, seu species, verùm etiam plures morborum causæ præsertim internæ indicant curatiuè, & immutant curationem, & proinde indicatio comprehendit quoque sub se indicationes desumptas à morborum causis, vt constat ex materia de indicationibus & infrà latè videbimus: hæc tamen quanquam sic se habeant; benè etiam in Textu dicit Galenus quod morbus vt benè curetur, non per causas, sed per proprias differentias est diuidendus: nam in primis, morbus ex se, & sine vlla dependentia, aut differentia à causis desumpta, habet plures proprias differentias, in quas diuiditur, & quarum ratione variatur curatio; tot enim sont medendi rationes, ait Galenus *sup. lib. 2. cap. 7.* quot fuerint morborum ideæ, seu differentiæ, seu species. Quare vt benè curetur morbus imprimis distingui debet per tales differentias, & iis inuentis differentiis, si causæ sint, ad causas explicandas est accedendum: vnde Galenus hìc indicationem à causa desumptam non dimittit, sed quod dicit est, morbus vt benè curetur non est per causas diuidendus, sed per proprias differentias, ad quas sequuntur causæ, vel sub ipsis continentur; siquidem ex morbis alij sunt materiales, & alij sine materia; materiales enim esse dicuntur, qui pendent à materia, siue humoribus præter naturam, qui sunt causæ, & indicant curatiuè, & sui ablationem per contraria, vt morbi ipsi.

238 Tertiò dicit etiam in eadem prima capit. parte quod febris est intemperies, quæ in calore, scilicet præter naturam adaucto consistit, ideóque omnis febris, qua febris est, humectatio refrigeratioque remedia sunt. Quare neque hoc videtur ita benè stare, maximè, quia supra est statutum, quod vnum est, vnum tantùm indicate; & ita si febris solùm in calore consistit, solùm refrigeratio, & non humectatio erit ei remedium. Respondetur tamen facilè, & verè quod febris, vt dicit Galenus quamuis in solo calore consistat, indicat refrigerationem simul & humectationem ad sui curationem, quia scilicet consistit in calore præter naturam, siue in calore multùm adaucto; qui quidem calor, licet solus sit, & vnica entitas indicat dicta duo pro sui curatione, & correctione læsionis corporis: nam calor vehemens, aut intensus, aut præter naturam auctus, qualis febris est, quamuis solùm sit calor, non solùm corpus calefacit præter naturam, sed simul etiam exsiccat, scilicet resoluendo partes humidas dicti corporis: etsi enim calor naturalis vtpote temperatus, & medius inter calorem excedentem, & frigiditatem, non resoluit dictas substantias humidas, sed calfacit tantùm, & ideò calida in primo ait Galenus *5. simpl.* propè finem, calfaciunt quidem sed non sensibiliter: calor tamen febrilis, vtpote intemperatus, & calorem natiuum, ac primi gradus excedens, non solùm calfacit præter naturam, sed exsiccat; nam calor secundi gradus distinguitur à primo, ac naturali, quia non solùm calefacit subiectum, sed attenuat eius partes humidas, & modicè resoluit: vnde calor in tertio, qualis est febris ardentis sitim excitat inexhaustam, siue quæ potu non extinguitur, quia vehementer resoluit, exsiccatque atque consumit, omnes corporis partes humidas.

239 Tandem dubitatur hîc an ab aëre ambiente sumatur indicatio curatiua in morbis, vt Galenus docet, & statuit in hoc cap. & potissimùm in 2. eius parte: videtur enim quòd non; quia scilicet rationes, quas affert Gal. ad id probandum non concludunt: prima enim ratio, qua Galenus ostendit aërem indicare curatiuè est, quia morbus sine illo nequit curari, neque sanitas conseruari. At hæc ratio non conuincit, quia morbi instrumentales, vel quia ad partes spectant organicas, possunt optimè sanari sine aëris auxilio, & quouis tempore; nam siue aër sit calidus, siue frigidus nunquam se habet ex parte alicuius morbi organici, neque impedit eius curationem, quare respectu horum aër non se habet, vt causa sine qua non. Neque videtur posse esse quod de aëre ambiente statuit Galenus in morbis partium similarium: dicit enim, quod si corpus, aut morbus indigeat refrigeratione, aut humectatione, & ita se habeat aër, pro gratia est habendus; hoc autem videtur pugnare cum illis, quæ dixit *lib. sup. cap. 9.* iis ferè morbis: ponamus febricitate duos homines educatos in regione temperata; nunc in ea non esse; sed alterum in frigida, & humida, & in hyeme esse frigida, & humida, esseque illum calidum & siccum, similibus assuetum, & in ætate iuuenili: alterum è contra temperamento frigidum & humidum, similibus assuetum in regione esse, & anni tempore calidis, & siccis, vt in æstate: in iis, inquit, vna est communis indicatio, quæ sumitur à febre, reliqua verò sunt diuersa; & quæ sumuntur à tempore, atque regione, id est ab ambiente indicant contraria: quia à regione, cœli statu, & anni tempore, si intemperata sint, indicatur contrarium; & consequenter in primo febricitante natura sua calido & sicco, tum etiam consuetudine, & ætate iuuenili ampliùs talis redditus, regio frigida, & humida, & anni tempus hyemale, siue aër ambiens per excessum frigidus, & humidus, non erunt pro gratia habenda, sed pro contrario potiùs, cum contraria indicent sibi, nempè calida & sicca, quibus sine dubio tum febris, tum & natura febricitantis magis exacerbantur. Similiter in secundo febricitante natura sua, atque ex consuetudine frigido, & humido, regio calida & sicca, & simile anni tempus, siue aër ambiens æstatis calidus & siccus, non poterunt nocere febri, neque iuuare talem naturam frigidam, ac humidam, cum non similia, sed contrarium sibi indicent aut petant.

Sed iis objectionibus non obstantibus, 240 certum est; quod aër ambiens indicat curatiuè in morborum curatione, vt docet Galenus in præsenti contextu; quare respondeamus, aut diluamus ea, quæ in contrarium sunt proposita. Ad primum ergo argumentum diluendum accedentes, duo dicimus, primum est, quod etsi morbi partium organicarum possint sanari sine aëris auxilio, & quouis temperamento constet; non ideò alij morbi benè curantur, aut curari possunt, si aër eis sit aduersus. Quare saltim respectu istorum morborum, qui sunt quàm plurimi, & frequentiores, multò quàm illi aër ambiens est causa sine qua non, & indicat curatiuè. Secundò dicimus, etiam morbos instrumentorum indigere aëris temperamento, posseque ex vno lædi, & iuuari ex alio, vt non solùm in curatione vulnerum partium organicarum experimur, sed & in curatione phlegmonis, aut erysipelatis earum, in vulneribus enim quæcumque sint, siue partium similarium, siue organicarum, aër ambiens debet esse in calore temperatus, & modicè exsiccans, nocetque si fiat supra modum frigidus, vel frigidus simul, ac humidus: in phlegmonibus etiam atque erysipelatibus nocet ambiens calidum, quamuis sint mobi partium organicarum, non tamen qua morbi organici sunt indicant ambiens. Ad 2. dicimus breuiter loca Galen. si benè intelligantur,

intelligantur, nullam inuoluere contradictionem: res enim longè diuersa est, quod aër ambiens, cum est intemperatus, vt esse solet in æstate, atque hyeme, indicet sui curationem, aut reductionem, ad magis temperatum, per vsum aliquem suorum contrariorum; & quod ipse aër ambiens cum est contrarius morbo sit pro gratia habendus, & talis conseruandus quousque morbus curetur: non enim repugnat, sed benè compatitur, quod aër ambiens frigidus & humidus per excessum sit pro gratia habendus ad curandam febrem ardentem, aut aliam similem, atque ideo tunc conseruandus ad talem febrem sanandam; & postea cum febri non conducat, vel alij morbo mutetur in magis temperatum, aut corrigatur adhibitis calidis atque siccis quæ talem aërem possunt alterare: docet enim Galenus loco illo contrarias esse indicationes desumptas ab aëre in illis duobus febricitantibus indicationibus, quæ sumuntur à febre, sed non ideò dicit in talibus febribus aërem contrarium febri esse corrigendum, aut mutandum, ad talem febrem curandam; sed potiùs dicit, ac docet, vt nunc esse conseruandum, & pro gratia habendum; cum febris sit dignitate prior, & ideò priùs omnium dicit esse curandam. Vbi indicationes, inquit, à rebus naturalibus, ac non naturalibus, qualis est aër ambiens, aduersantur febri, aut alij morbo, tunc medicus aduertere debet, quæ sint plures, aut digniores, ut eis primò succurrat: & ideò quia febris in tali casu aliis omnibus est dignior, etsi vna sola sit, priùs, quàm aliæ est curanda.



CAPVT XV.

Quod tria indicationum genera posita cap. sup. *ad duo, & ad vnum tantùm genus reduci possunt, docet.*

241 

VIA *sup. cap.* dicit Galenus esse tria genera indicationum, vel indicationes omnes desumi à tribus rebus genere diuersis, nempè à morbo, à corporis temperamento & aëre ambiente: nunc demonstrat posse etiam tales indicationes à duabus solùm rebus genere diuersis, aut ab vna duntaxat desumi. Cum enim rerum diuisio, atque diuersitas, non sit vna, sed multiplex; hinc fit facilè quod pro diuersa sectione, vt ait Galenus vel pro diuersa rerum distinctione, ac partitione, curatoriæ indicationes sint paucæ, vel multæ, & ad tria, vel ad duo, vel ad vnum genus reducantur. Tria autem sunt quæ Galenus agit in præsenti; nam 1. demonstrat, qua ratione dicta tria genera indicationum possint ad duo tantùm reduci, deinde dicit quomodo ad vnum solùm genus reducantur, & tandem ostendit ex quibus signis cognoscatur natura, atque temperamentum cuiusque ægrotantis: quare caput secatur in tres diuersas partes.

TEXTVS.

Quare rursus ad has disputationem reuocemus, doceamusque, &c.

DEmonstraturus Galenus in hac 1. capit. 242
parte, quod tria indicationum genera, capit. superiori tradita possint ad duo tantùm reduci, supponit pro diuersa distinctione indicationum, & rerum ipsarum indicantium, posse multiplicari, aut minui earum genera, aut numerum: scribit ergo sic. *Quare rursus ad disputationem reuocemus, doceamusque quemadmodum paucæ, & multa pro diuersa sectione curatoria indicationes sint*, &c. Quasi dicat capit. superiori est demonstratum, qua ratione omnes indicationes curatiuæ, possunt reduci in pauca capita, nempè in tres tantùm differentias; hoc autem etsi ita benè actum, atque constitutum sit, nunc tamen sciendum est posse indicationes tales in plures aut pauciores differentias diuidi pro diuersa earum sectione, aut diuisione: quare in præsenti capit. doceamus præstat, quomodo tales curatrices indicationes, & paucæ, & multæ esse possint, id est pauciores, aut plures, quam tres assignatæ fieri possint. Hæc verò vt demonstret, supponit etiam ex Logica, quod res per methodum diuisiuam multiplicantur, & per resolutiuam ad vnum tandem vniuersale reducuntur: vt enim genera omnia, & res omnes vniuersales ex vi methodi diuisiuæ per proprias differentias, aut species interiectas in plures diuiduntur vsque ad infimas, & quæ amplius diuidi nequeunt; ita pariter per resolutiuam methodum res particulares in proprias immediatasque causas refusæ in vnam tandem vniuersalem veniunt vltra quam non est alia: resolutio siquidem, vt ait Aristoteles 3. *ethic.* 3. nihil est aliud, quàm causarum, ex causis continuata persecutio vsque ad altissimam, & primum principium rei, quæ resoluitur, vltra quod non datur aliud à quo pendeat. Sine in quod resoluatur. Iis ergo suppositis,

Quod tria genera curatiuarum indi- 243
cationum

cationum in plures differentias possint diuidi ex eo est omnibus manifestum, quòd non solùm talia genera, & quodlibet eorum habet sub se plures differentias, in quas diuidatur; verum etiam, quia singula eorum possunt pluries diuidi in diuersa membra, aut differentias, donec sic ad insectile, seu indiuisibile veniatur; vt manifesto videmus in ipso morbo: morbus enim imprimis diuiditur in morbos proprios partium similarium, proprios partium organicarum, & communes vtrisque; & rursus vnusquisque istorum subdiuiditur, & quidem pluries donec sic ad insectile, siue ad vltimas differentias perueniatur: quæ, quia ita omnibus sunt manifesta, iis relictis pro nunc, transit statim Galenus ad demonstrandum, qua ratione tria dicta genera indicationum fieri possint pauciora; sic scilicet, vt capita aut genera, eorum quæ curationem indicant duo solùm sint, aut vnum tantùm: à priori ergo exorsus sic habet. Iam primas quoque illas tres, quas memorauimus fieri potest vt redigas ad pauciores, sic vt duo eorum, quę curationem indicent, omninò capita sint, nempè præsens affectus, quem morbum nominamus, & qui priùs fuit, quem sanitatem, & naturalem habitum diximus. Neque enim aliud est ipsa sanatio, quam præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio: cum autem contrarij ij affectus sint, necesse est per contraria fiat eorum alterorum in alterum translatio: atque ita rursus vna sola erit curationum maximè generalis indicatio, nempè contrarietas.

244 Quasi dicat Galenus qui omnes curatiuas indicationes ad duo tantùm genera, vel ad vnum solùm velit reducere, sic ex natura rei philosophari poterit. Duo sunt omninò capita, aut duæ sunt tantùm res diuersæ in nostris corporibus, quæ curationem indicent, nempè morbus, & sanitas; corpus enim viuens necessariò sanum est, vel morbo affectum: quare curatiuæ indicationes ad summum ex dictis duobus corporis affectibus sumi poterunt. Et dixi ad summum, quia sanitas vt supra est traditum, per se non indicat curatiuè, sed ex aliquo accidenti: quare iuxta istos affectus indicationum duo genera esse tantùm poterunt; & præsertim si loquamur de indicationibus curatiuis, vt loquimur nunc. Quod autem dicti duo affectus nostri corporis, nempè sanitas; & morbus indicent curatiuè, & per consequens sint duo capita eorum quæ curationem indicent; ex eo ostenditur, quia nihil aliud est ipsa sanatio; quàm præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio, scilicet per contraria; nam contraria contrariis mutantur, atque curantur, vt commune dicit axioma: quare siue sanitas ipsa in se, vel habitus, seu affectus sanitatis sit vitiosus, vt solet esse sanitas biliosorum corporum, aut pituitosorum, aut aliorum intemperatorum, siue sanitas ex se bona existens sit morbo affecta, aut corpus laboret morbo; necesse erit, quod per contraria indicata atque administrata tales vitiosi in corpore affectus mutentur in naturalem, atque perfectum statum, & habitum: & proinde in talibus casibus non solùm morbus; sed sanitas ipsa indicat curatiuè, nempè sui mutationem per contraria, vt ipse morbus.

Habemus iam, qua ratione possunt tria genera indicationum curatiuarum ad duo reduci: quare, & quod hæc duo possint etiam ad vnum solùm reuocari docet hoc modo. Sanatio est mutatio præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum: ergo cum hæc mutatio per contraria fiat, aut fieri debeat; sequitur inde, quòd quamuis sanitas, & morbus, sint duo affectus distincti, & inter se contrarij, qui indicant curatiuè, vt est expositum; tamen per contraria fiat, tum alterius eorum in alterum translatio, tum etiam vtriusque vitiosi, in corpore affectus in naturalem habitum mutatio: atque ita rursus vna sola erit curationum maximè generalis indicatio, siue indicandi ratio, nempè contrarietas. 245
Posito enim illo communissimo omnium principio; quod contraria contrariis curantur; sequitur consequenter, quòd per contraria remedia fit omnium morborum curatio, & similiter quod omnis mutatio à statu præter naturam, ad naturalem fit per contrarium, & non aliter, quia status naturalis, & præter naturam sunt contrarij; & per consequens vnus eorum in alterum mutari nequit, nisi per suum contrarium; iis inquam suppositis, inde sequitur necessariò, quòd quidquid præter naturam est, indicat sui contrarium, & non ampliùs: nam quod præter naturam est, est vitiosum, & quod tale est postulat mutari ad statum contrarium, & non aliud; siquidem mutatio à statu præter naturam ad naturalem habitum fit solùm per contraria, vt est dictum atque demonstratum: quare omnis curatio fit per contraria, & à primò ad vltimum omnes curatiuæ indicationes tandem ad vnum tantùm genus reducuntur, nempè ad contrarietatem.

TEXTVS.

Ergo hinc rursus sumpto initio age particulares, &c.

HÆc est 2. cap. pars; in qua ostendere aggreditur, qua recta ratione particulares indicationes in morborum curatione exquirantur, & haberi possint, etiamsi omnes ad vnum genus tantùm dictum reuocantur, scilicet ad contrarietatem: scribit ergo in hunc modum. Quoniam id quod ægrotat, ei quod valet est contrarium; vtique per contraria est ab illo in hoc via, at quomodo, inquies, 246

ſiquies, in contrariis inuenietur modus, &c. Quaſi dicat Gal. Quamuis omnes curatiuæ indicationes ad vnum tantùm genus redigantur, ſcilicet ad contrarietatem, & ſic quidem atque inde, non ſolùm vniuerſales indicationes, ſed & particulares exquiruntur benè, atque habentur, in qualibet particulari morborum curatione, ſcilicet ſi iuxta debitam methodum inquirantur, quæ talis eſt vt ſequitur. Quoniam id quod ægrotat, ei quod valet eſt contrarium, vtique per contraria eſt ab illo in hoc via, vt partim anteà abunde eſt monſtratum: vnde hoc ſuppoſito; at quomodo in contrariis inuenietur modus? Si enim vnum contrarium agit in aliud, quamuis conſtet, quod id quod ægrotat eſt contrarium ei quod valet, & quod per contraria debet mutari à ſtatu illo ægro, ſeu morboſo, ad valentem, ſeu naturalem; non tamen ſic conſtat curatio, neque debitus modus applicationis contrariorum; non enim ſatis eſt v. g. calido affectui admouiſſe frigida, niſi in debita fiat menſura, quia non quodlibet ſequitur ex quolibet, ſed determinatum, ex determinato, vt communiter dicitur: quare non ſufficit, quod ad curandum affectum calidum v. g. frigida applicemus vtcumque, ſed in debita menſura, ſeu quantitate, vel modo: cum alioquin methodus ſit, ſi intra modum id fiat, id eſt ſi in pauca quantitate applicetur, quod morbi quidpiam relinquatur incuratum; ſi verò modum excedas, id eſt menſuram, quod contrarium genus morbi inducas: qui enim ſupra quàm par eſt calidum morbum refrigerat, iis ſanitatis tranſmiſſa mediocritate alium excitabit morbum ſcilicet frigidum; & priori contrarium; & ratio eſt, quia curatio ſit per contraria æqualia: id eſt cuiuſque morbi curatio debet fieri per ea contraria, quæ ſibi ſint æqualia, & non maiora neque minora, ſed per ſibi paria, quo magis eſſe poſſint.

TEXTVS.

Quod quominùs accidat naturam curandi corporis ſcias, &c.

247 CVm ab benè curandum neceſſariò, ſcire debeamus quantitatem remedij, & debitam menſuram eius; cumque in contrariis debitus neceſſariò debeat exquiri, atque adinueniri modus, ne mala ſuppoſita, vel alia ſimilia ſequantur: idcircò nunc quærit Galenus atque explicat, vnde, ſiue à quo, talis quantitas remedij indicatur; vel vt rectius loquamur, vnde ſiue à quo explicatur, & certò demonſtratur? nam certum eſt, quod quantitas cuiuſque remedij ſumitur à quantitate ipſius morbi, taliter quod, ſi morbus magnus eſt, remedium magnum indicat, ſi paruus paruum, & ſi extremus extremum, vt 1. *aphor. ſent. 6.* ſupponit Hippocrates tanquam per ſe nota, atque omninò certa: cum igitur hæc ſic ſe habeant, ex vnâ parte, & ex alia morbus omnis ſit receſſus à ſtatu naturali corporis viuentis ad præter naturam: ex iis colligit benè Galenus quod quantitas cuiuſque remedij, tanta, ac talis eſſe debebit, quantus erit dictus morbi receſſus à ſtatu naturali corporis ægrotantis: atque ideò ad definiendam, ſiue inueniendam propriam remedij cuiuſque quantitatem neceſſariò cognoſcere debebit medicus, ait Galenus, naturam curandi corporis, ſiue ægrotantis; non enim fieri poteſt, vt quantùm à ſe inuicem diſtent inuenias, id eſt, quantùm diſtet morbus à ſtatu naturali, ſiue à natura corporis curandi; niſi compertum habeas quantum erat corpus, aut humidum aut frigidum, aut calidum, aut ſiccum cum valebat, quantùm ex iis exceſſerit poſtquàm ægrotauit. Sic autem cognito, quantùm morbus diſcedat, aut lapſus ſit à ſymmetria, ſeu propria natura, ac temperie corporis laborantis, metitur quantitas contrarij præſidij curantis, ſiue quantum imponi debeat remedium ad morbum curandum, quare ad quantitatem remedij curantis inueniendum & natura curandi corporis cognoſcenda erit, videndumque an plurimum à naturali habitu receſſerit, ſcilicet propter ipſum morbum an non: quippè quod plurimùm à naturali habitu receſſit, id vehementibus eget contrariis, quod non plurimùm, ſed parum leuibus. Sanè plurimùm receſſit frigidus morbus à corpore natura calido, vti è contra calidus à frigido: minus receſſit tum calidum à calido, tum frigidum à frigido: quare ex vtriſque indicatio curationis præſtatur, id eſt ex ſpecie morbi, & ex natura ægri, atque ex receſſu vtriuſque.

TEXTVS.

Verùm cum materiæ reliquorum præſidiorum omnium electio in noſtra, &c.

HIc repetit breuiter Galenus quod diffusè ſuperiori cap. dixerat, ſcilicet cur potiùs ab aëre ambiente ſumatur in morborum curatione indicatio curatrix, quàm ab aliqua remediorum materia; quia ergo inter aërem, & alias materias, reliquorum præſidiorum omnium, inquit, hoc vnum & maximum reperitur diſcrimen, nempè quod aliæ materiæ ſunt in noſtra electione, id eſt poſſumus eis vti, & non vti, & poſſumus hanc vel illam aſſumere, & iſtam atque aliam vitare; in morborum cura- 248

tione ; aër autem nos ambiens è contra est semper ineuitabilis, neque vllo modo possumus aërem fugere, aut vitare ; idcircò potiùs ab aëre, eiusque natura, seu temperamento propriam desumimus indicationem, quàm ab alio aliquo curatiuo remedio. Sed quia supra abundè de hac re actum est, ideò hìc alia dicere supersedimus : solùm aduertere placet doctrinam Galeni huc vsque in hoc cap. traditam, quamuis à prima facie iudicemus alteram ab exposita *capit. sup.* re tamen esse eandem ; cum hìc quamuis alio medio ; non minus quàm *cap. sup.* doceat atque concludat, quod omnes curatrices indicationes in morborum curatione sumuntur, atque indicantur, non solùm à morbo, sed ab illo quidem simul cum temperamento corporis curandi, aut ægrotantis, atque ab ambiente nos aëre.

TEXTVS.

Cæterum quoniam nosci ad vnguem oportet corporum temperamenta, &c.

249 HÆc est 3. *cap.* pars, in qua Galenus demonstrat qua ratione cognoscitur temperamentum cuiusque corporis ægrotantis: cum enim, ait, expediat quàm maximè ad morbos benè curandos, & ad quantitatem remediorum metiendam, cognoscere ad vnguem corporum ægrotantium temperamenta, vt parum antea est demonstratum : idcircò nunc tentandum est tale temperamentum inuenire, & quidem non vtcumque, sed ad vnguem, seu exactissimè quantùm magis fieri possit, & quantùm magis possit indiuiduari, vt sic pariter remediorum debita, certaque quantitas inueniatur, ac inuenta præscribatur iusta, secundum exigentiam morbi, & eius magnitudinis, vel paruitatis. Itaque nunc intentum est signa tradere, ex quibus temperamentum corporis ægrotantis ad vnguem cognoscatur ; quale scilicet erat illo tempore quo ægrotare cœpit : hoc enim expedit cognoscere ad inueniendam remediorum debitam quantitatem, vt superiori cap. statim in principio dixit, & notauit ipse Gal. Quasi diceret : corporis temperamentum in ægrotantibus, vt in sanis potest esse commune, & particulare, & potest natiuum, vel adscititium existere ; id est potest cum ægrotare incipit esse aliud quàm erat anteà ; & ita ad benè curandum, & ad certam remediorum quantitatem definiendam, ac præscribendam, in morborum curationibus, non solùm commune corporum ægrotantium temperamentum est cognoscendum, neque solùm quale fuit ex sua natura, sed simul etiam quale est de facto nunc, cum ægrotare incipit, siue hoc particulare temperamentum sit natiuum, ac proprium ex sua natura sine non, sed potiùs acquisitum : nam hoc est à quo metitur lapsus morbi, seu recessus à statu naturali, & consequenter à quo sumitur debita quantitas remedij : etsi enim de rebus sic particularibus difficile sit differere, ac scientiam quærere, tamen ad benè curandum, & quæ communia sunt, & dicta particularia sunt scientificè inquirenda, & inuenienda quantùm per humanam fragilitatem licet.

Cum igitur ad benè curandum sit necessarium cognoscere particulare temperamentum 250 cuiusque laborantis, idcircò tum notas temperamentorum quæ traditæ sunt 2. *de temp.* scire debemus, ait Gal. atque ex illis scire an temperamentum ægrotantis fuerit calidum, vel frigidum, &c. tum etiam ex ætate, ex anteactâ vitâ, ex anni tempore, & cœli statu : etsi enim ex notis, quæ loco citato sunt traditæ, possit medicus cognoscere, an æger fuerit calidus, vel frigidus, &c. ex eis tamen solis nequit distinguere, an cum ægrotat æger, aut ægrotare cœpit, sit actu talis, qualem fuisse docent dictæ notæ : quare vt hoc sciamus, ait Gal. primum quidem ex 2. *de temp. lib.* inuenire debemus quo temperamento ægrotus ex sua natura præditus fuerit, an scilicet calido, an frigido, &c. deinde, & vltra hæc, ætatem ipsius ægrotantis, & eius ante actam vitam, &c. attendere debemus vt magis scientifica notitia sit : si enim æger gracilis sit, & hirsutus, & propensus ad iram, & tangenti calidus, & biliosus ; ex iis quidem clarè colligitur quod talis æger est natura calidus & siccus ; hæc tamen quamuis certa sint, atque scientifica ; non tamen certò dicunt, nunc quoque cum ægrotare cœpit habere eundem planè affectum ; sed fieri potest, quod talis ægrotus in desidia vixerit, & ita vsus sit frigidis, ac humidis potione, & cibis, atque somno longiori, præterea in regione, ætate, ac anni tempore frigidis, & humidis, ex quibus ad præsens potiùs sit frigidus, & humidus. Quare ad præsens temperamentum cognoscendum, si aliquid deficit habitis signis generalibus, id quidem ex ætate ægrotantis, ex eius anteactâ vitâ, quæ nimirum in victus ratione, atque exercitio consistit, ex anni tempore, statu cœli, ac regione suppletur, atque certò inuenitur, & ex illo inuento recta administrandorum indicatio suppeditatur : nam non solùm in casu proposito est vera doctrina tradita, sed in contrario & quolibet alio.

Satis clarè atque scientificè, videtur demonstrare nunc Gal. quomodo medicus inuenire possit particularem naturam ægrotantis ; quia tamen, quæ maximè ad artem pertinent dicere & repetere est consentaneum ; proinde placet breuiter hìc quoque repetere, quæ de re proposita diximus ex Galeno *lib. sup.* explicantes *capit. 1. de art. curat. ad Glauc.* In fine siquidem dicti capitis sic habet : si quis probè distinxerit, primùm ætatum, & temperaturarum differentias, aliaque id genus quæ homini insunt, vt color, calor, corporis habitudo ; arteriarum motus, consuetudo, studia 251

ſtudia & animi mores, & quæ ad regiones pertinent, & anni tempora, & alias aëris cõſtitutiones,& maris ac fœminæ diſcrimen, ad propriam ægrotantis naturam propè accedet. Quaſi dicat vt nunc: Quamvis Medicus ex ſolis notis temperamentorum, quamvis multæ ſint, non poſſit cognoſcere propriam, ſeu particularem naturam, aut temperaturam alicuius: ſi tamen eis adjungat differentias ætatum, & maris ac fœminæ, atque alias, quæ ex conſuetudine oriuntur, ex vitæ ſtudio, ex anni temporibus, regionibus, atque ex aëris nos ambientis conſtitutionibus; ſic quidem ad propriam ægrotantis naturam cognoſcendam accedet. Vt enim, quæ homini inſunt naturaliter ſcilicet color, calor, corporis habitudo, & arteriarum motus denotant, atque demonſtrant temperamentum eius, & quidem ſatis diſtinctum, ſi dicta quatuor in eandem conſpirant naturam, ita quidem ſi diſcrepant, ex aliis dictis, & eorum ſingularibus differentiis ſuppletur defectus, aut diſcrepantia dicta, & liquidò oſtenditur propria natura cuiuſque individui.

252 Quòd autem ex dictis ſignis poſſit Medicus non ſolùm communem hominis naturam invenire, verùm etiam propriam vniuſcuiuſque, conſtabit manifeſtè, ſi ſupponamus ſignificationes eorum, & ſingulorum proprias naturas ſciamus; quare ſupponere debemus, atque ſcire ex Hipp. 1. *de humor. ſent.* 1. quòd talis eſt calor apparens in nobis, qualis eſt humor redundans in corpore, niſi refluat, id eſt, niſi humor violenter intro recurrat, vt in timore ſolet recurrere, vel è contra foras petat vehementer, vt in gaudio immoderato, in ſcandeſcentia nimia, atque in exercitio nimio accidit: ſi enim ab iis cauſis, aut ſimilibus color cutis noſtri corporis non turbatur, aut mutatur, ſine dubio corporis temperaturam ſignificat, & humorum redundantiam; color ſcilicet roſeus, ſeu rubicundus ſanguinem, rufus aut flavus bilem, albus pituitam, & niger ſuccum melancholicum: calor etiam eandem illuſtrat naturam; ſiquidem mitis eſt ad tactum, naturam eſſe temperatam ſignificat, niſi, vt de colore eſt dictum, intro refluat præter naturam; qui verò actis eſt bilioſam eſſe naturam ſignificat: denique qui calor multus, aut intenſus ſentitur ad tactum ſine acrimonia, aut cum miteſcentia, vt in pueris ſignificat naturam calidam & humidam: corporis etiam habitudo carnoſa ſignificat eandem calidam, atque humidam hominis naturam; pinguis verò, ſeu adipoſa frigidam & humidam; extenuata aridam, ſeu ſiccam, vel ſanguinis, ac carnis defectum; quadrata denique habitudo corporis temperatam ſignificat hominis naturam; his adde quòd hirſuties eſt nota temperamenti calidi & ſicci, & glabrities, frigidi, ac humidi: vnde ſi habitus corporis ſit hirſutus, id eſt, multis pilis abundans, pariter corpus erit calidum & ſiccum; ſi verò habitus ſit glabrus, & pilis carens, è contra erit corpus frigidum, & humidum: poſtremò arteriarum motus cordis & arteriarum ſunt notæ; ſed quia cor ſuum temperamentum tranſmittit ad alias omnes corporis partes, vnà cum ſanguine arteriali, & ſpiritibus vitalibus, idcirco & pulſus ſignificant temperamentum totius corporis, pulſus ſcilicet magnus, celer & frequens temperamentum calidum, contrarius frigidum, & medius temperatum. Quare ſi hæ notæ quatuor omnes corpori inſint in eandem naturam conſpirantes, ſic quidem, vt dictum eſt non tantùm temperamentum hominis in communi cognoſcitur, ſed & cuiuſque particulare, ſeu actuale temperamentum vniuſcuiuſque hominis, quia ferè omnes dictæ notæ ſignificant temperamentum præſens, nempe notæ, quæ ex colore deſumuntur, ex calore, atque ex pulſibus, & aliqua ex corporis habitu.

Quòd ſi dictæ notæ, quæ corpori inſunt, inter ſe diſcrepant, tunc eis aliæ ſunt addendæ, quæ ſumuntur ex ætate laborantis, vitæ ſtudio, conſuetudine, anni temporibus, &c. & ex omnibus videre debemus, quæ ſunt potiores ad ſignificandum præſentem corporis ſtatum, vel temperamentum; ætates ſiquidem & conſuetudines, atque ſtudia vitæ multum poſſunt ad præſens temperamentum ſignificandum: nam v.g. pueritia in quolibet corpore, & in quolibet temperamento, anni tempore, &c. eſt actu calida & humida, ſicuti ſenectus, è contra frigida, ac ſicca, ætas florens media; ſic ſimiliter conſuetudines, & vitæ ſtudia: nam ex longo otio, atque victu humido largo corpus actu evadit humidum, è contra ſiccum ex laboribus continuatis, victuque ſicco, aut pauco: pariter vitæ genus, ſive ſtudium, ſive ars, quam quiſque exercet, qualis eſt, talem etiam corporis temperaturam reddit, v. g. ars ferraria calidam & ſiccam, ſic denique maſculi calidiores ſunt quam fœminæ, etſi non ſemper; ſicut neque anni tempora, neque regiones; ſed hyems poteſt eſſe calida, & æſtas frigida, & idem de regionibus, quamvis ferè ſemper è contra ſe habeant. Quare in quibus plura ex dictis ſignis, atque ſignificationibus temperamenti particularis, in vnam conſpirant temperiem, in illis tale eſt actu temperamentum, & quale, ac quantum hoc fuerit tale, ac tantum debet eſſe contrarium remedium. 253

QVÆSTIO

An contrarietas ſit prima & maximè generalis indicatio, vt Gal. ſupponit in Textu.

QVamvis Gal. non ſolùm in præſenti cap. ſed etiam *lib.* 11. *ſequenti, cap.* 1. ſupponat ac doceat quòd contrarietas eſt vna 254

sola & generalissima indicatio omnium curativarum; Argenterius tamen non admittit, quòd à cótrarietate non sumatur aliqua indicatio:quare *lib. 2. de offic. med. c. 5.* sequentibus argumentis conatur ostẽdere esse falsam Gal. doctrinam. Probat ergo primò ex ipso Gal. quòd contrarietas nil potest indicare sic. Gal. suprà *lib. 3. cap. 1.* scribit in hunc modum: *Absurdum est dicere, aliud esse quod curatur, & aliud quod curationem indicat, sed contrarietas non curatur, vt per se patet*: ergo neque curationem indicat. Secundò probat sic: quod indicat, aut sui ablationem, aut conservationem indicat: sed contrarietates nihil istorum insinuant: ergo nihil indicat. Tertiò Gal. etiam *lib. ad Trasib.* arguit methodicos asserentes communitates morborum indicare: sed idem inconveniens sequitur, si dicamus contrarietatem indicare: ergo contrarietas nullo modo indicat, & per consequens contrarietas nequit esse prima indicatio.

255 . Vt quæstioni huic rectè respondeamus, atque Argenterij argumenta dissolvantur, duo sunt explicanda: primum scilicet de qua contrarietate loquatur Gal. quia vt vidimus, duas in hoc cap. ponit contrarietates; & secundum, quomodo contrarietas, de qua loquitur Gal. non solùm hic, sed infra etiam loco citato indicat. Ad primum ergo explicandum accedentes advertimus primò duas diversas tradere Gal. contrarietates in præsenti *cap. 15.* siquidem primò docet, aut supponit, quòd sanitas & morbus contrariantur inter se, & secundò, quòd istorum vnius in alterum translatio debet fieri per contraria; dicit etiam: quoniam id quod ægrotat, ei quod valet est contrarium, vtiq; per contraria est ab illo in hoc via: vnde fit palam, quòd contrarietas in dictis propositionibus posita est duplex, atque diversa: prima scilicet illa, quæ reperitur inter morbum & sanitatem, vel quæ reperitur inter id quod ægrotat, & id quod valet, aut sanum est, & altera est quæ reperitur non inter dicta contraria, sed potiùs contrarietas quæ reperitur inter vnum quodlibet contrariorum, & suum remedium contrarium, quo indiget vt transeat à suo statu ad alterum contrarium; v.g. febris vt morbus est, contrariatur sanitati; similiter febris vt calor est præter naturam contrariatur calori naturali, & opponitur illi omnino; quamvis calor nativus sit etiam calor, non scilicet vt febris præter naturam auctus, sed moderatus tantùm: at quamvis dictis contrarietatibus opponantur febri, tum sanitas, tum calor nativus, tamen per nullam earum febris potest mutari in alterum eorum, sed per frigida remedia, quæ etiam contrariantur febri, vt calor est; & quæ ita febri contrariantur, quòd ritè & rectè administrata valent febrem ipsam curare, sive in statum naturalem, aut in ipsam sanitatem mutare: siquidem sanatio, vt ait etiam Gal. in text. nihil est aliud, quàm præsentis in corpore vitiosi affectus, v. g. morbi, in naturalem habitum mutatio, quæ fit à remedio contrario, v.g. mutatio febris à remedio refrigerante, non verò à contrario affectu, nempè sanitate.

256 Secundò advertimus quòd posuit Gal. *in Tex.* duas dictas contrarietates tanquam indicans, & indicatum, id est ad ostendendum, quòd earum prima est indicans alterius, sive secundę: quamvis enim morbus non curetur, neque ad statum naturalem possit redire per primam aliquam contrarietatem, sed solùm per secundam, sive per contrarietatem remediorum sibi contrariorum; hæc tamen secunda contrarietas, vel hæc remedia contraria, quibus morbus curatur, sive ad statum naturalem mutatur, indicatur ab illa prima. Quod vt clarè constet, est etiam advertendum primò, quòd curatio, seu sanatio, vt ait Gal. est mutatio morbi cuiuslibet, seu reductio à suo statu vitioso, seu præter naturam ad statum naturalem: nam hoc est idem ac dicere, sanatio est præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio. Secundò est notandum quòd hæc mutatio morbi à suo statu morboso ad naturalem debet fieri per remedia sibi contraria tantùm, & non contraria statui naturali. Tertiò tandem est notandum, quòd hæc mutatio morbi, aut curatio per sua contraria debet esse ab extremo suo præter naturam ad medium, sive ad statum naturalem, & non amplius, quia morbus solùm est recessus à statu naturali ad præter naturam: quare si morbus v.g. fit intemperies calida, vt est febris, eius curatio, aut sanatio, aut mutatio per frigida remedia debet esse à suo extremo præter naturam, vsque ad statum medium inter calorem & frigiditatem, qui est status naturalis, & non à dicto statu præter naturam calido, ad alterum extremum contrarium, sive ad statum frigidum per excessum, vel vltra mediocritatem naturalem; siquidem ille status est etiam vitiosus, atque morbosus, vt ipsa febris, nempè intemperies frigida.

257 . Cùm igitur hæc omnia sic se habeant, ex his etiam ostenditur, quòd prima contrarietas indicat secundam, vt est dictum: siquidem secunda contrarietas est limitata ab vno extremo tantùm vsque ad medium, & limitantur non à se, sed à dicta prima: cùm tanta & talis debeat esse contrarietas secunda, seu mutatio morbi aut eius curatio per contraria, quanta et it contrarietas, seu oppositio inter morbum & naturam, sive inter sanitatem & morbum; id est, quanta erit distantia, vel recessus ipsius morbi à statu naturali: eo enim contrario morbus debet curari, & non alio, quo à suo statu vitioso mutari possit, ad statum naturalem sibi contrarium: quare hæc contrarietas, inquit Gal. quæ reperitur inter istos duos status oppositos est quæ indicat quantitatem remedij contrarij, quo morbus curatur, seu reducitur à suo statu vitioso ad statum naturalem: non enim hæc prima contrarietas indicat speciem remedij, sed morbus ipse est, qui indicat suum

suum contrarium quo curatur, seu speciem, aut qualitatem remedij, quo corrigatur, seu mutari poterit ab illo suo statu morboso ad naturalem: at verò quantitas determinata, & iusta talis remedij non indicatur ab ipso morbo, neque ab eius statu morboso, neque ab altero statu secundùm naturam, sed à contrarietate, siue oppositione illa quæ reperitur inter dictum morbum & naturam, siue inter suum statum morbosum, & naturalem sanitatis, id est à lapsu, seu recessu ipsius morbi ab ipsa natura: si enim hæc contrarietas, aut oppositio, recessus, aut distantia quæ datur inter morbum & naturam, est multa, pariter quantitas remedij est multa, aut multa debet esse, nempè æqualis; si verò talis contrarietas, aut oppositio, aut recessus, aut distantia inter morbum & naturam est pauca; v. g. in vno tantùm gradu: vnde quantitas remedij curantis indicatur, inquit Gal. à prima illa contrarietate, aut oppositione, aut distantia, quæ inter sanitatem & morbum inuenitur, siue inter statum morbosum & naturalem: vnde verum est quòd talis contrarietas, siue recessus, siue distantia indicat, & quidem curatiuè; scilicet non remedij speciem, sed eius quantitatem.

258 Sed dices: contrarietas dicta, seu oppositio, aut distantia, quæ reperitur inter morbum & naturam, si metitur recessus morbi ab statu naturali, metitur etiam recessus status naturalis à morboso, seu præter naturam; hoc autem non obstante, neque Gal. neque alius dixit, quòd hæc contrarietas, siue distantia, quæ reperitur à statu salubri ad morbosum indicet vnquam aliquid: ergo neque indicabit quando eadem contrarietas, siue distantia est à statu morboso ad naturalem; cùm reuerà talis contrarietas æqualiter omnino pendeat ab vtroque contrario, & nihil magis inclinet ad vnum, quàm ad alterum extremorum. Respondetur quòd ex se contrarietas, & vt oppositio est, non indicat, sed solùm dicit distantiam aut incompatibilitatem extremorum inter se: at contrarietas, quæ reperitur inter morbum & naturam indicat dictam quantitatem remedij, non per se, & vt est contrarietas, sed potiùs vt est contrarietas, seu oppositio, seu distantia morbi à statu salubri: sic enim quia morbus, vtpote extremus, seu vitiosus corporis affectus postulat sui ablationem, aut reductionem ad statum naturalem; etiam tunc eius contrarietas, siue distantia, aut oppositio ab altero extremo indicat, aut metitur quantitatem reductionis; quamuis è contrà non indicet, quia status naturalis, vtpote salubris, aut sanus, nunquam postulat mutari, sed permanere semper, aut conseruari in illo statu perfecto. Dices: etiam distantia, quæ reperitur inter morbum & naturam ex ipso morbo, atque natura laborantis metitur, vt cum ipso Gal. in Tex. est latè demonstratum: ergo non indicatur à contrarietate, aut oppositione dicta, quæ reperitur inter morbum & naturam. Respondetur facilè quòd cùm sint res distinctæ metiri recessum morbi à statu naturali, & hunc recessum manifestare: consequenter compatitur benè, quòd dicta contrarietas reperta inter morbum & naturam indicet, seu metiatur dictam substantiam, aut recessum demonstrent alia: fatemur enim quòd morbus, atque natura sunt res per se sensibiles; ideóque contrarietas & distantia, aut oppositio inter ipsas reperta potest ex ipsis benè colligi, aut cognosci; hoc autem non tollit quòd hæc contrarietas indicet quantitatem remedij: quare & hæc est, quæ indicat aut metitur quantitatem remedij; morbus verò & natura sunt signa, aut sensibilis affectus, quæ possunt ostendere talem contrarietatem.

Iam ad soluenda Argenterij argumenta accedamus, supponentes quòd vt indicatio est duplex, vna simpliciter dicta indicatio, & alia coindicatio; ita pariter indicans est duplex, vnum scilicet proprium, nempe quod per se indicat, & alterum coindicans, id est tale, quod quamuis per se & absolutè non indicet, indicat tamen per accidens, aut simul cum alio. Hoc supposito, respondetur primo Argenterij argumento, quòd cùm Galenus 3. *method. cap.* 1. dicit: absurdum est, &c. loquitur de proprio indicante, & de prima indicatione curatiua, quæque sumitur ab ipso morbo, vt ex ipso Textu constat; ait enim: nihil æquè de alio, ac de ipso potest indicare, hoc autem solùm verificatur, non de coindicante; siquidem coindicans sæpè de se nihil indicat, sed de alio, vt patet in nostro casu, in quo natura laborantis indicat, aut coindicat cum morbo quantitatem remedij, & tamen de se nihil indicat. Similiter secundo argumento respondetur, quòd qui per se & simpliciter, aut absolutè indicat, indicat sui ablationem, aut conseruationem, non autem quod indicat per accidens, aut pro alio, vt in nostro casu accidit; non enim contrarietas indicat per se sui ablationem, sed ablationem morbi, vel nedum ablationem morbi, sed quantitatem remedij, vt visum est, atque expositum. Ad vltimum respondetur diuersam esse rationem communitatis methodicorum, & contrarietatis, de qua loquitur hic Gal. illa enim methodicorum cōmunitas solùm docet doctrinas generales, ex quibus nihil vtile consequi potest ad particularem ablationem morbi: at verò contrarietas, de qua nunc est sermo, non dicit solùm communem rationem, sed eam particularem oppositionem inter morbum & naturam repertam, ex qua particularis curatio consequitur cuiusque morbi: & per consequens dicit ac docet particularem oppositionem inter hunc morbum, v.g. calidum, aut frigidum, &c. & talem naturam ægri in particulari. 259

CAPVT



CAPVT XVI.

De consuetudine & vtilitate maxima indicationis, quæ sumitur à consuetudine.

260 STENDIT *in hoc cap.* Galenus exemplo aquæ frigidæ potionis maximam esse indicationem, quæ sumitur à consuetudine non solùm in curatione morborum, sed & in sanis: confert enim quàm maximè consuetudo, ait, ad inventionem remediorum, veluti ad sanitatem tuendam: confert etiam si quid aliud ad particulares naturas cognuscendas, imò & ad explicandum cuiusque particulæ temperamentum. Quæ quamvis ita sint, quidam etiam sunt Medici, qui vt alia omittunt, ita dicunt quòd nulla, nec salubris inveniendi victus, nec ægrorum curationis ex consuetudine sumitur occasio: vnde de consuetudine accuratè agendũ est, demonstrandumq; hic quantum errent isti qui à consuetudine non desumunt indicationem. Hoc ergo vt præstet Gal. primùm docet non solùm consuetudinem indicare, sed maximam esse vtilitatem indicationis, quæ ab illa sumitur, tum in sanis, tum in ægrotantibus; & postea docet quantum errent, qui dicunt à consuetudine non desumi indicationem: quare caput secatur benè in duas partes.

TEXTVS.

Ac dictum quidem prius est, vbi de frigida exhibenda, &c.

261 OCcasione desumpta ex his quæ *in fine cap. superioris* docuerat Galenus, & vt exemplo potus aquæ frigidæ demonstret vtilitatem maximam, quæ sumitur ex indicatione consuetudinis, dubitat in hac prima cap. parte statim in principio, an *in homine ægrotante sit fas*, id est, sit possibile invenire temperamentum cuiusque particulæ illius absq; illis notis, quæ *in lib. de temperamentis, & in arte med.* retulit; & ratio dubitandi est, quia vt vidimus in calce capitis superioris ad benè curandum est summopere necessum peculiare temperamentum cuiusque ægrotantis cognuscere, & per consequens temperamentum cuiusque particulæ ipsius, potissimùm earum, quæ sunt internæ, vt quæ temperamentum totius corporis mutant, aut generant, potissimùm cor & hepar: at notæ illæ assignatæ in dictis locis ad cuiusque membri temperamentum inveniendum sunt valdè plures, ac cognitu difficiles adeo, vt ex eis non nisi multo labore & conjectura, potiùs quàm scientifica ratione inveniatur: vnde si his multis, & parum firmis notis esset vna aliqua certior, sine dubio illis abjectis hanc arripere debebimus, vt quæ sola sit certior omnibus illis, & longè faciliùs, ac promptiùs possit consequi vna cùm sit, quàm quæ sunt quàmplurimæ.

262 Sic posita quæstione & dubitandi ratione, respondet sic: si omnes temperamentorum notas in vnum colligas, hæ longè absunt, vt parem ei, quam consuetudo præstat, fidem faciat. Quasi dicat: Qui omnes temperamentorum notas colligat, ad vnam aliquam corporis naturam cognoscendam, & singularum partium eius; & ex illis inveniat corpus esse temperatum, atque omnes eius partes perfectas, vel robustas: longè minùs scientificè aut certò cognoscet illius corporis temperamentum, & singularum partium eius, quàm ex vna sola consuetudine: quare indicatio ex consuetudine desumpta non est omittenda, sed maximè æstimanda, quidquid alij dicant. Quòd verò maxima sit fides, sive certitudo, quam consuetudo præstat, probat sic Gal. Si antea per sanitatem aliquis frigidam perpetuò biberit, neutiquam neque in jecinore, neque in vesica, neque in ventriculo, neque in alio quopiam talium, scilicet membrorum internorum offensus; planum est, id est, omnino certum est & valida illi esse hæc omnia, neque nunc à frigida lædenda. Quasi dicat: Quòd maiorem fidem præstet consuetudo, quàm omnes temperamentorum notæ in vnum collectæ, ad propriam alicuius naturam inveniendam, sic ostenditur. Supponamus quòd sit aliquis, cui insint omnes illæ notæ, quæ significant frigiditatem, atque debilitatem partium internarum; & his non obstantibus bibat perpetuò frigidam, neutiquam offensus ab ea, nec in ventriculo, nec in hepate, nec in vesica, neque in alia interna parte: planum est, atque omnino certum, quidquid dicant, signa allata, quòd talis homo habet omnes dictas partes validas, & non debiles, neque frigidas; cùm ex vsu longo, ac consuetudine aquæ frigidæ non lædantur, nemo adeo est stupidus, ait, vt si magnopere læsus ex frigidæ potione sit, cam diutiùs bibat, sed potiùs interim læsus, atque ab ea evidenter ægrotans, omnino vitabit: vnde qui perpetuò inoffensus bibit frigida, omnia interna membra habet valida, & ita frigidæ potioni assueta, vt nec à frigida lædenda timeamus, aut timere debeamus: ex quibus patet non exiguam, aut levem vim, sicuti alia quædam, sed maximam, ac maximè principalem habere consuetudinem ad singulorum corporum naturam ostendendam; & per consequens ad inventionem remediorum in morbis,

&

& denique ad ſanitatem tuendam.

263 Sanè ſatis evidenter, atque ſcienter demonſtratum relinquitur ad plura eſſe maximè vtilem indicationem à conſuetudine deſumptam, & potiſſimùm ad ſingulorum corporum, ſingularúmque eorum partium naturas cognoſcendas: quia tamen tempore illo erant multi Medici, inquit Gal. qui nedum quærebant, aut diſtinguere curabant, ſingulorum corporum, aut partium eorum particulares naturas, neque diuerſas conſuetudines, ſed iuxta prouerbium, vno calapodio omnes calceabant; & alij ex conſuetudine nullam, neque indicationem neque occaſionem deſumi dicebant, ad ſalubrem victus rationem inueniendam, neque ad ægrorum curationem: proinde vt hos magis confutent, vlterius ſic habet. Sanè ipſi via, rationeque ab ea procedentes fatemur nos partium affectum inuenire; deinde ex illo ad faciendorum indicationem venire. Quaſi dicat, non ſolùm conſuetudo eſt potens indicare particulares corporum naturas; ſed ſimiliter affectum ſeu morbum partium noſtri corporis: nam reuera ſi conſuetudo ſit vitioſa, non ſolùm naturam valet mutare, ſed etiam morboſam efficere; cum conſuetudo, vt infra videbitur, ſit altera natura acquiſitione, aut quaſi acquiſita natura; & ita ex vſu intempeſtiuo aquæ frigidæ v. g. non ſolùm ventriculus calidus, aut robuſtus mutari poterit in minus calidum, ſed in frigidum morbum, aut naturam frigidam, ſeu vitioſam, aut morboſam, ex nimia frigiditate: & per conſequens cõſuetudo poteſt indicare morbum, ſeu affectum noſtri corporis, quem ipſa inducit; & ita quidem, quod inde vt ait Gal. etiam ad faciendorum indicationem venire liceat, vt etiam patet in poſito caſu: nam vt vſus intempeſtiuus, aut nimius, & multum continuatus arguit frigidum morbum in corpore ab ipſo genitum, ita dicit etiam lente eſſe hunc morbum ſanandum; iuxta illud Hipp. quæ longo tempore extenuata ſunt corpora lente reficere oportet: quare conſuetudo etiam morbum, & eius curationem indicat, quidquid alij dicant: & ideò conſuetudo in morbis, atque in ſanis, maximè eſt attendenda, & eius differentia inter alias maximè eſt diſtinguenda vt quæ magis indicat naturam particularem, aut morbum particularem, vt ad bonam curationem requiritur, & ne omnes vno calapodio calceemus, vt ait ipſe Gal. id eſt ne omnes ægroti curentur eodem modo, ſed ſinguli particulari ratione, vt particulari morbo laborant & particulari natura conſtant. Eſt enim calapodium nomen Græcum, quaſi dicas ligneus pes, id eſt forma illa lignea cuius multiplicitas in ſutorum officinis pro pedum magnitudine diuerſa pendent, & cui ſuper iniectum corium calceum formatur; quæ pro pedũ magnitudine neceſſariò variatur ne omnibus ex eodẽ calapodio formẽtur calcei, quia eſſet monſtruoſum omnes pedes calceare vno calceo aut vna calcei forma, aut magnitudine ſola aut differentia calceorum.

TEXTVS.

Empiricus verò præterire ſe inquiſitionem naturæ, &c.

HÆc eſt 2. *cap.* pars, in qua obijcit ſibi 264
Gal. quaſi ad hunc modum. Tu dicis ô Gal. quod conſuetudo ſola poteſt magis indicare particulares hominum naturas, quam notæ omnes, quæ ad tales naturas cognoſcendas ex variis cap. concinnantur: Et quidem hoc ita eſt verum, quod ideo empiricus dicit præterire ſe naturę inquiſitionem; quod per eam rationalis medicus ad morbos curandos conſequi intentat, id ipſe per experientiam, aut ex conſuetudine iam habet: ſiquidem quod ab initio omnibus proponitur, tum empiricis tum rationalibus Medicis, eſt intelligere lædi, aut non lædi à frigida potione ægrotantis corpus, non verò vt naturam noſcamus: empiricus autem, ex conſueta frigidæ potione cognoſcit non lædi ab ea corpus ægrotantis: quare & rationalis medicus qui indicatione vtitur, à conſuetudine ſumpta fruſtra notas alias quærit ad naturas particulares ægrotantium inueniendas, inquiunt empirici: ſicut & alij qui in totum inutilem eſſe conſuetudinem dicunt, tanquam ſtupidi à communi ſenſu recedunt.

Hæc igitur cum ita ſe habeant, quod inquit 265
eis reſpondebimus nos, qui methodo autem condimus. Reſpondet: quod aliud quam quod vera dicunt, de illis conſuetudinibus, quæ euidentem vtilitatem, offenſamve oſtendunt, quaſque vnuſquiſque ante methodum nouit, id eſt ſine methodo. At reliquarum, quæ paulatim, & latente ratione magnum contrahunt incommodum, non æque per experientiam, atque per methodum licet tale damnum inuenire: vnde & nos qui experientia vtimur, atque conſuetudine citra methodum, vbi ſcilicet ipſa ſola euidentem affert vtilitatem, aut offenſam melius procedimus quando in caſibus dictis; in quibus ſola conſuetudo citra methodum non ſatisfacit, eam adiicimus, quæ à rerum natura ſuggeritur indicationem, fatemur quidem in hoc lib. methodi rationem ſequentes longiori via invenire, quod citra ratiocinium, licet breuiter inuenire ex conſuetudine: ſed neque ob hanc cauſam rationalis indicatio quæ à rerum natura ſuggeritur eſt negligenda, vel omittenda, ſed ſemper in magno pretio habenda, vt quæ per ſe ſolam omnia poteſt, & cum neque conſuetudo ſufficit, ipſa ſupplet illius defectum: quare empiricorum curandi ratio, quæ ſola experientia aut conſuetis vtitur rationali methodo medendi eſt longè inferior, quàm multa habeat bona per rerum vſum ſeu experientiam facilè inuenta.

Sed quæ ſunt, dices, conſuetudines, quæ 266
paulatim

paulatim magnum contrahunt nocumentum, & per experientiam æque, ac per methodum non detegitur? Respondet ipse Gal. esse illas de quibus agit in *lib. de sanit. tuen. potissimùm in 5.* sed hîc vno exemplo sequenti eas explicabimus. Supponamus, quod fœmina aliqua, aut vir, à tenetis annis assuescat aquæ potionem, ex cuius vsu paulatim, & clam disponatur ad aliquam hydropis speciem in posterum, aut post longum tempus contrahendam, hoc enim ita fieri consueuit, ait Galenus, in illis, qui sine causa sufficienti assuescunt bibere aquam niue refrigeratam, vt *supra 5. cap.* vidimus: quare iste est casus in quo damnum, quod contrahitur, non æque detegitur ex consuetudine, aut ex experientia, atque per methodum, aut per ratiocinationem:cum enim nocumentum solùm post longum tempus sensibile fiat, & decursu ætatis, sequitur consequenter, quod tum solùm consuetudo tale damnum detegit; methodus vero, seu ratiocinium multò antea, quàm fiat, aut sensibiliter appareat cognoscit, esse venturum; cognoscens scilicet naturam bibentis, & quod ei desunt requisita ad bibendam aquam frigidam sine noxa: Vnde hæc cognitio est præstantior multò quàm quæ habetur ex consuetudine: imò tunc methodus non solùm damnum cognoscit venturum, sed & præcauet ne eueniat, vt si in tali casu frigiditatem aquæ temperare faciat, scilicet in coctio in ea diligenter cinammomo, aut eupatorio; & paulatim introducta huius potionis temperatæ consuetudine: sic enim haud dubie roborabitur hepar, frigiditas nimia aquæ temperabitur, & inde nocumentum vitabitur, quod empiricorum nullus faciet, cum ignoret rei naturam.

267 In fine cap. duo aduertit ad maiorem expositionem, & confirmationem eorum, quæ sunt dicta de vtilitate consuetudinis in morborum curationibus, primum est se vidisse multos febribus ardentibus oppressos, cum iam humores mediocriter concocti fuissent, quamuis potioni ex frigida non essent assueti, statimque ex frigidæ potu esse febre liberatos, & merito quidem vt quæ ex natura rei sit conueniens; quare & iis, qui assueti erant frigidæ, multò magis conueniet, vtilitatemque ex ea citra noxam vllam sperabimus, confirmati scilicet ex frigidæ vsu, ac consuetudine 2. aduertit consuetudinem quidquid indicat in morborum curatione omnia indicare per corporis naturam, siue temperamenti corporis interuentu, id est quatenùs consuetudo corporis ægrotantis alterat temperamentum, quemadmodum, & ætas: nam reuera consuetudo & ætas sunt duæ res, quæ magis quàm aliæ omnes alterant nostri corporis quodlibet temperamentum, vt patet in pueritia, quæ in quolibet temperamento est calida & humida; & ideo hæc atque consuetudo in qualibet corporis natura, aut temperatura, sui temperamenti interuentu indicant curatiuè, aut peculiarem curationem morborum præstant; vnde prouenit quod de iis nunc seorsim, & particulari ratione præ aliis agat Galenus, in fine libri.

Dubitationes super Textum.

Vt quæ de vtilitate indicationis à consuetudine desumpta in *præsenti cap.* tradita sunt à Gal. magis intelligantur, quatuor videntur sese offerre explicanda; primum scilicet, quid sit consuetudo? Secundùm in quibus rebus reperitur, aut datur? Tertium quomodo comparetur consuetudo? Quartum quæ sit indicatio quæ sumitur à consuetudine? Quare nunc ista quatuor suo ordine breuiter quantum fieri possit, explicabimus: etsi enim non solùm in iis libris methodi medendi, *&* *lib. de sanit. tuen.* sed alibi sæpè statuit Gal. esse maximam habendam rationem consuetudinis, tum in morborum curatione, tum in sanitate tuenda; reliqua tamen dicta quatuor non semper sufficienter explicat, sed fere semper supponit, vt in *præsenti cap.* quare vt dixi ea hîc explicanda aggrediamur, vt sic omnia hîc habeantur, & nihil intactum remaneat, eorum, quæ sunt necessaria ad curandos morbos scientificè, & ad salutem conseruandam. 268

Ad primùm ergo dubium explicandum statim accedentes; dicimus consuetudinem in lectione Gal. esse duplicem aut duo diuersa significare, quæ sæpè vnum ad aliud subsequuntur: sæpissimè siquidem consuetudinem esse dicit nostri corporis adscititiam naturam, vsu plurium rerum comparatam, & interdum etiam ipsum vsum, siue continuationem rerum appellat consuetudinem, vt 1. *de san. tuen. cap. 9.* cum sic habet: *porro consuetudinem, vt quæ adscititiam naturam generet, mutare noxium est*: Si ergo hîc consuetudo generat adscititiam naturam, consuetudo non est natura, sed potiùs vsus continuus earum rerum qui adscititiam producit naturam: vnde consuetudo in 2. significatione, est causa efficiens consuetudinis primæ: & ideò nihil mirum quod Gal. consuetudinis nomine interdum intelligat effectum consuetudinis, nempè ipsam naturam acquisitam, per consuetudinem, siue continuum vsum rerum; interdum etiam ipsam causam efficientem, nempè ipsum vsum rerum continuum, vnde noua excitatur natura: scimus enim in Gal. doctrinâ temperamentum nostrum, atque naturam esse duplex, vnum natiuum, & ex principiis generationis ortum, & aliud adscititium, & hoc etiam est in duplici differentia, aliud scilicet quod progressu temporis comparatur, siue ætatis ratione, quod propterea appellamus ætatem, de qua agemus *seq. cap.* aliud vero est adscititium, vsoque rerum comparatum; & hoc appellat sæpè Gal. consuetudinem vt hoc in cap. cum in fine ait: est enim, scilicet consuetudo, vnum eorum, quæ curationis rationem per corporis naturam indicent, id est per corporis temperamentum: quamuis antea vsum aquæ frigidæ ad consuetudinem redigat, & *lib. sup. cap. vltimo* ab ætate & 269

natura

natura laborantis intemperatis absolutè, ait: non est contrariorum indicatio, sed cum consuetudine, id est prout fuerit per actus atque continuatus per multum temporis vsus contrariorum, aut non.

270 Sed obijcies: temperamentum, siue natura est causa efficiens actionis: consuetudo autem, non est causa efficiens, sed tantùm est causa facilitatis actionis: quare consuetudo, & natura adscititia differunt: quamuis sæpè Galenus nomine consuetudinis intelligat adscititiam nostri corporis naturam vsu rerum comparatam. Quod verò consuetudo non sit causa efficiens actionis constat exemplo consuetudinis, quæ reperitur circa motum localem: motus enim localis citra consuetudinem, & cum illa potest fieri: cum ergo talis motus fit citra consuetudinem, fit à natura, siue à facultate motiua, siue adscititia sit, siue non; & tamen tunc ex suppositione nondum est consuetudo: ergo consuetudo non est natura, neque causa actionis; sed tantùm est facilitas, aut promptitudo actionis, comparata vsu plurium motuum. Respondetur quod vt natura est duplex, vna scilicet vniuersalis, vel in genere, & altera particularis ita causa efficiens actionis est duplex, vna simpliciter, & absoluta ad actionem efficiendam, & alia particularis, & quæ determinatæ actionis est causa, aut determinati modi actionis: quare cum consuetudo, vt visum est in textu, non sit natura quælibet, neque natura in vniuersum, neque in genere, sed determinata, & particularis: hinc fit quod neque sit causa actionis simpliciter, sed determinatæ, aut determinati modi actionis ipsius absolutæ.

271 Dices etiam nunc, quæ natura operantur nequeunt habere consuetudinem, aut non possunt comparare facilitatem, neque promptitudinem, ad operandum: nam quæ natura operantur, operantur quantùm possunt pro ratione potentiæ, aut virtutis agentis: quare non possunt aut citius, aut faciliùs operari, ex vsu aliquo, aut consuetudine vlla, nisi permutata potentia, aut causa ipsa agente: & per consequens natura nostra, siue temperamentum sit vniuersale, siue particulare, siue natiuum, siue adscititium, cum sit agens naturale operatur semper quantùm potest ex se, & ex sua intrinseca natura, & quantùm citius, aut facilius fieri possit, quin consuetudo in ea aliquid præstet, vt patet manifestè in igne: ignis enim quamuis vrere solitus sit v. g. quercum: tamen non ideò citius aut facilius vrit postea quàm anteà, sed semper quantùm citius, ac magis fieri potest pro sua actiuitate, aut potentia, & passi dispositione: quare consuetudo in naturalibus agentibus nihil præstat, & per consequens natura nostra, etiamsi consuetudine, aut rerum vsu, sit acquisita, tamen propter consuetudinem non poterit plùs, aut minus, neque facilius, aut promptius agere, cum insolens, vt solita, operetur semper quantùm potest, &

vsque ad extremum suæ potentiæ.

272 Huic argumento respondet Galenus *lib. de consuetudine*, quod omne agens in agendo repatitur, & quod facultas omnis otio languescit, vsu verò, seu exercitatione excitatur, redditurque vegetior, nisi exercitium sit immoderatum, quo casu fit labor, & nocet: cursu ergo inquit, homines fiunt veloces, lucta robusti, & esu continuato ad concoquendum habiles: quare & natura nostra etiam si agens sit naturale, est tamen eorum quæ agendo afficitur, siue patitur aliquatenùs; & ita vso rerum potest non solùm mutari, & alia atque erat antea fieri, sed etiam ad operandum excitari, vt dictum est, aut facilitari: nam quanquam consuetudinem habere, verbi gratia deambulandi non videatur aliud esse quàm sæpius ambulasse, quia sic contrahitur, sic tamen etiam acquiritur facilitas deambulandi, vel hoc quod est vt labores, siue deambulationes melius tollerentur, vt scribit Hippocrates 2. aphor. 49. iis verbis: *Consueti solitos labores ferre, etsi sint imbecilles, aut senes, non consuetis fortibus atque iuuenibus facilius ferunt*: & sententia sequenti: *Quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sint, insuetis minus molestare solent*: Quia scilicet consuetudine natura mutatur secundum aliquid per quod associatur rebus consuetis. Galenus etiam *in comm.* consueta natura facilius perfert, ab insuetis verò molestatur, quia natura ex consuetudine, vel ad agendum roboratur, vt in exercitationibus musculi, qui mouentur, vel in agendo minus patitur; quæ enim sunt consueta, consuetudine assimilant sibi passum, & ideò consueta fert facilè natura, vtpotè ex consuetudine assimilata; simile autem non agit in simile, neque patitur à simili, sed contrarium agit in contrarium, & patitur à contrario, ab insoetis autem natura molestatur, vt quæ neque sua natura, neque ex consuetudine sunt similia, quare natura gaudet consuetis, atque eis iuuatur, quia res consuetudine fiunt similes naturæ, quæ similibus conseruatur, & vegetior euadit: & ideò qui veneno assuescunt, aut medicamentis purgantibus, iis postea non solùm non læduntur, sed iuuantur, aut præseruantur ab eorum nocumento, vt semper docuit experientia.

273 Sed vt hæc magis intelligantur, vel clarius distinguantur, tria quæ videntur inter se confundi, scilicet natura nostra, consuetudo, & vsus rerum quibus comparatur: debemus supponere & aduertere, quod cum ex Galeno consuetudo sit adscititia natura, & hæc differat à natiua, erunt consequenter in nobis istæ duæ naturæ, aut poterunt esse, & tunc sic distinguuntur, quod natura est natiua, atque substantialis corporis constitutio; consuetudo verò natura adscititia, vel id naturæ adscititium per consuetudinem à quo prouenit, quod talis natura facilius operetur,

aut minus patiatur ab obiecto consueto: verbi gratia ventriculus natura sua debilis, vel ex natiua sui constitutione consuetudine mutatus fert plùs cibi quàm antea quia per talem consuetudinem fit fortior ad agendum, sicuti musculi, quibus motus fiunt, consuetudine firmiores euadunt, & faciliores ad motus exercendos: quare in hoc sensu natura nostra absolutè prolata erit natiua nostra natura, ex principiis nostræ generationis constituta, scilicet ex semine, & sanguine, consuetudo autem erit eadem natura, sed mutata ex consuetudine ad hoc, aut illud facilius faciendum, vel tolerandum; & vsus continuatus rerum, erit modus, quo consequitur talis natura, aut quo talis natura mutatur, atque ad agendum, aut patiendum facilitatur.

174 Secundum explicandum est, in quibus rebus nostri corporis detur consuetudo, vel quod idem est, an omnes facultates nostri corporis comparent consuetudinem, scilicet non solùm animales, vt videmus in motibus, sed & vitalis, & naturalis: motus è quidem musculorum consuetudinem comparant, vt ostendit illa figura, cui ex multo tempore aliquis assuescit, & placide fert, etiamsi in se sit vitiosa; si quis enim ex multo tempore flexis genibus dormire assueuit, etsi figura sit ex se dolorifica, hac deinceps figura gaudet, & placide dormit, similiter si porrectis cruribus diu assuescit, hac etiam postea gaudet, & facilè perfert, quamuis tales figuræ ex se sint vitiosæ, & dolorem musculis inferant priusquam eis assuescant: quod etiam per labores & motiones musculi consuetudinem contrahant, ex Hippocrate supra est demonstratum: quare, quod facultates animales consuetudinem comparent omnes admittunt; & ideò nunc dubium est, an etiam facultates vitalis & naturalis comparent consuetudinem? Et respondetur quod sic, quia imprimis vitalis facultas irascibilis, & timida consuetudine incidunt facilius in has passiones, quàm si non assuescant: qui etiam iis passionibus assuescunt, minus ab eis alterantur, aut patiuntur quàm insueti: quare in vitalibus datur consuetudo: tandem in naturalibus etiam datur: siquidem ex Hippocrate 2. *de ratione victus* 33. ventres cibos quibus vti consueuerunt facilè ferunt, tametsi natura boni omninò non sint; similiter & potus; cibos verò quibus vti consueuerunt, etiamsi mali non fuerint, molestè ferunt consimili modo & potus: medicamenta etiam magis lædunt insuetos, quàm consuetos eis vti, & consuetos etiam minus alterant; & ob hanc causam confert medicamenta per interualla mutare, vt sentiantur, & quia consuetis pharmacis vires contemnit natura.

Erat 3. dubium, qua ratione comparetur consuetudo? an scilicet producatur vnico primo actu, an pluribus posterioribus? & ratio dubitandi est; quia quamuis sit dictum, quod consuetudo est adscititia quædam natura, vsu plurium rerum comparata, aut vsu plurium actuum vnius rei; & sic videatur dicendum, quod consuetudo nullo modo, potest comparari, per vnicum primum actum, sed per plures posteriores, cum per vnicum solùm actum, neque primum neque vltimum, aut alium aliquem medium habitum, qualis est natura, aut consuetudo, non comparetur, sed per plures; & ideò dicitur communiter, per plures actus acquiritur habitus, quamuis inquam hæc sic se habeant, quia tamen plures illi actus, per quos comparatur consuetudo, sunt eiusdem rationis cum priori; hinc etiam sequitur dicendum, quod si primus actus non produxit consuetudinem, neque alij posteriores poterunt, vt exemplo guttæ excauantis lapidem confirmatur; omnes enim dicunt, quod gutta cauat lapidem sæpè cadendo, id est non vnica sed plures continuatæ, vel sæpè cadendo: hoc ergo in casu, si omnes posteriores sunt eius rationis cum priori, & hæc prima effectum non produxit, neque poterunt aliæ, cum nulla istarum plus agat, quàm prima. Respondetur ergo ex Galeno 2. *de loc. affect.* 2. quod sicuti humor mordax paulatim transiens per intestina, aut pars post partem, facit vlcus, aut dysenteriam; & per consequens partes illæ humoris vicissim descendentes se habent vt causæ partiales respectu vlceris, ita plures guttæ excauantes lapidem, & plures actus respectu consuetudinis: quare secundum hanc doctrinam, sicut posteriores actus operantur, ita pariter prior; attamen, quia primus actus non operatur effectum sensibiliter, sed plures sæpè continuati; ideò dicimus communiter, & benè consuetudinem produci per plures actus, & non per vnum tantùm, neque per primum, etsi ille etiam operatur. 175

Tandem dubitabamus, quæ sit indicatio, quæ sumitur à consuetudine; etsi enim in Textu, & aliàs sæpè dicit Galenus quod consuetudo multùm valet ad naturam cognoscendam, ac conseruandam, & ad ipsos morbos cognoscendos, atque curandos; & ideò etiam sæpè dicit, quòd consuetudo est conseruanda; non tamen explicat, quid indicet consuetudo pro sui conseruatione; imò neque explicat, de qua consuetudine loquitur, quando dicit quod est conseruanda, quamuis consuetudo est duplex, & diuersa, scilicet adscititia natura, & vsus rerum, quo talis consuetudo comparatur, & quamuis consuetudo interdum laudabilis sit, interdum vitiosa; & denique quamuis consuetudo 176

tudo tunc in sanis esse possit, tum in ægrotantibus. Vt hæc omnia igitur breuiter distinguamus, & quæstioni respondeamus est aduertendum, quod consuetudo sine sit ipsa natura adscititia, siue vsus consuetus rerum, quo comparatur, potest esse bona, aut vitiosa, & potest esse causa, aut occasio incidendi in morbos, vt non solùm *in præsenti capit.* tradit Galenus, sed & 5. *de san. tuen. capit.* 11, expressè docet. Hoc notato respondetur dubio, quod consuetudo, quæ neque est vitiosa, neque causa incidendi in morbum aliquem, indicat sui conseruationem, cum sit quasi altera natura quælibet consuetudo: quæ verò vitiosa est tantùm in morbis indicat sui conseruationem, ne ab insuetis natura molestetur; denique quæ ita est vitiosa, quod occasionem præstet incidendi in morbum, hæc mutari indicat, aut reduci ad statum perfectum, etiamsi sit in morbis, vt docet ipse Galenus *loco citato 5. de sanit. tuen. cap. 11. & lib. 6. cap. 5.* neque obstat obijcere, quòd si in morbis consuetudo reducatur ad alterum statum molestabit laborantem, cum contrariis aut contrariorum vsu, debeat fieri talis reductio, aut mutatio consuetudinis; non inquam obstat, quia consuetudo non mutatur subito, sed paulatim, & per consequens, quæ offeruntur, ad consuetudinem reducendam nequeunt inferre dolorem, etiamsi contraria consuetudini offerantur ad vitiosam naturam reducendam, vt patet in morborum curatione quę etiam est reductio eorum ad statum salubrem, & ideò sine dolore aliquo fit, quamuis fiat à contrario.



CAPVT VLTIMVM.

De indicatione ab ætate desumpta, & à temperamento, & de ordine eorum, quæ aguntur in iis libris meth. medend.



277 IN hoc vltimo cap. explicat Gal. exemplo sang. missionis, quanti momenti sit indicatio, quæ sumitur ab ætate, vt *cap. sup.* fecit de indicatione consuetudinis exemplo potus aquæ frigidæ: dixerat enim supra *cap.* 4. doctrinam, quæ exemplis illustratur esse pro potioribus habendam: & idcircò nunc vt magis constet de vtilitate, atque de veritate rei propositæ, eam exemplo sanguinis missionis demonstrat: hæc autem vt clarè ostendat agit etiam de corporum dispositionibus, & temperamentis, quæ ad resolutionem sunt parata, aut non, & postea, vt ad sequentem librum se conferat, tradit quæ huc vsque sunt acta, & quę dicenda supersunt; vnde caput in duas potissimùm diuersas secatur partes.

TEXTVS.

Adsis enim animo velim ad ea quæ de corporum diuersitate, &c.

HÆc est 1. cap. pars, in qua demonstraturus Galenus exemplo sanguinis missionis, quàm sit vtilis indicatio quæ desumitur ab ætate ægrotantis, docet primùm omnium quænam sint corpora ex se disposita vt facilè resoluantur, aut facilè exhalent; & è contra quæ sunt ea, quæ ex se aut nullatenùs, aut valde parum possunt dissipari, aut resolui: atque ab iis vltimis exorsus dicit, docetque corpora terrea, vt lapides, æs, ferrum, aurum, & similia propter siccitatem & frigus, quibus constant, esse per multum tempus in eodem statu stabilia, haberéque substantiam permanentem sine sensibili defectu, aut inanitione, ferè per æternam vitam: at è contra, quæ humida sunt, calidaque corpora, eorum substantiam celerrime in ambientem dissipari, aut absumi. Sanè quod lapides, potissimum pretiosi, æs, aurum ac similia, sine sensibili defectu, aut dissipatione constent, atque permaneant per tempus longissimum, & quasi æternum experientia ostenditur; sed quòd hoc inde solùm proueniat, quia corpora sint frigida & sicca, non ita facilè constat, quamuis reuera siccitas sit qualitas, quæ ex Aristotele suo termino finita cedit difficilè termino alieno; cum tamen dicta corpora non sint extremè frigida neque sicca, vt patet in auro, quod facilè flectitur; hinc potiùs dicendum videtur permanere tantùm, quia sunt parum mixta, accedùntque magis ad entia naturalia, quæ constant materia prima, sine incorruptibili, vel ad naturam elementorum, quàm ad mixtorum naturam. Neque omnia quæ calida, atque humida dissipantur facilè in aërem, aut aliter facilè exsoluuntur, sed multa sunt, quæ multum durant, sine defectu sensibili, vt patet in oleo, in cera, atque seuo, quæ quamuis humida sint multum, & satis calida, durant per multos annos, propter eandem rationem, scilicet, quia potiùs accedunt ad naturam elementi, nempè aëris, quàm ad mixtorum naturam: aërea enim substantia humidissima est, sed viscida valde, vel sibi adhærens, & ferè secundùm omnes suas partes verè continua: at 278

res quo magis continua sit, eo magis durat, vt patet in substantia cœlorum: ex eo enim cœlorum corpora sunt æterna, quia secundùm omnes suas partes sunt verè vnita, aut nequeunt diuidi, neque pati solutionem continui.

279 Sic positis corporibus inter se è diametro oppositis, id est quæ longissimo interuallo à se distant: reliqua, inquit Galenus quæ inter dicta extrema sunt media, ea quidem quo magis ad hoc vel alterum extremorum accesserint, eo faciliùs aut difficilius poterunt exsolui: & ita illa corpora, quæ proximè accedunt summè siccis, ac frigidis, ægrè etiam per halitum poterunt digeri; minus tamen ægrè quàm ferrum, lapis, vel adamas; quæ pariter corpora extremè calidis, ac humidis sunt vicina; hæc potiùs etiam digerunt, atque exhalant, cæterum minus quàm aqua calefacta, scilicet in extremo calefactionis, siquidem sic & non aliter, aqua est extremè frigida & humida, atque omnium maximè dissipabilis. In summa citra calorem, ait non potest in halitum digeri corpus vllum, substantia eius coacta densaque manente, id est quandiu substantia eius coacta densaque manebit. Neque adhuc per calorem corpus omne potest absumi, aut resolui, nisi quod est habile in halitum verti, vti est corpus humidum. Rectè autem dicit, quod citra calorem non potest in halitum digeri corpus vllum, quamdiu substantia eius coacta densaque manebit; quia vt corpus humidum digeratur in halitum, aut vaporem duo necessariò requirit, primum est, quod substantia eius coacta, densave, aut concreta liquescat, atque fluida fiat, secundum quod ita attenuetur, vt per insensibiles corporis porositates foras possit ire, quorum vtrumque est opus caloris; calefaciendo enim primo materiam humidam concretam fundit, ac liquat, vt patet in metallis, deinde in halitum vertit, & tandem exhalat, vel per porositates corporis, ac cutis, foras facit ire, quod in halitum mutauit.

TEXTVS.

Est ergo puerorum substantia omnium quæ facillimè digeritur, &c.

280 EX tradita doctrina colligit hîc Galenus quod puerorum substantia omnium facillimè digeritur, atque dissipatur, id est, quod pueritia inter omnes ætates est in qua ægrotantes facillimè omnium digeruntur, atque per insensibilem transpirationem dissipantur, propterea quod pueritia est humidissima omnium ætatum, & modicè calida, aut saltim non frigida, nam nulla pueritia datur frigidior, inquit, id est per excessum frigida, imò qui crescunt, vt ait Hippocrates habent plurimum calidi innati, id est habent plurimum substantiæ natiuæ, aut humidæ substantiæ natiuæ, quæ aërea est, sine humidissima, & modicè calida. Cum igitur pueritia talis sit, & puerorum substantia, ita ex se sit continuò dissipabilis; hinc prouenit, quod pueri in morbis minus egeant vacuantibus remediis, quàm morbi indicent euacuationem: cum enim medicus rationalis accedit ad curandum aliquem ægrum, & inuenit illum laborantem morbo ex plenitudine orto, statim de euacuatione cogitat, quia quos morbos parit repletio curat euacuatio, vt ait Hippocrates 2. *aph.* 22. tunc igitur vt rectè de remedio euacuante deliberet, tum speciem repletionis inspicere debet, tum eius magnitudinem, id est an plenitudo sit magna, an parua; & denique an corpus plenum habeat actualem aliquam euacuationem, per quam talis plenitudo soluatur in totum, aut ex parte: si enim vacuatio quæpiam reperiatur in pleno corpore, ait Galenus *sup. cap.* 5. tantum illi de eo quod superfluum est relinquendum, quantùm est per eam vacuandum: atque ita si tempore mittendi sanguinis menses moueri contigerit, vel hæmorrhois aliqua sit reclusa; si inspecto fluentis impetu, ipse solus satis fore videbitur, qui quod requires vacuet, naturæ rem omnem permittes, sin minus tantùm ipse detrahes, quantùm ex coniunctis ambobus perficiatur quod postulas: Quare & in pueris cum medicus curaturus aggreditur, cum pueritia habeat ex se ipsa vnde naturaliter vacuetur, tantùm minus euacuare debet de superfluo, quantùm est per eam vacuandum, id est per puerorum dissipationem. Rursus aduertit Galenus fieri etiam nostri corporis multam dissipationem idest per habitum nostri corporis, ac per cutim notabilem euacuationem, propter calidam siccamque regionem, & tempus æstiuum, & cœli statum calidum & siccum: quare & huius causa iis ægrotis, qui sanguinis detractione indigent, aut prorsus venam non secabimus, aut parum detrahemus.

TEXTVS.

Sanè erunt in hac quoque detractione multi scopi à Medico, &c.

OCcasione desumpta ex iis quæ modò 281
dixerat Gal. de sang. euacuatione in pueris, & in ægrotantibus, in calidis, ac siccis regionibus, in æstate, & cœli statu simul calido & sicco, docet nunc quot

quot, ac quæ sunt consideranda à medico sanguinem missuro, vt rectè fiat talis sanguinis vacuatio: scribit enim sic. Sanè erunt in hac quoque detractione multi scopi à medico spectandi, &c. Quasi dicat, vt supra dicebat *capit.* 11. Quoniam venæ sectio sanguinis vacuandi causa adhibetur, oportet quàm maximè probè administrare hanc sanguinis euacuationem, cum sit sanguis qui nos alit, imò & natura nostra ex Hippocrate *libr. de hominis nat.* 18. vel saltim vt ait Galenus *lib. de sang. miss. capit. quinto*, calor natiuus suam in sanguine stationem, aut conseruationem, aut permanentiam habeat; quare, qui rectè sanguinem mittere vult, non solùm laborantis ætatem aduertere, & attendere debet, atque regionem, cœli statum, & anni tempus; sed & multi alij scopi sunt spectandi, videlicet atque imprimis, natura ab initio, id est natiua ægri natura, ac constitutio, consuetudo, ætas, locus habitationis, anni tempus, cœli status, & tandem, ac magis quàm hæc ægritudinalis quem curamus affectus, aliaque ratione ante hunc vires patientis. Hæc Galenus hic lib. etiam de sanguinis missione sic habet: *Quibus vtique dum consueta adhuc obeunt munia, aut pars aliqua princeps, aut vniuersum corpus grauatur, aut tenditur, id est plenitudine afficitur, iis quidem necessaria est vacuatio: quare si qui sic sunt affecti ætate, neque pueri fuerint, neque senes, de sanguinis missione consilium inito, primos hosce maximè scopos intuens, nempè plenitudinis, tum quantitatem tum qualitatem, & virium robur, aut imbecillitatem, deinde naturalem vniuersi corporis habitum, tempusque, & regionem, victumque præcedentem; num scilicet qui sic affectus est plurimis cibis ac potionibus, ac præsertim multum nutrientibus vsus sit: ad hæc consueta, & inconsueta quos motus exercuerit, quasque excretiones habuerit, aut præter consuetudinem retenta sint, & tandem num gracilior aut crassior euaserit.*

284 Itaque vtrobique docet Galenus in detractione sanguinis esse multos scopos spectandos, vt debita fiat sanguinis missio: quare de iis hic breuiter agamus, antequam librum finiamus: sanguinem ergo missurus, ait Galenus propter scilicet alicuius morbi curationem in ægrotantibus, vel in iis qui adhuc sani sunt propter plenitudinem in toto corpore, vel in vna aliqua parte principe, decem capita aduertere debet, vnde tanquam à propriis scopis, aut indicantibus desumitur recta administratio, atque executio sanguinis missionis: nam imprimis in morbis species ac magnitudo ægritudinalis affectus quem curamus est attendenda vt in iis qui adhuc consueta, seu sanas suas obeunt operationes plenitudinis quantitatem, & qualitatem: in morbis namque affectus præter naturam, quem curandum aggredimur sua specie, ac magnitudine indicat sanguinem esse mittendum, vel non; nam affectus sanguinei siue à sanguine orti, sanguinis euacuationem indicant, potissimum si magni sint, vt sunt febres synochæ, siue continentes, & inflammationes, & ferè omnes febres putridæ, ardentesque humorales, alij autem affectus, vt cholera morbus, melancholia, cancer, atque similes qui ortum ducunt ab humoribus multùm à sanguine diuersis, potiùs purgationem, quàm sanguinis missionem indicant, etiamsi sint morbi magni; nam etsi verum sit quod morbi magnitudo, virium robur, & ætas florens indicant sanguinis missionem genericè in morbis materialibus, non solùm à sanguine ortis, verùm etiam in aliis qui ortum ducunt ab aliis humoribus à sanguine, non tamen cum tales humores multùm distant à sanguine, sed cum parum distant, aut non multùm; ij enim potiùs, purgatione, quam sanguine misso debent educi: quare in morbis, atque in eorum curatione morbi species, & eius magnitudo indicant sanguinis missionem.

In sanis etiam corporibus & in illis, 283
qui adhuc consueta obeunt munia, sanguinis euacuatio indicatur, cum talia corpora plenitudine laborant, vel in toto corpore; vel in aliqua parte principe, vt in capite, hepate, in faucibus, aut pulmonibus, si respirationem offendunt, nam tales plenitudines non solùm sunt spontaneæ & morbos denunciant, sed & magnos, & per consequens indicant sanguinis missionem, qua euacuentur, & sic præcaueantur morbi imminentes, siue venturi ob dictas plenitudines: nam quæcumque præsentibus iam morbis rectè faceremus, ait Galenus ex Hippocrate lib. de sanguinis missione capit. 9. *melius est vt hæc, incipientibus ipsis, vel iam imminentibus anteuertendo faciamus*: in sanis igitur plenitudine laborantibus, plenitudinis quantitas, & qualitas est attendenda; quantitas, inquam, an magna sit an parua; & qualitas, an sit ad vires, aut ad vasa, an sit sanguinea, biliosa, pituitosa, aut melancholica: quæ enim plenitudo magna erit multam sanguinis euacuationem indicat; parua verò, neque semper indicat sanguinis missionem, sed aliis satisfacit inedia, ait Gal. aliis cibi parcitas, aliis frictio, vel balneum, aut exercitatio, aut istiusmodi aliud remedium parùm euacuans: sic etiam plenitudo quæ ad vires est non indicat tam copiosam euacuationem, aut sanguinis missionem sicuti plenitudo ad vasa, neque plenitudo biliosa, pituitosa, aut melancholica, vti sanguinea, neque denique plenitudo particularis, vt quæ est totius corporis; vnde benè dicit Galenus quo ad benè mittendum sanguinem, debet Medicus attendere, quantitatem, & qualitatem plenitudinis, siue sit grauatiua, seu ad vires; siue tensiua, seu ad vasa.

284 Sic expositis indicantibus sanguinis missionis, in secundo loco vires sunt attendendę, non solùm in ægrotantibus, sed similiter, in sanis, vt sanguinis euacuatio exerceatur tutò; nam vt ipse Gal. ait 1. aphor. com. 3. *donec vires tolerant, & nondum laborant, tentandum est exsuperantem humorem educere: cum verò dissoluuntur, etiamsi restent superuacua, cauere eorum euacuationem conuenit.* Dicit autem bene cum vires dissoluuntur cauere oportere euacuationem, quia virium imbecillitas in defectu consistit, vt non semel est ostensum, & ita adiectionem potiùs, quàm detractionem requirit. Tertiùs scopus considerandus in sanguinis missione, considerandus & attendendus, est habitus corporis naturalis, an scilicet homo cui sanguis mittitur, sit molli, ac laxa carne præditus, an è contra densa, ac solida; habitus enim hic idem est, ac corporis consistentia, vt docet Gal. 4. *de rat. vict. comm.* 22. id est partium eius carnosarum constantia, quippè, qui densis solidisque carnibus constant, ac quasi duris habitum habent firmum, siue robustum, & ideò ex Gal. 1. *ad Glauc.* 14. largam sustinent euacuationem: è contra qui carnes habent laxas, atque tenellas vires pariter habent parum firmas, & habitum corporis; quare vacuationes male ferunt, vt qui ex se resoluuntur nimis; quartò in sanguinis missione tempus anni est expendendum ex eodem Galeno *loco citato*, an scilicet sit temperatum, quale in vere solet esse an potiùs supra modum calidum, aut frigidum, vt in æstate, atque hyeme ferè semper esse experimur: siquidem in calido tempore ait Gal. improbe vacuati syncope, & resolutione intereunt, quia calor feruidus ambientis foras euocat calorem nostrum natiuum, atque dissipat, sicque corporis habitum reficcat, & imbecillem reddit: similiter euacuati improbe per sanguinis missionem in tempore nimis frigido suffocati pereunt: in frigido enim tempore habitus corporis refrigeratur: si verò corpus antea abunde refrigeratum, si sanguis detrahitur, non solùm sanguine fuso magis refrigeratur, sed & calor natiuus ad centrum retrahitur, scilicet victus à frigore externo; tuncque in febribus per accessionis initia magis reconcentratus ita obruitur, ac suffocatur, quod postea non possit, ad externas partes redire, sed in totùm perit suffocatus. Propter easdem causas etiam in sanguinis missione est quinto loco attendendum numquid regio, in qua aliquis ægrotat, sit supra modum calida, aut frigida.

285 Sextò attendendus est ante sanguinis missionem victus præcedens: an videlicet cibis, ac potionibus multis, multùmque nutrientibus vsus sit, qui vacuandus proponitur an non: qui enim in victus ratione moderati sunt iuuantur per sanguinis missionem, incontinentes verò ebrijque, ac gulæ dediti, neque purgatione, neque sanguinis missione iuuantur, quia per victus intemperantiam, celeriter humorum multitudinem coaceruant: quare hos curare non oportet, ait Galenus *lib. de sang. missione, cap.* 7. vlterius ad sanguinis euacuationem consuetudo est obseruanda; cum enim consuetudo sit facilitas, aut procliuitas, eodem modo semper agendi, aut patiendi, in rebus naturæ tam amicis, quàm aduersariis, vsu comparata; idcircò, qui vacuationibus sunt assueti, & parco cibo vtuntur modò reliqua consentiant, intrepide vacuantur: è contra, qui vacuationem antea non sunt experti, ij si solam mentionem sanguinis missionis audiant, timent, vel pauescunt, vtpotè quia insolitum, atque iniucundum audierunt, potissimùm si fuerint meticulosi: quare istorum multi sanguinis missionem non sustinent sine detrimento, aut periculo animi deliquij. Vnde qui nunquam antea vacuationem sunt experti, neque integram pertulerunt inediam, sed largo cibo vsi sunt; ij sanguinis missionem, inediamque citra noxam non ferunt, ait Gal. 1. *ad Glauc. cap.* 14. Octauò, in mittendo sanguine est attendendum quo vitæ genere vsus sit æger, aut quo genere exercitij, qui enim multis motibus, vel aliis exercitiis crebrò vtuntur, & excrementitiis humoribus vacant, & viribus pollent robustis, quapropter vacuationes facilè tolerant; contra qui otiosam vitam agunt, excretionesque negligunt, languescunt, atque cruditatibus replentur, indeque euacuationes malè ferunt, præsertim si sint largæ.

Nonò considerandum est in sanguinis 286
missione, nunquid excretiones consuetæ, vel earum aliqua, sint suppressæ, necne? Verbi gratia in viris an hemorroides, quæ fluere solebant, cessauerint, & in mulieribus menses per circuitus consueti; similiter an alicui membrum aliquod notabile sit amputatum, vt totum brachium, aut crus, &c. quibus enim solitæ vacuationes præter naturam detinentur; hos intrepidè euacuare conuenit, ait Galenus, ne ex suppressis talibus euacuationibus suffocetur calor natiuus: sicque in anasarca, quæ ex suppressis mensibus, aut hæmorroidibus est nata, aut ex alio membro mutilato, venam secamus audacter, quamuis alias hydrops anasarca, vt quævis alia respuat sanguinis missionem. Tandem in sanguinis missione est attendendum an æger sit gracilis, aut obesus: qui enim graciles sunt affatim, aut in multa quantitate vacuari non possunt propter virium imbecillitatem, vel saltim ob defectum carnis & sanguinis; nam graciles ideò extenuati apparent, quia eorum habitus vel partes solidæ priuantur debita mole carnium, & sanguinis, atque aliorum humorum naturalium; nam & ij in porositatibus corporis imbibiti, moderatam corpori conferunt molem, seu corpulentiam, vt experimur in illis qui affatim, aut copiosè semel euacuantur: qui etiam sunt obesi debiles sunt ob defectum sanguinis, sunt enim in eis venæ angustæ, vt 2. *de temp. cap.* 4. docetur, & per consequens

parcus

parcus in eis est sanguis. Quare & debilis est naturalis virtus; in illis etiam in quibus superius os ventriculi est languidum, aut multa bile amara offenditur, languent vires: quare neque sic affecti possunt sine magna noxa ferre sanguinis missionem.

187 Hæc decem capita ad conuenientem sanguinis missionem faciendam requisita, hic placuit afferre in fine libri, vtpotè, quia in hoc nono libro totus positus esse videturGal. in explicādis indicationibus sanguinis missionis, aut quæ potissimùm conferunt ad sanguinis missionem rite exercendam: vt enim in toto hoc opere de methodo medendi explicat Gal. qualis esse debeat in morbis curatio, eamque statuit in recta remediorum administratione potissimùm sanguinis missionis, purgationis, & diætæ sui victus rationis; ita *in præsenti lib.* 9. exemplo curationis febrium synocharum, seu continentium, quæ larga sanguinis vacuatione curantur, agit de recta executione siue de recta inuentione, atque administratione sanguinis missionis non solùm in dictis synochis febribus, sed in aliis omnibus morbis, qui tali remedio curantur: quare hic rectè colliguntur dicti scopi, atque cautiones, quas medicus attendere debet in executione sanguinis missionis. Sed dices: ex Hipp. 4. *de rat. vict.* 19. in acutis passionibus sanguis extrahitur, si vehemens est morbus, si vires constant, & ætas est florens: quare vt sanguis mittatur benè, atque ex arte non requiruntur tot capita quot sunt proposita. Respondetur negatur consequens: nam tametsi tria ab Hippocrate tradita sunt quæ absolutè indicant sanguinis missionem, atque consentiunt; quantitatem tamen, & alia requisita integrè non explicant, sed requirunt reliquos scopos dictos, qui coindicant simul cum ipsis debitam quantitatem sanguinis missionis, tum & eius vsum tutum.

TEXTVS.

Cùm verò affectus numerosi sint, cuique eorum sua est, &c.

188 HÆc est 2. cap. pars; in qua Gal. vt ad librum sequentem se disponat, agit de ordine librorum, qui in hoc opere continentur: demonstraturus igitur Gal. de quibus vsque nunc actum sit, & quæ sunt, quæ adhuc restant agenda; demonstrat priùs ex Plat. quam methodum constituendæ artis hîc obseruauerit: cum ergo ex Plat. *in Phedro* sciret Galenus quod qui rectè de aliqua re agere vult in primis debet aduertere, atque distinguere, an res de qua agit simplex sit, an verò multiplex: & si multiplex, in primis esse diuidendam à summis generibus, vsque ad infimas species, & esse sciendum de quálibet specierum quid agere possit, vel ab alio pati: hæc inquam ex Platone sciens Gal. & pariter videns quàm numerosi sunt morbi, aut affectus morbosi, qui curationem postulant, quodque cuique eorum sua est peculiaris curationis indicatio, aut propria curatio: idcircò nunc duo facit; nam primùm omnes morbos diuidit; & singulorum proprias curandi indicationes docet: post hæc tandem refert de quibus sit actum huc vsque, quæque adhuc restant agenda, iuxta debitam methodum aut agendi rationem omnibus dispositis.

Agit itaque Gal. rem propositam quasi in hunc modum: Cum affectus morbosi, qui curationem postulant, sint numerosi, & tribus inter se distincti generibus; siquidem morbi alij sunt proprij partium similarium, alij proprij organicarum, & alij communes partibus similaribus, atque organicis: cumque cuique istorum sua sit curandi diuersa ratio, & singulorum omnium morborum particularis curationis indicatio: cum inquam hæc sic se habeant; consequenter desiderant, vt de singulis agatur rite, quòd in primis singula distinguantur, & cuiusque generis proprias differentias, primasque omnium curationis indicationes explicemus, quas generales, aut communes appellant; deinde, quæ ex illis oriuntur, donec sic ad infimas species, & curationis indicationes, quæ amplius diuidi nequeunt perueniemus: quare à morbis partium similarium, vtpotè quæ primæ sunt, & vnde organicæ componuntur sumpto principio, explicatisque istorum differentiis in 1. & 2. *lib.* scilicet tum propriis, tum quæ communes sunt similaribus, & organicis, quæque in solutione continui consistunt; agit de iis per quatuor sequentes libros, nempè in tertio, quarto, quinto, & sexto, vsque ad septimum: Iis ergo sic actis, aggressusque curationem morborum, qui proprij sunt partium simplicium, siue similarium, nempè octo intemperies, quatuor simplices, scilicet calida, frigida, humida, & sicca, & quatuor compositæ, calida & sicca, calida & humida; frigida & humida, & frigida & sicca: agressus inquam Gal. horum morborum curationes, quia istæ intemperies possunt esse, vel in toto corpore, vt patet in febribus, vel in vna solum corporis parte, verbi gratia in ventriculo; ideò in 7. *lib.* de curatione earum in ventriculo egit, demonstrauitque omnes curari per contraria; atque ideò vt octo sunt diuersæ intemperies dictarum partium, ita octo modis diuersas esse indicationes, aut curandi rationes quibus medentur, vel ad statum naturalem debent reduci. Cum ergo *lib.* 7. exemplo ventriculi intemperati egerim, ait Gal. de curatione intemperierum, quæ in partibus particularibus nostri corporis reperiri possunt; in duobus deinceps libris, nempè octauo & nono præsenti ad eas quę in totum animal se extendunt venientes, primùm agere de febribus placuit: cum febris sit calor prætet naturam accensus in corde,

189

& inde toti corpori communicatus: atqui quoniam ex febribus aliæ sunt, quæ adhuc sunt, manetque cum ipsis causa, quæ eas excitauit, aliæ verò sunt factæ iam, & quæ eas accendit causa iam abiit: satius visum fuit de iis primùm agere, quæ sine causa sunt, vtpotè, quæ simplicem primam habent solam curationis indicationem, deinde de illis agere, quarum in corpore causa subsistit, hæ enim non simplicem, sed duas habent curationis indicationes, scilicet à febre, & eius causa: quare earum curatio est maioris artificij; atque proinde à facilioribus exorsus Galenus egit *lib.* 8. de curatione febrium diariarum, quæ propriæ sunt diariæ, quæque vt tales carent causis conseruantibus in 9. verò præsenti egit de synochis sine putredine, siue de diariis nothis, quæque licet diariæ sint natura, cum non sint putridæ, neque hecticæ, sunt tantum diariæ illegitimæ, cum causam habeant secum conseruantem, scilicet sanguinem feruidum, ac redundantem; quique vt talis non solùm vacuari, sed refrigerari, vt ipsa febris desiderat. Finit autem sic hunc librum Galenus vt inde in sequenti rursus dicere possit quod sicut febres diariæ sunt ex se simplices affectus, & sine causis à quibus dependeant; ita & hectica, atque proinde finitis diariis de hecticis sequitur agendum, & postea de putridis, quæ simul cum causis coniunguntur, & per consequens postulant febris & causæ ablationem: quibus absolutis pariter methodi omnes ad curandos partium similarium explicatæ manebunt; & proinde in vltimis libris duobus de morbis instrumentorum agetur, deque eorum medendi methodis, vel peculiaribus curandi rationibus.

Dubitationes super Textum.

290 Tres dubitationes decidendæ oriuntur ex iis quæ in præsenti cap. tradnntur. 1. Est an pueri possint sine noxa sustinere sang. missionem. 2. Est an quæ impediunt sanguinis missionem in totum vetent an potius limitent. 3. Denique qua recta ratione curari poterunt ægri, qui vt curentur indigent sanguinis euacuatione, & tamen illam nequeunt sustinere. Quoad 1. ergo attinet Gal. non solùm in præsenti cap. sed & supra *lib.* 4. *cap.* 6. & *lib.* 8. *cap.* 4. & ferè in omnibus locis vbi de sanguinis missione agit, excipit senes, & pueros, vt qui ferre nequeant talem vacuationem; senes scilicet, quia sunt debiles, aut sine viribus requisitis ad illam tolerandam, & pueri quia continuo per insensilem transpirationem multùm vacuantur; propter pueritiæ temperaturam, quæ nimis dissipatur ob eius temperamentum calidum, atque humidissimum. Iis tamen non obstantibus experientia demonstrat in hac saltim nostra Hispania quod pueri, non solùm ante 14. annum tolerant sine noxa sang. missionem; verùm etiam infantes vnius anni: quare iis nostris temporibus pueri & infantes ferè ab omnibus recentioribus Medicis curantur per sang. missionem, si in sua ætate sint vigorosi, aut non deiecti & acutis laborent morbis, vt angina, intensa febre, epilepsia, aut apoplexia ex plenitudine sanguinis ortæ. Quod autem pueri, imò & infantes in dictis casibus curentur benè per sang. missionem probatur tum auctoritate ipsius Gal. tum ratione ex natura rei petita: auctoritate quidem, quia relictis aliis. Gal. 6. *epid. p.* 1. *comm.* 19. fatetur non solùm prodesse pueris morbo acuto laborantibus fluxum sanguinis è naribus, sed etiam eos à morbo liberare; etiamsi ex alia parte habeant continuam ætatis pueritiæ vacuationem: quare si in tali casu fluxus sanguinis è naribus non fiat, si arte suppleatur sanguine misso poterit prodesse: ratione etiam sic ostenditur; fieri potest quòd pueri laborent morbo acuto, qui præsentaneam postulet sanguinis euacuationem ne citò interimat, vt si angina suffocentur, aut apoplexia ob phlegmonosam cerebri dispositionem: ergo in iis casibus sanguis est mittendus, cum naturalis puerorum euacuatio non sufficiat, quia fit paulatim.

Itaque si pueri sint in se vigorosi, licet eis ante 14. annum sanguinem mittere; imò in hac nostra regione, & infantibus vnius anni; & benè ferunt, vnde pueritia, vel ex ipso Gal. *lib. de sang. missione*, *cap.* 14. & *lib.* 1. *ad Glauc. cap. etiam* 14. est scopus, qui moderatur quantitatem sang. missionis, non autem totaliter impedit: sic enim habet loco citato de sanguinis missione: minùs euacuamus, quàm plenitudo postulat, per ætates in pueris, per habitum corporis in candidis: *lib. etiam ad Glauc.* sic concludit. Iis ætas, tanquam symptoma quod affatim vacuare prohibeat, annumerari potest; neque enim pueri, neque senes sine molestia hanc vacuationem sustinere possunt: hos igitur efflagitante vacuationem affectu, non semel, neque affatim, sed paulatim vacuare oportet. Sed si hæc ita se habent, quid dicemus ad alia quæ in contrarium posita sunt ex Gal. Respondetur quòd sang. missio apud Gal. & alios antiquos absolutè prolata, significat, non quamlibet sanguinis euacuationem sed copiosam semel, & affatim factam per venæ sectionem, vt ex modo traditis ab ipso constat: ac consequenter pueritia, & senectus, vt & vigiliæ, atque dolores vehementes, & alia similia sunt accidentia, quæ vt ait Gal. prohibent sanguinis euacuationem, non quidem moderatam, sed copiosam, siue in maxima quantitate subitò factam; antiqui siquidem Medici magnos morbos materiales curabant, non vt nos nunc facimus repetitis vacuationibus moderatis, sed vnica semel & affatim facta copiosa euacuatione per sang. missionem, aut purgationem prout morbus vehemens, & redundantia humorum indicabant; si scilicet vires constabant, & ætas erat florens, & natura laborantis, & regio, & anni tempus & habitus corporis, & alia supra dicta consentiebant: quare cum Gal. dixit quod ætates, & alia dicta impediunt sang. missionem loquitur 291

quitur de sang. missione, quæ est remedium morborum acutorum, ex quibus præsentaneum timetur periculum mortis, nisi secta vena, & sanguine fuso in multa quantitate subueniatur: vnde ortum duxit quòd sanguinis missio & purgatio dicantur magna remedia euacuatiua, quia scilicet hæc non euacuent in pauca quantitate, & tanta copia quanta sit satis ad morbi magnitudinem, & corporis plenitudinem subitò & semel educendam: quod sanè debet ita fieri, si vires ad alia dicta consentiant; si verò repugnant, omittitur hæc sanguinis missio, aut suppletur repetitis vicibus facta in moderata, aut pauca quantitate, quia has tolerant benè, & non illam magnam: vnde patet, quòd quando Gal. excipit pueros à sang. missione, loquitur de copiosa illa, quæ semel & subitò fit, & non de aliis quæ fiunt in pauca, aut moderata quantitate: sic enim misso sanguine, & pueri & senes, & prægnantes tutò curantur, si alia consentiunt, & ipsi non sint debiles, vt Celsus dicit *lib. 2. cap. 10.* de quibus latè *expos. 5. cap. 14. v. 262. & lib. de sanguinis missione.*

292 Erat 2. dubitatio an quæ impedire dicuntur sanguinis missionem in totum eam tollant, an solùm limitent aut moderentur, vt de ætate puerorum, ac senum dictum est? Cui breuiter respondetur, quòd quæ impediunt, aut limitant sang. missionem, limitant eam, aut in totum impediunt, quia vires in eis non vigent, sed vel debiles sunt, vel parum firmæ; quare si benè supra *cap. 15.* diximus, quòd vires solum cum sunt extremè debiles impediunt, atque in totum contradicunt sanguinis missionem: consequenter hic dicimus tunc solùm impedimenta supra posita impedire sang. missionem, quando in eis vires sunt extremè languidæ, vel quando sanguis in quantitate maxima vacuandus proponitur: cum enim vires sunt extremè languidæ nullam possunt benè sustinere euacuationem, & præsertim sanguinis, neque possunt vires benè tolerare copiosam sang. vacuationem, semel, ac subitò factam, nisi in se sint robustæ, atque benè firmæ; & cetera omnia dicta consentiant, nempè ætas florens, tempus anni temperatum, vt ver, vel saltim à temperamento non multum recedens, quale esse solet non solùm in æstate, atque hyeme, verùm etiam in autumno; natura pariter laborantis, atque regionis, temperata, habitus corporis quadratus sanguine abundans, & benè compactus, densus, ac durus, non laxus, candicans, aut mollis, neque extenuatus: quare impedimenta dicta rarò in totum impediunt sanguinis missionem, quia scilicet rarò in eis vires ad extremam debilitatem perueniunt; semper tamen impediunt euacuationem dictam extremam, aut maximam semel ac subitò factam, quamuis hanc diminutam, aut in moderata quantitate sæpè ferant sine noxa aliqua: ex quibus liquet, quod dicta impedimenta potiùs limitant, quàm tollunt in totum executionem remedij propositi, nempè euacuationem sanguinis per venæ sectionem.

Tandem erat dubitatio, qua recta ratione 293 curari possint ægrotantes qui ad sui curationem indigent sang. missione & tamen hæc adhiberi nequit, aut quia vires nequeunt ferre, aut ex alio cap. impeditur in totum? Respondet huic dubio Gal. 1. *ad Glauc. cap. 14. citato* in tali casu esse supplendam sanguinis euacuationem mediocribus inediis, frictionibus, mollibus clysteribus, fomentis, cataplasmatis, & balneis, prout indicationes suadebunt. Quasi dicat Gal. si acciderit quod ægrotus indigeat magna aliqua euacuatione ad sui curationem & per consequens indigeat sanguinis missione, aut purgatione, & tamen neutra istarum fieri possit; in hoc casu quod per sanguinis missionem, aut purgationem vacuandum erat, vacuari debebit aliis remediis vacuatoriis, scilicet inediis, frictionibus, &c. Etsi enim hæc remedia euacuatoria parua sint, id est parum vnica vice possunt vacuare, in hocque maximè differunt à sanguinis missione, & purgatione & per consequens multò minùs, quàm ista possunt vrgenti necessitate succurrere; si tamen morbus dat inducias, & possunt continuari, sic quidem pariter possunt supplere vices dictorum magnorum auxiliorum euacuantium: præsertim si ea adhibeantur, & cotinuentur, quæ magis conferunt ad indicationes morbi, eiusque causas subuenien das, vt si in morbis ortis ex cruditatibus inediæ potissimùm imperentur, & continuentur, in morbis siccis balnea, in febribus & ventriculi repletionibus clysteribus in fluxionibus frictiones reuellentes & similiter in aliis morbis; quamuis in singulis omnibus sit vtendum, vt intentum consequatur, cum omnia sint remedia parua, & intentum sit euacuare multum. Et hæc de 3. expositione; ad maiorem Dei gloriam, atque Deiparæ Virginis Mariæ.

COMMEN



COMMENTARIVM
IN DECIMVM
GALENI LIBRVM
de Methodo medendi.

EXPOSITIO QVARTA.

PRÆFATIO
Continens totius Libri institutum.

1 NTENTVM Galeni est in hoc 10. Lib. demonstrare qua ratione sunt curandæ febres hecticæ, quæ non sunt consummatæ, aut omninò incurabiles: etsi enim omnes febres hecticæ sint habituales id est factæ habituales in partibus solidis nostri corporis; non ideò tamen omnes sunt insanabiles, sed quæ earum consummatæ dicuntur, aut marasmodes, vt infrà latiùs dicemus, quare de aliarum curatione instituit Galenus nunc agere: hoc autem vt clariùs demonstret, agit priùs de curatione earum febrium diariarum, quæ quamuis re vera, solùm sit diaræ, aut potiùs diariæ quàm hecticæ; sunt termini tales quod licet legitimè curentur, possunt facillimo negotio, & quasi necessaria sequela, transire in hecticas: vt enim febres synochæ sine putredine febres sunt diariæ, sed quæ possunt facilè transire in putridas, nisi citò, ac legitimè cureutur, vt *libro super.* abunde est ostensum: ita quidem febres dictæ diaræ, de quibus in hoc lib. 10. agit Galenus sunt tales quod nisi citò, ac legitimè curentur, degenerant in hecticas, & quidem facillimo negòtio, atque breui temporis spatio potissimùm si in earum curatione, aliquis committatur error: vnde *in hoc lib.* duo præstat Galenus primum saltim absoluit curationem febrium diariarum; secundùm verò docet quia recta methodo siue ratione debeant curari Hecticæ; dixi autem eum aduertentia, quod Galenus absoluit hîc curationem febrium diariarum, quia in rei veritate ita est; nam vt hîc agit Galenus de illis tamen febribus diariis quæ specialiter in hecticas possunt mutari, ita specialiter istarum curationem reseruauit, vsque ad hunc locum: agit siquidem Galenus de illis febribus diariis in corporibus biliosis, atque

gracilibus

gracilibus genitis, ex inedia, laboribus, vigiliis, aut aliis ſimilibus externis cauſis, à quibus non ſolùm corpora ſicca, ſeu gracilia magis exſiccantur, aut extenuantur, ſed & humores biliofi bileſcunt magis, id eſt magis excandeſcunt, & longè magis excandeſcunt, acres, atque mordaces fiunt; quare iſtæ febres, quamuis diariæ ſint, & non putridæ, neque hecticæ poſſunt tamen in hecticas facilè tranſire, ſi ſiccitas & calor corporis, atque humoris biliofi, alimentis, ac medicamentis humectantibus refrigerantibus, & nutrientibus, non corrigatur: non enim hic aliqua eſt adhibenda purgatio, aut humoris biliofi atque vitioſi vacuatio, quamuis peccet, & ſit cauſa iſtarum febrium, quia ſaltim non peccat quantitate; ſed potiùs qualitate, atque defectu; quare refrigerari poſtulat, humectantibus non ſolùm, ſed etiam fieri dulcem atque ad ſtatum naturalem redire bonis nutritus alimentis, potiſſimùm in principio acceſſionis, quamuis in aliis cibum dare noceat.



CAPVT PRIMVM.

Quomodo ſe debeat gerere medicus, quando contrariæ ſeſe offerunt indicationes.

1 

T in ſequentibus poſſit Galenus faciliùs docere rectam methodum curandi febres diarias, quæ ſunt proximæ ad hecticas, explicat in hoc cap. 1. & in ſequenti ſecundo, quænam ſit natura talium febrium, atque quales ſint indicationes curatiuæ, quæ in eis reperiuntur; hæc autem vt rectiùs demonſtret, ſupponit quod ex febribus, aliæ ſunt affectus ſimplices; id eſt tales quod in eis ſolus calor præter naturam adauctus reperitur vtpotè cauſis, quæ eas primùm excitarunt iam adeptis; vt febres diariæ, & hecticæ ſæpè eſſe ſolent; aliæ verò ſunt febres compoſitæ; id eſt tales quod in eis, cauſa quæ eas accendit adhuc manet, vt febres humorales, & putridæ ferè ſemper eſſe conſueuerunt; quæ quidem, vt ſic ſe habent pariter ad earum curationem diſtinguendæ ſunt, quia diuerſimodè curantur, nam in quibus cauſa adhuc permanet, veluti non eſt ſimplex, ſed multiplex, ita & indicationes ſunt plures: Vbi verò indicationes multæ ſunt, atque inter ſe diuerſæ, aut oppoſitæ curationem poſtulant longè aliam ab affectu ſimplici, quare hanc in 1. *hoc cap.* explicat, vt eam in ſequentibus in particularibus ſe exerceat, & ſi enim hæc febrium communis curandi ratio potiùs febribus putridis quàm diariis, aut hecticis pertinere videatur; nam febres putridæ, ſunt quæ ſemper aut ferè ſemper habent ſecum coniunctam, ac permanentem cauſam efficientem veluti, è contra diariæ atque hecticæ, ſemper, aut ferè ſemper ſi affectus ſimplices, præter naturam, à cauſis independentes, etſi inquam hæc ſic ſe habeant; hæc tamen dicta communis methodus, curandi febres, quæ cum ſuis cauſis complicantur, rectè traditur, quia tenera febres diariæ de quibus in ſequentibus acturus eſt Galenus ſunt humorales atque ex ferveſcente bile generantur, & per conſequens non ſunt affectus ſimplices, etiamſi febres, ſint diariæ, & non putridæ, & ſi verò in hoc cap. Galenus potiſſimùm dictam curandi methodum explicat, & qua ratione ſeſe debeat habere medicus oſtendit cum contrariæ coincidunt curatiuæ indicationes, etiam priùs docet qua ratione curantur diariæ aut aliæ febres, quæ ſimplices ſunt morbi, & cur in complicatis febribus cum cauſis, non ſolùm indicationes curatiuæ, ſumuntur à febre, ſed etiam à viribus quare caput diuiditur in tres partes diuerſas,

---

TEXTVS.

Ergo in diariis febribus ſimplex quidam eſt in corpore, &c.

IN hac 1. capitis parte explicat Gal. quod affectus præter naturam ſimplex, verbi gratia febris diaria habet ſimplicem curationem; compoſitus verò, aut affectus complicatus cum cauſa compoſitam: Veluti enim, ait in febribus diariis ſimplex eſt præter naturam calor in corpore, cauſis quæ hunc primum excitauerant iam demptis; ita in eis faciendorum indicatio ex ipſa maximè capitur febre; & per conſequens ſimplex aut vnica eſt talium febrium ſanatio: in quibus verò febribus cauſa quæ eas accendit adhuc manet, vt in putridis; in iis neque affectus eſt ſimplex, neque curatio, ſed duplex: ſiquidem quod febris iā in corpore receptū eſt, id eſt factū, ac permanens, id ex propria ipſius curandi ratione indicat ſui ablationē, ſaltim per ſuum contrarium, nempè per refrigerationē, aut per mediū refrigerans, qualis eſt aqua: quando verò febris tantùm eſt in fieri, vel adhuc eſt quid futurum, id propulſari indicat, ne ampliùs protrahatur, & vitare ne fiat quorum vtrumque 3

vtrumque vitabitur haud dubiè, si quæ excitat causa prorsus submoueatur, quæ enim nondum facta sit, vel futura vel in fieri, tamen ita à causa efficienti dependet, quod subitò cessent,ac penitus vitentur, si quæ excitat causa sit prorsus ablata; quare in diariis simplicibus faciendorum siue curationis indicationum; ait Galenus ex ipsa febre maximè capiemus; sed cum illa naturam & ætatem, & consuetudinem, prætereа anni tempus, cœli statum, & regionem, & vires simul expendentes vt latè *lib.* 8. est demonstratum, in reliquis verò febribus, quæ accessionis suæ causam intus habent, prima indicatio ab ipsa sumetur causa; verbi gratia in putridis febribus, in quibus putredo est causa; hæc sananda est 1. deinde extinguenda febris, quæ per eàm iam accensa est, siue facta: prius enim, ait ipse in Arte Medicinali *cap.* 89. vnamquamque prius abscindere causam deinde ad eam, quæ facta est, dyscrasiam, siue intemperiem est deueniendum; quia vt *lib.* 7. *cap.* 11. dicebat nullus affectus, potest ad perfectionem sanari, manente illa, vnde natus est causa; quia causæ generantes sunt etiam causæ conseruantes, si non auferantur; quare benè dicit quod in quibus febribus causa manet, & 1. est curanda sed aduertit hic quod si in diem consentiant, & quæ febrem extinguunt, & quæ eius causam oppugnant, vt si febris oriatur ex efferuescente, atque deusto humore bilioso, in tali casu, cum vnum sit, in quod vtraque conspirant, tum febris, tum eius causa, sine cunctatione agendum est: nam cum concordes sint indicationes, etsi plures sint debent omnes exequi; si verò febris quæ iam accensa est, curatio causam illius est augmentatura aut quæ causam auferunt, febrem exasperant; tunc diligens consideratio habenda est de remediorum specie; videndumque benè est cui prius, cui posterius, sit succurrendum cum sint contrariæ indicationes, aut tales quod simul nequeunt fieri.

TEXTVS.

Sanè diligenter considerauerit qui totam deliberationem,&c.

4 HÆc est secunda capitis pars in qua Galenus explicat qua rectа methodo se gerere debeat medicus in curatione febrium, quando in eis contrariæ reperiuntur indicationes quarum altera oritur à febre,altera à causa: etsi enim de contrariarum indicationum administratione,abunde dixerat Galenus *lib.* 7. *cap.* 12. hic tamen quia in particulari differit de febribus, cum suis causis complicatis, agit pariter in speciali de recta methodo exercendi indicationes, quando indicatio quæ à febre sumitur indicationi, quæ sumitur ab eius causa opponitur,& è contra. Neque est inutilis repetitio; sed frugifera & necessaria quia contrariarum indicationum complicatio,habet aliquid peculiare, ac diuersum ab aliis, ideóque debet agi de eo in particulari, & integrè explicari;sic enim ab vniuersalibus ad particularia progreditur benè, & omnia explicantur, quin aliquid vtile relinquatur, & ideò etiam in sequentibus capitibus repetit Galenus quæ lib.8.docuerat de curatione febrium diariarum, in corporibus squalidis atque pierocholis, quia specialis curatio est in eis, atque in accessionibus istarum, & similium febrium diariarum, quod autem specialis contrarietas sit, quæ reperitur inter indicationes contrarias, quarum vna sumitur à morbo, & altera à causa patet ex eo quod in aliis contrariis indicationibus, vrgentiori est prius succurrendum, in iis verò à causa ablata est incipienda curatio febre non neglecta, vt statim cum Gal. palam demonstrabimus.

Itaque qui in contrariis indicationibus, 5
quarum vna sumitur à febre, vel ab alio morbo & altera à causa, vult scire cui prius debet occurrere, & cui posterius, is quidem diligenter ait Gal. distinguere debet & æstimare hæc tria quæ sequuntur saltem, an febris sola, tunc curanda sit, non solicito de causa, an è causa sit oppugnanda, non curante de febre; an denique alteri earum plurimùm remediorum, sit adhibendum non tamen altera neglecta, in tali siquidem duarum indicationum oppositione, tria dicta dubia dantur examinanda ad rectè curandum, imò & quatuor: nam reuera tertium dubium petit aliud, quia posito quod plurimùm remediorum ad alteram indicationum sit adhibendum non neglecta altera, sequitur inquirendum, quænam earum erit, cui priùs, atque potissimùm erit succurrendum quod etiam facit postea, Gal. hic vt videbimus: Positis igitur dictis quæsitis respondet Galenus sic: at quod 1. loco dictum est prouocare non debemus; & ratio est quia si quibus præsidiis febrem oppugnamus, ea effectricem eius causam augent; siquidem potiùs febrem comparabimus, quàm eius generationem inhibebimus: nam & generatio febris, effectricis causæ speciem siue potentiam imitatur, & magnitudo eius cum illa pariter increscit. Vnde liquidò infertur quòd parum antea diximus, nempè quando indicationes, à febre & eius causa desumptæ sunt inter se contrariæ, vt accidit in febribus pituitosis, à causæ ablatione est incipienda curatio, & non è contra; quia vera morbi curatio, est causarum remotio, & morbus curari nequit manente illa, vnde natus est causa. Neque valet si dicas ex Gal. *lib.* 8. *cap. vltimo* indicationem febris cæteras omnes obscurare; quia ibi non comparat febrem cum causis, neque ibi agit de febre cum causa; sed comparat febrem cum natura laborantis, ætate, consuetudine, anni tempore, & regione, & indicationes quæ ab ipsis sumuntur quas omnes febris obscurat, vt hic è contra à sua causa obumbratur.

Sic exposito primo dubio,accedit Galenus, 6
ad

ad secundum, dicitque quod secundo loco diximus, si id distinguemus poterit esse non incommodum; quasi dicat quod secundo loco diximus si id dubitabimus, saltim an in febribus quando indicationes à febre & eius causa desumptæ sunt contrariæ, causa sit prius curanda non curata febre, si benè intelligatur, poterit esse non incommoda talis curatio: nam in supposita contrarietate, aut oppositione febris, cùm sua causa, sanè plerumque causæ maior est vis, quia effectus tollitur per ablationem suæ causæ; atq; proinde si magnitudo febris quæ contrariatur suæ causæ intolerabilis ægro non sit, sed ita mediocris, vt quo tempore contra causam tamen pugnas, vires eius non sunt obruendæ; vbique contemnendus non est, sed exequendus, cùm febris simul & causa sæpè solvatur ablata causa: fieri tamen aliquando potest, vt ea sit febris magnitudo quæ præsentem perniciem afferat ægrotanti, nisi ei Medicus occurrat: quare in hoc casu oportebit febris vehementiam illicò frænare, aut temperare, & hac priùs semota, deinde ad causam accedere: nam si intolerabilis ægro fuerit magnitudo febris, permittendum non est, vt quæ causam curant, aut auferunt febrem adaugeant, magisque intolerabilem faciant; sic enim vtrumque simul & febrem & ægrum tolleremus, quia natura nostra magnam aut intolerabilē noxā sustinere non potest, sed ab ea devincitur, & viribus dejectis succumbit, atque emoritur: vnde tertius modus succurrendi iis contrariis indicationibus non est contemnendus, ait Gal. qui saltim contra id cuius maius est momentum, instare jubet, altero omnino non neglecto, sanè plerumq; causæ maior est vis: quare & in causæ cum morbo complicatione atque oppositione causæ potissimùm erit consulendum, morbo non neglecto; sed in quantum eius vehementia permiserit: nam cum morbus est intolerabilis, & vires prosternit, relictis aliis omnibus, morbus est leniendus, quia omnium prima indicatio est à viribus,

TEXTVS.

Cùm autem in iis examinandis non parum visa est, &c.

7 HÆc est tertia capitis pars, in qua Gal. docet quòd tria præcipua sunt quæ in febribus, atque earum curationibus agendorum indicationem nobis præbent. Vna febris ipsa, altera efficiens eius causa, & tertia vis, sive virtus laborantis; etsi enim vires, vt suprà est demonstratum, non indicent curativè, sed sui conservationem, nihilominus tamen in morborū curationibus ad agendorū inventionem, virtutis consideratio maximè est adhibenda, atque æstimanda: nam vt morbus & causa morbi indicant sui ablationem, & consequenter indicant remedia quibus tollantur,

ita virtus iodicat executionem, aut prohibet administrationem talium remediorum, saltim quatenus valens est, vel non; si enim vires consentiunt, id est remedia indicata à morbo, vel eius causa, vel ab vtrisque sine noxa possunt sustineri executioni mandantur; si verò vires repugnant, aut ita sunt debiles, quòd talia remedia à morbo aut eius causa indicata ferre nequeunt, sine noxa, aut læsione nequaquam administrantur; sed vires tunc sunt roborandæ, quousque talia remedia facilè ferre queant, aut sine noxa aliqua sustinere, & tunc exequentur, & non antea, quia prima indicatio sumitur à viribus, vel quod idē est, indicatio à viribus desumpta est omnium prima, id est, quæ primum inter omnes debet exequi, vt latè *lib. sup.* est explicatum: quare in quibus hæc tria indicantia reperiuntur simul, vt accidit in putridis febribus, & in illis diariis quæ sunt plurium dierum, aut plures durant dies, vt in sequentibus videbimus; in his inquam casibus tria inter se conferre debemus, ait Gal. vt morbus cum causa, modò dicebamus, etsi omnia concordant, vel eadem remedia desiderant, possuntque benè ferre, ea adhibeantur sine mora cùm nihil repugnet: si verò indicationes pugnent, vt si quæ causam adimunt febrem augent, vel quæ febrem & causam tollunt vires prosternunt aut debilitant, tunc vna ex tribus est præferenda, & priùs exequenda, nempè quæ sit valentior, reliquis tamē non neglectis; ex hac namque distentione edisces, inquit Gal. primùm causam, febremque esse profligandam, vbi velut conjicis harum remedia vires posse ferre, quia ex præsentia postulantium & absentia impedientium deliberamus de remediis, sive ex postulantibus & non impedientibus: vbi verò virtus ipsa ægrotantis imbecillior erit, priùs roboranda virtus est quàm vel causæ, vel febri subveniamus, vt sic præsidia sustineat facilè.

QVÆSTIO

An vires in curatione diariarum indicent.

OCcasione eorum quæ Gal. supponit in prima capitis parte dubitatur hic an vires in curatione febrium diariarum indicent? 8
dicit enim hoc in loco quòd in diariis faciendorum indicatio ex ipsa febre maximè sumitur, sed cum illa naturam & ætatem & consuetudinem, præterea anni tempus, cœli statum, & regionem & vires simul debemus expendere: vnde hîc clarè dicit Galenus quòd vires in curatione diariarum vnà cum ipsa febre coindicant, non aliter atque natura febricitantis, & ætas & consuetudo, &c. at autem *lib. 8. ferè in fine*, sic habet: Ac diariarum quidem febrium indicationes ex his generibus capiuntur, raróque accidit, si alicubi à laborantis virium modo, & reddens rationem addit, cùm febrium quæ pluribus diebus affligunt indicationes sint, quæ tum virium respectu, tum causarum quæ ipsos excitant, adhi-

beant, quasi dicat: quamvis diariarum febrium indicationes curativæ non solùm ab ipsa febre sumantur, sed ab ægrotantis natura, ætate, & aliis dictis generibus, rarò tamen accidit, quòd in talibus febribus à virium modo seu læsione aut debilitate desumatur indicatio: nam revera hæc virium indicatio in illis febtibus attenditur, atque æstimari debet, in quibus, vel quia per plures dies affligit laborantes, vel propter quæ adhibentur ad expurgandas earum materiales causas vires possunt debilitari; hæc autem rarò aut nunquam possunt inveniri, cùm diariæ sint febres mites, parum aut nihil ægros affligentes, parum durent, & neque sanguinis missione, neque purgatione curentur, nisi sint febres synochæ, de quibus eo in loco, neque hîc agit Galenus, sed de aliis quidem.

9 Vt breviter quæstioni respondeamus, advertimus quòd vt vires semper sui indicant conservationem. ita in instituenda victus ratione vires sunt priores non solùm in sanis, verùm etiam in ægris, & non solùm in aliis febribus, sed & in diariis; vt enim vires serventur alimentis indigent necessariò, & quidem non quibusvis, sed debitis; & idcirco vires indicant victus rationem debitam, qua conserventur in sanis & in morbis ne periclitentur: quare quamvis in diariis propriis propter temporis brevitatem, & quia magnis evacuationibus non curantur, quibus dejici solent vires, non vt in aliis magnis febribus, aut malignis vires solvantur, sed ferè semper sibi constent toto tempore curationis earum; & ideo in iis virium indicatio omittitur, quasi nulla sit: in quibus tamen diariis vires vel ante ipsam febrem, vel in ipsa propter laborantis naturam, aut ætatem, aut propter aliam causam deficiunt, indicant haud dubiè, & tunc primà indicatio sumitur ab illis, sive primum sola exequatur, sive simul cum aliis, vt parum antea dicebamus: vnde in hoc capite cautè inter cætera indicantia in diariis vires annumeravit, non autem 8. *lib.* quia saltim hîc agere intendit de illis diariis in particulari, quæ quamvis sint diariæ, coincidunt cum debilitate virium, vel possunt facillimo negotio copulari, vt videbimus in præsenti, si legitimè non curentur.



CAPVT II.

Docet quæ ex diariis febribus magis aptæ sunt perdurare, & in alias febres transire, nisi præcaveantur.

10 XPLICATIS in 1. capite indicationibus quæ in febrium curatione possunt reperiri, & posita methodo qua debent exequi, adhuc si sint inter se oppositę, agit in hoc secundo capite de diariis febribus, quæ aptæ sunt perdurare; atque per plures dies conservari, & sic in alias febres transire, saltim in putridas vel hecticas; etsi enim diariæ febres ex se tales sint quòd ad tertium diem non protrahantur, hoc tamen non est simpliciter necessarium, sed possunt ad plures se extendere dies, vt capite tertio sequenti videbimus, & possunt sic in alias febres degenerare, ac permutari, nisi transitus præcaveatur: nam quamvis calor febris diariæ mitis sit respectu aliarum, eam tamen esse corporis laborantis dispositionem, atque humorum jùdica, vt si febris diaria protrahatur, non solùm humores accendantur, & in putredinem mutati generent febrem putridam, verùm partes ipsæ corporis solidæ ignescant, aut febre hectica afficiantur priore desinente, vt ferè eisdem verbis dicit Gal. 1. *de differentiis febrium*, *cap.* 7. Hæc ergo cùm ita se habeant, cúmque in sequentibus Gal. acturus sit de hecticis febribus, atque earum curatione, idcirco nunc explicat earum generationem demonstrare quæ aggreditur febres diarias, quæ pronæ sunt ad hecticas, & hecticas quæ solæ consistunt, & dicuntur fieri incipiendo, id est fieri à causis externis, tamen etsi duo sint modi generationis febris hecticæ, vnus saltim à causis externis dictus, & alius ab internis, vt ex febribus ardentibus, atque internis corporũ inflammationibus, aut aliis minoribus, sed diuturnis febribus putridis: hic tamen cæteris prætermissis solùm agit de decimo modo generationis febris hecticæ, nẽpe à causis externis, atque febribus diariis, quę facilè transeunt in hecticas, & benè quidẽ, quia in hoc lib. 10. de curatione tantùm febris hecticæ, quæ sola consistit agere instituit, & consequenter quæ à causis tantùm procatarcticis incipit: nã quæ succedit febri ardenti, aut inflãmationi, vel alteri febri putridæ, sola non consistit, sed coniuncta cum putrida, saltim in principio, de qua non agit in hoc lib. Itaq; in præsenti cap. tria potissimùm pręstat Gal. nam primò explicat quæ ex febribus diariis fiunt durabiles ad plures dies. Secundò docet quæ sic protrahuntur diariæ, trãsire facilè in alias

pejores

pejores, nisi legitimè curentur ac præcaveantur, ne degenerent in alias. Tertiò denique explicat in diariis esse diversas curationis indicationes, & indicatas, vt omnes benè curentur necessariò, à Medico notanda: quare secatur in tres dictas partes.

TEXTUS.

Ergo cùm tria hæc sint, ad quæ attentum, &c.

11 EXplicaturus Gal. in hac prima capitis parte quæ ex diariis febribus sunt magis aptæ durare, & ad plures dies procedere, advertit statim in principio quòd diariæ febres quæ legitimæ sunt, id est, ex se vno tantùm die durabiles, possunt propter tres causas ad plures dies procedere, & in alias sic transmutari, saltim propter Medicorum ignorantiam, vel quia malè ab ipsis curatur; propterea etiam quia ipsarum causa effectrix jam abit, vel etiam nunc manet, quod primo loco videtur difficile, videlicet quòd febris diaria exquisita protrahatur ad plures dies, si effectrix eius causa jam abit; cùm diaria febris ideo diaria dicatur, quia ablata causa intra vnum diem solvatur: sed nodus iste postea solvetur; nunc autem literam Textus percurramus, in qua Gal. sic quasi loquitur, cùm tria sint quæ in febrium curatione Medicus attendere debeat, nempe febrem eius efficientem causam, & vires ægrotantis; cùm etiam demonstratæ sint generales indicationes quæ inde sumuntur, & quibus modis debeant exerceri non solùm cùm febris est sola, sed cùm causæ conjunguntur, sive inter se sint concordes, sive oppositæ; aut contrariæ: iis inquam sic jam inventis, atque explicatis; nunc transeundum veniebat ad præsidiorum differentias, sive specialia remedia tractandaque particularia, si ad tales indicationes, saltim in particularibus febrium speciebus, quæ plures durant dies, vt sunt hecticæ, & putridæ; sed antequam ad hæc perveniamus, profert aliqua quæ in superioribus, saltim *lib.* 8. diximus de diariis, hic repetemus, quandoquidem sunt aliqui qui ab ipsis diariis transeunt in alias quæ plures continuant dies, id est, quia sunt aliqui homines eo temperamento, aut dispositione præditi, qui si afficiantur diaria, inde in alias transeunt facilè, quæ plures durant dies, & sic mutantur in putridas aut hecticas. De diariis febribus, quæ in putridas transire solent egit *lib.* superiori, eùm synochæ febres sine putredine facilè in putridas transeant, nisi citò & tutò curentur: quare nunc de illis solùm diariis febribus agit, qui à diariis transeunt in eas quæ plures durant dies, & mediæ sunt inter verè diarias, atque hecticas, in has quæ tandem transeunt atque mutantur, nisi legitimè curentur, & sic impediatur transitus.

TEXTUS.

At verò cùm in has transeat vna quidem ratione maximè, &c.

HIc ostendere aggreditur Gal. quòd febris diaria, quamvis ex sua natura vnico tantùm die duret, tamen in eas quæ plures 12 continuant dies transire & quidem 3. modis, vel ob vnam ex tribus causis: scribit igitur quasi ad hunc modum: Qui ab aliis febribus in alias transeunt, quæ plures dies perseverant, his quidem in has transeunt tribus diversis rationibus, vna saltim (maximè communi ipsa Medicorum inscitia, qua malè curantur, & duabus magis privatis, aut quæ ex ipsis febribus privatè procedunt, nempe quia ipsarum febrium causa efficiens jam abit, vel etiam nunc manet, sanè verum est quòd febris, qualibet ea sit, potest protrahi non solùm à se ipsa, vel ob eius causam, sed etiam quia malè curatur: quare vt vitari nequeant cùm acciduut; idcirco de singulis seorsim disserit Gal. incipiens à causis; & quia supponit quòd causa febris diaria potest abire, aut permanere, in primis id ex ipsis causis febrem diariam efficientibus colligit, atq; ostēdit, sic quasi ratiocinans: Homines febres diariæ fiunt à causa externa, sive à causis externis, vt *lib.* 8. sæpiùs dictum atque monstratum est, v.g. ab ira, dolore, vigiliis, curis, æstivo sole, exercitatione, frigiditate, ebrietate, cruditatibus, & similibus. Cæterùm non est idem ipsarum omnium affectus, id est, non omnes dictæ causæ generant febrem diariam eodem modo, neque omnes vnum eundem producunt febrilem effectum, sed diversum: nam ab aliquibus inseparabilis est corporis constipatio; ab aliquibus non est inseparabilis, sed vel ut plurimum simul adest, vel ambigua forte, vel raro: quare quando dictæ exter næ causæ generant febres diarias, vel solùm eas excitant, vel non, tamen genetant febrem, sed dictam etiam corporis constipationem creant: cùm ergo solùm generant febrem diariam, & non constipationem aliquam, aut alium similem corporis affectum, qui febrem genitam conservet, tunc dicitur quòd vel abit causa effectrix, vt si ab ira, v.g. vel dolore, vel vigilia, vel cura, vel æstivo sole, vel ex frigiditate, vel bubone externo, & jam declinato, circa stipationem febris orta fuerit, vt sæpè esse solet: quoties verò vel ab externa causa, vel ab ipsa febre constipatio aliqua facta est, toties dicitur; quòd causa manet, cùm frigiditas externa, vel adstringentium vsus per mediam corporis constipationem febrem excitat, aut cùm vstio corporis habitum densat, quàvis vstio, vel æstivus calor abeat, & quamvis frigus constipans cesset, & medicamenta adstringentia auferantur à corpore, dicitur quòd manet febris causa, quia manet dicta constipatio quæ conservat febrem genitam.

13 Cùm demonstratum sit quòd ex febribus diariis aliæ sint sine corporis constipatione, & aliæ cum illa; atq; ex his aliæ sunt quibus inseparabilis est constipatio, aliç quç plerũq; simul cum constipatione conjunguntur, aliæ minus frequenter aut ambigua sorte, & aliæ deniq; rarò: proinde nunc duo docet, primũ saltim quot modis fit constipatio, & à quibus causis, secundus à quibus causis est inseparabilis constipatio, & à quibus minimè est inseparabilis. Quæ quamvis ita sint, nos clarioris doctrinæ gratiâ priùs explicabimus quod primo loco dixit Gal. Inseparabilis igitur, ait, constipatio est iis qui ex aluminosa aqua vel calchantode, vel quapiam tali alia causa, aut ex frigore, aut ex levi obstructione febricitarunt: cùm enim aqua aluminosa, atque calchantodes adstringens sit, & actu frigida, hinc sequitur dicendum, quòd qui ex dictis aquis febricitant, id est, qui ex balneis dictarũ aut similiũ aquarum incidunt in febrẽ, febricitant constipati, vt qui ex frigore non aliter, cùm frigiditas per se sit contraria febri. Quare benè dicit Gal. quòd ab his causis febris diariæ, & à levi obstructione & inseparabilis corporis constipatio, vel non generant febrem aliquam; plurimùm verò iis adest constipatio, inquit; qui ex vstione febricitant; ambigua sorte iis qui fatigati; quicumque denique ex ira, vel tristitia, vel vigiliis, vel pertinaci studio, vel cruditate, vel bubone febricitant, iis rarò juncta constipatio est; quæ vt cõstent est advertendum, quòd corporis constipatio, sive habitus corporis densitas, id est compressio, ac coarctatio pororum qui sunt in cute & carnibus nostri corporis, potest evenire non solùm à vehemente frigiditate externa, cuius proprium est cogere & coarctare corpora, verùm etiam ex nimia siccitate: nam & hæc partes humidas condensat, cogit, atque coarctat, vt patet in luto quod exsiccatur: hoc supposito cõstat inde cõsequenter esse vera quæ Gal. profert: nam in primis quamvis vstio, sive calor vehemens, non semper vt vehemens Frigus constipat corpus, quia calor potius corporis habitum rarefacit quàm densat, & quidem calor qui multùm non excedit, aut exsiccat aperit poros, ac corporis habitum; tamen qui ex vstione febricitant, vt plurimùm constipantur, etiam densata cute, & desiccata ab vstione; hinc pariter qui ex fatigatione, aut nimia exercitatione febricitant, ambigua sorte constipantur, quia defatigatio; quæ febrem accendit non ita inter se corpus desiccat, atq; vstio; & consequenter neque ita frequenter corpus dẽsat; nõ enim quçlibet corporis siccitas dẽsat carnes, aut cutim, sed quç est nimia, aut supra modũ facta, qualis est ex vstione, vel ex insolatione supra modũ facta, sçpè fieri solet; ex defatigatione verò minus frequenter, & rarò: denique ex ira, tristitia, &c.

14 Nunc de causis constipationis acturus Gal. supponit sub constipatione contineri, aut cõprehendi obstructionem, & consequenter obstructionis causas affert; & nihil mirum, quia quamvis sciebat Gal. obstructionem distingui à constipatione, & non nisi lato modo, atque impropria significatione reduci posse ad illam, tamen eùm ab vtrisque soleat oriri febris diaria, cuius causas hic quærit, idcirco nunc docet à quibus vtraque causis provenit: quare à causis constipationis in primis, vt frigiditas, saltim vehemens, & adstringentium vsus corporis constipationem excitant, ait cutim saltem & extimas corporis carnes densando sua nimia frigiditate & siccitate, vstio præterea, & quidquid vehementer calefacit, atque exsiccat corpus, vt febris vehemens vel hectica, sæpè etiam corporis habitum constipant, cutem etiam & carnes multùm constipando: siquidem diximus vstionem & insolationem supra modum factam multùm posse desiccare cutim, & sic exsiccatam constipare: quare & labores immoderati, & quidquid corpus vehementer exsiccat poterunt carnes ac cutem densare & constipare, sive occludere earum porositates: *jam ipsum febris principium vbi cum horrore invadit, constipationem etiam facere potest, & subinde facit*: quia in horrore cutis refrigeratur, ac si perfunderetur aqua frigida, & per consequens cutis in horrore, perinde atque ex frigiditate densari potest, & sæpè constipari, vt ait Gal. Tandem accedit ad causas obstructionis, dicens: *Quin etiam glutinosi & crassi, aut etiam copiosi sunt, vbi mediocriter obstruxerunt, diariam aliquando febrem accendunt vtique, cùm idoneum sortiti sunt Medicum, vt supra est indicatum.* Quasi dicat, quòd glutinosi, & crassi, atque copiosi humores non solùm sunt causa obstructionis, sed & febrium diariarum aut putridarum, per mediam ipsam obstructionem; vbi enim dicti humores, vel omnes simul, vel singuli seorsim, & separatim mediocriter obstruxerunt, diariam febrẽ accendunt, id est humoralem, sive ab ipsis humorum obstructionibus ortam, sed quæ intra diem & noctem curari potest, vt vera diaria, & antequam putrida fiat, si idoneum sortita sit Medicum, qui statim prima die cognoscat talem causam, seu levem obstructionem, & statim adhibeat ea debita remedia, quibus tutò & citò obstructio cesset, antequam succi putrescant, quod solet citò accidere, vt *lib. 8. cap. 4.* dixit Gal.

TEXTVS.

Atque harum omnium febrium nulla quòd vtique ex ipsa sit, &c.

HÆc est 2. cap. pars, in qua Gal. demõstrat vnde fiat quòd febris diaria vltra suam naturam atq; constitutionẽ, aut naturalẽ dotationẽ prodocatur ad plures dies; ergo vt clariùs demonstret, à quibus febres diariç producuntur, aut protrahuntur, ad plures dies docet primùm omnes febres diarias ex se, vt nomen sonat, terminari vnica accessione per primum diem & noctem, & nullam earum ad secundam vsque accessionem perdurare, quæ 3. die fieri consuevit: etsi enim ex febribus diariis multç sint quç à causis externis oriuntur, 15

media

media constipatione, aut si cum constipatione, aliæ quæ fiunt ab obstructionibus, vt est demonstratum,& si inquam hæc ita se habeant;tamen neque istarum datur vlla,quæ ex se ad secundam vsque accessionem,id est quę vltra secundum diem protrahatur, sed benè curatæ omnes intra primum diem, vel saltim non vltra secundum diem desinunt in totum, desinuntque ferè semper cũ sudore, vel madore,vel traspiratu aliquo halituoso: quippe quanquam febres diariæ, quæ cũ constipatione & obstructione sunt coniunctæ communicant cum illis,quæ plures dies infestant. Cæterùm propter causæ parvitatem, si rectè curantur vnius diei spatio afficiuntur, & vnius accessionis, quæ vltra secundum diem non protrahitur,sed remediis statim adhibitis,quę deobstruant,aut constipationem tollant,intra primum & secundum finiuntur diem,vt quæ solùm fiunt à causa externa intra diem & noctem,id est spatio 24. horarum cessant.

16 Habemus jam quòd febres diariæ omnes vtique,quantum est ex se,ad tertium diē non perdurant,sed vnica accessione finiuntur, ita primum diem vel nō vltra secundum:his igitur constitutis advertit modò Gal. & docet, quòd tales febres diariæ, aut earũ aliquæ solent,etsi rarò,longiùs protrahi, & quidē dupliciter,saltim causa absente,vel è contra manente, vt suprà dicebamus: quæ enim ex ira fiunt,vel dolore,vel vigiliis,aut cura, vel nimio studio, &c. solent etiam his causis deficientibus perseverare vltra suum tempus consuetum ob vnam duarum aliarum causarum, quæ ipsas solvi vetant,quarum prima est frigus quod vel ex ambiente aëre, vel ex vnctione aliqua frigida extrinsecus admota proveniat; altera est egregia in diatritos, id est abstinentia triũ dietũ,quam sustinere febricitantes cogebant ab antiquis Medicis: *frigus enim externum & sicuti non denset, nec poros eius obturet, tamen repellit, vt simplex aqua,& ita calorem febrilem continet in corpore,ne exhalet,sed protrahatur ad plures dies,* si etiam qui febricitant ira,vel dolore,vel vigiliis,&c.inediā sustineant 2.aut 3.dierũ,hac de causa non modò febris conservabitur diaria aliis etiam abeuntibus;sed si corpus sit gracile,aut biliosum,mutabitur,in hecticam, aut ardentē humoralē,vt latiùs in sequentib.constabit. Quare si in febribus diariis causæ externæ abeant,& ambiens aër,aut quid simile corpus non refrigeret, sed moderatè calefaciat,& nemo ex Medicis qui diatritum suspiciunt ad ægrũ accedat,id est & æger inedia non amplius accendatur, atque consumatur,aut reficentur,febres quidē intra suũ tēpus debitum finientur, & æger ad sua munia redibit: vnde patet esse verũ quod supra Gal. dixit,saltim posse febrem diariā prorogari & ad plures dies protrahi, etiam causa quę eam accenderat abeunte.

17 Sic explicatis causis à quibus febres diariæ possunt produci ad plures dies, etiamsi causæ efficientes abeant, ac quomodo finiũtur,intra suum terminũ debitũ,si benè curantur & frigus externum non impedit solutionē earum, neq; notabilis aliqua constipatio aut obstructio transit ad istas in quibus aliqua constipatio manet,vel obstructio,& ait: vbi verò cum eiusmodi invaserunt, qui infortunati sunt,in Medicum aliquē incidunt eorum qui diatritum efferunt,qui fortunati in eum qui ipsos lavabit,& nutriet, cæteraq; omnia præstabit quibus constipatio solvatur: quasi dicat,vt statim dicit:sæpè accidit,vt dictũ est, quòd ex levi obstructione, cùm cutis aliqua densitate,v.g.ex vitiosa aliqua lavatione contractis nonnulli corripiātur febribus diariis; quo tēpore nisi Medicus celeriter obstructionem submoverit, in plures dies febres transeunt,quia febres quæ ab obstructione fiunt, quãtum ex ipsis est,earũ sunt quæ plures dies infestant:cæterùm quę ex parva oriuntur obstructione,propter causæ parvitatē, si statim & benè curentur,saltim lavationibus, nutrimentis, & aliis quibus constipatio & obstructio solvitur,de quibus *lib.8.cap.4.* abundè egimus, vnius diei spatio solvuntur, sicuti etiam propter magnitudinem causæ in tres dies: quæ enim febres ex sola obstructione oriuntur,vt sunt propositæ,vtiq; ipsa obstructionis solutio est earum sanatio; & ita cùm levis est obstructio, dictis remediis solvitur citò febris, quæ pariter, vt quæ parum aut nihil habeat permanentiæ ablata causa; ex quibus concluditur quòd febres diariæ possunt produci ad plures dies,sive causa efficiens abeat,sive permaneat, & quidem duobus modis,causa saltim abeunte,tum propter frigus externũ,tum si inedia crucientur,causa similiter manente, aut quia malè curatur, aut quia causa non est levis; sed momentanea,& quæ solvi nequit nisi remedia continuentur per plures dies,non habent accessiones,sed vnica est earum accessio ab initio vsque ad exitum,dũmodo humores non vitientur,neque diaria excipiat eam quæ ex putredine humorum nascitur: quæ enim febres ex humoribus fiunt vitiatis, aut putridis repetunt per circuitus, vt capite sequenti videbimus.

TEXTVS.

Multæ igitur apparent diariarum esse febrium particulares, &c.

Hæc est tertia capitis pars & vltima, in qua multas esse dicit febrium diariarum particulares differentias Gal. quas Medicus rationalis debet attendere,vt rectè curentur: sunt enim ex febribus diariis aliæ quarũ causa efficiens iam prorsus recessit,veluti vstio: aliæ in quibus adhuc manet, vt constipatio, vel obstructio,quæ haud dubiè distingui debent,vt benè curentur, siquidem curatio febris diariæ,cuius causa abit,alia est à curatione febris diariæ,quæ oritur ex constipatione vel obstructione permanentibus, & vnaquæque ex his etiam aliter, atque aliter curatur, ratione suarum magis particularium 18

differentiarum, atque causarum: vnde densitas, inquit, siue constipatio cutis & aliarum partium, quæ in corporis habitu, ex siccitate prouenit, veluti post feruores, aut vehementes calores,& post fatigationes, aut iras,aut ex frigore,eoque vel simplici,vel cum adstrictoria vi ; quæ si ita non distinguantur, neque constipatio benè curari poterit, quia constipatio ex siccitate orta post feruores indiget refrigeratione & humectatione,veluti ab ira proueniens;quæ verò post fatigationes accidit, alimenta indicat humectantia,& inunctiones atq; irrigationes,quæ sine dispendio virtutis partes humectent, & porositates aperiant siccitate densatas, aut coarctatas; denique constipatio ex frigore genita per moderatè calefacientia remedia curatur, potiùs quàm alimentis;similiter obstructionum alia est, ait Gal. quæ ex abundantia prouenit,aliaque ex qualitate succorum,saltim qui aut lenti, aut crassi sunt; & ideo proferetur inter remedia in ea obstructione, quam copia facit, sanguinis missio, in ea quæ ex humorum qualitate consistit attenuantium vsus.

TEXTVS.

Quòd verò ex viribus consilij petatur vt in diarijs, &c.

19 HIc concludit caput Gal. explicatque in quibus febribus à viribus sumatur indicatio curatrix; quamuis enim nunc de diariis febribus agat, & in diariarum curatione rarò à viribus consilium petat, aut valdè exiguum, sed potiùs in febribus quæ plurìbus diebus vrgent, & in his eo magis, aut maius consilium sumitur à viribus, quo tales febres sunt longiores: tamen etsi rarò, & in febribus diariis accidit, quòd viribus consulant, vt statim videbimus: quare & benè nunc docet Gal. in quibus febribus à viribus sumatur indicatio curatrix, hoc est, in quartum febrium curatione vires indicent, aut coindicent curationem, vt breuiter & benè demonstret Gal. in quibus febribus vires indicant curatiuè supponit duo, vt quæ vera sunt. Primum est quòd vires dum robustæ sunt, aut naturaliter se habent, nec minimum quidē vacuationem impediūt, etiamsi febres sint plurium dierum: vbi verò vires naturaliter non se habent,sed infirmiores sūt,pro magnitudine imbecillitatis impeditur euacuantium auxiliorum vsus: secundū suppositum est, quod rarò accidit, vt protinus in primo vel secundo die vires imbecilles cernantur, saltim ratione febris,quamuis sit acuta, aut earum quæ statim vrgent: vnde benè Hippocrates 2. *aphorism.* 29. incipientibus morbis si quid tibi videtur mouendum moue, cùm vires consentiant: in statuantem melius est quietem habere,quia tunc vires lassantur multùm à morbi vehementia, siquidem in statu omnia sunt fortiora; ex quibus apparet, quòd in febribus, vel morbis,in quibus vires constant,aut sunt vehementes parum,aut nihil indicant curatiuè, sed tantùm sui conseruationem:in quibus autem febribus,aut aliis morbis vires naturales non sunt,sed vt inquit Gal. infirmiores quodam modo in his,siue sint diariæ,siue plurium dierum vires indicant curatiuè, id est, non tantùm indicant sui conseruationem,sed pro magnitudine imbecillitatis indicant sui refectionem,aut restaurationem & reductionem ad statum naturalem & salubrem, vt ita non solùm vsum euacuationum benè ferant, sed etiā ipsam febrē oppugnent,cùm ex Hippocrate *natura sit morborū medicatrix*, & naturæ potenti nihil sit difficile, *sed vires languidæ sunt quæ à quouis offenduntur*, vt infra *cap.*4. videbimus. Cùm igitur vires languidæ etiam in diariis indicent curatiuè, & in his interdum accidat esse imbecilles, vel propter ægrotantis malū corporis habitū,vel propter senium,& sine his ex fatigatione, vel tristitia, vel vigiliis, vel inedia, vel ex cibis, aut multis similibus. Pariter constat ex his,quòd etiam in diariis istis vires indicant curatiuè, veluti in aliis febribus vel morbis, qui sunt plurium dierum.

Annotationes super Textum.

20 Quanquam 8. *lib.* de materia supposita multas tetigimus annotationes,tamen neque his desunt aliæ particulares, quæ ex difficultate Textus oriuntur,debentq; aduerti, vt veritas magis pateat,potius quàm in hac vltima capitis parte vnde pendent:principio igitur de corporis constipatione agens in ea Gal. dicit,*tum ex aliis causis fieri, tum ex frigore, hocque vel simplici, vel cum adstrictoria vi, sanè frigiditas & sine adstrictione. & cum illa potest corporis habitum constipare*; sed explanatione indiget vt benè intelligatur: quare pro explicatione est notandum, quòd quamuis cujusque frigoris sit proprium refrigerare subiectum,illudque densare,si sit aptum, tamen non ita facilè densatur aut adstringitur corpus à frigiditate, sicut refrigeratur, quia maius frigus requiritur ad adstringendum aut densandum corpus, quàm vt solùm refrigeretur: etsi enim in sola corporis refrigeratione etiam aliqua datur carnium aut cutis densitas,quia etiā simplex frigiditas refrigerando repellit, sicque partes aliquantulum comprimit, ac coarctat, tamen non quælibet corporis densitas adstringit, sed quæ partes moltùm comprimit, & poros coarctat,vt cùm spongia manu cōpressa multùm coarctatur, & porositates eius valdè comprimuntur: vnde medicamenta propriè adstringentia non solùm sunt frigida, sed terrea, multùm sicca, ac crassarum partium, vt sic non vtcumque, sed vehementer partes comprimant, quas attingunt, & consequenter frigus externum, vt ait Galenus, & sola sua simplici frigiditate replente corpus constipare poterit, siue densare,

denſare, ne liberè tranſpiret, & magis ſi adſtringat, id eſt, ſi tantùm refrigeret, quòd etiam carnes adſtringat.

21 In ſecunda capitis parte etiam dixit Gal. & nos cum illo, quòd febres ex obſtructione ortæ, quamvis ex ſe ſint, eædemque plures durant dies, tamen propter cauſæ parvitatem vnius diei efficiuntur; quod potiſſimùm de conſtipatione intelligi debet, quam de obſtructione: non enim tanta eſſe poteſt, conſtipatio diariam febrem faciens, ex cauſa extrinſeca eveniens, quæ ſi benè curetur, amoveri non poſſit intra vnum, aut alterum diem, ad ſummum; ſed de obſtructione alia eſt ratio: nam obſtructio non eſt mera qualitas, vt conſtipatio, ſed affectus materialis; neque obſtructio provenit à cauſa externa, ſed ab humoribus corporis: vnde etſi obſtructio levis ſit, quæ febrem excitat diariam, & habitum ſolum corporis, ac cutim attingat, ea tamen eſt craſſities, ac glutinoſitas humoris quæ obſtruit, & ea eſt conditio morbi quæ ab intrinſeco pendet, quod etſi cauſa magna non ſit, neque ob id tam facilis ſit dimoveri futura: quare & febris diaria ex levi obſtructione orta poterit prorogari ad plures dies, etiamſi benè curetur, quoad ſaltim neque in pulſu, neque in calore, neque in lotio putredinis adhuc advertitur nota, ſed ex ſola obſtructione ortum habet, vt eiſdem verbis explicat Gal. in contextu.

22 Tertiò de curatione obſtructionis agens ſic ſcribit: *Præferetur autem inter remedia, in ea quam copia facit ſanguinis miſſio, in ea quæ ex humorum qualitate conſiſtit attenuantium vſus*: at vſus medicamentorum attenuantium proprius eſt humorum craſſorum, ſicuti vſus medicamentorum incidentium, ac detergentium. Propriè convenit humoribus viſcidis ac lentis, atque proinde in obſtructionibus, quæ ex humorum qualitate oriuntur, non ſolùm attenuantium vſus indicatur, ſed etiam vſus incidentium, ac abſtergentium, cùm ex ipſo Gal. parum antea conſtet palam quòd obſtructiones, quæ ex qualitate ſuccorum fiunt ab humoribus, qui aut lenti, aut craſſi ſunt: expectabatur ergo in obſtructione, quæ ex humorum qualitate conſiſtit, vt ſua quoque humorum viſciditati ac lentori redderetur curatio, quæ detergentibus potiſſimum fieri ſolet. At tamen quæ craſſitiem humorum diſſecant, eadem quoque ſæpè detergunt: ideo Gal. in obſtructione, quæ ex humorum qualitate conſiſtit, attenuantium vſus tantùm adhibuit. Itaque quamvis & incidentium & detergentium vſus craſſis ſimul & viſcidis humoribus conferat, incidentium tamen præferendum voluit Gal. vt præſtantior, ac magis ſecurus, ſicuti in redundantia humorum ſanguinis miſſio, quamvis humores redundantes vitioſi etiam eſſe poſſint, & vt tales indicare purgationem.



CAPUT III.

Quo pacto in iuvene febricitante diatritariorum errores Galenus indicavit & emendavit.



PRÆMISSIS generalibus indicationibus, atque methodis, quibus tum aliæ febres debent curari tum potiſſimùm diariæ illæ, quæ cum cauſa complicantur, & virium langu... de quibus *in præſenti libro* propoſuit ſibi Gal. agere priùs, vt quæ viæ ſunt ad hecticas; jam ad particularia deſcendens in 3. cap. agit de curatione febricitantis juvenis temperamento calidi, & ſicci, atque bilioſi à diatritariis Medicis in extremum periculum deducti, & ab ipſo reſtituti; quæ quidem hiſtoria, ſive febris ſpecies, & debita ejus curatio ſunt notandæ valdè, atque ritè ac rectè examinandæ, cùm ſint ſingulares & ab aliis non parum diverſæ, vt conſtabit ex dicendis: quæ vt magis intelligantur, placet hîc ea proferre quæ lucem & integram cognitionem eorum nobis dare poterunt. Scire ergo hîc debemus, atque ſupponere, quòd ſicuti aliæ regulæ generales habent ſuas exceptiones, ita & præcepta practica, & vniverſales morborum curandi rationes habent interdum particulares aliquas exceptiones: quare & præceptum illud Hipp. 1 o. aphor. comm. 1 1. *In acceſſionibus abſtinere oportet: nam cibum dare nocuum eſt*, quamvis vniverſale ſit, & ferè ſemper rigidè ſervandum, non ideò tamen eſt ſempiternæ veritatis, neque ſemper in acceſſionibus morborum, aut febrium à cibo ægrotantes ſunt privandi; ſed aliqui ſunt caſus, & aliquæ ſunt febres, quæ in ipſis earum acceſſionibus vel parum antea debent neceſſariò febricitantes cibari, ne pereant in illis, vel ſaltim febres ne fiant longè pejores: de quibus hîc Gal. agere incipit, ponitque hiſtoriam admodùm venuſtam, atque notandam juvenis cujuſdam febricitantis, qui in ipſis acceſſionibus, vel in acceſſionum invaſionibus non ſolùm poſſe, ſed debere nutriri monſtrat: vnde præſens caput, & ſequentia vſque ad ſeptimum exceptiones ſunt generalis illius præcepti. 23

Neque mirari debemus quòd curationes febrium ita contraria ratione adimpleantur, cùm & natura inter ſe ſint oppoſita: etſi enim febres, quæ per circuitus repetunt, aut acceſſiones habent, omnes ſunt humorales, non ideò tamen in totum conveniunt inter ſe; ſed imò potiùs quia ex humoribus ipſis febres facientes, alij quidem eas generant, ſua multa copia ſeu putredine, & alij non 24

copia, sed ex defectu, aut nuda qualitate: hinc fit, aut fieri potest, quòd contraria omnino ratione curentur; medicina siquidem, vt ait Hipp. *adiectio est vel detractio*, & non solùm quos morbos parit repletio, curat inanitio, sed aliorum contrarietas: vnde in accessionibus abstinere oportet, & cibum dare nocet cùm morbus pendet à materiæ copia, vel putredine; è contrà si morbus pendet potiùs ex defectu & mala qualitate humoris, quàm ex vlla copia, tunc In ipsa accessione cibari poterit æger, atque debebit: nam revera alimento indiget natura ad sui conservationem, & vt restauret quod de sua sede seu subjecto ac fundamento deperditur, nempè de substantia corporis, & caloris nativi, quæ semper digeritur; sed potissimùm in illis febrium accessionibus, quæ pendent ex defectu dictarum substantiarum, atque ex humorum acrimonia: vt enim in aliis febrium accessionibus, quæ ex abundantia pendent, vel humorum crassitie, aut lentore, aut humorum putredine abstinere oportet, & cibum dare nocet valde, quia in eis natura gravatur, seu opprimitur à dictis humoribus, & per consequens si tunc datur cibus nocet, quia de novo natura opprimitur ab ipso; ita in accessionibus dictis, in quibus humores neque gravant, neque abundant, sed qualitate solùm calida, acri & mordaci nimis febrem excitant, & naturam molestant, atque digerunt, seu debilitant. Cibus refrigerans est præsentaneum remedium, vt qui non tantùm febrem temperat, sed defectum substantiæ deperditæ replet, atque restaurat, & acrimoniam humoris obtundit, ac per consequens omnes indicationes adimplentur citò & tutò.

TEXTVS.

Neque alienum sit si tibi talem ægrotum describam, &c.

25 Diffuso sermone narrat Gal. *in hoc capite 3.* historiam cuiusdam iuvenis biliosi & gracilis, qui ex fatigatione & tristitia, vigiliis ac inedia in febrem incidit, & virium resolutionem talem, vt in ipsa accessione fuerit coactus cibare laborantem, & virium rationem habere, quamvis commune præceptum sit, quòd *in accessionibus abstinere oportet, & quòd in eis dare cibum noxium est*; habet igitur quasi ad hunc modum: Iuvenis erat 25. annorum gracili corpore, & musculoso, & veluti excarnis tum calido, tum sicco omnino temperamento: idem exercitationibus delectabatur, & cogitabundus, atque industrius erat: is ergo cùm absens ab vrbe nuntium parum gratum accepisset, & tristatus est, & statim ad vrbem redire festinavit, & quamvis prima die laboravit modicè, ac solus & coenatus in diversorio quodam quievit; sed maxima ex parte sine somno: postera die magis festinavit, ac longa via & sabulosa, & squallente; ac subservente sole confecta hora prope septima & semi, pervenit in vrbem: ibi etsi ea, quorum causa maturaverat meliora audivit, non ideo quievit, sed plus iusto exercitatus, atque immodicè siccus per vrbem deambulans, tandem in domum suam se recepit, lassitudinem, inæqualitatemque sentiens: aquam igitur ex consuetudine bibens, vbi nihilo se levatum, sed inæqualitatem sibi intendi sentiens hanc quidem vomuit, ratusque vtilius esse adhuc cibo abstinere, accubuit, ac quieti se dedit, hora diei ferè vndecima; quod cùm fecisset, ac nocte tota febre vexatus vigilasset, postridie quoque quievit vsque ad meridiem, sperans se somni aliquid consecuturum. Hoc tempore cum Medici diatritarij inviserunt, tuncque homini satis magnam esse febrem dixerunt, itaque & vespere cùm redirent, ac febrem inclinatam cernerent, ne tunc quidem nutriendum censuerunt, quamvis alius quidam Medicus suaderet; cùm etiam tertia die manè redirent, etiam 3. die accessionem fine cibo transmittendã censuerunt, quæ 11. illius diei horâ erat suspecta, quia febris, etsi remissa, perseverabat; adjiciebantque, si quidem sine febre esset, fortasse cibum daturos febricitanti, adhuc id non esse facturos.

Ergo digressis illis ipse accessi, ac faciem 26
iuvenis contemplatus, vidi talem esse quam Hipp. *in prog.* depinxit, dicens: nasus acutus, concavi oculi, &c. Itaque cùm mihi omnino persuaderem fore, vt in hecticam marasmodem homo nisi cibaretur incideret, sorbitionem ex alica, quam primum paro, atque exhibeo, quamvis hac sumpta, cùm accessio circa vndecimam invaderet, sic extremis partibus perfrixi, vt calefieri hæ vix possent, & pulsus illi parvus, rarusque quàmmaximè fuit, qua ex causa illi etiam quarta die tum manè, tum vesperi cibum dedi, quo saltim & vires repararem, & corpus humectarem: erat namque cutis eius, seu corium aridum: vbi autem febris tenuis, & similis perseveravit, statui deinde quinto die non simplici sorbitione hominem cibare, vt ante, sed alica, ex aqua calida citraque conditaram, iniectis in ea mali punici granis: est namque is optimus cibus bilioso stomacho: nam & roborat hunc malum punicum, & alica cùm diutissimè in ventriculo citra corruptionem maneat, sensim concoquitur, neque acescens, neque innatans, quæ vitia accidere sorbitionibus aliquando solent; incidit verò & in ipso quinto principium accessionis simile, itemque cùm ex sexto, septimo & octavo cùm simili ratione cibassem, in nono rursus simile principium præcedentibus fuit. Quæ cùm ita fierent, quamvis cunctis aliis evidenter appareret nunquam ægrum ad quartum diem fuisse perventurum, si nutritus ante accessionem tertij diei non fuisset,

fet, Medici tamen diatritarij è contra, & tunc, & sequutis etiam diebus non rectè nutritum aiebant: igitur nono similiter die similiter hominem nutriens, cernensque in accessione pulsus eius redditum quàm priùs erat, firmiorem, cæterùm imbecillitatem adhuc illam præferentem, quæ extremarum partium frigore notatur, non potui sustinere illorum Medicorum nugas, sed vndecimo die vocatis diatritariis permisi ægro præterire accessionis horas sine cibo: ergo cùm & sine pulsu in ipsis esset, & frigus cum vehementius premeret, sic vt nec loqueretur, & vix impellentem sentiret: ego Medicus eorum stans jam vobis constare arbitror, dixi quis hominem hactenus servaverit: servabitur autem,& nostra nunc opera; neque enim si peritum omnino in hac accessione putassem à cibatione destitissem, sed quia ex præcedente victus ratione noveram tantum illi roboris superesse, vt tolerare accessionem posset, ac satiùs quidem fuisset multò ante hominem nutrire: verùm vt istos redarguam, & aliis ostendam, vel in accessione ipsa ægrotantes quosdam nutrire debere, nedum ante hanc permisi accedere accessionem, non assumpto cibo.

27 His dictis, ac deductis hominis maxillis in fundo ex angustiis oris vasculo cremoris ptisanæ tres cyathos,& paulò post albi ac tenuis vini, modicéque calidâ diluti duos cyathos, post quos & sustulit oculos, & tunc audire, tum loqui, tum præsentes nosse cœpit, cùm ante vt lignum aridum porrectus sine voce, ac sine sensu jaceret. Rursus itaque dato ex vino quo dixi modo diluto pane ad comedendum exiguo prorsus hominem revocavi, quem vt rursus ad institutam ab initio victus rationem reduxi, & decimitertij diei accessionem facilè tolerare vidi, & in decimoquarto rursus manè cibavi, ac post circiter horam octavam lavi: deinde rursus liberaliùs cibavi, ac mox vinum bibendum exhibui, quod idem & in duodecimo & decimotertio feceram; in decimoquinto autem rursus cibavi manè: cùm verò hinc quoque faciliùs accessionem ferret, in decimosexto denuò lavi, cæteraque circa hominem peregi, vt in præcedentibus diebus; at vbi in decimoseptimo parva accessio, miniméque gravis fuit, audacter hominem de cætero sub convalescentium victus rationem habui. Hic æger Medicos docuit non indoctos etiam ante accessionem nonnunquam esse cibandum, vel si duarum horarum intercedat spatium, ac multò magis ante accessionem tertij diei: ostendi autem tibi,& in prima accessionis invasione huiusmodi homines esse nutriendos, dico autem huiusmodi homines in quibus corporis intemperies ad siccum & calidum conversa febres accendit.

28 Hæc sunt quæ *cap. hoc 3.* continentur, quæque sic ad plenum referre priùs placuit, tum quia sunt fundamentum reliquorum omnium, quæ tribus sequentibus capitibus aguntur, tum etiam quia omnia sunt maxima notatione dignissima, nulla enim est historia alia ex qua benè notata maior Medicis comparatur vtilitas, quam ex hac, in qua febres per circuitus atque accessiones repetentes docet Gal. curare dato cibo in principiis talium accessionum etiam cum horrore, & partium extremarum refrigeratione invadentium, quorum vtrumque opponitur omnino communi febrium similium curationi, non solùm enim communiter ex Hipp. ab omnibus receptum est, quòd in accessionibus febrium abstinere debemus, & quòd in eis dare cibum noxium est, verùm etiam quòd tempus dandi sorbitiones, sive alimenta, tum per initia, tum per omnem morbi decursum est, cùm caliditas ad pedes descenderit; at refrigeratis extremitatibus, aut pedibus in accessionibus nihil est dandum. Relictis siquidem aliis locis, sic *4. de victus ratione 39.* habet Hipp. Cùm autem purgaberis sorbitionibus vtitor, observatis ita febrium accessionibus, vt nunquam cùm adsunt, neque cùm futuræ sunt, sed cùm vel cessant, vel quieverunt, & maximè à principio recesserunt: frigentibus ergo pedibus neque potum, neque sorbitionem, neque aliud quidquam huiusmodi dabis,nisi cùm calor ad pedes descenderit, curritque vrina, & omnia cessant, quo tempore sorbitionem dare expedit: nam aliàs perniciosa existit; & ratio est, quia febres quæ repetunt per circuitus, habentque accessiones manifestas sunt humorales, sive ex accensis humoribus corporis ortæ, non diariæ aut hecticæ sunt, nam hæ non repetunt, sed vnica accessione à principio ad finem durant, quamvis hectica sit longissima; cùm ergo febres omnes quæ repetunt sint humorales in earum accessionibus, natura circa talium humorum expulsionem occupatur cùm ab ipsis præter naturam accensis, vel aliter molestis irritetur: quare tunc nullo modo est ab illo opere avertenda, nedum cibo præsertim,quia si in accessione cibum damus, non coquitur, sed corrumpitur, & sic fit materia febris: in accessionibus enim natura nimis affligitur,diciturque à febre,atq; eius accidentibus: siquidem accessio est deterior pars totius circuitus: quare in accessionibus natura lassata alimentum nequit superare, neque attingit, sed sinit omnino, licet corrumpatur, & tamen morbum oppugnat, sive causam morbificam expellere conatur, & ideò cùm caliditas ad pedes descendit, & vrina colorata mingitur, in accessionibus cibum dare oportet, ait Hipp. & non antea, quia tunc accessio cessat, ac consequenter tunc natura cibum jam conficere potest ab accessionis laboribus liberata: non enim semper est cibandum, sed cùm natura concoquit, aut potest concoquere: vnde cùm in accessionibus extrema sint frigida, aut pedes solùm, nullatenus cibus est dandus, cùm tunc sit maximè natura dejecta: non enim talia extrema refrigerantur, nisi ex naturæ multa

multo languore, aut pondere, vel oppressione. Itaque si pedes frigidi fuerint non à cibo modò, verùm quoque à potu est temperandũ, quoad caliditas ad pedes descenderit, quia sicut alimenti dandi scopus est custodia virtutis, ita cibi offerendi tempus ex morbo non prohibente invenitur, vt quando tum thorax, tum venter moderatissimè se habuerint, moderatissimè autem in declinationibus accessionum se habent: nam in accessionum principiis calor & humores corporis ad cor, thoracemque concurrunt præter naturam, à quibus deterrimè se habent, donec in declinationibus ab illis liberantur, scilicet caliditate illa ad pedes descendente, id est caliditate humorum molestantium ad pedes descendente; declinatio enim accessionis contrarium principio modum habet: perspirat enim tunc, forasque vertitur vsque ad pedes, ac medium corpus relinquit, quod in principio eo fluxerat, vt ex vrina tincta, & caliditate pedum colligitur: fieri enim potest quòd pedes calsiant manente caliditate in corporis medio, vt in statu accessionis contingit; at tunc adhuc vrina est tenuis, & parum colorata; in declinatione verò crassior, ac molto colore saturata, ad pedes, scilicet ad vias vrinæ descẽdẽte quod in partibus superioribus repertum, atque receptum faciebant accessionem ex Gal. 1. *de ratione victus comm.* 46.

23 Sanè hæc doctrina est ferè semper vera, atque vt talis recipienda, ac exequenda in curationibus febrium, quæ per circuitus repetunt, habentque accessiones cum manifesta annotatione, sive cum horrore, aut rigore ac pedum refrigeratione in earum principiis: verum enim verò non est semper aut vniversaliter vera, sed in aliquibus casibus; è contrà est faciendum, vt fecit Gal. in proposita historia, & faciendum docet in sequentibus capitibus, scilicet in illis corporibus calidis, ac siccis extenuatis atque debilibus, in quibus natura calida ac sicca, atque exusta ex caosis externis, vt ex defatigatione, aut curis, aut inedia, aut similibus si febre corripiantur, & statim in principio accessionis, aut parum antea, victu frigido atque humido non nutriantur, vt ait Gal. etiam si febris incipiat cum rigore & pedum refrigeratione, periculum est ne pejores fiant & in hecticas transeant, aut in ipsa accessione moriantur; ex inedia enim aut nimio labore aut molestiis cogitationibus, &c. in dictis corporibus humores & totum corporis temperamentum ita resiccantur; absumuntur, acres atque vitiosi fiunt, quòd non solùm febrem accendant, & accessiones excitent cum horrore, ac partium externarum atque extremarum refrigeratione, vires etiam naturam devastent, aut dejiciant potenter, & sincope aut aliis pravis symptomatibus infestent, vsque ad mortem, nisi victu humido ac temperato hæc mala præcaveantur: quare in talibus accessionibus statim in principio, aut parum ante nutriendi sunt, ægri alimento frigefaciente ac humectante, quamvis accessio invadat cum refrigeratione extremorum.

Sed dices: suprà supposuimus ex Hipp. & 30
Gal. quòd cùm accessiones invadunt cum rigore, aut horrore, atque extremarum partium refrigeratione calor corporis atque humores præter naturam recurrunt ad viscera, ad cor saltim, pectus ac ventrem, hasque sic non solùm gravant aut teplent, sed & mordent, atque labefactant, aut debilitant valdè: quare si tunc cibus detur non concoquitur, sed corrumpitur, & nocebit, vt ait Hipp. cùm ventriculus & aliæ officinæ, quæ serviunt concoctioni alimentorum sint repletæ, & facultates concoquentes dejectæ, & per consequens omnes inhabiles ad coquendum: nam quidquid gravat impedit coctionem: ergo neque in his accessionibus corporum gracilium atque debilium cibus dabitur benè, antequam caliditas descendat ad pedes, vt ait Hipp. & viscera dicta ab oppressione atque molestia liberentur; vt rectè respondeatur advertimus quòd humores vitiosi supra modum assati, acres ac mordentes, quales biliosi esse solent, possunt naturam offendere, non solùm sua multa copia, aut quantitate nimia, sed sine hac solùm suis dictis pravis qualitatibus: est enim omnino certum quòd humores vel quantitate vel qualitate possunt fieri præter naturam, possuntque morbos efficere atque naturam lædere, & ideo Alexander Trallianus lib. 12. cap. 6. inquit: *Contingit sanè quasdam partes solidas sicciores deprehendere, & alias in quibus humor biliosus qualitate potiùs quàm copia peccat, in quibus potus aquæ calidæ extremum est remedium*, &c.

Hoc sic notato respondetur in accessionibus corporum dictorum multùm aridorum, 31
ac biliosorum, ex dictis causis externis ortis, statim in principio esse cibum dandum febricitantibus, etiamsi accessiones eveniant cum horrore atque refrigeratione extremorum, quia in talibus non corrumpitur, sed concoquitur benè, & omnes adimplet indicationes, quæ in eis exequendæ inveniuntur; tunc enim cibus humidus atq; refrigerans datus non solùm calorem ac siccitatem corporis reprimit, sed vires dejectas roborat, acrimoniam humorum obtundit, corpus extenuatum nutrit, carnesque consumptas restaurat; etsi enim in illis accessionibus, vt in aliis quibusvis horror & partium extremarum frigiditas, quibus incipiunt sint notæ reconcentrationis caloris febrilis, & malorum humorum ad viscera: quia tamen non copia, sed prava qualitate lædunt, idcirco cibus datus non corrumpitur, sed statim coquitur à natura quæ non humorum pondere, aut oppressione, sed solùm dictis qualitatibus, quæ contrariis alimentis corriguntur citò, tutò ac jucundè, sicque natura liberata à quo premebatur, confestim redit in se, convertiturque ad concoquendum alimentum exhibitum? ex quibus

quibus colligitur, quòd cùm Hippocrates dicit, in acceſſionibus abſtinere oportet, & cùm pedes frigidi ſunt, nihil dandum donec caliditas ad pedes deſcenderit, loquitur ſolùm de febribus atque acceſſionibus, in quibus natura viſcerum copia, aut pondere humorum premitur, & non defectu, aut ſolùm qualitatibus.

32 Dices etiam nunc: vnde colligitur quòd in febribus his de quibus loquimur, humores nedum reconcentrati, & ex toto corpore ad viſcera recurrentes in principio acceſſionum peccant quantitate, ſed defectu & ſolùm qualitatibus? reſpondetur cognoſci ex cauſis & curatione, ſolùm enim morbi qui fiunt à repletione curantur evacuatione, & qui ex defectu adjectione: vnde cùm iſti cibo curentur, liquidò conſtat laborare inanitione, ex cauſis etiam idem colligitur: n m defatigationes, profundæ cogitationes, vigiliæ diuturnæ, triſtitiæ, iræ & inediæ, ac ſimiles exſiccant, atque conſumunt corpora, & humores potiſſimùm, quæ ſunt gracilia, vt ſunt de quibus loquimur: quare cùm in his corporibus dictæ cauſæ febres generant per circuitus repetentes, & cum rigore aut horrore; & partium extremarum refrigeratione; invadentes ſi recurrunt humores ad partes internas, non eſt quia ſint multi, aut quantitate peccent; ſed è contra, quia pauci evadunt, & minus attenuantur ab iis cauſis, vt infra *cap.* 5. explicat Gal. dicens: nam cùm accenditur febris in his propter mordentem acrimoniam excalefacti attenuatique ex ſole & inedia & laboribus, ſucci, &c. quaſi dicat: cùm in his corporibus bilioſis atque gracilibus ex ſole fervente & inedia & laboribus accenditur febris, non accenditur quidem, quia ab his cauſis humores augentur; ſed è contrà, quia excalefacti attenuantur, acriores fiunt, pauciorefque, ſed pejores diſſipata eorum ſubſtantia magis benigna ac temperata.

33 Dices tandem: in corporibus gracilibus ex dictis cauſis accenditur febris humoralis; ergo ex accenſis, aut effervefcentibus ſuccis, vt ait Gal. ſed non deficientibus, aut inanitis, quia ad humorum defectum non ſequitur febris, ſed frigiditas, vt docuit ipſe Gal. *lib. de ſanguinis miſſione, cap.* 5. atque humorum calidorum magnum defectum inducere frigiditatem, quia in ſanguine & dictis humoribus conſervatur calor noſtri corporis, interim verò, ait, propter exiguum dictorum defectum major efficitur, aut in febrem convertitur noſter calor, vt in corporibus dictis accidit, cùm à cauſis dictis excitatur. Quod vt magis pateat, eſt advertendum ex Hipp. 4. *de morbis* maſſam ſanguinariam in venis contentam ſecum includere portionem aquæ, aut ſeroſæ ſubſtantiæ, quæ non ſolùm fluida redditur, tota dicta maſſa, vt per venas diſcurrat ad omnes corporis partes; ſed & defenditur ne igneſcat, aut inflammetur: cùm enim aqua ſit inimica, ait Hippocr. ſit conſequenter quòd dicta aquoſa ſubſtantia in venis cum ſanguine temperet ipſum ſanguinem, & ab inflammatione liberet; & ideo experimur quòd cùm ſanguis inflammatur, aut in igneum calorem accenditur, vel deficit dicta ſubſtantia ſeroſa, vel corrupta bileſcit, atque citrina redditur: quare cùm in corporibus extenuatis atque bilioſis ex inedia, vel æſtuante ſole, aut ex laboribus, &c. accenditur dicta febris humoralis, repetitque per circuitus dictos, cum refrigeratione extremorum: hæc omnia contingunt quia à dictis cauſis maſſa ſanguinaria excandeſcit, ac attenuatur non ſolùm, ſed dicta ſeroſa ſubſtantia privatur, hacque conſumpta liquatur ſanguis; tenuis pars, & in bilem tenuem, aut fluidam, valdeque citrinam mutatur, quæ fervens, mordenſq; multùm, privata ſcilicet ſuo naturali contemperamento dicto, etſi pauca ſit, & multò minor, ac erat ante, naturam exagitat valdè, & febrem dictam accendit: vnde cùm Gal. dicit quòd propter exiguum ſanguinis defectum calor fit maior, de defectu loquitur ſeri, non verò ſanguinis, vt in ipſis febribus experimur; ideò enim *quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur, ex Hipp.* quia paucus ille humor, qui acceſſionem facit, in fine acceſſionis exhalatur, aut conſumitur: quare calor maſſæ ſanguinariæ non intenditur præcisè propter eius exiguum defectum, ſed ob defectum ſui contemperamenti naturalis, nempe ſeroſæ ſubſtantiæ: nam ſicut ob defectum iſtius ſubſtantiæ ſeroſæ intenditur calor, & febris accenditur, ita ob defectum alterius ſubſtantiæ bilioſæ, quæ eſt materia febris, extinguitur calor febrilis, aut ceſſat acceſſio.

Requirit hic locus, ait Zacutus, vt perſcrutemur ad quam differentiam pertineat febris qua juvenis hic laboravit; etſi enim humoralis fuit, vtpote qua repetitiones habebat, & quamvis acceſſiones incipiebant cum horrore & pedum refrigeratione, non tamen ex his liquidò conſtat, quòd ſit putrida, quamvis vt in plurimum febres putridæ tales habeant repetitiones & acceſſiones. Neque Gal. credidit eſſe putridam cum adhibito victu frigido, atque incraſſante eam curavit. Denique & curatio docuit non fuiſſe putridam, cùm dictus cibus ſummo fuerit auxilio febricitanti, qui valdè obeſſet, ſi febris putrida extitiſſet: ſiquidem, vt infra videbimus, cibus nocet valdè, cùm vel ex copia, vel obſtructione, vel phlegmone, vel putredine oritur febris. Reſpondet ergo Zacutus fuiſſe continentem bilioſam abſque putredine: ego verò cùm repetat per circuitus, & certas habeat acceſſiones, non dico eſſe continentem, ſed continuam, ex accenſa maſſa ſanguinaria, & in bilem tenuem aut fuſam potiùs quàm putridam 34

putridam conversa; cùm enim febris ex causis externis excandescentibus in corpore bilioso atque extenuato fuerit exorta, & corpore existente sano, non est verosimile fuisse putridam, neque à bile putrescente genitam; sed ab ea inflammata, attenuata, liquefacta ac acri: sic enim acris ac mordax, ac facilè fluida facta, non solùm febrem continuam efficere potuit, sed & repetentem per circuitus, de tertio in tertium, & accessiones cum horrore, & pedum, ac partium aliarum externarum refrigeratione: non enim causæ illæ externæ febrem facientes erant putredinales, sed excandescentes, attenuantes, resolventes, ac exsiccantes humores, & carnes: quare ab illis alterata massa sanguinaria in corpore actu sano, & non repleto, sed è contra valdè extenuato, atque sicco inflammari quidem potuit, attennari, liquari, atque in bilem fluidam, acrem, valdéque excandescentem, ac mordacem mutari; non autem in putredinem (cùm deesset humiditas excrementitia, aut copia putrescentium sive humidorum humorum) quæ sunt materia putredinis: vnde in his febribus nullæ putredinis notæ impulsu, aut vrinis cernuntur, neque humorum cruditas, sed omnia adustionem, ac siccitatem prædicant: nam appetentia dejicitur, & sitis cruciat, os amarescit, capitis dolor, ac vigilia vigent, & in cute arida calor acris sentitur.

35 Itaque quamvis negandum non est Zacuto posse dari continentem febrem biliosam, absque putredine: nam multoties febris ardens talis est, febris tamen de qua loquimur, sicuti neque tertiana exquisita continens esse nequit, sed humoralis, atque ex bile sincera effervescente, citra aliquam putredinem facta, cùm de ratione continentium febrium sit non habere accessiones, sed vnica solùm à principio vsque ad finem totius febris, quamvis febris duret plures dies; sed si dicta febris ad continentes diarias non revocatur, ad quod genus febrium pertinebit, cùm non sit putrida, & neque hectica esse possit, cùm circuitus, atque accessiones habent? Respondetur reduci ad diarias nothas: nam sicut continentes sine putredine, sive sanguineæ sint, sive biliosæ, vt de ardentibus dicebamus, ad diarias nothas sevocatur, vt quæ non sunt hecticæ, neque putridæ, ita & tertiana exquisita, & de qua hîc agimus, & quælibet alia, quæ sic vt istæ ad dictas diarias debent reduci, & vt tales curari, vt facit Gal. quod debet benè adverti, & cautè præstari in similibus: ideò enim istæ febres humorales potiùs ad diarias quàm ad putridas, vel ad aliud febrium genus revocantur, quia & natura & curatione diariis, & non aliis assimilantur.

36 Sed iam particularem historiæ narrationem, ac dictæ febris curationem vnà cum Gal. hic iterum repetamus, vt sic quæ in communi sunt dicta, particulari exemplo confirmentur, & magis explicata, ac benè cognita aliis adaptentur, cùm similia fuerint: juvenis ergo viginti quinque annorum, id est, qui ad ætatem florentem jam accedebat, cùm esset gracilis, seu corpore extenuatus, & temperamento biliosus, calidus ac siccus, sive ex sua natura, sive quia exercitationibus delectabatur, & cogitabundus erat, atque industrius, quæ haud dubiè corpus calefaciunt, humores attenuant, & carnes absumunt; is inquam ex nuntio parum grato contristatus, & ex festino duorum dierum itinere via longa, sabulosa, squalente, ac sub fervente sole confecta, ex vigilia & aliis curis, atque animi agitationibus nimis resiccatus incidit in lassitudinem, seu in molestam inæqualitatem totius corporis: tunc ergo in domum se recipiens, aquamque ex consuetudine bibens, vbi nihilo se levatum sensit, sed inæqualitatem sibi intendi, vomuit eam, atque accubuit hora vndecima, à cibo seu cœna se abstinuit, ac quieti se dedit: quod cum fecisset, ex cibi etiam abstinentia tota nocte febre atque vigilia vexatus est, vt & postridie vsque ad meridiem; tunc vocati Medici diatritarij satis homini magnam esse febrem dixerunt; vesperi autem cùm redirent febrem inclinatam invenerunt, quia tamen adhuc febricitabat æger, ideo nec tunc, nec die sequenti nutriendum esse censuerunt, etsi id alius Medicus suaderet: illis ergo digressis, scilicet secunda die, accessi ego (dicit Galenus) & faciem ægri contemplatus, esse qualem Hipp. depinxit, dicens: *nasus acutus, oculi concavi*, &c. sorbitionem ex alica quam primùm paro, atque exhibeo, cùm omnino mihi persuaderem, nisi homo cibaretur fore necessum vt in hecticam incideret marasmodem. Hæc Gal.

Itaque quia juveni, ille non solùm febre laborabat, ex excandescentibus humoribus biliosis, sed desiccatus valdè erat toto corpore carnibus, ac sanguine consumptis, & quia vires erant ferè in totum dejectæ, atque exolutæ, quæ omnia ex dicta facie constabant, idcirco statim in secunda die declinante accessione sorbitionem ex alica dedit febricitanti Gal. vt sic eum non tantùm humectaret, ac refrigeraret, sed nutriret, ac vires repararet; imò etiam vt humores tenues, acresque obtunderet, atque incrassaret: sorbitio enim ex alica, sic solùm dicta, alimentum illud est, quod ex farina tritici & aqua inter se commixtis, atque concoctis paratur ad consistentiam liquidi mellis, quod Latinè pulticulæ nuncupantur, & nostro vulgari sermone *gachas*: hoc ergo alimentum, sive alicæ sorbitio si à natura benè concoquitur, distribuitur, & aliis naturalibus alterationibus perficitur: nam est duræ alterationis, alimentum præbet corpori, crassum ac viscidum, scilicet moderatè, 37

moderatè, vt *lib.* 8. dicebamus: quare multū nutrit, humectat, incrassat, acrimoniā obtūdit, vires restaurat, & calorē fervidū remittit, ac tēperat, atq; ita omnes dictę febris implet indicationes

38 Exhibuit igitur Gal. sorbitionem ex alica ob dictas causas; & tamen hac absumpta, cùm accessio suo tempore, nempe circa 11. invaderet, sic extremis (ait) partibus perfrixit æger, vt calfieri hæ vix possent, & pulsus illi parvus, rarus, seu imbecillus quàm maximè fuit, scilic. propter virium maximā jacturā, dissipationēq; aut defectū: qua ex causa illi etiā 4. die, tū mane, tum vespere cibū dedi, quo saltim & vires repararē, & corpus humectarē; erat namq; cutis eius, seu coriū arida, quare vires ex nimia hac siccitate deficiebant, id est ex defectu substantiarū corporis humidarū, scil. carnis, adipis, sanguinis, atque spirituū; quia verò & cū his febris tenuis perseveravit, statui 5. die nō simplici sorbitione ægrū cibare, vt ante, sed alica ex aqua calida, citraque conditurā iniectis in ea mali punici granis; sanè notandū est valdè, quòd in tanto viriū languore, & caloris nativi defectu alicā ex aqua calida tantùm paratā, citraque conditurā, & citra concoctionē iniectis etiā in ea mali puniti granis, scil. acidis, nā dulcia facilè corrūpuntur, Gal. febricitanti dederit; sed huic quasi occurrens, addit statim: *Est nāq; is optimus cibus bilioso stomacho; nam & roborat hunc malū punicū, & alica cùm diutissimè in ventriculo citra corruptionem maneat, sensim concoquitur. neque accrescens, neq. innatans, quæ vitia accidere sorbitionibus aliquando solent.* Quasi dicat: in naturis calidis, ac bile redundantibus adeo biliosus, calidus, atque siccus solet esse ventriculus, quòd ei cibus crudissimus, & concoctione difficillimus sit optimus: extremis enim morbis extrema remedia optima sunt, vt parvis parva: quare si biliosus stomachus, squalidus sit, multumque calidus, potius alicam crudā, quàm præustam ab arte sibi assimilabit; cùm alica etiam ex aqua calida, parata diutissimè in ventriculo citra corruptionē maneat, neque acescens, neque innatans: etsi enim talis sorbitio crudissima sit, & ad coquendū difficillima, ex eo tamen quia diutissimè in ventre moratur, sensim concoqui potest ab eo ęstuāte, vti ab externo calore ignis cōcoquitur.

His addo, quòd cùm stomachi calor dicti sit acris valde, aut corruptivus alimentorū, si alimenta assumat coctu facilia, aut quæ valdè nō resistunt concoctioni, atq; corruptioni, ea non concoquit, sed vel adurit, vel corrumpit ob suę nimiæ activitatis caliditatē squalidā: quare nō solùm in stomachis dictis, sed etiam in diariis, biliosis, atq; mordentibus: in febribus ardentibus dictis citra putredinē in distillationibus ad pectus, ferinis ac erodētibus in sāguinis sputo & similibus morbis ortis ab humoribus, ac corporibus pręcalidis, tenuibus, resiccatis, acribusque, talis cruda alica est optimus cibus, atq; remediū, & ego sæpè alica vtor tenuissima, optimaq; ferina, cū aqua portulacæ, aut acetosæ non calida, sed actu frigida parata in quantitate 3. aut 4. vnciarū, in dictis febribus, atq; fluxionibus, & in sputo sanguinis cū aqua plantaginis, & quidē cū successu felicissimo: quare nihil mirū quòd Gal. eā dederit nostro febricitanti; dedit verò ei, non vt nos actu frigidam, sed ex aqua calida paratā propter nimiā corporis extenuationē, ac viriū debilitatē, quibus vel aqua frigida nocet, vt *lib. sup. cap.* 5. advertit Gal. & confirmat in pręsenti, in quo aqua frigida assumpta, etsi consueta erat non levavit. 40

Cibavit igitur Gal. 5. die, nō vt ante simplici alica ac cocta, sed tātùm ex aqua calida, atq; farina permixtis citra coctionē parata, adjectis mali punici granis acidis, vt sic magis refrigeraret, roboraretque; incidit tātùm & in 5. principiū accessionis simile ei quod in 3. acciderat, cū horrore, & partiū externarū refrigeratione, pulsu parvo, atq; tardo, aut nimis lāguido, itēq; 6. & 7. vsq; ad 9. similiter cibatus ęger, neq. sic accessiones cessabāt, aut mutabātur; sed 9. principiū simile præcedentibus fuit: quia nedū per dictū victū natura ex sūmo squalore resiccata, ac flagrās poterat tēperari, neq; humores mitificari, vbi vel amētiā, vel pertinaciā Medicorū Diatritariorū prorsus intelligimus (ait Gal. nam cùm cunctis evidenter appareret nūquā ægrū ad 4. perventurū fuisse, si nutritus ante accessionē 3. diei non fuisset: illi tamē & tunc, & secutis etiā diebus non rectè esse nutritū aiebāt; quod cùm sciret Gal. videretq; 9. die in accessione pulsū ægri firmiorē redditū, quàm prius erat, vt eorū nugas cōfutaret, permisit die 10. quòd æger sine cibo præteriret accessionis horas, præfatus fore, vt sic in ipso die omnes intelligerent fuisse eò vsq; servatū, qua Gal. vt est dictū, nutriret illū: ergo cùm in tali accessione, & sine pulsu omnino esset, & frigus vehementius premeret totū corpus, sic vt æger nec loqueretur amplius, & vix impellentē sētiret, cōvocatis illis Medicis, sic eis fuit loquutus. *Iā ex hac accessione vobis planè constat quis hominē servaverit, quia enim cibū non sumpsit, multò peius in accessione se habuit: servabitur etiā & nunc nostrâ operâ. nō enim si periturū in hac accessione putassē à cibatione eū destitnissē: sed quoniā ex præcedente victu tātū illi roboris superesse noverā vt tolerare accessionē posset, permisi accessionis horas sine cibo trāsmittere, attamen fuisset multò satius ante hominem nutrire.*

Sanè in his casibus satius multò facit qui 41
ægrotantes ante accessionē nutrit (ait Gal.) verùm quo & istos redarguā, scil. diatritarios, & alios, qui confici à nobis juvenē dicunt, quòd illā cibādi occasionē omiserim; nunc illis ostēdā, vel in accessione ipsa ægrotātes quosdā nutriri debere, nedū ante hanc: quare his dictis, ac diductis hominis maxillis, scil. vt os aperiretur infundo ex angustioris vasculo cremoris ptisanæ tres cyathos; paulò autē post vini albi, ac tenuis, modicēq; calida diluti duos cyathos, post quos, & sustuli oculos, & tū audire, tū loqui, tū præsētes nosse cœpit; cùm autē veluti lignū aridū porrectus, sine voce, ac sine sēsu jacebat: rursus itaque dato ex vino (quo dixi modo) diluto pane ad comedendū exiguo prorsus hominē revocavi. Itaq; tria diversa, & per ordinem exhibita dedit Gal. nostro febricitanti in accessione sine sensu, & sine voce, quasi morbus jacenti, vt ab hoc tanto symptomate revocaret, aut liberaret. Primùm ptisanæ cremoris, id est, succi ptisanæ tres cyathos, id est ℥ iiij ß. nā cyathus vnus perdet ℥ j ß. Deinde

vini albi aqua calida diluti cyathos duos, vel ℥iij,& tandẽ ex eodẽ vino panis exiguũ præbuit ad comedendũ. Dedit antẽ primum ſuccũ ptiſanæ,quia humidũ præſtat alimentum; etſi enim minus nutrit ſuccus ptiſanæ quàm alica, quia tamen citius coquitur,ac diſtribuitur, ad omnes ſingulas corporis partes , & citius eas nutrit,irrigat,ſive humectat.ideo prius debuit exhiberi in dicta acceſſione , in qua vrgebat maximè vſus humectandi:nã dicta ſymptomata ſummã ſiccitatẽ & viriũ defectũ ſequebantur; dato ergo ptiſanæ ſucco paulò poſt, dedit etiã vinũ tenue aqua calida modicè dilutũ,vt ſubitò,vel quàm citiſſimè vires reficeret exolutas: vinũ enim ex Hipp.2.*aph.*21.famem ſolvit,& deficientes ſpiritus ſtatim reſtituit,ſicuti vinũ aqua dilutũ ex Gal.7.*aph.com.*56.*in fine*,humoses acres temperat,atq; optimos reddit: quare præcedente humectatione, & ſiccitatis aliqua correctione,vinũ aqua tẽperatũ, ne febrẽ intenderet,profuit valdè ad vires reparandas,aut à ſopore excitandas:nã ideo addit poſt quos,id eſt poſt vinũ bibitũ,& ſuſtulit oculos,& audite & loqui cœpit,& præſentes agnoſcere,cùm ante ſine voce,ac ſenſu,quaſi morbus jaceret; ſed cur vinũ tenue dedit,& aqua calida dilutũ, quia ſic citiùs atque faciliùs actuari ac diſtribui poterat:cùm enim vires non ſolùm ex febre,atq;eius cauſis, ſed ex ipſa acceſſione eſſẽt quaſi mortuæ,ac ferè in totũ exolutæ, nedum vinũ poterant benè actuare,atq; digerere,niſi eſſet tenue,atque actu calidũ aſſumeretur,etſi benè dicat Hipp.*Facilius eſt impleri potu quàm cibo*.Dedit etiã vinũ in minori quãtitate quàm ptiſanæ ſuccũ,quia vinũ à virtute debili non concoquitur,& ne febrẽ accenderet.Sic igitur jam à ſopore illo,vel extaſi peſſima excitatum ægrũ,tandẽ dato ei ex vino aqua calida diluto pane ad comedendũ exiguo prorſus vivificavit Gal.& magis firmavit; quia panis vt alica multùm nutrit , ſi benè concoquitur, & vires multùm roborat, atque cõſolidat , cùm ſit alimentum ſolidarum partium; ſolidæ enim partes cibo humidæ potu , & ſpirituoſæ odoribus bonis potiſſimùm nutriuntur.

42 Habemus jã quid vſq; ad diẽ 11.factũ ſit in noſtro ægro;& quare tũ & etiã habemus,quo modo ipsũ in acceſſione omnino proſtratum, ac viribus,ſeu vita deſtitutũ revocavit Gal. His igitur peractis rurſus poſt 11. ad inſtituta ab initio victus rationẽ ęgrũ,ait,reduxi,& 13.diei acceſſionẽ facilè tolerare vidi:vnde in 14.rurſus manè cibavi, ac poſt circiter horã 8. lavi: deinde liberaliùs cibavi, ac mox vinũ bibẽdũ exhibui,vt in 12.& 13.feceram:vt enim vires videbat invaleſcere,& minus in acceſſionibus exolvi,liberaliùs cibabat Gal.ſuũ febricitantẽ, vt ſic citiùs eũ ad ſanitatẽ perduceret : ſciebat enim morbũ pendere ex defectu,& ideo cibabat ægrũ quantũ vires ferre poterant,ac benè concoquere:vnde cùm & 15.manè cibaret, faciliùs tunc quoq; acceſſionẽ ferre vidit,ideoq; in 16.denuò lavi,inquit,cæteraq; circa hominem peregi,ſicut in præcedentibus diebus; ex quibus vidi quòd in 17.acceſſio fuit tã parva, vt de cætero audacter hominẽ convaleſcentiũ victus ratione nutrirem , id eſt pleniori victu quàm antea,& ſolidiori, vt ſic non modò partes molles,ſed & ſolidę citò in totũ reficerentur, vel quo magis fieri poſſet,ad ſanitatẽ integrè cõſequendã;concluditq;caput,dicẽs:hic æger docuit, ac docet bonos Medicos in corporibus,in quibus partes,atq; humores ad intẽperiẽ calidã & ſiccã cõverſæ febres accẽdũt in ipſa acceſſionis invaſione,vel parũ antea,vt ſi 2. horarũ intercedat ſpatiũ,eſſe cibandũ, & in prima acceſſionis invaſione, huiuſmodi febricitãtes eſſe nutriendos,vt latiùs videbimus, & ipſe explicat in tribus ſequentibus capitibus.ſolùm hîc locutionẽ Gal. notandã advertimus:dicit enim,in corporibus in quibus intẽperies ad ſiccũ & calidũ converſa febres accẽdit,quaſi apertè dicat:in corporibus, in quibus non humorũ abundantia,aut putredo,aut aliud ſubſtantiæ vitiũ; ſed intẽperies ipſorum corporũ,aut humorũ ad ſiccũ & calidum converſa febres accendit: in his inquã cùm invaſura eſt acceſſio,vel cùm incipit eſt cibandus, etiam in ipſa prima acceſſionis invaſione.



CAPVT IV.

In quo ratione, atq; experientia demonſtrat Gal. quàm ſit vtilis in aliquibus cibum dare ante acceſſionem,vel incipiente ipſa acceſſione.

43 DVo enim ſunt adinveniendæ veritatis inſtrumenta,nempe ratio,& experientia,vt 3.*huius operis lib.cap.*2.docet Gal.& duo etiã eadẽ ſunt,quæ fidẽ faciunt iis,quæ verè ſunt inventa ex eodẽ Gal. *lib.*1. *cap.*3.quare ex experientia,atq;ratione demõſtrat in præſenti cap.4.& ſequentibus eſſe vera ac benè tradita,quæ *ſup.cap.*dixit:ſcilicet in corporibus reſiccatis, ſive gracilibus præcalidis,ac ſiccis,in quibus ipſa corporis atque humorũ intẽperies,ſeu præter naturam caliditas, ac ſiccitas febres accendit abſque aliqua redundantia ſanguinis,aut aliorum malorum humorum,cibandos eſſe febricitantes in principiis acceſſionũ taliũ febrium, aut parũ antea, etiamſi acceſſiones ſunt ex illis, quæ cũ rigore vel horrore invadunt, & cum partium extremarum refrigeratione. In hoc ergo cap.4. ex experientia potiſſimùm cõfirmat Gal.dictã doctrinã,& in 5.ſequenti:antequã autẽ hic ab experientia confirmet ſuã ſententiam,demonſtrat quomodo, & à quibus cauſis acceſſiones dictæ cum horrore invadant : quare præſens caput ſecatur in duas diſtinctas partes.

TEXTVS.

Porro hoc quoque pleriſque Medicorum fortaſſe ſit incredibile, &c.

44 HÆc eſt prima capitis pars,in qua ſic ad verbum ſtatim alloquitur Gal.*Fortaſſe incredibile pleriſque Medicorum erit quod ſuprà eſt traditum , nempe eſſe cibandos febricitantes in principiis ſuarum acceſſionum, cùm tales febricitantes ſunt multùm graciles, atque præcalidi,ac ſicci, & in quibus cauſa externa tales febres, atque acceſſiones excitant , potius quàm*

humorum

humorum redundantia, aut putredo, aut crassities, vel lentor, sed sive rationi fides adhibeatur, sive operibus, ex utrisque invenient esse vera quæ dicimus, & nos eis (ait Gal.) *fidem ex ambobus facimus, id est ex experientia, atque ratione attestamur, ac certò demonstramus esse certa, atque verissima quæ dicimus operibus quidem, dũ homines esse multos monstramus, qui si biduo patiantur inediam, vel ira sunt concitati, vel mœrore, vel vigiliis, vel aliis similibus afficiantur necessariò, in febres accenduntur, atque in dictas accessiones, quæ statim in earum principiis dato cibo curãtur.* Quòd verò tales homines, & tales febres dentur, etiam testatur experientia, cùm evidentissimè, tum in convalescentibus ex diuturno morbo, talia fieri cernuntur, tum iis qui calido & sicco sunt tẽperamento: tam enim illi quàm isti ex dictis causis, sive occasionibus corripiuntur dictis febribus, quę si statim cibus detur, in earum principiis curantur, etsi repetant per circuitus, & accessiones habeant, quæ cum horrore invadant, aut rigore.

TEXTVS.

Mordens halitus, & succus ubi per sensibilia, &c.

44 SVpposito quòd datur casus & experientia, & multæ febres in corporibus extenuatis atque debilibus calidis ac siccis, quæ à causis solùm exortæ, externè repetunt per circuitus, & accessiones habent, quæ cum horrore invadunt, atque refrigeratione partium corporis externarum, ac extremarum, nunc ostendere aggreditur per rationem ex natura rei desumptam, quomodo, aut ex quibus causis tales accessiones fiant cum horrore, cùm causæ externæ quæ tales faciunt febres, non sint ex illis quæ horrorem efficiunt, neque extremorũ refrigerationẽ. Hoc ergo vt demonstret, supponit etiam, & docet, quòd mordens halitus, & succus, vbi per sensibilia corpora fertur, id est per carnes, aut alias corporis sensibiles partes, facit horrores, id est leves atque inæquales cutis, ac carnium quæ sunt sub cute concussiones, atque refrigerationes, in corporibus scilicet, in quibus constipata cute, quæ prius transpirabant, non transpirant, sed intra cutim jam sunt retenta. Hęc ergo corporis vaporosa, atq; insensibilia excrementa, quę per cutim naturaliter expurgantur quotidie si detineantur, inquit, & fuliginosa sint, id est calida, atque adusta, febres accendunt, & si mordacia evadunt, horrorem, aut rigorem: rigor enim & horror solùm distinguuntur, penes magis aut minus partes concutiunt.

45 Cùm igitur huiusmodi halitus, & succos in dictis corporibus extenuatis, atq; tẽperamento calidis, ac siccis, tũ multa & vehemẽs exercitatio, seu dimotio, tum vigiliæ, & ira, & dolor, & curæ, & alia huiusmodi adaugeant, veluti si cibũ quis nõ assumpserit: efficitur enim corporis habitus in iis naturis, quę facilè amarã bilem generant, ex longa inedia biliosus. Cùm hæc inquã ita se habeant, si hæc ita incidant, id est, si dicta corpora ex præcedentibus dictis causis, vel earum aliquibus, scateant fumosis illis vaporibus, aut excrementis biliosis, vstis, atq; mordentibus, & rebus sic stantibus, æger motu quopiam vehemẽtiore quàm pro viribus, ac consuetudine agitatus mordentiũ eorum excrementorũ impetum confertim foras excitaverit, necesse est, vt *in 2. de symptomat. causis* ostenditur, concussionẽ quam modò diximus, nempè rigorem, vel horrorẽ subsequi. Itaque causæ illæ externæ febres dictas generant, atque accessiones cum horrore, aut rigore, & refrigeratione partiũ corporis extremarũ in corporibus biliosis, non quia ipsæ refrigerationem inferant aliquam, aut horrorẽ, neque quia humores corporis adaugeant, sed potiùs quia ipsos exsiccant, atq; absumunt, attenuant, ac biliosiores reddunt, acres & mordaces, & tandẽ quia in multos halitus, aut fuligines, seu fumos acres, atq; præcalidos, permutant tales humores, à quibus intra cutim detentis, & febres generantur, & accessiones cum horrore, &c.

TEXTVS.

Ac concussio quidem ista succedere propter eorum quæ, &c.

EXplicatis horroris causis, & quomodo accidit in principio multarũ accessionũ febriũ, explicat hìc, atque advertit, vt & loco citato *2. de causis symptom. cap. 5.* fecerat, quòd dicta corporis excrementa propter eorũ tum multitudinẽ, tum acrimoniã, tum impetus vehementiã, aut celeritatẽ, tum denique propter virium infirmitatẽ vel robur generant, vel rigorẽ, vel horrorẽ, vel neutrũ istorum ad corporis solùm inæqualitatem, vel vlceris aliquẽ sensum, seu vlcerosam lassitudinem: quæ enim ipsorũ excrementorũ multa sunt paucis mordent magis, vt quę qualitate sunt magis acria, ijque ita non sunt: pari modo quæ celeritate movẽtur, aut vehemẽter feruntur magis mordent quàm quę tardè feruntur, ac debiliter: tamen vbi vires valentes sunt omnia contẽnũt, & sustinent; vbi verò infirmæ sunt redditæ, à quovis offenduntur, potissimùm si corpus admodum sit sensibile: nam ipsa acuta nimis sanatio vires prosternit. Cocuntibus ergo omnibus quatuor dictis, quod vehemẽtissimũ est oritur, scil. rigor, sive dolorifica refrigeratio, & valida totius corporis concussio, propter eorũ tũ multitudinẽ, tum acrimoniã, tũ impetus celeritatẽ, tum laborantis viriũ infirmitatem: horror fiet vbi qualitas eorum, & impetus velocitas erunt remissæ, tum copia minor, ac potissimùm si vires tristanti obsistũt: si verò dicta largiùs remittãtur, neq; horror quidẽ fiet, sed vel vlcerosus quidã sensus, vel tantùm inæqualitas fiet ex fluxu eorum per corporis partes sentientes, quales carnes sunt musculosæ, membranosæ, & nervosæ; quòd si quædam ex quatuor dictis sint, quædam non sint, & quædã maiora sint, quædã minora in his casibus, pro ratione mixtionis quoddã quasi medium fit inter id quod maximum est, nempè rigorem, & quod est minimum, scilicet nullus excrementorum sensus. 46

TEXTVS.

Itaque nihil mirum est si dictarum causarum qualibet, &c.

47 Colligit nũc ex dictis quòd in corporibus biliosis atq; gracilibus qualibet ex causis externis supra positis, siue sola præcedat, siue aliis cõiuncta poterit efficere non solùm inęqualitatẽ, vel vlceris sensum, sed horrorẽ, aut rigorẽ: nam ponamus, inquit, quòd in corpore aliquo gracili, ac temperamento bilioso vires imbecilles sint, corpus ipsum admodum sensibile, & stomachus eius biliosus, siue bile amara, acrique affectus (quippe & ista duo multum cõferunt ad symptomatis generationẽ.) Supponamus etiam quòd dictis accedant inedia, siue abstinentia cibi & vigiliæ, & tristitia & solicitudo, vel progressus per vrbem plusquam necessarius ad sanitatẽ conseruãdã: tandem his omnibus præmissis & propositis, supponamus quòd postea qui sic jam affectus est, rursus det sedulò operã, vt plus itineris per vrbem, re ita postulante festinus peragat: certè in hoc casu, & in tali corporis dispositione atque excrementorũ apparatu necesse est, vt huic cui talia insunt, ex eo qui exercitatus est mordentiũ excrementorũ motu primùm quidẽ inæqualitas quædã in corpore, mox etiam horror prõptè incidat; quòd si motum continuet, vel cibum sumens non anteuertat, protinus etiam febris excitatur; cùm enim dicta corpora ex inedia, vel vigiliis immoderatis, vel nimia tristitia, aut laboribus immodicis biliosiora reddantur, & dictis fumosis excremẽtis acribus, ac semivstis repleantur, sit hinc necessariò, quòd si hæc excrementa, vel ex motu aliquo festino, vel ex ira, vel alia simili occasione agitantur, & per partes corporis sentientes, concitato motu mouẽtur sua mordaci qualitate, tales partes feriant, atque molestent, sicque corpus aut inęqualitate corripitur, id est, displicentia, aut molestia quadã, quã æger satis exprimere, aut explicare nescit vel vlcerosa lassitudine, vel horrore, aut rigore, prout materia acris quæ agitatur, aut mouetur, & plus vel minus mordens, aut plus vel minus mordet, & magis aut minus impetuosè mouetur, viresque plus vel minus resistunt? quòd verò si motus continuet, vel cibus tunc non detur, febris etiam accendatur, ex eo patet, quòd & ipse motus est causa caloris, ac febris, & sola inedia febres accendit in iis naturis.

TEXTVS.

Equidem ita febricitantes aliquos ostendi tibi, &c.

48 HÆc est 2. capitis pars, in qua ex multis experiẽtiis, siue curationibus ab ipso factis confirmat Gal. quòd in extenuatis valde corporibus, & quæ ex inedia, vel fatigatione, aut alia simili causa externa febribus corripiuntur, & si tales febres cum horrore inuadant, & partium extremarum corporis refrigeratione sint statim in principio talium febrium, atque accessionum humido victu cibanda, quia sic & febres curantur, & corpus, & vires deperditæ simul restaurantur; sic ergo habet Gal. Equidem ita febricitantes aliquos ostendi tibi, maximè ex iis qui è longo morbo conualuerant, quorum cùm vni forte fortuna occurrissem, qui mox antè horrescere cœpisset, vt rem exposuisset, dato ex vino diluto pane, continuò horrorem inhibui; alios 12 verò qui priùs se domum suam recepissent in ipso principio horroris, vel paulo posteriùs cibauimus. Quasi dicat: qui graciles admodum sunt, calidisq; scatent, fumosis, atque mordentibus excrementis, si ex aliqua externa causa vel causis febricitare incipiant, cum horrore quidem tales febres inuadunt propter eũ qui tunc excitatur mordentium excremẽtorũ motum per partes sentientes: equidem Ita febricitantes aliquos ostendi tibi, maximè ex iis, qui è longo morbo conualuerant: quæ enim longo tempore extenuata sunt corpora, ex Hipp. & Gal. 2. *aph. sent.* 7. non solùm humorũ fusionem, sed & solidarũ partiũ colliquationẽ sunt perpessa, ideoque hæc corpora abundant dictis fuliginosis atq; mordentibus excrementis: siue enim humores, siue carnes liquentur, inde dictorum excrementorum magnus prouentus oritur, & consequenter si hæc excrementa ita liberè per totius corporis insensibilem transpirationem non exhalantur, sed intra cutim detineantur, & agitata per diuersas partes sentientes, partes impetu aliquo moueantur, primùm quidem horrorem, & mox febrẽ accendunt, vt quę non solùm fumosa & acria, sed prœcalida sint: quare non solùm corpora sua natura gracilia, ac supra modum calida, atque adusta, neque quæ talia ex laboribus immoderatis, aut diuturnis studiis, vel aliis similibus causis sunt reddita, dictis horroribus ac febribus afficiuntur, sed maximè illi, qui è longo morbo conualuerunt, propter dictorum excrementorum copiam.

In his ergo casibus, atq; in talibus febribus, 49 ait Gal. statim in principio accessionis, atque horroris victu humido, æger cibatus extinguitur horror, & febris impeditur ne accendatur: equidem aliquos febricitantes ostendi tibi, maximè ex iis, qui è longo morbo cõvaluerant, quorũ cùm vni forte fortuna occurrissẽ, qui mox ante horrescere cœpisset, huic statim, vt rẽ exposuit, dato ex vino diluto (scil. vt *sup. cap.* est dictum, nẽpe aqua calente) pane cõtinuò horrorẽ inhibui: verùm tunc (vt scis) per viam in officinã quandã perductum febricitante prohibui: alios verò qui se priùs domũ recepissẽt, in ipso principio horroris, vel paulò posteriùs cibaui, atq; vt semel dicã, quibus incipiẽre adhuc accessione, aderant symptomata, scil. horror, aut refrigeratio extremorũ: iis cibũ panẽ ex vino diluto atq; calente maturè exhibens, & horrorem statim inhibui, & febrem prohibui; quantò enim hos citiùs cibaueris, tantò magis febrẽ prohibebis. Diximus enim *cap. sup.* quòd vinũ aqua calida dilutũ faciliùs concoquitur, & meliùs distribuitur ad omnes corporis partes, quas non solùm humectat, irrigat, nutrit, atque refrigerat, sed &

& humores actes temperat valde, atq; hebetat: vnde benè hotrores ac febres dictas extinguit, panis etiā dicto vino madidus humores attemperat, ac vires omnes multùm restaurat.

TEXTVS.

Quòd si paululùm aliquando mora-
50 *re vtique febris*, &c.

DIxit parum antea Gal. quanto citiùs hos cibaveris, tantò magis febrem prohibebis: nunc quasi hoc confirmet, sic scribit: *Quòd si paululum aliquando morare vtique febris ne tunc quidem; calor tamen multus iis advenit, similimè atque iis qui per vehemens frigus facto itinere reversi domum calidis sunt nutriti.* Quasi dicat: si supra dicti febricitantes statim in principio horroris non cibantur, sed aliquantulum cibum dare moratur, aut differtur; tunc quidem etsi reverà in febrem non accenduntur, maiorem tamen quàm anteà calorem sentiunt talem ac tantum, vt dubites, an hunc febrem appelles; cùm enim fumosa eorum excrementa calida sint valdè, atque exusta, attenuata ac exsiccata, fit consequenter quòd si agitantur, vel impetu quodam moventur, statim ardent, aut in maiorem calorem accenduntur, si protinus cibo humido, ac attemperante exhibito talis excrementorum accensus non impediatur: sunt quidem dicta excrementa talis naturæ, quòd etsi præusta ac præcalida sint reddita, non temperantur frigidis & humidis actu (quod est notandum) sed vt suprà dicebamus, ex Alexandro Tralliano, humidis atque calidis actu, veluti aqua calida, & potissimùm victu humido ac calido: nam ex Hipp. optimum medicamentum est in alimento, quia magis sic amplexatur à natura, magis actuatur, vel convertitur: quare in dictis casibus cibus moderatè calidus ac attemperans & multùm nutriens atque humectans statim adhibendus est, vt sic non solùm horror, sed & febris impediatur: qui enim sic non cibantur, sed cibus dictus paululùm moratur, quamvis tunc detur, tamen in calorem maiorem moltò quàm habebant anteà accenduntur: vnde si duæ horæ ab initio inæqualitatis, aut horroris interpositæ sint antequam cibaveris, nutriens quidem tunc quoque, modò horror adhuc duret: prædisces tamen quòd ij febricitabunt, quia cibatio nimis tardavit; cæterùm febris erit innoxia, & cui cutis mador vt in diaria succedit, quia etsi tardè cibatus, est æger. Hoc ergo facto, id est, in fine madoris huius febris, tùm ægrum lavare, tum rursus nutrire debebis, ait, vt sic
51 fomes, aut fermentum illius febris in totum extinguatur.

Quòd si in casibus suppositis horror præterierit, & laborantes jam planè febricitent, tunc cibandi non sunt; sed decrescente jam accessione, integra remissione non expectata illicò sunt nutriendi: in nullo namque squalido affectu (id est ex nimia siccitate ac- que defectu carnium amissa propria figura, quasi cadaverico facto ægro) commodè finitur accessio, priusquam illi vel ex lavacro vel humido victu humectatio accesserit: itaque in his febribus, atque corporibus calidis ac teficcatis cibus datur benè, & cum vtilitate laborantis, non solùm in principio accessionis, atque horroris eius, sed etiam in aliis temporibus accessionum, vno excepto augmento, nempe in statu & declinatione: in principio quidem, vt serventur vires, & extinguatur febris augmentum; in statu, vt declinet, & in declinatione, vt penitus deficiat calor febrilis, sicut in accessionis principio. Sed dubitatur hîc, cur in incremento accessionis cibus attemperans, atque humectans prohibetur, qui vtiliter in aliis temporibus dator. Respondetur: quia si tunc daretur, non magis attemperaret quàm materia fieret, augendo calori febrili: cùm enim calor febrilis in accessionis augmento à centro corporis ad extra exeat, ac per partes externas jam totus se diffundat, si tunc cibus datur nocet, quia corrumpitur ab ipso febrili calore aucto, vel nimis valido, & fit materia ipsius, quod non accidit in aliis temporibus: nam in principio & fine omnia sint imbecilliora, vt ait Hipp. 2. *aph.* 30. & ita cibus datus in accessionis principio, & declinatione, extinguit calorem febrilem, qui tunc reperitur debilis, & in statu quidem: nam tametsi tunc calor est maximus, sed materia accessionis, etiam est jā consumpta, & ideo neque ex cibo assumpto calor febrilis deficiente materia propria, amplius potest accendi, sed remittitur atque devincitur à cibo; testatur enim Gal. in squalidis affectibus, non declinare accessiones, nisi laborantes vel balneis, vel alimentis humidis irrigentur, & sic humiditas nativa temperetur, quæ iam febri præstabat materiam; cùm enim febrilis calor propria materia caret, si non extinguitur, convertitur, ad corpus & eius materiam humidam, sive humiditatem nativam depopulatur.

TEXTVS.

Hæc ego omnia cum operibus indicarem, qui, &c.

HIc ergo queritur Gal. de Medicis sui tēporis, qui credere nolebant quæ ipse operibus, sive experientiis indicabat; cùm 52
enim ait iis ratione & experientia doceat aliquos febricitantes ante accessionem esse cibandos, aliquos in ipsa, idque vel inclinare jā incipiente, vel etiam jam in summo vigore; tunc me paradoxa facere, atque docere dicebant; id est quæ supra eorum opinionē erant: paradoxa enim sunt admirabiles sententiæ, sed quæ superant communem opinionem, vel extra communem opinionem sunt. Dicebant igitur, & fieri nequit, vt huiusmodi affectus quis cognoscat, quomodo ergo, ut tu dicis, eos curabimus? Præterea neque cognosci potest, si verbi gratia huic febrici

febricitanti non sit adhuc in succis putredo vlla,illi vero sit : quare neque ex hoc cap. vt tu dicis febres curari possunt. His sic respondet Gal. ergo quod facias his hominibus , quibus neque opere neque ratione persuaderi potest. Videtur ne cuipiam fieri non posse , vt calida & sicca intemperies cognoscatur. Mihi sane ita videtur facilius quàm has ipsas agnovisse literas ; sive talis intemperies ab ortu vsque fuerit ; sive in præsenti tempore talis sit reddita : ex pulsu etiam & vrina, & nonnumquam ex ipsa quæ in calore , & mordaci qualitate evidenter discernimus , an jam sit putredo in humoribus , an non , vt *libro sup.* ostendimus & *sequenti* etiam dicemus : quare si isti scientibus parum credunt , ideo est quia ipsi neque discere volunt , neque sese exercitare. Hæc notemus omnes cum neque nos, vt Gal. docet,has febres curemus.

Dubitationes super Textum.

53 Duæ dubitationes se se offerunt decidendæ,vt penitus intelligantur,quæ in textu sunt supposita , atque ostensa , 1. est an rigores fiant potius à facultate valida quàm imbecilla , vel è contra; 2. est an à temporibus morborum , aut accessionum aliqua sumatur indicatio , circa alimentum , vel remedium; quoad primam pertinet, vt breviter eam dissolvamus , supponimus duo, 1. est quod rigor , est dolorificati perfrictio totius nostri corporis , cum valida ipsius concussione : vnde in rigore tria reperiuntur , nempe caussa rigoris , quæ corpus molestat , & duæ facultates , quæ persentiunt molestiam , sensifica & expultrix ; quia enim facultas sensitiua ab obiecto aliquo molesto offenditur , atque irritatur nimis , excitatur expultrix , totumque corpus valde contulit , vt sic expellat quod molestat , sine dolorificam dictam sensationem causat. 2. est notandum , quod Gal. vt in præsenti capite dicit rigorem fieri à virtute debilis; sic enim babet *: ac concussio ista succedet propter eorum qua fe untur excrementorum ,tum multitudine , tum* acrimonia , *tum impetus celeritatem,tum laborantis virium infirmitatem.* Ita 2. *cap.* 2. *libri de causis simp.* è contra dicit fieri à facultate robusta , & valida ; quare explicandus iste nunc nodus , & Gal. à tanta contradictione liberandus. Dicimus ergo non sibi in his locis contrariari Gal. sed vera vtrobique dicere ; si enim hic ob virium imbecillitatem fieri rigorem dicit , de facultate sentiente loquitur , quæ est in musculis, & partibus quę concutiuntur , quæ quanto fortior fuerit, tantò magis resistit , & minus offenditur , à causa rigoris; quia , vt hic etiam ait , vires vbi valentes sunt , omnia contemnunt , & sustinent , quanto verò debilior est sentiens facultas , tantò magis offenditur , & minus resistit, quia vires languidæ à quovis offenduntur : secundò autem de causis symptomatum cap. 5. loquitur de facultate expultrice , quæ quanto fortior est , tanto membra magis concutit , & inde rigores fortiores fiunt : vnde nulla datur contradictio inter dicta loca;sed semper Gal. vera dicit si benè intelligitur.

Erat altera dubitatio,an à temporibus morborum , vel febrium accessionum , sumatur aliqua indicatio, ad nutriendum ægrum , vel aliud ei adhibendum remedium,quæ quidem dubitatio potius pertinet ad sequentem librũ, vt *cap. vltimo* istius videbimus : quia tamen nunc ponit casus Gal. in quibus in tribus accessionis temporibus possunt ac debent cibari laborantes, non solùm , ut vires eorum conserventur;sed etiam ut ipsę febres curentur,& accessiones cessent, vel extinguantur , vt dictum est,ideo & nunc explicare debemus, an à temporibus accessionum aliqua desumatur indicatio propinandi cibum,vel remedium febricitantibus,si non quidem in omnibus,quia ut in plurimum in accessionibus abstinere oportet:nam cibum dare nocuum est;saltim in aliquibus;in quibus in pręsentiarum propinat Gal. sed respondetur breviter à temporibus morborum neque accessionum,nõ desumi aliquam indicationem dandi cibum,neque aliud remedium,sed à natura,à morbo,atque ab ambiente vt *sup. lib.* est monstratum ; attamen quia dicta natura , ac morbus varias patiuntur mutationes in diversis dictis temporibus; idcirco in illis docet Gal. in principio accessionis exhibere alimentum in natura calida,ac sicca,inedia , vigiliis , variisque laboribus plurimum exusta, ac resiccata ; hoc sine dubio facit quia sic multas adimplet indicationes vrgentes , scilicet à febre & eius caussis internis dependentes , nempe ab adustis, acribusque excrementis à natura etiam, atque à viribus ortæ laborantis ; & non præcisè , quia morbus aut accessio , est in principio: similiter si Gal. in augmento accessionis cibum prohibet,neque tunc eum prohibet, vt vidimus, quia morbus,aut febrilis calor est in augmento,aut crescit; sed quia talis est tunc, quòd cibum corrumpit: quare neq; in ægrotis, aut febribus,de quibus hîc agit Gal. à temporibus sumitur indicatio cibandi ægrotãtes, aut aliud exhibendi remedium;neque prohibetur, si in rei veritate loquendum est , sed à natura ipsa morbi,atque ægri , & eorum viribus. 54

Sit hîc tertia dubitatio , an doctrina Gal. modò tradita sit observãda non solùm quando natura ægrotantis calida, sicca, atque extenuata valdè à causis calidis , ac exsiccantibus extern is incidit in dictas febres humorales , sive ex humoribus tenuibus , aut liquatis , calidis , acribus , atque perustis exortas , sed etiam in aliis quæ ab eisdem generantur humoribus , natura tamen laborantis non est eadem , sed diversa ; verbi gratiâ , an etiam in picrocholis corporibus , id est , in quibus amara bilis abundat , tenuis , fluida , valdè acris & mordens est , si hæc agitata accenditur, ac febrem facit,per circuitus repetentem,& accessiones excitans cũ horrore,vel rigore, & partiũ externarum, atque extremarum refrigeratione, 55

an

an inquam in his febribus, atque in principiis iſtarum acceſſionum cibus dari debeat, & alimenta quæ humectent ac refrigerent, incraſſentque febrem, & dictos humores, quãquam natura laborantis non ſit per exceſſum calida, & ſicca, neque debilis, aut valdè extenuata, vt Gal. ſupponit in textu. Reſpondetur affirmativè; etſi enim Gal. in textu non ſolum tales humores ſupponit, ſed omnes cauſas ob quas febres dictæ poſſunt accendi annumerat, & potiſſimùm laborantis naturam diſpoſitam ad illas patiendas, ſi tamen tales humores vel ex inedia, vel vigiliis ac lucubrationibus immoderatis, vel ex aliis cauſis aut occaſionibus generentur, agitatique accendantur, & dictas febres pariant: etiam & in hoc caſu, atque ſimilibus opus eſt cibare febricitantes in principio acceſſionis, licèt natura ægri non ſit debilis, aut ſqualida, vel ſummè reſiccata; ſed ſatis eſt quòd humores febrem facientes tales ſint: nam revera & iſti non minus quàm ipſa natura laborantis, cùm fuſi, agitati, reſiccati, acres, ac mordaces redditi, febres excitant ſibi ſimiles, ſtatim in principio acceſſionis cibo, aut alimentis humidis, atque incraſſantibus temperari debent, obtundi & craſſeſcere deſiderant, vt ſic febris ceſſet, & ne acceſſio illos de novo agitet, magis fundat, acrioréſque reddat; ſi enim picrocholus aliquis qui bile amara ac fuſa abundat febre accendatur, vel vigiliis, vel laboribus immoderatis, vel ſimilibus cauſis; is quidem, etſi corpore ſqualidus non ſit, ita tamen ex ipſa febre agitatur, & humor bilioſus eius excandeſcit de novo funditur, fervet ac fluitat, vt niſi ſtatim dicta victus ratione temperetur, atque emnereſcat, non ſolùm febris ex intermittente continua fiat, ſed invadente acceſſione, impetu ad os ventriculi irruat, ibique mordens non modò anxietatem, cardialgiamque, ſive ingentem dolorem, ſed & ſyncopen, aut febrẽ ſyncopalem faciat: quare vt hæ febres & eius dicta prava accidentia præcaveantur, ſtatim in principio acceſſionis cibandi ſunt febricitantes alimentis frigidis, humidis, atq; incraſſantibus.

56 Sed objieies: ex parum antea dictis conſtat quòd in augmento iſtarum acceſſionum non licet cibum dare; quia corrumpitur, & ſic auget ipſam febrem: ergo minus poterit dari in dictis Picrocholis, & in febribus eorum, neque in principiis acceſſionum earum: cùm ex ſuppoſitione picrocholi ſint illi in quibus bilis amara & excrementitia, acris, ac mordax redundat, ſaltim in eorum ventriculis; at in his caſibus cibus datus corrumpitur neceſſariò in ipſo ventriculo, vt expreſſè docet ipſe Gal. *6. de morbo & ſymptomate, cap. 1.* & ratio perſuadet. Siquidem *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*, & omne corruptum corrumpit ſibi coniunctum, & ideo cùm in ventriculo aliquid continetur vitioſum, prius vomitu, aut per alvum eſt expurgandum, & poſtea eſt cibus dandus, vt concoquatur, & non corrumpatur: quare ſi vt nos hic dicimus, dicti febricitantes nutriuntur, non ſolùm non ſic benè curabuntur, ſed maximoperè offendentur? Reſpondetur picrocholos abundare bile amara, non quidem putrida, aut craſſa: ſed exuſta, fuſa, aut nimis attenuata, acris ac mordax reddita, & idcirco cùm talis bilis non ob eius copiam, aut plenitudinem, aut obſtructionem, ſed ex aliqua cauſa externa præter naturam accenditur, agitaturque, & febrem facit, tunc quidem cibo dicto, per exceſſum humido frigido & craſſo curatur, & curari debet, maximè in principio acceſſionis, quia tunc calor febrilis non nimis vrit, vt in augmento, atque ſtatu: & quia bilis illa non corrumpit alimentum, cùm non ſit putrida, ſed potiùs tali alimento attemperatur valdè, concreſcit, atque mitificatur, ſicque & febris, & omnia ſua ſymptomata miteſcunt, aut in totum curantur; ſed eſt hîc advertendum quòd cùm in picrocholis non ſupponamus vires multùm debiles, neque corpora omnino ſqualida, aut carnibus conſumpta, neque denique ventriculum ſummè deiectum, ſic excandefactum, atque exuſtum cibos dabimus potius actu frigidos aut crudos, quàm è contra, vt ſic magis efficaciter vires ſuas medicamentoſas exerceant: non enim in hoc caſu cibum damus, vt alimentum quamvis coctum etiam nutriat, ſed vt medicamentum, ſive vt dictum eſt, vt humectet, refrigeret, incraſſet, concitatos, ferventeſque humores & eorum acrimoniam coerceant; hæc enim ſunt dictorum humorum indicationes, vt eorum qui ſunt putridi purgatio, aut concoctio; multorum evacuatio, & aliorum ſua contrarietas. Hæc ſunt autem notanda, quia ſæpè accidunt, & non cognita curatur longè aliter.



CAPVT V.

Quòd inedia eſt adverſiſſima in febribus & corporibus per exceſſum calidis & ſiccis.



PERSISTIT Gal. in ſuo propoſito, noviſque argumentis, atque rationibus in præſenti ac ſequenti cap. demonſtrare nititur inediam, aut cibi abſtinentiam eſſe adverſiſſimam in febribus, in cauſis, atq; corporibus, ſeu naturis calidis, atq; ſiccis, ſed quę in præſenti cap. affert Gal. ad tria potiſſimùm capita reducuntur. Primò enim multa repetit quæ ſupra jam dixerat. Secundò ponit varia exẽpla, & curationes morborum quę demonſtrant, quæ ſit noxia inedia corporibus & febribus calidis & ſiccis; & tertiò denique explicat, in quibus morbis inedia ſit maximè neceſſaria, atque ab ipſo Gal. religioſè 57

in eorum curatione observata, quæ vt scientificè ostendat, docet prima capita vnde cibandi ratio desumitur: quare caput in tres partes dividi potest, etsi vtrobique multa ante dicta repetantur.

TEXTVS.

Misso igitur hoc genere hominum, rursus, &c.

58 IN hac prima capitis parte diffuso sermone ponit, quòd calidis ac siccis naturis inedia est adversissima, ac febrium paratissima causa, sive naturæ calidæ ac siccæ tales suot ex sua natura, id est à primo earum ortu, sive tales sint, quia postea factæ à rebus calefacientibus, atque exsiccantibus, vt ex calido siccoque victu, ex multis exercitationibus, ex longis vigiliis, curis aut tristitiis, vel ex anni temporibus, cæli statu, atque regionibus supra modum calidis & siccis:sunt etenim omnes istæ res, non modò omnes simul sumptæ, sed singulæ seorsim potentes nostra corpora alterare, & plus satis quàm conveniat, calefacere, ac desiccare, si diu durent, vel nimis homines eis vtantur: quare & his naturis, ob dictas causas calidis, ac siccis redditis, & aliis quæ tales sunt, ex sua nativa constitutione, ac primo ortu adversissima est inedia, atque febrium paratissima causa, vt statim videbimus. Hic etiam supponit Gal. quòd vt temperamentum corporis calidum tria faciunt, nempè natura, ætas & consuetudo, ita ambientis aëris temperamentum, regio, anni tempus & cæli constitutio, sive status præsens; v. g. sicut temperamentum corporis calidum tria complent, aut integrè efficiunt, scilicet natura calida, ætas florens, & consuetudo rerum calefacientium, ita ambientis temperamentum calidum reddunt calida regio, anni tempus, & cæli status actu calidus: vnde provenit, inquit Gal. quòd sæpè liceat nobis, vno aliquo ex his dicto, reliqua statim intelligere; vt si temperamentum, aut naturam corporum calidam esse dicamus, inde protinus reliqua duo intelligantur;& eodem modo, si dicamus corporis temperamentum esse redditum supra modum siccum ac calidum propter tum regionem, tum cæli statum supra modum calida ac resiccata, in hoc casu etiam anni tempus intelligitur, quamvis non dicatur, vtpote quòd sub cæli statu supra modum calido contineatur; non enim cæli status supra modum calidus alio tempore quàm in æstate accidere potest, vt neque frigidus valdè nisi hieme.

TEXTVS.

Igitur inedia siccis calidisque corporibus valentibus quidem, &c.

HÆc est secunda capitis pars, in qua 59
aliquibus exemplis de novo demonstrat, quòd inedia est valde noxia calidis, ac siccis corporibus. Sic igitur scribit: *Inedia siccis, calidisque corporibus valentibus quidem noxia est: iis verò qui in calida siccaque ætate febricitant, scilicet ex vstione, aut labore immodico, aut vigiliis, aut aliis similibus causis, aut animi motibus, non tantùm noxia est, sed si quidquam aliud perniciosa: quippe vel in febres ardentes ex ea incidunt, à quibus nisi prius mors eveniat, in hecticas migrant, atque ab his in marasmum, vel protinus ab initio, ardentibus præteritis in hecticas.* Quasi dicat: inedia calidis ac siccis corporibus semper est mala, sive sana sint, sive febricitent; & ratio est, quia inedia est potentissima causa, qua corpora exsiccantur: etsi enim inedia ex se non desiccat, sed solùm cibum detrahit corporibus: nam hìc inedia non est aliud quàm abstinentia à cibo, quia tamen corpora semper ex se exsiccantur, & potissimùm quæ sunt per excessum calida; ideo inedia talibus corporibus est adversissima, cùm priùs ea corpora sua restauratione, quæ continuò debet fieri per alimenta, & cibos qui nutriunt, sive restaurant, aut reparant quod inevitabili ratione corpora viventia semper deperdunt; quare inedia siccis, calidisque corporibus semper est mala, etiamsi corpora illa sana sint; at si talia corpora calida ac sicca æstate febricitent, ex vstione v. g. aut laboribus, aut vigiliis immoderatis, vel aliis huiusmodi causis multum exsiccantibus & calidis, in his quidem inedia non solùm est noxia, sed pessima, & si quid aliud perniciosa, cùm in his cibus debeat dari non solùm ad corporis temperamentum humectandum, ac refrigerandum, sed etiam ad extinguendam febrem & æstuationem temporis, atque causarum febris: vnde bene dicit: *Quippe qui sic febricitant ex inedia, vel in febres ardentes incidunt, & inde in hecticas migrant marasmodes; vel ab initio ardentibus prætermissis incidunt in hecticas*; nam maximè siccos, calidosque corporis affectus, vt sæpè dictum est, statim à principio hectica corripit, sicut mulieri accidit, quæ autumno ex tristitia & vigiliis febricitare cœpit, perseveravitque ad plurimum hiemis: hanc autem quarta die (vt scis) vidimus, deprehendimusque statim hecticam esse, cum alia quam humores excitarant coniunctam.

Itaque corporibus calidis & siccis, atque 60
gracilibus inedia lædit, quia corpora dicta calida & sicca sunt ex eo talia, quia carnibus & sanguine carent, à quibus corpus humectatur.

humectatur, temperatur, nutritur, & conſervatur: quare ſi talia corpora continuo alimentis humidis, ac frigidis non nutriuntur, vel ſaltim humidis, læduntur maxime, quia ex defectu alimenti corpus exſiccatur magis, & ſanguis aliique humores, qui ſunt adhuc, redduntur calidiores, ac ſicciores: vnde febris excitatur, vel ardens humoralis, id eſt ex ſanguine, ac bile ardentibus orta; vel ſtatim ab initio febris hectica invadit: ſi enim corpora calida, & ſicca ſeu gracilia carnibus quidem carent, non tamen ſanguine tenui, & humore bilioſo inflammabili, ex inedia quidem in febres incidunt ardentes, quia tunc ſanguis, & bilis inflammantur ex defectu humidi, ac frigidi alimenti, à quo antea temperabantur; ſi verò corpora calida & ſicca non ſolum carnibus carent; ſed & ſanguine aliiſque humoribus qui poſſunt inflammari ſaltem reſinoſi, tunc ex inedia, aut vigiliis, aut laboribus, aut triſtitia, aut aliis ſimilibus, ſi in febrem incidunt potius hectica corripiuntur quam humorali;& ratio eſt, quia tunc non dantur humores qui ferveant;ſed ſolùm dantur ſolidę ſubſtantiæ quæ accenduntur, aut igneſcunt ex defectu alimenti, vel ex aliis dictis cauſis:vnde caute dicit Gal. calidos ſiccoſque corporis affectus ſtatim à principio maxime hectica corripi, id eſt qui ſolum ſolidas habēt corporis partes aptas vt ardeant, non autem humores, cum ſint jam conſumpti, vel in totum, vt calx exſiccati. Neque mireris quod & nos etiam hic modo dicta repetamus, namque maxime ſunt ad curationem neceſſaria, maximéque ignorantur; nec Hipp. repetere gravatur, vt in hoc ipſo capite Gal. ait, cum præterea hæc liquidò oſtendant, non ſolùm quod febres hecticæ, ſtatim poſſunt principiò invadere, quamvis multis impoſſibile videatur;ſed etiam quæ ſunt febres hecticæ, quæ ſtatim à principio tales accidunt, atque invadere poſſunt, vel ſaltim tribus primis diebus.

TEXTVS.

Curatio autem vna tunc fuerat, vt frigida tempeſtivè & moderatè, &c.

61 QVod calida ſiccaque corpora, ex inedia, vel vigiliis vel triſtitia, &c. in febrem calidam ac ſiccam accenſa frigidis, atque humidis remediis debeant ſtatim curari tribus hic demonſtrat exemplis: nam in primis curatio illius Mulieris quæ autumno, ex triſtitia, & vigiliis febricitare cœpit, vna, id eſt communis medicorum ſententia fuit, vt frigida aqua, tempeſtive, & moderate daretur, erat enim conſueta hanc per ſanitatem bibere: etſi enim febris erat hectica, ſimul, & humoralis; tamen neque ideo frigidæ potus fuit dimiſſus; ſed imò curatio per illum facta quia febris hectica, & natura laborantis, ac conſuetudo frigidam poſtulabant, & forſan etiam, altera febris humoralis, ſi materia erat tenuis aduſta, non verò cruda, aut craſſa; verum alius inquit curario hujus febricitantis commiſſa erat; Quare eam nobis ſic ſilere eſt viſum, alteri verò qui eodem tempore ægrotarat, & ſe nobis commiſerat quoties nutritus eſt, fontanæ gelidæ dedimus interim binos cyathos, interim ternos, id eſt in pauca, aut moderata quantitate, quia frigidam multam ſibi dari, qui ita ſunt affecti, id eſt qui multum ſunt reſiccati, & ſanguine ac carnibus deſtituti, citra noxam non ferunt, vt lib. ſup. c. 5. eſt demonſtratum.

62 Itaque utiliſſimum eſt inquit Gal. in his caſibus, vbi febris ideam perſpexeris, id eſt ubi bene cognoveris febris ſpeciem, & naturam eſſe ſqualidam, ſive calidam & ſiccam nimis, & potius in defectu, atque aduſtione humorum tenuium conſiſtere, quàm in eorum aliqua abundantia, aut craſſitie, aut cruditate aut putredine; in his inquam caſibus bene cognita febris ſpecie, atque natura in 1. ſtatim acceſſione frigidam dare expedit; & quidem ſi vires non deficiunt, in multa copia, ſcilicet corporibus ad validam ſiccitatem, id eſt ad debilitatem nondum perductis, non enim corpora ex qualibet ſiccitate, aut parvo defectu, ſtatim debilitantur, neque in principiis febrium ſolent niſi rarò eſſe jam reſiccata valde. vt ſupra diximus, atque notavimus; & idcirco qui ſic febricitare incipiunt febribus ſqualidis, calidis, ſiccis; ſtatim in 1. acceſſione frigida copioſiore vti debent, vt ſic efficacius curentur, aut temperentur;qui enim, ait Gal. in fervoribus, ſub canicula ex ira febricitavit (juvenis hic erat ſiccus, & calidus) ubi in 1. acceſſione duas frigidæ heminas bibiſſet, id eſt lib. ij ℔, ſtatim vomuit flaviſſimam bilem, & parum poſtea etiam deorſum excrevit: deinde cum rurſus poſt cibum aquæ ſimiliter heminam ſumpſiſſet, ſic febricitare deſiit ex aqua frigida roboratis viſceribus, & expulſa cauſa.

TEXTVS.

Non defuerunt tamen medici, qui cum nullam à principio, &c.

HIc advertit Gal. in corporibus dictis, & in febribus dictis, & in febribus eorum calidis, ac ſiccis, magnam ſolicitudinem eſſe habendā de frigidæ potionis menſura debita, & de tempore opportuno, in quo debet propinari: dicit ergo; Non defuere tamen medici qui cum nullam à principio febris ſpeciem agnoſcerent; ſed poſtea, cum præteriiſſet occaſio, intelligerent, vel in hecticam, vel etiam in maraſmodem febrem 63

ægrotan

ægrotantem incidiſſe: frigidam bibendam nos imitantes præbuerunt; ſed nemo metam attigit, quaſi diceret. Medicinæ, certo tempore exhibitæ proſunt, intempeſtivè autem maximè lædere ſolent; veluti etiam ſi quantitate immodica propinentur; vnde neque in corporibus propoſitis, ac febribus calidis, & ſiccis potus aquæ frigidæ erit remedium, ſi tempore debito non detur, atque in debita quantitate; quamvis ab illis indicetur, & ſit efficax remedium, ſi quid aliud, in dictis corporibus, ac febribus, ſi vt debet propinetur, tempore debito, & quantitate competente; quæ cum ita ſint, inde etiam provenit, quod tametſi non defuerunt medici, ait Gal. qui nos imitantes frigidam bibendam præbuerunt, in hecticis, & quidem exſiccatis jam, vel in maraſmodibus nemo metam attigit, quia cum nullam à principio febris ſpeciem agnoſcerent, ſed poſtea, cum occaſio prætererat, & febris facta erat, neque tunc data potio frigidæ prodeſſe potuit, cum deeſſet occaſio, & morbus jam conſummatus, aut incurabilis jam eſſet factus: quare in iis qui ita ſe habent magna ſolicitudo habenda eſt de frigidæ potione exibenda, in debita quantitate, & tempore opportuno, ſcilicet in principio febris, & antequam fiat incurabilis.

TEXTVS.

Quippe æger is, quem antè deſcripſimus exemplo omnibus eſt, &c.

64 QVod doctrina modo tradita ſit vera, atque vt talis recipienda, & ſervanda demonſtrat hic peculiaribus exemplis: doctrina enim quæ per exempla comprobatur, vt *lib. ſup. cap.* 4. dicebamus eſt omnium optima, & diſcentium animos facile arripit. Dicit igitur: *Quippe æger is, quem ante deſcripſimus exemplo omnibus eſt, quibus propter ſiccitatem, à principio ſtatim dari cibus debet, etiam ſi febricitare jam incipiant: nam cum in corporibus calidis, & ſiccis, qualis ille erat, propter mordentem acrimoniam, excalfacti attenuatique, ex ſole, & inedia, & laboribus ſucci febris accenditur, maximum ejus remedium eſt humidum nutrimentum*: quaſi dicat, cum febris ſit paſſio calida, & ſicca, ex 1. aphor. comm. 16. hinc provenit quòd febres omnes frigidis, & humidis curantur, niſi aliquid curationem hanc impediat; nam ſunt aliqua quæ talem curationem limitant, aut impediunt, aut mutant, quippe æger ille, quem ſupra deſcripſimus, nempe cap. 3. exemplum omnibus eſt, qui propter ſiccitatem nimiam, & acrimoniam, tum febris, tum ipſius corporis, & humorum ſtatim à principio debent cibari, etiam ſi febricitare jam incipiant; ne tali febre pereant, vel ſaltim, in hecticam ne tranſeant inſanabilem, ſeu maraſmodem: cum enim in his febris accenditur, propter mordentem acrimoniam, excalfacti, attenuatique ſucci, ex ſole, & inedia, & laboribus maximum ejus remedium eſt humidum nutrimentum, quia hoc humido alimento, non ſolum æger attemperatur, humectatur, ac reficitur, ne pereat à febre in totum exſiccatus, ſed præcavetur etiam febris, ne hectica fiat, id eſt partes ſolidas nimis ſiccas, ne accendat: ſed cur ij potius alimento humido, quàm frigidæ potu curantur? Quia cum nimis ſicci ſint, & careant carnibus, ac ſanguine, indigent refectione & aqua non nutrit, tum etiam quia acrimonia febrium & humorum non corrigitur aquæ frigiditate, & ideo ex Hipp. *loco citato, aph. 16. victus humidus convenit omnibus febricitantibus*, non autem frigidus: quare rectè dicit Gal. quod in his febricitantibus, humidum nutrimentum eſt maximum remedium, ſicuti à contrario, vbi febris oritur ob copiam, vel obſtructionem, vel phlegmonem, vel alicujus humoris putredinem, cibus eſt maximè malus, ſive humidus ſit, ac frigidus, ſive non; quia in his alimentum exhibitum non refrigerat, neque humectat; ſed corrumpitur, & febrem adauget, ac cauſam morbificam: vnde illos omni certo tempore, ſed potiſſimum in declinatione acceſſionum benè nutrire poſſumus, vno augmento excepto, vt ſuprà notavimus. Hos verò ne dum in declinatione febris ſine noxa nutries, neque ipſa acceſſione invadente; nam obſtant maxime cauſæ febris narratæ quamlibet cibi exhibitionem, ſicut in prioribus cauſæ ipſæ, vt & febris, & natura ægri poſtulant.

TEXTVS.

Me quoque ſubinde vidiſti eos qui ex abundantia & qui, &c.

HÆc eſt 3. capitis pars, in qua Gal. explicat, in quibus morbis inedia, aut ſaltim cibi parcitas eſt maxime neceſſaria, ad eorum curationem; victus ſiquidem quantum viribus prodeſt, tantum vel amplius multis morbis nocet, & inedia quantum ad morbi coctionem prodeſt, tantum vel plus etiam vires offendit, vt his ciſdem verbis docet ipſe 1. ad Glau. cap. 10. *Quare me quoque* (ait) *nunc ſubinde vidiſti eos qui ex abundantia, & qui ex phlegmone laborarent ſub longa inedia tenuiſſe, ſic vt prorſus ante ſeptimum diem non cibarem; ſed ſola mulſa, id eſt aqua cum pauco melle, vel ut aqua ſaccari contentus eſſem; viribus eorum valentibus, ac conſentientibus; quibus verò vires validæ non erant, aut ſtomachus erat bilioſus, aut imbecillus, aut plus juſto ſenſibilis, hos ſolo ptiſſana cremore, vſque ad 7. diem traxi, quo morbus, in ſummo eſſe incremento debuerat, aut per criſim diſcuti, vel finiri.* Quaſi dicat Gal. qui me in ſuperioribus 65

rioribus febribus, atque corporibus, vident crassiori vti victu aut sæpe victitari febricitantes, sciant non sic semper facere in omnibus, sed solum quibus convenit; & in aliis quibus convenit abstinentia, etiam contraria ratione cibum aufero. Sunt enim à 1. statim die in omni ægro spectāda duo, vt inde consilia cibandi sumantur, nempe morbi summus vigor, & vires ægrotantis, vt 1. aph. 9. & 10. docet Hipp. Hęc enim duo medicus benè attendat oportet, vt in cibandis ægris non erret, si enim æger transire potest summum morbi vigorem, sive statum, sine omni cibo, in cibi abstinentia est servandus vsque ad declinationem; sin exiguum adminiculum requirat, sufficiet sola mulsa, vel si magis aliquid desiderat, dabitur ptisanæ cremor, seu succus hordei; at si summum morbi incrementum ægrotus transire non potest inedia, aut tenui victu tradito id agendum est, vt homo statim in 1. accessionis inclinatione cibetur: aliquos verò horum vt dictum est, & cum invasura adhuc est accessio, & cum incipit cibabis: sunt autem ij qui sicco ac calido constant temperamento, quæ febre laborant squalida, & vires habent imbecilles: hęc enim tria sępe junguntur, cum fieri nequeat, vt abunde, siccum calidumque corpus, cum febre simili febricitat, viribus valentibus sit.

66 Itaque ad recte curandos morbos, ægrosque debita ratione nutriendos duo statim à 1. die in omni morbo, & in omni ægro attentè sunt spectanda, sive expressanda, aut distinguenda, atque apprimè cognoscenda, vnum scilicet morbi propria species, & constitutio tota ipsius, & perduratio, vsque ad summum vigorem, sive vsquequo transacto statu vniversali declinare incipiat morbus, alterum autem est natura laborantis, & vires, id est tota naturalis constitutio corporis ægrotantis, ex temperamento partibus similaribus, organicisque, & humoribus constituta; nam in horum omnium debita constitutione, quantitate, & temperie vires sunt situatæ, & tota hominis natura, vt in superioribus de essentia virium disputantes demonstravi: quare ab his omnibus, non solum curandi; sed cibandi morbos consilia, sive indicationes petuntur, siquidem, vel ex solo præsenti capite constat, quod ex morbis alij sunt, quibus alimentum est maximum remedium, & è contra alij quibus inedia, vel cibi parcitas quantum vires, & natura ægrotantis ferre poterunt, est remedium; cibus autem maximum malum; sed si hæc ita sunt re vera cur nunc non servantur, si nos esse medicos Hipp. ac Galenicos libenter profitemur, cur hanc auream istorum doctrinam non amplexamur: non enim cum ad morbos curandos accedimus dicta omnia integre examinamus; sed ad summum quod morbus est materialis, saltim biliosus, aut pituitosus, &c. quod repetit per circuitus quod est in principio, vel in augmento. &c. qua materia est fluens, aut fluxa; & denique quod natura ægrotantis est calida, vel frigida, sanguinea, aut biliosa &c. quæ tamen non sufficiunt, & patet ex traditis: hic à Gal. & ideo multos morbos male curamus, & quidem tum quia eos male nutrimus; multis cibum dantes, quibus potius erat subtrahendus, è, contra alios non cibantes, qui vel in ipsa accessione cibandi erant; tum similiter quia multos vacuamus qui in defectu potius consistunt, quàm ex aliqua redundantia vt dictæ febres excalefactis, attenuatisque humoribus exortæ: nam revera, cum in æstate febres videmus per circuitus tertianarios repetentes, & quod earum accessiones, cum rigore, & horrore invadunt, ac partium extremarum refrigeratione; quamvis biliosis, aut extenuatis corporibus accidant, atque vel ex ipso tempore, ira aut laboribus, aut vigiliis, &c. sint ortæ, statim tales fabres esse tertianas putridas dicimus, ad exquisitas, atque ardentes accedentes, & sive intermittentes sint, sive continuæ, in eis si vires in totum non deficiunt statim sanguinem mittimus, dicentes quia saltem imminet magnus morbus; quia febris est in principio; quia fluxio est tunc impetuosa, quæ tamen nullam evacuationem indicant; sed vt docet Gal. nutritionem, & victum humidum, in principiis ipsarum accessionum, aut in declinationibus: vnde provenit, quod cum sic non cibentur, & misso sanguine, magis inaniantur, quæ febres erant intermittentes, fiunt statim continuæ, & quę continuæ pejores, & multoties, vsque ad mortem.

TEXTVS.

Si tamen cum hujusmodi febre ac corpore momentanei, &c.

VT quæ in hoc textu affert Gal. magis 67
intelligantur, supponere debemus quod ex dictis superiùs poterat aliquis dicere, nedum bene curari febres squalidas sive, ex resiccatis attenuatisque calidis humoribus, atque corporibus ortas humido nutrimento, quamvis maximum earum esse remedium dicat Gal. cum nec sic quidem omnes illæ curentur, & aliquæ manifestò lædantur. Huic objectioni, aut instantiæ quasi occurrens Gal. notat hic quod si cum hujusmodi febre, ac corpore conjungitur inflammatio aliqua momentanea alicujus partis internæ, tunc fit casus mortalis omninoque æger moritur, ex hac febre, atque inflammationis complicatione, potissimùm si pulmones, vel pleura, vel ventriculus, vel jecur inflammetur, & quidem, ex duplici capite: nam in primis etsi febris mortalis non sit; inflammatio tamen quæ dictas partes occupat, non solum quibus tam imbecilles sunt vires, vt dictis febricitantibus insunt: sed etiam quibus valentiores vires extant mortiferæ esse solent; vna siquidem in talibus inflammationibus

nibus spes salutis, est virium robur; deinde ex ipsa curatione fit casus mortalis; nam quoad ad phlegmonem, sive inflammationem spectat quæ in illis est partibus nullo modo est cibandum, quia ex cibo augetur inflammatio, & æger suffocatur, quoad virium verò infirmitatem spectat vtique sępè, ne vires in totum resolvantur; vnde sive cibes, sive non moritur æger; nam si non cibas sępè vires resoluuntur, atque ipsa vita; si vero cibum præbes, ex adaucta imflammatione æger suffocatur, sive emoritur. Quare vel ex ipsa curatione iste casus est mortalis, & ideo est maxime notandus: nam quamvis in hoc lib. ait Gal. intentum non fuerit agere de febribus, quæ cum phlegmone infestant, ceterum tractationi convenientiam fecit, vt quatenus necessarium est digrederemur.

Dubitationes super Textum.

68 Etsi intentum in superioribus propositum hic etiam prosequitur Gal. quia tamen ad ejus confirmationem novis semper vtitur argumentis, ideo inde novæ oriuntur decidendæ dubitationes, ut magis intelligantur, tum antea dicta, tum quæ nunc adstruit: ergo vt confirmet quod febres, & corpora calida, ac reficcata sunt frigidis, & humidis curanda, dicit hic: qui in fervoribus sub canicula ex ira febricitavit, erat autem juvenis calidus, & siccus, vbi in 1. accessione duas frigidæ heminas bibisset, statim quidem vomuit flavissimam bilem, & parum postea deorsum excrevit; deinde cum rursus post cibum aquæ circiter heminam similiter sumpsisset, jam febricitare desiit, ex quibus constat curasse Gal. hunc febricitantem, non ut antea alimentis frigidis, & humidis; sed frigidæ aquæ tribus heminis adhibitis; quæ præterquam quod nihil nutrit refrigerat valde, potissimum in tanta copia exhibita quorum vtrumque in dictis febribus, atque corporibus ex antea dictis nocet potiùs quàm curet; quare inde dubia oriuntur, 1. est, cur ista febris non curatur humido victu, vt in aliis antea faciendum docuerat Gal. & fecerat. 2. cur frigidam, & quidem in multa copia dedit? vt vtrique respondeatur, sopponere debemus, quod si aqua frigida, febribus exhibita non corrumpitur, sed facilè distribuitur, per omnes venas, & principaliores partes corporis refrigerat, atque humectat plusquam quidquam aliud, non solum natiuum calorem, in igneam naturam mutatum, aut febrem ipsam; verùm etiam totum corpus febricitantis; & consequenter potus aquæ frigidæ vt *sup. lib. cap. 5.* dicebamus est extremum remedium ad extinguendas omnes febres dummodo tempestivè sumatur, id est dummodo cui conveniat detur in tempore opportuno, & quantitate convenienti; etsi enim ex Hipp. 3. *de ratione victus, in acutis* 49. aqua facile amarescit in febribus, aut corporibus biliosis, aut natura calidis & ex inde non refrigerat, neque sitim sedat, sed vt Gal. dicit *in comm.* in ventriculo multo tempore moratur fluctuationes, & obstructiones sic parit; hæc tamen per accidens accidunt aquæ, cum saltim cui non convenit datur, id est quia datur corpori debili, & cui venæ non sunt reseratæ, atque satis apertæ, vt per illas liberè fluat, & sine mora distribuatur; vel quia datur, in pauca quantitate in febribus, aut corporibus multum calidis; in his siquidem casibus aqua bilescit, & improbatur ab Hipp. at si aqua pura est, atque perfecta, & ob venarum angustiam, vel obstructionem, in hypochondriis, aut primis venis nimis non detinetur, vel ab vstivo calore non evincitur, & in sui naturam convertit, sine dubio tunc refrigerat, atque humectat, & quidem multùm, quamvis nihil nutriat.

Ex dictis patet quod potus aquæ frigidæ, 69
ad febres, & corpora calore nimio exsiccata temperanda est adequatum remedium: cum enim aqua sit summè humida, & per excessum frigida, erit pariter efficax auxilium, ad mitigandas febres, ex ardore ingenti ortas, & ad humectandas omnes corporis particulas, exæstuante calore reficcatas, & per consequens Gal. in juvene calido, & sicco ex ira febricitante sub fervoribus caniculæ, maximo cum consilio in 1. ipsa febris accessione, nempe in summo eius statu, aut incipiente inclinatione, duas frigidæ aquæ heminas bibendas dedit: vt sic tantum æstum sive incendium temperaret, & inde ortam siccitatem rigaret, etsi enim hemina non æqualis sit mensura apud omnes, sed tripliciter diversa, pendet siquidem apud plures lib. j & ℥iij apud alios lib. j. & denique apud alios ℥viiij: & si inquam duæ heminæ aquæ frigidæ in qualibet dictarum acceptione sit multa quantitas aquæ ab vno haustu bibendam; potissimum si hemina in 1. acceptione, quæ est communior sumatur: ea tamen potest esse intensio caloris, & siccitatis febris atque eius subjecti, vt tanta requiratur; sic enim ait Aëtius tetrabelo 2. sermone 1. cap. 95. *si æstuosus fuerit æger, & flamma magna frigida potum dare expedit, non paulatim exhibendo; vincitur enim ab ampliore in vêtre caliditate, & plus nocet ac amplius exurit; sed & multa, & acervatim frigida danda est; vt copia eius flamma extinguatur.* Vnde cum dictus juvenis natura, & ætate esset calidus ac siccus, & quidem non parum; deinde cum ex ira febricitaret in fervoribus sub canicula, nihil mirum quòd ad tantum æstum, & siccitatem extinguendum duas heminas aquæ frigidæ bibendas præbuerit, ne in minori quantitate assumpta ab ampliore corporis calore febrili vinceretur, vt ait Aëtius, & sic plus noceret, exureretque amplius.

Et confirmatur ex eventu; cum enim ebibita 70
dicta aqua æger flavissimam bilem vomuisset, & per secessum expurgasset, id est cum ebibita tali aqua, eius ope natura recrearetur, & alacrior sic facta humorem noxium expelleret per ventrem superiorem, & inferiorem


inferiorem deinde rursus post cibum aquæ circiter heminam similiter sumpsit, id est ferè heminam aquæ frigidæ sumpsit, & jam febricitare desit & si enim 1. aquæ potione magna ebibita febris non cessavit nedum expulsa bile flava quæ erat febris causa interna; quia tamen natura ab illa fuit recreata, & febris æstus minor factus tum ex causæ expulsione, tum ex aquæ frigidæ attemperatione, idcirco secundam potionem plusquam ex dimidio limitavit Gal. vtpote quia eam solum judicavit, tunc esse necessariam ad febrem reliquam extinguendam, quod quidem ita factum est: vnde patet quod vt 2. non fuit nimia, neque 1. duplo major excessit. Sed cur hunc juvenem non curavit Gal. humido victu, vt alium illum 3. capitis, aut cur illum vt istum non curavit dicto potu aquæ frigidæ. Respondetur facilè quia illa & antea alij dicti non solùm febrem, & gracilitate aut siccitate corporis laborabant, sed & insuper virium jactura aut imbecillitate: qui enim sic febricitant ab aqua frigida, vt supra dicebamus promptè læduntur quamvis febris eam petat, vt exemplo hecticorum *lib. sup. cap.* 5. Gal. docuit. Quare si hunc juvenem potius aquæ frigidæ potu quàm humido alimento curavit Gal. nam & etiam curavit illum victu humido, vt docet textus, ideo sane ita fecit, quia iste vt alij non erat debilitatus; sed adhuc vires constabant in eo: vnde & iste nondum laborabat morbo in defectu. & si biliosus erat, & gracilis; sed sanguine aliquo tenui, atque humore bilioso abundabat, à quibus vires aliqua ratione conservabantur; & aqua frigida bibita temperabatur, ne immediate ipsas partes solidas attingeret, easque sua actuali frigiditate læderet.

71 Sed obiicies sic aqua frigida in multa quantitate bibita profecit huic juveni febricitanti dicta febre humorali, & quidem in principio, & materia adhuc existente cruda: ergo talis æger nulla plenitudine laborabat; nam vel ex præsenti ipso capite constat quod in quibus ob humoris copiam, aut cruditatem accenditur febris, in his & alimentum, & potissimum aquæ frigidæ potus largus nocet valde, vt qui obstruit vias, & incrassat tales humores, qui alias concoqui, atque vacuari debebant. Respondetur materiam crudam, & crassam impedire potum aquæ frigidæ, quia hanc magis incrassat crudamque reddit, & sic auget obstructiones, febres, atque inflammationes; materia autem, quæ tenuis est, & calida etiamsi cruda sit, non prohibet vsum aquæ refrigeratę, neque dicta mala facit; tunc potus aquæ frigidæ, sed imò potius concoquit tales humores, tenues ac calidos, sive ad naturalem mediocritatem reducit, tum in modo substantiæ, tum in caliditate; & ita tunc non solùm non obstruit vias, neque materias præter naturam incrassat, sed potius preparat, atque disponit taliter, vt inde natura laborantis possit quod vtile est retinere, & quod est inutile expellere per alvum, vomitum, vrinam, aut sudorem, vt *lib. sequenti, cap.* 9. docet Gal. & in dicto nostro casu per vomitum, & secessum fuit factum; & ideo etiam in erysipelatibus, quę vere sunt erysipelata Gal. statim copiosam aquam frigidam prębet, vt quæ dicta materiâ tenui constant, biliosa, non autem in phlegmonibus, aut aliis tumoribus, qui pendent à sanguine, vel aliis humoribus crassis vt *lib. sup. cap.* 5. docuit, & nos cum illo: vnde & iste casus est bene notandus, & ita in similibus curandum, non vt communiter.

In vltima etiam capitis parte sic Gal. habet: *me quoque subinde vidisti eos qui ex abundantia, & qui ex phlegmone laborarent, sub longa inedia tenuisse sic vt prorsus ante septimum diem non cibarem; sed sola mulsa contentus essem viribus saltem valentibus: quosdam eorum, quibus vires valida non fuerant, aut stomachus biliosus, aut imbecillus, aut plus iusto sensilis, solo ptisane cremore vsque ad 7. diem traxi*; sanè qui ex abundantia laborant, vt & qui phlegmone, aut inflammatione aliqua interna cavitatis vitalis, aut naturalis, inedia, aut cibi parcimonia contineri debent, aut conservari potius quàm cibo aliquo pleno, nedum mediocre; quia cibus his morbis potissimum nocet, & eorum concoctioni multùm obest: nihilominus tamen inedia septem dierum saltim his nostris temporibus, & in hac natura Hispaniarum regione timenda est valde, etiamsi vires sint validæ; nam experientia ipsa confirmat, quod in tam tenui diæta nostri ægri delinquũt, & si sint robusti: quare apud nos præsens Gal. doctrina aliqua ratione moderanda est; cibareque debemus dictos ægrotantes non carnibus, neque ovis, ac vino, vt communiter fit. Nam re vera carnes, ova, & vinum sunt ex rebus quæ multùm nutriunt, & vinum atque ova, in calidis morbis inflammantur facilè, in bilemque convertuntur; sed solo jure carnium, lactucis, aut similibus alterato, & piris, aut pomis acidis saccaro conditis, vel similibus quæ parum nutriunt refrigerant ac resistunt putredini, neque morborum coctiones impediunt, potissimùm si in quantitate moderata sumantur, & bis tantùm inter diem, & noctem; sic enim & morbus attenuabitur, atque facilè concoquetur properabitque ad crisim, & vires (nisi aliàs debiles sint) sufficienter servabuntur vsque ad statum si morbus non sit longus, cum à 1. vsque ad declinationem morborũ acutorum natura vi morbi oppressa, parum aut nihil concoquat, & si cibi assumantur, & idcirco cibi tunc nocent, non juvant, augent morbum, eiusque constitutionem impediunt?

Sed sunt qui contra dicunt sic, corpora nostra 73

nostra in his temporibus, sunt æque robusta, aut fortia atque erant antiquitus, quãdo dicta dięta servabatur, ab Hipp. & Gal. in dictis morbis, & nunc vitæ sufficimus multi; quantæ veterum senes sufficiebant si historias consulimus: ergo & nostra corpora antiquorum dictam diætam, aut inediam, in dictis, aut similibus morbis sustinere poterunt, etiamsi in nihilo mutetur, vt respondeatur est brevitet videndum robur, & vita in quo consistant, & in quo differant? nam re vera aliter dicendum est de longitudine vitæ, atque de vitium robore, cum videamus multos imbecilles longævitate superasse alios robustos: vita ergo eum sit permansio caloris nativi in proprio humido, in dicto calore, & humiditate nativa, saltim quæ satis sit, ad illius permanentiam consistit, robur verò in copia, & crassitie moderata, aut non facilè solubili, vnà cum corporis compage densa, & dura carnium, ac totius habitudinis consistentia, quæ quidem cum sic se habeant, & longè plura requirantur, ad robur virium conservandum, quàm ad vitam servandam, inde etiam evenit, quod nnne nostra corpora sint minus robusta ad inediam sustinendam, quàm fuerunt illa alia antiqua, quamvis longęvitate ab illis non vincantur. Sed cur nostra corpora nunc vt illa antiqua tantam inediam sustinere nequeunt? Respondetur, quia nunc, vt antea non curant homines vires roborare aut robustas, ac consumptioni resistentes parare; non enim nunc sunt palestritæ, neque pędotribæ, qui vires comparare docebant, atque robustas faciebant ad fortes labores sustinendos per multum tempus; tum etiam, quia nunc homines indulgent multùm otio, & gulæ, & ita corpora nimis laxa nunc evadunt, vt tantam possint sine multo dispendio inediam tolerare, qmmvis carnibus abundent, & sanguine, atque spiritibus bonis, & quamvis corporis habitus densus, aut durus moderatè ad sensum ipsum tactus percipiatur.



CAPVT VI.

Quo pacto sit præcavendum ne febris in squallente corporis, habitu transeat in hecticam.

74 

Vamvis principalis scopus Gal. in hoc *cap.* solum sit edocere quæ febres ex se sunt proximæ, vt in hecticas transeant nisi debita curatione præcaveatur transitus: vt tamen hoc integre explicet, atque edoceat tradit multa quidem, quæ sunt maxima notatione dignissima, tum ad confirmationē eorum, quæ in hoc *lib.* hucusque sunt tradita, tum etiam ad alia intelligenda quæ postea venient dicenda, non modo de hecticis, sed etiam de putridis febribus, tum solis, tum cum inflammatione aliqua interna complicatis: quare præstat tantum caput alta mente concipere, atque integrè explanare: principio igitur de febribus agit, quæ ex se in hecticas possunt facilè degenerare, quamvis non sint putridæ, neque sibi conjunctam aliquam habeant inflammationem 2. loco docet dictas curare febres, & præcavere ne transeant in hecticas 3. docet quid agendum, si cum dictis febribus complicatur humorum putredo, vel interna aliqua inflammatio 4. tandem docet duplicem esse potredinem quæ febres putridas accendit: vnde & quatuor erunt capitis partes.

TEXTVS.

Denuo igitur redeamus ad febres quæ jam comprehensis, &c.

De febribus quæ in hecticas facilè transeunt, hic acturus Gal. scribit in hunc modum, *denuo igitur redeamus ad febres, quæ jam comprehensis febribus sunt affines*, &c. 75
Quasi dicat, febres quæ in superioribus capitibus 3. 4. & 5. sunt expositæ, atque suppositæ sunt re vera tales, vt nisi præcaveantur vel si male curentur possunt facillimo negotio in hecticas transire; cum enim febres sint squalidæ, sive calidæ & siccæ à causis calidis, ac resiccantibus genitæ, & in corporibus squalidis; sive calidis, atque gracilibus resiccatis; sunt sine dubio tales, vt possint in hecticas transire si citò non curentur, vel si vt debent non curentur, sed malè vt eibi atque potus abstinentia, vt antiqui medici diatritarij febricitantes communiter curabant; nam qui suprà in 3. capite scriptus juvenis est hectica febre laborasset, si diatriton transigere fuisset coactus, nisi priùs fuisset interemptus, ab iis qui tali methodo victus rationem ordinare consueverunt, in febribus per circuitus repetentibus; hic enim cum esset squalidus nimis, & valde extenuatus, ac viribus carens, ex inedia trium dierum, vel quatuor non solùm in hecticam transire poterat, sed & in mortem, consumptis in totum carnibus & humiditate nativa à febre simul & inedia. Sed vt veritas magis pateat, proponatur, aut supponatur, hæc ait Gal. alius febricitans, cui cum prædicto extera quidem omnia sint eadem, vires tamen sint tanto valentiores vt tridui inedia rata durent, hunc ergo necesse est in hecticam incidere, si ita cibetur quemadmodum cibant qui diatriton

triton extollunt : hi enim primum in 4. febricitantem eibaret, post secundam accessionem:deinde in sexto post 3. accessionem postea in octavo, & sic de aliis eibationibus post singulas sequentes accessiones, quæ alternis diebus superveniunt : at autem sic nutritus febricitansque validus, sive multùm calidus, & corpore resiccatus, si non moritur, saltim ineidit necessariò in febrem hecticam, cum non nutriatur æger, vt debet, ad defendendas solidas partes ne ignescant: humido enim nutrimento, atque refrigerante muniuntur dictæ partes contra dictum febrem, veluti etiam balneo aquæ dulcis tepido. Quare si quæ, vt dictum est, squalidæ jam sunt, sive calidæ ac resiccatæ, continuo non nutriuntur,& somno,& balneis compe-tentibus non irrigantur, privantur sic suo debito humido attemperante, & refrigerante, & hoc privatæ propugnaculo ignescunt, sive incalescunt præter naturam, sicque febre hecticea proprie & vere afficiuntur. Quare quoties, vel ex lassitudine, vel ira pluribus curis, vel vigiliis, vel tristitia, vel longa inedia siccatum corpus est, & febris invasit, quæ & aridam reddat cutem, & igneum sive acrem habet calorem, vtique hunc timor est febre hecticea correptum iri, potissimum in æstate, ac cœli statu calido siccoque: imo & necessariò corripietur, si diatriton transire cogatur, & arto melite, id est pane, ac melle amplius eius siccentur præcordia; nam id quoque ex legibus dictorum medicorum est, sive phlegmone viscus aliquod laboret, sive non: & hæc de febribus quæ ex se in hecticeas facilè transeunt.

76 Sed antequam vlterius progrediamur placet notare, quod vt medicorum diatritariorum nutriendi ratio in febribus de quibus in hoc lib. agemus & aliis similibus, est adversissima, & vt supra dicebamus febrium paratissima causa, ita quidem in febribus pituitosis, & ex multitudine crudorum, id est frigidorum humidorumque humorum ortæ, est aptissima, vt *lib. 11. sequenti* videbimus : hæ enim febres, & corpora dictis crudis humoribus referta sustinent longissimam inediam sine virium jactura: imo sic, & multis frictionibus, atque inunctionibus, quæ concoquunt, attenuant atque resolvunt tales humores curantur, vt eo loco docet ipse Gal. vnde talis nutriendi ratio,& si in præsentiarum nullatenus conveniat, sed omnino fugienda sit vt statim videbimus, & supra est dictum & notatum est; non ideo tamen omnino est omittenda; sed notanda, & cui convenit applicanda, cum etiam sint multi casus in quibus convenire possit: sed de his loco citato deo favente dicemus late.

TEXTVS.

At quemadmodum quidem eos cibare, qui ita laborant,&c.

Explicatis febribus quæ hecticis sunt affines quæque ex se promptæ, in hecticas possunt transmutari, aut degenerare: imò & exposita via, aut ratione, quæ febres vel ex se, vel errore medicorũ, ac ex mala curatione, in hecticas possunt incidere; agit in hac secunda capitis parte Gal. de recta curatione dictarum febrium, sive de earum curatione, qua non solum curantur; verum etiam præcaventur, ne in hecticas transeant; scribit itaque in hunc modum, at quemadmodum quidem eos cibare qui ita laborent inter initia conveniat, supra est dictum; sed nihilo rectiùs, nunc quoque summatim repetetur, &c. quasi dicat qua ratione eos cibare, atque curare conveniat, qui cum squalidi sint, sive temperamento,& habitu corporis, calidi, ac sicci febre afficiuntur, squalidæne in hecticam transeant supra est dictum jam; sed nihilominus tamen nunc quoque repetetur, vt exemplorum multitudine rei veritas magis cognoscatur; etsi enim *cap. 3.* de vna harum febrium particulari curatione egimus,& *cap.* 4. & 5. eandem aliis exemplis confirmavimus, verùm neque sic in totum rem absoluimus; sed de curatione dictarũ febrium, egimus cum virium languore conjunctarum, at nunc de earum curatione agitur sine dicto virium magno defectu;& ideo repetitio præsens non est omnino voluntaria. 77

Itaque quoties ex lassitudine, vel ira, vel curis, vel vigiliis, vel tristitia vel inedia, vel his omnibus vnà coëuntibus corpus siccatum fuerit, ac febris invaserit quæ aridam cutim reddat,& igneum, aut mordentẽ calorem habuerit, toties timor est, ait Gal. quod talis febris hectica evadat, aut in solidis corporis partibus accendatur, potissimum in æstates, ac cœli statu calido,& sicco, aër enim ambiens nos, si supra modum calidus sit, atque siccus qualis æstate, ac cæli statu calido siccoque esse solet, valet quam maxime partes nostri corporis, quæ sunt externæ, sive in habitu corporis, simul & internas calefacere, & exsiccare cum semper nos circundet, & per inspirationem continuo intra corpus summatur: vnde corpora squalida seu calida,& sicca, vel excarnia, atque extenuata, à dictis causis febrem inducentibus, sive calorem,& siccitatem febriles inducere potentibus, in tali anni tempore & aëre nos ambiente, non solum in febrem incidere poterunt, vtcunque calidam & siccam quęque cutem reddat aridam,& igneum calorem à se emittat; sed & in hecticam, sive quæ ipsas solidas partes corripiat, quæ interius,& exterius in illis corporibus dissipatę reperiuntur ad talem calorem suscipiendum. 78

79 Cùm igitur natura febrium dictarum, atque conditiò earum talis sit, oportet eas sic curare inquit Gal. quam primum ptisanæ cremore, & sorbitione ex alica nutritum hominem panéque post oblato, denique aquæ frigidæ potione ipsum curabis: quasi dicat, vt suprà etiam dicebamus, cum dictæ febres, atque earum causæ, & natura febricitantium, & tempus anni, vel aër ambiens omnia ad squalorem sint conversa, sive ad excedentem calorem, & siccitatem; omnes pariter eorum indicationes refrigerationem, & humectationem postulant, & quidem tantum quantum vires corporis, & natura laborantis sustinere poterunt; sunt enim istæ febres imminentia maximè, quamvis à causis solum externis generentur; cum omnes immineant febrem hecticam: quare ex hac parte omnes præsentaneam & magnam indicant curationem, sive refrigerationem, & humectationem, ad extinctionem talis febris, & correctionem siccitatis corporis; & ideo oportet ait Gal. has febres ita curare quàm primùm, sive in ipsa 1. accessionis declinatione debet febricitans nutriri ptisanæ succo, sive lacte hordei, & sorbitione ex alica, & parum postea pane oblato, bibat aquæ frigidæ potum quantum vires benè ferre poterunt: quippe sic nutritus, atque potu refrigeratus æger, protinus extinguitur, ac cessat omnino febris, vt quæ in mero calore, ac siccitate corporis, atque humorum ejus consistit: nisi vt suprà dicebamus, vel phlegmone aliqua, vel putridus humor ei febri adjungatur; non enim febres istæ sunt putridæ quamvis sint humorales, & repetant per circuitus, atque accessiones habeant cum horrore, ac partium externarum, extremarumque refrigeratione, veluti aliæ quæ vere sunt putridæ; sed solummodo humores, in eis præ nimia siccitate, calore, atque attenuatione accenduntur præter naturam, atque ignescunt dictasque febres generant: & idcirco concludit rectè dicens; quippe sic nutritus refrigeratusque ægrotus, protinus extinguitur febris, modò neque phlegmone aliqua ei sit adjuncta, neque putridus humor; non enim putridus humor est idem, atque vstus, vel calore nimio fusus, atque exsiccatus; sed valde diversus, veluti putredo est diversa ex calore nimio, atque humiditate excrementitia, vnà cum humorum crassitie, aut lentitie, aut multitudine contracta corruptio, sive mutatio totius substantiæ quæ putresit ad corruptelam.

80 Itaque si prædictæ febres concidant simul cum aliqua interna inflammatione ventriculi, aut hepatis, aut pleuræ vel pulmonis vel alterius alicujus partis earum quæ in cavitate naturali, aut vitali continentur, vel cum alia febre putrida, aut cum alicujus humoris putredine in venis, aut dictis partibus contenti, aut retenti; si inquam dictæ febres cum aliquo istorum complicentur aut concidant; nedum si quàm primùm febricitantes ptisanæ succo, vel alica, ac pane nutriantur, & frigidæ potu attemperentur, benè curantur, aut febris omnino extinguitur; sed permanet quidem, aut pejus efficitur ex tali curatione: nam tametsi hac curatione adhibita in dictis casibus corpora, & humores adusti humectantur, irrigantur, & aliquantulum refrigerantur, verùm neque sic febris extinguitur, quia dicta curatione augetur inflammatio, vel humorum putredo, à quibus febris conservatur, aut pejor efficitur ex adaucta inflammatione, aut putredine; siquidem & putredo, & inflammatio interna sunt causa febris, aut necessariò secum febrem habent conjunctam; quare supposita curatio solum est efficax, & omnino tuta cum dictæ febres sunt solæ; si tunc citò exequatur antequam vires decidant, aut in hecticas transeant, id est ab illis partes solidæ præter naturam incalescant, & quidem non vtcunque; sed calore hectico sive jam facto, aut in subjecto fixo, atque firmato, taliter quod difficulter, aut nullo modo jam à partibus tolli queat; sed cur hic Gal. de quantitate alimentorum, aut potionis non egit? Respondetur quia antea, potissimùm 3. *cap.* egerat de eis: verum sit quod si vires laborantis, non sint multùm dejectæ, vt in *hoc cap.* supponit. Gal. ad pensum earum debet augeri quantitas alimenti, & potissimùm potionis vt *cap. sup.* est ostensum, quare ciborum in his erit moderata ea quantitas quam vires non solùm ferre poterunt; sed in totum vincere, sive in substantiam partium, quæ aluntur convertere, ac integrè transmutare, sic & potionis ea erit multa quantitas, quam dictæ vires bene actuare, ac distribuere poterunt; sic namque, & febres dictæ extinguentur, vt ait Gal. & transitus in hecticas vetabitur, & vires præsentes servabuntur, & deperditæ, ac corporis substantia sensim reficientur.

T E X T V S.

Nam si horum vtervis sit, attendere diligenter oportet, &c.

HÆc est 3. capitis pars, in qua Gal. demonstrat quid sit agendum cum febres suppositæ complicantur, cum aliqua dictarum inflammatione vel cum alia febre orta ex humoris alicujus putredine; dicit igitur: si aliquis sit qui ex lassitudinibus, vel ira, vel pluribus curis, vel vigiliis 81

vel

vel triſtitia, vel iocdia longa. vel horum multis, aut omnibus vnà coëuntibus non ſolum corpore exſiccatus fuerit; ſed & febri corripiatur, quæ igneum calorem habeat, & cutem aridam, ſi inquam aliquis, ita febricitet, & ſimul cum hac febre complicetur inflammatio, vel putredo humorum, in hoc caſu ſive in complicatione iſtorum morborum, qui in curatione contrariantur videndum diligenter eſt quo primum tempore aquam frigidã dare febricitanti ſit audendum: id eſt videndum attentè eſt an ſtatim aquam frigidam febricitãti dare debeamus, vt ſic prohibeamus ne febris dicta io hecticam tranſeat, an potius inflammationi, aut putredini ſit attendendum ne magis augeatur. Nam certum eſt quod augmẽtabitur tum inflammatio, tum humorum putredo; vel febris putrida, ex aquæ frigidę potu, (potiſſimum ſi ſit copioſus, vt eſſe debet ad dictam febrem extinguendam, & corporis ſqualorem temperandum) quæ licet ita ſiut: *ego enim* (ait Gal.) *talinmque non paucos dedi, tutius eſſe ratus phlegmonas in præſens augere quàm ſinere hominem hecticam febrem incurrere*, id eſt minus malum eſſe ſciens inflammationem ex potu aquæ aliquãtulum augeri, quàm febrem hecticam confirmari: nam inflammatio quidem, etſi augeatur, non ideo tameo incurabilis redditur; ſed periculoſior, & magis mortalis, quo magis augetur; at ſi febris hectica ſit, ſit pariter incurabilis, cum ſit febris hectica febris in habitu, id eſt difficilè mobilis à ſubjecto, veluti eſt ipſe habitus.

TEXTVS:

Vbique igitur, (vt ſemper dicere ſoleo, &c.

82 VT reddat rationem veram, aut fundamentalem, quare in complicatione ſuppoſita febris hecticæ affinis cum interna inflammatione potus aquæ frigidæ ſtatim dandus ſit, vt modò dicebamus, vel non ſit dandus, ſupponit nunc, quod ſemper curatio morbi conſequitur dignotionem, prænotionemque, id eſt qui recte curare vult, is oportet, vt dignoſcat quod præſens eſt, nempe totas morbi, aut morborum naturas, & providere quod inde futurum eſt: qui enim omnia, quæ in corpore laborantis ſunt pręter naturã recte cognoſcit, & quod inde futurum eſt callet, vel etiam præcognoſcit, id eſt qui hioc pariter curationem ſcientificam colligit, & ad eam conſequendam notabilis efficacię remedio vtitur: eſt enim cognitio morbi, inventio remediorum, vt communiter dicitur, & vt ait Gal. 2. *ſecundùm locos, cap.* a. conjectura artis medicæ in affectuum cognitione conſiſtit, quæ vbi conſtiterit non conjecturaliter, ſed ſcientifica ratione indicat curationem, & omnia remedia, quæ magis efficacia eſſe poterun, ad conſequendam talem curationem, & ſalutem ægrotantis.

Dicit autem hic Gal. quod qui recte cu- 83
rare vult, non ſolum quod præſens eſt deber cognoſcere, ſed & providere quod eſt futurum; & bene quidem ac maxima cum ratione, vt patet in noſtro caſu, in quo non ſufficit cognoſcere quod habemus febrem quæ proxima eſt ad hecticam cum phlegmone aut inflammatione complicata; ſed neceſſe eſt prævidere quod inde futurum eſt, id eſt ex quo eorum futurum eſt majus malum ſi augeatur; ſunt enim dicti duo morbi in curatione ita contrarij, vt quod vni prodeſt alteri noceat; àtque proinde ſi vni eorum occurrimus, augetur alius neceſſariò: vnde vt in hac affectuum complicatione, ſciamus cui priùs eſt occurrendum, neceſſariò debemus pręvidere, aut præſcire ex quo eorum ſi augeatur, majus ſequatur malum, aut magis immineat vitæ periculum; aut è contra ex quo eorum ſi augeatur, minus ſequetur malum; illud enim, ex quo ſi augeatur, majus damnum eſt futurum, illi priùs eſt ſucurrendum; vt ſi cognoſcimus, aut prævidemus quod febris neceſſariò incurrit in hecticam incurabilem niſi potu aquæ frigidæ tranſitus præcaveatur, dandus quidem eſt talis frigidæ potus, & talis tranſitus febris in hecticam eſt præcavendus, etiamſi ex tali potu inflammatio augeatur, aut pejor fiat aliquantulum: ſi verò magnum fore incommodum coniicimus ex phlegmone aucto, vel humore magis pùtrido, ex aquæ frigidæ potione; in his quidem caſibus à frigida danda nos abſtinebimus, vtemurque tunc ſolùm refrigerãntibus remediis, quæ foris applicantur, modò ea ſuper os ventriculi, aut tota hypochondria, modò ſuper pectus imponentes, vbi plurimum ſubeſſe caloris maximè judicabimus: ſic enim qui ſiccato plurimum corpore ſunt, & ex aliqua earum, quæ dictæ ſunt cauſæ febricitant, citra humoris putredinem poſſunt aliquantulum temperari & prævidere, aut impedire Medicus ne eorum dicta febris incurrat hecticam, dum inflammatio, aut humorum putredo curantur, aut ſaltim concoquuntur; adeo vt tutò, in his potus frigidæ dari queat, ſicuti in dicta febre; his enim externis frigidis, & humidis remediis, vt & balneo aquæ dulcis tepidæ irrigantur partes ſolidæ noſtri corporis, etſi ab extrinſeco, & præcaveantur ne in ſiccitatem habitualem tranſeant, etſi febriciteut, & ex ſe ſint reſiccatæ.

TEXTVS.

Monſtratum verò nobis eſt in his quæ de febribus ſcripſimus,&c.

84 HÆc eſt ultima capitis pars, & in qua oſtendit Gal. duplicem eſſe putredinem, quæ febres accendit putridas; occaſione enim ſumpta, ex dictis de inflammatione, atque humoris putredine, quæ complicari poſſunt cum febribus de quibus hucuſque egit Gal. oſtendit nunc, non ſolum humores, qui putreſcunt, in venarum aut arteriarum cavitatibus facere febres putridas, ſed etiam qui putreſcunt in inflammationibus, ſive qui putreſcunt in partibus inflammatis: monſtratum enim nobis eſt inquit lib. 2. de differentiis febrium phlegmonas quoque id eſt inflammationes propter putredinem humorum qui in ipſis habentur, febres ſubſequi; quæ cum ſic ſe habeant, ſi acciderit, ait, quod aliquando dicam, febribus quæ ex putredine accenduntur, aliquid conducere, vel non conducere; tunc etiam eas, quæ à phlegmone excitantur intelligi, vt quæ in communi genere putridarum comprehendantur; ſi vero videtis vtraſque nominare, vt antea fecit, tunc ſcias eas quæ ex phlegmone ab his quæ à ſola putredine humorum ortum habent diſtingui: ſed in quo diſtinguuntur. Vt huic reſpondeat docet breviter qua ratione generentur phlegmones, ſive inflammatio, & humores putreſcunt circa inflammationem; à phlegmonis ergo generatione exorſus monſtratum inquit eſt *lib. de inæquali intemperie, & de tumore præter naturam*, fieri phlegmonem à ſanguine calido, ac copioſiore fluente ex venis ad aliquam corporis partem, eamque replente, id eſt fluente ſanguine, aut ſanguinaria maſſa ex venis ad poroſitates, & ea ampla ſpatia quæ in partibus habentur, ita vt omnia quæ in tali parte verbi gratia in carne loca ſive cavitates reperiuntur, aut poroſitates occupet, ac repleat, ſicque in tumorem attollat, & calore, atque inflammatione eam afficiat: cum enim ſanguis actu calidus ſit, fluatque ex amplo ſpatio nempe ex venis majoribus ad minores, quæ in parte inflammata reperiuntur, & inde exudans, ac extravaſatus partis poros ſive cavitates, omniaque repleat; fit pariter quod ſanguis ſic compreſſus, atque in anguſtiori loco contentus, ſive coarctatus, ſi nõ ſuffocatur magis accenditur, & partem neceſſariò inflammat; imo & putreſcit cum liberè non ventiletur; ſed ſua nimia copia, & loci anguſtia coarctatur, atque premitur; idcirco etiam ſic, & calidior fit, & putreſcit cum ſit ſanguis calidus, & humidus, & quæ talia ſunt, ſi non difflantur, ait Gal. citiſſimè putreſcunt: vnde patet, & qui affectus eſt phlegmone, & quomodo generatur, ſive cur, & quomodo partem in tumorem elevat, ipſam inflammat, & præter naturam in calorem, & dolorem accendit, & ipſe ſanguis putreſit.

Quod etiam ſanguis, vel alij humores ſine inflammatione in ipſis vaſis putreſcunt, hic 85
nunc ſupponit dicens, poſſunt verò, & ſine hac eſſe, & ſine inflammatione, in ipſis vaſis humores aliquos putreſcere; idque, aut in vna aliqua animalis particula, in finibus ipſorum impactis, aut etiam in totis eorum capacitatibus, quæ inter bubones, & alas ſunt comprehenſi; quaſi dicat vt in inflammationibus humores putreſcunt, ita etiam ſine inflammatione putreſcere poſſunt in ipſis venis; quia etiam humores intra venas contenti ſunt actu calidi, & humidi, & poſſunt in ipſis venarum cavitatibus obſtrui, ipſis in finibus venarum impactis, vel in totis earum cavitatibus quæ ſunt inter inguina, & alas; vt enim ſanguis in partibus inflammatis putreſcit, atque corrumpitur, quia ibi impactus, atque imbibitus nequit integrè ventilari, ſive integrè refrigerari, ac dimoveri; ita neque humores in venis impacti, aut obſtructi integrè ventilentur; ſed malè, & tantò minùs quantò obſtructio eorum, eſt major, ſive talis obſtructio aut humoris impactio, vel detentio ſit tantum in vaſorum finibus, ſive in anguſtis cavitatibus extremorum venarum, & arteriarum, ſive in earum totis amplis capacitatibus quæ ſunt inter inguina, & alas, id eſt quas habent in ſuis exortis nempe egredientes ab hepate, ac corde, & inde ſurſum accedentes vſque ad alas, ſive brachia, & deorſum deſcendentes, vſque ad inguina, ſive ad loca infima ventris vbi bubones generantur: quare & iſti humores in venis impacti, ſive obſtructi, ex defectu ventilationis putreſcunt, ſicuti ſanguis in partibus inflammatis; etſi enim humores, nedum in extremitatibus vaſorum impacti ſint extra vaſa, vt eſt ſanguis in partibus inflammatis; ſed ſemper ſint intra vaſorum cavitates, & per conſequens contineantur adhuc in propriis locis, & quamvis verum ſit quòd locus eſt conſervatio locati, tamen non vtcunque, ſed cum debitis requiſitis; & proinde etiam humores intra propria loca contenti corrumpuntur, aut putreſcunt, ſi ibi obſtruntur, vel aliter compreſſi, liberè non ventilantur, quia plus poteſt obſtructio, & prohibita humorum ventilatio ad putredinem, aut corruptionem humorum moliendam, quàm naturalia loca ad conſervationem; vnde humoris putredo erit duplex extra vaſa, & intra ipſa, & ſive hanc, ſive illam conſequitur febris putrida, & per conſequens benè ſupra eſt dictum quod febres ſqualidæ quæque ex ſe non ſunt putridæ poſſint cum inflammatione aut humorum putredine jungi.

Dubitationes ſuper Textum.

CVm non ſolum *in hoc cap. ſed à cap. 3. vſque ad præſens 6.* egerit Gal. de 86
febribus,

febribus, quæ ſuapte natura tales ſunt, vt in hecticas facile tranſire poſſint vel ſtatim à principio hecticæ invadant, dubitatur hic 1. an febris hectica poſſit à principio invadere, & poſito quod ſic; 2. dubitatur qua ratione invadat, vel qua ratione fieri poſſit, quod hectica febris ſolidas corporis partes afficiat, atque in facto eſſe calefaciat, quin humores accendat, neque ſpiritus? vt 1. dubio reſpondeatur ſuppono aliqua, quæ ſunt ab omnibus communiter recepta: ſuppono ergo 1. quod febris hectica eſt calor præter naturam factus, ſeu fixus, aut firmatus in partibus ſolidis cordis, & inde in aliis totius corporis: vt enim in Diariis febribus calor præter naturam in ſpiritibus, & in putridis in humoribus reperitur in facto eſſe fixus, ac firmatus: ita in hecticis in partibus ſolidis: ſuppono 2. quod febris hectica ferè ſemper provenit ex aliis febribus, vt ex internis inflammationibus corporis, ex febribus ardentibus, vel aliis quæ multùm durant, etſi non ſint ardentes: cum enim partes ſolidæ multum reſiſtant ſua ſolida ſubſtantia impreſſioni caloris febrilis, vtpote ſibi contraria, hinc provenit quòd in eis talis febrilis calor non introducatur in facto eſſe vt ad febrem requiritur, niſi à dictis febribus, vel aliis cauſis valde præter naturam calfacientibus, 3. ſuppono, quod quærere an febris hectica à principio, eſt quærere an poſſit fieri aliqua febris hectica ex ſolis cauſis externis calefacientibus, & non præcedente alia febre, vel alio morbo calido, quem ſequatur: cum enim, vt dicebamus, ſolidæ partes multum reſiſtant calori febrili, vel cauſis præter naturam calfacientibus, vt inde igneſcant aut prius præter naturam ponantur, in calfacto eſſe, quam vel humores vel ſpiritus, vel alius excitetur morbus calidus, quem hectica ſequatur.

87 Cui dubio aliqui reſpondent, quod cum indiſtinctè nihil fiat, neque quodlibet ex quolibet, ſed ſolùm determinatum ex determinato; ex his provenit, quod neque cauſæ agentes operentur, niſi paſſo diſpoſito, & per conſequens ſi humoribus, atque ſpiritibus noſtri corporis, ſecundùm naturam exiſtentibus, ſolida cordis ſubſtantia, & aliæ ſolidæ partes ſint præcalidæ, ac reſiccatæ; in hoc caſu ſi vigiliæ importunæ accidant, vel triſtitiæ multæ multum durantes, vel labores, aut exercitationes multæ atque vehementes, vel omnes incidant & calorem præter naturam in corpore generent, haud dubie prius ſubſtantiam ſolidam cordis, atque aliarum partium corporis ſolidarum alterabunt, atque in facto eſſe calefacient præter naturam; quàm ſanguinem aut ſpiritus, cum illæ ad talem calorem ſuſcipiendum ſint valde diſpoſitæ ex ſuppoſitione, & non ſanguis, aut ſpiritus, veluti qui ſunt omninm natura humidi, atque bene frigori attemperati, & idcircò febri reſiſtentes multò magis quam cor, ac partes ſolidæ, quæ carent dictis qualitaribus reſiſtentibus febri, & aliæ ſunt nimis calidæ, & ſiccæ, & per conſequens ad recipiendum calorem febrilem, valde diſpoſitæ, ſiquidem in ſymbolis facilius ſit tranſitus.

Itaque licèt ſanguis, & ſpiritus venarum, 88 atque arteriarum ſubſtantia ſunt tenuiores quàm partes ſolidæ, & ſic poſſunt facilius promptiuſque quàm illæ in febres accendi, ſi cætera ſint paria, attamen hoc ſemper ita fieri non eſt neceſſum; ſed è contra poteſt accidere, quod cor & partes ſolidæ ſint magis poſitæ, ad febres hecticas concipiendas, quàm ſanguis aut ſpiritus ad alias, vt in ſuppoſitione facta liquidò oſtenditur; immò ſi attento animo ipſas cauſas agentes ac corpus alterantes advertimus, inde pariter invenimus quod ex eis aliæ ſunt, quæ magis corpus, aut partes ejus ſolidas alterant, & aliæ quæ magis humores, aut ſpiritus; ita enim atque furor, aut exſcandeſcentia ſanguinem, ſpirituſque omnes agitant quàm maximè, atque in ignem accendunt, ſive in febrem; triſtitia autem, ſolicitudo, viligiliæ atque labores non modò carnes, verùm & oſſa ipſa deſiccant; quare ſi contingat caſus in quo partes ſolidæ, ſint ex ſe temperamento calidæ ac ſiccæ, atque ad febrem hecticam concipiendam, multùm diſpoſitę; ſanguis verò atque ſpiritus, vel naturales ſint, aut benè temperati, vel potius temperamento frigidi, humidi, ac craſſi, & in hoc caſu vigiliæ multæ contingant, atque mœrores, aut melancholię magnę, aut curæ immoderatæ, aut importunæ exercitationes, aut aliæ cauſæ externæ, ex his quæ vehementer corpus exſiccant, atque præter naturam calfaciunt: ſi inquam hæc omnia concurrant ſimul, vt quidem poſſunt concurrere: nam re vera caſus eſt dabilis, & nulla datur repugnantia, ob quam omnia ſimul ſiant, vt ſupponimus, tunc rationi eſt valde conſonum vel potius neceſſum, tum ex agentis cauſæ efficacia valida, tum ex paſſi diſpoſitione, atque aptitudine, ſeu promptitudine, vt potius ſolidę partes febre corripiantur hectica, quàm humores, aut ſpiritus diaria, vel humorali.

Quod ſi obijcias inquiunt impoſſibile videri, quod cordis ſubſtantia ſit magis diſpoſita ad concipiendam febrem quàm ſpiritus & ſanguis, qui continentur in cordis ventriculis, cum tales ſpiritus ac ſanguis ab ipſa cordis ſubſtantia ſolida fiant, aut alterentur? Reſpondent, etſi hoc detur, nedum ſic convincitur quòd febris hectica non invadat à principio, id eſt quod fiat quin præcedat alia febris, vel alij morbi calidi, vt ſunt febres ardentes, & magnæ inflammationes internæ, vel ſi tales non ſunt, quæ durant per multum tempus; quare etſi in corporibus calidis multùm, ac reſiccatis, ex immoderatis laboribus, aut moleſtis cogitationibus, atque vigiliis fiat febris diaria, ſive ex accenſis ſpiritibus ſive ex ferbore ſanguinis, vnà cum excandeſcentia, aut febre partium ſolidarum: tunc quidem febris hectica, à principio invadet; quia id eſt à dictis cauſis externis, & non à tali febre 89

diaria, aut humorali, cum non sit vehemens, ac flagrans valde, & parum duret; quorum contraria requiruntur in febribus, vt ad eas hectica consequatur; & ideo tunc febris hectica dicitur fieri à principio, cum sit quin praecedat alia; quam sequatur, aut ex cujus igneo, vel adurente, aut diuturno calore sequatur, & confirmatur ex ipsis causis externis: nam neque hae generant aut producunt, in corpore hecticam aliquam febrem nisi corpus sit valde dispositum, & tales causae sint vehementes, aut magnae efficaciae, & multùm, aut diutius operentur; contrariam verò sententiam in mea medica manu defendo, vt ibi invenies.

90 Dubitatur etiam qua ratione fit quod partes solidae cordis, atque totius corporis, non solùm incalescunt praeter naturam; sed & febre hectica afficiuntur; id est calefiunt calore facto, aut confirmato in eis tantùm quod amplius non temperentur, neque ad statum naturalem redeant nisi raro, & difficulter, cum enim membra solida, & quia talia sunt & quia vita fruuntur, sint magnae resistentiae, sintque perfectiore mixtione vnita, quàm vel humores, vel spiritus, videtur difficile, quod hectica corripiantur, sive in facto esse calorem concipiant praeter naturam, & quem postea semper fervent, aut non nisi difficulter à se dimittere possint, & post longum tempus. Vt respondeatur est notandum, & supponendum, quod vt calor nativus, ideſt substantia calida nativa est subjectum febris, sive diaria sit, sive humoralis, aut putrida, sive hectica, ita qui in partibus solidis reperitur; aut continetur ad earum conservationem, & perennem vivificationẽ, & magis viscosus atque resinosus, quàm qui in humoribus, aut spiritibus datur; cum enim calor nativus sit animae praecipuum instrumentum, & causa efficiens principalis suarum operationum; proinde in singulis corporis partibus varius reperitur, prout ad earum variam naturam complendam requiritur, & necessarius est, vt in eis diversa operetur; quare in solidis partibus longè magis viscidus est, ac lentus quàm in carnosis, & in his etiam magis quàm in humoribus, atque spiritibus, quamvis in omnibus sit substantia aërea, sive pinguis, ac oleosus, facile inflammabilis, & ad ignem pronus, si humiditate nativa non attemperetur, ac continuo irrigetur. Vnde quamvis partes solidae omnes, quia magis terreae sunt, & multa viscida substantia constant, magis resistunt alterationibus extrinsecis, quam carnosae, & humores: si tamen sua humiditate nativa attemperante privantur, vel à causis externis calefacientibus exscandescunt, & calore hectico afficiuntur, siquidem calor ille praeter naturam accenditur in substantia dicta resinosa partium solidarum, quaeque cum sit multum viscida, resistit valde consumptioni, & quod semel admittit semper retinet, aut difficulter amittit, & longe tardius quàm carnes atque humores.

Sed vt dicta intelligantur magis est advertendum quod apud veteres vocantur solidae partes, omnes illae, quibus corpus integratur, seclusis humoribus atque spiritibus: quare has postea (exceptis ossibus) in fibrosas dividunt, ac membranosas, (quae proprie solidae sunt, & aliarum fundamentum) & in carnosam substantiam, quae fibrosas, ac membranosas vestit, vt infra cum Gal. videbimus, in his partibus, sic constitutis, adest etiam talis calor nativus insitus, sive peculiaris, ac propria substantia humida, viscida, & lenta, nativa aërea, ac calida à principiis generationis ortum habens, quae earum partium est natura, sive à qua partes illę viuunt actu, ac conservantur, toto vitae tempore, & suas omnes exercent operationes, vsque ad mortem; tandem adest quoque in dictis partibus sanguis venalis, & arterialis quibus quotidie nutriuntur ac conservantur, id est non solùm partes illae reficiuntur, crescunt, ac conservantur, sed & dictus calor natiuus, ac substantia dicta vitalis pinguis, & oleosa reficitur: Haec ergo quamvis omnia reperiantur in partibus solidis; tamen subjectum caloris febrilis in hecticis solum est dictus calor natiuus, sive substantia dicta aërea vitalis, viscida, & resinosa, vt potè facile inflammabilis, & ad calorem concipiendum, vt pix, cera, vel resina, valde prona, potissimum si humiditate attemperante privetur: nempe humiditate nutrimentali, & humiditate carnium: iis enim munitur valde adversus calorem febrilem; atque proinde febris hectica raro in corpore introducitur, & dictus calor natiuus in ignem mutatur, nisi prius aliqua dictarum humiditatum, vel ambae sint absumptae, à causis calefacientibus internis, aut externis; imo si dictis humiditatibus non deficientibus accidat aliquando, quod dictus calor insitus partium solidarum, afficiatur febre hectica, aut calore praeter naturam in facto esse vt solet accidere, cum febris hectica est tantùm incipiens; tunc quidem talis febris facile curatur, quia licet sit jam habitualis, juvatur tamen nativus dictus calor dictis humiditatibus ad febrilis expulsionem; & quidem consequitur, vel paucis adhibitis remediis. 91

Fit 3. dubitatio, an curatio istarum febrium, quae in hecticas facile transeunt, & quam his capitibus docuit Gal. sit vere rationalis, atque in omnibus legitima? videtur enim quod non; quia in nulla earum dicit Gal. quod sit sanguis mittendus; sed omnes curat solis alterantibus, atque nutrientibus frigidis & humidis, attamen non omnes assignatę videntur in defectu consistere, neque in omnibus vires supponit omnino dejectas, quae nequeant sustinere, aliquam sanguinis evacuationem, ad attemperandum aestuantem earum calorem atque sanguinem bilemque vrentes expurgandum: 92

suppona

ſupponatur igitur ait in hoc cap. alius ægrotus, cui cum ſuprà dicto cætera omnia ſint eadem; vires tamen tanto ſint vehementiores, vt tridui inedia tolerata durent: vt ſi ex laſſitudine, vel ira vel, pluribus curis, vel vigiliis, vel triſtitia, vel longa inedia vel ex pluribus iis, vel omnibus voà coeuntibus ſiccatum corpus ſit & febris invadat, quæ, & aridam reddat cutim, & igneum habeat calorem, vtique hunc talem timor eſt febri hectica correptum iri, potiſſimū in ęſtate, ac cæli ſtato calido ſiccoque; & ſi vires ita conſtent, vt tridui inedia tolerata durent: 5. etiam cap. ſic habet; *ergo inedia ſiccis calidiſque corporibus valentibus quidem noxia eſt. iis verò qui in calida, & ſicca æſtate febre laborant ex vſtione, aut labore immodico, aut vigiliis, aut aliis hujuſmodi non tamen noxia eſt. ſed ſi quidquam aliud pernicioſa; quippe vel in febres ardentes ex ex ea incidunt. à quibus (niſi prius mors occupet) in becticas migrant, atque ab iis in maraſmum; vel protinus ab initio, ardentibus præteritis, in becticas.* His ſuppoſitis ex Gal. ſic arguo: in corporibus reſiccatis, aut biliosis ex inedia, aut vigiliis aut laboribus immoderatis. &c. fiunt febres ardentes, vel aliæ quæcunque reddunt aridam, & igneum ſeu vrentem habent calorem: ergo ſi in his febribus vires conſtent, vt conſtant quidem, quæ diatritum inediam tolerant, non ſolum cibus qui humectet, ac nutriat exhibendus eſt & potus aquæ frigidæ; ſed & ſanguinis miſſio erit exercenda, ad tantum æſtum, ac febrem ardentem extinguendam atque ad expurgandam eius cauſam internam, nempe vrentem ſanguinem aut bilem in venis exiſtentes, à quibus immediate talis febris ardens excitatur, & igneus ejus calor.

93 Validum ſanè videtur argumentum, cum ſanguinis miſſio ſit ſpecificum remedium ex Hipp. inventum, ad morbos magnos curandos, ſi vires adſint & ætas ſit florens, vt videre eſt 4. *de ratione victus in acutis* 19. atque febris ardens ſit morbus magnus, & quidem materialis, nullus dobitat præſertim in noſtro caſu, in quo etiam minatur febrem hecticam, & quidem maraſmodem: quare nulli dubium videtur eſſe, quin in tali febre, & alia ſimili ſit ſanguis mittendus, ſi vires adſint, & ætas ſit florens, quæ etiam datur in noſtro caſu; ſed & confirmatur amplius ex ipſa rei natura bene inſpecta; nam longe diverſo modo, curantur febres humorales; atque curantur hecticæ; quippe humorales non alia ratione meliùs curantur, vel ſaltim declinant, quàm vacuata materia cui calor præter naturam inhæret, hectica verò non curatur neque declinat, vacuato ſubjecto cui inhæret, cum ſit pars vivens, & natura ipſa; ſed alterantibus ſolum, & alimentis quæ reficiunt ſubſtantiam eius quam calor febrilis vacuat: vnde in humoralibus victus quantum viribus prodeſt, tamen ampliùs morbis nocet, ait Gal. 5. *ad Glauconem, cap.* 10. quia auget cauſam morbi, ſive humorem morbum facientem, qui non augmentum, neque refectionem indicat; ſed vacuationem vt ſic morbus declinet, & ſanitas reſtituatur. His tamen minime obſtantibus curatio ſolum tradita à Gal. eſt verè rationalis in dictis febribus quantumvis ſint humorales, atque ardentes, quæque citò poſſunt laborantes interficere, vel in hecticas degenerare; etſi enim febres ſint, ex flagrante ſanguine, aut bile pendentes; non tamen ex his oriuntur quantitate redundantibus, vel copia offendentibus; ſed defectu potius, & inde orta colliquatione atque aduſtione, vt ſuprà demonſtravimus: vnde iſtæ febres etſi humorales ſint re vera, & ab ipſis vrentibus generentur, nullatenus ſint ſanguinis miſſione curandæ; ſed vt hecticæ alimentis, quæ humectent, ac vires reficiant, bonumque ſanguinem generent, & potione aquę frigidæ, quę æſtuantem calorem extinguat: ſiquidem iſtæ febres quamvis vrentes ſint non minus quàm hecticæ ſubſtantiæ defectum in ſe includunt, id eſt defectum ſanguinis boni, ac naturalis, atque ſpirituum vitalium, vt extenuatio corporis oſtendit manifeſtè: quare, & hæ indicant adjectionem, atque attemperationem, vt ſaltim reſtituantur, & ne tranſeant in hecticas. Nequeunt autem ſanguine miſſo curari, cum ſanguinis miſſio amplius corpus ſiccet, & bonum ſanguinem, atque ſpiritus, vnà cum aliis educat. Vnde cautè ipſe Gal. 4. *de ſanitate tuenda, cap.* 4. cum ſanguis bonus ait paucus eſt, etſi corpus aliis abundet humoribus malis, non eſt ſanguis mittendus; ſed aliis auxiliis quæ redundant, ſunt educenda: vnde neque argumenta contra poſita vim habent contra nos, cum in noſtro caſo, neque humores vitioſi, ac morbum facientes peccent quantitate; ſed vt ſæpe dictum eſt defectu, vſtione aut liquatione, quę longe alia indicant, quàm ſanguinis miſſionem, aut purgationem nempe quæ Gal. edocuit.

Itaque cum in corporibus calidis, & ſiccis, atque gracilibus, febris accenditur propter mordentem acrimoniam excalfacti attenuatique ſucci, ex ſole, & inedia, & laboribus, aut aliis ſimilibus cauſis calidis, atque deſiccantibus, reſoluentibus, ac inanientibus, quamvis febris ſit ardens, & vires conſtent, ac ętas floreat, ait Gal. *cap.* 5. non curatur ſanguinis miſſione; ſed maximum eius remedium eſt humidum nutrimentum, & potus àquæ frigidæ, quantum vires ferre poterunt & corporis extenuatio; quia humido nutrimento corpus, atque humores reſiccati humectantur, ac reſtaurantur, atque acrimoniam amittunt, dulceſque fiunt ex ſuavitate, atque humiditate alimentitia, quæ pinguis eſt, dulcis, atque mollis valde, ſive acrimoniam frenans; & frigido potu extinguitur incendium ſive ardens calor, humores fuſi denſantur, vel ſaltim ceſſat eorum colliquatio, vires calore nimio laſſatæ recreantur, viſcera omnia reviviſcunt, ceſſat aduſtio, ac omnia tandem redeunt ad 94

naturalem

naturalem mediocritatem, vel saltim ad meliorem statum quàm erant: unde in his casibus non valet consequentia, est morbus magnus, cum virium robore, & florente ætate: ergo sanguis est mittendus; sed in quibus morbi magnitudo ab humoribus pendet, saltim sua immoderata offendentibus quantitate ut *lib. 13. sequenti cap. 5.* advertit ipse Gal. Neque convincunt, quæ traduntur in confirmatione, nam neque omnes morbi materiales curantur vacuata materia, cui inhærent; sed qui ex eius aliqua pendent abundantia, quod in nostro casu non contingit, sed imo humores peccant in defectu, cum sint à causis calefacientibus, ac desiccantibus non solum calefacti attenuati atque colliquati; sed etiam secundum eorum partes tenuiores dissipati, resoluti, resiccati, aut inaniti: nam re vera resolutis partibus tenuioribus, quæ remanent siccantur, atque funduntur.

96 Sed si hæc vera sunt, cur nos in febribus ardentibus sanguinem mittimus, & quidem sæpius in magna quantitate ac feliciter contingit. Respondetur quia accidit etiam sæpe quod febres ardentes fiunt potius ex abundante sanguine adusto, atque bilioso resiccato, quam ex eius defectu fervefacto, attenuato, atque liquefacto vrenteque, atque mordente: rarò enim sanguis, etsi biliosus sit, ex defectu, aut causis desiccantibus, ac inanientibus flagrat in venis, atque funditur; sed imo potius defectus sanguinis in venis est causa frigiditatis totius corporis, ut *lib. 7. cap. 6. fere in fine* docet Gal. & nos cum eo late tunc ostendimus *in finibus ipsorum impactis, aut etiam in totis eorum cavitatibus, quæ sunt inter inguina, & alas comprehensi*, quasi dicat sicuti humores in universum possunt dupliciter putrescere, vel extravasati in inflammationibus, aut intra vasa in febribus putridis; ita qui sine inflammatione intra vasa putrescunt, rursus putrescunt dupliciter, aut in aliqua animalis particula in finibus ipsorum vasorum impacti, aut in venis majoribus, quæ sunt inter inguina, & alas. Quod autem febres putridæ penes has duas putredinis differentias differant, non minus quàm quæ sequuntur putredinem inflãmationis, & quod humores putrescere possint intra vasa in dictis duobus locis constat ex ipsarum febrium putridarum propriis differentiis; febres enim putridæ in primis aut continuæ sunt, aut intermittentes; illæ quidem intra vasa putrescentibus humoribus, & istæ extra: rursus quæ continuæ sunt febres, aut accessiones habent, sive repetitiones, aut non; sed à principio usque ad finem totius febris unica est accessio: quæ enim putrescentibus humoribus, in vasis majoribus, quæ sunt intra inguina & alas, fiunt continentes sunt, & sine repetitione aliqua à 1. ad finem procedunt; quæ verò fiunt putrescentibus humoribus tamen unam aliquam corporis particulam, in extremitatibus vasorum illius, etsi continuæ etiam sunt, non tamen sunt continentes, sed accessiones habent, aut repetitiones, in quibus caloris augmentum, & declinationem manifesto cognoscimus, vel alia signa notamus, quibus dictæ accessiones, atque repetitiones febrium dictarum continuarum dignoscuntur.


Sed cur istæ, quamvis sint continuæ dictas habent manifestas accessiones, aut in certis horis, ac circuitibus sensibiles exacerbationes, scilicet augmentum, & declinationem ipsius caloris febrilis; illæ verò non. Respondetur quia continentes habent focum putredinis, sive locum, ubi putrescunt humores, in omnibus venis, vel saltim in majoribus totius corporis, quæ sunt intra alas, & inguina; continuæ aut repetentes, solum habent focum, in una aliqua corporis particula, nempe in finibus, sive extremitatibus vasorum id est venarum atque arteriarum cavitatibus, quæ ad eam perveniunt: fit siquidem accessio, aut exacerbatio in febribus continuis, ut & repetitio in intermittentibus, ut docet Gal. 2. *de differentiis febrium, cap. ultimo*, quia humor morbificus, & qui febris causa est, excitatur tunc, & fluit de novo, ex aliis partibus ad focum putredinis ubi detentus, atque comprehensus, & ex putredine, vel saltim fermento putredinis ibi contento, ac reperto, statim putrescit, atque accenditur in igneum, aut febrilem majorem calorem. Vnde in quibus febribus focus putredinis est in omnibus vasis, vel saltem in omnibus magnis, non possunt dari repetitiones, neque accessiones, eùm non detur nova humoris morbifici fluxio, ex aliis partibus, ad focum: si enim focus est in omnibus vasis, non est vas à quo ad focum detur humoris fluxus; sed neque si focus sit solum in vasis majoribus fiunt accessiones, aut repetitiones; quia & si tunc extremitatibus vasorum, & parvis vasis ad magna possit dari aliquis humor qui fluat, iste tamen paucus est, ut in vasis magnis obstructis; sive repletis ob humorum copiam magnam, possit aliquã majorem obstructionem facere aut saltim æqualem, à qua sensibilis febris continuæ repetitio, aut exacerbatio, aut augmentum percipiatur: quare solum in febribus putridis, quæ habent focum in extremitatibus vasorum, alicuius partis determinatæ, ut ait hic Gal. vel saltim quæ habent focum, in venis parvis, & longè diversis à maximis, quæ sunt inter inguina, & alas; solum inquam in his febribus sive continuæ sint, sive intermittentes fiunt repetitiones, aut accessiones, quæ repetant, per determinatos, ac sensibiles circuitus.

Dixi cum advertentia solum in febribus his putridis, fiunt accessiones quæ repetant per sensibiles circuitus: nam re vera in febribus aliis non putridis, de quibus in hoc lib. usque nunc agit Gal. fiunt repetitiones, & sensibiles accessiones, quin habeant focum, aut locum determinatum ubi humores comprehensi, aut saltim collecti, & non satis ventilati ignescant, aut febrilem calorem contrahant

97

98

contrahant: non enim in febribus, de quibus Gal. loquutus est, quāvis humorales sint, dātur obstructiones, neque in vasis minotibus, quāvis continuæ sint, & repetant per ordinatas accessiones, cùm non sit putrida; at verò obstructio est causa putredinis, & humores obstructi putrescunt necessariò, quia sunt actu humidi omnes, & apti ad putrescendum, etsi potentia sint aliqui sicci: quare humores in his febribus, non quia obstruuntur, aut in aliquo loco compressi, aut impacti colliguntur, febres generant, vt qui putrescunt; sed vt vidimus *cap. 5.* fusi potius ac fluentes per ipsas venarum capacitates, ac carnium poros. Vnde istæ febres longè alia ex causa repetunt, atque accessiones faciunt, quàm quæ sunt putridæ. Quæ vt intelligantur benè est notandum ex Hipp. 4. *de morbis*, quòd humores in nostris corporibus, atque in vasis contenti possunt duobus diversis atque oppositis modis præter naturam exscandescere, & febres generare, cùm copia abundant, vel copia in cavitatibus obstructis, vt ait Gal. non liberè ventilantur; vel è contra non obstructi, neque alia ratione firmati, aut compressi, sed agitati, turbati & sparsi, atque liberè occurrentes per ipsarum venarum cavitates; vt enim humores impacti, seu in venis obstructi non ventilantur, & ex defectu ventilationis præter naturam calefiunt, atque putrescunt; & sic febres generant putridas: ita pariter eùm humores qui sunt in venis massam sanguinariam componentes, aut aliqui simul cum tali massa in venis permixti reperiuntur, ab aliqua causa externa aut interna supra modum agitantur, atque turbantur, vel effervescunt, vt vel ex ira vehementi, vel laboribus, ex solis æstu, aut exercitationibus immoderatis, aut ex curis, aut vigiliis, & tunc ex tali effervescentia, seu agitatione, aut turbatione non solùm exscandescunt, aut ignescunt præter naturam, sed fermentantur, funduntur, & à massa pura, aut magis perfecta separantur, sicque acres, atque mordaces redduntur valdè, vtpote sic sinceri facti, & à massæ mitescentia, seu attemperatione, atque ab vnionis consortio segregati, ac tales effecti, quòd & venas in quibus continentur, & cor, & totum corpus in febrilem calorem accendant, nisi à natura eorum acrimonia irritata extra corpus pellantur, vt in ipsis accessionibus solet contingere: quare in febribus, de quibus Gal. in hoc libro vsque nunc egit, humores non firmari, aut obstructi, sed potius turbati, fusi atque sparsi per ipsa vasa, sunt causa talium febrium, atque suarum accessionum, & idcirco concludit benè caput præsens Gal. dicens: *Cùm igitur* (vt diximus) *citra putredinem squallenti corpori febricitari contigerit* (*in quo humores non obstruuntur, sed squalidi sunt ac liquefacti*) *caput totius curationis in his remediis quæ refrigerent & humectent statuere oportet, vtpote quæ obstructiones augere non possunt, cùm nulla sint, sed calorem, ac siccitatem febrilem temperare, atque humores fusos acresque incrassare moderate, atque acrimoniam retundere.*



CAPVT VII.

Continet sex remediorum differentias, seu materias quibus febres hecticæ curantur.



Ctvrvs jam Gal. 199
de curatione febrium hecticarum proponit brevissimè in hoc capite septimo materias, aut varias remediorum differentias sex, quibus febres hecticæ curantur, aut curari possunt, ac debent, si curabiles sunt, & non consummatæ: non enim omnes febres hecticæ sunt sanabiles, vt *sup. cap.* dixit Gal. sed quæ incipientes sunt, aut saltim nondum consummatæ: quod est notandum, ne transeat occasio, & ne medicinæ intempestivè adhibitæ maximè lædant, vt fieri solet. Agit autem hic Gal. de curatione hecticarum, quæ nōndum consummatæ, aut incurabiles, sed incipientes sunt, vel ad summum mediæ, quæ curari possunt etiam, quamvis non æquè benè, ac facilè, vt incipientes, sed tantò difficiliùs, quantò ab incipientibus magis recedunt, & ad consummatas accedunt magis. Sed cur, dices, agit nunc tam arduam febrium hecticarum curationem Gal. omissa in totum earum dignotione, si verè dicitur quòd cognitio morbi est inventio remediorum, & ipsius curationis. Respondetur quia 1. *lib. de differentiis febrium, cap.* 8. 9. & 10. de his egerat jam, vt & de aliis febribus omnibus, in dicto ac sequenti lib. quæ tametsi ita sint, nos tamen hîc primùm essentiam, differentias & causas hecticarum febrium, atque earum cognitionem explicabimus, & postea de earum curatione cum Gal. agemus, vt sic omnia scientificè hîc habeantur. Sed expendamus breviter quæ *in præsenti 7. cap.* affert Gal. de remediis hecticarum.

TEXTVS:

TEXTVS.

Porrò duplex genere est harum rerum prima materia , &c.

160 QVasi dicat Gal. in vniversum, & prima divisione duo sunt genera remediorum, quibus curantur hecticæ febres, quippe quæ vel foris admoventor, vel intrò in corpus sumuntur, id est remedia quibus febres hecticæ curantur, vel externa, vel interna: externa quidem quæ foris, sive extrinsecus corpori applicantur, vt inunctiones, aut lotiones: interna autem quæ intra corpus assumuntur, vt potiones, atque alimenta quæ per os sumuntur, & ideo sumenda vocantur: rursus quæ extrinsecus corpori incidunt, aut applicari possunt ad febres dictas curandas in triplici sunt differentia, tum aër ipse qui nos circumdat, tum pharmaca, sive medicamenta omnia quæ vim habent humectandi, & refrigerandi, tum tertium balneum aquæ dulcis. Similiter quæ intrò corpus sumuntur tripliciter diversa sunt, scilicet quæ comeduntur, atque bibuntur, & aër qui inspiratur: vnde sex erunt diversæ materiæ ac differentiæ remediorum, quibus, vt dictum est, propositis, aut administratis tentandom erit in febribus hecticis tum humiditatem, tum refrigerationem comparare. His sic suppositis, advertit Gal. quòd refrigeratio, quoniam per efficacissimam qualitatem inducitur, est periculosa in hecticis, & parum temporis debet administrari, ne hecticorum partes viventes lædantur, quæ cùm sint siccæ, sive excarnes, & sine sanguinis sufficienti quantitate possunt facilè à frigiditate multum debilitari; è contra accidit, ait, in siccitatis, per ea quæ humectant, curatione: hæc enim quia per ignavam qualitatem inducitur, & longi temporis est, id est & multùm temporis durare debet, vt eius effectus introducatur, & minus est quàm refrigeratio periculosa; quod etiam suprà *lib.7.cap.5.* annotaverat; & hæc de 7. capite.

De essentia ac differentiis febris hectica.

101 SVppositis remediorum materiis quibus curantur hecticæ febres, supponit etiam Gal. tria alia in Medicis præcognita ad dictarum febrium curationem intelligendam, atque explicandam: sunt autem illa, primum essentia & differentiæ febris hecticæ: secundum earum causæ: tertium signa quibus dicta cognoscuntur: quare & nos hæc tria suo ordine explicanda aggredimur, antequam cum Gal. in sequentibus capitibus curationem febris hecticæ ostendamus: pendet enim hæc ex eorum certa notitia, ac vera cognitione, & proinde tria dicta prius explicabimus: ego de essentia, atque propriis differentiis febris hecticæ jam dicere aggressus, primùm omnium à notione, sive nominis explicatione incipere debeo, quia habet aliquam difficultatem, aut ambiguitatem, quæ ante omnia explicari debet, ne in æquivoco laboremus. Sciendum igitur hîc est, & supponendum ex ipso Gal. *sup.lib. 8. cap. 1.* quòd in vniversum febris quæcumque sit, dividitur in hecticam, aut schecticam, quia revera non solùm febres propriè hecticæ, nempe quæ distinguuntur à putridis ac diariis possunt esse difficilè aut facilè curabiles, sed & putridæ, atque diariæ: at Græci, ait Gal. eos affectus qui facilè discutiuntur scheticos vocant; qui tales non sunt hectici dicuntur; sic etiam febrium ipsarum eas, quæ ægrè discutiuntur hecticas, quæ facilè scheticas nominant: quæ quidem quamvis sic se habeant, & quamvis nomen hecticon, vel exi, in sua significatione vniversali omnes morbos atq; febres comprehendat, qua sunt solutu difficiles, vel difficilè curatur, tamen in præsenti non sic sumitur; neque nunc per febrem hecticam febrem difficilè mobilem à subjecto intelligimus, aut difficilè curabilem: nam quamquam sæpe talis sit, atque hectica incipiens vocatur, quamvis hectica verè sit, curatur facilè & non difficilè: imo ex Gal. atque Avicenna faciliùs quàm cognoscitur curatur: quare nunc per febrem hecticam eam intelligimus, atque intelligit Gal. quæ à putridis atque diariis distinguitur, sive eam, quæ non in humoribus, aut spiritibus accenditur, aut subjectatur, sed in partibus solidis nostri corporis, quæ etiam dicuntur hecticæ, quia difficulter discutiuntur, aut deficiunt; sed quam semel substantiam sumunt semper servant,

Itaque nunc de essentia atque differentiis earum febrium agere aggredimur, quæ prorsus diversæ sunt, atque distinctæ ab aliis omnibus, quæ vel in humoribus, vel in spiritibus accenduntur, sed potius in aliis partibus quibus corpus integratur, vel corpus componunt seclusis humoribus & spiritibus: vnde febres hecticæ istæ, de quibus modò agere incipimus, etiam habituales vocantur, & quidem non præcisè, quia omnes habituales, hoc est difficilè mobiles à subjecto sint, vt sunt habitus; sed quia omnes sunt in habitu corporis, scilicet in partibus corporis fibrosis membranosis, aut carnosis, quæ corpus componunt, atque integrant, & vocantur corporis habitus, quia habitus corporis, & eius conformatio aut constructio, ex eis coalescit, atque plasmatur: vt enim omnia, quæ in nostris corporibus viventibus sensibilia reperiuntur; ad tria capita revocantur, ad continentia, contenta, aut impetum facientia, ita continentia omnes partes solidas dictas comprehendunt, quæ totum corpus componunt, 102

nunt, ſive omnes eius partes, atque habitum, vel fixam, aut ſtabilem illam ſtructuram, qua corpus, ſive continentia continent, ſive conſervant omnia contenta, atque impetum facientia, id eſt ſanguinem, ſive humores & ſpiritus ne diſſluant, id eſt ne reſolvantur, aut aliter evacuentur per habitum corporis, aut per poros qui ſunt in habitu corporis, nempe in carnibus, & aliis partibus ſpermaticis ipſius corporis, vel quæ in corpore reperiuntur ſimilares, ac organicæ ipſum conſtituentes, & eius totam molem, aut corpulentiam, aut habitum, vel habitudinem efficientes.

103 Expoſita notione, aut ſignificatione nominis hecticæ febris, jam eius ad eſſentiam explicandam accedamus. Febris ergo hectica, id eſt à putrida, atque diaria diſtincta communiter, ſic eſſentialiter definitur: *Calor præter naturam accenſus in facto eſſe in partibus ſolidis cordis, atque inde toti corpori communicatus*, vel *calor præter naturam accenſus in facto eſſe in ſubſtantia ſolida cordis, & totius corporis*, quia re vera in febribus hecticis calor febrilis non ſolùm partes ſolidas cordis afficit, ſive offendit, ſed etiam omnes alias, quæ ſunt in toto corpore: nam febris hectica eſt intemperies nuda, ſive calor ſolùm præter naturam factus, aut introductus in facto eſſe in partibus ſolidis, ſed independens à materia aliqua qua conſervatur: quare calor hecticus in ſubſtantia ſolida cordis introductus, communicabitur inde toti corpori, cùm non detur impediens, aut materia aliqua quæ impediat, vt in humoralibus febribus, aut putridis dari ſolet. Nos verò cum Galeno dicimus febrem hecticam eſſe calorem nativum partium ſolidarum cordis, atque totius corporis mutatus in igneam naturam, ſive in caliditatem igneam, aut præter naturam. Diximus enim *lib.* 8. agentes de eſſentia febris, eſſe febrem ex Gal. 1. *aphoriſm.* t6. caliditatem nativam in igneam naturam mutatam, ſive præter naturam excalefactam, & quidem non vtcumque, neque in fieri ſolùm, ſed in facto eſſe: quare & nunc conſequenter dicimus quòd febris hectica eſt calor præter naturam accenſus, & in facto eſſe firmatus in calore nativo ſolidarum partium cordis, atque aliarum, quæ ſunt in corpore toto, lædens operationes, quod eſt dicere, non quemlibet calorem factum partium ſolidarum cordis, aut aliarum quæ ſunt in corpore, eſſe hecticam febrem, ſed ſolùm illius ſubſtantiæ, quæ in illis eſt earum natura, ſive calor earum nativus: habet enim quælibet pars vivens ſuum calorem nativum quo vivit, id eſt ſubſtantiam calidam.

Quæ vt intelligatur, eſt advertendum quòd
104 in qualibet parte vivente noſtri corporis reperiuntur quatuor ſubſtantiæ diverſæ, quæ complent ſive componunt eam, nempe ſolida carnoſa, nutrimentalis, & dicta vitalis, aut nativa qua vivit. Quòd verò in vna qualibet parte vivente quatuor dictæ dentur ſubſtantiæ demonſtravimus *lib.* 8. agentes de eſſentia febris; ſed & hic etiam oſtendemus, ut vtrobique rei veritas integrè explicata maneat. Principio igitur in unaquaque parte viventi noſtri corporis reperiuntur partes ſolidæ, ſcil. fibroſæ, aut membranoſæ, aut ambæ, vt parum ſuperius dicebamos, vtpote quæ fundamentum ſunt ipſius partis; ſimiliter in qualibet parte vivente datur ſubſtantia carnoſa, quæ vt *ſuprà* dicebamus, veſtit dictas ſubſtantias fibroſas, ac membranoſas: re vera hæ enim ſolidæ partes multis quaſi poris conſtant foraminibus, quæ dicta ſubſtantia carnoſa repleri deſiderant, atque indigent, vt ea humectentur, repleantur, & muniantur contra res ſibi noxias exteriores. Rurſus reperitur in qualibet parte vivente calor nativus inſitus, ſive dicta ſubſtantia vitalis, qua dictæ partes ſolidæ, atque carnoſæ vivunt actu, nutriuntur, ac conſervantur, dum vivit homo: non enim partes ſolidæ, neque carnoſæ noſtri corporis vivunt à ſe, ſed à dicto calore nativo, vt latè demonſtravimos *lib.* 8. *loco citato.* Vltimò in qualibet parte vivente datur ſubſtantia nutrimentalis, qua dictæ tres nutriuntur, aut conſervantur, dum vivũt: quæ enim partes vivunt, indigent refectione, ac nutritione, vt conſerventur, quia vita cõſiſtit in calido & humido, & per cõſequens quæ vivunt ſẽper conſumuntur, aut exſiccantur, cùm humiditas ſuo termino non finiatur vnquam, ſed ſemper deficiat, atque ſiccetur.

Itaque in qualibet parte vivente noſtri cor- 105
poris dantur quatuor diverſæ ſubſtantiæ, ſolida videlicet, carnoſa, vitalis, ſive nativa, & nutrimentalis. Quæ quamvis ita ſint, quia tamen ex i ſis ſola ſubſtantia vitalis eſt calor nativus, idcirco id nos non dicimus cum communi quòd febris hectica eſt calor præter naturam accenſus in partibus ſolidis, &c. ſed accenſus in calore nativo, qui eſt in partibus ſolidis, ſive in ſubſtantia dicta nativa, quæ vivificat, nutrit, atq; conſervat duas illas ſubſtãtias ſolidas, atque carnoſas; ſic enim vivit, & ſpecialiter verificatur quòd febris eſt caliditas nativa in igneam naturã mutata, & quòd febris quælibet, vt morbus, eſt paſſio rei viventis: nam revera hæc ſubſtantia nativa eſt quæ accenditur in calorem præter naturam in febribus hecticis, & ab huius calore febrili excandeſcunt, aut præter naturam incaleſcunt dictæ partes ſolidæ, atque carnoſæ, ſicuti & humores, atque ſpiritus qui continentur in corpore, atq; in ipſis partibus continentibus. Quare vt in diariis febribus, ac putridis calor earum febrilis poſitus in ſubſtantia nativa influente ſpirituum vitalium, atque humorum calefacit totum corpus, & omnia alia quæ in corpore continentur; ita in hecticis calor inſitus partium ſolidarum calefacit ipſas, & alia omnia, quæ in corpore continentur; non in facto eſſe, vt ipſe eſt calefactus, ſed in fieri tantum, & ideo ſolus ipſe eſt morbus, aut febris he-
ctica, & non calor carnium, aut aliarum
magis ſolidarum, quæ ſunt partes fibroſæ, 106
aut verè ſpermaticæ.

Sed dices contra ſic: Carnes quæ ſunt

in corpore, & partes solidæ omnes possunt vivente animali præter naturam excandescere, & igneum, sive febrilem contrahere calorem, aut præter naturam in facto esse: quare talis calor præter naturam erit verè morbus & febris, imo febris hectica, cùm sit in facto esse in toto corpore, non ex accensis spiritibus, aut humoribus, sed partibus dictis solidis. Respondetur, vt & *lib.* 3. quòd febris est propria passio cordis, imo eius caloris vitalis, vt docent pulsus mutationes, quæ contingunt in ipsis febribus: quare etsi tales partes solidæ præter naturam incalescant, & quidem in facto esse, talis calor erit morbus, scilicet intemperies calida earum, sed non febris, cùm in ea pulsus non mutetur præter naturam, vt in lassitudine phlegmonosa quotidie experimur: experimur enim quòd in hac lassitudine ardet totus corporis habitus sine aliqua pulsus mutatione ab statu naturali, quia nulla tunc datur febris, à qua mutentur, quamvis partes omnes quæ sunt in toto corpore habitu, sint calidæ vehementer, & multo magis quàm in multis febribus; cuius rei ea est causa, quia quamquam partes carnosæ, atque solidæ dictum calorem præter naturam conceperunt, calor tamen earum nativus nondum ab eo mutari potuit: sed resistit adhuc: si enim & iste etiam accenditur, etsi non sit in facto esse, statim pulsus sensibiliter mutatur, vt apparet in diariis, aut putridis: quare & in febribus hecticis iste calor nativus erit subjectum caloris febrilis, non verò carnes, aut partes solidæ, quamvis omnes præter naturam incalescant, & per consequens in nostra opinione, vel ipsius Galeni, *febris hectica erit calor præter naturam accensus in facto esse in calore nativo insito cordis, & aliarum partium solidarum, quæ sunt in corpore, nempe in omnibus partibus carnosis, atque spermaticis.*

107 Hic etiam dices contra sic: In præfatione *lib* 8. dixisti subjectum febris cuiuslibet esse calorem nativum, sive vitalem influentem: quare malè nunc dicimus in febribus hecticis esse insitum. Respondetur quòd ibi etiam diximus calorem influentem & insitum esse vnum, & eundem entitativè, quamvis influens dicatur, dum à cordis sinistro ventriculo fluit per arterias ad omnes corporis partes, & insitus, cùm jam in dictis partibus est receptus, & quasi imbibitus: vt enim facultas animalis sensifica, atque motiva, quæ à cerebro influit, per nervos ad omnes partes corporis sensitivas & locomotivas, vna eadem est quæ influit per nervos, & quæ infunditur, sive imbibitur in ipsis partibus, sive instrumentis sentientibus, & motivis; ita pariter calor nativus, seu vitalis cordis, & aliarum partium viventium, vnus est in omnibus, licet qui in ventriculis cordis & arteriarum cavitatibus continetur, dicatur influens, quia inde influit ad dictas partes viventes; & cùm ipse jam fluxus imbibatur in dictis partibus viventibus, easque actu vivificat, dicitur insitus, quia tunc re vera jam non fluit amplius, sed in talibus partibus insumitur, & quasi implantatur, & illis ita hæret, vt difficile inde iterum ad arterias, ac cor recurrat, quamvis extravasatus exhalet, aut exsolvatur per poros dictarum partium, potissimùm si istæ non sint satis densæ. 108

Quòd autem sic & non aliter differant dicti duo calores nativi ex pulsibus dignoscitur, & eorū mutationibus in febribus: pulsus enim in diariis & putridis febribus, quæ non sunt malignæ ad vsum earum attemperandum, fiunt magni, celeres, & frequentes; in hecticis verò non sic, sed parum distantes à naturalibus, veluti & vrinæ, quia in hecticis calor nativus in igneam caliditatem mutatus non continetur in ventriculis cordis, neq; in cavitatibus arteriarum aut venarum; sed extravasatus est jam, & in partibus solidis imbibitus, in quibus infusus etiamsi præter naturam accendatur, & febrilis reddatur, nonnisi parùm murat pulsum, vt qui solùm mutat pulsus valde dum fluens est, vel rectiùs dum intra ventriculos cordis, & in cavitatibus arteriarum, aut venarum continetur: vt enim extravasatus à corde, atque ab arteriis, carnibus, atq; humiditatibus nutrimentalibus permiscetur, ita ab bis multùm incrassatur, attemperatur, aut lentescit: quare amplius non pulsat, aut valdè parum, etiamsi febre afficiatur; sed transpiratione ventilatur, aut magis ex transpiratione, quam per pulsus febriles, vt fiont in aliis, & hæc de essentia febris hecticæ pro nunc: nam reliqua de hac re scito dignissima, diximus loco cit. 8. *lib. sup. in præfat.*

Hic agendum veniebat de differentiis febris hecticæ; sed quæritur antea, an siccitas sit de essentia febris hecticæ: videtur enim quòd sic, non solùm authoritate Galeni, sed magis ex eius generatione, ac curatione: si enim Galenus 1. *aphorismorum* 16. benè dicit, *quòd febris est passio calida & sicca*, saltem hoc in hectica debebit verificari, cùm neque in diariis, neque putridis sit simpliciter vera propositio tradita, vt omnes Medici communiter docent, atque ostendunt. Similiter si attendimus naturam ipsius febris hecticæ, vel generationis modum, ac curationem, ex his quidem necessariò inferri videtur quòd siccitas est de essentia febris hecticæ: In primis, si in superioribus benè diximus, & sæpè posuimus, quòd ad febrem hecticam generandam requiruntur maximè duo, veluti diuturna caloris præter naturam actio, & siccitas valida in passo, atque in causis agentibus: ex his siquidò videtur colligi, quòd ad essentiam febris hecticæ requiritur siccitas præter naturam, sicuti ipsa caliditas. Sed adhuc magis idem colligitur ex curatione quæ in duobus consistit; siquidem in primis substantiam deperditam restaurat humidis, aut substantificè humectantibus alimentis, 109

alimentis, deinde balneis humidis, alisque humidis alterantibus corporis siccitatem corrigit: quare ex omnibus evidens esse videtur, quòd siccitas est de essentia febris hecticæ.

110 Sanè verò accidit quòd hectica febris sit sine siccitate, tamen secundùm Gal. siccitas non est de essentia eius, quando saltem febris hectica incipiens potest esse sine siccitate aliqua morbosa: *1. enim de differentiis febrium, cap. 9.* dividit Gal. febres hecticas in vnas quæ cum siccitatis vel humiditatis consumptione consistunt, & alias quæ sunt sine ea, vocatque febres hecticas cum siccitate complicatas marasmodes, quæ sunt sine siccitate incipientes; cùm primùm enim, ait, corpus cordis à naturali temperie discedit, neque nativus humor protinus aboletur, neque facultas debilitatur, sed veluti quædam ebullitio humoris fit: febris tamen hectica est; quando verò humor innatus in vnoquoque corpore dispersus per loca media partium solidarum, ex quo primùm partes aluntur, parum abest, vt nullus sit in cordis corpore, exquisitus jam marasmus consistit. Itaque apud Gal. vt febris hectica sit, solùm requiritur, quòd calor nativus, sive nativus ille humor cordis, ex quo, vel à quo partes eius solidæ, vt & totius corporis aluntur, scilicet per loca media ipsarum sparsus, aut ipsis imbibitus, à naturali temperie discedat, atque effervescat, non autem exsiccetur, aut fervendo consummatur in totum, aut multum, quia quando hoc ita accidit, jam febris hectica incipiens transit in mediam, vel marasmodem dictam, seu hecticam consummatam, provt dicta humiditas nativa fere in totum jam est absumpta, aut non; cùm enim ferè jam in totum est consumpta, fit marasmodes hectica, sive extrema; cùm non consumitur sensibiliter, est hectica incipiens; cùm consumitur sensibiliter, non tamen ferè in totum est absumpta, est hectica media, magis ad hoc, vel illud extremum accedens, provt plus aut minus dicta humiditas à calore febrili consumitur; etsi enim humiditas ipsa nativa aërea sit, & non aquea, & hæc quæ dictas partes solidas actuat, nutrit, atque conservat, est lenta satis, atque viscosa, sicque multum resistit consumptioni; tamen neque sic desinit esse humiditas, & per consequens vel à se ipsa in dies exsiccatur, cùm suo termino non finiatur, sed semper cedat alieno, & per consequens à calore etiam febrili exsiccabitur tandem, si non curetur citò, vt *supra* diximus.

111 His ita se habentibus, vt rectè respondeamus argumentis in contrarium positis est advertendum quòd siccitas potest esse morbosa, vel non: voco autem siccitatem morbosam, quæ partium viventium est, vel quæ defectum sequitur alicuius substantiæ humidæ viventis nostri corporis, carnis, aut substantiæ solidæ, aut dictæ humiditatis nativæ; vt enim dictæ tres substantiæ vivunt in nostro corpore, & in vnaquaque eius parte vivente, ita quælibet earum exsiccata, aut deficiente, oritur in nobis siccitas morbosa, cùm revera detur morbus in defectu, & qualibet dictarum partium deficiente, si continuò non restauratur per nutritionem, non solùm non læduntur actiones, sed & vita deficit penes illam partem, aut particulam partis viventis, quæ exsiccata est, aut deest: etsi enim humida nativa substantia à Galeno dicatur alimentum partium solidarum, vt parum ante vidimus, & *septimo libro suprà, capite sexto*, quia ista pro materiali, & quatenus spermatica, atque viscida est, etiam materiam probat dictis partibus, ex qua nutriantur, & proinde videatur potius substantia partium alimentitia, quàm verè vivens, tamen substantia est verè vivens, imo simpliciter, sive à se vivens vitam, quæ suam præbens dictis partibus, quibus infunditur: quare hæc non est alimentiria substantia: sed seminalis, atque à principiis nostræ generationis contracta, humidum radicale dicta, quia est radix & fundamentum omnium quæ sunt in corpore, semper manens, atque perseverans per totum vitæ tempus.

112 Vnde hanc dicit Galenus loco citato, *sine nutrimento inserere particulis non est possibile*; ideoque difficillima est omnium eiusmodi affectuum curatio, saltem quia ipsa est, quæ se ipsam nutrit ex alimentis magis perfectis, quæ ad partem veniunt, & quæ nutrita nutrit tales partes; & ideo si ipsa deficit, aut exsiccatur, omnium difficillimè curatur, cùm à nullo alio quàm à se reparari, aut restaurari possit, ne dum per nutritionem. Itaque siccitas morbosa est defectus partium viventium, aut alicujus earum: siccitas verò non morbosa est defectus substantiæ alimentorum, sive intra venas deficiat, sive extravasata, & roris instar per poros corporis, ac carnium disseminata, ad quarum vtrumque defectum sequitur in corpore, & in partibus viventibus siccitas, sive sola, sive simul cum frigiditate, vt *loco citato, in fine* docet Galenus; sed hæc non est morbosa, cùm non sit defectus partis viventis, sed alimenti; & ideo hæc sine nutritione facillimè reparatur, ex sola sanguificatione hepatis, & inde distributione sanguinis ad partes siccas, sive ad partes quæ sunt in corpore. Neque valet, si dicas quòd in hecticis protinus carnes sensibiliter siccantur, corpus collabitur, & decoloratum redditur; non, inquam, valet: nam hæc tria siccitatem sequentur aut defectum, non solùm partium viventium humidarum, sed & aliarum, quæ sunt alimenta: nam viventes partes nostri corporis vel ex defectu sanguinis, atque humiditatis serosæ, quæ datur in venis exiguis sensibiliter exsiccantur.

113 Ex dictis patet responsio ad ea quæ suprà

sunt tradita, ad ostendendum quòd siccitas sit de essentia febris hecticæ; si enim loquamur de siccitate morbosa, de qua debemus loqui; sanè sine hac potest esse, cùm humiditas nativa partium viventium, quæ est subjectum febris hecticæ, possit concipere calorem febrilem per solum fervorem eius sine siccitate, aut defectu aliquo sensibili, ut in febre hectica incipiente dicit Gal. & ratio persuadet; cùm talis humiditas, sive humida substantia nativa sit seminalis, sive aërea valde, id est multum resistens consumptioni, ac siccitati: vnde intelligitur quòd cùm inflammabilis sit, poterit quidem à causis calefacientibus accendi in febrem, & ita perseverare per aliquod tempus notatu dignom, sine eo quod sensibiliter consumatur, præsertim cùm calor hecticus sit qualitate remissus respectu ardentis, atq; aliarum febriũ putridarum multarum; si verò loquamur de qualibet siccitate, sive morbosa sit, sive non; sic quidem dicendũ fatemur siccitatẽ aliquã esse de essentia febris hecticæ, quia saltẽ siccitas, sive defectus humiditatis alimẽtorũ, aut serosæ substantiæ humorum consequitur febrem hecticam, aut causas eius: nam omnes causæ externæ, quæ generant febrem hecticam, sunt simul calefaciẽtes, atq; exsiccantes, ut in superioribus capitibus sæpè vidimus; & per consequens, cùm in corporibus siccis generant dictam febrem hecticam, possunt non solùm calorem præter naturam inducere in calore nativo infixo partium viventium cordis, & totius corporis, sed etiam desiccare humores qui continentur in eis, aut in exilibus earum venis, quia hæc humiditas est serosa, seu aquosa potius quàm aërea, atque nativa: quare est facilè dissipabilis à causis exsiccantibus, aut calidis resolventibus. Similiter putridæ febres, aut humorales, quæ hecticam faciunt, vel in hecticam migrant, prius humorum humiditatem exsiccant, aut putridam eorum substantiam deponunt (quod est benè notandum) & sic cessante putrida febre, hectica succedit, aut exoritur.

115 Hic etiam quæritur an febris hectica sit intensior febre ardente; videtur enim quod sic: nam in primis hectica febris fit sæpe ab ardente, & quidem vehementer, aut multum agente, id est non aliter nisi per maiorem intensionem: deinde febris hectica est in habitu, & ardens in habitudine, vel in dispositione solùm: quare hectica erit intensior ardenti. Vt rectè respondeatur, est advertendum, ac supponendum, quòd calor febrilis, vt & quisque alius calor, vel qualibet alia qualitas potest intendi, aut intensior fieri duobus modis, scilicet non solùm per propriam intensionem, sive additionem gradus ad gradum qualitatis in subjecto, sed per maiorem radicationem in illo, vt aiunt aliqui: constat enim ex maiorum Philosophorum sententia intensionem qualitatum fieri vno è duobus dictis modis; & re vera ita est: nam vt calor v. g. in primo gradu intenditur, aut intensior fit, si ei supervenit secundus gradus, & adhuc magis intenditur, si primo & secundo gradibus supervenit tertius, vel tertius simul & quartus; ita pariter intenditur calor cùm radicatus in subjecto vt vnum magis radicatur, vt duo, vel vt tria: potest siquidem qualitas quæcumque sit radicari in subjecto, vel esse de facto permanens in illo tripliciter, nempe vel parum radicata, vel multum radicata, vel maximè, vt in ipsis febribus hecticis experimur; etsi enim omnis febris hectica est febris facta, sive de facto iam in subiecto radicata, & per se permanens in illo, sine dependentia aliqua, vel ope causæ conservantis; tamen febris hectica incipiens longè minus radicatur in subjecto quàm media, & media quàm vltima seu extrema, vt docet ipsa curatio, quæ quidem in incipiente facilis est, vt ait Gal. & docet experientia, quia est parum radicata, aut parum habituata; hectica verò media difficiliter curatur, quia est multum radicata in subjecto, aut multum habituata; est denique hectica consummata, aut extrema nullatenus curari potest, quia maximè fixa, aut radicata est in subjecto, tantum vt nullo modo jam possit auferri: quare verum est quòd calor febrilis, & qualibet qualitas poterit intendi, aut intensior fieri duobus modis, vel per additionem gradus ad gradum, vel per maiorem radicationem in subjecto.

Sed est notandum quòd intensiones dictæ, vt revera sunt diversæ, ita longissimis intervallis, ne dicam oppositis distinguuntur inter se; nam intensio qualitatis, quæ fit per additionem gradus ad gradum, quo magis intenditur, eo magis manifestatur, ac magis sensibiliter alterat corpus, & sensum tactus; è contra intensio qualitatis, quæ fit per maiorem radicationem, quo magis intenditur, seu radicatur, eo minus sentitur, aut manifestatur, aut percipitur à corpore, neque à tactu, vel alio sensu; etsi enim qualitas vtroque modo intenditur re vera, vt inde pater quòd vno & altero modo quo magis intenditur eo magis corpus offendit, atque lædit, si præter naturam intenditur; tamen intensiones valdè inæqualiter, aut longè aliter percipiuntor; imo & ipsarum læsiones, cum intensiones qualitatum per additionem gradus ad gradum, atque læsiones earum eo magis sensibus manifestentur quo magis intenduntur; è contra intensiones & læsiones qualitatum, quæ fiunt per maiorem radicationem in subjecto, tanto minus percipiuntor, aut sensibus manifestantur, quanto magis radicantur, vt experimur quotidie, non solùm in febribus hecticis, sed etiam in humoralibus: experimur enim multoties quòd tum febres hecticæ, tum humorales, aut potridæ, quo magis protrahuntur, ac radicantur in subjecto, en minus ardent, vt eius præternaturalis calor sensibilis magis debilitatur, & quidem non rarò in totum deficit, quamvis sic non minus, 116

sed

sed magis corpus lædatur, aut moriatur, & quidem ita latentem, aut occulta ratione, id est sine signis malis, quod vel doctos, atque exercitatissimos Medicos decipiat: quod est notandum valde, atque timendum aut flendum.

117 Itaque intensio caloris, quæ fit per additionem gradus ad gradum qualibet sensibilis est, & quo magis intenditur, eo magis manifestatur: nam intensio caloris in primo grado calefacit quidem subjectum sensibiliter, sed non nimis, sed calore moderato, veluti est noster calor naturalis: vnde calor iste concoquit, maturat, & alias facit naturales operationes: intensio verò caloris in secundo gradu non solùm calefacit subjectum sensibiliter ac moderatè, sed immoderatè aut molestè jam, aut præter naturam calefacit subjectum: vnde iste calor calefaciendo nos, jã non conservat corpus vt primus, sed aliquomodo corpus offendit, atque sensibiliter lædit; non solùm displicet talis intensio, aut ingrata est corpori viventi nostro, & calorem nativum nostrum præter naturam calidum reddit, atque in febrem accendit, sed & corporis humores naturales alterat, eosque agitat, aut attenuat, ac fervere facit, ut in febribus humoralibus ordinariis experimur, atque in earum vrinis mutatis à statu naturali in colore, aut substantia, aut contento, vel in multis istorum, vel in omnibus: rursus intensio caloris in tertio gradu non solùm corpus molestat, & calorem nativum in igneam naturam, aut in febrem mutat, atque humores agitat, atque attenuat, aut fluxiles præter naturam reddit, siquidem vehementer omnia dicta operatur; sicque calor iste ad sensum multum molestat, aut actis nimis, atque molestus persentitur febris ardens, aut nimis intensa vrget, humores non solùm agitantur, atque attenuantur, vt antea, sed resolvuntur, & corpus gracilescit, atque tabescit: vnde sitis ingens, aut implacabilis; vrgent vigiliæ, & febricitantium inquietudo, tandem calor intensus in quarto gradu vrit, vt ignis, atque schatas facit in corpore, & denique interimit laborantem, aut subjectum, veluti venenum omnino contrarium; quare verissimum est quòd intensio qualitatum per additionem gradus ad gradum quo magis intenditur, eo magis manifestatur sensibus, & eo maioribus signis dignoscitur; quæ verò intensio qualitatum fit per radicationem earum in subjecto, non ita sensibiliter percipitur, sed è contra quidem quo magis radicatur, eo magis occultatur, atque magis insensibilis redditur Medicis.

118 Cur autem illæ qualitatum intensiones sensibiles sint valde, & è contra si quæsieris. Respondetur quia longè aliter, vel è contrario modo afficiunt natura, aut disponitur in dictis intensionibus: longè enim deterius disponit naturam intensio qualitatis per maiorem radicationem, quàm quæ fit per additionem gradus ad gradum: nam illa quidem non tam alterat naturam quàm dejicit, vel abjicit, atque superat, vel interficit: ista verò naturam agitat, aut molestat, atque excitat ad pugnandum, expellendumque quod se molestat, atque irritat; sed ea non convincit, imo ipsa illis validis alterationibus aut agitationibus nititur contrarium evincere, vt qualitatem intensam à qua molestatur, & quidem eo magis quo qualitas est magis intensa. Sed dices: si ista qualitas, quæ in gradibus intenditur, & petit hanc intensionem vehementissimè agitat naturam, atque molestat, non sic eam dejicit, aut superat, aut devincit, quomodo illa quæ nihil horum facit dejicit prorsus naturam, atque in totum vincit? Respondetur, quia illa etsi nimis intensa sit, non est facta, aut hectica facta in subjecto, aut habituata in illo, sed solùm est in fieri, aut in dispositione, vel habitudine; ista autem est facta, sive in subjecto jam radicata, & vt habitus fixa in illo, atque difficilè mobilis ab eo: at qualitas facta, sive hectica, aut fixa, radicatave in subjecto viventi, devictam habet jam naturam, aut indicat, aut supponit: nam si non evincitur natura ipsa, impedit talem habitum, aut radicationem in subjecto, cùm ipsa natura ibi sit sita, sitque contraria illi qualitati, atque radicationi ejus in tali subjecto: onde calor hecticus, etsi in gradu sit pusillus, & sæpe veluti naturalis, quia tamen est factus, aut in subjecto viventi fixatus, aut radicatus, & quasi naturalis illi factus, idcirco quo magis radicatur, aut hecticus efficitur, eo magis naturam viventem dejicit, debellat, aut interficit, atque à subjecto expellit tanquam sibi contrarium: & inde etiam provenit, sive ex naturæ defectu, quòd tum alia omnia symptomata, quæ antea erant remittantur, tumet ipse calor febrilis: nam vnà cum aliis etiam calor febrilis expirat, ait Gal. 3. *de crisibus*, *cap.* 9 & vigore soluto vitali, subito febrilis calor dissolvitur, aut deficit, non aliter atque in crisibus bonis, cùm natura robusta vincit in totum, atque expurgat febrem, & eius causas; ex his etiam evenit quòd sæpe in febribus malignis videamus multa & mala symptomata, quibus incipiunt & per aliquos dies stipantur, quæ tamen de repente, & sine signis veræ solutionis evanescunt, ac febres ipsæ remittuntur, aut cessant in totum, quia ab his febribus natura devincitur, quia massa sanguinaria funditur, & exsolvitur, atque consumitur, vt latiùs *in fine libri* dicemus agentes de talibus febribus malignis, & earum curatione.

Itaque febres hecticæ atque ardentes, etsi omnes possint æquè intendi, tamen inter se non possunt benè comparari, neque bene potest doceri quæ earum sit intensior, cùm febris hectica intendatur, aut hectica fiat per radicationem in subjecto, & febris ardens per additionem gradus ad gradum; quod ergo in quæstione proposita rectè possumus dicere, atque statuere, est quòd cùm febris ardens sit calor vehemens, vel intensus valde, cum siti inexhausta, & linguæ 119

ſiccitate erit intenſa in tertio gradu, ſiquidem calor intenſus in tertio gradu, vt antea dicebamus, eſt qui vehemeoter corpus calefacit, & ſubſtantiam eius tennem reſolvit, atque diſſipat, ſicqne ſitim infert intolerabilem, & ſiccitatem corpotis ae linguæ: at febris hectica quæ incipiens dicitur ſolùm in quinto gradn radicata invenitut in corpote, & media in ſecundo gtadu radicationis: quare ſolum hectica conſnmmata poterit dici æqualis intenſionis cum ardente, cùm hæc ſit in tertio radicationis gradu intenſa, veluti ardens; ſed neque ſie ſunt æquales, ſed valde inæquales, quia etſi febris ardens eſt intenſa in tertio gradu, non tamen eſt in tertio gtadu pτæter naturam, qoia primus gradus eius intenſionis eſt naturalis; & ideo ſolum in duobus gradibus eſt præternaturalis febris atdens, quamvis revera ſit calida in tertio gradu intenſionis ſupra mediocritatem, aut ſupra natutam temperatam, ac verè mediam: febris autem hectica conſummata non ſolum eſt in tertio gradu radicata, ſed & in tertio eſt pτæter natutam; & ratio eſt, qnia primus eius radicationis gradus eſt præternaturalis, vt patet in hectiea incipiente: vnde in hecticis omnes earum gradus intenſionis ſunt morboſi, & per conſequens hectica in tertio gradu eſt extrema, ultra quam non datur alia febris; at febres ardentes non ſunt extremæ, quamvis ſint vehementes, & in tertio intenſionis gradu completo conſiſtentes; ſed ſupra ardentes ſunt aliæ, quæ in quarto gradu ſunt intenſæ, ſive à mediocritate recedentes, & ideo iſtæ non modo eorpus vehementer calefaeiunt, vt ardentes, ſed adurunt, ſeharas faeinnt in carnibus, & calorem nativum veluti veneoum io totom extinguunt, aut conſumunt; & merito: nam in intenſione iſta qualitatum per additionem gtadus ad gradum, de qua loquimur, cùm primus gradus intra limitem ſanitatis contineatur, ſolus quartus gradus eſt extremus præter naturam, veluti hectica tertij gradus eſt exttema, & febris ardens, quæ eſt in tertio gradu intenſa, erit ſolum in ſeeundo gradu intenſa præter naturam, velnti hectica media, & denique febres omnes humotales, aut puttidæ continuæ, quæ nondum accedunt ad gradum ardentium, erunt in ſecundo intenſionis gradu calidæ, ſed in primo præter naturam, aut morboſæ vt hectica incipiens: quare febris hectica ſaltim his modis poterit eſſe æqualis, aut inæqualis caloris cum ardente febre, & non ſolum cum ardente, ſed & cum omnibus aliis febribus.

120 Sed eſt hie notandum benè, quòd licèt febres hecticæ poſſint, vt eſt viſum, eſſe æquales cum humoralibus, tamen neque ſic ſunt verè ſimiles, id eſt neque ſic lædunt naturam noſtram æqualiter, ſed inæqualitet quidem, & non parum; eùm enim febris hectica fiat talis pet radicationem caloris febrilis in ſubjecto viventi, ſive in bumido radicali, aut in ſubſtantia humida caloris inſiti in partibus corporis vivennbus, hinc cooſequenter provenit quòd febris hectica quælibet ſit, lædat cotporis actiones, aut interficiat laborantem per dicti humidi radicalis, atque inſiti caloris nativi conſumptionem, aut reſolutionem; etſi enim calor hecticę intenſione ſępè ſit parvus, aut minoris gradus, tamen quia eſt factus jam, aut in ſubjecto radicatos, ſie quidem dictum humidum valet abſumere, ae deſiccare, aut reſolvere, eùm etiam febres humorales ab hecticis diffetant ſubjecto: (non enim ſubiectantor in dicto ealore nativo inſito, ſed io ipſo influente) hinc etiam provenit quòd febres humorales, etſi ardentes ſint, id eſt calore ſint vehementes, aut multum magis intenſæ quàm hecticæ, non tamen ideo magis lædaot eæteris paribus, ſed minus: vt enim febres hecticæ calore ſunt puſilles, aut parvæ, ita hnmorales, ſi non ſuffocantur, ſunt multi calotis, aut multum magis intenſæ, quàm calor naturalis; quod quamvis ita ſit, non ideo tamen tantum lædunt, atque hecticæ, quia febres humorales omnes ſunt ſolum in habitudine, non in habitu, veluti hecticæ, id eſt ſolùm ſunt in facto eſſe ſubjectatæ in ipſis humoribus, à quibus aecenduntur, & in habitudine ſolùm in calore nativo influenti, quem ſic quidem valet multum accendere præter naturam, aut intendere, non tamen tantum, ant conſumere, aut reſolvere, ſicuti hectiea, quæ eſt in ipſo in habitu; & per conſequens minus lædunt naturam, aut dejieiunt febres humorales quàm hecticæ, quamvis intenſione, ſeu gradibus ſint æquales, & quamvis humorales calore ſint intenſiores quàm hecticę.

Sed dices contra ſie: verum eſt quòd febres hnmorales ſunt ſolùm in habitudine in 121
calore nativo, & non in babitu vt hecticæ, ſed etiam verum eſt, quòd vita eſt permanentia, aut conſervatio vtriuſque caloris nativi, tum inſiti, tum influentis; vnde cùm calor nativus influens pereat, aut lædatur non aliter atque inſitus, ſed ambo per eorom ſubſtantiæ humidæ conſnmptionem, ſive exſiccatiooem, vel per talis ſubſtantiæ tum ſuffocationem, tum reſolutionem: cùm inquam hæc ſie ſe habeant, cùmque ſubſtantia caloris nativi inſnentis, dum eſt influens, & intra arterias, aut venas contineτur (nam etiam in maſſa ſanguinaria, quæ eſt in venis infunditur ea caloris nativi influentis quantitas quæ requiritur vt talis maſſa conſervetur vnita ſimul & fluens, ſive per venas diſcurrens ex hepate ad omnes corporis partes nutriendas) ſit ſine comparatione minus reſiſtens conſumptioni, ae reſolutioni, quàm ſubſtantia caloris nativi inſiti; hæc enim eſt loogè magis viſcida quàm influens, & ideo multum magis reſiſtens tum conſumptioni, tum reſolutioni: hinc neceſſariò concluditur, dicendo quòd febres bumorales, præſertim ſi ſint ardentes, poterunt conſumere, aut exſiccare, aut reſolvere ipſam ſubſtãtiã caloris nativi influentis, in quo ſunt in habitudine, ſicuti hecticæ mediæ conſumũt, aut exſiccant, aut reſolvunt carnes totius corporis,

&

& per consequens saltem hac ratione febres humorales erunt hecticis æquales in læsione
122 naturæ, velnti in gradibus, aut in intensinne.

Respondetur quòd febres humorales ardentes, aut aliæ similes, veluti acutæ possunt consumere, aut resolvere dictum calorem nativum influentem, maximè si per aliquos dies intensè durent: non enim natura nostra potest diu noxam maguam sustiuere; tamen neque sic istæ febres lædunt æquè ipsam naturam, atque hecticæ: nam hecticæ cùm sint factæ, seu in ipsa substantia caloris nativi radicatæ, aut subsistentes; sic quidem intrinsecè, atque essentialiter totam substantiam dicti caloris nativi insitam, atque influentem conterunt, aut resolvunt, & non hanc solum, sed & substantiam carnium, vt quæ in sui conservatione dependet ab ipso calore nativn insito, vt supra dicebamus: at febres hecticæ dictæ humorales non sic lædnnt naturam, sed tantum dictam influentem substantiam nativi caloris, ad cuius consumptionem, aut dissipationem, quamvis sequatur sitis inexhausta, & linguæ ariditas, & quæ inde in carnibus accidit consumptio, atque extenuatio: nam & etiam carnes corporis gracilescunt, atque tota corporis corpulentia emaciatur sensibiliter ex defectu caloris influentis; quia tamen sic substantia solida insita caloris nativi non ennsumitur, aut solvitur; sed servatur adhuc illæsa, nisi tales febres humorales transeant in becticas, aut tamdin durent, quod non solùm dictum influentem calorem possint consumere, aut exsolvere, sed etiam insitum partium solidarum, quod raro accidit, & nonnisi postquam influens est jam consumptus; quia inquam hæc ita se habent, idcirco dicimus consequenter, quòd natura nunquam læditur æqualiter à febribus humoralibus, aut quæ sunt solum in habitudine, quamvis sint ardentes, atque læditur
123 ab hecticis, etsi ad tactum sunt parvæ.

Hic rursus sic dices; experientia quotidiana comperimus quòd febres humorales acutæ & ardentes, atq; aliæ multæ similes sunt sæpe lethales, multosq; interficiunt febricitantes, & quidem intra paucos dies, nempe intra 14. aut 20. diem: quare istæ erunt æquè malæ aut lædentes nostram naturam, atque hecticæ, imo & pejores, cùm becticæ mortales solùm post longum tempus vitam adimant. Vt rectè respondeatur est advertendum, quòd vt supra dicebamus calor nativus, tum influens, tum insitus, vt qui vnus est, ac idem petit, aut læditur eisdem modis, vel quia exsiccatur, sive consumitur; (cùm enim sit humidus, sanè vel ex ipsa humiditatis natura potest siccari, aut in dies necessariò siccatur, atque consumitur, cùm ex Arist. humiditas semper sit fluida, aut semper cedat termino alieno, nempe siccitati, vt ait ipse Arist.) vel quia resolvitur, sive vacuatur, vel quia suffocatur. Notandum etiam est quòd calor nativus à febre hectica non potest suffocari, sed tantùm exsiccari, aut resolvi; & ratio est, quia febris hectica est nuda qualitas calida, sive intemperies sine aliqua materia: quare nequit suffocare: nam suffocatio est interitus, aut extinctio caloris nativi ex abundantia, aut densitate materiæ, citra siccitatem aut vacuationem aliquam: sed manente substantia suffocata talis caloris nativi, at à febribus dictis humoralibus non modo potest calor nativus exsiccari, aut consumi, atque vacuari, aut resolvi, verùm etiam suffocari, quia tales febres sunt intemperies materiales, & per consequens sunt temperie calida, aut calida simul & sicca, veluti est febris ardens, possunt vt febris hectica consumere, aut resolvere calorem nativum, & sua materia humorali poterunt ipsum suffocare, & quidem dupliciter, nempe vel sua copia, vel densitate. Tandem est notandum quòd cùm natura nostra diu magnam noxam sustinere nequeat, sed omne vehemens sensibile destruat sensum, seu potentiam sentiendi; cùm etiam febres humorales, præsertim acutæ, sint vehementes, habeantque multa symptomata vehementia, ex his consequenter provenit quòd febres humorales, quamvis in se sint minus malæ, aut lethales, quàm hecticæ, multos interficiant laborantes, & quidem breviter, siquidem bonum sit ex integra causa, & malum ex quocumque defectu; atque proinde febres dictæ humorales acutæ sunt lethales, seu mortiferæ, non solùm quia sunt calore præter naturam vehementes, sed etiam habent simul multa vehementia symptomata, quæ nihilominus quàm ipsa febris sunt lethalia; at nentrum istorum in hecticis reperitur, etiamsi hecticæ sint extremæ; non enim in hecticis dantur symptomata lethalia, aut quæ vrgent naturam, cùm hecticæ non sint febres materiales, neque calore sint intensæ, vt humorales, sed radicatione; & ideo paucus earum calor, etsi sit extremus, ac valde præter naturam, nequit aliter interficere, quàm sensim cõsumendo, aut resolvendo substantiam nativi caloris, tamen semper febres hecticæ sunt cæteris paribus longè pejores quàm humorales, vt quæ essentialiter devastant magis nostram naturam quàm aliæ humorales acutæ aut ardentes, aut similes, quamvis istæ quoque sint lethales, & longè citius, atque multis pravis symptomatibus interimant quàm illæ.

Habemus jam quid sit febris hectica, & 124
in quo, ac quomodo ab aliis febribus differat, quæ non sunt hecticæ: quare nunc ad magis proprias differentias febrium hecticarum explicandas accedamus; etsi enim febris hectica species proprias non habeat, in quas dividatur, cùm sit demonstratum quòd hectica in solo calore præter naturam facto consistit, tamen neque ideo destituitur differentiis aliquibus, penes quas possit dividi; imo & debet distingui curationis gratia, cùm penes illas curatio sit varia: quæ enim febris hectica est extrema, nullam admittit curationem, vt suo loco videbitur; bectica verò incipiens curatur, & quidem non difficilè: hectica autem febris, quæ media est

inter dicta extrema curatur magis, aut minus difficulter, prout magis accedit, aut minus ad extremam, omninoque incurabilem: quare nos nunc has febris hecticæ differentias explicandas aggredimur; sic ex natura rei philosophantes: cùm febris hectica, vt & quælibet alia in calore præter naturam jam facto consistat, specifica aut essentialis eius differentia ex vno duorum necessariò desumitur, scilicet vel ex diversitate partis, aut subjecti cui inhæret, aut ex diversitate modi quo operatur in eo; cùm enim omnis calor sit accidens, necessariò supponit subjectum cui inhæreat, & per consequens ex diversitate subjecti calor febrilis proprias differentias habere poterit, vt patet cùm dividitur febris in diariam, putridam, atque hecticam: similiter cùm calor sit qualitas per se operativa, calor etiam febrilis ea diversitate modi quo operatur in subjecto poterit dividi, aut habere proprias differentias, in quas dividatur, etiamsi ipse calor sit vnicus in specie in omnibus illis variis operationibus: vnde Medici febrium hecticarum differentias sic distinguunt, quamvis non omnes eodem modo, sed alij potius ex diversitate subjecti, alij è contra ex diversitate operationis ipsius caloris febrilis in subjecto. Aviceniſtæ enim omnes ea diversitate subjecti hecticas dividunt in incipientes, medias, atque consummatas, veluti omnes febres in diarias, putridas, atque hecticas: dicunt enim in partibus solidis dari tres diversas substantias humidas, quas vocant, ros, cambium, & gluten, quasi dicas cum Gal. humidam substantiam roseam, atque roris ritu per partes carnosas corporis sparsam ad nutritionem earum, & humidam substantiam carnium, atque adipis cambium vocant illi, & gluten, sive glutinosam illam, ex qua partes spermaticæ, ac verè solidæ nutriuntur: vt ergo tres istæ humiditates, inquiunt, dantur in partibus solidis, ita penès illas hectica febris dividitur in incipientem, mediam, aut consummatam, quia prima consumit rorem cui inhæret, secunda cambium, & tertia gluten. Hæc Aviceniſtæ.

125 Quæ vt magis pateant, ac vera Gal. doctrina faciliùs intelligatur, advertimus, vt supra est dictum, quòd in partibus viventibus, & in qualibet earum dantur quatuor diversæ substantiæ, tresque partes ipsas viventes constituunt, atque componunt, solida, carnosa, atque vitalis; & quarta alimentalis, sive substantia illa sanguinea, quæ in hepate ex chylo, sive j alimentis genita, inde per venas distribuitur ad omnes & singulas corporis partes viventes ad eas alendas, vel vt tales partes ex tali substantia sanguinea, atque alimentitia nutriantur, ac conserventur, imo & restaurent, quod in dies de propria substantia vivente perdunt, aut inaniuntur. Advertimus etiam quòd hæc alimentalis, aut nutritura sanguinea substantia est multiformis, vel consideratur multis modis à Gal. & Avicenna: nam inprimis Gal. vt vidimus *lib. 7. cap. 6.* eam dividit in quatuor diversas differentias, aut status; dicit enim quòd vna est sanguis ipse in exilibus venis cuiuscumque partis contentus, vt inde extravasatus imbibatur in poris talis partis, ad eam rigandam, atque alendam; altera ergo substantia nutritura est, ait Gal. cùm dictus ille sanguis in venis cuiuscumque partis contentus, & extravasatus totis instar spargitur per totam substantiam partis, sicque imbibitur, atque insumitur in illa, veluti aqua imbibitur in terra, quam irrigat: rursus hanc roridam substantiam, vel sanguinem nutrimentalem in partibus viventibus imbibitum subdividit Gal. in duas, in eam scilicet ex qua concreta, aut sibi conjuncta, atque adhærens, concrescunt carnes, aut partes carnosæ, & adeps, ac verè solidæ nutriuntur, vel augentur; & in aliam ea qua partes spermaticæ, ac verè solidæ nutriuntur. Avicenna autem prima substantia omissa, vt quæ in venis adhuc contenta non poterat esse subjectum febris hecticæ, supponit tres posteriores esse subjectū febris hecticæ, quarum primam vocat ros, secundā cambium, & vltimā gluten: sanguis enim qui carnes alit roseus est, & magis purus, ideoque cambium vocatur; qui verò nutrit partes spermaticas, glutinosus est, atque albicans: quare & gluten nominavit Avicenna.

Gal. etiam *hoc in lib. cap. vltimo* videtur in eandem sententiam inclinare, cùm sic scribit: Nam primùm huiusmodi febris propriam partium humiditatem, ex qua nutriuntur depascit; hinc verò ad carnosum genus transit, quod circa tum fibrosas, tum membranosas partes solidorum corporum hæret, ita deinde ipsas solidas partes depopulatur: sensus enim est, quòd febris hectica dum est incipiens, consumit sanguinem partium nutrimentalem; quæ verò media est depascit ipsum carnosum genus; & denique quæ est consummata depopulatur, sive exsiccat solidas ipsas partes viventes, scilicet membranosas, atque fibrosas, quæ sunt verè solidæ, & ipsarum carnium quasi subjectum, ac firmamentum: siquidem in singulis partibus viventibus reperiuntur dictæ substantiæ, v. g. in vena: vena enim vnam habet tunicam, & eam tenuem, in qua tamen fibræ multæ inveniuntur dispersæ, & inter se contextæ, vt quæ in telis araneatum textæ videntur; quibus quidem vtriusque ipsa propria venæ caro, sive substantia adnascitur. Itaque cùm in partibus viventibus solidis dentur non solùm partes membranosæ, atque fibrosæ, quæ sunt verè solidæ, sed etiam carnosæ, aliæ in aliis: nam quælibet pars vivens suam propriam habet substantiam carnosam, & insuper sanguis, sive humiditas sanguinea ex qua nutriuntur: sit consequenter, ait Gal. quòd in febribus hecticis, vt quæ sunt morbi, atque passiones earum, consumantur, aut exsiccentur tales substantiæ, etsi non omnes simul, sed ab incipiente humiditas, ex qua nutriuntur, à media carnosum genus; & denique ab extrema, quæ dicitur marasmodes, partes spermaticæ, 126

ſpermaticæ, ſive fibroſæ atque membranoſæ: hæ enim cùm ſint verè ſolidæ reſiſtunt magis multo conſumptioni, atque exſiccationi quam carnes, veluti carnes quàm humiditas à qua nutriuntur, & ideo calor febris hecticæ prius depaſcit dictam humiditatem nutrimentalem, poſtea carnoſum genus, & tandem partes verè ſolidas reſiccat: non enim has valet conſumere, vt carnes, ſed ſolùm exſiccat, quia ſunt tales, vt quem ſemel ſubſtantiæ modum adquirunt, ſemper ſervant. Vnde nunc Galenus in eo ſolum ab Avicenna differt, quòd iſte ſolùm ſubſtantias alimentales ponat ſubjectum febris, ille verò omnes ſubſtantias partis viventis.

127 Sed nota quod quamvis in præſenti libro ita de differentiis febris hecticæ differit, primò tamen *de differentiis febrium, cap. 9.* aliter Gal. eas explicat, & ſanè melius: ibi enim ſupponens quòd febris hectica, vt & quælibet alia eſt caliditas nativa in igneam converſa, ſive paſſio caloris nativi inſiti partium corporis viventium, conſequenter ex hac caloris nativi paſſione, vel alteratione, quam patitur, à dicta febre colligit huius differentias: non enim æqualiter patitur ſemper dictus calor à febre hectica, quàm ipſa ſit æqualiter facta, ſive introducta in illius ſubſtantia; cùm enim primùm, ait Gal. cordis corpus à naturali temperie diſcedit, neque nativus humor protinus aboletur, neque facultas debilitatur, ſed primùm veluti quædam ebullitio fit dicti humoris. Deinceps conſumptio quædam ipſius ab ebullitione: quare in prima ſpecie hecticæ, ſive in hectica incipiente ebullit quidem dictus calor nativus, ſive illa humida ſubſtantia nativa, quæ innata, atque imbibita reperitur in vnoquoque corpore, ſive in vnaquaque parte vivente, ſparſa ſcilicet per loca media, ſive per poros partium ſimilarium, ſive fibroſarum, & carnoſarum, quæ componunt talem viventem partem corporis: vnde tamdiu febris hectica eſt incipiens, quamdiu in ea nativus dictus humor ſolùm ſervet; cùm verò ex fervore jam conſumi incipit, deſinit eſſe incipiens, tranſitque in mediam: hæc autem eo vſque durat quoad durat conſumptio, quovſque, ait Gal. aliquid ſervatur, illius hectica febris tamen eſt, nondum tamen maraſmodes; & per conſequens eſt febris hectica media: vbi verò prope jam eſt, inquit, vt nihil, id eſt ferè nihil huius humoris ſuperſit, exquiſitus maraſmus conſiſtit: vnde hecticarum febrium affectus difficillimus omnium eſt, vbi principij tempus præterivit.

128 Itaque in prima ſpecie febris hecticę ebullitio quædam caloris nativi fit, & conſumi incipit, ſed parum, vtpote facultate nihil adhue perpeſſa, & per conſequens in hac neque carnes viventes deficiunt, neque ſolidæ ſiccantur, deinceps autem, cùm ab ebullitione conſumptio fit, iſtaque non parum progreditur, ſed in ea ſatis multum caloris nativi conſumitur, tunc jam febris hectica eſt media, in eaque etiam ſimilaria corpora, carnes potiſſimùm, quæ veluti elementa cordis ſunt, atque aliarum corporis partium viventium, ſicciora redduntur, & minus alimenti ſumunt quàm antea; ideoque facultas tantùm debilitatur, quantum ſiccitas & caliditas invaluerunt; quorum alterum ſufficiens erat, ut exſuperans infirmam redderet facultatem; tandem cùm ab ebullitione conſumptio caloris nativi plurimùm jam eſt progreſſa, & ferè in totum calor ipſe nativus inde jam eſt conſumptus, tunc hectica in maraſmodem tranſit, ſive in illam quæ penitus ſanari nequit, vtpote in qua oculi ſunt concavi, tempora collapſa, naſus acutus, & alia ab Hipp. 1. Prognoſticorum relata, quæ extremam ſiccitatem, & partium omnium corporis conſumptionem ſignificant. Sed dubitatur hic, cur febres hecticæ, mediæ, aut maraſmodes, ſeu conſumptæ, aut conſummatæ coincidunt cum carnium ac partium ſolidarum abſumptione, aut ſiccitate notabili, ſi neque carnes, neque ſolidæ partes ſunt ſubjectum in febribus hecticis, ſed ſolùm calor earum nativus, ut hucvſque dictum & expoſitum eſt.

129 Reſpondetur facile, quia cùm calor iſte ſit earum naturâ vivens, & à quo toto tempore vitæ conſervantur, fit conſequenter, vt cùm iſte deficit aut exſiccatur, & illæ deficiant, vel ſiccentur: quare benè dicit, ac docet Gal. loco citato 1. *de differentiis febrium, cap. 9.* quòd calor nativus inſitus cordis & aliarum corporis partium viventium, eſt ſubjectum, & qui patitur in omnibus febribus hecticis, & in earum qualibet, quamvis inter illas detur mira diverſitas, aut differentia ex varia & ſola alteratione, vel paſſione proveniens, quam patitur dictus calor naturalis à febrili earum calore: vnde & *in præſenti lib. cap. vltimo* cùm dicit Gal. quòd febris hectica primùm propria, partium humiditatem, ex qua nutriuntur depaſcit, de incipiente loquitur; & cùm proſequitur dicens: hinc verò ad carnoſum genus tranſit, mediam intelligit, vt tandem vltimam, ſive maraſmodem, cùm concludit, ac dicit: ita deinde ipſas ſolidas depopulatur: nam re vera hectica incipiens, ſive in qua nativus viventium partium calor iam præter naturam factus eſt, quamvis tunc ſolùm ferveat, cùm tamen ſit in igneam iam mutatus temperaturam, nequit benè partes nutrire, neque ſanguinem nutrimentalem conſervare, ſed attenuativa febre abſumi permittit; ſimiliter hectica media carnes corporis conſumit, cùm in ea calor dictus nativus qui eas generavit, amplius conſervare nequeat, jam nimis exſiccatus, vel deficiens ab ipſa febre, aut calore febrili hectico, tandem in hectica maraſmode omnes partes viventes vſque ad ipſa oſſa ſunt conſumpta, aut reſiccata, vtpote in qua ferè in totum inſitus calor nativus, & eius ſubſtantia humida eſt abſumpta, & per conſequens vtrobique Gal. ſibi conſtat, &

eadem

eadem dicit, quamvis non eodem modo, sed diverso, vt sic magis rei veritas & dictæ differentiæ intelligantur.

De causis & signis febrium hecticarum.

130 Explicatis essentia & differentiis febris hecticæ, de causis & signis venit agendum, vt his præhabitis, inde tandem curatio rationalis, aut scientifica, ac vera habeatur: medici enim rationales tanquam vltimum finem, ait Gal. curationem morborum sibi proponunt, hancque primò, ac per se exquirunt; dignotionem verò, aut prognosticum non per se, sed propter curationem; & quia cognitio morbi est inventio remedij & causarum eius, quibus curatur, vt communiter dicitur: quare & in hecticis febribus, post earum essentiam, ac differentias, causas etiam ipsarum aggrediamur explicandas: nam tametsi in hecticis causæ curationem non indicant, eo quòd hecticæ febres sunt à causis independentes; quia verò modum in passo relictum demonstrant, qui ad prognosticum pertinet, & ad ipsam curationem, idcirco etiam causæ febrium hecticarum sunt necessariò explicandæ, antequam istarum rationalis curatio tradatur. De causis igitur febris hecticæ nunc dicturi, supponimus quòd febres hecticæ aliæ à principio invadunt, vt sæpe dictum est ex Gal. & aliæ alias sequuntur febres, aut morbos alios præcalidos, vt febres ardentes, aut internas inflammationes, ita hecticæ febres, quæ alios morbos, aut febres sequuntur, causas habent dictos morbos, à quibus oriuntur; hecticæ verò quæ à principio invadunt, à causis fiunt externis, veluti febres diariæ; verùm non eodem modo agentes, &c. sed certo, ac peculiari modo quodam: quippe solùm febrem hecticam inferre sunt aptæ, quæ multum substantiæ humidæ à membris solidis, ac partibus viventibus evacuant, atque ipsum calorem nativum ebullire saltem faciunt, vt sunt quæ plurimum calorē corpori inferunt, vel continua actione per multum tempus corpus calefaciunt; sic enim calor fixus, sive hecticus imprimitur in corporibus dispositis, & quæ prona sunt ad calidas ac siccas alterationes concipiendas, vt sunt corpora gracilia, temperamento calida, ac sicca, in quibus humores sunt tenues, atque præcalidi, potissimùm sanguis & bilis, maximè si vires non habeant ad resistendum idoneas, atque robustas.

131 Sed vt dicta benè intelligantur, est advertendum, vt magnus noster Ludovicus Mercatus advertit, quòd etsi temperamentum corporis calidum ac siccum, vel biliosum dicitur esse dispositum ad febrem hecticam promptè concipiendam, non ideo tamen quælibet corporis siccitas, neque habitus corporis gracilis est semper idoneus ad suscipiendum calorem hecticum, nedum febrem aliam, vel calorem præter naturam: quæ enim summè sicca sunt, vt cinis, calorem habitualem nequeunt sustinere, sed è contra calorem antea conceptum deponunt, atque refrigerantur, vt in senibus experimur: est etiam notandum quòd neque corpora per excessum frigida & humida, atque aquosa abundant humiditate, afficiuntur febre hectica, quia revera aquea hæc humiditas, si naturalis est, non putrida, vel aliter corrupta ignem extinguit, & calorem nostri corporis potius temperat, aut remittit, quam accendit, vt 4. *de morbis* docet Hipp. Quare etsi corpora nostra sint gracilia, atque carnibus extenuata, vt multoties esse solet; si tamen dicta serosa humiditate non siccantur, sed abundant, hectica febre non corripiuntur, quia talis aquea, aut serosa humiditas impedit febris generationem.

Itaque illa corpora viventia sunt ad fe- 132
brem hecticam concipiendam disposita, ac prona; quæ gracilia fuerint, seu excarnia, & serosa dicta humiditate privata, non tamen nativa, quæ vivens est, atque subjectum caloris febrilis: hæc enim si exsiccatur, aut aliter deficit, ad eius defectum deficit etiam omnis corporis calor, vt apparet in senibus, & in marasmo: senes enim frigidi sunt, & sicci, graciles atque excarnes, quia in eis deficit nativa humiditas dicta, quamvis aliàs abundent aliis humiditatibus excrementitiis, aut naturalibus alimentorum, qualis est humiditas sanguinis: marasmus etiam tabes est, sive valida totius corporis consumptio, atque exsiccatio & frigiditas, orta ex defectu humiditatis nativæ, sive ex defectu substantiæ caloris nativi partium corporis viventium: istæ enim si deficit, omnia siccantur, & frigent necessariò, quia omnia pariter vivunt ab illo, & actu calefiunt, nutriuntur, atque humectantur: vnde quamvis senes sicci & graciles sint, & carnibus careant, vt tabidi, & qui atrophia laborant, aut marcore; non ideo tamen ad hecticam sunt dispositi, sed eò magis inepti, quò magis senuerunt, & inde magis tabescunt, aut graciles magis fiunt & excarnes, quia in eis deficit calor nativus, & eius humida substantia radicalis, ad cuius defectum sequitur, necessariò non quidem febris aliqua, sed positiva frigiditas, vt quotidiana docet experientia; quæ autem corpora sicca sunt, ex defectu carnium, & aliorum humorum nutrimentalium, ac serosæ humiditatis, non verò humiditatis nativæ, vt corpora biliosa maiori ex parte esse solent, sive ex sua natura, sive ex exercitiis, aut aliis causis desiccantibus talia sint reddita, prona sunt quidem ad febrem hecticam suscipiendam, cùm in eis non deficiat humiditas nativa, quæ facilè inflammatur, aut ardet, potissimùm si serosa humiditate, & humiditate carnium atque alimentorum continuò non irrigatur, attemperaturque: corpora enim biliosa, etsi sicca sint, non sunt vt cinis summè sicca, vel valde prona ad febrem hecticam suscipiendam, cum

aquea

aquea humiditate, atque humorum careant, manente nativa insita, quæ habitualem calorem facilè valet conservare. cùm sit substantia lenta resinosa: quia enim hæc humiditas nativa aërea est, ac cerea, aut resinosa facilè inflammatur, & quia lenta diu retinet calorem.

533 His sic expositis, atque suppositis & prænotatis, accedamus jam ad causas febrium hecticarum explicandas. Cùm demonstratum ergo sit quòd corpora biliosa sunt præ aliis magis prona, aut ex se disposita ad febres hecticas suscipiendas, quia sunt plus satis calida & sicca, gracilia, seu excarnia, & aquea alimentorum humiditate carentia; cùmque ad hunc malum concipiendum disponant talia corpora, non modò causæ externæ multum calefacientes, atque exiccantes, vt exercitationes multæ, atque multùm continuatæ, inediæ, aut abstinentia alimentorum, immoderatæ vigiliæ, solicitudines, studia, & istiusmodi; sed & insignes, aut diuturnæ evacuationes corporis, sive vniversales sint, vt quæ per ventrem fiunt inferiorem, vel per sudorem, &c. sive particulares, vt ex pulmone; tum & etiam febres ardenteæ, aut aliter acutæ, & quæ tenues sunt, aut debiles, sed diuturnæ multùm; consequens est quòd istæ omnes sunt pariter causæ febrium hecticarum: vt enim ingentes, vel diuturni labores, vel solis vstiones & inediæ multæ, vel nimis continuatæ, & mœrores, aut tristitiæ ingentes, & curæ, aut studia immoderata, non solùm corpora nostra calefaciunt, sed multùm exsiccant, atque membrorum copiosam humiditatem exhauriunt, sicque in biliosis febrem hecticam facilè producunt. Ita quidem & febres ardentes, aut acutæ, & magnæ partium internarum inflammationes easdem solent inducere febres, quia in his liquescit præ nimio calore carnosa partium substantia rorida, quæ alimentorum humiditas resolvitur, vel evaporatur, vel aliter consumitur; tuncque calor febrilis solidas partes invadit, eatumque humiditatem nativam præter naturam accendit, & sic brevi tempore habitualis efficitur, si statim non rectè curatur; hæc eadem faciunt febres diuturnæ, etsi lentæ sint, non acutæ: quare & hæ febres hecticas sæpè generant; tandem & evacuationes largæ, sive sint totius corporis, sive vnicus tantùm partis, vt quæ sequuntur vlcera insanabilia pulmonum, vel hepatis, aut ventriculi, aut renum, vel vesicæ, non solùm corpora exsiccant, aut tabefaciunt, sed multoties etiam febres hecticas excitant, & consequenter verum est quòd omnes dictæ sunt causæ febris hecticæ.

534 Sed dices: benè intelligitur quòd febris hectica oriatur ex febribus ardentibus, aut aliis morbis multùm calidis, aut quæ multùm possunt calefacere, atque exsiccare nostrum corpus; & similiter intelligitur benè quòd ab immoderatis exercitiis, & ab vstione excessiva solis excitetur febris hectica, vt quæ sint causæ à quibus nostra corpora multùm ignescunt, atque exsiccantur; non tamen ita benè intelligitur quòd febris hectica nascatur ex multis, atque largis evacuationibus corporis vniversalibus, aut particularibus, vt neque ex vigiliis immodicis, neque ex mœroribus, aut studiis diuturnis: nam quamquam ab his causis corpora multùm exsiccantur, aut gracilescunt, non tamen ideo multùm incalescunt, sed sæpè manifestè refrigerantur, vel frigida simul & sicca ex dictis causis, atque evacuationibus sensibiliter redduntur; & nihil mirum, quia ratio persuadet quòd vnà cum dictis materiis, quæ vacuantur, solvitur etiam corporis calor, atque evaporatur, & per consequens frigescit corpus; non autem ignescit, aut caliditas redditur. Respondetur esse verum quòd non semper ex dictis evacuationibus accenditur febris hectica, neque alia vlla febris, aut calor præter naturam, & quòd potest ex eis oriri frigiditas, vt arguitur: hæc tamen non obstant, quia etiam multoties tales evacuationes febres accendunt, & hecticas accendere, aut excitare possunt: si enim ex evacuationibus dictis, & dictis causis calor nativus agitatur quidem præter naturam, fervet, & ignescit, non tamen resolvitur; & quia privatur debita attemperatione, sive debita irrigatione, atque humiditate, quæ evacuatur, & à qua naturaliter conservabatur, ac ab inflammatione arcebatur: si verò ex evacuationibus calor nativus non modò agitatur, aut fervet, sed solvitur etiam, atque deijcitur, vel vnà cum aliis corporis humiditatibus naturalibus exsiccatur: tunc sanè corpus refrigeratur, & febris omnis extinguitur, quia deficit suum subjectum: vnde ex evacuationibus alias accendere febres, alias eas curare, aut minuere experimur passim in opere practico, quamvis causam non semper advertimus: si enim quod quod evacuatur est causa morbi, aut quod redundat, juvatur animal, ait Gal. *4. aphor. com. 22.* si autem quod excernitur est symptomaticum, præterquam quod nihil juvat, pravæ dispositionis est signum, saltem læsionis dictæ caloris nativi; conturbatur siquidem tunc, aut exsolvitur, vel aliter dejicitur potius quàm levatur, aut liberatur ab onere, vel sarcina humorum aut excrementorum qua premitur.

Sed jam tandem de signis agamus febris hecticæ, vt his positis ad pensum redeamus, sive ad Textus expositionem: de his ergo signis acturus Gal. *1. de differentiis febrium, cap. 8. vsque ad vltimum*, tradit etiam modum, vel modos quibus febres hecticæ generantur, & qua ratione differunt ipsæ hecticæ inter se, & quòd habent alia signa si sunt solæ, atque habent, si aliis febribus vel morbis copulãtur: quare fieri nõ aliter agitur benè de signis febrium hecticarum; 535
cùm enim febres hecticæ immateriales sint, sive in qualitatum alteratione tantùm consistentes, sit inde, inquit Gal. *lib. de differentiis*

ferentiis morborum, cap.5. quòd non facilè ex se cognoscantur, aut cognosci possint, nisi plurimùm à naturali temperamento excesserint; & per consequens indigent aliis rebus multis, ex quibus benè cognoscantur, potissimùm quæ sunt incipientes, & parum recedunt à naturali habitu, & quæ non sunt solæ, sed aliis febribus, aut morbis materialibus complicantur: quare & nos semper vestigia Gal. sequentes, & ex ante actis supponentes quòd hecticæ febres duobus modis generantur, magna quidem ex parte ex ardentibus febribus, aut internis inflammationibus, vel aliis morbis calidis, acutis, aut longis; sed qui spatio temporis cordis corpus consumant; & aliæ statim à principio, à causis externis tantùm genitæ, & quòd tum illæ, tum istæ possunt esse incipientes, vel mediæ, vel consummatæ; & denique quòd possunt consistere solæ, & vnaquæque ipsarum simplex, saltem quæ à principio invadit, & nondum ab incipiente recessit, & etiam possunt cum aliis coniungi, non solùm cum morbis calidis à quibus generantur, sed sine his cum aliis, vt cùm hecticæ coniungitur atrophia, seu carnium corporis defectus, vel tabes, aut marasmus, id est defectus carnium, & solidarum partium exsiccatio: nos inquam nunc hæc omnia cum Gal. supponentes, inde ad explicanda signa accedimus, quibus febres hecticæ, quæcumque sint possunt cognosci, sive solæ sint, & tantùm incipientes, sive aliis morbis complicatæ, quæque difficilè possunt cognosci: agemus autem prius de cognitione febrium hecticarum, quæ à principio invadunt, & incipientes adhuc sunt; deinde de aliis, de mediis, aut consummatis, quæ ab illis succedunt in secundo loco, de hecticarum cognitione, quæ ab aliis febribus aut morbis calidis producuntur, sive sint simul cum his complicatæ, sive non; & tertiò tandem agemus de cognitione febrium hecticarum quæ cum putridis copulantur, vt sic clarius procedamus, & signa singularium febrium, atque complicationum penitus distinguantur.

536 De signis igitur ac cognitione febris hecticæ à principio invadentis, sive quæ à causa externa oritur, statim à principio, & non præcedente alio morbo, quem sequatur, jam acturi, supponamus cum Gal. 1. *de differentiis febrium, cap.9.* cum ex causa procatartica, sive externa fieri possit febris diaria, aut hectica, quòd ab aliqua externarum causarum in corpore cætera omnia bene habente accendantur, vna aliqua febris, v.g. solùm ex vehemente ira, vel tristitia, vel studiis immoderatis in ea quæ in prima die appareant omnia signa diariarum & febris, vsque ad secundum diem extendatur, nequaquam ad infebricitationem desinens, neque vehementior evadens, sed siccior appareat. Si inquam, vt supponimus, febris accendatur (ait Gal.) hanc quidem fere hecticam est suspicandum, præsertim si tertia die nulla febris nova additio facta sit, neque effatu digna diminutio, sed primæ febris exiguæ reliquiæ protrahantur, ac cum squalido corpore, sive sicco permaneant, & calor in prima manus applicatione mitis sentiatur, immorantibus autem diutiùs acris & mordax occurrat: si enim sic omnia fiant & superveniant, febrem esse hecticam existimare debemus: quòd si his additur quòd febricitans qui tempore accessionis, & in suspectis accessionis horis nullatenus de novo accenditur, sed sua pusilla febre æqualis perseverat; cùm nutritur tamen statim vna, aut duabus horis à cibo assumpto manifestò accenditur, & omnibus tangentibus incrementum caloris febrilis fuisse factum sentitur, ac si verè accessionis febrilis esset augmentum; siquidem certò certiùs scimus esse hecticam febrem, cùm hoc quod est ab assumpto cibo febrem manifestò augeri sit signum inseparabile, & maximè proprium omnium febrium hecticarum, & quo hecticæ febres ab aliis omnibus separantur.

Itaque si febris hectica à principio fit, ait Gal. in primo die eius apparent eadem signa, quæ in diariis febribus reperiuntur; etsi enim febris hectica longè differt à diariis omnibus, signa tamen febris hecticæ, quæ à principio statim hectica fit, & non præcedente aliquo morbo quem sequatur, vel à quo oriatur: signa enim, inquam, huius febris hecticæ statim in principio, & in prima die ipsius parum aut minimum differunt à signis febris diariæ: nam in ambabus possunt ea prima die apparere signa concoctionis, in vtrisque etiam calor febrilis apparet moderatus potiùs quàm multus, aut magnus, aut multùm vehemens, vel recedens à statu naturali; rursus ambo fiunt solùm à causis externis, & in corporibus ad contrahendum calorem febrilem dispositis, nempe calidis & siccis: sed cætera omnia benè habentibus in aliis rebus secundùm naturam se habentibus: denique in ambabus in ipso primo febris principio, vel prima die vires laborantis apparent, sine noxa, aut defectu vllo sensibili, & caloris febrilis modus ferè idem; etsi enim in hectica siccus potius sit quàm humidus, tamen neque siccitas in eo primo principio febris hecticæ potest sensibiliter adeo crescere, vt à diaria manifestè evariet: quare verum est quòd in prima die febris hecticæ incipientis, vel à principio invadentis apparent omnia signa, vel eadem signa, quæ in diariis observamus, etsi primariò accendantur spiritus latè dicetur hectica à principio. Cùm igitur febris hectica, quæ à principio invadere hoc modo dicitur in primo die eius habeat eadem signa, atque habent diariæ, & non alia quibus ab eis distinguatur fit hinc, ait Gal. quòd vbi dicta videntur accidere, vt supponimus, necessariò febris terminus, vel transitus vsque in diem sequentem, vel tertium venturum attendatur: si enim febris, quæ vt supponimus fit, sive accenditur intra primum diem, vel spatio viginti quatuor horarum

horatum, non terminatur, vt diariæ febres terminantur, sed vsque ad secundum diem extendatur, seu perseveret, nequaquam ad insebricitationem definens, neque vehementior evadens, sed ficcior appareat; ex his suspicandum est talem febrem fore hecticam, non verò diariam: si enim febris in corpore sano existente ex sola causa externa prægressa accenditur, vt ex diuturna mora in sole ferventi, vel ex immoderatis exercitiis, aut mœroribus, vel vigiliis, aut studiis diuturnis, & talis febris solùm ex spiritibus vitalibus præter naturam accensis oritur, certè diaria est, atque vt talis intra diem & noctem finitur, declinatque, & abit cum sudore aliquo, vel madore per corpus, si verò febris, quæ vt dictum est accenditur, intra diem & noctem non finitur, vt dicimus, sed vsque ad diem secundum extenditur, nequaquam ad insebricitationem desinens, neque vehementior evadens, sed ficcior appareat ad tactum, suspicandum est fore hecticam, quia si diaria fuisset, atque ex solis spiritibus accensis orta, foret suo tempore sedata, atque finita, saltem secunda die; quod cùm non sit factum, conjectandum est non fuisse diariam, sed vel humoralem, vel hecticam, vel saltem diariam, quæ mutata fuit in alteram istarum; sed si fuisset humoralis denuò eresceret, & non ita citò appareret ficcior, vtpote membris non desiccatis: quare si quæ diximus fiant in prima & secunda die febris, hecticam fuisse à principio suspicandum est, vt ait Gal. & magis adhuc si tertia die suspectas accessionis horas (eas saltem in quibus si febris humoralis, est consentaneum accessionem esse venturam, sine cibo ægrum transigere cogeris; & tunc neque additio vlla febris facta fuerit, neque diminutio notatu digna) sed primæ febris exiguæ reliquiæ perseverent, cum squalido corpore, & miti calore in prima manus applicatione, in diuturna autem manus detentione acri, & mordaci, atque sicco occurrente; cùm enim hæc aliis ante dictis consequuntur, hecticam esse febrem existimare debemus, ait Galenus, quia febris quæ in corpore sano, id est secundùm naturam se habente, & sine aliqua lassitudine, vel aliquo apparatu morboso, à quo accendatur, solùm à causa externa procedit, quæque non finitur intra vnicum diem integrum, neque in secunda die augetur, neque in tertia repetit, aut sensibilem accessionem non habet, sed primæ accessionis febris reliquiæ continuantur, & sibi æquales perseverant, & corpus, ac calor febrilis squalida persentiuntur, potius esse hectica inde ostenditur, quòd neque diaria, neque humoralis: vt enim quæ diaria est intra diem & noctem terminatur, ita quæ humoralis excitatur, vel secundo die adaugetur, vel saltem tertio quoque die de novo accenditur, vel manifestas habet accessiones, vt suprà *capite tertio* vidimus, nobisque in particulari illa febricitantis historia docuit

Gal. quare benè dicit Gal. quòd in qua febre omnia dicta coincidunt, eam esse hecticam oportet credere.

Dicit autem existimare oportet, id est, non solùm vt antea, sed credere debemus esse hecticam, cùm dicta omnia in febre contingunt, atque vt est suppositum accidunt, ac supervenient, quia etsi neque ex dictis possumus omnino esse, aut scientificè dicere, hectica est, quia potest esse diaria, & ablata causa externa durare vsque ad diem quartum, vel vltra, ob relatam causam conservantem, vt *lib.* 8. est demonstratum; hoc tamen rarò accidit valde, atque ideo cùm febres accidunt, vt supponimus, esse hecticas credere debemus, ait Galenus, quia ferè semper, ait, tales sunt re vera, & non diariæ, aut aliæ humorales: quare si dictis febribus & illud etiam accidit, quòd ægrotantes quoties cibantur, statim vna vel duabus horis ab assumpto cibo manifestissimè incalescant magis; sic sanè scientificè cognoscitur esse hecticas, cùm hoc symptoma sit signum pathomonicum hecticarum, sive tale quod convenit omnibus eis, solis & semper; atque proinde valdè notandum, & cautè in febribus attendendum, quia multoties, vt docet Gal. decipit multos Medicos, cùm omnibus siquidem hecticis proprium, atque inseparabile sit, ait Galenus, vt ablato cibo calor febrilis accendatur, & pulsus in magnitudinem & velocitatem increscant. Hinc facile fit quòd multi Medici dicant, atque judicent esse accessionem, aut febris putridæ repetitionem minimè laboriosum dictum caloris febrilis hecticorum augmentum: vt enim in aliis febribus, saltem humoralibus solent fieri accessiones, quæ dicuntur minimè laboriosæ, id est, in quibus incertis horis manifestum accidit caloris augmentum, sive eo quòd horror aliquis præcedat, neque extremarum partium refrigeratio, neque inclinatio aliqua ad somnum, aut somnolentia, neque aliqua pigritia, neque aliqua caloris corporis inæqualitas, vel in pulsu, neque denique pulsus aliqua parvitas, aut debilitas, vel aliud quidpiam simile; ita in hecticis post assumptum cibum fit caloris augmentum non laboriosum, & pulsus mutatio dicta in magnitudinem & celeritatem, quæ à multis Medicis judicatur accessio febris putridæ, vel alterius humoralis; & consequenter dicũt tales Medici ægrũ intempestivè fuisse nutritum, nempe in ipso accessionis tempore; sed errant, vt inde colligitur, quòd quovis tempore cibetur æger, accidit incompressum dictum febris incrementum, etsi in hora, aut tempore accessionis non cibetur, & quia durat tale febris incrementum solùm per tempus concoctionis ciborum.

Hic dubitatur ab omnibus, cur in febribus hecticis, & non in aliis vllis, vel alio morbo datur validum dictum caloris febrilis incrementum post assumptum cibum: Galenus respondet, quia squalidus, aut

aut reficcatus hecticorum calor ab humiditate alimenti quasi nottitus revivifcit, atque exscandescit, vt in calce viva aqua irrigata experimur; & quamvis ista responsio multis non placet, mihi quidem satisfacit: constat enim experientia, ait Gal. 1. *de different. febrium, cap. vltimo*, quòd ignis qui in lignis ardentibus accenditur, durat tantum quantum ipsa ligna, quæ ardent, in totum non consumuntur, atque in cinerem degenerant, & similiter quòd in nostris corporibus calor ipse nativus marcescit in senibus, sive minoratur, quia humiditas nativa, qua fovetur, aut conservatur, deficit in illis, aut exficcatur: vnde & in febribus quidem, non solùm in hecticis, sed & humoralibus, si subjectum earum reficcatur, etiam calor febrilis marcescit, atque sensibiliter minor fit, vel in totum extinguitur, vt in cineribus contingit: quare quòd in hecticis febribus pusillus earum calor ex assumpto alimento rigatus, aut nutritus, aut humectatus excitetur, atque augeatur, rationi quidem est maximè consentaneum, cum alimentorum humiditate, etiam in hecticis reparetur, aut nutriatur in quantum potest humiditas radicalis, quæ est subjectum febris; & sic benè dicit Gal. quòd in hecticis ex assumpto cibo augetur febrilis calor, quia calor nativus hecticorum nimis exficcatus, aut aliter minoratus, quasi nutritus cibi humiditate nativa revivifcit, atque augetur vt calx viva cum aqua frigida rigatur, aut irroratur. Sed si hæc ita se habent, cur, dices, in aliis febribus ex assumpto alimento calor febrilis non augetur? Respondetur ex ipso Gal. quòd & in aliis febribus, & cuipiam alteri nutrito pulsus fit maior, atque celerior, & per consequens in omnibus augetur calor, non tamen in omnibus calor febrilis, sed & in hecticis solùm, vtpote quia in ipsis duntaxat calor nativus essentialiter est læsus, sive in facto esse siccus, quamvis non in totum, vt cinis, sed solùm quousque quoad ex alimentis nutritus, aut humectatus possit de novo intendi, veluti calx viva ex aqua frigida irrorata, aut moderatè irrigata; sed latiùs *in manu Medica, lib. de febribus.*

130 Iam traditis signis febris hecticæ incipientis, quæ ex causis procatharticis, sive externis incipit, sequitur agendum de signis & cognitione eiusdem febris, quæ ad mediam, vel consummatam jam pervenit; vt ergo faciliùs intelligantur quæ ad explicanda proponimus, supponamus cum Gal. *loco suprà citato 1. de differentiis febrium*, quòd febrium hecticarum prima divisione duplex est genus, id est quòd febres hecticæ, aut marasmodes sunt, aut non sunt marasmodes, rursus quę non sunt marasmodes sunt aut incipientes, aut mediæ inter incipientes, & marasmodes, atque ita sunt tres differentiæ febris hecticæ. Supponamus etiam quòd quamvis de essentia febris hecticæ non est siccitas morbosa, sed solùm fervor substantiæ caloris nativi insiti cordis, & partium solidarum, atque viventium nostri corporis, vel quòd calor febrilis solutu difficilis in tali substantia de facto introducatur, vt supra est demonstratum. His tamen non obstantibus, ait Gal. essentiam febris hecticæ marasmodes, est siccitas, & quidem morbosa, ita vt hæc extenuatos prorsus homines, atque consumptos supponat, aut consequatur; tum etiam quamvis febres hecticæ omnes siccæ non sint essentialiter, omnes tamen supponunt corpus siccum, & temperamentum eorum calidum ac siccum per excessum; & quidem non omnino parvum, vt hecticæ fiant, & à principio hecticæ evadant. Nullus equidem, dicit Galenus, statim ab initio correptus fuit febre hectica qui corporis habitum habuit humidum, sed qui natura sicciores, & temperamento calidi, vitamque laboribus, vigiliis, ac curis deditam delegerint, tenuique victu vsi fuerint, ac magis si æstas fuerit, & constitutio, aut regio talis; imo & qui ex acutis, vel ardentibus febribus, vel ex internis magnis inflammationibus hectici fiunt, tales evadunt, quia ab his causis per reficcatum eorum cordis corpus calorem febrilem solutu difficilem accipit, sive in facto esse, & per se permanens.

His suppositis, nunc ex eis est advertendũ, vt Vallesius advertit, posse fieri febres hecticas marasmodem, vel mediam, non præcedente hectica primæ speciei, & hoc quidem vel à causis externis, vel ex ardente febre, vel interna inflammatione, vel alia causa interna, non tametsi febris hectica incipiens ab aliis differat, quòd in ea, vel substantia caloris nativi solùm effervescat, vel ex eo fervore solùm humiditas roris, aut sanguinis, atque alimentorum exficcetur, non verò carnes, aut partes aliæ solidæ, vt in hectica media & consummata, seu marasmode contingit, & per consequens, quamvis hectica incipiens possit fieri longè faciliùs, quàm vel media, vel vltima, si tamen antequam febris generetur dicta alia causa tantam cordis, atque corporis totius siccitatem fecerit, quanta in secunda specie febris hecticæ esse solet, incipiet in hoc casu febris hectica media, quin præcedat prima quæ dicitur incipiens, cùm ante hanc nulla febris præcesserit, quæ ebullitionem fecerit in habitu corporis, neque in substantia solida cordis, aut caloris eius nativi insiti, in quo quidem fervore, sine carnium consomptione consistit tamen hectica incipiens, eodem etiam modo, si febris ardens, vel alia acuta, aut interna aliqua inflammatio, antequam calorem nativum insitum cordis ebullire fecerit, vel antequã dictum calorem nativum in febrem accenderit solutu difficilem, & ferè totum consumpserit, siquidem febris hectica incipiet, id est, quamprimùm febris hectica facta fuerit, incipiens, aut media præcesserit, cùm nulla antea fuerit. Desinent igitur jam omnes mirari (inquit Vallef.) hecticam febrem à principio fieri, cùm incipientem marasmodem ita fieri posse demonstratum sit. 141

Quod

142 Quòd verò febres hecticæ marasmodea sint essentialiter, siccæ, & omnes febres hecticæ, quæ à principio invadunt, calidum & exsiccatum requirant subjectum ostendit Gal.ex earum generatione, sic quasi arguens nullus statim ab initio correptus fuit febre marasmode, qui corporis habitum humidum habuit, sed qui natura sicciores, & maximè si vnà calido temperamento fuerint, tenuique victu vsi fuerint: hos etiam statim ab initio hectica febris invadere solet, ex ira, aut tristitia, ac magis si æstas fuerit & constitutio, & regio etiam calida & sicca sit, quasi dicat saltem vt conditio necessaria requiritur corporis siccitas ad febres hecticas, cùm nulla à principio hectica fiat, sine tali corporis siccitate, etiamsi non sit marasmo, id est quæ cum marasmo, aut cum marcore, vel corporis consumptione coniungitur, neque media, sive in qua carnium defectus reperitur, sed tamen incipiens, scilicet in qua nondum dictæ siccitates reperiuntur, sed ad summum humorum, aut sanguinis alimentum præstat corpori & partibus eius: quæ enim febris est marasmodes, non modò calida, ac sicca passio est præter naturam, verùm summè sicca est, habetque secum coniuncta ea omnia extremæ siccitatis, atque debilitatis signa, quæ Hippocrates refert 1. *prognosticorum*, describens eam faciem laborantium, quam Hippocratic. appellamus, quæq; reperitur in illis corporibus ægris, in quibus debiles sunt jam maximè facultates & membra omnia resiccata: in hecticis ergo, quæ dicuntur marasmodes, inquit Gal. & oculi sunt cavi, sive multùm consumpti, & squalidi, quales videri solent in illis qui per multum pulverem, ac solem fecerunt longum iter, & in ipsis lippitudines, sive resiccatæ lachrymæ, & tempora collapsa, seu consumpta, ac moltùm excavata, & nasus acutus, & cutis in fronte intenta, atque arida, & color vividus faciei corruptus, mutatusque in plumbeum, aut lividum, & tandem pulsus sunt debiles, ac duri, quæ omnia summam arguunt totius corporis consumptionem, & partium solidarum ariditatem, & calidi innati extremum languorem, & extremam sanguinis penuriā: quare verum est, quòd hecticæ marasmodes sunt essentialiter siccæ, & quòd nequeunt fieri in corporibus humidis.

143 Aliæ autem febres hecticæ, nempe incipiens & media, etsi siccæ non sint vt marasmodes, tamen sine corporis siccitate à principio non generantur, sed suam vnaquæque earum siccitatem aliquam supponit in subjecto: quæ enim febres hecticæ incipientes à principio invadunt, ex ira, aut tristitia in corporibus calidis, ac siccis, vt parum antea dicebamus; tunc primùm fieri incipiunt, ait Gal, quo tempore diariæ per mitiorem declinationem ad integritatem non desinunt, & præter hoc quod nihil tale ipsius accidit, manifestè siccitas intenditur, in corpore febricitantis, quod secundo die febris solet accidere: quare sicut febris hectica Ita incipit, ita pariter eius incrementum, aut complementum febris hecticæ incipienti, erit die tertia sequenti, si in ea, neque in alia accessio invadat, eoq; ægrotus sine febre fit, sed semper perseveret, & parva permaneat, & siccitas illi augeatur; talis ergo febris haud dubiè jam hectica est, dicit Gal. & progressu temporis celeriter marasmodes fiet, nisi rectè curetur, terminus eius transitionis in marasmom erit, quando primùm pulsus debilis simul, & durus fiet, vel cùm pulsus parvus & frequens debilis etiam & durus fiet: non enim pulsus parvus solùm & debilis, etsi sit celer aut frigens simul, est signum hecticæ marasmodis, sed debilis simul & durus, quia debilitas sola, quamquam vehementem cordis intemperiem arguit, & per consequens febrem hecticam mediam, non tamen dicit febris marasmodes siccitatem, sed pulsus durus.

Vnde & ex ante dictis infertur legitimè, ac clarè colligitur quòd in lectione Gal. signa quæ distinguūt febres hecticas, quæ à principio invadunt, fiuntque vel incipientes, aut mediæ, aut consummatæ, ex pulsibus earum, vnà cum calore & corporis siccitate scientificè distinguuntur, & non aliter, quamvia siccitate diversa videantur posse discerni; quę tamen fallit: nam revera ea febris erit hectica incipiens, in qua calor febrilis erit parvus, sed semper sibi similis, aut æqualis, sine vlla accessione, aut incremento, nisi ex assumpto alimento, & in qua pulsus erit celer, ac frequens, non tamen parvus, aut debilis, quia in ea, vt ait Gal. facultas nondum est deiecta, sed saltem moderata conservatur, quamvis corporis siccitas in tali febre non solùm sit ex defecto roris, aut sanguinis, aut substantiæ nutrimentalis orta, sed etiam carnium, quæ solet esse frequenter in hectica media: similiter illa febris hectica erit media potiùs quàm incipiens, in qua vnà cū dicto calore hectico pulsus erit jā debilis, seu languidus, & cōsequēter parvus, ac potiùs frequens, quàm celer, quia deficit jam facultas, quamquam in ea multa corporis siccitas non inveniatur, neq; carnes corporis sint prorsus absumptæ, aut resiccatæ: hoc enim solùm in hecticis tertiæ speciei contingit, aut necessariò requiritur, vt dictum est, etiamsi multoties talis siccitas in hecticis mediis dictis inveniatur: hectica tandem marasmodes tunc datur quando simul cum calore febrili hectico relato facies etiam hippocratica coincidit, & pulsus languidus simul ac durus: veluti enim in hac febre tria potissimùm reperiuntur valde præter naturam, scilicet extrema corporis siccitas, extremaque caloris nativi debilitas, seu defectus & calor febrilis maximè radicatus; ita ad hæc tria illa alia tria peculiariter consequuntur: quia enim calor febrilis in hecticis consummatis est maximè radicatus, & sic maximè resiccat, atque consumit calorem nativum, ideo talis calor febrilis copia pusillus est, seu squalidus valde, aut siccus; ideoque etiam tabes, seu consumptio totius corporis, præsertim faciei, 144

vt quæ minus est carnosa & magis dissipabilis, non solùm per poros, sed maximè per os, per oculos, per nares, & aures: vnde facies in his non solùm consumpta apparet, sed cadaverosa, aut qualis in jam mortuis corporibus ferè semper invenitur non consumpta solùm, sed colore plumbeo, vel aliter valde decolorato prædita, & oculis sine splendore, sed quasi pulvere conspersis, ob extremum defectum nativi caloris vivificantis, sive à quo antea oculi, facies, & omnia vitam, ac pulchritudinem habebant. Sed dices: si vera sunt quæ exponis, cur hæc signa cadaverica in aliis aliarum febrium, aut morborum consumptionibus corporis, atque faciei non apparent? Respondetur quia solùm extremam siccitatem, & caloris nativi defectum sequuntur; & idcirco neque in hecticis secundæ speciei pulsus durus inveniter.

145 Positis signis febrium hecticarum, quæ à principio invadunt; sequitur agendum de cognitione ipsarum, cùm à principio non tales incidunt, sed ad alias consequuntur febres, aut præcalidos morbos alios: etsi enim de his Medici seorsim non agunt, Gal. tamen loco citato *de differentiis febrium* etiam de his agit, atque istarum specialis generationis modum dilucidè ostendit: quare & nos cum illo hic de eis agamus, vt sic rei veritas magis intelligatur. De re ergo proposita quasi sic disserit Gal. constat ex demonstratis fieri febres hecticas ab initio, sive ab initio incepisse, dum citra vllam molestiam, vel alium sensibilem morbum; sed corpore existente sano, aliquis ab externa causa afficitur febricula quadam, quæ etsi sit parva, tamen neque declinat, neque ad infebricitationem venit, neque augetur, aut repetitiones, seu accessiones facit, sed semper æqualis perseverat, atque statim siccior evadit, & cutis aspera apparet; vt igitur laborantes admodum dictum febribus hecticis afficiuntur, solùm à causis externis, & citra aliquam internam, vel morbosam corporis dispositionem; ita quidem in eandem febrem incidunt ex acutis, & ardentibus febribus, vel aliis morbis præcalidis, potissimùm si malè curantur, vt si cùm frigidæ potione egerint, neq; illam biberunt, neque pro illa aliud medicamentum refrigerans, & thoraci & hypochôdriis adhibuerunt; vel si præterquàm quod tale nihil adhibuerunt, etiā cataplasmata calida, vt frequenti vsu fieri solet, adhibuerunt: iis enim, vt plurimùm tabescant necesse est, sive simpliciter febricitent, sive ex interna aliqua inflammatione, potissimùm jecoris, aut ventriculi: maximè enim has phlegmonas malè curatas marasmi insequuntur, quod est valdè notandum.

146 Incipit itaque (ait Galenus) febris hectica, atque marasmus, interdum corde ipso per se primò affecto à causa externa, vt ex ira & tristitia vehementi, ac diuturna, nonnunquam ex ardentibus febribus, vel ex pulmonis & thoracis pathematis scilic. non modò inflammationibus, sed & suppurationibus ac tabe, vel ex ventriculo & jecore, vel ex quavis alia partium internarum inflammatione diuturna, aut suppuratione, vel alio simili affectu: fuerunt enim aliqui qui dysenteria laborantes, inde febre hectica laborarunt, cùm eorum intestina phlegmone essent affecta; lienterias etiam, & diuturna alvi profluvia, si vel statim ab initio, vel procedente tempore, exigua febris incidit, marasmi comitantur: denique & ex pulmonis vlceribus, vel hepatis, aut ventriculi, vel vesica vrinæ, aut aliarum partium internarum experimur quotidie oriri hecticas febres, & corporis tabes, vel marasmos, cùm non rectè curantur, vel quia præ sua malitia non cedunt remediis, vel quia curatio omnino exacta non agitur. Sed dices: transeat quòd febres hecticæ, atque marasmus fiant, vel statim à principio, sive à causis solùm externis, corde primò affecto, vel non sic; sed præcedentibus aliis morbis aliarum partium, vt ex febribus ardentibus, quæ venarum sunt passiones, vel ex hepatis, aut pulmonis, vel alterius partis inflammatione; sed inde quid desumitur ad cognitionem tantum febrium, vel ad earum distinctionem ab aliis? quod erat præcipuum intentum propositum. Respondetur multum sumi: nam ex Aristotele res vt se habet ad esse, se habet ad cognosci, & eadem principia rem constituentia sunt principia distinctionis; atque proinde & hic Gal. vt distinguat & doceat elatè tales febres affert earum diversam generationem: vnde sensus verborum dictorum, & mens Gal. talis est, vt febres hecticæ cognoscuntur à principio invadere, sive à solis causis externis, vt febres diariæ quando tales causæ præcedentes febris diariæ similis accenditur: quæ tamen intra terminum diariarum per mitiorem inclinationem ad integram infebricitationem non veniunt, sed diminutæ, aut parvæ factæ perseverant per plures dies, sine accessionibus vllis, & in ea manifestè siccitas intenditur, ita cùm tales incidunt febres hecticæ ex acutis, vel aliis corporis morbis præcalidis cognoscuntur; & scimus quòd tunc dantur, ac generantur cùm febres acutæ, vel alij morbi intra suum terminum debitum per mitiorem inclinationem ad integritatem non perveniunt, sed parvæ factæ ad sensum; & tunc longè minus ardentes, quàm antea perseverant, sibi æquales per plures dies, sine accessionibus, saltem manifestis, vt antea, sed manifestè siccitas intenditur in dies, nempe corporis extenuatio, & cutis asperitas, quamvis corpus convenienti cibo vtatur, & sufficienter dormiat: non enim jam corpus nutritur, neque vires à cibo roborantur, quamvis cibus sit boni succi, & parum, ac sæpè sumantur, quia naturalis virtus est prostrata, & calor nativus tum influens, tum insitus, ferè in totum consumptus, atque exsolutus, à febre prius humorali, sive ardente, & postea in hecticam transmutata pravam

pravam: quæ enim hecticæ fiunt ex aliis morbis, aut causis internis, non solùm hecticæ evadant, vt quæ oriuntur à causis externis, sed simul etiam pravæ ob originis pravitatem; vnde istarum præ aliis maxima est habenda ratio, & citissimè facienda curatio, atq; exactissima, vt pote quia in his quodlibet levissimum peccatum est mortis causa.

147 Vidimus huc vsque quibus signis cognoscamus febres hecticæ, sive incipientes sint, sive mediæ, aut consummatæ, si solæ sunt, & aliis impermixtæ, quamvis ea aliis oriantur, vt ex ardentibus febribus. His ergo sic expositis, sequitur agendum de signis earum, cùm complicantur cum aliis, vt cùm multoties solet accidere cum aliis humoralibus; & quia, vt ait Gal, 5. *de differentiis febrium, cap.* 10. vbi febris hectica cum alia quapiam coniungitur, difficilè cognoscitur, oportet hanc cognitionem tradere exactam, quo magis per humanam fragilitatem fieri possit; quod quidem fiet, si duo benè exposuerimus; primum scilicet omnia signa quibus febres hecticæ cognoscuntur, & diversitatem febrium humoralium, quibus hecticæ complicantur: quare hæc duo nunc suo ordine primùm expendamus, vt inde postea varias talium febrium complicationes rectè cognoscamus, ac distinguamus; Ad primum ergo accedentes supponamus quòd quamvis febres hecticæ simplices sunt morbi, & earum essentia, in solo calore præter naturam consistit: quia tamen sunt intemperies factæ, aut essentialiter lædentes subjectum, nempe calorem nativum; idcirco propria signa febris hecticæ non solùm ab essentia hectici caloris sumētur, sed & etiā ex actionibus læsis & aliis accidentibus, vel corporis qualitatibus mutatis, quæ passionem aut læsionem dicti caloris hectici consequuntur, veluti corporum naturalia temperamenta, non tamen ex his, quæ secundùm essentiæ rationem insunt cognoscuntur; sed etiam ex his quæ necessariò consequuntur, quæ sunt actiones & corporis accidentia, vt *in arte medicinali, cap.* 8. explicat Gal. & hic faciendum suadet; quæ signa febris hecticæ sumentur, vel ex qualitate caloris, vel ex legis actionibus, vel ex qualitatibus corporis mutatis, sive quæ in habitu corporis mutato cernuntur.

148 Ea caloris ergo hectici qualitate tria sequentia sumuntur signa propria febris hecticæ: primùm enim proprium est caloris febris hecticæ inferre dolorem nullum, neque aliam molestiam, quia est factus jam, & non fiens morbus, aut passio à quibus causatur dolor, proprium est caloris hectici semper esse æqualem, & sine aliqua accessione; & quamvis in hoc conveniat cum febribus continentibus, sed ab eis dissidet vehementia: nam longè mitior apparet semper hectica quàm continens febris; quòd si dicas ex assumpto cibo hecticam sensibiliter adaugeri, & per consequens habere saltem hanc accessionem incompressam. Respondetur hoc caloris augmentum non esse accessionem, cùm non sequatur alterationem, aut mutationem febris, cum sit res permanens, seu facta, neque causæ eius, cùm nulla detur, sed solùm provenit ea cibo assumpto, vel ab humiditate eius, quæ calore hectico fervens illum caloris augmentum efficit, vt inde evidenter constat, quia solùm durat dum fervens dicta humiditas non consumitur, tertia proprietas caloris hectici est esse pusillum, vt qui sit in subjecto sicco vel terreo: vnde flamma vix elevatur, etsi ardeat, vel excandescat, vt ferrum; & quamvis hoc signum aliis febribus siccis convenire possit, si tamen cum duobus ante dictis coniungitur, sic quidem ex omnibus vnum fit pathognomonicum, sive proprium & inseparabile febrium hecticarum, quin ulli alteri conveniat.

Ex secundo cap. sive ex actione læsa desumitur illud aliud signum maximè proprium, atque inseparabile febris hecticæ, quod modo dicebamus, nempe vna, aut duobus horis post assumptum cibum augeri calorem febrilem, & quidem non parum, ac sine rigore aliquo, aut horrore, aut refrigeratione aliqua, vel alia inæqualitate partium extremarum, quasi esset accessio aliqua incompressa, vel non laboriosa: vt enim calor nativus in aliis febribus essentialiter non læditur, ita & alimenta minus corrumpit quàm in hecticis: in his enim cibus vrit, atque consumit, ob eius pravitatem à calore hectico contractam; pulsus similiter debiles, seu languidi, qui in hecticis reperiuntur, actiones sunt læsæ facultatis vitalis, quæ languet, atque dejicitur à dicto calore: vnde in prima specie febris hecticæ pulsus quasi naturales apparent, etsi magis celeres, quia virtus parum adhuc est perpessa, vel nihil; in aliis autem parvi, languidi, & frequentiores evadunt, prout dicta facultas in illis magis patitur; sed nulli sunt proprij, cum à multis aliis variis causis similiter generentur. 149

Ex propriis hecticorum accidentibus, aut qualitatibus mutatis desumuntur multa signa: nam & siccitas, aut ariditas cutis, & totius corporis extenuatio, & facies hippocratica, quæ in hecticis apparent, sunt sine dubio, qualitates mutatæ, sicuti & virium debilitates, etsi hæ simul sint actiones læsæ, vrinæ etiam non multùm à naturalibus recedentes, vt in hecticis incipientibus, vel multùm recedentes, quia oleosæ & pingues, vt in hecticis secundæ speciei sæpe videtur, ad qualitates mutatas pertinent, atque actiones læsas insequuntur; sed neutrum dictorum signorum est omnino proprium, cùm in aliis multis morbis reperiantur: sequuntur enim dicta omnia signa, vel solùm calorem hecticum, scilicet quæ sunt similia naturalibus, vel non solùm calorem hecticum, sed & nativi defectum, ac consumptionem, scilicet quæ multùm à naturalibus discedunt; quare tales qualitates mutatæ, atque actiones 150

læsæ in illis aliis morbis, aut febribus inveniuntur etiam, in quibus vt in hecticis calor nativus, vel solùm qualitate intenditur, vt in diariis, vel non sic solùm, sed siccabitur etiam, aut deficiet, vt non solùm in febribus ardentibus contingere solet, sed in aliis multis malignis, & in vlceribus insanabilibus pulmonis vel hepatis, aut ventriculi, vel aliarum partium internarum; & per consequens dicta signa & hecticis, & aliis morbis sunt communia, vnum aliud est quidem signum ea qualitate mutata desumptum quod solùm in hecticis reperitur, quamvis non semper apparet, scilicet hoc quod est atterias esse ad sensum calidiores, quàm aliæ circumjacentes partes: hoc enim si ita percipitur proprium est signum hecticæ febris, quia vt arteriæ sunt germina cordis, ita cordis essentiales passiones, atque mutationes caloris illius participant magis, aut retinent quàm aliæ corporis partes, quæ cordi non sunt agnatæ; tandem cadaverosus faciei color, & oculorum splendor deperditus, aut valde immutatus, & reficcatæ lachrymæ, & quasi pulvis, quo oculi in hecticis solent obtenebrari, qualitates quoque sunt mutatæ, non tamen hecticorum propriæ, sed multis aliis extremis morbis communes: summam enim corporis siccitatem significant, & caloris nativi exsolutionem; & ideo non solùm in hecticis, sed & in marasmo affectis, & in morbis pestilentibus, ac valde malignis inveniuntur, cùm in talibus morbis summè languet calor vitalis, seu vividus; languet verò ita maximè tunc dictus calor, quia à dictis morbis, eorumque causis, aut ferè in totum exsolvitur, seu deficit, aut summè exsiccatur, quod sic facilè distinguitur. Si enim ea extrema siccitate consumptus deficit calor vitalis, vnà cum ipso totum corpus consumitur, & partes eius tenduntur, ac duræ vel asperæ redduntur, etiamsi ex se essent molles vt carnes & cutis; si verò sine tali siccitate ex aliis causis deficit dictus calor, etsi corpora etiam gracilescunt, seu extenuantur carnes, tamen aut cutis neque tenduntur, aut indurantur, neque asperæ redduntur, sed potius molles nimis, atque flaccidæ, vt patet in senibus ex defectu dicti caloris nativi; & proinde sicut ratò accidit, quòd talis calor ea summa siccitate deficiat, & frequenter ex aliis causis; ita dicta signa prava sæpius accidunt cum corporis gracilitate, aut extenuatione, & partium sive carnium laxitate, & raiò cum istarum asperitate aut duritie.

151 Iam explicatis signis febris hecticæ in communi de eius complicatione cum febre putrida agamus: etsi enim febres hecticæ complicati possunt non solùm cum putridis febribus, sed cum aliis multis, vt cum in illis quæ sequuntur inflammationes internas, aut vlcera pulmonis, vel hepatis, &c. quæ tamen cum putridis complicantur, potissimùm cum continuis, difficiliùs cognoscuntur; & ideo de cognitione istarum hic præcipuè agere paramus: vt enim febres quæ sequuntur inflammationes comitantur propriis signis inflammationum, & quæ sequuntur vlcera pulmonum, vel alterius partis, comitantur puris signis, aut suppurationis, ita penes ista signa, & alia tum propria febris hecticæ, tum communia vtriusque venantur faciliùs, quàm si putridæ solùm aut humorales coincidunt cum hecticis: ergo cùm febres putridæ, aut humorales aliæ continuæ sint, & aliæ intermittentes; consequens est quòd hectica febris possit copulari cum quálibet putridarum, scilicet vel cum continua, vel cum intermittente: quare de cognitione febris hecticæ cum putrida coniunctæ nunc nos agere aggressi, necessariò agere debemus de complicatione vtraque, & de dignotione vtriusque complicationis dictæ: agemus autem prius cum Gal. de cognitione febris hecticæ complicatæ cum putrida intermittente, & postea cum continua, in quatum vtraque cognitione, vt Vallesius benè advertit, signa vtriusque febris seorsum sunt consideranda: signa inquam febris hecticæ seorsum sunt scienda, & seorsum signa putridæ, & ubi utraque videntur adesse, inde pariter scire debemus ambas etiam febres adesse: quamvis enim multa dictarum signa sint communia, vel vnius accessu alterius concursum obscuret, aliqua tamen sunt specialia, & quæque in ipsis complicationibus distincta apparent, aut non obscurantur, sed singula enitent, etsi simul coincidant: quare saltem ea his cum ita simul complicantur, & seorsim discernuntur, cognoscimus verè quòd & febres tunc copulantur, aut simul coincidunt, quarum talia signa sunt propria. His positis:

Gal. loco suprà citato s. *de differentiis febrium, cap.* 10. agit de complicatione febrium hecticarum cum putridis, & primùm intermittentibus sub vnico particulari casu, quasi sic scribens: *Vbi febris hectica cum alia quapiam coniuncta fuerit, difficiliùs cognoscitur, quemadmodum quæ nuper cuidam mulieri accidit, cui non solum die, sed etiam noctè, haud obscurè accessio fiebat.* Quasi diceret: ubi febris hectica conjungitur cum aliqua putrida difficilè cognoscitur, etsi cùm sola est multa signa sint proposita, quibus cognoscantur, & quidem facilè; quòd verù hectica cum putrida complicata difficilè cognoscatur, inquit, patet in illa, quæ cùm esset hectica, & quidem marasmodes, non solùm die, vel interdiu, sed & noctè manifestè exacerbabatur, vel accessio fiebat, quia coniuncta erat cum putrida quæ quotidie, vel inter diem & noctem habebat duas dictas accessiones; latebat verò, ait Gal. marasmodes febris Medicos omnes, qui eam mulierem invisebant, quia supponebant quòd hecticis febribus neque principium accessionis sensibile esse potest, scilicet extremorum refrigeratio, & caloris febrilis tecontentratio, neque post hæc incrementum caloris febrilis vsque ad vigorem, & tandem solutio, vt in illa febre, in illisque accessionibus 152

sionibus fieri manifestè videbantur; quæ etsi vera sint in hecticis, quæ sunt solæ, etiam verum est quòd in hectica cum putrida complicata possunt omnia dicta reperiri, & manifestè accidere, vt in illa muliere fiebant.

153 Sed nobis in hac muliere statim primis diebus est cognita (ait Gal.) utraque nim invasio, sive accessio, & quæ interdiu, & quæ nocte fiebat, breves accessionis partes efficiebat, & sæpe cum madore quodam, tamen perspicuè solvebatur, vt corpus ipsum tangentibus benè temperatum sentiretur, veluti si sine febre maneret, indicia verò ex arteriis hecticorum paulo ante desumpta semper permanebant: non enim similiter aliis partibus refrigerabantur, neque velocitatem, aut frequentiam motus amittebant, & per consequens ex accessionibus, quæ in illa muliere fiebant, & solvebantur, & ex caliditate arteriarum, aut pulsibus celeribus aut frequentibus, qui permanebant, constabat manifestè putridam febrem cum hectica esse complicatam: non enim in febribus dantur similes accessiones, nisi in putridis, aut ex vitiosis humoribus ortis, neque signum illud ex arteriarum maiori calore desumptum reperitur in aliis febribus, nisi in hecticis; atque ideo si simul coincidunt, ex eo est, quia ambæ dictæ febres complicantur. Itaque quamquam in complicatione affectuum, & potissimùm in febribus complicatis multa unius signa accessu signorum alterius possint obscurari, vt in nostro casu non solùm annotatio illa incompetessa, sive, caloris augmentum, quod fit in hecticis post cibum assumptum, potest sub accessione febris putridæ occultati, & insensibiliter præteriri; sed & ariditas aut asperitas cutis hecticæ potest accessu vaporum, aut sudoris latere: non tamen omnia ita occultantur, sed aliqua distincta permanent, quæ sunt utriusque febris propria, & per consequens quæ sufficiunt, vt per illa complicatio intelligatur, quamvis reliqua omnia delitescant, aut contrariorum occursu obscurentur: vnde qui in hac re sciens esse vult, & non decipi, is, inquit Gal. non vtcumque ipsarum febrium species cognoscere debet, neque solùm ex circuitibus, atque proportiones accessionum, vt multi faciunt, sed singulas febrium species seorsim scire, ac cognoscere debet per propria omnia sua signa, vt cum complicantur saltem ex aliquibus eorum quæ ex concursu non latent, aut obscurantur, possit & febrium suarum conjunctionem intelligere.

154 Habemus jam ex Gal. qua ratione possumus cognoscere quòd febris hectica complicatur cum putrida, quæ habet sensibiles repetitiones, sive accessiones, quæ incipiunt cum aliqua sensibili partium extremarum refrigeratione, & caloris febrilis, atque pulsus reconcentratione, & declinant, aut in totum cessant cum manifesta aliqua evacuatione; & per consequens habemus methodum cognoscendi febrem hecticam cum putrida intermittente conjunctam: quare superest distinguendam, aut cognoscendam talem febrem hecticam cum putrida continua complicatam: etsi enim hæc complicatio sit cognitu difficillima, utpote quia in ea ferè omnia signa dictatum febrium propria confunduntur, atque ad invicem occultantur; ex aliquibus tamen, si distincta apparuerint, etiamsi cum difficultate cognoscitur quoque talis complicatio: pro eius cognitione maiori certitudine, atque evidentia supponimus nunc, & advertimus hic, quòd febres putridæ, aut humorales continuæ, quæ cum hectica complicantur, possunt esse verè continuæ, in quibus nullæ sunt sensibiles exacerbationes, aut repetitiones, aut accessiones; sed à principio earum vsque ad finem febris unica est accessio, vt contingit in synochis, sive in continentibus febribus; & possunt esse continuæ cum repetitionibus, aut accessionibus manifestis. Hoc sic notato, dicimus quòd in complicatione febris hecticæ cum putrida continua multa utriusque signa propria latent, quia ad invicem obscurantur: nam in hectica cum continua putrida coniuncta, potissimùm si accessiones habet: nam hecticæ signum proprium quod desumitur ex augmento caloris, & pulsus ab assumpto cibo, occultatur sub accessione febris putridæ, & quod desumitur ex maiori calore arteriarum & pulsus celeritate interturbantur ex calore intenso, qui in putridis in corde & toto corpore reperitur; æqualiter etiam caloris & indolentia quæ in hecticis reperiuntur, imo & parvitas pulsus, alterantur, & mutantur in maiores, magis vehementes, & molesti ex vehementia putridi caloris, atque natura irritatur; & inde vehementiori vi qua potest suas obit functiones, vt 4. *de causis pulsuum, cap. 1.* agens de pulsu doloris docet Gal.

Itaque plus quàm certum est quòd in complicatione febris hecticæ cum putrida continua occultantur ferè omnia signa propria hecticæ ab excedente febre putrida, & eius signis, aut symptomatibus, semper tamen aliquod dabitur, vel aliqua quæ si à perito Medico bene attendantur, per ea certò talis complicatio cognoscatur: nam si v. g. febris hectica coincidat cum putrida, ita continua, vt ex huius vehementia à principio vsque ad statum eius occultantur omnia propria signa hecticæ, saltem si post talem statum febre putrida declinante per factas evacuationes, calor squalidus perseveret, parvus & siccus, cum virium languore, conjectandum est calorem febrilem putridæ sese inseruisse, aut fixisse in partibus solidis, vel à principio cum hectico isto fuisse coniunctum, maximè si cum his laborans se credat à febre esse immunè. Similiter si post talem statum febris acutæ, vel alterius diuturnioris febrilis calor remissus perseveret æqualis semper, vel parum mutatus ex assumpto cibo, etsi siccus non permaneat, sed quasi vaporosus, vel ad tactum suavis, hecticus est incipiens, etiamsi 155

aliqua putrida superstit accessio, præsertim si laborans neque febris, neque accessionis molestiam sentiat; rursus si in dictis casibus, aut complicationibus, transactaque febris putridæ vehementia, & laborante ad sensum meliùs se habente, corpus contabescat, vt si colliquamenta in vrinis permaneant, vel æger cibum assumens nihil roboretur, vel cibos fastidiens indigentiam non persentiat, ex quolibet istorum cognoscitur hecticæ complicatio: vlterius qui dicta complicatione febris laborant, solent cessante putrida, aut valde remissa, toto corpore præter rationem refrigerari: quod pessimum signum est, significatque extremam imbecillitatem, atque caloris nativi refrigerationem, & per consequens mortalem hecticam superesse: tandem si in dictis casibus, vel in vna febre continua idem tenor caloris diu perseveret, vel incrementum sensibiliter remittitur, sic etiam diu servatur, signum est aliquid hecticæ superesse, cuius occasione febris non finitur, sed semper in ea intensione perseverare conspicitur; si etiam transacta febre, aut in totum jam finita colliquationis signa non cessant, sed protrahuntur, hecticam dispositionem permanere in corpore significat. Quæ omnia, & his similia si quis attento animo inspexerit, ait noster magnus Mercatus ex his hecticæ complicationem cum putrida cognoscere poterit, etsi continua fuerit & vehemens, & sive verè continua sit, sive non, sed repetitiones habeat accessionabiles.

156 Horum accessione quæ parum antea diximus de illis qui cessante febre putrida solent toto corpore refrigerari, dubitatur hic an qui ex marasmode febre moriuntur, vel qui ex marasmo cum febre moriuntur, moriantur præ frigiditate, an præ calore, cùm febris sit passio calida; quod est quærere, an calor nativus, qui extinguitur & deficit in illis qui ex febre cum marasmo moriuntur, extinguatur à frigiditate marasmi, vel à febrili calore hecticæ febris? Vt rectè respondeatur est supponendum, quòd dictus calor noster vitalis extinguitur multis modis; suffocatus à sua contraria qualitate frigida, vel oppressus à multa humorum copia aut farragine: extinguitur etiam à putredine, vel prava rei corruptione, sive ipse calor secundùm propriam substantiam putrescat, sive humores, aut partes corporis viventes, sive ab extrinseco oriatur corruptio calori, qui dicto communicetur: rursus ex siccitate extinguitur, sive ex defectu proprij humidi, vel ex defectu humiditatis nativæ, quæ est subjectum conservans dictum calorem viventem. His suppositis, quod quærimus est, an qui ex marasmo cum febre coniuncto moriuntur, præ frigiditate moriantur, an per calorem; id est, an calor nativus, qui tunc extinguitur deficiat, quia à frigore marasmi suffocatur, an potius quia à calore febrili exsolvitur, seu dissipatur; etsi enim calor febrilis non solùm dissipando calorem nativum, sed etiam exsiccando eius substantiam humidam, seu humidum radicale potest extinguere illum: hic tamen solùm quærimus, an à calore febrili dissipatus pereat calor nativus, & non an etiam resiccatus, quia quando resiccatus perit refrigeratur pariter, vt in senibus, & ipso marasmo experimur: quare tunc perit à frigore suffocatus, & non à calore. His ergo sic distinctis, atque suppositis, dubio respondetur, quòd in casu proposito, & alio quolibet simili, moritur æger à calore dissipatæ febris, & non à frigiditate marasmi; & ratio est manifesta, cùm febris persistat: actu enim existente febre, etsi marasmus etiam existat, nequit tamen huius esse frigiditas, vt calorem nativum extinguat; neque marasmi frigiditas potest extinguere talē nativum, atq; viventem calorem, quin prius calorem omnem febrilem, vtpote magis sibi extraneū interimat.

Hic etiam de prognostico febris hecticæ veniebat agendum, sed quia ex dictis hucvsque constat facilè quid sit prædicendum in hecticis, & quid sentiendum de earum curatione; ideo nunc brevissimè solùm dicimus quòd cùm in artis operibus facilius sit demere quod superest, quàm quæ desunt adjicere; consequenter affectus, qui ex inanitione fiunt, vt sunt hecticæ febres difficiliùs curantur; & ideo febris hectica est affectus periculosus, quæcumque sit; etsi enim quæ incipiens dicitur, non sit ex se incurabilis, & per consequens neque periculosissima, quia tamen cùm incipiens est difficilè cognoscitur, & postea cùm manifestatur, jam vt aliæ, quæ dicuntur mediæ difficilè curantur, aut nullo modo, vt quæ dicuntur consummatæ; ideo omnis hectica febris est curatu difficilis, & periculosissima, & quidem nisi incipiens sit, atque à principio invadens, sive à causa solùm externa dependens, aut difficulter vt media, aut nulla ratione vt consummata, aut marasmodes curatur: quæ enim hectica à causa interna oritur, etsi solùm sit incipiens difficulter, aut nulla ratione sanatur, vtpote quæ non solùm efficientiam, sed malitiam suæ causæ consequitur: quare febris hectica quæcumque sit periculosissimus est affectus, & solùm quæ est incipiens, atque à causa externa invadens curatur, aut bene curari potest, si statim, & acutatissimè tractetur, vt in sequentibus docet Galenus: adhuc enim hecticæ quæ sunt curabiles indigent citissima & exquisitissima curatione vt sanentur, sicuti alij omnes morbi qui pessimi sunt aut incurabiles; quòd verò hecticæ, quæ vt symptoma ex aliis morbis pendent, etsi sint solùm incipientes difficilè curentur, aut nullo modo, inde ostenditur quòd ab ipso morbo à quo dependent impeditur curatio: non enim aliquis morbus curatur benè, ait Galenus, præsente illa vnde natus est causa, si præterea hectica febris à putrida oritur, aut interna inflammatione, vt ferè semper accidit, non modo difficilis est curatio 157

curatio (ob indicationes inter se pugnantes, quæ tunc reperiuntur, vt supra est demonstratum) sed & mortiferum vitium ob complicatum morbum lethalem; & quidem sive lethalis sit ex se, sive ratione partis affectæ, sive ratione cacoethiæ: vnde si hectica ex erysipelate interno provenit, aut ex alia magna interna inflammatione, vel multùm intensa ardente febre, quamquam solùm sit incipiens, lethalis tamen valde fiet, ob affectum à quo pendet; quòd si affectus sit cacoethes, aut malignus, adhuc magis inde mortalis evadit: tandem si corde ipso inflammatione affecto, aut erysipelate hectica superveniat mors celerrimè accidit, vt 5. *de locis affectis*, *cap.* 7. & aliis locis docet Gal. proxima etiam est mors cùm hectica invadit ex hepatis, aut ventriculi, aut pulmonis inflammatione erysipelatosa: denique quæ ab aliis internis partibus, vel inflammatis, vel putrescentibus, vel aliter vehementer ardentibus hectica suboritur febris, tanto tardius mortem inferet, quanto pars primo affecta, eiusque morbus erit minoris præstantiæ.



CAPVT VIII.

Qualis esse debeat aër in hecticis pro eorum recta curatione.

158 DIXIMVS *cap.* 6. cum Gal. quòd scientifica curatio præsupponit dignotionem & prognosticum, siquidem & dignoscat oportet, ait Galenus, quòd præsens est, & provideat quod ex eo futurum est, qui vult notabilis efficaciæ remedio vti: quare præmissis jam, atque præcognitis essentia, ac differentiis febris hecticæ, & facto, aut præhabito prognostico, accedimus nunc tandem cum Gal. curationem explicare qua aggredimur ea remedia, quæ notabilis efficaciæ in ea esse poterunt, inter quæ cùm aër nos ambiens principem locum teneat, ideo in præsenti capite pariter de eo primùm agitur, & de aliis in sequentibus vsque ad libri finem. Cùm igitur aër quoad nos talis, tantaque res sit, vt sine eo neque vivere, neque valere, neque à morbis curari possimus, vt *sup. lib. cap.* 14. extitit jam monstratum; & similiter cùm aër in morbis possit vel morbum augere, vel minuere, vt etiam in illo loco dicebamus, ideo nunc cum Gal. explicandum aggredimur qualis esse debeat aër in hecticis, vt eos juvet, vel febrem hecticam curet, etsi talis in se non existat, qua recta ratione parari, aut præparari poterit, vt conferat quàm maximè, & nihil noceat: docet ergo Gal. in hoc capite qualis esse debeat aër in hecticis, & in quibus hecticis aër benè dispositus sit præcipuum remedium: quare caput duas habet partes.

TEXTVS.

Igitur dictas sex materiæ differentias deinceps jam examinemus.

SVpposuit Gal. *cap. sup.* quòd sunt sex diversæ remediorum materiæ, quæ ad curandas febres hecticas possint & debent applicari benè dispositæ: nunc ergo examinare aggreditur, sive explicare tales materias, & ab aëre exorsus, ostendit in præsenti capite qualis esse deceat, vt prodesse possit laborantibus febre hectica: ergo cùm aër, inquit, temperatus esse possit, id est moderatè frigidus & humidus, vel calidus admodum, vel admodum frigidus, si temperatus sit, utique qualem se exhibet, tali à nobis est vtendum, nihil amplius de eo solicitis; sin admodum calidus sit, vel admodum frigidus, corrigendus est per contraria, quoad sic ad moderatam frigiditatem redigatur: cùm enim febris hectica passio sit calida & sicca, & quidem non parum, necessariò per remedia contraria, nempè frigida & humida est corrigenda & ad statum naturalem reducenda, si fieri possit: quare aër in hecticis quo magis frigidus & humidus possit esse est adhibendus: non enim in eis potest esse extremè talis, neque nimis excedens in calore aut frigiditate: nam veluti qui calidus est, nocet hecticis, eos magis vrens & exsiccans, ita qui admodum refrigerat lædit, & vires languidas hecticorum magis debilitat, atque infringit; atque proinde aër in hecticis moderatè frigidus & humidus per excessum esse debet; etsi enim per excessum moderatum humidus sit aer in hecticis, non nocet, sed juvat potius; cùm sit qualitas parum activa: frigidus autem si fit nimis, nocet quidem non solùm quia extrinsecùs applicatus, vel qui nos circumdat constipat, seu poros cutis densat, atque claudit nimis; sed & corpus ipsum, vel calorem nativum eius nimis refrigerat: quare modicè tantùm frigidus esse debet, etsi qui per os inspiratur possit esse magis frigidus, quàm qui extrinsecus nos circumdat; cùm enim aër qui inspiratur per trachiam arteriam & bronchia pulmonis fertatur ad leves arterias, atque ad ipsum cor, solùm nimis refrigerando substantiam pulmonis nocere potest, non autem astringendo, vt qui extrinsecus corpori adhibetur: non enim cavitates dictorum vasorum pulmonis & levium arteriarum, per quas aër inspiratus transit vsque ad cordis ventriculum sinistrum, sunt vt cavitates poro- 159

tum

rum corporis inſenſibiles, ſed ſatis amplæ, & pet conſequens neque à frigiditate aëris inſpirati poſſunt obſtrui, aut denſari, vt pori qui ſunt in cute denſantur à frigiditate ambientis aëris, ſi frigidus eſt, pluſquam moderatè: quare, vt dictum eſt, aër qui ab hecticis inſpiratur, quamvis frigidus ſit per exceſſum, juvare poterit, calnrem febrilem cordis attempetando, dummodo non ſit ita intensè frigidus, vt nativum extinguat, & partes internas nimis refrigeret; quod poteſt aceidere facilè cùm in hecticis tum ipſe calor nativus, tum partes omnes viventes ſint eſſentialiter languidæ.

160 Sed dices nunc: aët eſt elementum ex ſe calidum ac humidum per exceſſum: ergo ſi temperatus ſit, non erit frigidus & humidus, vt nos dicimus, *neque ſi temperatus eſt, qualem ſe exhibet*, vt ait Gal. debemus hecticis applicare: non enim aër temperatus poteſt eſſe moderatè frigidus & humidus pet exceſſom, qualem hectici requirunt, ſive eorum febtis hectica per exceſſum calida, & reſiccata perit: quare aët in hecticis non temperatus, vt ait Gal. ſed frigidus & humidus eſt, pro gratia habendus; & cùm talis fuerit, qualem ſe exhibet conſervare debemus, nihil amplius de eo ſoliciti; ſanè verum eſt quòd aër moderatè frigidus, & magis humidus requir tur in hecticis, atque in eorum debita curatione, ad febrem hecticam extinguendam; cùm hæc ſit paſſio calida præter naturam & reſiccata, ſed etiam eſt verum quòd aër temperatus eſt talis, ſaltem reſpectu dictorum corporum febre hectica labotantium; experimur enim quòd aër nos ambiens, & quem ſemper inſpiramus, & expiramus, cùm temperatus eſt, id eſt cùm ſenſibilitet nos neque calefacit, neque refrigerat, cùm inquam aër ſic eſt temperatus, experimut qoòd calorem noſtrum nativum attempetat & tefrigerat, potiſſimùm ſi ex aliqua cauſa, v. g. ex motu ſit nimis calidus: remiſſum enim remittit intenſum: quare ſaltem hac via, & hac ratione aër temperatus in hecticis, & corum curatione eſt vtilis, atque vt talis recipiendus, ac conſervandus; nihil amplius de eo ſoliciti, vt Gal. ait, id eſt nihil amplius ſoliciti quòd magis refrigeret: nam quamquam aër magis frigidus quàm temperatus poſſit plus tefrigerari febrilem hecticorum calorem, potiſſimùm qui inſpiratur, & ſic ad cor ipſum traducitur; tamen qui temperatus eſt, eſt magis tutus, vt qui neque extrinſecus occurrens, corpus denſet, vel cutis potos claudat, neque inſpiratus pulmones lædere poſſit, vt frigidus.

161 Habemus ergo jam quòd aër temperatus ſi ſit, eſt vtilis, ac pro gratia habendus in curatione febris hecticæ: conſtat etiam quòd ſi ſit moderatè frigidus & humidus, vel frigidus & humidus per exceſſum moderatum, eſt ſimiliter optimus, vt qui ſic per ſe opponitur, ac mitigat æſtum, ſive calorem ſqualidum cuiuſque febris, & quidem ſine noxa conſtipationis corporis, aut pororum cutis, etiamſi extrinſecus corpori occurrat; cùm ſit tamen moderatè refrigerans: non enim quælibet excedens frigiditas conſtipae corpus, aut potos cutis; ſed quæ excedens eſt pluſquam moderate: nam ſolum quod nimium eſt, eſt naturæ inimicum, ſicuti è contra quod naturale eſt, eſt moderatum. Nunc igitur quia aër qui nos citcumdat, & quem ſemper inſpiramus, poteſt eſſe non ſolùm temperatus, vel moderate frigidus, ſed etiam ſupra modum calidus ſit, & ſupra modum frigidus, corrigendus eſt contrariis; ſi calidus ſaltem ſit rebus frigidis, & ſi frigidus calidis; cùm enim aërem fugere non poſſimus, ſed ſemper aërem inſpiremus, fit hinc, vt *lib. ſup. cap.* 14. dicebamus, quòd aër ſi bonus non ſit, neceſſariò ſit corrigendus, vel talis parandus, qnalis tequiritur, ad noſtrum nativum calorem attemperandum, ac ventilandum, & calorem febrilem extinguendum, vel ſaltem corrigendum: quare ſi aër in hecticis calidus nimis ſit, pro calido (ait Gal.) inducendus arte contrarius eſt inventis domibus, quæ frigidæ ſint, vt ſubterraneæ eſſe ſolent, & quæ ventis ſeptentrionalibus ſunt expoſitæ, & maximè perflantur. Quòd ſi tales ex ſe domus non fuerint, opera noſtra refrigerentur, vt ſi aqua frigida & modico aceti ſæpe irrigentur, vel aqua frigida de vaſis in vaſa transfuſa, vel aliis auris frigidis aër domus, aut cubiculi, vbi cubat hecticus refrigeretur, vt *lib. ſup. cap.* 14. docuimus; ſic enim tum aët, qui inſpiratur frigidus, atque humidus ſit, tum & ſomniferus, ſive ſomnum inducens; quo etiam modo vtilis eſt hecticis, & quidem non parum.

Sanè calidus aër qui inſpiratur ſatis benè 162
refrigeratur, atque humidus fit, vt eſt demonſtratum, ſed ſolet in æſtate aër ita nimis æſtuare, vt tunc omnibus modis ad curandos hecticos debeat tefrigerari, aut temperari: quare tunc non ſolùm domus ægrotantis refrigeranda, atque humectanda eſt irrigationibus frigidis, & frigidis, atque humidis aëtis, aut ſeptentrionalibus ventis, ſed etiam roſis plurimis humi fuſis, aut vitium capriolis, aut ruborum, vel lentiſci ſummitatibus, aut denique aliarum quæ refrigerent ſtirpium, ſive herbarum, vel plantarum: cùm enim aër ſupra modum calet, aut æſtuat, nocet quàm maximè hecticis, vt qui non ſolùm ſunt multùm calidi & ſicci, ſed & ſupta modum graciles, ſive extenuati, atque debiles facti, ideoque facilè à quovis offenduntur, ſed potiſſimùm ab illo aëre tam intensè calido, ac reſiccato: in elementis enim ſymbolis faciliùs fit tranſitus, ait Ariſt. quàm in diſſymbolis: quare ſi io hecticis aër flagrat, aut nimis æſtuat, omnibus modis eſt tefrigetandus, vel ſaltem temperandus, quantum magis fieri poſſit; quo etiam tempore turba hominum ne cubiculum ægrotantis ingrediatur eſt prohibenda: nam id quoque domum calefacit. Hic paritet advertimus, quòd cùm herbis,

herbis, aut aliis plantis frigidis humidis, aut per cubiculi ambitum diffusis aërem calidum temperare interdimus, vel aqua quæ de vasis in vasa trajicitur, atque transmutatur debent per intervalla mutari, vel abjici, & aliis frigidis actu, ac potestate suppleri, quia si non mutantur, vel à cubiculo abjiciuntur intra breve spatium temporis calefiunt, & sic nocent, si statim non dejiciuntur, & aliis frigidis actu & potentia non supplentur; tandem advertit Lemosius subterraneas domus, etsi sint frigidæ, non omnibus hecticis esse utiles, sed nonnullis esse noxias, quibus scilicet suaves non sunt, aut gratæ; huic enim, inquit, domus subterranea grata est, alteri fontes aquarum, nonnullis aqua frigida de vasis in vasa transfusa. Nos verò dicimus aerem subterraneum, vel aërem domus subterraneæ, nisi ventis frigidis sit expositus, & agitetur, atque purificetur, facilè incrassari ac vitiari, & ideo nocere posse tum hecticis, tum aliis quibusvis febricitantibus, quamquam sit frigidos & humidus.

163 Visum est, vt aër calidus corrigitur in hecticis, ne ab eo lædantur: quare nunc jam de frigido incommodo agit Gal. quasi sic scribens: Qui aër in hecticis frigidissimus est, vtique quatenus respitando attrahitur, admittendus est, vt qui calorem febrilem, qui est in corde admodum refrigeret, siquidem vel per pulmonem, quod ratum vitcus, difficile non est quod possit aëris inspirati tum qualitas, tum etiam substantia ad cor pervenire; atque ideo in hecticis aër qui inspiratur, aut respirando ad intra corpus trahitur, etiam frigidissimus est admittendus, non tamen qui extrinsecus ægrum contingit: quippe hic densat, cogitque cutim, atque putrescentium humorum, vel rectius eorum qui vtuntur effluxum transpirare prohibet: qui enim aër nimium frigidus est, neque per cutim ad cor pervenire, nedum eius qualitas, quia cutim densando sibi viam præcludit, & per consequens non solùm non refrigerat, sed insensibilem excrementorum vitiorum transpirationem, quæ per cutim fit, impedit, sicque in corporibus in quibus talia abundant excrementa, vt in hecticis febrem auget. Scire tamen licet, ait Gal. maius fore ex frigida inspiratione commodum in hecticis, quàm ex cute densanda incommodum, præsertim cùm operimentis hanc calefacere liceat, atque possimus; quasi dicat Gal. Verum est quòd aër cùm nimis est frigidus, qualis in hyeme esse solet, si extrinsecus corpus attingit, densat cutim, & impedit totius corporis insensibilem transpirationem, & hic lædit, atque febres auget; hæc autem quamvis ita sint, in hecticis tamen maius est commodum quod ex frigida inspiratione consequitur, quàm incommodum quod ex cute densata supervenit, cùm inspiratus aër frigidus sua substantia & qualitate frigida ad cor vsque statim ingrediatur, sicque immediatè oppugnet vehementer calorem hecticum in suo principali fonte, aut principio, præterquam quòd corporis partes externæ operimentis possunt defendi, ne à frigido aëre externo lædantur, aut constipentur: corpus enim nostrum vestimentis tegitur, atque defenditur adversus res externas, & potissimùm adversus iniurias quas aër externus frigidus, vel calidus ei inferre potest, atque ideo in hecticis, cùm frigidus est supra modum solum corrigitur à Gal. muniendo partes externas ægrotantium corporum operimentis, vt hinc intelligamus quòd neque nos aliter, aut plus corrigere, vel temperare aërem debemus, nisi qui inspiratur pulmones lædat, vel respirationem sua nimia frigiditate, vt solet satis frequenter accidere: si enim hoc contingat, etiam inspirandus aër frigidus corrigendus est contrariis qualitatibus.

TEXTVS.

Porrò vtendum maximè huiusmodi aëre est in iis, &c.

HÆc est secunda capitis pars, in qua Gal. 164 demonstrat in quibus hecticis febribus aër inspiratus est præcipuum earum remedium: etsi enim verè suprà dictum, atque ostensum sit quòd aër qui ab hecticis inspiratur, potest ad cor ipsum pervenire, & sui substantia, atque qualitate frigida hecticum calorem ibi fixum potenter oppugnare & temperare, aut dejicere; non ideo tamen æqualiter in omnibus id facit, atque proinde nunc ostendere aggreditur Gal. in quibus hecticis dictus frigidus aër inspiratus sit præcipuũ eorum remediũ, id est à quo præcipuè febris hectica extinguitur, vel maximè temperatur, si aliqua ratione curari potest; vt autem id demonstret, supponit quòd febris hectica est in se diversa, non solùm quia earum aliæ à principio invadunt, vel à causis fiunt externis, aliæ verò non; sed ab aliis fiunt morbis, vt ab internis nostri corporis inflammationibus, vel aliis febribus; sed quia ex eis aliæ sunt in quibus cor est pars primò affecta, aliæ autem sunt quæ ab aliis corporis partibus primò affectis oriuntur; etsi omnis febris hectica sit passio cordis, & proprius eius morbus, id tamen non obstat quòd talis febris oriatur à morbis aliarum partium, vt ab inflammatione hepatis, aut ventriculi, &c. & per consequens quæ hecticæ sic generantur, etsi passiones sunt cordis, in eis tamen cor non est pars solùm affecta, neque quod primùm patitur, sed potiùs partes vnde procedunt sunt primò affectæ, & quæ primùm curari debent, vt sic ablata causa, & curata parte primò affecta, postea febris inde orta, & in cordis substantia vivente firmata curetur.

Quod

165 Quòd autem febres hecticæ non omnes fiant corde primùm laborante, sed multæ earum superveniant cordi ex aliis partibus primò inflammatis, vel aliter malè affectis, calidis, atque exsiccatis ex experientia demonstrat Gal. in multis casibus; etsi enim cor, quia viscus calidissimum est, possit multoties, priusquam alia corporis pars febre affici hectica, hoc tamen non tollit quòd etiam ob alia viscera inflammata afficiatur eadem hectica febre; primum enim ob hepar, aut ventriculum inflammatum, vel aliter præcalidum, ac reficcatum, ait Gal. magna ex parte hecticas marasmodesq; febres accidere contemplati sumus; aliquando etiam superveniunt pulmonum sicco, calidoque intemperamento, quamvis pulmo ex se dispositum viscus non sit huiusmodi febribus, vtpote humidum, laxumque cùm sit, incidunt præterea, ait, & aliis partibus multùm calidis, ac siccis, vt pectori, & mesenterio, & jejuno intestino, & colo; interim verò & vtero & renibus; in septo autem transverso marasmum non vidi, inquit Gal. hecticam autem, & hanc quidem absolutam vidi; sæpè verò citiùs interimentem, quàm planè esset completa: eiusmodi namque affectum, & respirandi difficultas, & varia eius inæqualitas, & delirium excipere solet, ex quibus magna ex parte prius moriuntur, quàm hectica sit perfecta: quippe in hoc morbo ægri qua maximè parum & frequens respirant, aliquando manifestè spiritum tardant, deinde subitò quasi gementes respirant, vel duplicem spiritus intromissionem, vt suspirantes, vel duplicem foras missionem faciunt, veluti respiratio respirationem comprehendat: hæ autem inæqualitates naturæ oppressæ sunt notæ: quare & mortem signant.

166 Itaque febris hectica incidit cordi, sæpè quidem ex se ipso excandefacto, vel in vehementibus exercitiis, in tristitiis diuturnis, vel studiis, aut aliis animi passionibus cor multùm exscandescentibus; nonnunquam verò non ex se ipso corde accenso, sed potius ex ardente febre, vel alia diuturna, vel ex hepate; aut ventriculo, vel alio interno viscere supra modum calido, ac desiccato, etsi longè promptiùs ex hepate, ac ventriculo cor afficiatur, quàm ex aliis partibus intemperatis; quorum omnium ratio est sequens: in primis quia cor est viscus omnium calidissimum, ideo à causis externis calidis, ac siccis primum omnium, tum aliis febribus, tum etiam hectica afficitur; post hæc etiam à causis internis & morbis calidis ac siccis partium nostri corporis internarum corripitur hecticis febribus; & quidem promptissimè à morbis præcalidis, ac reficcatis hepatis & ventriculi, quia cùm sint concoctionis alimentorum & sanguinis officinæ, vsto in iis inflammatis alimento, eoq; cor, atque cæteræ partes nutritæ; siquidem non solùm intemperiem calidam, sed si diu perseveraverit vstio hecticam febrem concipient; ab aliis autem partibus inflammatis tardiùs cor afficitur, etiamsi magna sit inflammatio, cùm neque ab illis nutriatur, neque earum cum corde tanta sit communicatio: non enim partes quæ sunt in ventre inferiore tantum habent consensum cum corde, quantum habet hepar, & superius os ventriculi, ne quidem vterus: quare nihil mirum quòd ab illis malè affectis minus cor afficiatur quàm ab istis; & quamvis pulmones magis communicant cum corde quàm hepar, atque ventriculus; quod in illis non conficitur alimentum, neque inde cordi nutrimentum suppeditatur, sed tamen aër inspiratus, ideo ex inflammato pulmone tardiùs afficitur cor febre hectica, quàm ex affecto ore ventriculi, aut hepate, vt docet experientia. Itaque ex Gal. cor incidit in febres hecticas multis modis, atque ex variis causis, tum externis, tum potissimùm internis, vt ex febribus ardentibus, atque acutis, & maximè ex illis, quæ rectè curatæ non fuerunt, quæque cum aquæ frigidæ potu indigerent, neque eam biberunt, neque pro ea aliud refrigerans remedium est propinatum, nedum aliud extrinsecus refrigerans thoraci ac præcordiis adhibitum: si etiam cor diu febrem toleraverit in hecticam incidit, & ex hepatis, atque ventriculi inflammationibus, potissimùm malè curatis; aliquando etiam ex pulmonis ac thoracis affectibus, præsertim ex suppurationibus, aut phthisi, item ex aliis omnibus diuturnis inflammationibus, quæ nobiliores partes occuparunt. Denique vidi ego, ait Gal. 1. *de differentiis febrium*, *cap.9.* in laxioris intestini (Græci Colon vocant) inflammatione diuturna tabidam febrem fuisse secutam, & in similibus stomachi, vesicæ, ac renum affectibus, in dysenteria etiam, in lienteria, ac in diarrhœa inflammatis; cùm vel saltem ab initio fluxionis, vel progressu temporis febricula invaserit, turbidæ febres consequuntur.

167 Sic suppositis, atque expositis multarum hecticarum febrium differentiis, in quibus cor per se primò non patitur, sed in consensum trahitur ab aliis partibus: non enim semper cordis affectus in hecticis rationem causæ obtinet, inquit Gal. *lib. de marcore*, *cap.7.* sed qui sunt corporum vicinorum, vt in casibus suppositis accidit; sic, inquam, suppositis hecticarum febrium differentiis, nunc ad curationes earum accedamus (ait Gal.) videamusque quas vires habeant propositæ in *cap. sup.* materiæ adversus hecticas febres; & hic quia de aëre in hecticis egimus, & qualis esse debeat jam vidimus, æstimemus in quibus hecticis sit præcipuè vtilis, quamvis conferat, & in aliis non parum. Scribit igitur in hunc modum: Porrò vtendum maximè eiusmodi est in hecticis iis quibus primum quod afficitur ipsum est cor æquè, vt si ventriculus primùm esset affectus, ipsi per comesta & bibita esset succurrendum: huic enim illa cum integris adhuc viribus occurrunt, sicuti cordi inspiratus aër; quasi dicat: cùm vera curatio

sit

ſit cauſarum remotio, atque in hac cùm accedendum ſit ad occaſionem, occaſioniſque principium: conſequenter in quibus hecticis cor primùm afficitur, in iis aër frigidus inſpiratus eſt præcipuè vtilis, & præſentaneum remedium, atque proinde vtendum maximè huiuſmodi eſt in talibus caſibus; æquè vt ſi in hectica ventriculus eſſet primùm affectus quàm cor, ipſi ventriculo primùm per comeſta & bibita eſſet ſuccurrendum; vt enim quæ comeduntur, atque bibuntur ſuis integris viribus ventriculo occurrunt, ita cordi inſpiratus aër: quare quoties cor per ſe primùm eſt præter naturam calefactum, toties in eo aër inſpiratus erit præcipuum remedium, aut præ aliis maximè potens cor refrigerare, cùm cordi, aut parti primò affectæ integris ſuis viribus, id eſt ſua actuali atque poteſtativa frigiditatibus occurrat; quoties verò in hecticis cor per ſe primùm non erit affectum, neque pulmones, ſed ventriculus toties ipſi ventriculo præter naturam ſqualido, atque excandefacto, erit prius per comeſta & bibita quæ refrigerent, ac humectent occurrendum, vt quæ ſuis viribus integris ei occurrant, ſive parti primò affectæ; non verò aër, quamvis & tunc aër inſpiratus, vel extrinſecus corpori occurrens poſſit etiam conducere, cor, & totum corpus attemperando, non tamen ita, vt comeſta ac bibita, cùm hæc potius quàm aër ſuis integris viribus occurrant parti primò affectæ, vel occaſionis principio, neque jecinori ex inſpirato aëre, proſequitur Gal. Vtilitas aliqua accedit; à comeſtis verò & bibitis minor planè quàm ventriculo. Cæterùm aliqua non obſcurè advenit: vt enim ſuprà dicebamus, alimenta, & quæ nutriunt præ aliis alterantibus poſſunt noſtra corpora immutare: quare à comeſtis & bibitis & jecur, & aliæ partes quæ in cavitate naturali continentur, magis quàm ab aëre inſpirato in febribus hecticis, & cùm earum ſunt partes primò affectæ juvantur, quamquam & in iis aër frigidus inſpiratus conferat non parum: nam & in iis neceſſe eſt cor ſimilem intemperiem ab illis recipere, & per conſequens indiget aëris inſpirati refrigeratione: communis autem, ait Gal. omnium ſanatio eſt per ea quæ extrinſecùs applicata refrigerant & humectant, vt *cap. ſequenti* latiùs videbimus: hic autem, vt caput concludamus, ſolùm advertere debemus quòd ſex diverſæ materiæ *ſup. cap.* propoſitæ ad curandas febres aptæ, nunc revocantur ad tres tantùm, nempe ad aërem qui inſpiratur, ad comeſta ac bibita, & ad ea quæ extrinſecùs applicantur: imo ad duas, ad vnam ſaltem magis principalem, atque præcipuè confert ad hecticam extinguendam, vt nunc aër inſpiratus eſſe ſolet, nunc comeſta & bibita, & alias quæ minus conferunt aut conducunt ad earum curationem.

Dubitationes & annotationes ſuper Textum.

Lib. ſup. cap. 14. egimus de aëre in morbis, & quæ inde videbantur oriri dubitationes expoſuimus; quæ quamvis ita ſint, nunc etiam aliæ ſeſe offerunt examinandæ dubitationes, & aliæ advertendæ notationes: cùm enim aër illa res ſit, ſine qua neque vivere, neque valere poſſimus; & cùm aër ſit, quem velimus aut nolimus, ſemper neceſſario attrahimus, atque inceſſanter reſpiramus: denique cùm aër inſpiratus ſuis integris viribus ad cor ipſum, quod eſt fons vitæ, atque origo perveniat, vt parum antea vidimus; ex his quoque intelligimus aërem tum in ſanis, tum in ægris eſſe maximè attendendum, curandumque quàm maximè vt ſit talis, qualis oportet in ſanis ad tuendam ſalutem, & in morbis ad eorum curationem: non enim quodlibet ſequitur ex quolibet, ſed determinatum ex determinato, vt ait Ariſtoteles, & conſequenter neque aër vtcumque diſpoſitus poteſt aut ſanitatem tueri, aut morbos profligare; ſed benè diſpoſitus, vel ita diſpoſitus, qualis requiritur ad dictas functiones moliendas exactè. 168

Quæ vt magis pateant, advertimus hic quòd in aëre provt ad præſens ſpectat, debemus tria attendere, non ſolùm primas qualitates, ſed etiam ſubſtantiæ puritatem, aut impuritatem, & tertiò lumen vel ſplendorem: qui enim aër inſpiratur non ſolùm ſuis primis qualitatibus, ſcilicet calida, aut frigida, &c. alterat nos, & cor atque totum corpus afficit, ſed & etiam ſi ſecundùm ſuam ſubſtantiam vitiatur, aut impurus redditur, etſi in lumine, vel in ſplendore immutatur: aër enim naturalis vt in primis qualitatibus debet eſſe temperatus, quoad nos ita in ſubſtantia debet eſſe puriſſimus, & abſque permixtione vlla alterius ſubſtantiæ à qua impurus aut inſalubris aliqua ratione reddatur; & tertiò debet eſſe expers omnis coloris, vel odoris, vel alterius ſecundæ qualitatis; ſed merè diaphanus, vel omnino tranſparens, ſplendens, & vt lumen perlucidus: quare aër inſpiratus provt in primis ſuis qualitatibus erit alteratus, & in ſubſtantia mutatus, vel in lumine, aut diaphaneitate, vel alia ſecunda qualitate cor & noſtrum corpus alterabit, atque immutabit, & per conſequens quolibet ex tribus illis modis poterit nos lædere, cùm bonum fiat ex integra cauſa, & malum ex quocumque defectu: vnde non ſolùm in hecticis febribus, ſed in quolibet alio morbo ille aër erit eligendus, qui in primis qualitatibus temperet, vel in bona temperatura conſervet noſtrum nativum cordis calorem, & extraneum ſeu febrilem extinguat, vel ſaltem corrigat, in ſubſtantia ſit puriſſimus, non craſſus, non cœnoſus, vel alia ſubſtantia inſalubri aut maligna infectus, & experta alterius ſecundæ qualitatis: etſi enim in ali- 169

quibus casibus & in aliquibus naturis ægrotantium aër mutatus aliquantum, v.g. ad odorem, vel aliquam levem densitatem juvet, vt mutatus in primis qualitatibus ferè semper: nam in hystericis passionibus mulierum fœtidi odores sunt vtiles, & multi sunt qui sive sint sani, sive ægri rebus benè olentibus maximè delectantur, & juvantur; similiter quibus dormire oportet tenebræ conveniunt, & aër nubilosus, è contra lucidus quibus opus est vigilare; etsi inquam hæc vera sint, & multoties Medicus ægrotis quæ appetunt concedere debeat, quia iis delectantur, hæc tamen non tollunt quòd generaliter Medicus in morbis curandis illum aërem eligat, & ægris inspirandum adhibeat, qui in primis qualitatibus sit contrarius morbo, & simul abstineat ab aëre impuro, id est mala aliqua substantia, vel aliqua secunda qualitate malè affecto, non solùm cùm aër secundùm suam substantiam vitiatur, vel corrumpitur, multùm offendit, sed etiam cùm secundùm qualitatem secundam mutatur: multæ enim mulieres ex odore bono suffocantur statim, multi etiam ea odore capite gravantur, & omnes venenatis exhalationibus castrangulantur: quare aër, qui inspiratur in morbis debet esse expers dictarum substantiarum, atque qualitatum.

170 Ex modò explicatis, atque animadversis sequitur prima dubitatio examinanda, scilicet in quibus morbis debeat mutari aër? id est, in quibus morbis conveniat quòd ægrotantes mutent locum, sive regionem in qua ægrotant: sunt enim aliqui morbi, in quibus non est satis ad eorum curationem quòd aërem inspirent ægri vbi ægrotant, nedum alteratũ, vt ipsi morbi indicant, sed requirunt quòd ægrotantes mutent locum, ferantúrque in alias vbi diversum aërem respirent: qui enim vlcere pulmonis laborant indigent aëre inspirato qui multùm exsiccet, quia vlceris curatio est exsiccatio, & ideo Gal. phthisi laborãtes, sive laborantes vlcere pulmonis pessimo mittebat ad Tabias, sive ad montem quemdã, in quo aër erat siccus valde, vt hunc respirarent, eoque inspirato vlcus vel sanaretur, vel saltem vlcere siccato vita longiùs protraheretur: cùm enim morbus est incurabilis, saltem longum ægri interitum comparare debemus. Itaque supposito, tanquam certo, quòd in aliquibus morbis est vtile mutare aërem quo respirant ægri, & alium salubriorem quærere, hic tamen quærimus in quibus morbis opus est quòd ægri mutent locum, vel regionem in qua ægrotant, & alium quærant locum vbi aërem respirent salubriorem. Huic dubio quasi respondens *Hipp. 6. epid. parte 5. sent. 19.* scribit terram mutare in longis morbis optimum est; & ratio est, quia etsi non semper incidimus occasione aëris in morbos, sed ex aliis causis, in morbis tamen longis accensendus est aër, cùm aër, vtpote incessanter inspiratus, si salubris non existat possit plusquam alia causa morbum protrahere; & ita cùm morbus alias non incurabilis nimis protrahitur & non curatur, verosimile est valde quòd aër morbum prorogat atque conservat: quare tunc aërem mutare convenit, & in alio loco salubriori convenientem respirare: sic enim experimur multoties dictos morbos longos mirabiliter curari.

Sed his sic constitutis, adhuc dubitatur 171 hic an non solùm in longis morbis oporteat mutare aërem, sed in aliis etiam? Pro cuius resolutione est advertendum quòd cùm quis laborat morbo acuto deest occasio mutandi aërem, tum quia in acutis est præceps, tum quia eo tempore alia necessariò adhibentur remedia morbo acuto, quæ impediunt ægrotantem locum mutare, vel quæ simul cum mutatione loci fieri nequeunt: vnde communiter respondetur, in longis morbis qui ægrotant, in neutra corporum dispositione, & tempore pestis, qui sani sunt debent fugere locum in quo degunt, & alium salubriorem quærere, etsi longè distet. Tandem dubitatur quò sint mittendi qui locum in quo habitant mutare debent? Multi respondent aërem patrium esse omnibus optimum; & ratio est, quia aër patrius omnibus est naturalis, & per consequens melior quàm alius quisquam qui naturalis non sit; atque proinde ad patrium aërem esse mittendos quicumque opus habent locum mutare, & aërem salubriorem respirare; sed revera rectiùs respondent qui dicunt mittendos esse ad aërem contrarium, sive sit patrius, sive non; & ratio fundamentalis est, quia hæc mutatio aëris est propter curationem, vel ablationem morborum præsentium in morbis longis, & propter præcautionem, ne in morbos incidant, tum qui neutra corporis dispositione sunt præditi, tum qui sunt in aëre pestilenti: at morborum curatio, & præcautio ne quis in morbum incidat, contrariis solùm adquiruntur, sive talia contraria sint connaturalia, sive non: si enim quis calido ac sicco morbo laborat, qualis est febris hectica, ab aëre calido & sicco, etsi patrio sit, non solùm non curatur, sed offenditur ab aëre vero frigido & humido sibi contrario, benè se habet, & curatur, etiam si non sit patrius: quare aër patrius quamvis omnibus sit naturalis, non ideo tamen omnibus est semper salubris, vt in lacte experimur: etsi enim lac maternum omnibus infantibus sit naturale, non ideo tamen omnibus est magis vtile quàm extraneum; sed multoties contingit quòd extraneum, sive alienum sit magis vtile & infanti conveniens quàm maternum; ideo tunc mutatur bene lac, omissoque in totum lacte materno, alienum solùm præbetur infanti sugendum; & benè succedit, juvaturque infans, ac rectè nutritur, etsi lac sit sibi alienum: quare & lac, & aër patrius solùm cum cura sunt qualia esse debent, sunt alia potiora, quia sunt naturalia; & quidem sola hilaritas & patriæ amor solet multùm juvare.

Quamvis

172 Quamvis autem videatur dubio responsum esse optimè quantum fieri potuit, vtpote ex natura rei accepta, & tradita responsione: at si verè etiam supra est dictum, atque suppositum quòd in aliquibus casibus ægris est gratificandum, & quæ appetunt, ac quibus delectantur Medicus concedere debet pariter, & ægrotis in aëre eligendo gratiam facere debemus, dummodo eum appetant, & eo maximè delectentur, & dummodo sensibiliter contrarius non sit: vt enim parum deterior cibus, aut potus, suavior autem melioribus quidem, sed minus suavibus est præferendus, vt ait Hipp. 2. *aphor.* 38. ita parum deterior aër, suavior autem melioribus, sed minus suavibus est præferendus in dictis casibus, quia, vt ait Gal. *in comm.* natura ea quæ cum voluptate assumit, avidius amplectitur, & faciliùs concoquit, vel actuat, & quod bonum est sibi assumit, pravumque emendat, atque à bono separat, & subinde extra corpus excernit, veloti alia corporis excrementa, verùm quæ ita gratificantur, vel ægris gratis conceduntur, ait Gal. *6. epidem. part. 4. comm.* 8. non debet esse nisi parum diversa ab optimis: nam id quidem significat verbum illud Hipp. parum deterior cibus, aut potus, id est parum diversus cibus, aut potus ab optimo, vel multùm bono: nam si cibus, aut potus positivè malus est, vel multum lædens, nedum vehementer cupientibus est concedendus, neque aër, aut quidquam aliud, quia si talia dantur, magnum afferunt exhibita detrimentum, etiã si vehementer appetantur, & jucundè sumãtur.

173 Rursus dubitatur hìc, an quæ cum Gal. diximus in textu de hecticis, ex aliis morbis pendentibus possint subsistere? si enim hecticæ febres in omnium opinione morbi sunt facti, atque immateriales cordis intemperies, consequens esse videtur quòd omnis febris hectica sit propria passio cordis, vel quòd cùm hectica febris sit primùm cordis affectus, & nullo modo dependens ab hepatis, aut ventriculi inflammatione, neque ab vlcere pulmonis, neque à febre ardente, vel alia diuturna febre, vel inflammatione, vel obstructione, vel alio morbo eorum à quibus magna ex parte primùm fieri hecticas, & quidem marasmodes diximus cum Gal. *in secunda capitis parte*; sed respondetur quòd quamvis febres hecticæ omnes sint propriæ passiones cordis, & eius intemperies factæ, atque immaterialis morbi; inde tamen non sequitur quòd ex aliis morbis non oriantur, & quòd nequeant ab eis si non dependere, saltem fomentari: etsi enim quicumque morbi facti sunt, à seipsis conservantur, & amplius non indigent à quo conserventur; tamen qui tales sunt etiam foveri possunt ab aliis, sive morbis, sive caussis sibi similibus, & per consequens quamvis febres hecticæ sint morbi cordis, & quidem jam facti in eo, id est per se in corde jam subsistentes, & jam nullo indigentes à quo conserventur: hæc tamen non obstant quòd hecticæ febres, quæ ex aliis generantur, vel ex inflammationibus, aut aliis morbis aliarum partiũ à corde possint ab eis foveri: etsi enim tales febres hecticæ sine his caussis suis jam in corde fixæ conservantur, ac permanere possunt per multum temporis, verùm & tunc ab illis si permanent de novo foventur, vel amplius fixantur in corde: vnde fit quòd tunc vt dixit Gal. in Textu, tales febres non solo aëre inspirato curari debeant, sed primùm, vel simul per comesta & bibita, vt hæc temperent ventriculum, hepar, vel alias partes, quæ primò laborant, & aër inspiratus quæ ab illis compatitur.



CAPUT IX.

Quæ medicamenta sunt quæ extrinsecus hecticis febribus applicantur in earum debita curatione.



EX dictis *cap. superiori* 8. vel *antecedente* 7. colligitur quòd materiæ quæ ad curandas febres hecticas à Medicis præscribuntur, sunt in vniversum duorũ generum; aliæ quæ per os assumuntur, & aliæ quæ extrinsecus corpori applicantur: constat etiam ex *cap. sup.* quòd assumpta per os sunt tum aër qui inspiratur, tum quæ comeduntur, ac bibuntur; ex his verò quæ *in præsenti cap. 9. & sequenti* 10. affert Gal. constat similiter quòd materiæ quæ extrinsecus in hecticis applicantur, sunt potissimùm tum balneum aquæ dulcis, tum vnguenta quædã, aut cataplasmata, vel emplastra: quare cùm *cap. sup.* egerit jam Gal. de aëre inspirando in hecticis, agit *in præsenti* 9. de medicamentis dictis, quæ peculiariter in hecticis extrinsecus applicantur ad refrigerandas partes primò ac potissimùm affectas, vt *in sequenti* agens de balneo concludat materias quæ extrinsecùs applicantur; & tandem *cap.* 11. agens de cibo ac potu totam absolvat curationem. De medicamentis ergo extrinsecùs hecticis applicandis nunc agens Gal. tria præstat: nam primum docet qualẽ naturã debeant habere, secundũ quæ sunt quæ eam habent, & tertium, quibus partibus debent applicari: quare caput dividitur in tres partes. 174

TEXTUS.

Sequitur jam vt de iis medicamentis agam, &c.

HÆc est prima capitis pars, in qua Gal. explicat qualem naturam debeat habere medicaméta, quæ extrinsecus apponuntur, vel apponi debẽt in curatione febrium hecticarũ; dicit ergo: frigida esse debẽt & humida, non tamen vtcumque, sed quæ cum his nimis 175

non adſtringant:etſi enim hectici refrigerari poſtulant,&quidem non parum,ſed quo magis benè fieri poſſe:quia tamen quæ multùm refrigerant extrinſecus corpori applicata cutim denſant,eiuſque poros aſtringunt, & ſic quidem ſuam frigiditatem altè penetrare impediunt,ſive ad partes carnoſas, & ad alias magis internas venire non ſinunt:idcirco ea frigida & humida medicamenta eligenda ſunt (ait Gal.in hecticis quæ extrinſecus admota humectent quidem,ac refrigerent,minimè tamen adſtringant: nam quæ nimis adſtringunt neque humectant, neque refrigerant,etſi frigida ſint & humida,& per conſequens neque hecticis vtilia eſſe poſſunt, ſed è contra noxia : quæ enim adſtringunt, ſive adſtringant, quia multùm refrigerant, ſive quia ſunt terrea,&;craſſarum partium,omnia quidem exſiccant corpus,aut partes quas adſtringunt:nam quæ refrigerando adſtringunt corpus,exprimunt humiditatem,veluti ſpongiæ humiditas exprimitur, ſi talis ſpongia manu comprimitur,ſive adſtringitur;quæ adſtringunt quia terrea ſunt, & craſſarum partium corpus exſiccant, non ſolùm quia partes comprimunt,ſed etiam quia ſua nimia ſiccitate conſumunt,ſive bibunt corporis humiditatem: quare adſtringentia, qualiacumque ſint,non humectant, ſed à contrario corpua exſiccant, neq; quæ adſtringunt poſſunt corpus refrigerare, quamvis frigida ſint (nam multa ſunt adſtringentia calida) quia vt parum antea dicebamus, quæ adſtringunt nequeunt ſuam frigiditatem in altum, ſive in partes corporis internas dimittere,& per conſequens neque eas refrigerare, ſed è contra calefacere : propterea quòd cutim cogunt, & poros coarctant,ac per conſequens impediunt expulſionem fuliginoſorum excrementorum, quæ per cutim debet ſemper fieri,nec ex detentis ſub cute dictis fumoſis excrementis corpus præter naturam exſcandeſcat, aut feriat : quare rectè dicit Gal. quòd quæ nimis adſtringunt neque humectant, neque refrigerant, neque hecticis poſſunt eſſe vtilia,ſed è contra nocent ; optima verò ſunt (ait ipſe) quæ non modò citra adſtrictionem refrigerant, ſed etiã corpori ſubſtantiæ ſunt tenui;quaſi dicat medicamenta,quæ extrinſecus apponi debent in curatione febriũ hecticarum, frigida quidem eſſe debent & humida,& quæ nimis non adſtringant, quia quæ adſtringunt neq; humectant, neque refrigerant,vt hecticis convenit: quare ea optima ſunt,quæ quãvis refrigerant,non modò non adſtringunt, ſed etiã ſunt tenui corporis ſubſtantia prædita;id eſt, ea optima ſunt, quæ refrigerant quidem, & non parum, ſed non ideo adſtringunt,neque cutẽ conſtipant, ſed ea conſtant tenui ſubſtantia, ſive penetrante quòd cuti applicata non detinentur ibi,neque poros denſant, ſed per illos ſtatim ad interna penetrant,ſicque totum corpus refrigerant, atque humectant partes internas æquè ac externas.

TEXTVS.

Ac quæ quidem abſolutiſſimè tenuium partium ſit, &c.

QVòd medicamenta quæ extrinſecus corpori applicari debent in curatione febris hecticæ frigida eſſe debeant & humida, & tenuium partium, cùm ſit demonſtratum, nunc inveſtigare aggreditur Gal. an detur medicamentum aliquod tale, id eſt quod multùm refrigeret,& non adſtringat, ſed ſit tenuium partium, & ſic ſuam frigiditatem extrinſecus applicatam altè penetrare faciat, ſive vſque ad omnes corporis internas partes mittat. Scribit ergo ſic : *Ac quæ quidem abſolutiſſimè tenuium partium ſit ſub autem exactè frigidam inveniſſe, fortaſſe non eſt; quaſi dicat: non videtur dari aliqua ſimplex remediorum materia, quæ ſit frigida & humida multùm, & abſolutè tenuium partium; & dixi exactè*, ait, *propter acetum quod quamvis ſit omnium* (quæ novimus) *poteſtate refrigerantium planè tenuiſſimarum partium, id eſt quamvis acetum multum refrigeret, & ſimul multùm penetret, ad profundum ſua partium tenuiſſima ſubſtantia, at exactè frigidum non eſt, ſed admixtam ſibi habet aliquam caliditatem; & præterea corpora quæ tangit ſiccat, quamvis ad imaginem ſit humidum, id eſt quamvis actu corpus humectet, quo fit vt ad eos affectus quos humectari & refrigerari expedit ſolo aceto non vtamur, ſed tanto aqua frigida admixto, vt poſſit bibi.* (Hæc Gal.) quæ ſanè vera ſunt: non enim datur mixtum aliquod ſimpliciter,& abſolutè aut exactè frigidum humidum, & tenuiũ partium, nedum quidem aqua ipſa, neque acetum : aqua enim etſi frigida ſit, & exactè humida, non tamen eſt tenuium partium, ſed adſtringit quidem, & craſſarum eſt partium, acetum etiam licèt refrigeret,& tenuium ſit partium, ſimul tamen cùm his calefacit etiam,atque nimis exſiccat: nam partes acidæ refrigerant,& acres calefaciunt,ex 4.*ſimpl.* & conſequenter, quia acetum plures partes habet acidas quàm acres magis refrigerat quàm calefacit,ſed exſiccat valdè, quia eius omnes partes acidæ & acres deſiccant: vnde benè dicit Gal.cùm opus eſt refrigerare ſimul & humectare,ſolo aceto non eſt vtendum,ſed ei tantum aquæ eſt admiſcendum, vt poſſit bibi: ſic enim fit compoſitum quod refrigerat ſimul & humectat, & penetrat, cùm ad invicem ſe corrigant acetum & aqua; cùm enim acetum & aqua ſimul refrigerent, à fortiori compoſitum ex vtriſque refrigerabit,compoſitum etiam ex vtriſq; & humectat & penetrat : nam ſiccitas aceti vincitur à maiori aquæ humiditate, ſicuti adſtringentes partes aquæ vincuntur à tenuiſſimis aceti : quare compoſitum ex aceto & aqua dictum reſultat actu & poteſtate multùm refrigerans, & humectans & penetrans. 176

Itaque

177 Itaque quamquam corpus, seu medicamentum simplex, quod absolutè tenuium sit partium, & simul exactè frigidum non inveniatur (inquit Gal.) at tamen materiæ inveniuntur plures, quæ si simul componuntur, compositum faciunt medicamentum, quod dictas habeat dotes: non solùm enim aqua & acetum si misceantur taliter, vt bibi possint, mixtum faciunt quod exactè refrigerat, & est tenuium partium, aut multùm penetrans, vt modò est demonstratum; sed etiam sunt alia multa medicamenta simplicia, quæ si debitè misceantur, faciunt pariter mixtum quod ad prædicta sit maximè idoneum: quapropter nunc tales materias quærere, ac deligere oportet, ait Gal. ex quibus compositio resultet, quæ ad hecticas sit efficax: cùm enim medicamentum simplex non datur quale requiritur ad morbum curandum, vt nunc accidit, tunc necessariò compositionem plurium efficere cogimur, quæ ad propositum finem sit maximè idonea, vt 1. *de compositione medicamentorum*; secunda genera pluribus modis demonstrat Gal. in quibus etiam libris, inquit, modò latiùs est dictum de compositione & electione talium medicamentorum; dicentur tamen, & nunc aliqua in exemplis, vt hic quoque Medicus in hoc genere membratim sit exercitatus, vt hic etiam in doctrina de compositione medicamentorum Medicus in particularibus compositis medicamentis seorsim sit exercitatus.

TEXTVS.

Incipiam autem ab eo medicamento, quod omnium quæ, &c.

178 HÆc est secunda capitis pars, in qua multa composita medicamenta Gal. ponit, quæ extrinsecus corpori applicata non solùm hecticos, sed & multos alios morbos calidos & siccos valent exactè refrigerare, & humectare, sine restrictione aliqua, quæ noceat, sed cum sufficiente penetratione vsque ad internas corporis partes, vel à morbis magis læsas, & earum corroborationem; cùm enim partes læsæ principes sunt, vt cor, cerebrum & hepar, vel deserviunt toti corpori, & ei præbent alimentum, vt ventriculus & hepar; & denique cùm jam ex quavis causa sunt languidæ; cùm inquam, partes affectæ, vel à morbo læsæ sunt aliquæ ex dictis, non solùm indigent alteratione, qua earum intemperaturæ corrigantur, sed simul indigent corroboratione, seu detentione sui nativi caloris, ne dissolvatur à morbo, vtpote suo contrario; & ideo nunc quia in hecticis & partes principes laborant, & aliæ cum illis languent, non solùm medicamenta proponit & eligit, quibus in hecticis partes læsæ refrigerentur, atque madescant, sed simul corroborentur, & calor nativus earum languidus conservetur, aut præcaveatur ne exsolvatur à calore hectico à quo multùm patitur, atque dejicitur. Quòd autem res se habeat vt diximus, constabit statim ex examine singulorum medicamentorum, quæ affert Gal. & nunc inde colligitur quòd inter multas compositiones medicamentorum, quas affert Gal. & nunc idem colligitur, quia inter multas compositiones medicamentorum, quas hic ponit, non annumerat compositionem ex aceto & aqua laudatam ad refrigerandum & humectandum, ac penetrandum; & quidem multum; ex eo scilicet, quia etsi sic refrigerat, atque humectat, non tamen robotat quod est in hecticis necessarium; ea enim est aceti partium tenuitas, quòd in eo cum aqua mixto nedum levissima astrictio aquæ remaneat, quæ partes quas attingit possit roborare; & ideo neque hæc compositio hecticis est idonea, sed quæ simul cum frigiditate, ac humiditate & partium tenuitate aliquam etiam habet levem astrictionem, qua partes quas astringit roborentur: vnde vt in aceto suprà dicebamus quòd vnà cum multis partibus frigidis aliquæ reperiuntur aereæ, quæ calefaciunt, ita in compositionibus medicamentorum, de quibus cum Gal. modò agere paramus, cum multa partium tenuitate, qua penetrent, aliqua debet dari levis astrictio, vel aliqua aliarum partium levis crassities, qua partes læsæ roborentur: non enim hæc levis astrictio, aut levis partium crassities impedit totius compositi penetrationem, sed potiùs juvat, cùm tenuiores sunt plures, vt supponimus; tunc siquidem à præpotentibus sit penetratio, & postea quæ paululùm astringunt magis intropellunt penetrantes tenues, vt 3. *simp. cap.* 17. exemplo aceti tosati docet Gal. latè. Vnde ad hoc denotandū, dixit in prima parte ea medicamenta esse deligenda, & extrinsecus applicanda in curatione hecticarum quæ citra vehementem adstrictionem refrigerant: nam quæ magnopere adstringunt, vt sunt acerba & austera, humiditatem ingredi, imbibique in partibus impediunt, nequaquam quæ leviter astringunt.

His præmissis, & ad maiorem textus explanationem prænotatis, jam textus expositionem aggredimur, in quo sic scribit 179
Gal. *Incipiam autem ab eo medicamento quod omnium quæ humectent, ac refrigerent est simplicissimum*, &c. Quasi dicat: multa sunt medicamenta composita, quæ corpori extrinsecus applicata illud refrigerant, atque humectant, vt febre hectica laboranti requiritur; sed quia inter hæc omnia vnum est simplicissimum & magis efficax; ideireo ab eo incipiam, quo etiam adversus erysipelata vtor, & phlegmones in pudendis inter initia, & antequam aliqua subindicetur putredo.

His dictis, ponit statim Gal. materias 180
duas, ex quibus medicamentum componitur, nempe ceram, & oleum tosatum,

docetque quas dotes vtraque materia debeat habere, vt compositum resultet ad propositа efficax; quod tamen non nominat, aut quo vocetur nomine non dicit, fortassis quia ex dictis nomen cuique constare poterat; si enim medicamen ex cera & oleo rosato confectum, ad refrigerandum resultat efficax; ex his nomen sibi propriom assumit, scilicet ceratum rosatum refrigerans, vel vnguentum rosatum refrigerans; medicamentum siquidem quod ex cera & oleo conficitur vocatur ceratum, aut vnguentum. Vnde factum est quòd Medici posteriores communiter hoc medicamen vocaverint ceratum refrigetans Gal. aut vnguentum refrigerans Gal. etsi autem Gal. medicamento nomen non imponit, tamen de eo agit exactissimè: nam primum ex quo cera, ac ex oleo rosato parari debeat explicar: deinde vtriusque quantitatem determinat, & tandem modum conficiendi.

181 A cera igitur incipiens, debebit, inquit, ad id præparata esse cera quàm optima, & elota, id est ad propositum medicamentum componendum in primis ea cera est eligenda, quæ & in se est quàm optima, nempe quæ est alba, & insuper elota: cera enim quo magis est alba, eo magis est excrementis purgata, & per consequens hæc est potior ad componendum medicamentum propositum, cùm sit purificata humida simul, & frigida evadat; humida quidem non parum, sed tantum quantum est mollis, & facilè flectitur, frigida verò minus remanet, sed elota refrigeratur: lavatur enim aqua frigida, aut frigidissima aqua multùm refrigeratur: quare cera alba elota relinquitur frigida & humida, & quidem non parum: similiter oleom rosatum debet esse non quodlibet, ad tale medicamentum parandum. Sed esto, ait Gal. rosaceum quod ex eo oleo fit, à nonnullis vocato omphancino, ab aliis crudo, quodque fine sale fit confectum, maximè verò ad rem pertinebit, si & ipsum oleum tenuium prorsus sit partium, cuiusmodi sabinum est. Itaque vt cera debet esse per excessum frigida, atque humida ad parandum ceratum propositum, ita pariter & rosaceum, sive oleom debet esse, non quodlibet, sed quod magis refrigerat simul, atque humectat: oon enim quodlibet oleum rosarum refrigerat multum, sed solum quod omphancinum vocamus, id est quod ex oleo immaturo, sive ex olivis viridibus, ac immaturis extrahitur, & ex rosis immaturis, sive nondũ explicatis (quas nos *capullos de rosas* vocamus:) quare oleum rosaceum omphacinũ esse oportet, sive crudũ, vtpote factũ ex olivis ac rosis crudis, & fine sale: nam sal calefacit, atque exsiccat valde. Sed quid sibi vult dicere Gal. cùm ita scribit: *Maximè verò ad rem pertinebit, si & ipsum oleum tenuium sit prorsus partium, cuiusmodi sabinum est.* Vt rectè respondeatur, nota quòd oleum omphancinum est duplex: vnum quod ex olivis fit immaturis, vt modò dicebamus, & *omotribes* Græcè, sive crudum ideo dicitur; aliud datur omphancinum, quod ex oleo maturo fit omphacio macerato; id est, aliud est rosaceum oleum factum ex rosis immaturis in oleo maturo, tamen facto omphacio, sive succo agrestæ, aut vuæ immaturæ prius macerato, aut sæpiùs lavato, vt sic aciditatem acquirat, quæ refrigerat, & *omphax* dicitur Græcè; hoc notato sensus verborum dictorum est, si inopia olei omphancini, quod ex olivis fit immaturis rosaceum fieri cogamur ex oleo maturo, tunc quidem maximè ad rem pertinebit, si oleum eligatur tenuium partium, vt sabinum est.

Iam quantitates ponit dictorum duorum medicamentorum, dicitque quòd cùm ceratum humidum fieri debeat, tale fiet quòd triplum, aut quadruplum ad ceram rosaceum habebit: vnde apud nos & ferè apud omnes Medicos ceratum frigefaciens Gal. sic dispensatur: 182

℞ ceræ albæ ℥j. olei ros. omph. ℥iiij. Misce, secundùm artem: tandẽ modũ faciendi docet Gal. dicens: *Cùm veluti voles ambo mixta liquatur*, &c. quasi dicat: cùm ceratum humidum refrigerans, atque humectans velis efficere, vt sequitur debet parari cera, vt diximus parum antea disposita, aut præparata, & in frustula divisa, debet oleo rosaceo omphancino conjungi, & sic ambo mixta debent liquari in duplici vase, id est non in calido sicco, sed in balneo Mariæ, vel à calido humido balnei aquæ calidæ; sic enim liquantur citra exsiccationem aliquam, aut caloris empyreuma: deinde postquam sic liquata fuerint ab igne removentur, & in aliud vas transfunduntur, vt ibi aliquantulum refrigerata modicè coquantur, aut coagulentur, ac vnum fiat; vbi verò modicè concreverit compositum, aqua frigida paulatim affunditur & agitatur, continua subigitur, & rursus nova frigidæ affusio, atque agitatio iteratur, donec sic compositum tantum aquæ imbibat, quantum accipere in se mixtura possit; cui si aceti quoque albi & tenuis parum adjeceris, v.g. ℥ß. si adhuc magis refrigerans & humectans medicamentum efficies. *Expedit autem* (ait Gal.) *ceratum hoc & prius admodum esse refrigeratum affusa ei quæ admiscetur aqua frigidissima*; & cùm modicè coivit mixtura, totum vas in quo continetur in aquam frigidissimam dimitti, vt semper medicamentum actu frigidissimum conservetur, neque eo vsque manere supra corpus ægrum, debet vt manifestè incalescat, sed assiduè subinde mutari; si enim manifestè incalescit, fermentatur, ac refrigerandi vim amittit, & sic postea potius calefacit quàm refrigeret.

Vnguentum igitur, seu ceratum refrigerans ex dictis compositum, & admodum dictum fabricatum est præstans, atque vnicum remedium (ait Gal.) non solùm in hecticis febribus ad refrigerandum & humectandum corpus in eis, & calorem becticum earum extinguendum, verùm etiam 183

in

in herysipelatibus, herpetibus, carbunculis, & phygthlis, sive phlegmonibus inguinum, quæ putridæ non sunt; extinguit liquidem omnem febrilem calorem, sive calorem omnium, & siccitatem præter naturam, quæ simplices sunt qualitates, vel ab humoribus tenuissimis oriuntur, vt sunt erysipelata, & herpetes: quamvis enim oleum rosarum omphancinum ex oleo crudo constans, & succo rosarum immaturo refrigeret simul cũ aliqua astrictione orta ex dictis substantiis crudis, quia tamen dum componitur medicamentum, & liquantur dictæ substantiæ,& multùm agitantur, & aquæ atque aceto miscentur, siquidem attenuantur adeo, vt mixtum resultet etiam extrinsecus actu refrigerans appositum, humectans, penetrans, atque corroborans partes omnes quas attingit, vsque interiores corporis. *Vnde scitè* (dicit Gal.) *etiam hoc vtor ad versus herysipelata & phlegmonas in pudendis, quæ putridæ nondum sunt*: nam revera in his & similibus morbis calidis ac siccis, qui ab humoribus pendent præcalidis & tenuissimis, aut fusis, non ex crassis, aut putridis ac multis, mirificè refrigerat, humectat, penetrat, atque roborat, & quidem citra vllam læsionem, cùm corpus in dictis morbis plethoricum non sit, neque morbi dicti ex plenitudine pendeant, aut putredine, vel alia humoris cruditate, aut saccina, quæ à medicamine detenta lædere possit.

TEXTVS.

Oxalidos, aut oxylopati succus cum exigua polenta, &c.

184 Exposita compositione vnguenti, seu cerati refrigerantis, Gal. ponit nunc multa alia medicamenta, ex paucis quidem mixta, sed satis efficacia ad propositas indicationes adimplendas, etsi benè dicitur, frustra fiunt per plura quæ fieri possunt per pauciora æquè benè; in morbis tamen longis, vt sunt febres hecticæ, non semper Medicus vno medicamento vti debet, sed modò vnom, modò alterum est adhibendum, ne vni natura assuescat, vel ne vnum continuatum reddatur inutile; siquidem consueta natura non mutant, sed plus conservant, quia gaudet natura consuetis: quare Gal. nunc scientissimè plura affert medicamenta ad curandos hecticos debita, vel ad refrigerandum, humectandum, ac roborandum optima, vt ex eis Medicus modò hoc, modò illo vtatur, ne natura vni assuescat, vel potius vt Medicus hoc nunc, postea illo vtatur, provt hectici modò magis, modò minus refrigerari, aut roborari postulant: quo enim hectici magis temperantur, minus refrigerari petunt, & quo magis protrahuntur, aut extenuantur, eo indigent maiori roboratione, & earum quæ deficiunt adjectione; itaque oxalidos, aut oxylopati succus, ait, id est, succus acetosæ silvestris, quæ oxylopatum acutum dicitur cum exigua polenta mixta excipiatur duplici panniculo detrito, & frigidus imponatur; succus enim acetosæ quæ oxalidos Græcè dicitur, acidus est, & per consequens frigidus ac siccus, & substantia tenuis, sive penetrans, vt 4. *simpl.* docet Gal. oxylopati tamen succus parum acidi habet, quia obtunditur à multa aquæ humiditate, quæ cum aciditate miscetur, atque proinde talis succus frigidus est, & potius humidus quàm siccus & penetrans, quia humiditas eius aquea non adstringit, sed facilè fluit, quia est naturalis, & per consequens benè cocta, sive attenuata à calore nativo: vnde si talis oxylopati succus cum exigua polenta, id est cum modico farinæ tenuissimæ permisceatur, & duplicato panniculo, vel duplicato linteo raro, seu detrito excipitur, & frigidus affatim imponitur, vel frequenter applicatur corpori, ipsum sic quidem refrigerat, humectat, atque roborat, vel saltem exsolutionem caloris nativi reprimit: nam polenta, sive farinæ flos succo permixta compositum facit, quod poros occludens suo lentore impedit exsolutionem caloris nativi, quæ per poros corporis, ac per insensibilem transpirationem fit. Dicit autem quòd duplicato panniculo excipiatur compositum, & corpori applicetur, vt sic frigiditas actualis magis duret, sicque efficaciùs extinguatur calor corporis immoderatus.

185 His positis ponit etiam Gal. quòd & portulacæ succus, & sempervivæ, & uvæ immaturæ, & lentis palustris, & viridis tribuli & polygoni & lactucæ, & intybi, sive scariolæ, cum tenui polenta præstant eosdem effectus, atque succus dictus, oxylopati est: nam omnes dicti succi refrigerant, & quidem non parum, quamvis inter illos datur aliqua differentia, quia aliqui magis, & alij minus refrigerant, & similiter non omnes æqualiter humectant, neque roborant: nam portulacæ succus, & sempervivæ & lactucæ magis quàm alij refrigerant, atque humectant, non tamen magis roborant; similiter succus uvæ immaturæ & lentis palustris, ac polygoni magis roborant, & minus humectant, quàm alij dicti: denique succus endiviæ refrigerat, & deobstruit, & succus uvæ immmaturæ potius adstringit, quàm humectat, cùm sit acidus, crudus, non verò coctus, vel maturus, vt acetosæ, velut est succus citri: vt enim sapor acetosus uvæ immaturæ dulcis tandem fit, nempe cùm uva ad maturitatem venit, ita dum acidus est, dicit esse crudus: nam sapor acidus qui talis est semper, vt qui in succo acetosæ reperitur, & acido citri, atque limonis; ideo non transit in dulcem, quia acidus est maturus, & non crudus; & ideo acidus sapor maturus non adstringit vt crudos, sed è contra penetrat, quia est tenuium partium. Tandem dicit Gal. & sine polenta licere nobis integris dictis herbis tonsis,

veluti ad prædictos vsus; & quidem ita est: nam si herbæ ipsæ tonduntur, aut pistantur, sic sanè cataplasmatis formam adquirunt, & per consequens aptam vt corpori applicatæ siccas qualitates ei imprimant, no minus, atque earum succus simul cum polenta mixtus, & corpori applicatus.

186 Rursus ad eadem dicit esse bonum remedium palmularum pinguium cernem exemptis membranis alias cum solo aceto albo, seu claro, cum posca meraciori, ad flacciditatem vsque coctam, & cum tenuissima polenta tritam imponere: sunt enim pingues palmulæ quæ nascuntur, atque nasci apparent, & per consequens crudæ & crassæ multùm, cùm adhuc sub terra degant: quare etsi earum caro frigida sit, cùm tamen sit nimis crassa, ac cruda debet necessariò cum aceto tenuissimo concoqui, quale est album, vel saltem cum posca meraciori, id est cum aqua, & multo aceto, vt sic non solùm mollescat, aut humectat actu, sed & substantiam terream crassam deponat, assumatque tenuem ac fluidam, seu humidam aquæ, atque aceti; & sic frigida simul ac humida, penetransque restet, qualis ad suppositas indicationes requiritur, & tandem cum polenta permixta aut confusa emplastica evadat, aut potens porus moderatè claudere, atque sic conservare calorem corporis nativi ne exsolvatur. Quòd si hæc compositio parum mollis esse appareat, inquit, tunc vt magis mollescat, vel sufficienter mollis evadat ad corpus refrigerandum, atque humectandum ex supra posito cerato aut vnguento refrigerante, vt ex oleo rosaceo aliquid est admiscendum, & sic pharmacum vtilius habebimus: vidimos enim supra quòd non solùm dictum ceratum, aut vnguentum multùm refrigerat, atque humectat, sed & oleum rosatum omphacinum si benè conficitur, & simplex paratur ex oleo ac rosis immatutis, sine sale, ac sine aromatis.

187 Tandem salutare remedium est ad curandas febres hecticas, & alias corporis intemperies calidas ac siccas rosarum succus frigidus vnà cum polenta (ait Gal.) salutares etiam sunt, & ipsæ rosæ contusæ: præterea stirpium quæ moderatè astringunt germina trita, vt germina hederæ, atque olivæ; veluti etiam licet herbis quæ modicè astringunt, v. g. solano, vbi duo advertimus notatu digna, nempè quòd dicit: *Rosarum succus frigidus, & stirpium germina, atque herba quæ modicè astringant.* Dicit siquidem rosarum succus frigidus, vt intelligamus quòd rosæ Alexandrinæ & vetè sunt rosæ, & tamen earum succus non refrigerat, sed calefacit corpus, purgatque, atque exsiccat; quæ omnia nocent hecticis, & quidem multùm: quare solùm succus rosarum frigidus, sive succus rosarum rubrarum est salutaris, veluti & ipsæ rosæ vivæ tunsæ ad corporis morbos calidos, ad siccos curandos, roborandasque partes affectas debilitatas; etsi enim succus rosarum rubrarum, & ipsæ rosæ redolentes multùm sint, & hæc substantia odora sit tenuis, evaporabilis, ac calida: cum hac tamen sunt plures aliæ partes, sive substantiæ in dicto succo, atque ipsis rosis, quæ per excessum refrigerant, & modicè astringunt, & quæ superant dictam substantiam calidam redolentem; atque ita succus dictus, & rosæ à prædominio refrigerant, & quidem non parum, quia saltem substantia odora sit tenuis, atque evaporans aperit partes quas attingit, & sic partes alias refrigerantes penetrare facit, ac magis refrigerare. Vt enim in oleo rosarum moderata partium crassities juvat ad penetrationem aliarum partium quæ in illo sunt tenues, vt ex 3. *simpl. cap.* 17. supra diccbamus; ita pariter substantia rosæ quæ redolet juvat ad penetrationem & maiorem refrigerationem aliarum quæ refrigerant in rosis; & hinc etiam provenit quòd ad refrigerandum, atque humectandum in hecticis eligat hic Gal. stirpes, ac herbas, quæ modicè adstringant, quia hæc quæ sic modicè adstringunt, non solùm roborant, sed & etiã frigiditatem faciunt ad profundum vsque penetrare, ac per consequens sic multùm refrigerant.

Hic objicit Lemosius quòd Gal. de temperamento olei rosacei varius sit: sed quid mirum si rosæ ipsæ diversis dictis constant substantiis; & multæ sunt differentiæ olei rosacei, imo & rosæ ipsæ, atque earum succus differunt inter se, quia aliæ sunt crudæ adhuc, nempe quæ nondum sunt explicatæ, & aliæ jam sunt maturæ, sive jam integrè explicatæ, atque in totum apertæ, & distinctæ: quæ enim rosæ crudæ adhuc sunt, vel nondum explicatæ longè magis refrigerant quàm maturæ, & consequenter oleum rosarum omphacinum refrigerat multo magis quàm oleum rosa um completum, seu quod fit ex rosis jam maturis: vnde illud refrigerat, atque repellit: hoc enim refrigerat, & potius resolvit quàm repellit, quia plures habet partes tenues ac calidas, non solùm quæ sunt odoræ, sed & quæ sunt completè maturæ: vnde etiam provenit quòd rosaceum completum parum refrigerat, vel sit temperatum potius inter calorem & frigiditatem, quàm frigiditate aliqua excedente constans; neque est mirum quòd rosaceum, & rosarum succus sint eiusdem temperamenti, cùm oleum quod est materia rosacei succi frigiditatem non minuat sensibiliter; sed quis succus rosarum est frigidus in secundo gradu, vt sæpe dicit Gal. immaturus, aut qui ex rosis incompletis extrahitur: nam maturus vltra primum non refrigerat. 188

TEXTVS.

TEXTVS.

Porrò vtendum his est, non sicut vulgus facit, &c.

189 HÆc est vltima capitis pars, in qua Gal. advertit quòd medicamenta quæ extrinsecus applicantur ad morbos curandos, non sunt applicanda cuiliber parti, neque in hecticis febribus, vt vulgus facit debent imponi toti thoraci, aut toti ventri, sed illi potissimùm, ac præcipuè parti, quæ primò per se, atque maximè est affecta: etsi enim febres, & præsertim hecticæ morbi sunt cordis, atque totius corporis, tamen neque in hecticis, aut aliis febribus expedit, vt cum eo quod refrigerari valent desiderat, etiam id refrigeremus quod prorsus non desiderat, aut ante justum tempus refrigerare desistamus, timentes vtinam aliquam partem lædi: ego enim hominem novi (ait Gal.) qui imposito præcordiis refrigerante medicamento statim difficulter respirasse, & alium qui protinus tussivisse, atque paulò post vtriusque accidens quievisse, vbi quod refrigerabat est ablatum: quæ quidem vt ita non eveniant, etiam in hecticis oportet quæ refrigerant imponere eutis partibus determinatis, illis saltem quæ maximè aut primò ac per se laborant, & non aliis, v.g. in hectica quæ sola est. vel quæ à determinata aliqua parte inflammata non dependet, regioni cordis, & spinæ adhibenda sunt remedia, quia tunc cor, & spinalis medulla potissimùm patiuntur; cor quidem, quia est subjectum febris, spinalis verò medulla, quia ab arteria magna quæ spinæ adjacet inflammatur, aut multùm candescit: in hectica autem quæ ab aliqua corporis parte inflammata, vel aliter ardente oritur, etiam huic parti refrigerans remedium est imponendum, vt jecori v. g. aut ventriculo, si ab iis oriatur, sed non aliis quæ dictis refrigerantibus læduntur: nam etiã in hecticis sunt plures partes quæ læduntur à multis frigidis, aut vt à refrigerante Gal. quamvis hæc sint pro aliis omnibus quæ extrinsecùs adhibentur, potissimùm auxilium earum.

Annotationes super Textum.

190 Aliqua sunt hic breviter notanda, vt magis intelligantur quæ dicta sunt in expositione Textus: sit ergo primùm notandum quòd quamvis in *præsenti capite* vt visum est, Gal. vnguentum refrigerans solùm componit ex cera alba & oleo rosarum omphacino cum pauco aceto, & aqua frigida, in aliis locis miscet his succum sempervivæ, aut lactucæ, aut solani, vel similium; & quidem benè, cùm vt expositum etiam est, hæc omnia sint frigida & humida cum levi aliqua adstrictione; sed hic consultò omisit horum eum illis miscelam, ne compositum ex his & illis nimis frigidum evaderet, & consequenter lædens potius hecticos quàm curans; cùm enim succi dicti, vel eorum aliquis additur vnguento refrigeranti Gal. certum est quòd inde frigidius evadit, quia tales succi sunt frigidi multùm, nempe in tertio gradu completo, vel quarto incipiente: vnde in hecticis quæ ita intensè refrigerant, neque extrinsecùs apposita sunt omnino tuta, cùm corpora hecticorum sint sine carnibus, ac debilia, & quæ ideo à multùm frigidis offenduntur, aut læduntur nimis; ideo siquidem aqua nive refrigerata hecticis interdicitur, quamquam sit refrigerans & humectans, si quod aliud, sed omne nimium est naturæ inimicum.

Secundum notandum sit quòd oxalis, & 191
oxylapatum sunt illæ duæ herbæ quæ rumex dicuntur, sicuti Græcè lapatum: rumex ergo sive lapatum, oxalidos græcè dictum, vel oxalis dicitur illa herba, quæ acetosa peculiariter appellatur, & acetosa oxalis quidem dicitur à sapore manifestè acido, qui in ipso percipitur, quique Græcè oxys vocatur, altera verò species lapati, aut rumicis oxylapatum dicta, & de cuius succo Gal. agit in Textu, oxylapatum dicitur potius à figura, quia eius folia tendunt in longitudinem, ac desinunt in acutum, quod oxys etiam Græcè dicitur, quia sapor acidus multus in ea, vt in acetosa percipiatur, verum sit quod & oxylapatum, sive acetosa, quæ folia habet longa, & in acetum desinentia est duplex: vna quæ seritur, & altera quæ sponte nascitur: quæ inter se manifestè differunt, quia quæ seritur, & magis acida est, & folia habet longè minus longa quàm quæ spontè nascitur; ex quo fit quòd communiter oxylopatum potius dicatur hæc vltima species rumicis quæ spontè provenit in pratis, aut locis humidis quàm altera quæ seritur, vel sponte etiam nascitur in locis siccis: hæc enim quia magis acida est, & quia eius folia minus sunt longa, & in acutum terminantia acetosa potius quàm oxylapatum communiter vocatur, quamvis folia eius revera figura sint similia foliis oxylopari dicti; & ex his credendum est nunc per succum oxylapati intelligere Gal. succum huius acetosæ quæ seritur, quàm alterius quæ sponte nascitur in locis præhumidis, cùm hæc planta ferè nihil acidi saporis, sive frigiditatis habeat humiditatem superfluam.

Sit tertium notandum, quòd polenta, 192
sive tenuis farina, sive farinæ flos potest esse duplex; altera ex tritico, & altera ex hordeo molito orta; & per consequens nunc per polentam possumus hanc vel illam intelligere, cùm dicit Gal. in Textu: Exigua polenta mixta, imò cum hordei polenta refrigeret saltem magis quàm polenta tritici, videtur hinc dicendum polentam ex hordeo factam esse potius miscendam cum succis illis frigidis, quàm alteram quæ fit ex tritico; & quidem non desunt magni Medici, qui

qui ita faciendum prædicant, atque statuunt propter rationem traditam : verùmtamen si attendimus quòd hordei farina exsiccat, atque resolvit ; hinc etiam dicendum compellimur, cum illis succis frigidis, atque humidis ad curandas febres hecticas compositis, aut dispositis, potius polentam ex tritico ortam esse miscendam, quàm alteram, quæ fit ex hordeo : polenta enim quæ ex tritico optimo fit, nempe ex siligineo, vel quem nos (*trigo candial* dicimus nostro idiomate) etsi non refrigerat, vt quæ fit ex hordeo, tamen non calefacit, sed temperata est inter frigiditatem & calorem, & potius humectat corpus, atque humores acres obtundit, quàm exsiccat ; & denique potios poros cutis cui applicatur obturat quàm resolvit, aut humiditates corporis foras ire permittit ; & per consequens hæc polenta in hecticis erit magis vtilis, quàm quæ fit ex hordeo, cùm exsiccatio & humoris resolutio in hecticis lædant maximè, & è contra humectatio & pororum cutis obturatio, ne humiditates corporis exhalent, sint in hecticis maximè necessariæ.

193 Hic etiam dubitat Lemosius vtrùm acetum si calidum, & quæ sit eius tota natura, cùm non sit simplex entitas, sed naturale compositum, atque ex diversis substantiis constans. Diximus etiam nos Textum exponentes, quòd acetum est simul acidum & acre, & quòd aciditas est soboles frigiditatis, vt acrimonia caloris, vel vt Gal. dicit *4. simpl. cap.* 12. ex acrimonia in aceto cognoscitur caliditas, & ex aciditate frigiditas, atque proinde vt acetum magis est acidum quàm acre : nam ideo acetum dicitur, ita in aceto caliditatem superat frigiditas, imo acetum ex se quidem, vel ex sua natura acidum sive frigidum solùm est, vtpote vinum mortuum cùm sit, sive vini calore nativo privatum, ex accidente, sive ascititio calore fit acre, & ita acetum longè plures habet partes frigidas quàm calidas, nisi acetum vetustate corrumpatur, vel aliter acre admodum fiat & calidum pariter. Hæc autem quamquam sic se habeant in aceto, acetum tamen quoad omnes suas partes quibus constat exsiccat, atque attenuat, aut penetrat, quia omnes habet ex corruptione vini, & adscititio calore multùm attenuatas, ac desiccatas: quare acetum etsi actu sit humidum, vel fluidum vt aqua, tamen non humectat, sed multùm exsiccat, adeo vt sit tertij ordinis exsiccantium : vnde prudenter Medici tempore pestis, ac dum magis viget putredo iubent vti aceto in potu ac cibo, vel aqua diluto ad irrigandum ægri cubiculum: sic enim & putredinem extinguit, & multum æstum refrigerat ; insuper in aliis multis morbis acetum admirandos præstat effectus : nam non solùm refrigerat & penetrat, vt dictum est, sed etiam exsiccat valde, discutit, seu resolvit, atque repellit, vt *6. secundùm locos, cap.* 1. docet Gal. Vnde si acetum bibatur jejuno ventriculo, corpus obesum emaciat, sed multa incommoda alia infert, quippe quòd visionem lædit, seu debilitat, tussim excitat, ventris tormina, atque rosiones, stomachum, hepar, nervos, juncturas, atq; vterum vehementer offendit, & venas obstruit valde.



CAPVT X.

De balnei partibus, ac qua ratione omnes conveniant hecticis pro eorum curatione.



EXPLICATIS aliis remediis, quæ extrinsecus corpori applicantur à Medicis in hecticis ad eorum febrilem calorem & siccitatem extinguendum, tandem *hoc* 1. *capite* agit Gal. de balneo, docetque diffuso sermone, quot, qualesque sunt omnes partes balnei, & contra opinionem Philippi, magni quidem tunc Medici, probat balneum aquæ dulcis secum omnes suas quatuor partes esse opportunum remedium in febribus hecticis. Hæc autem vt demonstret quatuor inter alia agit : nam primùm ea supponit, aut exponit quæ sunt tanquam fundamenta ad probanda ferè omnia quæ de balneo in hecticis demonstranda sequuntur ; in secundo loco agit de balneo aquæ dulcis, distinguitque quatuor eius partes, singularum docet vtilitates, & omnes convenire hecticis posse ostendit ; tertiò agit de marcore ; & quartò tandem ponit quo pacto ad balneum ducendi sint laborantes : quare caput præsens in quatuor benè secabitur partes. 194

TEXTVS.

Verùm ego cùm jam sentiam mensuram, &c.

ANtequam Textus expositionem particularem aggrediamur, placet aliqua breviter exponere, quæ lucem possunt afferre, ad ea magis intelligenda quæ veniunt explicanda : igitur cùm hecticæ febres illæ sint, quæ non solùm cor, sed omnes corporis partes solidas calefaciunt præter naturam, & exsiccant valdè ; consequenter inde supponere, atque intelligere debemus, quòd medicamenta quæ hecticis adhibentur debent ita refrigerare, ac humectate, & intemperiē ipsam calidā ac reficcatā partium solidarū & principaliū membrorū ita corrigere, vt alimenta non vrantur, sed in naturam suam frigidiorem & humidiorem redeant; sic enim & hectica extinguitur febris, & salus consequitur, & corpus reficitur ; sunt siquidem febres hecticæ morbi facti partium viventium, 195

ventium, & per consequens lædunt ipsam nutritionem, qua viventia conservantur: quare quæ remedia curant hecticam febrem debent non vtcumque earum intemperiem habitualem calidam & siccam tollere, sed ita bene, aut efficaciter, vt inde partes viventes, & naturalem frigiditatem, seu attemperationẽ consequantur, & humiditates nativas deperditas restaurent per totius corporis debitã nutritionem: vnde balneum in hecticis tale esse debet, quòd ab eo partes solidæ atque viventes, quę sunt in habitu corporis non solùm temperentur, sive refrigerentur, & siccitatem contractam in totum deponant, verùm etiam tum carnes laxentur, tum pori earum aperiantur, vel maiores ita fiant, vt intra ipsos alimentum ingredi queat, & sic singulis partibus juxtaponatur ad eas nutriendas: in hecticis enim pori præ nimia siccitate densantur ita, vt alimentum excipere nequeant intra quos ingredi debet alimentum, vt sic singulis partibus juxtaponatur vt ipsas nutriat; & ideo hectici contabescunt, aut multùm extenuantur, etsi eorum calor febrilis sit paucus: non enim nutriuntur sufficienter ex defectu dicto, quia alimentum non attrahitur, neque juxtaponitur partibus propter pororum angustiam, aut nimiam densitatem à vehemente febris siccitate contracta.

196 Hic jam debemus advertere quòd etiamsi Gal. *in præsẽti c.* 10. agit fusissimè de balneo, non tamen agit de omni balneo, neq; de aliquo alio, nisi de illo, quod ex aqua dulci paratur: cùm enim nomen balneum absolutè profertur, & sine aliqua alia additione, vt in Textu fit, hic quidem intelligitur quòd ex aqua dulci, sive ex aqua ordinaria paratur ad differentiam balnei sulphurei, aut aluminosi, vel aliorum, quæ fiunt ex aqua medicata, vel ex aqua mixta, aut alterata cum sulphure, vel alumine, vel sale, vel similibus, quæ cum aqua permiscentur, aut eis suas vires facilè communicare possit. Itaque agere nunc Gal. de balneo in hecticis, aut quærere nunc Gal. an balneum conveniat in hecticis febribus ad earum curationem, est idem, ac quærere an balneum aquæ dulcis possit esse vtile, atque conducere ad caliditatem & siccitatem hecticorum corporum, corrigendas non solùm, sed & insuper ad earum carnes, & alias partes viventes solidas laxandas, atque earum poros dilatandos sufficienter ad distributionem alimenti versus partes cutaneas, & alias omnes quæ sunt in habitu corporis; qua quidem alimenti distributione maximè indigent hectici, & dictæ partes ex nimia siccitate ita contractæ aut rugatæ, & pori obcœcati, vt distributio alimenti vt debet non fiat: de balneo autem aquæ medicatæ, nẽpe sulphureo, aut nitroso, aut salso vel aluminoso nihil hic agit Gal. cùm omnia exsiccent, & per consequens noceant valdè.

197 Acturus ergo Gal. *in præsenti cap.* 10. de balneo aquæ dulcis, demonstraturusque *in secunda capitis parte* quòd tale balneum secundùm omnes suas partes est conferens ad curandas febres hecticas, conducitque non parum ad consequendas omnes indicationes quæ in hecticis reperiuntur adimplendæ; in hac prima capitis parte ea præmittit, supponit, atque statuit, vnde quæ reliqua sunt, dependent, ac demonstrantur. Sic igitur scribit: *Verùm ego cùm jam sentiam mensuram præsentis instituti me excedere, ad ea quæ tractationis series proxima exhibet, convertar. Proxima verò si à jam dictis exhibet consideratio de balneo, tum ipsius rei causa, tum vel magis propter Philippum, qui hecticis quas marasmodes vocant, ipsum noxium putet,* &c. quasi dicat Gal. Multa quidem dicta sunt *cap. sup.* de medicamentis quæ extrinsecus adhiberi possunt ad febres hecticas curandas: quare non nimis moremur in his, & ne mensuram præsentis instituti excedamus; agamus jam tandem de balneo distinctè, atque in particulari, vt quod præ aliis extrinsecus corpori applicatum ipsum potest alterare: non enim balneum vnam tantùm corporis partem attingit, vt alia remedia suprà tradita, sed omnes corporis partes externas, quæ sunt in habitu afficit, atque alterat; & idcirco balneum præ aliis quæ extrinsecus corpori applicantur, est potens corpus alterare, & partes eius quæ sunt in habitu juvare, vel lædere: atque ob hæc, & quia Philippus magnus Medicus putat balneum esse noxium hecticis, quæ dicuntur marasmodes, ipse, ait Gal. quod de omni balneorum vi, id est, quod de vi singularum balnei partium sentiam, tum etiam qua ratione omnes balnei partes possint esse commodæ, non solùm hecticis, quæ sunt marasmodes, sed omnibus aliis *in hoc cap.* aperiam; etsi enim *in septimo lib. sup.* in his qui propter siccam ventriculi intemperiem extenuati erant, & in diariis febribus *lib. 8. sequenti* vsum balnei laudarem, atque jubere. Cæterùm vniversam eius tractationem ad hunc locum servavi, quia hic agit de morbis quibus efficacissimus est balnei vsus, quidquid Philippus interdicat: balneum enim aquæ dulcis, quamvis ex variis constet partibus, vt postea videbimus, secundum omnes illas refrigerat, atque humectat si benè vtantur, atque ideo tale balneum hecticis omnibus est efficacissimum, vtpote caliditatem & siccitatem hecticorum adæquans sine aliqua noxa, quod neque in diariis febribus, neque in quibus propter ventriculi siccitatem sunt extenuati contingit: nam si in diariis refrigerando juvat, humectando balneum nocere potest, cùm diariæ morbi sicci non sint, si pariter in extenuatis ob siccam ventriculi intemperiem, humectando balneũ curat, refrigerãdo potest lædere, cùm siccitas ventriculi non sit conjuncta cum aliquo calore præter naturam, sed in hectica sunt ambo præter naturã.

Itaque demonstraturus *in sequentibus* 198
Gal. contra Philippum quòd balneum est hecticis febribus conferens remedium, hic ex aliis fusiùs traditis duo docet, ex quibus suppositis colliguntur quæ dicimus. Docet igitur

igitur primùm quòd cùm febris hectica, & potissimùm marasmodes, de qua loquitur Philippus, sit morbus compositus ex duobus, scilicet calido & sicco, debet necessariò, vt rectè curetur secundùm vtrumque eorum cognosci ad vnguem & propriam curationis indicationem à quocumque eorum debemus assumere: cùm enim vnus in corpore affectus est, inquit, eius curationem invenire, si non ratione, certè experientia possumus: vbi verò connexi duo, tresve sunt, præsertim qui maximè contraria inter se auxilia requirunt, fieri nequit, vt experientia quid agendum sit, inveniatur, imò neque facilè ratione, siquidem à quolibet eorum propriè sumitur curationis indicatio, & quod vnus indicat agendum, alius contradicit: quo quidem casu ex substantia sive essentia cuiusque affectus benè cognita videndum, aut colligendum est, quem primum omnium, aut magis quem rursus minus, aut secundo, vel tertio loco curare conveniat, & quibus vtendum sit remediis pro vna qualibet indicationis curatione. Hæc quidem cùm sic se habeant, ex his primùm sequitur (ait Gal.) quòd febrium omnium, quo febres sunt, proprium remedium est refrigeratio, sive talis refrigeratio sit actu, sive potestate, & sive per se à medicamento operetur, sive per accidens: nam multa sunt quæ ex accidenti refrigerando febrium sunt remedia; & sicut sæpe morbus est compositus, aut duplex, ita quidem sunt remedia quæ duplicem facultatem habent, ita vt prima ratione, vel per se & ex accidenti proficiant, sive operentur: quod genus & balneum est: vt enim frigida potio per se quidem proficit febri, vtpote actu refrigerans; succus autem uvæ immaturæ potestate tantùm, & tamen ambo refrigerant primò aut per se ipsa, & non intercedente alio; at sanguinis missio non primùm, sed ex accidenti sanat calidam intemperiem, quia caussam eius evacuat, veluti & purgatio, & clister, & fomentum calidum, sive resolvens, & cataplasma digerens, aut coquens: balneum verò per se & per accidens refrigerat, vtpote ex variis constans partibus.

TEXTVS.

Quippe ingredientes in aëre versantur calido, &c.

199 HÆc est secunda capitis pars in qua multa percurrit Gal. & diffusa oratione pertractat, siquidem prius de balneo agit, de eius vtilitatibus & incommodis; postea de balneo in hecticis, docetque & experientia & ratione balneum aquæ dulcis in hecticis multùm conducere: quare tria sunt præcipua quæ hic agit, atque ideo & hæc pars claritatis gratia in tres particulas secabitur. In prima ergo particula dividit balneum primùm in quatuor partes, explicatque singularum istarum partium vtilitates, quas possunt corpori afferre, si eis aliquis tempestivè vtatur, & simul noxas ostendit quas balneum infert, si quibus non convenit adhibetur: principio igitur balnei aquæ dulcis quatuor inquit Gal. sunt partes, quippe ingredientes in aëre versantur calido, postea in aquam calidam descendunt, mox ab hac egressi in frigidam merguntur, postremò sudorem detergent. Prima pars dicitur Græcè hypocaustum, Latinè calidarium, aut sudatorium*, in qua aër moderatè calidus & humidus continetur, atque ideo si in eo corpora detineantur, possunt materias quæ sunt in habitu tum calefacere, tum liquare, tum per sudorem aut insensibilem transpirationem emittere, sicque quæ inæqualia erant, aut dura, vel aspera æquare, & cutim laxare. Secunda balnei pars dicitur solium calidum, Latinis lavacium, vel labrum, quòd piscina est, aut vas, vel tina aqua calida plena, in qua homines abluantur: hæc ergo secunda pars, vbi quis in sicco corporis affectu ea vtitur, potest madorem, sive humiditatem vtilem solidis partibus immittere: vt enim prima pars balnei parum humectat, & magis digerit, ita è contra secunda humectat quidem magis, parum verò digerit; atque ideo benè dicit Gal. quòd hæc potest madorem vtilem solidis partibus exsiccatis immittere. Tertia pars est solium frigidum quo vbi quis probè vtitur, potest & totum sic corpus refrigerare, & cutem densare, & vires firmare. Quarta pars balnei corpus per sudores citra refrigerationis noxam valet evacuare: hæc enim etsi detergendo corpori propriè dicata sit, si tamen omnia ritè adhibita sint, potest post frigidæ vsum per sudorem corporis excrementa citra refrigerationis noxam expellere, & postea sudorem detergere.

Sic expositis partibus, atque vtilitatibus 200
balnei aquæ dulcis, advertit Gal. posse etiam lædere tale balneum, si quis eo intempestivè vtatur; potest siquidem balneum, si quis intempestivè laverot, & horrores excitare, tum cutem densare, tum humores liquare, tum denique licèt balneum temperatum sit, febrem accendere, aut aliud malum simile efficere: ergo cùm hæc omnia, ait Gal. circa homines corpus efficere valeat, dulcis aquæ temperatum balneum tentandum nobis hic est, omnia distinguere, ac primùm de illis agere, qui si in balneo se lavant horrore tentantur. Sanè horroris caussam esse diximus *suprà cap. 4.* mordentium excrementorum citatiorem motum per partes sentientes: quare quibus horum est abundantia, caro verò ac cutis densæ, his quidem horror incidit, sive balneum sint ingressi, sive in sole steterint fervido, sive aliquo alio modo, vel gestati, vel perfricti, vel vehementius exercitati sint: agitantur enim humores qui in

corpore

corpore redundant non solùm ex balneo, sed etiam ex vehemente qoavis corporis dimotione si quibus sic per corpus cõcitatis partes sentientes vel rigent, vel horrent, vel frigus, vel aliquam lassitudinem patiuntur pro diversa humoris agitatione, copia, ac qualitate, vt 1. *de causis sympt. cap.*5. latè explicat ipse Gal. atque proinde si quis balneum ingreditur, redundat acribus excrementis, aut humoribus, is quidem vel rigorem, vel horrorem, vel frigus, vel demque vlcerosam persentiet lassitudinem, provt partes sentientes magis aut minus ab humoribus agitatis mordentur, aut concutiuntur: nam rigor, horror, vlcerosa lassitudo & frigus solùm differunt, ratione maioris, aut minoris agitationis, & mordicationis, aot irritationis bnmoris commoti: quibus autem actia dicta excrementa sunt pauca, & cutis, ac corporis habitus habiles, vt remittantur laxenturque à balnei calore, ij non modò horrent, sed etiam meliores redduntur, vtpote excrementis per id vacuatis: si quis enim balneum ingressus non horruit, sed tarefacta, vel à tensione remissa, laxataque cutis est; hinc planè quæ diximus vtilitates balnei succedent, scilicet excrementorum vacuatio æqualis per totum cutis corpus caloris attemperatio, pororum cutis tarefactio, & tensionis carnium fusio: nam hæc quidem agit balneum cùm quis eo rectè vtitur, id est quando qui balneo vtitur neque multa cruditate laborat, aut humorum copia, vel mordentium excrementorum, neque adhuc tam est densa lavantis cutis, vt ad primum ambientis aëris balnei occursum nequeat naturalem suum habitum recipere, vt in accessionibus febrium, & potissimùm in primo invasionis initio & augmento esse sæpè solet: si enim ab his inconvenientibus homo est liber, & debilis non est, neque aliqnid primæ notæ viscus habet imbecillum, vel inflammatum securus balneum ingreditur, veluti è contra intempestivè eo vtitur si aliqoo dictorum afficitur incommodo: nam ideo quidem in accessionibus febrium balneo non vtimur vsquequo perveniat ad declinationem, quia incipiente accessione habitus & cutis densantur aut comprimuntur, adeo quòd nedum à balnei calore possint aperiri, vt in accessionis declinatione, vel incipiente vel præcedente jam habitus corporis laxatur, & cutis pori modicè aperiuntur, atque ideo tunc balneum confert non parum.

TEXTVS.

Ac vacuatio quidem excrementorum omni, &c.

201 POsitis vtilitatibus, seu potestatibus balnei, cùm benè eo aliquis vtitur, advertit hic Gal. atque explicat quæ ex dictis balnei potestatibus conducunt ad curationem febris, & quæ non, vel saltem minus. Scribit igitur veluti ad hunc modum: *Ex omnibus quæ de balneis sunt tradita in summa colligitur quòd si omnia rectè sunt adhibita, vacuatur quidem quidquid in corpore vel fuliginosum, vel vitiosum est, quòd corpus ac cutis rarefiunt, atque laxantur, quòd pori aperiuntur, & humores funduntur à calore balnei.* Hæc ergo cùm sic se babeant, vacuatio quidem excrementorum omni febri est vtilissima, sicuti etiam carnium, ac corporis à tensione relaxatio, & pororum aut viarum apertio moderata, seu debita ad excrementorum expurgationem & attemperationem naturalis caloris; fusio autem & calefactio non ita, sed calor omni febri est inimicus, siquidem refrigerari non calefieri febrium affectio postulat; at fundi æqualiter, sicut solidis partibus, quæ tunc inæquales, aut tensæ ea intemperie inæquali non est alienum, ita succi jus non est perpetuò tutum, neque vtile, sed quoties in corpore est aliqua plenitudo, sive ad vasa, sive ad vires, vel aliqua phlegmone est in visceri: nam excalefacti aut liquati succi si detur inflammatio, ad eam confluunt, atque augentur; similiter si aliqua datur plethora, & colliquatur, distendunt nimis tunicæ, ac vires ideo malè afficiuntur, impares siquidem fiunt venæ, aut arteriæ abundantiæ, quæ jam ea liquatione spiritu est impleta: quare calidis, siccisque affectibus, de quibus hic agimus, vt emissio mordentium excrementorum est salubris, & liquefactio eorum citra periculum, cùm sint pauci, ita calefactio noxa non caret, cùm morbus consistat in calore excessivo; atque hæc quidem potissimùm ex prima balnei parte hecticis eveniunt, modò tempestivè ea vtantur; ex secunda verò sicut ea humectatione juvantur, sic ex calore nihil illis commodi accedit, in tertia refrigerantur innoxiè quæ fuerant nimis excalefacta, & vires firmantur, etsi partes erant plus justo laxatæ, ad naturalem redeunt mediocritatem, idque quarta balnei pars indicat: quippe in quibus omnia ritè sunt adhibita, ij post frigidæ vsum adhuc sudant, & omnia ipsis excrementa vacuantur.

TEXTVS.

Itaque ex omnibus quæ de balneo retulimus, &c.

IN hac & sequenti Textus particulis ostendit Gal. quòd balneum aquæ dulcis est conferens remedium in febribus hecticis, & in aliis morbis calidis ac siccis: ostendit autẽ non vtcumque, sed exactè quidem, qoantum per humanam frigiditatem fieri potest, experientia & ratione: non enim habemus, ait ipse Gal. *suprà lib.*3. *cap.*2. alia adinveniendæ veritatis instrumenta, nisi rationem & expe- 202

rientiam; atque proinde in præsenti Textus particula ex experientia ostendit Gal. balneū aquæ dulcis esse commodum remedium iis qui ex nimio calore ac siccitate squallent, vel aliter malè afficiuntur, & in sequenti ex natura rei, seu ratione concludit id ipsum. Scribit igitur nunc veluti sic: Itaque quòd ex vsu balnei aquæ dulcis, in quibus ritè adhibetur, & vacuetur quod in corpore fumidum est: consistant autem in naturali symmetria, seu temperatura, tum caro ipsa, tum cutis, solidarumque partium aridiias corrigatur, & calor excedens summoveatur, maximo huius rei documento est constitutio corporis, siue status qui redditur ex vsu balnei aquæ temperatæ, postquam in sole feruente iter fecerimus: quippe accedimus ad id, ne loqui quidem præ linguæ & faucium ariditate valentes, totumque corpus stipulæ ritu aridum habentes: attamen egressi à baloeo illico omnia pro naturæ habitu recipimus, neque febrem, aut calore nimio vexati, neque siccitate affecti, promptéque loquentes, ac plurima sitis parte leuati; si verò aliquis calido ac sicco corporis affectu præditus, tali peracto itinere non lauatur, vel frigida, aut frigidæ potu calorem non extinguit, statim febricitabit, aut multo plenus tædio, grauatoque capite perseuerabit, ex æstu, fumosisque excrementis vitiatus: multi etiam iuuenes eiusmodi confecti itineribus, aut aliis squalidis caloribus vbi se illico in aquā frigidam projecerunt iuuantur, potissimùm qui valentibus sunt viribus, ac frigido soliti sunt assueti; ita similiter animalia rationе carentia, sed ex ipsa gubernante natura ad id quod conducit impulsa, vbi æstu vexantur frigida se lauant, etsi frigore vrgentur, calida cubicula sibi quærunt, sicuti eodem contrarietatis studio, cùm esuriunt comedunt, & cùm sitiunt bibunt, reliquaque omnia naturæ impulsu obeunt, atque benè operantur.

TEXTVS.

Ac si certam febricitantium naturæ notitiam, &c.

203 Hic jam ex natura rei, seu ratione docere aggreditur Gal. quòd balneum aquæ dulcis est remedium ad curandas febres hecticas adæquatum, & quidem quatenus tale balneum ex contrariis duabus constat partibus, scilicet lauacro calido & frigido; etsi enim calida balnei pars, siue secunda, quæ talis est calorem hecticum extinguere nequeat, neque attemperate, per accidens tamen, vt videbimus statim, non solùm hecticis febribus potest esse vtilis, sed & aliis multis; similiter etsi frigida balnei pars est, quæ per se indicatur ab omni febre, in hecticis tamen est periculosa, & non sine maxima attentione potest benè administrari, atque proinde nunc Gal. docet ex natura rei qua ratione dictæ duæ partes balnei conferant, imo sint necessariæ ad rectè curandas febres hecticas: duo autem sunt quæ nunc demonstrat; primum scil. quòd balneum aquæ frigidæ in hecticis non est tutum; secundum, quòd qui hectica febricitant, nisi in frigidam aquam sint demissi, atque mergantur in illam nihil iuuantur: vnde & hæc Textus pars in duas diuiditur.

Ad primū ergo accedens Gal. scribit quasi in hunc modum: Si certam notitiam naturæ febricitantium haberemus, non dubitaremus eorum aliquos assiduè in aquis frigidis lauare, aut balneare, non quòd sint quidam qui eā desiderent ex iis quos iuuavit, constat manifestè: non enim contulisset vnquā talis frigidæ aquæ balneatio, aut lauatio, nisi qui ea vsi sunt eo tempore ad eam fuissent rectè dispositi; verùm cùm nos huius debitæ dispositionis exactā notitiam non habemus, & maximè ex errore eius cognitionis impendeat noxa; ideo eiusmodi præsidiū recusamus, potissimum in hecticis febribus, in quibus cùm paucus sit sanguis, & corpus extenuatū, siue expers carnis, atque adipis, nullum solidarum partium datur muoimentum, aut propugnaculū quo frigidæ aquæ occursum sine noxa excipiant, sed protinus similaribus ipsis partibus occurrit frigida, easque sic distemperat, atque ad operandum reddit ineptas, quod est magnum inconueniens, quia omnes animantium actiones obeunt à partibus solidis similaribus: quare quāvis qui ex calida & sicca intemperie hectica febricitant, & potissimùm si jā marasmodes fiunt, id est tabidi, aut multùm extenuati tale præsidium expetūt valde, tamen eis tutum non est, vt neque gracilibus & imbecillis qui æstate calida & sicca longā viam egerunt, sed prius in balneo aquæ calidæ æqualiter debent calefieri. Quippe simile nobis accidere videtur, cùm in frigidum solium post calidum ingredimur, eo quod ferro candenti accidit cùm frigida extinguitur: etenim tum refrigeramur, tum roboramur, veluti ferrum candens cùm frigida mergitur: vnde ad imbecilla corpora inuenta sunt balnea, siue calidæ partes balnei, vt ea calefaciat, atque sic ad frigidum solium præparent: nam non dissimile faciunt, qui sine præcedento calido balneo frigida vtuntur aqua cùm se ab exercitatione in eam demittunt, siquidem cuiusmodi est balneum calidum non exercitatis, eiusmodi iis est exercitatio: vt enim ex exercitatione totum corpus incalescit, ita balneum, seu calida balnei pars non tantùm corpus calefacit, sed etiam insiti caloris motum à profundo corporis extrorsum cōcitat, & ita quidem vt & sic possit frigidæ aquæ coercere impetum, & ne violenter in profundum ruens viscerum aliquod feriat, aut lædat prohibere: nam neque ipsam frigidæ substantiam, neque eius qualitatem omnino integram, vsque 204

ad

ad viscera pervenire est salubre; sed satius & tutius est, solam eius qualitatem per ea quæ intermediant, quasi propagatam, aut transfusam citra substantiam ad profundum permeare: cùm enim per medium transit necessariò remittitur ab illo, si non fit idem.

TEXTVS.

Iam qui hecticâ febricitantes ad balneum accedunt, &c.

205 Hic demonstrat Gal. quòd qui hectica laborant, quamvis balneo vtantur, id est quamvis balnei parte calida & humida vtantur, nisi in frigidam sint demissi, nihil juvantur: qui enim aliter febricitant, nondum eorum solidæ partes difficilè separabilem calorem obtinent, ideoque etiam ex sudoribus (vnà cum sensibili transpiratione) qui per balneum calidum evacuantur abundè temperantur, & sic sanè diariarum febriū multæ curantur; in his verò qui ex siccitate & caliditate hecticis febribus vrgentur, solidarum partium effectus candenti ferro est similis, id est mersus in frigidam aquam extingui indicat, vt ferrum ignitum, atque proinde minus eos in balneis calefacis, sed dumtaxat humectare optare debemus, cùm sic alimentum incrementumve febri præbuerimus, sed potius & melius vt mersis in frigidam extinguamus calorem. At dices: in hoc metus est ne corpus in contrarium transferas, aut frigidum reddas. Respondetur: hoc non negatur; non tamen propterea vitio dandum est, quòd prosperè ex præsidio succedit, neque ex eo quod mensura eius deprehendi est difficilis, prorsus est differendum: si enim aliter liceret, tum cæteras febres hecticas, tum marasmodes curate, consultius sanè esset tutiori via insistere. Nunc verò quoniam totum curationis momentum in refrigetando humectandoque consistit, etsi ex refrigerantibus auxiliis noxa imminet propter corporis horum imbecillitatem, necessarium est iis periculis adversus ire: nam quibus alia salutis ratio non est, & quæ vnica videtur, ea dubia est, satius est ex consilio Thucydidis agere aliquid quàm certò petire; sed neque error ipse aut mortiferus est, aut incurabilis: nam quos in extinguenda febre aqua frigida in contrarium affectum transtulit, hos licet in toto quod sequitur tempore calefaciendo sanare. Neque periculum par est, nec refrigerandi affectus, nec ipsius remediorum; siquidem demonstravimus, tum prius *in huius operis lib. 7.* tum *in lib. de marasmo*, tum *in libris de sanitate*, fieri non posse, vt solidatum partium siccitas consummata sanetur: si enim fieri id posset, similiter fieri posset, vt non senesceret qui victus recta tatione vteretur. Si igitur insanabilitas solidatum partium siccitas est, & in eam per febres hecticas expeditissima via patet, melius est hominem in frigidam intemperiem transferre, ac cui curationem adhibeamus habere (quippe qui id fecerit, is postea noxam oppugnare poterit) quàm sinere ægrum vt in desperatam salutem tandem labatur; eos ergo qui hectica febricitant illico omni ratione refrigetemus, antequam progressu in marasmum perveniant, vel hecticam incurabilem. Hæc ferè in nihilo mutata ex Gal. transcribere volui, tum quia clarissimè atque exactissimè ab ipso sunt concionata, tum etiam quia scientificè persoadent vsum aquæ frigidæ in hecticis ad eorum hecticum calorem extinguendum integrè, etsi hæc ita fieri non videam, neque ita faciendum videri notatum practicis.

TEXTVS.

Quem autem marasmus planè iam occupaverit, &c.

Hæc est tertia capitis pars, in qua de curatione marasmi breviter Gal. differit, quamvis marasmus re vera sit incurabilis morbus: *quem enim marasmus planè jam occupaverit hunc sanè ne tentaveris*, ait Gal. nam etsi calorem eius extinxeris, attamen siccitas quæ relinquitur senectutis ritu hominem conficiet; tantum vivere poterit quoad solidæ eius partes reniti adversus summam siccitatem valebunt; sed vt hæc magis intelligantur est advertendum *ex lib. de marcore, cap. 6.* quòd marcor, seu marasmus, seu consumptio totius corporis est duplex; vnus fit quando ipsa solidorum corporum humiditas, quæ proprium ipsis est nutrimentum perit, & simul carnes tenellæ colliquatæ sunt; alter verò accidit cùm corpora ipsa solida, quæ similaria, & corporis partes continentes vocamus, præter naturam resiccantur: primus ergo ex his periculosus quidem est, sed non prorsus insanabilis: secundus verò sanari non potest, quemadmodum sanè neque ipsum senium: vnde patet quòd Gal. de isto secundo loquitur in præsenti, scribens: *quem marasmus iam occupavit, hunc sanare ne tentaveris.* Nota etiā quòd marasmus potest esse simplex vel compositus; simplex dicitur marasmus cùm ex sola siccitate viventes partes consumuntur, vel aliter corrumpuntur, atq; esse desinunt: compositus autem dicitur marasmus, qui cum siccitate dicta morbosa coniunctam habet frigiditatem, aut calorem. Tandem nota quòd marasmus sive corporis siccitas morbosa cum frigiditate complicata dicitur marasmus Philippi, cum calore marasmus torridus. 206

His igitur notatis sic, atque suppositis, modò est maximè advertendum quòd quamvis marasmus quilibet confirmatus est insanabilis, qui tamen torridus dicitur, interficit longè citiùs quàm qui solùm siccus est, & quàm frigidus simul & siccus, qui dicitur senium ex morbo, & marasmus Philippi: si enim hectici & 207

&marasmo affecti tantisper vivunt, quamdiu eorum solidæ partes summam siccitatem resistere aut vitare possunt: certè qui frigidi sunt & sicci magis multo resistere possunt summam dictam siccitatem, quàm calidi simul & sicci: nam caliditas auget valde siccitatem, vel saltem longè magis quàm frigiditas; atque proinde quamvis quilibet marasmus consummatus sit incurabilis, saltem vt ad summam illam siccitatem non accedat, aut tardiùs, quo magis fieri possit est procurandum: nam satius est vt æger deploratus vivat per aliquod temporis spatium, quamvis illico mori; & consequenter quos marasmus torridus exercet curare expedit, id est in alterum transferre marasmum, quem seniom ex morbo, sive marasmum Philippi, sive marasmum frigidum dicimus: licebit siquidem his inde non tantùm plures dies, verùm etiam menses vivere. *Ego enim* (inquit Gal.) *cùm juvenem quemdam qui ita laborabat, scilicet marasmo torrido, sanassem, id est ad senile temperamentum revocavi, reficiens deinde, sive nutriens, ac senilem eius imbecillitatem pro senum ratione tractans, non solùm in menses, sed etiam annos vivum servavi; itaque curare hos cum præfatione expedit*: id est cum advertentia, & suppositione facta quòd refrigerati poterunt, & sic longum compatabunt interitum, non tamen integrè curari valebunt cùm eorum siccitas morbosa sit irreparabilis, vtpote jam in senili habitu positas.

TEXTVS.

Non est quod hic est eiusmodi marasmi curationem audire, &c.

208 Hic quàm brevissimè agere aggreditur Gal. de curatione marasmi: *præsens enim Liber* (ait) *non marasmorum, sed hecticarum febrium curationem docendam promisit*; & ideo hic pauca solùm debemus dicere de marasmi cura, præsertim cùm *in huius Operis lib.* 7. de curatione marasmi sit jam disputatum: ibi enim *in 6. cap.* latissimè actum est de totius corporis consumptione propter siccitatem morbosam, & per consequens de curatione marasmi simplicis; similiter *in cap. sequenti* 7. agit de curatione marasmi Philippi, saltem potestate, cùm ibi de consumptione corporis agatur ob siccam & frigidam intemperiem; & denique *in cap.* 8. de curatione calidi marasmi, sive de tabe totius corporis propter siccam, calidamque intemperiẽ: vnde nunc de cura marcoris, seu marasmi ea solùm ratione est agendum, quia hic agimus de vsu balnei in hecticis, quæ marasmodes vocantur, quæque vt multùm conveniunt cum torridi marcoris essentia, ita in curatione: in his ergo, ait Gal. vt *suprà* visum est, non oportet formidare balneum, vt Philippus facit, neque in hecticis febribus, neque in marasmo torrido, id quod remedium affert calidæ solum est, sed frigidæ; ad quam aliæ calidæ balnei partes ægrotantis corpus præparant, sicuti & aliorum qui sicci & debiles per sanitatem lavantur, aut balneis vtuntur, neque vt Philippus ignorare debemus quòd balneum secundùm omnes suas partes sit res maximè salubris in his qui marasmode hectica laborant, ex eo quòd tam extenuatos in frigidæ solio tingere nemo audet, aut ultimam aquam ipsis frigidam infundere: nam cautiùs in sic affectis Medicus balneo vtitur ad modum dictum, quàm in aliis febribus, quas vel phlegmone, vel putrescentes succi accidetunt in quibus etiamsi in frigidam ægrum non merseris, nibil offendes.

Itaque quicumque hectica febre laborant, atque ex his præcipuè qui jam marasmode hectica febricitant, modò his nulla alia febris, vel ex solo putrescente humore, vel cum phlegmone sit conjuncta, eos omnes audacter lavabis, sed prorsus citra omnẽ laborem, ne vires resolvas: hoc enim si fiat, nocet valdè in quibus vires sunt debiles & paucæ, vt sunt in dictis morbis; & ita occasio fit balnei culpandi, quamvis non sit balneo imputãda culpa, sed Medico qui malè baloeo vtitur; nam & etiam si quis in hectica mortali balneo vtitur, vt in dictis febribus accidit conjunctis cũ altera quæ vel ex phlegmone, vel ex humoris putrescentia sit excitata, balneum culpat, cùm sit illi imputanda culpa, sed affectui incurabili; atque proinde non omnia quæ adhibentur morbis pro earũ curatione, si non juvant, sunt culpanda, neque ex eo quòd applicata non prosint sunt damnanda, sed diligenter est attendendum, ac distinguendum annon conferant, quia non sunt remedia à morbo indicata; an verò sic; sed non juvare, vel quia morbus non cedit remediis, vel quia ritè ac rectè non adhibentur: si enim hæc Philippus ita attenderet, & benè distingueret in balneis quæ hecticis marasmo affectis adhibentur, eorum vsum neque formidaret, neque vetaret, aut culparet, cùm sit eis si quod aliud præsentaneum remediũ si vt conveniet exerceatur, & non intempestivè vllo modo: quippe quo morbus est pejor, eo magis exactam postulat curationem, & totam remediorum administrationem, & si mortiferus est nollum sustinet. Erratum, etiamsi sit minimum, sed à quovis exasperatur valde; & idcirco in becticis consummatis, & in illis qui deplorato laborant marasmo torrido vtendum est balneo frigido, sed cautè: primùm siquidem laborantes aqua tepida parum frigida sunt perfundendi, post alia, quæ veluti ex sole æstivo tepet, id est quæ friget, sed non amplius refrigerat quàm aqua æstivo tempore, & mox alia paulò quàm alia frigidiore: sic enim & calor eorum febrilis extinguitur, & vires servantur si nimis non sint debiles. 209

TEXTVS.

TEXTVS.

Quod citra laborem dixi, id ita intelligo, &c.

110 HÆc est vltima capitis pars, in qua tandem docet Gal. qua ratione ægrotantes hectici sint ad balneum ducendi, & balneandi. Scribit igitur quasi sic: *Deferatur volo æger in lecto ad balneum*, &c. quasi dicat, febre hectica laborantes ad balneum docendi, & in eo balneandi, sed cùm ij sint in duplici differentia, alij non solùm hectici, sed jam etiam tabescentes aut multùm extenuati, & alij nondum tabescentes; ideo eos qui jam tabescunt lavare oportet, seu balneare ad hunc modum: In primis deferatur æger in lecto ad balneum, in quo tres sunt domus, siue cubicula non tantùm situ, sed temperie diversæ; media scilicet tanto prima calidior, quanto est tertia frigidior, quamvis omnes sint calidæ atque humidæ; post has darnt quarta, in qua est aqua frigida; itaque si hecticus jam tabescit, ait Gal. volo vt in lecto feratur in balneum dictum, atque in huius prima domo præparatam sibi habeat syndonem calidam, super quam nudatus & calidus à prima in secundam transferatur domum; quòd si frigidus esse videatur, non nudus, sed coopertus aliquo involucro calido portetur; fiot autem viri quatuor qui sindonem teneant, à quoque sine vnus, & sic eum transferant. In secunda domo sit oleum dulce, tepidum, atque patum calidum, quo æger perfundatur, aut vngatur; quo facto ad tertiam domum ducatur, vbi solium est, siue lavacrum aquæ calidæ, & in ipsa solij aqua mediocriter moretur in sindone sustentus: etsi enim in aliis balnei cubiculis prioribus non debet æger amplius detineri quàm quod requiritur vt in primo transferatur à lecto & nudetur, & in secundo dum oleo vngatur, in tertia tandem domo, (quæ est secunda balnei pars, in qua est solium, siue lavacrum) vel in ipsa aqua calida ea mediocritate temporis debet immorari, quæ satis sit vt æger secundùm omnes eius partes æqualiter incalescat, atque humectetur calore & humiditate aquæ: sic enim pet balneum arida corpora irrigantur, & ad frigidæ balneum se præparant. Debet autem (ait Gal.) in sindone sustentatus æger hanc balnei partem sumere, nulla infusione aquæ, vt in aliis vti solemus, adhibita; neque capiti eius infundi debet, sed satis erit bis, terve vnà cum toto corpore in aqua mergi, dimissa mediocriter deorsum sindone, ac rursum levata. His igitur omnibus peractis, mox inde extractus à juvenibus sindonem gestantibus, in frigidam aquam confertim æger mergatur, ne minimùm quidem in ipsa moratus extrahatur statim, & protinus alter paratam habens sindonem ipsi injiciat, ac deinde aliam, quibus detergatur non violenter, sed quoad fieri possit blandissimè. Post hæc vnctum, ac vestibus amictum, rursus super lectulum in domum vbi cibatur reducent & nutrient, vt *lib.* 7. est explicatum. Sic ergo sunt balneandi qui jam tabescunt.

Qui verò febre hectica laborant, nondum autem tabescunt, ij etiam sine sindone balneari possunt, atque lavari cùm consistent adhuc sufficientes vires corporis: deferendi tamen sunt, & ij ad balneum sive in lecto, sive in alio quopiam vehiculo: deinde & oleo tepido sunt vngendi, vt in aliis dictum est, & postea calidam aquam debent ingredi, & in illa immorari, & tandem in frigidam mergi, atque statim inde extrahi mollibus lineis detergi debent, & in lectum dimitti, vbi sudent si opus est, aut vestiti cibum sumant, ac quiescant: non enim aliter mutatur balneum in his: vnde ram isti quàm illi primam & secundam balnei domum ingredi debent, in eisque aliquantulum morari, donec corpus incalescat, & pori apertantur, atque vt sic præparati ad tertiam domum accedant, sive ad balneum aquæ calidum assumendum: nam in hac tertia domo datur, & non in secunda, neque secunda domus est secunda balnei pars, sed media inter secondam domum & tertiam, quæ est secunda balnei pars, in qua aqua calida continetur qua balneati æqualiter humectantur: cùm enim hæc aqua sit calida per excessum moderatum, & non repida, aut temperata in calore & frigiditate, vt communiter dicitur, valet non solùm corpus totum calefacere moderatè, sed sic quidem poros catnium, & aliarum partium, soliditatem dilatare, & tandem suam humiditatem æqualiter eis omnibus communicare: non enim aliter corpora resiccata possunt rigari, aut aqua humectari, cùm à siccitate poros habeant clausos: vnde hectici indigent maximè hac parte balnei, qua humectantur, etsi ex ea etiam incalescant: non enim hic calor nocet tunc, cùm sit moderatus & parum duret; siquidem patum postea sequitur balneum aquæ frigidæ, à quo extinguitur omnis calor præter naturam. 111

Dubitationes & annotationes super Textum.

Diximus *in septimo lib.* boni Interpretis esse officium non solùm quæ author affert fideliter explicate, sed etiam an vera sint, atque recipienda examinare: *homines enim cùm simus* (ait ipse Gal. 2. secundùm locos, cap. 2.) *in multis delinquere est necesse*: quare neque quæ Gal. docet sunt admittenda si non sint bona; & ideo nunc prima dubitatio examinanda sese offert, an balnea à Gal. tradita ad curandas febres hecticas sint vtilia etsi namque ipse multis argumen- 112

tis *in præsenti capite* demonstrare conatur esse non vtilia solum, sed quam maximè ad id conducere in aliis locis, tamen contrarium videtur ostendere, & multæ aliæ sunt rationes, quæ persuadent satis clare, atque efficaciter non convenire, sed esse irrita a que periculis plena; imo & multæ rationes, quas hic affert Gal. ad vsum balnei persuadendum, si benè notantur sunt suspectæ, aut parum tutæ: nam si ab his rem incipiamus, quamvis dicat Gal. *hecticos ex balneo nihil iuvare, si frigida non lavantur.* Certè hoc præterquam quod sibi advertatur, quia modò dicit hecticos sine frigidæ lotione nihil iuvari, modò asserit non posse fieri citra læsionem corporis, experientiæ contrariatur, cùm nos aqua frigida in hecticis non vtamur, & tamen vel deploratos hecticos balneo curamus. Ad sudorem etiam provocandum in hecticis dicit Gal. conducere balneum aquæ frigidæ; at tamen neque sudorem excitare in hecticis expedit, potissimum si sunt tabescentes, neque frigidæ vsum potest insequi sudor, cùm cutis & pori eius astringantur; tandem Gal. timet *lib. sup. cap* 5. dare frigidam ad bibendum in hecticis, ne ab ea aliqua particula lædatur; ergo multo magis timenda est noxa totius corporis ex balneo aquæ frigidæ, etsi extrinsecus adhibeatur. Sanè & aliæ ferè omnes rationes aut fundamenta quibus in contextu Gal. firmat vsum balnei in hecticis sunt suspecta, atque proinde debent hic vlteriùs examinari, & an subsistere possint, vel non liquidò ostendere.

213 Quæstio ergo cùm sit an balnea quæ Gal. proponit *in præsenti cap.* 10. ad curandas febres hecticas sint vtilia, an non; vel saltem parum tuta, non aliter benè poterit exprimi, nisi ex natura rei bene cognita, sive rite & rectè explicatis natura balnei, ac febris hecticæ: res enim vt sunt in se indicant quòd possunt agere, vel ab aliis pati, *ex tertio huius operis lib. cap.* 1. Quare & balneum aquæ dulcis, de quo nunc agimus si bene cognoscitur, atque distinguitur, indicabitur pariter scientificè an sit vtile, vel non ad curandas febres hecticas; etsi igitur balnei hic quatuor partes ponit Gal. vel plures, dubium tamen solum est, an balneum aquæ dulcis, calidæ ac frigidæ, de quibus loquitur Gal. in Textu, possit esse vtile pro curatione febris hecticæ? Vt breviter & verè respondeatur, advertimus quòd balneum aquæ calidæ est multiplex, scilicet in primo gradu, in secundo vel tertio: non enim datur balneum calidum in quarto, cùm deurat. Advertimus etiam quòd balneum calidum in tertio non solùm calefacit, sed exsiccat, etiamsi sit ex aqua dulci, ac per se humectans: resolvit enim multùm corporis humiditates, & cutim densat, sive astringit, sicque viam sibi præcludit, vt ingredi possit partes corporis, atque ipsas humectare: vnde neque Gal. in Textu loquitur de balneo calido ita intenso, sed solùm de calido in primo vel secundo gradu; & dico cum advertentia in primo vel secundo gradu, quia etsi balneum calidum in primo (quod temperatum dicitur, quia calorem habet temperatum, sive iucundum) est quòd hecticas febres humectat, atque temperat bene, saltem ea ratione qua tales febres à balneo aquæ calidæ possunt humectari & temperari; at balneum calidum in secundo gradu non solùm eadem præstat corporibus hecticis, sed insuper eadem sic disponit, ait Gal. ad frigidam aquam, sive ad balneum aquæ frigidæ sine læsione sustinendum: non enim balneum aquæ calidæ in primo est sufficientis activitatis ad resistendam vim aquæ frigidæ, cùm non habeat intensionem, sed iucunditatem solùm: balneum autem calidum in secundo manifestam habet intensionem, non verò offendentem, vt calidum in tertio: inde calidum in secundo humectat hecticos, attemperat etiam sic eos, ac tandem suo actuali calore vsque ad secundum gradum munit, ad frigidam suscipiendam.

Quamvis dicta vera sint, & ex ipso Gal. explicata 5. *simpl. cap. vltimo*, & quamvis ex natura rei videantur esse aperta, tamen neque hæc obstant, vt contra arguat: ergo quòd corpora hecticorum balneo aquæ calidæ aut frigidæ, aut temperatæ non humectentur, ex Gal. colligitur, inquiunt multi 4. *aphor. comm.* 13. vbi ad verbum sic scribit: Aqua verò neque epota, neque extrinsecus occursans, natura apta est solidas animalis partes humectare: cui communiter respondetur Gal ibi agere de aqua, vt est alimentum, vt ex antecedentibus immediatè constat, & ita benè dicit quòd aqua neque bibita, neque extrinsecus applicata humectat substantificè, vt alimenta humectant: non enim aqua nutrit, neque bibita, neque extrinsecùs adhibita; cùm hoc tamen benè stat, vt humectet qualitativè, & suam humiditatem communicet corpori: nam in hoc sensu etiam Gal. asserit *lib. de marcore, cap.* 5. humectare nostrum corpus lavacrum aquæ, molle cubile, somnum, & humidum alimentum, inter quæ solum hoc ultimum sit corporis pars, & per se substantificè humectat. Sed vlterius respondetur quòd aqua neque epota, neque extrinsecus occursans natura apta est solidas animalis partes humectare, cùm aqua sua natura sit nimis frigida, & per consequens corpus densat, atque sibi vias præcludit, vt possit ingredi tales solidas corporis partes, easque humectare: vnde in hecticis Gal. ad humectandum vtitur balneo non frigido, sed calido. 214

Sed respondeamus nunc aliis quæ suprà objecimus contra Gal. & contra Textum, in quo approbat balneum frigidum in hecticis; etsi enim Gal. vt difficultatem fugiat, tale balneum limitet ad moderatè frigidum, vt vsque ad secundum frigiditatis gradum tamen, & non vltra, vt quod neque hecticis, neque aliis vllis possit esse vtile, 215

cùm

cùm in omnibus sit nimium, & omne nimium est naturæ inimicum; etsi, inquam, Gal. balneum aquæ frigidæ non aliud intelligat quàm moderatè frigidum, tamen neque hoc in hecticis potissimum consummatis videtur posse esse vtile, sed potius videtur necessariò nocere, cùm vires sint debiles, & partes viventes sint ferè in totum excarnes. At respondetur ex eodem Textu, non nocere si post balneum calidum sumatur: nam caliditas balnei præcedentis munit partes corporis, & præparat, ne lædantur ex occursu aquæ frigidæ, etsi sint debiles, & sine carnibus. Itaque, vt in corporibus sanis, ait Gal. & vires validæ, & carnes, & sanguis naturales muniunt corpora ne lædantur ex occursu frigidæ aquæ, quamvis frigido balneo vtantur sani sine præcedentia aliqua calidi balnei, ita in debilibus corporibus, non solùm hecticis, sed & aliis quibusvis sanis, gracilibus, ac multùm extenuatis balneum calidum munit talia corpora ne lædantur ab occursu aquæ frigidæ. Neque cùm dicit Gal. balneum frigidum nocere hecticis, contrariatur modò dictis: nam hecticis, & multùm extenuatis nocet quidem, sed non si post calidum balneum adhibeatur. Neque si post balneum calidum frigidum lædat aliquantulum contrariatur sibi Gal. nam vt communiter dicitur, nullum datur ita celebre remedium, quod aliqua ex parte non noceat; & quamvis medicamenta purgantia in se sint calida, & hac ratione febres omnes nocere possint; hoc tamen non obstat, vt si in febribus debitè administrentur, iuvent earum curationem, & quidem non parum; quod idem accidit in balneo aquæ frigidæ, si in hecticis vt convenit adhibetur; similiter etsi frigidæ potus nocet hecticis, atque inflammationibus, & ideo interdicitur in his casibus illius vsus *lib. sup. cap. 5.* si tamen timetur ex dictis hecticis, aut inflammationibus hectica marasmodes *in hoc lib.* vt visum est, iubet Gal. dari in hecticis & inflammationibus potum aquæ frigidæ, quia tunc curat imminentem marasmodem, etsi lædit inflammationem.

216 Ad illud quòd nos non vtimur balnei parte frigida, sed altera temperata, aut modicè calida, & tamen multos curamus hecticos? Respondetur *ex ipso presenti cap.* tales hecticos solùm esse in fieri, non verò hecticos: nam in his siccitas contracta jam non humectatur, neque calor hecticus extinguitur à balneo calido aut temperato, sed frigido positivè, vel per excessum aliquem qui sufficiat ad extinctionem talis caloris hectici; etsi enim temissum remittit intensum, & hoc modo balneum modicè calidum potest temperare secundùm aliquid calorem hecticum, sive remittere, sic tamen non extinguitur, sed contrarium agit in contrarium, & pariter aut extinguitur à contrario, & hoc solummodò calor hecticus potest extingui, vt qui non quomodolibet sit in subjecto, sed radicatus habituatusque jam, atque in facto esse, & ideo satis est quòd à frigido sibi contrario extinguatur; tandem quòd in hecticis sudorem excitare non oporteat, vt sunt tales, verum est, possunt tamen hectici, veluti senes abundare excrementis humidis, & hæc humida excrementa potest balneum aquæ frigidæ in hecticis expurgare per accidens, & roborando naturam seu facultatem expultricem: non enim à balneo frigido si vt convenit exhibetur, cutis ac pori in totum densantur, aut obstruuntur, sed ea solùm moderatione aut mediocritate quæ requiritur, vt natura roboretur, & excrementa dicta benè expurgentur à facultate expultrice roborata: vnde benè docet Gal. *in Textu* non juvari hecticos nisi etiam frigida vtantur.

Secunda dubitatio sit, an conveniat in hecticis caput balneare, vel an conveniat 217
cùm hectici lavantur in balneo capiti etiam aquam infundere: dicit enim Gal. *in Textu*, vt vidimus, aquam capiti non esse infundendam cùm hectici lavantur, aut balneantur, sed esse vtile semel & bis caput balneo immergere, quæ aliquam difficultatem videntur in se involvere, nisi magis explicentur. Pro horum ergo integra intelligentia, & dubij vera decisione supponere debemus, quòd caput in hecticis, vt & in aliis febribus acutis, aut longis patitur multùm ab ipsa febre, tum quia habet maximum consensum cum corde, tum etiam abundat spiritibus animalibus, qui sunt faciles ad ignem concipiendum; & his de causis caput in febribus omnibus post ipsum cor indicat sui attemperationem, sive refrigerationem, & in hecticis quidem non solùm refrigerationem, sed & humectationē, cùm hectica sit febris calida simul & sicca: quare cùm hectici lavantur, ait Gal. vel cùm in balneo sunt aquæ temperatæ, vtile est quòd eorum capita non semel solùm, sed & bis aqua immergantur, vt sic spiritus animales leviter irrigentur, atque temperentur ex balneo, veluti aliæ corporis partes. Sed cur sic potius dicit Gal. caput esse attemperandum, atque humectandum, quàm per infusionem aquæ supra caput? Respondetur quia irrigatio capitis quæ fit per infusionem, sive ex alto aqua affusa capiti, excitat capitis distillationem ad partes subjectas, quæ in hecticis potissimùm est summoperè vitanda, cùm distillatio ad pectus sit vna ex potissimis causis febris hecticæ, & corporis consumptionis, vt in phthisicis & suppuratis semper experimur: etsi enim etiam humectato capite per balneum, aut per immersionem capitis in aqua balnei, si aliqua est distillatio, vel aliquis fluxus humoris à capite ad subjectas partes augetur, aut pejor fit; & ideo si hectica sit complicata cum distillatione, tunc caput neque ex alto irrigandum est, neque in aqua balnei mergendum; at tamen si sola hectica existat, non solùm corpus, sed & caput balneo potest lavari, aut submergi: nam ex hac lotione multò minus distillatio capitis exsiccatur, quàm si ex alto aqua funda-

tur: vnde cautè Gal. si in hecticis caput etiam est humectandum hoc quod est caput in aquam mergere eligit, & præfert infu-
218 sioni quæ fit ex alto.

Tertiò dubitatur hic an desperati morbi curandi sint, vel an morbi illi sint etiam remediis leniendi, in quibus desperata iam est salus omnino? etsi enim in præsenti Teatu Gal. hecticæ marasmodes curationem aggreditur, cuius siccitatem dicit esse omnino irreparabilem; & quamvis ea Thucydide, atque Cornelio Celso dicat adhuc: cùm salus non spectatur, & satius est aliquid tentare, atque adversus pericula ire, quàm nihil agere: tamen *lib. sequenti, cap.9. & 2. aphor. comm.* 29. in desperatis morbis nihil esse agendum scribit, ne infamentur remedia, quæ aliis fuerunt saluti, tùncque solùm esse mortem prædicendam ponit; quare quid in re tam dubia tenere debeamus, nunc expendemus; pro cuius vera resolutione debemus advertere atque supponere quòd ex morbis qui dicuntur incurabiles, alij sunt breves, vt fortis apoplexia, & vulnera quæ penetrant vsque ad substantiam cordis, & vsque ad ventriculos cerebri; & alij sunt longi, vt tabes, seu phthisis, hectica consummata, & marasmus. His sic distinctis respondetur modò: saltem in morbis deploratis qui longi sunt debent Medici adhibere remedia quæ tales morbos lenire possint aliquo modo. Sic enim si non curatur morbus, saltem longius comparatur interitus laboranti, & morbo incurabili: qui enim morbi longi & incurabiles sunt, si aliquo modo, vel aliquibus remediis curentur, aut alterentur, etsi ad statum salubrem non redeunt, saltem temperantur aliquantulùm, & sic minus offendunt naturam, & ideo tardiùs eam interficiunt: vnde hos ad minus curare debemus, etsi sint revera incurabiles. Curantur autem ij cura palliativa communiter vocata, id est levibus potius remediis, quàm fortioribus, quia cùm sint incurabiles debilitant eo vsque naturam, quòd nequit jam nisi levia sustinere remedia; & ideo Hipp. 6. aphot. 37. *cancros occultos, ait, sanare non oportet: curati enim citiùs pereunt.* Gal. in Comment. sic habet: *Curare duplex est, vnum quidem omnia agere vt patiens ad sanitatem perducatur; alterum autem eam adhibere providentiam, quæ passioni congruat.* Hoc est quod morbum demulceat, ac mitiorem faciat: cùm enim morbum curare, aut sanare non possumus, saltem mitificare debemus, vt duret diutiùs.

219 Itaque quamvis morbi sint omnino incurabiles, si longi sunt curari debent cura paliativa, quæ non sanat, sed demulcet morbum: vnde de his morbis saltem loquitur Gal. in Teatro cùm dicit: *In morbis incurabilibus satius est aliquid agere quàm periclitari.* Quare videamus modò an etiam in morbis desperatis, qui sunt acuti, vt apoplexia fortis, & vulnus penetrans substantiam cordis, sit etiam aliquid agendum, an non, sed solùm sit prædicanda mors, ne infamentur remedia quæ aliis fuerunt salutifera: in his enim potissimùm videntur remedia infamari, cùm citò mors superveniat, exhibitis remediis. Sed respondetur: etiam in his omnino desperatis, atque acutissimis morbis sunt adhibenda remedia, dumque se offert quilibet morbus, potissimùm ex his, ea oportet adhibere remedia, quæ juxta Medicinæ præcepta videntur convenire; & ratio est, quia vt in natura monstra contingunt, ita & in arte Medica, vt ait Averroes 7. *collectaneo.* nullus enim morbus est adeo insanabilis, aut desperatus quòd aliquando non sit curatus; nam & apoplexia fortis aliquando curata fuit, & Fernelius vidit cor tribus vulneribus vulneratum vsque ad ventriculos sanatum fuisse; & satis frequenter experimur in opere practico aliquos ægros deplotatos evadere præter Medicorum spem, atque proinde nunquam decet Medico ægrum relinquere sine remedio solis prognosticis, sed & in deploratis periculo astantibus proposito, atque prædicto curationem aggredi est opus, & quidem non vtcumque, sed quo morbus magis est periculosus, eo cautiùs est curandus: nam ideo Gal. in Teatro ad curandum marasmum insanabilem adhibet remedium non parum momenti, quamquam sit aliqua ratione periculosum. Neque ea his est causa vt infamentur remedia, cùm adhibeantur præfato periculo mortis, aut explicata difficultate sanandi, vel impossibilitate; neque testimonia Gal. quæ adduximus in contrarium obstant huic sententiæ: nam cùm dicit non esse vtendum remediis, vbi desperata est salus, de magnis loquitur, nempe sanguinis missione, aut purgatione; siquidem hæc sunt, quæ infamari possunt si adhibita non prosint: quare inde non sequitur in desperatis nullis remediis esse vtendum, neque ignoravit Gal. scripsisse Hipp. *lib. de vulneribus incurabilibus*, ibique declarasse quid faciendum esset in eis; & non videmus apud authores practicos remedia repetiti quibus apoplexia fortis debeat curari, & alij incurabiles morbi.

Vt quæ dicenda supersunt de balneis in 220 hecticis faciliùs intelligantur, revocare hic in memoriam debemus fecisse Galenum balnei, de quo nunc loquimur, tres potissimùm diversas partes, sive domos, in quarum prima erat aër satis calidus, vt eius calore pori cutis, & carnium hecticorum apertiores redderentur; in secunda erat aqua calida & humida, vt sic præparata faciliùs ingrederetur interiores partes corporis, easque bumectaret magis, in tertia continebatur aqua frigida ad extinguendum calorem febrilem hecticum, & cohibendum effluvium caloris nativi, & per consequens ad roborandam naturam, & firmandas partes languidas; ex his ergo tribus partibus balnei aquæ dulcis à Gal. propositis, & quibus Gal. vtebatur ad hecticos curandos, nunc apud nos solùm datur calidum solium, sive

siue tina aqua calida, aut temperata plena, in qua ægrotantes lavantur, aut balneantur; quod cùm ita sit, dubitatur hic an benè sic agatur hecticorum curatio, pustissimùm cùm expresse dicat ac doceat Gal. in Textu exiguam vtilitatem afferre pro curatione febris hecticæ balneum aquæ tepidæ, aut calidæ nisi postea in frigidam aquam æger ingrediatur. Qui tenent sola hac parte balnei aquæ calidæ posse curari hecticos, dicunt alias antecedentem, ac subsequentem suppleri facile, quia apertio pororum cutis & carnium, quæ à Gal. intenditur per aërem calidum ante balneum aquæ calidæ, consequitur quadam frictione blanda, aut vnctione anteacta; similiter si refrigetare eutem & corpus hectici post balneum est vtile, hoc tutiori medio fiet, si in ipso balneo calido in quo æger lavatur immittatur tanta frigida aqua, quanta sit satis vt æger frigiditatem actualem sentiat, quàm hecticum immergere in frigidam: nam hoc videtur plenum periculi, etsi æger statim atque immergitur extrahatur ab aqua. Sed respondetur balneum aquæ frigidæ & in ægris & in sanis esse periculosum, si vt convenit, & quibus convenit non adhibetur; balneum aquæ frigidæ cùm totum corpus alteret, aut sua frigiditate excedente refrigeret, potest calorem nativum multùm lædere; & multi quidem ex balneo aquæ frigidæ in incurabiles morbos inciderunt, vt in apoplexiam, convulsionem, in carum, aut paralysim, vel stuporem membrorum; tamen si quibus convenit exhibeatur multum confert; atque proinde si hectici non sint extremè debiles, aut partes principes, vel earum aliquam prostratam, atque à morbo devictam non habeant, tutò aqua frigida lavari poterunt, vel vt inquit Gal. necessariò post vsum aquæ calidæ in frigidam sunt mergendi, vt balneo curentur: nam hecticus calor ab aqua calida non extinguitur, neque attemperata, quamvis ab ea partes siue homectentur, si debito tempore in balneo illo detineantur ægri; & ideo post balneum aquæ calidæ aqua frigida sunt infundendi hectici, vt sic & calor eorum febrilis eesset, aut extinguatur, & roboretur naturalis, ac partes viventes: non enim cùm benè lavatur hecticus in frigida languescit, aut debilitatur, sed roboratur, etsi sit debilis; neque hæc roboratio consequitur, si vt nostri dicunt, in calido balneo additur frigida, quia sic remanet balneum adhuc calidum, etsi frigidum ab ægro persentiatur; & ideo neque febris extinguitur, neque æger roboratur, si in aqua calida suffocatur: quare neque benè balneantur hectici nunc, nisi si saltem duæ tincæ habeantur præparatæ, altera ex aqua modicè calida, & altera frigida, in quibus laventur, vt Gal. docet contra Philippum, & contra nos qui ei contradicimus, vel saltem fallimur si eius vsum supplere volumus dictis modis, ac substitutis.



CAPVT ULTIMVM.

De alimentis hecticorum in communi, & in particulari specie febris marasmodes.



VLTI sunt morbi qui curantur absque remediis, sine rectâ verò victus ratione nullus morbus sanari potest, neque morborum remedia magnificè prodesse possunt, etsi sint generosa, si eis ratio victus aliqua ratione resistit: quare recta victus ratio conducit maximè ad morborum curationem, & potissimùm ad curationem febrium hecticarum: nam febres hecticæ non solùm sunt morbi in calore præter naturam aucto consistentes, sed in siccitate simul, siue in substantiæ alicuius humidæ defectu, vt *suprà* est traditum, & *infrà in hoc cap.* iterum ostenditur. Vnde in curatione febris hecticæ opus est victus ratione, siue alimentis quæ refrigerent non solùm, sed simul humidam substantiam quæ deficit restaurent, atque ideo Gal. *in præsenti ultimo capite* absolvit curationem hecticarum febrium, affertque earum victus rationem, docens quæ & qualia esse debent alimenta quæ conferunt ad curandas febres hecticas, tum in communi, tum in particulari in curatione febris Marasmodes: vnde caput præsens dividitur in duas partes. 224

TEXTVS.

Sequi prædicta videtur vt de nutrimenti facultate, &c.

DE alimentis quæ hecticis conveniunt 222 acturus Gal. *in præsenti capite* 11. *ac ultimo*, supponit quæ modò dicebamus, scilicet quòd febris hectica includit in se calorem præter naturam adauctum & siccitatem: hoc ergo in supposito explicat in hac prima capitis parte, cuius naturæ esse debeant alimenta in curatione dictæ febris. Scribit igitur sic: *Sanè humidum esse, ac frigidum nutrimentum quod hecticis febribus sit conductum nemo nescit.* Quasi dicat: cùm febris hectica sit morbus compositus, calidus simul & siccus, sanè eius curatio quamvis sola febris sit, & nulli alii morbo, aut affectioni associata, non erit simplex refrigeratio, vt in aliis est febribus, sed refrigeratio simul & humectatio, & per consequens alimenta quæ hecticis febribus præscribuntur, etiam humida,

humida ac frigida necessariò esse debebunt, si eis sunt conductura : etsi enim alimenta, quæcumque sint, vt alimenta sunt, vel vt nutriunt humectant, siue humiditas corporis substantias deficientes, vel inanitas restaurant,& sic calorem etiam obtundunt: nã humiditas calorem hebetat, & siccitas est lima caloris: in hecticis tamen alimenta non solùm vt nutriunt debent humectare, atque calorem temperare,sed simul vt medicamenta,siue vt alimenta medicamentosa;siquidem febris hectica est morbus factus,siue difficilè mobilis à subiecto, & consequenter indiget non vtcumque refrigerari, atque humectari,sed efficaciori ratione,& omnibus modis quibus rectè fieri possit:nam refrigeratio in hecticis,quia per valentem qualitatem inducitur est periculosa humectatio, è contra per ea quæ humectant introducitur minori cum periculo, verùm longioris temporis est opus, atque ob has causas in curatione febris hecticæ humectatio atque refrigeratio attento animo sunt procurandæ.

223 His præmissis,supponens etiam Gal.quòd ad alimenta reuocantur non solùm cibi, ac sorbitiones, sed & potus scribit alimenta in hecticis esse, tum ptisanæ cremor cum frigidis sumitur,tum alia similiter, tum parum panis in aqua frigida, quasi dicat: cùm alimenta in hecticis non solùm nutrire debeant seu restaurare debeant substãtias deperditas, sed & corpus refrigerare, ac humectare; & quidem quo magis fieri possit:idcirco alimẽta in hecticis esse debent,ptisanæ cremor,atque alicæ,siue succus hordei,vel auenæ benè extractus, ac frigidus assumptus, vtpote qui sic bibitus non solùm nutrit, & substantiam corporis deperditam aut inanitam restaurat, sed & partes solidas,atque viuentes corporis actu & potestate refrigerat, atque humectat; siue enim succus sit hordei,siue auenæ, frigidus quidẽ est,atq;humectans potestate, & si frigidus sumitur, vt ait Gal. actu simul & potestate refrigerat, atque humectat,sicuti etiam panis in aqua frigida infusus, vel aqua frigida cum exiguo panis assumpta; sed aduertit hic quòd hæc alimentorum frigiditas actualis debet esse moderata,& non pura, vel intensa, sicuti potionis: ratio est quia cùm alimenta in ventriculo morentur toto tempore concoctionis eorum ipsum possunt refrigerare,si nimis frigida sumantur,at potio frigida cùm fluida sit parum in ventriculo moratur,sed per corpus digeritur, aut distribuitur; & cùm sit tenuis substantiæ citò incalescit: aqua enim quæ citò calefit,& citò refrigeratur leuissima est, ait Hipp. 5 *aphor.* 26. id est & tenuis substantiæ: nam vt Gal. dicit *in comm.* leuiorem aquam vocat Hipp. quæ ventrem non grauat, sed citò permeat,quia est tenuium partium: alimenta autem, etsi substantia tenui constent, à ventriculo citò non discedunt, sed à natura ibi detinentur à facultate retentrice per totum concoctionis tempus.

TEXTVS.

Vbi verò febris iam traxerit, dandum quoque lac est, &c.

Hic resoluit Gal.dubium quod nostri 224 practici communiter exagitant, & minus facilè deciduntidubitatur ergo quodnam alimentum hecticis dare magis expediat, an tenue,an crassum; tenue vt lac,& ius pulli, &c. crassum autem vt alica, limaces, &c. Huic dubio respondetur communiter duobus modis: in primis respondetur quòd cùm in hecticis non solùm præcauenda sit siccitas, & substantiæ defectus, sed & viarum obstructio, atque humorum putredo: idcirco alimentum tenue in eis erit magis conueniens quàm crassum: cùm enim in hecticis vasorum cauitates sint ex nimia siccitate in totum densatæ, aut coarctatæ sunt pariter prorsus ineptæ, vt per ipsas alimentum aliquod crassum possit permeare, aut distribui ad alendas corporis partes; sed sat erit si alimentum tenue ipsas permeet, atque vlterius procedat ad corpus nutriendum, & non detineatur, aut detentus corrumpatur, vel obstructiones augeat, & quouis modo ex his nouam generet febrem. Secundò respondetur quòd si in hecticis vires adhuc constant, potius expedit alimentum crassum quàm tenue, vt quod magis nutrit, & alimentum præstat magis resistens siccitati & consumptioni. Si verò vires jam deficiunt tenue debet esse, vt à viribus conficiatur: vires enim, vt suprà *cap.* 4. dicebamus vbi valentes sunt omnia contemnunt, & sustinent: vires autem languidæ à quouis offenduntur.

Gal. igitur respondet huic dubio, sic scribens: *Vbi verò febris iam traxerit, dandum quoque asininum lac est.* Quasi dicat: In febribus hecticis alimentum debet esse facilis concoctionis & distributionis, quia natura sicca est in eis, quæ malè aut parum concoquit,& malè digerit, seu distribuit, quia viæ sunt angustæ, & ideo in hecticis alimentum potius fluidum quàm solidum esse debet, veluti est succus, siue cremor hordei, aut alica benè condita, id est vt ptisana confecta ex aqua & exiguo aneto,sale,oleo,atq; aceto: sic enim magis attenuatur, & lentorem, aut crassitiem nimiam deponit, & facilis concoctionis, atque distributionis, vt ptisana relinquitur, & per consequens apta ad nutriendos hecticos, saltem in principio, & cùm vires adhuc constant, aut multum non indicant alimentum, sed parum,& multam attemperationem, atque humectationem, veluti in ptisana & alica, atque in aqua panata reperiuntur. Vbi verò febris jam traxerit, id est vbi vires jam deficiunt, ex febris longitudine dandum quoque asininum lac est, vt quod magis nutrit quàm dicta,

dicta, & tamen æquè, vt illa facilè concoquitur, atque digeritur, vel magis facile: lac enim asininum est valde serosum, & ideo facilè coquitur, non concrescit, sed facilè digeritur, aut per venas distribuitur ad totum corpus, sicque id multùm humectat, ac modicè refrigerat, & nutrit, veluti hectici debiles nutriri possunt & refrigerari: vnde in his lac humanum minus condocit, quamvis magis nutriat. Itaque in hecticis, ait Gal. alimentum potius tenue quàm crassum, & potius fluidum quàm solidum esse debet, vt sic melius concoquatur, ac distribuatur; præterea mediocriter frigidum esse debet, & multùm humectans, vt febris extinguatur: denique si vires languent debet facilè corpus nutrire, & substantias deficientes restaurare, veluti est lac, potissimùm asininum, quodq; facilè transmutatur.

116 Quamvis lac in hecticis sit alimentum laudatissimum, est tamen periculosum, si quod aliud, quia in ventriculo facilè concrescit, aut coagulatur, vel corrumpitur: quare quoties lac propinamus, ait Gal. diligenter advertere debemus an in ventriculo cogatur, aut corrumpatur: si enim aliquod eorum patitur, lac induit naturam veneni, & maximè offendit: solet autem lac in ventriculo frigido cogi, veluti in calido corrumpi, atque proinde in quibus ventriculus natura frigidus est, lac cum melle propinamus, aut parum salis ne concrescat; & in quibus ventriculus est calidus, lac cum tertia parte aquæ frigidæ, ne corrumpatur, diluimus, ac temperamus: vnde in hecticis à melle, atque à mulsa, aut aliis rebus dulcibus abstinere ægros debemus quantum fieri possit, quia dulcia in ventriculis calidis protinus convertuntur in bilem, & siciores, acriorisque caloris febres redduntur, veluti etiam lac si corrumpitur; dandus itaque in principio est, inquit Gal. hecticis asinini lactis, non plusquam cyathus, atq; his inducta in cubiculum asina, vt sic æger illud protinus bibat, cùm primùm emulgetur lac in pauca quantitate assumitur, & statim atque ab vberibus extrahitur & bibitur faciliùs concoquitur, & minus corrumpitur: nam sic suo nativo calore juvatur ad concoctionem, atque præservatur à corruptione: quare in principio benè dicit Gal. in pauca quantitate lac est propinandum, in quantitate saltem duarum aut trium vnciatum, veluti est cyathus, & non plus, neque vllo interposito tempore, sed statim atque ab vberibus educitur, ebibatur.

117 Ex bibito lacte in pauca quantitate, & suum nativum calorem servante, diligenter attendere debemus, scribit Gal. an corrumpatur, annon; etsi enim lac vt dictum est bibitum minus soleat corrumpi quàm si aliter propinatur, tamen neque sic omnino certè assumitur; & ideo etiam cùm in pauca quantitate ebibitur, & calidum est timendum ne corrumpatur, quod ex pulsibus cognoscitur contemplantibus nobis, inquit, ac conferentibus pulsum qui assumpto lacte agitur cum eo qui ante id sumptum fuit: si enim lac corruptum sit, pulsus invenies quales in oris ventriculi affectione, seu compressione accidere nosti, parvos, debiles, atque inæquales; sin autem non corrumpitur, sed bene concoquitur, atque digeritur, pulsus fiunt maiores & vehementiores quàm erant antea; itaque si sic lac assumptum bene succedit, & benè elaboratur, atq; enutrit, postea rursum eius quantitas est augenda quantum vires & calor nativus ferre poterunt, & bene concoquere, vt supra *lib. 7. cap. 6.* diximus agentes de ventriculi intemperie sicca, eo vsque inveterata vt totum inde corpus gracile reddiderit: in his igitur casibus cùm vires sint debiles, vel parum firmæ, tum lac, tum alia alimenta nonnisi in modo sunt præscribenda, scilicet primùm in pauca quantitate, & postea sensim addendo vsque ad mediocrem quantitatem, v. g. si primus lactis cyathus ebibitus bene concoquitur cùm postea alium exhibebis, lactis dimidium cyathum adauges, & sic deinceps vsque ad mediocrem modum, vel vsquequo sic procedendo, & lactis quantitatem sensim augendo, ad eam moderatam accedamus, quam vires facilè ferant, ac benè digerant, & qua digesta morbus curetur, & corporis gracilitas, aut siccitas corrigatur: nam & in febribus hecticis, & in ventriculi inveterata siccitate, & inde orta corporis gracilitate dictum intentum, aut indicationem Medicus attendere debet, tum in exibitione lactis, tum in administratione aliorum alimentorum, atque remediorum: cùm enim similes effectus sint, similia pariter remedia postulant. Cæterùm quia hectica febris est affectus calidior, ideo non solùm frigidiora requirit auxilia, sed simul etiam maiorem solicitudinem, ne valentibus auxiliis vtentes quidquam lædamus: quæ enim corpora carnibus carent & sanguine, vt sunt dicta, à multa frigiditate facilè læduntur, quamvis febricitent, vt in superioribus sæpè est notatum.

TEXTUS.

At qui iam marasmo vrgentur, eos vt dictum est, &c.

HÆc est secunda capitis pars, in qua agitur Gal. de cibatione hecticorum, qui hectica marasmode febricitant, agit prius de istorum curatione per balnea, & repetit ferè omnia quæ *cap. sup. in ultima capitis parte* dixerat; imo & in quo differat hectica marasmodes ab aliis latè explicat, & quæ curari potest, & quæ non; ac denique quæ substantiæ nostri corporis liquantur in febribus, quæ verò non: vnde hæc pars in plures particulas subdividitur, ad quarum primam accedens Gal. scribit quasi ad hunc modum: 118

modum: *Qui hectica febre laborant in duplici sunt differentia: nam vel hectica marasmode febricitant, id est non solùm hectica laborant, sed hectica simul & tabe, vel solùm hectica afficiuntur febre, & nondum tabe laborant.* Distinguit ergo Gal. hecticos sic, ad ostendendum quòd licèt omnes hectici curantur præcipuè per vsum balnei & alimentorum, sed maxime qui hectica laborant marasmode: nam qui hectica solùm febricitant balneo indigent & alimentis frigidis & humidis ad extinguendum hecticum eorum calorem: qui verò hectica febricitant marasmode, balneo indigent & alimentis frigidis atque humidis non solùm ad eorum hecticum calorem extinguendum, sed etiam ad tabem curandam, siue ad substantias deperditas restaurandas, & ad vires debiles roborandas: imò qui hectica febricitant marasmode, ait Gal. indigent balneo, atque alimentis exquisita ratione administratis, quia hectica marasmodes cùm sit exitialis affectus, nec leuissimum quidem errorem tolerat, atque proinde quamuis hectici omnes balneo & alimentis potissimùm curari postulant, aliter valde tamen ij quàm illi indicant balneari atque cibari attenta ipsorum diuersa natura, & variis circumstantiis.

229 Si qui enim hectica febricitant, nondum tamen marasmo tentantur, eos licet sine sindone subjecta lavare, vel balneare, vtpote cùm viribus adhuc valeant, & ob hanc eandem causam inferre hos quoque in balneum possumus, vel super lectulo, vel alio quouis idoneo vehiculo, moxque permittere vt ipsi per se ad calidam accedant, in eaque lauentur, ac tempore debito morentur; si verò qui hectica febricitant, marasmo jam laborant. Hoc sine sindone subjecta lavare non licet, neque in balneum ducere possumus nisi super lectulum, neque ipsos per se calidam ingredi possumus permittere, in eaque morari, sed sindone sustentati, vt *sup. cap.* est dictum, atque latè explicatum. Neque qui ex his minus sunt valentes, tutum est eos in frigidam mergere, sed satis potius ipsos perfundere. Primùm quidem tepida, secundò frigida, id est primùm quidem tepida, veluti est aqua tempore æstatis: deinde frigida, id est moderatè frigida, qualis aqua fontana esse solet, quæque frigore non offendit, aut ferit vires, etsi frigida persentiatur, vt *sup. cap.* dicebamus. Vnde & istas aquas in labro præparatas oportet habere, & quidem tanta in quantitate, quanta requiritur vt ex labro semel hausta perfundere possit simul totum jam lavatum. Ac siquidem omnia curiosè administrabontur tum quæ ad balneum, tum quæ ad nutrimenta spectant in hecticis, velutiq; sanandi sic spes est, etiam quem marasmus aut febris marasmodes consumit: imo si error in nullo committatur, sanabitur qui consumitur marasmo, quamvis huic marasmus carnosam corporis substantiam jam occupaverit, siue consumpserit, dummodo solidæ partes adhuc virides, aut naturaliter humidæ seruentur: nam ipsis siccatis fieri nequit vt homo sanetur, sed eum omnino vel statim febris ipsa jugulabit, vel postquam in eum affectum est translata, quem senium ea morbo vocamus; potest siquidem febris hectica ægrum perdere duobus modis; primò suffocando, siue extinguendo suum contrarium, siue calorem nostrum nativum, atque viventem; secundò corpus consumendo, aut exsiccando, dissipando, dissolvendo, aut consumendo dictum nativum calorem, & corporis partes resolubiles, siue humidas, cùm primo modo febris ægrum perdit jugulatur ab ipsa per se, siue ab ipsa febre permanente; si verò febris ægrum interimit, secundo modo non permanet febris, sed mutatur in eum affectum, quem senium ex morbo vocamus, nempe in morbum siccum & frigidum, veluti est senium. Hoc verò est benè notandum, ne decipiamur: nam non cessat febris, sed mutatur in frigidam, vt hic dicit Gal. & nos multoties ita accidere experimur non solùm in hecticis, sed in multis humoralibus malignis: experimur enim multas febres ea malignis subitò, & per rationem protsus deficere, vel ad notabilem declinationem mutari, non quia verè cessant, aut declinant, sed potius fallaci, ac falsa declinatione ad mortalem aut malam frigiditatem mutatæ, quæ parum ante erant vrentes, vel nimis calidæ.

TEXTVS.

Nam primùm eiusmodi febris propriam partium humiditatem, &c.

Hic demonstrat Gal. quòd hectica febris est de genere colliquantium, poteftque 230
ægrotantes perdere, non solùm ipsos jugulando, vt febris est, verùm etiam eorum substantias humidas, atque viventes depascendo, liquando, ac consumendo. Sic igitur scribit: *Nam primum eiusmodi febris propriarum partium humiditatem ex qua nutriuntur depascit.* Hinc verò ad carnosum genus transit, & tandem ipsas solidas partes depopulatur; sunt siquidem in singulis partibus simplicibus ac in primis nostris corporis tres dictæ diuersæ substantiæ, ex quibus complentur sicut in vena experimur: vena enim quamvis vnicam tantùm tunicam habeat, eamque tenuem, in ea tamen etiam multæ fibræ dantur, quæ aranearum telam, aut texturam repræsentant, inter quas fibras venæ propria caro adnascitur, & per consequens in vna sola venæ tunica reperiuntur non solùm dictæ fibræ, & dicta tunica, sed etiam propria caro, siue ea quæ in corporis tabescentia liquatur, & petit, & per nutritionem regeneratur, & tandem reperitur humiditas alimentalis ex qua omnes nutriuntur.

triuntur. Hic advertit Galenus quòd propria partium caro eſt alia in aliis, neque vllum commune nomen eſt nacta, niſi velimus propriam ventriculi ſubſtantiam carnem vocare, ſimiliter & illam quæ arteriæ propria eſt, aut hepatis, aut vteri, aut lienis, aut inteſtinorum, &c. etſi enim caro tantùm ea vocatur, quæ in muſculo eſt, cæterùm docendi cauſa nihil vetat, inquit, propriam cuiuſcumque particulæ ſubſtantiam carnem vocare, vel carneam ſubſtantiam eam quæ in ſingulis corporis partibus petite & regenerari poteſt, non aliter quam caro muſcolorum, vt in ſinuoſis vlceribus videre licet; itaque in ſingulis corporis particulis, quamvis ſimplices & ſingulares dicantur, reperiuntur tres diverſæ ſubſtantiæ, nempe ſolida, carnoia, & nutrimentalis, quæ à febre hectica depopulantur, aut exſiccari, ac contabeſcere poſſunt, potiſſimùm ſi fit maraſmodes: hæc enim primùm propriam corporis humiditatem alimentalem, ex qua partes nutriuntur, depaſcit, ſeu conſumit, deinde ad carnoſum dictum genus accedit, atque depopulatur, vel abſumit; & poſtremò ipſas ſolidas partes exſiccat præter naturam: non enim fibroſæ corporis partes, neque membranoſæ, aut netvoſæ, vt quæ ſint ſolidæ, poſſunt liquati, atque ab uni ſicuti carnes, neque vlla eſt febris maligna, vel aliter colliquans, quæ partes tales diſſolvat, ſed exſiccat quidem, verùm priùs quàm hæ prorſus ſint ſiccatæ, aut induratæ, vel conſumptæ, animal emoritur.

trem, & inde poſtea ſenſibiliter excernitur per ſeceſſum. Cernitur hoc, ait Gal. in carnibus, quæ in craticulis torrentur, vel aſſantur in veru; ſiquidē ab aliquibus earum plurima liquatio deſluit, decidirque in prunas largiter ſi carnes ſunt pinguedinoſæ, atque teneræ; ab aliis verò nihil omnino, quod vtique ſentias, diffluere videtur, etiam ſi pars ſit prunarum ſubdita copia, quia carnes ſunt ſiccæ, atque pinguedine carent, vt in hecticis: quo enim magis vel adipe, vel carne tenera, aut humida animal abundat, tanto profectò quod ab eius carnibus deſluit, dum in craticulis torrentur, cernitur copioſius. & è contra, quippe fetis ſuibus aut nihil omnino, aut planè minimum eſt quod deſluat, cicuribus verò plurimom, ad eundem modum, neque ab his carnibus, quæ ſale ſunt ſiccatæ, aliquid deſluit propter ſiccitatem, quamvis has igni admoveas, non aliter atque pinguedinoſas, quæque ob id multum liquari deprehendimus. Itaque in calidiſſimis febribus, ait Gal. ſi carnes humidæ ac molles cum adipis copia fuerint, eas ſen'u liquari deprehendimus; ſi verò ſine adipe & ſiccæ ſint, vt in hecticis in mara mū tranſeunt. Hoc clariſſimè cernimus in infirmis qui per alvū quod liquatur excernunt, in his ſiquid. m niſi prius violentia morbi moriantur quoad materiam habent vberē, hanc febres colliquant; vbi verò illis tum adeps, tum caro mollis deficit, dutas, ac ægrè liquibiles carnes ſiccant, & cotij titu non ſolùm tugant, ſed duriores, ſicciotefque reddunt, à quibus propter ſiccitatem nihil deſluit, aut deſluere poteſt.

TEXTVS.

Sanè ſunt & quas maraſmodes febres vocant, &c.

231 Textu ſuperiori ſupponit Gal. quòd febris hectica colliquat carnes noſtri corporis, illudque exſiccat, ac tabidum reddit: nunc ergo docet quòd ita eſt, & quomodo ſit; ſcribit enim ſic: *Sanè ſunt & quas maraſmodes febres vocant univerſæ ex earū genere quæ colliquant*, &c. Quaſi dicat: experientia conſtat quòd febres hecticę, quas maraſmodes vocant, ſunt febres earum quæ colliquant, ſiquidem experimur quòd in hecticis, veluti in aliis colliquantibus totum corpus emaciatur, atq; tabeſcit, & carnes totius corporis conſumuntur ac deficiunt, ac colliquatio ex Gal. 4. *de ratione victus comm.* 112. ſit abſumpta, contabefactaque propter febrem moroſam, vel pinguedine, vel molli carne; vſtio verò propter acrem caliditatem; atque ideo verū eſt quòd hecticæ maraſmodes ſunt febres ex genere colliquantium, etſi differat ab his, ex eo quòd portio carnis, quæ in hecticis colliquatur, ea ſemper in ſaporem abit, & per inſenſibilem corporis tranſpirationem digeritur, vel evaneſcit; in aliis verò febribus colliquantibus quæ portio carnis liquatur deſluit in ven-

TEXTVS.

Hæc igitur cùm ſcias, etiam colliquantium febrium, &c.

IN hac vltima Textus particula attingit breviſſimè Gal. curationem febris hecticæ: 232 cognitio enim enim morbi eſt inventio curationis, ac remediorum, & ideo tradita modò eſſentia, & cognitione febrium hecticarum, imo & in quo conveniant, ac differant ab aliis, ex his clarè & facilè colligit qualis eſſe debeat curatio earum omnium. Scribit ergo ſic: *Hæc igitur cùm ſcias, etiam colliquantium febrium eiſdem methodis curam agens, tum ad frigida properans, tum his quæ humectent & refrigerent nutriens.* Quaſi dicat: demonſtratum eſt quòd febris hectica, quamvis ad ſenſum non appareat, multum ardens, aut intenſa; eſt tamen de genere colliquantium, aut earum ardentium, quæ propter ſuam febrem moroſam corpora exſiccant, & carnes, atque pinguedinem non ſolùm liquant, ſed conſumunt, reſiccant, tabefaciuntque; atq; proinde hæc cùm ſcias, etiam ſcire debes, quòd febres hecticæ & colliquantes curantur eiſdem methodis, atque remediis frigidis actu, quæ febrem extinguant, & humidis, ac nutrientibus, quę arida corpora humectent, atq; deficientes

cientes substantias restaurent: quare in his & frigidam aquam potandam exhibemus, & cataplasmata, aut epithemata refrigerantia cordi, ac præcordiis imponimus, vel balneo totum corpus rigamus, refrigeramusque, vt *in superioribus* est visum; & denique cibos humectantes, frigefacientesque damus quantum vires ferre possunt; mulsam verò inimicissimam esse scientes, omnino vitamus, & quæcumque alia nimis dulcia, sunt quæque in naturis, aut morbis calidis facilè bilescunt: etsi enim dictæ febres in se pessimæ sint, & sæpè omnino incurabiles, verumtamen & istæ quoque curantur rectè, quantum per humanam fragilitatem fieri potest, si in eis adhibeantur quæ prosunt, aut prodesse possunt, & vitantur quæ nocent, aut possunt nocere; sed de colliquantibus febribus æquè & de hecticis, quæ in pestilentiis contingunt disserere postea licebit: nam nunc reliquarum tum hecticarum, tum quas marasmodes vocamus, sanationis methodum tradere fuit propositum, & tradidisse videor.

233 Itaque quod in hecticis febribus, inquit Gal. & etiam in colliquantibus frigidã aquã ad potandum quàm primùm propinare debeamus, & ea alimenta, quæ non solùm potestate, sed & actu humectent, ac refrigerent ex ipsarum febrium natura, aut essentia deducitur, atque indicatur: est enim istarum febrium calor præter naturam eo vsque intensus actu, vt cor adurat, ac partes viventes liquet, consumat, resolvat, prorsusque destruat; & consequenter indicat sui extinctionem promptam, & restaurationem partium, ac substantiarum deperditarum, adhibitis quamprimùm non solùm ad potandum aqua frigida, sed ad edendum cibis qui actu, & potestate refrigerent, atque corpus nutriant, humidumque reddant: sunt siquidem febres hecticæ & colliquantes ex eorum morborum numero, qui non solùm in calido intemperamento consistunt, sed etiam in substantiæ defectu, & inanitione, quæ dicitur siccitas morbosa, sive morbus non solùm in siccitate consistens, sed in siccitate ex substantiæ defectu, atque inanitione, & per consequens febris hectica, aut colliquans, etsi simplex sit morbus, & nulli alteri affectioni admixtus triplicem expostulat curationem; vnam, & potissimam quæ consistit in adjectione, aut restauratione virium ac substantiarum, quæ fuerint inanitæ, alteram in refrigeratione caloris febrilis, & tertiam quæ corpus aridum, aut reficcatum humectet; atque cùm isti tres affectus in hecticis sint facti, aut morbi verè facti, vera pariter earum cura fit per contraria: nàm vt *libro octavo* vidimus, facta ægritudo curatur, vnam præcipuè habens intentionem ad id quod est dispositioni aufferendæ contrarium: vnde hecticarum curatio cautè ac prudenter est administranda: etsi enim febris hectica essentialiter solùm in calore præter naturam de facto consistat, vt *suprà* est demonstratum, quia tamen ad illum calorem consequitur virium defectus, sive defectus caloris nativi, & siccitas corporis, & tabescentia, sive defectus carnium & aliarum substantiarum corporis humidarum; ideo prout in hecticis hæc tria magis vrgent, aut eorum aliquod, curatio potissimùm est exequenda; atque proinde si in hecticis calor febrilis vrget, non siccitas, neque virium defectus, aut tabescentia, vt in principio febris hecticæ solet contingere, & *in prima capitis parte* supponit Galenus, in hoc casu curatio potissimùm ad extinguendam febrem dirigitur non solùm in aliis remediis quæ extrinsecus applicantur, sed in cibo ac potu & aere inspirato; & idcirco in his Galenus ptisanam præscribit frigidam, & alicam, & aquam frigidam, cum exigua portione panis, vt quæ parum nutriunt, & plus refrigerant, atque humectant; si verò in hecticis vrget extenuatio, aut virium defectus, vel caloris nativi, vt in febre marasmode, vel alia hectica jam producta, vel quæ ex colliquante oritur, vel pestilente, vel aliter corpus debilitante, atque inaniente, ac tabescente, in tali casu potissimùm dirigitur ad vires reficiendas curatio, & calorem nativum dejectum, atque deficientem restaurandum: si enim natura est morborum medicatrix, vt ait Hippocrates, & omnes experimur, potissimùm in his morbis, qui consistunt in defectu, consequenter sequitur quòd calidus hecticorum eorum habitus nullo alio melius aut citius auxilio corrigi poterit, & sanitatem recipere, quàm reddito calore naturali, sive ipsa natura ad suum naturalem statum quòd quidem fit per ea quæ substantificè humectant, & refrigerant, sive per ea alimenta quæ corpus nutriunt, substantiasque deperditas restaurant, ac alias viventes resiccatas humectant, atque refrigerant, sive ad naturale temperamentum redigunt.

In hecticis igitur febribus, quæ dicuntur marasmodes, cùm vrgeat non solùm hecticus calor, aut colliquans, ac consumens; sed & defectus virium, aut caloris vitalis, & plurium partium viventium, idcirco in istarum curatione, ait Galenus, tum ad frigidam exhibendam properare debemus, tum simul iis est vtendum alimentis, quæ nutriendo humectent, ac refrigerent; mulsam verò, & similia vitabimus omnino; vt quæ sint in his febribus, aut morbis nocentissima, nempe quia facillimo negotio bilescunt: quare in his hecticis cibus non erit ptisana, aut alica, quamvis refrigerent satis, atque humectent, quia parum nutriunt, aut minus quàm nunc indigemus: erit ergo dictorum cibus ex jure pullorum, vel gallinæ teneræ cum pauco ariete, in quo borrago, aut lactuca, aut portulaca decoquatur, & ova sorbilia, aut tremula; vel pulli ipsi lacte, & farina hordei 234

hordei nutriti, vel testudinis, vel aliud simile alimentum quod sit boni succi, & facilis coctionis, ac distributionis: cùm enim in his vires sint debiles, & attrahendi facultas ferè abolita, debent ob id alimenta esse liquidiora, & quæ facilè alterentur, atque distribuantur, ac nutriant, & ideo lac in his est laudatissimum, & quæ ex lacte parantur, vt sunt pultes fiant ex farina hordei & lacte, vel ex lacte & farina oncæ aut amilo: cæterùm quia vrget vsus restaurationis virium, & nutritionis, & quia eorum quæ celeriter nutriunt veloces quoque fiunt dejectiones, vt Hippocrates ait; proinde in his etiam vtimur panatelis ex jure, ovis, & amilo, aut farina hordei paratis, & illo cibo quæ apud nos dicitur *manjar blanco*, & carnibus ranarum, aut testudinum, & vituli, & hœdorum in pauca quantitate, vt benè coquantur & distribuantur, solemus etiam panatelas conficere ex ſucco carnis in duplici vase extracto, vt quæ magis nutriunt, sicuti etiam dare carnes tenellas assatas, vt vituli hœdorum, porcellorum, aut similium: verùm sit, quòd non sunt faciles eoncoctionis, sed quo magis nutriunt, eo difficiliùs alterantur, ac vincuntur à nostro calore.

235 In hecticis igitur ratio victus diversa prorsus est, atque in morbis materialibus; siquidem in his ex Hippocrate 5. *aphorism. sententia* 9. *&* 10. quando morbus in suo vigore constiterit, tùnc tenuissimo victu est vtendum, prius verò vberiùs agendum, sive nutriendum, vt æger sufficiat, & vires possint statum cum tenui victu tolerare vsque ad declinationem: in hecticis verò febribus è contra est cibandum: etenim incipientibus ipsis tenui victu, aut alimento est vtendum; in earum verò statu vt in hecticis marasmodibus vberiùs est agendum, sive nutriendum, quantum ægri vires possint victum conficere, & alimentum superare; sunt siquidem in morbis materialibus & immaterialibus diversæ multùm cibandi rationes, ac conditiones, quippe in illis natura semper agit adversus materiam morbificam; & ideo quando minus pugnat, veluti in principio plura potest conficere alimenta; quando verò magis laborat, & à morbo magis patitur, vt accidit in statu, minus potest conficere, & minus est à pugna detrahenda; in hectica autem febre & aliis morbis immaterialibus natura solùm patitur, cùm non habeat causam quam oppugnet; & ideo tantum cibi ei est indulgendum, quantum à morbo patitur: vnde quia in principio febris hecticæ parum patitur, paucis propterea fomitibus eget; in reliquis verò temporibus, vt plus patitur, ita maiori auxilio opus habet; atque proinde cùm hectica fit marasmodes, plurimo indiget alimento, ac nutritione; siquidem in ea quod resolvitur, aut deficit plurimùm, ac consequenter indiget plurima sefectione per nutritionem. Nutritio ex ipso Galeno 5. *aphorismorum, commentario* 55. est eius quod evacuatur repletio. Neque valet dicere quòd in febre hectica marasmode, ob inanitionem vtilis substantiæ natura est valdè languida, & ideo alimentum nequit conficere, nisi parum. Respondetur enim ex eodem 1. *aphorismorum, commentario* 17. quòd si virtus debilis sit cum humorum corruptela, vel defectu, tunc parum, & sæpè est alimentum propinandum; parum, quia nequit virtus languida multum conficere; sæpè verò, quia multis indiget dispositio, aut corporis affectio, vt quæ in defectu, aut inanitione consistit substantiæ vtilis.

Dubitationes super Textum.

Satis clarè, ac necessariò ex natura rei vidimus in Textu convenire hecticis pottonem frigidam, quia tamen eam ipse Gal. interdicit, aut prohibet *libro superiore, capite quinto*; ideo nunc dubitatur primò an Galenus contrarius sibi sit in his locis, an non? cui breviter respondetur nequaquam sibi contrariari Galenum: nam potus aquæ frigidæ, si aqua sit optima, convenit hecticis febribus, & sine noxa ab eis bibitur, imò cum non minima vtilitate, vt *in præsenti capite* est demonstratum, nisi vires sint admodum debiles, aut corpus extremè resiccatum, aut aliqua interna pars essentialiter languida: hæc enim si absint, & ægrotantes febre hectica in principio invadente laboraverint, in eis, vt *hoc libro*, *&* *præsenti capite* agit Galenus, post cibum frigidæ potus confert sine dubio, vt etiam Alexander Thrallianus *libro* 12. *capite* 4. edocet: vide si Galenus *libro superiore* hecticis potum interdicit, ideo est, quia in illis supponit corporis extremam gracilitatem, aut extenuationem, aut exsolutionem spirituum, quod hic non supponit, cùm de vino hic nihil dicat; vbi verò vires plus justo imbecilles supponit Galenus, vinum quidem præbet oligophorum, sive multa aqua dilutum, vt sic benè actuari possit, vt *libro septimo de lacte* demonstravimus. 236

Secunda dubitatio est, an febres hecticæ sint colliquantes: etsi enim Galenus *in Textu* docet quòd febres marasmodes sunt de genere colliquantium, & quòd corporis carnes omnes non solùm colliquant, sed omnino consumunt, aut per insensibilem transpirationem, sive resolutionem maniunt; tamen in fine capitis contrarium videtur ponere: sic enim scribit: *Cæterùm de colliquantibus febribus differere in posterum licebit, atquè vt de hecticis febribus, qua in pestilentiis* 237

contingunt, cuiusmodi ea est, quæ nunc publicè grassatur: dicetur namque & de hac inter pestilentes febres: reliquarum verò tum hecticarum, tum quas marasmodes vocamus, abundè mihi sanationis methodum tradidisse videor. Quasi dicat Gal. de hecticis febribus, quæ colliquantes insequuntur, æquè vt de hecticis, quæ in pestilentiis contingunt differere in posterum licebit, quando agemus de febribus hecticis, quæ morbos acutos consequuntur: nunc verò reliquarum, tum hecticarum, tum quas marasmodes vocamus, & à principio invadere dicimus curationem tradimus, atquè abundè jam tradidimus; ex quibus clarè colligitur quòd febris hectica marasmodes est altera à colliquantibus febribus, & quòd potius febres hecticæ marasmodes oriuntur ex colliquantibus, quàm ipsæ sint colliquantes, quamvis in ipsis colliquatio, & corporis consumptio liquidò ostendatur: vt enim febrium hecticarum duplex est genus, scilicet vnum earum quæ statim à principio invadere dicuntur, nullo alio præcedente morbo, quem sequantur, & alterum earum quæ alios insequuntur morbos, ita ex iis aliæ sunt quæ febribus succedunt ardentibus, aut internis inflammationibus; aliæ dictas febres colliquantes, aut pestilentes consequuntur, & aliæ alias diuturnas; atque ideo febres marasmodes potius ex colliquantibus oriuntur, quàm ipsæ sunt colliquantes, quamvis in eis corpus non solùm colliquetur, sed & tabescat. Respondetur quòd febres hecticæ, sive sint marasmodes, sive non, possunt oriri ex colliquantibus, veluti ex aliis morbis acutis, aut multùm calidis ac siccis: quamvis autem febres colliquantes sint causæ febris hecticæ, inde tamen non deducitur quòd hecticæ febres nequeant etiam esse colliquantes; sed si effectus redolet naturam suæ causæ, vt communiter dicitur, & febres hecticæ quæ oriuntur ex colliquantibus colliquantes erunt, sive marasmodes sint, sive non; cæterùm neque ideo febres hecticæ sunt de genere colliquantium, quia ex his oriuntur, sed quia vt vidimus in Textu, ipsæ sunt febres morosę, & colliquatio fit assumpta, contabefactaque propter febrem morosam, vel pinguedine, vel molli carne: vnde & *in hoc lib.* agit benè Gal. de febribus hecticis, quæ sunt de genere colliquantium; & etiam bene agendum supponit de febribus colliquantibus, quæ sunt causæ febris hecticæ in posterum.

De colliquantibus, & pestilentibus febribus, & earum curatione.

CVm febres hecticæ sint duorum generum; aliæ quæ à principio invadere dicuntur, vel quæ fiunt a causis externis, & nō præcedente alio morbo quem sequantur; & aliæ fiunt ex aliis præcedentibus morbis; cùmque in *hoc lib.* 10. egerit Gal. de curatione earum, quæ à principio invadunt, vel ex causis solùm externis, agendum modò veniebat de curatione aliarum, quę oriuntur ex aliis morbis, saltem de illis quæ frequentiùs accidunt, vt quæ fiunt ex febribus ardentibus, aut internis inflammationibus, & quæ difficiliùs curantur, vt quæ ex colliquantibus ac pestilētibus exoriuntur; quia tamen de his in aliis tractatibus etiam agitur, ait Gal. nam non solùm de inflammationibus & febribus, quę ab eis oriuntur agit in suis locis, sed & de ardentibus & colliquantibus, & pestilentibus, atque aliis à quibus hecticæ procedunt; ideo de iis nunc agere prætermittitur, solùmque curationem hecticarum, quæ simplices sunt morbi, hic traditur; quæ quamvis ita sint, nos de colliquantibus ac pestilentibus modò agere intendimus, vt inde curationem quoque exponamus febrium hecticarum, quæ ab illis facilè succedunt, & valdè difficulter sanari possunt. De colliquantibus ergo agemus primùm, deinde de malignis, & tum de pestilētibus, vt sic per gradus procedamus, & à facilioribus ad difficiliora: etsi enim colliquantes febres æquè facilè, atque malignæ, aut pestilentes hecticas generant marasmodes etiam, tamen non æquè insanabiles, sed quæ colliquationem sequuntur solùm faciliùs curantur quàm quæ oriuntur vel ex febribus malignis, vel pestilētibus, vt quæ sunt pejores. 238

Sed antequam de colliquantibus febribus 239
in particulari agamus, de colliquatione agere debemus: nam tametsi de colliquatione multa tum Hipp. tum Gal. & post illos Aëtius & Paulus literis consignarunt, certè, neque ij clarè explicarūt quid colliquatio sit, aut quid intelligatur per colliquationem: quare pro eius recta intelligentia supponere debemus quòd propria colliquatio, vt 3. *de symptom. causis, cap.* 1. dicit Gal. *eliquatio est, sive dissolutio, aut fusio interim vniversi corporis, interim eorum duntaxat succorum quos venæ cōtinent.* Vnde colliquatio fusio est, vel dissolutio eorum quæ vel vnita sunt inter sese, vel saltem concreverunt: non solùm enim cùm res compositæ in sua principia resolvuntur liquari dicuntur, atque dissolvi, sed etiam cùm liquores concreti funduntur, & fluidi fiunt, verum sic quòd si partes compositi, quæ sunt naturæ diversæ à se invicem separantur, verbi gratia, cùm mixta in sua principia, aut elementa resolvuntur, hæc separatio potius

potius dicitur resolutio, quàm eliquatio, aut colliquatio, atque proinde colliquatio, aut eliquatio, ait Gal. *fusio est potius, sive liquatio earum corporis partium atque humorum nostri corporis, quæ liquari possunt*; sunt enim in nostro corpore non solùm humores massam sanguinariam componentes, qui liquari aut fundi verè possunt, verùm etiam carnes omnes quæ teneræ sunt, atque humidæ, & pinguedo; & ideo interim eliquatio fit (inquit Gal.) universi corporis, id est pinguedo, & carnes omnes quæ sunt in corpore colliquantur, interim succi solùm, sive sanguis solus qui est in venis funditur, aut liquatur: deinde quod ità liquatum est modò in ventrem, modò cum vrina defluit, nonnunquam in sudorem transmutatur: vnde colliquatio non solùm fusio est, aut resolutio eius quod liquatur in substantiam liquidam ac fluidam, sed & separatio ab alia re concreta, taliter vt quod liquatur ob talem fusionem aut liquationem, & ab aliis substantiis concretis separationem facilè influit, aut à natura expellitur, non solùm ad vias expulsionis, sed & alias quascunque corporis partes; & ideo multò plures, ac graviores fiunt morbi ex humorum fusione, ait Gal. *5. aphor. comm. 15. ferè in fine*, quàm quibus plenitudo dedit occasionem, quia facillimo negotio humores fusi irruunt quò nullo modo debebant; quod est benè notandum: nam sæpè ita accidit, & non animadvertitur.

240 Itaque colliquatio, si propriè loquendum est, solùm significat fusionem carnium nostri corporis, aut humorum: hoc tamen quamquam ita sit, Gal. etiam, vt vidimus *in Textu*, & *2. aphor. comm.* 28. patet, colliquationem vsurpat ad significandam quamlibet corporis extenuationem, vel dissipationem, vel resolutionem, & consumptionem carnium, atque humorum, quamvis nulla appareat substantiarum fusio, aut liquatio, neque per secessum, neque per vrinam aut sudorem, sed sola macies, aut extenuatio maxima totius corporis, quia tunc carnes, adeps, atque humores potius resolvuntur, ac absumuntur à nimia siccitate, vel calore adurente, quàm cliquantur: possunt siquidem non solùm humores, sed & carnes concretæ, atque compactæ, veluti pinguedo à causis præter naturam, v. g. à calore adurente, tum liquari, tum exsiccari in totum, ac contabescere: nam revera à febre ardente & caro compacta, & pinguedo resolvitur, aut absumitur multoties, & sæpè etiam liquatur: resolvitur siquidem, atque absumitur, cùm febris est nimis ardens vel adurens: liquatur verò si modicè ardet, id est si subjectum nimis calefacit, sed non consumit, sed fundit solùm, fluidumque facit quod non fluebat, sed concretum, compactumque erat. Vlterius, quamquam colliquatio propriè loquendo fusio sit aut eliquatio partium nostri corporis, atque humorum, sic etiam vsurpatur ab Hipp. Gal. Paulo & Aëtio ad significandas colliquantes dejectiones, quæ tum per vrinam, tum potissimùm per secessum, vel per alvi dejectionem excernuntur: vnde Paulus *lib. 2. cap. 41.* & Aëtius *tetrabelo 2. sermone 1. cap. 90.* sic definiunt colliquationem: *Colliquatio nominatur, cùm per alvum excernitur, non ex commixtis, aut concoctis humoribus, sed ex ipsius corporis substantia excrementum colore biliosum, aut flavum, consistentia pingue, aut crassum, vel oleosum, & odore valdè fœtidum.* Colliquatio autem appellatur hic morbus, ait Aëtius, quoniam recens compacta essentia pinguedinis, aut carnis ab ardentissima febre dissolvitur, ac colliquescit; & vbi jam diuturnum est malum, etiam ipsarum solidarum partium essentia ex parte eliquatur; ex quibus constat quòd colliquatio in nostra Medicina plura significat, & quòd authores Medici per colliquationem non semper idem intelligunt, sed vnum nunc, nunc aliud, quamvis colliquatio rigorosè sumpta sit liquatio eorum quæ concreverant, & colliquans dicatur ille morbus in quo partes corporis liquantur, potissimùm carnes, pinguedo, & substantia caloris nativi: nam revera & calor nativus est substantia pinguis, atque concreta, & si funditur, aut eliquatur, in excrementum mutatur fluidum & pingue, vel oleosum, valdéque fœtidum, & colore biliosum, saltem pallidum intensè, aut flavum nisi ex summa corruptione (veluti caro & adeps) in innatam mutetur essentiam, ac qualitatem.

241 Cùm igitur colliquatio in sua propria significatione sit morbus in quo substantia nostri corporis cliquatur, & carnes, pinguedo, humoresque naturales funduntur, ab aliisque concretis solvuntur, ac separantur, sequitur consequenter dicendum, quòd febris colliquans est illa, quæ suo nimio calore carnes nostri corporis, aliasque naturales substantias humidas colliquat, sive fundit, ab aliisque substantiis concretis dissolvit, atque sejungit: calor enim febrilis si vehemens est, aut malignus, quasi igneus sit, omnia quæque depascit, vel saltem dissolvit, ac fundit, & per consequens colliquationis author efficitur, vt *3. epidem. parte 3. comm.* 57. docet Gal. sed est hic notandum quòd hæc partium nostri corporis colliquatio potest fieri dupliciter, vel confestim, ac brevi temporis spatio, vt contingit sæpè in morbis acutis, vel sensim, atque paulatim, vt in hecticis experimur, aut in longis aliis morbis. Notandum etiam est, quòd licèt febres longæ, vt hecticæ, & plures aliæ quæ multùm temporis durant, colliquant sic verè & realiter corpus, eiusque substantias consumunt, aut fundunt; hæ tamen febres non ideo propriæ dicuntur colliquantes, sed potius quæ sunt acutæ, aut tales, vt confestim & breviter corpus consumunt, & eius carnes, pinguedinem, aliasque substantias dissolvunt, vel per insensibilem transpirationem, vel per sudorem, vel per vrinam, vel per alvi de-

jectionem, vel per aliam manifestam excretionem: vnde febris colliquans ea propriè esse dicitur, quæ non paulatim vt hectica, sed citò aut confestim carnes corporis, & substantiam naturalium humiditatum fundit, & per alvi dejectionem pinguem, multúmque fœtidam dissolvit, atque expurgat: quare colliquans febris non solùm acuta debet esse, sed inter acutas deterrima, sic vt quæ substantias nostri corporis viventes, & vitam, ac vires conservantes multùm lædit, ac dejicit: non enim omnes acutæ febres, neque omnes ardentes ita subitò substantias corporja depopulantur, atque vires ferè in totum prosternunt, extinguuntque, sed quæ pessimæ sunt & multùm extremæ, vel malignæ: etsi enim natura nostra diu magnam noxam sustinere non potest, & ideo à morbis longis lassatur, atque dissolvitur, si tamen extremo morbo, aut pessimo non laborat, ab eo statim non evincitur, neque succumbit, sed ei resistit, quamvis autem ab eo patiatur, & proinde ab his morbis non ita confestim deficit, aut dissolvitur, veluti à colliquantibus, vel aliter extremis, aut malignis.

242 Explicata natura & essentia febrium colliquantium de differentiis venit agendum; de differentiis inquam non febrium colliquantium (quamvis revera plures sint & inter se diversæ febres quæ colliquant, vt sunt quæ dicuntur ardentes, malignæ, ac pestilentes, quia hæ pertinent ad causas de quibus postea agemus) sed de differentiis humorum, aut substantiarum, quæ in febribus colliquantibus eliquantur, cùm hæ etiam variæ sint, & istarum cuiuslibet liquatio sit vera colliquatio, vt visum est; itaque quamquam suprà dictum est ex Galeno, quòd colliquatio alia est totius corporis, vel in qua substantia totius corporis eliquatur, & alia solùm humorum, vel in qua solùm humores corporis liquantur, vel quos vasa continent, tamen neque sic integrè dividuntur colliquationes, neque omnes substantiæ quæ eliquantur, aut excernuntur liquatæ explicantur; & idcirco semper restat agendum de differentiis eorum quæ colliquantur, sive de differentiis substantiarum, quæ in febribus colliquantibus eliquantur. Neque sufficit dicere quod est etiam suprà traditum in vera & magis propria colliquatione nostri corporis, eliquari eius carnes, pinguedinem & humores naturales, atque inde saltem constare jam substantias quæ colliquantur: non inquam sufficiunt hæc, quia etsi verum est quòd in colliquantibus febribus, & in aliis propriis colliquationibus substantiæ quæ eliquantur sunt vel carnosæ, vel pinguedo, vel humores naturales; tamen neque sic sufficienter explicantur omnes differentiæ colliquationis, aut substantiæ omnes quæ liquantur in colliquationibus, quia & carnes & humores naturales qui liquantur sunt plures & inter se diversi; & ideo debent magis distingui, atque explicari, vt inde omnes differentiæ colliquationis habeantur.

Vt quæ proposita sunt faciliùs consequantur, & verè supponere debemus quòd eliquatio aut colliquatio, aut fusio, aut dissolutio nostri corporis, aut substantiarum eius, potest esse in vniversum duplex; vna propria, & altera impropria; propria corporis colliquatio ea esse dicitur, in qua propria substantia nostri corporis, & humiditates naturales funduntur ab aliis quæ naturalibus dissolvuntur, aut separantur, vt cùm carnes liquantur, vel adeps, vel illi humores qui naturam conservant, & corpus nutriunt: colliquatio autem impropria dicitur ea in qua eliquantur humores excrementitij, & potius morbum facientes, quàm naturam conservantes; vel impropria colliquatio ea esse dicitur, in qua humores præternaturales potius quàm naturales funduntur; & per modum colliquationis per alvum, vel vrinam, aut sudorem expurgantur, sive à morbis pessimis, vel extremis, vt sunt qui verè colliquant, & naturam dissolvunt, sive à morbis minoribus, vel non extremis, sed naturam quantitate, aut qualitate irritantibus, quamquã retentrix etiã patiatur aliquid: vnde colliquatio propria, & fluxus propriè colliquativus semper pessimus est, & symptomaticus, vt qui a morbis fit pessimis, & in quo substantiæ naturales aut vitales liquantur; fluxus verò impropriè colliquativus potest esse vtilis, cùm sit evacuatio materiæ inutilis & morbum facientis, non autem materiæ vtilis naturam conservantis. 243

Sed dubitabis cur in propria colliquatione, & in fluxu propriè qualitativo funduntur, atque evacuantur partes corporis viventes, & humores naturales naturam conservantes, & non in colliquatione impropria, neq; in fluxu impropriè colliquativo? Vt rectè respondeatur, nota quòd humores, & partes corporis viventes quo magis sunt naturales, eo magis sunt inter se perfectè vnitæ, & substantia constant magis lenta, quia resistunt colliquationi & consumptioni: vnde, imò inde provenit quòd vita hominis tãdiu duret, & ad multos annos protrahatur; humores autem præternaturales è contra quo sunt magis præter naturam, eo minus vniuntur inter se, & eorum partes eo minus firma vnione vniuntur ad invicem, nisi præter naturam crassescant, aut lentorem acquirant, quod non supponimus, quia est contingens, & raro accidit in morbis colliquantibus: quare humores præternaturales longè faciliùs liquari possunt & expurgari quàm naturales, & consequenter in colliquatione impropria humores morbum facientes, aut excrementitij, aut inutiles liquari poterunt à morbis saltem non extremis, sed minoribus, aut mediocriter colliquantibus, vel à natura ipsa irritata, & se à molestia liberarè volente, non autem humores naturales neque partes viventes, quia plùs multo resistunt liquationi ac dissolutioni 244

solutioni, vel naturalis vnionis deperditioni: vnde istæ substantiæ nonnisi in propria colliquatione eliquantur, quæ à morbis fit pessimis, aut extremis; & ideo huius differentias modò inquirimus.

245 Supposito ergo quòd in vera colliquatione substantiæ naturales nostri corporis liquantur, & non solùm humores naturales, sed & partes ipsæ viventes dissolvuntur. Quærimus nunc quæ sint istæ partes, atque naturales substantiæ, quæ in nobis eliquantur, aut eliquari possunt à morbis colliquantibus: non enim semper est vna & eadem substantia vivens, quæ dissolvitur, aut liquatur, sed multiplex, neque vnus est semper humor naturalis, sed diversus; præterea neque omnes substantiæ viventes liquari possunt, neque humores, etsi omnes fluidi sint, liquantur secundùm omnes suas partes, atque proinde videndum est modò quæ & quot sint substantiæ, quæ in nobis possunt liquari à febribus, vel aliis morbis colliquantibus, & quomodo ab ipsis dissolvuntur, aut eliquantur, & ab aliis separantur. Hæc vt clarè explicentur supponimus ex Gal. quòd dantur quatuor diversæ substantiæ naturales in nobis, quæ corpus componunt, & vitam continent, atque conservant: dantur siquidem in nobis partes solidæ, quæ corporis statuam, aut fabricam stabilem construunt, & carnes quæ sunt fundamenta vitæ & caloris nativi, vlterius datur substantia dicti nativi, qui est ipsa vita, & vinculum animæ cum corpore & causa instrumentali regulata omnium operationum. Quartò tandem humores dantur naturales ac nutrimentales non solùm in venis massam sanguinariam componentes, sed per porositates corporis sparsi, aut roris ritu disseminati partes irrigant sua humida substantia, atque nutriunt ex iis quatuor substantiis nostri corporis, quamvis duæ sint continentes, vel quæ corpus construunt continent, nempe solidæ & carnosæ, & aliæ duæ sunt contentæ, continenturque intra cavitates, aut porositates dictarum carnium, & aliarum partium continentium, & corpus componentium: solidæ tamen, inquit Gal. *lib. 7. cap. 6.* exsiccantur, aut siccari possunt, sed non liquari, quia sunt solidæ, vel multùm terreæ, ac resiccatæ: vnde non solùm neque ossa, sed neque tunicæ, neque membranæ, neque ligamenta in nobis liquantur, & forsan neque cartilagines, neque fibræ, quamvis de his sit dubitatio, eo quòd sint mediæ inter carnes quæ liquantur, & inter dictas quæ non.

246 Sed vt magis pateant quæ dicimus, debemus hic supponere & advertere quòd partes solidæ viventes, sive similares sint, sive organicæ, non solùm sunt mixtæ, sed singulæ earum constant à prima sua generatione, & essentialiter componuntur ex tribus substantiis, membranosa, fibrosa, & carnosa, vt suprà vidimus in Textu: etsi enim carnes musculorum sunt quæ magis propriè dicuntur carnes, verumtamen & peculiaris quædam substantia, quæ in singulis partibus solidis reperitur vnà cum fibris & tunicis dicitur etiam caro, & revera est pars carnea, atque substantia veluti propria caro benè in se compacta, benéque sibi constans, atq; cohærens, etsi sit mollis, & aliis facilè hæreat: vnde istæ tres substantiæ cuiusque partis solidæ, quamvis omnes in sua prima generatione ex seminibus masculino & fœminino, ac sanguine menstruo generantur; dicta tamen carnea pars, vt magis est mollis, ac blanda quàm fibrosa atque membranosa, ita minus est terrea, aut verè solida, & consequenter ex magis pura, atque perfecta portione dictorum seminum & sanguinis generatur, quàm membranosa, neque fibrosa; & hinc etiam provenit, quòd in qualibet parte solida pars dicta carnea sit præcipuum subjectum caloris nativi, & aliæ substantiæ membranosæ & fibrosæ sunt solidum fundamentum substantiæ carnosæ, & dicti caloris nativi insiti.

Hoc sic supposito, modò est advertendum quòd istæ tres substantiæ cuiusque partis solidæ, vt in prima sua generatione, & fœtus in vtero formatione generantur ex dictis seminibus masculino & fœminino, & sanguine menstruo; ita post earum generationem & fœtus formationem nutriuntur, atque augentur vsque ad statum perfectum, & secundùm naturam sibi debitum, non quidem ex seminibus, aut sanguine menstruo, cùm non dentur, sed ex alio sibi & dictis causis simile alimento: similia enim similibus conservantur; etsi enim solidæ corporis partes solidæ esse dicuntur, quia tales sunt in se; vt quòd semper servat eum substantiæ modum, quem semel assumunt, aut assequuntur; hoc tamen si verificatur, non ante perfectum statum, sive augmentum verum esse potest: nam certo certius est, quòd si corpus humanum post eius generationem augescit, atque mutatur, per plures annos vsque ad competentem, aut perfectam corpulentiam, vel magnitudinem; ideo quidem ita accrescit, quia dictæ partes solidæ servata paritate, post earum generationem augescunt, & singulæ earum alimento sibi simile nutritæ, in dies in longitudinem, latitudinem & crassitiem mutantur, quoad sic omnes ad debitum augmentum tandem perveniant, sive ad eum vnde corpus acquirit suam corpulentiam: vnde sequitur clarè & quòd substantia partium solidarum, ac cuiuslibet particulæ earum fibrosæ, carnosæ, aut membranosæ mutatur vsque ad statum, quamvis solida, aut immutabilis esse dicatur, & quòd partim est primigenia, sive ex seminibus & sanguine menstruo orta, & partim alimentalis, si ex alimentis proveniens. 247

Vt enim dictæ partes in sua prima generatione in vtero fœminæ à calore nativo generantur ex dictis seminibus & sanguine menstruo, vel ipsis seminibus, & sanguine à calore nativo alteratis, atque mutatis 248

in dictas tres diversas substantias, carnosam, fibrosam & membranosam, ex quibus vnaquæque pars solida constat, atque integratur essentialiter; ita pariter post earum generationem, & fœtus formationem idem calor nativus sanguinem ex alimentis generat in hepate & venis, taliter quidem dispositum, aut elaboratum, vt non solùm inde facilè diffluat ad omnes corporis partes dictas solidas, sed & ipsas nutriat, & in singulis earum receptus, atque in suis porositatibus imbibitus prius, & ibi vlterius elaboratus illis adeo assimilatur, adeoque concrescit, quod transit tandem, ac transmutatur in illas, sive in earum substantiam carneam fibrosam, atque membranosam, vt sic primigeniæ nutriantur, crescant secundùm naturam, & conserventur: sunt quidem substantiæ solidæ primogenitæ, mole, aut quantitate parvæ; & ideo nutriri & augeri postulant, vt sic perfectè operari possint, & conservari: nam in maiori quanto est maior virtus, & licèt solidæ sint, atque ad augmentum, vel statum perfectum perveniant, semper conservatione indigent, vel restauratione, quia quotidie deficiunt, aut dilabuntur, etsi insensibiliter, vt in senectute tandem experimur.

249 Itaque partes solidæ nostri corporis ex semine & sanguine suam primam generationem & essentiam sortiuntur, sed postea ex massa sanguinea augmentum desumunt, id est nutriuntur semper, & suam maiorem longitudinem, latitudinem, ac profunditatem, vel crassitudinem accipiunt, & per consequens duplex est substantia cuiusque partis solidæ viventis; vna primigenia, sive seminalis, & alia alimentalis, quæ sunt hic necessariò distinguenda, vt Gal. doctrina benè intelligatur: dicit enim quòd *solida partium nostri corporis substantia exsiccatur in morbis, sed non liquatur*: quod quidem ad summum verificatur de radicali, aut primigenia earum dicta substantia, & non de omni, neque de augmentativa & alimentali: nam in febribus colliquantibus experimur, & in malignis aut hecticis, quòd eliquantur omnes, licèt non æqualiter, sed in primigenea parum, augmentativa plus, & nutritiva maximè: primigenea enim, etsi copia, aut mole minima sit, virtute tamen, aut resistentia est maxima, vtpote seminalis, valde viscida, & fundamentum totius corporis, atque virtutum omnium naturalium; & ideo in dictis febribus, vel aliis morbis similibus effervescit quidem, aut in febrilem calorem accenditur, sed parum absumitur, aut eliquatur; sed sat est si exsiccatur, vt ait Gal. ob viscidam eius substantiam valde resistentem; aut substantia alimentalis, quæ auget dictas partes, & quæ eas nutrit, etsi viscida etiam est, & cùm convertitur in illas concrescit, atque densatur, adinstar earum, non tamen æqualiter solidatur, quia est minus viscida, ac minus terrea, vt sic faciliùs nutriat, & tales partes adaugeat, atque ad operandum reddat idoneas: causa enim efficiens actionum, sive potentia operativa, sive calor nativus in illis insitus vtitur eis tanquam instrumentis ad naturales omnes, atque vitales actiones edendas, & consequenter indiget illis benè dispositis ad operandum, & non omnino solidis: vnde provenit quòd talis substantia augmentativa & nutritiva faciliùs patiatur, atque à dictis febribus faciliùs inflammetur, aut effervescat, liquetur, aut exsolvatur, aut consumatur, quam seminalis, aut primigenea, & potissimùm quæ quotidie nutrit: hæc enim vtpote recens compacta omnium facillimè patitur, eliquatur, aut in totum consumitur. 250

Sed dices contrà: substantia primigenea, sive humiditas radicalis, & substantia augmentativa, aut nutrimentalis partium solidarum est vna & eadem in rei veritate, & per consequens erit æqualiter solida, æqualiter viscida, atque compacta, & sibi cohærens, ac tandem æqualiter resistens liquationi, aut consumptioni in febribus, & aliis similibus morbis: substantia enim seminalis, sive humiditas radicalis & primogenita, ex qua partes solidæ in sua prima generatione constituuntur, massa sanguinaria est, veluti alimentalis substancia; & meritò quidem: nam ex quibus constamus, ex eisdem debemus nutriri; & è contra: quare malè dicimus quòd in morbis relatis inæqualiter patiuntur. Respondetur esse massam sanguinariam, ex qua semen masculinum & fœmininum, ac sanguis menstruus generantur, vti substantia alimentalis, quæ nutrit partes solidas, & alias omnes nostri corporis partes viventes: hinc tamen non benè infertur quòd non differant inter se, vt est expositum, substantia primigenea & alimentalis in partibus solidis, cùm sint in eis diversæ elementorum mixtiones, quæ variant ipsa mixta; & singulæ earum partium atque substantiarum sortiuntur suam diversam mixtionem ex elementis propriis, provt ad diversas actiones, vel operationes edendas à natura ordinantur. 251

Sunt sanè actiones omnes, ait Aristoteles suppositorum, sive compositorum, & non singularum rerum componentium, & per consequens actiones partium solidarum sunt trium dictarum substantiarum hoc vel illo debito modo mixtarum: nam etiam, ait Aristoteles, quòd non quodlibet sequitur ex quolibet, sed determinatum ex determinato; atque proinde ex particulari Dei providentia oritur quòd prima elementa partium solidarum sint semina, & substantia multùm viscida, ac lenta, vt si postea transmutentur in tunicas, fibras, & proprias carnes pariter evadant solidum fundamentum corporis, & debitum subjectum caloris nativi, substantia augmentativa, & nutritiva minus solida, & magis fluida, calidaque à Deo traditur, vt quæ non solùm augmentum primis partibus præstare debet, sed

ſed & debitam diſpoſitionem ad recipiendum & conſervandum in ipſis nativum calorem: calor enim nativus cùm ſit ſubſtantia aërea, moderatè calida, ac multùm humida, ſed valde ſibi cohærens, ac ſecundùm omnes ſuas partes perfectè vnita minimè fluida, & tamen ad quodlibet facilè ſequax, & conſequenter ſubjecto ſibi debito indiget, & illis ſubſtantiis, potiſſimùm carnoſa, ex ſibi ſimili dicto ſanguine aucta, & benè nutrita, vt ſic robur ad operandum acquirat: non enim cauſa efficiens agere poteſt niſi in paſſo, benè diſpoſito, & niſi debitis inſtrumentis vtatur.

152 Itaque tres dictæ ſubſtantiæ partium ſolidarum in ſua prima generatione potiſſimùm ex ſubſtantia ſpermatica, vel ſeminali generantur, quia per talem generationem & fœtus formationem ſolùm corporis ſtatua fabricatur, vel corpus tunc ex illis ſolùm partibus conſtruitur, quibus organicum reſultet, ſed potentia ſolùm vivens, vel potens ſolùm augeri ac diu durare: poſt fœtus verò formationem, quia partes illæ primogenitæ non tantùm augeri poſtulant, ſed & actu viventes fieri, atque potentes operari, idcirco tunc, & deinceps nutriuntur non ex ſeminibus, neque ex ſanguine frigido, ac nimis craſſo, ſed ex putiori ſanguine multùm defæcato, & multis ſpiritibus vitalibus referto, qualis eſt dictus nutrimentalis, vt ſic non ſolùm nutriantur, atque augeri poſſint, verùm etiam vivificari actu, & potentes evadere ad operandum: ab ſpiritibus enim vitalibus à corde venientibus vnà cum ſanguine dicto nutrimentali, primùm quidem actuantur, id eſt actu calidæ, atque viventes fiunt: deinde nutriuntur, poſtea creſcunt, & ad operandum aptæ atque robuſtæ evadunt, & tandem conſervantur: quare ſubſtantia alimentalis partium ſolidarum valdè alia eſt à primigenia; & quamvis vtraque ſit mixta, & conſumptioni, aut mixti ſolutioni ſubjecta, quæ tamen alimentalis eſt magis multo ſubjicitur corruptioni, atque diſſolutioni, vt cùm ſit longè magis perfecta, longè minus terrea, minus viſcida ac lenta quàm primigenia, imo inter ipſas ſubſtantias nutritas, quæ carnea eſt longè minus poteſt reſiſtere liquationi aut conſumptioni quàm fibroſa ac membranoſa, quia eſt magis calida, magiſque tenuis, & minus terrea, viſcida ac lenta: etſi enim talis carnea ſubſtantia etiam viſcida eſt, atque oleoſa benè compacta, & ideo ſua alimentali humiditate benè nutrita, poteſt non parum eliquationi reſiſtere, ac conſumptioni, & quidem reſiſtit, ac diu integra permanet, cùm alteratur à febribus hecticis, aut colliquantibus, ſicuti elychnium in lucerna oleo plena ardens multùm conſervatur, ſi oleum non deficit; ſemper tamen citiùs ardet, aut inflammatur, atque diſſolvitur quàm aliæ, quia eſt calidior, & magis tenuis, imò & quæ recens genita eſt caro fervet longè faciliùs & citiùs eliquatur, ac diſſipatur quàm quæ vetuſta eſt, vel diu jam genita, quia minus eſt viſcida, & potius pinguis quàm ſolida conſtat ſubſtantia.

Dixi notanter quòd ſubſtantia carnoſa, 153 atque vivens partium ſolidarum, ſi ſua humiditate alimentali benè nutritur, multùm reſiſtit inflammationi, & liquationi, aut conſumptioni, veluti elychnium in lucerna ardens oleo plena, quia veluti elychnium in lucerna oleo ardet, & eodem ſimul munitur ne ab igne diſſolvatur, aut conſumatur, aut pereat, ſed integrū diu permaneat, ſi oleū non deficit; ita pariter in noſtris corporibus partes viventes, & dicta ſubſtātia carnoſa nativa (quæ veluti elychniū dicitur) ſi ſua humida ſubſtantia alimentali, quæ oleū dicitur, non privantur, ſed quotidie benè nutriuntur, per illam tutantur valdè, atque muniuntur adverſus calorem omnem febrilem, & eius liquationem, vel conſumptionem, aut exſiccationem, quamvis talis ſubſtantia alimentitia ſit ſanguis actu calidus & humidus, & facilè inflammabilis, vt oleum: veluti enim ex Hipp. 4. *de morbis, prope medium*, maſſa ſanguinaria, atque nutrimentaliſſua ſerſa ſubſtantia temperatur valdè, ne igneſcat, aut inflammetur; ita carnes, & partes ſolidæ viventes humida ſua ſubſtantia nutrimentali nutritæ temperantur valdè, multùm irrigantur, at quæ muniontur adverſus omnem febrilē calorem, & omnes eius ſqualidos occurſus, quamvis maſſa ſanguinaria ex ſe ſit ſatis inflammabilis, & ad calorem febrilem concipiendum ſatis diſpoſita: vnde & Gal. ſuprà de hecticis febribus agens, quæ à principio invadunt, ſive à cauſa ſolùm externa, & nullo præcedente interno aliquo morbo, quem ſequantur eas in corporibus ſqualidis, vel admodum ſiccis fieri docet; & non in aliis quæ benè nutriuntur, & carnibus abundant, & bono ſanguine nutrimentali, quæ etſi ita ſit re vera, ſemper tamen carnoſæ partes patiuntur magis in morbis, quàm ſpermaticæ, ſive ſeminales, etſi à febribus colliquantur, vel aliis morbis non æqualiter diſſolvuntur, ſed ordine quodam: ſi enim corpus quod liquatur non eſt extenuatum, ſed dictas habet naturales partes, atque ſubſtantias, primùm eliquatur adeps & caro recens compacta, vt quæ minus reſiſtunt, & deperditæ faciliùs reparantur. Secundo loco liquatur caro vetuſta, & quæ poſt fœtus generationem ex alimentis producta incrementum præbuit & robur partibus: hæc enim caro, & quia vetuſta eſt, vel diu jam genita, ac multùm compacta, & potiſſimùm quia eſt præcipuum fundamentum caloris nativi, ac inſtrumentum operationum difficiliùs multò inflammatur, & inflammata multo magis reſiſtit liquationi aut conſumptioni quàm recens genita, & ſi deperditur difficulter reſtauratur, ac longo tempore, vt 2. *aph. ſent.* 7. ait Hipp. Tertio tandem loco, liquantur fibræ, atque membranæ, etſi non in totum, neque ſecundùm omnes partes, ſed ſecundùm eas quas poſt generationem ex

ex alimentis aequisierunt, & quibus fuerunt augmentatæ: seminales enim non liquantur, ait Gal. sed siccantur post aliarum dictarum liquationem.

254 Quæ hactenus sunt demonstrata, omnia intelliguntur de colliquatione partium viventium solidarum nostri corporis, & earum, diversa colliquatione: quare nunc restat agendum de colliquatione humorum naturalium, & de colliquatione substantiæ ipsius caloris nativi: accidit enim aliquando quòd morbus colliquans omnia liquet, & multoties non omnia; sed hanc potius substantiam quàm alias; & ideo seorsim de singulis restat agendum: agimus autem hic simul de colliquatione humorum naturalium, & de colliquatione substantiæ humoralis caloris nativi, quia calor nativus, vt ait Gal. *lib. de sanguinis missione, cap. 5.* suam in sanguine mansionem habet, potissimùm in sanguine arteriali, & ex sanguine venali suam conservationem, atque restaurationem assumit, perinde ac ignis qui in foco est ex lignis ad ardendum idoneis; atque proinde si sanguis venalis, aut arterialis funditur, aut eliquatur, pariter substantia humoralis caloris nativi dissolvitur, atque effunditur; substantia, inquam, caloris nativi humoralis, quæ fundi potest, & in alvi fluxu transmutari: nam substantia spirituum vitalium, & aliorum cùm si vaporosa, si dissolvitur non transit in alvi excrementa, sed sæpè exsolvitur in insensibilem transpirationem, & aliquando in sudores syntecticos, seu diaphoreticos, sive naturam solventes: humores igitur naturales cùm substantia sint duplices, alij serosi, & alij sanguinei: nam non solùm sanguis venalis, sed & arterialis suum habet naturalem serum, quo facilè fluunt, & adversus calorem febrilem multùm temperantur; ideirco si liquantur, secundùm vnam vel aliam dictarum substantiarum liquari possunt, & per consequens humorum eliquatio alia serosa, alia humoralis esse poterit: imo quia serum est valdè fluidum ex se, à colliquantibus morbis facilè liquatur; & ideo sæpè humorum colliquationes prius serosæ sunt, & postea humorales, si colliquatio non cessat, sed perseverat. Sed est nunc notandum, quòd humores dum liquantur, in serosam, aut quasi serosam substantiam multoties mutantur: solent enim humores naturales dum supra modum deorsantur, secundùm eorum partes magis tenues liquari, & in serosam substantiam intensè rufam mutari, & secundùm alias terreas, aut magis crassas aduri, atque in sanguinem melancholicum crassum converti: non enim quæ sic terrea sunt liquari valent: quare & humorum liquationes sæpè sunt veluti serosæ, valdè fluidæ, nonque nimis crassæ, vt cùm carnes liquantur, aut aliæ corporis partes viventes.

255 Ex dictis liquet quæ corporis partes, & humiditates naturales à febribus colliquantibus effundunt. Perpendamus igitur jam quomodo ab illis colliquentur: hoc quidem vt melius pateat, advertere oportet qoòd corpora nostra tabescere, aut eliquari valent duplicem ob causam, scilicet vel propter calorem ardentem, vel ob virium debilitatem: à calore enim ardente sæpè carnes nostri corporis, atque humores liquantur, corpusque contabescit: nam facultas retentrix imbecillis partes, neque humores ex debita mixtione, atque vnione nequit conservare, sed potius aliquid eorum effluere definit, ex quo corporis tabescentia sequitur.

Ex quibus jam inquirendum erat quomodo corpus, ac humidæ illius substantiæ colliquantur non solùm à prædictis febribus ardentibus, ac extremè calidis, verùm etiam ab aliis morbis qui vires dejiciunt, vel ab ipsa virium jactura & debilitate; quia tamen in præsenti solùm sermo de febribus colliquantibus procedit, ac vnico verbo manet expositum, quòd ex virium debilitate liquantur corpora, quia facultas retentrix languida partes corporis, neque humores in sua naturali mixtione, atque vnione nequit conservare, sed præ languore semper aliquid eorum sensim effluere finit; ideo nunc solùm inquiritur quomodo nostri corporis partes, atque humores à febribus colliquantibus fundantur, sive eliquentur. 256

Diversimodè quidem dictæ liquationes eveniunt: primo etenim modo substantiæ & humores nostri corporis liquantur ab his febribus, quia eùm valdè intensus sit calor & vehemens, excedit valde naturalis temperamenti limites, eo quia ardens, & ad tertium gradum præter naturam intendatur; ideoque dictas nostri corporis substantias fundit, præsertim quòd humores cum his minùs tam intensæ activitati caloris febrilis obsistere valeant. 257

Secundò liquantur etiam nostri corporis partes, atque humores à febribus colliquantibus, quæ vires debilitant, quæ quidem non propter vehementem caloris intensionem, vt supradictæ operantur, sed quia media maligna qualitate, quæ vires prosternit, corpus exsiccant, ac omnes illius humidas substantias dissolvunt, propterreaque corpus tabescit: sæpè enim febres malignæ, & pestilentes debiles quidem sunt, vel in calore parum intensæ, corpus tamen eliquant, & valdè atque affatim vires dissolvunt, non minus quàm antecedentes, quæ præ intensione calorifica colliquantes appellantur: vnde Gal. 3. *de crisibus, cap. 5.* debiles, & parvæ febres, inquit, sunt quandoque valdè malignæ: quare hujusmodi febres non caloris intensione corporis substantias fundunt, sed quia vires vehementer debilitant, liquantur tandem humores, ac nostri corporis substantiæ à febribus colliquantibus vi caliditatis intensæ, quia ipsi humores paratiores, partesque nostri corporis sunt in se debiles, vel ita parum firmæ, & exhalabiles, vt facilè à quavis febre possint eliquari, quamvis valdè intensa, nec maligna sit, sieque propter humorum tenuitatem 258

tem carniumque tenerrimam, mollem, & laxam substantiam facilius, quam ab immodica caloris in tensione eolliquatio continget.

259 Cum satis ex dictis elarescat, quæ, & quot sint febres colliquantes, ac differentiæ colliquationum, simulque substantiæ liquationi subjectæ, tandemque causæ prædictas liquationes inducentes ac modi, quibus, pateant: merito de signis, demumque de curatione ocurrit agendum. Vt igitur de signis agamus, primò animadvertendum est, quod veluti eolliquatio ex Aetio nominatur non solùm partus, qui eolliquat, sed aluifluxos excrementorum, quæ eliquata per secessum exeernuntur; ita pariter in præsenti de signis, quæ ipsas febres eolliquantes demonstrant, agendum venit, simulque de aliis, quæ excretiones alui colliquantes, ab aliis omnibus diarrhœis, sive excrementorum evacuationibus, quæ per alvū fiunt, & non sunt colliqoantes, distinguunt: à primis igitur incipiendo, plurima sunt signa, quæ febres colliquantes necessariò comitantur, & illas ab aliis distinguunt: corpus etenim totum in febribus colliquantibus breviter contabescit, omnes quidem vires, & præcipue vitales mirum in modum exoluuntur, aluique dejectiones sunt pingues, aut viscosæ valdè, fætidè, intensoque colore saturatæ, vel nimis scilicet rufæ vel flavæ, vel rubræ, aut variegatæ.

260 Cum ergo febres colliquantes spiritus vitales, humores naturales, substantiasque corpus nutrientes dissolvant, merito ad hæc subsequuntur prædicta Symptomata, sive signa subsequuntur: si enim corpora non nutriuntur, necessariò contabescunt, & hoc breviter, cum semper, ac inevitabili ratione quotidie dissolvantur, aut inaniantur: non aliter si corpora non nutriuntur, substantiæque viventes in quantitate debita, ac qualitate requisita, & lege mixtionis, vt inquit Hipp. *lib. de hominis natura*, non conservantur; sed è contra, dissolvuntur vel deficiunt, necessario ad earum defectum, vel inanitionem. Vires quoque pereunt, sive maximè minuuntur, vtpote quia vt ait Gal. in dictis substantiis calor nativus, ac dictæ vites, suam obtinent stationem, aut conservationem, sive permanentiam: Si tandem partes nostri corporis viventes, humoresque naturales, & nutrimentales corrumpuntur, valde fœtent excrementa; nam optima quæque dum putrent pessimè putrent, fætorque est soboles putredinis, si etiam substantiæ naturales eliquantur, alui dejectiones pingues fiunt, ac potius viscidæ, quam fluidæ quia naturales substantiæ potius aereæ, quam aqueæ sunt; ideoque liquatæ pingues evadunt, sicque potios viscidæ, quam fluidæ, dissipatis nimirum partibus tenoioribus, exinde etiam eveoit, quod intenso eolore excrementa colorata exeernantur quæ quia liquata cum torminibus exeunt, veluti dejectiones sinceræ, id est siccæ, acres, & mordaees, privatæque suis naturalibus humiditatibus, quibus eran t attemperatæ, & dulces, ac mites ex earum commixtione repetiebantur.

Exponendum iam venit quomodo dejectiones colliquaotes ab alus dejectionibus alui præter natutam, quæ appellantur diarrhæa: distinguantur, licet enim dictum maneat, quod corporis & humorum liquationes, quæ per alvum excernuntur sunt valde fœtidæ, substantiæque potius pingues, aut viscidæ, quàm nimis fluidæ, & tenues, diversisque coloribus intensis variegatæ; hæc tamen non sufficiunt vt completè distinguant has excretiones, ab aliis quæ diarrhœæ nuncupantur, re enim vera etiam aluvi fluxus, qui in diarrhœa contingit, sæpe est varius, & veluti liquativus, nunc serosus tenuis, nunc humor is erassus, nunc rufus, ruber, aut flavus, aut variegatus, aot innominati eoloris, atque substantiæ; sæpe etiam fœtidus in tenle solet accidere, simulque tormina, & abrasiones intestinorum virium jacturam, & ruinam inducunt: quare vt verè inter se differant prædictæ dejectiones, est in memoriam denuo revocandum, quod fluxus verè liquativus duplex valet esse; vnus videlicet à calore nimio procedens, eo quod ab eo carnes atque naturales humores immodieè funduntur; alius vero qui ex vitium debilitate provenit; fluxus igitur eolliquativus, ab intensu calore procedens, talis est veluti supra est præscriptus; non verò qui ex virium jactura naseitur, nam iste frigidos affectus insequitur, eum defectum caloris nativi sequatur; ideoque alvi fluxus liquativus frigidus, vel ex virium defectu factus, nequit esse valde viseidus, nec fœtidus, minusque intensè coloratus, sed in principio tenuis aut serosus; procedente debilitate, vel augescente, neque excretiones assiduæ sunt, neque multæ, sed fluxus fit diuturnus, ac per aliquos dies majori copia exit; cujus fœtor nec similis est his, quæ ex calore liquantur, neque color, aut compages, verum minus grave olentia ab his exeernuntur, ac sæpe variegata, & plures, ac ægrè judicabiles eolores, & substantiæ in his dejectionibus apparent, etsi multoties, in colore & consistentia americæ sint similes, & ad plumbeum eolorem, vel fuscum accedere videantur, vt 8. *secundùm locos cap. 6. in fine* videndum expedit. 261

Ex dictis satis infertur distinctio inter colliquaotes omnes dejectiones alvi, & diarrhæas, vel alias alvni dejectiones, quæ liquantes non suot; nam etsi diarrhœa possit esse similis alvi excretionibus liquativis, vel in substantia, seu consistentia excrementorum, quæ expurgantur, vel in colore, vel in fœtore, aut in alio simili, nunquam tamen in eibis assimilabitur; sed in multis differet, potissimum quia vt dictum est, in natura distinguitur omnino, in materia videlicet quæ excernitur, & in causa efficienti: diarrhæa enim est alvi fluxus materiæ excrementitiæ, seu redundantis præter 262

præter naturam in corpore; fluxus verò colliquativus est fluxus carnis liquatæ, sive humorum naturalium: quare materia quæ expurgatur est valdè diversa, tum etiam diarrhœa est alvi fluxus à natura irritata qualitate, aut quantitate excrementorum factus; fluxus verò colliquativus solùm a morbo colliquante, sive naturam corrumpente, potius quàm à natura expellente fit: nam colliquatio carnis, vel sanguinis est naturæ corruptio, cùm natura in carnibus & sanguine suam habeat stationem: vnde colliquatio semper pravissima est evacuatio, signumque mortale; diarrhœa verò non ita, cùm aliquando possit, etsi ex accidenti, esse vtilis, ex eo quòd fiat à natura illud quod est inutile expurgante: quando enim natura superfluum evacuat, juvatur animal, vt ait Gal. *aphor. 4. comm. 2.* non tamen si evacuatio fit ratione symptomatis, sicque in casu prædicto semper diarrhœa minus quàm fluxus liquativus erit mala, licet quia immodica, & suprà vires possit mala existere, vel quia materia excrementitia pessima sit, aut ex alia causa: nunquam tamen tam intensè lædit, aut vires, vt colliquatio debilitat: ista enim subitò vires omnes dejicit, diarrhœa verò sensim, nisi cùm alvi fluxu liquativo coincidat.

263 Cùm ex apertis prognosis huius affectionis satis constet, cùm tam celeriter vires ab ea devastentur, meritò periculum vehemens valdè innotescit, ideoque potius ad maiora veniendum, cùm de dignotione prædicta sufficiant.

264 In curatione igitur febrium colliquantium triplex generalis intentio, sive indicatio advertenda occurrit: primò etenim causa colliquans est perpendenda, suisque contrariis oppugnanda. Secundò defectus triplicis substantiæ, quæ fusa & liquata deperditur, instaurandus est. Tertiò alvi fluxus est cohibendus, cùm semper vires prosternat: prius igitur, quamvis febris liquans, vt *suprà* dixi, possit corpus colliquare, vel quia suo adurente calore substantiam corporis fundit, vel sua potius malignitate, agendum est de curatione febrium liquantium, quæ corpus liquant, aut humidas ipsius substantias fundunt suo nimis excedenti calore, cùm in sequenti capite de febribus malignis, quæ sua malignitate liquant agere, atque earum curationem adducere institutum sit: quare febris colliquans, provt ad præsens pertinet, refrigerantibus atque humectantibus non solùm medicamentis, sed etiam alimentis primum omnium est oppugnanda, vt sic calor febrilis extinguatur, vel saltem temperetur, simulque corpus nutriatur, ac defectus triplicis substantiæ instauretur. Dixi primum omnium, quia etiam paucis astringentibus & glutinantibus indigent, tam intus quàm exterius simul applicatis: re enim vera calor harum febrium vehemens non solùm corpus, atque humores fundit, sed partes viventes debilitat, ac habitum corporis ad cutim vsque relaxat, nimisque poros aperit, ac proinde remedia non solùm quæ refrigerent & humectent, verùm etiam quæ nutriant, & modicè adstringant, ac roborent debiles partes, & ita glutinosa, vt meatus internos, atque externos densent, humores incrassando, eorumque acrimoniam obtundendo conferunt: nam si hæc rectè perpendantur, cùm hæc omnia febrilem calorem colliquamẽ comitentur, sine dubio ex omnibus prædictis adæquata curatio perficietur; & licèt febris colliquans sit simplex, eo quòd solùm ardẽs, etsi non cõplicata cum putredine, neque cum aliqua inflammatione, aut obstructione, propter humores tenues, vel ob virium jacturam prædicta expostulat: vt enim calor vrens est potens corpus, atque carnes extenuare, humoresque liquare, vel absumere, ita humores tenues facilè accenduntur, liquantur, ac dissipantur, potissimùm si immodicè rari habitus sit corpus, tum etiamsi vires sint languidæ, facultasque retentrix infirma sit aliquid effluere, sivit, vt corpus liquetur, & contabescat.

265 Quamvis hæc ita se habeant, si tamen corpora ob humores tenues & corporis poros nimis apertos extenuantur, sive valdè resolvuntur, vt in bilioso temperamento, atque in pictocolis experimur, non ideo dicuntur liquari, nec talis corporis affectus liquatio nuncupatur, sed gracilitas, aut macientia, quemadmodum in senibus, quorum corpora propter virium languorem arescunt, aut extremè extenuantur: sunt enim huiuscemodi corporis affectiones naturales, & ætativæ; ac per consequens omnino diversæ à colliquantibus, nam non istæ solùm carnes, & corporis partes absumunt, sed simul saltem prosternunt, caloremque ipsum viventem extinguunt: vnde febres liquantes non solùm acutæ, aut deurentes, sed etiam malignæ sunt: colliquatio enim malignitatis est signum, vt Gal. 3. *epidem. parte 3. comment. 57.*

266 Facilè ex nuper dictis febrium colliquantium signa clarescunt: in his enim totum corpus breviter contabescit, oculi cavantur, tempora collabuntur, nares acuuntur, alvi dejectiones pingues, seu viscosæ, ac valdè fœtidæ, & colore ruffæ, aut biliosæ, aut oleosæ accidunt; vrinæ similiter pingues, aut oleosæ sunt, omnesq; demum vires exsolvuntur, ob quam corporis contabescentiam facies Hippocratica statim apparet: ex liquatione non solùm spiritus & humores dissipantur, sed etiam carnes & partes solidæ corporis exsolvuntur, pingues etiam atque viscidæ fiunt alvei dejectiones, vrinæque oleosæ: nam ex liquatione fundit atque fluit per expulsionis vias quòd naturale & substãtificũ corpori adest, ita vt quod tenuius fuerit per vrinam feratur; crassius verò & viscidius ad ventrem confluat, ac per secessum expurgetur: sunt quidem huiusmodi excretiones intensæ fœtidæ propter nimium earum calorem, ac vehementem corruptionem, sive putredinem substantiæ liquatæ:

udor

odor enim valdè fœtidus etiam in excrementis est signum corruptionis, atque caloris excedentis, vt 1. *prog. com. vlt.* & 3. *de symp. causis cap.* 1. docet Gal. 8. *etiā secundum locos, cap.* 6. & alibi sępè. Vnde quid mirū quòd vniversæ vires, tā naturales, vitales, quàm animales resolvantur, cum earum essentia, sive caloris nativi tum influentis, tum insiti vi morbi corrūpatur: non enim in febre colliquante vna sola corporis pars eliquatur, aut parum corrumpitur, vt in nephriticis renum pinguedo, sed omnes corporis partes exsolvūtor, propter vltimi alimenti resolutionem, ac ipsarum partium liquationem: sunt quidem hæc duo, in quibus vita & essentia caloris nativi insiti consistit, vt infra patebit: ac proinde eorū defectus necis nuntius adest, præcipuè si vi morbi, & non à causa externa, vt media, vigilia, solicitudine, vel alia sensibili evacuatione deficiant, vt Hipp. & Gal. 1. *prog. sent.* 5.

267 Quamvis equidem omni evacuationi, præcipuè si magna fit, aut diuturna, est annexus casus virtutis, vt communiter dicitur; evacuationes tamen quæ ex erroribus externis assiduis fiunt, minus, quæ fiunt à morbis, vires dejiciont: à morbis enim malignis lædunt natura, & vires in sua essentia, quales sunt morbi facti partium similarium, sive illarum habituales intemperies; qui verò morbi sunt in fieri tantùm, aut facti quidē, sed partium organicarum, vt tumores, obstructiones, abscessus, vel similes vires essentialiter, non devastant, nisi extremi sint, sed potius vires impediunt, quàm extinguunt, veluti errores externi: vnde Gal. 3. *de causis symptom. cap.* 1. inquit: non satis est Medico cognoscere vitiatā esse jecoris, aut ventriculi coctionem, vel aliā esse corporis læsionem; sed diligentissimè distinguere oportet, an læsio pendeat à facultatis imbecillitate, an ab errore aliquo externo: si enim, ventriculi coctio vitiata sit ab errore externo, vt culpa ciborū, vel ex defectu somni, &c. facilè mutata victus ratione, vel somno adhibito curatur; si verò talis coctio vitiata fuerit ob debilem facultatem, malū est grave, cùm facultas, sive principium efficiens sit dejectum, aut deficiens, sive essentialiter læsum, quod non nisi difficilè restituitur, longoque tēpore: non aliter si sanguinis generatio læsa fuerit, scire oportet, an læsa sit ob crudos, vel multos humores, qui ex ventriculo in jecur, in venas distributi fuerint, an potius propter facultatis alteratricis imbecillitatē: si enim culpa, vel alterius erroris læsa sit sanguificatio, vel evacuatione, vel aliter indicabit, sanabitur; at si ob facultatis languorem lædatur, gravius est damnū: non enim facilè solvitur, veluti quæ ex errore oriuntur, sed in eā hydropis speciem, quæ ascites nominatur, transit, quæ ferè propter morbi gravitatem, vel virtutis debilitatē incurabilis est. Eodem etiam modo si tertia coctio, quæ in singulis corporis partibus fit, quotidie vitiari contingat, statim expedit inquirere, an lęsa sit propter humores quantitate, vel qualitate peccātes, qui ex jecore, aut ex vtero, vel alia parte mittente ad alias perveniont, an potius ob jacturam facultatis alteratricis singularū partium: nam si talis coctio culpa succorum, vel alterius externi erroris vitiatur, malū est leve, etiamsi in illis hominibus, qui à morbo convalescunt accidat, vt solet evenire: hi siquidē cùm ex morbis multùm extenuātur, solent in convalescentia ciborum copia repleri, quos debilis facultas vincere nō valet, sed crudos, vel aliter vitiatos relinquit, hisque corpus repleri, ac totus corporis habitus turgidus fieri permittit, vt in cachexia, quæ ad hydropem tendit, evenit; iste tamē habitus corporis pravus, mutata victus ratione, ac cibis convenientibus in quantitate moderata sumptis facilè coratur, quia potius ex errore externo, quàm viriū imbecillitate pendet: nā si ex facultatis, languore provenerit, vt in hydrope accidit omnium pessimus est, ideoq; nun solùm non curatur, sed potius peior redditur, atque in anasarcam terminatur.

Ex quibus patet quòd in nostro casu velu- 268
ti in evacuationibus, quæ præter naturā nobis contingunt, quæ quidem ex erroribus cōtingunt, vel solùm à causis externis, longè minus sunt malæ, quàm quæ à morbis vehementibus & malignis oriuntur, qui vires tū dissolvunt, ac valdè imbecillitant, vt sunt febres liquantes: illæ enim facilè correctis, aut mutatis erroribus, vnde proveniunt, curātur; istæ verò nequaquam, nec solùm causis ablatis, aut morbis à quibus fiunt sanantur, sed simul etiā vires dejectas, dissipatamque naturā instaurare, atq; sigillare necessariò indicant, quod difficulter, tardoque motu evenit, ideoque si ipsi morbi solùm fientes sunt, vel facti organici, qui vires essentialiter non exsolvūt, sed tamen gravant, vel alterant longè citiùs, atque faciliùs solvontur quam facti, qui vires essentialiter dejiciunt: vt enim causæ externæ ex se quidem nostram naturam intrinsecè & essentialiter non corrumpunt, sed solùm alterationē inducunt, vt in dolore ab extrinseco pendente patet; ita morbi fientes partium similarium, quales sunt febres putridæ, dum solùm sunt fientes, quamvis sint acutæ, aut ardentes, alterare sæpè vires valent, naturamque irritare, non tamen essentialiter extinguere, aut dejicere, nisi morbi extremi fiant, aut multo tempore permaneant; & ideirco remediis benè adhibitis facilè solvuntor; è contra qui facti jam sunt vel naturæ essentiā dissolvunt, aut vires essentialiter debilitant, vt febres liquantes, ac alij omnes morbi maligni, propter virium defectionē difficultet curantur, curationique non cedunt, sed quia natura deficit, vel saltem lassata jam est morbi violentia, remediis valdè obsistunt: natura enim repugnante omnia irrita fiunt, vt Hipp *lib. de lege*: nam ipsa ex eodem 6. *epid.* est morborum medicatrix.

Insurges: tamen febres colliquantes sunt 269
morbi fientes, atqui hæ vires essentialiter debilitant, naturamque intrinsecè lædunt, ac dissolvunt, & curationi non cedunt, sed potius ritè & rectè remediis adhibitis valdè resistunt; imo ex Gal. malignus morbus dicitur ille, in quo cibis debitè administratis nihilo

meliores ægrotantes fiunt: ergo non est dicendum quòd morbi fientes facilè curantur.

270 Cui respondeo colliquantes febres & malignas esse ferè semper morbos in fieri, naturamque maximè depicere, curationique multùm obsistere, hoc tamen non est contra prædictum sensum: nam hi sunt morbi fientes extremi, id est tales, vt quamvis non sint facti, maximè tamen à statu naturali recedunt, vt ferè facti nuncupentur, propter vehementem activitatem, qua gaudent: nam huiusce modi morbi in tertio gradu cõpleto, vel quarto incipiente ah statu naturali recedunt, ideoque difficulter, aut nulla ratione curantur, quia sunt extremi, & naturã summopere prosternunt, ac dissolvunt: nã omne vehemens sensibile destruit sensum ex Aristotele, & omne nimium est naturæ inimicũ ex Hipp. & Gal. quare morbi fientes non extremi, vt sunt febres putridæ, non solùm intermittentes, sed continuæ, etsi acutæ sint, vel aliquantulũ ardentes salutares sunt morbi, non verò liquãtes, neque extremi, aut maligni morbi, neque naturam subitò ac citò dejiciunt, sive multum extinguũt, nisi malè curentur, aut vltra procedant, ad tertiumque intensionis gradum præter naturam accedant.

271 Notandum tamen est quòd in febribus liquantibus non solùm alvi fluxus qui naturã debilitent adsunt, verùm etiam per lotium, & per sudores quandoque liquantur, interdum per ventrem, aliquando per lotium, sæpè etiã per sudores pellitur; rarius tamen materia liquata in partem aliquam interdum præcipitatur, ac subitaneam hydropem creat, quando in spatio inter omentũ & intestina coacervatur, vt expressè docet Gal. *lib. 3. de causis symptom. cap. 2. juxta finem*, asserens: *Fit igitur quædam velut anastachresis (quasi dicat reclementatio) colliquatio, sive resolutio, sive dissolutio, sive quomodocumque aliter nominare libet, aliquando totius corporis, aliquando succorũ qui in venis sunt duntaxat; quòd autẽ ex ea colliquatione provenit, aliàs ad ventrem confluit, aliàs ad vrinas, aliàs ad sudores pellitur; ac succis quidẽ, qui in venis habentur, in serosam saniem solutis, renes, qui ad excrementum id trahendum sunt nati, potissimùm cùm sani sunt, lasum quidem à venis expurgant; fluxionẽ autem ad vesicam mittunt assiduè: vbi autem renes trahere non valent, aut vena eiusmodi serum in ventrẽ mittunt, aut toti corpori id partientes, subitaneos hydropũ status inducunt: si autẽ quod liquatum est crassum sit, qualeq; renes trahere non possunt, totum in ventrem necessariò confluit; carnoso verò genere ita liquato sũ venter eius fluxionem recipit, vbi scilicet ea est crassior, tum sudores multi superveniunt, vbi in halitus est resoluta*, &c.

271 Ex hac pretiosissima Gal. authoritate patefiunt liquationes humorũ tantùm, aliquando etiam reliquarum partium, ac diversæ regiones, per quas quod liquatur expellitur, & qua simili ter ratione interdùm in ventrem dilabens, aut in vniversum corpus inopinatè distributum, subitaneum hydropis statum excitet. Quod fatur Petrus Michaël de Eredia se vidisse, eo quod quidam tam impetitu quàm solùm empiricus, & circulator, insolenter absque vlla corporis præparatione, vt quemdam intemperie frigida laborantem sanaret, extrinseca sudorifica applicuit, quę tantam succorum & pinguedinis copiam liquarunt ac in ventrẽ præcipitarunt, vt veluti hydropicus turgeret, ac intra biduum suffocarũt, licèt robustissimus juvenis adesset. Ipse etiam fateor expertus ex assumptione ellebori præscripti à quodam fratre, sine debita humorũ præparatione, quod nobilissima Marchionissa de Nabarrens appellata, ex fusione, liquatione que succorum immodica in affectum convulsivum incidit, tandemque plurima symptomata exacerbata fuere.

Cùm inter omnes evacuationes, quæ in febribus colliquantibus & malignis sudores sint, qui celerius, promptius, & infelicius ægros de medio tollunt, meritò notandũ expedit quòd quando validus & vorax calor est, ita vt carnẽ, pinguedinemque non solùm liquet, sed etiã in vapores permutet, qui cutẽ frigidiorem attingentes concrescant, & in aqueam substantiã vertantur, sudores liquativi nuncupantur, qui duplici potẽsione indigent: alij enim syncopales, alij verò diaphoretici dicuntur: quod discrimen pendet, nõ quia diaphoretici syncopem inducere non valeãt: nam omnes in eam sæpè sæpiùs terminantur; sed qua ratione causæ modi cocundi, & ratione celeritatis syncopem inducendi valdè dissentiunt: syncopales etenim pravitatem, malignamque causæ conditionem potius quàm caloris vehementiã & intensionẽ insequuntur, est similiter in eis retentrix facultas satis languida, cuius lapsum expellens facultas depravatè comitatur: nam substantia quæ retineri non valet, præcipuéque spirituosa, statim labitur, ex cuius defectu syncops sequitur: quare huiusmodi syncopales sudores retentricis facultatis extremum lapsum & jactutam arguunt, ac celeriter syncope vrget. 273

Sudores verò diaphoretici cotiarias insequuntur cõditiones: nam nec tam prava, malignaque est causæ natura, sed purius ab intensiore calore proveniunt, ideoque non ita debilitas retentricis est magna, sicque tardiùs in syncopẽ terminantur, quia retentrix adhuc constat. Dissentiunt etiam sudores syncopales à diaphoreticis, eo quòd illi ferè semper sunt frigidi, aut tepidi; diaphoretici verò calidi, quia hi incendio magno, alij potius virtutis extinctione celebrantur: syncopales deinde minus corpus madefaciunt; diaphoretici è contra plus multò inundant, sicque cùm causa horũ sit excedens & extremus calor liquativus, satis conspicua distinctio apparebit: de vtriusq; sudoris speciebus egit Hipp. 1. prog. cap. 8. asserens: *Hoc autem scire oportet in vniversum de sudoribus, quosdã fieri præ corporis debilitate, quosdam verò inflammationis vehementia*; ideoque syncopales semper ex languore virtutis proveniunt; diaphoretici verò ex inflammationis vehementia: diaphoresis enim idem quod digestio, seu resolutio: quare syncopales sudores febrem liquantem raro insequuntur, nisi pestilentem, aut malignam; diaphoretici verò semper ab ea oriuntur. 274

Ex

175 Ea dictis elegans, valdéque necessaria doctrina erit, videlicet quòd diaphoretici sudores sępè Medicos fallũt, eo quòd calidi sint, ac ea toto corpore emanent, ac in critico die cõtingant (quasi dies dicatur criticus vllus, nisi signa victoriæ antecesserint) quare cùm non fiant virtutis languore, sed incendij ratione, propterea confidunt, quia virtus satis constat; quapropter damnanda maximè est illorum imperitia, qui omnia signa non perpendentes, sudores ferè omnes juvare, & adaugere sudorificis solent, etiamsi in morborum principiis accidant; certissimum quidem est, quòd sudores naturæ robore manantes, aquei valdè sunt, & guttæ magnę, & diaphanæ; diaphoretici verò crassiores sunt, minus perlucidi, seu diaphani, quia pinguedo, aut caro liquata, aut in vapores versa crassiores sudores efficit; & ideo corpulentiores, minusque aquei, & opaciores apparent, proptereaque glutinosam naturam, ac certum lentorem, quæ in sudoribus optimis inveniri nequeunt, habent; in istis enim cùm ex vaporibus succorum, qui magis aquei & sine lentore sunt, fiant, evacuatio laudabilis est, vt in omni critica; consetentia & tolerantia perpendendi sunt, vt judicium de earum bonitate, aut pravitate certius stabiliatur, veluti *tractatu de crisibus* satis egi: nam veluti turpis calamitas est, dato medicamento expurganti, eo die ægrum perire, quia mors Medico imputatur; turpior potius est, auxilium sudorem augens propinare, ac medio sudore animam agere, ex eo quòd citiùs in sudore, quàm in alvi dejectione, Medici ignorantia, atque imperitia pereat, cùm talem sudorem perniciosum esse non agnoverit, quando ipsum adaugere tentavit.

176 Nec minus consideratione est dignum, vnde proveniat quòd quando natura materiam incoctã, sive crudam per sudorem evacuet, lethaliter ferè affecta judicetur: dicet enim quis, quare natura humorem incoctum sine periculo exercere non potest? nam si quando aliquis humor intra vasa putrescit, accessionem futuram facturus, eum natura à reliquis secernit, & ad focum destinatũ transmittit: ergo poterit etiam humorem puttidũ, non tamen coctum seorsim excernere, & à morho liberare; non quidẽ inquiritur in præsenti cur sit malum signum, sed cur sit mala causa, quia communiter dicitur materiæ pravitatem aut copiam significare non sufficit, quoniam natura pravam, aut multam maretiã evacuans statim, promptiùs à morbo liberabitur; neque obstat materiam esse pravam, si illam evacuat.

177 Circa hanc difficultatẽ Petrus Michaël de Exedia gloriatur se nunqnã solutionẽ ab vllo traditã invenisse, cur videlicet crises sine coctione materiæ tentatæ tot incommoda exhibeant, naturaq; expulsionẽ materiæ non coctæ secorè tentare nequeat: nam omnes authores solùm malitiam significare putantes, quiescunt, eo quòd aut pravã humorum conditionẽ, aut copiam, aut impotentiam naturę ostendere dicunt: sed quare natura sine mortis periculo, aut recidivæ, aut graviorum accidentium materiam crudam rejicere nequeat tacent, causamque nescientes, negligunt.

278 Acutè quidem Michael de Eredia persensit, inquiens, quòd si id quod in foco putredinis continetur, non sit coctum, ac victum, frustra natura tentat expulsionem eorum quæ ab eo corrupta fuere, quia quod in foco continetur firmum semper & stabile est, vt est humor in tumoribus, quem natura nunquam sine coctione tutò rejicere potest: quare quãdo natura humores contaminatos à foco rejicit, movendo quod in foco est nondum coctum, novum rursus contagium, novaq; succorum corruptio redit, & cũ medio illo motu, sive prava crisi tentata turbatio humorũ magna fiat, multùmque natura patiatur (cùm adhuc in optima crisi non leviter patiatur) simulq; debilitetur; propterea morbus recrudescens, de novoque affligens, cùm naturam debiliorem, ac viribus destitutam inveniat, vt tam pravã materiam ante coctionẽ vellicantem emendare non possit, vt rarum sit, quòd si morbus acutus sit, & virtus languida non morbo succumbat, ac pereat: quare præcipua periculi ratio ea humoris non emendati expulsione provenit; tam enim est prava eius cõmotio, quòd sine insigni vitium jactura & collapsu propter magnã spirituum consumptionem à prava, tetraq; exhalatione corrupti humoris causatam, nequeat celebrari. Hinc fit tam perniciosam esse expulsionẽ in morborum principiis, quando ob humoris pravitatem accidit: nam est mala vt signum, & vt causa; quando verò ob solam multitudinem celebratur, minus periculi obtinet; si tamen quia facultas languet, semper exitiosa est: facultas enim retentrix nec malum succum, vt eum corrigat, nec bonum, quo indiget, vt eo gaudeat, continere valet, sicq; ita labitur materia, & natura, vt evacuatio vsque ad interitum extendatur, vt Gal. *in comment. vigesima secunda sententia, 4. aphorism.* inquit, dum ait Hipp. incipientibus morbis si bilis atra supernè vel infernè exeat lethale, eo quod talis evacuatio non solùm malam corporis dispositionem significat, sed quia vt causa commota propter tetram vaporum exhalationẽ spiritus vitales consumentium, caloremque nativum exsolventiũ, corrupta simul, atque in totum dejecta natura deficit: ob quam rationem satis verã ac stabilem pluries in evacuationibus succorũ febrium malignarum & pestilentiũ ægri morte corripiuntur: nã ita aliqui succi invincibiles, ac supra naturæ robur, & virtutẽ coctricẽ sunt, vt dicantur veluti cineres supra ignẽ, cùm ab eo vlteriorẽ actionẽ obnegent, vtpote potẽtia obediẽtiali carẽtes.

279 Cùm in superioribus adductæ maneant indicationes curativæ febrium colliquantiũ, videlicet refrigerandi, humectandi, & renutriendi; propterea notãdum est quòd cùm febres pestilentes colliquent, & maxima putredine polleant, vt ingens excrementorũ fœtor ac intolerabilis ostendit, non decet sine magna pręmeditatione humectare, eo quòd sępè

convenit moderatè exficcare ad inhibendam purredinem ob humidi excessum, cum tā intenso fœrore enatam. Confert quidem moderara exficcario ad tenneutē facultatem firmādam, oe prę humiditate & laxitate deficiat, & ad carnium, ac pinguedinis liquationi, & immodico fluxui, quas sine dubio humectatio auger, obsistendum: quare ne media laxitate virtutis præcipitium fiat, adstrictio moderata maximè coovenit, eo quòd retinentem stabiliat fluxum colliquantium coërceat, spiritus dissipationē cohibeat, ac ita partes vnitiores reddat, vt dictæ liquationi valentiùs obstent: hæc tamen exequenda veniunt, dum putredo propter humidi inmoderantiam cū summo fœrore nascitur: si enim calor siccitati conjunctus colliquet, potius humectandum, refrigerandūq; est; quo casu non putrida, sed exurentia excrementa apparebunt, quæ propriè febres colliquativæ sunt, de quibus dictæ indicationes intelligendæ offeruntur.

280 Præsentem aliqui taxant doctrinam ducti Galenico præcepto ex *3. de victu acut. textu 13.* & in oostro textu, qui multam vi uperās ptisanæ etemorem commendar, qui eum refrigeret, humectet, detersoriusque sit, ac facilè nutriens, sine vllo liquaminis periculo, imo ad illius tutelā vtilissimus est; ideo adstringentia immodicè renuunt, eùm in cremore ptisanæ effectus contrarius omnino adstrictioni adsit, illumque Gal. commendet: hoc tameo maximo discrimine in sentiendi modo eget: si enim vires debiliores adsint, fluxusque immodicus appareat, viæque non sint nimis obstructæ, ac præclusæ, moderatè adstringentia vt vtilia sunt censeoda, ita vt licèt apud Gal. commendetur ptisana, aliquādo tamen cùm ea adstringentia sunt permiscenda, vt virtus retentrix firmata & roborata, labentem immodicè fluxum liquativum retineat, propterea que Oratius Augenius, illiusque pater collaudarunt valdè vsum boli Armeni felici cū successu, cuius drachmam in vino propinabār, aut aqua duabus horis ante alimentū, seu ptisana; aquę verò aut vini erat vnica vncia; quod auxiliū securius est quando jam fluxum cohibere desideramus, præcipuè tamē si malignitatis indicia sint, quia veneno valdè resistit; quod remediū Gal. ita cōmendavit, vt quibus datum non profuit in quodā statu pestilenti, nullo auxilio levati fuissent. Collaudat quidē huiusce modi præceptū Petrus Michaël de Eredia transacto jam primo fluxionis impetu: solet enim veotriculus consensu irritationis à fluxu colliquativo, alimēta aut nullo modo, aut semicocta rejicere, cui lapsui, sive affectioni moderata illa adstrictio maximè opitulatur ante eibum; quòd tamen exhibitio huius medicamenti fit duabus horis ante alimētū non placet Erediæ, sed tātùm vnica hora, & meritò, ne virtus adstringens, quæ nisi ad præsentiā medicamenti permanet evanescat, dissolutaque sit, inanis propterea erit finalicatio alimentum in ventriculo coquendū retinendi: hoc quidē modò intellecta doctrina adhuc firmarē, quod in alvi fluxionibus etsi vtilib' tale pręceptū est valde vtile, maiori parte materiæ evacuata: hoc enim modo obstamus, ne retentrix assidua fluxione labescat, vt in paralysim omnino iocidat, sicque moderata adstrictio nulli naturæ operatiooi incōmodar, sed omnes in symetria operationes servat, & tutatur; impedit verò ne aliqua ita laoguescat, vt irremediabilis fiat: pluries enim experimur quòd licèt alvi fluxio optimis signis incipiat, in ipso verò fluxu ita retentrix lāguescere solet, vt nihil postea retioeat, & æger pereat. Ex quibus liquet sēper observandū esse quòd licèt moderata cōveniat adstrictio, immodica tamē in alvi fluxu colliquativo semper est incommoda, quia præstat obstructiones, quas causat, præexistētes auget, simulq; potredinē sovet, & corpora liquata remedia adstringentia nimis exsiccant, ac si fuerit malignū quod movetur cū magno naturę incōmodo, ac jactura detinetur vt interdū deliquia, aut syncopē inducat; quare meritò Ludovicus Mercatus victū febris colliquantis refrigerantē, & modicè adstringentem, & crassiorem, quàm pro morbi ratione par erat, debere esse persentit. Notandū tamen expedit quòd Medicus directè pugnādo contra causam fluxus, eum sistere conetur non quidē semper adstringentibus absolutè, & incrassantibus solùm: nā primo modo secutè, & sine periculo sistuntur, secundo periculosissimè, quia isto fluendi causa, sive occasio non tollitur: vnde cùm hęc iotus maneat, in partes imas, sive internas præcipitari, & transmitti cum mortis eventu evenit: si ergo acrimonia humorū alvum moveat, quæ mordacitatem obtundant reprimētia secura sunt, si incendium viscerum colliquet, quæ viscera potius attemperent, si maligna qualitas, vt in peste alexipharmaca, si ob humiditatē immodicam retentrix laboret, quæ siccent, si viarū sola apertio, quæ occludant & adstringant: hæc enim solas fluxiones moderantur, vt vias fluxionis coarctent.

Cùm inter remedia (vt suprà) accommo- 281
datiora potus aquæ frigidæ sit, meritò an sit dandus in febribus colliquantibus dubitandum occurrit; ad cuius dubij decisionē dupliciter est sentiendū: primò etenim si in febribus colliquantibus præniminm adsit incendium cum virium robore vtilissimum, ac securius est subsidium, quia si tantom adest incendium, vt corpus colliquet, & ad tabē perducatur, auxiliū frigidū & magnum indicator à quo tanta æstuatio extingui valeat, eo quòd nullum jucundius etsi latius, promptius, ac securius prædicto periculo occurrens, quàm copiosus frigidæ potus.

Secundò verò si colliquatio ex languore 282
proveniat, perniciosus aquæ frigidæ potus ad satietatem exhibitus erit, tum quia vi remedij extincto subito calore mors eveniet, eo quòd virtus satis valida non adsit, tum etiā quia colliquationis occasio in effœminatis increscit: nā vel excedens humiditas, aut nimia membrorum mollities cum virtutis jactura reperitur, quæ sine dubio copioso aquę frigidæ potu augentur, ita vt viriū immodica ruina subsequuta, fluor irremediabilis fiat.

Tertiò

183 Tertiò deinde in pestilentibus,& malignis febribus magna præmeditatio est habenda, vt aqua frigida detur: nam cùm hæc præ nimia humiditatis exorbitantia pluries colliquentur, taleque vitium à prædicto potu emundari non possit, pertimescendum est ne vlterius maior liquatio fiat; & cùm huiusmodi remedium non prosit, imo lædat; magnumque sit, propterea noxa, quam inductuum sit, extrema adest. Ratio quidem efficacior omnibus est, quia malignæ febres ac pestilentes tepidæ esse solent: quare non ita est ingens incendium, vt copiosum frigidæ aquæ potum indicet, sicque calor ille remissus potuisse in succis crassis causam consistere ostendit; & cùm prædicti succi à copioso frigido potu deteriores reddätur,quia cùm non evacuent, nec resolvätur,magis verò crassescant, & incrudëtur vi frigiditätis,etsi ad præsens mitior videatur, malignior redditur, vt Gal. 9. *Methodi* præscripsit. Sapientissimus quidem Oratius Augenius similiter vsum aquæ frigidæ tenuit, dumaliqua inflammatione intestinum aliquod, aut iecur, aut alia pars interna laboret; quæ assertio tum Galeno, tum rationi repugnat: Gal.enim ne æger in hecticam incidat, ac præ nimio incendio nequaquam phlegmonem incru late timet; quam doctrinam Avicen. *fen.* 4. *tractatu* 26. *cap.*7. roborat afferens: *Et quando fit quædam prohibentia, deinde timetur malitia caliditatis & sitis*; & *existimas quòd pervenitur per ea ad ariditatem, tunc non prohibeas aquam frigidam: nam additio apostbematis, & cruditatis eius melior est quàm extenuatio.* Huiusceemodi authoritas in Augenij doctrina vrgentior adest, cùm ille omnem febrem colliquaotem sine hectica non dari persentiat: vrgentior enim erit indicatio ab illa corporis absumptione, quàm à phlegmonis cruditate; si tamen cum febre colliquante ingens tumor copulet, hic omnino præ magnitudine copiosũ potum aquæ frigidæ prohibet: nam à prædicto potu suffocatio augescit: humor enim non minuitur, sed crudior redditur, & respirationis instrumenta minus obsequentia fiunt, deficienteque anhelitu & respiratione æger suffocatur. Distinguere tamen oportet, quando præ nimio incendio, aut præ tumoris magnitudine fiat suffocatio, vt rectè notat Eredia: nam quando ratione incendij accidit,maior respiratio, & celerior,minus tamen crebra adest; si verò inflammationis magnitudo oppresserit, parva nimis,minus tamen celer, crebertima tamen redditur, quandoque in medio mutus interrumpitur, quæ spiritus offendens apud Hipp. 4.*aphor. text.*68. nuncupatur;& *lib.*6. *comm.*54. Gal. exposuit ex duritie nimirum instrumentorum aliquando fieri vt in pulsus duritie,si tumor ingens sit, patet; nec respirandi difficultas caluri proportionatur:maior enim est, quando intensus calor eapostulat, ac differentiæ supradictæ sunt oppositæ, habita ratione ad magnitudinem, celeritatem, & crebritatem: eadem ratio observanda militat in thoracis & pulmonis inflammationibus, vt potus aquæ frigidæ maximè adversus sit: nam præterquam quòd nimis frigidum, & in magna copia exhibitum thoraci est inimicum,impedit etiam sputum,mediæque huiusmodi inflammationes rectè terminantur, simulque resudationem ex parte affecta tollit, quod valdè exitiosum est: siccas enim pleuritides & pulmonias inducit, quæ omnino mortales sunt.





COMMENTARIVM IN VNDECIMVM GALENI LIBRVM de Methodo medendi.

EXPOSITIO QVINTA.

Præfatio continens Libri institutum.



NTENTVM Galeni est *in hoc libro vndecimo* agere de curatione rationali febrium putridarum, sive de scientifica atque omnino vera istarum cura; etsi enim curatio febrium putridarum sit omium difficillima, ideoque de ea agere distulit Galenus vsque ad hunc librum vltimum de curatione febrium; hoc tamen non obstante in præsenti eam explicat, atque ex natura rei per scientificas indicationes, sive demonstrationes ostendit. Sed cur agit nunc de curatione febrium putridarum? sunt siquidem febres putridæ, febres humorales, sive febres quæ oriuntur ex humorum putredine, atque proinde videtur esse curandas vti aliæ febres humorales, quæ curantur per ablationem suarum causarum, sive humorum redundantium præter naturam, à quibus fiunt; de quibus *suprà* jam actum est non solùm *libro nono, sed & octavo, à capite quarto vsque ad finem.* Vt rectè respondeatur est supponendum & advertendum, quòd etiamsi Galenus *in libris de febrium differentiis* febres dividit in diarias, putridas, & hecticas, sive in eas quæ in spiritibus, humoribus, aut partibus solidis accenduntur; tamen in præsentiarum, atque in his libris de curatione febrium traditis aliter dividit febres: in libris siquidem *de differentiis febrium* febres dividit in tria tantùm genera, sumptis differentiis à subjecto, sive quia tria solùm sunt genere diversa febrium subjecta, scilicet spiritus, humores, & partes solidæ; in his verò libris, & in tota hac tractatione de febrium curatione dividit Galenus febres in quatuor genera, sumptis scilicet differentiis non à subjecto, quia subjecta sunt solùm tria dicta genere distincta, sed à curatione, sive quia curatio rationalis febrium omnium est non tantùm tripliciter diversa, sed quadrifariam, aut quatuor modis distincta: febres enim materiales, seu humorales, quamvis omnes materiales sint, atque ab humoribus generentur, quia tamen humores à quibus generantur sunt duorum generum; alij scilicet cum putredine, & alij sine ea: idcirco febres humorales curationis gratia dividuntur in duo genera; scilicet

scilicet in febres putridas & non putridas, quia scilicet febres humorales sine putredine curantur, aliter quàm febres putridæ: nam tametsi febres omnes materiales, siue humorales, siue putridæ sint, siue non, habent causam continentem, aut conservantem, & per consequens omnes indicant curari per ablationem suarum causarum, & in hoc nullo modo differunt, sed conveniunt: his tamen non obstantibus febres putridæ curantur longè aliter quàm quæ fiunt sine humorum putredine, vt videbimus in sequentibus. His sic notatis facilè respondetur dubio proposito: Dicimus enim quòd quamvis Galenus egit abundè *octavo & nono libris* de curatione febrium verè diariarum, siue ab spiritibus præter naturam accensis dependentibus, & simul etiam de illis humoralibus quæ sunt sine putredine, scilicet quia harum curatio rationalis magis affinis est verè diariis, aut exquisitè diariis, quàm curatione putridarum; & quamvis *libro decimo* egit de hecticis, restabant tamen aliæ febres humorales putridæ; atque ideo has *in præsenti libro vndecimo* accuratissimè curare aggreditur.



CAPVT PRIMVM.

De indicationibus primis quæ debent obseruari in curatione febrium putridarum.

2 CTVRVS nunc Galenus de rationali curatione febrium putridarum, ea primùm omnium in hoc *primo capite* explicanda aggreditur, quæ talem curationẽ ostendere possunt, scil. indicationes curativas, quæ in eis reperiuntur, & quas Medici primitus, & ante omnia distinctè scire debent, vt penes illas, & non aliter consequatur curatio febrium putridarum. Antequam verò indicationes tradat quæ obseruari debent in curatione dictarum febrium, repetit ea quæ de febribus huc vsque dicta sunt, & *in vltimo capitis loco* agit de natura hominis, explicatque in quibus eius consistat essentia: vnde tria sunt diversa, quæ in præsenti capite affert Galenus; & consequenter caput secatur in tres partes.

TEXTVS.

Febrium quas putrescens accendit humor, &c.

3 REpetens Gal. *in hac prima capitis parte* quæ hactenus de curatione febrium tradita sunt, scribit quasi in hunc modum: Febrium curationes tres quæ sunt inter se diversæ, etsi in multis conveniant, jam in superioribus remanent explicatæ: nam quemadmodum eas curare conveniat quas diarias vocamus, in horum Commentariorum *lib. octavo* est expositum; pari modo & quemadmodum continentes febres sine putredine curare oporteat, atque alias humorales non putres, sed ardentes, vel ab humorum incandescentia ortas, *in libro*, qui illum sequitur *nono* est explicatum. Tertiò etiam quemadmodum hecticas febres cures *in libro sequenti*, qui totius operis est, diximus, restat demonstratum: in quibus quidem libris atque curationibus non propria modo cuiuscumque, sed etiam communium, pleraque sunt explicata: in singulis enim earum, à primis generibus incipiendo, ad vltimasque suas species descendendo, non solùm primas, siue magis vniversales, atque communes faciendorum indicationes rationales deducere potuimus, sed particulares etiam, & quæ propriæ sunt cuique curationi dictarum.

TEXTVS.

Nunc quemadmodum quæ ex putrescentibus humoribus, &c.

4 HÆc est secunda capitis pars, in qua Galenus de curatione febrium, quæ ex putrescentibus humoribus excitantur, dicere aggreditur; atque explicaturus *in sequentibus*, qua methodo rationali sint curandæ nunc, quæ curationem indicant, saltem vniversalem, siue genericam demonstrat; atque vt hanc scientificè demonstret supponit duo, quæ alioquin sunt verissima; primum est sanitatis causas esse eas omnes, quæ sanitatem efficiunt, vel efficere possunt. Secundum est, sanitatem efficere plura, scilicet quatuor, quæ sunt: primum quidem ipsa nostri corporis natura, secundum ars Medica, siue Medicus, Medicinæque artifex; tertium fortuna; & quartum, remedium, siue auxilium, quo curatur morbus, quamvis auxilium, ait Gal. & primum & vltimum curatorium, & sanitatis causa dici queat; vltimum scilicet, si tem-

pore, & dignitate æstimatur: nam tempore quidem & dignitate, non solùm natura, sed & ars & fortuna sunt sanitatis priores causæ; non sanè quòd hæc morbos per se primùm summoveant, sed alia materia ad id commoda intercedente, quæ auxilium, aut remedium appellatur; primum autem curatorium, vel sanitatis causa dicitur remedium, ait Gal. quoad operationem, & quia primum id laborantis corpus tangit, alteratq; & sua illa alteratione morbum fugat, ægraque corpora ad sanitatem perducit: at autem ars, neque artifex, neque fortuna non sic operantur, neque primum, aut per se affectum præter naturam summovent, sed per remedium debitum, qood præcedit: fortuna siquidem, inquit Gal. & ars, & artifex materierum interventu agunt, & non per se; natura verò per se ipsam.

5 Ponit autem hic Gal. quòd non solùm ars Medica est sanitatis causa, & morborum medicatrix, sed nostra etiam natura, imo & fortuna, atque remedium, quod ad curandos morbos a Medico applicatur, vt intelligamus inde ab aliquo ex his, vel ab eis omnibus, aut ab aliquibus eorum esse nunc petendam curationem, aut methodum, veramque rationem curandi febres putridas: nam vt communiter dicitur, qui dat formam, dat similiter consequentia ad illam; atque ideo qui nunc veram, atque scientificam curationem, curandique rationem dictarum febrium consequi vult, hanc quidem non à fortuna, sed ab aliis, & potissimùm à natura, vel ab arte Medica desumere debet, quia licèt fortuna & remedium possunt casu morbos curare, & corpora ad statum salubrem perducere aliquando, hoc tamen, & raró admodum ita fit, & nunquam certè, aut necessariò, sed contingenter valdè, & citra rationem: nam fortuna cæca est, aut omnino incerta deitas, aut facultas ad operandum aliquod bonum, aut malum: similiter medicamentum, aut remedium quod morbos curare dicitur, v.g. sanguinis missio, incertum est, potestque corpori applicatum non juvare, aut morbum curare, sed nocere, atque morbum augere, vt quotidie experimur: quare etiamsi quatuor dicta sint sanitatis causa, non ideo tamen omnia scientifica sunt, aut scientificam curationem docent, sed duo tantùm, scilicet natura ipsa, & ars Medica; atque proinde penes ista duo Galenus, id est ex natura rei, sive ab ipso morbo, & ex natura laborantis curationem colligit, atque invenit febrium quæ ex putrescentibus humoribus excitantur. Hic veniebat videndum qua ratione natura & ars sunt sanitatis causæ, ostenduntque certò & infallibiliter curationes febrium, & aliorum morborum; sed de his postea agemus.

6 Nunc videamus jam, vt Gal. ait in Textu, quemadmodum febres, quæ ex putrescentibus humoribus excitantur, methodo sunt curandæ, atque sanandæ; & hoc primo loco quæ curationem indicant dicamus, sive quæ & quot sunt indicationes, quæ adimplendæ repetiuntur in curatione febrium putridarum: nam rationalis curandi methodus, vt sæpè docet Galenus, per indicationes fit, atque completur; quæ curationem igitur indicant in putridis febribus, ait Gal. vt & in aliis quibusvis febribus aut morbis, in primis ipse morbus est, sive affectus præter naturam, quem curamus, & ægrotantis temperies, & aer ambiens, vt *lib.* 9. est latè demonstratum: etsi enim in qualibet particulari curatione febrium, & aliorum morborum particulares aliquæ necessariò repetiantur indicationes adimplendæ, à quibus curatio magis specificatur, aut individuatur; hæc tamen non obstant quòd curatio omnis primùm à morbo quem curamus, aut curare volumus indicetur etiam, atque in genere saltem ostendatur; imo necesse est in rebus dubiis ita procedere, quia ab vniversalibus ad particularia rectè progreditur, & progredi oportet, vt rei veritas consequatur, præsertim in nostra Medicina, quæ particularia tractat, sive curationes facit in particularibus individuis; & per consequens tales sunt quòd benè fieri nequeunt, nisi ab vniversalibus methodis dirigantur.

Quòd autem indicationes curativæ, aut quæ curationem indicant in febribus putridis, vt & in aliis morbis sint quæ à morbis ipsis, qui curantur, oriuntur, & à natura, seu temperatura laborantis ægri, atque ab aere ambiente probatur ex natura rei sic: 7
curatio cuiuscumque morbi opus est eorum quæ benè & malè fieri possunt: quare vt benè fiat, debet circumscribi quatuor circumstantiis: quippe in qualibet curatione, vt benè fiat, ait Gal. 1. *de arte curativa ad Glauconem, cap.* 1. necesse est scire quid agendum, quantum agendum, quando agendum, & quomodo agendum: sed ista quatuor indicantur ab illis tribus, scilicet à morbo, à temperatura ægrotantis, & ab ambiente: igitur indicant pariter ipsam debitam curationem, quòd morbus quem curamus, & temperies, ac natura ægrotantis, atque aer ambiens indicent, ac demonstrent dicta quatuor, probat nunc Gal. sic: In primis affectus quem curamus indicat quid agendum, & quidem determinatum; nam morbus quisquis sit, & affectus quilibet præter naturam, vt præter naturam est, indicat sui ablationem, & per consequens sui contrarium: nam vt ipse Gal. ait suprà *lib.* 3. *cap.* 3. perit quidque in contrarium, & à contrario, & vt communiter dicitur, contraria contrariis curantur: similiter morbus, prout talis est, tale contrarium sibi indicat, si morbus, v. g. calidus sit, frigidum; & è contra, si morbus sit frigidus, calidum, atque ita de aliis: quare verum est quòd affectus qui curatur, quisquis sit, indicat quid agendum pro sua curatione, & determinatum remedium quo curatur, & quòd quilibet morbus ea quæ sibi contraria sunt indicat esse adhibenda remedia ad sui curationem;

tionem indicat etiam quid agendum in morborum curatione aër ambiens, non quidem quia ab isto aëre deprehendamus quid agendum sit pro morbi curatione, vt deprehendimus ab ipso morbo, sed ab aëre ambiente deducimus quid agendum pro eius conservatione, aut corruptione: cùm enim aër ambiens semper nos circumdet, & ipsum, velimus aut nolimus, semper inspiremus, semper pariter ab eo alteramur, atq; si calidus est ab eo incalescimus, si vero frigidus refrigeramur, & sic de aliis eius alterationibus: quare aër ambiens in morbis indicat sui conservationem per similia, vel corruptionem per contraria, prout ipse est similis vel contrarius morbo quem curamus: si enim in febribus aër calidus est per excessum, corrigendus est, & frigidis rebus temperandus, ne suo excedente calore febrem augeat; si autem in febribus aër sit frigidus moderatè: nam omne nimium est naturæ inimicum, conservandus est, cùm tunc sit causa curativa, sive quæ morbo contrariatur; atque hac ratione aër ambiens indicat quid agendum in morbis & eorum curatione; & non solùm ambiens nos aër, sed & anni tempus, & regio, ac cœli status in quibus æger laborat; siquidem ista tria alterant etiam semper nos, prout in se sunt temperata, aut per excessum calida, frigida, humida, aut sicca.

8 Habemus jam quòd morbus, & aër ambiens, vnà cum anni tempore, regione, ac cœli statu indicant quid agendum in morbis pro eorum curatione debita; modò igitur docet Gal. quantum agendum, quando & quomodo agendum indicati ab ipso morbo, simul cum natura ægrotantis, & temperie singularum eius partium: vt enim morbus, inquit Gal. quid agendum indicat, seu speciem remedij quo curari debet, ita quantitas remedij ab ipso morbo desumitur, vnà cum natura laborantis: nam morbus tantam remedij quantitatem indicat esse adhibendam pro sui curatione quantus ipse fuerit; siquidem vt ait Hippocrates magnis morbis debentur magna remedia, parvis parva, atque extremis extrema: hæc tamen quantitas à natura ægri determinatur, & quidem dupliciter, scilicet quia quantitas morbi metitur ex recessu à naturali statu ipsius naturæ laborantis, & quantitas remedij determinatur à viribus: etsi enim morbus sit magnus, & recessus eius à naturali statu sit multus, si tamen ægri sunt debiles limitatur remedij quantitas, & nòn tanta exequitur, quanta à morbo indicatur, sed quantam vires ægri benè ferre possunt, cùm sic, & non aliter curatio sit tuta; & ideo quantitas remedij ex præsentia postulantis, & absentia impedientis, vt cõmuniter dicitur, resolvitur: similiter quando agendum à morbo desumitur, & ejus temporibus illud Hippocratis: incipientibus morbis si quod videtur movendum move; in statu autem melius est quietem habere; concocta etiam medicari oportet, movere non cruda, nisi materia turgeat; sed hæc & similia à natura quoque ægri coindicantur, quia natura repugnante, vt ait Hippocrates *lib. de lege*; omnia irrita fiunt. Tandem quomodo agendum, & vbi agendum nun solùm à morbo desumitur, sed & à natura laborantis, à parte affecta, & consuetudine ægri, vt *lib.* 4. latius visum est: quare pro nunc de his satis.

Advertit etiam hìc Gal. quòd tres dictæ communes indicationes quæ reperiuntur in curatione febrium omnium putridarum, & in curatione aliarum febrium, atque omnium morborum possunt reduci ad duas, scilicet ad eam quæ desumitur à morbo, & ad eam quæ à natura ægri petitur, imo & ad vnam solam, nempe ad contrarietatem, sive ad eam quæ à morbo desumitur. Sed neque de his nunc plura dicere est necessarium, cùm etiam de ipsis *lib.* 9. sit satis disputatum: breviter igitur solùm dicimus quòd indicatio quæ ab aëre sumitur ambiēte potest facilè prætermitti, quia aër ambiens potest reduci ad causas ægritudinis vel sanitatis: si enim similis est morbo auget ipsum, & ideo tunc annumeratur inter ægritudinis causas; si vero est morbo contrarius, tunc est causa sanitatis, atque inter causas sanitatis scribitur, & idcirco indicationes omnes possunt reduci ad eas solùm, quæ à morbo desumontur, & illas quæ à natura atque temperie ægrotantis, & per consequens ad duas solùm; imò & istas duas possumus facilè revocare ad vnam solam, scilicet contrarietatem ipsam, cùm morbus, ait Gal. ea quæ sibi contraria sunt adhibenda remedia indicet, & laborantis natura, vel temperies vnà cum ipso morbo contrarietatis mensuram definiat, vt parum antea visum est: curatio enim, ait Gal. 9. *Methodi*, *cap.* 15. est mutatio vitiosi affectus in nostro corpore ad naturalem statum; vel curatio est mutatio affectus, aut morbi præter naturam ad naturalem habitum, & per consequens curatio est mutatio vnius contrarij in suum contrarium: cùm igitur curatio omnis sit translatio vnius contrario in alterum, fiet pariter omnis curatio per contraria, quia solùm contrarium à contrario devincitur, ac mutatur, atque proinde contrarietas, id est sublatio morbi per suum contrarium erit generalis, vnaque indicatio, seu scopus Medici primo procurandus in omni curatione, sicuti morbus omnis in vniversum primum indicat sui ablationem, vel remissionem ac reductionem ad statum naturalem, quæ omnia fiunt per contraria: nam etiam contrariorum vim haber retundendi suum contrarium, & ad medioctitatem reducendi, ac per consequens ad sanitatem revocandi, ad naturalemque habitum. 9

TEXTVS.

Ex tribus his partibus constat,&c.

10 HÆc est tertia & vltima capitis pars, in qua Gal. explicat manifestè quid sit natura nostra, vel quæ sit substantia, atque essentia illius nostræ naturæ, quæ nos regit, ac conseruat toto vitæ tempore, & à qua vnà cum anima viuimus, mouemur, ac sumus: occasione siquidem eorum, quæ suprà dixerat de causis sanitatis, & quòd natura per se ipsam morbos curat, & non vt ars, aut fortuna remediorum interuentu scribit modò quòd talis nostra natura ex tribus sequentibus substantiis diuersis constat, nempe ex spiritu, siue ex spirituosa substantia, ex substantia carnosa, quæ cuique particulæ est propria, & ea quæ solida substantia dicitur: si enim singulæ istarum trium substantiarum, inquit Galenus, propriam, atque debitam suam quantitatem & qualitatem habent; quantitatem scilicet sufficientem ad operandum benè, & qualitatem temperatam, seu mediam: sic quidem dispositæ non solùm vniuntur inter se, sed illud vnum fiunt, quod natura dicitur, & omnes nostri corporis actiones operatur toto vitæ tempore, quæ naturales, vitales, ac animales vocantur. Hanc eandem sententiam habet Gal. *cap. 3. sequenti*, & 1. *aphorismorum, commentario 15.* attamen idem Galenus *libro aduersus Licum, cap.7.* aliter videtur sentire: inquit enim: Duo sunt principia ex quibus prima constat nostra generatio, sanguis scilicet, & semen; & concludit: *Ego certè nil noui præter hoc tertium.* loco etiam citato 1.aphorismorum sic habet: *Tria autem hæc erant corpora, quæ prima nostra natura substantiam complicuerunt, spiritus, sanguis & aërea, seu seminalis humiditas.* Quare non substantia carnosa, neque solida? Respondendum est primam nostræ naturæ generationem in vtero ex tribus dictis substantiis constare, scilicet spiritu, sanguine & semine: spiritus enim vitalis, qui in seminibus masculino & fœminino apparentibus deciditur, est opifex generationis huius, siue qui substantias seminum & sanguinis in vtero alterat, & taliter fermentat, atque disponit, quòd non solùm cum eis iungitur, ac vnum fit, sed tales substantias seminis & sanguinis mutat in substantias nostri corporis, siue in partes carnosas & solidas, quæ componunt nostrum corpus: quare natura animalium, ait Gal. *loco citato*, in prima sua generatione in spiritu vnà cum semine & sanguine consistit; siue spiritus vitalis vnà cum seminis & sanguinis substantiis mixtus in vtero fit natura nostra, quæque ab initio suas substantias seminis & sanguinis mutatas in partes carnosas & solidas generat, efformatque nostrum corpus; & non solùm generat primùm in vtero, sed postea auget, & vsque ad mortem nutrit, seu conseruat, omnesque corporis actiones animales, vitales & naturales operatur: vnde materia generationis nostræ & nostræ naturæ est materia seminis & sanguinis, & non alia tertia, ait Gal. quia spiritus nullam præbet materiam corpori, neque eius partibus, sed solùm est causa efficiens generationis primùm, & deinceps carnibus, ac partibus solidis imbibitus, atque vnitus fit earum natura, & non solùm eas actu viuificat, sed & roborat, aut potentes facit ad operandum omnes suas actiones; atque proinde natura nostra, quæ primùm nos generat ex semine & sanguine, postea in carnibus ac partibus solidis insumpta fit vna cùm eis, ex ipsisque resultat causa efficiens omnium operationum, easque per se operatur, vt Galenus ait.

Quòd autem natura nostra ipsa per se sola operetur sanitatem, vel saltem operari possit, & non alicuius remedij interuentu, non solùm experimur in omnibus in quibus natura per solam euacuationem à se factam morbum soluit, verùm etiam in vlcerum curationibus, in quibus natura per se sola & carnes generat, & sordes purgat, & cauitates replet, & diuisa agglutinat, atque vnit. Quòd etiam non solùm ars; sed & fortuna non per se curent, sed remedij interuentu experimur pariter in multis casibus: si enim Socrates ascite laborans, ait Gal. 4. *de placitis Hippocratis & Platonis*, ab aliquo vulneratus aqua effluat, & curetur, fortuna quidem sanatus erit, quia qui eum vulnerauit, vt curaret ipsum non vulnerauit, sed id fortuna euenit, & præter omnem spem; non secùs ac si quispiam vomica laboret in thorace, eique à casu inflicto vulnere pus exeat, ac curetur: at istæ curationes etsi à fortuna accidant, non tamen ab ea eueniunt immediatè & per se operante, sed media causa vulnerante: quare verum est quòd natura sola per se ipsa sanitatem operatur, vt fortuna & ars per aliud, scilicet auxilij interuentu: nam de arte nulla est dubitatio, quòd per media, aut remedia, & aliter, neque per se sola morbos curat. Hoc etiam aduerte, quòd natura non semper operatur per se sola sanitatem, sed multoties indiget quoque remedio, vt in ipsis vlcerum curationibus experimur: sæpè enim in vlceribus dantur sordida excrementa, quæ impediunt carnis generationes: quare in his casibus natura indiget remediis quæ remoueant impedimenta illa, quæ carnis generationes impediunt ad cicatricem etiam reducendam remediis multùm exsiccantibus indiget; tandem & ad carnes generandas, & ad nutriendas partes viuentes indiget sanguine; ac per consequens natura nostra non semper per se sola operatur; sed semper indi- 11

get

get aliquo per quod agat, aut quo operetut, sicuti ars, vel artifex, atque fortuna.

12 Itaque natura nostra, quæ, vel per se sola, vel vnà cum remedio aliquo, vel alio medio sanitatem operatut, & omnes nostri corporis exercet operationes, in tribus substantiis consistit, ait Gal. scilicet in spiritibus, carnibus, & solidis partibus, sive in propria substantia spirituum, carnium, & partium solidarum, & in vniuscuiusque istarum debita aut sufficiente quantitate ad operandum, ac qualitate, seu temperie: non enim quodlibet sequitur ex quolibet, sed determinatum ex determinato, vt ait Aristoteles; & consequenter neque dicta nostra natura, quamvis in spiritibus, carnibus & partibus solidis nostri corporis consistat, poterit vtcumque esse causa sanitatis, neque operationum nostrarum, sed determinata per propriam, ac specificam substantiam spirituum, carnium, & partium solidarum, & debitam quantitatem, qualitatemque vniuscuiusque ipsarum: vnde natura nostra, ait Gal. non solùm in tribus consistit diversis substantiis, scilicet spiritnosa, carnosa & solida, sed in duobus aliis quæ reperiri debent in qualibet dictarum substantiarum, videlicet in debita earum quantitate & qualitate, seu temperie: non enim substantiæ quamvis speciales sint & vtrè propriæ, atque à qualibet alio distinctæ, possunt aliquod operari, nisi simul sint cum sufficiente quantitate ad operandum, & debita temperatura conjunctæ; etsi enim scintilla ignis, ignis sit revera, non vrit, quia deficit ei sufficiens quantitas ad deurendum; neque ignis & alia elementa possunt mixtum aliquod componere, aut generare, nisi sint adinvicem contemperata: quare natura nostra consistit in propria substantia in sufficiente quantitate, ac debita qualitate spirituum nostrorum, & carnium nostri corporis, partiumque solidarum istins; quamvis enim Gal. infra *lib.* 12. *cap.* 5. virium essentiam, quæ est dicta nostta natura solùm in solidarum partium, & spirituum temperamento esse positam dicat: non ideo tamen sibi contradicit: nam sub solidas partes carnosas comprehendit, vti in aliis multis locis, v.g. vt *lib.* 14. vbi solidas partes, ab humoribus & spiritibus distinguit.

13 Cùm demonstratum sit quòd natura nostra consistit in propria substantia spirituum vitalium & animalium, qui sunt in nobis, vnà cum sufficiente quantitate, ac debita qualitate eorum; & similiter in propria substantia carnium & partium solidarum nostri corporis, vnà cum sufficiente, aut conveniente quantitate, ac qualitate ipsarum; & per consequens supponens Gal. quòd in bis tribus mediocritas est semper tenenda, atque desideranda, quia omne nimium est naturæ inimicum, tam quoad majus, quàm quoad minus: ideo nunc solùm demonstrat quòd substantia carnosa est cuique particulæ suæ, id est singularis & propria; & quòd quantitas solidarum partium par semper manet in illis, vt cui adhuc augetur numero solùm; in quibus verò absoluti jam sunt, etiam magnitudine; carnosæ autem substantiæ magnitudo variatur, etiamsi animal non augeatur. Denique spirituosa substantia quolibet momento, tum minor, tum maior conspicitur, quasi dicat Gal. substantia caloris nativi nostri, seu naturæ nostræ, non solùm peculiaris & propria est; hæc scil. in spiritibus, illa in partibus solidis, & alia in carnosis; verùm etiam quæ carnosa dicitur cuique particulæ est sua, id est cuique instrumento, vel parti instrumentariæ nostri corporis est singularis & propria, seu alia similis in corpore non reperitur, sed tantum ab alia qualibet diversa, quantum actio illius partis instrumentalis diversa est, atque distincta ab aliis actionibus aliorum instrumentorum: vt enim pars instrumentaria peculiaris actionis gratia est à natura fabricata, ita in qualibet parte instrumentali datur singularis vna substantia, quæ caro dicitur, & actionis est præcipua causa, vt in oculis est humor crystallinus, vt *libro de differentiis morborum, capite 6* & suprà *libro 7. cap.* 2. docet Gal. Quantitas autem dictarum substantiarum etiam varia est: nam tametsi quantitas partium solidarum numero semper est eadem, variatur saltem magnitudine, quia in his qui augescunt, etiamsi numerus fibrarum, aut ossium, aut membranarum, neque aliarum partium solidarum non multiplicatur, sed vnus & idem permanet semper; quantitas tamen, seu magnitudo variatur & augescit, ac maior fit in toto tempore incrementi nostri corporis, vt in ipsis durissimis ossibus experimur: experimur siquidem quod ossa, vti aliæ partes solidæ augentur in magnitudinem vsque ad vltimum augmentum nostri corporis; & quidem in tanta magnitudine singula ossa, & aliæ partes solidæ augentur, quanta ex his resultat in statura naturali cuiusque corporis, atque in tota eius magnitudine. Carnosæ etiam substantiæ magnitudo in nobis variatur, & maior fit, ac minor, non tamen in tempore augmenti nostri corporis, sed post illud, etiamsi amplius non augeatur animans: sunt siquidem carnes omnes molles, ac per excessum humidæ; & per consequens tales, quod licèt in se compactæ coalescunt, & vnum fiunt, facilè tamen possunt dissolvi, atque deficere; atque proinde earum magnitudo potest variari & augeri vel diminui, non solùm tùm corpus augescit, sed quolibet alio tempore, & quidem variis ex causis. Denique spirituum substantia, huiusque quantitas quolibet momento variatur, & maior fit, vt minor, quia tenuissima est, & facilè dissipabilis, si quæ est alia.

TEXTVS.

TEXTVS.

Ergo etiam supra ea quæ indicationes præstare, &c.

14 Explicata essentia naturæ nostræ, advetitur & docet modò Gal. suprà ea quæ indicationes ad curandos morbos præstare diximus *in secunda capitis parte*, virtutem esse addendam, sive virtus sola in tribus dictis substantiis consistat, sive in temperamento seorsim discreto, quasi dicat: Quæ rationalem curationem cuiusq; morbi indicant, aut indicare possunt, non solùm sunt morbus, qui curari debet, & temperies ægrotantis, & aër ambiens, de quibus actum est, sed etiam virtus, sive vires ægrotantis; & ratio est, quia sicuti à morbo indicatur quid agendum, sive species remedij curantis, & à natura ægri quantitas morbi, sive lapsus eius à statu naturali, & ab ambiente quod conducit, aut nocet ad curationem; ita à viribus determinatur debita quantitas remedij, ea scilicet, quam vires facilè ac bene ferre possunt: quare supra ea quæ jam diximus, ait Gal. præstare indicationes ad morbum aliquem rectè curandum, quæ sunt morbus, ægri temperies, & aër ambiens; virtus etiam est necessariò addenda, sive virtus in tribus substantiis enumeratis, aut explicatis consistat, scilicet in spiritibus, carnibus, & solidis partibus, sive in temperamento seorsim discreto, quia si virtus in solis substantiis consistit, indicat quantitatem remedij quam facilè ferre potest; si verò seorsim in temperamento tum recessum morbi indicat à statu naturali, saltem quando morbus est intemperies, tum etiam debitam quantitatem remedij, sive illam, quam virtus, vel vires facilè ferre poterunt, & sine læsione notabili.

15 Itaque vires in ægris non solùm sui conservationem vt in sanis indicant, sed simul etiam debitam, sive convenientem quantitatem remedij, & per consequens vnà cum morbo indicant curativè, id est sui conservationem, sed non eam solùm vt in sanis, verùm etiam determinant quantitatem convenientem remedij curatorij, eam scilicet, quam facilè ferre possunt; imò quidem si morbus vehemens sit, & maximum, sive extremum postulet remedium, & vires vigeant, ac bene robustæ sint, in tali casu permittant administrari remedium illud extremum, & in maiori quantitate, quam benè, ac sine noxa ferre possunt, quia scilicet vires in morborum curatione non solùm sui conservationem indicant, sed eam simul, & morbi ablationem; & ideo si ad debellandum morbum requiritur extremum remedium, quod vires debilitat: nam omne nimium est naturæ inimicum, si vires sunt vehementes consentiunt executionem dicti remedij, quamvis exerceatur cum earum detrimento, & quamvis ab eo debilitentur, quia hæc virium debilitas, aut noxa, quæ ex remedij administratione consequitur, est minor, & multo magis facilè reparatur, quàm illa quæ à morbo contrahitur: omnis siquidem morbus est inimicus naturæ, & vires lædit; atque proinde vires à morbo maximo longè magis offenduntur quàm adhibito extremo eius remedio; & consequenter si vires valentes sunt in morbo extremo, extremum remedium consentiunt, atque cum morbo indicant, aut coindicant, vt sic scilicet non solùm à noxa, sed ab imminenti morte liberetur, quæ à morbo extremo minatur, non verò ab exhibito remedio extremo vbi vires sunt robustæ, sed noxa, quæ facilè reparatur.

Cùm igitur rationalis morborum cura- 16
tio non tantùm indicetur à morbo quem curare volumus, & à temperatura ægrotantis, atque ab aëre ambiente, sed etiam à virtute, seu à viribus laborantis; cùmq; ista quatuor sint vniversalia, & singula sub se plures habeant species, aut differentias in quas dividuntur, vsque ad infimas, & à quibus omnibus peculiares curativæ indicationes desumuntur, non secus atque ab ipsis generibus: idcirco ista quatuor, ait nunc Gal. in curatione febrium putridarum seorsim cognoscenda sunt & singula dividenda à summo genere vsq; ad infimas differentias, vt inde indicationes omnes curatrices vniversales & particulares desumantur, vti ad benè curandum debent desumi: etsi enim in indicantibus quæ sunt magis speciales continentur generales, vt in infimis speciebus continentur genera; & quamvis quæ magis sunt particularia indicata in curatione, ea primùm in vsum, sive in executionem revocentur; hoc tamen non aliter bene fit quàm ex magis generalibus inventis particularia colligendo: quare generalia in suas differentias particulares sunt dividenda, & ab omnibus indicationes curativæ sunt desumendæ, non solùm generales, sed particulares; atque idcirco & virtus ægrotantis, de qua nunc agemus, non tantùm in genere cognoscenda est, atque sciendum quod consistit in propriis substantiis spirituum, carnium, ac partium solidarum nostri corporis, & simul in sufficiente, ac bona quantitate, debitaque, seu temperata qualitate earum; sed singula istarum, si aliquas habent differentias sub se, & magis speciales in quas dividantur, scindenda sunt, & subdividenda in tales differentias, vt sic omnes indicationes habeantur, v. g. si virtus in temperamento seorsim discreto à substantiis dictis consistit, tale temperamentum originale, sive nativum, vel in acquisitum subdividitur, vti etiamsi virtus consistat in substantiis: nam & hæ possunt esse tales, quales in sua prima generatione vel diversæ, aut mutatæ;

mutatæ; postea scilicet ab ægri ætate, vt ab arte, seu vitæ studiis, vel consuetudine: vnde evenit quòd sæpè ex ætate, ex vitæ genere, aut ex exercitiis & consuetudine ægrotantis, tum indicationes, tum remediorum inventiones suggerantur: quare hæc omnia sub indicatione virtutis continentur, & cùm virtus indicat, ab his omnibus particulares suggerit indicationes, non solùm pro sui conservatione, verùm etiam in ipsa morborum curatione; atque ita in curatione febris putridæ hæc omnia sunt distinguenda, & singulorum sciendæ indicationes.

Dubitationes & annotationes super Textum.

17 Aliqua sese offerunt modò annotanda, ac decidenda dubia, vt quæ sunt in capite dicta magis intelligantur, & eorum veritas solidior reddatur; principio igitur advertere hic debemus non appellari febrem putridam, eo quòd facta sit à putredine, quia re vera sunt aliquæ febres diariæ & hecticæ, quæ aliquando procedunt à putredine, quas tum nullus Medicus appellabit putridas; *suprà* siquidem *libro octavo, capite quarto* de diariis egimus factis ab aliqua putredine; *libro* etiam *superiori* febres hecticas à putridis procedere posse docuit Galenus, & per consequens à putredine: *quarto* similiter *de præsagatione ex pulsibus, capite quarto* scribit febres aliquas hecticas pestilentes oriri à putridis pestilentibus, quæ ex ipso Galeno *6. epidemiorum, parte secunda, commentario vigesimo sexto*, fiunt non ex quacumque humorum putredine, sed ab eorum excellenti aut summa corruptione, vt colligitur ex fœtore qui comitatur tales febres, quique est inseparabile signum putredinis. Quare febris putrida non ideo putrida dicitur, quia à putredine procedit, sed ideo potius quia pendet ex putredine: differunt enim non parum hæ duo dictiones, *à putredine pendet*, & *pendet ex putredine*: nam procedere à putredine dicit fieri rem à putredine, tanquam à causa efficiente, quæ est extra rem quam facit: pendere verò ex putredine dicit non solùm fieri, aut esse factam rem ab illa, sed intrinsecè, & essentialiter rem esse putridam, non solùm quia à putredine fiat, sed in putredine ipsa consistat saltem materialiter, vt denotat particula *ex*; vnde febres, quæ à putredine fiunt, vel procedunt sine putredine consistere possunt, vt patet in hecticis quæ procedunt à putridis, nullatenus verò quæ pendent ex putredine; ideoque Medici omnes in curatione putridarum febrium omnia præcepta dirigunt ad extinguendam putredinem, sive ad debellandam putredinem quæ in humoribus earum reperitur actu febrem faciens, eo rumpensque humores.

His notatis, ac suppositis, dubitatur contra, an scilicet febris putrida pendeat ex humorum putredine: sunt enim aliqua argumenta, quæ contrarium persuadent; atque in primis refert Alexander Trallianus *libro duodecimo, capite secundo* ex aliorum opinione non posse oriri febrem ex humorum putredine, quia per putredinem humorum generantur lumbrici, ac per consequens in putridis febribus generarentur lumbrici, si putridæ febres generarentur, penderetque ex humorum putredine. Ioubertus etiam similem sententiam videtur secutus, qui *capite secundo decadis secundæ* arbitratur nullam febrem salubrem posse ex putredine humorum generari, probatque hoc duobus modis: primus est vasa, scilicet venæ, & arteriæ habent naturalem facultatem conservandi humores, & præservandi ipsos à corruptione, nec tantùm *libris de putredine vera*, sed *alibi* docet Galenus. Ergo humores intra vasa non possunt putrefieri, potissimùm melancholici, qui sunt frigidi & sicci; ideoque vtraque qualitate resistunt putredini. Secundò quia fœtor, vt paulò antea dicebamus, est signum proprium & inseparabile putredinis: humores autem qui intra vasa febres generant putridas non fœtent: ergo neque putrefiunt. 18

His tamen non obstantibus, verum est quòd febres putridæ generantur ac pendent ex humorum putredine, quia re vera humores possunt putrefieri, & quidem intra vasa, cùm sint actu calidi & humidi, & sint verè mixti, non solùm inter se omnes, sed quisque ipsorum seorsim: concoctio etiam, atque putredo passiones sunt mixtorum, quæ sunt actu calida & humida, vel sunt humores. Quare humores sine dubio possunt putrefieri, etiamsi sint intra propria vasa, & per consequens febres putridæ poterunt fieri ex humorum putredine. Neque obstat si dicas quòd dantur aliquæ febres quæ dicuntur putridæ, vt quæ dependent ex inflammationibus, & tamen non pendent ex putredine, neque humores qui faciunt inflammationes putrescunt re vera, sed solùm scandescunt, & flagrant præter naturam, vt patet in phlegmone, in quo sanguis ardet, & tamen non putrescit, siquidem non mutatur, neque naturalem eius ruborem amittit: non inquam hoc obstat, sed respondetur facilè quòd febris potest duobus modis ex inflammatione excitari, vti ex accensis humoribus intra vasa, scilicet accensis humoribus in inflammatione, non tamen putrefactis, sed calore eorum præter naturam communicato per continui alterationem ex parte inflammata cordi, atque eius spiritibus, vel humoribus, aut partibus solidis; vel accenditur febris non solùm humoribus ex inflammatione accensis, sed putridis etiam, 19

atque à parte inflammata putridam fuliginem jam expirantibus, eamque cordi, ac suis contentis communicantibus: si igitur primo modo febris excitatur ex inflammatione diaria est, non putrida, cùm non pendeat ex humorum putredine; si verò secundo modo accenditur, re vera putrida est febris, cùm pendeat ex putredine humorum qui in parte inflammata putrescunt, atque ex putridis fuliginibus, qui ab eis excitantur, & cordi, atque eius contentis communicantur. Quare semper verum est quòd febres putridæ generantur & dependent ex putredine, adhucque generantur ex inflammatione: nam & cùm ex inflammationibus excitantur febres putridæ, putrefiunt humores inflammationem facientes, & tunc quidem mutantur, degenerantque in corruptelam, adhuc ipse sanguis, saltem secundùm eas partes, quibus verè putrescunt, sive in totum putrefiunt, atque corrumpuntur.

20 Cùm igitur verum sit quòd febres putridæ ex putredine generantur, restat vt respondeamus ad ea, quæ in contrarium fuerunt tradita. Ad id igitur quod adduximus ex Tralliano respondeo quòd vermes licèt ex putredine fiant, non tamen fiunt intra venas, neque arterias ex humoribus putrefactis; neque vllus Medicus tale dixit, quamvis omnes fatentur quòd humores possunt putrefieri, & de facto multoties putrefiunt intra venas: vnde quamvis vermes re vera ex putredine generantur, non tamen ex qualibet putredine, sed ex certo & peculiari putredinis modo, qui in humoribus, qui intra propria vasa non putrescunt, non contingit, quamvis re vera putrescant: quod forsan ita contingit, quia naturalis facultas vasorum prohibet talem humorum corruptionis modum, vel abundans calor nativus vasorum talem putredinem, & vermium generationem impedit. Ad ea etiam quæ ex Iouberto adduximus respondeo facilè: concedimus siquidem ad primum venas & arterias habere facultatem conservandi humores, & præservandi eos ne putrescant, neque corrumpantur; ex hoc tamen non sequitur quòd ibi putrefieri non possint, quia non repugnat dari causam maioris efficaciæ ad putrescendum, quàm aliam ad conservandum humores, quamvis hæc causa conservans sit naturalis. Ad secundum pariter respondeo quòd fœtor qui admodum fœtet est signum putredinis, & non aliter: nam non solùm pus optimum est aliquantulum fœtens, sed & fæces naturales, quæ per alvum expurgantur fœtent, & non parum; at licèt pus admodum fœtens, vel quodlibet aliud excrementum sit signum putredinis, non tamen omnia quæ putrescunt sic fœtent, sed quæ malignè putrescunt, aut omnino corrumpuntur; & ideo fœtor est signum proprium febrium pestilentium, ac malignarum, & non omnium febrium putridarum; neque febres putridæ ordinariæ, vel quæ frequentius accidunt emittunt excrementa ita admodum fœtida, vti malignæ, aut pestilentes, sed longè minus male olentia, quia scilicet sunt longè minus putres quàm istæ aliæ: vnde ostenditur quòd & fœtor est signum, non cuiusque putredinis, sed alicuius particularis, vti vermes sunt effectus non cuiusque putredinis, sed determinatæ ac singularis; & consequenter quòd febres poterunt esse putridæ, quamvis non fœteant, neque excrementa admodum fœtida emittant. Denique quòd humor melancholicus possit putrescere nullus dubitat, cùm sit actu calidus & humidus, quantumvis potestate sit frigidus & siccus, vti bilis calida & sicca.

Dubitatur etiam hîc an natura sit semper causa efficiens sanitatis; etsi enim Galenus in contextu apertè scribit ac docet quòd sunt quatuor quæ sanitatem efficiunt, non solùm scilicet natura nostra, sed & ars Medica, & fortuna, atque remedium; ipse tamen in aliis locis contrarium sentire videtur, vt patet in *Arte Medicinali, cap. 87.* vbi sic habet: *Omnium natura opifex, Medicus minister.* Hippocrates *sexto epidemiorum, parte quinta, sententia prima* ita scribit: *Natura morborum medicatrix; Medicus autem minister.* Quibus verbis videtur docere naturam esse semper causam efficientem, & primam ac principalem sanitatis, Medicum verò, sive artem Medicam esse tantùm naturæ ministrum; & ratio ita persuadere videtur: nam sanitas est accidens vitale, sive passio naturalis, ac maximè conveniens rei viventi; ad omnia autem vitalia opera efficienda efficiens principium & causa debet esse vivens: ergo ad efficiendam sanitatem viventis natura erit semper agens primarium, & causa principalis, & Medicus, atque ars Medica erunt ministri, vel adjutores naturæ ad operandam sanitatem. Vt rectè respondeatur est sciendum, & tanquam verum supponendum ex ipso Galeno *libro de constitutione artis Medicæ, capite decimoquarto*, quòd ex operibus sanitatis quædam fiunt à sola natura, vt diximus in contextu, & vidimus in evacuationibus criticis, quædam à natura simul & arte, vt carnis generatio, & productio cicatricis in vlcere cavo; in concoctione humorum, & multis aliis; & alia denique à sola arte, vt experimur in reductione ossis luxati ad suum locum naturalem: non enim os quod luxatum est, sive à proprio loco separatum, reducitur à natura ad priorem statum, & suum locum naturalem, sed potius Medico artis ministro operante. Hoc supposito 21

posito, certum sit quòd in operibus sanitatis, quæ fiunt à natura sola; & ipsa est semper causa efficiens, vnica, & & principalis sanitatis, cùm non detur tum alia quæ concurrat ad illam producendam sanitatem: patitet est certum quòd curatio luxationum est opus solius Medici, aut artificis, propter eandem rationem, scilicet quia non datur alia causa tunc quæ concurrat ad reducendum os ad suum locum naturalem, nedum quidem formaliter: nam sunt qui dicant sanitatem vti alias res habere materiale & formale; & ideo materiale curationis, vel sanitatis luxationis, quod est ipsa reductio ossis luxati ad suum priorem & proprium locum fieri ab artifice; formale verò curationis luxationis, quod est non reductio, sed coalitus, vel collocatio ossis luxati cum aliis cum quibus connectitur, & antea erat connexum, hoc fit à natura: non enim hæc ita dicta sufficiunt, quia licèt duo illa ita fiant, luxatio tamen formaliter in excisione ossis aut separantur à suo proprio loco, consistit; & consequenter eius curatio, atque sanitas in reductione ad suum priorem locum naturalem: vnde patet quòd quando quæritur an natura sit semper causa efficiens principalis, & primaria sanitatis, dubium solum poterit procedere in illis casibus, in quibus natura simul, & ars, vel artifex concurrunt ad curatiunem, aut sanitatem efficiendam: in quibus quidem casibus respondetur affirmativè, quia in eis, vt Hippocrates, & Galenus dicunt, Medici & ars sunt ministri: nam etsi ars, atque artifex concurrant in genere causæ efficientis, applicando activa passivis, habentque facultatem, sive scientiam dirigendi remedia; tamen natura, vtpote vivens, est quæ talia remedia actuat, ac perficit; & consequenter est causa principalis curationis & sanitatis.

22 Tandem dubitatur hîc an natura nostra, sive virtus, qua vivimus, & omnes operationes vitales exercemus, consistat in tribus substantiis nostri corporis, scilicet spirituosa, carnosa & solida, vnà cum debita singulatum quantitate, & qualitate, seu temperie; an in solo temperamento seorsim à dictis substantiis discreto? Ratio dubitandi est, quia non solùm Galenus in hac re modò in vnam, modò in aliam partem inclinare se videtur, sed peculiariter in præseoti capite, & in vltima parte ipsius dubium specialiter suscitat, sic scribens: Virtus vel sola in tribus substantiis, quas modò comprehendimus simul enumeratis consistat; vel si temperamentum sit seorsim discretum in ipso, additur supra ea quæ indicationes præstare prius diximus. Cùm igitur dubium exeitet Galenus, & non

solvat, tentemus nos ipsum diluere: pro cuius debita discussione in primis supponere, atque scire oportet quòd totus homo componitur ex quatuor rebus mutuis vtilitatibus inter se conteutis; componitur siquidem ex solido, sive ex partibus solidis, atque continentibus, ex humido, sive ex humoribus, qui intra vasa continentur; tertiò ex spiritu, sive spiritibus, quos impetum facientes vocat Hippocrates, quia nunquam quiescere possunt; sed continuo motu dilatationis, & compressionis moventur, vt ex pulsu, ac respiratione deprehendimus. Denique componitur etiam ex anima, hæcque est homini solii propria; siquidem tres aliæ partes etiam brutis conveniunt: vnde anima cum corpore non nascitur, sicut aliæ partes; sed advenit post corporis factam fabricam: non enim anima nostra nisi in solido, humido, atque spiritu perfectè inter se constitutis, & in vnum corpus desinentibus habitare potest ob sui excellentiam, etiamsi corpus ex aliis tribus compositum sine anima vivat, fabriceturque in vtero per plures dies, scilicet à die conceptus, sive geniture, vsquequo partes omnes corporis similares & organicæ fiunt, ac perficiuntur, totáque illius fabrica absolvitur.

Itaque totus homo ex quatuor dictis partibus integratur, dictæque partes mutuis vtilitatibus inter se ad invicem indigent, vt in vnum coeant compositum, quod dicitur homo: primùm enim solidæ partes, quæque alias continent, indigent humidis, non solùm vt istarum crassiori substantia nutriantur, sed etiam humiditate earum humectentur, ne arescant, & rumpantur; & denique vt ad motum exequendum facilè vnguantur, humidis pariter solidis egent, vt ab his contineantur, tanquam in vasis: spiritus etiam humidis egent, ac solidis; humidis scilicet, vt earum subtili portione nutriantur; solidis, vt retineantur ne exhalentur. Humidæ similiter indigent spiritu, vt ab eo generentur ex cibis, & vt actu ab eo calefiant; & denique vt sursum ac deorsum æqualiter fluant, atque intus foris, vel è contra; solidæ etiam spiritu indigent, vt ab eo vivant, nutriantur, & quorsum est opus moveantur. Tandem & anima eget spiritu, vt per eum corpori vniatur, illudque studiosè moveatur, atque corporales rerum impressiones, aut sensationes suscipiat: anima enim rationalis, cùm sit purus spiritus, nequit affici ab objectis corporeis, neque illis vniri, nisi medio dicto spiritu, vt qui medium est, & vinculum inter corpus & animam; atque idcirco anima ex huius

spiritus sobrietate, vel delirio, aut aliis passionibus expeditur, vel impeditur ad suas operationes exercendas, dum est in corpore: spiritus etiam iste, etsi vitalis sit, atque animalis, rationali indiget anima, vt humanus fiat, atque rationalis, & prudens, non solùm in animalibus operationibus, sed corporis regimine: vnde partes istæ non possunt simul omnes in homine non existere, & dictos vsus ad invicem præstare; si enim simul non existant, & mutuas dictas vtilitates ad invicem præbeant, morbus oritur, & non qualiscumque, sed gravis, & ad dissolutionem corporis, vel eius compositionis pertinens, & inde ad mortem.

24 Sed dices: homo communiter definitur animal rationale, constans corpore, & anima: quare homo non constabit ex quatuor dictis, sed solùm ex duobus, scilicet corpore, & anima. Respondetur facilè quòd homo constat corpore & anima, & componitur ex illis quatuor explicatis: nam tametsi corpus humanum, vt tale est, solùm constat, atque componitur ex partibus solidis, & carnosis inter sese vnitis; quatenus verò vas est, & organum animæ, spirituum, atque humorum, hæc omnia etiam sibi appropriat, & in se comprehendit, vna excepta anima; atque idcirco ex Hippocrate tria sunt quæ nostrum corpus componunt, ac complent, scilicet continentia, contenta, & impetum facientia: continentia siquidem vocat partes solidas & carnosas omnes, vt quæ solidæ cùm sint, id est non solùm in se constantes, firmæ, ac benè vnitæ, sed ex similaribus organa facta, sunt pariter apta, tum ad alia multa, tum ad continendum in se humores, atque spiritus, ne sua fluxibilitate extrafundantur, aut resolvantur: contenta vocat humores, & impetum facientia spiritus; quia etsi spiritus & humores revera in vasis corporis continentur, solùm tamen spiritus pulsant, sive impetum faciunt in corde, arteriis, atque in cerebro: vnde quamvis homo in corpus & animam dividatur tantùm, non ideo ex duobus solùm componitur, sed ex quatuor dictis, scilicet ex solido, humido, spiritu & anima.

25 His sic suppositis, etiam supponere debemus, quòd humores etsi nutriant corpus, & omnes eius partes, atque spiritus, non ideo tamen sunt natura nostra, de qua nunc agimus, quia non vivunt, sed solùm partibus viventibus præstant materiam ad earum nutritionem. Neque anima rationalis est natura de qua agimus, quia licèt vivat, ac ratiocinetur, pluresque alias in nobis exerceat operationes, sitque re vera forma nostra substantialis, atque essentialis, est tamen perpetua, atque incorruptibilis, de qua in Medicina non agitur, sed de natura quæ generat nos, regit, atque conservat vsque ad vitæ finem, estque ipsa in se etiam generabilis & corruptibilis, vt *in proœmio ad libros de hominis natura* docet Galenus; atque ideo ipse Galenus, & Hippocrates hanc naturam consistere dicunt in substantiis spirituum, & partium carnosarum ac solidarum nostri corporis, vnà cum sufficiente singularum quantitate, & debita temperie ad operandum, vel si temperamentum seorsim sit discretum in ipso. Itaque dubium est an natura nostra, sive virtus illa nostra vivens, sentiens, à qua vivimus, & omnes operationes animales, vitales, ac naturales exercemus, consistat in dictis substantiis, an in earum temperamento.

26 Sic igitur exposito, & intellecto dubio, tenent multi ex Hippocrate & Galeno in temperamento potius quàm in substantiis dictis consistere dictam nostram naturam, quia scilicet sunt quamplura dictorum loca, non solùm in libris *de hominis natura, de elementis & temperamentis* tradita, sed in aliis etiam, in quibus expressè dicunt ex calidi, frigidi, humidi, & sicci temperatura constare, non solùm hominis, sed & rerum aliarum mixtarum naturas: Hippocrates siquidem per totum primum librum *de hominis natura* id demonstrat, ac concludit: Galenus etiam *primo de temperamentis, capite primo* vt reliqua præter naturam, sic ad verbum scribit constare animalium corpora ex calidi, frigidi, sicci, humidique mixtura, neque esse horum omnium parem in temperatura per hominem demonstratum antiquis abundè est; & initio sequentis capitis sic: Cùm ex calidi, frigidi, sicci & humidi temperatura constari corpora debent, & cætera. Ex his igitur, & multis aliis similibus sic arguit: Ex calidi, frigidi, sicci & humidi temperatura constantur corpora mixta: igitur talis temperatura est eorum natura; consequens patet, quia natura est principium, & causa eius in quo est, &c. & consequenter est causa per se operativa sui corporis, vel corporis in quo est vt temperamentum corporum mixtorum, cùm ab eo oriantur, aut ex ipso constentur, scilicet intrinsecè & essentialiter.

27 Sed si natura est causa eius rei cuius est natura, & est causa efficiens operationis illius, vti est re vera; ex his necessariò videtur dicendum quòd neque natura hominis, oeque natura animalium potest in solo temperamento consistere: cùm enim natura hominis, & natura aliorum animalium sit vivens, sentiens, atque

atque vt talis non solùm hominis generationem, sed & omnes eius operationes vitales & animales operetur toto vitæ tempore: hinc dicendum quidem videtur quòd talis natura in solo elementorum temperamento consistere non poterit: nam quis quæso asserere verè poterit quòd vita nostra in sola temperie calidi, frigidi, &c. consistit, & quòd à sola temperie caloris, ac frigoris, &c. quæ solùm est accidens, fiunt omnes operationes nostri corporis viventes, & substantiales. Sanè nullus effectus potest esse perfectior sua causa, neque causa potest operare vltra sphæram suæ activitatis; & consequenter temperamentum cùm sit accidens, solùm in nobis, vti in aliis mixtis operari poterit effectus accidentales, non autem substantiales, neque essentiales, quales in nobis sunt vita & senectus, ac motus animales, vti etiam in aliis animalibus: nam certum est quòd omne animal est vivens, sentiens, & quòd vivens sentiens est animal: quare natura animalium non in sola temperie, neque in solis accidentibus consistet, sed in substantiis dictis viventibus spirituosa, carnosa, & solida benè attemperatis, & cum debita quantitate, vt possit operari: nam etiamsi quantitas non sit per se aliquod operativa, tamen necessario requiritur in agente ad operandum saltem moderata; siquidem, vt communiter dicitur, in maiori quanto est maior virtus.

28 Quòd autem neque natura nostra, nedum natura mixtorum consistat in solo temperamento, constat manifestè ex ipso Gal. *libro quoad animi mores*, &c. vbi sic scribit: Constat quævis res ex materia quæ communis est substantia, & temperamento calidi, frigidi, &c. Hisque conflatur aurum, &c. Quasi dicat: qualibet res naturalis, & mixta constat ex ea substantia calidi, frigidi, &c. quæ est communis materia mixtorum, & temperamento debito, seu peculiari calidi, frigidi, &c. & ex iis quidem conflatur aurum, &c. nam quamvis temperamentum sit in se accidens, & non substantia, in mixtis tamen propria est rei substantia, sive essentia; siquidem mixta ex substantiis elementorum, tanquam ex materia, & ex eorum qualitate, temperie, tanquam forma componuntur; & ideo aurum ex iis conflatur, & non solùm aurum, sed & alia res mixta, etiam in nobis: etenim & ossa in nostro corpore à propria substantia & temperamento sunt ossa, & membranæ, & reliquæ corporis partes à propriis materiis & temperamentis sunt tales partes mixtæ; sed non ideo vivunt, neque nutriuntur, aut formatione determinata efformantur, quia hæc excedunt capacitatem temperamenti, atque mixtionis: quare hæc à natura nostra accipiunt, & conservationem vsque ad vitæ finem, scilicet à spiritibus vitalibus, à quibus generantur, & per consequens quamquam eius natura mixtorum in mixtione substantiarum elementorum, & temperamento qualitatum eorum consistat, non ideo tamen nostra natura, neque natura animalium in illis consistit, neque multo minus in solo elementorum temperamento à substantiis discreto, sed in substantiis nostri corporis viventibus, ac sentientibus, spirituum, carnium, ac partium solidarum, vnà cum debitis quantitatibus & temperiebus, vt sæpè dictum est.

Sed si hæc ita se habent, dices: quid dicemus ad ea multa supra tradita à multis Medicis ex Hippocrate & Galeno, quæ aliter persuadere videntur. Respondetur quòd si attentè omnia leguntur, non solùm non sunt contra nos, sed potius explicant, atque confirmant quæ nos hic sumus demonstraturi: vti enim nos hic nostram naturam viventem non in solo temperamento consistere diximus, sed in dictis substantiis vnà cum illo; ita Hippocrates & Galenus sæpè hoc idem dicunt, & sicut nos dicimus quòd natura mixtorum consistit in mixtione substantiarum elementorum, & temperie qualitatum eorum; ita hoc idem dicunt Hippocrates & Galenus; imo hoc est quod adstruere intentat, ac demonstrare in locis allatis contra nos: nam quod Hippocrates *lib. de hominis natura* per calidum & frigidum, humidum, & siccum inter se attemperatis non intelligat solùm temperamentum, sed totam mixti compositionem, & totam hominis naturam, non solùm ex elementis communibus conflatam, sed etiam ex particularibus, sive propriis animalium, scilicet ex humoribus, constat apertè ex *sententia* 18. vbi scribit continere humanum corpus quatuor in se humores, sanguinem scilicet & pituitam, & vtramque bilem, tum flavam, tum atram; & hæc sunt, inquit, illius natura, quia scilicet ex eis genitum fuit, & propter hoc sanum est, vel dolet. Si igitur quatuor humores sunt hominis natura, vna cum elementis communibus, scilicet calido, frigido, &c. omnibus mutatis in partes viventes nostri corporis à virtute generativa, vel quod idem est à spiritu genitore; natura hominis nullo modo erit solum temperamentum, cùm tales humores omnes sint substantiæ, sed aggregatum viventis ex substantiis & communibus elementis, vnà cum temperamento qualitatum ipsorum. 29

Quòd autem & Gal. ita sentiat de hominis natura, & de natura mixtorum, constat etiam ex ipsis locis quæ in contrarium traduntur: nullus enim est qui si attentè legatur, in nostrum sensum non veniat, quantumvis aliter sonare videatur, vt patet non solùm in supra allatis, sed in sequenti ex *lib.* 1. *de facultatibus naturalibus*, 30

cap. 3. desumpto, qui sic habet: at mihi tam vena est arteria, quàm reliquarum partium singulæ, ob certam qualitatum temperiem, quam ex quatuor primis qualitatibus sunt nactæ, hoc vel illo modo agere videntur: hic siquidem locus, si quis alius persuadere videtur quòd natura nostra, sive causa efficiens nostrarum operationum est sola temperies quatuor primarum qualitatum, quamvis revera non est, sed sensus germinus est, quod vena & arteria, & aliæ corporis partes viventes, quamvis viventes sint, & vt tales vim, seu virtutem in se habeant ad agendum operationes vitales, scilicet has, vel illas, prout singulæ suæ sunt propriæ vitales; tales tamen operationes vitales hoc vel illo modo agere non possunt, nisi in se singulæ disponantur in particolari ad hanc vel illam operationem edendam ob certam qualitatum temperiem, quam ex quatuor primis qualitatibus sunt etiam natæ ad ita agendum; & per consequens natura nostra vivens, & natura venæ, vel arteriæ, vel aliarum partium nostrarum viventium in temperamento simul, & dictarum partium substantia consistet, & non ex solo temperamento. Sed si hæc ita sunt, dices, & ita Gal. sentit semper de natura nostra, & de natura dictarum partium nostrarum: quare non dubitat in præsenti capite, vt vidimus, an consistat virtus nostra in substantiis nostri corporis spirituosa, carnosa & solida, an in temperamento ab eis discreto. Respondetur, quia antiquitus, & suo tempore dubitabatur à multis vt nunc, in quo dictorum consisteret; & alij hanc, alij illam sequebantur viam; de qua re quia ipse Gal. alibi disputaverat, & suam sententiam, ac rei veritatem explicaverat, hic dicere amplius noluit, quia non erat necessarium, sed ab eis esse desumendum indicationes in curatione morborum docet, in quibus natura consistit, & virtus operativa nostri corporis, sive substantia sit, sive temperamentum.

CAPVT II.

De indicationibus, quæ ab affectu febris desumuntur; ac quòd asferat putridarum curatio ab aliarum febrium curatione.



DE curatione febrium putridarum in sequentibus acturus Gal. exemplis declarat *in hoc capite* quo pacto in vsum accommodari debeant indicationes speciales ex generalium sectione inventæ, scilicet ab affectu quem curare volumus desumptæ: hæc autem vt opere adimpleat, duo potissimùm affert; primùm siquidem de Indicationibus agit, quæ à febris affectu præstantur; & secundùm in quo differat putridarum curatio ab aliarum febrium curatione: vnde caput in duas has partes adæquatè dividitur ac secatur. 31

TEXTVS.

Prima namque omnium curationis indicationum, &c.

VT *in hac prima capitis parte* demonstrat Gal. quo pacto speciales curationis indicationes ex magis generalibus inveniantur, supponit, vt doctè advertit lentos fuisse Medicos, qui existimabant ad curandas febres putridas non desumi indicationes ex ipsis febribus, vel saltem quæ à febre sumuntur non sufficere: dicebant enim, febres putridæ curantur venæ sectione, & purgantur, quæ non videntur febri adversari, neque ab ea indicari; siquidem prima omnium curationis indicationum est ipsa contrarietas, quæ inter febrem & sanguinis missionem, vel purgationem non invenitur: vnde in putridis febribus neque sanguinis missio, neque purgatio indicatur à febre, sed à causis, quæ faciunt febrem putridam; & idcirco curatio febris putridæ non in sola curatione, quæ à febre desumitur consistere poterit, sed partim in curatione, & partim in præservatione, quæ à causa desumitur, evacuationesque in parte præservativa continentur. Hic supponit Gal. quam impugnat, docens evacuationes non solùm contineri in parte curationis præservatrici, 32

sed

sed & curatrici, vt experimur in propria & rigorosa curatione febris, in qua euacuationes etiam comprehenduntur, scilicet inter refrigerantia ex accidenti; non reuera febri refrigerantia contrariantur, siue illa actu refrigerent, siue potestate, siue ex accidenti, vt sanguinis missio & purgatio faciunt.

33 Sed ad Textum explicandum accedamus. Scribit igitur Gal. quasi in hunc modum: Qui cum ratione, ac vera methodo febres putridas curare vult, sic de indicationibus curatiuis generalibus, quæ ab eis præstantur, in primis ratiocinare debet: Prima omnium indicationum curationis desumitur ex ipso qui curatur morbo, hæcque contrarietatem præscribit, cùm contraria contrariis curentur. Cùm igitur morbus, quisquis sit, indicet sui curationem, siue ablationem per contraria; cumque morborum plura sint genera, cuique eorum sua erit contrarietas: nam quod vnum est vni solùm contrariari potest, & non multis inter se diuersis; neque quæ sic diuersa sunt possunt vnum commune habere contrarium, sed cuique eorum sua est contrarietas, & suum proprium contrarium habet: quare in curatione cuiusque morbi primum omnium eius contrarium quærendum est, atque sciendum; & ideo cæteris pro nunc omissis morbis, cùm in præsenti disputatione dumtaxat de curatione febris putridæ agamus, eius contrarium genericum sic exquiramus: febris, quam curare aggredimur, intemperies est, atque eius genus in intemperie consistit: quare contrariam ipsi intemperiem indicabit, seu postulabit, per quam sanetur; & quoniam vniuersi febrium generis intemperies est calor, consequenter per frigiditatem curabitur, vel sanabitur febris putrida, vt alia quælibet febris: siue enim dixerimus febrem per contraria esse sanandam, siue per ea quæ contrario sunt temperamento, siue denique per frigida remedia; sanè benè dicimus, quia omnes istæ indicationes inter se concordant: similiter si diuidentes remedia dicamus aliquando sanare nos febrem per ea quæ actu frigida sunt, aliquando per ea quæ potestate, aliquando per ea quæ ex accidenti refrigerant; neque sic quidem pugnantia erit vlla cum his quæ dicta sunt, sed verum vero semper consonat, vt si quis dicat: quæ actu, potestate, vel ex accidente calefaciunt, ea febres deteriores reddere, quàm priùs erant: quippe indicatio, quæ ab affectu sumitur, in tot magis particulares indicationes deducitur, vnde omnia dicta præstantur, & verificantur: nam post methodum medendi sequitur administratio remediorum, & per particulares indicationes materiæ auxiliorum inueniuntur, estque principium inuentionis illarum id in quo finitur curandi affectus diuisio: nam cognitis medicamentorum facultatibus, siue virtutibus per methodos, quæ in opere *de medicamentis*, siue *in libris de simplicium medicamentorum facultatibus, & eorum compositione* traduntur, electio & determinatio huius vel illius medicamenti ad hunc morbum ex eius particulari indicatione docetur.

34 Itaque his verbis Galenus duo docet esse necessariò facienda in curatione cuiusque febris, vt curatio fit scientifica, & febris tutò sanetur: nam in primis ex indicationibus genericis, vel quæ ab ipsa febre, quæ febris est, desumuntur, debet, inquit, Medicus deducere & inuenire speciem remedij, qua sanatur, aut curari debet; & quidem faciet si sic arguatur: febris cùm sit passio præter naturam calida, per sibi contraria sanabitur; & per consequens per medicamenta, aut remedia quæ refrigerant: certum enim est quòd contraria contrariis curantur, & similia similibus conseruantur; & idcirco certum est etiam quòd febris frigidis remedijs curabitur, & calidis conseruabitur, vel fiet deterior quàm antea erat. Hoc sic cognito, atque adinuento, secundò Medicos determinare, vel indiuiduare debet remedium refrigerans, quia sunt multa quæ refrigerant inter se distincta; quippe quæ alia actu refrigerant, alia potestate, & alia ex accidenti; & per consequens quamuis omnia refrigerant, singula tamen suo peculiari modo id efficiunt, quo magis conuenire poterunt huic febri quàm alia: quare vt hæc determinet Medicus rationalis, debet subdiuidere indicationes generales febris in magis particulares, vsque ad indiuiduas; vel vt clariùs loquar: debet Medicus febres subdiuidere non solùm in sua genera, sed singula genera in suas differentias, seu species vsque ad infimas, vt sic indicatio generica, quæ ab affectu petitur, atque præstatur in particulares deducta, per has determinetur, & per singulas particulares fiat taliter, vt per has suas particulares indicationes suum indicatum genericum specificum faciat, atque in singulis earum particulare & proprium; & consequenter in singulis indicationibus materiæ remediorum particulares ac debitæ inueniantur.

Satis clara est hæc Galeni doctrina, placet tamen vt magis pateat, magis explicare exemplo posito in febribus putridis, de quibus nunc agimus: doctrina enim quæ per exempla demonstratur, expeditissimam omnium judicat Galenus *suprà lib. 9. cap. 4.* Supponamus ergo nunc quòd accedimus ad curandam vnam aliquam febrem putridam: hanc ergo vt rectè curemus, in primis in genere debemus cognoscere, atque scire quòd consistit in calore præter naturam aucto in corde & reliquis partibus nostri corporis: vnde pariter cognoscitur, atque indicatur quòd frigidis remedijs curatur, & sanari debet: hoc igitur sic cognito, secundò cognoscere debemus quæ sunt ea frigida remedia propria, 35

& particularia per quæ febris putrida peculiari ratione debet curari: nam vt peculiaris febris est ab aliis distincta, ita remedijs propriè contrariis atque sibi specialibus debet sanari: quare vt hæc sciamus, opus est, quod febrem putridam subdividuamus in suas species & magis particulares differentias, vsque ad infimas: ergo cùm febris putrida, vt suprà dicebamus, ea sit quæ ab humorum putredine pendet, febris putrida erit febris cum humoribus composita putrescentibus; & consequenter penes hanc particularem eius refrigerationem indicabit, quæ refrigerare simul & humorem putrescentem, vel putridum poterit vacuare, vel quæ evacuando humorem putrescentem, & febrem efficientem, refrigerare poterit, & febrem putridam extinguere: ex quibus quidem colligimus, atque intelligimus quòd putrida febris frigidis quidem curatur remediis, vt qualibet alia, non tamen quibusvis, sed illis, quæ ex accidenti refrigerant, scilicet quæ evacuando materiam putridam febrem efficientem, febrem extinguunt, vt per sanguinis missionem aut purgationem quotidie fieri experimur: ablata enim causa, cessat effectus, vt communiter dicitur: quare febris putrida, qua talis est, peculiariter per sanguinis missionem, vel purgationem curabitur, atque extinguetur, vel per ambas evacuationes; quod tandem Medicus distinguet, atque determinabit scientificè, & verè, si amplius ipsam putridam febrem subdividit in eam febrem, quæ fit, atque dependet à materia putrescente, sed nondum putrefacta, & in eam quæ à materia jam putrefacta dependet: si enim putridæ febres à materia dependent putrescente, sed nondum putrida, per sanguinis missionem curantur, atque sanari indicant, & non per purgationem; & è contra si putrida febris pendet à materia putrida, & non putrescente, potius per purgationem, quàm per sanguinis missionem curatur, ac sanari indicat, quia purgatio est magis speciale remedium, quàm sanguinis missio ad materias putrefactas expurgandas; & consequenter si febris putrida pendeat à materia partim putrescente, & partim putrida, tunc vtroque curatur remedio, primùm scilicet sanguinis missione, & tandem purgatione. Ex quibus tandem etiam videmus, & apertè intelligimus esse verum quod suprà dixit Gal. scilicet quòd vt indicatio communis, quæ ab affectu sumitur, quem curamus, indicat genericum eius remedium quo curatur; ita si talis communis, aut generica indicatio subdividitur in suas speciales vsque ad infimas genericum curatorium remedium specificatur, & ex illis specialibus indicationum differentiis inveniuntur materię remediorum particulares, & propriæ, per quas singuli morbi non genericè, sed singulariter sanantur.

TEXTVS.

Ac maximè quidem propria in solvendo morbo, &c.

HÆc est secunda capitis pars, in qua ostendit Gal. in quo differat putridarum febrium curatio à reliquarum curatione, 36
& quod putridarum curatio, quamvis fiat per ablationem causæ, non pertinet ad prophylacticam medicinæ partem, quæ præservativa dicitur, vt malè existimabant aliqui, sed ad therapeuticam, sive curatricem. Hæc igitur vt demonstret Gal. docet quid propriè curatio sit, vel quæ dicatur propriè curatio, & quæ propriè præservatio. Scribit igitur quasi in hunc modum: Maximè propriam curationem eam esse dicimus, quæ morbum solvit, cuius nulla est causa; & ideo diariarum quidem febrium, ac hecticarum, quarum nulla datur causa, est vera & propria curatio; quæ verò ex putrescentibus humoribus excitantur, non ita propriè curantur, neque istarum curatio propria vti illarum esse dicitur, sed per abusionem, cùm talis curatio non intendat solum morbum solvere, sed simul sibi adjungat causam, quæ morbum creat, adimere; quod potius ad prophylacticam, seu præservationem, quam ad curationem spectare videtur, cùm prophylactices officium sit causam, vel causas morborum adimere. Sed his non obstantibus, sanè nominantur etiam hæc ipsa, ait Gal. artis pars curatrix, quia minus propriè potest dici prophylactica, siquidem ars propriè, & pari prophylactica, seu præservatrix ea solùm esse dicitur, quæ futuros morbos præcavet, sive quæ causas adimit nondum morbos generantes, sed quæ generare possunt si non tollantur: at curatio febris putridæ causam adimit à qua morbus sensibiliter jam est genitus, & actu febrem fovet, atque conservat, ne extinguatur, si non tollitur: quare talis curatio feblis putridæ, etsi rigorosè & propriè curatio non dicatur, abusivè saltem & impropriè curatio dici debet, cùm non sit prophylactrix, sed curatrix, sive quæ morbum actu curat per causæ ablationem. At de nominibus non sit quæstio, sed nominibus quisque prout vult vtatur, ait Gal. dummodo rei veritas nobis innotescat, & bene intelligatur, & remediorum indicatio servetur, quæ à rebus singulis præstatur, nulla prætermissa: nam si vna aliqua prætereat, prout fuerit eius dignitas, vel magnitudo, curatio morbi claudicabit.

Scholium super dicta.

QVæ in *Textu præsenti* continentur, & le eorum expositione sunt dicta, indigent nova expositione, vt penitus intelligantur, 37

gantur, & curatio febris putridæ magis oſtendatur; atque ideo & literæ textus, & eius expoſitionis ſcholum præſens addere placuit, & quaſi nnvam explicationem in hunc modum. Dictum eſt *in primo capite* quòd qui morbos ſcientificè & verè curare vult, debet eorum curationem per indicationes, vel ex indicationibus quætere, quia indicatio rationalis eſt rei agendæ inſinuatio, ſiue cognitio rei juvantis, vel curatio, ſimul cum cognitione rei lædentis; & ideo in qualibet morborum curatione indicationes ſciendæ ſunt, atque quærendæ, non ſolùm quæ ſumuntur à morbo, quem curare volumus, ſed & quæ ſumuntur à natura, aut temperie ægrotantis, quæque ab ambiente petuntur; & denique quæ à viribus: ex his enim rebus ſumptis indicationibus invenitur quid agendum ſit, quantum, quomodo, & quando in qualibet morborum curatione; & per conſequens invenitur propria cuiuſque morbi curatio: nam debita morbi curatio in executione iſtorum quatuor conſiſtit. Cùm igitur rationalis alicuius morbi curatio per indicationes fiat, quæ à dictis rebus deſumuntur, atque à qualibet earum differentia generica & ſpecifica vſque ad infimas deducta: ideirco in curatione febrium putridarum, de qua in præſenti libro agimus, in primis indicationes quærendæ ſunt, atque inveniendæ, quæ à febre quam volumus curare deſumuntur, & deinde quæ ab aliis tribus.

38 Debent autem primum omnium curationis indicationes, quæ ex morbo qui curatur, accipiuntur, exquiri, ait in hoc a. *cap.* Gal. quia inter omnes ſunt priores: priores, inquam, non dignitate: nam dignitate, vel præſtantia priores ſunt, quæ à viribus ſumuntur; ſed priores in methodo curandi, & quia inde noſcitur quid agendum ſit in morborum curatione, ſiue ſpecies remedij, quod eſt primum, ſeu præcipuum curationis. Primùm enim in curatione ſciendum eſt quid ſit agendum, vel quod ſit remedium applicandum pro morbi curatione; quo primùm invento ſequitur diſcutiendum quantum agendum, & alia. Hic eſt notandum, vt notatum ſupponit Gal. quòd etſi indicationes genericæ, quæ ex affectibus, aut morbis, quos curamus, deſumuntur, ſunt priores in curatione, atque ab eis curatio debet incipere, quia indicant quid agendum, ſaltem genericum: nam v. g. expoſito quòd febris putrida eſt morbus calidus, ſequitur quòd frigidis curabitur remediis: at quia hoc ita ſcire magnum, aut ſufficiens non eſt ad benè curandum, ſed principium tantum, vnde medendi ratio incipit, vt *lib. 3. cap. 1*, docet Gal. ſed cui facultas eſt, illa inveniendi ex quibus perfici, aut fieri poſſit, quod à prima indicatione ſuggeritur, is verè morborum eſt curatio quæ re vera ex particulatibus morbi indicationibus præſtantur: nam vti in putrida ex eo quia calidus eſt morbus, ſcimus quòd frigidis curatur remediis; ita pariter ex eo quia ſcimus ſpecialiter, atque in particulari quòd pendet ex humorum putredine, conſequenter inde ſcimus curari, non quibuſcumque frigidis remediis, ſed illis, quæ ex accidenti refrigerant, ſcilicet ſanguinis miſſione, aut purgatione. Atque ideo ad benè curandum, & ad verum quid agendum explicandum, non ſolùm communes morborum indicationes ſunt exquirendæ, & ab illis incipienda curatio, & quid agendum genericum exhauriendum, ſed & ad particulares cuiuſque morbi indicationes explicandas procedere oportet, & eſt neceſſe, cùm ſic & non aliter inveniatur proprium quid agendum in morbi curatione.

Sed quia exemplis illuſtratur doctrina, & quæ maximè ad curationem pertinent, vt ait Gal. neque Hippocrates veretur ſæpè repetere, ponamus exemplum, inquit, in putridis febribus, de quibus agimus, videamuſque in eis quomodo per indicationes generales & particulares vera earum curatio liquidatur, vel ſaltem verum & ſpeciale earum, quid agendum in curatione invenitur; dicamus igitur ex ipſa natura rei ſic: Febres putridæ, vti aliæ omnes in calore præter naturam aucto conſiſtunt, & per conſequens ſunt intemperies calidæ cordis, & totius corporis, niſi adſit aliquod impediens, ob quod non diffundantur per totum (vt in aliquibus febribus malignis, ac in lypiriis expetimur.) Cùm itaque febres omnes morbi ſint calidi, omnes pariter per contrarietatem ſanabuntur: per contrarietatem dicit, non quidem quia ex morbo contrarietas indicetur, neque quia contrarietas indicet, ſed morbum contrarietatem indicare dicit, quia vt aliàs dictum jam eſt, morbus, & quælibet alia res, quæ in nobis reperitur præter naturam, indicat ſui ablationem per contraria, quia contraria contrariis curantur, & ſimilia ſimilibus conſervantur: vnde vt dici ſolet quòd cuſtodia indicat ſimilia, etiamſi re vera cuſtodia non indicet, ſed quæ in nobis ſunt ſecundùm naturam; ita morbus, ait Gal. indicat contrarietatem, non quia ab eo propriè indicetur, ſed quia indicat ſui ablationem, quæ nullo modo per ſimilia fit, neque aliter fieri poteſt, quàm per contraria. Itaque febres putridæ, quę febres ſunt, ſeu morbi calidi, indicant contrarietatem, vel ſui contrariũ, aut frigiditatem, vti morbi frigidi indicant caliditatem, &c. 39

Methodici Medici quoties, vt dictum eſt, inveniunt quid agendum in morbis, atque in eorum curatione, quieſcunt ibi, neque quidquam aliud eſſe amplius inquirendum putant, ait Gal. *ſupra librum tertium, cap. 1.* ſed ſtatim accedunt ad præſcribenda remedia vel experientia inventa, vel ratione quadam generali. Medici itaque methodici in morborum curationibus vt ſequitur arguunt: Calculus qui in veſica eſt, cùm ibi ſit toto genere præter naturam ſui ablationem indicat per remedia, quæ aliquo modo id poſſint efficere, ad eundem morbum verrucas, & mermetia, 40

mermeria, & atheromata, & alia id genus, & intestinum, quod ad scrotum descendit, omniaque quæ luxata sunt, quod loco præter naturam se habeant reperienda si esse in suum locum docent; si morbus etiam obstructio sit reserationem vasorum, seu meatuum apertionem indicat, vt si calidus sit frigiditatem, vel frigidus calorem; si soluta vnitas vnionem, & sic de aliis: contraria enim inquiunt, contrariis curantur; & ideo cuique morbo sua est specialis contrarietas, quæ indicatur ab ipso morbo quisquis fuerit; atque proinde morborum differentiæ generales sunt sciendæ, ac distinguendæ, & quælibet earum per suum contrarium curanda, siue ad statum natalem reuocanda. Hæc illi Medici antiqui, & hæc hodie multi, qui rationales sese esse iactant: nam etiam multi nūc medicinam faciunt, solùm initiati dictis primis principiis, vel similibus communitatibus & quibusdam paucis remediis ab experientia sumptis, vel per rationes methodicas; quos omnes redarguit Gal. modò vti loco citato; quod dictum non sufficiat ad rectè curandum, quamvis curatio incipere debeat à similibus principiis: at artificium curationis, ait, non stat in iis, neque dictorum aliquod habet quodpiam artificij; sed omnia dicta sunt notata ab ipsis plebeis, quippe qui etiam membrum quod luxatum sentiunt reduci iubent, & verrucam scindi, & vel eam ad cicatricem duci, & alvum fluentem sisti: verùm quibus rationibus hæc fiant benè, nesciunt, neque qui solùm indicationes quærunt, quæ à morbis sumuntur in vniversum distinctis; neque tales indicationes principatum in curatione habent, licèt primæ sint, sed quæ postea petuntur, atque præstantur ex particularibus indicationibus, quæ desumuntur à propriis, atque particularibus differentiis cuiusque morbi, v.g. in nostro casu, siue in febre putrida à differentiis eius particularibus, & non à calore præter naturam.

41 Itaque ad bene curandos morbos necesse est curationem quærere per indicationes, quæ ab ipsis morbis præstantur: primum quidem ab vniversalibus, siue quæ à quolibet genere morborum desumuntur, & postea quæ oriuntur à propriis differentiis cuiusque morbi; vti enim per primas, siue genericas indicationes invenitur quid agendum est genericum, vt curetur morbus, ita ex habitis propriis ac particularibus cuiusq; morbi differentiis, atque indicationibus, particulare & verè proprium quid agendum invenimus, quo morbus sanatur: exempli gratia in febribus putridis ex earum genere, & quatenus febres sunt cognoscimus, atque intelligimus, quòd indicant pro sui curatione frigida remedia, & quòd aliter nequeunt curari; non tamen inde scimus, neque intelligere possumus quo remedio frigido in particulari debent curari; sed ad id distinguendum, atque inveniendum, est necessarium febrium genus dividere in suas proprias differentias vsque ad infimas; & ideo distinguendum, atque dicendum tunc est, quòd sicut febris, qua febris est, indicat sui ablationem per frigida remedia; ita febris, quæ nuda est intemperies, vel in solo calore præter naturam aucto consistit, vt diaria, & hectica indicat frigida remedia, quæ actu, vel potestate refrigerant; actu, vt potus aquæ frigidæ; potestate, vt lactuca, endivia, acetosa, & similia; non verò quæ ex accidente refrigerant, vt est sanguinis missio, & purgatio; sed febris, quæ est intemperies materialis, siue quæ oritur ex alicuius humoris affluxu, est quæ peculiariter indicat remedia frigida, quæ ex accidenti refrigerant, vt quæ evacuando refrigerant, vel evacuant simul, & refrigerant, quorum vtrumque est necessarium ad rectè curandum dictas febres, quia non solùm in calore consistunt præter naturam, sed in eo simul & humore præcalido ex quo excitantur: vnde cùm febres putridæ non in solo calore consistant, vt diariæ, atque hecticæ, sed in calore simul, atque humore putri, à quo dependent, indicabunt consequenter non alia remedia frigida, sed quæ ex accidenti refrigerant, scilicet sanguinis missionem, aut purgationem: cùm enim bonum fiat ex integra causa, & malum ex quocumque defectu; idcirco putridæ febres non aliis frigidis quæ actu, vel potestate refrigerant rectè curati poterunt, cùm non evacuent, sed solùm sanguinis missione, aut purgatione, vel vtraque evacuatione vt quæ evacuant simul & refrigerant, vel evacuando refrigerant: vti enim non solùm febres putridæ, sed aliæ omnes materiales ab humoribus præter naturam accensis dependent, ita potissimùm per evacuationem humorum à quibus pendent, sanantur omnes: nam vt communiter & verè dicitur, vera curatio est causarum remotio, & causa ablata tollitur effectus.

His positis à Galeno in *prima parte capitis*, in *secunda* diluit quandam objectionem, quam aliqui poterant ei objicere: poterat enim aliquis dicere sic: Commune est & verum apud omnes Medicos quòd curatio solum morbo debetur, & causæ providentiæ: per curationem enim boni Medici solùm intelligunt morbi ablationem; & ita vera curatio, dicunt, soli morbo debetur, non verò causæ, quia causæ ablatio pertinet ad partem Medicinæ prophylacticam, siue præcautivam, vel quæ morbos præcavet auferendo eorum causas; quæ cùm sic se habeant, curatio febrium putridarum curatio dici non poterit, quidquid dicat Gal. siquidem febres putres, vt ipse docet, curantur per sanguinis missionem & purgationem, id est per ablationem suarum causarum, quod sanè ad providentiam, seu præcautionem morbi pertinet, & non ad eius curationem: quare curatio febrium putridarum non erit curatio, sed providentia, aut præcautio; hanc igitur objectionem solvit hoc loco Gal. demonstrans 42

quid

quid propriè curatio sit, atque dicatur; & similiter quid propriè sit prophylactica, sive providentia vel praecautio morbi: dicitur igitur quòd vna curatio solùm morbo facto debetur, & cui nulla est causa, quae ipsum faciat, aut foveat, sicut praecautio, vel providentia ne morbus fiat, propriè solùm competit morbis futuris; & consequenter sicuti ex febribus diariae exquisitae & hecticae sunt morbi facti, quibus nulla est causa à qua fiant, aut foveantur, ita istarum febriom ablatio per sua contraria, propria scilicet, per frigida remedia actu vel potestate est vera, & propria curatio; curatio verò febrium putridarum, vel aliarum, quae à causis dependent, quamvis propriè loquendo curatio non debeat dici, talem abusivè curatio dicitur, dicendaque est, cùm sit ablatio morbi acto existentis, & non praecautio futuri, quae dicitur providentia: vnde morborum curatio erit duplex; vna scilicet propriè & rigorosè dicta curatio, & alia abusivè, & non propriè dicta curatio, sed in lata significatione, vt quae non solùm morbum, sed simul eius causam solvit; vti enim ex morbis alij futuri sunt, & alij praesentes & actu jam existentes; & ex his qui actu existunt, alij sunt fientes, id est adhuc à causa dependentes in conservari, quamvis re vera facti sint jam, & à se permanentiam habeant in corpore, & alij facti, ac sine causa aliqua à qua dependeant. Vt, inquam, morbi tribus dictis modis sunt inter se diversi, ita & eorum curatio, sive à corpore sublatio, vel reductio ad statum naturalem est triplex; curantur siquidem morbi futuri, vel ne fiant praecaventur per ablationem earum causarum, quae in corpore sunt, facturaeque sunt morbosae antea non evacuantur: lassitudines enim spontaneae, ait Hippocrates, morbos denunciant, id est facturos significant; & ideo antequam eveniant praecavendi sunt, curando scilicet lassitudines illas, sive vacuando humores corporis, quae causae sunt talium lassitudinum: vnde praecautio futuri morbi revera est curatio, quamvis curatio non dicatur, sed prophylacticae, sive providentia, vel praeservatio ne fiat actu quod futurum significatur: curantur etiam, ac necessariò curari debent, vel tolli morbi fientes, cùm actu sint laedentes nostri corporis actiones, quoties potissimùm per ablationem causarum à quibus fiunt vel conservantur, auferantur; & quamvis causarum ablatio, quae morbos actu generant, aut conservant propriè non dicatur curatio, & minus providentia, vel praeservatio, sed abusivè curatio, & non propriè, quia non solùm morbum factum curat, sed etiam quem actu adhuc causa creat, vel saltem adhuc à causa conservatur; curatio verò propria solùm morbos factos curat, quorum nulla datur causa; sed de nominibus, inquit Gal. non disporemus, neque sit quaestio, dummodò rei veritas intelligatur, ac distinguatur, vt suprà dixi; ideoque si quis curationem morborum fientium, & qui adhuc dependent à causa, non curationem velit appellare, sed praeservationem permittamus, & vt vult nomine vtatur, dummodo sciat & advertat quòd talis morborum curatio nequit esse propriè loquendo praeservatio, quia haec solùm est morborum, qui de facto adhuc non sunt, sed tantùm morborum, qui fient, si non praeaveantur; & per consequens curatio morborum fientium potius curatio est, ac dici debet, quàm praeservatio, cùm haec curet non morbum fientem, sed futurum tantùm; illa verò non futurum, sed actu jam existentem: item praeservatio solùm evacuat morborum causas, quae facturae sunt morbos, & per consequens quae nondum actu causant; curatio autem morborum, qui adhuc sunt in fieri causas evacuat, quae actu causant, & actu laedunt corpus; & ideo istarum curatio non est praeservatio causarum ne causent, vt quae facturae sunt morbos, sed ablatio earum quae actu causant, & actu laedunt corpus, sicuti ipse morbus, cuius ablatio est vera & rigorosa curatio.



CAPVT III.

De indicationibus quae in febribus putridis à viribus febricitantium sumuntur.



DIXIT in *primo capite* Galenus quòd qui febres putridas curare benè vult, debet earum curationem quaerere, aut desumere ex indicationibus rationalibus, quae ab ipsis febribus praestantur, & quae à viribus atque natura oriuntur febricitantium, imo & quae ab ambiente sumuntur, si istae ad illas non revocantur. His expositis in primo capite, in secundo demonstrat quòd sunt indicationes curativae, quae in dictis febribus inveniuntur & quaeruntur: ex illis deducimos non solùm quid agendum sit in earum curatione, sed & determinatè invenimus remedia quibus benè curantur, quantum per eas stat, & quãtum ex eis per humanam frigiditatem liceat fieri. Iam igitur his omnibus sic positis in superioribus, ponit in praesenti tertio capite quae & quales sunt medicationes, quae in febribus putridis à natura & viribus febricitantium petuntur, & debent desumi; vt curatio tutò & benè fiat, cùm ab iis quoq; dependeat debita earum curatio; de viribus itaque nunc agens Gal. propter dictas causas, sive potissimùm explicat, primum vult, quid indiceent vires adhuc in morbis; secundum 43

in

in quibus rebus vires consistant, & quibus conserventur, tertium diversas esse vires in singulis partibus corporis, ideoque singulas singulis esse custodiendas; quæ cum sic se habeant, caput in tres dictas, secabitur partes.

TEXTVS.

Porro quemadmodum ab affectu ad materias, &c.

44 QVod in curatione febrium putridarum: non solùm ex morbo, atque ex ejus indicationibus inveniantur remediorum materiæ, quibus benè curantur, sed etiam ex viribus, & natura ægrotantium, intendit Gal. edocere in præsenti capite, & potissimùm in hac prima capitis parte; in qua illicò sic scribit. Quemadmodum ab affectu, seu à morbo, quem curamus ad materias præsidiorum pervenimus, quibus curatur, eodem modo à singulis reliquorum generum veluti à virtute: quasi dicat: vidimus capite superiore, qua ratione ex indicationibus curativis, quæ desumuntur ab affectu, seu morbo quolibet quem curare volumus, invenitur non solùm quid agendum sit in ejus curatione, sed etiam qua ratione inveniuntur remedia opportuna, quibus dictam per quid agendum consequitur benè, quantùm per humanam fragiditatem potest consequi: videmus etiam capite secundo, ad benè curandos morbos non sufficere indicationes, quæ ab ipsis præstantur, sed, & à natura, aut temperamento ægrotantis, atque ab ejus virtute, vel viribus: quæ cùm sic se habeant, modo sciendum est quod eadem ratione qua capite superiore ex indicationibus ab affectu desumptis invenimus præsidiorum materias quibus curatur, & curari debet, eadem prorsus ratione in singulis reliquorum generum ex indicationibus ab eis desumptis & ab eorum quolibet, ab vniversalibus, scilicet ad particulares descendendo, pervenimus ad inventionem aliorum, quæ ad perfectam curationem requiruntur, scilicet ad inventionem quantitatis, occasionis, & modi vtendi dictis materiis: verbi gratia à virtute, de qua hîc agere intendimus: Si enim à viribus indicationes desumantur propriæ, vires dividendo à suo genere in speciales differentias vsque ad infimas; sic quidem non solùm vt sint conservandæ, & debitas ad id materias venimus, sed & quantitatem remediorum, quibus morbus curari petat, & quantùm ipsæ vires benè ferre poterunt.

45 Sed dices; verum est quod *in hoc capite* agit Galenos de viribus; non tamen verum esse videtur quod agat de eis vt supponimus, vel vt ipse supponit: nam se revera in hac prima capitis parte solum explicat quod vires indicant sui conservationem; & in secunda ac tertia in quibus consistunt, quibusque conservantur: hæc autem alia esse videntur, & longè diversa atque est quærere, & invenire ex viribus, vel ex virium indicationibus quantitatem remediorum debitam ad morbos curandos, & materias ad id debitas. Respondetur, & tacitè respondet Gal. quod virtus, cum sit opposita morbo, & ei adversatrix, non alia ratione melius adversatur, atque opponitur ipsi, & remediorum quantitatem, debitasque materias potest præstare, atque ostendere ad debellandum dictum sibi contrarium, quam per suam ipsius entitatem, sive naturam, atque potentiam, & per consequens per suum robur, & conservationem: nam vt *libro superiore, cap.* 4. vidimus, vires vbi valentes sunt omnia contendunt, & sustinent, & è contra vires languidæ à quovis offenduntur: quæ cunt vera fiot, & docent quoque vere, quod vires in morbis indicant sui conservationem, imò & robur, vt inde, & penes illud Medicus, non solùm lapsum morbi cognoscat à statu naturali, sed & determinatam quantitatem remediorum, debitamque eorum materiam: si enim Medicus in morborum curatione invenit vires valentes, & morbus est magnus, atque acutus vtitur magnis remediis, vel extremis, quia vires tolerant, quamvis extrema remedia sint periculosa; & è contra si in ægris vires languent, quamvis morbus sit magnus, vel acutus Medicus solum vtitur parvis remediis, & materiis quæ nullo modo sint asperæ, sed lenes, & quæ sine molestia aliqua aut irritatione operentur, cum vires languidæ à quovis offendantur, id est à quovis agitante quod superet earum tolerantiam: vnde vires in morbis penes sunt robur vel languorem indicant, si non quid agendum, vti morbus, saltim auxiliorum quantitatem, & devitas materias; & per consequens Galenus in præsenti capite vt ex viribus dicta consequatur, atque inveniat, rectè quærit, ac demonstrat, quid ipsæ indicent, in quibus consistant, & quibus conserventur.

Cùm igitur in morbis propositum Medico sit, à Gal. vires si valentes sint conservare, & si languent omnia ratione opitulari, ac subvenire; idcircò primum omnium quid vires indicent, & quænam earum sit prima indicatio debemus hîc quærere, atque examinare, & postea in quo consistant, & quibus rebus conserventur; vel robustæ fiant, quod vires igitur primum omnium indicent sui conservationem, vel prima virium indicatio sit ipsarum custodia, aut conservatio, ex eo ostenditur, quia vt dictum est vires contrariantur morbo, & consequenter vt morbus sui ablationem indicat, ita vires sui custodiant præscribunt: vt morbus supponitur primus scopus indicans sui ablationem, & ejus sublato est secundus scopus, sive est indicatus, ita pariter virtus ipsa indicans sui conservationem est primus scopus, sive est ipsum indicans, & ipsius custodia est secundus scopus sive ipsa indicatio: 46

tin: non enim sunt omninò idem indicans, & indicatio, sed sunt duo scopi, primus scilicet, & secundus, quia hic oritur ab illo, & si iste ab illo omninò non separetur, sed maneat cum illo, vt cum actio manet in agente, calefactio in igne, virtus in agente, & similia. Itaque vires in morbis, vti in ipsa sanitate sui custodiam indicant, solumque ex accidenti in morbis dicuntur indicari, tum quia quantitatem remedij vna cum morbo præscribunt, tum potissimùm, quia si valentes sunt morbis maximè resistunt, imò & adversantur fortiter, atque oppugnant: vnde provenit quod interdum remedia mira operentur, interdum parum aut nil: cum enim vires vigent, mira operantur remedia, quia pugnant contra morbum a natura, sive à viribus roborata, vel multum actuata, atque excitata; è contra verò cum vires sunt debiles parum vel nil operantur remedia, quia à natura non juvantur: vnde rectè Hippocrates dicit libro de leg., natura repugnante omnia irrita fiunt; atque ideo si Medicus morbis mederi vult eisque vehementer resistere, vires fortes maximè servare debebit, quod est notandum.

47 Itaque vires sui custodiam indicant, & virium custodia est virium indicatio, ait Galenus, non quidem quia virium conservatio propriè loquendo indicatio sit; non enim conservatio virtutis indicat aliquod quo vires serventur, sicut neque contrarietas in morbis indicat aliquod quo morbi curantur; sed conservatio dicitur à Gal. indicatio quia conservatio fit per similia, & similia similibus conservantur; quemadmodum sublatio fit per contraria, & contraria contrariis curantur; vnde contrarietas in morbis, & conservatio in sanis, atque in viribus custodia, si propriè loquendum est, potiùs scopi; sive intentiones Medici dicuntur, & quamvis indicationes dicantur, & quamvis dicatur quod conservatio indicat similia, quia per similia fit, & sublatio indicat contrarium quia fit ab illo; sed neque hic de nominibus sit quæstio, sed quis pro suo arbitrio loquatur, ait Galenus, & permittamus dicere quod custodia indicat exhibitionem similium vti sublatio contrariorum, quia similia, similibus conservantur, & contraria contrariis tolluntur, atque curantur, sed nota hic quod quamvis communiter dicatur fieri custodiam per similia, & virium conservationem similibus fieri, non est ita intelligendum quod semper solis similibus vires serventur, nam custodiunt quoque vires quæ virium lapsus corripiunt; ideo si vires labantur ob aliquam intemperiem, vt sæpè fit, quia vt ait Gal. 3. *de symptomatum causis cap.* 1. omnis immodica intemperies dejicit vires; in his quidem casibus non similibus solum vires servantur, sed contrariis moderatis corripiuntur; & si aliter vires labuntur etiam aliis modis debent corripi, *vt supra libro nono, capite* 13. latiùs cum Galeno explicavimus, quare de his nunc non est ampliùs agendum.

TEXTUS.

Quoniam vero virtutum substantia, tum ex spiritu, &c.

HÆc est secunda capitis pars, in qua demonstrat Galenus in quibus rebus consistant vires, & quibus rebus conservari debent: postro enim in prima parte quod vires indicant sui custodiam, seu conservationem, & quod conservatio indicat similia seu fit per similia; consequenter hic sequitur videndum in quibus rebus vires consistant, vt iis cognitis rebus in quibus vires consistunt, ex eis ad inveniamus materias, scilicet sibi similes, per quas conservantur; & sic pariter constet quod etiam à viribus, vti à morbis possumus accedere ad remediorum materias consequendas, quibus conservantur, vel corriguntur, si aliqua indigent correctione. Scribit igitur, vt supra, vires consistere in substantiis, tum spirituum, tum carnium, tum partium solidarum nostri corporis; & rectè quidem, nam vires nostri corporis in natura nostra viventi, atque sentienti positæ sunt, vt supra etiam dicebamus; etiamsi vires à natura distinguantur, quia vires sunt naturæ virtutes, seu facultates, vel potentia ad operandum; & ideo natura habet esse absolutum, & à se; vires verò non, sed relationem dicunt ad ipsam naturam, à qua emanant, atque pendent in esse fieri, & conservati: quare vires & natura subjecto sunt idem, atque ambo in dictis substantiis consistunt spirituosa, carnosa, & solida nostri corporis; & consequenter qui vires servare studet dictas tres substantias custodire debet, scilicet per sibi similia; imò per singula singulis similia: non vti similia in vniversum similibus conservantur, ita singulis similibus sua sunt propria similia, quibus conservari debent: & ideo ex iis quæ similia sunt cuique dictarum trium substantiarum suam conveniet custodiam moliri ait Galenus. 48

Itaque virium triplex dicta substantia, inquit Galenus, similibus est conservanda; imò ex iis quæ cuique ipsarum sunt similia moliri cuique suam custodiam convenit: sunt enim singulis dictarum substantiis propria, similia, & singularia alimenta quibus aluntur, conservantur, & si opus est restaurantur, restituunturque: nam substantia spirituosa ex aëre per inspirationem, & transpirationem attracto, & ex puri sanguinis vapore alitur continuo, ac conservatur. Voco sanguinis vaporem ait Galenus ejus attenuationem quasi in aërem in dextro cordis ventriculo vel in halitum solutionem; nam revera cum sanguis sic attenuatur, aut in halitum vertitur si subita fit opri- 49

nus, sit similis spiritibus, & debita materia, ex qua vnà cum portione aeris externi per os, & inspirationem, & transpirationem attracti spiritus vitales continuò generantur in corde, vel regenerantur, qui semper solvuntur ex cōtinuo eorū motu; & per consequens verum est quòd spirituosa substantia ex sibi similibus conservatur. Sic exposita à Galenō custodia spirituosæ substantiæ nostri corporis, accedit ad ostendendam conservationem partium solidarum, sic scribens. Solidarum verò generi ex solido nutrimento. Quasi dicat: vt spirituosa substantia, quia spirituosa est, seu halituosus vapor, alimentis aëteis, seu vaporosis substantiis sibi similibus conservatur: ita conservatio quæ debetur solidorum generi, id est quæ partibus solidis nostri corporis cōnvenit, ex solido nutrimento esse debet, vtpote eis simili: sunt enim solidæ nostri corporis partes natura sua terrestres, duræ, atque solutioni valde resistentes, vtpote genitæ potissimum ex semine, vel ex seminis portione magis terrestri, crassa, viscida, & lenta, qualis esse debebat ad soliditatem, sive stabilitatem firmandam: vnde cùm similia similibus conserventur, solidorum conservatio, ait Galenus, ex solido nutrimento, scilicet duro, crasso, viscido & lento esse debet, & nullatenus ex tenui, vaporosove, vti est alimentum spirituum. Tandem conservatio carnis, vel partium carnosarum nostri corporis, vt quæ natura sua est in medio humidorum & solidorum corporum, ait Gal. per ea pariter fit alimenta quæ media sunt inter alia dicta, quæ nutriunt, atque custodiunt spirituosam, solidamque substantiam.

TEXTVS.

Porrò cuiusque horum modum ex conservandæ substantiæ, &c.

50 Dictum est, inquit nunc Gal. qua ratione conservantur, vel restaurantur substantiæ nostri corporis, non tam dictum est, qua ratione modus, sive quantitas singularum substantiarum conservatur: quare hoc nunc explicandum aggrediamur. Quod verò per cuiusque substantiæ modum quantitatem debitam earum intelligat nunc Gal. ex sequentibus verbis colligitur: scribit enim sic: Porrò cuiusque horum modum ex conservandæ substantiæ modo invenies: qualitas verò ex ipsius temperie. Quasi diceret: demonstratum est quomodo conservantur substantiæ spirituosæ, carnosæ, & solidæ nostri corporis: restat ergo modo videndum quomodo debita quantitas earum & qualitas conservabitur: hæc autem duo sic inveniuntur: in primis quidem modus, sive quantitatem cuiusque horum, sive cuiusque trium generum substantiarum dictarum, & partium nostri corporis ex conservandæ substantiæ modo invenies; qualitatem verò ex ipsius temperie: primùm enim quantus esse debeat modus dictarum substantiarum, & cuiusque earum, ex modo, & necessitate conservandæ substantiæ invenies; tantus siquidem, & talis modus esse debet cuiusque dictarum trium substantiarum, quantus & qualis necessariò requiritur in eis vt vires conserventur, & potentes sint atq; fortes ad morbos oppugnandos, & alias corporis operationes rectè exercendas: non enim in quolibet quanto est eadem quantitas virium, sed in maiori quanto est major virtus, vt communiter dicitur, & in igne experimur, cuius scintilla non calefacit nos, & tum in competenti quantitate positus, non solùm nos calefacit, sed potenter adurit; & consequenter substantiæ virtutum nostrarum, vt bene possint operari indigent eo modo, sive debita quantitate, & ea debita qualitate, quæ necessario requiruntur ad bene agendum.

Itaque modus, sive quantitas substantiarum nostri corporis ad rectè operandum, & morbos oppugnandos requisitus ex modo conservandi tales substantias, invenitur, ait: nam re vera quæ conservant dictas substantias, & ipsarum debitam quantitatem procreant eodem modo; verbi gratia. vt spirituosa substantia ex aëre per inspirationem, & transpirationem attracto, & ex vaporibus sanguinis boni conservatur, per eorum debitam alterationem, concoctionem, atque penetrationem; ita debita quantitas talis substantiæ ad bene operandum ex eisdem aëre ac vapore sanguinis adquiritur, & eodem modo alteratis atque mutatis: nam vt ex vino generoso, vel optimo generari spiritus, & conservari bene dicitur, quia vinum est substantia vaporosum & bene olens, & per consequens maximè familiare spiritibus qui à rebus redolentibus maximè delectantur, ac recreantur; ita quantitas spirituum ex ipso vino, vel altera substantia spiritibus simili, vt vinum est, vt ex iure carnium optimum succum consequitur, scilicet per concoctionem & transmutationem totius substantiæ dictarum alimentorum in dictos spiritus. Similiter, vt solidarum partium substantia ex pane, ac carnibus potissimùm duris modicè, ac crassis, aut magis terrestribus, quales sunt carnes bovis, aut vitulorum, si bene coquuntur, & transmutantur à calore nativo, generantur, & conservantur; ita ex eisdem alimentis, & eodem modo alteratis, ac mutatis, adquiritur debita quantitas substantiæ dictarum partium solidarum: denique, vt substantia carnosa, vel partium carnosarum nostri corporis ex sibi similibus alimentis conseruatur, scilicet ex alimentis 51

alimentis quæ media sunt inter ea quæ spiritus & partes solidas conservant, vt sunt carnes teneres arietum, gallinarum, perdicum, & similes, ova, vinum non admodum tenue, & panis ex optima farina factus, bene coctus, ac debito sale, fermentoque fermentatus; ita ex iisdem bene alteratis, & transmutatis in dictam substantiam carnosam, quantitas eius comparatur, quanta requiritur ad operandum.

52 Sic explicatis modis generationis, & conservationis substantiarum nostri corporis, in quibus virtutes continentur, & modo quo adquiritur debita quantitas earum, tandem scribit Gal. sic: qualitas verò ex ipsius temperie. Quasi dicat: Quantitas substantiarum, quæ in nobis sunt, & in quibus vires nostri corporis consistunt, invenitur ex modo conservandi tales substantias, vt est ostensum: quare his jam inventis, tandem qualitas dictarum substantiarum ex singularum temperamento dignoscitur, atque adinvenitur: nam quælibet dictarum trium substantiarum componitur, atque integratur in sua naturali compositione ex propria substantia, & debita temperie; & per consequens, si substantiæ illæ debent custodiri, vt in eis serventur vires nostræ, non solùm tales substantiæ, quà substantia sunt, debent conservari, sed & earum qualitas, quæ in propria singularum temperie consistit: quare vt substantiæ dictæ conservari est dictum per propria alimenta, & singulis familiaria, vel similia; ita per qualitates dictorum alimentorum temperamentum conservabitur cuiusque dictarum substantiarum: etsi enim alimenta, quæ solùm sunt alimenta, solùm etiam præbent corpori substantiam sibi familiarem, non verò præstant aliquam sensibilem qualitatem qua corporis temperamentum conservari, vel mutari queat, quia alimentum, vt ait Galenus *primo Simplicium*, *capite primo*, est quod nostram valet augere substantiam; medicamentum, quod nos alterat, vel corpus alterat suis qualitatibus: etsi, inquam, hæc sic se habeant, tamen etiam dantur alimenta medicamentosa, quæ & corporis substantiam augent, vel conservant, & qualitatem eius, sive temperiem alterant, scilicet conservant, vel mutant: vinum enim non solùm substantiam nostri corporis adauget, sed & calefacit; & lactuca nutrit nos simul ac refrigerat; & alia multa similiter: vnde & substantiæ nostri corporis per alimenta non solùm conservari poterunt, sed & temperies, aut temperamentum ipsarum.

53 Sed est hîc notandum, ait Gal. quòd temperies nostri corporis, & cuiusque substantiarum eius potest esse duplex, scilicet vel optima, vel aliquantulum vitiosa: etsi enim nunc de substantiis naturalibus agamus, & de earum temperamento naturali, tale tamen naturale temperamentum & optimum potest esse, sive bene temperatum, & aliquatenus vitiosum, sive intemperatum, vel à bene temperato ac medio recedens, etiamsi recessus sit intra limites sanitatis, vti est temperamentum biliosorum, & pituitosorum, &c. Hæc igitur cùm sic se habeant, modò est advertendum quòd temperies, quæ optima est, semper servari debet, quæ verò vitio non caret, hæc in sanis quidem vel servanda est, vel alteranda: in ægris verò servanda est, vti & consuetudo: nam & hæc in morbis est servanda, licèt vitio omnino non careat, vt *libro nono* latè fuit expositum; & ideirco in morborum curatione temperamentum illud conservandum est, quod corpus habebat, & eius partes, atque substantiæ, cùm ægrotare cœpit, quamvis tale temperamentum omnino temperatum non sit, & quamvis tale temperamentum sit nativum, id est quale fuit in prima ægri generatione, sive sit adscititium, vel post originale adquisitum, vel ex ætate, vel ex consuetudine, vel ex alia quapiam causa. Ex quibus intelligitur, non solùm quòd auxiliorum indicatio, vel modus inveniendi auxilia qui ex temperamento præstatur, desumitur ab eo quod præsens est, non autem quod antea fuit; sed tamen quòd tale temperamentum tum est custodiendum per qualitates eorum alimentorum, quibus substantiæ nostri corporis conservantur, vt vires in eis robustæ custodiantur, & per consequens qualitates alimentorum, quæ ab ægris devorantur, tales esse debebunt, & non aliæ quale inventum fuerit temperamentum corporis cùm in morbum fuit lapsum; atque ideo si in senectute, v. g. aliquis ægrotaverit, ea qualitas alimentorum est administranda, quæ ex ætate præsenti, & eius temperie indicatur, non verò ex aliis quæ præterierunt.

TEXTVS.

Cùm verò diversitas non parva sit, &c.

HÆc est tertia & vltima capitis pars, in qua Galenus demonstrat qua ratione natura singularium nostri corporis partium, & vires earum sunt custodiendæ: cùm enim natura nostra, & vires quæ nostrum corpus regunt, aliæ quidem communes sint toti corpori, vel saltim pluribus corporis partibus, & aliæ singulares, quæque singulis partibus debentur: nam natura substantiæ solidæ communis est omnibus solidis partibus, & natura substantiæ carnosæ communis est omnibus carnosis 54

corporis partibus, & natura substantiæ spirituosæ est communis omnibus spiritibus; at in singularibus partibus nostri corporis est mira diversitas in substantia, temperamento, & virtutibus: cùm, inquam, natura nostri corporis est duplex, scilicet communis & singularis, vtraque in morborum curatione a Medico est custodienda, & propria cuique mensura, atque temperies conservanda. Quæ cùm sic se habeant, eúmque actum sit de natura communi, visumque sit quomodo servatur per ea alimenta quæ ipsi sunt similia: natura, inquam, quæ solida est per ea quæ ferrea sunt magis, & ea quæ est humidior, per ea quæ sunt humidiora, vt sunt quæ carnes custodiunt, atque spiritus: his inquam omnibus jam sic constitutis ac definitis, tandem solùm restat hìc absolvendum, ait Galenus, qua ratione propria natura singularum partium nostri corporis est custodienda, cùm diversitas singularum partium in nostro corpore sit maxima, & per consequens, & natura earum.

55 Natura igitur singularis singularium nostri corporis partium custodienda, servandaque est, ait Galenus, juxta diversitatem cuiusque earum: vti enim natura singularis vniuscuiusque partis diuersa est à qualibet alia: ita penes diversitatem illius diversitas materiæ desumitur qua peculiariter conservetur: nam, verbi gratia, etsi omnes partes solidæ, quia duræ sunt, atque terrestres per alimenta dura, & carnes magis terrestres postulant conservari, vt visum est; quia tamen inter ipsas partes solidas aliæ sunt magis solidæ ac duræ, vt ossa, cartilagines & ligamenta, & aliæ minus, vt fibræ, membranæ, & carnes duræ: idcirco penès has substantiæ differentias partes solidæ singulares alimentorum diversas materias requirunt ad sui conservationem; & ossa quidem, ac cartilagines, & similes magis terrestres, durasque, vt ipsa sunt ossa; ligamenta, fibræ, & tunica, vel membranæ magis viscidas & lentas, vt sunt extremitates animalium, scilicet pedes, & manus exigunt ad sui conservationem, non verò ossa, neque cartilagines. Similiter carnosæ omnes nostri corporis partes per alimenta humida sibi similia postulant conservari, vt per carnes arietum, quia tam inter ipsas carnes corporis reperitur, non exigua diversitas, atque latitudo, quippeque aliæ duræ sunt, vt caro cordis & renum, aliæ sunt mollissimæ, vt cerebrum & pulmo, & aliæ inter has mediæ, vt jecur, & carnes musculorum; ideo penes has substantiæ carnis differentias diversa requiruntur alimenta quibus conserventur, & cor quidem, atque renes sanguine magis crasso nutriuntur, pulmones tenuissimo, jecur, & musculi mediocri. Ad eundem modum partes quæ sunt magis aëreæ, vt pulmones, sanguine aëreo aluntur, quæ sunt humidiores, vt cerebrum, etiam humidiori sanguine: & denique quæ sunt calidiores, vt cor, sanguine magis calido conservantur; quæ sunt magis temperatæ, vt jecur, & musculi sanguine temperato aluntur, ac vivunt: ex quibus concluditur singulares nostri corporis partes esse tum substantia, tum temperamento diversas inter sese; atque proinde in singulis, ex diversitate substantiæ ac temperamenti comparandas esse proprias materias, seu alimenta debita, quibus conserventur; in cibis, inquit Galenus, potione, aëre, & aliis generari solitis: nam istæ sunt peculiares materiæ quibus singulæ nostri corporis partes viventes conseruantur, in cibis, verbi gratia, vt si carnibus vti velimus ad custodiendas nostri corporis singulares partes, eis quidem vtimur variis pro diversa natura servanda, vel saltem eisdem vtimur carnibus, sed diversimodè præparatis: non solùm enim variis vtimur carnibus, vt arietina, bubula, gallinarum, pullorum ad carnes diversas nostri corporis conservandas, sed etiam hac, vel illa carne vtimur assa, vel elixa, prout carnem magis duram, vel mollem volumus custodire: assatione enim carnes majorem soliditatem, atque duritiem adquirunt, ideoque cùm opus est carnes molles conservare, carne vtimur elixa, vti assà cùm volumus duras carnes conservare: in potione etiam, sive in vino, aut iure (nam hìc per potum intelligit Galenus quod potione assumptum nutrit) quia si vino vti volumus distinguere debemus an eo vtamur ad spiritus restaurandos, vel conservandum, an ad sanguinem augendum in corpore; si enim vino vtimur ad gignendos spiritus, vino vtimur tenui, vti est album; si verò ad sanguinem juvenis conservandum, non tenui, sed magis crasso, vti est nigrum, vtimur: sic si iure vti volumus, eo vtimur magis, aut minus crasso, aut defæcato, prout opus est, sanguinem magis, aut minus purum producere; & idem in aëre, & omnibus aliis quæ peragi solent ad corporis, & partium eius conservationem.

TEXTVS.

TEXTVS.

Vbi verò secum pugnaverint indicationes, &c.

56 EXponendum restat quòd sunt multæ indicationes, quæ concurrunt, aut possunt concurrere ad conservandas vires nostri corporis, non solùm in morbis, sed & in sanis: quare si pugnaverint, inquit Gal. aliquæ indicationes ex dictis, in tali casu, vt inveniamus ea quæ agenda sunt, ex methodo superiùs tradita, scilicet *libro nono* expendere debemus quæ indicationes tum magnitudine, tum dignitate alias superant: nam vt eo loco ostensum est, quæ maiora, digvioraque indicantia præscribunt, illæ sunt eligendæ, & primitus atque ante alias adimplendæ, vel exequendæ. Eodem etiam loco dictum est dignitatem indicationum respectu vitæ, vel sanitatis esse indicandam magnitudinem verò esse duplicem, vnam scilicet ratione propriæ essentiæ, & alteram ratione declinationis à naturali statu. Quasi dicat Gal. in contrariis indicationibus, quæ digniores sunt, vel maiores debent prius exequi tum in ægrotantium curatione, tum in salubrium conservatione: dignitas autem indicationum, sive præstantia indicationum non solùm ex earum magnitudine est æstimanda, ac iudicanda, sed potissimùm vitæ vel sanitatis respectu: nam illæ indicationes sunt inter omnes alias digniores, ex quibus magis imminet vitæ periculum, vel quæ magis conferunt ad consequendam sanitatem, aut ipsam conservandam: vti enim in nobis vita & salus sunt quæ præ aliis cunctis æstimantur; & ita quæ vitam, salutemque custodiunt præ omnibus aliis dicimus esse digniora, & quæ præ aliis vitam adimunt, vel salutem, dicimus esse digniora, vt primo loco auferantur, id est vt auferantur prios quàm ipsa vitam auferant, vel salutem, & potissimùm quæ vitam adimunt. Nam vita est omnium prima, & sanitas in secundo loco: vnde prima indicatio, vt communiter dicitur sumitur à viribus, & quæ vires, sive vitam labefactant, sunt maximæ dignitatis, vt protinus tollantur, sive sint morbi, sive ipsorum causæ vel symptomata, vt dolor vel vigiliæ: dolor enim & vigiliæ vires maximè labefactant.

57 Magnitudo verò etiam indicationum æstimanda, aut aliis anteponenda est, ait Gal. sive res quæ indicat sit magna in se & sua essentia, vt magna febris, vel eius magnus ignis, aut vehemens dolor, importuna, ac diu perseverans vigilia, maxima lassitudo, & similia, sive sit magna, quia moltùm recedit à naturali statu, vti est febris acuta in sene, febris in natura pituitosa, inedia in picrocholis, aliaque similia: febris siquidem in sene, etiamsi in se magna non sit, tam magna est, & vt talis æstimanda, atque metuenda, quia à naturali stato ægrotantis multùm distat; & ideo febris acuta in senibus est lethalis, aut periculosa valdè, quia maximè distat à naturali habitu febricitantis; similiter febris in pituitoso, etsi non sit in se magna, quia multùm distat ab eius temperatura magna dicitur, & est ex Hippocrate 2. *aphorism. sent. 34.* vbi scribit quòd morbus est magnus, atque periculosus, si naturæ laborantis aut ætati, aut consuetudini non congruit, sed contrà multum distat, vt febris à pituitoso vel sene: in picrocholis etiã, sive in corporibus multùm biliosis, atque extenuatis, & in quibus bilis amara multùm abundat, inedia, aut cibi abstinentia, etiamsi non sit extrema, pessima est, & periculosa valdè, vt *libro superiori* latè visum est, quia maximè distat à consuetudine, & conservatione talium corporum; atque proinde verum est quòd in contrariis indicationibus benè exercendis magnitudo earum est advertenda, vt prius exequantur quæ maiores fuerint, vel maiores esse æstimantur, quia in se magnæ sunt, vel saltem quia multùm recedunt à statu naturali, vt est expositum: sic enim credo loquitur Gal. non *hic* solùm, sed & *suprà lib. 9. & 4. de sanitate, tum de morbi magnitudine & eius differentiis*, etiamsi 4. & 7. *libris superioribus* aliter loquatur, dividatque magnitudines indicationum non in duas solùm, vt nunc, sed in tres, atque ab his diversas.

Etsi enim Gal. *suprà lib. 4. cap. 6. & lib. 7. cap. 12.* dividit magnas indicationes in tres differentias, sive morbi magnitudo dividitur in morbum magnum in sua essentia, vt magna febris, vlcus magnum, inflammatio magna, magnus tumor, &c. in morbum magnum ratione partis affectæ, vt morbus in corde, in capite, in ore superoo ventriculi, in gutture, vel pulmonibus, &c. & denique in morbum magnum ratione cacoethiæ, vt qui multùm vires exsolvunt, aut partem aliquam principem nimis offendunt; etsi, inquam, morborum magnitudo à Gal. *locis citatis* in tres dictas differentias dividitur; hæc tamen non sunt contra ea quæ nunc docet de magnitudine indicationum: nam pro diversis intentionibus & scopis diversa possunt ac debent dici; & ideo cùm *locis citatis* à Gal. de magnitudine indicationum, quæ magnom indicant remedium pro sui curatione, sive de morbis magnis illis, quæ ratione sui magnitudinis indicant sanguinis missionem, aut purgationẽ, quæ sunt magna remedia euacuantia pro sua curatione; cõsequẽ er ibi nõ duplicẽ tantùm, vt nunc, sed triplicẽ ac diversã facit indicationem, & morborum magnitudinem, quia re vera morbus materialis, qui magnus est in se, vel ratione partis affectæ, vel cacoëthiæ indicat pro sui curatione debita magnam evacuationem, & per consequens sanguinis missionem, vel purgationem, vel vtramque, vt *loco citato 4. methodi, cap. 6.* explicatur; nunc verò cùm de magnitudine indicationum agat Gal. sub alia, scilicet 58

scilicet non prout ab illis magnum indicatur remedium, sed quia ratione magnitudinis indicant prius curari, vel adimpleri antequam aliæ quæ sunt minores, vel magnæ non sunt: ideo hic magnitudinem indicationum aliter consideravit, atque divisit.

Dubitationes super Textum.

59 Vidimus in contextu quòd spiritus nostri corporis conservantur & restaurantur per aërem inspiratione & transpiratione attractum, & per vaporem qui ex sanguine attollitur: vidimus similiter quòd partes solidæ nutriuntur solido nutrimento, & magis terrestri, & quòd ad partes solidas nutriendas convenit crassum, atque solidum alimentum, aliàs non erit eis alimentum: tandem visum est quòd partes carnosæ nutriuntur eo alimento, quod est medium inter solidum & humidum quo spiritus nutriuntur, vt est potus vini: hæc autem esse nunc sic à Galeno docentur, *primo tamen de sanitate tuenda, cap.* 10. carnosas partes per potum restitui scribit; & per consequens contrarius sibi esse videtur. Sed rectè intellexisse Galenum eo loco nomine potus alimentum liquidum, vti Hippocrates 2. *aphorism.* 11. Vbi, *facilius est impleri potu quam cibo* scribit. Quasi dicat: facilius est corpus nutriri liquido nutrimento, vt vino, jusculis, & iis similibus, quàm pane, aut carne, vel aliis solidis alimentis, quæ dicuntur cibus, quia in substantia solida assumuntur, vt quæ liquida sumuntur dicuntur potus. Rursus vidimus in contextu quòd natura in spiritibus, carnibus & solidis partibus à Galeno constituitur: 6. tamen *de morbis vulgaribus, p.* 5. *comment.* 5. aliter sentire videtur: sic enim scribit: Stoïcorum autem mos est naturam vocare qua stirpes reguntur; animam verò, qua animalia; vtriusque verò substantiam ingenitum spiritum statuunt, differréque inter se qualitate arbitrantur, esseque sicciorem animæ spiritum, humidiorem autem naturæ. Sed & his respondetur esse spiritum ingenitum naturam stirpibus, plantisque viventibus, & animam animalibus irrationalibus, cùm tantùm actiones sint suppositorum, vt ait Aristoteles, id est compositorum, vel totius compositi, & non solùm causæ agentis; ideo hic Gal. & alibi naturam statuit in dictis tribus substantiis, quamvis sæpè etiam dicat ingenitum spiritum esse naturam nostram, & cui potissimùm debentur omnes corporis operationes.

60 Tertiò dubitatur hîc an spiritus conserventur aere attracto per inspirationem & transpirationem, vt ait Gal. in Textu: cùm ipse *lib. de vtilitate respirationis, cap.* 5. scribat nutritionem spiritus partim fieri ex sanguinis evaporatione, partim verò per narium inspirationem. Respondetur etiam huic dubio breviter, & dicimus spiritus conservari aere attracto per nares, sive per inspirationem & transpirationem totius corporis, sed potissimùm per inspirationem quæ fit per os & nares: cùm enim spiritus vitales in sinistro cordis ventriculo potissimùm generentur, & animales in ventriculis cerebri; hinc fit consequenter quòd sive spiritus vitales sint, sive animales, potissimùm per aërem inspiratum conserventur & nutriantur, vt ait Gal. *loco citato*: aër enim qui per os vel nares inspiratur, & multus est, & longè promptiùs, atque faciliùs accedit ad loca dicta vbi generantur spiritus, quàm aër qui per poros corporis, & per transpirationem attrahitur; & consequenter spirituum omnium conservatio potissimùm per inspiratum aërem comparatur: duo sunt siquidem externa fomenta, quibus spiritus maximè recreantur & custodiuntur, vel regenerantur, scilicet aër purus ac luminosus, & odores suaves multùm benè olentes, quorum vterque per os, & nares inspirati citò & facilè corpus ingrediuntur, & ad cordis ac cerebri ventriculos perveniunt, cùm viæ sint latè patentes, & magis breves quàm pori qui sunt in cute & carnibus: vnde ex vini odore spiritus facilè ac multùm restaurantur, recreanturque.

61 Quartò tandem dubitatur an conservatio fiat secundùm omnes partes nostri corporis scilicet solidas & carnosas: quamvis enim Gal. in Textu docet omnes nostri corporis partes similibus conservari, non solùm solidas & carnosas, sed spirituosas: non tamen explicat omnino quomodo in singulis fiat talis conservatio, neque in omnibus est facile invenire quomodo à natura per similia conservantur, aut possunt conservari. Quare hæc nunc explicanda aggredimur. Sed vt quod agere intendimus breviter ac verè consequamur, advertendum est naturam hoc semper contendere, vt se simul & rerum species conservet; & quoniam species in individuis corruptibilibus conservari non possunt, nisi per generationem; ideo natura individua semper producere intendit, saltem dum natura potest aliquid agere; & ideo etiam natura non tantùm individua producere intendit, sed singulis dare eam perfectionem quam habere possunt, vt sic scilicet ipsa natura, & quæ sempiterna non sunt, sed corruptibilia sempiterna fiant, quomodo fieri possunt, & quantum fieri possunt: vnde & natura nostra suam humanam speciem conservare studet, in dies individua prodeuendo, & ad debitam perfectionem perducendo; ideo in singulis individuis omnes eorum partes non solùm generare, sed ad suam perfectionem perducere contendit semper; & ideo quæ partes singulis diebus secundùm numerum pereunt, vel aliqua ratione labuntur, singulis pariter diebus ea alimentis regenerantur, atque permanent secundùm speciem: non enim carnes, nedum spiritus possunt vivente animali omnes perire, sed

quæ

quæ debiliores sunt labuntur quotidie, vel in totum pereunt, sed remanent fortiores, quarum natura ex alimentis alias generat quotidie, in quibus cum illis species conservatur, & quæ pereunt restaurantur, atque homo permanet, ac conservatur.

62 Cùm igitur humanum corpus a natura conservetur per plures annos, & partes eius quotidie restauret, atque ad debitam perfectionem perducat, quæritur nunc hoc quomodo fiat? Vt respondeatur est etiam hic advertendum quòd partes nostri corporis sunt in duplici differentia, simplices scilicet & compositæ, siue similares & organicæ. Simplices, & similares dicuntur quæ in prima animalis generatione immediatè ex semine & sanguine menstruo generantur, vel in quas semen & sanguis menstruus in prima nostra generatione in primis degenerant, & transmutantur, carnes scilicet omnes, & partes solidæ; cùm enim semen & sanguis menstruus in vtero generationis gratia à natura alterantur, miscentur, & transmutantur, primùm quidem & immediatè in carnes degenerant, non solùm musculorum, sed & viscerum, vt in carnes cordis, jecoris, cerebri, pulmonum, renum, &c. sed etiam in ossa, cartilagines, ligamenta, membranas, vel tunicas, quæ dicuntur partes solidæ, quia suot magis firmæ, duræ ac fortes quàm carnes, vtpote factæ ex maiori portione seminis; vnde spermaticæ vocantur. Quare carnes omnes nostri corporis, & partes solidæ simplices, atque similares dicuntur, quia ex eis componuntur aliæ, quæ dicuntur organicæ, vel ex similaribus compositæ, vt sunt omnia nostri corporis instrumenta: ventriculus enim, cor, musculus, oculus, manus, &c. omnia ex simplicibus componuntur, ab eisque totum suum esse habent, quamvis ex instrumentis alia sint quæ ex pluribus, alia quæ ex paucioribus partibus simplicibus componuntur, vt *lib. de morborum differentiis, cap. 6.* ostendit Gal. Hæc igitur vt vera sunt, ita verum esse testificant quòd partes corporis organicæ, siue instrumentales omnes habent suum esse & perfectionem à simplicibus ex quibus constant, ac componuntur; & per consequens quando quærimus quomodo natura corpus conservat, & quomodo partes eius in dies custodit per alimenta, atque ad debitam singulas perducit perfectionem, quæstio solùm procedit de partibus simplicibus carnosis & solidis, cùm ex iis à natura perfectis aliæ instrumentales perficiantur, atque ex iis & illis totum corpus.

63 Itaque quæstio est quomodo à natura partes nostri corporis solidæ & carnosæ ex alimentis conservantur, & non solùm conservantur, sed eò vsque perficiuntur, quò magis fieri potest? Respondetur fieri totum hoc per generationem & nutritionem: cùm enim natura vt se ipsam conservet corpore indigeat in quo contineatur, & corpore, ac dictis partibus, siue substantiis, atque instrumentis, vt per ea operetur benè quantum fieri possit: hæc in causa sunt vt natura tales partes, & totum corpus non solùm generet, sed & augeat singula, atque eas perducat ad augmentum, seu perfectionem, quod possit esse maius; & per consequens omnia in causa sunt quòd natura non solùm dictas partes, atque individua semel generet, vt accidit in prima animalis generatione, sed & postea per singulos dies nutriat, & augeat vsque ad omnem, siue ad omnium debitum augmentum & perfectionem ad benè operandum omnes animalis operationes. Quare natura per quotidianas carnium generationes, & earum, ac partium nutritiones omnes conservat, atque robustas custodit: non enim vt partes solidæ in dies labuntur, aut deficiunt, sed vt ait Gal. quam semel constitutionem & partium numerum consequuntur, semper servant; & consequenter semel genitæ partes solidæ non regenerantur, quia non deficiunt vt carnes, ideoque partes solidæ per nutritiones quotidianas conservantur, & quoad possunt augentur: carnes autem facilè labuntur, vt *cap. 1.* dicebamus; & ideo vt conserventur indigent quotidiana regeneratione, nutritione & augmento, vti ipsi spiritus, etiamsi carnes non ita facilè vt spiritus exsolvantur.

Sed adhuc restat explicandum quomodo 64
dictæ partes nutriuntur & augentur, potissimùm solidæ, quæ vt tales sunt non videtur posse augeri, præsertim si verè dictum est quòd solidæ partes, quem semel modum consequuntur semper servant. Hoc igitur dubio vt respondeatur est advertendum, quòd in singulis partibus nostri corporis, & potissimùm in solidis est quædam humiditas naturalis, quæ dicitur radicalis, quia & primò genita, & ideo in ea calor naturalis, & vita à prima nostra generatione continentur taliter, vt deficiente isto humido extinguatur calor nativus, simulque sequatur mors. Hæc nativa humiditas est potissimùm seminalis & aërea, vt sæpè docet Gal. scilicet viscida & lenta per excessum, vt sic diu, multùmque duret, & sic partes viventes fortiùs vinciat, atque vniat; hæc enim humiditas est, quæ suo lentore, & visciditate non solùm suas partes substantiales vnit inter se, sed has simul cum aliis substantiis aliorum elementorum conjungit, & in vnum mixtum facit abire, siue tale mixtum sit seminale, seu spermaticum, vti est quælibet pars solida, siue sanguineum, vt sunt carnes omnes. Itaque in vna qualibet parte simplici, ac similari nostri corporis inest humidum primigenium, siue radicale aëreum, id est moderatè calidum, & per excessum humidum, viscidum & lentum in quo calorem nativum, seu naturam & vitam consistere dicimus, eo quòd partes terreas elementorum ac solidiores vnit inter se, eisque, atque earum singulis debitum figmentum, seu formationem tribuit,

vt possint operari, sintque ipsi subjectum, ac fundamentum, ne diffluat, sed diu conservetur absque exolutione, etsi sit humidum, & per consequens ex se fluidum, & necessariò dissipabile, atque caducum: hoc etiam humidum radicale est quod etsi partes terreas elementorum vnit, atque vel in carnes, vel in partes solidas transmutat, eas tamen non omnino duras facit, atque inflexiles reddit, ne dum ossa, sed porosas relinquit, & ita domabiles, vt distendi, contrahique si gulæ possint, vt in ipsis solidis partibus experimur: etsi enim membranæ, tunicæ fibræ, & ligamenta solidæ sint partes valde resistentes, & semper permanentes dum vita est, hoc tamen non obstante, omnes sunt facilè flexiles, & singulæ dilatantur, ac contrahuntur facilè multúmque, & ossa ipsa atque cartilagines, saltim dum sunt tenera, facilè diducuntur & dilatantur vsque ad debitum augmentum; quia scilicet humiditate vniuntur aliquâ lentâ, & non merâ siccitate.

65 Hæc cùm sic se habeant, ex eis dubio respondetur, quòd omnes partes nostri corporis conservantur & custodiuntur à natura toto vitæ tempore per quotidianas nutritiones, quæ in singulis earum fiunt ex similibus alimentis, & quòd omnes etiam solidæ per tales nutritiones non solum conservantur, sed augentur, vsque ad debitam consistentiam, & perfectam magnitudinem. Hæc verò vt clarè constent, supponimus cum Galeno 1. *de facultat. nat. cap. 5.* quòd auctio, vel augmentatio etiam solidatum partium, & ampliatio alicuius substantiæ, vel partis substantialis in longum, latum, & profundum; & quòd nutritio est eisdem partibus appositio alimenti, & conuersio in illas, sine ampliatione. Prouida igitur natura sibi consulens, & ne suum corpus dissoluatur, sed diu duret, & partes eius licet humidæ & semper fluidæ conservventur, per singulos dies nutritionem molitur, id est quotidie alimenta ingerit, concoquit, atque ad omnes corporis partes deducit, singulisque earum quod sibi simile est apponit, assimilat, & in propriam substantiam convertit, & per consequens nutrit: ingestum siquidem alimentum, atque in ventriculo & hepate receptum concoquitur, & in sanguinem, siue massam sanguinariam convertitur, & inde per venas ad omnes corporis partes discurrit, ac deducitur, sicque singulæ partes quod sibi vtile est attrahunt, & rotis ritu per totam earum substantiam spargitur, disseminaturque, scilicet per poros qui ad id cuique parti similari insunt, distribuuntur, sicque apponitur, & quasi æquali mensura adjicitur parti, quæ restat, eique assimilatur in totum; sicque denique in eam convertitur, & eam nutrit, atque conservat, id est quod amiserat restaurat, restituitque per intus-sumptionem: vnde verum est quòd corpus, & eius partes omnes per nutritionem conservantur, & restaurantur.

Non solùm verò partes nostræ per nutritionem conseruantur, sed & augentur ad vsque perfectam magnitudinem & consistentiam: nam tametsi nutritio ex se solùm sit conuersio alimenti in partem viuentem, & non dilatatio huius in longum, latum & profundum, quod est augmentum; 66
Cæterum hoc augmentum non nisi per nutritionem fit: non enim partes dilatantur, vel ampliantur in dictas dimensiones, neque verè augentur, nisi cùm verè nutriantur, & per talem nutritionem substantia quæ defluit restauratur in majori quantitate quàm esset antea, vel si non defluit, vt quæ solida est, sed permanet, augetur, non quoad numerum, sed quoad quantitatem, vt *suprà cap. 1.* dicebat Galenus. Quæ enim partes verè solidæ sunt, non diffluunt, nec deficiunt post generationem, nisi deficiente calore natiuo corrumpantur, & putredine pereant, sed quem semel modum cõsequuntur, semper servant, vel quas semel partes adquirunt, easdem semper numero servant, vtpote solidæ, & vt terra semper permanentes: hæc tamen quamvis sic se habeant, non ideo non nutriuntur, neque augeri desinunt, sed nutriuntur quidem, & augentur quamdiu teneres, & quamdiu tales partes supradicta abundant natiua humiditate aërea, viscida, primigenia: quamdiu enim partes hæ abundant humiditate, etsi solidæ sint, facilè deduci possunt, & facilè possunt dilatari & contrahi; & dum sic se habent possunt nutriri, & augeri: nutriri quidem per alimenti intus-sumptionem per poros, & in carnis conuersionem: augeri verò dilatatis particulis humidis in longum, latum & profundum; & ideo partes solidæ quamuis non dissolvantur, vt carnosæ augescunt tamen, non solùm in pueritia, sed in adolescentia vsque ad juventutem, siue vsque ad 25. annum parum, plus vt minus, quia cùm sint genitæ ex multa portione seminis, quod est humidissimum dicta humiditate, vsque ad dictum tempus abundant dicta humiditate, & per consequens possunt dilatari, & verè augeri per nutritionem: vnde qui crescunt, ait Hippocrates, plurimum habent calidi innati, siue dicti humidi; & ideo plurimo egent alimento, quia qui crescunt non modo conservant primam soliditatem, vel primas substantias, sed etiam eas augent replendo inanitates, vel porositates earum; quæ repletio per nutritionem fit, scilicet diductis ac dilatatis prius partibus in trinam dictam dimensionem, & postea abundantia alimenti repletis: post 25. annum partes solidæ non augescunt, quia jam in eis deficit abundans humiditas ad augmentum necessaria: nutriuntur tamen vsque ad extremum vitæ, siue vsque quo pori eorum dilatari possunt ad insumendum alimentum, idest, vsque quo ad extremam siccitatem non deveniunt: nam quæ sic siccantur, amplius non nutriuntur, sed & arescunt, & ex defectu alimenti pereunt, vt in marasmo Philippi experimur, & in arboribus quæ siccantur.

CAPVT



CAPVT IV.

In quo vt viam præstet Galenus curandis febribus putridis, differentias & causas explicat earum.

67 

PRÆMISSIS generalibus indicationibus, quæ in curatione febrium putridarum inveniuntur, debentque à medio explicari, adverti, ac conservari, incipit in *hoc quarto capite* Galenus ad particularia descendere, sive explicare quæ in febribus putridis peculiariter insunt, conferuntque ad rationalem ipsarum curationem inveniendam & faciendam: atque cùm putredo sit quod putridis febribus peculiari ratione inest, de putredine febrium putridarum jam agere incipit Galenus, affertque in *præsenti capite* magis generales putredinis differentias, & causas à quibus oritur: Vt causas autem afferat Galenus putredinis, easque faciliùs explicet, præmisit quæ sunt ea quæ præ aliis promptius, atque faciliùs putrescunt: & tandem curationem insinuat: vnde caput præsens in quatuor distinguitur partes.

TEXTVS.

Ergo ab his iam methodis agendum exercitemur, &c.

68 DEmonstraturus est Galenus in *præsenti capite*, vt titulus dicit, qua methodo vel via curanda est febris putrida; atque vt hoc doceat, agit prius de casibus & differentiis putredinis; & bene quidem: nam vera curatio, vt sæpè dictum est, est causarum remotio; & tot sunt curandi rationes, quot sunt morborum ideæ, seu differentiæ, vt iis eisdem verbis testatur ipse Gal. *lib. 2. huius operis, capite sexto.* Quare in *hac prima capitis parte* differentias affert putredinis, quæ à loco desumuntur, vbi putrescunt humores, vel possunt putrescere. Scribit igitur quòd putredo humorum vel est æqualiter in omnibus corporum vasis, vel in maximis, maximéque principalibus, quæ sunt inter inguina & alas, sive intra cavitatem naturalem & vitalem, quæ sunt inter crura & brachia, vel inter inguina & humeros, atque claviculas; vel solùm est putredo in vna aliqua corporis particula, quia in ea vel phlegmone affecta, vel inflammata putrescit humor, vel citra inflammationem, veluti in foco quodam accenditur, & febrem excitat: possunt siquidem humores in hoc vel illo loco inculcati, & non satis ventilati putrescere & febrem putridam excitare, etsi nulla in partibus sit inflammatio; & per consequens verum est quòd putredo potest esse vel in toto corpore, vel in vna sola parte.

Cùm itaque putrida febris alia sit, ait Gal. ex humorum putredine in toto corpore, vel saltem in maximis eius vasis, & alia in vna sola particula, primùm eam tractandam proponemus quæ vel in omnibus vasis, vel in maximis consistit, cùm hæc habeat focum putredinis in toto corpore, vel saltem in maxima eius parte, & in maximis vasis, & per consequens ex hac parte sit ista febris longè major, vel magis gravis, quàm quæ solùm habet putredinis focum in vna tantùm corporis particula. 69
Hic etiam advertit Galenus quòd febris quæ oritur ex putredine in omnibus, vel maximis corporis vasis est febris continens, sive continua, quæ nullas habet accessiones, aut sensibiles repetitiones, vel exacerbationes; sed à principio vsque ad suum finem vnica clauditur accessione, quia vt dicebamus *lib. nono*, fiunt febrium accessiones fluentibus humoribus ad focum, qui in dictis febribus non fluunt, neque fluere possunt, cùm non detur locus à quo fluere possit, sed omnia vasa sint jam repleta, & humore infarta, ita vt neque alium de nouo possint recipere, neque quem habent à se mittere propter eius concretionem ab infartu in vasis contractam: vnde cùm hæc febris ita conclusa sit, & plenitudine humoris stipata, fieri non poterit, ait, vt ea sanetur, nisi inhibita eius putredo sit; neque hæc inhiberi poterit manente causa: quare in curatione febris putridæ continentis causa putredinis quà per omnia vasa æqualiter diffunditur, prius est removenda, seu auferenda, vt sic putredo extinguatur, quæ est prior & immediata causa febris; & hoc posito, mox post causæ & putredinis ablationem febris sanari debebit: nam prius vnamquamque oportet abscindere causam, ait ipse Gal. *in arte medicinali, capite 89.* deinde ad eam quæ facta est in corpore dyscrasiam, sive intemperiem, est deveniendum. 70

Itaque vt peculiarem febrium putridarum curationem insinuet nunc Gal. & in sequentibus absoluat, dividit hic febres putridas aliter, atque in aliis multis locis diuisit, scilicet *in libris de differentiis febrium, 6. epid.* & alibi passim: dividit siquidem Gal. in his locis febres putridas in continuas & intermittentes primùm; deinde continuas subdividit in incontinentes, & eas quæ etsi continuæ sint, repetunt per circuitus, & sensibiles habent accensiones: similiter intermittentes subdividit in tertianas, quartanas, vel quotidianas, ob diversitatem humorum, scilicet biliosi, melancholici, aut pituitosi:

pituitosi, à quibus putrescentibus excitantur: at autem licet ista sic se habeant, nunc tamen Galenus febris putridæ differentia multo aliter affert, & dictis prætermissis, eas solùm affert, quæ à putredine desumuntur; scilicet, quia hinc potius, quàm ex illis sumptis differentiis sumuntur variæ curandi rationes in febribus putridis. Sumit autem hic Galenus à putredine differentias, quæ variant curationem febrium putridarum, non quidem quæ à putredine, vt putredo est, desumuntur: nam putredo est cognitionis causa in omnibus febribus putridis: & ideo communem præbet indicationem, & non diversam in his febribus: cùm enim in omnibus putredo sit mutatio totius substantiæ corporis putrescentis ad corruptelam à calore extraneo, vt latiùs *capite* 8. sumus explicaturi; idcirco putredo in omnibus putridis sui ablationem indicabit, & non aliud, vt parum anteà cum Galeno insinuavimus: quare differentias putredinis, quæ variam curationem, non desumit hic Galenus ex putredine, vt putredo est, sed quæ desumuntur ex putredine in diversis locis, quæque ob id variæ sunt, variamque indicant curationem, vt tetigimus etiam, & infra latiùs videbimus: non enim
71 omnia in omnibus sunt repetenda, sed singula in propriis locis tradenda.

Itaque putredo in putridis febribus, ait Gal. vel est in omnibus vasis, aut maximis, vel in vna tantum parte: vbi est notandum quòd appellat vasa magna, quæ sunt intra inguina & alas, vel quæ sunt ab inguinibus ad clauiculas juxta collum, scilicet in cavitatibus naturali & vitali; non quidem, quia omnia vasa quæ ibi sunt situata, sint maxima, sed quia ibi sunt majora vasa quàm in reliquo corpore; & ibi sunt vena cava, & arteria magna, ista à corde, ab hepate illa; ambæ sursum & deorsum discurrentes ad claviculas, vsque & inguina, quæ quidem maxima sunt in toto dicto corporis spatio, & maiores multò quàm aliæ totius corporis; & ideo cùm putredo, inquit Gal. æqualiter diffunditur in omnibus his vasis, quæ sunt intra inguina & alas, febrem excitat continentem, sive synocham, vnamque solam habentem accessionem à principio vsque ad finem, non aliter atque febris, quæ focum habet in omnibus vasis totius corporis. Quod sanè est verissimum: nam non solùm cùm putredo est æqualiter diffusa in omnibus corporis vasis, vel in maximis, quæ sunt inter inguina & alas, facit febres synochas, continentes, & sine exacerbatione aliqua, vel sensibili accessione; verùm etiam cùm putredo est in omnibus vasis alicuius partis principalis earum, quæ sunt in dicto spatio, sive in cavitate vitali, aut naturali, vt sæpè docet experientia: nam experimur quidem multoties quòd si omnia vteri vasa replentur, & humor replens est vitiosus ac putrefit, vt accidit in puerperiis, cùm non rectè expurgantur, sed supprimuntur excrementa vitiosa, quæ debebant post ortum fœtum expurgari; experimur, inquam, quòd in his casibus excitantur in puerperis non solùm febres putridæ, sed & continentes quæque nullas habent accessiones, neque sensibiles repetitiones, quod ex eo provenit, quia etsi in his casibus putredo non est in omnibus vasis quæ sunt inter inguina & alas, tamen est in omnibus, quæ sunt in vtero; quæ cùm sint multa, multumque repleta pravis excrementis & putridis, febrem generant putridam continentem, & non per accessiones, vel alios circuitus repetentem; quia tunc non datur humoris fluxus aut refluxus ad focum, vt requiritur ad hoc, vt fiat accessio, aut sensibilis repetitio in febribus: non enim tunc datur talis fluxus, neque potest dari, cùm vasa repleta amplius capere nequeant, neque quod in se continent possunt mittere à se propter concretionem humoris in parte ob multam repletionem, & quòd hoc sit ita, ostendit sanatio: nam experimur etiam quòd factis debitis evacuationibus in dictis casibus, vel cessat febris, vel saltem desinit esse continens, & transit in continuam, cum manifestis accessionibus, aut repetitionibus, quia scilicet tunc ex factis vacuationibus vteri plenitudo jam ita est deposita, aut minor reddita, vt vasa possint tum mittere à se quod continent, tum novam fluxionem capere.

Quod in puerperis experimur ex suppressione purgationis, experimur similiter in 72
multis aliis febribus putridis quæ fiunt non solùm in venis hepatis, sed & pulmonis, vel lienis, si quæ in eis accidunt cautè advertimus: videmus enim multoties quòd dantur febres putridæ, magnæ quidem, ac permanentes, quæ ortum ducunt à putredine in dictis locis, vt constat ex propriis signis; & tamen non repetunt per circuitus, neque sensibilem aliquam habent accessionem, saltem in principiis, & antequam vacuantur; quia scilicet tales febres fiunt repletis nimis omnibus venis, quæ sunt in dictis partibus; & taliter quidem, vt amplius recipere aliquid nequeant, neque à se mittere quod continent, neque ventilare, aut conservare ne putrescat, sed continuò putrefit, sicque continuam excitat febrem, non modò continuam, sed conclusam, aut continentem, & sine repetitione aliqua ob dictas causas. Quòd verò dentur dictæ febres in dictis locis, est certum, si eis attendimus: nam non solùm videmus quòd infartti multi humores vitiosi & calidi in venis hepatis putrefiunt, & tales generant febres, sed similiter videmus in multis distillationibus ad pectus & pulmones, quòd infartis pravis illis humoribus in venis, arteriis & bronchiis pulmonis fiunt putridæ febres continentes, pravæ, & suffocantes valdè; scilicet ob easdem causas, atque rationes: imo in liene, mesenterio,

aut

aut hypochondriis ſimiles interdum videmus fieri febres: quare omnes docent quòd febres continentes poſſunt oriri non ſolùm ex putredine humorum in omnibus corporis vaſis, aut in maximis. quæ ſunt inter inguina & alas, verùm etiam ex putredine humorum in vaſis vnius partis particularis, earum, quæ ſunt in illis cavitatibus, ſi ſunt alicuius dignitatis: vnde ſi aliqua ſit febris continua, quæ acceſſiones habeat; has ideo habet, quia focus putredinis, vel pars affecta, & eius vaſa nõ ſunt ita repleta, vt in continẽtibus, ſed taliter quòd poſſunt deponere, quod in ſe continent, & venientem aliquam fluxionem recipere: ſic enim in continuis fiunt acceſſiones, & in intermittentibus febribus repetitiones.

73 Tandem notandum eſt hîc quòd quando dicit Gal. & nos cum illo, continentes febres habere focum in omnibus venis, eſſeque in eis, atque in maximis vaſis magnam humorum repletionem, vel tantam, vt amplius nequeant aliquid recipere, neque à ſe deponere quod receperint; hoc non eſt ita intelligendum, quòd dicta vaſa in his febribus ſint omnino repleta, neque cavitates eorum omnino claudantur; ſic enim ſi fieret, intercip eretur, vel ceſſaret tranſpiratio humorum per corpus, & ventilatio nativi caloris; ac per conſequens ſuffocaretur, vel omnino extingueretur, vt accidit in iis qui de repente concidunt ſine ſenſu & motu, & in iis qui de repente moriuntur: fieri enim aliquem ſine voce, vel obſtupeſcere, venarum interceptiones in cauſa ſunt, ait Hippocrates 4. *de rat. vict.* 23. id eſt venarum repletiones omnimodæ in cauſa ſunt, vt explicat Gal. non ſolùm *in eo commentario, ſed & libro de cauſ. morb. c.* 3. & ideo in his caſibus venam baſilicam dextri lateris, id eſt, iecorariam ſcindere oportet, & ſanguinem fundere quantum vires ferre poſſint, concludit Hippocrates, vt ſic æger à pernicie illa & ſumma repletione liberetur, ſi fieri poſſit. Quare cùm Gal. & nos dicimus quòd in febribus ſynochis, aut continentibus humores ſunt æqualiter diffuſi in omnibus vaſis, eaque replent valde, non intelligimus ſic vt ideo nativi caloris tranſpiratio, aut ventilatio omnino intercipiatur, neque humorum motus omnino ceſſet; ſed quod præ nimia repletione liberè non ventilantur, neque ita tranſpirant, vt refrigerentur, vel in ſua nativa temperie conſerventur, ſed è contra igneſcunt, putrefiunt, ac corrumpuntur, febremque generant putridam continentem ex defectu ventilationis, vel quia ita ſi multi humores in vaſis, vt nequeant ſatis, atque vt oportebat ventilari, neq; liberè trãſpirare, vel diſcurrere, per dicta vaſa, & totum corpus.

TEXTVS.

Ergo quæ cauſa putredinis eſt, quæ, &c.

74 HÆc eſt ſecunda capitis pars, in qua Gal. :a corpora putreſieri docet, quæ cùm ſint calida, & humida, & in calidis, ac humidis locis continentur, difficilè ventilantur: hæc verò vt demõſtret, ſcribit in hunc quaſi modum. Ergo quæ cauſa putredinis eſt, quæ per omnia vaſa æquabiliter diffunditur, prius eſt inquirendum, atq; videndum: deinde cur pari modo in omnibus aliis partib⁹ fiat. Quaſi dicat: cũ ſtatutũ ſit quòd putredo in febribus putridis cõtinẽtibus eſt ęqualiter in omnibus vaſis: ex hoc duo veniunt inquirẽda, & oſtendenda; primum eſt, quæ eſt cauſa, à qua putreſcunt humores in omnibus vaſis; ſecundũ, cur pariter in omnibus animalis partibus, vel vaſis oritur talis putredo; & ideo nunc examinauimus primum, & poſtea in ſequenti capitis parte ſecundũ dilucidabimus. Vt videamus igitur nunc quæ eſt cauſa putredinis quæ per omnia vaſa diffunditur, ait Gal. revocare in memoriam debemus, quæ de cauſa putredinis in aliis locis ſunt indicata, & quod dictum eſt vbi morborũ cauſas reddidimus illa putreſcere corpora, quæ cùm calida & humida ſint in calido & humido, loco manent, neque ventilata, neque difflata, id eſt non agitantur, aut moventur, neque tranſpirant: ſi enim in motu ſint, vẽtilanturque, atq; tranſpirant, non putreſcunt, ſed imputrida, ſanaque ſervantur. Quæ cùm ſic ſe habeant, dicunt conſequenter cauſam putredinis eſſe prohibitam ventilationẽ; & quod humores in febribus putridis; etſi in omnibus vaſis putreſcant, non putreſcunt præcisè, quia natura ſua ſunt calidi & humidi, & in calidis ac humidis locis continentur, nempe in dictis vaſis; ſed quia in eis manent, neque perflati, neque ventilati: etſi enim humores noſtri corporis calidi, humidique ſint, atque in calidis, ac humidis vaſis contineantur, ſi tamen ſua ipſorum natura reguntur, non putreſcunt, ſed conſervantur, & liberati à putredine ſemper per vaſa fluunt, atque diſcurrunt ad nutriendas, ac conſervandas omnes viventes corporis partes, vt experimur toto vitæ tempore non ſolùm in animalibus, ſed in ſtirpibus, vel plantis: quare cauſa putredinis in febribus putridis, & in continentibus, in quibus putredo eſt in omnibus vaſis, vna eſt, ac eadem, ſcilicet prohibita caloris nativi humorũ ventilatio, & tranſpiratio libera.

Quòd verò humores à natura regulati 75
non putreſcant, & quòd per ventilationem regulentur, ac conſerventur ab illa, conſtat, inquit Gal. in animalibus ex pulſu, reſpiratione, & tranſpiratione, & in plantis ex illis earum congenitis motibus, quibus ſuperflua excernunt: vidimus enim, ait in *libris de vtilitate reſpirationis*, quanta ſit tum reſpirationis, tum pulſus vtilitas ad perflatũ, ſive tranſpirationem & ventilationem corporis, atque ad eius nativum calorem tunc dum illæ ſunt: ſimiliter in libris *de naturalibus facultatibus* oſtendimus eſſe in ſtirpibus ac plantis vti in animalib. naturales facultates quibus reguntur, ac conſervantur, & ab initio congenitos habere motus, quibus ſuperflua excernunt, & per conſequens tranſpirant,

transpirant, ac ventilantur: vti enim animalia pulsu, respiratione, & transpiratione vivūt ac conservantur, & calor eorum nativus, atq; humores ventilantur, & transpirāt continuò: nam respiratio, & transpiratio in animalibus non solùm aërem attrahunt ad generandos spiritus, eorumque calorem immodicum temperandum, sed simul etiam ventilare, & transpirare faciunt, atque discurrere per totum corpus dictum calorem nativum, atque humores, & eorum expurgant excrementa fumosa, quæ per alias vias aliorum excrementorum non exeunt: vti, inquam, alia per respirationem, & pulsus sensibiliter ventilantur, transpirant, ac conservantur; ita plantæ, atque stirpes per illos congenitos motus, quibus ab excrementis expurgantur: quæ cùm ita sint, sequitur inde, concludit Gal. vt si quod vel in plantis, vel in animalibus manifestè videtur putrescere, hinc pariter intelligamus dictas transpirationes esse impeditas; atque ideo prohibita transpiratio & ventilatio impedita erit vnica causa putredinis, etsi putredo fit in omnibus vasis.

76 Sed dubitabis quomodo hìc Galenus solùm affert prohibitam ventilationem, & transpirationem putredinis humorum, & febrium putridarum causam. Sic ipse *libro de causis morborum, capite octavo* demonstravit causam putredinis esse medicamenta putrefacientia, excrementa in ipso animali genita, & ea quæ transpirationem impediunt. Respondetur esse verum quòd putredo potest fieri à tribus dictis causis diversis; & per consequens à qualibet ipsarum poterunt humores in nobis putrescere; at quamquam ista sic se habeant, nunc tamen quia solùm de putredine agit, quæ est causa febris putridæ, vt vidimus primam capitis partem explicantes; ideo solùm hic affert impeditam transpirationem causam putredinis: vt pote quia hæc est à qua humores putrescunt in febribus: etsi enim humores in venis putrescant à medicamentis putrefacientibus, & à putridis excrementis ibi genitis, aut contentis, non tamen ideo febrem exeitant putridam, nisi etiam ex dictorum redundantia, vel ab alia

77 causa, de quibus statim agemus, detur prohibita ventilatio, & impeditus liber transitus humorum, vel excrementorum, quæ in vasis continentur.

Hìc etiam dubitabis, quomodo nunc Galenus dicit illa tantùm putrescere corpora quæ sunt calida & humida, si alibi docet posse putrescere quæcumque sunt actu humida? Et quidem ita fieri experimur in febribus quotidianis & quartanis, quarum vtraque fit ab humore frigido, præsertim quotidiana, quæ fit à pituita frigidissima, qualis est febris hepiala, vel quæ fit à pituita vitrea, quæ adhuc in ipsis febricitantibus frigidissima persentitur. Respondetur esse verum posse putrescere quæ sua natura sunt humida & frigida, si à calore extraneo præter naturam incalescunt, vt experimur in dicta febre hepiala: hæc tamen non obstant ad asserendum, vt nunc asserit Galenus, quæ sunt calida & humida tantùm putrescere, cùm non ventilantur: sensus enim genuinus & verus Galeni in præsenti loco talis est: quamvis corpora calida & humida sint ad putrescendum paratissima omnium potissimum, si sint in calidis & humidis locis, vti sunt humores nostri corporis, qui in venis continentur maximis, atque profundis, quales inter inguina & alas existunt: quamvis inquam, hæc sic se habeant, tamen neque sic disposita corpora putrescere possunt in nobis, nisi in vasis maneant immota, vel saltem liberè non transpirent, neque ventilentur: si enim talia corpora à suo naturali motu non desistunt, sed in motu ventilantur, & transpirant, etsi ad putrescendum sunt paratissima, nullatenus tamen putrescunt, sed conservantur, scilicet à natura: quare si putrescunt tantùm, quia non ventilantur, & quia deficiente ventilatione à natura nequeunt conservari, aut gubernari, vtpote quæ per illos motus sua corpora & humores præservat à putredine: sunt qui hunc 78 nodum aliter solvunt, mea tamen sententia verus ac genuinus verborum Galeni est explicatus sensus.

Sed cur putrescunt corpora, & humores quæ liberè non transpirant, & immota remanent, vel satis non moventur: sive enim animalia sint, sive plantæ, si perspiratu careant, vt *libro de inæquali intemperie* ait Galenus, celeriter putrescunt, quod idem alibi sæpe repetit. Quare videamus modò cur putrescunt corpora quæ satis non transpirant, neque ventilantur? Vt rectè respondeatur, est advertendum id quod Galenus advertit *tertio Epidemiorum, parte tertia, commentario primo*, his verbis: Solent, inquit, homines vestes continentes virgis contundere, ne à tineis erodantur, præsertim si calidus & humidus sit aër; sic quoque carnes, & similia, quæ à putredine vendicare volumus, aëri exponimus, vt ventilentur, & expurgentur excrementa: condimus quoque carnes muria & aceto, vt absumatur humiditas ipsarum excrementitia, & claudantur pori, ne facilè calor nativus expiret, neque externus ad interna facilè penetret. Quasi dicat Galenus: Ratio propter quam putrescunt res si non ventilantur, est quia non expurgantur humiditates excrementitiæ, quæ in illis continentur: sive enim res viventes sint, vt plantæ, & alia, sive non vivant, vt vestes, & carnes quæ pro alimento conservantur, indigent excrementorum expulsione, vel humiditatis excrementitiæ, quæ in eis est, exsiccatione, atque ablatione, vt à putredine liberentur; quia scilicet ab hac excrementitia, atque putredinali humiditate putrescunt res, si in ipsis detinetur, etiam si res mortuæ sint, vt carnes & vestes.

Hæc

Hæc igitur cùm sic se habeant, indicant consequenter quòd si plantæ, & humores putrescunt non ventilati, putrescunt quidē quia non expurgantur humiditate excrementitia, quæ in ipsis continetur; & consequenter ideo si ventilantur sufficienter, atque transpirant, non putrescunt, sed conservantur, quia per tales motus dicta expurgant excrementa putredinalia, sive corruptiva plantarum, atque humorum: vnde Gal. supra *lib. 3. cap.* 8. stirpes inquit, quoque quatuor habent facultates naturales cum animalibus cōmunes quibus gubernantur: si enim dictas exercent actiones, ita vt rectè concoquant, rectéque excernant sua excrementa, sic quidem ventilantur, & sine putredine conservantur, quia sic expurgant humiditates excrementitias, quibus detentis poterant putrescere. Similiter, si animalia, & eorum humores per transpirationem corporis & ventilationem liberantur à putredine, ideo est, quia per hos motus, & naturales illas dictas operationes liberantur, sive expurgantur ab excrementis putredinalibus, quibus detentis poterant putrefieri. Indigent autem animalia vt ventilentur, ac conserventur, non solùm, vt plantæ, facultatibus naturalibus, sed etiam aliis motibus ventilationis & transpirationis, quia animalium calor nativus est maximus, & plantarum exiguus: vt enim calor nativus est paucus in plantis, ita sufficienter ventilatur, & à putredine liberatur per naturales actiones: at verò calor nativus animalium cùm sit maximus, potissimùm in corde & arteriis, idcirco indiget non tam facultatibus naturalibus vt conservetur, ac ventiletur, sed insuper, ac potissimùm respiratione ac transpiratione, vt penès hos motus agitatus ventiletur, ac transpiret, suaque sic fuliginosa, putredinosa, atque corruptibilia expurget excrementa, ne ab eis detentis ignescat, sive in febrem accendatur, & humores putrescant, aut corrumpantur.

TEXTVS.

At verò quid fieri potest vt illa per totum animal, &c.

80 HÆc est tertia capitis pars, in qua Gal. explicat causas particulares à quibus humores putrescunt in omnibus vasis, aut maximis corporis, faciūtq; sic febres putridas cōtinētes: etsi enim in *sup. 2. cap. parte* demōstrata manet eorū causa putredinis humorū, & febrium putridarum in omnibus vasis, scil. defectus ventilationis, & debitæ transpirationis humorū, atque caloris nativi: non tamen inde cōstat cur humores, & calor nativus obstruūtur in toto corpore; neque inde colliguntur causæ particulares, à quibus humores in omnibus corporis vasis obstruuntur, vel debita ventilatione privantur, & huius defectu putrescunt, faciuntq; febrē putridā continentē; & ideo hæc sunt quæ *in præsenti 3. cap. parte* Gal. explicat, vt his traditis tandem in *vltima cap. particula* curatiunē indicet, ac demōstret. Scribit igitur sic. At verò quid fieri potest, vt illæ scil. prohibita debita ventilatio & transpiratio per totum animal sistantur, nisi vel finibus vasorū stipatis, vel tota cute. Quasi dicat apertè, vt causa cōmunis putredinis humorum & febrium putridarum, quæ habent focum putredinis in omnibus vasis scil. continentes, est prohibita libera ventilatio & trāspiratio humorū, & caloris nativi, qui sunt in venis; ita causa propter quā dicti humores, & calor eorū nativus liberè non ventilantur in venis, neque vt convenit transpirant per habitū corporis, ac per omnes corporis partes est obstructio vasorum in finibus ipsorū, vel stipatio in tota cute. Quasi etiā dicat: calor nativus nostri corporis, & humor qui sunt in venis, atq; arteriis ventilantur, ac conservantur per inspirationē, expirationēque, quæ per os, ac nares semper fiunt, & per transpirationem quæ fit per totā cutim, vel per totū corporis habitum; atq; proinde si vel libera respiratio impeditur, vel transpiratio corporis consequenter impeditur ventilatio & transpiratio debita humorum, & caloris nativi, qui sunt in nostro corpore, atque in vasis eius: vnde etiā sequitur, ait Gal. quòd si vel tota cutis stipatur, aut dēsatur prçter naturam, vel fines vasorum obstruuntur, impeditur sic libera vētilatio & transpiratio dictorum humorū, putrescunt, ac febrem generant continentem; quia scil. deficit tunc ventilatio & trāspiratio quæ fit per corporis habitum, ex cuius defectu humores putrescunt in omnibus vasis; licet respiratio libera sit.

Itaque in Gal. doctrina, vt febres fiant continentes, & putredo humorum æqualiter diffundatur per omnia corporis vasa, non requiritur quòd obstructio & impedimentū ventilationis liberæ, ac transpirationis fit in omnibus cavitatibus vasorum, sed sat est sit in finibus ipsorum vasorum, vel in tota, ac sola cute; quia scilicet ventilatio vasorum omnium quæ sunt in corpore, & humorum, atque caloris nativi, qui continentur in illis, potissimùm fit per transpirationē, quæ fit per cutē & corporis habitum, atq; per extremitates venarum, arteriarumque quæ sub cute terminantur: et si enim respiratio etiam aliquid conferat ad id, potissimùm tamen ad ventilandum, expurgādumque calorem nativum, qui est in corde, & ad spiritus vitales, qui sunt ibi, & animales qui sunt in cerebro regenerādos à natura fuit institutaː vnde provenit vt dicat Gal. fieri febres putridas continētes, vel finibus vasorum obstructis, vel cute constipata. Sed quçres hîc & dices sic: Supponamus quòd fiunt febres putridæ continentes, & putredo humorum diffunditur per omnia corporis vasa ex sola privata debita vētilatione, ac trāspiratione cutis, & finium vasorum qui sunt in habitu corporis, ac sub cute. Hoc supposito, & ex demōstratis certum posito, quæro nunc, cur vna cū his causis prohibitç ventilationis in omnibus vasis, vel maximis, quæ sunt inter inguina, & alas, non affert etiam Gal. obstructionem in omnibus cavitatibus vasorum, sed solùm in finibus earum, præsertim si putredo, vt nunc ait, per omnia vasa se çqualiter diffundit? Respondetur solùm afferre Gal. cutis constipationem, & obstructionem finium vasorum causas 81

Oo putredinis

putredinis in omnibus vasis, & febrium continentium; non quidem quod non possint obstrui vasa secundum suas magnas cauitates; sed quia ad has obstructiones potius alia maiora sequuntur mala, quam febres synochi, aut continentes: cum enim omnia vasa implentur, vel maxima, quæ sunt intra inguina, & alas, & ex repletione cauitatis eorum obstruuntur, vel transitus humorum, atque caloris natiui per illas impeditur; nam in hoc consistit obstructio; tunc fiunt vasorum interceptiones, siue occlusiones, vt ait Hippocrates I V. de ratione victus supra citato; & tunc potius refrigerantur corpora ac febres cessant, quam accenduntur scilicet ob stationes humorum, & spirituũ ait Hippocrates siue quia tunc suffocatur calor natiuus, & spiritus ob stationem, naturales nequeũt pertransire meatus; quod non accidit cum obstructio solum est in finibus vasorum, sed discurrunt per interiores, ac maiores cauitates, & quod hæc sint vera inde cognoscitur, vt si contingit externam dictam obstructionem, & humores obstruentes intro recurrere, firmarique in aliqua parte principe, statim sequitur mors, vel saltim syncopes, vel animi deliquium; scilicet quia ex tali recursu humores ad interiora sequitur obstructio in magnis vasis & inde suffocatio caloris natiui, & interceptio spirituum, siue transitus eorum ad exteriora.

82 Cum igitur putridæ febres continentes & putredo in omnibus vasis corporis fiant, ait Gal. ex cutis constipatione vel obstructione extremitatum vasorum, quæ sub cute terminantur, atque in habitu corporis, modo exponendæ sunt causæ, quæ valent cutem constipare, & fines vasorum obstruere, vt sic peculiares habeamus causas à quibus humores putrescunt in febris continentibus putridis, & putredo ęqualiter per omnia diffunditur vasa: quare à causis exorsus quæ fines vasorum, quæ sunt subcute in habitu corporis, scribit sic porrò accidere in finibus vasorum stipatio potest, vel ex vehementi extrinsecus refrigeratione, vel ex succorum qui ab intrinseco in ipsis confertim ruerint, crassitudine, multitudine, vel lentitie. Quasi dicat: quamuis cauitates vasorum raro à causis externis occludãtur, eo quod cauitates sunt patulæ, non vt pori insensibiles, & valde exiguæ; fines tamen vasorum, quę sub cute finiuntur, ita sunt exiles, & eorum cauitates adeo exiguæ quod non solum ab humoribus crassis multis, aut lentis ab intrinseco in ipsos irruentes possunt obstrui, & cauitates occludi; sed etiam vti pori cutis, possũt à causis extrinsecis vehemẽter refrigerantibus, vel adstringentibus stipari: & per consequens, ex sola constipatione externa oriri poterunt febres continẽtes, & putredo humorum æqualiter diffusa per omnia corporis vasa.

83 Accidit hoc illis ait & ex iis exercitationibus, quæ in palęstra, vel aliàs obeunt, & itinere laborioso, vel ambientis statu, cum ex rigore in æstum subito mutantur: nonnullis vero feruentes ex ira succi ac foras simul impetu ruentes dictas stipationes effecerunt. Quasi dicat: Quamvis cutis, & extremitates vasorum quæ sunt sub cute possunt constipari siue cauitates eorũ occludi à quibusvis causis externis vehementer refrigerantibus, vel astringentibus, vti à balneo aquæ aluminosæ, vel chalcanti, & ab ambiente multum frigido; in febribus tamen continentibus, & in corporibus paratis, ad illas, accidit quod constipentur cutis, & extremitates vasorum illorum potissimum ex eis exercitationibus, quæ in palęstra vel alias obeunt, & in itinere laborioso, vel ex eo ambientis statu cum ex rigore in æstum subitò mutantur, sanè constipari accidit corpora dicta, & cutis, & vasa eorum quæ sub cute finiuntur, potissimum à dictis causis; quia cum sint corpora plena, vel multo sanguine redundantia, vt *libro nono* videmus, fit consequenter quod si talia corpora nimis exerceantur, vt in palæstra sæpe accidit, & in itinere laborioso ex iis exercitationibus agitentur humores qui sunt in centro corporis, & venis maioribus, agitati attenuentur, & foras impetu fluant, quoad tandem ruant sic in dictas vasorum extremitates, vel extremas cauitates easque sic obstruant, & ita occludãt vt ob id impediatur corporis, & caloris natiui, libera ventilatio, & transpiratio, humores putrescant, non ibi solùm, sed in aliis cauitatibus, & febres sequantur continentes: constat quidem experientia quotidiana quod per corporis exercitationes calor, & humores reuocantur à centro ad circumferentiam: & ideo in corporibus plenis, vel quæ humoribus redundant, dictæ exercitationes si nimiæ sint, nimis pariter humores dictos citabunt ad habitum; atque ibi inculcabunt taliter, vt cauitatibus infartis, obstruant, ac transpirationem impediant. Similiter ex ambientis statu, cum ex rigore, vel frigore vehementi in æstũ subito mutatur, accidit quod dicta corpora densentur, & extremitates vasorum quæ sunt sub cute obstruantur: & ratio est, quia cum à frigore nimio, siue rigore cutis sit densata, vel constipata, postea ab excedente calore externo humores feruntur ad externa, & quidem confertim, ac impetu quodam qui cum nequeant exire foras propter cutis stipationem sub hac stagnantur obstructionemque ibi necessario pariunt cum ex ira etiam humores fervent, ab ea pariter foras impetu ruunt ad cutim vsque sicque ibi dictas vasorum stipationes, siue obstruentes efficiunt. Quare verum est quod causæ externæ traditæ sunt causæ constipationis cutis, & obstructionis vasorum quæ sunt sub cute, etiam si non per se & immediate tales causent obstructiones, sed per accidens, atque ex affluxu dictorum humorum. His positis, veniebat ostendendum quòd humores non solùm crassi, aut viscidi, vel lenti, sed & sua multitudine possunt obstruere dicta vasa, & porositates quæ sunt in cute; at quia hæc sunt satis notata, & alibi demonstrata, ideo Gal. de his nunc plura non affert, neque nos quidquam aliud dicimus.

TEXTVS.

TEXTVS.

Quisquis propositam sanaturus est febrem, &c.

84 HÆc est quarta & vltima capitis pars, in qua Gal. communem rationem curandi febres materiales affert, posito exemplo in febre synocha, de qua *in hoc cap.* agit peculiariter: quia enim ab vniversalibus ad particularia procedere oportet in curatione febris putridæ, vt in qualibet alia, vt rectè curetur, ideo hìc curationem affert Gal. communem febris putridæ, scilicet quatenus febris est materialis, sive à materia dependens, vt postea ad particulares descendat differentias: infra siquidē diligenter explicaturus est Gal. particulares putredinis humorum, ac febriū putridarum differentias, & pariter peculiares ipsarum curationes accuratissimè est traditurus. Hìc igitur communem rationem curādi febres putridas & materiales tradens, scribit in hunc modum. Quisquis igitur propositam sanaturus est febrem, hic simul causam ejus adimat oportet, simulqoe calorem qui in animali ab ea excitatus est refrigeret; quasi dicat: Vti ex febribus aliquæ sunt sine causa, & aliæ cum ea, atque ab ea pendentes in fieri & conservari; ita quæ à causa dependent, curantur per ablationem causæ simul, & caloris qoi ab ea est genitus: bonum enim ex integra causa, malum verò ex quocumq; defectu: quare qui propositam curaturus est febrem, scilicet putridam continentem, cùm ex illis sit febribus, quæ à causa dependent; hic quidem simul causam eius adimat oportet, simulque calorem febrilem qui ab ea exci-
85 tatus est in ægrotante debet extinguere.

Positis indicationibus quæ in curatione febris putridæ, quatenus est febris materialis, vel dependens à causa inveniuntur, accedit ad exequendas tales indicationes, docetque qua ratione ægrotus sit refrigerandus, & quomodo causa adimi oportebit. Scribi. igitur quasi in hunc modum. Scopus est, sive intentum Medici in dictis febribus & earū calorem extinguere, & causam adimere. Quare nunc, & qua ratione, quibusque remediis, vel materiis frigidis extingoatur febris videndum est, & qua ratione causa adimi poterit. Hæc igitur doo etsi modò explicanda ac demonstranda veniant, primùm quidem jam supra est dictum: nam *cap.* 2. vidimus febres extingui frigidis remediis, interdum actu, vt potu aquæ frigidæ, interdum potestate, vt lactucis, acetosa, endivia, & similibus; interdū refrigerantibus ex accidēti, scilicet sanguinis missione, aut purgatione, vel vtraque simul: quæ cùm constent ex priùs explicatis, ideo his relictis, solùm explicamus qua ratione causa potest & debet adimi. Causa igitut adimi oportebit, ait Gal. propria cuiusque naturæ inventa contrarietate, &c. id est, inveota cōtrarietate naturæ cujusq; causæ, earū quæ cutem constipant, vt vasa quæ sunt sub cute obstruunt: vt si ex frigida causa, v. g. ex frigido aëre ambiente, constipatum corpus sit rarefacto, laxatoque tali corpore curabitur, cùm rarefactio sit contraria constipationi, & consequenter calidis adhibitis corpori vnctionibus ex oleo camomelino, anethino, vel similibus, vel calidis ac humidis balneis præscriptis, corporique applicatis, ac tandem mutato ambiente aëre in calidum & humidum, sanabitur, tolleturq; talis corporis stipatio: si verò ex obstructione corpus, & ejus vasa sint stipata, reclusa, sive reserata obstructione curatur, cùm hæc sint illi contraria: vnde cùm obstructionis sint tres diversæ causæ, scilicet multitudo, &c. hìc consequenter duo Medicus attendere debet; primū scil. à qua ex tribus his causis obstroctio oritur; secundum, quænam est contrarietas, vel contraria indicatio cuiusque causæ obstructionis: si enim abundantia humorum sit causa obstructionis hos vacuare oportet, quia vacuatio contrariatur, aut opponitur repletioni; & ideo Hipp. 2. *aphor.* 22. scribit: Morbi qui à repletione fiunt curantur evacuatione, & aliorum contrarietas: si verò obstructionis causa sint humores crassi & glutinosi, tenues eos, ac fluxiles efficies, sicque obstructionē curabis, & vasa reserabis occlusa, quia tenuitas, ac fluxibilitas humorum opponantur crassitici, ac lentori eorum.

TEXTVS.

Si plures causæ aliquando coibunt omnibus, &c.

EXposita communi ratione curandi febrē putridam, quatenus materialis est, & ab obstructione pendet, vel constipatione, quia obstructionis, constipationisque plures sunt causæ, & per consequens plures & diversæ indicationes; ideo nunc, si plures causæ ex dictis, ait Gal. coibunt in vnica febre ex obstructione orta, tunc omnibus per contraria occurrēdū est: potest siquidē accidere, inquit, & quòd corpus sit coarctatum, sive constipatū, & exigui meatus, sive exiguæ cavitates finiū vasorum obstructæ, & simul subsint humores multi crassi ac lenti: quare in eiusmodi causarum, atque indicationum complexu videndum est quid faciendū, vel quomodo his omnibus satisfaciendum. Quæramus igitur nunc quid faciendum sit, ac qua recta ratione, vel methodo sit facienda curatio febris ab obstructione orta, in qua dictæ omnes reperiuntur indicationes curativæ, sive obstructionis causę. In curatione igitur dictæ febris & in supposito causarū complexu, si rectè recordamur eōrum quæ in superioribus circa subjectam materiam exposuimus. ait Gal. cœpisse curationē à sanguinis missione conveniat, atque abundantia vacuata tum ad tenuandos humores venire, tū post hoc ad remittenda quæ sunt cōstricta, & rarefacienda quę sunt densata. Quasi dicat: cū in curatione alicuius morbi multæ inueniantur indicationes adimplendæ, ex superius demonstratis debemus primum videre an tales indicationes sint omnes inter se concordes, an non, sed aliqua ratione sint inter se oppositæ; si enim inter se fuerint concordes, quamvis plores sint, omnibus simul est succurrendum, vel omnes simul sunt adimplendæ, quia omnes simul possunt fieri cum sint

concordes inter se id est tales, vt nulla aliacum executionem impediat: si vero indicationes non sunt concordes inter se, sed quod vna indicat, contrariatur ab altera, vel quod vna indicat, impeditur ab alia, in hoc casu videndum est quid ante quod agendum sit, & quid post aliud, vel quid cum quo, vt accidit in nostro casu proposito, in quo licèt non sit aliqua indicatio vrgens, vel cui propter vrgentiam eius prius debeat exequi, vel adimpleri, neque detur inter indicationes aliqua dependentia vnius ab altera, tanquam à causa à qua dependeat, tamen quia curatio constipationis cutis atque pororum corporis auget obstructionem vasorum, quæ sunt ibi, & quia humores crassi, aut lenti attenuari nequeunt, neque obstructio ab his orta potest tolli, nisi prius abundantia sit vacuata, & cesset fluxio humorum: idcirco in casu proposito ait Galenus curationem incipere debemus à sanguinis missione, atque abundantia vacuata per sanguinis missionem, secundo loco extenuandi sunt humores, concoquendi, & purgandi, vt *octavo Methodi, capite quarto* videmus, & his peractis tertio tandem, ac vltimo ad relaxanda quæ constricta fuerunt, & rarefacienda quæ fuerunt densata, deueniendum est, neque aliter cu-
87 ratio bene vnquam fieri potest.

Sed dubitatur an iste ordo seruandus sit in executione dictarum indicationum; videtur enim quod non: nam si propter aliquam rationem ante attenuationem humorum sanguis esset mittendus, & abundantia humorum vacuãda, maxime esset ne attenuati humores, & fusi, facilius fluant ad cutim, & sic augeatur obstructio, quę tamen ratio nulla est. Nam quamvis attenuati humores facilius fluant ad cutim, non ideo tamen obstructio augmentabitur, neque humores crassi obstruentes magis impingentur in loco obstructionis, cum humores attenuati ad obstructionem venientes ibi non detineantur, sed dissipentur, & foras extra cutim exhalent, scilicet propter attenuationẽ. Similiter si propter aliquam rationem ante constipationis apertionem vel rarefactionem, & ante astricti corporis relaxationem humores debent attenuari, & purgari vel euacuari, est ne ab aperientibus medicamentis ad cutim, & corporis habitum attrahantur, & attracti obstructionem augeant: sed neque hæc ratio concludit; nam eadem medicamenta, quæ poros aperiunt, atque constipationem; & aperiendo poros corporis, vel relaxando, attenuant humores, eosque ad cutim attrahunt: eadem inquam aperiendo poros, & humores attenuando, ipsos dissipant, id est non solum ad cutim attrahunt, sed extra cutim faciunt exire, & consequenter, neque apertio, vel rarefactio constipationis petit quod præcedat humorum attenuatio, neque euacuatio, vt supponebamus cum Gal. sed sine eo quod mittamus sanguinem, neque abundantiam euacuemus, poterimus humores crassos attenuare, & sine attenuatione humorum rarefacere cutem, & aperire constipationem eius.

Respondetur breuiter, & dicimus esse necessario seruandum ordinẽ supra dictum in casu supposito, & alio quolibet simili, & nullatenus nobis licere humores attenuare crassos quin pręcedat sanguinis missio, etiam si nulla sit plenitudo in corpore, vt loco supra citato *8. methodi cap. 4.* cum ipso Gal. monstrauimus; Quia si non præcedente euacuatione, & vasorum inanitione humores attenuantur irruunt attenuati ad partem affectam in tanta quantitate vt sua multitudine obstructionem augeant, & si sint attenuati: similiter neque nobis licet aperire cutis constipationem aut poros qui sunt in habitu corporis laxare ad soluendam eorum astrictionem, & excrementorum corporis expurgationẽ, nisi prius vasa corporis sint inanita per sanguinis missionẽ, vel aliam euacuationem effatu dignam, & nisi præcedat humorum qui remanent attenuatio; quia per dictã corporis, & cutis apertionem & per medicamenta aperientia attrahuntur ad cutim, & corporis habitum in tanta copia vt potius augeatur obstructio, ac constipatio quam curetur, aut minuatur: non enim medicamenta aperientia, & resoluentia semper ea quæ attrahunt, dissipant, atque resoluunt; neque eadem facilitas resoluendi, ac dissipandi, atque est attrahendi; sed solum cũ materia quæ attrahitur pauca est & tenuis attrahitur simul, ac resoluitur: quare quæ resoluunt, & attrahunt ne lædant, petunt corpus inanitum, & materias paucas beneque attenuatas. In fine capitis concludit traditam doctrinam dicens: Atque hæc quidem à morbi affectu indicatiuè sunt sumenda. Quasi dicat: indicationes dictæ omnes à morbi affectu desumũtur; & bene quidem; nam in primis euacuatio, siue sanguinis effusio, a qua curatio proposita inchoatur à multitudine indicatur, quæ est in omnibus vasis: deinde attenuatio humorum ab eorum crassitie, ac viscositate; & denique rarefactio à cutis, & pororũ corporis densitate, seu stipatione: quæ tria sunt diuersi affectus morbosi qui in proposito casu & febre continenti iuncti inueniuntur.

Dubitationes super Textum.

Quamuis in literæ textus expositione tra- 88
ditæ sint multæ dubitationes necessario explicandæ pro textus debita intelligentia: hæc tamen non obstant, vt nunc aliæ proponantur, atque diluantur, vt magis textus pateat, & eius veritas maneat magis confirmata: quare nunc dubitatur, 1. an putredo sit communis passio caloris, & frigoris, vt statuit Aristoteles *quarto metheororum, capite primo* videtur enim quod non, si bene Galenus in textu, & nos cum illo diximus calida, & humida corpora esse maxime omnium paratissima ad putredinem concipiendam; & quod magis est non solum hoc loco ita sentit Galenus sed *octauo libro superiore* agens de corporibus ad febres dispositis, & alibi sæpe, & ex natura rei, ita dicendũ cõuincitur, siquidẽ putredinis duæ sunt causæ, materialis, & efficiẽs; materialis humiditas rei putrescibilis, & efficiẽs calor extraneus qui omnino cõtrariatur frigiditati: ex quibus videtur dicẽdũ nullatenus esse putredinẽ passionẽ cõmunẽ caloris,

&

& frigoris, quamvis ita sentiat, atque statuat Aristoteles. Respondetur esse, verum quòd corpora calida & humida sunt ad putredinem concipiendam paratissima omniū; & quòd putredo est passio communis caloris & frigoris, vt dicit Aristoteles: cùm enim ex sententia Aristotelis putredo sit interitus; sive extinctio, vel frigiditas caloris nativi in vnoquoque humido à calore extraneo; hinc quidem consequenter statuit quòd putredo est passio communis caloris, & frigoris: nam sensus est quòd putredo provenit æqualiter à calore externo nativum corrumpente, & frigiditatem nativi, vel quæ oritur ex interitu caloris nativi corrupti ab extraneo: vnde communiter dicitur quòd quæ putrescunt calidiora redduntur calore extraneo, & simul frigidiora calore nativo; & quidem est verum cùm nativus calor pareat ab extraneo.

89 Dubitatur secundò, an quæ multa sunt faciliùs & promptiùs putrescant, quàm quæ sint pauca, vt in Textu videtur Galenus asserere, & ostendere: an è contra, vt Arist. docet *loc. cit.* vbi multa difficiliùs putrefieri dicit paucis, & vtitur exemplo maris: totum enim difficiliùs putrefit, quàm si in partes dividatur. Respondetur facilè quòd quæ multa sunt, putrescunt minus, quàm quæ sunt pauca, si sunt eiusdem naturæ, & quæ multa sunt sibi non impediunt ventilationem: in maiori enim quanto est maior virtus, vt communiter dicitur; & per consequens quæ multa sunt, resistunt magis causis contrariis, sive corrumpentibus: nam etsi partes vnius toti eiusdem naturæ non agant in altas aliqua sensibili alteratione, vna tantum pars conservat aliam sua similitudine; & per consequens, quæ plures sunt resistunt magis causis putrefacientibus, quàm quæ sunt paucæ, si sunt omnes eiusdem naturæ: nam si tales non sunt, sed contrariæ, certum est quòd plures possint putrescere faciliùs, quàm paucæ, cùm in hoc casu, quo plures sunt, sint plura contraria à quibus corrumpantur. Similiter si quæ multa sunt, sunt quidem eiusdem naturæ, sed præ multitudine ventilari non possunt, sed sibi impediunt liberam ventilationem, sic fanè quæ multa sunt faciliùs putrescunt, quàm quæ sunt pauca, quia prohibita ventilatio est præcipua causa putredinis; & in rebus etiam externis ita fieri experimur: plurima enim poma in cumulum congesta facillimè putrescere experimur, quia liberè non ventilantur, sed mutuò sibi impediunt debitam ventilationem; si verò pauca poma sunt, & talia ex quibus ventilatio non impeditur, minus multo putrescunt, quia ventilantur, quamvis omnia poma ex se sint æqualiter facilè corruptibilia, quia plurima abundant humiditate excrementitia, vel corruptiva: Vnde si Gal. *in Textu* dicit quòd multa putrescūt facilius quam pauca, loquitur de multis, quæ præ multitudine non vētilātur & de paucis ex quibus ventilatio non impeditur.

Tertiò dubitatur an quæ moventur difficiliùs putrescunt, quàm quæ sunt quieta: nam tametsi ita in Textu statuit Galenus, & exemplis demonstrat, & rationem reddit, quia quæ moventur magis ventilantur, sicque à putredine vindicantur: tamen hæc ratio non convenit, neque videtur vndique esse vera; siquidem experimur quòd vinum, & plures alij liquores non præservantur à putredine ob motum, sed potius è contra citiùs, atque faciliùs putrescunt, si ex vno vase in alıud transmutantur. Sed respondetur quòd ex liquoribus, vel humoribus qui putrescere possunt, & ideo præservatione indigent ne putrescant, alij habent plures fuligines & humiditates excrementitias, à quibus si non purgantur, putrescunt; & alij sunt in quibus nulla dictorum excrementorum reperiuntur; & consequenter liquores, vel humores, qui fuligines habent, vel alia excrementa corruptiva, vt sunt humores nostri corporis, & aliorum viventium animalium motu indigent, ac ventilatione, vt conserventur, ne putrescant, vel vt diximus in Textu, motu indigent, & ventilatione, vt sic dicta expurgent excrementa, atque ab aliis liberentur à quibus, si non expurgantur, putrescunt; liquores verò in quibus nulla dictorum inveniuntur excrementa expurganda, vti est vinum jam confectum, oleum, & similia non motu, sed quiete servantur, quia non egent expurgatione. 90

Tandem dubitatur an prohibita ventilatio sit causa putredinis? videtur enim quòd non, quidquid in Textu dicat Galenus: si enim per prohibitam ventilationem eam intelligimus quæ omnimoda non est, sed moderata, in qua scilicet calor nativus, & humores ventilantur minus quàm secundùm naturam debebant ventilari: si inquam, hæc est prohibita ventilatio, & non quæ est omnimoda, vt Textum exponentes notavimus, ac demonstravimus; consequenter dicendum videtur, quòd prohibita ventilatio nequit esse causa putredinis, quia si virtus vnita est fortior, quàm ipsa dispersa, quamquam calor nativus, & humores non omnino liberè ventilentur, sed moderatè, vel minus aliquantulum quàm secundùm naturam debebant ventilari, vt accidit in vocata prohibita ventilatione; tamen non ideo putrefient, sed è contra magis resistent corruptioni ipsorum. Respondetur quòd virtus vnita est fortior, si ipsa dispersa, si secundùm naturam vnitur, sed non aliter, & multo minus si præter naturam vnitur: nam quod præter naturam est, nequit virtutem naturalem magis fortificare, sed è contra debilitare; Quare quamvis calor nativus, & humores naturales, qui sunt in nobis ob prohibitam ventilationem vniuntur, non ideo tantùm fierent fortiores ad resistendum putredini, cùm in tali casu non vniatur secundùm naturam, sed præter naturam, scilicet ex prohibita naturali ventilatione. Dixi cum advertentia, quamvis calor nativus, & humores 91

nostri corporis ob prohibitam ventilationē vniantur;quia revera neque sic vniuntur,sed potius liquantur,scilicet à calore præter naturam aucto ex prohibita ventilatione ; & consequenter prohibita ventilatio est vera causa putredinis,& humores,ac calor noster nativus ab ea ve.è putrescunt, ac corrumpuntur.



CAPVT V.

De indicationibus quæ in febribus continentibus, & in aliis desumuntur à viribus.

92 DEMONSTRAVIT Galenus *in superioribus capitibus* quòd curatiuæ indicationes in febribus putridis desumuntur, tum ex febris affectu, tum ex viribus ægrotantis : quare traditis *capite quarto superiore* indicationibus quæ putridis continentibus desumuntur à febris affectu : nunc in *quinto capite* affert,atque explicat indicationes, quæ à viribus sumuntur in dictis febribus ; atque cùm vires semper iodicent sui conservationem non solùm in sanis, sed io ægris, atque febricitantibus docet quæ indicant vires in febribus continentibus, tum pro febrium curatione, tum pro conservatione ipsarum virium ; & quia vires, cibi, potiones, & aër,certa mensura & qualitate adhibita,servantur ; quamvis ratio victus tria in se comprehendat, scilicet ciborum quaotitatem, qualitatem & vtendi modum, vt *primo Aphorismorum,commentario decimo nono*,est videre ; nunc tamen de quantitate ac qualitate ciborum agit Galenus, & indicationes docet vnde desumuntur ; vnde caput in duas dividitur partes : non enim hîc agit de modo vtendi, sed infra *capite vigesimo primo*, quia scilicet modus vtendi cibis desumitur à particularibus indicationibus, de quibus nunc non agitur.

TEXTVS.

A viribus autem, quoniam has cibi, &c.

93 EXplicat in *hac prima capitis parte* Galenus quid indicant vires in morbis materialibus,potissimùm magnis, quales sunt febres continentes, de quibus nunc agit; scilicet sui conservationem per cibos, potiones, & spiritum, sive aërem, demonstratque vnde & quomodo vires in dictis morbis, ac febribus indicant ciborum, ac potionum, & consequenter aëris, quantitatem debitam, & qualitatem ; quæ vt bene intelligantur, est prius explicandum quòd vires (etsi semper indicant sui conservationem per dictas materias) non tamen indicanr eandem sui conservationem in ægris, atque in sanis, sed satis diversam ; in sanis enim vires iodicant semper sui conservationem, vel augmentum, & nunquam sui diminutionem : in morbis verò, potissimùm de quibus hîc agimus, scilicet materialibus acutis, vt sunt febres continentes, sæpe vires indicant sui conservationem, non simpliciter, vt in sanis, sed conservatiooem, cum moderata earum diminutione:imo vt Galenus ait *primo aphorismorum, Commentario quarto*, in morbis longis semper victum tenuem cavere debemus ; in acutis verò non semper : plurimi enim eorum victum tenuem exigunt ; quidam etiam illum qui ad extremum devenit tenuitatis. Itaque vires,etsi sępe indicant sui conservationē,non tamen in ægrotis eodem modo, atque in sanis, sed satis diversò cùm in sanis semper indicent sui conservationem simpliciter dictam,vel augmentum,in ægris autem nunquam augmentum,sæpe diminutionem,interdumque extremam,& solùm in morbis longis conservationem.

Indicant autem vires in morbis aliter atq; in sanis sui conservationem, quia scilicet in sanis alimenta quibus conservantur,sive sint cibi,sive potiones,sive aër qui inspiratur,solùm indicantur ab ipsis viribus : at verò in ægrotantibus noo à solis viribus,sed ab ipsis simul & morbis determinantur : vti enim morborum remedia,sive remedia quæ à morbis indicantur,coindicaotur à viribus,vel determinantur,aut limitantur, vt in superioribus est demonstratum : ita alimenta in morbis, quæ à viribus indicantur pro sui conservatione,coindicantur ab ipsis morbis,sive limitantur,vt in casibus positis à Gal. manifestè ostenditur : in sanis siquidem si vires valentes sunt,plurimum indicant alimentū, & per consequens sui conservationem, & augmentum, cùm multùm requiratur,& benè illud concoquant, atque in se transmutent valentes vires : *Qui crescunt enim*, vt ait Hipp. *quia plurimum habent calidi innati, sive quia vigent vires, plurimo egent alimento,alioquin corpus absumitur : è contra senes paucis fomitibus egent, quia debilis, vel paucus est eorum calor nativus:ventres etiam hyeme & vere natura sunt calidissimi, id est naturali abundant calore ; atque ideo copiosiora alimenta per ea tempora sunt adhibenda*, dicit quoque Hipp. Quare verum est quòd in sanis alimenta quibus vires conservantur solùm ab ipsis viribus indicantur, imo & multa, vel pauca quantitas alimenti indicatur à virium robore, vel debilitate. 94

Quòd autem in ægris victus ratio, id est cibus & potus quibus vires conservantur,non indicetur solùm à viribus,sed etiā à morbis docent potissimū Hipp. & Gal. Hippocrates 95

etates siquidem cum morbus in suo vigore constaret, cum tenuissimo victu esse vtendum scribit, similiter vbi morbus per cuatus est, statum extremos habet labores: igitur statim tenuissimo victu vtendum: conie-ctari etiam oportet, ait, an æger cum eo victu perdurare possit donec morbus consi-stat, vel non possit perdurare, sed prius deficiat. Vnde Gal. *primo de crisibus, capite tertio* generosi medici officium est, ait, futurum statum in morbis præcognoscere, eum omnem victus rationem ad eum præuenieudum instituat: qua scilicet vt ipse *primo ad Glauconem capite primo*, ait victus quantum viribus prodest, tantum vel amplius morbis nocet: & ratio est quia vt Hippocrates ait corpora impura quantum magis nutries, tantùm magis lædes; ideoque corpora ægra, cum sint impura quo magis nutriuntur, eo magis læduntur, quia maior pars alimentorum corrumpitur, si verum est quod quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur: vnde sic vires in morbis indicant victum, vel alimenta pro sui conseruatione, non à se solis indicant, vt in sanis, sed à se simul, & morbo: siquidem quod à viribus indicatur determinatur, & limitatur à morbo, non solum quia longus est vel breuis, sed ratione sui status & aliorum temporum, vt docent Hippocrates, & Galenus.

96 Iam his sic præmissis ac constitutis accedamus ad textum explicandum siue ad explicandum quod indicant vires in febribus continentibus, vel aliis similibus morbis magnis materialibus, & quo modo indicant; scribit igitur Galenus in hunc modum: A viribus autem quoniam has cibi, potiones & spiritus certa portione, & apta qualitate exhibita seruabunt &c. Quasi dicat: à viribus in morbis, potissimum magnis, ac materialibus quales sunt febres continentes de quibus nunc agimus, à viribus, inquam, in iis morbis curandis indicationes sumuntur, vti in sanis: nam vti in sanis vires conseruant cibi, potiones, & spiritus siue aër, qui inspiratur, & transpiratur, si certa mensura, vel quantitate, & apta qualitate exhibentur; ita pariter in ægris, & potissimum expositis vires conseruari indicant per dictas alimentorum materias, in certa quantitate, ac qualitate exhibitas; & vt in sanis virium substantia seu essentia, & quantitatis modus, idest robur, vel debilitas, ex ipsarum virium substantia (siue ex substantiis solida, humida, & spirituosa in quibus consistere vires, supra est visum) & temperamento æstimantur; ita in ægris ex eisdem æstimari debent, & à medicis certò cognosci: atque proinde medici cum ad curandos morbos suppositos accedunt, debent bene cognoscere quomodo vires quæ corpus regunt, in his se habeant, idest in his febricitantibus, vel aliis laborantibus morbis similibus: cum enim isti morbi sint magni, & materiales, idest tales quod per euacuationes, & sæpe magnas curantur, aut curari indicant, ac debent; sequitur consequenter, quod medici in his morbis potissimum vires debent attendere, in curatione & certo cognoscere quemadmodum se habeant: euacuationes enim quibus isti curantur morbi, lædunt sæpe vires, vel lædere possunt; cum per euacuationes, vires labantur, & vt communiter dicitur omni euacuationi est annexus casus virtutis; & ideo quoties medicus corpus vacuare vult, debet scire, an vires talem euacuationem poterunt bene ferre: & si enim euacuationes vires lædere possunt: vires tamen si valentes sunt, vt *libro superiori, capite quarto*, ait Galenus, omnia contemnunt, & sustinent; si vero sunt debiles à quouis offenduntur: & consequenter, si vires valentes sunt, seu vehementes poterunt bene ferre euacuationes etiamsi magnæ sint.

Itaque vires in ægris quamuis, vt in sanis conseruari indicant per cibum, potum, & aërem in debita quantitate, & qualitate assumpta, non ideo tantum indicant conseruari vires in ægris vti in sanis, sed prout à morbis coindicatur, atque ab eorum curatione id est prout vires ipsæ, reperiuntur in se, & morbi indicant, vel indigent ad sui curationem: quippe, si vires valentes sint ait Galenus in febribus continentibus, & morbis similibus, audacter vacuantibus præsidiis vtemur: nam hæc remedia vacuantia ab affectu morbi iudicantur, idest ab affectus magnitudine; magnis enim morbis magna debentur remedia; parua, paruis: non tamen ita audacter, vel in multa quantitate vacuamus ob morbi affectum solum postulantem; verum etiam ex virium consensu; siue quia vires valentes, eum sint etiam multam dictam vacuationem possunt bene ferre, vel saltim sine noxa notabili: nam vt *nono libro superiori capite decimo*, dicit Galenus *si vt affectus sanetur multa euacuatione est opus, resoluatur autem virtus ex tanta inanitione; non modo homini tunc talis euacuatio non proderit; sed etiam illi maximum periculum afferet*: ex quibus colligitur, quod vires in ægris, & morborum curationibus indicant sui conseruationem, vti in sanis, sed non simpliciter, vt in his, sed vt sunt in se, & morbi curationem possunt tolerare sine noxa notabili: virium enim conseruatio, & corporis euacuationes, præsertim magnæ pugnant inter se & se interficiunt; & ideo in morbis magnis, in quibus vacuantia magna remedia sunt necessaria, virtus est maxime notanda, & attendenda, quod sit tanta, vt neque ex euacuationibus notabiliter lædatur: & si enim sæpe ex euacuatione virtus nil læditur, quia scilicet valens est, & vacuationes sunt moderatæ; sæpe etiam in inconsideratis, & temerariis medicis, ait Galenus loco citato, qui in curationibus morborum eorumque euacuationibus vires non attendunt, accidit quod non solum nil iuuent, sed maximum periculum ægris afferant.

98 Cum igitur in morborum curationibus, &

& curationum cuscuationibus virtus tantopere sit necessaria; id est virtutis conseruatio sit tantopere necessaria; non modo cum est vehemens, vt si opus sit corpus audacter euacuetur; sed etiamsi infirmiores sint redditæ vires, ne amplius quidquam lædantur, sed vacuantia remedia cautius administrsra, vel moderata quantitate sine noxa sustineant; cum inquam hæc sic se habeanr, sicque in morbis vires indieent, vel sie conseruari debeant ait Galenus cumque conseruentur debiro nutrimenti modo ex subito, vt supra dictum est; talis nutrimenti modus hinc sibi est desumendus: quippe cum vites suum legitimum robur habent & morbi summus vigor, siue staius breui futurus exspectatur tenuissimo victu vti, licet non enim tunc studemus vires conseruare, vt in sanis, sed debilitare; & quidem quo magis fieri possit sine noxa notabili; cum enim vires sunt robustæ, & morbus extremus per cibi abstinentiam debent marcescere taliter vt exinde natura minus distrshatur à pugns contra morbum, si iam est in statu morbus; vel si in principio est, vt minus ex slimento grauetur: eum enim in principio morborum materialium natura non concoquat neque concoquete possit quia grauatur à morbi sarcina, vel causa, & quid quoad grauat impedit cotionem, vt infra *libro* 12. *capite* 5. videbimus: fit consequenter quod exhibira tunc alimenta, & si bona siut malc cuncoquentur, præsertim si plusquam in pauca quantitate sumantur cum sic ab eis magis natura prematur, minusque ideo possit alimenta digerere, & morbos oppugnare.

99 Si vero vires vehemenres non sint, sed infirmiores quamvis morbi vigor, siue status morbi breui fututus expectetut, non licer medico sinc graui ægrotantis noxa vti tenuissimo victu; sed augere debet nutrimenta tantum quantum erit de robore imminurum: & si enim virtus qusntum viribus prodest, tsntum, vel amplius morbis noceat; ideoque ægrotantes non plus debent nutriri dum ægrotant, quam quod requirunt, vires ne deficiant, sed subsistant, vel saltem conseruentur sufficienres vt morbum superent, & summus morbi vigor, siue status transeat: ea tamen est virium dignitas atque præstantia, quod si pugnant vires cum morbo, debent prius adimpleri idest tanta est in morbis necessitas conseruationis virium, vt licet morbus, quia auctus est, & prope statum, indicet, siue petat, tenuissimum victum; si vires tantum talem victum non bene consentiant, nempe, quia sunt debiles, vel infirmiores, quam quod cum victu tenuissimo possint sufficienres perdurare, & contra morbum pugnare quonsque vincatur, idest starum transeat, atque sd declinationem perducatur; necessario tunc posthabito morbo viribus est consulendum: atque in eo casu tantum nutrimenti adiicere oportet tenuissimo victu quantum est de robore virium imminutum, vel quantum vires debiles requirunt vt sufficiant vsque ad morbi declinationem siue vsque quo morbum in totum superent, ac vincant.

TEXTVS.

Atque ex his scopis accipiendus est nutrimenti modus, &c.

HÆc est Secunda capitis pars, in qua Gs- 500
lenus explicar quæ & quot sunt ea ex quibus in morbis, potissimũ suppositis, ac de quib⁹ nũc sgimus, desumitut qualitas victus sive qualitas alimẽtorum, ac nutrimenti, quo tsles ægri debent nutriri: scribit igitur sic, atq; ex his scopis accipiendus est nutrimenti modus, qualitas vero ex morbi affectu vna cum solidorum corporum, quod tunc est, temperameoto. Quasi dicat constat ex dictis iam in hoc capite quod vires in ægris vt in sanis conseruautur, vel conseruari debent per cibum potiones, & aërem quem respiramus in certa mensura, & qualitare adhibita. Constat etism ex quibus scopis, siue indicantibus accipitur nutrimenti modus, siue quantum in morbis debeat esse nutrimentum per dictas materias vt vites seruentur, & morbi curentur bene: quare restat vt nunc agamus de qualitate victus, siue nutrimenti in ipsis morbis. vel restat nunc, vt inspiciamus quale debeat esse nutrimentum & ciborum, aliorúmque alimentorum qualitas in dictis morbis, vt vires seruentur, & morbi rectè curentur. Hæc igitur cum sic se habeant: nunc quidem sciendum est quod nutrimenti, vel alimentorum qualitas in morbis, atque in eorum curationibus desumitur ex morbi affecto, siue ex morbi proprietate, vna cum solidorum corporum temperamento, scilicet quod tunc est, siue nativum sit, siue adscititium. Cum enim hic sermo sit de alimentis quæ vires conseruant in ægris necesse est, inquit Gslenus quod talia alimenta determinentur, non solum quoad eorum quantitatem à natura vel viribus ægrotantium, & morbis ipsis; sed & quoad qualitatem, & ideo qualitas victus, siue alimentorum in morbis ex morbi sffectu, vel propriis psssione, aur affectione desumitur vna cum solidorum corporum temperamento quod tunc est, vel tunc erat quando morbus incepit. Quod autem qualitas victus in ægris ex dictis indicetur probat inductione sic: à morbi affectu sumitur qualitas victus, sive alimenti. vt si morbus, obstructio sit, vel in morbo peculisris affectus sit obstructio, vt accidit in febribus putridis continentibus de quibus hic agimus: in his quidem quæ extenuant, sunt propinanda alimenta, vt quæ nutriunt simul, & obstructionem curant, siue auferunt extenuando materias crassas, quæ caussnt obstructionem: vt in affectu obstru-

ctionis

ctionis indicantur alimenta qualitate extenuantia, quæ medentur obſtructioni; ita in aliis morbis aliæ requiruntur qualitates alimentorum provt peculiaris eorum eſt conditio: nullus enim dubitat, quod in febribus victus debet eſſe frigidus: & conſequenter alimentorum qualitas in ægris ſumitur à morbi affectu. Similiter quod à naturali temperie ægrotantium qualitas alimentorum ſumatur, & à conſuetudine ſiue à natura ex conſuetudine adquiſita ſupra eſt definitum, ſeu demonſtratum: quare verum eſt quod qualitas victus in ægris indicatur à morbi affectu, & à natura ægri.

TEXTVS.

Tempus vero nutriendi, quod attinet quidem ad reliquas, &c.

101 HÆc demonſtrat Galenus quod in ægris non ſolum ratio victus, ſiue alimenta determinantur quoad quantitatem, & qualitatem pertinet à morbis, & natura ægrotantium, ſed & inſuper tempus nutriendi, ſiue tempus in quo ægrotantes debent aſſumere ſcibos, & potionem: & quod hoc ita ſit verificabitur nunc in febribus continentibus de quibus hic agimus, & in progreſſu ſermonis, ſiue libri quod ſpectat ad reliquas febres, quæ ex putredine oriuntur, ait Galenus cum ex eis ſint, quæ neque acceſſiones habent, neque intermittunt, ſed à principio eorum vſque ad finem vnica ſolum acceſſione clauduntur; in his quidem tempus dandi cibum, non aliunde poteſt peti, quam ex facili tolerantia, & conſuetudine in quibus enim febribus remiſſiones dantur, vel intermiſſiones, vt in intermittentibus, & continuis, quæ habent acceſſiones. Certum eſt quod cibus debet dari tempore intermiſſionis, vt ſi febris diaria eſt die ſequenti: at in quibus non datur tempus aliquod dictorum vt in continentibus in quibus neque dantur remiſſiones, neque intermiſſiones, neque vnico die finiuntur, ſed plures continuos dies durant; in his quidem non alio tempore ait Galenus alimenta dari poſſunt, aut debent, niſi quo tempore eſt facilis febris toleratio, & æger aſſuetus eſt ſumere alimenta: quo enim tempore facilius quam in cæteris ægrotantes morbum tolerant, & eo potiſſimum diei tempore quo prius in ſanitate cibari erant aſſueti, eo debent ſumere alimentum, ſiue cibum, ac potionem: etenim tunc facillimè cibum ferent, cùm ex his, & aliis ante dictis conſiderationibus aſſumantur. Tandem quod, & aquæ frigidæ potus his qui febribus continentibus putridis laborant, ſit dandus cum iam ſucci concoquuntur, & craſſitudo eorum eſt extenuata conſtat ex ſupra dictis *libro nono, cap'te quinto*. Quare, & hic quoque conſtat iam quod tempus cibandi ægros indicatur ab ipſis, vel à natura laborantium.

Dubitationes, & annotationes ſuper Textum.

Vidimus in capite quid, & quomodo vires indicant in morborum euratione. Ex his igitur quæ de re tradita dixit Galenus oriuntur aliquæ dubitationes quæ indigent expoſitione, & annotationes quæ debent adnecti, vt quæ dicta reliquimus conſtent amplius, & eorum veritas magis pateat. Sit igitur prima dubitatio, quomodo Galenus in ſecũda capitis parte docet bene quod modus nutriendi, ſiue debita quantitas, aut menſura præſcribendi victum in ægris deſumitur, ex vigore morbi qui parum antea dixit, ac docuit vires conſeruari per cibos, & potiones in certa menſura, & qualitate adhibita inuentumque eſſe quantitatis eorũ modum ex vitium ſubſtantia: hæc enim dicta & ſi ſint de eadem re, manifeſte pugnare videntur; nam in hoc primo loco, ſiue prima capitis parte manifeſtò docet Galenus quantitatem victus à ſola virium ſubſtantia eſſe petendam: ac in ſecunda capitis parte ab ſtatu morbi eſſe deſumendam ſcribit; ſicque hæc dubitatio ita leuis eſt, quin Altimarum perturbauerit: hic igitur celeberrimus vir videns difficultatem propoſitam, vt tueatur Galenum & in dictis locis liberet à contradictione ſic reſpondet. Cum in prima capitis parte dicit Galenus quod quantitas alimenti præſcribitur ex virium ſubſtantia per quantitatem intelligit alimenti menſuram, vel copiam: at cum poſtea paucis interpoſitis lineis dicit quod nutrimenti modus ſumitur ex viribus, & morbi vigore, vel ſtatu per modum nutrimenti non intelligit quantitatem aut copiam, ſed ſpeciem & formam: hoc colligit Altimarus ex primo aphoriſmorum, comm. ſeptimo & nono, vbi eadem vtitur dictione græca qua vtitur nunc, ſcilicet ſophiſma, quam interpres vertit formam: ſic enim ſcribit commentario ſeptimo, & quanto tardiorem fore, ſummum morbi vigorem ſpectavimus, tantum victus formam commutabimus: quo quidem loco per victus formam tenuitatem, vel craſſitiem intelligir, non verò quantitatem alimenti: commentatio etiam nono ſic inquit, cum vires ita robuſta fuerit, vt puſſit perdurare cum tali victus forma vſque ad morbi vigorem, tunc exquiſitam dabimus quam diximus quantitatem. Quare & hoc loco, ait per formam victus alimentum tenue, vel craſſum intelligit Galenus non alimenti quantitatem: ac per conſequens, in præſenti noſtro textu de eadem agit alimenti forma, vel ſpecie; non verò de alimenti quantitate, aut copia Altimarus hic. 102

Sane Altimarus celeberrimus eſt medicus, & ſi quis alius in lectione Hippocratis, & Galeni exercitatiſſimus; ideoque omnia dogmata medica, & medicinæ inſtrumenta optimè 103

optimè callet: quæ quamvis vera sint, verum etiam est quod scribit Galenus *secundo methodi*, *capite secundo* scilicet homines cum simus in multis delinquere est necesse: atque ideo etiam Altimarus potest aliquando delinquere, vt nunc: sic si enim attente legimus quæ in nostro capite affert Galenus & *locis citatis* Hippocrates, & Galenus scribunt, certe aperte vidimus, atque intelligimus quod agunt de quantitate alimenti, & non de eius specie: quare nos dubio sic respondemus; cum vires per alimentorum debitam quantitatem, & qualitatem conseruentur, debeantque conseruari non solùm cum sana sint, siue in statu naturali, sed cum sunt in statu præter naturam, & cum morbo coniunctæ: cumque in sanis vt visum est, vites aliter, vel diuersa alimentorum quantitate, & qualitate conseruentur, petantque seu indicent conseruari: ex his consequenter factum fuit quod Galenus determinans in capite de hac diuersa quantitate ciborum, siue alimentorum in sanis, & ægris in prima parte agens de quantitate qua vires secundum naturam se habentes debent conseruari dicat, & doceat quod inuenitur ex ipsarum virium substantia; & parum postea agens de quantitate alimenti qua vires in ægris conseruantur, debentque custodiri scribit quod talis nutrimenti modus, vel qualitas determinatur ex morbi statu, vel specie: cum enim vires sanæ sunt a se solum siue à substantia in qua consistant possunt desumere indicationes ad sui conseruationem in morbis autem, vel cum sint morbo affectæ, cum ab ipso morbo lædantur, vel à morbi curatione, non est mirum quod per ordinem ad illum custodiantur.

104 Sed si hæc ita se habent vt est expositum, quid est respondendum Altimaro, vel Galeni locis, quibus ille suam stabilit sententiam. Respondetur quidem non esse contra nos, neque Galenus illis in locis per victus formam speciem intelligere, sed quantitatem: nam & tenuitas, vel crassities alimenti, quæ videntur esse qualitates, re vera ad quantitatem reuocantur, ac sub quantitate comprehenduntur à Galeno in dictis locis: nam in eis per victus formam, vel tenue, & crassum alimentum non intelligit Galenus victum attenuantem, & incrassantem vt putat. Altimarus, sed multum vel parum nutrimenti; & in hoc sensu morbi qui pauco egent alimento dicuntur tenuem victum postulare; illi verò qui multo indigent, crassum exigere dicuntur: quare, & Galenus in præsenti, & locis illis formam victus reducit ad quantitatem, quia victus tenuis ille dicitur, qui per alimenta fit parum nutrientia, & quæ exiguam habent nutriendi facultatem; & è contra. victus crassus ille dicitur, qui per plura fit alimenta, vel per alimenta multum nutrientia: ex accidenti etiam dicitur victus tenuis qui per alimenta fit satis nutrientia, sed in exigua quantitate assumpta, vt primo aphorismorum commentario quarto docet Galenus: quare semper est vitium quod victus forma in lectione Galeni & victus tenuis, & crassus sub quantitate continentur.

Secundò dubitatur hic an vites conseruentur, conseruata earum substantia, & temperie, vt docet Galenus in textu: nam non videtur quod non; nam vt sæpe experimur in corporibus biliosis vites conseruantur, vel robustæ permanent, seruata eorum temperie. Etiam si substantia eorum sit dissipata: ij enim etiam si corpore graciles sint, vel tenuati, si tamen temperamentum non mutetur, sed secundum naturam se habeat, robusti permanent, & sani: at verò si in temperamento alterantur, præter naturam læduntur, & vires debilitantur: vnde videtur clarum quod vires seruantur dissipata earum substantia dummodo earum temperamentum seruetur immotatum, sed breuiter respondetur quod in senibus experitur semper contrarium: senes enim qui in ætatibus antecedentibus erant temperamento calidi per excessum vt dicti biliosi, in senectute vel tales perseuerant, vel ad magis temperatum temperamentum mutantur atque erant ante; & hunc non obstante in eis vires non seruantur, sed languescunt, atque debilitantur: ergo non semper seruato temperamento vires conseruantur, neque in senibus vires labuntur semper, quia temperamentum mutatur, sed quia eorum substantia dissipatur: & confirmatur, in ipsis gracilibus corporibus biliosorum; si enim nimis extenuantur, & si biliosi perseuerent, & temperamentum non mutetur, vires debilitantur, scilicet ex substantiæ defectu: atque proinde bene dicit Galenus quod vites seruantur, seruata earum substantia, atque temperie: nam & in biliosis gracilibus in quibus vires vigent, seruatur vtrumque, scilicet non solùm temperies, sed & virium substantia solida, humida, & spirituosa, quæ sunt substantiæ virium, vt *capite tertio* diximus, quia & si graciles sunt, quia in eis adeps, & carnes teneres dissipantur, remanent tamen carnes fibrulæ, & reliquæ suæ substantiæ solida, atque spirituosa, quæ sunt in quibus vires consistunt, & quibus seruatis, vel exolutis seruantur vires, vel deficiunt. 105

Sit tertia dubitatio quibus vetis signis potest medicus in morbis cognoscere quomodo se habent vires, vel an vires possint sufficere, aut non vsque ad morbi vigorem cum hoc vel illo victu, & ad tolerandam hanc vel illam euacuationem; diximus enim in expositione capitis esse hæc omnia cognoscenda in morbis ad rectè curandum, & ad debitam victus rationem instituendam: quare cum medicus ad curationem morbi alicuius ægroti accedit quatuor statim debet cognoscere, scilicet quis sit morbus, quem curare aggreditur, quæ eius causa, quæ pars est affecta & quomodo se habent vires ægrotantis, an scilicet sint robustæ, an debiles, an mediæ inter dicta extrema: quare hoc 106

hoc quomodo cognoscatur à medico quærimus nunc: nam etiamsi supra *libro nono, de signis ad cognoscendas vires ægrotantis*, actum sit, & quidem diffusè; non ideo tamen de eisdem modo, inteinpestiuè agemus cum in hoc libro plura repetat Galenus quæ ab ipso fuerant in illo diffusè tradita: quare & nos nunc quæ eo in loco diffusè diximus, hic breuiter sic colligamus, sunt qui virium robur, & imbecillitatem ex pulsu colligunt, ita vt si pulsus sit magnus, & vehemens virium robur indicet, si paruus, & debilis dicat vires esse languidas: & sanè sæpè res ita se habent, & si enim pulsus solum facultatis vitalis sit nota: non autem animalis, neque naturalis; quia tantum vitalis est quæ aliis dat esse, ac robur: ideo sæpe vna cum facultate vitali robusta, vel languida aliæ duæ, pariter sunt vehementes, vel debiles: quare in his casibus ex pulsibus magnis, ac vehementibus vires esse robustas cognoscimus: & è contra ex pulsibus paruis languidisque vires esse debiles ac deiectas, intelligimus; quia non solum cum vires vitales vigent, aut deficiunt dicti fiunt pulsus, verum etiam cum aliæ dictæ virtutes animalis, & naturalis correspondent vitalibus in robore, vel debilitate: quæ quidem licet ita sint, atque in multis casibus ex dictis pulsus differentiis possit Medicus cognoscere vires nostri corporis, etiam ægrotantis; generaliter tantum, & semper dictæ pulsus differentiæ non conuertuntur, neque correspondent cum virium robore, vel languore, sed multoties variantur: si enim vires vitales plenitudine laborant, vel alia ratione grauantur, etiamsi non sint debiles faciunt pulsus paruos, & languidos, vt cum reuera sunt debiles: similiter etiam si vires vitales robustæ non sint, si vsus augetur à temperamentis, vt in febribus accidit, pulsus fiunt magni & vehementes; imò, & in doloribus magnis, vt quotidie experimur, & docet Galenus 4. *de causis pulsuum, capite primo.*

107 Cum igitur dictæ pulsus differentiæ: non sufficiant ad bene cognoscendas vires in sanis, vel laborantibus ægris, necessario eis alia sunt adiungenda, ex quibus ibi pulsus possit determinari ad tales virium status, vel differentias cognoscendas: ergo ob hanc causam in primis aduertendus est habitus corporis: nam fieri potest quod propter gracilitatem corporis vehemens, ac magnus pulsus appareat, cum reuera non sit vehemens, aut magnus, sed talis appareat quia ex defectu carnium atteria non occultatur: in corporibus enim, quæ sunt boni habitus, arteriæ quæ pulsant occultantur moderate à carnibus adiacentibus; & ideo pulsus in eis non magni, sed mediocres percipiuntur, quamvis sint vires robustæ: quare in gracilibus non mediocres, sed magni percipiuntur, quia à carnibus circumpositis non occultantur: in multum etiam carnosis, non mediocres pulsus apparent, sed parui, quia non solum à carnibus adiacentibus, sed superpositis occultantur: atque proinde omnes istæ differentiæ habitus corporis sunt notandæ & distinguendæ, vt verus pulsus magni, aut parui differentias cognoscamus, quæ scilicet vires esse robustas, aut languidas significant. Aduertendum insuper est quòd durities atteriæ falsam repræsentat in pulsu speciem vehementiæ: pulsus enim durus videtur vehemens, & vehementer ferire tactum videtur, non quia talis sit re vera, sed quia durities atteriæ tactui resistit vel vehementia ipsa: vnde senes sæpe pulsus vehementes habere videntur: nam sæpe in eis magni apparent, & vehementer pulsantes, vel multum pulpam digiti, cum dilatantur, excauantes, & tamen non sunt re vera vehementes, sed potius debiles, ob defectum virtutis, seu caloris natiui: atque ideo si magni apparent pulsus in senibus est, quia à carnibus non occultantur, & si tactum pulsando excavant, multum est propter atteriæ siccitatem, & duritiem à quibus tactus, non minus, quàm ab vehementiam subuertitur, & digitorum pulpæ excauantur: quare hæc si bene attendantur in sanis, & ægris poterunt pulsus demonstrare vires valentes, vel languidas: verum sit quod in ægris possunt aliæ circunstantiæ quæ immutent pulsus magnitudinem, aut paruitatem non mutatis viribus vt diffusè supra *libro nono*, exposuimus.

Tandem dubitatur hic an bene Galenus *in fine capitis* dicat quod in febribus putridis synochis, vel continentibus tempus exibendi alimenta desumitur ex facili toletantia & consuetudine ægrotantis; cum parum postea dicat quod iis febricitantibus frigida est exhibenda, cum succi iam concoquuntur, & crassitudo eorum extenuata est: frigida enim siue potus aquæ frigidę inter alimenta febricitantium, & potissimum continentium de quibus nunc agimus continetur, & reponi debet, cum extremè refrigeret, vel febris ardorem temperet, & vires recreet, ac totum corpus; & per consequens potus aquæ frigidæ in his febribus dandus erit antea multo magis quam putrescant humores & concoquantur, & eorum crassities sit extenuata. Respondetur facilè quod potus aquæ frigidæ est duplex, scilicet ordinarius, vel agonisticus dictus: potus ordinarius quique vna cum alimentis datur ægris in singulis cibationibus præbetur in his febribus vti alia alimenta eo tempore quo æger est assuetus & facilè toletat febrem, vt ait Galenus potus autem agonisticus non sic neque alio tempore datur, quam vt dicit quoque Galenus, quando humores sunt iam extenuati, iam neque concoquuntur; est enim potus agonisticus ille qui datur febricitantibus quantum vnica vice bibere possunt ad extinguendum sic febris æstum, vel æstuantem calorem: & ideo iste potus aquæ frigidæ neque in febribus continentibus neque in ardentibus aliis potest dari, nisi extenuatis iam humoribus, & apparentibus concoctionis signis, tum quia est potus 108

potus aquæ in multa quantitate, tum quia est potus aquæ frigidæ seu niue refrigeratæ sic potens augere obstructiones & cruditates, atque crassitudines humorum, atque febrium putridarum: quare nisi prius ista sint curata nequit dari: sed quia de his *libro nono* plenius, & ad satietatem egimus pro nunc dicta sufficiant.



CAPVT VI.

Quid commune habeant febres continentes cum aliis febribus diariis & putridis, & in quo differant ab eis?

109 N hoc *capite sexto* respondet Galenus cuidam obiectioni; quam poterat aliquis ei parare: poterat enim aliquis dicere, de febribus continentibus egit Galenus supra *libro nono*, & quidem abundantissimè: cur igitur in hoc libro de eisdem febribus iterum agit Galenus ex professo, & vtrobique curationem ipsarum explicat diffusè? Huic igitur obiectioni occurrens nunc Galenus docet in præsenti capite quod febres continentes habent quædam communia cum febribus diariis, quædam cum putridis; & simul quædam per quæ distinguuntur ab illis: vnde consequenter euenit, quod qui curationem febrium continentium tradere ad vnguem vult, debet eam vtrobique tractare, scilicet, & vbi curationem docet diariarum, & similiter vbi explicat putridarum curationem: curatio enim tum febrium continentium, tum aliorum morborum, vt sit rationalis & absoluta, debet necessariò fieri per indicationes, quæ desumuntur tum, ex illis rebus quæ sunt communes cum aliis, tum potissimum ex illis quæ sunt propriæ, & singulares: atque ideo vera curatio continentium febrium dependet ex indicationibus quæ reperiuntur in ipsis, suntque eis partim communes cum diariis, vel putridis & partim propriæ, ac singulares diariarum & putridarum.

TEXTVS.

Siquidem cum eiusmodi febris communia quædam, &c.

110 VT quę in hoc capite agit Galenus dilucide explicentur, oportet supponere, & repetere, quæ de febrium differentiis statuit, & supponit Galenus tum *in his libris*, tum *in libris de differentiis febrium*. In libris igitur de differentiis febrium, sumptis differentiis febrium ex substantia, vel subiecto quod excalefit, diuidit in diarias, putridas, & hecticas: id est in illas, quæ ex accensis solidis corporis partibus oriuntur, in illas, quæ pendent ex humoribus putridis, & in alias quæ dicuntur diariæ, quia spatio vnius diei terminantur: itaque cum diuidit Galenus febres in diarias, putridas, & hecticas, tunc sub diariis comprehendit omnes illas febres quæ non sunt putridæ, neque hecticæ. Quasi dicat: subiectum in febribus, vel substantia quæ in febribus accenditur, alia est partium solidarum, alia est eorum humorum, qui putrescunt, & alia est spirituum, & reliquorum humorum, qui non putrescunt, quamuis in calorem febrilem accendantur: sic enim, & non aliter diuiduntur verè omnes febres in diarias, putridas, & hecticas.

Hæc febrium omnium diuisio, quamuis, 111
vt expositum est, sit adæquata quia tamen in hac diuisione sub diariis comprehenduntur non solùm quæ ex spiritibus accensis præter naturam oriuntur, sed aliæ multæ humorales, scilicet omnes illæ quæ ex sanguinis, vel aliorum humorum efferuescentia accenduntur, & non ex eorum putredine: ideo in his libris Galenus dictam febrium diuisionem supponens, agit inter diarias de continentibus febribus, & similiter cum agit de putridis, atque de putridarum curatione. Neque aliter quidem bene fieri potuit, cum febres quæ ex humoribus præter naturam accensis exoriuntur, omnes non sint putridæ, sed quædam dependeant ex humorum putredine; quædam verò non, sed tantum ex excandescentia, vel feruore sanguinis vel alterius humoris: non inquam aliter bene fieri potuit, cum longè aliter curentur febres quæ oriuntur ex excandescentia humorum atque illæ, quæ pendent ex eorum putredine neque hinc sumptis indicationibus curantur, nam ab eo quod non est ait Galenus nulla sumitur indicatio curatrix: & idcirco istæ febres potius ad diarias, quam ad putridas reuocantur, quia & si humorales sint vt putridæ, solùm, vt diariæ curantur quæ causam habent præsentem; scilicet per ablationem causæ à qua dependent, vel conseruantur, & per ea remedia quæ febrem extinguunt: hæc cum ita sint, & cum ex febribus continentibus aliæ sint putridæ, & aliæ non, sed solùm ortæ ex sanguinis excandescentia, atque feruore: hinc fit quod de curatione harum febrium agat Galenus & dum agit de curatione diariarum, & dum de putridis agit: & hinc etiam fit quod nunc explicat Galenus quid commune habeant febres continentes cum diariis & putridis, & in quo differant ab eis, vel saltem ab vna earum, scilicet à diaria vel putrida.

Itaque dubitationi propositæ respondet 112
Galenus in præsenti capite, quasi sic dicens: verum est quod de febribus continentibus egi tum supra *libro nono*, tū etiam in præsenti *libro vndecimo*, non tamen ideo male feci, sed

sed ita facere debui propter varias communitates, quas febres continentes habent cum diariis, & putridis febribus, vt hoc in capite demonstrabo: ergo vt demonstret modo Galenus quod commune habent febres continentes cum diariis, & putridis, siue in quibus conueniunt ac differunt febres continentes cum aliis febribus diariis, atque putridis supponit quod cum febres continentes sint, vel putridæ, vel sine putredine, possunt consequenter febres continentes comparari cum diariis, ac putridis duobus modis; primo scilicet possunt comparari febres continentes in abstracto, & solum, vt febres sunt continentes; secundo possunt comparari continentes febres non solum, vt continentes sunt, sed simul etiam, vt sunt cum putredine, vel sine ipsa: quæ quamquam ita se habeant, quia tamen hic ea solum rationi comparari debent ex qua oriatur recta earum curatio: idcirco omissa prima comparatione, solum docet quod in quibus conueniunt febres continentes putridæ cum aliis putridis, & cum diariis, & in quibus ab istis differunt: in summa igitur docet quod putridæ febres continentes conueniunt cum diariis in vno, scilicet quia vnicam vt diariæ habent accessionem, differunt vero ab eis in duobus, in natura scilicet & constitutione, siue quia plures durant dies: vt enim diariæ vnico tantum die terminentur, & natura simplices sunt, id est sine humorum putredine vel obstructionem saltim notatu digno, vt *libro octauo, capite quarto* vidimus: ita continentes febres putridæ, & plures durant dies, & natura à diariis multum distant, cum & putridæ sint & obstructiones habeant: quare verum est quod continentes febres putridæ conueniant cum diariis in vno, hoc est quia omnes vnica solum claudnntur accessione, & in duobus differunt scilicet in natura & duratione: ab aliis autem putridis differunt continentes cum putredine in vno scilicet quia non habent accessiones per circuitus repetentes, & conueniunt in duobus, scilicet quia omnes plures durant dies, & omnes habent conuenientiam secum putredines, obstructiones, atque humorum cruditates, vel alia vitia.

113 Exposito sic in quo conueniunt, & differunt febres putridæ continentes cum diariis, & aliis febribus putridis quæ continentes non sunt: explicat consequenter Galenus in quo conueniunt & differunt febres continentes non putres cum diariis, & aliis putridis febribus, & in quo ab ipsis differunt: febres ergo continentes sine putredine in duobus conueniunt cum diariis, nempe & quod sine putredine sunt, atque siue notatu digna obstructione aut cruditate humorum, & quod carent accessionibus: differunt vero in vno, scilicet quia continentes in quintum dum prorogantur sine eo quod in putridas transeant, vel putredinem humoris concipiant.

TEXTVS.

Atque harum quidem continentium febrium prodita, &c.

114 HÆc potest esse secunda capitis pars in qua Galenus ex traditis conuenientia, & differentia febrium continentium cum diariis & putridis explicat diuersam naturam, & constitutionem febrium continentium putridarum, & sine putredine. Et consequenter diuersam earum curationem, scribit igitur in hunc modum veluti. Quamvis de curatione febrium continentium agentes de curatione diariarum egimus; quia tantum curatio continentium, quas putredo excitauit est communis vtrique generi, scilicet generi febrium diariarum, & putridarum; ideo in ambobus coegit nos de ipsa differere; etsi enim substantia, siue natura febrium continentium putridarum tota sit ex genere putridarum, in vnoque solum ab iis differat; & cum diariis communicat, vel quod vna in totum est totius morbi accessio: statim ex hac parte, & curatio earum erit etiam communis cum diariis, quamvis in aliis bifariam deducatur: debet enim recta curatio per indicationes fieri, vt sæpe prius dictum est & indicationes desumere, tum à communi ipsarum genere, tum à cuiusque propria differentia: & per consequens, prima & communis indicatio curatiua in his febribus erit, quæ conueniat cum diariis quamvis etiam aliæ sint communes indicationes in curatione ipsarum, tum quæ ex putredine oriuntur, tum ex propria earum essentia, scilicet & quatenus sunt febres, & quatenus sunt humorales, & istiusmodi: nam, & hæ omnes indicationes communes sunt, in continentibus putridis, cum inueniantur in aliis putridis febribus quæ continentes non sunt, sed quæ habent repetitiones.

115 Itaque Galenus supra *libro nono*, non solum egit de febribus continentibus sine putredine, deque istarum curatione propria; verum etiam de curatione continentium cum putredine scilicet propter affinitatem quam habent inter se quatenus sunt continentes, & plures durant dies sine accessionibus, vel aliqua repetitione: & hoc non obstante etiam in præsenti libro agit iterum de curatione febrium continentium putridarum quia cum tota ipsarum natura sit ex genere putridarum consequenter vt putridæ sint debent curari atque tractari & tradi cura earum, vbi de curatione agitur putridarum, vt in hoc *libro vndecimo* agimus sed dubitatur hic: si natura continentium putridarum tota est putrida, solumque commune habet cum diariis aliisque continentibus sine putredine eo quod careant accessionibus, quænam erit curatiua, communis indicatio vera, & rigorosa quæ inde sumitur in putridis continentibus, &

sumi debet necessario vt rectè fiat curatio, etiam si talis indicatio sit communis aliis febribus, & non propria aut peculiaris putridarum: respondetur quod putridæ febres continentes, quamvis sint de genere putridarum cum continentes sint, & à principio ad finem earum nullam habeant sensibilem remissionem vel intervallum, sicuti habent aliæ putridæ febres, quæ habent accessiones & non sunt continentes; & iditrco continentes, etsi putridæ sint, neque cibari possunt, neque aliter medicari in tempore intermissionis vel remissionis febris, cum non detur; ac per consequens debent cibari, & vacuari, vt ait Galenus cum in his datur facilis tolerantio, id est eo tempore in quo æger facilius tolerat febrem, atque ab ipsa minus molestatur: nam sicut eo tempore, ait, æger facilius tolerat morbum, ita pariter hunc cibum, & alia remedia facilius tolerabit quam in cæteris temporibus in quibus magis molestatur: vnde patet quod in continentibus putridis indicatur, & determinatur tempus curationis, atque administrationis remediorum, ac victus, non à putredine earum, sed ex constitutione, quamvis hæc constitutio sit communis diariis, & nullo modo propria febrium putridarum.

116 Dices etiam hic ex ipso Galeno *libro nono. superiore capite quinto* duo sunt magna remedia nempe sanguinis missio, & potus aquæ frigidæ, quibus febres curantur continentes: atque sanguinis missio in quolibet febris tempore administratur, dummodo vires non deficiant, ad tolerandam sanguinis missionem, potum autem aquæ frigidæ non quolibet febris tempore datur, neque potest præscribi, nisi appareant signa concoctionis, quod etiam in fine capitis superioris confirmat: quare male nunc dicimus quod in continentibus febribus, quia carent accessionibus nequeunt alio tempore administrari remedia, neque alimenta propinari, nisi cum ægrotus facile tolerat febrem. Respondetur esse verum quod sanguinis missio, & potus aquæ frigidæ sunt remedia quibus potissimum curantur febres continentes, non solum quæ sunt sine putredine, sed etiam quæ sunt putridæ, & quod siue istæ sint, siue illæ possunt vacuari per sanguinis missionem quolibet febris tempore si vires non deficiant: denique verum est quod potus aquæ frigidæ, neque in putridis, neque in aliis quæ carent putredine potest administrari si non apparent signa concoctionis, quia vt capite superiore dicebamus talis potus potest humores qui non sunt cocti, atque attenuati, magis incrassare, atque crudiores reddere: hæc tamen, etsi sic se habeant; non ideo nunc male dicimus quod febres continentes, quæcumque fuerint, scilicet putridæ vel sine putredine, debent curari, atque nutriri eo tempore in quo æger facilius tolerat febrem, sed quia neque aliter bene possunt curari; cum sensus sit ex omnibus istæ, febres continentes, quia sunt morbi magni, atque acuti, & in quibus calor natiuus potest suffocari, debent non solum remediis magnis curari, vt si dicta, & debita nutriri, sed statim, vel saltim quo citius fieri possit, atque proinde, ait Galenus si sanguis in principio febris non fuit abunde missus, quolibet alio tempore potest, & debet mitti, quia vrget necessitas euacuationis, & quo magis moratur sanguinis effusio, eo magis imminet periculum suffocationis caloris natiui, & mortis repentinæ; sed cum his certum est quod talis sanguinis missio, vt alimenti exhibitio, eo particulari diei tempore debet exequi in quo ægrotus facilius tolerat febrem quia minus ab ea tunc offenditur, atque debilitatur: & quod ad potum aquæ frigidæ pertinet quamvis dari nequeant, alio tempore, quam apparentibus iam signis concoctionis. Certe neque tunc bene dabitur, cum æger multum angitur vel angustiatur à febre, sed potius cum facilius eam tolerat.

CAPVT VII.

Quæ sint omnes febrium putridarum differentiæ ex quibus petenda est ipsarum curandi ratio.



T in sequentibus possit scientificè, & verè Galenus ostendere curationes febrium putridarum affert in præsenti capite omnes ipsarum differentias ex quibus debita curandi ratio est sumenda vel omnes putredinis differentias ex quibus diuersæ indicationes oriuntur ad recte curandas febres putres: duo autem sunt, quæ continet præsens caput: nam primum generales ponit in eo Galenus putredinis differentias, quæ reperiuntur in febribus putridis, & postea dicit proprias earum indicationes seorsim esse considerandas, atque distinguendas, vt penes illas debita inueniatur curatio talium febrium putridarum: quare caput duas habet partes. 117

TEXTVS.

Ergo denuo repetentes dicamus primum, &c.

QVæ capite quarto tetigit Galenus de differentiis putredinis quæ reperiuntur 118
in febribus putridis repetit in præsenti neque immerito: debent enim necessario distingui

stingui in curatione febrium putridarum, vt recte curentur: atque ideo *capite quarto* de eis egit, vt curaret illas febres continentes putridas; & nunc pariter repetit easdem, vt in sequentibus curationem doceat reliquarum febrium putridarum: & si enim inquit, differentiæ putredinis, quæ nunc, & *capite quarto* tractantur, generales sint omnibus febribus putridis vt postea videbimus, sunt tamen tales quod quælibet earum præbet propriam, & peculiarem indicationem ad rectè curandas febres putres: quare vbicumque agitur de vera curatione febris putridæ debent bene aduerti, ac distingui tales putredinis differentiæ videreque: quænam sit communis vtilium auxiliorum indicatio in ipsis, & quænam singularum propria: par est enim profectò, ait, vt quod omnium earum commune est eorum habeat indicationem, & quod in singulis est proprium, quantum à reliquis eiusdem generis est diversum, in tantum, & diversum ab illis fortiatur indicationem atque sic duo nobis præbet documenta, primum siquidem quæ nunc debeamus præmittere atque supponere docet, secundum docet quando decet, estque opus reperere quæ alias iam fuerunt tradita, ac demonstrata.

119 Sed vt bene intelligantur quæ nunc Galenus docet est aduertendum, quod licet in libris de differentiis febrium diuisit Galenus febres putridas penes humores, qui putrescunt, vel putrescere possunt; & ideo dicit quod febres putridæ aliæ sunt sanguineæ,quæ dicuntur continentes,aliæ biliosæ, sive tertianæ,aliæ melancholicæ, sive quartanæ, & aliæ piruitosæ, sive quotidianæ: his tamen non obstantibus in præsenti capite & toto hoc libro multo aliter dividit febres putridas, & merito quidem, ac maxima cum ratione: quia cum hic agat de rectâ curatione febrium putridarum, necessario eas nunc debet afferre differentias ipsarum, ex quibus oriuntur indicationes, & indicata quibus curantur: quare nunc non affert febrium differentias à subiecto desumptas, vt loco citato, & aliis, quia scilicet ex subiecto non sumuntur curativæ indicationes; sed ex propriis vel omnibus naturis ipsarum febrium, atque proinde nunc eas affert febrium putridarum differentias quæ ab earum natura desumuntur, scilicet à putredine earum, sive à differentiis putredinis quæ in putridis febribus reperiuntur, vel possunt reperiri: ab his siquidem differentiis putredinis, sive communes sint, sive generales inquit Galenus oritur rationalis, & vera curatio talium febrium putridarum; ideoque de his modo agendum est, easque hic dividere, ac distinguere debemus à curatione.

120 Cum igitur nunc de differentiis febrium putridarum agere debeamus inquit Galenus quæ non ex diversitate humorum qui putrescunt, sed ex diversa humoris putredine desumuntur: cumque in febribus putridis triplex detur differentia putredinis: vna scilicet in qua causa putredinis adest, vel non adest simul in ipsa putredine, secunda in qua putredo replet omnia vasa vel saltem maxima quæ sunt inter inguina, & alas, vel solum est in vnica corporis parte determinata, & tertia quæ cum Phlegmone, seu inflammatione partis affectæ est coniuncta, vel citra hanc: ex his consequenter sumptis differentiis, febres putridæ curationis gratia dividuntur in illas quæ cum putredine habent causam adhuc vel non habent, in illas quarum putredo est in omnibus venis vel maximis corporis, aut solum in venis vnius partis; & denique in illas quæ vnà cum putredine habent partem affectam inflammatam, vel citra inflammationem est sola febris putrida: cum enim putredo in omnibus febribus putridis sit vna,& eadem, vt supra dicebamus, & capite sequenti videbimus; ideirco differentiæ putredinis in putridis febribus ex aliis quæ putredini accidunt, quæque curationem indicant, atque specificant, desumuntur, vt dicta sunt. Itaque febres putridæ in vniversum ait Galenus tres sunt & vnaquæque illarum bimembris: primum enim febris putrida vel est fiens, sive talis quæ adhuc secum habet causam putredinis manentem in corpore; vel non fiens, sed facta id est talis vt abeuntibus causis putredinis, putredo & eius febris maneant, vt accidit in febribus putridis in quibus enncocta materia putrescente perseverat putredo, febrisque putrida perseverat: de quibus loquitur Hippocrates cum ait, concocta medicari oportet movere non cruda, nisi materia turgeat: sensus enim est, vt ex febribus putridis aliæ sunt quæ adhuc cum putredine habent causam putredinis manentem in corpore, aliæque non, sed abeuntibus causis manet putredo & eius febris; ita in talibus febribus concocta medicari oportet, sive purgare; non verò cruda: id est cum in talibus febribus causa putredinis iam absit, & quæ remanet putredo iam est concocta, hæc est purganda; quia hæc est quæ cedit purgationi; non verò cruda, neque quod crudum est cedit evacuationi purgantis medicamenti, vt *quarto de ratione victus, vigesimo secundo*, est videre: quare quæ cruda sunt inquit Hippocrates movere non oportet, sed concoquere, vt cocta possint purgari: & consequenter cum febres putridæ crudæ sunt, & concoqui nequeunt, crudæ sunt, & non concoquuntur, quia vna cum putredine manet adhuc in corpore obstructio, quæ est causa putredinis, & impedit humoris putrescentis concoctionem: ex quibus constat quod te vera dantur febres putridæ quarum aliæ sunt in fieri, & aliæ in facto esse id est quarum aliæ habent adhuc secum causam in corpore, & aliæ non, sed solam putredinem.

121 Secunda febrium putridarum differentia est

est illa, ait Galenus in qua putredo est diffusa per omnia vasa, vel saltem maxima quæ sunt in nostro corpore; vel non est putredo diffusa per omnia corporis vasa, sed in vasis est vnius solum corporis partis, vt in vasis tantum hepatis, lienis, ventriculi, pulmonis, vteri, & similium: re vera enim in febribus synoc s, siue continentibus putridis, vt *capite quarto* diximus, & *libro nono* demonstrauimus, focus putredinis fere semper est diffusus per omnia corporis vasa, vel saltem maxima quæ sunt inter inguina, & alas: & in alijs febribus putridis quæ sunt contiouæ cum accessionibus solum est focus putredinis in venis vnius partis determinatæ, vt quæ dicuntur tertianæ in venis hepatis, quartanæ in venis lienis, & quotidianæ in venis ventriculi, vt *primo ad Glauconem* docet ipse Galenus. Quare & secunda febrium putridarum differentia datur re vera vt dicit Galenus; tandem tertia quoque datur febrium putridarum bimembris differentia seu bipartita febris putridæ species: cum fieri possit quod febris putrida concedat simul cum inflammatione partis affectæ, & sæpe fit sine illa: quare febris putrida est triplex, vel tribus modis diuisa: imo vnaquæque ipsarum est bimembris, siue duobus modis diuersa; ex quorum quolibet curatio immutatur, quod est præcipuum fundamentum ad tales differentias nunc tradendas.

TEXTVS.

Igitur considerandum nobis est quonam commune habeat, &c.

122 EXplicatis differentiis putredinis quæ in putridis febribus reperiuntur, variantque atque demonstrant ipsarum curationem, considerandum nobis est, ait Galenus quid commune habeant, vel indicent dictæ putredinis affectus in febribus putridis, & quid proprium. Quasi dicat dictæ differentiæ putredinis ac febrium putridarum communes sunt quidem omnibus febribus putridis, possuntque omnes in vnica febri putrida complicari: nam non solum putredo communis est omnibus febribus putridis; id etiam commune est quod putredo sit, vel non sit cum sua causa in dictis febribus; rursus commune est quod putredo sit, vel non sit diffusa per omnia vasa; vti etiam quod pars affecta sit cum inflammatione vel sine illa: at non omnia hæc sunt æque communia febribus putridis; nec putredo est in omnibus vna, & eadem, vt infra latius constabit; quod putredo sit cum causa, non est ita commune omnibus febribus putridis, cum ea, & sine ipsa esse possit; & sic ab alijs putredinis, ac febrium putridarum differentiis, differat: hæc igitur cum sic se habeant, inquit Galenus considerandum nobis est, quid commune indicent dictæ putredinis diuersi affectus, aut diuersæ differentiæ, & quæ proprium; nam tametsi communes sint differentiæ putredinis, ac febrium putridarum, non solum communem præbent indicationem, sed & propriam: & ideo considerandum nobis est quodnam commune ac proprium habeat indicatio quæ à causa sumitur, adhuc manente, & quodnam ea quam putredo præstat per se sola: rursus quod indicat putredo quæ per totum animal diffunditur quidque ea quæ in vna tantum consistit parte. Similiter si putredo in vna aliqua parte stabulatur, eius differentias æstimare debemus: quippe alia eius indicatio & quæ cum flegmone coniungitur, & alia quæ sine hac; rursus alia in qua præsens adhuc est causa, & alia in qua semota est iam. Postremo cum causæ permanent, cuiusque causæ adhuc manentis differentias considerare, atque distinguere debemus per omnia ea quæ in specierum diuisione sunt inuenta, vel diuidenda inueniuntur.

Itaque in febribus putridis, ait Galenus 123 & verbi gratia in curatione febris putridæ in communi considerare atque distinguere debemus omnes affectus qui in ea reperiuntur, & in singulis debemus æstimare vel cognoscere quid commune indicent, & quid proprium; & hæc quidem non vtcumque sunt examinanda, atque expendenda, sed quantum fieri potest, scilicet per veras methodos diuidendi, inuentis singulorum propriis differentiis: qui cum ratione ergo & vera methodo quærere vult, atque inuenire curationem febris putridæ, vt sequitur disserere debet; omniaque, ac singula examinando, ac distinguendo, tum quæ communia sunt, tum propria: secum igitur, sic ratiocinabit bonus medicus. Febris putrida in primis quæ febris est, siue calor præter naturam accensus in corde, vel in natiuo calore cordis, indicat in communi sui ablationem, nam quidquid præter naturam est indicat sui ablationem; propriè etiam, & in particulari febris indicat duobus modis, scilicet vt facta est, vel fiens; facta febris attemperationem indicat, vel extractionem sui per frigida, & humida sibi contraria: febris vero fiens indicat ablationem suæ causæ; quia affectus omnes fientes dependent à causa in esse, fieri, & conseruari, & ideo ablata causa statim auferunt, sine aliquo alio vt *primo de locis affectis capite tertio* latè docet Galenus: vnde febris putrida fiens curatur ablata putredine eius causa, sine eo quod alia egeat refrigeratione ad eius extractionem.

Sicut febris in putridis indicat quid com- 124 mune, & quid proprium, &c. pariter putredo nam & hæc quatenus est præter naturam indicat sui ablationem; quatenus verò putredo est, suas habet alias proprias indicationes & indicata; nam etiam putredo vt de febre dictum, est fiens, vel facta, & facta quidem

quidem quia est corruptio humorum toto genere præter naturam indicat particularem euacuationem eius per purgationem, vel per medicamenta purgantia: quæ autem putredo fiens est, & nondum facta nullatenus indicat purgationem: sed concoctionem; nam concoctio est alteratio faciens cessare putredinem manente substantia, vt in arte medicinali ait Galenus vel medicamenta frigida atque excitantia, vt quæ prohibent generationem putredinis; tandem fiens putredo per ablationem causæ curatur, ac per consequens indicat ablationem obstructionis à qua fit, siue apertionem, aut reserationem vasorum, & humorum liberam ventilationem: nam ex his quidem putredo fiens vere extinguitur. Rursus obstructio, quia præter naturam est, siue fit in toto corpore, siue non, sed in vna tantum corporis parte, indicat quod commune est sui ablationem vti febris, & putredo; & quatenus obstructio est, suas habet peculiares indicationes: quæ enim obstructio facta est, (nam etiam fiens, & facta esse potest) indicat sui ablationem, siue apertionem cauitatum vasorum, & expeditum transitum humorum per illas; & ideo quæ humores attenuant, & vasa dilatant aut laxant, indicant medicamenta: quæ vero obstructio fiens est, indicat ablationem causæ vel causarum à quibus oritur, ac pendet: & consequenter omnes causæ obstruentes nunc sunt cognoscendæ, distinguendæ, & vt inquit Galenus considerandæ, atque æstimandæ: obstructio, namque, vt supra dixit, vel fit à causis internis, scilicet ab humorum multitudine, vel eorum crassitie, aut lentore, vel ab externis quæ cutim constipant, scilicet à rebus astringentibus, exsiccantibus, vel refrigerantibus, potissimum si hæ causæ multum recedunt ab statu naturali nostri corporis: quare hæc omnia h c, siue in curatione febris putridæ sunt distinguenda, & à singulis eorum particulares indicationes sunt petendæ, vt sic omnes habeantur quæ in talibus febribus ex curandis sumuntur affectibus: si enim obstructio ab humorum prouenit multitudine, euacuationem indicat per sanguinis missionem, si ab humorum crassitie attenuationem eorum vt & abstersionem, si lenti, aut viscidi etiam fuerit: similiter si cutis stipatio ex nimia siccitate proueniat indicat humectationem; si ex vehementi frigore moderatum calorem: nam omne nimium est naturæ inimicum; si tandem ex vsu astringentium; hæc in primis sunt amouenda in totum, & simul densati pori sunt aperiendi: & hæc quidem est via, qua omnes inueniuntur indicationes quæ in febre putrida ex curandis sumuntur affectibus; quibus sic inuentis & post has ait Galenus eas medicus etiam considerare debet indicationes, quæ ab ipsis curandis suggeruntur particulis; singulæ enim corporis partes suam habent peculiarem naturam, quæ sui conseruationem indicat; & quæ principes sunt, vel munus habent toti corpori commune, vt ventriculus, & hepar

multo magis conseruari, & roborari indicant, quam quæ tales non sunt: ideoque bene dicit Galenus quod in curatione febrium putridarum, vel aliorum morborum, non solum indicationes sunt considerandæ, quæ ex curandis sumuntur affectibus; sed post istas, etiam illæ, quæ à laborantibus particulis desumuntur; imo, & his omnibus, aliæ quæ à viribus indicantur sunt tamen adiiciendæ, vt sic completus numerus indicationum in dictis febribus habeatur, & earum rationalis, ac vera curatio atque curandi methodus habeatur, & hæc de hoc capite; nam hic solum enumerat quæ debent cognosci in febribus putridis vt bene curentur, & in reliquo libro de singulis agit fuséque explicat qua via curationem indicant.



CAPVT VIII.

De putredine, & eius causis.



Explicatis affectibus qui attendendi inueniuntur in febribus putridis ad earum curationem inueniendam & recte faciendam, aggreditur statim singulorum specialem speculationem, atque ex eorum diuersis naturis docet modum inueniendi remedia quibus debent, ac possunt curari: atque ita in præsenti capite orditur Galenus ab eo qui in diuisione primus fuit, scilicet ab humorum putredine, agitque de eius natura, & causis immediatis; atque ex eis quomodo remedia indicentur ostendit, ac sigillatim demonstrat; duo igitur sunt quæ hic agit Galenus quare caput secatur in duas partes. 125

TEXTVS.

Ergo ordiamur ab eo quod primum in diuisione, &c.

Demonstraturus Galenus in hac prima capitis parte quomodo putredo curari debeat, vel quæ, & quot sunt indicationes quæ à putredine desumuntur, ac desumi debent, vt penes illos remedia inueniantur quibus putredo curatur, explicat quid sit putredo, & in quibus eius consistat natura; nam vt ipse dicit ex methodis demonstratiuis didicimus quod natura rei de qua agitur est principium inuentionis, siue cognitionis eorum omnium quæ in tali re dantur inue- 126

 nienda,

nienda, atque agnoscenda, & ex consequenti, si constiterit quod est putredo & in quibus consistit eius natura, ex his indicationes sciemus, & indicata quibus curabitur, & quibus recte vsi nos curationem eius inuenire poterimus: quare statim hic Galenus cæteris omnibus prætermissis dicit, & docet, quod putredo est *mutatio totius substantiæ corporis putrescentis ad corruptelam à calore extraneo.* Quasi dicat: Putredo est mutatio rei putrescibilis, & quæ actu putrefit, non quælibet sed totius substantiæ, & ad eius corruptelam, atque à calore extraneo, & non ab alia aliqua causa: vnde singulæ dictæ diffinitiones particulæ sunt seorsim explicandæ, vt integrè putredinis natura intelligatur, & indicationes inueniantur, quæ eius docent curationem.

127 Principio igitur putredo ait Galenus est mutatio totius substantiæ corporis putrescentis; quasi dicat non quælibet mutatio rei putrescentis est putredo, sed mutatio totius substantiæ illius, id est mutatio totius constitutionis, vel totius compositionis rei putrescentis; cum enim res aliqua calefit, vel refrigeratur, sine dubio mutatur, vti, si crescit, vel minuitur, si induratur, aut mollescit, & aliis multis modis, attamen non omnes sunt mutationes totius substantiæ, sed illæ solum in quibus res quæ mutantur suam naturalem, aut essentialem compositionem mutant, vt cum res augetur, vel minuitur; nam ideo augetur res, quia naturalis eius compositio mutatur in maiorem longitudinem, latitudinem, & profunditatem: cum vero res calidior aut frigidior redditur quam erat, & cum induratur, aut mollior redditur; similiter si mutatur in colorem album, vel nigrum, &c. mutatur quidem, non tamen mutatione totius substantiæ, aut essentialis eius compositionis, sed mutatur solum secundum aliquod accidens sensibile quod potest esse & abesse, sine subjecti corruptione, vel sine compositionis naturalis corruptione, vel essentiali alia mutatione; nam cum res augetur, mutatur mutatione totius substantiæ, & non quia eius naturalis atque essentialis constitutio vel compositio corrumpitur, sed quia intrinsecè, & essentialiter mutatur in maiorem molem, siue in maiorem longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ex quibus patet quod putredo est mutatio rei putrescentis, non quælibet, neque alia, sed totius eius substantiæ, & in qua substantia, siue natura rei quæ putrefit mutatur essentialiter, id est non solum secundum aliquod eius accidens, sed secundum eius essentialem compositionem.

128 Deinde putredo, ait Galenus est mutatio totius substantiæ rei putrescentis id est rei putrescibilis, & quæ ex se putrefieri potest: non enim res omnes naturales sunt putrescibiles, neque corruptibiles, sed quæ mixta sunt: neque entia solum naturalia sunt corruptibilia, vt patet in cælis; quamvis entia naturalia sublunaria omnia corrumpantur, & sint corruptibilia; quia sunt entia naturalia simul, & mixta ex elementis, vel solum communibus, nempe ex igne, aëre, &c. Vel communibus simul & propriis animalium, vt ex sanguine, pituita, &c. Ab his enim entia sublunaria habent esse corruptibile, & caducum, & non putrescentia sunt naturalia, vt patet in nobis: nam homo quidem, etsi est corruptibile, vt si quod aliud, non tamen corruptibilis est, vt est ens naturale, cum vt ens est naturale, solum constet ex materia prima, & forma substantiali siue anima rationali, quæ sunt incorruptibiles, & à Deo tales creatæ. Quare homo solum vt mixtum est, est corruptibilis; & consequenter alia entia naturalia sublunaria, & corruptibilia, ideo corrumpentur quia mixta sunt, atque ex elementis composita, & non præcisè quia entia sont naturalia. Itaque putredo est mutatio totius substantiæ corporis putrescentis ait Galenus id est corporis mixti, atque ex quatuor elementis constituti, siue compositi: imo putredo est mutatio totius substantiæ corporis putrescentis, ait Galenus id est corporis mixti putrescibilis, siue corporis mixti quod ex se est putrescibile, vel aptum ad putredinem concipiendam: etsi enim generatio, & putredo sunt passiones mixtorum, re vera tamen non omnia corpora mixta propriè putrescunt, neque putrefieri possunt, sed illa solum in quibus humiditas redundat, & ideo metalla, lapides pretiosi, absinthium, & similia multa non putrescunt, quia carent humiditate excrementitia à qua res putrescunt, & non præcisè quia sunt mixtæ: quare in hoc sensu dicit Galenus quod putredo est mutatio totius substantiæ corporis putrescentis; id est corporis mixti; atque ad putrescendum dispositi quia humidum est à prædominio, vel humiditate abundat excrementitia.

Rursus putredo est mutatio totius substantiæ corporis putrescentis ad corruptelam ait Galenus quasi dicat ad ipsam putredinem: nam quamquam corruptio in tota sua lata significatione quamlibet mixti corruptionem, siue dissolutionem significet; corruptela tantum mutatio est rei mixtæ ad eius putredinem, siue ad separationem partium humidarum quæ sunt in mixto à partibus eius terreis. Quæ vt bene intelligantur est aduertendum, quod etsi quælibet corporis mixti dissolutio, vt dictum est, dicitur corruptio mixti, quia corrumpitur vnio elementorum, vel quæ elementa nectebat in mixto; non tamen quælibet corruptio mixti, est putredo, sed solum illa in qua humidæ partes mixti separantur à terreis, & non resoluuntur, sed separatæ maneot cum illis: cum enim corpora gracilescunt, aut extenuantur, aut decrescunt, re vera separantur partes tenues, & humidæ à terreis; non ideo tantum putrescunt corpora quando decrescunt, vel extenuantur, quia partes humidæ tenues, quæ separantur à terreis non remanent cum eis in corpore, sed resoluuntur, & à corpore abeunt per insensibilem transpirationem, vel per sensibilem aliquam vacua- 129

tionem

tinnem, vt per sudorem, per vrinam, &c. at cùm putrescunt corpora, etsi eorum humidæ partes separantur, à terreis non resolvuntur, neque à corpore abeunt, sed in eo separatæ remanent, à quibus corpora sensibiliter humectantur, & graviter fœtent; & ideo communiter dicitur: quæ putrescunt humidiora redduntur, & fœtor est signum putredinis: dum enim putrent corpora, fœtent valdè, & humidiora apparent, à separata scilicet humiditate à reliquis partibus, sive substantiis subjecti, durantque tum fœtor, tum humectatio subjecti, dum humiditas illa separata ibi remanet, & non consumitur, vel exhalatur quod solet fieri intra paucos dies, cùm humiditas sit qualitas quæ suo termino non finitur, id est non conservatur, sed semper cedit termino alieno, & in dies, vel continuò exsiccatur, atque absumitur.

130 Quòd autem dicta sint vera, & quòd non omnis mixti corruptio sit putredo docet ipse Gal. 5. *simpl. cap.* 15. agens de septicis medicamentis: ibi enim sic scribit. Multis quidem modis corrumpi quid potest: nam quæ nimio plus refrigerata sunt, aut excalefacta, tum exsiccata, aut humectata, ea omnia corrumpuntur: cæterùm, non quidquid corrumpitur putrescere dicimus, sed quibus id cum fœtore accidit, id est quæ cum fœtore valido corrumpuntur; scilicet quæ calida sunt atque præhumida, vel quæ calefaciendo, & humectando corrumpunt, id est quæ calefaciendo corrumpunt, separantque partes humidas subjecti à partibus siccis, ibique fœtentes valdè relinquit: etsi enim quæ putrefaciunt, & quæ colliquant corpora humida, v. g. carnes & humores, calida sunt, ait Galenus: non tamen sunt summè calida, vt quæ adurunt; sed minus quidem, scilicet quæ calefaciendo separant substantias corporis humidas à terreis; non tamen exsiccant neque absumunt, vt quæ vrunt, sed corpus humidum reddunt ab humiditate separata, atque liquata, non consumpta, neque dissipata; quia quæ solùm putrefaciunt & colliquant, etsi calida sint per excessum, non sunt ita calida quòd exsiccare possint subjectum, neque eius humiditates absumere, aut resolvere, vt quæ adurunt, sed tantùm quæ sunt humida attenuant, ac liquant, sicque à partibus terreis abscedere faciunt, atque corrumpunt; & ideo fœtent valdè, tumq; putrefiunt, tumque liquantur, & corpus humidum reddunt, vt communiter dicitur: quare corruptio latiùs patet quàm putredo, quamvis puttedo facta sit vera mixti corruptio; & putredo, vt ait Gal. est mutatio totius substantiæ corporis putrescentis ad corruptelam, sive ad ipsam putredinem, ita vt terminus ad quem putredinis sit putredo facta.

131 Tandem putredo, inquit Gal. est mutatio totius substantiæ corporis putrescentis ad corruptelam à calore externo, vel extraneo, & non à proprio rei putrescentis calore: non enim, inquit, à proprio calore corrumpitur quidquam, sed potiùs è contra augetur, robo atur, sanum est, ac vivit, vt in nostris animantibus corporibus experimur: etsi enim animantium corpora plurimam suæ substantiæ portionem humidam & calidam sint sortita, atque ob hanc ad putrescendum sint paratissima, magnum tamen annorum numerum sine putredine sana vivunt, ac conservantur, si servatur eorum proprius calor in corde & reliquis partibus corporis, à quo, vt dictum est, omnes vivunt, & à putredine præservantur, scilicet dum ipse viget & sanus est: quamvis enim humores nostri corporis & reliquorum animalium, & aliæ substantiæ humidæ, vt carnes & pinguedo ex se necessariam habeant in putredinem mutationem, vt ait Gal. 2. *de differentiis febrium, capite vltimo*, si à nativo calore non gubernentur, si tamen ab eo reguntur non solùm non putrescunt, sed conservantur, imo glis cunt, sive augentur, & sani permanent per totum vitæ tempus, id est dum à dicto nativo calore regulantur, reguntur, vel conservantur; & ideo cùm iste in corpore deficit, vel aliter malè se habet, nequitque regere dictos humores, & corpus, putrescunt omnia, & pereunt. Itaque putredo est corruptio substātiæ humidæ rei putrescentis à calore corrūpente, sive separante & eliquante dictam substantiam humidam à terrea corporis putrescentis; & ideo à calore extraneo, sive præter naturam: cùm enim calor in nobis solùm esse duplex possit, scilicet naturalis, vel præter naturam extraneus, sive externus vocatus; eúmque calor nativus non corrumpat, sed potiùs conservet subjectum, & à putredine præservet, consequens est quòd putredo in nobis, & in qualibet alia re naturali ac mixta fiat à calore externo, sive extraneo rei putrescentis.

Calor igitur externus, sive extraneus, 132 alienus ac præter naturam in corporibus excitatus est, qui corpora nostra putrefacit, & corrumpit, ait Galenus; primùm quidem ipsos succos, sive humores propter maiorem eorum humiditatem, vel fluxibilitatem, deinde adipem invadit: cùm enim iste calor sit extraneus, sive præter naturam, & contrarius naturali, non est mirum, sed rationi consonum quòd contraria operetur; & sicut naturalis corpora præservat à putredine & corruptione, è contra extraneus corrumpit ea, ac putrescere facit: si enim calor nativus putredinem præcavet, quia corpora mixta conservat in perfecta mixtione, & partes humidas cum terreis permiscet perfectè, & inter sese nectit benè, nexásque conservat sine aliqua earum dissolutione, aut separatione; certè quidem calor extraneus, vel præter naturam, & contrarius naturali, contraria faciet, & per consequens quæ calor nativus miscet, & inter sese connectit, ac vnit, è contra præternaturalis segregat, dissolvit, separat, fundit, ac liquat, atque tandem putrefacit verè

& corrumpit, si vera sunt supradicta: quare benè dicit Gal. quòd putredo provenit à calore extraneo, ac præter naturam, & quòd is est & non alius qui corpora nostra, scilicet humores, ad ipsum & carnes putrefacit, & corrumpit. Hic advertit Gal. quòd calor nativus conservat nos, & partes viventes conservat, sanas, humidasque omnes præservat à putredine & corruptione, si ipse servatur, aut conservatur, in cordis quidem corpore per respirationem, in reliquis aliis partibus, tum per communicationem quam habent cum corde, & eius ventilationem, tum per eam aliam respirationis speciem, quæ per totam agitur cutim, & transpiratio dicitur: cùm enim calor dictus nativus noster non solùm vivens sit actu, sed semper mobilis actu fluens, & semper agitatus motu dilatationis vel contractionis, consequenter indiget semper ventilatione, sive dicta respiratione & transpiratione quibus non solùm in suo motu perennè conservetur, sed attemperetur, & ab excrementis expurgetur, ac integrè liberetur. Ex quibus fit, ait, vt his læsis vnà etiam naturalis calor lædatur: quare calor nativus nequit corpora conservare, nisi ipse respiratione & transpiratione servetur.

133 Ex dictis satis manifestè constare videtur quid sit putredo secundùm Galenum; quia tamen Aristoteles videtur aliter sentire de essentia atque natura putredinis, placet hîc tradere definitionem putredinis ab Aristotele traditam, & videre an consentiat cum definitione Galeni, vel si non, in quo differat, & ipsi inde auctores quomodo concordentur. Aristoteles igitur 4 *Metheor. cap.* 1. sic definit putredinem. *Putredo est interitus proprij ac naturalis caloris in vnoquoque humido ab alieno calore.* Quasi dicat: putredo est interitus, vel saltem imminutio illius caloris naturalis, qui est atque viget in interno & proprio humido rei cuiusque putrescentis, à calore alieno, aut extraneo: Vti enim in mixtis viventibus, atq; in animalibus duo dantur diversi calores, scilicet naturalis & extraneus, vel excrementitius; ita pariter datur duplex humidum, scilicet naturale & excrementitium: quo supposito, ait Aristoteles, quòd putredo est interitus non cuiusque caloris qui continetur in re quæ putrescit, sed illius proprij ac naturalis caloris qui viget in interno & proprio humido illius rei à qua continetur; & quòd istius caloris interitus fit ab alieno calore, id est ab extraneo, ac præter naturam, sive iste externus sit vti in aëre ambiente qui inspiratur, vel in cibo, aut potu qui assumuntur aut ingeruntur, sive iste sit calor extraneus, seu excrementitius, qui rei continentis est, sive qui in se putrescente continetur, qui alioquin expurgari debebat, tanquam malus, atque excrementitius. Dicit autem Aristoteles quòd putredo est interitus illius caloris nativi, qui est in vnoquoque humido proprio rei quæ putrescit, quia interitus illius alterius caloris, qui est proprius humidi excrementitij rei putrescentis non est putredo, sed potius extinctio causæ putrefacientis: nam re vera tale humidum excrementitium, & eius calor extraneus, atque putredinalis sunt causa, & quidem interna putredinis, ac per consequens cùm iste calor & eius humidum intereunt, extinguitur pariter putredo viventis corporis, vt quæ ab eis facta erat ac pendebat: quare si putredo interitus est, benè dicit Aristoteles quòd est interitus caloris nativi qui continetur & viget in proprio humido vniuscuiusque rei quæ putrescit, & non alterius vel illius, nedum illius qui viget in humido excrementitio rei putrescentis. Neque si putredo est separatio partium humidarum à partibus terreis rei mixtæ putrescentis, de separatione intelligitur humiditatis excrementitiæ ab aliis partibus naturalibus humidis: id de his potius à terreis, vel ab aliis partibus mixti: nam potius per separationem & expurgationem dictorum humidorum excrementorum præservantur corpora à putredine: quapropter si putredo est interitus caloris, est interitus caloris nativi rei quæ putrescit, & si est separatio partium humidarum à partibus terreis, est separatio humiditatum naturalium atque essentialium viventium, vel mixtorum, & non separatio humiditatis excrementitiæ.

Ex dictis constat quòd saltem terminis, & 134 ex explicationibus dictis, definitiones putredinis quæ ab Aristotele & Galeno traduntur, sunt diversæ: etsi enim ambæ dicunt, ac docent quòd calor extraneus est causa putredinis, in reliquis tantùm differunt: nam revera interitus caloris nativi, qui ex Aristotele est putredo, differt ab humidi putrescentis corruptela, quæ ex Galeno putredo est; quamvis in qualibet putrescente re dantur simul interitus vel diminutio nativi caloris, & corruptela proprij humidi: nam in putrescentibus corporibus à calore extraneo calor nativus minuitur, vel debilitatur, & ita quidem vt amplius conservare nequeat vnionem elementorum in mixto, neque vnionem partium humidarum cum terreis, sed debilitatus sinit quòd à calore extraneo separentur inter se, atque eliquentur, & sic corrumpantur, atque putrescant vera putredine, sive corruptela corrumpantur valde fœtida: vnde calor extraneus in corporibus putrescentibus duo operatur; primum scilicet calorem nativum minuit, vel ad conservandas partes mixtas in sua naturali ac perfecta vnione ac mixtione debilitat; & cùm hoc consequitur, simul etiam partes vnitas sejongit ac separat à seipsis, humidasque ad se, sive ad extra attrahit, sicque mixtum corrumpit, ac putrefacit, humidumque extrinsecè reddit humiditate olida, sive putrida valdè fœtida. Hæc sic se habere videns Galenus, credidit putredinem esse, non dictum nativum calorem diminutum, vt Aristoteles, sed potius dictam corruptelam, sive separationem

onem & liquationem partium humidarum mixtarum à terreis; & benè quidem: nam vel vera putredo est species corruptionis mixti, scilicet corruptio, siue liquatiò humidæ substantiæ mixti à calore extraneo; & per consequens putredo potius in corruptela consistit dicti humidi, quàm in interitu, vel diminutione caloris natiui, qui reperitur in tali humido, quamvis etiam in putredine reperiatur diminutus, vel extinctus natiuos calor: nam si ooo defecisset, aut debilitatus fuisset à calore extraneo oon putresceret humidum, sed conseruaretur mixtum cnm aliis substantiis ab illo: atque ita vt reputrescat, necesse est quòd à calore extraneo, ac præter naturam calor natiuos diminuatur, atque ad conseruandum humidum mixtum debilitetur, vt sic debilitatus partes humidæ mixti sejungantor à siccis, à calore extranco, sicque corrumpantur, atque putrescant: ex quo apparet quòd terminus à quo incipit putredo est interitus calnris natiui, & terminus ad qoem est corruptio mixti, siue proprij humidi corruptela, id est fusio, vel eliquatio atque extractio substantiæ humidæ mixti ab aliis eius substantiis, potissimum terreis. Quæ etsi ita sint, ex eis etiam appatet quòd putredo potius consistit in corruptione mixti, & in eius humidi corruptela, quàm in extinctione, vel diminutinne caloris natiui, quamvis hoc necessario præcedere debeat; & per consequens constat quòd essentia putredinis melius definitur, atque explicatur à Galeno, quàm ab Aristotele, ideoqoe definitio Galeni potius est tenenda.

TEXTVS.

Tanquam igitur in his corporibus quæ non viuunt, &c.

135 Explicata natura putredinis docet hic breuiter quomodo sit putredini succurrendum, vel quomodo potredo sit extinguenda, & vtrumque seruat curandum. Dicit ergo sic: Vt in corporibus non viuentibus si putrescunt, primùm, quantum eorum jam computruit, separatur, deinde quod reliquum est in frigido aere sublatum reponimus, vt sic liberè transpiret, debitéque ventiletur, ac refrigeretur: ita similiter & putredo quæ in viuis est orta curatur; & ita nos curare debemus quæ in nostris corporibus putrescunt, id scilicet quod jam corruptum est omni ratione vacuantes, quod reliquum est moderatis motibus, & refrigerante transpiratione, ac ventilatione ad debitam temperiem reducentes: debet aotem qnod jam putridum est, statim vacuari, & expurgari extra corpus, quia omne corruptum corrumpit sibi conjunctum; & similiter quod reliquum est debet redoci ad naturalem temperiem: oam oon solùm quæ putrescere incipiont à calore extraneo, & ab eo quod corruptum est, alterantur præter naturam, sed reliquæ corporis partes, & ipse calor natiuus; atque ideo cùm in nostro corpore humores putrescunt substantiæ humidæ post istorum expulsionem extra corpus, calor natiuus, & aliæ partes viuentes sunt ad exactam temperantiam reducendæ, non solùm moderatis motibus, sed etiam transpiratione modicè refrigerante, & sufficienter attemperante ac ventilante: calor siquidem natiuus, & partes viuentes nostri corporis per moderatos motus excitantur, viuificantur, roborantur, & ad bene operandum fortiores fiunt; & è contrario torpescunt, refrigerantur, ac languent: vnde consequenter euenit quòd res putrescibiles per moderatos motus præseruantur ne putrescant, & si non mouentur, cito putrescunt: quare si in nobis calor natiuus, & partes viuentes liberè non transpirant, & naturaliter non mouentur, vt accidit in quibus putredo suscitatur aliqua: nam vt infra videbimus, prohibita ventilatio est immediata causa putredinis, necessario debent moderatis motibus agitari, & sic excitari, ac fortiores fieri ad suos naturales motus bene exercendos; & pariter debent liberè transpirare refrigerante perspiratu, vt sic omnia ad exactam suam naturam reducantur, & summè percurrant. Hic etiam dicit Galenus quòd cùm humores putrescunt io nobis, vt accidit in febribus continuis, ac continentibus putridis per vrinam, alui dejectiones, vomitum, ac sudores, molimur euacuationem illius quod in totum putruit, & post hanc motiones mediocres, vnà cum ambientis aëris bona temperie adhibemus, vt *cap. sequenti* latius videbimus.

TEXTVS.

Nunc ad secundum in diuisione transeamus, &c.

Hæc est secunda capitis pars, in qua 136 Galenus demonstrat quæ sit causa immediata à qua putredo in nostro corpore excitatur, & qoa methodo Medicus remedium inuenit, quo eam adhoc manentem facilè tollat. Itaque quoniam transpiratio prohibita est, Galenus ait, immediata putredinis causa, hanc per contraria tollere oportet. Neque in hoc est vlla difficultas: at quia prohibita transpiratio variis modis excitatur, nunc scilicet à causis externis densatis corporis, ac cutis porositatibus, nunc cauitatibus vasorum obstructis, aut obcæcatis à causis internis, nempe ab humorum tum abundantia, tum crassitudine, tum lentitie sua obstruentibus: ideirco singulæ hæ affectiones curandæ sunt per sua contraria: densitati enim opponitur rarefactio,

factin, & constrictioni fusio; ac consequenter si cutis & habitus corporis densatis poris constipentur, tales densitates per ea quæ rarefaciunt sanantur; si verò non densitate, sed constrictione pori cutis & corporis stipentur per ea quæ funduntur, sanabitur constipatio, atque prohibita ventilatio à dictis constipationibus orta, vt si vasorum cavitates obstruantur ob humorum abundantiam per ea quæ multitudinem vel redundantiam humorum evacuant, si ob crassitiem eorum, per ea quæ attenuant, ac dissecant, & denique si ob lentorem per ea quæ abstergunt, de quibus hic plus non agit Galenus, neque nos pluribus agemus, cùm de eisdem *in superioribus libris* pleniùs sit actum, & inferiùs sit etiam agendum. Sed advertitur hic quòd si putredo, & eius causæ, vel aliqua dictarum causarum occupaverint totum corpus, etiam toti corpori per contraria est succurrendum; si verò vnam tantùm aliquam partem putredo invaserit, atque occuparit, illi esse adhibenda jamdicta remedia. Tandem advertit non omnes partes requirere easdem vacuationes aut medicamenta, sed diversa, prout ipsæ partes temperamentis, positutis, sive situationibus, forma, & denique constitutione, naturaque inter se diffident. Quemadmodum verò singulis dictorum sit opitulandum vel occurrendum, in sequentibus, ait, disquiremus. Quasi dicat: In præsenti capite solùm affectiones proponimus quæ in febribus putridis reperiuntur, atque indicationes tangimus quæ à singulis affectibus oriuntur; & tamen indicata omnia quibus tales affectiones & causæ ipsarum curantur, atque debent tolli, si adhuc præsentes sunt, & in corpore manent febrem & putredinem causantes. Quomodo autem, vel qua vera methodo singulis sit occurrendum in sequentibus videbitur: nam post hæc in sequenti & aliis capitibus singula pro conveniente sermonis ordine exquiremus.

Dubitationes, ac annotationes super Textum.

137 De essentia putredinis dicta sunt plura in explicatione diffinitionis ipsius: aliqua tantùm restant adhuc explicanda quæ in putredine reperiuntur, de quibus hic agere intendimus, vt sic putredinis natura magis definita maneat. Pro intelligentia igitur primæ dubitationis advertimus quod alibi Aristoteles dixit *loco supra citato, quarto Metheor. capite primo.* Omnia scilicet quæ putrescunt, quamvis humida sint à prædominio, ad extremum tamen exsiccantur, atque in fumum & terram tantùm convertuntur ac desinunt. Quæ cùm sic se habeant, dubitatur quare in putredine hoc ita accidit, & quænam est causa talis resolutionis? Respondetur facilè & verè quòd cùm res quæ putrescit fundatur à calore extraneo, atque effervescat, consequenter fit quòd tota humiditas vel substantia humida, quæ per putredinem fervet, atque funditur, vel eliquatur, extrahitur sic ac separatur ab aliis partibus quæ nequeunt fundi, scilicet à terreis, & separata tandem exsolvitur, aut in vaporem vel fumum convertitur insensibilem, qui per cutim exhalatur, solùmque in subjecto relinquitur terra & fumus, aut cineres terrestres, qui non potuerunt exhalari: quæ enim humida sunt ex sua essentia, sunt semper & necessariò resolubilia, quia humiditas suo termino non finitur, vt ait Aristoteles, sed semper cedit termino alieno; atque ideo si substantia humido aliquo continente & conservante non continetur, exsolvitur necessario, evanescit, atque sensim ac sine sensu exsiccatur; & consequenter substantiæ humidæ quæ putrescunt, si non cessat putredo, omnes tandem abeunt, aut evanescunt, solúmque in re putrescente remanet terra, vel terrea alia substantia.

138 Nunc vt secunda dubitatio proponatur, advertimus hic, & in memoriam revocamus quòd causa putredinis est calor extraneus, sive ille sit externus, vt qui in aëre ambiente sæpe reperitur, sive non sit externus, sed internus sit, & ab ipsis corporibus quæ putrescunt oriatur: nam re vera non omnia quæ putrescunt, putrescunt à calore externo præter naturam, vel à calore externo putrefaciente, sed multa putrescunt quidem, & præsertim in nostri corporibus, ab extraneo calore interno, sive ab ipsis corporibus orto. Hoc ergo sic notato, dubitatur modo quis est iste extraneus ac præternaturalis calor qui putredinis est causa, & ab ipsis corporibus quæ putrescunt oritur, & non ab extraneo aëre ambiente, neque ab alia re externa? Respondetur etiam facilè & verè esse calorem nostrum nativum præter naturam factum, vel in calorem præter naturam mutatum. Calor nos occidit, ait Hippocrates qui corpora produxit; & verè quidem: nam qui est calor naturalis in nobis, atque in aliis animalibus, ac viventibus, dum naturalis est, id est, dum in sua naturali constitutione, ac perfectione conservatur & permanet, omnes nostri corporis naturales operatur actiones, ab coque vivimus, movemur, ac sumus toto vitæ tempore, vt multoties antea dictum & expositum est. Si verò iste calor naturalis mutatur præter naturam, quamvis substantia non mutetur, sed solùm temperie, fiatque extraneus vel præter naturam, quamvis substantia non mutetur, auctus; siquidem mutatus non amplius rectè operatur, neque amplius nos conservat, sed potius contra lædit nos, vel occidit, vel corrumpit: & ita calor nativus extraneus factus, vel præter naturam calefactus, vel causa putredinis, vti alius quisque externus, ac præter naturam auctus. Vt enim calor nativus dum naturalis est, vnit perfectè partes mixti inter se, & potissimùm substantias humidas cum terreis; ita

pariter

pariter ipſe calor naturalis, ſi ſe calidior redditur præter naturam, lædit tunc noſtri corporis actiones, & ſiunt partes mixti diſcóntinuari; imo partes humidas ſundit, liquar, ac ſeparat à terreis, & per conſequens mixtum corrumpit, veréque putrefacit: quare verum eſt quòd calor nativus factus extraneus, eſt cauſa interna putredinis.

139 Sed dices contra: Ex Ariſtotele, vt ſupra dicebamur, calor nativur in putredine non augetur, ſed è contra extinguitur, vel ſaltim minuitur, vt nos demonſtravimus; ergo in putredine calor nativur nequit eſſe cauſa interna putredinis, nedum factus extraneus, cùm in putredine factus extraneus non augeatur, neque incendatur, vt ad putredinem efficiendam requiritur, ſed potius refrigeretur, vel intereat, vt ait Ariſtoteles. Vt rectè reſpondeatur, eſt advertendum quòd calor nativus, qui factus extraneur, vel intenſur eſt in nobis cauſa interna putredinis, non is qui in putredine extinguitur, vel imminuitur, ſed alius diſtinctus: nam ſicut calor nativus influens & inſitur ſunt diſtincti, ita vnur, verbi gratia influens poteſt intendi, & alius extingui; & ſimiliter in putredine calor nativus influens poteſt fieri extraneus, atque intendi præter naturam, & inſitus è contra extingui: nam revera in putredine, ſive in ſubſtantia quæ verè putreſit, calor eiur inſitus extinguitur; & ideo putreſcit talis ſubſtantia, quia dictus eius calor emoritur, vel extinguitur à calore extraneo, ſive ab alio influente præter naturam auctus: vnde jam habemus quomodo calor nativus poteſt eſſe cauſa putredinis, & poteſt eſſe extraneus in putredine. Modo vlterius eſt notandum, quòd etiam vnus, ac idem calor nativus poteſt fieri ſibi ipſi extraneus, & poteſt ſe ipſum interimere, atque eſſe cauſa putredinis ipſius: cùm enim calor nativus ſit ſubſtantia puriſſima, ac perfectiſſima noſtri corporis, & benè temperata, etſi actu calida, ac ſemper mobilis, ex his facilè evenit quòd talis calor nativus fiat ſibi ipſi extraneur, ſeu præter naturam, & quidem multis modis; ſcilicet ſi liberè non movetur, vel non ventilatur ſemper, ſi anguſtiori loco circumdatur, ſi non ſuffocatur, intenſior ſe ipſo redditur, ait Montanus, & experientia comprobatur; & conſequenter noſter etiam calor in anguſto loco concluſus, vel intenditur præter naturam, vel quod peius eſt extinguitur ſuffocatus. Tertio fit extraneus, ſi eius ſubſtantia fœdatur terreir excrementis, vel alia ſubſtantia impura, putrida, vel aliter corrupta: quare calor nativus ſive ſit influens, ſive inſitus, ſive ipſi poterit fieri extraneus, ſi intendatur præter naturam, & poterit à ſeipſo ſuffocari, corrumpi, & extingui, ſi non ventilatur, ac per conſequens poterit eſſe cauſa putredinis ſui ipſiur, vt patet in ſebribur putridir, quæ fiunt ex obſtructionibus humorum; in inflammationibur quæ putreſcunt, & in aliir calidis humoribus qui in gangrenam terminantur: in hir enim omnibus caſibus calor nativus primùm intenditur præter naturam, & ardet, ac ſebrem excitat, quia non liberè ventilatur, deinde fundit, ac liquar ſubſtantiar humidas, ſicque eas corrumpit, ac ſeparat ab aliis, & tandem ſe ipſum interimit, aut ſuffocatur, ſi obſtructio non tollitur, ſed in totum impedit ventilationem.

140 Tertia dubitatio examinanda ſit, quare Galenus duar tantùm refert hic indicationes exequendas ad curandam putredinem, qua alibi tertiam etiam ponit? Vti enim in præſenti capite putredinem curat, primùm extrahendo à corpore quod in totum putruit, & poſtea quod modo putreſcit, vel ad putreſcendum eſt actu diſpoſitum corrigendo moderatis motibur, & ventilatione libera; ita iis duabus indicationibus in Arte medicinali & aliis locis tertiam addit, ſcilicet concoctionem: nam coctio & putredo ſunt oppoſita; & ideo coctio facit ceſſare putredinem manente ſubſtantia, vt *loco citato* dicit Galenus. Vti enim putredinir terminur eſt rei corruptio, ita terminus concoctionis eſt extinctio putredinis; & ideo Hippocrater: *Coctiones*, inquit, *criſis celeritatem, & ſalutis ſecuritatem indicant*; tum etiam nihil male evenire poteſt vlceri pur generanti; pur inquam optimum, quodque eſt concoctionis bonæ ſignum certum: quare non eſt dubium quin coctio humorum in ſebribus putridis, & generaliter coctio in qualibet putredine eſt peculiaris indicatio ad curandam ipſam putredinem, & per conſequens merito dubitatur hîc cur Galenur in Textu inter alias indicationes curativas putredinis non annumeravit coctionem humorum, vel eorum quæ putreſcunt? Reſpondetur eſſe verum quòd coctio facit ceſſare putredinem, & conſequenter concoctio eorum quæ putreſcunt eſt ſpeciale indicatum ad extinguendam ipſorum putredinem: imo ex ipſo Gal. pars quæ in putredine in totum putruit, & omnino corrupta eſt, ideo protinur extirpanda eſt, ab aliiſque ſeparanda, atque expellenda, quia quæ ſic jam mala eſt non poteſt concoqui, neque redire per coctionem vllam poteſt ad ſtatum naturalem: quæ enim ſemimala tantum ſunt, vt quę putrefiunt, nondum tamen ſunt putrida, hæc ſunt quæ concoqui poſſunt, quæque per concoctionem curantur, id eſt à putreſcentia liberantur, atque ad priſtinam ſanitatem redeunt; & ideo loco citato, *libro Artis medicinalis, cap. 89*. Gal. duplicem indicationem putreſcentium humorum ſtatuit, ſcil. alteram evacuationem eorum, & alteram concoctionem: nam hæc, inquit, facit ceſſare putredinem: quare coctio non tollitur nunc à Galeno, ſed ſupponitur, & eam illir motibus, atque ventilatione comparare nititur: nam coctio vera & propria, de qua loquimur, eſt opur caloris nativi; & hæc eſt quæ

quæ verè facit cessare puttedinem, quæque subiectam materiam crudam matutat; atque seminalam mutat, mutatione totius substantiæ ad statum meliorem, sive naturalem extinguens quod seminalum erat, vel saltem separans, atque exputgans, ab alio quod est bonum: hæc ergo vera coctio est opus caloris nativi bene operantis, & non aliter: ideoque Galenus & in præsenti capite & in arte medicinali & alibi sæpè totis suis viribus per evacuationes humotum redundantium pet debitos motus, per alias materias ac ventilationes nititur calorem nativum excitare in morbis ad dictam concoctionem moliendam: & peculiariter in febtibus puttidis variis vtitur medicamentis frigidis & siccis quibus tum dictus calor temperetur, & robotetur ad operandum, sive concoquendum, tum vt humores putrescentes corrigantur, & sibi disponantur, vt calor nativus eos facilius vincat concoquat, & ad statum salubtem reddat: quare & hic & alibi semper Galenus concoctione etiam vtitut vna cum aliis ad extinguendam puttedinem.

141 Hic etiam dubitatur an non solum quod seminalum est, vel semiputridum possit per concoctionem emendari, verum etiam quod in totum putruit, & si enim quod iam omnino corruptum est, nullo modo possit redite ad statum natutalem; quia de privatione ad habitum non datur regressus naturaliter, & re vera, quod omnino puttidum est vel cotruptum iam priuatum est habitu naturali: etsi inquam hæc sic se habeant; tamen dubitatur bene, an quæ, vt dictum est in totum sunt iam putrida poterunt aliqua ratione per concoctionem, vel pet aliam viam corrigi, atque emendari? Quæ vt magis intelligantur advertimus duobus modis posse quod corruptum vel putridum est omnino emendari, primo si impediatur ne vlterius putredo intendatur, secundo si putredinis accidentia corrigantur, vel auferantur, verbi gratia fœtor, & acrimonia. Advertimus etiam quod dubium potest esse in rebus non solum animatis, sed & in illis quæ anima carent, & vita; nam, & carnes, & alia quæ non vivunt concoquuntur, & pet coctionem perfici expetimur multoties, etiam si secundum aliquid iam putrescant. Quibus sic soppositis, atque notatis respondetur dubio affirmativè: quæ enim concoquuntur, etsi putrida sint iam, & nullo modo tedire queant ad statum naturalem; tamen per coctionem aliqua ratione emendantur, quia minus fœtent, & minus mordent, & aliqua ratione impeditur putredo ne ita cito vlterius progrediatur; & siquidem quæ putrida sunt, neque coctione aliqua, possint perfici; quia tamen per coctionem multa fit exhalatio fuliginosæ substantiæ; ideo etiam quæ putruerunt si concoquantur, post illam coctionem mitescunt, & minus fœtent, ac mordent, quam antea, quia scilicet per coctionem putridæ fuligines; quæ sunt magis aëreæ & fœtidæ quam alia quæ non evaporantur, multum fuerunt exhalatæ, vel resolutæ: vnde constat quam bene faciunt medici qui etiam materias putridas conantur concoquere in febribus putridis, atqoe malignis, vt sic eas facilius possint expurgare: corriguntur enim multum si vt possunt concoquantur, & tunc sine torminibus, vel aliis animæ anxietatibus expelluntur à corpore; & è contra eum his si sine dicta coctione expurgantur.

Sit quinta dubitatio, an putredo fiat sem- 142
per à prohibita ventilatione; vel potius an febris puttida fiat semper à prohibita ventilatione. Nam quamvis in præsenti capite Galenus solum afferat causam puttedinis, & febris puttidæ; tamen in multis aliis locis docet fieri puttedinem, non solum ab obstructione, sed ab aliis caosis; *libro enim de causis morbor. capite octauo*, vbi ex professo agit de causis potredinis, non solum ab obstrctione fieri docet, sed ab aliis multis causis; *libro* etiam *de inequali intemperie, capite septimo*, non ea solum, dicit, quæ perspiratu carent puttescunt, sed & alia multa quæ puttedini sunt opportuna: primo similiter *de differentiis febrium capite quinto*, demonstrat putredinis causas esse obstructionem & plures alias causas: supra quoque *libro nono capite quinto*, doeet plenitudinem ad vires corrumpere cito humores, qoamvis plenitudo ad vires neque obstruat, neque corporis transpirationem moretur; quæ cùm sic se habeant videtur quærere, an putredo fiat solum ob prohibitam ventilationem; sed satius erit examinare an semper febris putrida fiat ab obstructione, vel aliter prohibita ventilatione, vt in præsenti capite videtur Galenus statuere. Itaque, vt nulli dubium est qoin semper obstructio, vel prohibita ventilatio est causa putredinis, & febris putridæ; ita dubium est apud omnes, an omnes febres putridæ oriantur ab obstructinne, vel prohibita ventilatione, an non, sed aliqua vel aliquæ sint putridæ febres, verè puttidæ, quæ neque ab obstrnctione neque ab alia vlla prohibita ventilatione oriantur? In qua re certum est etiam quod febtes putridæ, saltem maiori ex patte, aut fere semper fiunt ab obstructione, vel alia prohibita ventilatione: quia scilicet tum obstructio, tum quælibet alia corporis condipatio privant calorem nostrum nativum sua debita ventilatione qua priuatus non solum præter naturam accenditur, & febrem excitat, sed humores putrescunt in corpore non ventilati febrémque generant putridam: quare solum dubitatur an aliqua, vel aliquæ sint putridæ febtes, quæ ab humorum putredine oriantur sine obstructione vel alia libera impedita ventilatione.

Communis est sententia Valentinorum 143
quod non datur febris aliqua puttida quæ non dependeat ab obstructione, vel alia prohibita corporis, atque humorum ventilatione. Probant hanc suam sententiam, tum ex Galeno, tum ratione: primum enim Galenus, inquiunt, neque in *hoc libro vndecimo methodi medendi*, neque in *primo de arte*

curatiua

curativa ad Glauconem, dictarum febrium præter illam quæ convenit febribus ab obstructione ortis sentit: ergo quia ex Galeno nulla est febris putrida quæ non dependeat ab obstructione, vt ab alia prohibita humorum & caloris nativi ventilatione: si enim Galenus talem esse febrem supponeret, saltem adverteret in his locis eius propriam curationem, vel saltem diceret jam non distingui eius curationem à curatione communi vel propria aliarum febrium putridarum; quod cùm non dicat, neque aliquid advertat, magnum inde sumitur argumentum ad credendum, ac persuadendum ex Galeno quòd non datur aliqua febris putrida quæ ab obstructione non dependeat. Rursus ex Galeno constat *supra librum octavum, capite quarto*, quòd vitiosus succus, nisi penitus transpiret, necesse est vt putrefiat: quare vt transpiret, si robur ægro non deest, secanda vena est, etiamsi plenitudinis signa non adsint. Etiam *libr. 1. cap. 3. de differentiis febrium*, docet quòd humores quantomvis sint vitiosi in nobis, non accendunt febrem, si liberè transpirant; quod etiam nos experimur sæpè: nam non solùm in illis qui laborant morbo Gallico, sed in multis aliis experimur quòd sanguine misso exit corruptus nimis, & humores in corpore sunt vitiosi nimis, quamvis cum eis nulla sit febris: ergo hæc etiam argumenta sunt quòd non datur febris putrida sine obstroctione. Ratione etiam probat eandem sententiam, sumuntque argumentum ex curatione. Dicunt ergo: si daretur talis febris putrida sine obstructione, vel alia constipatione corporis, atque humorum, cùm putrida sit necessariò deberet curari sanguinis missione, & medicamentis quæ detergant, atque putredinis aperiant obstructiones, vel impeditas ventilationes, etiamsi plenitudinis signa non sint, vt dicit Galenus *supra loco citato*, & talia remedia sine methodo exequentur, cùm non dentur indicationes: vnde neque sanguinis missio, neque dicta medicamenta indicabuntur si non datur obstructio, neque aliqua vitiosi humoris redundantia, vel alia impedita ventilatio: ergo neque dabitur aliqua febris putrida quæ non dependeat ab obstructione, vel alio simili, vnde sumantur indicationes, & vera methodus ad dicta remedia ritè exequenda.

144 Hæc quidem aliquam vim facere videntur: sed his non obstantibus, multi sunt magni Medici, qui contrariam tenent sententiam, quia accidunt aliquando aliquæ febres putridæ, in quibus nullæ inveniuntur obstructiones, neque aliqua plenitudo, aut redundantia humorum, neque denique vlla alia impedimenta transpirationis, aut liberæ ventilationis caloris nativi, neque humorum. Accidunt etenim interdum aliquæ febres in nobis in constitutionibus calidis & humidis aëris ambientis, & quidem putridæ, ex solo ipso aëre externo, per inspirationem, aut transpirationem attracto, nulla existente in corpore plenitudine, vel alio humorum vitioso aperiatur: sic etiam in constitutionibus pestilentibus, & in febribus pestilentibus per solum contagium geniti humores putrescunt, faciuntque febres pestilentes putridas ex sola aëris externi, vel contagij communicatione, etiamsi corpora in se sana sint, & humores sine aliqua obstructione, vel redundantia, vel alia sensibili dispositione præter naturam ad putredinem illam concipiendam, ac febrem illam putridam pestilentem excitandam. Etsi enim communiter dicatur quòd causæ externæ non operantur in nobis, nisi movendo internas, & penes earum dispositiones: hoc tantum semper verum non est, sed cùm causæ externæ sunt mites, vel saltem non extremæ: si enim causæ externæ, extremæ sunt, vel omnino præter naturam, vt accidit in vera peste & vera febre pestilente, tales quidem causæ naturam per se lædunt, atque humores corrumpunt, quamvis neque natura, neque humores ad id sint dispositi, vt experimur in illis qui sani sunt, & ex veneno assumpto cito pereunt, vel in febrem, aut aliud pravum malum incidunt. Tandem si plenitudines ad vires neque obstruunt cavitates vasorum, neque corporis transpirationem morantur, aut impediunt, vt *supra libro nono, capite quinto* docet Galenus, & tamen humores putrescere faciunt; & per consequens generant febrem putridam: nam febris putrida dependet à putredine, & putredo humorum est causa mediata febris putridæ: si inquam hæc sic se habent, consequenter demonstrat quòd febres putridæ quæ fiunt ob solam plenitudinem ad vires est sine aliqua obstructione, aut prohibita ventilatione. Neque valet si dicas quòd à plenitudine ad vires putrescunt humores, sed non faciunt febrem, quia neque obstruunt, neque transpirationem corporis morantur: non inquam valet, vt experimur in ipsis putridis febribus ex obstructione & prohibita ventilatione ortis, in quibus etiam apertis obstructionibus, & ablata impedita transpiratione perseverat febris, quia adhuc putredo humorum perseverat, vel quia nondum humores putridi sunt purgati, sed putridi in corpore remanent, etsi liberè tunc transpirent, ac ventilentur; & ideo in curatione dictarum febrium non solùm obstructiones sunt aperiendæ, & prohibita transpiratio tollenda, sed etiam humores qui remanent sunt concoquendi, & putridi purgandi, vt sic tandem febris ex-

tinguatur, aut cesset, scil cet ablatis omnibus eius causis efficientibus & conservantibus.

145 Item instabis, & dices, si hæc ita sunt, ergo non erit verum quod antea diximus cum Galeno, scilicet quòd humores quamvis sint vitiosi, aut putridi, vel corrupti in nobis, non faciunt febrem si liberè transpirant, neque humores qui in morbo Gallico vitiantur, ac corrumpuntur, erunt sine febre aliqua, cùm in hoc morbo sanguis & alij humores putrescant, & quidem toto genere, vel à tota substantia. Qui morbos concedunt occultos, consequenter possunt dicere quòd putredo humorum potest fieri à causa occulta, vel manifesta; à causa occulta, vel in morbo dicto Gallico; à causa manifesta, vt quæ provenit ab obstructione, vel alia prohibita ventilatione humorum; & ideo putredo quæ provenit à causa occulta, quamvis humores corrumpat, non facit febrem, si tales humores ex alia parte non obstruantur, sed liberè transpirent: nam qui sic transpirant, etsi sint putridi, per insensibilem totius corporis transpirationem mittunt foras suas fumosas ac putridas fuligines; & ita cor & corpus à febre liberantur quæ ex detentis illis fuliginibus & non liberè expulsis per dictam corporis transpirationem necessariò debebant laborare. Sed neque hoc ita dicere sufficit, quia in putridis ex obstructione ortis experimur perseverare febrem post ablatam obstructionem, & impeditam transpirationem, & per consequens postquam humores putridi suas fuligines expurgant per habitum corporis: quare alia est invenienda via, vt dubium bene solvatur. Sit igitur conclusio. Cùm ex Galeno plenitudo ad vires & putredinis & febris putrida sit causa citra obstructionem, vt *primo de differentiis febrium* est videre; consequenter dicendum est cum acutissimo Valezio *in Commentario*, & potissimùm *quinto Controversiarum, capite vltimo*, dari febres putridas sine obstructione, sed non sine impedita ventilatione; & ideo si febres putridæ perseverant reserata & ablata obstructione, est quia permanet impedita ventilatio: si autem putredo est sine obstructione, & liberè ventilatur, non facit febrem.

146 Quod verò hæc sint vera constat ex ipso Textu Galeni *loco citato*: ibi enim Galenus duo docet; primùm fieri febres putridas, & humores pravos ac corruptos generari non solùm ex obstructionibus & prohibita ventilatione, ob redundantiam ipsorum humorum, sed etiam ex assumptis pravis alimentis, & ex plenitudine dicta ad vires: deinde scribit ita. Nihil igitur mirum, cur ex his qui cruditate laborant, scilicet dicta nonnulli febricitant; alij verò non. Quasi dicat: non omnes qui plenum habent corpus cruditatibus, vel pravis dictis, atque corruptis humoribus febricitant: sed alij quidem febricitant, alij non: qui enim plenum habent corpus talibus pravis, atque corruptis humoribus, nulla autem est obstructio in aliquo viscerum, sed liberè ventilatur, ac refrigeratur per cutim, totum animal sanum est quidem, sed lubricam, & fallacem salutem habet; & ideo si qui iam pravis dictis succis pleni sunt, liberè non difflantur, & intempestivè laborant, vel aliis agitantur motibus, promptum est vt in febrem incidant: qui verò dictis succis pleni sunt, si bene difflantur, & quiescunt potius quàm intempestivè se exagitant, & ventriculo, & hepate robusti sunt, non febricitant: manet in illis tunc circa ventriculum & hepar quidquid corruptum est, & spatio temporis paulatim concoquitur, & bonum efficitur; id est paulatim concoquitur, atque corrigitur, eo modo quo est satis, vt inde febris non sequatur, sed sine ipsa corpus perseveret, nisi ob aliam causam fiat febris.

Itaque iuxta hanc Galeni doctrinam 147 dicit Valesius, etsi multis exemplis apertum est, obstructionem esse promptissimam causam putredinis, & facile ventilationem omnium maximè à putredine liberare; tamen alij sunt modi putredinis generandæ: nam contactu rei putridæ potest res aliqua putrescere, etiamsi obstructa non sit. Præterea ex ea multitudine, quæ ad vires dicitur, nascuntur facillimè febres putridæ, vt docet Galenus, non quidem gratia obstructionis: nam vt talis fiat multitudo, non est opus obstructione, neque necesse est adesse vasorum repletionem, sed sufficit maiorem esse humorum copiam, quàm pro magnitudine virtutis: etsi enim plenitudo ad vires non est tanta, quod ob eam aut vasa repleantur, aut corporis transpiratio impediatur, sed expedita omnia remaneant ad ventilationem, vt *supra, libro nono, capite quinto* cum Galeno demonstravimus. His tamen non obstantibus humores in plenitudine ad vires liberè, & vt convenit non transpirant, ait Vallesius, & bene propter naturam invalidam: vt enim in plenitudine ad vires humores à natura invalida non bene regulantur, neque bene conficiuntur, ita neque bene ab ipsa ventilantur, sed parum, aut minus quàm fieri debebat, propter eius languorem, est quia ab ipsis humoribus, etiamsi non redundent, gravatur: nam vires languidæ à quovis offenduntur, & ostendunt pulsus, qui in hac plenitudine ad vires sunt parvi, inæquales, & inordinati, quia natura gravatur; & ideo malè ab ea ventilantur, atque malè ventilati putrescunt, &

& febrem putridam generant. Itaque fieri potest, ait Vallesius, vt in plenitudine ad vires absit omnis obstructio, & viæ omnes sint reseratæ, sive satis apertæ, vt per eas liberè aër externus ingrediatur, ac egrediatur, & fuligines corporis expellantur; sed tamen difficilis ventilatio non deficiet, cùm non absit proprium eius signum, scilicet pulsus parvus & inæqualis inæqualitate multorum ictuum: licet enim tunc arteriæ obstructæ non sint, sed potius liberæ ab omni oppressione, parum tamen & inæqualiter pulsant, propter facultatem ad vires gravatam, vel quia tunc facultas ab humoribus gravatur, etiamsi in se multi non sint: nam cùm libera non sit ventilatio, est prohibita: potest autem non liberè transpirare nostrum corpus, non ex eo tantum quòd obstructæ sint viæ, sed ex eo etiam quòd facultas sit gravata, vel quia vasa sunt inepta, vt cùm arteriæ sunt duræ, vel parum molles, vt liberè dilatentur.

148 Vltima dubitatio oritur ex dictis: si enim bene definitum est ex Galeno non omnes febres putridas ex obstructione generari, neque omnes prohibitas ventilationes oriri ex obstructione: dubitatur bene hìc, cur Galenus tum *in hoc libro*, tum alibi cùm febres putridas curat, docet esse curandas resolvendo vnamquamque earum, quasi per necessarias causas in putredinem primùm, deinde putredinem in prohibitam ventilationem, & hanc postea in obstructionem, & denique obstructionem in multitudinem, crassitiem, vel lentorem humorum. Respondet Vallesius, non ideo hæc ita fecisse Galenum, quòd putaverit nullam posse dari febrem putridam sine obstructione, aut putredinem sine prohibita ventilatione: nam hoc illum scivisse alia loca allata supra testantur: sed quia quod ad curationem attinet, perinde est atque si omnes dictas haberent causas: cùm enim aliquis laborat febre putrida, semper opus est aperire vias, & putredinem inhibere, aut humores putres evacuare, etiamsi ventilatio maior sit, quàm in homine temperato: nam quo maior ea est, eo plus confert, & nunquam obest magnitudini: neque evacuare humores vitiosos nocet vnquam, etiamsi obstructiones non efficiant, sed necessarium est, vt levata sic natura quod reliquum est facilius vincat: ideo enim Galenus infra, capite decimo quinto, *Saluberrimum*, inquit, *est in omnibus febribus putridis sanguinem mittere; non in continentibus solùm* (quæ ex obstructione oriuntur) *sed etiam in aliis, quas putrescens concitat humor*, sive sint cum obstructione, sive sine illa: levatur siquidem natura ab eo quod veluti sarcina præmittitur, & inde postea quod reliquum est facilius vincit & concoquit: quare febres putridæ, etiamsi continentes non sint, neque continuæ, neque ex plenitudine ortæ, vel ex obstructione, sed ex sola humorum putredine, vt accidit in illis quæ pendent solùm à plenitudine ad vires, & in illis quæ solùm generantur à causis externis, vt in constitutionibus aceidit pestilentibus, aliisque similibus aëris ambientis pravis constitutionibus; omnes curandæ sunt, ait Galenus, per eas indicationes, quibus curantur continentes, perinde ac si omnes haberent easdem causas, quas continentes habent: quia re vera omnes indigent evacuatione primum illius quo veluti sarcina natura gravatur, atque ideo putrescit: deinde quod reliquum est debet concoqui, si concoqui potest, vel si alterari, entrigi, & bene disponi, vt facilè expurgetur à natura, vel ab arte. Solum est in eo differentia, quodque febres putridæ non pendent ab obstructione, neque ab humorum plenitudine debet minus evacuari multo in principio, quàm aliæ quæ ab illis oriuntur ac dependent: in iis enim non solùm ob putredinem, sed ob plenitudinem deponendam, atque vt vasa obstructa aperiantur statim, sanguis est mittendus, & in multa quantitate, si vires consentiant: in aliis autem solùm vt natura à sarcina liberetur, vel ab eo quo gravatur, quod in plenitudine ad vires non est multum, quia vires debiles à quovis offenduntur.

Ex his & aliis suprapositis, atque explicatis patet quid sit respondendum Valentinis qui contrariam tuentur sententiam: 149
patet enim ex dictis quòd si Galenus neque *in hoc libro*, neque *in libro primo de Arte curativa*, neque *in alio loco* egit de peculiari curatione earum febrium putridarum, quæ ab obstructione non dependent, ideo est quia curantur eadem methodo atque curantur illæ quæ fiunt ab obstructione. Patet etiam quòd si humores putridi, vel aliter vitiosi, neque in morbo Gallico, neque in aliis occasionibus faciunt febrem, ideo est, quia neque obstruunt, neque naturam gravant, sed ab ipsa coërcentur, & rite ac rectè gubernantur: natura enim potens, ait Gal. *libro superiori, capite quarto*, superat omnes errores, atque dum potens est omnia contemnit, ac sustinet, vti vires languidæ à quovis offenduntur; & ita si humorum corruptela, aut putredo coincidit cum virium robore, non facit febrem, quia à natura regitur, ac debite gubernatur; è contra si vires gravat, non solùm febrem facit, sed putridam, & sæpè malignam, propter sui malitiam, & virtutis læsionem, vel nimiam jacturam: si enim vires debilitantur, & morbus superior evadit, nullus curationi relinquitur locus, ait Hippocrates *quarto de victus ratione, sententia vigesima secunda.* Patet tandem ex modo dictis quod non solum febres putridæ quæ pendent ab obstructione & humorum repletione curantur vera methodo, per communes indicationes quæ desumun-

tur ex putredine, & eius causis, scilicet prohibita ventilatione & obstructione, sed etiam aliæ putridæ, quæ catent obstructione, atque humotum repletione, vt quæ solùm fit ex plenitudine ad vires: etsi enim istæ obstructione xliqua non laborent, neque vasorum repletione, sed omnia sint sufficientet aperta & pervia; etsi inquam in febribus putridis ex plenitudine ad vires ortis, vel aliis similibus, nihil dictorum adsit, aut noceat; illæ tantùm evacuari indicant illius quod vires gravat, sive in his id quod gravat indicat imprimis sui evacuationem, saltem vsque quo quod reliquum est possit natura concoquere ac vincere; & consequenter ex his etiam indicantur medicamenta concoquentia, & expurgantia: imo & aperientia ac ventilantia, cùm per ista natura multum juvetur ad bene operandum, sive ad extinguendam ipsam putredinem, & putrescentes humores corrigendos, atque ad salubrem statum revocandos: quare à primo ad vltimum omnes putridæ febrea curantur vna & eadem methodo, ea scilicet de qua *in hoc libro* agit Galenus, & quam à curatione describit, atque explicat.



CAPVT IX.

Quomodo, & per quas vias humores putrefacti in febribus extra corpus sint evacuandi.

150 
Ositis *superiori capite* omnibus indicationibus quæ in febribus putridis inveniuntur examinandæ, & exequendæ pro earum debita curatione, accedit jam in præsenti ac sequentibus capitibus ad particularem demonstrationem, atque exercitationem dictarum indicationum; & quia in curatione febrium putridarum id esse primùm tollendum dixit, quod corruptum jam est aut putrefactum; ideo in *præsenti capite* docet per quas corporis vias excernatur putredo in febribus, sive id quod in febrium putridarum focen jam putruit; & quia focus putredinis potest esse vel in omnibus vasis, vt in continentibus, vel in vna particulari parte, vel in aliis accidit febribus: Incipit ab vniversali vel magis communi, explicatque in isto capite per quas vias putredo quæ est in omnibus vasis debet expurgari: verbi gratia in febribus synochis, sive continentibus putridis, quæ focum putredinis habent in omnibus vasis, vel saltem in maximis quæ inter inguina & alas continentur; in his inquam febribus per quas vias debeamus expurgare docet, quod in dictis partibus corporis putridum fuerit, & vt tale extra corpus expurgari postulat per convenientes regiones: Docet ergo primò per quas vias dicta putredo expurganda sit, & quibus pharmacis, potionibus, vnctionibus & lavacris sit facienda talis putredinis expulsio: deinde docet quomodo & à quo coquendi sunt humores semimali. Tertia contra methodicos disputat: quare caput secatur in tres partes.

TEXTVS.

Ergo quemadmodum singulis sit opitulandum, id postea, &c.

DVas potissimùm esse indicationes adim- 151
plendas in curatione febrium putridarum docuit Galenus *capite superiore*: nam primùm, inquit, quod putridum jam est debet protinus extrahi, atque à corpore expurgari; deinde quod putrefit, & ad putrescendum est paratum debet corrigi, ne vlterius procedat, sed ad sanitatem perducatur: hæc ergo duo quomodo exequantur, & bene consequantur demonstrat Gal. *in præsenti capite*; & per consequens docet communem totam curationem qua curantur febres putridæ, vt putridæ sunt: quare quæ in toto hoc capite à Galenn tractantur sunt cautè attendenda, & debitè intelligenda, explicandaque; sed potissimùm quæ in hac prima capitis parte affert ad evacuandam materiam putridam, quæ in dictis febribus reperitur, scilicet in venis maioribus corporis quæ sunt inter inguina & alas: Scribit igitur quasi in hunc modum. Quæ ducere oportet per loca conferentia evacuare debent, vt ait Hippocrates 1. *Aphorism.* 21. quare quæ in febribus putridis genita est putredo in toto corpore, vel saltem in vasis maioribus, quæ sunt inter crura & brachia, ea per alvum, per vrinam, & per sudorem est evacuanda: nam ista sunt conferentia loca à natura fabricata ad expurganda excrementa quæ continentur in dictis vasis: etsi enim ex ipso etiam Hippocrate in nostris corporibus confluxus sit vnus, conspiratio vna, & consentientia omnia; peculiariter tamen singula singulis sunt magis consentientia; & ideo dicit bene Gal. quòd si in febribus putridis putredo totum corpus occupat, quæ sic putruerunt per alvum, vrinam & sudorem evacuantur, quia re vera alvus & intestina sunt viæ à natura factæ, vt per earum cavitates expurgentur, & extra corpus excernantur ea excrementa quæ in ventriculo, & tota prima corporis regione continentur, vti & in cava hepatis parte: similiter renes, vreteres, & vesica lotij viæ sunt à natura fabricatæ ad expurgandam vrinam, & alias humiditates

tates excrementitias, quæ in hepatis gibæ parte, in venis omnibus, atque in tota secunda corporis regione continentur: denique quæ in tertia corporis regione continentur per poros cutis, atque sudores à natura expurgantur; & ideo putredo quæ totum corpus occupat, atque tres dictas corporis regiones, ait Galenus, per tres dictas vias, vtpote magis conferentia loca, expurgatur, beneque per illa mittitur extra corpus, nisi ad os superius ventriculi sua sponte feratur: hæc enim si ita fieri contingat, tunc etiam per vomitiones foras expurgatur putredo, sed non aliter: non enim licet partem adeo principem, atque exquisito sensu præditam, vti dicta est irritare præter naturam, ad eam trahendo materiam vitiosam nimis, acrem, ac malignam, qualis putredo est facta: læditur enim valde os ventriculi cùm ad eum putredo venit, vt docet Hippocrates *septimo Aphorismorum, sententia octava*, sic scribens: A tuberculi introrsum ruptione virium dejectio, vomitio, aut animi defectus fit; vnde Lemosius benè hîc ita scribit. *Videat imperitorum turba quàm ineptè, & cum hominum pernicie in quibuscumque morbis, sine aliquo discrimine, medicamentis vomitoriis vtantur, qualia sunt antimonium, & euphorminm præparatum, & huiusmodi alia.*

TEXTVS.

Ac eorum quidem quæ dictas vacuationes promoveant, &c.

152 POsitis indicationibus, aut evacuationibus per quas materia putrida in febribus debet expurgari, atque à corpore evacuari, agit de materiis, aut remediis aptis, ac convenientibus ad dictam expurgandam putredinem: ergo cùm materia evacnanda putrida sit, atque nimis calida, & cum corporis febre magna complicata; est enim febris continens febris magna, vel cui multus est calor: & cùm medicamenta quæ tales evacuationes faciunt, ferè omnia sint nimis calida, & exsiccantia, idcirco seligenda nunc dico esse ea, quæ citra vehementem calefactionem, siccationemqne prædictas vacuationes præstant, vt sunt cremor ptisanæ, aquâ mulsa, oxymel, apomeli, & potus aquæ in qua apij radix sit concocta. Sanè verum est quòd febris & putredo in febribus continentibus sunt nimis calidæ, & ideo indigent medicamentis, quæ citra calefactionem possunt promovere, aut evacuare materias putridas, quæ sunt in ipsis: tamen medicamenta quæ ad id affert Galenus, non videntur sufficientia, sed debilia, & longè minus eductiva, quàm esse debebant: si enim scopus est putredinem quæ in toto corpore est evacuare, consequenter non parum vacuantibus est vtendum remediis, vt sunt dicta, sed magnis, vel saltem non parvis, quia curatio debet fieri per æqualia; & ideo magnis morbis debentur magna remedia, & parvis parva; non verò è contra, vt nunc facere videtur Galenus: nam putredo quæ in continentibus febribus reperitur expurganda multa est sine dubio, non verò pauca. Respondetur facilè neque proposita à Galeno remedia parum evacuare, si ritè & rectè administrentur, neque aliis maioribus posse nos vti in his casibus, quia sunt nimis calida, vt dicitj Galenus: quare sigillatim singula breviter explicemus, & quomodo id agere possint videamus.

Principio igitur cremor ptisanæ, sive 153
succus ptisanæ, sive succus hordei recenter decocti, ait Galenus, purgat materias putres, quæ in venis corporis reperiuntur, per alvum, sive per secessum, ac ventrem inferiorem per vrinam, & per sudorem, & quidem citra calefactionem aliquam, aut siccationem, sed cum moderata refrigeratione; quia vt *libro octavo* vidimus, *capite quarto*, abstergit, & tenuium est partium: cùm ergo succus hordei abstergens sit, ac fluidus; & modicè refrigerans, atque humescens, hinc provenit quòd si in debita quantitate, atque occasione sumatur, primùm ventrem vrgeat, & alvum concitet, scilicet abstergendo, & lubricando ventriculum & intestina, reliquasque partes quæ sunt in ventre, vsque ad cavam hepatis partem: deinde cùm lubricus sit succus, & bene fluidus, hepar transcendit, per venasque maiores discurrit, vsque ad vias vrinæ, atque ad ipsum vsque habitum corporis, sicque & vrinas movet, & sudorem, scilicet diluendo, abstergendo, & lubricando humiditates crassas, aut lentas, quas invenit in illis partibus: vnde tandem refrigerat totum corpus, & quidem duobus modis; primò, quia evacuat materias præcalidas; secundò, quia suâ naturâ est frigidus, & concoctione humidus quoque factus est: quare succus ptisanæ præstantissimus est, si quid aliud in dictis febribus ad eas expurgandas. Aqua mulsa, etiam si mera non sit, sed multa aqua diluta, vt loco citato docuimus, & alvum citat, & vrinas movet, & sudores, quia abstergit, & lubrica est, atque tenuium partium, vti succus ptisanæ, neque calida est per excessum, quia scilicet mel temperatur ex permixtione aquæ: solum vnum habet inconveniens, quod in temperamentis,

atque natutia biliofis, aut præcalidis convertitur facilè in bilem, præsertim si mel excedat aliqua ratione: atque hocidem accidit apomeli, quamvis in reliquis conveniat cum mulsa & succo ptisanæ: vnde in his febribus oxymel est magis tutum quàm vel mulsa, vel apomeli, quia oxymel propter acetum bilescit minus, potissimum si vt nunc est in vsu oxymel non ex melle, sed ex saccaro conficiatur quod dicitur sirupus acetosus. Verum est quòd sirupus acetosus purgat minus quàm oxymel, quia saccarum non est viscidum, vt mel; & ideo eo minus abstergit ac purgat, quo est minus viscosum, quàm mel. Tandem potus etiam aquæ in qua apij radix sit cocta, emollit ventrem, & vrinas promovet, atque sudorem, quia attenuans est, & tenuium partium; & quamvis calidus sit aliquantulum, tamen febres non accendit, neque in bilem vertitur; atque ideo bene Galenus annumerat hunc potum inter alia remedia, quæ materias putridas euacuant in febribus continentibus; sive enim per radicem apij intelligat Galenus petroselinum, quod est verisimile, cùm sit minus calidum, & gustui suave, sive potius illius plantæ quæ vulgo dicitur apium, certè potus ex aqua factus, in aqua concoquitur, dicta præstat citra calefactionem notabilem. Sed advertit hic Galenus quòd dicta medicamenta etiamsi ipsa quoque ad ventrem purgandum sint idonea, tamen non semper alvum excitant, sicuti vrinas vel sudorem: nam cùm omnia sint lubrica, aut multum fluida, atque tenuium partium, fit inde quòd si venæ mesenterij non sunt aliqua ratione impeditæ, eas citiùs penettant, aut permeant, quàm ventrem, atque intestina emollire, & abstergere possint: quare si his assumptis venter nihil reddat, inquit, injicienda per clisterem aqua mulsa cum oleo est: nam certum est quòd clisteres injecti ex dicta mulsa, & oleo alvum excitant, vel cùm nos facimus, clisteres injecti ex decocto herbarum emollientium, scilicet malvarum, parietariæ, violarum, hordei, aut similium simul cum oleo, melle, vel saccaro, & butiro, cum pauco sale ad irritandam expultricem.

TEXTVS.

Sanè totum corpus priusquam id euacuaveris, &c.

154 EXpositis locis, & remediorum materiis potioribus ad expurgandam, vel evacuandam putredinem quæ in febribus continentibus putridia præter naturam continetur, & toto genere monet, & docet cautè quando talis putredo sit expurganda, & quando dictis medicamentis sit vtendum in febribus putridis, vt ritè & rectè intentum consequatur. Scribit igitur sic. Sanè totum corpus priusquam id vacuaveris, rarefacere non expedit: vbi vacuatum erit, licebit id medicamento aliquo, cui calor tepidus insit, rarefacias, cuiusmodi est quod ex chamæmelo conficitur, &c. Quasi dicat: Quamvis materia putrida quæ reperitur in febribus, quia ex toto genere præter naturam, & omnino putrefacta petit statim expurgari, & quæ in febribus continentibus reperitur in omnibus venis postulat peculiariter vacuari per alvum, vrinam, atque sudorem, saltem medicamentis temperatis, aut non multum calidis, ac siccis, quæ febrem non augeant, vt sunt ptisana, mulsa, &c. quamvis inquam hæc vera sint: attamen his Medicus remediis vti tutò non potest in dictis febribus, nisi prius totum corpus evacuaverit, vel ipsum jam evacuatum fuerit: etsi enim proposita remedia sint leviora, quia tamen materias attenuant, fluere faciunt, atque expurgant, & per omnem regionem, vt visum est, ideo eis tutò vti non possumus, nisi prius totum corpus sit evacuatum, id est, nisi prius maior pars vitiosi succi per sanguinis missionem sit emissa, cùm alioquin metus sit quòd tales evacuationes non promoveantur, sed è contra cohibeantur: longè enim plures & graviores fiunt morbi ex humorum fusione, vel fluxione, quàm quibus plenitudo dedit occasionem, vt ait Galenus *primo Aphorismorum, commentario decimo quinto*; & humorca fusi maius occupant spatium quàm concreti, vt experientia docet, & etiam docet ipse Galenus. Quare si prius corpus satis inanitum non fuerit ex humorum fusione, replebitur necessario, atque repletione obstruetur, cessabuntque sic evacuationes consuetæ; & per consequens si dicta medicamenta attenuantia & fundentia in febribus supposita exhibeantur sine prævia totius corporis evacuatione, atque vitiosi succi maiori parte non evacuati, scilicet per sanguinis missionem, non solùm non excitabunt dictas vacuationes; sed è contra coërcebunt, atque stipabunt, scilicet fusione multiplicatis humoribus, & fusi ac multiplicati impetu irruentes, ad determinatum locum, eumque sic occupantes, obstruentesque.

Itaque rarefacere corpora non licet, ait 155 Galenus, & consequenter neque humores attenuare, fundere, aut liquare, neque ad expulsionem & evacuationem agitare in corporibus, quæ aliqua ratione scatent humiditatibus, vt sunt quæ febre continenti laborant, nisi prius totum corpus sit evacuatum, & à qualibet humorum redundantia vel vitio sit liberum. Sed dices contra

contra: Galenus hic solum interdicit vsum medicamentorum rarefacientium ac resolventium ante totius corporis evacuationem; & bene quidem quia sunt præcalida, & multum attenuantia; ideoque possunt multum concitare materias ad habitum corporis ibique resolutis partibus tenuioribus relinquere crassas quæ obstruant, vel alia faciant mala: & de medicamentis putredinem purgantibus nunc non agit, neque eorum vsum interdicit ante corporis inanitionem, quia sunt temperata, & solum lenientia; atque ideo talia quod nequeunt nocere, etiam si propinentur non præcedentibus aliis evacuationibus per sanguinis missionem ad corpus inaniendum. Respondetur quod si attente legitur Textus, & memoria tenemus quæ ipse Galenus latè docuit supra *libro octavo, capite quarto* constat ex eis quod loquitur de omnibus, & quod hic sub nomine, aut dictione *rarefacere non expedit*, omnia dicta comprehendit medicamenta putredinem evacuantia: nam præterquam quod hæc etiam rarefaciunt corpus, & humores attenuant, fluduntque, cum sudorem moveant; constat ex loco citato qood neque in diariis febribus possunt propinari ad detergendas obstructiones quin prius maior pars vitiosi succi sit per sanguinis missionem à corpore evacuata; & quidem etiam si in corpore nulla sint plenitudinis signa: eo siquidem loco, & in præsenti capite, vtitur eisdem ptisana, mulsa, & aliis dictis remediis, vt patet textum legentibus: quare sicut illa eo in loco expressè interdicit ante totius corporis moderatam inanitionem, ad detergendas solum obstructiones; ita pariter nunc eadem interdicit; & debuit, cùm eis hic vtatur non solum ad abstergendum, atque deobstruendum, sed simul etiam ad expurgandum per alvum, vrinam, & sudorem. Atque hæc attendant obsecro qui in febribus vtuntur minorativis purgationibus, statim in principio, & nullis aliis præcedentibus vacuationibus per sanguinis missionem, si ergo neque mulsa, neque oxymelite, &c. potest Medicos rectè vti in febribus putridis ad putredinem expurgandam, nisi prius totum corpus sit per sanguinis missionem bene evacuatum, atque moderate inanitum: sane multo minus poterit rectè vti medicamentis purgantibus, licèt solum sint mediocriter solutiva, cum hæc longe magis corpus alterent, atque humores exagitent, fundant, & eliquent quàm quæ à Galeno interdicuntur.

156 Supposito igitur, & bene notato, ait Galenus qood neque rarefacere possumus, neque purgare, neque particularia ad id remedia possumus exhibere, nisi prius totum corpus vniversali evacuatione, quæ fit per sanguinis missionem sit vacuatum, & quidem modice inanitum, vt sic humores bonos, qui remanent, natura ad sui conservationem arte retineat, & ita amplectatur, quod neque à medicamentis attenuantibus, atque attrahentibus sinat extrahi, ac expurgati: his inqnam suppositis, vbi iam evacuatum satis corpus fuerit, tunc vtique licebit vti dictis medicamentis, & corpus extrinsece rarefacere medicamento aliquo non admodum calido quia febris obstat, sed cuî calor tepidus, seu temperatus sit, vti est oleum chamomælinum, amig. dul. & liliorum alborum: hæc enim olea sunt in calore temperata, & tenuium partium; & ideo si corpus vngatur com aliqoo eorum rarefiet moderatè, & melius evaporabitur citra calefactionem: oleum autem anethinum rarefacit magis, atque attenuat, sed est etiam magis calidum, & ideo in febribus præcalidis, nisi aliis dictis misceatur, non debet aplicari, vti neque rutaceum aut laurinum, quia sunt anethino calidiora. Hoc tempore addit Galenus si vinum aquosum bibatur, bene fiet; quia & tale vinum omnes evacuationes promovet, vti, & balneum temperatum vel tepidum aquæ dulcis. Hæc etiam sunt hic bene notanda; quia vinum aquosum, etiamsi aquosum sit, & multa aqua dilutum agitat humores, fluxiones concitat, & omnes promovet evacuationes, atque proinde eius vsus, neque balnei aquæ dulcis tepidæ tutus est in febribus putridis, aut aliis morbis qui dependent à pleoitudine, vel ab alia redundantia succi vitiosi, nisi prius totum corpus sit prius vniversaliter evacuatum, & maior pars vitiosi succi sit per sanguinis missionem emissa.

Cæterum vbi magnitudo febris obstat, prosequitur Galenus vt in continentibus accidit, neque vino est vtendum, neque lavacro, neque iis quæ habitum rarefaciant vnctionibus, sed aqua frigida, &c. Quasi dicat vt tutò detur vinum aquosum in febribus putridis, & balneum, ac medicamenta rarefacientia sine noxa administrentur, non solum corpos debet esse vniversaliter evacuatum, & humores vitiosi debent Maiori ex parte esse iam emissi, verum etiam febris debet esse moderata, vel parum intensa: quia magnitudo febris obstat, aut impedit tum vini aquosi assumptionem, tum balnei aquæ dulcis administrationem, tum vsum medicamentntum rarefacientium, etiamsi calore sint temperati: etsi enim vbi febris est Magna vt in continentibus, eius vehementia non intendatur ex vsu vini aquosi, neque ex vsu balnei aquæ dulcis temperatæ calidæ, neque denique ex vsu rarefacientium medicamentorum quæ sunt solum calida calore tepido, vel remisso; sed potius è contrà remissum remittit iotensum vt communiter dicitur, & experientia comprobatur: quia tamen febris magna sua intensione materias nimis agitat, fundit, ac liquat, resoluitque corpus; ideo magnitudo febris non qualemcumque remissionem postulat, neque cam quæ per dicta fit medicamenta, sed longe maiorem ex qua scilicet eius fervor, atque incendium humorom extinguitur, & eorum cessat eliquatio, agitatioque; vti accidit ex potu aquæ frigidæ: qnippe potus aquæ frigidæ si vt diximus *libro nono, cap. 5.* 157

copiosus bibatur, non solum febrem magnam extinguere potest, sed & humorum ebullitionem, ac liquationem, & ideo in continentibus febribus est aptissima, nisi aliquod eorum quæ eo loco dicta sunt eius exhibitionem prohibet, vt sunt cruditas humorum putredo, & aliqua viscerum inflammatio: etsi enim aqua frigida potata febris sit remedium, & eius incendium si quod aliud possit extinguere; non tantum putridorum humorum evacuationem excitat per alvum, neque per vrinam, vel sudorem, sed è contra cohibet, & obstructiones, ac cruditates humorum auget, & denique internis inflammationibus nocet, nam humores incrassat, vias coarctat, & corporis expiramenta, atque exinde impedit concoctionem, & resolutionem inflammationis quæ sunt præcipuæ ipsius terminationes; & ideo à medico præcipuè procurandæ.

158 Hæc igitur cum sic se habeant, cumque in febribus putridis complicentur febris, putredo & causa putredinis; scilicet obstructio, & cruditas humorum, idcirco concludit Galenus exercitatum oportet esse medicum in curationibus singulorum dictorum affectuum, atque in ægrotantibus, scire distincte debet quæ sint ipsius febris remedia quæ putredinis, vbi per se sola subsistit, & quæ denique sunt efficientis putredinis causæ, cum etiam per se subsistit: & si enim non semper inter se conueniant quæ febrem extinguunt, quæ putredinem purgant, & quæ causas auferunt, sed plerumque adversantur inter se; multoties etiam inter se convenire possunt, & concordant; vel, & ipsi affectus; atque ideo, quoties sic conuenerint est à medico attente considerandum, sciendumque vt tunc omnibus simul succurrat, & quæ plura vel omnia simul præstare possunt protinus exequantur, vt modo, videbitur.

TEXTVS.

Sanè scire licet difficilè esse acrique iudicio indigens, &c.

159 HÆc est secunda capitis pars, in qua difficile esse dicit concordare febrem, putredinem, & huius causam cum inter se complicantur, & potissimum si vrgentes implicantur, & vires vnà cum illis conferre est opus: quæ quamvis sint difficilia; necessario tamen in prædictis febribus inquit, quoties fieri possit, componi omnia debent & inter sese conferre, vt sic bene curari nequeunt. Quæ vt exactè intelligantur est hic advertendum quod febres putridæ possunt tribus diversis modis curari: primo enim curantur febres putridæ per ordinem causarum vt quando non datur vrgentia, neque pugnant indicationes curativæ inter se, sed aliæ aliarum sunt causæ, tunc etenim curantur dictæ febres per ordinem suarum causarum, & primum incipimus à multitudine, deponimusque illam per sanguinis missionem, deinde ad obstructionem accedimus, eamque reseramus, sicque tollitur prohibita ventilatio quæ est symptoma obstructionis, postea accedimus ad putredinem, eamque purgamus; & tandem accedimus ad febrem factam quæ remanet, & eam extinguimus suo contrario scilicet frigidis alimentis, atque medicamentis, secundo curantur febres putridæ relicto dicto causarum ordine quando datur aliqua vrgentia vel indicationes curativæ pugnant inter sese; in hoc namque causæ peritus, atque exercitatus medicus animadvertit atque distinguit cui prius sit succurrendum, & cui postea, & ideo distinguit tunc bonus medicus an febris prius sit curanda, an putredo, vel alia causa, quæ sit posterior multitudine, fieri enim potest ait Galenus *libro superiori, capite primo*, vt aliquando tanta sit febris magnitudo, quæ perniciem ægro afferat, nisi ei præsto occurras: quo casu oportebit, inquit febre prius summota, deinde ad causam accedere. Quod de febre dicit Galenus, potest, & debet de putredine, vel alia causa proxima intelligi: nam & etiam accidere potest quod ea sit in putridis febribus putredinis magnitudo, aut intensio, aut malignitas, vt perniciem ægrotanti afferat, nisi ei medicus statim occurrat: quare in his casibus, & in hac complicatione febris putridæ cum suis causis, ait Galenus diligenter medicus distinguere debet, febris ne sola curanda sit, non sollicito de causa, an causa oppugnanda, minimè curante de febre, an plurimum remediorum ad alterum earum sit adhibendum, non tamen altera neglecta; quod & nunc etiam repetit dicens esse distinguendum cui prius, vel magis sit succurrendum, sed videantur quæ eo loco diximus cum Galeno & præsenti disputatione explicentur. Tertio tandem modo curantur febres putridæ quando in curatione indicationes sunt concordes, & plures, vel omnes simul possunt adimpleri, etiam quæ à viribus desumuntur. De hac curatione agit nunc Galenus & dicit, quod quamvis sit difficile, acrique iudicio indigens, febrem, putredinem, & eius causam, cum est præsens inter se conferre, seu concordare, & magis, si vires cum illis medicus conferre velit, & quomodo omnes componi simul possint ostendere; hoc tamen ita præstare est necessarium, tum propter vitæ conservationem, tum propter ipsam curationem; vires namque aliquando inquit etiam conferunt ad curationem morborum, etsi ex accidenti, etiam sanant, vt statim videbitur, & me demonstraturum promisi, scilicet *lib. 9. cap. 13.*

TEXTVS.

TEXTVS.

Siquidem quod putrescit, si vestis esset aliudque, &c.

160 Dixit Textu superiore quod ad bene curandas febres putridas est necessarium quod concurrant vires ægri, quia etsi ex accidenti conferunt ad earum curationem modo ergo demonstrat Galenus quam sit verum suppositum, & quanta sunt, quæ vires, sive natura, in febribus putridis medicantur: in morbis siquidem natura, sive vires, vt *libro nono*, dixerat, non solum sui conservationem indicant, neque solum consentiunt, vel tolerant executionem remediorum, sed etiam plures morbos, vel morborum affectus curant, sive talia præstent per se, sive ea accidenti, vt modo videbimus; scribit igitur in hunc modum, siquidem quod putrescit, si vestis esset, vel aliud inanime corpus, vtique ex his dumtaxar, quæ prædicta sunt indicationem caperemus, &c. Quasi dicat. Quod in febribus putridis vt bene curentur, debeant vires considerari, & vna cum febre, putredine, & eius causis conferri, constat ex eo quod febres putridæ sunt affectus corporis viventis, & non mortui, neque exanime, vti est vestis: non enim eodem modo curatur putredo in corporibus mortuis & in viventibus, sed longe aliter nam putredo quæ in corporibus mortuis accidit, ex eis dumtaxat quæ dictæ sunt supra indicationes curatur, scilicet quod putridum est ab aliis abscindendo, & separando, & quod nondum est putridum, sed solum putrescens, & semimalum corrigendo, sive auferendo putredinis causas; atque proinde quæ sic semiputridæ sunt acti frigido, & sicco exponimus, vel sale condimus, aut aceto, vt quæ putredinem, extinguunt, si non sit consummata: putredo vero quæ in corporibus vivis contrahitur, non sic solum curatur, sed simul etiam iuvando naturam, & eius facultates, seu vires expeditas conseruando, & roborando: corpora siquidem viventia suas habent proprias vires quibus gubernantur, id est quibus non solum conservantur, sed si expeditæ sunt, & robustæ à multis malis, vel morbis liberantur, & per consequens curant plures morbos.

161 Quod autem vires in viventibus corporibus sint re vera morborum medicatrices demonstrat modo Galenus in nostris corporibus: scribit igitur veluti ad hunc modum: quando in nostro corpore putredo concipitur, vt accidit quoties laborat febre aliqua putrida, tunc cum vivens sit corpus, & facultates habeat, seu vires quibus gubernatur, & quibus non solum quod vtile est attrahit, retinet, concoquit, & in suam naturam convertit; sed & quod inutile est, & putum excrementum excernit; & denique quod est semimalum, ac veluti semiputrescens alterari etiam potest & concoquere, & vtile efficere; tunc, inquam qui dictam putredinem aut febrem putridam rectè curare vult, vtique facultatem, quæ naturaliter concoquit excitare debet, quia si eam excitaverit, vel expeditam ad operandum atque robustam habuerit, quæ putrescentia sunt sanabit, & putrida expurgabit, vel saltem ad purgandum disponet; si concocta purgare oportet movere non cruda, vt ait Hippocrates, etsi enim quoad nos, & ad nostrum concipiendi modum vires plures sunt, non solum, scilicet animales, vitales, & naturales; sed & naturalis, & vti concoctiva alia dicitur attractiva, retentiva, ac expulsiva; sic re vera omnes sunt virtutes vnius nativi caloris, & vt inquit Galenus, *secundo de facultatibus naturalibus capite octavo*, ab vno, & eodem nativo calore corporis quod vtile est attrahitur, concoquitur, & assimilatur, atque in propriam substantiam convertitur, & quod est inutile, corrigitur, si corrigi potest, & ad meliorem, aut naturalem statum reducitur vel si corrigi nequit, à reliquis separat, & expellit: & consequenter qui febrem putridam recte curare vult, ait Galenus facultatem quæ naturaliter concoquit excitare debet; quia eam excitando, atquo ad bene operandum disponendo, ac roborando, vna cum illa reliquas naturales excitat, & robustas facit; cum omnes re vera sint vna sola, quæ scilicet non solum cōcoquit, quod concoqui potest, sed & quæ separat, quod est inutile, & expurgat extra corpus, si scilicet robusta est, & vt debet operatur.

Habemus iam quod vires naturales con- 162
ferunt, quam maximè ad curandas febres putridas, si scilicet firmæ sunt, seu robustæ, atque bene operantur: & idcirco in talibus febribus debent Medici eas maxime considerare, ad exactè operandum, vel exactè concoquendum excitare, cum in febribus putridis, & potissimum continentibus, multi sint humores, putridi iam, scilicet in omnibus vasis, qui ob id debent extra corpus excerni, & alij multi sint semimali vel solum putrescentes, qui petunt concoqui, & corrigi, atque ad statum salubrem revocari: quæ omnia operatur naturalis calor hepatis, & venarum, sive facultas; aut virtus, aut vis naturalis concoctiva quæ in dictis partibus reperitur, si non sit debilis, sed robusta, & non impediatur, aut gravetur à multa humorum sarcina, aut prava eorum qualitate, vt sæpe fieri solet in dictis febribus, in quibus etsi vires in se satis constent, solent tamen sæpe debiliter concoquere, & alias suas actiones exercere, quia gravantur, vel impediuntur à sarcina humorum, vel prava eorum qualitate: non solum enim vires gravantur aut opprimuntur in nostris corporibus ob humorum multam quantitatem, verum ob pessimam eorum qualitatem: & in putridis febribus vires non minus suffocantur ex vaporibus pessimis, & valde fœtidis ac

putrefactis,

putrefactis, quàm ab humorum multitudine, sed quidem multo magis: quapropter, ait Gal. hæc omnia in putridis febribus attendat maximè Medicus, atque cum viribus conferat, & quidquid viribus nocet, vel obstat, statim adimat, sicque facultatem concoctricem excitet, firmetque ad bene operandum quæ bene concoquit, quæ putrescentia sunt, & ad putrida expurganda, vt his ita factis, si natura non sufficiat ad expellendum quæ putruerunt, tunc cum fiducia vel in balneo lavemus ægros, vel his medicamentis quæ rarefaciunt corporis habitum vtamur, vel aquam frigidam, vel vinum bibendum demus: non enim hæc medicamenta, aut remedia in dictis febribus bene adhibentur, nisi prius præcedant signa concoctionis, id est nisi ex signis concoctionis cognoscamus quod neque natura est aliqua ratione oppressa, neque corpus aliqua sarcina repletum, sed viæ omnes sunt expeditæ, & natura potens ac bene concoquens, etsi materiam morbificam, quam concoquit, & superavit, in totum nondum excernat; & ideo indiget dictis medicamentis ad expellendum quæ remanent excrementa.

163 Hic etiam docet Galenus quòd conferunt ad benè curandum febres putridas, non solùm vires naturales, sed etiam vitales & animales. Scribit igitur sic: Neque enim pulsus duntaxat vires ad huiusmodi agenda firmas requirimus, veluti neque eius facultatis quæ voluntarium motum præstat, sed sicuti est dictum ipsius potius concoctricis. Quasi dicat: Non solùm vires naturales quæ sunt morborum concoctrices, debentque esse robustæ in curatione febriū putridarum, & benè expeditæ vt concoquant perfectè & superent affectus omnes præter naturam qui reperiuntur in dictis febribus, scilicet putredinem, & eius causas, prohibitam ventilationem & obstructionem, & excrementorum multitudinem, quæ ex eis provenit; nam vbi putredo viget, prohibita ventilatio, & obstructio, vt accidit in putridis febribus, multa necessariò colliguntur excrementa ex pravis concoctionibus, quæ resultant ob dictos affectus, & ipsos adaugent; atque ita omnia indigent concoctione, & quod à natura concoquantur, ac vincantur: non solùm, inquam, virtutes naturales sunt morborum medicatrices, debentque esse robustæ in curatione febrium putridarum, vt perfectè concoquant, atque superent putredinem, & reliquos eius malos affectus concomitantes, atque humorum cruditates, quæ concoctione indigent vt vincantur, ac cessent, vel saltem compescantur ne ruant in deterius; sed & aliæ corporis vires, aut virtutes, scilicet vitalis & animalis sunt medicatrices febrium dictarum, & aliorum morborum; etiamsi per accidens operentur tales curationes; & ideo omnes debent esse firmæ sive robustæ atque expeditæ ad omnia dicta agenda: non enim solùm, ait, firmas requirimus vires naturales quæ concoquant, & dicta omnia operentur, sed sicut has primùm requirimus validas, quia sunt quæ per se ac primò concoquunt, omniaque dicta operantur; ita etiam & pulsus vires firmas requirimus, id est vires vitales, quæ per pulsus robustos, magnos & æquales ac vehementes cognoscuntur, & tandem animales quæ voluntarium motum validum exerceent, indeque esse robustas intelligimus vti naturales, si benè concoquunt, scilicet à principio morbi vsque ad eius finem sine intermissione: quæ enim vrinæ, ait Hippocrates 2. *prognostic.* modo coctæ, modo crudæ apparent diuturnitatem morbi significant, & morbum esse minus securum: signant enim aggredi naturam morbi coctionem, ob gravitatem tantùm, vel pravitatem non posse perficere, aut sine interruptione continuari coctiones. Sunt autem vires omes necessariæ in curatione febrium putridarum, vel aliorum morborum materialium, quia etsi naturales per se operantur, tales curationes tantùm juvantur multùm aliarum robore, & concomitantia: si enim robustæ sunt vitalis & animalis facultas, excitant suo robore multum naturalem, simulque cum illa concurrunt ad operationes naturales perficiendas: non solùm enim vitalis concurrit suo influxu perenni, sed & animalis; nam ideo in paralysi, ait Gal. *infra libro vltimo*, gracilescit pars affecta, quia benè non nutritur, neque vt antea; & ideo tunc malè nutritur, quia deficit animalis facultas in tali affecta parte, quæ cùm descendebat juvabat naturalem, ac perfectam nutritionem.

TEXTVS.

Ergo si & vires cunctæ valentes sint, & febris, &c.

Satis evidente ratione & efficaci demonstratione ex natura rei petita docet Gal. 164
Textu superiore quòd vires in morbis non solùm indicant sui conservationem, sed etiam sunt ipsorum morborum medicatrices & potissimum febrium putridarum; quæ licet ita sint, nunc etiam confirmat id ipsum ex curatione talium febrium: nam & argumentum ex curatione, vt ait Hippocrates 2. *Aphor.* 22. est efficax ad ostendendam rei veritatem. Scribit igitur sic: Ergo si & vires cunctæ valentes sint, & febris ardentissima, & concoctiones naturæ planè evidentes, frigidam homini dare audacter debebis, &c. Quasi dicat: vires vti & febris indicant curationem in putridis, & particulares naturas, aut remedia demonstrant, quibus putredo & alij affectus earum curantur: igitur concurrunt etiam ad ipsam curationem: nam quod est causa

causa causæ, est causa causati, vt communiter & bene dicitur; & ideo in curatione omnes debent convenire. Quod vero vires, vti ipsa febris putrida indicent particularia remedia, quibus febris, & eius causa curantur, atque curari debent, constat manifestè ex dictarum febrium exacta curatione: aliter enim curantur, atque curari debent febres putridæ, si mediocres sunt, vel non multum intensæ,& vires sunt mediocres, & cum notis concoctions, & aliter quidem cùm & vires cunctæ valentes sunt, & febris est ardentissima, & concoctiones naturæ sunt evidentes. Quando inquam hæc ita complicantur, quamvis febris sit putrida, tunc frigidam aquam homini audacter dare debemus, vt quæ illi sit remedium non solùm ad extinguendum febris incendium, sed & ad naturam excitandam, atque roborandam ad putredinem, & alios pravos humores expellendos, vt enim omnes immodica intemperies vires deijcit, ita febris nimis intensa naturam laxat, viresque; & ideo tunc ex frigido potu attemperantur, excitantur, atque roborantur ad operandum;& per consequēs tunc aqua frigida non nocet cùm materia sit concocta, & in totum attenuata,sed è contra febrem extinguit, & naturam excitat ac roborat ad pugnandum contra morbum, & expellendam causam morbificam. Neque obstat dicere ægrotum esse senem: nam senis nequit esse ille cui omnes virtutes valentes sunt, vt supponimus, quod si ei etiam bona sit corporis habitudo, id est si homo sit quadratus, seu carnibus & sanguine moderatè abundans, tum si cum his, & aliis dictis status cœli in tali casu calidus sit, ac siccus, certè etiamsi in frigidam natationem talem ægrum mittas, haud quaquam lædetur; imo qui cum dictis postulantibus & consentientibus sese in frigidam conjecerunt, omnes protinus sudarunt, & nonnulli eorum biliosa excrementa acciderunt, scilicet quia ex tali balneo, vel natatione aquæ frigidæ natura calore laxata temperata fuit, & sufficienter roborata ad bene operandum, id est ad expellenda per alvum & sudorem excrementa vitiosa, & materias morbificas malas quæ præter naturam in corpore detinebantur.

165 Quòd si verò febris putrida mediocris tantùm fuerit, vel non multùm intensa, & vires ægri mediocres inter vehementes & languidas, & naturæ concoctionis sint manifestæ, atque continuæ: quando, inquam, hæc ita inter se coincidunt, quibus sic febricitant balneum prodest aquæ dulcis temperatum, & vinum aqua dilutum, & corporis inunctiones quæ modicè rarefaciunt & calefaciunt: hæc enim cùm febris sit moderata ipsi non nocere poterunt, potissimum si ambiens est frigidus: non enim aut frigidam in balneo lotionem, aut frigidam aquæ potionem expostulant qui vt supponimus febricitant, & sunt in tali statu frigido, vel aër ambiens frigidus est, quia ex assiduis inspirationibus aeris frigidi satis refrigerantur. Vnde si contingat quòd in frigido aëre ambiente, vt hyeme esse solet, ægrotus febre vratur, pravum est signum, & caiguæ salutis eius habenda est spes, cui si etiam contingat, quod neque concoctionis habeat signa, neque vires validas, servari his planè non potest, sed morietur necessario, scilicet vita, & superata natura à morbi vi, aut militia: quæ cùm ita sint, tunc ægrotos neque in balneo lavandus est, neque medicamentis quæ rarefaciunt vngendus, neque vinum, aut aqua frigida illi est offerenda, cùm jam nullus curationi relinquatur locus: vbi enim vires debilitantur, & morbus superior evadit, nullus curationi relinquitur locus, ait Hippocrates *quarto de ratione victus in acutis, vigesimo secundo*; & ideo Galenus nunc concludit rectè dicens: In quo enim desperata omnino salus est, imprudentis consilij fuerit apud vulgum infamare præsidia, quæ multis fuerunt saluti. Ex quibus constat quod supra diximus, scil. quòd vires in febribus putridis indicāt vti ipsa febris particularia remedia quibus curantur, ac debent curari, & per consequens indicent curativè; & demus quòd quando concordant debent omnes simul exequi, & quoties possunt, debent concordari à Medico.

T E X T V S.

Ipse siquidem aliquos novi ex methodis istis, &c.

HÆc est tertia & vltima capitis pars, in qua Galenus occasione eorum quæ dicta sunt de curatione febris putridæ cum putredine, eius causa & viribus complicatæ, reprehendit malos Medicos qui existimabant exinde subverti principium illud, Contraria contrariis curantur: quia enim videbant quòd Galenus in curatione harum febrium, & vinum dabat, & calidis vtebatur vnctionibus totius corporis, & apij potione, & mulsa, ex his dicebant, colligitur subverti principium, Contraria contrariis curantur, cùm hæc curent febrem dictam putridam, & non sint ei contraria: nam febris etsi putrida sit, haud dubiè in calore præter naturam aucto consistit; & per consequens quæ dictis curatur remediis, non curatur contrariis: nam nullum eorum est frigidum, sed potius calida sunt omnia: & & consequenter non curatur febris putrida contrariis, sed potius è contra similibus sibi. Dicebant etiam: si febris putrida est calida affectio, malè Galenus prohibet frigidam aquam in eius curatione, cùm 166

cùm aqua sit in omnium opinione quæ magis quam quidquam aliud contrariatur febri, atque eius essentiali calori, atque ideo quæ magis quàm alia curat febrem. Tandem dicebant: Ex ipsa curatione constat quod non est vniversaliter vera: nam experimur interdum ex eisdem præsidiis Galeni administratis in talibus febribus & earum complicationibus, non solùm non iuvari febricitantes, sed prorsus mori: quæ cùm ita contingant, etiam tempestivum dictorum remediorum vsum formidolosum reddunt.

167 His igitur sophisticis argumentis, & eorum auctoribus à methodis respondet nunc Galenus, & ab hoc vltimo incipiens, scribit ad hunc modum. Nos tempora, præsidiaque præscribimus iis quos servari spes est: nam ægris qui insanabiles sunt, iis nec tempus vllum opportunum, nec præsidium est. quare neq; in his mirum est, sed necessarium, quod adhibitis remediis bonis nihil proficiant, sed moriantur ægrotantes, cùm in his desperata jam sit omnino salus, & jam omnia illa fiant natura ipsa: at quamvis in his casibus curatio tradita febrium putridarum bene non succedat, non ideo quidem est reijcienda, sed tenenda, docendaque, cùm in aliis casibus, qui non sunt desperati bene accidat, ægrosque perfectè ad sanitatem revocet. Atque hoc mihi, ait Gal. per omnem sermonem teneri memoria velim, quo minus præcipuè illa, primaque omnium curationis indicatio convelli aliquando posse videatur. Quippe cùm dicat Hippocrates contraria esse contrariorum remedia: nisi quæ antea dicta sunt pro debita curatione febris putridæ bene memoria teneamus, nihil vetare videtur quod omnibus febricitantibus frigidam aquam vno ordine exhibeamus. Verùm neque exhibenda est semper in putridis febribus, si bene recordamur eorum quæ dicta sunt pro earum curatione, neque ideo subvertitur eo tempore generalis indicatio curandi febres, omnis scilicet refrigeratio: semper enim febres frigidis curantur, sive sint actu talia, sive potestate, sive ex accidenti.

168 Quòd verò febres putridæ omnes curentur per dicta frigida remedia demonstrat Galenus modo in ipsa curatione febris putridæ, in qua concurrunt plures indicationes, & sæpè inter se pugnam habent: si enim in aliqua febrium curatione subverteretur talis generalis curatio febrium, sine dubio esset in qua plures, vt dictum est, complicantur indicationes pugnantes inter se, vt in dictis putridis febribus solet accidere, quando in febribus putridis obstructiones quæ causant putredinem & febrem fiunt ab humoribus frigidis, glutinosis & crassis, qui non refrigerationem, vt febres, sed è contra calefactionem indicant, atque desiderant. Quòd igitur & istæ febres, ait Gal. curentur frigidis remediis, constat ex antea demonstratis, & ex tradita methodo curãdi febres putres: dictũ est enim quòd vbi plures sunt curativæ indicationes adimplendæ, in primis videndum est an omnes sint concordes, an non, sed aliqua detur pugna inter illas: si enim aliqua ratione indicationes pugnent inter se, tradita methodus est eius quod magis conduce ante alia semper eligendi diximus: nam si aliquid vrgeat, ei prius est succurrendum, etsi non datur vrgentia ei quod est causa aliorum: ex quibus quidem evenit quòd etsi febris, prout febris est, aqua frigida sit semper remedium, & licèt semper contraria contrariis curentur, non ideo tamen in febribus putridis semper aqua frigida sit exhibenda. Ad vnum quippe eorum quæ actu refrigerant, & sic febrem extinguunt, est aqua frigida; sed & alia plura sunt, quæ vel potestate, vel ex accidenti refrigerant, sicque etiam febrem extinguunt; & ideo ad febrem putridam curandam non semper vtimur aqua frigida, sed interdum aliis vtimur propter concursum indicationum, præsertim si pugnant inter sese, sed vt quæ dicimus penitus intelligantur, ponatur exemplum, ait Gal. & supponamus quod detur febris putrida ex obstructione orta propter redundantiam humorum in toto corpore, cum glutinosis & crassis etiam humoribus, tunc virtutem non esse languidam in huiusmodi casu multi sunt affectus præter naturam, & per consequens multæ sunt indicationes curativæ, quarum quædam sunt causæ præcedentes, id est causæ aliarum, vel vti plenitudo humorum, & ij crassi ac glutinosi: horum enim vitio obstructio est orta, quæ est causa prohibitæ ventilationis, putredinis & febris, quamvis ipsa obstructio sit morbus organicus, & impedita transpiratio eius symptoma: quare in hoc casu; & in curatione huius febris putridæ cùm vires non deficiant, neque vrgentia sit obstructio, & eius causæ sunt primùm & ante alia curandæ, cum ab eis putredo humorum, & ipsa febris dependeant; & per consequens tunc quamvis febris putrida curetur, atque attemperetur, non curabitur per potum aquæ frigidæ, quia auget, non curat obstructionem, & humorum crassitiem, ac lentitiem; sed primùm per sanguinis missionem, quæ per se & primo vacuat humorum plenitudinem, sicque obstructionem aperit, & febrem attemperat; deinde deposita plenitudine curatur mulsa, & oxymelite cum ptisana, quæ humores crassos & lentos attenuant & abstergunt, sicque obstructionem reserant, & febrem temperant quamvis ea accidenti, vt sanguinis missio, scilicet reserando obstructionem: Solùm enim ptisana est potestate refrigerans, & ex accidenti, quatenus abstergit lentos humores, cattahitque à parietibus vasorum, sicq; deobstruit: quare neque in febribus putridis convellitur principium, Contraria contrariis curantur, vt Medici amethodi arguebant, sed & in ipsis servatur, etsi non semper aqua frigida detur.

Annotationes

Annotationes, & dubitationes ſuper Textum.

169 Multa bona & ſcitu digniſſima continet expoſitum caput nonum ad exactè curandum febres putridas in communi, & potiſſimùm continentes; & multa ideo dicta à nobis ſunt pro explicatione capitis, & maiori intelligentia eorum quæ à Galeno docentur, ſed multa etiam reſtant advertenda, magiſque explicanda vt caput integrè intelligatur, quæ nunc notanda adducimus: quare hic advertimus primùm quod primum etiam caput explicantes diximus, ſcilicet longè alia ratione evacuari corporis excrementa per vomitum, quàm per alvi dejectionem, per vrinas, vel ſudorem: nun enim ſupernum os ventriculi factum fuit à natura ad excretionem moliendam, quamvis amplum ſit artificium eius, & quamvis fibras habeat tranſverſas ad expellendum quæ noxia, aut moleſta ei fuerint, atque contenta in cavitate ventriculi; ſed potius factum fuit ad attrahenda, atque recipienda ex ore externo alimenta, ſcilicet cibum & potum, quæ quotidie debent aſſumi, atque devorari, vt corpus conſervetur; & perinde ad ſentiendum dictorum alimentorum defectum, quoties in ventriculo deficiunt: quoties enim in cavitate ventriculi deficit cibus, aut potus, excitatur in dicto ſuperiori orificio ventriculi fames, vel ſitis; fames, velut ſi cibus deficit, & ſitis, ſi potus; per quam famem vel ſitim animalia excitantur ad alimentum quærendum, & de novo aſſumendum: quare cùm ventriculi os potius ſit ad recipiendum quàm ad expellendum, ideo & quia eſt exquiſito ſenſu præditum, diximus benè cum Gal. quæ putruerunt in febribus eſſe expellenda per alvum, vrinas, vel ſudorem, non autem per vomitum, neque per os, niſi ſuo impetu dicta materia putrida feratur ad ſupernum os ventriculi: tunc enim vomitus eſt ciendus, vt ſic natura promptè levetur à noxia materia qua irritatur, vel anxiatur, ob eius malitiam, atque putredinem: quæ licèt in tali caſu, & alio quovis ſimili rectè fiant, non ideo tamen inferendum eſt, quòd etiam ventriculus per ſupernum eius os expurgatur benè, aut debet expurgari: nam ventriculus non per ſuperna, ſed per inferna ſua expurgat excrementa; & proinde ſi excrementis aliqua ratione abundat, & ea ipſe per inteſtina & ſeceſſum non expurgat, tunc nos dejectiones movemus per cliſteres, & alia pharmaca dejectoria, quæ ventriculum purgant per alvum, vt *lib.7.cap.vlt.* diximus.

170 Secundum notandum ſit, quod etiam Gal. advertit in Textu, ſcilicet balneum aquæ dulcis & temperatè calidæ eſſe accommodatum remedium in febribus putridis, quę non ſunt ſummè calidæ, ſed moderati caloris, ad eas ſcilicet temperandas, & materias putridas attenuandas, attemperandas, & per poros cu-

tis expurgandas: non autem balneum ſulfureum, neque bituminoſum, neque ſalſum, aut nitroſum, quia nimis ſunt calida, & febrem adaugent, atque putredinem, etiamſi magis reſolvat materias putres per halitum, aut per ſudorem, & vitioſas corporis humiditates magis exſiccent, atque conſumant. Sed ex his nunc inſurgit dubium, an iſta balnea naturalia per os aſſumpta, & in multa quantitate potata, vt fieri ſæpè ſolet, poſſint eſſe vtilia in febribus dictis putridis, quæ nimis non ſunt calidæ; ſunt ſiquidem non pauca balnea naturalia non multum calida, ſed ſatis temperatæ caliditatis, quæ, vt dictum eſt, ebibita in multa quantitate, mitiſſimè, & ſine ſenſibili aliqua caloris alteratione purgant abundanter materias vitioſas in corpore redundantes per alvum, vrinam, atque ſudorem: quæ vt ſic ſe habent, ita perſuadere videntur quòd in febribus dictis putridis, ſi ritè & rectè adminiſtrentur, ſcilicet poſt ſanguinis miſſionem, quæ corpus evacuet, & maiorem partem vitioſi ſucci expurget, vt Textum exponentes diximus eſſe faciendum, ante adminiſtrationem eorum remediorum, quæ vt dicta balnea purgant corpus per explicatas regiones. Hoc dubium à paucis Medicis excitatum video, neque in eis quod certum teneri debeat invenio: quare ſolùm quod mihi magis arridet hic expono, & ita ſtatuẽdum cenſeo. Conſtat experientia quòd dantur dicta balnea naturalia quæ abundè purgant corpus, & clementiſſimè per dictas regiones citra ſenſibilem calefactionem, imo è contra ſitim adimunt, & famem excitant: quare ex his omnibus partibus talia balnea conferunt, ſi quod aliud in dictis febribus, potiſſimùm ſi non ſint recentes, ſed jam protractæ, & quæ aliis non cedunt remediis ordinariis: hæ enim ſunt magis frigidæ, & in eis vires magis debiles: ideoque in his dicta balnea ſunt ſalubriora, vt quæ non ſolùm corpus expurgant à ſuis excrementis, ſed & vires debiles inſtaurant, & quidem non parum: ſunt ſiquidem dicta naturalia balnea, non ſolùm virtutibus prædita mineralium, per quæ aqua tranſit, ſed & à centro terræ calorem extrahunt naturalem, vel à dictis mineralibus, quo nativus noſter calor, ſi debilis eſt, non parum excitatur, ac roboratur: vnde in dicto caſu talia balnea poterunt conducere, etiamſi corpora ſint actu febricitantia: ſolùm eſt vnum inconveniens, eſtque timendum & notandum valdè, ſcilicet quòd aqua balnei naturalis, quia eſt multùm alterata à qualitatibus mineralium corrumpitur facilè, ſi tota quæ bibitur integrè non ejicitur extra corpus ſimul cum excrementis quæ purgat, antequam à virtutibus mineralium expolietur, à quibus conſervatur dum ſecum ſunt commixtæ; & ideo qui tales aquas aſſumunt, poſt earum aſſumptionem debent ſtatim intra quinque vel ſex dies purgari levi aliquo medicamento, quo tota aqua balnei in corpore relicta foras ejiciatur, antequam intra corpus putreſcat, febremque faciat, vel augeat.

171 Sed quæres hîc quænam sunt ista balnea naturalia quæ exhibita dicta præstant extra calefactionem aliquam notabilem; Respondetur esse eadem quæ cum Galeno supra vetamus in baloeo, aut natatione: balnea namque sulfurea, nitrosa, salsa, atque bitominosa, quę extrinsecus in balneo applicata, sudorem quidem movent, & non parũ, sed sitim magnã excitaor, ęstũ validũ & lassitudinem causãt; si verò potãtut, è cõtra sitim extinguont, famem excitant, nullum inferunt molestum calorem, & omnes dictas promovent evacuationes per alvum, vrinas, & sudorem, viresqoe omnes corporis roborant: quamvis non sit facile invenire veram causam, aut rationem ob quam eadem ipsa balnea tot operentur contraria solùm qoia bibuntur, vel extrinsecus in balneo applicantur: etsi enim aqua balnei, in qua balneantur ægri, non sit magis calida actu, neque potestare, quàm quæ bibitur, sed ambæ sint vna, & eadem, quæ tantùm in balneo administratur, multum calorem, æstumque ac siccitatem corpori inducit; & inde magnam sitim, & cibi prostrationem: è contra quæ potatur, quamvis calida, vt in qua balneatur sit, non calefacit, neqoe desiccat, sed sitim extinguit, & famem excitat, ægrumque hilarem reddit; quod quidem inde fieri credo, quia hæc aqua quæ bibitur per os assumpta, inde distribuitur in totum corpus, actuque illud irrigat, illudque simul purgat ab excrementis omnibus calidis, ac siccis: quæ verò in balneo administratur, etsi sudorem promovet, ventrem adstringit valdè, & vrinas non movet: vnde colligitur quòd balneum dictarum aquarum partes corporis externas aperit, earomque humiditates aqueas ac tenues resolvit; internas verò partes, & viscera comprimit, humoresque in eis crassos detinet, calidosque, atque adurit, sicque sitim & æstum affert magnum. Vnde etiam colligitur quòd hæc balnea exsiccando adstringunt corporis partes, & earum densant porositates, & sic sunt in causa quòd fuliginosa vasorom internorum excrementa non expurgentur per transpirationem corporis, sed intra cutim, & in partibus internis detineantur, dictaque mala generent: quorum nihil accidit in balneo dulcis aquæ, sive naturalis: hoc enim etsi actu calidum, scilicet moderatè administretur, cùm sit etiam humectans, calefacit simul, & humectat moderatè, non solùm partes externas, sed & internas, ac totum corpus: sensim enim ac sine sensu per cutim & carnes ingreditur, sive per earum porositates, & vsque ad viscera penetrat suo tepido, fluido, dulci, atque halimoso, vel jucundo calore homido; & ideo, etsi sudorem excitat, non exsiccat, sed homores excrementitios lenit, emollit, & expurgat, & simul totum corpus irrigat, humectat, atque attemperat, si febri vel alio calore præter naturam laborat, aut malè afficitur.

Tertiò est advertendum, & magis explicandum quod diximus in Textu, scilicet non esse vtendum attenuantibus medicamentis, neque rarefacieotibus, neque evacuantibus, aut purgantibus, nisi prius per sanguinis missiooem totum corpus fuerit inanitum, & maior pars vitiosi succi fuerit evacuata: ex bis namque duo pullulant dubia decidenda; primum est ao quod corpus prius per sanguinis missionem vacuatur, si post talem evacuationem humorea qui remanent medicamentis attenuantur, & corpus laxatur, ac rarefit, sicque humores impetu ruunt, ac coocitantur ad partes languidas apertas, ibi obstruunt, & exitum sibi ipsis impediunt? Secundum est, si corpus vitiosis succis scatet, vt accidit in febribus putridis, & aliis multis morbis materialibus, cur potius sanguinis missione quàm purgatione sunt evacuandi, antequam medicamentis dictis vtamur, attenuantibus, rarefacientibus, vel purgantibus? Vti enim sanguinis missio est evacuatio humoris quantitate peccantis, ita purgatio est evacuatio humoris qualitatu vitiosi, vt communiter dicitur, & Galenus sæpè dicit, atque edocet. Vt primo igitur dubio rectè respondeatur, breviter est advertendum, vt tetigimus Textum exponentes, quòd humores attenuati, vel fusi, aut fluxiles facti possunt duobus modis ad partem aliquam fluere, scilicet vel à se ipsis, vel à natura gubernante, vt docet Galenus non solùm *primo Aphorism. Comm.* 15. sed *lib. 2. de symptom. causis, capite quinto.* Hoc sic notato, est etiam notandum quòd humores à natuta nequeunt benè regi, nisi quantitate & qualitate sint moderati: non enim benè natura potest humores regere, ac gubernare, nisi eos vincat, aut superet; & ideo oisi sint in copia & qualitate moderati, vel à mediocritate parum recedentes: si enim humores in nobis multum recedunt à mediocritate in copia vel qualitate, potius naturam vincunt, quàm ab ea superantur: vnde sequitur jam quòd vbi opus est humores vacuare, & beoe educere à corpore, debent prius in quantitate & qualitate ad mediocritatem moderatam reduci, vt sic à natura regantur, & ab ea superati vacuentur rectè, id est sine impetu, vel alia nimietate, vti à se ipsis solent humores concitari, aut vacuari: nam etiam oatura, si humores vincit, ac superat eos expellit, & pellit à corpore si jam inutiles, aut vitiosi sint facti; vti vtiles retinet ad sui conservationẽ: quare ante humorum aliquam expulsionem à corpore, vel aliã agitationem ex vi medicamentorũ faciendam, necessariò totum corpus est per sanguinis missionem evacuandum, si aliqua in eo sit redondantia humorum: sic enim levatur natura ab eo quo veluti sarcina premitor, & quod reliquum est regit ac superat, atque ita quidem vt sine impetu fluat, sed tutò expurgetor, etiamsi attenuetur, & fluxilis fiat à medicamentis. 172

Sed

173 Sed si corpus vitiosis scatet excrementis, coi potius sanguinis missione quàm purgatione sunt evacuandi, antequam medicamentis vtamur ad attenuandos tales humores, atque purgando? Respondetur facilè, vel ex ipso dubio: humores enim, etsi vitiosi sint purgari nequeunt, nisi prius sint attenuati, & fluxiles facti, atque viæ fiot reseratæ, seu apertæ, quia ex Hippocrate 2. *Aphorism.* 9. corpora cùm quis purgare voluerit, debet prius fluida facere, & vias esse apertas. Cùm igitur humores, etsi vitiosi sint, attenuari nequeant, & per consequens neque purgari medicamentis, quin præcedat evacuatio totius corporis: sequitur consequenter quòd talis evacuatio est facienda per sanguis missionem, cùm solùm sanguinis missio & purgatio sint valida remedia evacuantia, sive quæ totum corpus possunt citò evacuare. Præterea in febribus potridis, cùm febris & putredo sint nimis calidæ, minus quàm in aliis morbis possumus vacuare humores per medicamenta purgantia, etsi sint levia, nisi præcedat sanguinis missio, qua febris & putredo remittantur: nam sanguinis missio non solùm humores vacuat redundantes in corpore, etiamsi sint vitiosi, sed & refrigerat, scilicet evacuando materias præcalidas, sine earum agitatione, aut effervescentia, vt facit purgatio. Vnde Hippocrates *lib. de med. purgant.* sic ad verbum scribit: Febricitantes febre forti non purgabis, nisi decimusqoartus dies transierit, vel febris remiserit: carnes enim ipsorum, & ventres cùm calidi sint, medicamenta absumuntur, sed nihil depurgant, ideoque febris fit maior, & calor evertitur, & alia soperveniunt mala, vel perit æger.

174 Sed dices: si dicta vera sunt, cur ex Hippocrate 4. *Aphor.* 10. materiæ turgentes sunt statim purgandæ; & cur ex eorum 1. *Aphor.* 240. in acutis morbis, sive præcalidis tarò, & io principiis esse purgandum scribit? Respondetur, quia, vt ipse ait *in antecedenti Aphor.* 22. concocta medicari oportet, seu purgare, atque movere, non cruda, neque in principiis, nisi materia turgeat: oon enim quæ cruda sont, atque quieta debent purgari, neqoe purgari possunt in principiis morborum, quia vt ipse dicit *4. de ratione vict. in acut.* 22. quæ cruda sunt & qnieta non cedunt purgationi, etiamsi quis velit per medicamenta purgantia ea solvere, sed quæ sana sunt & morbo resistunt colliquescere faciunt, si tunc purgantur ægrotantes: quare in principiis morborum solùm purgari possunt quæ actu turgent, id est quæ etsi cruda sunt, non sunt quieta, aut firmata in aliquo loco, sed actu turgent, id est hinc inde irrequieto motu moventur: hæc enim, etsi cruda sint, sunt tamen jam à consortio, sive vnione aliorum humorum separata, & acto fluida, ae non firmata in aliqna parte: quare tunc quantum est ex se jam sunt disposita ad purgationem, & possunt purgari, cùm sint jam fluida facta, vt ait Hippocrates: quod enim humores porgandi à medicamentis concoqueoribus desiderant, vt benè purgentur, scilicet attenuatiooem, atque fusionem, vel fluxibilitatem, id quidem solent consequi in morbis acutis, vel præcalidis, etiam in ipso ipsorum morborum principio, scilicet ab incendio, vel intenso eorum calore; atque ideo si in morbis materia turgeat, vel in principiis morborum acutorum humores morbifici funduntur, atque ab aliorum vnione abscedant, statim sunt purgandi, quia in eo statu positi, imminet periculum quòd tales humores decumbant in aliquam partem principem, in eaque firmati sint repentinæ mortis causa.

Itaque vti Hippocrates nobis benè con- 175
sulat dicens: concocta medicari oportet, & non cruda, ita benè consulit, dicens *quarto Aphorismorum* 10. medicari in valdè acutis, si materia turgeat eadem die: tardare enim in talibus malum; & benè etiam *primo Aphorismorum, decim. quart.* dicit in acutis morbis raro, & in principiis est vtendum purgatione, & hoc cum magna præmeditatione faciendum: in his emin casibus, etsi materia purganda cruda sit, id est non victa, aut soperata à natura, est tamen jam disposita ad purgationem, & si statim non purgator, vel aliter à corpore non edocitur, imminet periculum quòd ægrũ citò suffocet. Sed addit Hipp. & rectè quidẽ has purgationes esse maxima cum premeditatione faciendas: non enim est periculum minus, ait Gal. *in Comm.* in morbis acutis malè vti purgatione: nam quamvis humorex dicti qui tunc purgantur, sint satis ad purgandum attenoati, & ab aliorum vnione separati & actu fluentes, tamen cùm non sint cocti, sed crudi, ac multum calidi, praviqoe, nequeunt facilè benè purgari, neque tales purgationes possunt fieri sine aliquo incommodo virtutis, vt cùm purgantur quæ sunt concocta: coctio enim separat vtile ab ioutili, & vtile congregat, sibique retinet, inutile verò separat, fluidum facit, & expellit; atque ideo si qoæ cocta sunt purgantur, purgatio confert, & ægri facilè ferunt; si verò purgautor quæ sunt incocta, purgatur vtile cum inutili, etiamsi purgentur materiæ turgentes: quare tales purgationes nequeunt fieri sine dispendio virium; & per consequens dicit benè Hippocrates esse magna cum præmeditatione faciendas, potissimum in morbis acutis, in quibus corpora flagrant. Ex dictis colligitur quòd qui purgantur humores, indicant sui purgationem, vel qnia putridi sunr jam omnino, & ad meliorem statum nequeont revocari, vel quia etsi in totum corropti non sunt, sunt saltem adeo pravi quòd non quiescunt, neque aliorum vnionem conservant, sed separantur ab aliis, & turgent, vel actu fluidi sunt, & irrequieto motu moventur: qui enim humores mali sunt, sed corrigi possunt, vel crudi sunt, sed

quiescunt, nullo modo sunt purgandi, quin prius concoquantur, nam qui mali sunt, sed corrigi possunt, per concoctionem revocantur ad statum salubrem; & qui crudi sunt, ac quieti concoqui indicant, non moveri, aut purgari, quia cruditati opponitur coctio, non purgatio, & ad coctionem requiritur quies: vnde etiam colligitur quàm malè sentiunt, qui humores crudos & quiescentes purgant, vt accidit quando in principiis morborum Medici purgant; ad minorandam sic aiunt, morbi materiam vitiosam, quæ naturam premit: sed raò intentum consequuntur, quia tunc ferè semper materia purganda est cruda quiescens, vt latius *lib. de purgatione.*

176 Quartò est magis explicandum an sit verum, quòd ad concoquendas materias morborum & eorum humores vitiosos expurgandos debeant esse robustæ vires nostri corporis, non solùm naturales, sed vitales, & animales, vt diximus in Textu vnà cum Galeno: videtur enim quòd non: nam in primis ex Hippocrate & communi omnium sententia, incipientibus morbis, si quid videtur movendum, seu vacuandum, faciendum; in statu verò melius est quietem habere; at cui in principiis morborum, saltem virtus naturalis robusta non est, sed languida, etsi sit ab onere seu oppressione, & ideo tunc non concoquit, neque potest concoquere; sed totum principium est tempus cruditatis. Quæ quamquam ita se habeant, si tamen morbi sint magni, vel ab aliqua dependeant plenitudine humorum, sique vires vitales sint robustæ, in eis omnes sanguinem mittimus, & sæpè in multa quantitate: ergo quia non requiruntur omnes vires corporis robustæ ad evacuationes morborum faciendas. Deinde humores corporis concoquere, & eorum excrementa expellere sunt operationes solius facultatis naturalis: ergo huius solùm robore indigent, vt rectè fiant, & non robore omnium corporis facultatum. Respondetur facilè, ad benè evacuandum nostrum corpus esse re vera necessarium quòd omnes eius vires sint robustæ, vt cum Galeno diximus in Textu: Neque his contrariantur quæ hìc opponuntur: nam etsi facultas naturalis in principiis morborum materialium, & dum morbus est crudus, quoad operationem robusta non est, sed languet, & nequit operari, quia opprimitur, sive impeditur à sarcina, vel redundantia causæ morbificæ; in se tamen non est debilis, sed vires habet sufficienter ad bene operandum, si ab oppressione liberentur; & ideo si tunc corpus vel sanguinis missione, vel aliter evacuatur, & à sarcina liberatur, pariter dicta facultas ad bene operandum excitatur, vel actuatur, aut roboratur; & consequenter si eo tempore vires vitales sint robustæ, & sanguis mittatur, benè fiet, etiamsi vires naturales & animales sint gravatæ, vel debiles per aggravationem, cumque sic sunt debiles, sint re vera robustæ, atque proinde in illo casu vigent re vera omnes facultates, & evacuatio fit vigentibus omnibus totius corporis facultatibus. Neque quod secundò opponitur obstat aliquod, quia etsi humorum coctio & expulsio sint operationes propriæ facultatis naturalis, & ab hac robusta exercentur benè: hæc tamen ab illis robustis roborantur non parum ad benè operandum, vt Textum exponentes demonstravimus.

177 Sed dices: in principiis morborum, vt visum est, malè fiunt humorum purgationes, quia à natura gravata nequeunt regulari: ergo neque sanguine misso poterunt benè vacuati. Respondetur quòd in morborū principiis non ideo præcisè malè purgantur humores, quia natura ab eis opprimitur, & nequit eos superare, sed quia ipsi sunt crudi, & inepti ad expurgationem; per sanguinis verò missionem humores etiam permixti cum sanguine vacuantur, ideoque in principiis morborū sanguine misso natura gravata levatur, sed non purgatione, nisi materia peccans sit concocta, vel aliter ad expurgationem disposita, vt quando datur turgentia: si enim quod gravat naturam expurgatur, sive sit sanguine misso, sive purgatione natura levatur, quia aufertur causa; & non levatur solùm, sed gliscit, ac roboratur ad benè operandum: quippe calor naturalis, & facultas vitalis, si benè, aut liberè non ventilantur, lassantur, languent, & oppressione suffocantur; è contrà si liberè transpirant & ventilantur, excitantur, ac roborantur ad benè operandum, non aliter ac quando alimentis, & moderato exercitio reficiuntur: vnde cùm calor nativus humorum sarcina repletur, & languet oppressus, vel non integrè ventilatus, si talis sarcina vacuatur, gliscit, sive reviviscit, augetur, potensque redditur ad benè operandum: similiter si non humorū sarcina, aut copia, sed prava solùm aura, vel mala effumatione suffocatur, hac dissoluta liberè respirat, atque transpirat, excitatur statim & reviviscit, actuque operans efficitur, vt in syncope liberatis experimur: quare etsi aliæ naturales, vel animales corporis facultates humoribus gravantur, & eis vacuatis ab onere liberantur, talis evacuatio est eis excitatio ad benè agendū & ad superandū morbum, sive talis evacuatio fiat sanguinis missione, sive purgatione, sive alio quovis modo.

178 Sit quinta dubitatio, & maior expositio eorū quæ in Textu dicta sunt, quid sit faciendū, si cōtingat, vt sæpè solet accidere, quòd naturā tētet aliquā evacuationē eorū humorū, qui illi sunt molesti per loca cōferētia; sed inceptā evacuationē non perficiat, neq; compleat, sed imperfectā relinquat? diximus enim in Tex. quòd natura nostra est morborū medicatix, & quòd in morbis non solū humores concoquit, sed excremēta eorum per opportuna loca solet, & non raò expellere. Respōdetur ex Gal. t. *pror. comm. 1.* excretiones quę fieri cœperunt, & protinus desierunt, deteriores sunt, quàm quæ nullo appatent pacto: apparet enim in his veluti excitatio quædam naturæ,

naturæ, ea quæ moleſta ſunt excernere conante, præ imbecillitate tamen quod propoſuerat perficere nequeunte. Quaſi dicat: ſi natura tentat in morbis aliquam evacuationem humorum extra corpus, vel ad aliquam partem eius ignobilem, & quod vacuare incipit non continuat, neque perficit, ſed inceptum ſtatim relinquit, malum eſt ſignum, & languorem naturæ ſignificat: dicit enim quòd natura irritata à cauſa morbifica excitatur ad eius expulſionem, inceptam tamen evacuationem non continuat, neque abſolvit, ſed ante tempus relinquit, quia debilis eſt, & ita dejecta, vt amplius operari nequeat, ſed protinus operari deſinit: vnde benè dicit quòd tales evacuationes ſunt deteriores quàm quæ nullo modo apparent: vires enim vti valentes ſunt, omnia contemnunt, & ſuſtinent, vt *libro ſuperiori, capite quarto* docuit Galenus; & conſequenter in morbis natura valida ſuſtinet patienter cauſas morbificas, vſque ad integram morborum expulſionem & ſolutionem; vel ſi irritata aliquam tentat evacuationem materiæ moleſtantis, eam proſequitur vſqoe ad integram eius expulſionem, quia ſic & non minus liberatur ab irritatione, & ideo ſolùm ob languorem vacuatio incepta non proſequitur; & per conſequens deterior multo eſt quàm quæ nullo apparet pacto.

179 Cùm igitur evacuationes quæ in morbis à natura fieri inceperunt, & protinus deſierunt, languorem naturæ ſignificent, cùm hæc ita fieri Medicus viderit, vt quod tunc fieri debet certò ſciat, diſtinguere debet an natura, quia gravata languet, non perficiat quod evacuare cœpit, ſed ante integram evacuationem relinquat; an potius, quia in ſe, & in ſua eſſentia eſt debilis: ſi enim natura in ſe jam debilis facta à morbo ita irritatur, vt cogatur ad pugnandum cum eo inſurgere, & aliquam eius tentare expulſionem, exitialis eſt caſus, ſive mortalis, cùm nullum paucum ſit criticum, & vires ſuperatæ à morbo, ac eius malitia, reſici nequeant: ſi verò natura ſolùm gravata languet, vt multoties fieri ſolet, & ideo ſolùm quod vacuare cœpit non proſequitur, ſed inceptum relinquit, tunc quidem à Medico ſtatim exoneranda eſt, ſive evacuanda, & à ſarcina qua premitur liberanda; & ſi hoc facto natura opus inceptum non proſequitur & abſolvit, jovanda eſt, ſcilicet ſi materia cocta eſt, & viæ ſufficienter apertæ: ſin minus, prius eſt concoquenda materia, vel aliter fluida efficienda, ac viæ reſerandæ, & tunc educenda per loca conferentia, vt ait Hippocrates: ſic enim Medicus eſt imitator naturæ rectè operantis. Si contingat etiam quòd natura à magno morbo laſſata nullam tentet evacuationem, cùm laſſitudines ſpontaneæ morbos denuncient, vt ait Hipp. tunc quoque eſt à Medico protinus evacuanda, atque à laſſitudine liberanda, ne ſuccumbat oneri in totum, & ſubitò pereat, vt fieri ſolet, ſi non vacuatur, & tantum quidem quòd ex effectu digna vacuatione à laſſitudine liberetur. Denique ſi natura in declinatione morbi magni non tentat & perficit aliquam effatu dignam evacuationem, à Medico eſt exequenda, ægerque eſt neceſſariò purgandus, ſi natura ex morbi acumine, vel malitia dejecta, aut exuſta non remaneat: nam quæ relinquuntur, morbis recidivas facere conſueverunt; & morbi magni ac calidi qui ſine criſi ceſſant, ideſt ſine effatu digna evacuatione, vel abſceſſu maligniùs redeunt, vt 3. *de criſ. cap.* 1. docet Gal. & quotidie experimur.

Dubitatur ſextò an balneum aquæ frigidæ, vel natatio in aqua frigida poſſit excitare ſudorem, vt in Textu diximus cum Galeno: cùm enim aqua frigida ſit aſtringens, & ſive bibatur, ſive extrinſecùs applicetur, venas obſtruat, & poros conſtipet: ex his videtur neceſſariò dicendum quidquid Gal. in Textu dixerit, quòd neque balneum aquæ frigidæ, neque natatio in aqua frigida poterunt promovere ſudorem, ſed potius è contra quòd debebunt ſudores ſiſtere. Reſpondetur balneum aquæ frigidæ & natationem in aqua frigida poſſe ſudores ſiſtere, & corporis cavitates occludere, vt aſſeritur, non tamen ſemper, neque neceſſario: nam ſi vt dicit Galenos *libro ſuperiori, capite decimo* corpus calet nimis, & eſt in medio æſtatis, non occludit eius cavitates aqua frigida, quia calor nimius noſtri corporis aperit multum eius cavitates, ſive nimius ſit ex proprio temperamento, ſive ex æſtuante æſtate, ſive ex febre ardente, & potiſſimùm ſi ex omnibus: quare in tali corporis ſtatu neque balneum aquæ frigidæ, neque natatio in ea aſtringunt, vt dicit argumentum, ſed ſat eſt ſi ad naturalem mediocritatem revocant corporis cavitates, ac poroſitates præter naturam dilatatas à nimio, vel multum excedenti calore; & conſequenter tunc potius ſudorem excitant, ac promovent, ſi res bene agitur: nam quando balneum aquæ frigidæ adhibetur corpori multum calido, & in æſtate æſtuanti, tunc non conſtipat, ſed calorem fervidum attemperat, cavitates ac poroſitates nimis dilatatas colligit, reducitque ad ſuam naturalem mediocritatem, & laſſatas, ſeu languidas facultates reſtaurat, vnit ac roborat, & ex iis tandem ſudores excitat, niſi corpus ſit ſummè aridum: natura enim tum ex dicto balneo temperata, ac roborata, & partes corporis, cavitateſque ad ſuum naturalem ſtatum redditæ inſurgunt contra morbum, ſive contra humiditates excrementitias ex æſtuãte calore fuſas, eaſque per ſudorem expurgant, vel ſimul etiam per alvi dejectionem: ſi enim materiæ liquatæ non omnes ſunt ſeroſæ, quæ per ſudorem excernuntur, ſed & terreſtres, quæ non per poros, ſed per amplas vias poſſunt expelli; tunc eædem vtrinque expurgantur, ſeroſæ ſcilicet per ſudorem, & magis terreſtres per alvum: quare balneum, aut natatio in aqua frigida, etiamſi aqua

frigida extinguat, non semper sudores corporis sistit, sed & excitare potest, si in suis casibus debite exequatur.

181 Septimò dubitatur an potus aquæ frigidæ, non agonisticus, sed in moderata tantum quantitate datus pro potu ordinario possit esse vtilis in febribus putridis, vel internis inflammationibus, si materiæ crudæ sint, & morbi principium non sit transactum. Sanè in nostra Hispania cùm cibamus febricitantes febre putrida, vel aliqua inflammatione laborantes, vt pleuritide, si febris est intensa, damus pro potu ordinario vnà cum aliis alimentis potum aquæ frigidæ ad æstum attemperandum, sitimque leuandam, etiamsi non appareant signa concoctionis: hoc igitur dubitatur an bene fiat nunc, & non abs te: nam etsi Galenus in Textu præscribit in febribus putridis, si intensæ sunt, vel ad ardentem potum aquæ frigidæ, non tamen in principio præscribit illum, neque in alio tempore quàm præcedentibus signis concoctionis, etsi vires cunctæ robustæ sint: quare videamus modo an noster communis vius dandi potum aquæ frigidæ in febribus putridis, & crudis, & aliis calidis morbis materialibus etiam in internis inflammationibus possit esse vtilis, vel non: si enim verè in Textu dictum est, quòd potus aquæ frigidæ auget obstructiones, & humores crudos reddit crudiores, quia aqua frigida adstringit corporis cauitates, & humores incrassat, sequitur consequenter dicendum quòd potus aquæ frigidæ, qualiscumque sit si bibat in principiis morborum cruda existente materia non poterit refrigerare, aut temperare febrem, neque sitim lenire, sed febrem augebit, & sitim augendo obstructiones.

182 Sanè validum videtur hoc argumentum, & valdè notandum, id est, nam tametsi potus aquæ frigidæ, qui in cibationibus ægrorum nostrorum est ordinarius, nequeat tantùm augere obstructiones, quantum agonisticus dictus, quia est in quantitate multo minor; tamen ea ratione qua frigidus est, & frigidus dabitur, si refrigerat, vt est intentum, obstructiones pariter adauget, & humores crassos magis incrassat: si enim in elementis symbolis faciliùs fit transitus quàm in dissymbolis, pariter ex potu aquæ frigidæ in febribus ex obstructione, atque humorum crudirate ortis citius humores crudi & crassi crudiores fient, & crassiores, & per consequens obstructiones augentur, quàm febris valida temperabitur, vel sitis inde excitata leniri poterit; imo facilè augeri poterunt, scilicet auctis ex potu frigido ordinario obstructionibus; atq; idcirco dubio respondendum est cum distinctione & limitatione: si enim febris est magna, & materia morbifica non est crassa, sed tenuis, vt bilis & sanguis esse solent, tunc quidem si vires cunctæ sint robustæ, & partes internæ, quæ sunt circa præcordia valentes sint, etiamsi morbus sit in principio, & febris sit putrida, potus dictus ordinarius est vtilis, & dari debet non solùm inter cibandum pro potu ordinario, sed & in accessionum statu ad æstuantem calorem attemperandum: non enim tunc talis potus auget obstructiones, neque humores crudos incrassat, cùm ipsi & sua natura, & calore febrili sint nimis attenuati, vt patet in erysipelate: si verò humores non sint tenues, vt viæ aliqua ratione sint obcæcatæ, & totius corporis transpiratio non sit libera, sed aliquo modo impedita, in his casibus quidem potu aquæ frigidæ etiam ordinarius est interdicendus, donec manifesta appareant signa coctionis, quia re vera in dictis casibus frigidus potus, etsi sit moderatus auget obstructiones & humorum cruditates: vnde vti in erysipelate vtilis & necessarius est potus aquæ frigidæ ad eius incendium attemperandum, vt *libro nono, capite quinto* vidimus; & similiter in ardentibus febribus quæ ex tenui bile, vel sanguine oriuntur, & in tertianis exquisitis, quæque æstuantes cùm sint, breviter tamen sua tempora transeunt, atque status accessionis aliis temporibus est longior, vt *3. de crif. c. 5.* advertit Gal. Vt in quã in his casibus, aut similibus dictus potus frigidus est vtilis & necessarius, ita est necessario auferendus, non solùm in quartanis, & quotidianis febribus, sed & in tertianis nothis, potissimum quæ longæ sunt, longasque habent accessiones in inflammationibus internis & multis malignis febribus, ex humoribus adustis ortis: in his siquidem etsi potus frigidus sit moderata quantitate, auget obstructiones & cruditates, imo in febribus ex adustione humorum ortis potus aquæ modicè calidæ est præsentaneum remedium, si quod aliud, potissimum si sit paratum ex aqua buglossæ, vel borraginis.



CAPVT X.

Quæ & quot sunt indicationes curatiuæ, quæ in febribus putridis reperiuntur, & quæ remedia præscribunt.



INVENTIS in superioribus vniversalibus indicationibus, quæ in putridis febribus reperiuntur, inventa similiter generali methodo qua curari debent, cùm vniversalia solùm non sufficiant ad rectè curandum, sed sit necesse ab vniversalibus ad particularia descendere; ideo vniversalibus omnibus jam traditis, atque explicatis *in præsenti capite decimo* explicat quot, & quales sunt particulares indicationes curatiuæ 183

ratiuæ quæ reperiuntur, aut reperiri poſſunt in febribus putridis, & quid ſingulæ indicant pro ſui curatione, & quæ remedia præſcribunt, vel indicant vt rectè eurentur: vnde præſens caput eſt bene explicandum, cùm totam contineat febrium putridarum ſpecialem & propriam curandi rationem, ſeu methodum; primùm enim per methodum reſolutivam explicat in eo Galenus quot & quales ſunt indicationes, quæ inveniuntur in dictis febribus, & inde per compoſitivam methodum docet quomodo ſingulæ ſunt exequendæ, aut curandæ: quare caput ſecamus in duas partes.

TEXTVS.

Ergo qui febrem curare volet, neceſſe eſt putredinem, &c.

184 IN *hac prima capitis parte* ſupponit Gal. quòd in febribus putridis reperiuntur ſeptem affectus præter naturam, ſcilicet febris, putredo, prohibita ventilatio, obſtructio, & cauſæ obſtructionis, quæ ſunt tres, ſcilicet fluxus humorum quantitate peccantium, vel craſſitie, vel lentore: imo ſupponit quòd dicti affectus ſunt actu exiſtentes, & iſte ab illo inter ſe dependentes, tanquam cauſa, ſcilicet quòd febris puttida dependet immediatè à putredine humorum, putredo à prohibita ventilatione, hæc ab obſtructione, & obſtructio denique à fluxione humorum quantitate peccantium, vel craſſitie, aut lentore. Supponit autem hæc ita eſſe, quia re vera ipſa methodo reſolutiva eſſe tot, & alia oſtenditur: febris enim ſi putrida eſt, ideo talis eſt quia à putredine oritur, atque dependet, & pariter ſi humores naturales putreſcunt in nobis, & putredo in eis concipitur, ideo eſt quia non ventilantur liberè, ſed impeditur aliquo modo ventilatio ad eorum conſervationem requiſita: rurſus ſi humores non ventilantur, & excrementa ipſorum fumoſa liberè non tranſpirant, ideo eſt quia adeſt obſtructio à qua impediuntur; & denique ſi obſtructio datur, ideo datur quia datur fluxus alicuius humoris ad partem obſtructam: qui quidem humor, vel quia multus eſt, vel quia craſſus aut lentus obſtruit partem ad quam influit. Quæ cùm ſic ſe habeant, docet modo Galenus ſingulos dictorum affectuum indicare ſui ablationem, & ablationem ſuæ cauſæ; id eſt eſſe tales affectus præter naturam quòd nequeunt curari, niſi ipſi ſimul & cauſa ipſorum auferantur; & ratio eſt, quia affectus ſunt non ſimplices, ſed compoſiti cauſa à qua pendent immediatè; & ideo qui febrem, inquit, curare voluerit, neceſſe eſt vt putredinem inhibeat, id eſt, qui febrem putridam curare rectè vult, neceſſario debet febrem ſimul & putredinem inhibere, quia febris eſt non qualiſcumque, ſed cum putredine coniuncta, atque ab ea dependens, tum in eſſe, tum in conſervari: quare in curatione febris putridæ non vnica, ſed duæ ſunt indicationes curativæ, altera à febre, & altera à putredine orta: vt enim portio febris quæ jam accenſa eſt, ſeu facta, poſtulat ſui ablationem per contraria, ſcilicet per refrigerationem, ita portio quæ in generatione eſt, ſeu in fieri indicat vt inhibeatur, ſcilicet auferendo cauſam à qua fit, ſcilicet putredinem. Itaque febris puttida, ait Gal. quamvis ſimplex ſit febris putrida, & nulli alteri præter naturam complicata, qua partim factus eſt affectus, & partim fiens, ſive in fieri; ideo duas indicationes curativas, & non vnam habet, ſcilicet vnam curativam illius quod jam factum eſt, & alteram correctivam illius quod fit, ne vltra procedat, ſed ceſſet: vt enim id quod factum eſt ſui ablationem indicat, quia corrigi nequit, neque ad meliorem ſtatum revocari; ita quod eſt in fieri indicat correctionem, & non expulſionem; ſiquidem quod eſt in fieri poteſt detineri ne vltra procedat; & ſi malum eſt poteſt corrigi, & ad meliorem ſtatum revocari: cùm enim quod eſt in fieri nondum factum ſit, ſed ſolùm ſit in via ad exiſtendum, vel ad eſſendum, corrigi adhuc poteſt, & retrocedere, ſive ad meliorem ſtatum revocari, non autem quod jam factum eſt: & ideo bene dicit Galenus quòd febris putrida quæ facta eſt indicat ſui ablationem per ſuum contrarium, & quatenus eſt in fieri indicat correctionem, vel, vt ipſe dicit, indicat vt prohibeatur ne fiat. Sed qua ratione, quæſo, prohibebitur ne fiat quod actu fit; reſpondetur auferendo cauſam: quod enim in fieri eſt, dependet à cauſa in fieri & conſervari, & conſequenter quod eſt in fieri non alia ratione inhibetur ne fiat, ſed ceſſet quàm auferendo cauſam à qua fit, ac conſervatur: vnde cùm febris putrida ſit partim fiens, partim facta, etſi ſola ſit, non ſolùm indicat ſui ablationem, ſed & ablationem ſuæ cauſæ, ſcilicet putredinis.

Habemus ex dictis & quod febris putrida habet duas rationales indicationes in ſui curatione, & quod nequit curari niſi inhibeatur, vel auferatur putredo à qua dependet immediatè: vnde qui febrem curare vult, ait, neceſſe eſt putredinem inhibere. 185 Sed qua recta ratione putredo inhibebitur in febribus putridis; huic reſpondet Gal. quòd putredo, vt ipſa febris putrida eſt, partim fiens, & partim facta, atque ideo habet pariter duas indicationes in ſui curatione: quod enim putredinis factum eſt ſui ablationem indicat, quod verò in fieri adhuc eſt non indicat expulſionem, ſed correctionem, & vt ſiſtatur ne vltra procedat, ſed ceſſet, aut extinguatur: quare putredo in febribus dictis inhibetur, ſive extinguitur, & integrè curatur, ſi quod putridum eſt expurgatur, & cauſa putreſcens tolli-

tur, quæ est prohibita ventilatio: quod actu enim putrescit in febribus, inquit Galenus. id perspiratio impedita facit; & ideo si putredo habet causam curari non poterit, nisi & quod est putridum à corpore excernatur, & causa putredinis auferatur, scilicet prohibita corporis transpiratio: si enim corpus bene transpirat, & humores in vasis liberè ventilantur, imputres conservantur, etiam in constitutionibus pestilentibus; & è contra si liberè non ventilantur, & corpus non transpirat sufficienter, statim accenduntur præter naturam, ac putrescunt: quòd si putrescunt, & impedita ventilatio tollitur, corrigitur putrescentia, sive humores putrescentes ad naturalem suum statum revocantur: vnde si putredo in febribus causam habet actu permanentem, vt supponit Galenus, haud dubiè duas dictas habet indicationes, intentionesve in sui curatione; si verò putredo non habeat causam conservantem, vt si in febre putrida jam obstructiones sint reseratæ, & corpus bene transpiret, vt in statu febrium illarum accidit, tunc quidem putredo sola purgatione curatur; & nos omnes in declinatione talium febrium ad illam putredinem extinguendam ægros purgamus.

186 Cùm prohibita ventilatio sit causa putredinis, & ad inhibendam humorum putredinem debet necessariò prohibita transpiratio auferri, docet modo Gal. quomodo talis impedita humorum ventilatio, & corporis transpiratio curari poterunt; dicitque primò quòd & in ipsa prohibita transpiratione sunt duæ indicationes, vna scilicet quæ quod retentum est, docet esse vacuandum; & altera quæ prohibet ne detineatur quod retinendum est præter naturam, si non antevertitur. Quæ vt magis intelligantur, est advertendum quòd prohibita ventilatio humoris, & corporis impedita transpiratio sunt symptomata obstructionis, aut constipationis: si enim in aliqua parte, vel in toto corpore, aliquod præter naturam detinetur, & aliquam obstructionem facit, impedit quidem liberam ventilationem nativi caloris illius partis, & prohibet liberam transpirationem humorum, & expulsionem excrementorum; & per consequens est causa talis prohibitæ ventilationis, & transpirationis; & hæc prohibita ventilatio est symptoma dictæ obstructionis, taliter quidem quòd nullo modo potest auferri, aut cessare, nisi, vt inquit Gal. quod retentum est vacuetur, & quod retinendum est prohibeatur: sive enim quod in corpore detinetur præter naturam intra vasa detineatur, eaque aliquo modo occludat, aut claudat, quod propria dicitur obstructio, sive detineatur in toto corpore, sive solùm in vna parte, certè vbicunque præter naturam detineatur, transpirationem naturalem humorum, & excrementorum ipsorum expulsionem impedit; & per consequens est causa prohibitæ ventilationis, & hæc causa putredinis ipsorum humorum qui non liberè ventilantur: quare dicit benè Gal. quòd prohibita ventilatio, etsi symptoma sit, requirit, sive indicat duo, vt tollat, scilicet & quod retentum est prohibeatur.

Itaque prohibita ventilatio cùm in his febribus, de quibus hic loquimur sit symptoma obstructionis prohibebitur, inquit Gal. id est, curabitur, & ad statum naturalem revocabitur, remediis quæ obstructioni medentur: quare hic jam videndum venit quæ sunt indicationes curativæ quæ in obstructione reperiuntur: obstructio igitur cùm & fiens sit & facta, vt de febre & putredine est demonstratum, duas pariter habet indicationes, curabiturque si quod obstructionis jam factum est tollatur, & quod in fieri aut futurū est propulsabitur: semper enim quod præter naturam iam factum est indicat sui ablationem per contraria, & quod in fieri adhuc est indicat correctionem ne vltra procedat, sed retrocedat, & ad meliorem statum, aut naturalem redeat; & idcirco obstructionis id quod iam factum est per ea remedia quæ ab obstructione liberant, propulsabitur, atque sanandum indicat; idverò quod futurum est, vel iam obstruere incipit, propulsatur ne vltra procedat, sed ad meliorem statum reducitur, si affluxum obstruentium succorum compescas: Vt enim quæ obstructiones aperiunt, id efficiunt auferendo quod detentum erat præter naturam in partibus obstructis; ita pariter si affluxus obstruentium humorum ad locum obstructionis compescitur, aut in totum tevellitur, sic quidem quod obstructionis futurum erat, aut iam fieri incipiebat propulsatur statim, atque compescitur: ex quibus constat, atque verè colligitur quòd curativæ indicationes in febribus putridis, die & in vna qualibet earum sunt in summa quatuor, sed geminatæ omnes: qui enim febrem putridam curare intendit, atque aggreditur, non solùm tollere debet, sed febrem & eius causas, à quibus dependet, scilicet putredinem, prohibitam ventilationem, & obstructionem: quare jam sunt quatuor intentiones, sive indicationes, scilicet propulsare, sive extinguere febrem, putredinem auferre, prohibitam ventilationem facilitare, & obstructiones reserare: sed quia ista quatuor sunt partim in fieri, & partim in facto esse, vt visum est, pariter quodlibet eorum duo requirit necessariò vt curetur: primum scilicet, vt quod eius factum est, auferatur, & quod est in fieri corrigatur, & ad statum naturalem recurrat, aut redeat: quare quatuor dictæ indicationes omnes sunt geminatæ. 187

TEXTVS

TEXTVS.

Ergo quod vltimm est in ipsa resolutiva methodo, &c.

188 HÆc est secunda capitis pars, in qua per methodum compositivam docet Galenus esse exercendas indicationes curativas, quæ in febribns puttidis per methodum resolutivam faciendæ inveniuntur: sunt siquidem methodi veræ sciendæ, & agendi modus: methodus namque resolutiva est certa via ad sciendum, sive ad inveniendnm quid & quotuplex sit sciendum, aut inveniendum in rebus quæ benè ac malè fieri possunt, vt rectè fiant: metbodus autem compositiva est via recta, & certus ac debitus modus quo debent fieri, vt benè fiant quæ benè & malè fieri possunt, vti est morborum curatio. Itaque pet methodum resolntivam invenimus esse curandas febres putridas, non solùm curata febre, sed & puttedine, & puttedinis causis, scilicet prohibita ventilatione & obstructione: nnnc ergo hos affectus esse curandos docet pet methodum compositivam., id est per methodum contrariam resolutivæ: resolutiva enim methodus incipit ab eo quod in te vltimum est, & illud resolvit in sua principia, & primas causas; è contta methodus compositiva incipit à primis causis, & ad effectus procedit vsque ad vltimos; atque ideo dicit modò Gal. Ergo quod vltimum est in ipsa resolutiva metbodo est inventum, id primum omnium in curatione est petagendum. Quasi dicat: Per methodum tesolutivam invenimus esse curandas febres putridas, non vtcumque, sed per ablationem ipsius febris, & suarum causarum; quæ sunt prima, & magis febti immediata puttedo, deinde prohibita ventilatio, quæ est immediata causa putredinis, & tandem obstructio quæ est causa prohibitæ ventilationis: hæc igitur quatuor sunt curanda per methodum compositivam, & ideo quod per dictam methodum tesolutivam vltimo loco est inventum, id erit primum omnium peragendum, sive curandum, scilicet per methodum compositivam, quæque à causa prima ad alias procedit vsque ad vltimam: vnde non solùm quod in curatione febrium puttidarum pet methodum tesolutivam vltimo loco inventum est, erit primum in curatione, scilicet obstructio; sed & talis obstructio, vt & alij posteriores affectus qni reperiuntur in febte putrida curabuntur suo ordine, scilicet per methodnm compositivam, id est primùm removendo causam, & postea accedendo ad effectum prodnctum, & ita obstructio curabitur curata prius fluxione humorum obstruentium, & ad levem obstructionis fluentium, & postea facta obstructio reserabitur, sive aperietur, suis propriis apetientibus auxiliis, sive remediis: hoc namque est curare per methodum compositivam; & revera per methodum contrariam methodo resolutivæ.

189 Quòd autem obstructio in dictis febribns & aliis quibuscumque similibus curar debeat per dictam methodum compositivam, & non aliter, id est auferendo primum affluxum humorum obstruentium, sive multi sint solùm, sive simul etiam crassi, aut lenti, constat ex alibi demonstratis: ostendimus enim, ait Galenus, *in prioribus libris*, scilicet *octavo & nono*, si his auxiliis, quæ obstructiones aperiunt, vti velimus, non vacuata prius abundantia, vt non modò nihil proficiamus, sed etiam affectum maiorem reddamus: præterquam quod enim in qualibet curatinne prius vnamquamque causam abscindere oportet, & postea ad eam, quæ facta est dyscrasia, curandam est deveniendum, vt dicit ipse Galenus *in Arte medicinali*, *capite* 89. quia etiam quæ obstuctiones factas adaperiunt, augent fluxum humorum fluentium ad locum obstructum; & ideo nisi prius compescamus humores fluentes, sive affluxnm humorum obstuentium, obstructio sanari non poterit, neque remedia deobstruentia poterunt administrari, quia pugnant inter se indicatio aperiendi obstructiones, & indicatio sistendi fluxiones; & ita quidem pugnant, quòd si simul coincidant, perpetuo prius sistenda sit fluxio, quia est causa obstructionis, & causa prius semper est auferenda, & postea affectus tollendus. Dixi, si simul coincidant, quia re vera potest cessare & curari, vel non esse affluxus humotum fluentium ad locum obstructionis, & manere obstructio: quod cùm ita accidit, possumus sine prævia corporis vniversali evacuatione, aut humorum revulsione ad aperiendas obstructiones accedere.

190 Hîc advertit Galenus quòd si in putridis dictis febribus vacuata prius multitudine humorum obstruentium, aut fluentium ad locum obstructionis, ad curandam obstructionem factam accedamns; accedamus quidem & deobstruamus jam, quia licèt cùm jam ablatum est impedimentum, ablatave sit jam obstructionis causa, scilicet affluxus & redundantia humorum obstruentium, sed accedamus non quibusvis medicamentis apetientibus, aut deobstruentibus, sed his quæ ad reserandas obstuctiones dictas expediant: sunt enim medicamenta apetientia ferè omnia per excessum calida, & ideo talia quòd & febrem & putredinem possunt adaugere, si non eliguntut quæ citta calorem valent obstructiones aperire: in febribus enim putridis, & potissimùm in synochis, sive continentibus, vel continuis, de quibus *in præsenti libro* agit Galenus, non solùm obstructiones attendete debemus, cùm eas curamus, sed tum putredinem, tum febrem, quia sunt magnæ: non solùm enim in continentibus febribus puttidis

putridis vigent putredo & febris, sed etiam in continuis: nam ideo sunt continuæ, & semper perseverant, quia obstructiones, putredo, & febris sunt multæ, aut magnæ, & ideo requirunt superari à natura, neque extingui, quamvis sine intermissione contendit eas vincere, ac debellare: quare cautè advertit Galenus, quòd in his febribus ad resecandas obstructiones non vtamur medicamentis, quæ calefaciendo aperiunt obstructiones, quia augent putredinem & febrem, sed aliis quæ citra calorem valent obstructiones reserare, vt sunt ptisana, vel decoctum hordei, radicum, graminis, & herbarum capillarium, sirupus acetosus, capillorum veneris endivia, & alia de quibus supra est actum. In aliis autem febribus in quibus obstructiones oriuntur ab humoribus crassis, frigidis & lentis, & in quibus febris, ac putredo non sunt magnæ, vt in quartanis, quotidianis & tertianis moltum nothis; in his inquam possumus vti ad deobstruendum medicamentis aliquantulum calidis, qualia sunt mulsa, oxymel, & decoctiones, aut sirupi de duabus, aut quinque radicibus, scilicet quando tempus est aperiendi obstructiones, & postquam redundantia, atque fluxus obstruentium succorum fuerint evacuati, atque cessaverint.

191 Advertit etiam hîc Gal. quòd vbi quæ obstruunt, deterguntur, & dissecantur à medicamentis aperientibus; imò vbi detersa, dissectaque jam sunt, tunc idem per alvum, vrinas & sudorem ea vacuare est tentandum: nam postquam obstructiones sunt apertæ, restat expurganda materia obstruens: non enim remedia quæ deobstruunt materias obstruentes evacuant, sed solùm si crassæ sunt eas attenuant, si sunt viscidæ, incidunt, si denique lentæ abstergunt; & ideo postquam obstructiones sic apertæ sunt, & postquam materiæ quæ obstruebant sua crassitie, vel lentitie sunt tam attenuatæ, dissecatæ, atque absterſæ, sive separatæ à parietibus vasorum, restant adhuc purgandæ, sive per alvum, sive per vrinas, sive per sudorem, vel per omnes dictas regiones, si obstructiones fuerint in omnibus venis, vt in febribus continentibus esse solent, quia medicamenta apertentia, quamvis vias dilatant, & humores in eis contentos attenuant, inscindunt, & abstergunt, & sic eos ad expulsionem, aut ad evacuationem præparant, & sic obstructiones reserant, & prohibita ventilatio tollitur; tamen talia medicamenta aperientia non expurgant humores, sed attenuatos, & ad expulsionem paratos, eo in loco obstructiones relinquunt; atque ita postquam obstructiones sunt reseratæ, & dictæ materiæ obstruentes sunt attenuatæ, atque à parietibus vasorum absterſæ, aut separatæ, & fluidæ factæ, tandem expurgandæ sunt, vt ait Gal. quia sunt materiæ putridæ, aut corruptæ ex obstructione: obstructio enim est causa putredinis, & per consequens materiæ quæ obstruuntur putrescunt necessariò & corrumpuntur, ideoque postulant expurgari, & quo citius fieri possit, atque per locum à natura destinatum, & magis conferentem ad expulsionem.

Advertit Galenus hîc medicamenta quæ purgant per alvum, vel per vrinas, aut per sudorem esse ferè omnia per excessum calida, & posse facilè febrem augere, atque putredinem, vt de aperientibus obstructiones dictum est: quare ad expurgandas materias obstruentes, etiam ad expulsionem præparatas, cùm putridæ sint, & febrem excitent, ea necessariò sunt à Medico eligenda medicamenta, ait, quæ minus calefaciant, vel quæ non calefaciant, vt in hoc casu est balneum aquæ dulcis tepidum, & ptisana, vel aqua hordei, & vinum multa aqua dilutum, & similia: hæc enim citra calefactionem corpus expurgant per sudorem, vel per vrinam, & interdum per alvum; & ideo sunt vtilia in dicto casu; verùm sunt remedia parum vacuantia, & potius materias serosas purgant, quàm humorales; ex quo fit quòd nos in dictis casibus non solùm dictis vtamur medicamentis expurgantibus, sed & aliis quæ citra calefactionem per alvum purgant clementer, & blandè dictas materias humorales putridas, vt sunt pulpa cassiæ recenter extractæ, pulpa tamarindorum, diaprunis simplex, diacatholicum, & sirupus rosarum solutivus: hæc enim in debita quantitate exhibita in febribus, postquam obstructiones sunt reseratæ, ac febris vehementia est remissa, purgant facillimè & felicissimè materias morbificas, etiam putridas ex secunda regione: etsi enim dicta medicamenta purgantia solùm sint lenientia, & eorum virtus attractrix & purgativa non transcendat hepar, & consequenter non attrahat humores ex secunda regione, quia tamen humores concocti sunt benè dispositi ad purgationem, & vti fructus maturi facilè cedunt cuique expulsioni; ideo talia medicamenta in febribus exhibita post reseratas obstructiones & materias benè coctas, eas etiam expurgant ex secunda regione, quia scilicet consecutione ad ea quæ purgantur ex prima regione concitantur quæ ad id sunt disposita in secunda, & hæc ab illis citata omnia tandem vacuantur. 192

Tandem advertit Galenus quòd cùm obstructiones reseramus in febribus, & materias obstruentes, atque vitiatas intendimus expurgare; tunc etiam vires reserare debemus, vt roboratæ & putredinem superent, & humores concoquant, & excrementa excernant: quasi dicat: In viventibus corporibus, vt *superiori capite* dicebamus, non solùm remedia ritè & rectè applicata curant morbos, sed & etiam natura ipsa est morborum curatrix: quare quando in febribus obstructiones aperire aggredimur, & humores concoquere intendimus, & excrementa purgare, tunc ad ea consequenda non 193

solùm

solùm remedia apta adhibera debemus, sed etiam naturam, sive vires laborantis roborare, vtpote quæ si robustæ sint, possint non minus quàm medicamenta concoquere humores & reliqua alia dicta peragere; imo si vires vigent, etiam medicamenta faciliùs & feliciùs operantur: vnde etiam fit quòd si vires roborantur sufficiunt minora, aut pauciora remedia ad intentum consequendum, scilicet ad obstructiones aperiendas, ad humores putrescentes concoquendos, & ad putridos attenuandos, abstergendos, & expurgandos, & per consequens ferè ad omnem curationem febrium putridarum exercendam: hæc enim febrium putridarum curatio, vt visum est, in eo consistit, quod primùm humorem compescat, deinde obstructiones factæ aperiantur, tertiò humores putridi purgentur, & tandem febris facta refrigeretur: hæc enim pauca sunt quæ dicto ordine & methodo compositiva executa integrè febres curant putridas, quamvis alia per methodum resolutivam fuerint inventa, & quamvis à febre quæ vltimò curatur, inceperit per talem methodum resolutivam, methodus indicationum & inveniendorum remediorum quibus rectè curantur.

194 Itaque etiam hîc nos debemus advertere quòd licèt in curatione febrium putridarum plures per methodum resolutivam inveniuntur exequendæ indicationes curativæ; dum curantur tamen per methodum compositivam, paucis comprehenduntur: etsi enim quatuor sint, verum est quòd exequantur in curatione cuiusque febris putridæ; scilicet evacuatio materiæ in corpore redundantis, atque ad locum obstructionis, sive ad focum putredinis fluentis apertio obstructionis, purgatio materiæ putridæ, & febris refrigeratio: hæc tamen quatuor ad tria revocantur, totaque curatio febrium putridarum consistit in curatione obstructionis, in expulsione materiæ putridæ, & in refrigeratione febris factæ, & quæ à causis non dependet: vnde Galenus *in secunda capitis parte*, in qua talem agit curationem, ferè totus positus est in curatione obstructionis, hancque solam curat integrè, scilicet fientem & factam, non verò alias sequentes, sed solùm purgat materiam putridam, & febrem factam attemperat, & consequenter tota curatio rationalis & vera febris putridæ consistit in curatione integra obstructionis, id est in curatione obstructionis fientis simul & factæ, in curatione putredinis factæ, & febris factæ; atque proinde quamquam Gal. hanc curationem comparat totam per methodum compositivam, non tamen dictos tres affectus curat immediatè per talem methodum, sed solùm primum, scilicet obstructionem: solùm siquidem obstructionem curat, primùm auferendo eius causam, scilicet affluxus redundantium humorum, atque fluentium ad locum obstructionis, & postea factam obstructionem referat, attenuando, abstergendoque materias obstruentes, & vasa dilatando: quibus sic factis, statim materias putridas purgat per alvum, vrinas, aut sudorem, & tandem febrem factam, vel adhuc remanentem frigidis attemperat, v. l in totum extinguit. Curat autem solùm obstructionem integrè Galenus, sive fientem & factam, non autem putredinem, neque febrem, quia vt putredo est immediata causa febris putridæ, & ideo febris putrida fiens dependet ab ea, ita obstructio est causa putredinis, & putredo fiens dependet ab obstructione; atque ideo curata obstructione putredo fiens curatur, & curata putredine curatur, sive aufertur febris fiens putrida: quare in febribus putridis curata obstructione non solùm curatur, ac tollitur prohibita ventilatio, quæ est symptoma obstructionis, sed & putredo fiens; vti expulsa putredine extinguitur febris putrida fiens, solúmque remanet febris facta, quæque à causa nullo modo dependet: vnde in febribus putridis, si obstructio & eius causæ curantur, solùm remanet putredo facta purganda, & hac expulsa febris facta temperanda; atque idcirco scientissimus Galenus curat febres putridas solùm curando per methodum compositivam obstructionem, scilicet primum fientem, id est causas removendo, & postea factam, vias dilatando, materiasque obstruentes abstergendo, attenuando, concoquendo, & ad expulsionem præparando quæ debent excerni? tertiò purgat per loca conferentia putridas materias, quæ neque curata obstructione concoqui potuerunt, sed omnino fuerunt putrefactæ, aut corruptæ; & tandem post hæc febrem sedat.

Dubitationes super Textum.

Tres sese offerunt decidendæ dubitationes, vt magis firma maneant quæ in Textu sunt dicta: sit igitur prima, an non solùm in febribus putridis reperiantur septem affectus à Galeno traditi *in prima capitis parte*, scilicet febris, putredo, prohibita ventilatio, &c. sed & octo: videtur enim quòd sic: nam re vera in febribus putridis non solum dantur humores putrescentes & putrefacti, sed & fuligines plures, & multi corrupti vapores à putredine elevati, qui intra corpus detenti non minus quàm ipsa putredo febrem generant putridam, & actiones lædunt, atque calorem nativum laxant, & per consequens dicta fulign putrida distinctum affectum constituet ab enumeratis à Galeno, eruntque non septem, sed octo omnes qui reperiuntur in febribus putridis, sicque valet dicere quòd dictæ fuligines putridæ & corrupti vapores qui à putredine elevantur in febribus putridis, sunt accidentia, aut symptoma putredinis, & ideo revocantur ad illam, & non faciunt distinctum affectum, neque valet: nam & prohibita ventilatio est symptoma obstructionis, & nihilominus ponitur à 195

Galeno

Galeno distinctus affectus ab obstructione. Respondetur: ergo fuligines putridas in febribus non constituere distinctum affectum à putredine, quidquid Medici barbari dicant; quia media fuligine putrida, quam à se emittit putredo, & cordi communicatur, febrem generat putridam: putredo enim in loco obstructionis, sive in foco putredinis stabulatur, vel continetur, & non in corde; neque putredo aut humor putridus in foco putredinis obstructus febrem generat, sed vapores putridi, vel fuligines putres quæ elevantur à foco putredinis, & ab humoribus ibi obstructis ac putrescentibus, & inde cordi communicantur, in eoque calorem nativum præter naturam accendunt, aut inflammant: quare putredo, & eius putrida fuligo vnum & eundem præstant effectum in febribus putridis, scilicet generare febrem putridam, & per consequens non sunt diversi affectus, sed vnus in talibus febribus, quamquam obstructio, & prohibita ventilatio in eis sint re vera diversi, quia diversos præstant effectus: obstructio enim est cavitatis occlusio ab humoribus impactis, aut in ea contentis; prohibita verò ventilatio non est vasorum occlusio, neque cavitatum angustia, sed quod inde sequitur, tanquam symptoma, scilicet impeditus motus, sive transitus humorum & caloris nativi per illas cavitates, & impeditus transitus fuliginum transpirantium & aëris externi ingredientis, & egredientis non solùm per os & nares, sed & per totum habitum corporis: vnde obstructio solùm humores detinet in parte obstructa, ne inde fluant; prohibita autem ventilatio putrefacit humores detentos, & calorem nativum præter naturam accendit, vel suffocat, seu extinguit: accendit si modica est; si verò immodica, extinguit. Quia ergo obstructionis & prohibitæ ventilationis effectus in febribus varij ac diversi sunt, vt est visum, ideo tales affectus distinguit Gal. quamvis prohibita ventilatio sit merum symptoma obstructionis; fuligines putres verò non faciunt distinctum affectum à putredine, quamvis sint inter se diversæ, tanquam causa & effectus, quia in febre non generant diversos effectus, sed vtraque vnum solum, scilicet febrem putridam, vt visum est.

196 Vt secunda dubitatio proponatur, debemus revocare in memoriam quod dixit Galenus *in Textu*, & *in secunda capitis parte*, sic non licere Medicis vti medicamentis, quæ obstructiones adimunt, nisi vacuata prius corporis redundantia: hoc supposito, dubitatur modò an in febribus putridis talis corporis redundantia sit semper vacuanda per sanguinis missionem, an aliquando saltem per purgationem: ratio dubitandi est, quia Galenus ipse *libro superiori, capite secundo*, de curatione obstructionis agens sic scribit: Præfertur autem inter remedia in ea quam copia facit, sanguinis missio; in ea quæ à crassis, aut lentis incidentium, attenuantium vires: quibus verbis clarè videtur insinuare, non in omnibus obstructionibus esse evacuandam corporis redundantiam per sanguinis missionem, sed in ea solùm quam copia facit, sive quam faciunt humores copia redundantes; & consequenter in alia quam humores qualitate peccantes faciunt, per purgationem; cùm purgatio sit evacuatio humorum qualitate peccantium, vt sanguinis missio humorum qui peccant quantitate; & confirmatur hæc doctrina ex eo quòd humores crudi & crassi, viscidi ac lenti per sanguinis missionem non vacuantur, sed refrigerantur: nam sanguinis missio refrigerat, & sic dictos humores non evacuat, sed crudiores facit, & crassiores reddit, & per consequens magis ineptos ad expulsionem vel eductionem relinquit. Tandem hoc ipsum videtur colligi ex præsenti Textu: hic enim, etsi non semel, sed bis repetit paucis interpositis aliis verbis quod vacuata prius multitudine aut redundantia corporis ad curandam obstructionem est accedendum; in nullo tamen dictorum locorum dicit quòd dicta plenitudo sit sanguinis missione evacuanda, sed intactum, aut indeterminatum relinquit, quia scilicet hoc jam definierat, ac determinaverat antea *loco citato*: alias enim hic debebat explicare & definire, cùm ex instituto doceat curare obstructionem fientem & factam; fientem scilicet per evacuationem eorum quæ redundant in corpore, & factam per auxilia aperientia, attenuantia, & abstergentia. Sed his omnibus non obstantibus respondetur dubio: obstructiones fientes omnes esse curandas evacuando per sanguinis missionem, & non per purgationem materias redundantes: etsi enim materiæ redundantes in corpore, & fluentes ad locum obstructionis non semper sint sanguineæ, atque tenues, sed & crassæ, & lentæ esse possint, quia tantùm fluentes sunt, & febrem excitant, debent per sanguinis missionem vacuari, & non per purgationem: quia, vt *in annotationibus superioribus* dicebamus, medicamenta purgantia, etiamsi levia sint, solúmque lenientia, humores agitant, & fluxiones augent; & è contra sanguinis missio sistit fluxiones, vacuatque materias morbificas, earumque fervorem remittit, aut extinguit. His adde quod etiam supra dicebamus, scilicet materias crassas neque in principiis posse purgari, nisi prius attenuentur: nam venæ mesaraicæ per quas debent excerni sunt capillares, & ideo nisi materiæ purgandæ sint benè attenuatæ, per illas expurgari nequeunt: purgantur autem aut vacuantur per sanguinis missionem, quia etsi crassæ sunt, sunt actu fluentes, exeuntq; non per venas capillares, sed per amplas cavitates venarum quæ secantur. Tandem materiæ crassæ, aut lentæ quæ febrem excitant, atque putredinem, purgari nequeunt, nisi prius sanguinis missione febris, atque putredo remittantur, quia medicamenta purgantia

gantia

gantia quæcumque sint augent ex se febrē, & putredinem, non minus quàm medicamenta deobstruentia, quæ à Galeno in Textu expressè vetantur, non vacuata prius abundantia, & nisi prius affluxus obstruentium humorum sistatur: quare in febribus putridis redundantia humorum, quæcumque fuerit, & quilibet affluxus obstruentium succorum, nullatenus per purgationem, sed per sanguinis missionem sunt ad statum naturalem reducendi.

197 Iam igitur respondeamus iis quæ in contrarium videntur tradita; atque ut rationi dubitandi primùm satisfaciamus, advertimus quòd qoando Gal. dicit, præfertur autē sanguinis missio in obstructione quam facit copia; in ea verò quæ à crassis aut lentis accidit succis attenuantium usus, agit de factis obstructionibus, sive de remediis quæ debētur obstructionibus non fientibus, sed jam factis: sensus enim est, ut obstructiones factas ab humoribus crassis aut lentis, usus medicamētorum attenuantium & abstergentiū aperit, scilicet attenuando & abstergendo dictas materias, & vias dilatando; ita sanguinis missio aperit obstructionem factam ob sanguinis copiam, vel ob copiam humorum quantitate peccantium; cùm revera sanguinis missio evacuet humores in copia, seu quantitate peccantes in nobis, sive tales humores sint fluentes per venas, sive in illis, aut earum cavitate sint detenti, ut detinentur qui obstructionem faciunt. Quod autem Gal. eo loco de curatione loquatur quæ debetur obstructionibus factis & non fientibus, præterquam quòd Textus ille, si attentè legitur, ostendit; etiam ex his quæ *in præsenti capite* docet colligitur clarè: hic enim agens de curatione obstructionum in febribus putridis continuis vel continentibus, in quibus scilicet dantur obstructiones fientes & factæ ab humoribus, tum copia, tum qualitate peccantibus, & partim retentis jam in vasis, partim retinendis, dicit & docet esse curandas tales obstructiones, vacuata prius multitudine, vel abundantia humorum qui præter naturam retinentur in corpore, scilicet non solùm fluentes, sed etiam fluxi, & actu obstruentes sua copia, aut nimia quantitate; & postea adhibitis remediis quæ detergendo, dissecandoque obstructiones aperiant; id est quæ detergendo materias lentas & crassas, ac viscidas dissecando, attenuando ac resolvendo obstructiones adimāt quæ post sanguinis missionem, & post multitudinis evacuationem relinquuntur facta ab humoribus dictis crassis, &c. Rursus quæ dicimus magis constabunt, si supponimus, atque advertimus quòd obstructiones non omnes fiunt per fluxionem, sed aliquæ fiunt per congestionem: hæ igitur cùm nullā supponant in corpore redundantiam, sed solùm humores detentos in loco obstructionis, vasorum cavitates occupantes, ventilationem impedientes; statim curari indicant quæ ex copia sanguinis fiunt sanguinis missione, quæ verò non ex humorum copia, sed ex eorū crassitie, aut lentore, usu attenuantium, abstergentiumque medicamentorum: unde obstructiones quæ fiunt ab humoribus, non copia, sed crassitie, ac lentore peccantibus nō curantur, neque curari indicant purgatione, ut argumentū persuadet, sed usu attenuantiū auxiliorum. Ad confirmationem quòd humores crudi & crassi non vacuantur sanguine misso, sed magis incrassantur; respondetur esse verum, si loquatur de illis qui sunt retenti in loco obstructionis, suntque ibi fixi, vel adhærentes partibus vasorum; iis enim, ut visum est, non debetur sanguinis missio, sed attenuantiū & abstergentiū medicamentorū usus: absolutè tamen verum non est, quia humores crassi, aut lenti qui fluunt per venas unà cum sanguine & aliis humoribus redundantibus, certum est quòd sanguine misso vacuantur unà cum illis, quia sunt eis permixti, atque adhærentes, & ideo sanguinis missio omnes indiscriminatim vacuat. Neq; altera confirmatio obstat aliquid: nam ex Gal. abundantiæ, aut plenitudini humorum sāguinis missio medetur, non purgatio; atq; ideò si ex illo ante exhibitionem remediorū deobstruentium abundantia ac multitudo est evacuanda, talis abundantia evacuanda tollitur sanguinis missione, & nullo modo purgatione, cùm purgatio nullatenus debeatur abundantiæ.

Sit ultima dubitatio quomodo in febribus putridis vires sint roborandæ, vel robustæ conservandæ, ut Gal. monet esse faciendum in Textu? docet siquidem non solùm *in præsenti capite*, sed *superius* quòd in curatione febrium putridarum debent vires omnes esse robustæ, & potissimum naturales quæ humores concoquunt, putredinē emendant, & quæ putrida sunt expurgant; at qua recta ratione tales vires robustæ conservari possint in talibus febribus, vel debiles roborari, sanè dubium est, vel non parum difficile: nam in febribus putridis multa sunt quæ vires debilitant, non solùm scilicet febris quæ eas resolvit, sed & putredo, quæ à tota sua substantia illas consumit, ac demolitur; & denique sanguinis missio, & alia multa quæ curationis gratia in eis quotidiè fiunt: nullum autem est tam celebre remedium, ait Gal. quod aliqua ex parte non noceat, sed potissimum sanguinis missio, cùm sanguinem fundat, qui est vitæ thesaurus, & subjectum, vel substantia caloris nativi viventis. Respondetur quòd etsi in febribus putridis vires à tot dictis læduntur, his tamen non obstantibus possunt robustè conservari, vel si debiles fuerint roborari, si rectè curantur, rectè nutriuntur, & sufficienter transpirant, vel ventilantur: etsi enim sanguinis missio, & quodlibet aliud remediū corpori applicatum aliqua ratione noceat, aut vires dejiciat, quia omni evacuationi est annexus aliquis casus virtutis; si tamen sanguinis missio ritè & rectè administratur, potius juvat, quàm lædit, cùm sit remedium, & morbum levet, morbique causam minuat, vel auferat, quibus sic ablatis 198

vires non lassantur, sed è contra gliscunt, aut roborantur, ut quæ longè magis à morbo, vel morbi causa lædebantur ante evacuationem: ideo remedium illud esse dicitur quod corpori applicatum juvat, vel saltem non nocet, quia vel morbum, vel morbi causam, vel utrumque remittit: si enim aliquod dictorum non levat, nocet manifestè, quia alterat corpus, & naturam non juvat: quare, etsi remedia quatenus corpus alterant, atque naturam, vires potius laxant quàm roborant, quatenus tamen morbum remittunt, vel causam eius minuunt, juvant, vel saltem non nocent, quia minimum est quod de morbo remittunt, atque de eius causa: si enim quod remittunt plus, quàm minimum est, tunc manifestè juvant; quia ut est dictum longè plus natura levatur ex curatione, quàm læditur evacuatione per quam curatur. Itaque vires & in febribus putridis, & in aliis morbis, in primis conservantur robustæ per ipsam curationem, si morbi rectè curantur: deinde conservantur etiam per debitam victus rationem, & si debiles sunt restaurantur; quia licèt in morbis ratio victus sit longè magis artificiosa quàm in sanis, si tamen in quolibet morbo administratur, ut debet, etiam ægrotantium vires per cibum & potum conservantur, ac reparantur: tandem vires conservantur ac roborantur in morbis, si liberè transpirant, ac ventilantur, quia vires, sive vita nostra est in perpetuo motu dilatationis & contractionis, ut apparet in pulsu & respiratione; & idcirco si vitalis noster calor liberè non ventilatur, & corpus liberè non transpirat, repletur statim excrementis detentis, lassatur ab eis, & eorum oppressione suffocatur; è contra si liberè transpirat, corpus, & dictus vitalis calor benè ventilatur, gliscit & roboratur, quia per talem ventilationem quasi reviviscit & augetur, non minus atq; ex alimentis assūptis, & ex exercitio moderato: re vera enim ab iis omnibus vita nostra & vires reficiuntur.

199 Hic etiam placet breviter agere de methodo compositiva & resolutiva, ut magis intelligatur quod de eis à nobis est dictum, Textum exponentibus Supponentes ergo quòd methodi sunt essentiales sciendæ, aut faciendi modi, sive sunt viæ certæ, & debitæ, quibus scientiæ comparantur, & comparatæ docent quibus artes inveniuntur, vel ritè & rectè constituuntur, atque suos fines, sive operationes operantur, ac consequuntur: non enim scientiæ essent certæ, neque artes essent veræ, & suos fines certò consequerentur, si per veras methodos non essent comparatæ, atque constitutæ, & per easdem methodos suas operationes non agerent: quare methodi sunt illa scientifica instrumenta quibus humanus intellectus instruitur vel dirigitur, aut regulatur, non solùm ad rectè comparandas scientias, atque artes scientificas, sed etiam ad rectè operandum in eis, rectèque consequendum fines talium scientiarum & artium: unde methodi, ait Gal. *supra lib. 1. c. 40.* sunt ordinatæ viæ secundum prius & posterius, sive sunt processus ordinati, & secundùm prius, ac posterius dispositi ad aliquem finem rectè consequendum; & consequenter in methodo dantur duo, scilicet via, sive processus, & ordo: non enim quælibet via, aut processus, vel progressus secundùm prius & posterius est methodus, sed solùm via recta & debitè ordinata ad aliquem finem consequendum, dicitur, & est methodus: quare si methodus via recta est & debitè ordinata ad aliquid consequendum, erit certè methodus via, sive processus à noto ab ignotis dispositus, & ex natura rei taliter ordinatus, ut per illum finē nitidum verè & breviter consequatur: quod enim methodo consequitur non fortuitò, sed certò, breviter & benè comparatur, ut loco citato dicit Gal. cùm non quomodolibet, sed via recta comparetur.

Itaque methodi sunt plures, tot scil. quot 200
sunt viæ & processus certi ad res omnes ritè comparandas; & ideo methodus dividitur communiter à Logicis in quatuor differentias, scilicet in definitivam, divisivam, demōstrativam & resolutivam; quia definitio, divisio, &c. si bonæ sunt, sunt veri sciendi modi, & sunt viæ atque processus à noto ad ignotum, id est ignotum per notoria declarantes, ideoque definitio est oratio explicans essentiam rei, etsi sit occulta, & divisio explicat rei differentias, etsi sint plures, & inventu, atque numeratu difficiles, & sic de aliis. Sed quamquam dicta vera sint, & ab omnibus communiter admissa, videtur tamen ex nostro præsenti Textu diminuta, cùm apertè dicat & doceat Gal. in capite curandas esse febres putridas per methodum compositivam, id est prius curandas esse causas febris putridæ, imo prius esse curandam obstructionem per ablationem suarum causarum, deinde putredinem, & tandem febrem esse curandam: qui quidem processus non est definitivus, neque divisivus, neq; demonstrativus, aut resolutivus, sed longè alius ab eis, scilicet compositivus, sive à causa ad effectum: quare methodi non solùm erunt quatuor dictæ, sed eis quinta erit addenda, scilicet compositiva à Gal. hoc loco manifestata. Respondetur methodos revera esse quatuor à Logicis assignatas, & non dari aliam ab eis distinctam, quamvis ordo compositivus, id est processus à causa ad effectum revera detur. Quæ ut benè intelligantur, est advertendum, quòd, ut diximus paulò antea, methodus, quæcumq; sit, est via recta, sive processus secundum prius & posterius, non qualiscūq; sed debitus & benè ordinatus ad finē propositū consequendum; & ideo diximus quòd in methodo dantur duo, scilicet via, sive processus à noto ad ignotum: nam ut Aristoteles ait, in natura nobis via est procedendi à noto ad ignotum; ordo autē est processus à primo ad secundū, atq; à secundo ad tertiū, & ita deinceps à tertio ad quartū, donec sic ad finē perveniamus, ut Gal. docet loco

loco citato *libro primo huius Operis, capite quarto.* His notatis, advertit Galenus *libro Artis medicinalis, capite primo*, quòd quamvis doctrinæ, sive scientiæ & artes rationales multæ sint, & quamvis methodi sint quatuor dictæ, ordines tamen quibus doctrinæ ordinantur, aut rectè disponuntur, atque constituuntur, non sunt nisi solùm tres, scilicet definitivus, compositivus & resolutivus: vnde quamvis non detur methodus compositiva, qoia processus à causa ad effectum non est semper omnino certus, aut scientificus, vt requiritur ad modum sciendi, in methodis tamen datur vel potest dari ordo compositivus, vtpote qui ad operandum benè sit vtilis & requisitus; & consequenter io Medicina, cùm sit scientia practica, sive habitus iotellectus recta cum ratione factivus beoè compatitur quòd febrium & aliorum morborum cognitio fiat per methodum resolutivam, & curatio tradatur, sive operetur per ordinem compositivum: uam hoc est quod Gal. dicere & docere vult quando ait: Ergo quod vltimum in resolutiva methodo est inventum, id primum omnium in curatione est peragendum; sensus enim est: vt febrium putridarum curatio, & totum quod agendum est io earum curatione inveoitur per methodum resolutivam; ita ipsa operatio, sive remediorum executio, atque administratio fieri debet per ordinem compositivum, sive per ordinem contrarium resolutivo, & per coosequens ab eo incipienda est curationis operatio in febribus putridis quod in earum inventione curationis est inventum vltimo loco, scilicet ab ablatiooe obstructionis primùm fientis, deinde factæ; imo ab ablatione causarum obstructionis, primum earum obstructionis fieotis, deinde factæ.



CAPVT XI.

Ex quibus accidentibus curatio febrium tradita protrahatur, aut pervertatur.

201 ETHODICA morborum curatio non solùm bona est quàtum esse potest, sed & celerrima, seu brevissima, quæ methodi, vt dictum est, sunt sciendi, faciendique modi brevissimi, suntque viæ rectæ, quæ directè, id est citò & benè ad finem perducuntur: quare & tradita febrium putridarum curatio cùm per methodum resolutivam sit inventa, vel constituta prius, & postea per ordinem compositivum sit executa, id est auxilia, seu remedia à primo ad posterius sit administrata ab initio curationis vsque ad eius finem sine aliquo intervallo brevissima erit, quantum per humanam fragilitatem fieri potest: vera enim curatio, atque brevissima fit per ablationem causarum, nisi morbus sit habitualis, de quo hìc oon agimus, sed de morbis qui sunt in habitudine, id est sunt parum radicati in subjecto, vt *lib. 8. cap. 10.* explicuimus: febres enim putres, de qoibus hìc agimus, etsi morbi sunt re vera, non tamen sunt in habitu, vt febres hecticæ, sed tantum in habitudine, id est ita parum sunt in subjecto eradicatæ, vt ablatis earum causis facilè remediis cedant, & citò extinguantur: vnde febres dictæ putridæ per dictam methodum, sive ordinem compositivum curatæ citò ad sanitatem perveniunt, nisi aliquod sit accidens, aut impedimentum quod curationem protrahat, aot pervertat, de quibus hìc agit Gal. vt sic tradita curandi methodus magis constet, magisque conformata maneat. Docet autem traditam curationem posse protrahi, aut perverti propter vnum duorum, scilicet vel propter aliquod symptoma quod prohibeat quo minus talis curatio & remediorum administratio procedat, vt dictum est, debet procedere ab initio morbi ad finem, vel propter aliquod remedium quod applicatur ad curandum: quare caput secatur io duas partes.

TEXTVS.

Ac si nullum quidem interim vehemens incidat, &c.

VT quæ in hoc capite docet Galenus facilius & breviùs explicentur, placet breviter hic repetere curationem traditam febrium putridarom: Ergo rationalis, & debita curatio in febribus putridis, inquit Galenus, per methodum, vel ordinem compositivum debet fieri; & ideo eam incipere debemus ab ablatione obstructionis fientis, id est ab ablatione caosarum obstructionis, ita vt primum omnium humores redundantes, & ad focum putredinis fluentes evacuemus, & revellamus ne amplius fluant, scilicet per sanguinis missionem, vel solam, vel vnà cum illa per clisteres, cucurbitulas, aut frictiones, & istiusmodi, quæ simul cum sanguinis missione dictos humores io corpore redundantes, & ad focum putredinis flueotes possunt, tum revellere, tum evacuare. His sic peractis, seeuodo loco debemus obstructiones factas aperire, scilicet medicamentis quæ citra calefactionem aperiant, seu dilatent vias, & humores crassos obstructentes attenuent, viscosos abstergant, & 202

lentos inscindant; imo, & quæ humores putrescentes, vel semimalos, aut semiputridos concoquant, corrigant, atque ad meliorem statum, sive naturalem revocent; & denique putridos faciant fluidos, atque ad expulsionem præparent: nam omnia hæc possunt revera simul fieri, si debita eo tempore applicentur medicamenta aperientia, abstergentia, attenuantia, & concoquentia, atque putredinem extinguentia, referatis obstructionibus, & humoribus præparatis ad expulsionem. Tertio loco humores putridi sunt purgandi, scilicet per partem magis assuetam, ut per secessum ac dejectiones, si natura per aliam partem non tentet expurgationem: & denique purgatis humoribus putridis. Quarto loco febris putrida suo contrario extinguitur, scilicet potu aquæ frigidæ, vel alio remedio refrigerante.

203 Hæc ergo rationalis febris putridæ curatio, ait modò Galenus, talis est, atque tam exacta, ut si nihil sit quod hunc curationis ordinem impediat, aut pervertat, statim per eam febris curabitur; quia scilicet fit per ablationem causarum omnium prius & statim ipsius febris: vnde in talium febrium curatione quàm maximè cavere debemus ne aliquod vehemés accidat symptoma, vel aliud accidés quod prohibeat, aut impediat dictam curationem, & remediorum dictorum administrationem, à principio morbi usque ad eius finem: possunt dari multa symptomata in dictis febribus, imò in aliis morbis adeo urgentia quòd totam curationem ad se revocent, & per consequens impediant, aut retardent dictam curationem, & febris ablationem: imo poterit dari symptoma, vel aliud accidens quod traditam retardet curationem non solùm, sed & morbum reddat pejorem, quia contrarium est ejus curationi: quare hæc, & similia sunt maximè advertenda, atque cavenda, quantum fieri possit, vt curatio febris putridæ tuta & cita præcedat per dictam methodum, vel ordinem.

204 Itaque curatio tradita febris putridæ, ait Gal. quæ breviter & bene febrem curat, si nihil accidit quod eam perturbet, potest non solùm protrahi, sed & perverti, ac pejor fieri, vel ex aliquo urgente symptomate, vel ex aliquo curationis remedio: nam in primis symptoma urgens quod febri evenit potest ita urgere quòd totam ad se curationem trahat, ac per consequens prohibeat quominus procedat curatio febris & ablatio causarum eius: similiter si quod intervenit febri symptoma urgens est contrarium remediis quæ adhibentur ad curandam febrem & causas ipsius, tunc non solùm talis curatio febris protrahitur, sed dicta febris & causæ deteriores evadunt: etenim si sanatio eius quod febri intervenit urgentis symptomatis nihil confert, neque officit curationi febris, neque causarum ipsius; sic quidem solùm totius curationis celeritatem retardat; si verò contraria est originali febris curationi, & ante dictum prælidiorum ordinem non solùm talem remoratur curationem, sed cuncta deteriora reddit, & morbum facit periculosum, vt exemplo syncopis explicat & demonstrat Gal. Si enim Socrati, v. g. febre putrida laboranti superveniat ea stomachi afflictio, vt inde syncope incidat, hoc quidem symptoma non solùm febris curationem ordinatam protrahit, aut remoratur, sed & febrem ipsam & eius causas reddet deteriores & magis periculosas: cùm syncope sit præceps, vel subitus virium lapsus, id est, sit repentina, vel instantanea spirituum vitalium exsolutio, & virium omnium defectus, impendet inde maximum vitæ periculum, nisi citissimè succurratur, cæteris omnibus omnino posthabitis; & ideo si Socrati febricitanti syncope accidat, non possumus febris regularem curationem exercere, neque possumus humores fluentes revellere, aut evacuare, neque obstructiones aperire, neque putredinem aut febrem extinguere, sed his omnibus relictis, statim syncope vel viribus, vel spiritibus deficientibus est subveniendum, ne in totum deficiant, & mors quæ proxima est, sequatur: ideo dignitas virium est omnium maxima, & prima indicatio semper sumitur à viribus, scilicet si vires sunt debiles, vel deficiunt.

In febre igitur putrida cum syncope complicata posthabita febris curatione, syncope protinus est curanda; etiamsi ipsa syncopis curatio febrem augeat, & causas eius reddat deteriores. Si enim syncopem sanare volumus, vires lapsas, atque spiritus fugientes, aut deficientes debemus reducere; & ideo ad tales vires, atque spiritus restaurandos debemus ægrum intempestivè nutrire, eique dare protinus oportet, tum cibum qui multum & facile nutriat, vt jusculum cum vitellis ovorum, tum vinum frigidum, vel vinum cum aqua frigida propter febrem; vires enim deficientes dictis potissimum alimentis restaurantur; at ex horum vsu obstructiones febris augentur, & corporis coarctatio, & humorum putredo, & ex harum augmento etiam ipsa febris: quare si febri putridæ syncope accidat, non solùm regularem illius curationem retardat, sed totam dictam curationem reddit deteriorem; etsi enim dicta alimenta facilè à natura debili alterentur, atque vincantur, necessariò tamen augent obstructiones, & alia faciunt dicta mala; quia si vincuntur à natura remanent cruda, magisque sic suffocant calorem nativum, atque obstructiones & putredinem augent: vnde verum est quòd si febri putridæ accidit symptoma vrgens, cuius correctio, aut curatio sit contraria curationi regulari febris, & causarum eius, tale symptoma non solùm dictam febris regularem curam producit, sed & deteriorem reddit. Sed dices: cùm morbi curatio contrariatur cum symptomatis ablatione, 205

tunc

tunc ex ipsius Galeni doctrina 1. *de art. cur. ad Glauconem, c.* 14. comparare oportet morbum cum symptomate, atque ei quod vrget magis prius occurrere debemus, altero non neglecto: quare & in febribus putridis si curatio earum regularis, cum alicuius symptomatis vrgentia correctioni contrarietur, vt in casu posito accidit, pariter cui prius sit succurrendum debebimus inspicere, & non absolutè symptomati. Respondetur facilè quòd si vrgentiori est prius succurrendum, pariter in nostro casu est prius succurrendum syncopi, quia illud magis vrget ex quo magis imminet vitæ periculum, & quod magis vires resolvit: nihil autem æquè vt syncope vires prosternit.

206 Habemos jam quòd si symptoma vrgens contrariatur curationi febris putridæ, non solùm retardat huius curationem, sed pejorem reddit: hoc ergo sic exposito, docet modò Galenus quòd si symptoma vrgens quod cum putrida febre complicatur, non contrariatur curationi febris, protrahit huius curam, non tamen ægrum lædit, neque curationem facit deteriorem: exempli gratia; si Socrati febricitanti febre putrida superveniat dolor cholicus ingens, talis dolor trahit ad se curationem, Medicusque tunc relicta curatione febris convertitur ad sedandum illum dolorem, quia vrget, ægrumque angustiat, aut implacabilem reddit, viresque dejicit: quare tunc Medicus & clisteres ægro injicit dolorem sedantes, & vnctiones, vel fomenta extrinsecus applicat parti dolenti, & alia adhibet anodina remedia, sive dolorem lenientia, donec ex tali remediorum administratione dolor remittatur, & æger ab eius oppressione liberetur: hæc autem doloris cholici vrgentia correctio, quamvis febris curationem moratur, eam tamen non reddit deteriorem, quia re vera dicta correctio doloris, & remedia dicta quæ adhibentur ad dolorem sedandum non contrariantur curationi febris, neque eius causas adaugent: sic similiter si febre putrida laboranti vigiliæ superveniant ipsum molestantes, & vires resolventes, statim corrigendæ sunt, somnusque est conciliandus, cæteris pro tunc prætermissis; hæc tamen somni conciliatio, & vigiliarum correctio non contrariatur curationi febris, sed eam solùm impedit, aut remoratur, donec vigiliæ sint correctæ: non enim medicamenta somnum conciliantia cõtrariantur putredini, neque febri, neque obstructionibus, nisi sint narcotica, aut congelantia, vt opium, de quibus non loquimur, sed solùm de aliis quæ sua humiditate & moderata frigiditate vigilantes spiritus, id est nimis attenuatos & inquietos ligant, ac quiescere faciunt in cerebro & ventriculis eius, non semper, sed horis, ac tempore debito.

207 Sic explicatis symptomatibus quæ curationem febris putridæ possunt vel solùm protrahere, vel simul etiam pervertere, ac reddere deteriorem, includit primam hanc capitis partem dicens Galenus quòd si in febribus putridis vires sint satis valentes, & nihil intervenit quod prohibeat regularem traditam earum curam, vt si neque ventriculi stomacho vitium accidat quod ipsum notabiliter lædat, aut syncope afficiatur, neque aut sanguinis profluvium superveniat, aut vigiliæ, aut dolor vehemens, aut aliud simile, quod propter vrgentiam trahat ad se totam curationem; si inquam nihil tale accidat in febribus putridis, sine mora aliqua ægrotantem sanabit dicta regularis curatio, & dictus remediorum ordo administratus satisfaciet citò ac benè omnibus indicationibus; quod sanè verum est, vt supra est demonstratum: quare de hac re hic amplius non agimus. Solùm hic advertimus afferre Galenum exemplum syncopis cum febre putrida complicatæ, non qualiscumque, sed illius quæ ex vitio stomachi orta est, vt intelligamus inde quòd non quælibet syncope cum febre putrida conjuncta contrariatur curationi huius, sed illa solùm quæ provenit ex defectu virium, atque ex spirituum resolutione; hæc siquidem est, quæ intempestivè febricitantem nutrire cogit, vt sic vires reficiantur dissipatæ, non autem illa alia syncope quæ provenit ex plenitudine, aut ex sola virium oppressione: hæc enim non curatur alimentis, sed è contra alimenti abstinentia, frictionibus & remediis quæ vacuare possunt, & naturam ab oppressione liberare: vnde hæc syncopis sanatio non contrariatur curationi febris putridæ, etiamsi ipsam retardet: quæ verò syncope ex affecto, vt ait Gal. ventriculi stomacho provenit, ex virium exsolutione oritur, nam afflictio, sive anxietas stomachi exsolvit potenter vires, si quod aliud propter exquisitissimum sensum ipsius: quare talis syncope cogit ægrum intempestivè nutrire, & febrem pervertit.

TEXTVS.

Sed neque ipse tamen quocumque remedio omnia quæ, &c.

208 HÆc est secunda capitis pars, in qua Galenus aliqua refert remedia quibus febres putridæ curantur, & à quibus tales febres possunt fieri deteriores; scribit siquidem veluti ad hunc modum. Visum est quod regularis febrium putridarum curatio, quæ ex se est brevis, atque exacta, potest propter aliquod vrgens symptoma, quod ei superveniat, non solùm protrahi, sed & perverti, aut fieri deterior: nunc ergo scire debemus quòd etiam ab ipsis remediis quibus curantur tales febres possunt fieri deteriores, vt patet in mulsa, atque oxy-

melite: mulsæ etenim quæ ad extenuandum humores crassos aptissima est, & ad eos abstergendos & expurgandos, cùm calida sit, ac desiccans, sitim & febrem auget; atque ideo si febris putrida intensa est, vel aliqua ratione ardens, ex vsu mulsæ pervertitur, & deterior fit, etsi tunc mulsa obstructiones referat, vias dilatando, & humores attenuando, atque abstergendo, quia tantùm ipsos nimis calefacit, & mulsa in naturis calidis bilescit, sicque febres auget, atque putredines; his de causis mulsa in febribus putridis, quæ aliquo modo sunt intensæ, vel ardentes, nocet, & non curat, quia tales febres magis intendit, & earum putredinem auget, redditque pejorem: vnde in his casibus non mulsa, sed ptisana est vtendum ad deobstruendum, quia ptisana minus abstergit, ac extenuat quàm mulsa, & per consequens minus reserat obstructiones quæ sunt in dictis febribus; tamen moderatè saltem deobstruit, & febrem non intendit, neque sitim, neque putredinem, vt mulsa, sed potius mitigat; & ideo tunc ptisana est remedium, non verò mulsa, sed causa nocens: quare verum est quòd mulsa potest febris putridæ curationem pervertere, & per consequens poterit ipsa curatio pejor fieri ex ipsis remediis.

209 Itaque quamvis aqua mulsa, ait Galenus, ad crassos succos extenuandos, & glutinosos detergendos, & excretionem promovendam est optimum remedium in illis febribus putridis in quibus habitus corporis est nimis coarctatus, aut densatus, & inde putredo excitatur; quia tamen calida est, & febrem adauget, quoties immodicus est calor, parcendum est aquæ mulsæ, quia noxia est, vtendumque ptisanæ cremore. Quòd si & obstructiones difficiles, ac contumaces fuerint, ad eas quidem reserandas non solùm mulsa, sed oxymelite est vtendum, vt quod strenuè detergit attenuat, atque inscindit materias crassas, viscidas, lentasque obstructiones, & quidem non leviter, sed vehementer; at quamquam oxymel ita est efficax ad deobstruendum in febribus, atque in aliis quibusvis morbis ab obstructione pendentibus, etiam eis potest nocere, potissimùm si eo quis immodicè vtatur: nam etsi febrem non accendit vt mulsa, tamē immodicè assumptū & intestina erodit & tussim excitat, & partes nervosas lædit: quare & oxymel poterit febres putridas reddere deteriores, ac consequenter semper verificatur quòd curatio febris putridæ potest produci & perverti etiam ex ipsis remediis, quibus curatur. Sed si mulsa & oxymel sunt remedia apta ad curandas febres putridas, imò & efficacia plusquam aliæ, vnde provenit, dices, quòd ab eis curatio talium febrium pervertatur, aut noxia interdum evadat? Respondet Gal. in fine capitis id accidere ex complicatione affectuum præter naturam, qui in putridis febribus reperiuntur: sunt siquidem in febre putrida non solùm plures affectus, scilicet febris, putredo, & obstructio, sed vnà cum his sunt etiam præcedentes eos causæ, & sequentia symptomata: at in affectibus sic complicatis difficile est, ait Gal. aliquod auxilium invenire quod citra vllam noxam magnificè prosit; id est difficile est auxilium aliquod invenire, quod si iis vel illis prodest, alteri vel aliis non noceat; & hac de causa curationem reddat deteriorem: nam bonum fit ex integra causa, & malum ex quocumque defectu: vnde regularis & propria curatio febris putridæ, etsi in se exactissima est, si à nullo impeditur, tamen & produci & perverti potest, vt ait Gal. tum ex aliquo intercidente symptomate vehementi, tum ex ipsis remediis, quibus curatur, vel ex eorum aliquo: quæ cùm sic se habeant, inquit Lemosius, sententiam Hippocratis ante oculos in qualibet curatione habere debemus, quam tradit *primo Epidem. parte secunda, sententia quinquagesima*, sub his verbis: Ita te exerce in morbis vt prosis, vel saltem non noceas. Quasi dicat: in curatione morborum eis vteris remediis quibus ægris prosis, vel saltem non noceas.

Dubitationes super Textum.

Tres sese nobis offerunt decidendæ dubitationes quæ oriuntur ex dictis à Galeno 210
in capite: prima est, quæ & quot sunt symptomata, quæ si superveniant febribus putridis possunt earum regularem curationem pervertere, aut prolongare? vel quæ & quot sunt symptomata, quæ in febribus putridis poterunt ita vrgere, vt trahant ad se totam curationem, posthabita alia quæ desumitur à febre & eius causis? & siquidem sunt symptomata quæ dictam curationem possunt producere, aut impedire, vel non solùm producere, sed & pervertere, aut reddere deteriorem, vt exemplo syncopis docuimus cum Galeno *in prima capitis parte.* Vt respondeatur breviter, & benè supponimus duo; primum est quòd ex symptomatibus quæ cum febribus putridis complicantur, alia sunt propria ipsarum febrium, & quæ febres sequuntur, veluti vmbra, corpus; & alia sunt supervenientia, sive quæ febribus, ac propriis earum symptomatibus superveniunt, sive adduntur, vt cùm febri supervenit alvi fluxus, vel sudor, vel syncope, vel ingens dolor, vel sanguinis profluvium, & istiusmodi: non enim hæc sunt propria, aut necessariò concomitantia febrium symptomata, sed supervenientia dicuntur, quia possunt eis supervenire, & possunt abesse, & non supervenire. Secundò supponimus quòd si symptoma vrget, & totam ad sui correctionem trahit curationem, est ideo quia vel vires ægrotantis debilitat, vel morbum adauget: si enim sanguinis profluvium vrget, & ad sui sedationem totam convertit curationem, ideo est quia vires prosternit, vel morbum auget, redditque deteriorem,

si

si etiam dolor ingens, vel syneope,&c. vrget; ideo quidem vrgent, quia vel vires resolvunt, aut aliter devastant, vel morbum augent. His sic suppositis respondetur dubitationi, in febribus putridis, & in aliis morbis posse vrgere non solùm symptomata, quæ dicuntur supervenientia, sed & propria, aut pathognomonica ipsorum morborum: non solùm enim in febre ardenti potest vrgere fluxus ventris, aut sudor, aut hæmorrhagia, quæ sunt supervenientia symptomata, sed & sitis ingens, & linguæ siccitas, quæ sunt propria signa febris ardentis; similiter, dolor, somnus, aut vigilia, etsi febrium putridarum possint esse symptomata propria, possunt etiam vrgere in ipsis, & vrgent quidem, atque ad se curationem attrahunt, si modum excedunt, vt ait Hippocrates: quare in febribus putridis poterunt vrgere, & earum curationem protrahere, omnia symptomata, quæ in excretis, aut retentis præter naturam consistunt, & aliquæ actiones læsæ, vt dolor, somnus, atque vigiliæ, vt *libro sequenti* 12. latiùs demonstrabimus. Qualitates autem mutatæ non vrgent quia sunt ignavæ, vel admodum raró, vt in linguæ siccitate & asperitate.

215 Secunda dubitatio est an non solùm symptomata quæ febribus putridis superveniunt, protrahant earum curationem, aut pejorem reddant, sed & alia quæ non sunt symptomata. Respondetur affirmativè: nam vt *in fine primæ partis capitis* dicit Gal. non solùm dicta symptomata, sed & error aliquis, vel ægrotantis, vel æstuantium, vel ipsius Medici, potest regularem febris, vel alterius morbi curationem pervertere, aut protrahere. Si enim ægrotus in primis aliquem errorem committat, verbi gratia, si cibum plus ingerat quàm conveniat, hic quidem error in febre putrida non solum eius regularem curam producit, sed & pervertit, febremque reddit deteriorem: cibus enim in morbis materialibus, atque a b humorum plenitudine pendentibus, vt in febribus putridis accidit, non est remedium, saltem dum crudi sunt, sed potius è contra media, quia tunc cibus non concoquitur, sed vel crudus remanet, vt ipse morbus, vel corrumpitur, si morbus est calidus, vt sunt febres putridæ: vnde si quis febre putrida laborat, plures cibos ingerat, quàm conveniat, id est quàm benè concoquat, & digerat, aut consumat, certè iste est error qui non solùm febris propriam curationem producit, sed & ipsum morbum reddit deteriorem, quia auget obstructiones, & putredinem: dum enim crudus est morbus materialis, & dum humores copia redundant, potius inedia, vel cibi parcitas convenit quàm aliqua eius abundantia, & potius tunc inedia morbum concoquit, atque obstructiones minuit, humoresque redundantes quàm cibus, quia cibus tunc, etsi paucus sit, auget potius quàm minuit obstructiones, & inde prohibitam ventilationem, putredinem, ac febrem consequenter reddit deteriores, & curam producit; & hinc quidem provenit quòd apud nos dictæ febris putridæ curatio sæpè producatur, & in dies fiat deterior, quia se. febricitantes plusquam par est dietamus. Similiter si qui ægrotantibus assistunt, aut ipsi Medici opportuna non efficiant, vt si cùm opus fuerit clisterem non eiiciant, aut sanguinis missionem omittant, aut cùm expedit ægrum dormire non sinant, eum dormire, vel aliud committant peccatum, certum est quòd ob tales, vel similes errores prorogabitur febris curatio, & poterit febris inde fieri deterior: quare non solùm symptomata & remedia quibus curatur febris putrida poterunt cam pervertere, sed etiam alij multi errores vel ipsius ægri, vt ait Galenus, vel astantium, vel etiam Medicorum.

Tertia tamen dubitatio est, an non solùm symptomata quæ febribus putridis superveniunt, & remedia magna quibus solent curari, & alij errores ab ipso ægrotante, vel ab ei astantibus commissi poterunt producere ipsarum febrium propriam curationem, aut reddere deteriorem, sed etiam ipsi affectus qui reperiuntur in qualibet febre putrida? scilicet febris ipsa, putredo, obstructio, & eius causa? Respondetur affirmativè, vt colligitur ex vltimis verbis capitis: ideo enim dicit ibi Gal. difficile est aliquod invenire auxilium quod sine noxa magnificè prosit in curatione febris putridæ, quia sunt in ea plures præter naturam affectus inter se diversi, quique ob id diversa requirunt, vel saltem alij aliorum curam impediunt, aut perturbant: quare etiam ipsi affectus qui reperiuntur in febribus putridis possunt ordinem, aut methodum invertere, qua tales febres curari desiderant, & per consequens poterunt propriam earum curam producere, aut pervertere: vt enim quando affectus illi inter se concordant, curationem breviant, & interdum vno solùm remedio breviter, ac facilè tota perficitur curatio, vt *cap.9.* est demonstratum; ita quando dicti affectus inter se non concordant, sed vel sibi adversantur, vel aliquis vrget curatio saltem protrahitur, siquidem ordo curationis tunc pervertitur aliqua ex parte: si enim v.g. in febre putrida vrgeat calor, & ad eius attemperationem Medicus potum aquæ frigidæ præscribat, vt sæpe præscribere cogitur, ne febris fiat insanabilis, vel transeat in hecticam, certum est quòd tunc, etsi corrigitur actio caloris febrilis, prorogatur saltem curatio febris putridæ, quia per illum potum aquæ frigidæ augetur putredo, obstructioque, & crudi humores redduntur crudiores, atque crassiores, quæ postea requirunt longius tempus ad singularem curam & correctionem. Similiter si in febre putrida vrgeat putredo, vel alia sit ingens corruptio, cogit Medicum præscribere theriacam, vel mitridatum, vel aliud mul- 212

tùm desiccans medicamentum, quo talis corruptio extinguatur, vel saltem corrigatur, etsi inde febris augeatur, & corporis siccitas, quæ postea sequuntur longum tempus vt corrigantur, potissimùm si siccitas est corrigenda: quare verum est quòd etiam affectus ipsi qui reperiuntur in febribus putridis possunt producere & pejorem reddere ordinatiam ac regularem curationem ipsarum, quamvis quando illis vrgentibus succurrimus, alia non negligamus, sed eorum quoque curam habeamus: nam quando vrgenti affectui occurrimus, moderamur quantum possumus quæ ei applicamus, vt alia minus lædant.



CAPVT XII.

Quòd commune hoc principium, Contraria contrariis curantur, *semper sit verum, demonstrat.*

213 
OCCASIONE desumpta ex his quæ dixerat Galenus *in duobus capitibus superioribus decimo & vndecimo*, demonstrat *in præsenti duodecimo* satis diffuso sermone quòd principium illud commune, Contraria contrariorum sunt remedia, est semper verum non solùm in curatione morborum, sed & causarum eorum, atque symptomatum, quamvis ex dictis, ac demonstratis in dictis duobus capitibus videatur colligi contrarium: si enim *in capite* 10. verè est traditum quòd febris putrida curatur regulariter & benè per methodum ibi traditam, & per consequens per sua propria & debita contraria ibi posita; etsi benè etiam *in capite* 11. *superiore* est traditum quòd sæpe dicta curatio impeditur, & quòd multoties non vtimur dictis contrariis in curatione febris putridæ, sed aliis rebus diversis, quæ non solùm talem curam producunt, sed sæpe etiam pervertunt: ex his quidem colligi videtur quòd talis curatio non fit semper per contraria, sed per alia. Prætetea cùm in febre putrida plures sint affectus vnà cum præcedentibus eos causis, & sequentibus symptomatibus, vt ait Gal. dubitari meritò potest, an omnia quæ repetiuntur curanda in febre putrida curentur per sua contraria, an non; sed symptomata, v.g. per alia scilicet, an per ablationem ipsius morbi, vt communiter dicitur ab omnibus, ac supponitur. His igitur quasi occurrens, nunc tria percutrit *in præsenti capite*: primum enim ex natura rei, atque inductione demonstrat quòd contraria curantur contrariis, & non aliter. Secundo loco ostendit quòd hoc principium Contraria contrariorum sunt remedia, non solùm in morbis & morborum causis sed & in symptomatibus verificatur. Tertiò tandem docet per contraria esse intelligenda quæ vel verè sunt contraria, vel opposita: quate caput secatur in tres partes.

TEXTVS.

Nunquam tamē propterea præceptum illud, &c.

VErba hæc, *Nunquam tamen propterea præceptum illud*, &c. quibus caput incipit Galenus, liquidò demonstrant quòd referuntur ad supradicta: quare vt dictum est *in præsente*, quæ *in hoc capite* affert Gal. quasi responsiones sunt ad ea quæ ex supra positis poterat aliquis objicere ei: sensus ergo est, quamvis ex supra dictis colligi posse videatur quòd saltem aliqua curatio non fit per contraria; tamen semper curatio fit per contraria, & semper est verum dicere quòd contraria contrariorū sunt remedia, vel contraria contrariis curantur; etsi enim ex supra traditis constat quòd v.g. ad detergendas obstructiones non semper vtimur melle, vel oxymelite, quæ sunt specialia remedia contraria ad aperiendas obstructiones, sed vel ptisana, vel eius succo, quæ non videntur contrariari obstructionibus, sed solùm febri: non ideo tamen commune illud præceptum, contrariorum contraria sunt remedia, aliquando verum erit, aliquando falsum, sed semper est verissimum: nam neque dictæ obstructiones, neque earum causæ, neque putredo; neque febris, neque alius denique morbus, aut symptomata curantur vnquam, nisi per sua propria contraria, quamvis ita non videatur.

Probat ergo Galenus *in hac prima capitis parte* quòd contraria contrariis curantur, & non aliter; & probat quidem id non vtcumque, sed exactè quantum fieri potest, & debet, scilicet ex natura rei: sic enim arguit: fieri non potest, vt eorum quæ præter naturam sunt, quidquam per aliam vllam remediorum speciem curetur. Quasi dicat: omnia quæ sunt præter naturam, quia talia sunt, indicant, sive petunt sui ablationem, vt quæ sunt secundùm naturam indicant conservari, sive petunt sui conservationem: ergo quæ præter naturam sunt, solùm per sua contraria curari poterunt, & non per vllam aliam remediorum speciem. Consequens constat ex eo quia contraria contrariis tolluntur, & non aliter: non enim simile destruit sibi simile, sed conservat, sed solum contrarium agit in suum contrarium, & illud destruit, atque tollit in totum; si scilicet potens, aut præpollens est: nam à præpollente qualitate provenit actio, vt docet Aristoteles. Vt igitur calidum à frigido, & frigidum à calido corrumpitur, vel 214

tollitur,

tollitur, & non aliter; ita morbi, & aliæ res, quæ in nostris corporibus præter naturam generantur, suis contrariis curantur, & non vlla alia remediorum specie; id est suis contrariis destruuntur, atque omnino tolluntur, & sic corpus ægrum curatur: nam re vera morbus non curatur suo contrario, sed tollitur, atque destruitur, sed ægrotus est qui curatur, & ad pristinam suam sanitatem reducitur, quando quod ei præter naturam est, & à quo ægrotat, tollitur: vnde benè hìc advertit Lemosius quòd quando dicimus, Contraria contratiis curantur, non intelligimus quòd morbi curantur, neque aliæ res præter naturam, quæ per sua contiaria destruuntur & tolluntur: nam si corrumpuntur, inquit, quomodo curari dicuntur? quare sensus est, vt quæ sunt præter naturam sui ablationem indicant, & non aliud ita indicant sui contrarium, vel sua contraria, per quæ tollantur, & non vllam aliam remediorum speciem, quia non nisi à suis contrariis tolli possunt, & sic solùm corpus quod ægrotat potest curari, id est liberari à morbo quo laborat, & ad suam pristinam sanitatem redire: quare per cõtraria morb° tollitur, & corpus curatur.

Habemus jam ex ipsa natora rei, quòd
215 contraria contrariis curantur, vel tolluntur, & non aliter; & per consequens habemus quòd hoc principium, Contraria contratiis curantur, est semper verum, estque æternæ veritatis; igitur quamquam hoc ita sit, non ideo tamen ea vlu est, ait Gal. semper omnibus quæ præter naturam sunt, mederi, sed cùm sola per se subsistnnt: nam si cum aliis vnà incidant, aliis sæpe est ante illa medendum, sicut in cavis vlceribus, vbi ea simul cum phlegmone sunt conjuncta. Quasi dicat: quamqnam principium, Contraria contrariis curantur, sit semper verum, & nihil vnqnam possit curari, aut tolli nisi per suum contrarium, non ideo tamen omnia quæ præter naturam sunt, possunt semper curari aut tolli per sua contraria, sed cùm sola per se subsistunt: nam si plura præter naturam simul incidant, fieri poterit quòd aliis ante alia sit medendum, vt patet in vlceribus cavis, quæ cum phlegmone complicantur: quippe & in hoc casu, vti in quolibet alio, verum est quòd contraria contrariis tolluntur; & per consequens quòd cava vlcera per ea quę carnes generant, & carne implentur, curantur. Cæterùm his vti remediis non licet in casu proposito, nisi priùs phlegmone sit curata, qnia scilicet phlegmone impedit generationem carnis, ita vt quæ carnem generant medicamenta, & quæ vlcera cava carne adimplent, ea quidem implere possunt si phlegmone vacant, vel inflammatione, non verò quæ adhuc phlegmone sunt oppressa; imo si tunc aliquis vti velit medicamentis quæ carne implent, neque carnem generabit, neque vlcus adimplebit, sed phlegmonem augebit. Itaque in vlceribos cavis cum phelmone conjunctis, ait Gal. prios phlegmone est curanda quàm vlcus, etiam si dum phlegmone curatur, vlcus cavum non melius reddatur, ac erat antea, sed fiat magis cavnm, & per consequens pejus evadat: quare etsi semper contraria contrariis curantur, non tamen semper omnia quæ præter naturam sunt, & curari indicant per sua contraria, possunt per illa mederi, sed cùm sola per se subsistunt, & à nullo alio impediuntur; aliàs enim per sua contraria possunt fieri pejora, vt patet quando aliquis vlcus cavum cum phlegmone conjunctum carne implere conatur: noo enim cavitas vlceris carne impleri potest, nisi caro vlceris sit temperata: nam carnis generatio est opus naturæ, & ideo à natura carnis tẽperata generatur, non autem cùm phlegmone est oppressa, neque aliqua alia intemperie est intemperata: tunc enim si quis vlcus cavum carne implere nititur, vlcus & intemperiem reddit deteriora, quia tunc quæ carnem generare dicuntur non easiccant vlcus sed è contra homectant, & excrementis replent: quare & vlcus & phlegmonem, vel aliam intemperiem reddunt deteriora. Non ergo cùm phlegmonem curamus adhibemus quæ carnem gignnnt, etsi per ista vlcus cavum carne impletur & saoatur, vtpote sibi contraria, & non per aliud, neque per phlegmonis curationem: nam semper contraria contrariis curantur, & non aliter.

Itaque hoc principium, Contraria con- 216
trariorum sunt remedia, ait Gal. qnod in dictione, sive in quantitate breve est, in qualitate & potestate est maximum, quippe qnod omnia comprehendit quæ præter naturam sunt; omnia enim quæ præter naturam sunt in nostris corporibus, sive morbi sint, sive morborum causæ, sive symptomata, curantur ab his quæ ipsis sunt contraria: taliter quidem quòd omnem medendi methodum confunderet, quisqnis tale principium, sive scopum, sive indicationem neglexerit, scilicet contraria contrariis curantur, id est quisquis quod præter naturam est non per sua contraria, sed alio modo, aut remedio curare voluerit, vt videre possumus in eodem exemplo supra posito, nempe in vlcere cavo cũ phlegmone conjuncto: si quis enim vlcus cavum cum phlegmone complicatum curare vult, non per medicamenta quæ carnem generant, & vlcus cavum carne adimplẽt, & exsiccant, vtpote sibi contraria, sed per illa alia quæ phlegmonem curant, sic quidem non modò vlcus non curabitur, neque eius cavitas carne implebitur, sed è contra cavitas augebitur, & curatio confundetur: etsi etenim quæ phlegmonem curant, ipsam tollunt, vtpote sibi contraria, & vlceris caro ablata, phlegmone ad suam naturalem temperiem reducitur; tamen neque sic vlceris cavitas carne impletur, sed magis cava redditur, quia scilicet vlcus ab his remediis quæ curant phlegmonem non easiccatur, sed magis humectatur, neque ab excrementis

excrementis detergitur, aut mundificatur, sed potius sordidum magis efficitur: vlcus siquidem cavum, vt carne adimpleatur, debet expurgari, ac liberari ab illis duobus excrementis tenui & crasso, quæ in vlceribus quotidie necessariò generantur, & ideo medicamenta quæ carnem generant abstergunt & exsiccant moderatè, vt sic excrementum, quod tenue est absumant, aut desiccent, quod crassum est, & absumi nequit, detergant, ac purgent: atque phlegmonem sanant, quamvis vlcus intemperatum attemperant, tamen neque ipsum dissecant, neque abstergunt, sed potius humectant, & sordidum reddunt, quia concoquunt, atque maturant partes inflammatas, ex quibus multa resultant excrementa, quæ vlcus reddunt magis humidum, magisque sordidum, & per consequens peius quàm erat antea: quare verum est quòd qui aliter quàm per contraria curare vult, non curabit, sed morbi curationem reddet deteriorem, & methodum medendi confundet, omninoque destruet, quia solùm contraria contrariorum sunt remedia, & semper contraria contrariis curantur, & omne quod est præter naturam solùm per sibi contraria potest auferri.

TEXTVS.

Cùm autem eorum quæ præter naturam sunt duplex, &c.

217 HÆc est secunda capitis pars in quâ Gal. ostendit quòd principium suppositum, scilicet contraria contrariorum sunt remedia, non solùm verificatur in curatione morborum & causarum eorum, sed etiam in curatione symptomatum: hæc autem vt clariùs demonstret, advertit quòd affectus qui præter naturam sunt, in nobis sunt in duplici differentia: vel enim quæ præter naturam sunt, sunt res permanentes, aut per se subsistentes, vel non sunt per se subsistentes, neque propriam permanentiam habent, sed solùm in ipso fieri suam essentiam habent; & ideo potius ab aliis quàm à se ipsis perseverant. Sunt siquidem res præter naturam, quæ nostris corporibus accidere possunt morbi, morborum causæ, & symptomata: ex quibus aliæ sunt, quæ per se ipsa subsistere possunt, & permanere in nobis, scilicet morbus, & morborum causæ, & alia, nempe symptomata, quæ per se subsistere nequeunt, sed subsistunt per morbum, cuius sunt symptomata, veluti vmbra subsistit per existentiam, aut subsistentiam corporis, & res quæ sunt in fieri subsistunt per existentiam, aut permanentiam suarum causarum à quibus fiunt: symptomata enim sequuntur morbum in esse fieri & conservari; veluti vmbra corpus, vt ait Galenus 1. *de symptomatum differentiis, capite primo*; & per consequens symptomata subsistunt, sive perseverant in nobis per subsistentiam, sive permanentiam illorum morborum quorum sunt symptomata; taliter quòd morbis permanentibus perseveret symptomata, & morbis ablatis cessent symptomata, & cum morbis deficiant: etsi enim sunt aliquæ in corpore qualitates mutatæ, quæ morbis sublatis possunt aliquantulum permanere, vt patet in morbo regio, in quo color depravatus corporis non tollitur ablata obstructione vesicæ fellis, quæ est causa illius; attamen quæ sic remanent, qualitas præter naturam in corpore ablatis suis morbis, revera non sunt symptomata, neque consequuntur rigorosè, ac simpliciter dictos morbos qui abierunt, sed alios corporis affectus, vt patet in eodem exemplo, in quo ideo calor ictericus remanet in corpore ablata obstructione vesicæ fellis, quia remanet humor vitiosus imbibitus in carnibus, & cute corporis, à quo colorantur.

Itaque quæ præter naturam sunt, vel esse possunt in nostris corporibus, ait Gal. in duplici sunt differentia; alia scilicet quæ propriam habent subsistentiam, & à se ipsis permanent in corpore, v. g. morbus, & sunt alia quæ nequeunt per se subsistere, sed si subsistunt, subsistunt per aliud: verbi gratia symptomata; quæ quidem cùm sic se habeant, sunt pariter hic advertenda, quia in eis variatur curatio, & non parum: nam sanatio, sive morborum curatio in affectuum ipsorum ablatione consistit, id est in ablatione eorum affectuum qui in quolibet morbo per se subsistunt, & à se ipsis in corpore perseverant, quia his sublatis curantur etiam symptomata, atque ad eorum ablationem sequitur amotio symptomatum, quia ab illis dependent in fieri, esse & conservari. Quæ quamvis ita sint, ait Gal. non ideo tamen perpetuum illud præceptum, Contraria contrariorum sunt remedia, deficit, sed etiam in curatione, sive amotione dictorum symptomatum adimpletur, ac verificatur: nam quamvis in dicta curatione nihil prima ratione ipsis adhibetur symptomatis, vt amoveantur, quia tantum affectus sanamus quos symptomata sequuntur ipsa, sic symptomata in contrarium statum perducimus; similiter tunc etsi ex accidenti, & secundario curatio, sive ablatio dictorum affectuum quos sequuntur symptomata, contrariatur, aut opponitur conservationi talium symptomatum, & per consequens ea tollitur, tanquam sibi opposita, aut contraria, sicut tollit dictos affectus per se subsistentes, & quibus remedia per se contrariantur, sed vt res magis pateat, affert hic modò Galenus aliqua exempla quæ manifestant & clarè demonstrant quòd etiam symptomata curantur per sua contraria: dicit igitur: quare quæcumque symptomata exiguorum meatuum densitas invexit, ea rarefactione tollentur, &c. Quasi dicat: quod non solùm morborum, & morbi 218

morbi eanſa qua per ſe ſubſiſtunt, cutentut per ſua eontraria, verùm etiam ipſa ſymptomata quæ in fieri ſuam eſſeutiam habent, & vt vmbra eorpus, ſuos murbos conſequuntur, patet in prohibita cotpotis tranſpiratiuñe, ſive in illis ſymptomatibus quæ ex denſitate eorporis, ſive ex denſitate exiguorum meatuum qui ſnnt in eorpore, poti voeantur, oriuntur: hæe enim ſymptomata vt ex dictorum meatuum denſitate, ſive anguſtia pendent, vel exoriuntut; ita rarefactione taliuni pororum, ſive apettione dictotum meatuum tolluntut, & per eonſequens per ſua eontratia ſit talium ſymptomatum ablatio: nam rareſactio potorum eſt contraria, ſive oppoſita denſitati talium pororum, ſive denſitati eavitatum ipſotũ, ſicuti tarum & denſum: quare ſive taritas & denſitas pototum noſtri eorpotis ſint eius ſymptomata, ſive ex eis ſymptomata oriãtur, v. g. prohibita eorpotis ttanſpiratio, vel è eontra largus & præternaturalis eſfluxus eorum quæ detineri debebant; nee ſie quidem deficiet eommune illud præceptum, ſed potius verificabitur magis, cùm talia ſymptomata curentut, ſive tollantut applicando, ſive opponendo vni ſymptomatum geneti aliud ſibi eontratium, ſeilieet denſitati, rarefactio, & rarefactioni denſitas: ſimiliter pluta iuſto defluvia eonttaria ſuut juſto pauciora fluentibus; atque ita eùm defluvia juſto pluta medentur per ea quæ pauca fluere faciunt, ſine dubio per ſibi eonttaria aut oppoſita medeutur, quamvis ſint ſymptomata.

TEXTVS.

Verum ſatius eſt, vt prædiximus eorum quæ verè, &c.

219 QVamvis demonſtratum relinquamus, quòd univerſale prineipium illud contraria contratiorum ſunt remedia, verificatur, non ſolùm in motborum curatione, & affectuum aliotum præter naturam, qui ſunt per ſe ſubſiſtentes, ſed etiam in ipſis ſymptomatibus, quæ dependent à motbis, ita vt his ablatis, & illa neceſſario amoveantur: quamvis hæe ſint ſnpra demonſtrata, & quidem ſatis efficaci demenſtratinne, nune tamen advertit Gal. quòd tradita ſymptomatum euratio, vel amotio per contraria, non eſt propria euratio, neque propriè eurari ſymptoma aliquod dieitur, ſed abuſivè, eùm ſit res in fieri: curare enim de his affectibus propriè dieitur quibus remedia applicamus vt tollantur; & per conſequens ſolùm illi affectus qui in eorpore ſunt per ſe exiſtentes ptopriè curari dieuntur; ſiquidem ij ſunt quibus verè & primùm temedia adhibemus, vt amoveantut: ſymptomata verò eum per ſe non ſubſiſtant, ſed per morbos quotum ſunt ſymptomata, & eùm pet eorum ablationem tollantur; non autem ipſis primò & per ſe oppoſitis temediis; idcireo neque propriè cutari dicuntur, ſed abuſivè, ſive improptiè & per accidens: quare principium, Contraria eontrariorum ſunt remedia, ait Gal. vt ſupra diximus, de illis proptiè rebus ptæter natutam intelligitur & verificatur, quæ ſunt per ſe ſubſiſtentes; ſiquidem iis verè, & primò ſeu per ſe opponimus remedia qnibus tollantur, & non ſymptomatibus, quæ verè non ſobſiſtunt, eùm ſolùm ſint in fieri, & potius ſint læſiones quàm opera: quippe ſymptomata, inquit, ſive actiones morborum læſiones ſunt actionum noſtratum, & per eonſequens pet ſe non ſubſiſtunt, neque abſolutè exiſtunt ſymptomata, & nihil mirum: nam neque manum extendere, v.g. vel flectere, quæ ſunt actiones noſtri eorporis, ex his rebus quæ abſolutè ſunt, diei poſſunt, ſed ſolùm ex his quæ fiunt, vel ſolùm in fieri ſnum eſſe habent: quare manus immobilitas, quæ eſt ſymptonia eius qui in muſculis, vel nervis ſubeſt affectus, mulro minus diei poterit eſſe ex illis rebus quæ abſolutæ ſunt, ſed ex illis tautùm quæ ſunt in fieri, id eſt quæ ſubſiſtunt, non per ſe, ſed propter exiſtentiam vel ſubſiſtentiam eotum à quibus fiunt, & in eſſe dependent. Quæ eùm ita ſint, eonſequentet dieunt quòd ſolus affectus pıæter naturam qui eſt per ſe ſubſiſtens poſtulat eontraria remedia quibus tollatut: nam revera ſi ille tollitur ad eius ablationem anferuntur ſymptomata, quæ ipſum ſequuntur; & per eonſequens omnia quæ erant præter naturam amoventut, & eonttarius ſequitur eorpotis ægrotantis ſtatus. quæ ſanitas; atque ad hanc rurſus ſequuntur natntales actiones, qnæ ſymptomatibus jam finitis ſint eontrariæ: ex quibus tandem ſequitut quòd principium Contıatia euntrariis curantur, propriè ſolùm de illis verificatnr affectibus præter naturam, qui per ſe ſubſiſtunt; & quod ſatıs eſt de illis verificari vt ſit ſemper verum.

Itaque Gal. nune, ſi attentè conſidera- 220
tur, omnia quæ ptætet naturam poſſunt accidere noſtris eorporibus reducit ad duo, ſeilieet ad morbos, ſive ad affectus permanentes, & ad ſymptomata: imo ea omnia quæ in nobis prærer naturam fuerint, ſi ab alio depeudeant dici ſymptomata; doeet etiamſi id à quo dependent non ſit morbus, ſed alius eorporis affectus per ſe ſubſiſtens, vt accidit quando ob corporis denſitatem ſequitur probibita tranſpiratio, vel è contra quando proptet poroſam eotporis & eutis raritatem, vel nimiam apertionem ſequitur defluvium plus juſto. Reducit autem Galenus nune dicta omnia quæ ab allo dependent ad ſymptomata quæ propriam non habent eurationem, ſed eorum propria ſanatio, ſive curatio eſt ahlatio eotum affectuum à quibus dependent: quare illorum tantùm affectuum, vti & motbotum

erit

erit propria curatio; hæcque à contrariis semper fiet, sive per ea quæ dictis morbis, vel aliis affectibus permanentibus erunt opposita. Hæc vero quamquam sic se habeant, quia tamen, ut Plato docuit, nomina multoties contemnere oportet, minime autem scientiam rerum; ideo neque modò magis distinctè examinare debemus, ait Gal. in fine capitis, an curatio symptomatum propria sit, an abusivè curatio dicatur. quia symptomatum non est prima, sed prius est in affectibus quorum sunt symptomata, & quibus curatis curantur, vel amoventur ex accidenti symptomata: sed semper meminisse debemus quòd ab omnibus quæ præter naturam sunt sumitur indicatio medendi; primum scilicet potissimum ex affectibus, sed tantum & ex symptomatibus.

TEXTVS.

Sed nec nominibus falli, quæ sæpe alia, &c.

221 HÆc est tertia & ultima capitis pars, in qua diffuso nimis sermone Galenus explicat quòd per contraria intelligat Hippocrates quando dixit, Contrariorum contraria sunt remedia: Vt ergo clariùs explicet suum intentum Galenus, advertit, ac docet duo, primum quidem non in omnibus rebus quæ sunt præter naturam requiri propria contraria: Secundum, non omnia contraria habere propria nomina quibus explicentur: quæ ut sic se habent, ita nos ex ipsis nominibus, ait, possumus falli, si dicta duo non advertimus, & in eis quæ desunt non supplemus: possumus namque ubi non sunt contraria, ea ex ipsa rerum natura quærere, & invenire; & possumus pariter ubi non sunt contrariorum nomina propria, ea alia forma proferre: hæc verò si ita suppleantur, ex eis quidem non solùm à nominum deceptione liberabimur, sed etiam clarè videbimus qua ratione verum est quòd contrariorum contraria sunt remedia, & quòd contraria contrariis curantur, & non aliter: quare hoc modo explicat Galenus, & ex rei natura demonstrat.

222 Primum igitur ut explicet, supponit ex Aristotele *in categoriis, capite decimo*, contraria & opposita distingui inter se, etiam si multoties quæ solùm sunt opposita contraria dicantur, vel ab ipso Aristotele: sunt siquidem contraria, ait Aristoteles, quæ sub eodem genere contenta simul existere nequeunt, & mutuo se expellunt ab eodem subjecto, nisi alterum esset à natura: opposita verò sunt quæ mutuo, ut contraria se expellunt ab eodem subjecto, quamvis sub eodem genere non contineantur, ut cæcitas & visio, ambulatio & eius paralysis, forma & eius privatio: hæ ergo quamquam sic distinguantur inter se, & quamvis oppositio sit genus ad contrarietatem, sæpe tamen quæ opposita sunt dicuntur contraria, & contrarietas oppositionem significat, ut quando dicimus, Contraria contrariis curantur; sensus enim est, oppositorum opposita sunt remedia, sive contraria propriè sint, sive tantùm opposita: solùm enim inter qualitates dantur propriè contraria, ut in quantitate & aliis oppositio: attamen non solùm quæ contraria sunt suis contrariis curantur, ut quæ calida sunt frigidis, quæque sicca humidis, & è contra; verùm etiam quæ sunt opposita solùm, ut morbus in numero deficiente per regenerationem; & è contra morbus in numero addito per eius ablationem; luxatio etiam per repositionem ossium, vel reductionem ad suum naturalem locum; solutio continuitatis per unionem, & sic de aliis multis, quæ potius per opposita, quàm per contraria curantur.

223 Hisque suppositis cùm omnia quæ præter naturam sunt, ait Gal. contrariis, vel saltem oppositis curentur; eúmque non omnia quæ sunt præter naturam habeant contraria, saltem in quolibet eorum opposita sunt quærenda, & invenienda, quibus dicta omnia quæ fuerint præter naturam aboleantur, sed qua recta ratione ac via in dictis rebus præter naturam poterit Medicus adinvenire sua contraria quibus tollantur? Respondet Galenus ex ipsa rerum natura esse dicta quærenda, atque invenienda, duo solùm in eis attendendo, quæ alioquin sunt vera; primum, quòd contraria sunt quæ sub vno genere posita plurimum intèr se distant, & mutuo se expellunt ab eodem subjecto, sive sint sub genere qualitatis contenta, sive sub quolibet alio genere; Secundum, quòd in rebus præter naturam datur unum medium, quod est genus, & perfectum, & sub illo saltem duo extrema inter se opposita, & quæ se expellant ad invicem; v. g. non solùm inter calorem & frigus præter naturam datur medium quod dicitur tepidum, sed inter magnum & parvum, inter rarum & densum, inter album & nigrum, & sic de aliis. Ex iis quidem sic suppositis & verè statutis, sequitur consequenter quòd in quolibet dictorum genere dantur plura quæ inter se se dissident, vel quæ mutuo se expellunt ab uno subjecto, id est se curant ad invicem, sive verè sint contraria, sive solùm sint opposita, ut magnum & parvum. Quòd contraria sint quæ sub eodem genere contenta mutuo se expellunt ab eodem subjecto, omnes supponimus tanquam certum: quare hoc non indiget alia probatione, & ideo Galenus solùm primum suppositum nunc magis explicat, demonstrat, atque verificat positis eisdem exemplis quæ supra tradiderat: ideo enim rarum & densum, ait, sunt præter naturam in nostris corporibus, & ipsa inter se

ter se sunt opposita, & mutuò se expellunt, quia dicta duo sunt extrema, & inter illa datur medium, sive genus, quod neque ratum est, neque densum, sed symmetron, seu genus perfectum, atque naturale, etsi non habeat proprium nomen quo explicatur: densitas siquidem & raritas sunt passiones præter naturam pororum nostri corporis, scilicet corũ compressiones, vel dilatationes nimiæ, qua inter tales raritatẽ & densitatẽ mediat symmetria, sive mediocritas dictorum pororum id est ille status naturalis, sive genus in quo cavitates talium pororum, neque nimis dilatantur ut in raritate, neque nimis coarctantur, aut comprimuntur, ut in densitate, sed mediam cavitatem servant inter dicta extrema, quæ est genus, sanitas & perfectio corporis.

224 Non solùm autem in afflictionibus dictis datur medium, quod est genus, & perfectio, seu sanitas inter illas, ait Gal. verùm etiam in actionibus eorum, id est in ipsis rebus quæ vacuantur, sive in ipsis evacuationibus: uti enim inter rarum & densum datur medium, quod est genus & perfecta sanitas respectu eorum; ipsa verò sunt præter naturam, & inter se adversa, & quæ se ad invicẽ oppugnāt, ac mutuò se expellunt: ita similiter in ipsis vacuatis datur symmetria, sive medium vacuatorũ, quod est genus, sanitas & perfectio respectu ipsorum, & ipsa respectu illius sunt imperfecta, ac præter naturam, imo inter se opposita, & quæ se ad invicem adimunt, atq; interficiunt; si enim in ipsis vacuatis dantur duo extrema & inter se opposita, ac præter naturam, scilicet effluvia justo plura, & justo pauciora; hæc nec ideo dantur, quia inter ea datur medium, sive genus quod justum est, atque sanitas, & respectu cuius dicta defluvia justo plura vel pauciora sunt mala, & præter naturam, & respectu cujus dicuntur plura, vel paociora: nam re vera quæ plura dicuntur, vel pauciota respectu illius dicuntur talia, ad quod relata, vel comparata, plura reperiuntur au. pauciora, quod est medium inter ipsa, cùm ipsa sint extrema inter se opposita: extrema enim inter se opposita respectu illius dicuntur extrema, quod inter ea est medium, genus & perfectio, ut patet in morbis calido & frigido, qui sunt oppositi & verè contrarij, inter quos mediat sanitas, quæ est secundùm naturam & genus, atque symmetria, aut mediocritas respectu dictorum extremorum inter se oppositorum: similiter inter magnum & parvum datur medium, respectu cuius magnum & parvum talia esse dicuntur, & per consequens quod est genus respectu illorum: ita etiam inter relaxatum & contractum, inter multum & paucũ, cùm sint extrema inter se opposita, datur medium quod æquè distat ab extremis, quodque ideo est genus & perfectio respectu extremorum: inter sanitatem autem & morbum, quamvis sunt opposita, non datur medium, quia sanitas & morbus non sunt extrema opposita, sed sanitas est media, & sanitas in mediocritate consistit semper; ideoque morbus non opponitur sanitati, ut extremum extremo, sed ut extremum medio; & ideo etiam inter sanitatem & morbum non datur medium aliquod aliud, ne detur processus in infinitum.

TEXTVS.

Ergo sicut diximus, hoc maximè cavere, &c.

DEmonstratum relinquitur, iam inquit nunc Galenus, quòd in rebus præter naturam dantur multa quæ inter se sunt contraria, vel saltem opposita, & talia quod ad invicem se expellunt ab eodem subjecto, & per consequens sese ad invicem curant, & quæ sint hæc quæ ita se opponunt inter se, & quomodo inveniri possunt, atque explicari, quamvis non omnia habeant nomina propria à quibus vocentur, & magis propriè explicentur: etsi namque res quarum non sunt nomina propria, sæpè alia forma, sicut diximus suprà proferuntur, quàm ut contrariis conveniat, attamen, non ideo nimis debemus esse solliciti de propriis inveniendis nominibus, sed hoc maximè cavere debemus, dummodo rei veritas talis intelligatur: sed in eo nos semper exercitare oportet, ut celeriter in unoquoque præter naturam eius quod curatur contrarium inveniamus, sive proprium habeat nomen, sive non, & sive sit propriè contrarium, vel solùm oppositum; siquidem quæ præter naturam sunt, non contrariis solùm, sed suis oppositis curantur benè: ex quo factum fuit quòd Hipp. quando dixit, contrariorum contraria sunt remedia, sub nomine contrariorum & contraria, etiam opposita comprehendit: quamvis Aristoteles solùm dicat esse contraria qualitates quæ sese opponunt, ut calor & frigus, nigrum & album, & sic de aliis: non enim magnum & parvum, neque multum & paucũ vult Aristoteles quòd sint contraria, sed opposita, quia non sunt qualitates, sed in qualitate consistunt; sed neque rarum & densum, neque relaxatum & contractum, neque quod secundùm naturam, & præter naturã est dicuntur contraria apud Aristotelem, sed opposita, quia non sunt propriè qualitates, quæ tantùm apud Hippocratem, sicuti etiam apud Platonem contraria vocantur, & sub contrariorum nomine comprehenduntur; & quidem bene, cùm opposita non minus quàm alia contraria inter se maximè distent, & mutuò se expellant ab eodem subjecto, & per consequens ad invicem se curent: siquidem copiam sive humorum redundantiam sanat vacuatio, & è contra defectum curat nutrimentum, atque in summa quod exuperat curat ablatio, & quod deficiens est adjectio; & ideo Medicina, inquit Hippocrates *libro de flat.* appositio est & detractio; appositio 225

sitio quidem deficientium, & redundantium detractio; quæ omnia liquido ostendunt quòd opposita nihil minus quàm contraria oppositorum suorum sunt remedia; & per consequens ostendunt etiam quòd quando Hipp. dixit, contraria contrariorum sunt remedia, per contraria tum hæc, tum & opposita intelligit, & intelligi voluit. Neque Aristoteles, inquit Gal. semper suam ipsius legẽ in nominibus servavit, id est, neque Aristoteles solùm quæ sunt contraria hoc nomine nominauit, sed interdum etiam contraria vocavit quæ solùm sunt opposita, ut tum aliis in locis videre est, tum potissimùm 1. *physic.* ubi principia entis naturalis contraria esse dicit, scilicet, materia, forma & privatio; quæ tamen ex ipso Aristotele contraria esse nequeunt, cùm non sint qualitates; & ita etiam ipse Aristoteles vocat contraria quæ solùm sunt opposita: quare sive contrarietatem, sive oppositionem nominare velimus quæ inter dicta sibi adversa reperitur repugnantia nihil refert, concludit Gal. sed ut cuique lubet vocetur; at tamen eius indicationis medendi quæ ab omnibus quæ præter naturam sunt, præbetur, semper meminisse debemus, eiq; attendẽtes ea sive cõtraria, sive opposita applicare, quibus submoveatur, sive curetur.

Dubitationes super Caput.

226 Quamvis multis argumentis & multis modis demonstrat Gal. in isto capite quòd contrariorum contraria sunt remedia, his tamen non obstantibus, etiã multæ erunt rationes & argumenta alia quę persuadent non semper contraria curari contrariis, sed è contra similibus, saltẽ in aliquibus: quare dubitatur primò hìc an verũ sit semper quòd contrariorũ contraria sunt remedia, ut Gal. in Textu demonstrat: etsi enim principium de quo dubitamus, ita verũ sit, quòd de eius veritate non debeamus dubitare, sed principia in scientiis supponuntur esse vera; ut tamen tale principium magis pateat, & eius veritas fiat clarior, illis argumentis tamen ipsum placet impugnare ex quorũ solutione firmius relinquatur: autheritatibus ergo & rationibus sic impugnatur: primùm ex Avicenna *lib. 1. p. 4. c. 1.* non omnis repletio curatur evacuatione, neque omnis cõplexionis malitia medicatur suo contrario, sed multoties, inquit, sufficit sola regiminis bonitas, vel subtiliore regimine. Ex Aristotele etiam *4. Topic. c. 3.* febris & ophthalmia non habent contrariũ secundùm speciẽ, & per consequens non curantur per contraria. Tandem ex Hipp. *5. aphor sent.* 19. Quæcumque refrigerata sunt calefacere oportet, exceptis iis quibus sanguis fluit, aut fluxurus est: quare in his frigida sunt adhibẽda, & non calida, etiã si frigidus sit morbus, & nullomodo calidus: rationibus pariter sic arguitur: dolor interdũ sedatur alio dolore, vomitus vomito, & fluxus fluxu: ergo non cõtrariis, sed è cõtra similib^9: tetanus etiã curatur interdũ scãmoneo, interdũ balneo frigido, quæ sũt inter se opposita, & per consequens tetanus, qui frigidus est morbus non sẽper curatur per sibi contrariũ: tandẽ cholica, & alij dolores vehemẽtes curãtur sæpè medicamentis stupefacientibus, quę neq; cõtraria sũt, neq; opposita: quare multa curantur aliter, quàm per contraria, etsi principiũ esse dicatur in Medicina proloquiũ sæpè dictũ, contrariorũ contraria sunt remedia.

Sed his minimè obstantibus, verum est sẽper dictum Medicorum cõmune principium, contraria contrariis curantur, vel oppositorũ opposita sunt remedia: dũmodo per contraria vel opposita ea intelligamus quę talia sũt nũ solùm actu, sed & potestate, & ex accidenti, ut Textũ exponentes, & alibi notavimus: interdũ enim quæ præter naturam sunt, potius per ea quæ eis cõtrariantur potestate, vel ex accidenti curantur, quàm per alia quæ actu; ut patet in febre quæ pendet ex putredine: hæc enim non curatur potu aquæ frigidæ, qui actu refrigerat, sed purgatione putredinis quæ refrigerat ex accidenti, scil. per evacuationẽ, aut expurgationẽ materiæ putridæ febrẽ generantis: quare res præter naturam omnes curantur per contraria, scil. vel actu, vel potestate, vel ex accidenti; & sic intelligitur positum principium; atque ita intellectũ est principium æternæ veritatis, sive semper verum, ut ex solutione argumentorum constabit, quæ aliud persuadere videntur: quare accedamus ad ea solvenda; atque ut primum ex Avicenna desumptum facilè diluamus, advertimus quòd morbo, quisquis sit, contrariatur solùm suum oppositũ, v. g. morbo calido quod frigidũ est, verùm etiã natura ægri: natura enim, ut *1. epid p. 3. com. 5.* docet Gal. sẽper adversatur morbo: quare cuiq; morbo duplex est contrarium, scilicet natura laborantis, & quod morbo opponitur, remediũ, sive medicamentum: hoc sic notato, inde respondetur facilè quòd Avicennna dicit multũ benè, quando dicit, non omnis repletio curatur semper evacuatione, neq; omnis malitia cõplexionis curatur suo contrario, sed multoties sufficit sola regiminis bonitas, vel subtiliore regimine: sensus enim est, quòd nõ sẽper morbi curantur suis contrariis medicamentis, sed multoties à sola natura, quæ non minus est morbo adversa, quàm ipsa medicamenta: subtilius enim regimen apud Avicennam idẽ est, atque morbum naturæ relinquere, ut patet ex illo: si ignoras quæ sit ægritudo, attenua regimen, & non properes ad curationem: natura enim, vel morbũ superabit, vel manifestabit: quare sæpè regiminis sola bonitas, ait Avicenna, est satis ad morbos curandos, quia regiminis bonitas conservat & auget naturam à qua morbus curatur, non minus quàm aliis remediis, ut supra est latè demonstratum. 227

Vt argumento ex Aristotele desũpto respondeatur, suppono etiã quòd Aristoteles eo loco dubitat, an valeat hæc consequẽtia quę sunt contraria secundùm genus, sunt cõtraria secundùm speciẽ, & respondet negativè, ponitq; exẽplũ in morbo & sanitate: hæ enim inquit, secundũ genus cõtraria sunt, morbus tamen oculi, v. g. ophthalmia, & febris non habẽt cõtraria secundùm speciem. Hoc igitur loco Aristoteles non negat quòd febris & ophthalmia habeant contraria quibus curari possunt, sed quòd non habeant contraria secundùm speciem, ut album est contrarium nigro, 228

nigro, & calidum frigido; quod verum est: nã febris, & potus aquæ frigidæ quo curatur nõ contrariatur secundùm speciem, neque ophthalmia & sanguinis missio, aut purgatio, quibus curatur, quia sunt sibi contraria, altẽ per accidens: quare & ophthalmia & febris curantur etiam per contraria. Tandem ut respondeamus argumento ex Hipp. desumpto, advertimus cum Gal. *in Comm.* quòd in complicatione affectuum est prius curandus qui magis viget, sive qui maius affert vitæ periculũ; & per consequens in cõplicatione intẽperiei frigidæ, & sanguinis fluxus, iste est prius curandus, quia ex ipso imminet multo magis vitæ periculũ, quàm ex intemperie illa: at sanguinis fluxio frigidis curatur, quæ sanguinem incrassant, ac sistere faciunt; & per consequens curatur sanguinis missio suis cõtrariis ex accidenti, & quia sanguinẽ incrassant; uti è contra quæ calida sunt sanguinem fundunt & liquant, ac fluere faciunt, ut 1. *ad Glauc. c.* 14. advertit Gal. atque ita ubi sanguis fluit, aut fluxurus est, ait rectè Hipp. calefacere non oportet, quãvis morbus sit frigidus, qui calidis curari debet, quia à calore sanguinis fluor, sive sit præsens, sive futurus, excitatur maximè.

229 Neque rationes sunt magis verę, aut rectè concludunt contra nostrũ principiũ: nam si dolor aliquãdo sedatur dolore, id est, si dolor unius partis à dolore alterius partis aufertur & vehementior, ut cõmuniter dicitur, alterũ obscurat; hoc quidẽ fit quia mens, sive sensus distrahitur, vel magis attrahitur à vehementiore objecto dolorifico: ad dolorẽ enim requiruntur duo, scilicet alteratio dolorifica, & sensus talis alterationis: quare si sensus partis minus dolentis distrahitur ab ea, & trahitur ab alia magis dolente, cessat dolor in illa, sive curatur, ex accidenti, sive propter distractionem sensus, qui permanere debebat; sic etiã dolores vehementes cessant narcoticis, est quia ab his tollitur sensus partis, quia sunt illis contraria. Similiter quando vomitus vomitu curatur, & dysenteria purgatione curãtur per sua contraria ex accidenti; siquidem curantur remediis quæ purgando, & vomitũ excitando evacuant causas vomitus & dysenteriæ, vel curantur remediis quæ evacuant causas vomitus & dysenteriæ per partes ipas affectas, quod non repugnat, neque est contra nos: demum neque est contra nostrum principium quòd Hipp. curaverit tetanum, sive convulsionem in juvene bene carnoso, & in media æstate, infuso tali ægrotante in aqua frigida: imo confirmat, & magis verũ facit: nam in ipso etiam fundatur dicta curatio si benè intelligitur: convulsio siquidẽ ex repletione facta, etsi frigidus sit morbus, curatur per contraria, infuso laborãte, vel submerso in frigida aqua, si juvenis sit & bene carnosus, & sit in æstate media, ut supponit Hipp. quia per illam infusionem in aqua frigida calor influens laborãtis, qui in juvene carnoso est abundãs, revocatur ad interna, sive ad partẽ convulsã, & eam curat, ut qui contrarius est per se dictæ convulsioni.

230 Habemus ex dictis quòd omnis curatio fit sępe per contraria, vel per opposita, & consequenter habemus quòd principium illud, contraria contrariis curantur est sempiternę veritatis: quare hoc sic posito, est secunda dubitatio, an curatio fieri possit per contraria æqualia? id est an morbi qui curantur, curẽtur per contraria sibi æqualia, an per maiora: etsi enim Gal. passim dicit quòd curatio fit per æqualia, sive per contraria, quæ in qualitate, aut gradu sunt ęqualia cũ morbis quos curãt, tamen neque desunt multa quæ dictis adversantur: multę enim sunt authoritates magnorum virorum, & Medicorum principũ, quæ contrarium persuadent, ac demonstrant; & multæ quoque sunt rationes validæ quæ idẽ confirmant: quare benè nunc dubitamus an morborum curatio possit fieri per contraria æqualia, id est per cõtraria quæ æqualia fuerint in quantitate, aut gradu morbis ad quos curandos adhibentur à Medicis? an verò per maiora fieri debeant? Relictis igitur aliis, quòd curatio fieri debeat per contraria maiora, & quòd per æqualia nequeat fieri, ostẽditur ex natura rei, & authoritatibus Medicorum Principum Pauli & Aretei. Paulus siquidẽ ex sententia Aretei sic scribit *lib. 4. c. 1.* rectè meâ sententiâ: Capadox Areteus memoriæ prodidit auxiliorũ vim morbis fortiorẽ esse oportere, ideóq; elephantiã nunquã curari, utpotè qua nulla sit potẽtior medicina.

Multi sunt Medici qui videntes quę modò sunt dicta, & similiter quod passim Gal. scribit curationem fieri per æqualia, & æqualia debere esse remedia quę morbis applicantur ad eorũ curationẽ: respondent dubio, dicentes, remedia quæ morbis applicantur, ut curentur, applicari sępe æqualia, ut docet Gal. non quidẽ quia sic solùm curant morbos, sed quia interventu naturæ fiunt maiora, & tunc eos curant, ut superiora demonstrant argumenta: cùm enim natura sit morborum medicatrix, ut *6. epid.* docuit Hipp. non est mirũ, inquiunt, sed rationi consonum, quòd remedia morbo æqualia interventu naturæ fiant maiora, & sic curatio fiat à proportione maioris inæqualitatis, sive à præpollente qualitate, ut Arist. dicit de actione: æqualia namq; morbo remedia à natura ægri vigorantur, aiunt, atque eorum vis fortior efficitur, quia natura nunquã dormit, sed semper intendit sui conservationẽ, & morbi expulsionem, ac consequenter auget vim remediorũ quæ à Medicis applicantur ad morbos curandos; sicque à primo ad ultimũ quamvis Gal. dicat quòd remedia quę applicãtur ad morbos curandos debẽt esse æqualia eis, & non majora, curatio tamen eorũ non fit per æqualia, sed per majora, quia remedia æqualia interventu naturæ fiunt maiora; & confirmatur hæc veritas ex ipsa experientia: experimur siquidem quòd si natura est robusta, atque prępotens, communiter morbi non solùm adhibitis remediis æqualibus, sed & aliquantulũ minoribus, quia scilicet à natura potenti fortiores fiunt non solùm quæ sunt morbis æqualia sed & minora: naturæ enim potenti, nihil est difficile, ut cõmuniter dicitur: quare, etsi remedia sint morbo æqualia, vel minora: 231

curatio tamen semper per maiora fiet.

232 Nec deficiunt alij Medici, & quidē magni nominis, ut dixi, qui expositam tenent sententiā, & quæstioni respondent, ut visum est: sed non desunt alij qui curationes fieri per æqualia dicunt, & non per maiora: ratio fundamentalis istorum est, quia curatio non est actio, & ideo non est necesse quòd à maioribus, sed potius ab æqualibus contrariis proveniat, neque à proportione aliqua maioris inæqualitatis ex ipsa natura, vel essentia curationis demōstrāt: curatio enim, dicunt, sive morbi ablatio in eo consistit, quòd morbus qui est extremum præter naturam reducatur ad mediocritatem, sive ad medium naturale; v. g. curatio morbi calidi, inquiunt, reductio est caloris præter naturam ad moderatum, sive ad naturalem, qui est medius inter calorem & frigiditatem præter naturam: quare curatio non est actio, scilicet victoriosa de qua loquitur Aristoteles in allata actionis definitione. Longè enim aliud est, inquiunt, quòd morbus calidus præter naturā reducatur ad moderatū, qui est naturalis, & in quo consistit eius curatio, atque est mutari dictum calorem præter naturam in frigiditatem sibi contrariā: ad hoc enim ut calor in frigiditatem mutetur, necessario requiritur contrarium maius, sive frigidum magis intensum, atque calor qui ab eo mutatur; & ideo hæc mutatio est actio; at verò, ut calor præter naturā reducatur ad calorē naturalē, non requirit contrarium sibi magis intensū, quia ab eo mutatetur in frigiditatē, sed solùm requirit æqualem: v.g. calor præter naturam ut duo, ut in naturalem statum redeat, & perfectè curetur, solùm requirit frigidū ut duo, quia duo gradus frigiditatis remittunt duos gradus caloris; & ea dicuntur frigida ut duo quæ corpori applicata possunt in eo, si temperatū est, duos gradus frigiditatis producere, vel si est intemperatū, vel calidum, ut duo possunt remittere, aut tollere istos duos gradus caloris excedentes, & sic corpus ad suum statū naturalē & temperatū calorē reducere.

233 Quare, quia curatio morborum, inquiunt isti, non est actio, id est, non est mutatio victoriosa, sed potius remissio actionis, cùm sit sola reductio morbi ad statum naturalē; quæ quidem reductio non est aliud quàm remissio morbi, sive diminutio secundùm id solū quod erat præter naturam: nam v.g. in febricitante ut duo, ut febris est calor præter naturā excedens à statu naturali, & à calore naturali in duobus gradibus; ita huius febris curatio, sive ablatio in eo consistit solū quod illi duo gradus caloris, qui in ea sunt præter naturam intensè remittant, vel tēperent, vel ad naturalem calorem reducant: quare talis febris curatio non est actio, sed potius è contra remissio actionis, siquidem non consistit in augmento aliquo caloris qui curat, neque in eius diminutione præter naturam, vel extrema, sed solùm in diminotione usque ad statum naturalem, sive usque ad calorem moderatum, qui est naturalis viventi: etsi enim cùm febris curatur, totus calor febrilis tollitur, non tamen totus calor corporis extinguitur, sed ille tantum qui erat præter naturam: quare febris curatio non est auctio, sed diminutio, & per consequens non est actio, sed è contra remissio actionis: quod dicitur de curatione febris, quæ in solo calore aucto præter naturā consistit, intelligitur etiā servatis servandis de curatione febris materialis, & de curatione aliorū morborū, & denique de curatione aliarum rerum præter naturā: nam re verà, ut febris, quæ in solo cōsistit calore præter naturā curatur per reductionē eius quod præter naturam est ad mediocritatē, sive ad statum naturalem; ita febris materialis curatur per ablationem materiæ quæ est præter naturam, sive per diminutionem eius, aut reductionem ad naturalem mediocritatem; atque ita si febris materialis ab humore genita qui peccat, v.g. in quantitate libræ unius, curatur haud dubiè per ablationē eius quod peccat in dicta quantitate, & per consequens per contrariū æquale, scilicet per illud quod evacuat illā materiā in quātitate unius libræ. Alij etiam morbi, & aliæ res præter naturam omnes curantur per reductionem eius quod præter naturam est ad mediocritatem naturalē: quare recta morborum omnium curatio non per maiora, sed per æqualia contraria in gradu, vel in quantitate, vel in utroq; fieri postulat, & fieri debebit, quidquid alij dicāt. Hæc sententia non est ita cōmunis, atq; cōtraria; non ideo tamen est minus vera: imo est quæ magis vincit intellectum, ut etiam constabit ex dicendis pro tertia dubitatione quæ est de eadem re.

Sit ergo tertia dubitatio, an curatio fieri 234
possit per maiora, vel minora contraria, aut remedia quàm est morbus, vel affectus alius præter naturā, qui curatur. Posito enim quod curatio fieri debeat per æqualia, ut modo est monstratū, & Gal. docet *lib. art. medicinalis*, atq; 3 *simpl. c. 11.* rectè dubitatur nunc an curatio morborum fiat non solùm per contraria æqualia, sed & fieri possit per maiora, aut minora? Respondetur affirmativè: nam quamvis demonstratū sit quòd curatio debet fieri per contraria æqualia morbo; hinc tamen non colligitur necessariò quòd nequeat fieri per maiora, neq; per minora: quare respondem* dubitationi, & dicimus quòd curatio morborum potest fieri non solùm per æqualia contraria, verùm etiā per minora, atque per maiora; atque in primis quod curatio per contraria minora quàm est morbus possit fieri, constat ex eo quod cōmuniter dicitur, atque recipitur, nēpe remissum remittit intensum: si enim, ut visum est, curatio morbi, atque alterius cuiusque rei præter naturā est remissio eius quod excedit præter naturam ad naturalem usque mediocritatem, etsi remissum remittit intensum, ut omnes cōmuniter advertimus: ex his quidē sequitur quòd curatio cuiusque morbi potest fieri per contraria sibi non modo æqualia, sed minora: nam licèt contraria minora semel morbo applicata non possint eum totaliter auferre, vel remittere, ut contraria æqualia; si tamen contraria minora reiterantur bis, aut pluries, absque dubio tollunt morbum, ut contraria æqualia,

æqualia , quia ot remiſſum temittit inten-
ſum , ita contraria minora morbo , quoties
applicâtur, temittunt aliquem gradum mor-
bi ; & per conſequens , ſi repetuntut plu-
ries , mo:bum in totum tollunt : nam etiam
communiter & verè dicitur quòd quæ ſe-
mel adhibita proſunt , continuata ſanant :
quare & verum eſt jam quòd euratio mot-
bi cuiuſque poteſt fieri & per cõtraria æqua-
lia , & per minora. Similiter morbus poreſt
auferri per intenſiora remedia , cùm con-
traria à eontrariis maioribus vineantur : uti
enim euntraria à contrariis æqualibus tem-
perantur , v.g. duo gradus caloris exceden-
tis temperantur, ſive ad mediocritatem na-
turalem temittuntur à medieamentis frigi-
dis ut duo , quia ſunt intenſione æqualia;
ita paritet eonttaria à conttariis fortioribus
vineuntut , id eſt, non ſolùm ad ſtatum mo-
deratum ac natutalem revocantur , ſed mu-
tantut in cuntratium affectum ; v. g. mor-
bus calidus ut doo à medicamentis frigidis
in tettio gradu nun ſolùm temittitur ad uſ-
que mediocritatem natutalem , ſed mutatus
in contrarium affectum , ſcilicet in mur-
bum frigidum ot unum ; qoia medicamenta
frigida in tertio gradu ſunt ea quæ tres gra-
dus frigiditatis habent excedentes ſupra me-
diocritatem naturalem ; & per conſeqoens
quæ corpori applieata poſſunt in eo ſuos
gradus frigiditatis producere , ſi corpus eſt
in ſuo ſtatu naturali ae moderato , ut ſi eor-
pus eſt intemperatum contraria intemperie,
ſcilicet calida in tertio gradu valent eam re-
ducere ad mediocritatem natusalem ; & de-
nique ſi corpus noo eſt præter natutam ca-
lidum in tertio gradu , ſed vel in primo, vel
in ſecondo , tune valet non ſolùm remitte-
re calorem exeedentem in primo vel ſecun-
do gradu, ſed etiam morbum frigidum pro-
ducere ; non quidem in tertio gtadu frigi-
ditatis excedentis , qoamvis ipſa medica-
menta in ſe ſint frigida in tertio, ſed ſolùm
frigidum in eo gradu , in quo remanent fri-
gida ſupra medioeritatem poſt eurationem
morbi calidi , vel poſt semiſſionem caloris
excedentis in primo vel ſecundo gtadu ab
illis factam : agens enim agendo tepatitur,
& conttaria contratiis remittontur ; atque
ita remedia frigida in tertio de quibus lo-
quimur , remittendo morbos calidos , ipſa
pariter remittuntur à talibus morbis ; & ita
quidem qoòd ſi motbus eſt æqualites cali-
dus , ſive in tettio , tune æqoaliter repa-
tiuntur , id eſt morbus euratur , & ad natu-
salem mediocritatem corpus teducitur , &
remedia frigida pariter ſuam excedentem
frigiditatem amittunt in tantum ; ſi verò
morbus ealidus eſt minus intenſus, ut ſi ſo-
lùm calidus eſt in primo , tum frigida in
tertio corpori applicata eurant , ſive remit-
tunt dictum morbum calidum ut unum , &
genetant alium frigidum ut duo , quia in
euratione morbi calidi, ut unum, temittun-
tur frigida , vel amittunt de ſua activitate
ſimilem gradum ; denique ſi morbus cali-
dus eſt ut duo , tom frigidum remedium ut
ttia curat , ſive temittit talem morbum non

ſolùm , ſed alium producit frigidum ut
unum , & non amplius , quia ex euratio-
ne morbi calidi ut duo amittit frigidum me-
dicamentum in tertio duos gradus ſuæ acti-
vitatis , & ſolùm poteſt produeere in ſub-
jecto poſt ablationem dicti morbi calidi ut
duo , frigidum morbum ut unum.

Itaque quamquam Galenus recte docet
quòd morborum curatio per eontraria 235
æqualia fieri debet ; ſeilicet quia ſic ægri ſa-
lus comparatur , cum maiori commodo &
ſecuritate ; verum tamen etiam eſt quòd cu-
ratio morborum poteſt fieri per contraria
intenſiora , vel remiſſiora , etſi non ita ,
ciro & tuto , atque fit per æqualia eontra-
ria : quare quia Medicus deber morbos cu-
rare citò , tutò, ae ſine dolore quantum ma-
gis fieri puteſt , ait Gal. infra *lib. 14. c. 13.*
idcirco eutatio morborum per conttaria
æqualia fieri debet : nam ſic & non aliter fit
cito & tutò ; & ſic ægri ſalus comparatur
cum maiore ſecuritate , atque utilitate: quæ
enim euratio fit per maiora contraria , præ-
ter quàm quòd morbus mutatur in contra-
riom affectum , ut eſt parum antea demon-
ſtratum , non fit tuto , quia natura moleſtè
fert omne nimium , præſertim eùm à con-
trario in contrarium fit tranſitus, ut his eiſ-
dem verbis docet Hippoerates 2. *Aphoriſm.*
ſententia 51. Curatio ſimiliter quæ fit per
eootraria minora non fit eito, ſed tanto tar-
dius , quanto dicta contraria ſunt æqualibus
semiſſiora : contraria enim quo ſunt mino-
ra , eo minus & tardius remittere poſſunt
ſua contraria , ut notum eſt ſpeculanti ; &
eonſequenter curatio morborum quæ fit pes
contraria minora , non eſt eita curatio , ſed
tanto tardius fit , & ægri ſalus eonſequi-
tur , quanto dicta contraria ſunt magis te-
miſſa, quàm ſunt morbi quos curant. Neque
curatio morborum , quæ per contraria fit
minora , peccat ſolùm , quia non fit citò,
ſed & quia eſt periculoſa : ſi enim morbus
cito non curatur , periculum eſt ne diutur-
nitate temporis , vel longitudine curationis
fiat maior , aut malignior : quare quamvis
curatio morborum fieri poteſt non ſolùm
per contraria æqualia , ſed & pes maiora,
& pet minora ; propria tamen , ſeu debita
morbotum curatio , & per quam ægris ſa-
lus citò , tutò & ſine dolore comparatur,
ſolùm per contraria æqualia fit , & ideo
hac utimur ſemper utique debemus , niſi
vires deficiant , quæ ob ſui langnorem co-
gunt nos curare per eontraria minora ; vel
morbus eſt talis , tantumque orget , quòd
in eontrarium ſtatum ipſom mutare debe-
mus ; & pet conſequens nos cogit eum cu-
rare per contraria maiora , ut cùm ſangui-
nem mittimus uſque ad animi defectum in
febribus ardentibus, in maximis inflamma-
tionibus, & ingentiſſimis doloribus.

Satis elarè & efficaci ratione videtur eſſe 236
demonſtratum quòd curatio morbotum de-
bet fieri per æqualia , etiamſi per maiora, aut
minora aliquando fieri contingat ; ſed ut
veritas magis pateat , placet contra ſic ar-
guere : Si omnes morbi curarentur æqua-

libus contrariis sanarentur eodem tempore, & eadem celeritate, quia similis est proportio agentis ad id quod corrumpitur. At consequens est contia experientiam: ergo quia est falsum illud ea quo deducitur. Respondetur. Nego consequentiam, uti & consequens primum: etsi enim omnes morbi æqualibus sibi contrariis curentur remediis; hinc tamen non sequitur quòd omnes curentur eodem tempore, neque eadem celeritate, quia præter quàm quòd contraria æqualia, quæ habent æqualem activitatem, non habent resistentiam æqualem, ut communiter dicitur, & in calore, ac frigore æqualibus experimur; & ideo inter contraria æqualia non est æqualis proportio activitatis ad resistentiam, ut supponit argumentum; sunt etiam alia multa, quæ curationes morborum factas per æqualia contraria accelerant, aut retardant; imo quæ eiusque morbi curam breviant, aut producunt non minus quàm ipsa remedia æqualia: quamvis enim remedia æqualia ex se omnes morbos curent cito, ut supra diximus; his tamen non obstantibus æstivæ quartanæ breves sunt, ait Hippocrates 2. *aphor*. 15. autumnales verò longæ, potissimum quæ hiemem attingunt: Et Galenus *in Comment.* ait: omnis morbus æstate est brevis, autumno verò, aut hieme est longus; scilicet licet semper curentur contrariis æqualibus: quare si sola temporis constitutio, aut conditio est potens breviare, aut producere curationem morborum, etiamsi æqualibus medeantur contrariis remediis, quid dicemus de constitutione, vel conditione, vel dispositione, aut indispositione ipsorum morborum corporum & humorum qui curantur, & quid de regimine, ac victos ratione, qua ægri reguntur, ac victitantur, & denique quid de animi pathematibus, vel aliis vehementer contingentibus, quæ non minus quàm anni tempora, sed multo magis solent, ac possunt morbos breviare, aut producere? sanè non aliud nisi quòd curatio morborum est in duratione inæqualis, & longè diversa, etiamsi omnes curentur semper remediis contrariis æqualibus.

237 Sed si dicta vera sunt, & verum est semper quòd curatio perfecta morborum, & aliarum rerum quæ sunt præter naturam in nostris corporibus curantur per contraria æqualia, & non per maiora, aut minora: si inquam hæc vera sunt, quid est respondendum ad ea quæ supra in contrarium adduximus ea sententia Pauli Aretei, & aliorum multorum Medicorum magni nominis, potissimum cum iis auctoritatibus atque rationibus concludant fieri semper curationem morborum per contraria maiora, & non per æqualia, neque per minora? Respondetur facilè quòd malè sentiunt, & quòd integrè non ratiocinantur: etsi enim sunt magni Medici, & omni laude dignissimi, in re tamen proposita non arguunt exactè quantum fieri debebat, ut constat ex aliis qui contrarium demonstrant, & ex modò dicendis constabit amplius. Principio igitur quod Paulus & Areteus malè concludant curari morbos per contraria maiora, ea eo quòd elephantia est incorabilis, quia non habet contrarium sibi maius: patet manifestè inde quòd idem argumentum servatis servandis concludit sententiam contrariorum: valet enim dicere quòd inde infertur morbos curari per contraria remedia æqualia, quia elephantiasis est morbus incurabilis, ut cui nulla æqualis medicina reperiatur: hæc autem arguendi ratio ab Hippocrate damnatur t. *de hominis natura*, quia malè concludit, & longè aliter quàm debebat concludere.

Neque qui dicunt quòd conttaria morbo 238
æqualia interventu naturæ fiunt maiora, & sic morborum curatio fit per maiora contraria, etsi per æqualia fieri dicat Galenus. Benè philosophantur, aut ea vera sapientia: nam si res sapienter, atque ut est in se attenditur, potius natura ex interventu remediorum roboratur, quàm ipsa contraria morbo remedia reddat maiora: nam si natura nostra calida est & humida moderatè, qua quæso ratione remedia morbi frigida poterit frigidiora reddere, etiamsi cum his interveniat? quare etsi natura cum remediis interveniat curationi morborum, ipsa non intendit, aut minuit remedia, sed si à morbo est lassata à remediis recreatur, ac robustior fit, quia tunc ab illis uti ipse morbus attemperatur, & ad statum magis naturalem & perfectum redditur, sicque robustior facta maiori vi pugnat contra suum contrarium, sive contra id quod sibi nocet, aut molestum est: quare contraria morbo remedia, sive æqualia sint illi, sive minora ex interventu naturæ non intenduntur, sed ipsa potius natura est quæ intenditur, si aliquod tunc quod utile sit intenditur: nam & morbus ipse solet intendi ea accidenti, & si contrariis æqualibus curetur, & quamvis ab his natura roboretur, ut in augmento cuiusque morbi quotidie observatur. Neque si à natura contraria morbo æqualia intenderentur, curatio perfecta succederet, sed mutaretur morbus in contrarium statum, v.g. morbus calidus in frigidum, ut supra est ostensum: neque si natura robusta existente adhibitis remediis minoribus curantur morbi, ideo curantur, quia dicta remedia minora intenduntur à natura robusta, sed quia ipsa est morborum curatrix, & quidem tanto magis robusta invenitur: quare si natura à contrariis morbo remediis minoribus satis roboratur quod non repugnat; tunc quidem etsi remedia sint minora, morbus perfectè curatur: alias solùm contiaria contrariis æqualibus curantur benè, ut constat ex supra dictis.

CAPVT



CAPVT XIII.

Continet omnes indicationes naturales, & præter naturam quæ in febribus putridis reperiuntur, & quod seorsim singula indicant quibusque indicationes, sigillatim omnes adimplent.



REPETIT *in hoc capite* Galenus indi-
239 cationes, indicantia, & iodicata quæ teperiuntur, & attendenda sunt in curatione febris putridæ, etsi de eis antea egerat: repetit verò non impertinenter, aut sine causa, sed re ipsa postulante; quia enim *capite superiore* Galenus docuesat in communi contraria cootrariorum esse remedia in nostra medicina; ideo *in præsenti* illud confirmat, ac magis explanat, posito exemplo aptissimo ad id in curatione febris putridæ, de qua agit in *hoc undecimo libro*: non enim doctrina communis melius nos docet quàm si in particularibus exerceatur; ideoque Galenus suas generales demonstrationes positis patticularibus exemplis illustrat, magis explicat, & omnibus siotas facit: occasione ergo desumpta ex dictis *in superiori capite*, agit *in præsenti* de curatione febris puttidæ, traditque in primis omnes indicationes & affectus præter naturam qui reperiuntur, aut reperiri possunt in singulis putridis febribus, docens simul quòd omnes curantur per sua contraria: deinde dicit quòd est præter naturam indicare sui ablationem, & quod secundùm naturam est sui conservationem: quare capitis sunt duæ partes.

TEXTVS.

Verum ad medendi indicationes propositi, &c.

DEmonstrandum aggreditur Gslenus
240 in hac prima capitis parte quòd res omnes quæ sunt præter naturam in nostro corpore curantur per sua contraria, sive sint morbi, sive causæ morborum, vel symptomata: nam hæc sunt quæ præter naturam possunt oostro corpori accidere, ut *primo de symptomatum differentiis, capite primo* docet ipse Galenus. Vt ergo quod sibi proponit Galenus unico exemplo particulari posito ostendat, duo agit: nam in primis supposito quòd in qualibet febre puttida dantur septem præter naturam affectus, scilicet febris, puttedo prohibita, transpiratio, obstructio, & causæ obsttuctionis, quæ sunt humotes multi crassi ac lenti, advertit & quòd ex his septem affectus alij sunt morbi, alij morbotum causæ, vel symptomata; & per consequens est verum quòd in curatione febris cuiusque putridæ reperiuntur omnes res præter naturam; postea docet quòd omnia dicta curantur per sua contraria, sive opposita, & non aliter; atque idcirco verificatur in particularibus exemplis modo quo superiori capite in universum est demonstratum, nempe quòd contrariorum cõtraria sunt remedia, & quòd quæ sunt præter naturam noo aliter quàm per contraria sibi curantur, uti quæ suot secundùm naturam, sibi similibus conservantur.

Principio igitur quòd ex septem dictis 241
affectibus qoi in febre puttida reperiuntur præter naturam, alij sunt morbi, alij causæ morborum, & unus symptoma, sigillatim sic demonstrat: In primis multitudo humoris, crassities & lentor sunt causæ obstructionis, id est, sunt qui in cavitatibus vasorum detenti, tales obstruunt, sive replent cavitates, easque sic occludunt: obstructio etenim, ut aliis antea in locis dictum est, est angustia cavitatum vasorum quæ sunt in nostro corpore, ex humoribus orta, qui præter naturam continentur, ac replent dictas cavitates: quare bene dicit quòd multitudo humoris, crassitudo & lentor sunt causæ obstroctionis in febribus putridis; qoia vel sola humoris multitudo potest vasorum cavitates teplere, sicque eas obstruere, sive claudere, vel saltem angustas teddere præter naturam; & sola crassities, vel lentor possunt idem præstare. Causa simul & symptoma est prohibita transpiratio, ait Gal. sive detenta expurgatio eorum corporis excrementorum quæ pec corporis habitum & cutim insensibiliter transpirare, & foras debebant excerni: ex obstructione siquidem sequitur, sive ex occlusione cavitatum vasorum corporis quòd excrementa liberè non transpirent, id est, non expurgentur, ut debebant per poros corporis & cutis, sed detineantur intra corpus, & detenta putredinem generent, vel genitam ex obstructione humorum augeãt. Hic advertit Lemosius quòd detentio transpirabilium exctemeioentorum si obstructionem sequitur, ut nunc supponit Galenus, est symptoma eius; si verò obstructionem præcedit est causa illius: solet siquidem quæ in nobis transpirant per cotim detineri non tantum propter obstructionem, sed etiam propter constipationem corporis à causis externis, ut ex nimia refrigeratione, ex balneo astringente, vel ex nimia siccitate cutis: quare si detentio excrementorum transpirabilium sequitur obstructionem, est eius symptoma, & causa putredinis; si verò sequitur corporis densitatem, vel con-

ſtipationem ab aliqua cauſa externa, ex dictis tunc poteſt antecedere obſtructionem, & eſſe illius cauſa: nam ſine dubio detenta illa excrementa poſſunt cavitates vaſorum occludere, vel obſtruere, ſicuti alij humores quantitate peccantes, vel qualitate, nempe vel craſſi, vel lenti. Habemus jam quòd ex ſeptem affectibus præter naturam qui reperiuntur in febre putrida, tres priores ſunt cauſa obſtructionis, ſcilicet humor multus, humor craſſus, vel lentus; & quòd prohibita excrementorum transpiratio per cutim eſt ſymptoma obſtructionis, & cauſa putredinis: his igitur ſic poſitis, proſequitur Galenus, & ait: ſimili modo cauſa pariter & affectus eſt ipſa putredo: putredo enim eſt cauſa febris putridæ, & à putredine dicitur, atque eſt febris putrida: putredo verò eſt affectus præter naturam, quia eſt res permanens, vel per ſe ſubſiſtens in corpore, etiamſi abſint eius cauſæ, ſcilicet obſtructio, & prohibita transpiratio: unde patet quòd in febre putrida non ſolùm humores multi, vel craſſi, vel lenti ſunt cauſæ: ſed & prohibita ventilatio dictorum humorum, vel retentio excrementorum transpirabilium, atque putredo: uti enim dicti humores obſtructionem cauſant, ita putredinem generant prohibita ventilatio ipſorum humorum obſtruentium, & detentio excrementorum transpirabilium; & ita pariter putredo generat febrem putridam: quare in febre putrida non ſolùm humores obſtruentes ſunt cauſa, ſed & prohibita ventilatio & putredo, humores cauſa tantum, vel cauſæ; prohibita tranſpiratio verò, & putredo non ſolùm cauſa, ſed illa cauſa ſimul, & ſymptoma; & iſta cauſa, atque affectus ſimul: cùm igitur ex ſeptem affectibus qui præter naturam reperiuntur in febre putrida quinque ſunt cauſæ, ſolùm reſtant duo qui ſunt morbi, concludit Gal. ſcilicet tum obſtructio, tum ipſa febris: non ſolùm enim febris putrida eſt verè morbus partis ſimilaris, ſcilicet intemperies calida præter naturam cordis, & aliarum partium ſimilariũ viventium corporis, ſed & obſtructio, etiamſi obſtructio ſit morbus organicus, ſcilicet obturatio, vel occluſio cavitatum vaſorum, venarum ſcilicet arteriarum, vel aliarum cavitatum partium viventium noſtri corporis: ſunt autem ſolùm obſtructio & febris morbus, quia ſolùm iſti duo affectus ſunt affectus permanentes, & ſimul affectus partis viventis, quod requiritur ad morbum; ſiquidem ſanitas & morbus ſunt affectus rei viventis. Tandem uti ex dictis ſeptem febris putridæ affectus ſolùm duo ſunt morbi, ita unum tantùm eſt ſymptoma, ait Gal. ſcilicet prohibita ventilatio humorum qui ſunt obſtructi, vel retentio tranſpirabilis excrementi, quod per cutim expurgari debebat; ex obſtructione ſiquidem duo dicta oriuntur, atque eam ut ſymptoma inſequuntur, nam poſita obſtructione non ſolùm neceſſariò ſequitur detentio excrementorum quæ per apertas vias tranſpirabant, atque extra corpus purgabantur: verùm etiam impeditur libera diſflatio, aut ventilatio humorum qui obſtruunt, vel propter obſtructionem nequeunt benè diſflari, neque ventilari: quare hæc duo nunc Galenus comprehendit ſub unico obſtructionis ſymptomate, ſcilicet ſub prohibita tranſpiratione humorum ſcilicet, vel excrementorũ, quæ ex obſtructione ſequuntur.

TEXTVS.

Ergo indicabit, ut dictum eſt, præcedentium, &c.

Explicatis affectibus præter naturam qui 242
in febre putrida inveniuntur, demonſtratoque qui eorum ſunt cauſæ, qui morbi, & qui ſymptoma; docet modò quòd omnes curantur per contraria, incipitque à cauſis obſtructionis, quæ ſunt tres, ſcilicet multitudo humoris, craſſities, & lentor; vel ſi mavis, humor multus, humor craſſus, & humor lentus: ergo humor, inquit Gal. qui ſua multitudine obſtruit, vacuationem indicat, id eſt, evacuatione curatur, quia evacuatio eſt contraria repletioni, aut multitudini, ideoque Hippocrates 2. *aphor.* morbi qui à repletione fiunt, ait, evacuatione curantur; & aliorum contrarietas, id eſt non ſolùm quos morbos parit repletio, curat evacuatio illis contraria, ſed & aliorum contrarietas curat alios omnes morbos ſibi contrarios, ut in præſenti noſtro caſu liquido oſtenditur: ut enim obſtructio quæ ex multitudine humoris illius quia attenuatio & craſſities ſunt contraria, vel opponuntur inter ſe; & ideò ſi humor peccat ſua craſſitie, curatur ſine dubio attenuatione: ſiquidem attenuatio tollit craſſitiem cuiuſque rei, & res quælibet craſſa per attenuationem redditur tenuis: ſic ſimiliter ſi obſtructio oriatur ab humore lento, curatur abſterſione, quia quæ abſtergunt medicamenta ſunt contraria, vel oppoſita rebus cunctis, quamvis quæ ſic contrariantur, vel opponuntur, uti alia plurima non habeant conſueta, vel propria nomina, quibus magis clarè poſſint explicari: non enim lentities & abſterſio ſunt nomina adæquata oppoſita inter ſe ſicuti ſunt craſſities & tenuitas: nihilominus tamen lentities, ſive quod lentum eſt ſuum habent oppoſitum, aut verè contrarium, ſcilicet abſterſio qua benè curatur, ut quod craſſum eſt curatur attenuatione ſibi contraria. Hoc verò ut habeatur, magis advertere debemus quod ut humor ſua multitudine vaſa replet, replendoque obſtruit; ita pariter humor craſſus ſua craſſitie, ut ſua ſubſtantia craſſa, aut terrea, atque cuncta replet vaſa, eaque obſtruit; & ita ſimiliter, humor lentus vel glutinoſus ſua ſubſtantia

ſubſtantia viſcida, aut viſcoſa, aut lenta, quæ facilè ac multum adhæret partibus ſolidis quas attingit, obſtruit cavitates vaſorum, quia parietibus internis vaſorum adhæret, occluditque cavitates eorum: unde uti humores dicti obſtructiones generant, ſed unuſquiſque eorum ſuo diverſo modo; ita quilibet ex eis, ait Gal. proprium aliquod indicat quo curatur, ſive quo tanquam ſibi contrario mutatur in contrarium ſtatum, & obſtructio reſeratur; atque ideo obſtructio quæ à multitudine provenit, evacuatione ſanatur; quæ vero ab humore craſſo per eius attenuationem, ſive attenuato dicto humore, craſſo ſcilicet, per medicamenta attenuantia: denique obſtructio quæ ab humore lento pendet curatur per ea quæ abſtergunt, id eſt per ea medicamenta quæ humores vaſis adhærentes abſtergunt, ſive extrahunt à partibus quibus adhærent: nam humor, ut lentus verè ille eſſe dicitur, ait Gal. qui quidquid tetigeſit huic ægræ diſſolubilis erit; ita quod neque adhæret, & ea quæ adhærent detergit, contrarium illi non immerito ſtatuit: imo & quod detergit, etiamſi in hoc non ſit friabile in ſe quod lento propriè exponitur, therebentina ſiquidem abſtergens eſt, ſi quod aliud, non tamen friabilis, ut farina hordei, aut fabarum, ſed lenta; ſic etiam & mel facilè partibus adhæret, & tamen detergit benè: quare medicamenta quæ detergunt curant obſtructiones ortas ex lentis humoribus, quamvis non omnia quæ abſtergunt ſint ſine lentore, vel uti friabile contraria lento. Sed adhuc hic advertere debemus quòd quæ lenta ſunt non ſolùm habent ſubſtantiam viſcidam, aut glutinoſam quæ facilè & multum adhærent partibus ſolidis, quas attingunt; ſed etiam qua propriè partes ita ſibi cohærent inter ſe quòd difficulter, aut nullo modo amittant ſuam unionem, aut rumpantur, etiamſi multum diſtendantur, aut in longum deducantur: aurum ſiquidem & plumbum, etſi ut æra facilè flectantur, non ideo tamen rumpantur, ſed ſuam ſemper continuitatem ſervant. Similiter etſi therebentinam, mel, fluidum in longum, aut in longitudinem deducantur, non ideo facilè rũpuntur, neq; ſuam continuitatem amittunt; ſed partes omnes eorum unitæ perſeverant etiamſi uti filum in longitudinem multam deducantur: unde patet quòd quæ lenta, ut ſuum deponant lentorem, non ſolùm indigent abſtergentibus, verùm etiam inſcindentibus medicamentis: nam quæ abſtergere dicuntur, ea quidem extrahunt, ac ſeparant quæ in ſuperficie adhærent aliis corporibus, non tamen auferunt tenuitatem nimiam quam habent ſubſtantiæ lentæ, neque partes quæ in eis ſunt inter ſe unitæ dividuntur, quia quæ ſe abſtergunt, etſi ſunt tenuium partium, parum tamen penetrant, & ideo ſolùm quæ aliis adhærent in ſuperficie poſſunt attingere & penetrare, ſicque ab eis extrahere, atque ſic abſtergunt ſubſtantias lentas à partibus quibus adhærebant: non inſcindunt eas, quia nequeunt penetrare niſi ſolùm ſuperficiem; quæ inſcindunt verò penetrant totam ſubſtantiam corporis lenti, & ſic glutinoſitatem auferunt, aut conſumunt, qua uniebantur: quare verum eſt quòd quæ ſunt lenta indigent abſtergentibus & inſcindentibus, ut totam ſuam glutinoſam ſubſtantiam, aut lentam deponant. Quod quamvis ita ſit, Galenus tamen lentos humores qui in febribus obſtructiones generant, ſolùm curat medicamentis abſtergentibus, ut quæ ſunt contraria eorum adhærentiæ, quæ partibus adhærendo obſtruunt; lenta verò ſubſtantia quatenus in ſe tenax eſt, & ſibi nimis cohærens, ad craſſitiem revocat, & quæ attenuantibus & inſcindentibus curatur, ſicuti quæ craſſa ſolùm ſunt, & non lenta, ut lapis, ſolùm attenuantibus: quæ enim inſcindunt, omnia attenuant, non tamen quæ attenuant omnia inſcindunt: de quibus hic amplius non agit Gal. quia de eis jam antea egerat, ut *libro octavo, capite quarto* & nos etiam unà cum ipſo.

Habemus jam quòd cauſæ obſtructionis 143
in febre putrida curantur omnes per ſua cõtraria: quare his ſic poſitis accedit Gal. ad ipſam obſtructionem, & ait: quando obſtructio, quæ morbus eſt inſtrumentalis, ſcilicet vaſorum obſtructio curatur apertione, aut reſeratione dictorum vaſorum, quia talis recluſio, ſeu apertio vaſorum eſt contraria, vel ſaltem oppoſita obſtructioni. Similiter ſymptomata obſtructionis, ſcilicet impedita excrementorum corporis tranſpiratio cum ſit retentio dictorum excrementorum tranſpirabilium curatur per eorum excretionem, quæ eſt retentioni contraria, ut per ſe omnibus patet; atque proinde non ſolùm cauſæ obſtructionis, ſed & ipſa obſtructio, & eius ſymptoma curantur ſuis contrariis, & non aliter. Rurſus & putredo quæ reperitur in febribus putridis, eſtque cauſa febris putridæ curatur per contraria, ſcilicet per excretionem, refrigerationem, ventilationem, & concoctionem: in humorum enim putredine, de qua nunc agimus dantur plura inter ſe diverſa quibus ex adverſo reſpondent dicta quatuor: nam in primis putredini factæ, id eſt rei putridæ cùm ſit toto genere præter naturam opponitur excretio: quia cùm ſit omnino corrupta, nequit ad meliorem aliquem ſtatum reduci, atque ideo ſolùm expulſione, aut purgatione curatur; putredini verò quæ eſt in fieri opponitur non tantùm refrigeratio, ſed & ventilatio, & concoctio; refrigeratio ſcilicet, quia putredo fiens eſt calida præter naturam; ventilatio etiam, quia humores putreſiunt, quia non ventilantur: tandem & concoctio opponitur putredini fienti: nam de hac verificatur quòd coctio facit ceſſare putredinem manente ſubſtantia: quare ut humoribus qui cauſant obſtructionem plura correſpondent ex adverſo, ſcilicet ſingula

ſingulis;

singulis; ita putredini quatuor dicta ex adverso respondent, ait Gal. Tandem quòd refrigeratio sit febri contraria, & quòd febris curetur frigidis, sæpè dictum est: unde verum est quòd omnes septem affectus præter naturam, qui reperiuntur in febre putrida, curantur per contraria; & ex his etiam constat quòd contraria curantur contrariis, & non aliter.

244 His sic positis, ac demonstratis, concludit hanc primam capitis partem, dicens: porro quibus methodis materiam quæ singulo modo memoratorum perficiat invenias, jam diximus. Quasi dicat: explicatis indicationibus curativis, quæ in febre putrida reperiuntur; explicatis etiam indicatis quibus tales indicationes adimplentur, sequebatur hic agendum de medicamentis, quæ singula dicta indicata perficiunt; de his tamen modò non agimus, quia de eis jam est actum in suo proprio loco: imo & de methodis quibus talia medicamenta à Medicis possunt inveniri: sanè de medicamentis, atque remediis quibus humores obstruentes curantur, & obstructiones reserantur, & retenta ex obstructione excrementa vacuantur, & humores putridi purgantur, & putrescentes refrigerantur, ventilantur, atque concoquuntur, & denique febris quæcumque sit refrigeratur, atque ad salubrem statum reducitur, egit potissimum *quinto simplicium* usque ad satietatem: quare non est mirum quòd hìc de eis magis in particulari non agat, de ipsis tamen nos hic dicemus aliqua, ut ubique quæ necessaria sunt habeantur. Ergo ut plenitudo humoris in febre putrida per sanguinis missionem vacuatur, aliqua essatu digna sunt notanda. Primò etenim cùm sanguinis missio magnum sit remedium, veluti purgatio, non minoris erit momenti inspicere scopos quibus gaudeat, qualitate nimirum, quantitate, occasione, & urendi modo; per qualitatem quidem species propriè remedij intelligitur, quod potius ab indicantis specie desumitur, veluti vacuationis quantitas à repletionis magnitudine delumenda erit, ut occasio illius exercitij expostulantis præsentia, & impedientis absentia, est deliberanda, ut tandem operandi modus ex afficiendi modo, & aliis quæ suo loco aperienda erunt, constabit.

245 Quibus prælibatis, cùm ex doctrina Galenica in præsenti contrarij effectus connariis remediis auferantur, ut plenitudo febrem putridam inducens media evacuatione curetur, & quia non quælibet plenitudo qualibet evacuatione auferatur, sed extrema repletio extrema evacuatione, quia extrema extremis morbis remedia sunt adhibenda, veluti repletio moderata evacuatione etiam moderata curetur, eo quòd aliis satisfacit inedia, aliis frictiones, aliis ligaturæ, aliis cucurbitulæ, aliis sanguinis missio, aliis purgatio, propterea remedij magnitudo à morbi magnitudine est indicanda, veluti illius species à morbi idea & specie sua specifica causa dependentis, sicque quia in præsenti Gal. curationem febris putridæ à plenitudine dependentis aggreditur meritò, ad illam profligandam, non quamcumque evacuationis speciem, sed tum magnam, tum etiam per sanguinis missionem faciendam præscribit. Cùm enim ipsa febris putrida morbus magnus sit, remedium magnum in genere indicat, & cum à plenitudine oriatur, quæ magna, ratione effectus quem producit est, propterea dictam evacuationem magnam indicat. Sed quare potius missionem sanguinis, quàm purgationem facilè, ut *libro de sanguinis missione* latè præscripsi, perpenso uno, & altero specifico indicante utriusque dicti remedij: percipietur cùm sanguinis missio potius à vitio sanguinis in quanto, vel in motu cum morbo magno conjuncto, veluti purgatio à vitio alterius humoris à sanguine morbo magno comitante indicetur: unde debita cum ratione non inedia, frictionibus, & aliis similibus, sed potius sanguinis missione prædictam multitudinem febrem putridam inducentem aufert, cùm debitè inter se in magnitudine affectus & causæ, cum magnitudine remedij contrarietas inveniatur.

Notandum tamen est quòd etsi extrema 246
sit repletio, sive multitudo, quæ mediante extrema evacuatione curari valet; ista tamen etsi extrema comparativè ad repletionem extremam dicatur, rigorosè tamen non inanitio extrema debet excreeri, ut Hipp. aphor. 1. sententia 3. *Neque evacuationes ad extremum ducenda.* Id est, non supra vires, sive supra virtutem naturæ, ita ut contrarium affectum medio extremo langore efficiant: sed ideo extrema nuncupabitur, quia ad pensum replerionis, quæ supra mediocritatem & naturalem est; & ideo plenitud ad ultimum perveniens extremũ, ut ad octo sanguinis libras, si huiusmodi quantitas excedens evacuetur. Re vera moderata evacuatio erit habita ratione ad naturæ robur, & verum indicans ad regularem curationem; respectu verò sumpto ad prædictam repletionem extremam vitiosam, quia eam talis evacuatio adimit, etiam extrema appellabitur; & ideo intelligendum venit, quòd extremis morbis extrema remedia sunt adhibenda.

TEXTUS.

Præter hæc verò ab his quæ secundùm naturam se habeant posita indicationes sunt, &c.

CVm in capitis initio Gal. omnes indi- 247
cationes affectuum qui in febribus putridis reperiuntur per contraria exercendas esse promiserit, easque adimplevit, nunc jam

jam alias, quæ non per contraria, sed per similia compleri debent, adducit, eo quòd potius ad salubrem statum servandum, etsi indirectè ad morbosum profligandum concurrant, ut in præsenti febri putrida dissolvat: ex temperamento etenim sumitur indicatio conservativa, inquit Gal. in præsenti, eo quòd similia similibus conservantur, sicque affectus secundùm naturã sui conservationẽ indicant, ob quam rationem Hipp. *3. Aphor. sent.* 2. sumens temperamentum pro natura dixit: *Naturarum quedam ad æstatem, quedam verò ad hyemem bene vel malè se habent*: ita ut cùm temperamenta corporũ sint multiplicia, non omnia ad quodlibet tempus eodem modo se habent; sed quædam temperamenta, sive naturæ ad quędam tempora melius, ad alia verò deterius ut corpora temperata in temporibus temperatis bene, in aliis verò pessimè se habent, quæ ob similitudinem inter ambo repertam, dispositio potius conservativa quàm destructiva adest.

268 Notandum tamen expedit hoc potius intelligendum esse in corporibus temperatis, non tamen in illis quæ intemperata nuncupantur: ista enim in similibus frequentius ægrotant: nam si multum excesserint, cùm in maiorem lapsum per similia incidant, merito non per ista, sed per contraria tempora naturæ excessus corriget; sicque Hippocrates ait: quædam ad hyemem, quædam verò ad æstatem benè se habent, proptereaque temperamentum calidum & siccum æstate malè se habebit, quia cùm æstas lapsum naturæ calidæ adaugeat, ideo errores naturæ in pejus, ac in morbos procreandos crescunt: unde quia temperamentum frigidum, & humidom suum excessum ab æstatis caliditate & siccitate corrigat, in bonum statum perveniet, veluti temperamentum calidum, & siccum ab humiditate, & frigiditate hyemis correctum, ac effrenatum manebit: quare quemadmodum natura, sive temperamentum calidum, & siccum bene se haber ad hyemem, & malè ad æstatem; ita frigidum, & bomidum potius in æstate quàm hyeme in operationes perfectas prorumpet: ex quibus facilè infertur, quòd ex Galeni doctrina in præsenti, iodicatio, quæ maximè perpendenda est, & conservativa per similia nuncupatur, potius à temperamento temperaro & laudabili, qoàm à natura intemperata; ita ut adhoc ad morbos profligandos condocat, veluti ad febrem purridam, ut in præsenti est sermo. Si enim Petros laboret febre putrida, pituitosa, & quotidiana temperamentum quod illius frigidum & humidum sit, tantum abest, quòd hyems conducat ad illius temperiei auxiliandum, ac ad febrem devastandam, quin imo & febris augescet, ac temperies, ubi temporis in maiorem lapsum incidet, & cùm è contra æstas sit magis ad febrem solvendam, temperamentique lapsum corrigendum conducat, propterea indicatio illo in casu nec conservativa, nec curatrix eligenda erit per similia, cùm illa natura multum recedat; si verò temperamentum sit temperatum potius, ot ait Galenus, per similia indicationem exiget.

Si dicas tamen, quòd simile à simili conservatur, & à contrariu reducitur; ergo temperamentum frigidum, & siccum, veluti natora melancholica potius in autumno, quia simili, quàm in vere vigebit; & è contra natura, sive temperamentum sanguineum, porius in vere, propter similitudinem, quàm in autumno florebit; decidet quidem hæc instantia, si prius, ut supra, discrimen inter naturam temperatam perfectam, & intemperatam, in qua exiguus datur excessus, & alias, in quibus maximus adest, perpendatur; Quibus sic jactis, facilè respoodeo: concedo antecedeos; videlicet, quòd simile à simili conservatur, quando similitudo in tanto gradu adest, ut natoram possit conservare; quando verò in gradu adeo excedente reperitur, ut possit eam alterare, tunc simile non à simili conservabitur, ac proinde cùm natura melancholica maximè iotemperata sit, ita ut excessus non exiguus sit, propterea illa tunc autumno comparata, potius à simili afficietur, idemque de temperamento bilioso & pituitoso currit: quare indicatio conservativa per similia dicta apud Galenum potius intelligenda venit de temperamento temperato perfecto, aut intemperato, in qoo exiguus sit recessus; & quamvis temperamentum sanguineum ex se saluberrimum dicatur, ac similibus talis natura conservetur; quia tamen ratione veris, humiditatis exigoa alteratio, ac dispositio ad concipiendam putredinem inducit. Propterea temperamentum sanguineum ex accidenti, à simili videlicet vere, præter naturam afficitur: quare tam in statu morboso, quàm salubri maximè prædicta sunt perpendenda, ut vera sit Galeni doctrina, ex eo quòd temperamentum ægrotantis conservandum sit per similia, tam respecto remediorum alterantium, quàm victus rationis præscribendæ.

Sed urgebis contra dicta: nam minus 270 periclitatur morbus similis naturæ, sive temperamentum ægrotantis, qoàm dissimilis, quia affectus similis minos temperamento contrariator; eo minus periculosus quàm dissimilis, ut Hippocrates *secundo Aphorismorum, sententia trigesima quarta*: ergo non aliter temperamentum quod magis congruat, sive simile sit tempori, alimentis & medicamentis, minus ab eis afficietur, ergo magis conservabitur quàm à contrariis; ergo temperamentum calidum & siccum in æstare melius quàm in hyeme se habebit, ac conservabitur cùm maiorem cum illa quàm cum ista similitudinem obtineat. Respondeo tamen, ut supra dixi, quòd si natura intemperata in maximo gradu sit, illo casu quia naturæ excessus à simili tem-

pote

pore & aliis similibus inesescit, in pejoremque statum accedit, ideo potius præter naturam afficietur, quàm conservabitur: si verò natura temperata extiterit, jam à simili proprium, perfectumque statum custodiet, & paritati de natura ægrotantis com morbo; Respondeo quòd veluti mosbus naturæ similis faciliùs & promptiùs, quàm contrarius profligatur, faciliùs etiam intromittitut, non alites natura intempesata ut calida & sicca, quæ similis est æstasi, faciliùs ab ea quàm ab hyeme paritur, promptiúsque in naturalem statum reddisus, cùm potius ab æstate quàm ab hieme alteratus. Vnde quemadmodum similitudo inter temperamentum; vel naturam intempetatam, & tempora, valdè ut morbi gignantur conducit, etiam ut facilè dissolvantur, vel curentur, auxiliatus, quod in contrariis temporibus alimentis & medicamentis alterant bus repugnat.

271 Nec solùm omnia pertingens Gal. temperamentum pro universo corporis adducit, verùm etiam in particulari temperamentum cuiusvis particularis laborantis partis, aliarumque principum dictarum conservandū, per similia manet: ita ut si pars spermatica, aut sanguinea sit quæ laborat, per sibi similia & symbola muniatur, ac quod deperditum fuerit instauretur perpensa substantiæ quantitate diffusa, dissoluta, sive depopulata: quare si solida sit substantia, per solidiora alimenta, veluti si spirituosa, per similem substantiam de novo acquirasur, taliter ut si intempetata, quia caliditas nativa deficit, nisi per novam similis substantiæ calidæ repositionem conservetur. Quare huiusmodi indicationes non per contraria (inquit Galenus) sed potius per similia sunt exercendæ. Vt tamen hæc faciliùs coguoscantus, maximè ætas & consuetudo, ac omnes caosæ externæ quæ mosbo sint contrariæ, conferunt: nam tum ex ætate, consuetudine & aliis huiusmodi indicationes conservativæ per similia desumūtur; ita ut ætas puerilis potius pes calida, & humida, quia similia conservationem, veluti juvenilis pes calida, & sicca exigat; & licèt mors à frigido & sicco, veluti vita à calido & humido proveniat, rigorosè tamen senilis vita, prout in senectute constracta, ut talis alimenta sibi similia indicat, quæ potius frigida & sicca modicè sunt: aliud enim est inspicese in communi principia viralia in calido & humido fundata, aliud verò prout istam vel aliam ætatem individualem constituunt: nam etsi natura per principia vitæ quæ calidum & humidum sunt, exigat custodiri, non tamen ideo in qualibet ætate convenit prædominium calidi & humidi: sed tale quale, & tantum quantum pro individuali sufficiat. Si enim senem ad temperameotum calidum & humidum quod in puero reperitur reducetemus, potius in pueritia quàm in senectute reperiri diceretur, neque talis senilis ætas in suo esse naturali, sed imo morbosa adesset, sicque semper sumpta indicatione à qualibet ætate, conservatio per similia esset facienda. Nec minus, inquit Gal. consuetudo eandem indicandi vim secum confest: si enim quis assuetus sit crebræ sanguinis missioni, faciliùs quàm inassuetus tale auxilium sustinebit, veluti si ad alia naturalia & non natoralia babitum iam contractum obtinuerit, ab eis minorem alserationem, sive mutationem suscipiet, ut Hippocrates aphorism. 2. sententia 49. *Qui assueti sunt consuetos ferre labores, etsi invalidi sint, aut senes, faciliùs ferant, quàm qui inassueti, quamvis robusti & juvenes.* tum etiam 2. aphor. sententia 50. *Quæ longo tempore assueta sunt, etiamsi deteriora, minus iis quæ inassueta sunt molestare consueverunt*, &c. Ex quibus infertur indicandi virtus ex consuetudine in admovendis, educendis & faciendis, ut feliciùs febris putrida ac quilibet mosbus detruncari methodicè possit.

272 Concludit tandem Gal. in Capite excellentiorem, valdéque necessariam doctrinam quòd inspectis nimirum iis omnibus indicationibus in exerceudi modo perpendere expedit. *Quonam primò, ac magis, quonam minus, & secundò, quonam adhuc, & tertiò, atque deinceps, quo post quod præsidium sit utendum.* Cùm enim in febre putrida prædicti septem affectus reperiantus, & alteri rationem causæ obtineant, alij affectus rationem, alijque utrumque, veluti alij symptomatis vim teneant: propterea qualis ratione dependentiæ affectos, qualisque causa prima, vel secunda sit, ut brevius ac faciliùs, & debito ordine dissolvatur, debemus perpendere: licèt enim ipsa febris sit, quæ primo occursu curationem exigat, utpotè, quia celeriùs naturam devastat, ista tamen methodico ordine in executione non primo auxilianda venit: quod enim est primum in intentione est posterius in executione. Quare quia febris à putredine, ut ista à prohibita ventilatione, quæ ab obstructione ortum ducit, quemadmodum hæc à multitudine, vel lentore, aut crassitie humoris nascitur, propterea deveniendum est ad occasionem, & occasionis initium, sive ad causam & originem causæ: quapropter quia inter omnes causas humoris multitudo, aut crassities, vel lentor principatum obtinent, ab iis quidem incipienda est curatio, ut sciamus quid ante quod curandum sit, sicque prius inter omnia multitndo est adimenda, præstat enim maiori parte succi emissa ad detergendas obstructiones accedere, sicque lentorem, vel crassitiem per contraria auferemus, aut prohibita ventilatione ablata putredo auferatur, superveniente coctione, quæ cum efficiat cessare putredinem, febris tandem dissolvetur aliis simul refrigerantibus & humectantibus, tanquam indicatis contrariis.

Dubia

Dubitationes super Textum.

253 Cùm in præsenti capite omnes febris putridæ causæ apud Galenum sint assignatæ, merito speciosiùs inquirendum occurrit de unoquoque istorum effectu, quomodo proponere ad huiusmodi febrem inducendam concurrat, sicque primo de multitudine non ita ingens difficultas adest: nam humor qualiscumque sit, etiamsi biliosus, tenuissimus, calidissimus, ac subtilissimus, si tamen in multa copia, sive quantitate vehementer in vasa aliqua irruat, propter impetuosum motum, ac excedentem quantitatem, cùm ista sit accidens impenetrabile: hinc est quòd huiusmodi substantia quanta auferens pervietatem vasorum, transitum etiam per ea liberum impediet, ut inde morbus organicus in cavitate dictus inducatur, non aliter, licèt non eodem tendendi modo, saltem quoad corporeitatem, qua humor lentus, vel crassus, quia diutius in vasis detentus veluti ad multitudinem valebit saltem particulatem reduci, ut talis obstructio nascatur. Ex quo cum caloris & humorum, sive excrementorum ventilatio prohibeatur, merito tum calor & augescet, & putredo inducetur: nam etsi rigorosè ventilatio prohibita potius sit privatio, quæ per se effectum positivum, ut est calor intensus, & putredo producere non possit; conditionaliter tamen & positivè in Galeni doctrina concurrit: re enim vera, ipsi humores, sive excrementa diutius detenta, veluti fuligines, neque ventilata per novam à propria forma caloris pullulantiam, temperiem calidam acquirunt, tum quia deficit attemperans, videlicet ambiens, quod per transpirationem attrahitur, tum etiam quia non inter se fit expurgatio & separatio extra corpus movetur: quapropter prædicti humores, & excrementa, ut supra dixi, per se non prohibita ventilatio sunt putredinis causa positiva.

254 Quomodo vero ipsa putredo febris causa dicatur? facilè ex natura rei constabit, si inspiciamus, ut supra manet dictum, quòd cùm sit in fieri putredo mutatio totius corporis putrescentis in corruptelam, & pariter apud Philosophum 4. *Meteor. cap. 1.* interitus caloris nativi in humido ab externo calore: unde prima putredinis expositio, quæ est mutatio, sive via ad corruptionem, dicitur veluti in fieri & dispositivè; quæ verò interitus est jam caloris nativi potius de putredine, quæ post corruptionem succedit, quàm secum comitatur, intelligitur; ut bene advertit Matamoros, sicque Gal. de hac ultima alloquens secundo aphor. 17. inquit: *In humore putrescente quod putridum est expellitur, reliquum verò putrere paratum debet corrigi, quia emendabile est.* Quod ostendit exemplo vini & aceti: ea enim pars, quæ jam in acetum conversa est, expellenda erit, cùm ista jam in corruptionem abeat, & corrigi nequeat; non aliter ea humoris pars quæ jam ulterius corrigi non valeat, vi putredinis est corrupta, ac per consequens corruptionem conservat, proptereaque necessariò extra corpus est pellenda; tam igitur de una quàm de altera, nequaquam est dicendum per se, & efficientem febris esse causam, cùm potius utrulque natura sit, vel in mutatione, quæ est actio, vel in termino, qui corruptio dicitur; sed rigorosè loquendo ipsa res putrida, ut humor, vel excrementa putrida, vel potius calor in his præter naturam accensus, quia extraneus febrem putridam inducit; etsi Gal. doctrinæ gratia putredinis febrem causam appellet.

Nec valet si Argenterius *tom. 3. Artis Medicæ, fol. 338.* asserat putredinem non fieri à calore extraneo, quem insequuntur Lusitanus, & Veiga divisis fundamentis enixi, quorum primum est, quia putrefactio est naturalis dissolutio mixti, quæ in plantis marcor, in animalibus senium, & naturalis mors est: sed hæc omnia non fiunt à solo calore; ergo neque putredo. Deinde quia omnia reclusa, ac reposita, ut domus clausa, vestes in arca, frumentum in horreo putrescunt ex sola prohibita ventilatione: calor enim innatus evaporans extra unitus, & non dissolutus evocat quod intus residet: ergo putredo in hoc casu ab interno calore, & non ab externo fit, quia si fortè accidat potius media de novo ventilatione, putredinem inhibet: quare inquit Veiga, causam putredinis esse debilitatem caloris innati cuiuscumque mixti, qui quidem humidum sibi proprium continere non potest, ideoque separatur à sicco, deferens secum calorem, quæ caloris debilitas à plurimis causis valet originem trahere: primò etenim à prohibita ventilatione; secundò ab extraneo calore pabulum absumente; tertiò à frigiditate; quartò tandem ex defectu alimenti ipsius caloris. 255

Sed neque huiusmodi rationes urgent, ut à communiori ac Artis, & Galeni doctrina discedamus: nam ex prima ratione solùm infertur, quòd dispositio antecedens naturale interitum, necessariò est putredo, quod est falsum: nam dispositio ad interitum & mortem naturalem non est putredo, sicque nihil mirum, quòd hæc non semper procedant à calore extraneo, non tamen probat arguties, quòd putredo, sive viventis corruptio putredinalis non nascatur à prædicto calore. Secunda verò ratio, quæ ait, ex defectu ventilationis putredinem nasci, facilè diluitur. Si respondeam negativè, ut supra dixi, quia prohibita ventilatio nequaquam per se putredinem exhibet: sed ipsæ fuligines & vapores calidi, qui cùm non ventilati & detenti sint, per se putredinem medio calore extraneo concitant: prohibita enim ventilatio solùm occasionalis causa respe- 256

ctu putredinis est dicenda: sed quare, ait Argenterius, corpora plantarum, & cadavera animalium sub nive putrescunt, ac sub aquis frigidissimis, cùm ibi nulla sit causa calida, potens huiusmodi producere effectum: ergo quia putredo non semper ab extraneo, & excedenti calore nascitur: ergo pariter in nostris corporibus circa febrium putridarum generationem; neganda est caliditas extranea pro illius caosa. Mitor tamen doctissimum Argenterium non animadvertisse effectus per se & per accidens quos valet frigiditas inducere: nam cùm proprium illius sit densare, ac constipare substantiam infrigidatam, hinc est ut vapores calidi, & fuligines substantiæ mixti à frigiditate intro reclusi, ac detenti ulteriorem calorem sibi inducentes, per se putredinem efficiant. Vnde frigiditas per se infrigidans, ac corpora densans, solùm per accidens putredinis causa erit nuncupanda: quare semper extraneus calor, non quia extrinsecos occurrat, ut ab ambiente, sed quia alienus à natura mixti excedens & improportionatus secundùm illius exigentiam adest, putredinis causa nuncupabitur, ut 11. *Methodi, cap.* 4. & 1. *de differentiis febrium, cap.* 11. & 3. *epid. parte* 3. *commentario* 1. & 22. utrobique in fine Galenus manifestè commonstrat.

257 Sed cùm superiùs dictum fuerit cum Galeno, quòd quia febris putrida est morbus partim factus, partimque fiens, propterea duo requiruntur remedia pro auferendis humoribus putridis à quibus adhuc febris fit, & conservatur, sin quorum prima inhibeant febrem futuram, sive gignendam. Secunda verò quæ causam actu generantem auferant, horum quidam aliud in evacuatione, aliud verò in alteratione consistit, ita ut media alteratione finiatur putredo, manente eadem substantia: licèt enim humores incipiant putrescere, eos tamen alterando ad benignum, naturalemque statum, ac pristinum possumus reducere, ut nullatenus humorum substantia corrumpatur, sed potius debitè conservetur. Remedium verò evacuatorium totam humorum substantiam educit, & merito totam substantiam, quando est in putrefacto esse, eo quòd nullo modo ad benigniorem statum potest reduci: quare in febre putrida, quia partim est fiens, partimque facta, semper à causa est auspicandum, videlicet ab humorum evacuatione & alteratione causæ febrilis, id est quæ humores putridos respiciunt, ut ipse Gal. 10. *Methodi, cap.* 1. inquit: Si causa efficit febrem, à causa esse curationem incipiendam, si non amplius fiat, sed morbus factus sit, tunc non oportere ut Medicos de causa auferenda cupiat; tum etiam 10. *Methodi, cap.* 1. & 12. nisi prius causa removeatur, quæ morbum facit, morbum curari non posse affirmat. Instabis tamen: Gal. enim 3. *Methodi, cap.* 9. inquit: Quòd si in ulceribus phlegmonosis superveniat convulsio, prius est tollenda convulsio quàm inflammatio, quæ est præcipua causa: ergo non semper est à causa in curatione auspicandum. Respondeo, quòd si dum dicit à causa esse incipiendam curationem, fiat comparatio inter causam, impedimentum & morbum, solùm semper incipiendum est à causa principali, non verò ab impedimentis, nec à morbo; si verò comparatio fiat inter causam & illud quod urget, sine dubio urgens principatum sibi abrogat, ut ab eo curatio procedat antequam à causa. Quapropter quamvis inflammatio sit convulsionis causa, cura tamen potius à convulsione, quia urgentiori incipienda est, sicque Gal. miro ordine indicantia, quæ morbum solent præcedere ad tria reducit, ad urgens videlicet, ad causam, & ad impedimentum; ita ut prius si urgens adsit indicet ablationem: secundò causa principalis: tertiò impedimenta, ut tandem ad indicationem desumptam à morbo, ut morbos est, deveniamus, propterea Gal. in nostro Capite exponit quid cum quo, quid ante quod, & quid post quod sit in febribus puttidis curandum.



CAPUT XIV.

De ratione sanguinis mittendi in febre proposita.



POSTQUAM Gal. pro febris putridæ curatione sanguinis missionem ut percelebre ac indicatum necessarium in antecedentibus, proposuit jam in præsenti omnia illa quæ aut sanguinis missionem impediunt, aut limitant, aut consentiunt, aut modum imponunt, manifestè commonstrat, ita ut quamvis verum sanguinis missionis indicans adsit, prius tamen ægrotantis vires qualiter se habeant, quæ illius sit eruditatis in ventriculo dispositio, quænam ætas, qui corporis habitus, quo anni tempore laboret, qua regione cœli speculatur, quo statu vitam agat, ut his omnibus debitè perpensis methodicè, ac secundùm rationem prædictum subsidium exerceatur: ita ut licèt obstructio, vel putredo adsit per eas, nisi succorum redundantia, vel plenitudo sit, sanguinem mittere non expediat, tandemque quales utiles sorbitiones sint, ne nutritio supra modum & intempestiva contingat, in calce capitis mira cum ratione exponit. 258

TEXTUS

TEXTVS.

Quippe si vires eius qui ex putredine humorum, &c.

159 PRæcipuum quod in præsenti capite consentiens pro sanguinis missione Gal. adducit, sunt vires valentes, ut Hippocrates 4. de ratione victus in morbis acutis, commentario 19. inquit: *In acutis affectibus venam secabis, si morbus vehemens appareat, & infirmus ætate floreat, & viribus abundet*: non aliter Galenus lib. de sanguinis missione, cap. 9. ait: *Tria sunt quæ continent directionem mittendi sanguinem, morbi magnitudo, aut præsens, aut imminens, ætas vigens, & virium robur*: quare Galenus in præsenti eadem roborat, & merito: nam cùm sanguinis missio sit remedium magnũ, ut potè morbo magno genericè oppositum, quia vi illius evacuationis non exigua, sed magna spirituum copia deperditur; propterea, ut tale dispendium à natura sustineri valeat, vires valentes debent esse, partim ut natura potens evacuationem toleret, partimque ut contra causam morbificam iuvare valeat; nam si languidæ fuerint, mittaturque sanguis vitæ thesaurus, vi dispendij commissi ita natura dissipata, dejectaque manebit, ut nec putredini obsistere, neque magnitudini morbi obviam ire valeat: quare merito Galenus inquit: *Si vires eius qui ex putredine humorum febricitat, valentes fuerint, statim sanguis est mittendus*. Propterea que ipse Galenus 9. Methodi, cap. 11. ait: *Sanguinis missio semper valentes vires postulat, quæ modò vacuationi eius respondeant*. E contra verò 9. Methodi, cap. 13. inquit: *Quod si quem curare studes, vires autem extrema imbecillitate laborant, toto illo tempore, quo vires reficimus nihil adversus morbum est faciendum; cùm autem conjeceris ut nihil aut parum ex evacuatione sunt lædenda, tunc est ad affectus curationem accedendum*. Ex qua auctoritate liquidò constat quantum oporteat vires perpendere: ita ut si validæ sint, possit in febribus putridis sanguis emitti, veluti si dejectæ eam omnimodè obnegent: advertendum tamen est quòd viribus valentibus securè, quantum febris, sive morbus postulat, est vacuandũ. Potest tamẽ dari casus quo minus validæ sint vires in quo absolutè sanguinis missio à Gal. in præsenti non tenuitur, sed moderatur ita ut parciùs mittatur, quemadmodum prostratis nihil est operandum. Sicque etsi absolutè Gal. in præsenti pronunciet ad missionem sanguinis vires valentes requiri, hoc tamẽ maxima cũ premeditatione carpendum, ita ut unicuique virium ordini non remedij species, sed quantitas, & libertas est conservanda sua proportione; sique vires valentes integram evacuationem causæ morbificæ (de qua Galenus in præsenti alloquitur) mediocres verò imperfectam, quamvis utilem; prostratæ verò, sive omnimodè dejectæ, nullam evacuationem mali curatricem sustinent, ut *libro de sanguinis missione* satis adaperui.

Progreditur ulterius Galenus, aliud impediens sanguinis missionis adducens, cruditatem videlicet primæ regionis, nisi cruditas ventris adsit asserens; & merito, quia existente cruditate in prima regione, si fiat sanguinis missio, talis cruditas ad secundam regionem fertur. Ex quo motu laudabiles secundæ regionis humores coinquinantur, ac obstructiones & febris augescunt: quod maximum est inconveniens, quapropter merito inquit Galenus in Textu, quòd cruditas primæ regionis sanguinis missionem non permittit, imo impedit. Propterea, quia facta huiusmodi evacuatione, non deposita vẽtriculi cruditate, caloc naturalis ventriculi dissolvitur, ae depauperatur ex vitalis spiritus evacuatione; ac proinde prædicta materia cruda in ventriculo existens minus concoqui, ac superari potest ex caloris defectu: quare ne hoc ita magnum incommodum sequatur usquequo talis cruditas auferatur sanguinis missio non est exercenda. Hoc idem Gal. 9. Methodi, cap. 5. affirmat: *Attendenda verò cùm vena secanda indicationes sunt, tum quæ eam præcedunt: tum verò quæ omnino excipient: nam si præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre vena sectionem jubebis quantum sufficere videbitur, tum ad eorum coctionem, tum ut excrementa descendant*. Nec minus Avicenna hanc doctrinã fulcitam relinquit fen. 4. libri primi cap. 20. sic asserens: *Cave præterea tibi ne nauseativam satietatem habens phlebothomes, sed prolonga usqueque eius nauseativa satietas digeratur*: quare merito in præsenti capite Gal. in febris putridæ curatione ventris cruditatem, tanquam sanguinis missionis impediens proponit. 160

Notandum tamen expedit, ne plurimi ex Gal. doctrina malè percepta fallantur, quòd multoties nausea & vomitus ex ventriculi cruditate suscitata, facta sanguinis missione sedentur, ut Avic. fen. 1. lib. 3. tractat. 5. cap. 11. inquit: *Et multoties quidem alleviantur nausea & vomitus per phlebothomiam*; hoc tamen non Gal. sensũ obtinebat: nausea enim aut vomitus aliquando à materia solùm per consensũ ex hepate & venis confluente pendent; sicque cùm tale excrementum crudum nauseã suscitans non sit ventriculi culpa, sed aliunde, videlicet generis venosi, propterea media sãguinis missione, quia fluxa aufertur, eriã nausea & vomitus sedantur; de qua ventris cruditate Gal. sensus non est intelligendus in præsenti, sed solùm de ea quæ ex alimentorum cruditate in ventriculo genita, & permanens est, de qua tantũ abest quòd nausea & vomitus leventur, quin imo, prædicta, maioraq; incõmoda possint subsequi, ideoq; inquit: *Si cruditas ventris non sit*; & pergit: *sin vires infirmæ sint, aut ætas dissuadeat*. Doctissimus Lemosius ex his dubitat, quare Gal. asserat, si vires valentes sint, & cùm infra 161

asseveret ejusmodi febré in virtuté imbecillé non incidere: quippe synochos boni habitus corporis, ac calentis ætatis propria est: ergo sibi contradictioné imponit, cùm virtute imbecillá in hac febre reperiri non posse pronunciet, & ex illa parte conditionaliter alloquatur, si vires valeotes fuerint. Etsi Lemosius acutè difficultatem pertingat, eam tamé integram, & sine ulla expositione quasi Gal. taxans omittit, ipse tamen otiosam non operosam mentem ostendit: quare ut Gal. ab omni improbatione, ac contradictione immunis maoeat, est dicendum, quòd duplex Gal. est expositio hujus Capitis in febrium putridarum curatione. Prima se tenet ex parte febrium puttidarum in communi ad decernendum de sanguinis missione; ita ut si in qualibet febre putrida vires sint valentes, statim sanguis est mittendus; si tamen dejectæ sint, aut ætas dissuadeat neutiquam, qui sensus simpliciter de febre puttida in communi intelligitur. Vlterius tamen jam ad febrem specificam, nimirum synochum descédens, inquit: Ista tamen in languidam virtutem incidere non valet, ut supra est dictũ, sicque in Capitis initio genericè & universaliter alloquitur; aliis verò verbis contrahit sensum exponens, quòd in hujusmodi febre synochali non est necessaria illa conditionalis ratio, si vires valentes fuerint, quia nunquam in virtutem imbecillem incidit, sicque Galenus liber à contradictione florescit.

TEXTVS.

At si in puerum, &c.

262 NEc minus utilitaris est febricitantis ætatem perpendere, cùm Galenus asserat: *At si in puerum incidat qui quartum decimum annum*, &c. Si enim puer decimum quartum annum non attigerit, sanguinis missionem ferre non poterit, quia propter substantiæ mollitiem, raritatem, humiditatem & caliditatem, qua pueri gaudent plurimũ corporis substantię quotidie effluit, ac digeritur, sicque præseoti semper, & assiduo naturali profluvio, superveniente que alio, vi sanguinis missionis puerorum natura labitur, ita ut causæ morbificæ obsistere non possit: quare inquit Gal. in Textu, quod nos ex vena inscindenda operari debebamus, jam ultro ex curandi corporis natura nobis præstat hanc doctrinam, & ipse Magister sigillat 4. de ratione victus, comm. 19. sic asserens: *Sanguinis detractionem nec puer, nec senex sustinent.* Tum etiam ex eodem Commentario: *Sanguinis detractione non egent qui insitam, naturalemque evacuationẽ habent*: nec minus 8. Methodi, cap. 4. ait: *Pueris & senibus sanguinem detrahere non licet.* Hæc tamen Gal. doctrina non ita intelligenda venit, ut absolutè prolata est. Etsi enim videatur quòd in pueris ante decimum quartum annum vires deficiunt pro sanguine mittendo, contrarium tamen ostendit Galenus *cap.* 5. primi de sanitate tuenda in eorum functionibus naturalibus, ut auctione, concoctione, distributione, & nutritione, quas pueri cæteris ætatibus longè præstantiores edunt. Propterea que Celsus cap. 10. secundi inquit: *At firmus puer, & robustus senex, & gravida mulier valens tutiùs curantur*; sicque aliquando Galenus in pueris sanguinis missionem non prohibet, ut cap. 14. libri de sanguinis missione sic ait: *Proinde minus detrahimus, quàm plenitudo commonet: quod ad ætates quidem attinet in pueris, quod ad corporis habitus in Candidis.* Ex quibus infertur quòd Galenus etsi non omnimodam & completam sanguinis missionem, saltem parcam sumpta comparatione pro assiduo effluvio substantiæ mollis concedit; & *cap.* 17. *libro* 9. *Methodi*, postquam significavit venam pueris secandam non esse usque ad decimum quartum annum, quia caro est facilè transpirabilis, ac substantia facillimè dissipati potest, cùm omnium ætatum humidissima sit, ideo evacuantis auxilij non est opus, præcipuè per venæ sectionem, cùm jam natura ex se ipsa habeat unde naturaliter evacuetur, his tamen non obstantibus, alia subjungit verba: *Aut prorsus venam non secabis, aut parum detrahemus*; ergo jam Gal. omnimodè in pueris sanguinis missionem non renuit, ob quam locorum vim, & excellentiorem experientiam nostris temporibus felici cum successu cordatissimi, ac peritissimi Medici firmant & exhortantur nos ut pueris venam secemus; & sapientissimus Lemosius se millies expertum fuisse, non sine magna Medicinæ laude securioré eventum ex sanguinis missione, quàm aliis præsidiis in puerorum morbis fatetur; & ipse plurimos meo jussu evacuatos vidi, qui etsi non nisi novem vel decem menses obtinuissent, indicibili gloria liberati evasere: quare in pleuritide, ardenti febre, angina, aliisque morbis magnis pueris de nono, decimo, & sequentibus mensibus commodè sanguis mitti valebit; & merito, quia ipse Gal. *lib. de sanguinis missione* adversus Erasistratum *cap.* 5. ideo probat sanguinis missionem esse necessariam ad morbos curandos adversus Erasistratum, ex eo quòd natura multas, variasque ægritudines sanguinis fluxu curat; atqui experientia videmus puerorum morbos solvi sanguinis profluviis: ergo etiam nos ab ipsa natura edocti eosdem morbos sanguinis missione poterimus detruncare.

Ex quibus infertur, quòd Galeni do- 263
ctrina adducta in hujusmodi Capite, & aliis locis, etsi vera sit, cum aliqua tamen animadversione percipienda est, licèt enim Galenus sanguinis missionem pueris prohibeat usque ad decimum quartum annum, hoc tamen audacter, sive secundùm morbi exigentiam, hoc tamen cum præmeditatione, & parcè est intelligendum: illa enim facilis

puerorum

puerorum evaporatio potius omnimodam sanguinis extractionem videtur inhibere, non tamen aliquam, ut partim à natura, partimque artis ope, natura levata faciliùs morbificam causam devincat, præcipuè ut dixi, ubi morbus præ magnitudine vigeat, nec si dicas valet, quod Galenus non solùm completam, verùm etiam exiguam, parcamque evacuationem obnegat. Galenus enim adhuc in pueris qui decimum-quartum annum attingebant suo tempore ad summum unam sanguinis cotylam extrahebat; id est septem cum dimidia uncias sanguinis: ergo dimidium erit, & frequentiùs in doctrina Gal. tres, aut quatuor unciæ: ergo nostris temporibus minor quantitas quàm assignata à Galeno, nulla sanè erit: ergo si Galenus ita exiguam post decimum-quartum annum exercebat evacuationem, aute tale tempus non modicam, sive parcam, sed nullam decrevit, sed imo in totum renuit. Dissolvitur tamen si respondeas quòd Gal. perpendens rationem superius allatam, videlicet assiduum naturæ puerilis ante dictum tempus effluvium, & præcipuè quia ætate Galenus frequenti balnei usui pueri dediti erant, multa illorum fiebat transpiratio, & cùm ex alia parte frequentius nunc, quàm illo tempore pueris vinum exhibetur, quod Plato 2. *de legibus, libro de confirmat.* sic alloquens: Principio lege sancimus ut pueri usque ad duo de vigesimo anno vini usum prorsus ignorent. Propterea, etsi quoad Galeni sensum & doctrinam Textus stabilis & fixus maneat, nostris tamen temporibus Gal. mens, etsi tanti Magistri collaudetur, contrahenda est ad veriorem experientiam qua utimur, ita ut si Gal. his temporibus vitam ageret, diversis casibus, & experimentis convictus non ita absolutè suam sententiam proferret: quare prædicto discrimine adducto inter magnam & parcam sanguinis extractionem in pueris venæ sectio ante 14. annum non est abneganda, ut jam *lib. de sanguinis missione* supra dixi.

264 Sed ulteriùs, quis ingeniosè obstabit contra hâc expositionem: nam æqualiter in cap. Gal. alloquens, vires valentes requirit ad sanguinis missionem proponit, simulq; nullam dari ventris cruditatem, tanquam conditionē necessariam exprimit, tandemque statum puerilem ante decimum quartum annū respicit, ut impediens: ergo quemadmodum si vires languidæ & cruditas ventris apud Gal. sanguinis missionem impediunt, non aliter puerilis ætas ante decimum quartum annum quia vires validæ non sunt præ assiduo effluvio, prædictum subsidium impediet. Exacta quidem increpatio exactiori tamen ratione diluenda est, pari passu inter hæc omnia proposita: nam quemadmodum vires lāguidæ non quæcumque sanguinis missionē impediunt, sed quæ extremæ fuerint, ut supra dixi, ex eo quòd veluti valentes copiosam pro morbi exigentia evacuationem perferunt; ita mediocriter se habentes medio-

crem evacuationem sustinent, extremæ verò nullam, non aliter de ventris cruditate alloquendum est in Textu, cum Gal. adhuc de cruditate propria ventriculi culpa alloquatur: si enim ista immodica non extiterit, sed exigua, pro febris exigentia potius venæ sectio exercenda, quàm impedienda est; dum tamen extrema, aut magna adfuerit, merito Galeni doctrina est observanda; ita ut prius materia coquatur, & removeatur, antequam hoc auxilium fiat, ut supra dixi, etsi fortè morbi urgentia extrema fuerit, ut in apoplexia, aut acutissima angina, neglecta impedimenti indicatione urgentiæ dignitas temedij exercitium proclamabit, ne mors subitò sequatur; quibus sic perpensis currit paritas de ætatibus: nam eùm hæ vel consentiant, vel impediant sanguinis missionem, habita ratione ad vires, quibus unaquæq; ætas floreat, meritò in pueritia, in qua vires etsi ratione primordiorum generationis sint validæ, tamen ratione dispendij, vel effluvij assidui franguntur, secundùm virium roboris gradum nō impedienda, sed moderanda erit sanguinis missio: quare in pueritia ante decimum quartum annum parcè, in adolescentia audaciùs, in ætate verò florenti copiosiùs, veluti jam in senectute prudentiùs, ob recessum à primordiis vitæ, exiguamque triplicis substantiæ copiam, quam senectus servandam exigit, sanguis est mittendus: ex quibus verior ac solidior insequenda doctrina nascitur, ne plurimi solum Galeni sensum communiter prolatum inspicientes, plurimos insolenter morbos relinquant incuratos.

TEXTUS.

Quòd si corpus quartum decimum, &c.

Adducit jam Galenus in Textu naturam ægrotantis qualisnam sit, cùm jam febricitans non puer sit, sed si decimum-quartum annum excesserit: nam si illius natura gracilis sit, spissa, sive densa, & dura, & copiosi sanguinis, sanguis debitè mitti debet; si verò è contra mollis, laxa, resolubilis & exigui sanguinis, nequaquam: non enim in prima natura validiores adsunt vires, in secunda verò languidiores; in prima quidem, quia habitus densus, ac spissus, & durus maximè resolutioni, effluvioque naturali obsistit, tum etiam quia copiosiore sanguine gaudet, copiosiori spirituum quantitate floret, sicque etsi vi sanguinis missionis aliqua illorum portio deperdatur, quia natura thesauris vitalibus est plena eam spernet: natura enim mollis & laxa, albicans, pinguis & gracilibus venis constans, ob rationē contrariā sanguinis missionē ut suspiciosā tenet: 265

ob enim dissipationem prædictam, & crebiam, ac spirituum & sanguinis paucitatem sanguinis missione facta talis natura ab exiguo spiritu vitali, quo indigebat denudata, ac depaupetata in sensibilem lapsum incidet; nisi exigua, inquit Gal. in Textu, fiat evacuatio, cùm asserat: *aut planè sanguinem non detrahes, aut parum mittes*: sicque quantitatem, quamvis triginta annos natus sit, moderatur, taliter ut parca evacuatio per sanguinis missionem fiat, quod si tempore æstatis, & regione æstuosa, ac cœli statu calido, ac sicco febricitans adsit, omnino quidem sanguinem non mittes; in aliis verò tum anni temporibus, regione & cœli statu parum detrahes ob rationem quam possumus adducere desomptam ex Gal. doctrina *in Commentario*, 4. *Aphorism. sent.* 5. ubi etsi Hipp. agat de purgatione, quæ difficilis est in æstate, quia natura resoluta, inanita & dissipata est, vi ambientis æstivi, pariter difficilis fiet toleratu sanguinis missio, quia nativæ humiditates ab interna caliditate æstatis resolvuntur, sicque in natura molli & resolubili sanguinis missio his temporibus, & regionibus æstivis non difficilis utcumque, sed omnino impossibilis à Galeno censetur; in reliquis verò ita difficilis, ut parum sanguinis detrabatur; ob quam Magistri doctrinam in his naturis quæ molles, sive laxæ, albicantes & resolubiles sunt, ut in pueris & mulieribus sanguinis missione pro morbi curatione indigentibus nonnunquã crurum scarificationem exerceo; ita ut hoc debito ac tempestivo exercitio plurimos infanticulos etsi tenerrimos sæpissimè liberatos vidissem, ut Gal. *lib. de sanguinis missione cap.* 11. inquit: Mulieres albidiores, quia sanguinem tenuem asservant, scarificationibus juvari: cùm igitur pueri huiuscemodi etiam sanguinem tenuem habere soleant, propterea prædicto præsidio juvantur, tum etiam Gal. *libello de scarificationibus* exponit in venæ sectione copiam spiritus vitalis emitti, quo sanguine absumpto crebriùs quidem moles universa frigescet, tum animales omnes functiones deteriores redduntur; quapropter ab ignobilioribus membris, utpote à cruribus sanguis educendus est, sicque in pueris ex venæ sectione facta, ob totum substantiæ dissolutionem totius molis, refrigeratio est timenda, ideoque aut sanguinis missio parca & prudentialis, aut securiùs scarificatio est exercenda, ut opem non mediocrem febricitantibus afferat; scarificatio tamen angustis gladiolis potius quàm latioribus expedit, ne magna vasa latè dividantur, ut Hippocrates *libro de Medico* inquit: at verò ad locos non periculosos, & circa quos non tenuis sanguis est, latioribus gladiolis utendum est: ubi igitur fuerit sanguis tenuis, vel in pueris, angustioribus est utendum.

TEXTVS.

Etenim si neque obstructio subesset, nec putredo, &c.

ANimadvertit jam Galenus in ultimo Textus, quòd etiamsi nec obstructio nec putredo adsit, sed sola succorum redundantia, protinus sanguinis missio pro ratione naturæ convenit, ita ut tantum succorum in quolibet temperamento corporis, tum regione, tum anni tempore, tum cœli statu detrahi oporteat, quantum supra statum naturalem adauctum fuerat: nam consentientibus viribus, habita ratione ad ægrotantis temperiem magis, aut minus resolubilem, regionem & anni tempus, quæ ad intensiorem, vel remissiorem dissipationem conducunt, liberaliùs, aut parciùs, plenitudinis ac redundantiæ respectu sanguis detrahetur, sicque, inquit Gal. quod quia obstructio, ut obstructio est, nec putredo curari valent sanguinis missione, neque eam indicant. Proinde cùm alia utpotè contraria indicent remedia, ut supra diximus, oportebit aliquid sanguinis de novo reponi, pro curationis spatio, ut natura validior melius evacuationes sustinere valeat, nisi aliquando pro viribus vi putredinis dejectis cogamur intempestivè ægrum nutrire: nam habita ratione ad hanc febrem putridam, prorsus nutriendum non est, ait Magister: solùm enim vires nutrimenti indicationem pro ipsarum conservatione præbent, cùm similia similibus conserventur, & hæ semper sui conservationem postulent, sicque solùm illud quod inanitum corporis est, quod ad eas custodiendas deserviebat, postulat ut per nutritionem instauretur: quare necessariò, inquit Magister, duorum alterum sequitur, aut quòd febris si nutriamus augescat, sive intendatur, aut quòd vires si non nutriamus dejiciantur, sicquè satius & opportunius erit aliquid sanguinis relinquere, quod sit proprium partibus viventibus instrumentum, ac exiguas sorbitiones, ut mulsam & potiones condonare, ne causa morbifica & morbus tantum increscant & vigeant, ut opportuniùs medicamentis quibus indigemus quàm nutrimentis utamur. 266

267 Licèt tamen ex hac Galeni docttinà pateat obstructionem & putredinem ex se sanguinis missionem non indicare, sed solam succorum redundantiam in febre putrida dicta eam postulante; negandum tamen non est maximum juvamen, sive commodum venæ sectionem obstructioni, & putredini conferre, ut idem Galenus *lib.* 9 *Methodi*, *cap.* 4. inquit: *Siquidem eorum, qui ex sola obstructione febricitarent nemo in putredinis febrem incideret, qui prius sanguinem miserat.* Nam ablata causa antecedenti

denti, quæ conservativa obstructionis poterat fieri, merito obstructio facta, ita contrariis indicatis aufetri valet, ut quin putredo febrilis subsequatur in statum salubrem laborans revocetur; & meritò adhuc concepta putredine, quæ quia, ut supra dixi, à prohibita ventilatione, & ista ab obstructione, veluti hæc à multitudine pender facta antecedentis causæ evacuatione per sanguinis missionem, ne febris subsequatur, præcavebimus.

Dubitationes super Textum.

168 Cùm præcipuum fundamentum quo nititur Galenus ad sanguinis missionem pueris obnegandam ante decimum-quartum annum sit assiduum substantiæ mollis effluvium, ratione cuius vires non validæ sunt, dicet quis maxima cum ratione, ut doctissimus Lemosius, cur etiam pueros à purgatione non prohibet? Alij enim humores à sanguine etiam dissipari valent, ac puerorum natura melius vi evacuationis purgativæ, ac medicamenti purgantis actuationis facilius resolvatur. Quod verò Galenus & Hippocrates aiunt: *Pueri purgantur si mulier, aut capra cucumerem silvestrem edat.* Vbi Hippocrates de infantibus alloquitur, sicque jubet ut nutrici cuius lacte infans nutritur, medicamentum propinetur. Igitur si Gal. infantes purgat, multo melius puetos, ut in puero epileptico fecit, *cap. de illius historia*; & meritò, quia ob plurimas causas ptimitivas diversis affectionibus puetuli tempore lactationis possunt corripi: si enim inordinato, ac intemperato tempore lac desinmant, plurimis scatebunt excrementis, ex quibus epilepsia, alvi dejectiones, febres synochales, alijque similes morbi supervenient; propterea que, cùm cacochymia laborent, viresque illius vi languidæ reddantur, ut Gal. *de sanitate tuenda, cap. 4.* inquit periculum vitæ à cacochymia pendens evitetur, purgatio tanquam ab illa indicata est exercenda.

169 Quibus sic suppositis Galenus non prohibet pueris purgationem, sed ad hanc maius virium robur requiritur quàm ad sanguinis missionem: ergò si in pueris ante decimum quartum annum ad purgationem sunt vires valentes, multo melius ad sanguinis missionem; quòd autem validiores vires ad purgationem quàm ad sanguinis missionem requirantur, constat ex plurimis incommodis, quæ ex pharmaco purgante; exiguis verò quę ex sanguinis missione contingere possunt: nam licèt aliqua humorum perturbatio in omnibus vasis exagitatione, media venæ sectione detur, leviora tamen accidentia, ac securiora commoda sequuntur secta vena, cùm humor sua immodica copia corpus gravare, coloremque nativum obnuere possit; ideo deposita sarcina potentior, ac robustior natura redditur, ac maximum facultatum levamen & robur inducitur felicius, calor nativus per ventilationem temperatur, corporis universi gravitas, & tensio molesta qua natura erat oppressa, ut animalis motus, spirituum vitalium generatio, & partium nutritio opportunius fiat, in totum remittitur, ut suprà *lib. de sanguinis missione* satis expositum manet. Et cùm tot proficua, maioraque commoda, quàm incommoda ex sanguinis missione oriantur, è contra verò in purgatione; propterea sanguinis missio, ut securius subsidium, quàm purgatio est judicandum: ac proinde valentiores vires ad purgationem, quàm sanguinis missionem requiri colligitur.

In purgatione etenim propter humorum acredinem & medicamenti vehementiam corporis partes vellicantur, tormina in ventre exacerbantur, quæ intolerabilia sunt, totius laborantis jactatio cum maximo virtutum dispendio evenit, opacis ac nigricantibus vaporibus cerebro, cordi, & hepati irruentibus magna inducitur noxa, membrorum motus languidus apparet, respirandi difficultas imbecillior, & inæqualis pulsus inducitur, præcordia valde fervent, quandoque febris suscitatur: ergo cùm tot, tam magnaque accidentia vi purgationis eveniant, merito vehementius virium dispendium ex purgatione, quàm ex sanguinis missione nascetur: quibus non obstantibus Gal. pueris exhibet pharmacea purgantia: ergo multo securiùs debebat sanguinem mittere. 170

Vt prædicta dubitatio & objectio in Textum diluatur, respondent aliqui, quòd quia media sanguinis missione humor nostræ naturæ familiaris evacuatur, ex quo spirituum vitalium generatio fit, media verò purgatione materia noxa, & cacochymia solùm evacuatur, quæ potius naturæ adversa quàm utilis est; propterea maius ex illa quàm ex ista evacuatione dispendium, ac effluvium virtutum fiet; sicque vires valentiores ad sanguinis missionem requiri, quàm ad purgationem est tenendum. Hæc quidem solutio est imbecillis: nam etsi verum sit quòd ratione materiæ excretæ, diversa sit ratio, quia ex sanguinis missione familiaris portio, ex purgatione contra vitiosa & cacochyma dicitur; excernitur tamen ob validum naturæ consensum in purgatione, ut fiat medicamenti alteratio, comminutio, ac in actum reductio, simulque compressio partium expulsiva, & actio loco-motiva, quæ quia animalis maximam spirituum copiam deperdit, ac ita ex his actionibus partialibus defessa & resoluta natura manet, eo quòd victa sit, neutiquam verò ex venæ sectione potest evenire: evacuatur enim sanguis, qui etsi natura laudabilis quantitate, tamen superabundans & opprimens, ut natura levata supra reliquam causam victrix evadat, sicque excusatio Gal. sustineri non valet: plurimæ in contrarium adducuntur rationes, quas *libro de purgatione*, satis sigillatas reliquи. 171

Verius tamen pro Galeno adduxiſſent, quòd vel Galenus intelligendus eſt de puerorum purgatione primæ aut ſecundæ regionis; ſi de prima facilis eſt ſolotio, cùm leviſſimo veluti manuducente pharmaco poſſit primæ regionis expurgatio fieri; ſi de ſecunda potius percipiatur Galenica mens, ut exemplo lactis alterati per aſſumptionem cucumeris ſilveſtris à muliere vel capra aſſumpti, conſtat. Reſpondeo, quòd quia clementiſſimus eſt modus purgandi puerulos medio lacte nutricis, ex eo quòd vehementia pharmaci effreoatur per varias mutationes, quas per corpus nutrices patitur, uſque quo purgativa virtus lactis ſit communicata, propterea puerulis conceditur purgatio, ut minus diſſipans, quàm ſanguinis miſſio: & ſi fortè dubitet de pueris poſt lactationem jam completam ſatisfit, cùm Gal. ex aſſumptione aliorum medicaminum ita clementium, ut exigua expurgatione reſolutio; ex ſanguinis verò miſſione maxima ſequatur, ſicque Gal. in Textu ſanguinis miſſionem pueris ante decimum quartum interdicit, ipſe tamen in expoſitione Textos ſupra aliter Galeni mentem percipiens, illum de copioſiori & liberaliori alloquentem intelligendum eſſe prædixi ob rationes ſuperius allatas.

273 Vlteriùs circa Textum inquires: cum Galenus in capitis initio vires valentes requiri ad ſanguinis miſſionem protoliſſet, de qua virium differentia veniat Gal. intelligendus? Cui reſponden potius Galenum intelligendum eſſe de viribus facultatis vitalis, quàm de aliis, *ut lib. de ſanguinis miſſione*, *cap.* 8. & pariter *cap.* 12. jubet ut in evacuatione ſanguinis uſque ad animi deliquium Medicus pulſum tangat: nam ſi virtus pulſifica labatur, ſtatim ſanguis eſt ſiſtendus, ne poſt animi deliquium ſyncops & mors ſequatur, ut 9. *Methodi* plurimos periiſſe fatetur; vires verò facultatis naturalis non ita inſpiciendæ ſont: nam in morbi materialis principio ubi nulla apparet coctio, non conſtat adhuc de robore virtutis naturalis; & tamen ſanguis copioſè extrahitur, tum etiam etſi animalis facultatis virtus non ita valida appareat poteſt mitti ſanguis uſque ad animi deliquium, ut Gal. *lib. de ſanguinis miſſione*, *cap.* 12. & 9. *Method. cap* 4. Et meritò, quia muſculorum motus ad ſanguinem mittendum non eſt neceſſarius, quemadmodum ad purgationem requiritur; ac proinde virtus, ſive vires, quas valentes futoras eſſe inquit Gal. potius ſunt vitales, ut ipſe 7. Methodi, cap. ultimo: *Maxima eſt cordis officij dignitas, & ad obeundas actiones maximè neceſſaria.*

274 Sed cùm Galenus pro renuenda ſanguinis miſſione denuò firmet, quòd ſi vires infirmæ ſint, tale ſubſidium non eſt exequendum, & talis infirmitudo, ſive debilitas facultatis, præcipuè vitalis varia valeat eſſe; meritò, quas obtineat cauſas, & gradus, de quibus Gal. doctrina eſt intelligenda, expedit aperire? Cùm igitur debilitas virium primò ſit perpendenda, vel ut eſſentialis eſt, vel prout aggravationem ſequitur, propterea debilitatem utramque debitè depinxit Hippocrates 2. de victu acutorum, textu 47. ſic aſſerens: *Neque ſanè ita peritos video Medicos, qui ut oportet cognoſcant eas, quæ in morbis fiunt debilitates, & quæ ob vaſorum inanitionem, & quæ ob* πόνον, *id eſt laborem, & quæ ob aliam quampiam irritationem, & quæ ob morbi acumen fiant, quas item natura, habitusque ſingulis affectum ſpeciei omnigenas fabrefaciat, quamvis cognita ſalutem, & mortem ignorata ferant.* Ex quo Hipp. locu maxima cum ratione quilibet vaſorum inanitionem ſive per dietam, aut per ſanguinis miſſionem, aut expurgationem, aut per ſudorem, aut per inſenſilem halitum ſi modum exceſſerit, ita ut vires ſuperet debilitatis eſſentialis cauſam eſſe deducet, ex eo quòd partes ſolidæ viventes non ex ſolo ſpirituũ diſpendio in habituales affectiones incidunt. Nec minus irritatio vehemens, quæ media malignitate vires diſſolvat, debilitatem per eſſentiam poteſt exhibere, eo quòd venefica, aut maligna qualitas per quam citiſſimè vires proſternat: adducitque Hipp. ulteriùs laborem in præſenti loco pro omni quod extremæ naturæ contrarium fuerit, ut dolores, vigiliæ, anxietates, & alia huiuſmodi vires devaſtantia, veluti morbi acumen, quod intenſam & exſuperantem intemperiem ſignificat, ac præcipuè in corporis habitu raro & reſolubili: in iſto enim ob morbi acumen, videlicet intemperiem ſummam, aut malignitatem, celerrima & eſſentialis debilitas ſubſequitur. Ex qua expoſitione monet Hippocrates quantũ oporteat ut Medici hanc eſſentialem debilitatem percipiant, aſſerens quòd cognitæ prædictæ cauſæ à Medicis ſalutem, veluti ignoratæ mortem ferunt.

Sed ut certa ab incertis in opportuniori 275
remediorum exhibitione diſcernamus, virtũ debilitatem etiam per aggravationem etiam diſcernere convenit, ſicque vires etſi ex ſe validæ exiſtant, comparativè tamen ad obiectum onerans, quod moderari debent, languidæ per aggravationem nuncupantur, eo quòd immoderata eſt humorum quantitas, quam natura ſuſtinere non valet, cùm extra ſphæram objectivam principiorum ſarcina adſit quæ vires opprimat, ſicque huius debilitatis cauſa aggravatio dicitur, quæ à nulla alia cauſa quàm ab humorum multitudine pendet, quam natura gravata portare non poteſt. huiuſmodi tamen plenitudo humorum ad vires non ſemper neceſſariò ad vaſa exiſtit, neque cum humorum corruptela; imo aliquando ſine ulla humorum putredine incipit concipi ſuſpicioſa, ſi breviter natura non inaniatur reperitur, ſed ſolùm quia humores in quantitate ſupra vires adaucta geniti ſunt, hanc plenitudinem ad vires vocatam conſtituunt, ex qua debilitas per aggravationem oritur, non verò à plenitudine ad vaſa: ita enim

solùm

ſolùm eſt reſpectiva ad vaſorum capacitatem, non verò ad vires, ut in na ura valida Athletarum, in quibus vires ratione plenitudinis nondum debiles, ſed validæ ſunt, ſed tantùm imminentem, propter illam vaſorum extremam repletionem, ſuſpecta erit proxima alia debilitas; ex eo quòd humores in putredinem non ventilati incidant, aut aliquando eſſentialis debilitas ſi in extremam caloris nativi obſtructionem, aut ſuffocationem incidant; tunc enim, & vaſorum,& viriū debilitas non ſolùm per aggravationem; ſed per eſſentiam appellabitur.

276 Quibus ſic adapertis in ordine ad debilitatis eſſentialis, & per aggravationem cauſas meritò priùs gradus debilitatis per eſſentiam adducere ut modum & occaſionem ſanguinis mittendi ſciamus expedit: quatuor igitur communiter adducuntur gradus, ſiue differentiæ prædictæ debilitatis; ita ut prima debilitas quæ leviſſima eſt conſiſtat in deperditione ſpiritus medio exercitio, aut ſimili cauſa; ita ut ſit vel abſtinentia, vel aliqua ſenſibilis evacuatio. Quæ etſi ab aliquibus debilitas per conſenſum dicatur, quia cor non recipit ab ſpiritu ſibi debito, quod recipere debet, nb quam rationem non per ſe: ſed per conſenſum languidum ſit, rigproſè tamen per eſſentiam in primo gradu valet nuncupari, quia ob ſpiritus abſentiam & diſſipationem media evacuatione cor ad poſitivam refrigerationem, & languorem pervenit, ut pulſus tarditas & raritas oſtendunt; ſicque eſſentialiter cor qualitativè, id eſt, quoad temperiem debilitatur, eo quòd remoto ſpiritu ab ambiente inſpirato refrigeratur,quæ eſolutio primum debilitatis gradum conſtituens per novam reſtaurationem eſt facilè reparabilis, quemadmodum etiam ſecundus gradus languoris, qoi eſt animi deliquium: licet verùm ſit, quod aliqnando ex prædictis debilitatis gradibus ſubſequatur mors nûlla admiſſa reſtauratione, aut ſubſtantiæ deperditæ reparatione, nam ex prima exolutione media evacuatione valet ſequi animi deliquium; ex hoc ſyncops, qui tertius debilitatis eſt gradus tandemque mors; quapropter etſi primus, ſecundusque languoris gradus, quia ex diſpoſitione qualitativa provenit, reparabilis dicatur propter alios extremos gradus qui imminent. Timendus tamen, & ut ſuſpicioſus eſt cenſendus: at verò ſi talis debilitas in primo, & in ſecundo gradu naſcatur ex aliqua inſigni evacuatione quæ indicata ab inſigni plenitudine, aut vehementiſſimo dolore, inflãmatione ac febre ardenti fuerit, ac à Medico peritn exercita tantum abeſt, quòd prædicta debilitas in primo, & ſecundo gradu ſit mala, & læſiva, quin imò proficua, ſalubris, & methodica ſit ut Hipp. 1. porrheticorum pat. 1. teſt. 5. his verbis inquit: *quæ propter vacuationis vaſorum rationem contingant impotentia, infirmitates quæ non exiſtente vaſorum vacuatione mala*: quam doctrinam Gal. ſubſequens & aperiens ſic fatur: *invalidos languentesque in operationibus (ſicuti plurimum vacuatos) in periculo eſſe extrima, ſi nulla in ipſis facta fuerit inſignis evacuatio, nam ſi virium ſine alla manifeſta evacuatione imbecilla fuerit gravitatem oſtendit, copiam, vel alicuius partis principis intemperiem*. Ex quibus liquet non abſolutè debilitatem, quæ ad evacuationem ſubſequitur eſſe damnandam, quia inſtaurari valet, bene verò, quæ ſine ulla manifeſta vacuatione contingit, quamvis tamen quæ ab evacuatione naſcitur non ſit contemnenda; cum aliquando ad alios debilitatis gradus cum dictum eſt pervenire poſſit.

Quibus ſic iactis quilibet cognoſcens debilitatis gradus facultatis vitalis dictos, non audebit ſanguinem mittere niſi caſu, quo complicata fuerit cum debilitate, orta ex aggravatione: ita ut debilitas maior per aggravationem extiterit, debilitas verò eſſentialis exigua,ut quę ſolet in primo gradu reperiri, eo quòd debilitas ſit moderata tunc enim mediocris, ſeu moderata evacuatio erit exercenda; ſi verò ſit in ſecundo gradu ubi iam debilitas eſſentialis, eſt magna,non verò ſumma cum magna vigeat vacuandi neceſſitas habita ratione periculi mortis vi morbi, epicraſtica evacuatione eſt utendum ita ut paulatim, & parum evacuando paulatimque tenutriendo alimento eſt procedendum dumtamen extrema debilitas eſſentialis facultatis vitalis fuerit, nullatenus, mediocriter, neque per intervalla eſt vacuandum, de quo languore intelligendus eſt Gal. in textu *dum adeſt: ſin vires infirma ſint* id eſt ſi debiles per eſſentiam in ſummo debilitatis gradu adſint; potiùs enim Medicus laborantis mortem, quam ſalutem media ſanguinis miſſione inducet. 277

278 Vlteriùs tamen ſcire oportet; quòd ſi debilitas ſola in primo gradu ſupetiùs dicta ex aliqua inſigni evacuatione à natura, vel ab arte oriatur, meliùs reponendum medio alimento, quam adimendum expedit: potiùs enim hæc debilitas nova ſubſequuta evacuatione augeſceret;quæ verò ex vi doloris, aut alicuius morbi maligni, vel inflammationis naſcitur, cum hæc omnia vi cauſæ morbificæ, quæ naturam ad vires gravat taliaque accidentia generat, ac fovet oriantur evacuationem, & ſi non audacter moliri oportet: nam hæc debilitas eſſentialis complicata eſt cum debilitate per aggravationem, quæ per additionem alimenti augeſceet, ac morbi vis vigebit ut Gal. 2. de ratione victus comment. 48. ſatis ſic aſſerens exponit: *Qui ob dolorem aut morbi acumen parum valentem habent facultatem vacuatione interdum, magis, quam repletione indigent; imo, qui cibum his exhibet maximum affert detrimentum*: Intelligenda tamen eſt hæc doctrina de mediocri virium debilitate, non verò ſi multum concidant, hoc enim in caſu neglecta omni ſymptomatum indicatione potiùs ad vires inſtaurandas eſt properandum, ut 12. *method. cap.* 1. ſatis cum Gal. expoſui.

Potius

279 Potius igitur ut Medicus liberaliori resolutione de sanguinis missione decernat debilitas per aggravationem conducit; quæ cũ in triplici gradu sit perpendenda, pariter diversa penes hos gradus evacuandi resolutio nascitur. Primus enim gradus est in quo pulsus est inæqualis, validus tamen & magnus, ac debilitas recens adest, in quo audacter sanguis est detrahendus, nam cum præ huiusmodi aggravatione nondum spiritus, nec nativus calor refrigeratus vehementer maneat, omnes vires ex se valentes ut insignis vacuatio fiat reperiuntur; secundus verò gradus est in quo pulsus carentia adest, quo in casu coniecturali ratione pertimescenda est iam copiosioris spiritus extinctio, aut suffocatio præ maiori humorum sarcina ita ut aliquando succorum crudorum copia inveniatur; propterea non ita liberè ut in primo gradu; sed cautiùs, aut partitis vicibus vacuationes sunt exercendæ; tertius tandem gradus est quando tanta multitudo adest ut syncops contingat, quæ dùm præsens est nisi deperdita evadendi ab illa sit spes, sanguinis missionem retardat usquequo laborans ab ea liber evadat, ut communicato ad ignobiliores corporis partes spiritu, & influente calore evacuationem maxima cum præmeditatione exequamur, sic enim debilitas et si multùm per aggravationem sit ex eo quòd aggravatio extrema est, propterea est iam per essentiam contracta, & non quomodocumque sed debilitatem, in tertio gradu constituit ob caloris nativi suffocationem, & defectum; sicque licet gravatio, sive multitudo extrema ut talis, ingentem indicet sanguinis extractionem, propter tamen insignem virium languorem sive iacturam essentialiter contractam exigua valdè

280 evacuatio confert.

Quomodo tamen debilitatem essentialem, aut per aggravationem Medicus percipiat, ut feliciori indicatione salutem consequatur, & ne mortem perpetret? ingeniosè quis dubitabit, quòd valdè arduum, & essentiale magisque in tota medicina grave occurrit. Cui dubio plurimi respondent ex peculiari pulsus differentia hoc sumi: si enim pulsus languidus, parvus, & æqualis sit, debilitas essentialis potius, quàm per aggravationem erit: collaudanda est hæc doctrina cùm Galenica sit: nam etsi parvitas & humilitas pulsus posset dependere à gravitate, sive onere humorum inæqualitatem tamen obtineret, non deficiente robore ex parte principij; ut modò humilis, modò altus, modò parvus, modóque magnus sit, æqualis verò semper arguit habitualem iam factamque debilitatem; ita ut morbifica causa cùm supra naturam in totum sit; propterea natura devicta æqualem mutationem patiens potius æqualem ordinem in patiendi modo demonstrat; sicque pulsum æqualem ostendit. Eo quòd cordis temperamentum in facto est iam perversum, quare pulsus languidus maxime humilis, & parvus cum prædicta æqualitate perseverat, quia huiusmodi debilitatem essentialem in extremo languoris gradu significat omnimodè sanguinis missionem renuet de qua debilitate ut dixi intelligenda est Gal. in textu asserens: *sin vires infirmæ sint* præcipuè si aliqua ex superius dictis causis præcesserit, ut nimia, & supra vires evacuatio à natura sive ab arte facta, ingens, & acerrimus calor immodica vigilia inducta per multum temporis spatium, omnimoda inedia, corporis motus supra modum auctus intempestivus, ac excedens coitus, ac si per multum tempus extrema virium aggravatio, ut calor nativus suffocatus maneat adfuerit, hoc quidem in casu certo certior erit Medicus de essentiali virium debilitate, ac non utcumque sed præcipuè de extrema, in qua non solùm spirituum defectus adest, ac cordis temperies immutata est, verùm etiam in facto esse substantiarum illius proportio ita corrupta, ut ad dispositionem lethalem pervertat.

281 Nec si dicas valet, quòd quando natura aliquas inducit in pulsu mutationes inæquales, semper debilitatem per aggravationem demonstrat; sicque & si prædictæ causæ non reperiantur, vel licet præcedant, distinctio huiusmodi est sufficiens, falluntur quidem cum hoc ita sigillatum relinquant, nam aliquando potest pulsus languidus, parvus, & humilis aliquam vehementiam ostendere quæ tamen non sit roboris naturæ effectus, oppressionem, aut gravitatem à sarcina significet, pluries enim in proximis neci experimur, quod natura, etsi cordis temperies in facto sit mutata propter inopiam spirituum, quibus ad sui conservationem indiget ut diutiùs vita permaneat media vi apetitiva propriæ conservationis in ultimos conatus prorumpit, medijs quibus maiorem spirituum copiam colligit ac unitos retinere conatur quo conatu vehementiorem, quam antea apponit pulsum, sicque pulsus immutatur, & validior apparet, ex quo plurimi aggravationem, & oppressionem ex pulsu inferunt, cum intensior dispositio ad mortem sit tota illa vehementia quam natura in dicto pulsus motu aggreditur, ut exemplo lucernæ morti proximæ maiori vehementia splendescenti constat. Potius igitur dicendum est quòd etsi illa reperiatur mutatio pulsifica, *quæ* fallax est, si percipiamur in tali inæqualitate æqualitatem ita ut quamvis de languido in vehementem transeat, si talis vehementia inter se se æqualitatem servet ac pulsus parvitas ex alia parte æqualis, quoties appareat, sit, illo in actu languor essentialis cognoscetur; nam semper illa vehementia sequetur naturam habitualiter immutatam, nullamque causam morbificam gravantem, ut modò parvus, modóque vehemens sit, vel si malueris, si inæqualitas pulsus habita ratione ad alias differentias ut magnitudinem, celeritatem, & frequentiam perpendat; dum non solùm in diversis pulsationibus prædicta adsit inæqualitas, taliter, ut pulsus iam parvus, iam magnus

magnus, jam humilis, jam altus fit; si in hac inæqualitate nulla æqualitas percipiatur, potius talis debilitas per aggravationem, quam per essentiam nuncupabitur, ac præcipue, si unica in pulsatione propter diversas corporis arteriæ partes illa oppressio ex parte humorum sarcinæ percipiatur, adhuc in peculiari dilatatione, aut compressione: nam si cordis corpus habitualiter & per essentiam immutatum esset, cum æqualitate influeret cū spirituum & caloris paupertate, si nullū adesset pondus ex parte instrumenti, videlicet arteriæ, à sarcina humorum dependens, æqualiter arteria, tum in plurimis, tum etiam in una pulsatione moveretur. Si tamen detur casus in quo non sufficiant vires, ad has vehementes, aut magnas pulsationes efficiendas, quamvis gravatio & oppressio adsint, ac in illo casu debilitas fit per aggravationē, quomodo distinguendum erit? Respondeo primò, quòd si extrema non sit oppressio, implicat vires non dari, quæ sufficiant pro aliquibus saltem inæqualitatibus in magnitudine, etsi non omnimoda, vel vehementia, etsi fortè omnis pulsus quoad omnes motus parvus & humilis sit, nullaque appareat magnitudo, vel vehementia in diversis, vel una tantùm pulsatione, animadvertendum erit, quòd licèt gravatio, repletio & oppressio sit extrema, recens tamen, nullaque præcessit immodica & exuperans evacuatio medijs quibus natura essentialiter dejecta possit reddi, nec aliquod veneficum medicamen assumptum præcesserit, sine dubio, etsi pulsus non solùm languidus & parvus, verùm etiam vix percipiatur, si laborantis facies non sit deflorata, ac veluti absumptionem oculorum, & temporum ostendat; imo florida & rosea, etsi sine pulsu sensus indicio, talis languor nequaquam essentialis in ultimo prædicto gradu; sed ut supra diximus propter aliquam spirituum refrigerationem in primo gradu erit censendus, debilitas verò per aggravationem dominans sive exuperans, quæ citissimam evacuationem indicat pro certo est tenenda, ut methodica operandi ratio semper in certiori eventu elucescat,



CAPVT XV.

Adversus Methodicos, qui omissa venæ sectione præcordia cataplasmatis & perfusionibus relaxabant.

282 

RRORES à plurimis Medicis tēpore Gal. commissos reprehēdens, aliosque Medicos veram doctrinam, ac selectiorem curandi indicationē nescientes, qui nostris temporibus cæcis oculis operantur, tanquam futura prædicens Gal. præsens Caput constituit. Solebant enim nulla. præcedēte corporis universali evacuatione in ægrorū præcordiis perfusionibus, & cataplasmatis calefacientibus ac laxantibus uti, ex quorū usu affectus periculosior, qui nondum erat, ut viscerum inflāmatio, suscitabatur; tum etiam eos quia victus rationem congruentem spernebant, coarguit: tandemque modū febres putridas profligandi, ac plurima præcavendi incōmoda adducit, & quàm percelebre auxiliū sanguinis missio sit, ostendit, quantumque post sanguinis missionem factam oporteat, statim non relaxantibus medicamentis, sed potius repellentibus, quæ simul vim astringendi & corroborandi obtineant uti; sic præsens caput in quatuor dissecatur partes, in quarū prima Gal. de nocumentis ex adhibitis cataplasmatis in principio præcordiis agit; in secunda victus rationē quàm utilem esse in quolibet affectu proponit; in tertia verò effectum laudabilem sanguinis missionis ritè exercitæ adducit: in quarta tandem & ultima, quæ medicamenta in principio reprimentia conveniant, exponit.

TEXTVS.

Imo de cataplasmatis, ac præcordiis, &c.

PLurimi præsentis Medicorum temporis, veluti Methodici antiqui à Gal. in præsenti coarguuntur, eo quòd cùm eorū cōsuetudo fuerit tertia die ægros nutrire, & ante nutritionē perfusionib⁹ & cataplasmatis, uti in præcordiis, absq; eo quòd animadverterēt magna nocumēta, quę ex prædicta divisione subsequuntur: præcipuū enim, inquit Gal. est quòd nulla facta universali corporis vacuatione potius prædicta cataplasmata calida, cucurbitulæ citu, omnia excrementa, ac humorū vitiosorū redundantiam ad partē excalefactā, atque viscera immodicè trahunt, ex quo vehementi fluxu inflāmationes suscitabantur, quandoque mors eveniebat, sicq; calefacere præcordia cataplasmatis, aut perfusionibus non est perpetuò tutum, sed in illis tantùm ægris, qui nullū in corpore superfluū contineant: in aliis enim extrema pernicies adest, nā quælibet sit redundantia, vel ad vires, vel ad vasa, sive universalis, sive particularis vitiosorū excrementorū omnia ad partē excalefactā intēpestivè trahunt; propterea; animadvertit Gal. in præsenti, quòd Medici prævideant futurā ac imminentē inflāmationem, in quibus propter huiusmodi usum perfusionum calidarum suscitatur: operantur enim maximis erroribus impliciti, veluti qui hinc & inde fracturas ossium cum ulcere cōplicatas vehementer ligare solebant, ut ex Hipp. animadvertit Gal. in Text. & licèt hujusmodi ita crassum errorē cōmittant, non ex ligatura phlegmonem in ulcere curari, aut induci arbitrabantur, sed potius ab alio quopiam errore accidisse credebant: quod omne, ait Gal. pēdet ex eo, quòd non ratione sed

sed usu & experientia utebantur, ac præceptores suos ante se fecisse viderant, sicque prædicti Medici (in nomine tantùm) experientia contenti, & frequenti usu hos ac plurimos similes errores insolenter patrabant.

284 Meritò colligitur ex doctrina Hipp. qui ex natura rei idoneum curationis modum selegit, ut Gal. ait in textu dicere debemus, quòd si quis in prædictis affectibus cataplasmatis, & perfusionibus ex oleo factis velit ad curationem accedere experientia percipiet quantopere à vera ratione aberrent, qui corpora plethorica, & impura hoc modo curationi committant; propterea que accidit, ut in his morbis divites multo peius quam pauperes in salutem restituantur, in iis enim propter divitiarum, ac deliciarum imperium duplex frequenter error committitur; tum etenim sanguis non mittitur; tum etiam maior est Medicorum omissio præ timiditate, pusilla resolutione, magnaque contemplatione in operando: nec minus, quia maior eorum pars ob habitus corporis mollitiem sanguinis missionem renuit, etiamsi magis, quam pauperes redundantia sanguinis laborent, cum maiori alimentorum copia, laudabiliorique substantia nutrimentali gaudeant; vitamque magis umbratilem, & otiosam degant, sicque plurimi Medici inquit Gal. in textu, qui divites curant cum summum auxilium, ut est sanguinis missio, omittant se satisfacturos aliorum usu putantes, & ut aliquid semper facere videantur, cupientes maioremque pro curatione mercedem sperantes, loco selectioris subsidij ac verioris indicati, tum minori victu utentes, & cataplasmatis calidis abutentes, præcordia extremè calefaciunt, unde eo tempore, quo phlegmones divitibus incipiunt fieri, iam pauperibus morbus ferè ad finem est perductus, nam in prædictis febribus putridis, misso iam in morbi principio sanguine, non solùm pauperes; verùm etiam ipsorum divitum servi aliquando quinto, quandoque septimo die feliciter media crisi iudicantur; divites verò qui sanguinis copia, & excrementorum redundantia plusquam pauperes & servi laborant, quia sanguinis missio prætermissa est, ac quotidie, dum oleo calido perfunduntur tum etiam cataplasmatis calidis utuntur, phlegmonem videlicet vel in hepate, ventriculo vel reliquorum viscerum aliquo contrahunt; ita ut alij in quarto, alij in quinto omnes tandem in sexto pereant; ideoque animadvertit Gal. quod ille, qui difficultate respirandi oppressus fuit, quia perfusus prædicto oleo omnem superfluitatem ad septum transversum confluxam, vi caloris trahentis passus fuit: nec defuerunt inquit magister, qui cucurbitulam insolenter applicarunt, ut circa ægri curationem aliquid semper operari viderentur: & ut vulgi opinionem gratificantem obtinerent, quasi hic tendendi modus in ægrotum perniciem, eos potius in manifestum dedecus non conducat.

T E X T V S.]

Sed cum ars ipsa tota sit magna &c.

Progreditur ulteriùs Gal. prædictos Medicos taxans, eo quòd victus rationem parvi pendentes, eam ut facillimam faciebant cùm omnium difficillima sit, ob quam rationem magister in tam diversis locis cum Hipp. victus rationem, ut quid arduom & excellentius ad morborum curationem proposuit, cum Hipp. quatuor libros de ratione victus præscripsisset, quis ergo cum Magistro in textu Medicos supradictos non ut obnubilatos coarguet meritò igitur in hac secunda capitis parte Gal. ad morborum artificiosam curationem victus rationem, utpote inter omnia auxilia principatum obtinentem collaudat & ut maxime necessariũ proponit. 285

T E X T V S.

Saluberrimum autem (ut prædiximus) &c.

PErgit iam Gal. in tertia capitis parte subsidium certius valentiúsque mag si indicatum pro febrium curatione expositurus cum afferat, quod saluberrimum remedium est in febribus sanguinem mittere, & non quomodocumque solùm in continentibus, verùm etiam in his quæ ex humoribus putrescentibus pendent, præcipuè ubi nec vires, nec ætas dissentiant, ut iam capite antecedenti satis exposui; eo quòd, etsi verum sanguinis missionis indicans adsit; si tamen impediens, quod à viribus desumi potest, non absit, nequaquam exequendum auxilium erit, ut satis supra de virium debilitate, quoad differentias graduales prædiximus; nunc verò iam de proficuo effectu ad venæ sectionem subsequuto, in his febribus est loquutio; nam quamvis verum sit, quod quælibet febris, ut febris est neutiquam sanguinis missionem indicet, nec putredo ut putredo est eam expostulet, ut cap. 14. est prædictum, perpensa tamen causæ plenitudine, à qua febris pendet, venæ sectio convenit, ut ipse Gal. sequenti prolatione adaperit asserens. *Levata namque, quæ corpus nostrum regit natura, quæ eo quo, velut sarcina premitur haud ægrè quod reliquum est vincet; itaque proprij muneris haud oblita & coquet, quod concoqui est habile, & excernet, quod potest excerni*: Ex qua doctrina facilè deducitur ex quo fonte tanquam ex vero indicāte venæ sectio pendeat; notandum tamē est; quod ex prædicto huiusmodi subsidio non solùm in febribus putridis plenitudo, quia 285

quia deponitur, naturæ auxiliamur, victrix in causam morbificam evadat, sed quia cùm inhibeatur putredo media detractione dispositionis humorũ putrescibiliũ. Merito cohibita putredine febris causa cõservativa extincta manebit, eo quòd etiã pro eradicatione caloris in venis febricitanoũ contenti, sive collecti, valet venæ sectio fieri, vel si tibi placuerit, sanguinis missio valde ventilationi confert, ut Gal. 8. *Method. cap.* 4. inquit, ob venæ sectionem putridum perspirare: obi per putredinem non intelligit Magister cinerem, cùm einis nulla indigeat ventilatione; quomodo autem post sanguinis missionem putredo inhibeatur; ac per consequens humoribus non ita noceat? gemina ratio satisfacit, si perpendas quòd vapores putridi, qui ad cor recurrere solebant, non ita in cor inclinant, sed in vacuitatem venarum, quæ media sanguinis vacuatione nascitur, moventur. Vnde ventilatio humorum perfectior evadit, motusque vaporum putridorum, qui ad cor ferebantur impedit, ac divertit: ob quam rationem licet aliquando venæ sectio propter sanguinis laudabilis evacuationem fiat, maximè solet auxiliari.

287 Animadvertendum tamen est quòd in febribus chronicis salubre etiam auxilium est sanguinem mittere ex vena salvatella dicta, quæ inter medium & annularem digitum adest, ut Aëtius *sermone* 4. *cap.* 12. eam ad secandam cum Gal. observat. Et licet plurimæ adducantur utilitatis rationes, præcipuæ, quæ offeruntur, sunt: primò refrigerato, sive viscerum attemperatio potius quàm evacuatio. Iccur enim cùm revellatur humor, veluti ad emonctorium hepatis, valde refrigeratur; sicque perfectiùs humores concoquit, pravosque à bonis secernit: multum etiam cor & arteriæ temperantur: sanguis enim qui ex prædictis venis effluit, cùm tenuior sit, quàm qui ex vasis maioribus extrahitur, similior arteriali est, et inde evacuatione illius, quia calidioris, potius alterationem ex accidenti, quàm evacuationem inducat. Secundo similiter modo huiuscemodi salvatellæ sectio opitulatur, quia exiguum virium vi evacuationis dispendium subsequitur, non equidem tantùm, quia evacuatio exigua sit, sed præcisè propter modum evacuandi: hæc enim evacuatio cùm paulatim, lentoque motu fiat, nonque confertim & subito, ut quæ ex exilibus vasis exequitur; proptereа faciliùs eam natura sustinere valet, ne ita celeriter spirituosa substantia detracta vires dejiciantur.

288 Nec solùm Magister in præsenti febrium putridarum curatione sanguinis missionem, ut perecelebre remedium collaudat, verùm iterum taxat eos, qui statim ac sanguinem mittunt, medicamentis relaxantibus utuntur, absque eo quòd plurima nocumenta, quæ subsequuntur perpendantur. Primo etenim eorum calore viscera vehementius torrentur, ac deuruntur: fervente enim calore in humoribus juxta viscera existentibus per novam appositionem remediorum calidorum, ad ea, veluti per viciniam rei calidæ, ita eorum caliditas intenditur, ut ad ingentem torrefactionem deveniant. Secundò, quia hæc medicamenta magis putredini unius partis quàm omnium partium conveniunt. Tertiò, quia cùm caloris sit proprium, saltim ex accidenti & dispositivè attrahere, merito præ immodico appositorum medicaminum calore viscerum humores ita diutius præter naturam calefiunt, ut promptius ad maiorem ex toto corpore attractionem disponantur.

TEXTVS.

Quæ verò reprimentia dicuntur; &c.

In hac tandem quarta Capitis parte, ait 289 Gal. opportunius erit in principio medicamentis reprimentibus uti duplici ratione, & quòd partibus præter naturam affectis robur, maioremque virtutem inferunt: nam media strictione natura partium unitior redditur, sicque ineptior ad recipiendam causam morbificam, validiorque nativus illius calor redditus, quia unitus faciliùs, quod receptum fuit tenuissimum extrorsum exprimit, tanquam verom à facultate instrumentum regulatum: si verò contigerit, quòd jam cohibita fuerit, per hæc remedia humorum fluxio, & ex adstringentibus aliqua in particula affecta densitas relicta sit, illo in casu quia crassiora detinentur, tempestiva, opportunaque relaxatio erit, ut hæc quæ detenta sint evacuentur; præcipuè tamen adstringentibus est utendum, quando ad jecur, aut ventriculum quod superfluum extiterit, confluit: ubi etenim & ex principibus admodum hæ partes sunt, ut munus suum exerceant, vel in ipsis morbis est necessum, cùm equidem hujuscemodi partes alimenta non solùm sibi ipsis, sed aliis totius corporis conficiant. Quandoque in ventriculo non probè alimentum concoquatur, nec in hepate in sanguinem debitum immutetur, propterea huiuscemodi partes præcipuè prædictis medicamentis sunt roborandæ: non enim ex his quæ devorantur, sed ex his quæ jam à dictis visceribus optimè conficiuntur, alimentum laudabile toti corpori distributum suppeditatur. Si igitur præ imbecillitate parum rectè in his partibus officialibus concoquatur, non solùm ex assumpto cibo nulla sequitur utilitas, verùm etiam ventriculo ulterius ex huius corruptela lacessito, aliquid prioris incocti expellitur; sicque duplex noxa universo corpori supervenit, cùm ex cibo assumpto nequaquam nutriatur, ac etiam aliquid illius quod sibi antecedenter reposuerat, deperdat. Ex quo sequitur, ait Galenus, quòd alimenti concoctio

coctio, neque in jecore, neque in ventriculo proficua fit, imo febris fucci vitiosi cumulo intenditur, atque valde exacerbatur. Merito ergo maxima est habenda cura in roboratione inducenda in prædictis 'instrumentis mediis medicamentis adstringentibus,ne tot incommoda ex Medicorū errore commisso subsequantur:quamvis tamen medicamenta reprimentia vim adstringendi obtinent,ut latè infrà 14. *lib. cap.* 17. patebit,eo quòd non solùm repellunt quæ adstringunt, sed etiam quæ sine adstrictione refrigerant; de iis tamen in præsenti Gal. non est intelligendus, sed potius de propriè adstringentibus cum debito substantiæ modo,pro maiori ventriculi & jecinoris robore, ut feliciùs alimenta pro universi corporis nutritione conficiantur.

Dubitationes super Textum.

290 Cùm Magister in præsenti in febribus quas putrescens concitat humor, maximè sanguinis missionem,ut saluberrimum remedium proponat,propterea quis Gal. taxabit, ex eo quòd febris in solidis tantùm accenditur,ut ipse Gal.10.*Method*.eam accensionē cordis vocat, veluti etiam Avicenna inquit febrem esse accensionem cordis, medianteque spiritu diffundi per universum corpus, ita ut cor sit subjectum febris essentiale,sicque malè inquit Gal. febrem esse accensionem in humoribus putrescentibus: hoc tamen facilè dissolvitur, perpendendo quòd febris accenditur in humoribus quoad causam & originem à qua dependet: humor enim putridus est principium *quo*, non verò *quod* ipsius febris;vel si malueris febris fiēs, de qua intelligitur Gal.in Textu, non verò facta est accensio in humoribus tanquam à causa efficienti; facta verò in partibus cordis solidis, tanquam à subjecto inhæsionis, id est in substantia calida cordis, ut latè *lib. de febrib.* exposui. Cùm igitur in præsenti Gal. non solùm agat de curatione febris, prout est solùm facta,sed proot est fiens,pēdensque ab humoribus putrescentibus,hinc est quòd ad ablationem fientis febris ut tandem dyscrasia facta auferatur, proponit evacuationem per sanguinis missionem, sumpta iodicatione à causa,quæ quia multa,gravāsque naturam, evacuationem per venæ sectionem indicat.

291 Vlteriùs tamen quis in Gal.insurget, eo quòd cùm in præsenti de febrium putridarum curatione agat,potius sanguinis missionem,non verò purgationem proponat: nam etsi verum sit quòd materia putrescens in fieri sit putrida, sicque debita ratione illius sanguinis missio præscribatur;quia tamen ex alia parte sit jam quid putredinis factæ contractum, ex hoc fundamento porro jam in facto putrefacta,quæ nondum valet ad meliorem statum reduci, potius indicationem eligendi,purgandique putrefactos humores offert, ut omnimodè febris causa removeatur,ac proinde diminutus fuit Gal. in adimplenda veriori febrium putridarum indicatione.Immunis quidem à calumnia Gl.evadet, si judices quòd Gal. per propria verba exprimit,non quidem febres putridas ab humoribus in facto esse putridis,ac in speciem, sive formam alienam mutatis, sed à putrescentibus actu,id est putridis in fieri, sicque inquit(*quas putrescens concitat humor*)ad cujus putredinem inhibendā alteratio est proficua,& sanguinis missio à Gal.stabilitur, tū putredinem fientem & factam prævidens, non verò factam jam & completam; vel si malueris,etsi aliud prærequiratur indicarum exequendum,ut est purgatio,de hac non loquitur Magister, prius enim est dignitatem indicantium,& occasionem operandi seligere, ideoque antecedenter deponendam esse plenitudinem media sanguinis missione inquit,ut inde natura levata à sarcina quā premebatur relictam melios devincere,ac decoquere possit, ex quo naturæ opere occasio alio indicato ntendi, videlicet purgatione, sequatur:sicque nequaqoam Gal.oblitus hujuscemodi subsidij purgationem intactam in præsenti reliquit,ut *libro de purgandi ratione* diffusè manet à me expositum.



CAPVT XVI.

Qua ratione cataplasmata parare expediat, quæ ventriculo, iecori, lieni, ac reliquis inferioris partibus ventris conveniant.



POSTQVAM in antecedenti capite cataplasmata adstringentia in morbotum principio, ubi nulla adest universalis corporis evacuatio, imo ad fluxionem excrementorum sisteodam Galenus collaudavit jam in præsenti capite, quibus partibus affectis conveniant, exponit: ita ut aliquæ partes essentialiter prædictis remedijs egeant, quædam verò valdè renuant, quædam tandem medio modo se habeant; tandemque quomodo præparari valeant, & ut potius opituleatur, quàm officiant, docet. 292

T E X T V S.

Verùm istos mittamus, &c.

STatim ac dispositio ulla inflammationis in ventriculo, aut jecore adsit, oleo absynthij est utendum, inquit Galenus, ita ut inter omnes absynthij differen 293

differentias, laudabilius, perfectius, & securius sit Ponticum, quod vulgariter Romanum appellatur: hoc etenim aromaticum est valde, calidum in primo gradu, non extremè amarum, adstringendi validam, & roborandi virtutem obtinet, nullam, ut aliæ species ingratitudinem secum portat; sicque huiuscemodi oleum, veluti etiam Melinum, Mastichinum, Lentiscinum, Nardinum, cùm adstringentia medicamenta sint, præcipuéque si rosaceum & myrtinum permisceantur, feliciter ventriculi, ac hepatis inflammationibus subvenire valent, quia tamen absynthium Ponticum nostra in regione non adest, cùm nostro utendum sit, ut illam exquisitam, intensamque amaritudinem deponat, bis coquendum erit, aut cũ rosis erit corrigendum. Animadvertit jam Gal. quòd ubi totum corpus jam purum est, neque ipsum membrum imbecillitate laborat, neque aliquid superflui confluit in his materiis, quæ miscentur parum, aut minimum medicamenti adstringentis addatur, in maiori verò quantitate non solùm quod relaxet, sed etiam & quod amarum & acre est: si verò exigua jam febris sit, ac phlegmon non adeo calens, ac æger inediam sustinere possit, illo in casu digestoria medicamenti virtus est intendenda, ita ut adstringens remittatur, solúmque quod pro robore membrorum tuendo apponatur.

TEXTVS.

Unde nec collo, &c.

294 SEcernit jam Magister alias corporis partes, quibus medicamenta restringentia officiant, ut sunt collum, intestina, musculi, qui in præcordiis reperiuntur, peritoneum, vesica, & uterus, dummodo ad huiuscemodi partes nihil ultra confluat, nec sanguinis redundantia, nec excrementorum copia in toto corpore reperiatur, renes verò & pectus mediam inter prædicta animadversionem possident; quantumenim à natura & munere dissident, tantum in remedij huiusmodi indigentia differunt: si enim ventriculi & jecinoris robur resolveretur, maximè perniciosum esset; in renibus verò & pectore periculosum non cẽseretur: in his etenim etsi periculosum, non tamen ita ut in illis, nisi aliquando ex pectore aut pulmonibus educere oporteat. De liene jam alloquens Magister non absolutè verba profert, nisi prius definita, tum corporis totius natura, tum etiam affectu, qui præcipuum curationis locum obtinuit: si enim æger atræ bilis excrementum naturaliter congerat, vel etiã eo tempore hujusmodi succus in eo abundet, necesse est ad lienis curationem adstringentia reliquis medicamentis admiscere, ut eius visceris robur custodiatur: hoc enim

modo excremẽta ex corpore ad se trahet: & sic ab eo corpore expurgato ipse rursus per ventriculum prædictum succum expurgabit; si verò nulla atræ bilis excrementitiæ portio adsit, aut nequaquam, aut parcissimè adstringendum est. Prævidet autem Magister magna perpensione dignum quòd non solùm in liene, verùm etiam in omnibus partibus, in quibus humor putrescit, quale sit maximè vehemens symptoma, quale secundo loco, aut tertio, ut videlicet jam affectu veluti urgentiori invento idoneam ei curationem adhibeamus: nam aliquando in membro affecto calor excedens est, aliquando humor, qui propter vel humoris abundantiam, vel propter crassitudinem est densus, vel renitens: si autem calor sit exsuperans, sensim per ea quæ calorem tepidum, sive remissum obtinent, digestio est intendenda, ut sunt lieni semen camamelum, cui hordei, vel fabarum farina addi debet, cùm hæc non præter modum excalefaciant, aliquando etiam acetum ad lienem solet apponi ad aliorum penetrationem; si verò partis affectæ phlegmone calor non multum à natura recedat, magnitudo tamen ejus valdè magna, & notabilis fuerit, digerere sine aqua expedit, simulque aliquando fœnugræcum supradictis immiscendo. Si denique quasi scirrhosam duritiem phlegmon jam cõtraxerit, propter humoris, quem continet, vel crassitiem, vel lentorem, tum aliquid aceti, tum medicamenta amara proficua, potissimum in liene erunt: nam cùm hoc viscus crassum humorem à jecore trahat, propterea prædicti humoris culpa plerumque laborat; quapropter cataplasmata ex oxymelite & absynthio & capari facta ei prosunt. In calce tandem Capitis incommodum, quod ex usu balneorum in his qui ex putrescente humore febricitant, ostendit cum nulla corporis præcedente evacuatione, maior humorum fusio, liquatio, ebullitio & putredo subsequatur.

Dubitationes in Textum.

Cùm non ita veluti cor, cerebrum, & hepat ventriculus excellentiorem, digniorémque exerceat actionem, merito dubitabis: quare Magister in primo loco ubi ventriculi inflammatio adfuerit, eũ opitulandum adstringentibus jubet; & cur præcipuè adstringentibus, quàm aliquando calidis solùm dum intemperie frigida laborat, resoluto aliquando insito illius calore ab intensa caliditate vi phlegmonis, quo afficitur, vel pariter etiam, cur non solùm infrigidantibus absque prædicta adstrictione ex absynthio utitur, cùm adsit calida intemperies ex inflammatione. 295

Vt tamen hæc dissolvantur, prius annotanda occurrit dignitas, qua ventriculus inter cæteras corporis partes gaudet: nam cùm ventriculus cibi, potionisque receptaculum, & veluti promptuarium quoddam, ac primæ coctionis officina sit, euius in œconomia naturali maxima est dignitas, ac necessitas ma- 296

iot: pro enim totius corporis nuttitione, incremento & conservatione subservit; propterea Quintus Serenus eum regem appellavit, & merito: nam laborante illo omnes corporis partes patiuntur. Ob quam rationem Hipp. *sectione 4. lib. 6. Epid.* asserit: Qui ventriculo sunt calido, carnes habent frigidas, sunt venosi & iracundi: ventriculus etenim æstuans chylum nidorulentum, ac semiputrem gignit: ex pravo enim chylo laudabilis sanguis nequaquam conficitur, sicque illum impurum carnes non trahunt: quare ex suo vivifico & familiari nutrimento defraudatæ refrigerantur: tantum enim caloris, quãtum sanguinis possidemus, ideoq; venæ jam sanguine impuro oppressæ turgent, sicque accensis, ac putrescentibus humoribus prohibita transpiratione, febres putridæ, ac in ipso ventriculo inflammationes suboriuntur, cùm pars quia intemperata debilior, & paratior sit ad ex tuto corpore succorum vitiosorum redundantiam recipiendam. Propterea ita utilis ac necessaria ventriculi præstantia est, ut Hipp. sic depinxisset: Qualis terra arboribus, talis venter animalibus. Vnde si vel minimum ventriculus afficiatur, aut diuturna officij vacuitate ignavior reddatur, tota corruit statim, ac naturalis œconomia satiscit; sicque Hipp. *sect. 3. libri sexti Epid.* sic fatur. Ventris segnities omnium confusio, vasorumque impuritas.

498 Quibus prælibatis de huiusceemodi præstantia partis facilè quilibet sibi satisfaciet de prima dubitationis parte; cùm ventriculi præstantia in ordine ac utilitate Gal. mentem in adhibendis adstringentibus in priori loco proclamet. Alia verò partialis dubitatio solvitur ex eo quòd etsi ventriculus laborans sit intemperie frigida privativè ob defectum caloris insiti, quia resoluti ab immodico phlegmonis calore, & propterea remedia calida exposcat. Calida tamen medicamenta sine adstrictione potius ad maiorem resolutionem ac dissipationem conducerent, nisi media illa absynthij dicta adstrictione nativus partis calor unitus redditus corroboraretur; sicque merito Gal. jam medicamentum in primo gradu calidum, cum moderata tamen adstrictione jubet exhiberi; quandoque, ut est dictum, propter positivam caliditatem intensam, ne diutiùs nativum dissipet, frigida simul adstringentia, ut oleum rosaceum admiscet. Ex quibus ultima dubioli pars manet soluta, cùm dicamus quòd intemperie calida ventriculo laboranti, ut ipsa corrigatur, neque ex toto corpore excrementa calidiora confluant frigidis simul atque adstringentibus, cùm absynthio utitur. Magna igitur, & excellentior est Galeni doctrina insequenda, ut integris indicationibus satisfiat.

Quid tamen de jecinore proferre audebis, etsi tibi inconveniens ex prædictorum adhibitione medicamentorum videatur, eo quòd hepar carnosum viscus est, ac proinde calidum & humidum, vicemque illius cato sanguinis concreti gerit. Si ergo huiuscemodi viscus inflammatione, aut phlegmone corripiatur, ubi intensus calor adest, potius medicamenta calida, ut absynthium juvabunt, ut intensior fiat dyscrasia, maior ad partem sequatur fluxio, ac inflammatio augescat. Ergo potius frigidis, utpote ab intemperie partis indicatis, erit utendum; intensio enim qualitatis fit per additionem gradus ad gradum, quemadmodum remissio per ablationem, expulsionemque formalem à contrario: ergo si contraria contrariis curantur, intemperiesque jecineris, (quia phlegmone correpti) est calida, potius frigidis quàm calidis curanda, & inflammatio inhibenda.

Vt tamen hoc ex doctrina Galeni facilè diluatur, notandum expedit quanti Magister huiusmodi viscus faciat, eo quòd habita ipsius præstantia & dignitate prædictis medicamentis indigeat: hepar enim officina sanguinis vitæ thesauri est, ac venarum principium, quibus tanquam rivis universam membrorum rempublicam irrigat, ac veluti Princeps propriis sumptibus universam corporis familiam alit; propterea; Hippocrates eum originem & fontem gratiosi humoris nuncupavit. Vnde parenchymatum ex ortu, & natura primum à Magistro statuitur; quibus prælibatis respondetur quòd quamvis hepar calidum sit, & humidum calidum, ut coqueret, & alimentorum calor intenderetur: humidum, ut debitè universum corpus irrigaret; & ideo fons gratiosi humoris; ex hoc tamen non colligendum est, quòd cùm inflammatione corripitur, remedia solùm frigida postulat: nam licet inflammatio ut talis à calore excedenti pendens, ea indicat, perpensa tamen natura & substantia partis, quia tara mollis & resolubilis, quia est sanguis veluti coagulatus, propter facile dispendium prædictæ substantiæ, ne in halitus, vel vapores dissolvatur qualitate tepente, ut ex absynthio indiget, & ratione mollitiei adstrictionem exigit, ne ita facilè ex toto corpore succorum vitiosorum redundantia recipiatur: & ut Magister his indicationibus satisfaciat, potius prædicta auxilia in Textu adducit, licèt verum sit quòd habita ratione ad aliam indicationem desumptam ab intemperie calida, simul alia remedia prærequirantur, ut frigida, ob quam rationem huius muneris non oblitus Galenus, simul permiscet oleum rosaceum, similiáque conducentia ad hepatis dyscrasiam remittendam. 499

CAPVT



CAPUT XVII.

ua cataplasmata cordi, pulmoni, omnineque pectori conveniant.

300 OSTQUAM in antecedenti capite inspiciens Galenus naturas, & præstantiam aliquorum membrorum, ventriculi nimirum, jecinoris & lienis, medicamenta adstringentia in phlegmonis initio, docet esse adhibenda, jam in præsenti in aliis peculiaribus partibus, ut corde, pulmonibus, ac toto pectore, ut valde illa nocumentosa renuit, sicque duo proponit: primum etenim, quòd potius relaxantia, quàm adstringentia conveniont: secundum verò, modum ægros alendi valde esse diversum, dum ventriculus & hepar inflammatione laborant, ac dum cor, pulmo & pectus: quare hujusce modi Caput in duas dissecatur partes, ut media expositione clarescet.

TEXTVS.

Partibus verò ad pectus, &c.

301 Minus quidem medicamenta adstringentia pectori, quàm jecori & lieni conveniunt plurium rationе causarum, ait Gal. partes enim spirituales non ita elaborationem in coquendo, veluti naturales conficiunt, sicque ut hepar chylum in sanguinem convertat intensiore robore, quàm prædictæ partes indiget, ne illius virtus ita fine adstrictione dissipetur, præcipua tamen textualis ratio est, quia medicamenta adstringentia pectori adhibita potius augebunt quam diminuent inflammationem: media enim repulsione materiam morbificam in pectus, atque in viscera, videlicet cor, ac pulmones revocabunt: quare in pleuritide etiamsi in principio adsit, nequaquam adstringentia sunt adhibenda, cùm potius ad partem ignobiliorem liberandam, materiam ad nobiliores trudant; propterea Hippocrates 2. *de ratione victus in principio*, potius relaxantia, quàm reprimentia collaudat.

TEXTVS.

Ac cibis potius, &c.

302 Discrimen quidem non exiguum in alimentis propinandis Magister adducit, eo quòd non ita tenuissimo victu in morbis pectoris, ac in ventriculi & hepatis affectionibus: nam cùm in his partibus nutrimentum concoquatur, propterea ex assumptione illius vehementior imminet inflammatio, media enim intemperie partium à phlegmone orta, coctio depravata fit, ex qua nutrimenti corruptela, calor putredinalis & phlegmō increscit; in pectus verò quia tantum alimenti provenit, quantum solùm ad unius solius partis nutritionem deserviat, proinde non ita in morbis pectoris, veluti in ventriculi & jecinoris, quæ hujusce modi officinæ pro suæ & aliarum nutritionis operantur affectionibus, inflammationis incrementum periclitatur, tum etiam cùm in affectibus toracis materialis causæ judicium per sputum à natura exequi debeat, in quā actionem expulsivam non solùm naturalis, verùm etiam musculorum loco-motiva virtus concurrat, in quorum assiduo, frequentique motu magna spirituum copia deperditur, proinde ob instrumentorum firmitudinem copiosiori pabulo pro spiritibus animalibus gignendis indigent; quæ tamen ratio in ventriculi, atque jecinoris affectionibus non currit. Merito igitur in pulmonum inflammationibus relaxantia, in quibus aliquid acrium medicaminum sit miscendum, conveniunt, eo quòd potius foras evocare, quàm reprimere oportet: si enim morbifica materia in pulmones per repellentia truderetur, in perniciem naturæ status induceretur, cùm pars ita ad vitæ custodiam necessaria maximam indicationem secum rapiat. Pulmones quidem in subsidium pulsationis cordis creati fuere: nam externus aër in pulmonibus reconditur, ut inde in cor paulatim deducatur, ac simul refrigerandi cordis gratia constructi fuere: cor enim viscus calidissimum ob continuos, perennesque motus æstu valdè scandesceret, nisi illorum adminiculo, quasi quodam flabello ventilaretur, tandemque ad aëris præparationem maximè deserviunt: aër namque impurus, ac subitò recurrens non interioris spiritus pabulum conveniens poterat confici; sicque paulatim in pulmonibus alterari, ac familiarem qualitatem ad innatum spiritum vitalem gignendum, media morula adquirere oportuit. Si ergo hujusce modi pars ita nobilitatis præstantia pollet, quis dum hæc pars phlegmone est correpta, in eam morbificam materiam mediis adstringentibus repellere tentabit?

TEXTVS.

Itaque etiam cucurbitula, &c.

Imperat jam Magister in pectore cucurbitulis esse utendum, dummodo prius 303
corpus optimè fuerit evacuatum; si verò abundantia succorum vitiosorum adsit, non magis materia ad pectus transmutabitur, quàm ex toto corpore ad utramque partem

fiet attractio, ita ut etsi aliqua pulmonum portio in pectus evocetur, impetuosior, ac in vehementiori quantitate ad pectus simul & pulmones fluxio suscitabitur.



CAPVT XVIII.

Cataplasmata laboranti cerebro, & capitis partibus accommodata.



304 INSEQVENS ferè eandem doctrinam Galenus, complet in præsenti docendi modum in cucurbitularum usu: quemadmodū enim ubi totum corpus satis evacuatum exterit proficoæ sint, è contra verò in repletis, qui maxima humorum colluvie afficiuntur, nequaquam conveniunt, imò prætermittendæ sunt. Ex qua universaliori doctrina in præsenti Capite eam ad peculiares cerebri & eius membranarum affectiones contrahit, eo quòd potius in phlegmonis principio repellêtibus quàm attrahentibus, ut cucurbitulis ac medicamentis digerentibus uti oportet, sicque dum jam inflammatio ad declinationem pervenerit, resolventia quædam, ut castoreum adducit.

TEXTVS.

Eadem ratione, &c.

305 CVm dignitas & præstantia cerebri tanti apud Magistrum fiat, merito in medium quibus auxiliis dum phlegmone laboret, ei opitulari debeamus, proponit: cerebrum etenim viscerum excellentissimum, proximumque cœlo est; hanc obtinent sensus arcem, in eo culmen altissimum, in eo mentis est tegimen, sapientiæ domicilium, memoriæ, judicij & cogitationum, quibus opifici Deo humanum genus simillimum redditur: quod denique in mundo est cœlum, id in homine est cerebrum; illud intelligentiarum, hoc rationis est domicilium; solius equidem cerebri gratia totum corpus est constructum: in eius ergo tutelam, inquit Gal. quòd dum incipiunt morbi inflammatorij, tam in cerebro, quàm in illius membranis nequaquam cucurbitulis est utendum, eoquòd in partem ita nobilem ex universo corpore tota morbifica materia impetuosè confluet, nisi dum jam nihil amplius affluxerit, totumque corpus inanitum manserit, au indicatio materiæ actu inflammantis, vel semovendæ, vel amoliendæ, vel ad extra abstrahendæ adfuerit, eis utemur. Sicque reprimentibus in his affectionibus inter initia est utendum; quia tamen inter cerebri substantiam cranij ossa ita dutissima mediant, quæ facilem auxilij penetrationem inhibent, propterea ab alto descendentia reprimentia sunt exequenda, ut celerior eorum in partem affectam penetratio contingat, & ut velociùs huiuscemodi medicamina præire, ac deduci valeant, aliquid tenuioris substantiæ medicamentosæ repellentibus est miscendum, ut vicem vehicculi paratioris gerat: quare acetū, quia non solùm tenuium partium est, sed etiam aliquam reprimendi virtutem obtinet, valdè in horum affectuum principiis confert, & præcipuè si cum rosaceo permisceatur; procedente verò tempore, inquit Magister, aliquid spondylij, Hispano sermone *spondilio* vocati, quæ vulgaris herba per universam Italiam fœcundissima est, tum etiam serpilli, Hispanè *serpol*, in odore simillimum maioranæ, valdè si cum præcedentibus misceatur, convenit; eo quòd huiuscemodi herbæ non solùm partium tenuitate, verùm sufficienti calore pro materiæ in cerebro contentæ discussione, ac resolutione pollent.

TEXTVS.

Sanè ad eum modum, &c.

IN calce tandem Capitis usum castorei in his affectionibus, utpote phrenitide ac lethargo declinantibus; in aliis verò inflammationibus nequaquam, etiamsi ad declinationes pervenerint: pro enim summa illius caliditate denuo aliarum partium phlegmon suscitaretur, atque immodicè augesceret, quia verò ad materiam in cerebro discutiendam & resolvendam acutius medicamen requiritur, propter ossium cranij mediationem, quæ vim illius frangunt & retardant, proinde in his affectionibus, non ut in aliis inflammationibus officere valet; inest quidem eiusmodi pharmaco & partiū tenuitas & caliditas, ut etsi medium ita sit densum per quod transit, vim transmittere possit. 306

Dubitationes circa Textum.

Antequam tamen aliqua dubia juxta Textus intelligentiam proponantur, prius advertendum occurrit, quòd quamvis jam cerebri inflāmatio in declinationem pervenerit, præcedentibus iam totius corporis pro indigentia evacuationibus, nequaquā cucurbitulas esse capiti imponendas, ut doctissim^o Lemosius prudenter annotat: sincipiti enim adjunctæ imaginationi & cogitationi valde nocent; occipitio similiter admotæ memoriam devastant: spiritum enim vitalem & animalem exhauriunt, humoremque noxium ad locum affectum trahunt: quare potius 307

potius collo, scapulis, & natibus admouendæ sunt.

308 Quibus prælibatis, cùm in præsenti capite Magister de cerebri inflammationibus, & eius membranarum agat, quæ vel phrenitis, vel lethargus possint esse, meritò, quis ingenuè dubitabit utrum ad naturam, & constitutionem horum affectuum requiratur semper, quod sit inflammatio? & an quidem solius cerebri, an verò tantum membranarum, vel vtriusque partis affectio necessariò dicatur? quoad huius difficultatis punctum licet ad extensum rem discutere possim breviter tamen eam dilucre conabor, prius equidem de phrenitide controversia procedit; quam inter alios Paulus, Aëtius, Trallianus, Avicenna, & cum eo Arabes omnes ac Gentilis, & Iacobus Serapio definiunt esse membranarum cerebri inflammationem, & ita est communis huiuscemodi sententia, ut ferè omnium Medicorum schola; tum ex Latinis antiquis, tum etiam ex Modernis eam amplectantur ut Capivaccius, Altimatus, Mercurialis Argenterius, libro de nova & veteri Medicina, Vega, Joubertus, Gordonius, Saxonia; quæ opinio apud Gal. firmatur *primo libello de oculis cap.* 12. ubi phrenitidem apostema calidum nascens in cerebri partibus esse inquit; tum etiam 2. *de causis symptomatum cap. ultimo* Similiter pro Epidia *comm.* 2. & *comm.* 73. tom 1. *prorrheticor. comm.* 1. & *comm.* 8. *primo* etiam *prognosticorum comm.* 23. phrenitidis genus omne esse exitiale inquit: atqui hoc non est, si inflammatio non adesset, ut patet in peripneumonia, ac aliis inflammationibus internis quæ eundem periculi statum cum se ferunt; ergo quia phrenitis inflammatio est Gal. tandem 4. *de præsagatione ex pulsibus, cap.* 7. docet, quod si cerebrum, ac meninges, aut reliquæ capitis partes inflammentur necessariò febres, ac deliria accidunt, ergo quia phrenitis propriè cerebri & eius membranarum inflammatio cum febre continua, & perpetuo delirio est; sicque erit affectus præter naturam insequens morbum in magnitudine aucta, cum tumor adsit, in quo, & soluta unitas, & intemperies calida; simulque mala compositio aderit.

309 Contraria tamen opinio phrenitidem videlicet non necessariò, & essentialiter inflammationem esse requiri, à plurimis stabilitur, & inter omnes Celsus doctissimus inquit, quod phrenitis, acuta est cum febre & continua dementia passio; sicque si ad eius essentiam hæc duo sufficiunt frustra ponitur inflammatio. Vallesius pariter 5. *controversiarum, cap.* 12. hanc sententiam insequitur, ante illum tamen doctissimus Ranchinus, & Victorius Faventinus, Petrus Garcia unanimiter ad delitium phreneticum constituendum, nequaquam inflammationem necessariò requiri statuunt.

310 Hæc autẽ opinio fulciẽda venit 1. Gal. auctoritate, nam 1. *prorrheticor. comm.* 1. ait: *phrenitis siquidem, quæ exquisita est & nulli alteri morbo permiscetur, fit cum bilis flava locum, in quo princeps animæ pars residet apprehenderit*: ergo ex hac doctrina liquet, quod sufficit ad phrenitidem efficiendam, tantum bilem cerebrum ipsum irrigare, absque eo quod ab ea aliqua inflammatio oriatur, cum tantum delirij continuitatem febremque acutam esse requiratur, tum etiam ipse Gal. 3. *Epid. comm.* 3. *textu* 45. asserit: phrenitidem differre à melancholia, & mania, ac insania, tantum ratione febris, eo quod huiusmodi affectiones sine febre sunt, phrenitis verò semper cum ea; ergo quia si tantum differunt in febre, & non in alio affectu maximè quia phrenitis, quemadmodum ij affectus, est citra inflammationem, alias mania per aliquid aliud præter febrem à phrenitide differt.

311 Roboratur ulteriùs prædicta opinio ratione desumpta à Vallesio, quã me hercule antequam vidissem pluries excogitavi, & in Augusto Aragonum lyceo inter arguendum proposui nunquam tamen solutam audivi: phrenitis non differt à paraphrenitide; nisi penes magis, & minus: sed paraphrenitis est citra inflammationem ergo etiam phrenitis, maior probatur, nam veluti paraphrenitis est delirium, in sua essentia & aberratio facultatis rectricis ab scopo, ita phrenitis & veluti illa est cum febre acuta, ita ista: atqui solùm differunt, quia illa est per intervalla, tempore nimirum accessionum, ista verò est continua: ergo solùm ratione loci, & ratione temporis continui, vel discuti differunt; ergo si paraphrenitis in sua essentia est delirium cum febre acuta, & etiam phrenitis, solùm differt ab ea induratione & permanentia meritò erit dicendum, quod si paraphrenitis non requirit essentialiter inflammationem, non aliter de phrenitide erit idem fatendum.

312 Ex dictis roboratur, nam mania non differt à phrenitide nisi febre; atqui in mania nunquam inflammatio adest: ergo neque in phrenitide, cum alias ratione illius etiam à mania differret: Gal. etiam 1. *prorrheticor. comm.* 1 & *comm.* 33. ait, phrenitide igitur ipsa ex bilioso succo generationem habente, *cum his in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipsius, nondum toti cerebri corpori permissa, tum multuosæ fiunt desipientiæ*: ergo cum humor ipse sola qualitate cerebrum afficiat, tumor nequaquam, ut necessarius ad illius essentiam est ponendus.

313 Mercatus tamen fatetur quod in phrenitide, largiori modo sumpta, nõ adest tumor, bene verò in vera, & exquisita, inflammatio enim tripliciter desumitur 1. per irrigationem cerebri à bilioso humore; de qua significatione intelligit Gal. 1. *prorrhetic. comm.* 1. *textu* 33. & 1. *Epid.* quomodo hecticam phrenitidem fieri docet, secundo sumitur inflammatio per effervescentiam & successionem aut transitum humorum, qui in venulis membranarum cerebri continentur ante integram inflammationis constitu-

tionem; sicq; constat quosdã citra dolorem, quem inflammatio dum sit producit phreneticos fieri, que casu solùm humorum copia & transitus eum levi effervescentia citra continui solutionem sufficit, cuius Gal. 1. *epid. comm. 2. & comm. 77.* meminit ubi ait: *ve lim priusquam inhæreseat profluens humor per venas in his fiant non phrenitides, sed deliria efficit*: qui locus de spuria phrenitide intelligitur, cùm perpetuum delirium non obtineat; tertia tandem & vera inflammatio est, quæ in spatiis & porositatibus partium fit ubi ad eas ex venis humor excurrit humoremq; præter naturam & abscessum efficit quo casu fit, ut illa phrenitis exquisitior dicatur, in qua inflammatio adest reliquæ verò spuriæ sunt; sicq; de hac vera intelligẽda est prima sententia & insequẽda.

314 Sapientissimus tamẽ Dominicus Maglioca Mercati solutionem acutè detruncat; sicq; arguit, nam phrenitis, quæ hectica apud Gal. censetur 1 *prorrheticorum comm. 1. & comm. 33.* Vera & exquisita phrenitis est; atqui in ea inflammatio non adest ergo neque in aliis prædictis est ponenda, cùm illæ dispositiones dicantur, ita verò habitus, secundo probatur: nam actiones principes facultatum rectricum fiunt media temperie cerebri primario, & non ab structura; ergo læsa temperie huiusmodi actiones læduntur; ergo morbus in intemperie sufficit ad phrenitidem, & non inflammatio constituenda: roboratur, inflammatio enim, seu tumor, si actiones principes læderet, maximè quatenus est morbus in magnitudine adaucta; ergo vel poros, aut ventres cerebri obstruendo, vel densando: ergo phrenitis potius sequeretur morbum in cavitate; ergo talis affectio ab Apoplexia, Epilepsia ac aliis similibus non differret, quod est falsum, cùm illæ subito, & confestim tollantur, phrenitis verò permanens sit, ergo solutio Mercati sustineri non valet.

315 Respondent tamen aliqui tumorem in phrenitide deponi, qui per intemperiem quam inducit eam producit, ille tamen requiritur ad continuitatem delirij; sicq; ut reddatur continuitatis ratio cùm ipsum delirium sit in ea continuum, proinde nulla ratione ab intemperie sola calida, & sicca, aut cum materiæ affluxu nasci cum illa non sit semper in facto esse: venæ tamen tumor à quo semper calor producitur, ac semper ipsa intemperies fovetur, quæ licet immediata causa delirij sit, non tamen perpetuitatem affectus posset causare; ob quam rationem Gal. dixit esse cerebri inflammationem, quoniam, à calida intemperie phrenitis producitur, quæ ab ipso phlegmone semper fovetur.

316 Contra hanc tamen solutionem sic insurgo cum Vallesio Maglioca, & aliis: per te intemperies calida est causa immediata delirij, ergo superfluus est tumor: nam in phrenitide hectica valet absque materia intemperies calida diutius perdurare: ergo frustra tumor assignatur: præterea, quia non implicat febrem ab humoribus putridis; absq; tumore conservari, & permanere: ergo etiam à putrido humore in cerebro diu ipsa intemperies foveri valebit absq; tumore, sed per te talis intemperies est causa immediata phrenitidis, ergo nequaquam est necessarius tumor aliquis.

317 Verior igitur assertio est, quod phrenitis sit ab intemperie cum humoris affluxu putridi; sicq; ad illius essentiam sufficit delirium continuum, & febris acuta, quæ omnia putridus humor in cerebro existens valet efficere, febris etenim cum in parte principe sit, ac assiduum, perpetuumq; delirium cum semper permaneat; sicq; cerebro ab illo intemperato illius actiones læduntur, siquidem huiusmodi actiones semper cerebri temperamentum sequuntur; actiones enim facultatum rectricũ; potius temperiem naturamque partium similarium, quam organicarum immediatè exigũt. Quare quãdo inflammatio cerebro accidit etiam sequitur phrenitis, non tamẽ ab ea quatenus distendit, aut quatenus morbus malæ compositionis est, aut quatenus obstruit, nascitur: sed quatenus habet intemperiem calidam, à qua immediatè ipsa phrenitis procedit, sicque phrenitis ab inflammatione, non ut tumore; sed ut intemperiem calidam producit, unde phrenitidem in intemperie calida cum affluxu humoris putridi, tanquam à causa consistere dicendum est, cuius ratio formalis nihil est aliud, quam delirium perpetuum cum febre acuta; ac pro delirij ratione in actione depravata animali consistit.

318 Quomodo autem humor putridus valeat in cerebri corpore; aut in ipsis meningibus; absq; eo quod inflammationem inducat existere patebit, si supponatur existere portionem humoris, à venis ipsius cerebri posse egredi, ac illius substantiam irrigare ut Gal. 1. *prorrhetic. comm.* 1 sola irrigatione humoris biliosi fieri phrenitides docet, ubi etiam quomodo hecticæ phrenitides contingant dixit similitudinemq; adducit, desumptam inter humorem biliosum in cerebro existentem, & liquorem quo diversis coloribus lana solet pertingi, cùm enim lanæ tinguntur adeo illo colore tinguntur ut nunquam dilui posset, nam ita color lanarum substantiam penetrat, ut illas neq; distendat, neq; in tumorem attollat, minusq; illas augeat, nec ad latera distare faciat, non aliter ipsa bilis, cùm tenuis sit substantiam cerebri ingrediens illius poros distare non efficit, nec tumorem attollit cum illius poros secundum eam distantiam, & capacitatem, quam à natura obtinuerunt, nec plus nec minus occupet, sicq; mirum non erit, si phrenitis nullo tumore posito fiat; ut ex Gal. verbis clarescit dum ait: *Procedente vero tempore simile quippiam contrahitur lanis, quæ à tinctoribus appellatis accipiunt, nempe, & hæc vix eluibiles redduntur, non secus cùmque proprium ab initio colorem habent, talis igitur cerebri, veluti tinctura desipientiam hecticam habent*: ex quibus liquet po-

rositates

rositates totumque cerebrum bile irrigari, quemadmodum lauæ colore imbuuntur.

319 Contra definitionem tamen phrenitidis adductam insurges ex Aëtio, qui sic fatur: *Rarò autem ab initio phrenitis cum febre irruit, plurimis verò à quarta, aut quinta, aut sexta incipit, & adhuc seriùs, cum ipso fermè periculo incidens, ut iam aliqui septima, aliqui nona delirare cæperit*; ergo patet ægrotantem non una simul hæc invadere: diluitur quidem dicendo, quod Aëtius per hæc verba inquit, quod rarò phrenitis de per se incipit: sed aliquando in quarta die post febrem, aliquando in quinta quandoque in septima incipit, non tamen negat, quod si phrenitis de se & primò incipiat, quod simul cum ipsa statim febris acuta oriatur, *ut Hipp. ait 3. Epidem. textu 75. ægroto.* 4. qui prima die qua decubuit phreneticus, , virulenta vomuit, & acutè febricitauit: duplex enim assignanda est phrenitis, una quæ per se incipit; istaq; primò rationem morbi obtinet, habetq; delirium perpetuum ac febrem quæ sequitur ad eam, diciturq; veluti accidens, aut symptomatica respectu phrenitidis ad quam sequitur ut Gal. *de locis affectis cap. 5.* dum ait: *esse unum ex accidentibus cerebri dispositiones insequens*. ut Hipp. loco assignato & in illius commentario ait Gal. rarum esse exemplum, eo quòd non prima die facta fuit phrenitis, quoad causas, cùm iam hæ alio tempore antea genitæ aderant sed quoad actum, & ad formam statim orta fuit; causæ enim antecedenter in cerebro dispositæ existebant: alia verò phrenitis est, quæ non primò; sed postea alias febres insequitur, quæ etsi à principio paraphrenitis erat, postea tamen ex consensu per essentiam fit, ac in veram phrenitidem transmigrat, quæ etiam veluti accidens alterius morbi nuncupari valet, utpote febrem insequens, sicut ista, veluti symptoma phrenitidis dicebatur, rigorosè tamen symptomata non sunt, cùm affectus per se lædentes, ut morbus, sint, & symptoma propriè sit affectus in sua essentia extra læsionem; sed quia cùm non de se primo incipiant: sed alios morbos insequantur, propterea veluti symptomata appellantur; quo supposito distinctio solutionis clarescit; nam phrenitis primo modo sumpta habet delirium continuum, ac febrem acutam; cùm humores putrescentes in parte principe, ut cerebro sint; ex quibus calor putredinalis cordi communicatur, sicq; ex illius accensione febris, quæ phrenitidis symptoma dicitur; si verò ipsa ad alios morbos subsequatur, alterius symptoma erit, ex quo non sequitur huiusmodi phrenitidem non esse simul cum febre acuta, siquidem iam eam insequitur, ac illam comitatur, & augescere facit.

320 Vrgebis deinde phrenitis aliquando antecedit febrem, quæ est illius symptoma ergo aliquãdo phrenitis iam sine febre aderit; ergo febris acuta naturam, & essentiam phrenitidis non ingreditur, cui respondeo, quod illud spatium inter unicam & alteram affectionem, ita exiguum, ac veluti momentaneum est, ut nunc phrenitis, nunc etiam febris contingat, ob uniformem apparatum corporis repertum, cùm solùm unicus affectus alterum prioritate naturæ vel originis, non verò temporis præcedat, eo quod principes partes adeo mutuo sibi ipsis consentiunt, ut unius affectus alteri statim impertiatur.

Nec minus in aliam essentialem phrenitidis partem adductam irrues: nam illud non est essentiale alicui morbo, quod perseverante affectu cessat: sed febris, & delirium cessant perseverante phrenitide; ergo non erunt de essentia illius. Minor probatur, ex Hipp. *3. Epid. comm. 1. textu 3. qui in Dealcis horto decumbebat, hic enim quarta die vigilavit, aliquantulum deliravit, quinta die non dormivit, deliravit, septima idem fuit, ac octava die mentis compos fuit, nona iterum deliravit & eadem decimo, undecimo omninò mente constabat; imo per duos dies sine febre & delirio mansit; quarto decimo verò prorsus delirabat, ac quinto decimo quoque, decimo sexto, decimo septimo melius sapiebat, decimo octavo mens illi lapsa erat, vigesimo mente constitit, vigesimo primo delirabat, vigesimo quarto prorsus mentis erat compos*: ex qua Hipp. historia liquido constat hunc phreneticum fuisse, febris tamen, & delirium perpetuum non fuere; ergo in naturam & essentiam phrenitidis, delirium & febris non ingrediuntur, quem inspiciens Vallesius locum 3. *Epid. comm. 1. & ultimo.* delirium perpetuum de phrenitidis essentia non esse censuit; cum alio modo *5. controversiar. cap.* 12. indicasset; quoniam hoc aliquando interrompitur, nec semper æque fit, siquidem æger aliquando ad mentem reddit, ut ex Hipp. historia patet: dupliciter tamen Vallesius labitur, primò quidem, quia aliud alias docet, nec suæ peculiaris opinionis priùs firmatæ memoratur; sed aliam adversam statuit ita, contradictoriè alloquens, ut tanti viri auctoritatem & dignitatem valeamus meritò taxare, quam falsa ergo illius responsio sit Pereda in peculiari scholio, ac Mercatus probarit: nam si phrenitis delirium perpetuum non est quonam pacto à paraphrenitide, ac delirio septi transversi distinguetur; præterea quia si adest inflammatio, quomodo permanente inflammatione delirium cessabit.

Aliter tamen Doctissimus Mercatus responsum præbet, eo quòd aliquando morbus sine signis pathognomonicis valet esse, & præcipuè dum affectus confirmatus non est, tum etiam quod humor qui confluxit in cerebrum potuit dissipari, propterea q; affectus cessabit; quòd si denuò confluxerit, denuò etiam morbus excitabitur, ac delirium iterum redibit: sed nec Mercati dilutio sustineri potest, phrenitis enim in principio eadem in sua essentia est, ac in statu & declinatione, ergo semper eadem symptomata essentialia obtinebit, alias enim morbus specie à se ipso in principio, statu & fine differret,

ferret, quod nullus dixit.

323 Reiteitur ulteriùs, nam illud quod est de essentia alicuius entitatis, semper cuius est de essentia signum inseparabile debet esse: ergo si delirium perpetuom de phrenitidis essentia adest, necessariò debet eam semper insequi, cùm in hoc signa supetvenientia, ac accidentia à pathognomonicis differant, illa enim modò adsunt; modò verò deficiunt; hæc verò semper sunt inseparabilia ut Gal. lib. artis medicinalis satis exponit.

324 Alij verò asserunt ex Hipp. historia non sequi delirium continuum, quod refert non fuisse, nam per hoc verbum (continuum) intelligẽdum est cõtinuatim, ita ut æger tria aut aliqua verba ad rem dicere possit, & præcipuè circa illa, in quæ pluries exercitatus fuerit, postea verò continuatim delirare, ex quo non sequitur delirium non esse continuum, ut cuidam Hispano nobilissimo contigit, qui cum phrenitide laboraret, dum ei mensa apponebatur, ut ederet, bene alloquebatur ea, quæ ad hoc requiruntur debitè memorans in reliquum; postea iterum delirabar; sicq; is continuè ac perenni mente nugabatur, inter hoc tamen tempus, aliquod spatium aderat, in quo mens redibat.

325 Quæ ratio etsi non ita à vero dissentiat, rigorosè tamen non est certior, per continuum enim delirium intelligi debet quòd eò usque æquâ ratione aberrent; quò usque affectio calida in cerebro exputrefacta bile pendens, permanet, continuatim enim, tam circa ea, quæ nunquam egerint, quam circa ea, quæ semper pertractarunt, debent ægroti delirare, non negatur tamen aliquod exignum spatium in quo mens vacillando ad se redeat, ac circa illa phantasietur, ac discurrat, adesse posse, maximè circa ea quæ à tenera ætate in memoria impressa fuere, ut Dominicus Maglioca sibi ipsi accidisse fatetur, qui cùm mense Ianuario in febrem ardentem incidisset, tandemque phrenitide laborasset, in quem Reverendus quidam, ut de meliori vita, pro animæ gratia adipiscenda ageret accessit cúmque æger libros de anima illo tempore audiret, & species quas in memoria latix impressas de anima custodiret statim, ac disputationem de anima examinanda audivit surgens à lectulo, ac cum sacerdote incidens; ita de anima disputavit, ut sanus, potius immunisque ab omni delirio visus fuisset, postquam tamen de alio animæ fine disputationem percepit, illicò iterum in delirium incidit, ex quo huius auctorix & Hispani eventu non sequitur delirium continuum non esse pro phrenitidis essentia, cùm verba interposita non rigorosè à mente debitè regulata; sed ab speciebus in memoria antecedenter sigillatis ortum ducerent.

326 Melius igitur Hipp. historiæ satisfit, dicendo, quod venerandus senex ibi non de vera phrenitide; sed de paraphrenitide, quæ continuum delirium non habet loquutus fuit, ut infertur ex eo quod undecimo die omninò mente constitit, quæ expositio satis Galeno videtur consona, cùm per illa verba (die nona deliravit) exponat, ac oculus dexter distortux erat, hæc facta fuisse in iudicio inquit, quasi diceret, cum natura educere ipsos humores pravos, qui agitati, & cõmoti ad caput elevabantur; deliriumq; & oculi strabismum causarunt, tentasset, propterea non vera phrenitis; sed paraphrenitis fuit, cùm ad veram phrenitidem constituendam requiratur, ut cerebrum per essentiã, non autẽ per consensum afficiatur, ex qua essentiali affectione necessariò delirium continuum modò dictum ac febris 327
acuta detur.

Quibus sic de natura, & essentia phrenitidis perpensix, meritò textualis Doctrina à Gal. in nostro capite proposita insequenda est; quando enim in cerebri inflammationibus inter initia medicamenta repellentia exhibenda monet, non solùm sunt intelligenda de actuali inflammatione, dum ista intemperiem calidam in cerebro, ex qua sequitur phrenitis inducit, sed etiam extendenda venit Doctrina citra inflammationem, dum tantum adest calida intemperies, cum affluxu bilis putrescentis ad illud, ex qua phrenitis nascitur; tunc enim medicamina etiam repellentia superiùs dicta sunt apponenda, ne pars ita nobilis causam morbificam ita impetuosè recipiat; proptereaq; Gal. Doctrina intelligenda est de hoc affecto; etiamsi adhuc inflammatio, sive tumor inflammatorius non sit contractus.

Indagandæ tamen veniunt, quæ sint 328
cerebri partes in phrenitide affectæ, ut remedia apud Magistrum adducta rationali methodo exequi valeant; sicq; secunda dubij pars, nimirum utrum membranæ cerebri, utrum verò ipsa cerebri substantia, an verò utraq; simul semper laborent, discussa, dilutaque maiori expositione manebit: quod autem hoc maximè rationali Medico conferat, exponit Gal. 1. *prorrheticor comm.* 1. *& comm.* 4. ubi sic fatur: *Primum quod indagandum Medicis est, id esse prius noscere partem affectam, mox affectum ipsum quisnam sit ac prius scire debere Medicum, prius qua corporis in parte animæ intelligentia sit, invenire oportet, & paulo post, quod igitur cerebri naturaliter habentis munia noverit, is ex offensa horum, primum quam perpessum sit, deinde qualisnam his morbus sit invenire valebit.* sicque ex hac Gal. Doctrina infertur huius difficultatis utilitas ne Medicus inscius sit, in executione remediorum secundum veram artem.

De hac quidem difficultate denudanda 329
varius sẽtiendi modus inter Auctorex adest, Aetius enim, potius in phrenitide partem affectam primariò cerebri membranas esse affirmat, quam assertionem insequuntur Symphonius, Leonellus, Faventinus, Eustacius Rudius, Tuncabel. Mercurialis, Vega, Capivacius, Altimatus omnes Arabes ut Avicenna. quem imitantur Gentilis, & Iacobus ac Nicolaus Florentinus, Matthæus Agradu, qui omnes uniformiter phrenitidem esse

esse apostema calidum panniculorum cerebri statuunt, licet tamen huiusmodi membranas primariò affectas esse fateantur, alij duram matrem potius, alij verò piam prius laborare præsentiunt; sicq; illam deffendunt Serapio, Abenzoar, & alij; hanc verò videlicet piam esse affectam affirmant Rasis, Vega, Rudius, Marinellus, Mercatus & alij.

330 Nec deficiunt diversi opinantes partem laborantem, cerebrum esse simul cum membranis, quam adducunt esse Gal. opinionem ut infra patebit, quam sententiam Altimarus, Trallianus, Masarias, Holerius, Pereda, Marinellus, Iachinus, Fesius, Vallesius, & plurimi alij complectuntur; Celius verò Aurelianus tot inter se opiniones perpendens potius partem affectam totum caput esse asserebat, nixus fundamento ex nostro textu exposito, eo quòd delirio, sive inflammatione capitis laborantibus, ipsi capiti remedia repellentia apponuntur, absque eo quòd Gal. partē peculiarē affectā exponat.

331 Quibus sic iactis ut prædictarum opinionum falsitas patefiat, ac extinguatur unaquæque opinio, prius quod fundamenta propria proponenda militat: prima igitur opinio videlicet, quòd membranæ cerebri à Græcis meninges appellatæ laborent, probatur: nam corpus cerebri humidum, ac frigidum est; ergo non ita facilè sicut membranæ plegmone afficietur, ergo in phrenitide membranæ primariò, cerebrum verò secundariò afficientur.

332 Secunda verò sententia duram nimirum matrem potius quàm piam afflictari probatur nam in substantia magis dura humor magis firmari valet, atqui talis est dura mater; ergo in hac magis humor firmabitor, ergo inibi fiet inflammatio: ergo ista erit pars primariò affecta: Roboratur ulterius quoniam inflammationes semper in loco capaciori magis fiunt, atqui talis est dura mater: ergo ista erit pars affecta. Præterea, quia cùm huiusmodi pars cæteris sit ignobilior proinde minùs à natura tutelam, quam reliquæ suscipiet ac per consequens, ut plurimum promptius morbosā dispositionem patietur.

333 Tertius sentiendi modus piam dumtaxat matrem primariò in phrenitide affici, probatur: nam hæc membrana copiosiores venas obtinet, est enim veluti cerebri secundina totam sanguinis copiam pro cerebri nutrimento retinens, ergo ista ad inflammationem concipiendam aptior erit; ergo pars erit quæ primariò afficiatur, præterea quia pars quæ fuerit mollior est magis idonea ad causam morbificā recipiēdā; sed inter membranas ista est mollior & laxior; ergo citiùs inflammatione corripietur. Roboratur præterea auctoritate Gal. 4. *de caus. puls. cap.* 14. ubi asserit lethargum generari ex ipso potius cerebro affecto, phrenitim verò ex tenui meninge gigni, ac septo transverso; ergo ex Gal. piam matrem prius esse laborantem in phrenitide constat.

334 Quarta auctorum assertio, cerebrum unà cum membranis esse affectum testans, probatur ex Gal. 2. *de causis symptomatum, cap.* 7. ubi tenet phrenitidem, non solùm ex calidis fieri humoribus, sed ultra hæc phlegmonem habere in cerebro & eius involucris; ergo ista eum cerebro & doctrina Gal. simul afficiuntur; tum etiam roboratur ex eodem 1. *Epid. comm.* 2. *& comm.* 73. dixit enim: *sin aut in cerebrum, eiusq; membranas sit impacta bilis phrenitides inducit, & paulò post in cerebro defixa eiusq; membranis phrenitides generabit*; ergo liquidò clarescit non unam potius quam aliam: sed utrasque partes cerebrum dumtaxat, simulque membranas laborare. 335

Vt tandem Celius Aurelianus suam assertionem ostendat, incidit in aliorum errorem asserentium non esse Medico necessarium scire an cerebrum, an meninges patiantur, cùm sufficiat scire cuinam parti remedia sint adhibenda. Logica enim est potius huiusmodi disputatio, quam ad curationem, utilitatem aliquam conferat, eo quòd qualibet cerebri parte phlegmone, aut inflammatione correpta, ipsi capiti ut dictum est medicamina apponuntur, quod probat auctoritate Gal. 2. *de locis affectis, cap. ultimo*, ubi habet ad hunc modum: *ob hoc autem ipsum exactè definire, utrum cerebrum, an membranæ ipsius primitivè afficiantur haud magnam utilitatem afferre potest, in utraque enim dispositione capiti remedia applicantur*, sed quam falso ij & alij Auctores fundamine nitantur supra manet adapertum ex Gal. 1. *prorrhetic. comm.* 1. *& comm.* 4. ubi quantum oporteat Medicum partem affectam morbum, & qualisnam sit cognoscere sigillatum est.

Verior equidem sententia magisque Gal 336
menti consona est quæ partem primariò affectam esse cerebrum constituit, quam sententiā amplectuntur, Aliabas 9. *Theorem. cap. de phrenesi*, Sillanus *supra* 9. Rasis *ad Almansorem*, Victorius Faventinus, Alpinus, sapientissimus Maglioca, Fernelius, & alij quam plurimi, & 1. Gal. 1. *de locis affectis, cap.* 5. ubi ex actione læsa arguit partem affectam, & ex differentiis actionis læsæ affectum ipsum denotare.

Probatur igitur huiusmodi assertio, nam 337
illa pars primariò debet esse affecta, cuius actiones primariò læduntur atqui primariò actiones facultatum principum læduntur; quæ cerebri sunt primariæ actiones: ergo cerebrum, quod est principium talium facultatum ac proinde actionum, erit pars primariò affecta; roboratur ulteriùs ex Hipp. *lib. de morbo sacro, nu.* 17. ubi prudentiam in animo esse statuit, & animum in cerebro, quo corrupto homines insanire docuit; ergo si in cerebri membranis facultates principes non adsunt, bene tamen in cerebro tamquam in vero principio meritò læso isto læduntur hæ facultates, ac proinde illarum actiones; propterea que ex affectu membranarum non dabitur delirium, ergo nec phrenitis: ergo solùm ex morbo in cerebro existente; ergo quia cerebrum est pars primariò

riò aff:cta, tum etiam *lib. de insania* dixit: *corrumpitur cerebrum à pituita, & bile & utriusq;* signa proponens ait, *qui verò à pituita insaniunt, & quæ sequuntur*, atqui insania est etiam delirium ergo eadem militat ratio de phrenitide, quæ cùm sit etiam delirium, requirit partem primariò affectam; esse eam, in qua resident facultates rectrices urgentius tamen Gal. 2. *de fracturis, textu* 23. quo in loco deliria aff:cto cerebro nasci docet, sicut affecto corde fiunt, ac accedunt febres: ergo ex Gal. currit simile inter febrem, & delirium; atqui febris noudum nomen, & naturam febris nisi cor calefiat meretur; ergo ita delirium nondum talem naturam; nisi cerebrum sit aff:ctum obtinebit; ergo sicut in febre cor est primariò pars aff:cta, sic in delirio cerebrum, ac proinde in phrenitide erit pars primariò affecta. Roboratur deinde, nam sano existente cerebro optime fiunt operationes principes; ergo illo læso necessariò læduntur: ergo cùm in phrenitide lædantur hæ potentiæ, principium ubi resident istæ, erit læsum ergo tale principium nimirùm cerebrum necessariò erit pars primò aff:cta, cùm ex actione læsa partem aff:ctam cognoscere debeamus.

338 Notandum tamen expedit quod cerebrum in quolibet delirio afficitur primariò ut subjectum principale, ac pars per se aff:cta vel per consensum, ita ut à toto corpore, vel à partibus compatiatur à partibus, quidem vel à septo transverso ut Gal. 5. *de locis affectis, cap.* 4. vel à pulmonibus, à pleura, à ventriculo ab hypocondriis, à musculis temporalibus, à talo vel ex utero sive ab omnibus partibus, quæ consensum, ac affinitatem cum ipso cerebro habent, quibus iactis, quomodo cùmq; in delirio semper cerebrum affici est necesse, nam si cerebrum in consensum non traheretur, nunquam delirium fieret, quoniam cum ipsum sit pars, iu qua rationis opera, tanquam in suo principio exercentur; propterea hæc rationis munia sive actiones nisi vel pars, vel instrumentum illarum vel per se vel per accidens læderur nequaquam læsæ dicerentur: aliàs quando cerebrũ debita & naturali temperie fruitur etiã illius actiones principes affici potuissent; ergo non indigeret alteratione ab aliis per consensum, ut delirium induceretur hoc est falsissimum; ergo dicendum est, quod ad constitutionem delirij necessariò cerebrum debet affici: ergo quia est pars primariò affecta & quamvis per consensum cerebrum ab aliis patiatur; aff:ctus tamen communicatus non dicetur primariò in aliis partibus in esse delirij; bene verò in esse intemperiei pendentis ab humoribus, ab aliis partibus transmissis; sicq; cerebrum non patitur delirium per consensum ab aliis, sed intemperiem communicatam, quæ dum iam est in cerebro delirij nomen, & naturam meretur (nunc sic) delirium in esse delirij cerebrum esse primariò aff:ctum postulat; sed phrenitis in suaessentia participat rationem delirij; ergo inesse phrenitidis etiam cerebrum primariò aff:ctum requiritur; quod confirmatur exemplo adducto caloris febrilis, qui licet ab humoribus accensis, vel spiritibus cordi communicetur, nondum nomen & naturam febris merebitur; usq; quo adsit affectio calorifica in corde, licet calor antecedens adfuerit in humoribus vel aliis corporis partibus, tunc enim cordi communicabitur calor præter naturam sive intemperies calida non tamen febris in esse talis, non aliter in nostro casu de delirio per consensum quod absolutè in esse talis, cerebro non communicatur, nisi in ratione intemperiei, ut ab ea postea cerebrum affectum præter naturam sit instrumentum ad rationes rectrices afficiendas improportionatum; sicq; tales actiones principes lædantur quæ vel ad variam phantasmatum motionem, vel spirituum vel dictã pravã temperiẽ insequuntur.

Ex qua Doctrina omnes superius assertiones propositæ solutæ, ac debitæ conciliatæ 339 manebũt nam cum auctores prædicti phrenitidem ab inflammatione fieri voluissent; mirum non est, quod omnes fieri in membranis iudicent, illamq; esse partem præcipuè affectam, non quatenus in eis mens, atque ratio adesset, sed quatenus in bis inflammatio excitabatur, à qua per consensum cerebrum ipsum afficiebatur cõmunicato transmissoq; calore, à quo actiones viriantur sicque cùm putarent hunc affectum ab inflammatione fieri, quia meninges locus aptior ad inflammationem adest, propterea meninges posuerunt non quidem quoad locum aff:ctum essentialiter, & ex natura rei, sed quoad locum continentem primitiuum, & conservantem; quare Gal. voluit cerebrum ipsum tanquam locum principem, in quo animæ ratiocinantis pars residet esse affectum, sicq; respiciens Magister symptomatis naturam, videlicet delirium, quod motus depravatus facultatis regẽtis est, ideo cerebrum, quoad symptoma primò affici statuit; non verò, quoad aff:ctum, cum poterat esse iam morbus primò in meningibus, ob quam rationem 4. *de præsagatione ex puls.* ex tenui meninge ortum ducere decernit, loquendo etenim quoad aff:ctum concausantem primò intemperiem in cerebro, secundò verò & indirectè delirium, sive phrenitidem, tanquam causa causantis ut causa causati dicatur.

Neque ex hoc negandum est, quod dum 340 cerebrum afficitur, membranas reliquasq; partes circum adiacentes lædi; & è contra, tum propter communionem, præstantiam, & vicinitatem, vel si malueris, Gal. nnn de propria & vera phrenitide alloquutus fuit: sed de paraphrenitide, quæ potius, per consensum nascitur, quod infertur ex eo quod asserat phrenitidem à septo transverso fieri, quod falsum est cùm vera nõ sit sed tantum per consensum communicata cerebro affectione, quæ usq; quo fit permanens, ac delirium continuum constituat, nequaquam phrenitis vera erit, ideoque à meningibus fieri protulit, & licet verum sit, quod etiam meninges

meninges eſſe affectas fatetemur, hoc tamen non eſt intelligendum de parte primaria affecta in utroque morbo, diverſum enim eſt dicere in cerebro eſt affectin, ac à cerebro affectin oritur: unum enim partem affectam denutat; aliud verò à qua parte affectus proveniat demonſt at, ut patet in fluxione podagrica, in qua pars affecta pedis articuli ſunt, qui aff ctus vel à cerebro, vel hepate intemperatis ortum duci, quare pars affecta in qua mo bus ad ſt, articuli ſunt; ea verò à qua oritur, cerebrum, aot hepar adſunt; ſicque rum phrenitis ab humore bilioſo calido, & ſicco, qui in cerebro non generatur, raròque reperitur; ſed aliunde confluit, proinde, quia ex aliis partibus, per venas ad ipſum pervenit, quæ venæ in tenui meninge maxima ſunt in copia, ex ipſa quæ humor bilioſus hic ad corpus cerebri transfluit, nihil eſt mirom ſi ex tenui meninge phrenitidem originem trahere dicat, non quatenus hæc ipſam bilem generet ſed quatenus eam continens phrenitidem indicat: ſed quatenus eam tranſmittens in cerebri corpus ſit prinripium à quo, non verò in quo phrenitis, ſicque ſe habebit ut pars à qua affectus, phrenitis nimirom oritur, non quidem ut pars in qua propriè conſtituitur, ut dictum eſt de podagra, ac de corde, ut detur febris tanquam in principio in qoo, non tamen à quo; hoc tamen intelligendom eſt etſi concedamus in cerebri membranis inflammationem, ſive tumorem calidum reperiri; cùm iam ſupra ad naturam phrenitidis, nequaquam inflammationem ullam requiri probatum maneat.

Nec minoris ponderis, ac difficultatis
341 citea Magiſtri textum occurrit dubitatio,
cùm Gal. uniformiter repellentibus ſolùm in cerebri, & ejus partium inflammationibus utatur, cumque prædictæ inflammationes, vel phrenitidem, ſive lethargum inducant, propterea de lethargica affectione non exigua oritur dubitatio, cùm plurimæ rationes contrariæ ad repellentia repellenda adſint, Rogerius enim, Ioannes Mattheus Agradi, Marinellus, Mercatus, Mercurialis, Vega & alij exiſtimarunt, non debere tantum ſimplicibus repellentibus ad materiam lethargi repellendam uti, ſed una cum iis aliqua calida diſcuſſiva eſſe applicanda ita ut oleo roſaceo, & aceto, addendom ſit aliquid, vel Caſtorei, vel Serpillij, vel thimi, vel pulegij, ac alia ſimilia.

Probator quidem hæc ſententia primo: nam in lethargo materia eſt frigida, atqui
342 repercuſſiva efficiont ut materia magis infrigidetur: ergo iſta non ſunt in lethargo ſimpliciter applicanda, præterea qoia cùm materia ſit multa atque phlegmatica non repellitor nam alia quæ ſubſequitur, cum multa eſt, non cedit, neque altera pars huic; ergo inanis horum repellentium erit uſus; quam aſſertionem Mercurialis roborat; quoniam repellentia illis humoribus aut vaporibus conveniunt, qui facilè poſſunt loco moveri ſed pituita lethargum inducens non valet facilè moveri ergo talis materia non erit repercutienda, minor eſt manifeſta, cùm ſit materia frigida craſſa, & viſcida: ergo non facilè poterit moveri.

Quas aliqui rationes perpendentes reſ- 343
pondent, quòd ſi lethargus in principio principij adeſt debitè ad ſola repellentia eſt deveniendum, at verò ſi lethargus ſit in augmento, ſeu poſt principium principians, tunc his frigidis calida & diſcutientia pharmaca ſunt apponenda. currit enim iam hoc in caſu partim reſolvendi, partimque repellendi intentio, propterea his ſimul commixtis uti debemus, quare Gal. de lethargo in primo ſignificato alloquitor in noſtro textu, in ſecunda vero ſignificatione Alexander Serapio, Raſis, Meſues, & alij agunt.

Mercurialis tamen hanc deciſionem valdè 344
taxat, nam aut lethargus fit per paulatinam pituitæ collectionem aut per affluxum aliunde provenit: ſed quorumque modo fiat etiam in principio principiante lethargi ſemper materia eſt fixa: ergo per repercuſſiva non poterit revelli; ergo hæc non erunt adhibenda. Roboratur ex Hippocrate, *tertio de morbis*, aſſ. rente, curandum eſſe ut æger multum expuat, calefiat, & à vino abſtineat; ergo non erit refrigerandum. 345

Propter has tamen rationes nequaquam Magiſter Gal. eſt derelinquendos. cùm melius ſit cũ eo inſanire, quàm cum reliquis ſapere, ſicque illius ſententia, ut verior, ſemper eſt collaudanda: nam quantomvis frigidus humor fluens ſit, ſemper eſt repellendus: atqui in lethargi principio humor eſt fluens: ergo eſt repellendus, cùm de ratione repellentis ſit fluentem homorem à parte in quam eſt aptus fluere, fugare: Dices tamen quod in principio conveniunt repercutientia ratione humoris fluentis, ſi verò hæc ſola adhibeantor, valdè parti ipſorum fluxæ, & firmatæ obſunt: quare potius huiuſmodi repellentibus aliqua diſcutientia, quam è contra adire oportebit.

Sed contra ſic inſurgo, non eſt poſſibile 346
ut in principio principij ſit materia in caput firmata, alias non eſſet iam principium; ergo ex hac ratione medicamenta diſcuſſiva repellentibus non ſunt admiſcenda. Antecedens probatur, nam idem in quantum idem, ſob eadem conſideratione perpenſom repugnat, quod ſit nunc in fieri, ſive in produci, ac in facto eſſe, vel in producto cùm hoc non in inſtanti fiat, ſed in tempore, media ipſius ſucceſſione; ergo, ſi eſſet verum quòd ij Auctores inquiont, eſſet etiam verum dicere, quod lethargus eſt in principio aut in fieri, ac etiam eſt in facto eſſe, & in ſtatu cùm materia ſit fluxa

& adhuc fluat, quòd veritari non consonat; cùm non omne quod fiat statim factum esse dicatur; ergo prædicta opinio est falsa: impugnatur deinde nam in istorum opinione lethargus in inflammatione consistit: sed omnes tumores sua tempora obtinent, quæ diversas medicamentorum species & qualitates exigont, ut pro temporis diversitate diversam virtutem habeant, ergo in principio repellentibus, veluti oxyrrhodino, ut ait Magister in textu, in augmento repellentibus simul, ac discutientibus, in statu verò solis discotientibus, in declinatione tandem solis ipsis resolventibua non tantillo repellentium adhibito, erit utendum ut Galenus *libro secundo & sexto per loca capite primo.*

347 Ingenio è tamen quis dicet verum quidem esse lethargum, non posse dici futurum in fieri, & in factum esse ratione eiusdem humoris fluentis: sed bene verum esse quòd in principio, in quo lethargus fit etiam humot fluat & aliqua illius portio sit iam affluxa; ut propterea cùm omnes morbi permanentiam obtineant, ut Galenus *secundo de locis affectis, ac secundo methodi*, proinde cùm lethargus morbus sit, ut talis, dicitur aliquid factum, ratione cuius operationibus nocet, ratione cuius factus dicitur, at verù ratione eius, quòd iam fluit dicitur in principio, sicque hoc modo perpensus repellentia simul & discutientia conveniunt.

348 Sed contra hanc solutionem sic insurgo nam ex prædicta responsione sequeretur inter principium & augmentum morbi nullam dari differentiam, in principio enim est aliquid facti, & in aogmento etiam est aliquid factum: atqui, in augmento est aliquid futurum, ut propterea dicatur augeri, ex eo quòd humor denuò influit, non aliter per vos in principio quid factum iam, & fixum, ac fiens, adest quia principium; ergo principium & augmentum morbi in essentia, & in curandi morbo nihil different, siquidem, in morbi principio (ut isti asserunt) repellentibus, simul & discutientibus utuntur: ac ita operandum esse in augmento Galenus docet, ut supra est dictum; ergo nequaquam huiusmodi morbi tempora different; ergo frustra aliquid in principio & aliquid in augmento esse dicitur: atqui hoc est in omnium medicorum doctrina falsum; ergo falsa pariter est solutio; ipsa enim nomenclatura significat quod illud tempus in quo fieri incipit morbus, principium dicitur augmentum verò qoando jam etsi sit, augetur magis, habet tamen aliquid subsistentiæ ratione eius, quod factum est, cùm principium nihil subsistentiæ habeat, cùm essentia rei produci incipiat, quæ nondum producta subsistere non valet, vel si maluetis; etsi morbus suam habeat essentiam factam, quia affectus permanens est, ac proinde respectu alicuius portionis materiæ lethargus incipiat quoad illam tamen essentiam sic affectus dictus, prout tamen tantillum, ut sic loquar, sive parvula sit adhuc recepta materia, ac proinde fluat, fluxura tamen, quia multa, & immodica, impetunséque irruet, sit in tali principio attenuetur, propterea completæ indicationi repellentia, non verò discutientia satisfacient: quare expositio principij, & augmenti constabit ex Galeno, *primo Prorrheticorum, commentario primo, primo prognostic. commentario nono*; ac *primo de crisibus, capite tertio, quarto & octavo*; & *2. de ratione victus* 45. ubi Avicenna *fen. 1. quarto capite de horis febrium*: ergo si res ita se habet, falsa est solutio adducta. Roboratur similiter hæc doctrina ex Avicenna, qui asseruit repellentibus utendum esse in lethargi principio, videlicet usque ad duos dies primos sui principij, circa quod Rasis *lib. ad Almarsorem*, primum caput usq; ad diarrion oxyrrhodino infundemos, ait, nam post hos dies augmentum advenit: quare in hoc principio principij, dum recenter fluit materia hujusmodi repellentium usus commendatur.

349 Notandum tamen confert quòd Galenus *primo ad Glauconem, capite decimoquinto*, in multitudine quidem crudorum humorum, ac frigidorum tepidis, in calidorum frigidis repellentibus utendum esse docet: propterea in lethargo, quia materia frigida est, repellentia actu frigida nequaquam, sed tepida sunt adhibenda, ad maiorem refrigerationem vitandam, sive præcavendam; ne, inquam humor magis infrigidetur, non quidem calida, atque ferventissima esse applicanda hujusmodi repellentia voluit, quoniam non repellentia dicerentur, cùm actu calida, potius quàm repellerent, discuterent, sive etiam ad partem affectam causam morbificam vehementius traherent, tum etiam ut per dictum teporem, sive calorem remissum cerebri temperies, quæ moderatè calida est, conservetur, cùm frigidum respectivè à Medicis cerebrum nuncupetur.

350 Ex quibus facilè rationes in contrarium adductæ valent dissolvi: prima enim argutiea dissolvitur, respondendo quòd per repellentia actu frigida bene quidem materia refrigeratur, atque incrassatur, non verò per tepida; & licet ista adhuc refrigeraretur, maior tamen utilitas, quàm damnum ex hujuscemodi refrigeratione sequeretur: tunc enim materia fluere ad ipsum cerebrum cessaret, sicque illius depravatus motus impediretur, quæ pro tunc principalior Medici intentio, ac indicatio militat.

351 Secundæ similiter rationi satisfit, dicendo, quòd omnis materia repercussivis

repelli

repellitur, licèt multa sit, quia tamen eodem tempore diversæ evacuationes media sanguinis missione, frictionibus, clysteribus irritantibus, & aliis fiant, propterea deposita humoris multitudine, illius motus sedabitur, ne ex dicto repellentium medicaminum usu ulla incommoda nascantur.

352 Tertiæ similiter argutiei Mercurialis, respondendo non solum repellentia humoribus facilè mobilibus deberi, sed ægre etiam, imo in his vehementiora repellentia conveniunt, quia ubi maior in repellendo difficultas adest, ibi intensiora repellentia conferunt, eo quòd ad maiorem passi resistentiam maior agentis activitas, sive robur exigitur; sicque etsi cerebrom frigidum sit, non tamen absolutè, sed comparativè; ideoque repellentia potius ad materiam fluentem repellendam, quàm ad cerebri temperiem destruendam serviunt; imo, ut dixi, cerebri temperies servatur: nam cùm actu tepida applicentur, propter dictum teporem moderata partis caliditas custoditur; nec si asseras valer, quòd materia jam est aggregata, & fluxa: hoc enim obnegatum est, quòd in principio principiante sit fixa, cùm repugnet dici principium, & quod sit factum: quare in priocipin principij, etsi aliquid sit fluxum, hoc tamen non tollit repellentium usum, eo quòd multo maior materiæ copia, quæ fluxura est, quàm quæ fluxa adsit, repellit, & cùm ab illa maius periculum pendeat, propterea illi primò est medendum. Secundò verò, ex eo quòd non actu frigida, sed tepida præscribuntur; quapropter qoamvis morbus aliquid factum arguat, non tamen subitò huic facto Medicus auxiliatur, sed ei quod urgentiùs indicat sui ablationem obsistit; postea verò ad morbum, qui jam factus est curandum devenit: frustra enim Medicus morbum à causa pendentem profligabit, si primò causam non auferat, ut Galenos *quarto Methodi quarto, septimo Methodi, capite decimo septimo*; *undecimo Methodi, capite decimo*; ac *tertio Artis Medicæ, textu octogesimo primo*. Postmodum verò id quod factum est abigit. Propterea dicendum est quòd Hippocrates dum dixit procurandum esse ut plurimum expuat, quod signum est materiam jam fluxam esse, ac ut calefiat ad materiam insensibiliter evacuandam, potius intelligendus est senex de lethargi declinatione, quàm de ipsius principio, cùm evacuationem sensibilem & insensibilem resolutionem intendat, qoæ neqnaqoam in morbi principio sunt exequenda. Non aliter Galeni locus, dum inquit frigidis affectibus calida esse commiscenda, solvitur facillimè, asserendo, quòd nequaquam Galenus de morbi principio, sed de augmento, cùm in hoc jam aliqua discussio requiratur, alioquutus fuit, propterea quia repellentia à Galeno assignata, ut oleum rosaceum cum aceto, jam habent vim incindendi, attenuandique prædictam materiam, non verò alia repellentia crassa, ac frigida, quæ nullam habent potentiam sese intus per suturas, ac cutis poros insinuare, de quibus nec Magister est intelligendus, nec nostra doctrina proponitur.

Nec minoris commodi est scire quòd 353
prædicta medicamina repercussiva potius in anteriori, quàm posteriori capitis parte sunt admovenda, ut Galenus *loco citato decimo tertio Methodi*: nam hic locus est ad remediorum penetrationem aptior, cùm in hac parte ampliores suturæ reperiantur, sicque vires faciliùs ac promptius medicamenti cerebrum penetrare possunt. Deinde, quia si parti anteriori apponantur, nullum dubium de morborum nocumento, ut in parte posteriori timetur, tandem ostendit: ibi enim auxilia sunt applicanda repellentia, ubi vapores ac humores ad cerebrum tendunt, atque ij maximè per anteriorem partem fluunt, sive ascendunt, quia huic parti venæ ab inferioribus partibus elatæ pertingunt: ergo prædictæ parti remediorum applicatio est exercenda; quòd autem prædicta vasa inferna cerebrum pertingant, patet: inibi enim est plexus coronalis, rete mirabile dictum, ac inibi arteriæ pertingunt; ac proinde per hanc partem maior communio cum ipso cerebro adest: ergo humorum defluxus vehementior: ergo ex his vapores ascendentes vehementius, ac citius à dictis repercutiuntur; cùm verò in parte postica inobedientia, ac impenetratio ratione densitatis & duritiei substantiæ nerosæ sit, ac generi nervoso non exiguum nocumentum possit subsequi, propterea non ita hæc remediorum repellentium administratio erit administranda, licet sit pars in qua residet memoria læsa, quæ præcipuè sit affecta: nam repercussio potius ad fluentem materiam, quàm fluxam in parte decernitur, bene tamen declinationis tempore resolventia, ac discutientia conferunt: nam cùm ista potius calore tum actuali, tumque potentiali polleant, non inconveniens ratione nervorum ad paralysim inducendam, neque medicamenti penetratio difficilis erit.



CAPVT XIX.

Quæ partes per quas vias, & quæ remedia evacuentur.

554 T debita succorum expurgatio contingat, aliqua in præsenti Magister proponit, primùm quidem partes expurgandas, vias per quas, modum, corpora, & humores educendos parandi, tandemque incommoda, quæ ex præparantium medicaminum in phlegmonibus internis, usu subsequuntur, docet; ut his à tenebris separatis, in lucemque editis, veriùs & firmiùs Medici auxiliorum purgantium usum decernere valeant.

T E X T V S.

Illud te profectò non fugit, &c.

555 EX indebita præparatione, dum quis corpus purgare aggreditur, plurima nocumenta ægris exhibet; aut enim levi pharmaco utitur, & tunc movet, nihilque evacuat: aut vehementi, ratione cujus eum magna corporis noxa extorquet, gravissima symptomata inducens: quare cùm pharmaco mediocri debeat uti, magna præparatione uti expedit, antequam medicamen purgans exhibeatur, ut *capite quarto Libri quos, quibus & quando*; tum etiam *Aphorismorum secundo, Commentario nono*, dum ait Hippocrates: *Corpora ubi quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere*: hoc tamen non exigua animadversione indiget: si enim necessitas adeo urgeat, ut tempus præparationis non expectet, ut in succis turgentibus nulla facta præparatione, ut Hippocrates *quarto Aphorismorum, sententia decima.* Eadem die pharmacum erit propinandum, quod regularem Magistri doctrinam non excusat: duplex etenim est necessaria præparatio, de qua in præsenti Capite Magister alloquitur, altera corporis, alia verò succorum; quod ad corporis præparationem attinet, quacumque via, sive ductu purgatio, sive evacuatio sit agenda, opus est meatum aperire, ut Hippocrates *nono Epidemiorum, parte secunda* inquit: *Transitus aperiri, ut nares, & alia quibus opus est, & ut convenit, & quali, & ubi, & quando, & quantum oportet, ut sudores, & alia plane omnia*: quare sive expurgatio per superna, sive per inferna sit agenda, vias aperire, laxare, obstructionesque tollere oportet, tum eas, quæ per universum corpus sunt, tum vel maximè eas quæ in hypochondriis adsunt, quia per hæc via per quam sunt expurganda extirit, oportet etiam ad omnem expurgationem corpus esse humidum, præcipuè tamen dum per superna est celebranda; arido enim corpori expurgatio extremæ periculum exsiccationis adfert, & præcipuè quia media vomitione aliquod thoracis vas disrumpi imminet, quoniam quæ humida, mollia, laxaque sunt, minus quàm sicca disrompi solent; ad corporum nimirum præparationem, & humectationem quies, cibus & balneum valde conducunt, ut quietem ac cibum memoratur Hippocrates quarto Aphorismorum, sententia decima-tertia. *Qui accepto elleboro non supra facilè purgantur, iis ante potionem corpora humectare cibo & quiete expedit.* Balneum attulit, *epidem. quinto* asserens, veratrum epotum. *Si celeriùs purgare corpus vis, lavare, aut cibum sumere oportet.* Vbi nomine *cibi*, non quilibet cibus venit intelligendus, sed medicinalis, cujusmodi sunt serapia, quibus communiter utimur, nisi in illis qui per vomitum sunt expurgandi, tunc enim latiùs cibis erit utendum, quàm in his qui per intimum sunt expurgandi; quare cibo humectante, & multorum serapiorum usu corpora præparantur ad expurgationem, ut potius magnam medicamenti acris, & vehementis reformidemus, ut bene doctissimus Vallesius inquit. 556

Alia verò præparatio, de qua sermo currit, succorum est, qui si crassi, & glutinosi extiterint, attenuandi, inscindendique sunt, ut fluxiores redditi, faciliores ad expugationem sint; an verò qui tenues sint, jam præparandi sint per incrassationem, satis discussum & solutum reliqui *libro de purgatione.*

T E X T V S.

Intestino, ventriculo, &c.

357 VIas peculiares per quas purgatio agi debeat, exponit jam Galenus, ut sunt ventriculus, intestina, mesenterium & concava pars hepatis, quæ per dejectionem purganda esse docet. Videtur tamen Galenum inconsequentem alloqui, cùm contrarium docere videatur *capite quinto Libri quos, quibus, & quando*: ibi

ibi enim monet quòd humor biliosus per vomitum, pituita verò per ventrem inferiorem purganda sunt: frequenter enim bilis in ventriculo, veluti pituita in intestinis adest, licet aliquando contrarium fieri debeat, ut si pituita in ventriculo, bilis verò in intestinis sit, pituita per vomitum, bilis verò per inferna evacuabitur, tum etiam Hippocrates *quarto Aphorismorum, sententia quarta* inquit: *Æstate per superna magis; hieme verò per inferna*: ergo ventriculus non semper per dejectionem est expurgandus; nec minus *Aphorismorum quarto, sententia sexta* ait: *Graciles & facilè vomentes per superna, cavendo hiemem.* & sententia septima ejusdem. *Difficiles verò ad vomitum, & mediocriter carnosos per inferiora, cavendo æstatem purgabis*: ergo ventriculus aliquando per vomitum, aliquando verò per dejectionem expurgabitur. Tum similiter Magister *septimo Methodi, capite decimo-tertio* dixit: *Ventriculum vomitu expurgari*: ergo in præsenti sibi contradictionem imponit. Dicendum tamen est pro Galeno, quòd ventriculus utrinque expurgatur, quo scilicet humor urgeat: nam si bilis flava superabundat, ac æstivo tempore, ad superna movetur; si verò pituita, & in hieme, ad inferiora vergit, licet in ventriculo sit: quare habita ratione ad naturæ humoris motum, & partem in qua existat, evacuari poterit; quod inspiciens Hippocrates *primo de humoribus, sententia decima* inquit: Inclinatio sursum, declinatio deorsum, proptereaque, etsi in præsenti Galenus asserat ventriculum dejectione purgari; hoc propriè de humoribus ad inferiora tapientibus intelligitur, nec si Galenus in testimonium adducatur, sufficit, ex eo quòd *libro quarto Aphorismorum, Commentario duodecimo* sic alloquitur: *Sola enim natura apta sunt evomi, quæ in ventriculo continentur: eorum verò, quæ continentur in intestinis nihil potest per vomitum evacuari.* Hæc quidem doctrina, non semper evomenda esse, quæ in ventriculo continentur, firmat, sed adducit signum: quòd si evomantur, est quia in ventriculo continentur, possunt tamen aliquando per dejectionem expurgari, si humor ad intestina repat; etiam si contentus in ventriculo exstiterit.

358 Progreditur ulterius Galenus, alias corporis peculiares partes demonstrans, per quas vias expurgandæ sint; primoque inquit, quòd renes, vesica jecinoris connexa pars, vena cava, arteria magna, ac omnes partes, quæ in lumbis habentur, per urinam evacuari debent, cujus est ratio: nam cùm evacuare oportet, ea via evacuandum est, in quam ipse humor natura inclinare cœpit: si enim natura in aliquam partem inclinat, & Medicus in aliam humorem ducit, naturæ nihil proficiet, quia motus arte factus ei obsistit; sicque nequaquam natura adminiculabitur, proptereaque morbo nec victo, neque imminuto facultas languescet: quare Medicus signis cognoscere debet, quo versus succi impetum cœperint efficere, cogitare propterea, an in regionem proficuam inclinent, quòd si cognoverit eo ducere, si tamen ducere oportet, ut Hippocrates *primo Aphorismorum, sententia vigesima prima* ait: *Quæ educere oportet, quò maximè natura vergit, eò ducere per loca conferentia.* Oportebit quidem, si non videatur naturam satis magnum impetum cepisse, ad per se totum succum expurgandum: si enim eum cepit, nequaquam vellicanda est natura, nam quæ judicantur, aut judicari parantur, aut integrè judicata sunt à Medico, nequaquam movenda, ut *sententia vigesima* ejusdem; si verò videatur humorem in regionem non convenientem inclinare; illius impetum juvare non convenit; imo revellere & avocare, ut Hippocrates *sexto Epidemiorum*, sic fatur: *Revellere, si quò non oportet urgeat; si autem, quò oportet aperire, ut singula vergant*: quare quod vocat convenientem regionem idem est, ac quò oportet. Regio quidem conveniens valet esse simpliciter, aut ad morbum: quædam enim sunt regiones natura aliis magis convenientes ac idoneæ, quædam verò quibusdam morbis magis quàm aliis: nam semper est melius evacuationem extra corpus agi, quàm ad aliquam partem aliquem abscessum fieri, & adhuc ipsi abscessus, qui ad infernas partes utiliores, quàm, qui ad supernas fiunt, sunt æstimandi, veluti qui ad externas, quàm qui ad internas, & qui ad ignobiles, quàm qui ad nobiles minus mali erunt. Proptereaque si abscessus ad partes inferiores, atque adenosas sint, nequaquam est tentandum materiam repellere; sed potius quò natura vergit vocare: illa enim pars, atque regio abscessui nequaquam est incommoda, si tamen succus in principem, aut internam partem irruere videatur, revellendus, avocandusque est: quare merito Galenus in Textu inspiciens regiones convenientes, per quas succus per urinam expurgari debeat, renes, vesicam, jecinoris convexum, venam cavam, & reliquas in lumbis existentes, commonstrat magis idonea esse. Notandum tamen est non quolibet tempore, utcumque hoc ita exequendum esse: nam si corpus multo vitioso succo refertum facit, prius per dejectionem evacuandum erit, deinde cùm jam mediocri succo plenum exstiterit per urinam hujusmodi materia est movenda, ut ipse Magister *libro primo, capite decimo-tertio* satis exposuit. Si deinde humores vitiosi non fuerint, qui pot-

gationem non indicent; sed sola plenitudo, potius primo sanguis est mittendus; tandemque tutis medicamentis urina est provocanda. Nec solùm ex Galeni doctrina perpendendæ partes, & regiones, per quas succus est movendus sunt, verùm etiam ipsi morbi, ut supra est dictum: non enim omnes evacuationes morbis omnibus æquè sunt utiles; sed unicuique suæ propriæ: pluries enim, ut morbus faciliùs, & incommodum naturæ solvatur, evacuatio ex vicinia viæ cum parte malè affecta convenit, ac ex rectitudine partis, cum parte, & ex natura succi morbum producentis. Omnes enim morbi melius per partes vicinas, ac rectitudinem habentur, quàm per longinquas, aut duras judicantur, omnesque morbi ex tenuibus humoribus pendentes melius exsudatione, quàm alij decernuntur; quapropter si in febre ardente videamus succum ad cutim inclinare, nec magno impetu fiat, sudor provocandus erit, præcedentibus tamen signis crysimis, quæ ratione coctionis, regionis per quam, & naturæ succi à quo morbus nascitur, desumuntur, ut Tractatu *de crisibus* latiùs adaperui. Alias tandem in Textu Magister enumerat partes, per quas conveniens expurgatio fieri debet, sicque inquit pulmonibus, & pectori ipsam asperam arteriam, & fauces subservire, ut per eas debita & idonea expurgatio fiat, quemadmodum cerebrum, & ejus membranæ per palatum, & nares debent evacuari; & merito: nam aspera arteria vocale organum, & spirabile est, quia fistulæ instar aërem in pulmones deducit, ac fumidos vapores, qui spirituum recrementa sunt, ab eodem excipit; sicque simul per hujusmodi fistulam pulmonum excrementa per asperam arteriam, medio sputo ejiciunt, veluti etiam, quæ in pectore continentur; media enim in pulmonum substantiam ita mollem resudatione, per vehementem exsufflationem in asperam arteriam transcendunt, ut tanquam per viam à natura destinatam expellantur: proptereaque Hippocrates *quinto Aphorismorum, sententia octava* inquit: *Quicumque pleuritici facti in quatuordecim diebus, non supra purgantur, iis in suppurationem mutatio fit*: Sicque maximè oportet, ut materia morbifica in pleura inflammata, contenta media resudatione per pulmones in asperam arteriam deveniens, debitè expurgetur: non igitur immerito Galenus in præsenti asperam arteriam, & fauces, ut loca & vias à natura destinatas assignat, ut quidquid in pectore & pulmonibus superfluom adsit evacuetur; pro quo fundamento Hippocrates *quinto Aphorismorum, sententia decima-tertia* inquit: *Qui sanguinem excreant spumosum, iis ex pulmone educit*: partem nimirum affectam, & viam per quam sanguis excernitur assignans; tum etiam Aphorismorum septimo, sententia decima-quinta: *A sanguinis sputo puris sputum.* Qualitates, ac sputi mutationes adducens partem, ex qua nimirum pulmonem commonstrat, eo quòd non omne sanguinis sputum habet aliud purulentum subsequens: sed præcipuè, quod malignum existit, cum hoc omnino à pulmone fit. Nec minus redundantia in pectore excrementa per asperam arteriam & fauces expurgari, ut per sputum ipse Hippocrates ostendit, cùm *sententia undecima ejusdem Libri* asserat: *Qui tabe molestantur, si sputum quod extussiunt graviter oleat injectum carbonibus, & capilli à capite defluant, lethale*: ergo ex his omnibus thoracis, & pulmonum sputis colligitur partem, ac viam à natura fabrefactam, ut excrementa pectoris & pulmonum expurgentur, asperam arteriam, & fauces adesse.

Alias demum convenientes regiones, 359
ut cerebrum expurgetur, nares & palatum esse inquit Magister: per nares etenim odorum omnium species ad cerebrum feruntur, simulque per eas aer ducitur, tum ad pulmonem, tum ad cerebrum, ut spiritus animales gignantur, tandemque per illas mucosa cerebri eluvies expurgatur, cujus utilitatem Magister perpendens, Medicum talem evacuationem in excrementorum cerebri redundantia exercendam, operaturum monet, veluti etiam per palatum, cùm hoc ductus idoneus tum aëri vernaculo expurgando, & aurium recrementis evacuandis sit; tum etiam ut insitus aër novi per os inspirati appulsu recreetur, demumque ut aëri externo per auris foramen impetu irruentis, per hujusmodi viam aditus patefiat, sicque inter hos ita naturæ opportunos usus, cùm non minoris momenti expurgatio excrementorum cerebri sit, ideo Magister hanc partem, ut convenientem viam, & regionem assignat.

TEXTVS.

Pariter fluxibilitas, &c.

AGit jam de fluxibilitate, quæ humorom est præparatio in his præci- 360
puè qui per sedem excerni debent, præparantur quidem, aut mulsa, aut cibis emollientibus, aut medicamentis modicè irritantibus: nam quæ acriora sunt maximè vitare oportet; eo quòd periculum ad phlegmones exacerbandos imminet: quare si ventriculus, jecur & lien aliquando phlegmone sint vexata, adhuc ipsa

ipsa mulsa non solùm non est utilis, imo nocua, cùm illico in bilem transeat, ac viscerum phlegmones augeat. Excrementa verò ut per urinam excernantur, medicamentis urinam cientibus promovenda sunt, quemadmodum quæ in pectore, & pulmonibus sunt tussi, per ea quæ virtutem ipsam suscitandi habent, vacuanda expediunt, veluti quæ in cerebro & ejus membranis reperiuntur per nares medicamentis errhinis dictis evacuanda, ac per palatum saliva media mediis apophlegmatieis educenda.



CAPUT XX.

Quo tempore, & qua ratione cataplasmata relaxantia, & balneum ægrotos juvent.

613 

Postquam Galenus *in antecedentibus* Medicos, qui perfusionibus, & cataplasmatis calidis utebâtur, nulla corporis evacuatione præcedente, ut ballucinatos, & insanientes reliquit, jam *in præsenti Capite* commoda ex illorum usu subsequutura proponit; ex eo quòd maximè ex prædictis remediis, debita occasione adhibitis utilitates subsequuntur: quare impedientia prius adducit, mediis quibus valde nocent, ac discrimen inter prædicta cataplasmata, & balneum in majori nocumento commonstrat, si indebitè administrentur, eo quòd in principalioribus corporis partibus phlegmone obsessis majori soccorum attractione, à cataplasmatis facta vehementior affectus exacerbatur, tandemque Galenus in aliquibus partibus languore jam contracto, quia remotis & extremis usum balnei maximè collaudat.

TEXTUS.

Etenim horum quoque omnium, &c.

Cum non *in præsenti* Galenus promiserit, partis cujusque phlegmone obsessæ curationem docere: sed potius noxam, quæ ex cataplasmatis in febribus, corpore non vacuato, subsequitur ostendere; præcipuè ubi intra corpus aliqua pars phlegmone infestatur: si etenim aër ambiens ita calet, ut valenter materias liquet, major noxa ex prædictis cataplasmatis, quàm ex lotione in balneo evenit, licèt verùm sit, quòd plurimi Medici, qui quotidie præcordia calefaciunt, ac fundunt, non solùm nullam ex his noxam, sed etiam magnam utilitatem ægris comparari pronunciant. E contra verò ex lotione non modo nullam utilitatem, sed etiam maximum incommodum, quod totum dependet, quoniam non solùm naturam balneorum ignorant, sed etiam ea, quæ circa æquum administrant: sicque Magister nunc, quibusdam balneum nihil nociturum esse, quibusdam etiam minus, quàm cataplasmata exponit: nam omne illud, quod relaxantia cataplasmata in præcordiis efficiunt, id balneum non in unica tantùm parte, sed in toto corpore efficit, quoniam in remissione febris, corpore jam mediocriter transpirante maximum commodum exhibet, cùm omnia tum fuliginosa excrementa, tum fumida utiliter educat: valdè enim spiracula laxat, humores calefacit, & extenuat, fluxosque liquet, ex his fuliginosos, non solùm ex summis, sed etiam ex intimis regionibus corporis dissipat, fluxosque foras evocat, sudoresque prolicit; crassiores verò, quos discutere non valet, fundit, tantaque vi conneitat, ut illi in alias jactati partes confluant: sicque balneum morbo gravi laborantibus, & illis, qui citra morbum impuritatem corporis habent, veluti etiam habitum plethoricum maximè nocet. Vnde ut citra noxam in febrium declinatione balneum permittatur, tria inquit Magister necessariò requiruntur. Primum etenim, quod citra horrorem sit administratum: secundum, quod nullum primæ notæ viscus, aut pars princeps imbecillitate laboret: tertium verò, quòd humorum crudorum moltitudo in primis venis non contineatur; horror autem non solùm actualem febrem intendere medio balneo valet, sed etiam quamvis non præcesserit, eam interim excitare: partes præterea imbecilles liquatos jam humores magis reci- 362

piunt, quàm antequam liquarentur: crudorum similiter copia in totum corpus distribuitur: si tamen nihil horum obstet ex usu balnei, duo valde utilia florent, & quod aliquid redundantiæ humorum evacuabit, & quod multum febrilis caloris melius transpirabit: sicque temperatior redditus remittetur; si verò absque eo quod aliqua princeps pars langoore afficiatur, sit tamen aliqua alia inferior corporis invalida, uti in podagricis sunt pedes, & in iis qui aliquo articulorum vitio laborant, tali in casu maxima salutis pars ex usu balnei comparabitur ægro, quoniam ipsæ partes inferinæ languidæ, quæ corporis supervacua sint excipient: nam cùm soleant jam non nunquam citra balneum in hujusemodi partes supervacanea confluere, propterea citius ratione balnei, ac melius, quia succi magis liquati pariores, ac viæ per quas permeant patentiores redduntur, vigent; sicque podagrici hujusemodi auxilio juvati diu vivunt: excrementum enim à quolibet robustiori parte melius expellitur, ac in partem omnium imbecillimam dilabitur.

TEXTVS.

Relaxantia cataplasmata, &c.

363 OStendit ulterius Magister *in præsenti* nullum commodum cataplasmata, neque perfusiones similem facultatem obtinentes afferre: sed potius omne supervacuom ad quodcumque membrum imbecillius, quod circa corporis medium sit attrahere sive jecur, sive ventriculus, sive septum transversum, sive mesenterium, sive jejunium, sive colon, aut renes sint. Si tamen pectus calefieri contingat, vel in ipsum, vel in cor, vel pulmones superflua rapientur: partes autem imbecilles appellantur tripliciter, vel nimirum, quia natura magis intemperatæ adsunt, vel quia ex præcedente aliquo morbo intemperiem contraxerunt, vel illæ quæ tempore præsenti in illam perveniunt: non enim omnes partes, quæ aut phlegmone laborant, aut putrescentes humores, aut obstructiones continent, statim imbecilles fiunt; promptiùs tamen in partes ægras, propter earum excedentem calorem, quem affectus excitat, quidquid superfluum sit, fertur. Particula etenim, quam obstructio, aut putredo, aut phlegmon afficit, febris ipsius veluti focus est: quare quando illi propter immodicum calorem sua sponte jam intempestivè trahenti, alia occasio ex his, quæ potestate calefaciunt, extrinsecus supervenit, necessariò affectus inteodetur, evacuato tamen corpore, ut supra est dictum, ubi maxima febris non adest; si aliquis relaxantibus curet, aliquando utique valet prodesse; sicqoe etiam lavare citra noxam licebit.

TEXTVS.

Cavendum tamen à frigido solio, &c.

ADvertit tandem Galenus locum ubi balneatio ægris conveniat: si enim in frigido solio febricitans collocatus fuerit, cùm succi crudi & putrescentes minus apti ad exhalandum, & concoquendum reddantur, propterea valde à prædicto loco abstinendum: officit etiam his laborantibus, si aqua admodum frigida sit, licet hujusmodi verba intelligantur à sapientissimo Lemosio pro usu aquæ frigidæ in potione, fallitur quidem: nam Galenus eundem prosequens sermonem, ac doctrinam, de balneatione inquit aquam nequaquam esse admodum frigidam convenire; & ratio est in promptu: nam in sequentibus verbis inquit Magister: *Quo fit, ut vel perfundere illos aqua idonea soleamus, vel si moderatè qua in natatione est frigeat*: ergo ex Magistro deducitur, quòd aqua debet esse tepida, veluti illa, qua in natatione tempore æstivo utimur: ergo potius aqua in usu balnei, quàm in potione est apud Galenum intelligenda. Bene tamen verum est frigidæ aquæ in potione usum pariter laborantibus, qui succorum cruditate afficiuntur valde officere, cùm corpus, quod potius difflari, ac evaporari exigebat immodicè denset, ac hujusemodi motum cohibeat. 364



CAPVT XXI.

Quo pacto ratio victus, perpenso initio & vigore febris statuenda sit.



CVM victus ratio reliquis omnibus Medicinæ partibus ut nobilior curationi morborum tutiùs præstantiam conferat, meritò Magister Gal. omne hoc Caput de illa acturus constituit, 365

tuit, & cùm inter omnia, quòd maximè Medicus perpendere debet sit nocumentum, quod in febribus continuis ex prava occasione, qua victus ratio præscribitur; subsequitur propterea tum accensionis vigorem, tum principium novæ accessionis venturæ Galenus existimat, partimque alia impedientia ex affectione particulari alicujus particulæ laborantis phlegmone, qualis est hepar & ventriculus, ne victus ratio exhibeatur commonstrat.

TEXTVS.

Porro aptissimum, &c.

366 AT si Lemosius asserat Galenum in præsenti solùm de cibationis tempore in febribus continuis alloqui, cùm dicat Galenus opportunius tempus, & aptissimum esse: *Cùm exhalare jam cœperit febrilis calor*: ly enim *exhalare* non solùm intelligendum est prout accessio declinat; absque eo quòd febris in totum intermittat; verùm etiam prout jam calor febrilis media declinatione in totum ad intermissionem sensus judicio pervenit; proindeque inquit per alia verba Galenus: *Ergo si spatium, quod inter summum vigorem, & sequentis principium intervenit, satis amplum sit, facile est idoneum tempus invenire*: quasi dicat Magister, si febris sensibiliter intermittat facilè in prædicto intervallo, inter primæ declinationis finem, & subsequentis principium erit victus rationem præscribere; per alia verò verba dum inquit: *Sin exiguum id fuerit alterum facias necesse est ut ad ægrum admodum adhuc calentem nutrias, aut sequentis accessionis invasione, jam jam affutura*: significat, quòd si febris ita continua sit, ut inter vigorem primæ accessionis, & futuræ principium exiguum tempus absit; unum ex duobus necessariò sequetur, alterum videlicet, quod æger adhuc valde calens nutrimentum suscipiet, vel fere jam in principio subsequentis accessionis. Sicque Magister monet, quòd opera danda est, ut quàm longissimè ab utroque si fieri possit nutriamus, ut in intermittentibus; si verò continuæ, in quibus exiguum temporis spatium adest, sint, maximè oportet ut Medicus primis statim diebus conjiciat quanto spatio febris duratura sit: nam si continens fuerit, brevi finienda erit: quare si ultra septimum progressura non videatur, prorsus æger à cibo est continendus: dummodo virtutem non defecturam conjiciamus. Si tamen ad nonum, sive undecimum, aut quartum-decimum usque Medico videatur progressura, vel si æger vires infirmiores ita habeat, ut tanto tempori non sufficiat, necessariò nutriendus erit, ac amplecti, ut in re ancipite oportet, quod minus noxium extiterit, perpendendo maximè illud quod magis nocere possit, quod desumendum est partim ex loco affecto, simul cum affectu, partim ex accessionis principiis, & summi status consuetudine, quoniam ubi jecur, vel ventriculum phlegmon afficit, valde periculosum est ante accessionem ægrum cibare, ubi verò hoc deficiat utilissimum est, si virtus languida existat.

TEXTVS.

Assolent enim eos, &c.

ANimadvertit Magister, quòd qui 367
jecinus phlegmone correptum habent, in accessionibus alvi deiectiones solent perpeti; si verò ventriculi os vexetur, syncope corripiuntur, in aliis tandem instrumentis animalis, quòd iam in dictis portione respondeat, tum ex ratione eorum situs, tum etiam dignitatis, debemus perpendere, de quibus inferius Magister acturus offert.

TEXTVS.

At summi vigoris, &c.

NOtandum maximè expedit, an in 368
summo vigore citra magnitudinem febrilis caloris, ipse siccus & squalidus sit, an verò citra siccitatem urat: primus enim victum humectantem quàm primùm exigit: secundus verò ut prius remittatur, ante nutritionem spectare oportet: in principio similiter accessionis animadvertendum est, an corporis extrema frigescant, ac magna sanguinis revocatio ad interiora contingat, an verò omnino corpus non premat, si hoc eveniat ultimum, ut quod mansuetum, & clemens est contemnendum: si verò primum inspicere, ac distinguere est necessarium, an absque visceris phlegmone, aut succorum redundantia in accessionibus motus ad interna polleat: hoc enim in casu, etsi paulo ante cibum exhibeamus, nullum nocumentum evenit; si verò vel phlegmon, vel dicta redundantia subsit, cibatio ante accessionem, ut res maximè noxia, est cavenda.

TOTIVS

TOTIUS CAPITIS doctrinalis expositio.

369 CVm victus rationem in prædicto Capite pro febrium curatione ita accuratè Magister præscripserit, merito ad illius doctrinam debitè insequendam aliqua ulterius adducenda efficiuntur. Victus etenim ratio, seu diæta, vel solum cibum, atque potum significat, vel simul omnes res non naturales, sine quibus vitam ducere nequaquam valemus, ut sunt aër, motus, quies, vigiliæ, balnea, exercitatio, animi pathemata, & alia similia, ut Galenus *Commentario secundo in Hippocratis librum de natura humana*, inquit: *Morbi alij quidem à victus ratione, alij ab spiritu, quem attrahimus gignuntur.* De prima tamen significatione victus rationis in præsenti potius Magister venit intelligendus, dum nos congruam victus rationem in morbis, ut cibos, potiones, modum, & mensuram præscribimus; quanti igitur momenti in morbis profligandis victus ratio sit habenda, Galenus *libro secundo de febrium differentiis, capite ultimo* docet, inquiens: *Quemadmodum in sanis pravus victus agrotandi affert occasionem, eodem etiam modo multo magis in laborantibus ex erroribus in victu admissis graviores fieri accessiones.* Quare ex Galeni doctrina deducitur, quòd non solùm quando homines præter naturam afficiuntur, sed etiam quando à morbo convalescunt, quacumque ex causa si in victu erraverint, promptissimè de novo laborant, ita ut circuitus in febricitantibus anticipent, ut alij diversæ naturæ suboriantur, aut accessionum ordo in totum pervertatur; propterea que si morbus acutus, gravis, periculosusque fuerit, si intempestivè cibus ægris exhibeatur, potius in mortem protrahentur, ut Hippocrates secundo Aphorismorum, sententia decima. *Impura corpora quo magis nutries, eo magis lædes.* Quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur; sicque causa morbifica, illiusque vires in naturæ perniciem augescunt: si ergo sola victus ratione morbos detruncare possimus, propterea eventura separare oportet, ut Rasius, & Damascenus inquiunt. Rasius quidem *sexto Aphorismorum* 102. Damascenus verò, *primo Aphorismorum* 103. uno ore sic fantur: Magnum profectò in morbis auxilium est cibus in tempore exhibitus, ut qui naturæ maximè familiaris sit, neque illi negotium faciat, proinde atque medicamenta solent, quæ non alia ratione operantur, nisi quia naturæ vim infe-runt; quare merito Galenus *quarto Methodi* inquit: *Pensandum itaque potius in morbis cauta victus ratione, quàm medicamentorum copia.*

Victus igitur ratio ut debitè instituatur, virtutem ægri, morbique statum inspicere oportet, ut Galenus *1. Aphor. Commentario* 8. Hi enim duo scopi, virium nimirum animadversio, ne victu tenui languescant, & summus morbi vigor proximus-ne, vel longiori tempore futurus sit, sunt perpendendi: nam *ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu est utendum*, ut Hippocrates *primo Aphorismorum, sententia septima*; & præcipue, ubi jam viget, ut in sententia decima ejusdem. *Quibus igitur jam vigor est, statim cibare tenuiter*, ne natura à proprio fine & actu operationis in pugna cum morbo media victus ratione adhibita impediatur: sicque ipsa natura sinenda ut tempore coctioni intenta suum munus adimpleat, scopus tamen supradictus, virium nimirum ratio valde inspiciendus est: omnium enim prima indicatio, quæ à viribus desumitur, magni pu anda est, ut Galenus suprà *9. Methodi:* quare cùm virium ratione nutriamus, ne tenuiori victu valde labantur, eas maxima cum cautione servare debemus: vires enim servare est vitam custodire; sicque non exiguus error in tenui victu committitur, ut Hippocrates *primo Aphorismorum, sententia quinta* inquit: *In tenui victu ægri delinquunt: quo fit ut magis lædantur: quicumque enim error committitur, maior in hoc fit, quàm in paulo pleniore victu, &c.* quod roboratum Magister *in sententia quarta antecedenti* reliquit dicens: *Victus tenuis, atque exquisitus in morbis longis semper, & in acutis in quibus non convenit periculosus*, & rursus summe tenuis victus difficilis: nam & extremæ refectiones difficiles sunt: quare vires magnam animadversionem proclamant, ut respectu illarum inspiciamus, quo victu æger sit moderandus, ut ad morbi statum perveniat, ut Hippocrates sententia nona ejusdem: *Conjecturari autem oportet, an æger possit cum victu sufficere usque ad vigorem morbi, an ille prius deficiat, neque sufficiat eum illo victu, an prius morbus deficiat & retundatur.* Gal. equidem *Commentario* 4. *primi Aphorismorum* tria statuit alimentorum genera, plenum videlicet, conservans, & tenue; plenum quod vires augere potest, conservans verò est quod etsi eas non augeat, ne tamen decidant sustinet: tenue vires imminuit; sicque plenum, carnes, ova, pisces, & frumenta, vinumque generosum, ac similia nuncupatur; conservans tenuius pleno est; cùm non ad vires augendas, sed ad earum solùm tutelam deserviat; 370

tenue

tenue tandem erit, quod vires minuere poteſt, ut ptiſanæ ſuccus, melicratum, ac leve pulli juſculum; victus tamen ratio non tantummodo vocanda eſt tenuis, ut ad extremum tenuitatis accedat, ſed ea ſolùm per quam virium exſolutio inducatur, ut Galenus *in prædicto Commentario quarto primi Aphoriſmorum* inquit: *At non ita tamen ex tenuibus dictu vires minui intelligendum quin ad conſiſtendi uſque vigorem perdurare poſſint; ſed ita exſolvi ut infirmiores tali victu reddantur, quàm eſſent ſecundæ valetudinis tempore, in quo pleno victu & alimento utebatur homo*: quare in morbis acutis, valentibus viribus, tenuiter ægrum alere oportet, ea victus ratione ſupradicta, quæ vires imminuat, ut tandem natura non ſui muneris oblita, uſque ad vigorem perveniens, materiam morbificam devincat; ſi verò morbus acutus fuerit, ac imbecilla facultas, tunc paulo pleniori victu eſt utendum, ut vires, uſquequo morbus in ſtatum perdurare valeat, ſerventur, ut cum ſufficienti naturæ vi, tempore pugnæ, ſive judicij critici morbificam cauſam devincere valeat: magna enim ſemper de virium tutela eſt adhibenda ratio; ſi demum morbus diuturnus fuerit, plenior victus præſcribendus eſt, qui non ſolùm vires ſuſtinere poſſit, verùm etiam eas aliquantulum augere, ut jam eſt dictum, eo quòd præ morbi longitudine vires valde proſternuntur, naturaque labefactata ad maturitatem temporis humorem concoquendi pervenire non poteſt.

371 Cùm ergo victus ratio, habita ratione ad menſuram, quia aliquando plena, aliquando mediocris, vel conſervans, quandoque tenuis convenit, inſtituatur, merito etiam quoad qualitatem, & occaſionem perpendenda eſt: victus enim non ſolùm ad vires reficiendas prodeſt, verùm ad receſſum morbificum corrigendum, cùm ſimul virtute alterativa, qua polleat, in morbi naturam irruere poſſit: ob quam rationem Hippocrates *primo Aphoriſmorum, ſententia decima-ſexta* ait: *Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè autem pueris, & aliis, qui tali victu uti conſuevere.* Et quamvis venerandus ſenex (non frigidus, ſed humidus) dixit non ideo minus artificioſum oraculum: frigidus enim valde facilis tyronibus; humidus verò quia præcautivè ſiccitatem morboſam imminentem ne in hecticam ægri tranſeant poteſt corrigere artificioſè (humidus) protulit, & non præcisè febribus, quamvis his pugnam adferat, quia hebetat caloris actionem; ſed merito febricitantibus, ne ſubjectum febrile per abſumptionem vi caloris febrilis in habitualem ſtatum perveniat; ſicque debita cum ratione victus ratio, in quanto, & in quali pro febrium curatione valde artificioſa expedit.

Nec minus quoad occaſionem ægros 372
cibandi magni putanda eſt, ut Magiſter in Textu expoſito inquit, quoniam ſi intempeſtivè præſcribatur, potius aut morbus ingraveſcet, aut mors ſubſequetur: quare tempore criſis particularis, ut in acceſſionibus ægri non ſunt cibandi, ut Hippocrates primo Aphoriſmorum, ſententia undecima. *In acceſſionibus abſtinere oportet: nam cibum dare nocuum eſt, & in his qui per circuitus acceſſiones habent, in ipſis paroxyſmis abſtinere oportet*: Ut Magiſter in Textu ſatis exponit; ſi tamen aliquando laborantium os ventriculi languidum eſt, morbuſque à ſincera bile pendet, ſive febricitantium occaſio fames fuerit, potius cibus exhibendus eſt in acceſſione, quia excrementorum fluxio, quæ cibi defectu concitabatur, media illius aſſumptione ſiſtitur. Vel pariter ſi citra alimenti penuriam febris adſit biliosa, cum ventriculi languore, licet alimentum ſit condonandum, non tamen multum, ne præ multa copia & calorem obſtruat, & vires morbi augeat: ſed in exigua quantitate, vel in ipſa acceſſione, vel paulo ante illam, cum virtute quidem tum adſtringendi, tum corroborandi, ne bilioſa fluxio ſyncopem inducat, ut panis vino auſtero, aut granatorum ſucco imbutus. Aliquando etiam in morbi vigore ægros nutrire cogimur, ubi aliquis caſus, quo naturæ robur diſſolvatur adeſt, ut Galenus *in Commentario undecimo prædicta ſententia* docet. Tutiùs enim victus rationem in uno quoque morbo à duabus intentionibus jubet Hippocrates aſſumere, ex ſummo totius morbi vigore, & ex viribus ægrotantis; ſicque aliquando alimentum non unica vice, ſed per plurimas eſt condonandum, dum vires dejectæ adſunt; ita ut Medicus non ſolùm cognoſcere debeat, quòd huic plus vel minus ſit offerendum, ſed quòd ſemel, aut ſæpius qualibet nocte, vel die cibum offerre oporteat, ut Galenus *primo Aphoriſmorum, Commentario decimo-ſeptimo*, dum ait: *Et quibus ſemel, aut bis, & plura, an pauciora, & per partes: dandum autem aliquid conſuetudini, tempori, regioni, & ætati*: Ex qua doctrina colligendum eſt, quòd ſi laborantis vires debiles fuerint, & ea quæ in corpore adeſt diſpoſitio ex corruptione humorum naſcatur, vel ex defectu pendeat, parum alimenti, & ſæpius eſt offerendum; ut idem Magiſter Galenus in prædicto Commentario

ſatis

ſatis exponit quantum ætatem, regionem, anni tempus, & conſuetudinem inſpicere oporteat, ut ſemper quo fieri poſſit virtus valida cuſtodiatur. De quibus latiùs *libro nono*, & *decimo*.

Sequitur Pars ſecunda.





COMMENTARII
IN LIBRVM XII.
GALENI,
DE METHODO
MEDENDI.
EXPOSITIO VI.

PRÆFATIO.
Libri institutum continens.

1. 

VAST diuino numine, aureáque doctrina febrium, atque diuersorum affectuum curationem expositurus Magister, hunc duodecimum Librum exarandum aggreditur. Ita vt omni cura febres diuersis symptomatibus implicatas, soluendas proponat, simúlque discrimen maximum esse, in eo quod symptomati Medicus obsistat, habita ratione solùm ad illud, à quo dum morbus curatur, simul symptoma auferatur, commonstret. Et cum inter omnia symptomata dolor maximè naturæ vires deuastet, de eo in particulari sermonem stabilit, vt sequuta doctrina febres à crudis, crassisque humoribus pendentes, quæ laboranti syncopem minantur, profligandas cognoscamus, tandemque illorum, qui in syncopem inciderunt, curationem ostendit. Et cum vinum aliquibus syncopesis proficuum adsit, propterea illius plures differentias exponit; Cum tamen plurimi non ex crassis, sed ex tenuibus humoribus in syncopem periclitentur, modum, ac discrimen edocet, ac pro instituti libri coronide de his, qui vel ex vehementi dolore, vel vigilia, immodica euacuatione, aut mentis alienatione periclitantur, ne syncope corripiantur, Disputationem satis arduam & necessariam concludit.



CAPVT I.

Quomodo aduersus ſymptomata pugnandum habita ratione ad læſionem, quam viribus exhibent.

2. ROMISSIS iam Magiſter ſatisfacturus, quomodo Medicus immanitati ſymptomatum, quæ vires valdè proſternunt, obſiſtere poſſit, commonſtrat. Primoque varia accidentia; quæ febres comitantur, ita ad eas indeterminata, contingentiaque eſſe inquit, vt nullibi febrium ſpeciei, quatenus febris eſt, propriè conueniant, quin cum alia quacunque reperiri non poſſint, ſimulque alia, quæ frequenter; alia verò quæ rarò eas ſequuntur, docet, ac tres ſymptomatum differentias, quibus, vtpote naturam reſoluentibus, opitulari debemus, exponit, deſumpta vi, & formalitate, quatenùs vicem cauſæ morbificæ gerunt, vires in totum depopulantia, ex quo agendi modo duplicem Medicorum differentiam adducit, eo quod alij delitiis cubantium ſubſcribunt, contra dolorem oppugnantes, & in ipſum mitigandum feſtinant, omni alia curatione neglecta; alij verò ex ratione artis, contra doloris vim, & ad vires tohorandas ſimul affectum, videlicet morbum detruncare conantur. Ipſis tamen Galenus nobiſque præceptum imponit, vt dum narcoticis vſuri ſumus, vires debitè perpendamus; ſi enim valentes fuerint, tutiùs eorum vſus amplectendus eſt, ſi autem debiles, maximè ab illis diſcedendum.

TEXTVS.

Non ſunt, ſicut nonnulli autumant, &c.

3. VT debita cumratione ſymptomatibus cum Galeno obviam eamus, priùs ſupponendum eſt, quod febres, quæ concomitantia obtinent, ſymptomata, ex ſe, vt febres ſunt, non ita ea obtinent, vt cum aliis febribus complicari non poſſint, ſicque eas inſequũtur, veluti morbus alium, & ſymptoma alterum ſubſequitur ſymptoma. Secundo ſupponendum reſtat, quod inter prædicta ſymptomata, quædam neceſſariò febres comitantur: quædam verò frequenter febricitantibus contingunt, quæ cum periculoſiora, & grauiora, quàm communia ſint, ſeorſim curationem ad ſe trahunt, de quibus in præſenti libro, vt dixi, Magiſter agit. Tertiò notandum eſt, quod tres apud Galenum differentiæ ſymptomatum enumciantur: nam vel in actionum læſione conſiſtunt, aut in his, quæ retinentur, ſiue ſupra modum euacuantur, aut in aliquo corporis præter naturam affectu. Si ergo huiuſcemodi actionum læſiones valdè contriſtant, ægrumque in vitæ diſcrimen ferant, Medici omnimodam curam ad ſe arripiunt; eumque vt affectum negligat, cogunt. In eundemque finem, eorumque retinentur, vel euacuantur, exceſſus conſpirant, cum mediis illis maxima virium iactura ſubſequatur; ſymptomata verò quæ in affectu corporis conſiſtunt, facilius abolentur, cum ſint ſigna, & effectus morbi, quem curare oportet, quo ablato merito illa ſoluuntur, ſicque ex ſe nullam curationem ſeorſum exigunt. Quarto, perpendendum ex Galeno expedit, quod nullum ſymptoma, vt ſymptoma eſt, curationis rationem indicat, nec vt tale primùm immutat, quare ſolum ex accidenti ſumpta curandi rationem aliquando immutant, quatenus eo tempore cauſæ locum & rationem habent. Tunc etenim locum cauſæ babent, quando huiuſcemodi ſymptomata vires deijciunt. Lædunt autem atque frangunt vires vigiliæ, dolor, & immodica vacuatio. Vigiliæ nimirum lædunt, quia ſpirituum diſſolutionem aſſiduam, ac triplici ſubſtãtiæ effluuium immodicum inferunt. Sicut enim ſomnus viſceribus, quia media facultatum animalium quiete, quod deperditum anteceſſerat, inſtauratur, ac natura reficitur, ita media immodica vigilia multum deperditur & nouum acquiri ſubſtantiæ deperditæ, non ita eſt facile. Quare Hippocrates non immerito noxam ex immodica vigilia perpendens dixit. 2. *Aphor. ſent. 3. ſomnus, & vigilia, vtraque ſupra mediocritatem fieri malum.* Nec minus idem Magiſter Hipp. *ſent. vltima*, 2. *de ratione victus in morbis acutis*, ſic ait: *fortis vigilia cibos crudos, & incoctos reddit; ea verò quæ in contrariam fit mutatio, membrorum laxitatem, excoctionem, & capitis grauitatem facit.* Et licet Hipp. his verbis omnem noxam, quam vigilia inferre valet, non adducat. Galenus in præſenti de omni modo nocumenti ab ea proficiſcente loquitur. Cum præter dictam etiam facultatem animalem debilitet, totum corpus extenuet, cerebrum exſiccet, ac deliria adferat, ſiue augeat. Quare cum vt ſignum, & vt cauſa, ſemper immodica vigilia mala extiterit, meritò rationem indicandi obtinebit. Dolor ſimiliter ob eandem rationem vires frangit, non quidem vt dolor eſt, quia vt talis potius eſt triſtis ſenſatio, ſed prout eſt affectio morboſa, non vt ſenſatio, ſed vt ſequitur cauſam ſubito alterantem, ac naturam corrumpentem, quæ cauſa corrumpens, vt eſt intemperies immodica ſubitò irruens, vel continui ſolutio, ita ſpiritus & ſanguinem in affectam partem conuocat, vt aſſiduum ſpirituum effluuium ſuſcitetur. Sicque dum dixit Hipp. 2. *Aphor. ſent. 6. quicunque dolentes dolorem non ſentiunt,* potiùs dixit laborem non ſentiunt, quam dolorem, cum iſte ſenſibilis non ſit, bene verò obiectum tactus ſenſibile corrumpens, à quo propriè & per ſe ſumitur vera curationis indicatio, latiori tamen loquendi modo dolor eſt prout cauſæ vim gerit, cum ad immodicam illam ſenſationem à moleſtante pendentem, immodicus etiam humoris ad partem intemperantis fluxus ſequatur. Deprauatè equidem ſentiunt, qui ab hac deprauata ſenſatione per ſe vt eſt dolor indicationem curatiuam ſumendam eſſe, dicere audent. Immodica demum euacuatio vires debilitat, etiam ſi vtilia non excernantur; ſed tantùm inutilia, omni enim euacuationi immodicæ eſt annexus caſus virtutis; ideoque euacuationes, quæ

ad

ad extremum deueniunt periculoſæ : multum enim, & repente euacuare, quia nimium valdè nocumentoſum, vt ex Hipp. *6. Aphor. ſent. 17.* in extractione puris ſatis exponit, quamvis materia exereta praua (qualis purulenta) ſit.

TEXTVS.

Ergo ſi labantur vires, &c.

4. ACcedit iam ſymptomatum curationem oſtenſurus, inquiens, quod ſi vires labantur, non tamen vehementer, ſolum ſymptoma curationem vocitat. Si vero iam vires deiectæ ſint, non ſolum ſymptomata ſunt ſedanda, ſed etiam illæ ſunt firmandæ, ſi denique vno eodémque ſubſidio ſymptomati ſatisfacere valeamus, eò quòd vtriuſque indicationes concordes ſint ipſo vtriſque reſiſtendo vtendum eſt, pluries equidem contrarietatem morbus & ſymptoma ſolent habere, ita vt quod ſymptomati tollendo confert, morbum augere poſſit, vel econtrà, quod morbo ſoluendo conuenit, ſymptomati vires exacerbet, quo in caſu morbum cum ſymptote comparare oportet, vt ſemper vrgentiori ſubveniamus, vrget quidem, quod magis vires reſoluit, cuius ſemper habenda eſt cura, nequaquam tamen alio neglecto. Vnde cum dolorem lateris media ſanguinis miſſione, aut purgatione curamus, morbum & ſymptoma auferimus, veluti etiam quando abſceſſum diſtentum, & cum dolore pulſantem diſſecamus, ac pus emittimus, non ſymptomatis ratione, ſed morbi eſt curatio, etſi vtrumque vnico remedio tollatur.

TEXTVS.

Exempli gratia in dyſentericorum, &c.

5. EXemplum iam in particulari ſymptomatum, quæ tantùm rationem indicandi ferunt, neglecto morbo, docet. nam in deiectione dyſenterica vbi vehementer inteſtina roduntur, ac acerbi dolores torquent, propter ipſorum vlcus, quod ab humoribus media acrimonia fouetur, varia auxilia vt ſuccum Tragi, vel, hircinum ſeuum, vel ceratum roſaceum per inferius iniecta proponit. Tragus eſt quædam herba, quæ frequenter in maris littoribus inueniri ſolet, ac vnius palmi altitudinem obtinet, cuius ſuccus valdè ſanguinis fluxibus prodeſt, ac vulnera recentia mirificè vnit. Cuius tamen nullam mentionem Gal. in præſenti feciſſe inquit Lemoſius, ſed potius Tragus intelligitur de ea quæ aut ex zea, aut ex farre, veluti amylum efficitur. Zea etenim ſemen quoddam eſt inter Ordeum & Triticum medioerem naturam obtinens, eo quod magis quam ordeum, minùs vero quàm triticum nutrit; etiamſi voluptuoſum ſaporem obtineat. Quare cum Zea non inueniatur noſtris in regionibus ob illius penuriam, Alica, ſiue ptiſſana Hiſpano ſermone, *farro* dicta, miram pro affectu dyſenterico vtilitatem præſtat, vel tandem, vt Lemoſius inquit ſuccus amyli prodeſt. Lemoſius tamen ſeuum caprinum ex Gal. vt efficacius auxilium adfert, quia faciliùs concreſcit, ac inteſtinis adiungitur, diuturniorique tempore inhæret, quibus vtique remediis inteſtinorum vlcus non ſanatur; præſertim ſi in eis aliquid putreſcens contineatur; ſed potiùs vires non ita labo-rant, cum ſedatio doloris ſubſequatur, cuius abſentia reficiuntur, quæ omnis operatio, ſiue medicatio, ſolum contra ſymptoma, morbo interim neglecto tendit; Vbi verò virium roboris fiducia eſt, non ita contra ſymptoma eſt operandum vt aliquando eiſdem remediis, quæ dolorem ſedant, morbos ipſos non curemus, eo quòd per ablationem cauſæ, etſi aliquomodo exacerbentur, tandem ſecuriùs tolluntur, veluti pluries medicamentis dyſenteriæ mordentibus, cum vtique eſt grauiſſima; mederi oportet, qualia ſunt melicratum, ſalſugo, & ſerum lactis, quæ multoties humorem mordicantem media abſterſione ſecum educunt, quæ cum operatio ex accidenti ſit, etiam prodeſſe ſolet; ſecuriùs tamen, ac faciliùs noſtro ſeculo myrobolanis, & rhabarbaro torrefactis vtimur, vt media cauſæ fouentis vlcus ablatione, ſolutio continuitatis curari poſſit. Adducit iam Magiſter euentum cuiuſdam Medici quinquagenarij, qui eum ſeptima nocte laborarei, viribus iam imbecillibus, dolore capitis acerrimo in dextro potiſſimum tempore illi officiente, antequam amicorum quiſpiam ad ſe accederet, ſibi ipſi eadem nocte venam diſſecuit, ex quo dolor illi protinus conquieuit: longo tamen tempore, tum decolor, tum viribus deiectis, tum exilis manſit, vixque priſtinum ſtatum adquiſiuit.

TEXTVS.

Eſt porrò hic quoque duplex, &c.

6. DVplicem vlterius Medicorum contra dolorem pugnantium rationem commonſtrat, eo quod quidam deliciis ægrorum ſubſcribunt; alij verò ex artis ratione; ſi etenim quis ægrum viribus valentibus affectione dolorifica correptum vna die perſanare intentus ſit, itavt neglecta tota curatione, ſolum dolorem inſpiciat, hoc non artis ratione nixus, ſed in ægri gratiam efficiet; at verò ſi vi doloris vires reſoluantur, ex illoque periculum immineat, illo caſu & ſedari dolor, & vires roborari debebunt, vt morbi vi obſiſtant, & curationis ſpatio ſufficere valeant: quare ait Gal. ſe quoſdam tum Medicos, tum ægrotantes cognouiſſe, qui cum animoſi videri voluiſſent, proptereà periiſſent: quia fortiter, ac viriliter ſemper contra dolorem eniXi fuere, itavt nunquam eum lenire conati fuiſſent, ſed potiùs aſperis, ac crudelibus auxiliis perſeuerarunt, affectum hoc modo deſtruendum eſſe iudicantes, quos ſatiùs eſſet longiori tempore curatos eſſe(inquit Gal.)quàm breui viriliter ac temerè perire; ſicque ait, quod quidam generosè dyſentericos vehementiſſimo medicamento curans, multos vnico die ſananit, quòſdam tamen iugulauit. Cuius medendi ratio ita citra methodum, & rationem erat, vt cepas comedendas cum pane ac potum parcum condonaret, poſtridiéque manè muriam acerrimam per inferiora infundebat, ſecundum hanc etiam validum pharmacum exhibebat. Ex quo medicandi modo, quicunque decumbentibus ſufficere, vel, reſiſtere potuerunt, & protſus ſanati manſerunt; aliqui verò conuul-

ficne, aut animi ex dolore defectu, vnà cum cutis madore, ac resolutione interiere: sit igitur in ægrotaotium curatione terminus, quem transire non debet, vt perfectè, ac tutò medicetur; licèt non possit, saltem ne noceat:plurimi autem Medici vulgares indoctam vulgi opinionem decipiunt, eo quod medicamento venefico aliquem tantum, quia vires robustissimas habet, decipere cupiunt, quorum multitudo vniuersam Rempublicam deuastare solet. Vt ergo Medicus dolorem leniat, viresque custodiat, terminum curandi seruare debet, qui verò vltra pergitur, crudelis hominis officium facit, quoniam vnà cum morbo vitam quoque homini aufert.

TEXTVS.

Committunt Medici eiusmodi excessus, &c.

7. AGgreditur iam excessus, atque errores, quos Medici in aliis remediorum generibus committunt, expositurus. Et potissimum in vsu illorum quæ anodyna vocantur, vt quæ ex papaueris succo, vel ex alterci semine, id est semen hyosciami, (Hispano sermone *veleño*) vel ex mandragoræ radice, vel styrace fiunt. Qui enim ægris gratificantur, immodicè his medicamentis vtuntur: & qui etiam intempestiuè animosi sunt, dum in totum illorum vsum recusant, doloris vehementia ægros iugulant. Quare consilium excellens ac percelebre Magister adducit, videlicet quod nunquā quid nimis amplectamur (vt prudens ait) cubantis semper vtilitatē intendentes; quippè si fas est, his remediis, quæ morbum soluunt, vtamur; atque ab his somniferis medicamentis prædictis abstineamus: dummodò ex vigiliis, ac viribus resoluendis in mortis discrimen ægrotans non tendat: si enim propter maximum dolorem, ingentemque virium resolutionem pertimeamus; potiùs læsio aliqua ex medicamento; quàm mors ex virium dispendio est eligenda. Notandum tamen expedit, quod huiuscemodi somniferis calida alexipharmaca permisceantur, & quod humida non sint, quia cum narcoticorum damnum vaporosa capitis repletio sit, proinde quo medicamentum humidius extiterit, maior noxa sequetur, sicque narcotica frigida, & sicca vtiliora erunt. Ob dictam igitur rationem eis in cholicis doloribus, & in his, qui vel oculorum, vel aurium, vel aliarum partium vehementissimo dolore cruciantur, Gal. vtitur, tum etiam propter vigilias, atque contumaces fluxiones, tenuesque, distillationes assiduas pauxillum horum medicamentorum exhibet: vt tamen tutò, celeriter, & iucundè ex hac doctrina curare valeamus, inter alia intendere debemus: Primò, vt sensus partis stupidus reddatur. Secundò vt nullum nocumentum in parte remaneat. Tertiò vt affectio maximè iuuetur. Quare in horum exhibitione auxiliorum vires validæ requiruntur, infirmæ namque ita cedunt, vt calor natiuus extinguatur, corpúsque simul euacuationem, mundúmque ab excrementis (si fieri possit) debet esse, & si ventriculo ieiuno assumantur, securiùs proderunt, veluti si post eorum assumptionem, non nisi quatuor transactis horis alimentum ingeratur. Omnia tamen id genus magis salubria sunt, si post annum à compositione desumantur, inter quæ phylonium innuit, Gal. quod ad dolores ex sensus torpore sedandos celebre reputatur, cuius duplex differētia est. Vnum enim Tarsense, vel Romanum appellatur, de quo in præsenti Magister intelligendus venit, præcipuéque Romæ in frequenti vsu deseruiebat. Aliud verò est Persicum, cū in Perside invētum fuerit, vt apud Mesuës *capite de sputo sanguinis*, descriptum manet. Et ex Gal. *lib. 7. per locos, cap. 5.* Alia tandem non pauca ex seminibus confecta sunt, quæ sicut ad torporem in præsens inducendum mitiùs, ita etiam in futurū tutiùs operantur, quæ omnia vtiliùs annodyna sunt condonanda. Philonium tamen, etiamsi trium, aut quatuor annorum sit, multò melius ac securius est, neque ideò inutile vsque ad decimum annum est censendum. Si verò vltra transierit, tantò est minùs noxium, quantò vetustius fuerit; languidis tamen viribus pollebit, ne inde vlla vtilitas valeat sequi. Quare non ita antiqua huiuscemodi medicamina sunt tribuenda, vt spes Medici frustretur, horumque vsus, quatenus symptoma pugnant, est proprius præcipuè quando dolor ex frigida causa ortum duxerit: nam toti affectui frigido, vt tali, maximè obsunt, illumque ad curationem contumaciorem reddunt.

Dubitationes super Textum.

8. Non immeritò Gal. grauissima symptomata febres concomitantia, quæ totam curandi rationem, morbo aliquando neglecto, secum trahunt, in præsenti capite commonstrat: ita enim acerbissima solent esse, vt perquàm citissimè ægrum de medio tollant, vt in febribus perniciosis, intermittentibus, vel continuis euenit. De quarum natura satis acutè Petrus Michael de Heredia *in Tractatu de febre perniciosa, fol. 497.* collandat tamen percelebrem Mercati doctrinam iuxta hanc expositionem, & debita cum ratione; postquam enim vnum, ac alterum ipse pervidi, multa miranda & insequenda didici. Licèt etenim febres intermittentes frequenter periculosæ non sint, vt Hipp. 4. *Aphor. sent. 43. Febres quacunque nō intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ, quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significant.* Aliquando tamen vt inquit doctissimus Mercatus in intermittentibus periculum magis, (eo quod intermittentes) simulatur, ita vt plurimi Medici salutem polliceantur, cum inopinatam mortem ob negligentiam non animadverso periculo, experiantur: sicque ait Petrus Michael quòd ex eadem intermittentia febris, illius virus, ac vires veneficè simulantur; non tamen quod accidentia vehementissima non sint. Sed quia ista non continuò affligunt, vt in continuis, sed per intervalla accessionum tempore, propterea ex eadem intermittentia fictilis, ac mendax securitas in solutione apparet, eo quod Hippocr. asserat, quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significant.

9. Febris igitur tertiana perniciosa est, quæ idea & imagine tertiani circuitus simulata, lethalis, & mille symptomatibus, siue accidentibus

pericu

periculosissimis complicata reperitur; tertianæ tamen nomine & simplicem & duplicem intelligendam esse inquit Mercatus, cum vtraque perniciosa esse non implicet, vt pluries se expertum fuisse fatetur. Sex nimirum modis perniciosa febris tertiana valet esse, primo quidem ex decubitu humoris, quem natura à vasis ad eorum extrema transmittit in aliquod membrum principalissimum; quia cum membrum ex præcipuis sit, meritò ex quavis læsione ipsi communicata, vitæ periculū impendere non est dubium, eò quod nulla pars princeps diù noxam sustinere valet: sicque veluti ex turgido humore, ne in partem principem, vt mors sequatur, irruat, pertimescendum est; ita ex humoris tertianæ febris accessionem efficientis vergentia in membrum principale, mortē minatur. Taxat quidem Heredia Mercatum, eò quod ex quavis læsione partis principis vitæ periculum imminere asserat, cum potiùs diceret læsionem magnam necessariò fore, si humor accessionem facturus in principem partem transmittatur: vnde febris vehemens & perniciosa creabitur. Respondeo tamen pro doctissimo Mercato, quod licèt verum sit, magnam læsionem in partem nobilem fieri, cum omnis humoris quantitas accessionem producturi, in talem transmittitur partem, quia tamen aliquando si aliqua humoris quantitas in focum peculiarem febris, qualis est hepar, partimque alia in pulmones, aut cor transferatur, etsi non ita magna sufficiens valebit læsio pro morte inducenda fieri; quæ læsio pro Mercato leuis comparatiuè ad primam ex tota materia currente dicetur, vel si malueris pro Mercato, illa quæ leuis dicitur læsio, in sua tamen essentia habita ratione ad virulentiam, & perniciem humoris erit magna, sufficiensque pro nece adferenda, tùm etiam respectu partis præstantiæ, quia principis, non leuis, sed magna noncupabitur; eo quia in parte nobili, vt si vlcusculum in corde adsit, quod quidem in pede quia exiguum, & in parte viliori parvos morbus, parvique pendendus est; in corde verò magnus, sicque magni æstimandus, & lethalis. Quare nomenclatura pro leui læsione in parte nobili ex se nunquam leuis, sed comparatiuè ad alias partes ignobiles apud Mercatum leuis nuncupatur, & ex mente Mercati doctissimi infertur, cum mortem imminere ex tali læsione asserat.

10 Pro alio pernicioso signo addit Heredia quod pars princeps, ita sit languida, vt tanquam putredinis focus deseruiat, ac putridos humores recipere cogatur, ac toto accessionis tempore in ea stabulentur, cum potiùs lege naturæ principaliora membra prauos humores viliter ad ignobiliora debeant mittere. Hoc non Mercatum præteriuit; ille enim solum ex deprauata humorum in principem partem transmissione, vitæ periculum perpendit, quasi facilè languorem recipientium partium etsi nobilium, & robur aliarum etsi ignobilium, vt quid certum relinquens, vt infrà latius explicat.

11 Secundò præterea febris tertiana perniciosa efficitur; quia humor ex venis ad extrema emissus, extremè tenuis, & summè putridus, qualis tenuissima bilis, copioso ichore plena est; quare qui hac febre corripiuntur, frequentissimè syncope afficiuntur, & cum immodicè præ humoris tenuitate resoluantur, inanitione periclitantur, quoniam sudore pernicioso dissipantur. Vnde ex humoris vitio plurimùm substantiæ spirituosæ, & nutrimentalis simul cum sudore labitur. Petrus Michaël huic doctrinæ superaddit, quòd cum humor ille tenuis nimis activos sit, vimque resoluendi, extenuandique non leuem obtineat, propterea tanta spirituum & substantiæ roridæ resolutio ac dissipatio evenit, quæ valdè, vt febris syncopalis suscitetur, sint necessaria. Miror quidem tantum virum huiusmodi verba ita cumulare, cum sine vlla necessitate multiplicentur, si enim sapientissimus Mercatus totam resolutionem, atque inanitionem substantiæ spirituosæ, ac nutrimentalis, in humoris extrema tenuitate, ac putredine fundat, vt quid per addimentum doctrinæ allatæ tenuitatem humoris, vt totalem causam Heredia repetit, quasi hoc præcipuum Mercati fundamentum non esset?

12 Tertiò vlterios modo febris tertiana perniciosa propter causæ prauitatem constituitur, quando videlicet bilis vitellina, æruginosa, prasina, & quæ in confinio atræ bilis est, vel quia alimenta assumpta fuerunt praua, vel quia immodicè sanguis adustus manet, vt tandem prædicti humores putredinem concipiant: tales enim bilis species sinceræ sunt. Vel quia naturali sero sunt destitutæ, vel quia ex siccissimis, acribusque alimentis genitæ fuerunt, quæ qoia per primam generationem suum esse prauum habuerunt, multo perniciosiores, quàm post primam generationem, vel aduruntur, vel putrescunt; illæ enim cum intrinsecè secundùm totam suam naturam in primo fieri suæ causæ materialis prauæ naturam redoleant; propterea nihil, quod prauum non sit, continent; hæc verò quæ secundario, & corrumpuntur, & exsicantur, non ita totam naturam deperdunt, vt aliquid substantiæ magis reducibilis non habeant. Quare debita humiditate serosa, qua coërceri debebant, prædicti humores depopulati, ac destinati crassiores redduntur, mordacioresque cum sint, interna vehementer exurunt, ac tenaciter adherentes exedunt, & humidam corporis substantiam ita depascuntur, vt ad tabificum affectum disponant. Quare febres ex prædictis humoribus ortæ exactè perniciosæ, ac prauissimis symptomatibus comitatæ sunt, vt Auenzoar *cap. 6.* dixit; *& peior specierum causonis est illa, quæ fit à cholera vitellina, prasina, aut æruginosa.* Et Auerroës *cap. 3. Multo peior, quæ fit à cholera cinaria, aut prasina*: & expresse Galenus *hoc libr. 12. Methodi, cap. 8.* Vbi adducit exemplum iuuenis qui æruginem, quasi arte pictam, formosam euomuit, de quo *infrà.*

13 Quartò perniciosa tertiana suscitatur ob maximam humoris crudi: & inæqualis crassitiei, ac tenuitatis copiam, ratione cuius febris humoralis syncopose talis tertianæ modum seruat, quæ sicut illa cordis calorem, ita hæc totius corporis calorem extinguere conatur; quare ob inæqoales motus, quos producit, periculosissima adest. Perpendit tamen Heredia ex doctrina Mercati sequi tertianam febrem ex copia humoris crudi, vt pituitæ, ac inæqualis crassitiei posse fieri, quod

tanquam à Mercato miratur etiamsi ipse fateatur in sua opinione non implicare quemlibet circuitum à quolibet humore fieri posse. Soluendus tamen in Mercatum nodus, si pro eo respondeamus, quod dum ait copiam humoris crassi efficere tertianam, ille humor crassus non ideò crassus est intelligendus, quia pituitosus; licèt enim biliosus extiterit crassus, vt bilis æruginosa, vitellina, vel cinerea poterit esse, & inter bilis species vna crassior & alia tenuior, si permisceantur, inæqualitatem in crassitie, ac tenuitate obtinebunt, sicque ex multa horum humorum crassorum, etsi biliosiorum copia, talis perniciosa tertiana more syncopalis efficietur, vel si malueris ex permixtione humoris crassi, qualis est pituita, cum alia bilis, quæ tenuior est portione, in maiori tamen quantitate febris tertiana horripilosa, semitertiana nuncupata, ex duplici quotidiana nimirùm, & tertiana valebit fieri, quæ cum Hemitriteos apud Gal. dicta sit, valdè perniciosa est, vnde ex Mercati expositione nunquam circuitum tertianæ à pituita ortum ducere est fatendum: imò admissà tanti viri autoritate, à veriori doctrina Heredia discedit, cum à quolibet omnem circuitum pendere posse affirmet.

14. Quintò etiam perniciosa efficitur febris, si aliquod de nouo accidens adiungatur, ob aliquem videlicèt defluxum, quem febrilis calor mox à morbi principio concitat, ratione cuius, thorax, pulmo, & cor, non rarò, aut os ventriculi anxietate, difficili respiratione, & pulsus interceptione plurimis modis periclitantur: grauius tamen, si vterus, aut illius aliquod vitium à caloris febrilis vehementia in consortium trahatur, licet vna, & eadem doctrina ex hac specie, & modo tertianæ perniciosæ cum ea quæ in primo significato adfertur, appareat; re tamen vera valdè diuersa est: nam primo ex decubitu humoris facturi accessionem in partem principem, quæ deseruit, vt putredinis focus, periculum vitæ commonstrat Mercatus; in hac verò expositione aliter alloquitur, nam licèt materia morbifica in putredinis foco particulari, vt iecinore stabulata extiterit, propter tamen caloris febrilis vehementiam accessionis tempore excrementa cuiuslibet partis corporis, ita liquari, fundique possunt, vt ad alia membra principalia ruant, ex quo impetuoso motu periculosissima symptomata subsequantur. Veluti enim, si cruda cerebri excrementa liquentur, & non resoluantur, necessariò cerebrum ob illorum irrigationem, ac liquationem obstructum, graui somno, vt lethargo afficietur, vel si in pulmones, aut pectoris cauitatem labantur, suffocationis periculum minabitur, veluti si in pleuram, dolor pluriticus superveniet. Nec tandem ad vterum confluere, aut quidquid prauum, vitiosumque in eo extiterit, à calore febrili liquari & in deterius prorumpere, vt inde hysterica suffocatione fœminam perire. Quare valdè diuersa est doctrina collandatu digna in vno, ac in alio loco apud doctissimum Mercatum præostensa, tum etiam quia per illa verba, vbi ait per defluxum, quem vehementia caloris febrilis mox à principio suscitat, iam circa principium morbi citra paroxysmum, siue accessionem aliquando materiæ commotionem in membrum principale fieri significat.

15. Sextò & vltimò perniciosior tertiana efficitur, propter venenosam, pestilentem, ac contagiosam humoris qui ex venis expellitur, conditionem. Dum enim agitatur, & mouetur, media expulsione longè grauiora symptomata inducit, quàm dum die intermedio latitans quiescit, eò quod aliis humoribus adiunctus nihil mali efficere, nec corpus laborare videtur; posteà verò in accessione motus propriam veneficam naturam, & conditionem maximo cum ægrotantis periculo ostendit, iam huic doctrinæ obuit Gal. 4. *Aphor. text.* 43. dum ait. *Non absque ratione autem, eas quæ in quietem febre vacantem desinunt, esse absque periculo*, inquit, *vt quæ non ex inflammatione nec ex maligna humorum putredine, occasionem habeant.* Relinquit huiuscemodi difficultatem Heredia insolutam, cum se nunquam febrem malignam sine continuitate vidisse asserat, licèt oppositum Philosophiæ Principijs non repugnet. Ipse tamen pro Mercato, Respondeo quod Galenus solum loquutus fuit de febris constitutione, & causæ quoad multitudinem cum malignitate complicatam, sicque febris continua, quia talis, & quia maligna valdè est periculosa; intermittens verò quoad constitutionem & materiæ multitudinem periculo vacat. Habita tamen ratione ad humoris praui, etsi pauci, motus errabundos, quos in partes principes habet, ac propter peculiarem veneficam naturam, quam obtinent, ex accidenti interficere possunt, ac per consequens periculosæ valdè febres erunt, & quamvis intermittant venæ malignæ; continuitas enim præ materiæ multitudine, veluti intermissio, præ paucitate quantitatis eueniet, & licèt verum sit, quod vires refractæ sint cum tanta humorum prauitate, & corruptela, non implicat, vt cum non mota, sed quieta existat, aliquo modo seruari valeant, vt in carbunculorum euentu euenit, quorum materia venefica antecedenter intra vasa quiescens, nec febrem, nec grauia symptomata, quæ posteà suscitat, eò quod ab aliis humoribus coercita, & effrenata est, generari valet. Sicque quamvis vt plurimùm febris perniciosa & maligna continua sit, non tamen quod intermittens sit, implicabit.

16. Quibus sic prælibatis, pro veriori textus expositione facilè quilibet Galeni doctrinam insequens plurima & grauissima symptomata, quæ febres putridas comitantur, ita perpendet, vt omni cura eis opitulandis, ne vires in totum labantur, properabit. Si enim multus sudor non proficuus, imò exquisitè symptomaticus vt syncopalis, vel diaphureticus eueniat, ingentissimi dolores, deliria, immodicæ vigiliæ, in febribus adsint, tota curationis ratio in prædicta symptomata est dirigenda. Huiuscemodi quidem accidentium mentionem Hipp. fecit *in epidemiis, historia trigesima.* Sic asserens: *Phreniticus, qui prima decubuit, vomuit æruginosa multa tenuia: febris horrida: multus sudor continuus per totum: capitis, & colli grauitas cum dolore: vrina tenues eneoremata pauca dispersa, non subsederunt. Ab aluo autem stercora emisit confertim: multa delirauit: nihil dormiuit. Secunda manè absque voce. Febris acuta; sudauit: non intermisit; palpitationes per totum corpus, nocte conuulsiones. Tertia exacerbata sunt omnia. Quarta mortuus est.* Ex qua

historia

historia satis infertur prædictum sudorem exitialem fuisse, cum multus & per totum corpus, primáque die cum aliis pranis accidentibus extitisset. Aliàs quia multus cum virium robore potius longitudinem morbi ab onere pendentem significaret. Nec minus æruginis vomitus, prauam æruginosæ bilis generationem significat, & quia sincera euacuatio vt signum, & causa damnanda, simulque delirio, & immodica vigilia, cum superueniente conuulsione, ac palpitationibus assiduis, vires ita fuerunt resolutæ vt in funestum statum æger transiret: quæ grauissima Gal. in textu nobis symptomata proponens, neglecto aliquando morbo, mox curanda esse affirmat.

17. Ingenue tamen quis in textum insurget, eo quod symptoma nequaquam indicat: ergo nullo modo aliqua symptomata ad se trahunt curationem. Antecedens probatur. 1. ex eodem Galeno, qui 2. *methodi, cap.* 4. inquit indicationem præsidij non desumi à symptomatibus, sed à substantia: Vbi per substantiam intelligit morbum, à quo tanquam à proprio subiecto symptomata enascuntur. Tum etiam 3. *methodi, cap.* 1. ait quod illud est indicans, quod curatur; symptomata cum non curentur, sed morborum ablatione auferantur, nullo modo indicare poterunt: ergo ex ipso Gal. constat symptomata non indicare: ergo quicunque sint, nullam ad se curationem adferunt: ergo Galenus in præsenti textu cum aliis contradictionem inuoluit.

18. Probatur vlterius ratione; quia omne quod in arte medica indicat, semper indicat contrarium positiuum, & non priuatiuum; nam quæ priuatiuè opponuntur non se inuicem destruunt, dum enim intendimus remedium contrarium, non solum eligimus illud, quod indicanti, vel morbo contrariari potest, sed etiam quod media pugna illud euincere valeat; sed sic est, quod omne, quod est in fieri, nullum habet esse positiuum, ergo nullum habebit contrarium positiuum; quia omnia, quæ sibi contrariantur, debent esse positiua, & in facto esse.

19. Vrgentius probatur: Nam omne quod est in fieri, est in fluxu; atqui oppositio, quæ reperitur in iis, quæ sunt in fluxu, sunt duo termini dumtaxat *à quo* & *ad quem*, ita vt alter, cum sit præsens, alter necessario cesset, vel corrumpatur: ergo sibi inuicem pugnare positiuè non possunt, ac proindè nunquam dabitur contrarium, quod posset symptomata, quatenus sunt in fieri ac dependentia depellere. His tamen non obstantibus, ipse Gal. à calumnia liberandus est ex ipsismet illius verbis: nam Magister in textu; etsi symptomata ad se trahere curationem asserat, tamen fatetur quod symptoma quà symptoma est, nunquam rationem indicandi habere, sed solum quatenùs vim causæ secum portat, vt in alui fluxu immodico, vigilia, & ingentissimo dolore accidit; ista enim etsi symptomata, & vitalia non indicent, quia tamen vires valdè frangunt, rationem causæ sibi induunt.

20. Insurges tamen contra Gal. & solutionem pro illo, nam illud quod propriè & per se aliquid insinuat, non valet aliud quod sit genere diuersum insinuare; atqui symptomata propriè & per se morbos, à quibus nascuntur, insinuant: Ergo non insinuabunt remedium, quod à morbo genere differt. Deindè, quia ab eo, quod est per accidens, non potest sumi indicatio, sed ab eo quod est per se; atqui symptoma ita est accidens sequens morbum, vt quando remedium tollit morbum, accidat remedio vt tollat simul symptoma: ergo quia ab isto nulla sequitur indicatio. Diluitur consequenter instantia respondendo sub distinctione; omne quod per se indicat aliquid, non valet aliud, quod sit genere diuersum indicare, sub eadem formalitate, sub qua indicat per se, concedo libenter: sub diuersa, nego. Exempli gratia sub formalitate qua symptoma insinuat morbum per se, eum respicit, vt effectus morbi à quo necessario pendet, sub alia verò qua indicat remedium non perpenditur, vt symptoma, sed vt quid vires resoluens causatiuè, siue efficienter. Quare veloti causa remedium indicat, ita alui fluxus immodicus, quia causatiuè nostram naturam destruit. Confirmationi respondeo pro Gal. quod etsi communiter, ablato morbo, symptoma ab eo dependens, auferatur; aliquando tamen ita vires languidæ sunt pro consentiendo remedio magno ad magnitudinem morbi, vt non possit Medicus nisi temerè, ac crudeliter contra morbum remedium præscribere. Vnde tota ratione desumpta ab immodica euacuatione, vel ingentissimo dolore sedando, neglecto morbo, quia vires non sufficiunt, est agendum, vt Magister in textu adducit dysenteriam, quæ etsi dependeat à materiali morbo, qui remedia magna, vt venæ sectionem, vel purgationem indicet, vires tamen præ immodico dolore deiectæ ea non consentiunt; sicque tota curatio ad sæuissimos dolores sedandos narcoticis medicamentis dirigitur. Quare ex dicta obiectione non infertur, quod si possibile sit morbum priùs non esse auferendum, vt tandem symptoma tollatur; nec valet, si asseras, quod hoc est sumere causam pro causa, cum non sit; nam causa propria alui fluxus est humor, veluti quæ dolorem causat etiam est humor, à quo propriè sumitur indicatio: Sicque quod neque alui fluxus, neque dolor habent rationem causæ, ac proinde indicare non possunt, neque ex accidenti vt rationem causæ habent. Diluitur quidem, asserendo benè verum esse causam fluxus, atque doloris per se esse humorem intemperantem partem, siue morbum productum, à quo per se sumitur indicatio, & ab humore vt causa morbi est; at verò quia immediatè vi euacuationis immodicæ, vel intensissimi doloris vires resoluuntur, proindè etsi origo antecedens resolutionis humor mordicans, vel intemperans sit, hoc tamen est mediante euacuatione, siue dolore, sicque tunc tam euacuatio, quàm dolor quia summus, immediatè virtutem deiiciendo, causæ naturam sibi induunt, vt ab eis indicatio curatiua desumatur. Quare licèt symptomata totum suum esse habeant in fieri, sicque non sint res positiuæ, quod est, vt symptomata sunt, quia tamen ex vi huius fieri, correspondet terminus factus, videlicet virium iactura ad prædictas læsiones, proinde remedium positiuum est contra affectionem, siue languorem iam factum, & inductum à prædicto symptomate, vtpotè nostram naturam resoluente; non enim implicat vt terminus permanens, & positiuus correspondeat alicui entitati successiuæ, & non permanenti, qualis est actio læsa. Vt enim

enim non implicat quod Petrus, qui est res facta, & permanens correspondeat tempori praesenti, preterito & futuro, quod est quid successiuum: ita pariter ad successiuum dolorem facta & permanens virium resolutio, siue languor, valebit relationem efficere.

21. Vrgentius tamen insurges, nam dolor est sensus tactus, cùm sit ex Gal. 2. *de locis affectis, cap.* 7. tristis sensatio: ergo non poterit habere vicem causae resoluentis, vt curatiue indicet, adhuc vt causa. Antecedens probatur, nam ad dolorem, & requiritur alteratio, & alterationis sensus: sed illa alteratio sumitur ex parte morbi, ergo illa sensatio est parte instrumenti sensus tactus: sed talis sensus ex perceptio obiecti alterantis, vt in se est; quia illud sentit vt tale corrumpens: ergo ille sensus non erit naturae destructiuus; imo vt natura obiectum molestans fugiat, concurrit; ergo talis sensus siue dolor non obtinebit rationem causae, vt indicet, etsi immodicus sit.

22. Obiectio in fumum migrabit, si perpendas, quòd non est legitima illatio: dolor est tristis sensus, ergo est sensus: nam ex Aristotele à coniunctis ad diuisa, quando non seruatur idem sensus, non valet consequentia. Veluti si quis afferat pituita est sanguis diminutè coctus, ergo pituita est sanguis. Similiter dolor est sensus tristis, ergo dolor est sensus; nam praeterea quod sit sensus, est cum addito tristis, ac proindè hoc modo sumptus dolor est dissolutio, disgregatio, seu destructio sensus ob quam rationem fatentur plurimi merito phantasma doloris priùs recipi, deindè iudicari, ad quod opus plurimà concurrunt, obiectum nimirum corrumpens, & ideò malum, coniunctum, cognitum, & subito factum. Quare etsi talè obiectum actu & subito corrumpat, si tamen auersa sit mens, qoia non est cognitum, etsi physicè ad doloris naturam requisita extiterint, formaliter tamen dolor non erit propter cognitionis defectum, sicque nendum contristatio reperietur, vt *suprà* ex Hipp. est dictum quicumque dolentes, idest laborantes, siue causam doloris habentes &c. Quibus sic iactis quia dolor ratione sensationis tristis, naturam dissoluit, ac destruit, vim, siue vicem causae, vt indicet, obtinet. Quo fundamento Galenus nixus 5. *simplicium, cap.* 17. tria anodyna constituxit, quorum primum genus calidum in primo gradu digerens & tenuium partium, est quod desumitur ab organi densitate, vt facta pororum raritate fiat humoris exhalatio; secundum genus est, quod spiritum respicit, in quo adest iudicium, ita illum cogendo, ac densando, vt spiritus, vel illorum radij non ita penetrent, ac proindè non ita dolorosè de obiecto corrumpente iudicent. Tertium tandem genus continet narcotica, anodyna, quae organum destruunt, ac spiritum iudicantem maxima densitate impediunt operari. Ex qua doctrina merito infertur, quod dolor praecisè vt symptoma est sequens morbum non indicat, benè tamen, vt nostram naturam, vicem causae gerens, destruit, rationem indicandi habet.

23. Dubium tamen non contemnendum ex verbis Magistri in Texto suscitatur, cum ille in colicis doloribus narcoticis vtatur, praesertim vbi ex causa frigida excitantur, eò quod talia medicamenta toti affectui maxime obsunt, illumque curationi contumacem reddunt. Neque Galeni excusatio sufficit, cum solum hoc ratione symptomatis, non verò affectus fieri proponat, nam huiuscemodi narcotica vt indicata sint, debent esse contraria, vel causae, vel morbo, vt detur actio victoriosa ex vi remedij; sed narcotica non contrariantur cum causa, neque cum morbo, imò potiùs eam valent adaugere, ergo non deseruient vt remedia. Maior ex Hipp. & Gal. *suprà* constat; quia contraria contrariis curantur; ergo vt narcotica sint remedia curatiua debent contrariari cum causa morbosa, vel cum morbo. Minor, videlicet quod non contrarientur, probatur: nam causa efficiens dolorem colicum, potest esse frigida, vt pituita vitrea: deindè affectus, nempe intemperies ab ea pendens erit frigidus, ergo narcotica quae etiam sunt frigida, non illis erunt contraria, sed potiùs similia; ergo potiùs intemperies frigida intendetur cum intensio fiat per additionem gradus ad gradum, ac proinde cum curatio fiat per contraria, & narcotica, neque causae, neque affectui contrarientur, nec erunt indicata, neque pro dolore sedando vt remedia sunt exhibenda.

24. Ingenua quidem, & apparenter vrgens increpatio, decidet tamen, si priùs perpendatur, quod in praedicto dolore ab intemperie frigida orto, est primò supponenda duplex causarum differentia. Prima etenim vt, quae intemperiem frigidam inducit, vt humor, aut excrementum frigidum, vt dictum est; ex hac preterea frigida intemperie, siue morbo frigido corrumpitur natura partis, ad quum corruptionem sequitur illa tristis sensatio, quae in totum vires debilitat, ac frangit, quae est secunda causa dissipationis, & languoris virium. Cùmque ad huiuscemodi tristem sensationem, necessariò spiritus illuminatiuus ad partem sentientem concurrat, propterea quamuis nec primae causae, nempe humori frigido, neque intemperiei frigidae narcotica contrarientur, neque ab illis sumatur vlla narcoticorum indicatio, neque à sensu; vt sensus tactus est; benè verò vt tristis est sensus: quia vt talis debilitat, indicat, vt mediis narcoticis tollamus, si non frigidum humorem, neque intemperiem frigidam; quia imò ab eis intenditur, saltim vt auferamus illam conditionem, quae concurrit ad dolorem, qualis est dispositio requisita in membro sentiente, qualis desumitur ex spiritu irradiante, siue qualitate illustratiua, quae maiori narcoticorum frigiditate inducta impeditur, tum in parte, tum etiam medio aliquando somno, vt auersa mente, etsi humor, & intemperies, physicè alteret, ac corrumpat, ob defectum conditionis illustratiuae, nec sentiatur, neque tristitia sensum commutet, sicque iam indicatio, & vsus narcoticorum desumetur à symptomate, non vt tale in se est, sed vt dictae causae dissoluentis naturam, vicem seruat, etiamsi interim & humor frigidus, ac intemperies pro radicali curatione, vt ait Gal. contumaciores reddantur. Nec quiesces, cum asseras ex hoc sequi Medico licere aliquem morbum inducere, & aliquando eundem factum augere ad ablationem alienius affectionis, etiamsi non ita secura

secura sit remedij exhibitio, quin aliquando maius incommodum subsequatur. Probatur sequela nam ex narcoticis, vt est dictum, intemperies frigida maximo cum periculo valet augeri, ita vt pars gangrena possit corripi, vt subitò æger pereat: ergo sequela est manifesta: hoc non licet fieri: ergo neque insequenda talis doctrina. Probatur antecedens, nam etsi ex Hipp. melius sit febrem supervenire conuulsioni, quàm conuulsionem febri, tamen Medico non licet in conuulsione ad ipsius medelam febrem suscitare, eo quod gradus caloris debiti, & non intensioris, quàm requiratur pro conuulsione metiri non potest: sed sic est quod moltò minus in exhibitione narcoticorum illa frigiditas, quæ pro sedando dolore requiritur, valet metiri, cum conuulsio, quæ affectus frigidus est, magis obsistat febri, ne in tam magnum recessum incidat ægrotans, quam morbus frigidus, dolorosus, qui similis iam est cum temperie frigida narcoticorum: ergo si in conuulsione non licet febrem suscitare, multò peiùs in frigida intemperie eam per narcotica intendere licebit, sed potiùs causam auferendo securior curatio agetur.

25. Nodus tamen liquet, si distinguas aliud esse Medicum intendere pro ablatione vnius morbi alium, siue eiusdem, siue diuersæ speciei suscitare; aliud verò secundariò, & accidentaliter subsequi; non enim Medico licèt primario ad conuulsionem soluendam praeisè intendere febrem, sed remedia calida mitiora, & assiduè applicata præscribere; si tamen febris aliquando superveniat non ex fine Medici, sed præter intentionem eveniet. Quare non intempestiuè sed cautè calida sunt adhibenda. Et licèt aliqua febris contingat, cum non vehemens, & ardens, sed mitis sit, potiùs ad conuulsionis solutionem iuuabit. De qua intelligendus Hipp. de dolore tamen à causa frigida maior adest difficultas. Respondeo tamen vt *suprà* dixi securiorem curandi viam esse, quæ per ablationem causæ dirigitur, si vires ita valentes sint, quæ auxilia maiora possint ferre. Si autem infirmæ sint, languidioresque vi acerbissimi doloris reddantur, neglecta causa morbòque oblito, pro vrgentissima affectione dolorifica, vt natura aliquandiù dolore feriato reficiatur, etiam si morbus intendatur, narcoticis est vtendum, non quidem per se Medico morbum augere intendente, sed secundariò huiuscemodi damno sequuto, vt maior nempè omnimoda virium resolutio prohibeatur. Neque ex hoc Ita gangrena timenda, cum Medicus non temerè, vt ait Galenus in textu, sed maxima cum præmeditatione, & caute prædictis narcoticis vti debeat; melius enim est infra subsistere, quàm vlterius progredi: propter quam rationem Magister in textu ait quantum oporteat terminum in ægrotantibus fixum requiri, ne Medicus generosè contra morbum pugnans eum pertranseat, nam vbi vltra pergitur, crudelis hominis officium facit, qui vnà cum morbo vitam quoque homini aufert.



CAPVT II.

Inter remedia quadam symptoma simul, & affectum, cui adhibentur, quadam seorsum symptomata curare ostenditur.

26. 
POSTQVAM in antecedenti capite symptomata febres comitantia, quæ peculiariter rationem indicandi habent, Magister adaperuit, iam in præsenti aliquando morbum & symptoma simul, ac vnico remedio tolli, quandóque solum symptoma solui exponit, ita vt exemplo vtrumque intentum comprobet consiliúmque vtilissimum seruandum, vt Medicus, quandoque adiiciendo, quandóque detrahendo curare debeat, stabilitum relinquit.

TEXTVS.

At sanguinis missio quæ scilicet vires non deiicit, &c.

27. CVm aliquando ex nimia sanguinis missione vires labantur, veluti ex moderata habita ratione ad ægrotantis virtutem, multitudinem causæ, & morbi magnitudinem, roborentur. Propter ea Magister in præsenti inquit, quod sanguinis missio, quæ vires non deiicit nullum symptoma inducere; sed potiùs totum affectum adimere valebit, ac per consequens affectus & symptoma soluentur, quod confirmat ex Hippocrat. 6. *Aphor. sentent.* 31. asserente: *dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut vena sectio, aut purgatio soluit.* Licèt tamen hæc ad oculorum dolores sedandos proficua sint, non quidem ad omnes, quibusdam enim meri potio adversissima est, quibusdam valdè vtilis, quare non ait Hippocrat. ad omnes oculorum dolores hæc omnia vtilia esse, sed ad quosdam hoc, ad quosdam illud; ad alios aliud vrile esse. Nam vel dolor ab intemperie nuda aut ab aliquo succo suscitatur, vel iste adhuc fluit, vel ipsius fluxus toto corpore euacuato, cessauit; si enim adhuc fluit, sanguinis missione, aut purgatione opus est, si fluxus cessauit, totumque corpus iam euacuatum manet: aut quod in parte est receptum, siue fluxum, crassum, existit, potio vini prodest; si verò tenue, & mordax sit, potiùs balneum proficuum erit. Quare nullus oculorum dolor est, qui modo aliquo ex dictis non curetur; hæc tamen omnia nullus vt salubria respicit. Ex quibus infertur quomodo symptoma simul & morbus auferantur. Clarescit etiam Magistri doctrina ex eodem *in commentario* 23. *primi Aphor.* vbi febres

bres ardentissimas, & grauissimos dolores sanguinis missione vsque ad animi deliquium profligit; nam febrium ardentissimarum causa intra venas, & arterias feruens, media sanguinis missione potest euacuari, veluti prædicti dolores maxima, & celerrima reuulsione succorum calidorum de medio tolluntur. Sicque veluti aquæ frigidæ potus facultates membrorum in ardentibus recreat, & quemadmodum stupefacientia medicamenta dolorem solent auferre, non aliter animi deliquium ex sanguinis missione procedens per se, & vt refrigerans, & vt stupefaciens maximè confert. Neque ex hoc spectandum est aliud symptoma, etiam si sanguis vsque ad animi deliquium mittatur, cum euacuatio ista vires non deiiciat, veluti ea, quæ vsque ad syncopem exercetur: illa enim semper in ordine ad vires moderata, proportionatáque est; ista verò cum præceps omnium virium sit lapsus, eas ita excedit, vt supra vires extrema dicatur. De qua in præsenti inquit Magister spectandum symptoma esset, non autem si modica, quæ potiùs morbum & symptoma detruncat.

TEXTVS.

Eodem modo nutrimentum, &c.

28. PErgit ulteriùs Magister eundem sermonem insequens, aliud exemplar proponens; nam si nutrimentum, vbi corpus valdè squalens, ac siccum est, ac stomacho laboret, exhibeatur, non solum affectum ipsum persanabit, sed etiam syncopem imminentem prohibebit. Quare cum in accessionum principiis aliquando, vel ob intensissimam, confertámque intemperiem, vel propter confluxum humorum calidorum, & acrium in profundum irruentium, animi deliquium euenire soleat; propterea in his nutrimentum, antequam accessio inuadat, oportet exhibere, vt inde affectum tollamus, & syncopem prohibeamus: vbi tamen virium resolutio, siue syncope ex frigidorum redundantia nascitur, alimentum nec medicamen sunt præscribenda; licèt aliquando in eiusmodi affectibus, non solùm nutrimentum, verùm etiam vini aliquid laboranti condonare cogimur, quod non præcisè vt affectum curemus, sed vt periculum in præsens depellamus. Vacuatio etenim, potiùs quàm adiectio his laborantibus, vt regularis curatio fiat, prodest. Quamvis quotidie (ait Magister) plurimos ægrotantium, propter Medicorum ignorantiam infeliciter perire, eo quod vt virtutem viuificent media alimenti copia, intempestiuè illos nutriunt, ac natiuum calorem obruendo, ipsum suffocant, & interficiunt.



CAPVT III.

De curandis ijs, qui ex summa crudorum succorum copia febricitantes, syncope facillimè corripiuntur.

29. LIcet præceptum in antecedenti satis memorabile, videlicèt quod in his, qui ex humorum crudorum, & frigidorum multitudine febricitant, siue resolutione, siue stomachi, syncope correpti sunt, nequaquam curatio ab adjectione, sed ab euacuatione incipienda est, Magister stabilitum reliquit. Vlteriùs tamen in præsenti capite febres syncopales ex prædicta humorum crudorum multitudine pendentes, per veram curationem profligandas, aggreditur, ita vt priùs notas quibus eas cognoscere valeamus, proponat. Tandemque incommoda quæ ex intempestiuo alimento subsequuntur inediam maxime collaudans, doceat.

TEXTVS.

Ergo febricitare incipiunt nonnulli, &c.

30. FEbris equidem syncopalis humorosa, de qua in præsenti Magister alloquitur, prout ab humorum crudorum copia nascitur, nihil est aliud, quàm calor præter naturam, cuius causa multitudine sua ad syncopem semper disponit in calore præternaturali. Differt autem à syncopali minuta, quia ista non à copia suffocante, sed à calore natiuum resoluente suscitatur, vt in capite sequenti cum Gal. ostendemos: prædictam igitur febrem nullus melius quàm Auicenna sic adapernuit. *Hæc secundum plurimum est propter phlegma crudum, quod est ex nauseatiua satietate, vel repletionali, quod facit febrem dispartitum plurimum, quia iam vincit virtutem.* Ex qua doctrina huiuscemodi febris causa clarescit, cum asserat Arabum Princeps, quod causatur à phlegmate crudo repletionali, & dispartito plurimo, (id est) à causa replente, & plurimùm per membra disseminata: nam cum multa sit, per totum corpus distribuitur, sicque calori extinctionem sollicitat; per alia verò verba, quod semper ad syncopem disponat, ab aliis febribus humoralibus syncoposis differt, quæ quamvis in accessionibus ad syncopem disponant, non tamen semper, quemadmodum ista. Nam cum frigiditas pituitæ intensa sit, media qua præ humoris multitudine calor obruatur, ac penè suffocetur, propterea semper ad syncopem in accessionibus disponit; in aliis verò febribus propter frigiditatis in humoribus defectum non ita accidit in omni tempore, sed solum in Paroxysmum motu: modum igitur generationis harum febrium Magister in textu ostendit, asserens, quod nonnulli febricitare incipiunt, vbi maximam succorum crudorum

rum copiam, simul cum oris ventriculi offensione, id est anxietate, vel ex cruditatibus, vel ex alia quavis occasione collegerunt; in his etenim præcordia maximè inflata sunt, totúmque corpus amplioræ, ac superflua mole, quam ordine naturali cernitur. Tum etiam color in quibusdam ad albidius, quàm pro naturali habitu est mutatus, ac laborantium anasarca colori magis assimilatur quibusdam etiam nigrior, aut lividior color inest. Omnibus etiam hac febre correptis pulsus minores sunt, quàm pro caloris ratione, deinde obscuri, ac omninò inæquales, sæpè ea inæqualitate, quam Græci systematicam nuncupant, semper verò ea, quæ in vno est ictu; licet tamen huiusmodi notæ apud Gal. in præsenti adductæ pro huiuscemodi febre syncopali humorosa sint, quæ maximè conducant. Non minus ponderis sunt concomitantia, & antecedentia signa, vt ructus acidi, quos laborantes patiuntur, simúlque cruditates, quæ præcesserunt, intempestiua balnea, leguminum, ac fructuum fugacium, nec non carnium, vinique crassioris repletio, & vsus immodicus, ex quibus excrementorum crudorum ita colluvies dominatur, vt syncope cum prædicta febre contingat; pituita enim cruda sopra modum aucta ac in ventriculo, illique in venis propinquioribus existens, venas & arterias reliquas explet, calorem natiuum opprimendo, simúlque vires frangendo, à quibus cum moderari non possit, prohibita videlicet ventilatione putrescit, ac febrem putridam procreat. Quare cum dum talis materia agitatur, os ventriculi pertingat, ideò media illius frigiditate, & corruptione illum immodicè præstringit, & cogit, ita calorem natiuum suffocando, vt per hanc frigiditatem, & eam quæ à vaporibus cordi communicatur, ipso refrigerato, syncopem suscitet; & quo magis prædicta materia putredini paratior est, eò velociùs syncopem machinatur. Quare non immeritò Auicenna in definitione inquit, quod phlegma facit febrem dispartitum plurimum, quia iam vincit virtutem. Vt constet in hac febre signum essentialius debilitatum omnium facultatum, præcipuè tamen vitalium esse, cum à prædicta immodica cruditatum redundantia virtus deuincatur.

TEXTVS.

Nulli talium, &c.

31. CVrationem igitur iam prædictæ febris syncopalis ostendens proponit, quod in his, qui hac febre laborant maximum virium, dispendium ex sanguinis missione sequitur: nam quamvis euacuationem expostulent, nequaquam tamen sanguinis missionem, nec purgationem sustinere valent, cum adhuc citra hæc iam syncope subitò adoriatur: quare propter maximam eorum imbecillitatem, & quia humores valdè crudi sunt, etiam si euacuari desiderent, vacuantia præsidia non ferunt. Sicque nulla ratio euacuandi securior exercenda est, quàm quæ in frictionibus euenit, quæ in morbi Principio statim à cruribus supernè, deorsum, ac linteolis mediocri asperitate pollentibus, ita vt cutis radatur sont efficiendæ, vt debitè ab imis partibus ad superficiem multitudo trahatur, internæque ab ea liberentur per calefactionem & digestionem, quam æger postulat. Vbi verò omnes hoc modò artus abundè calefaciût, & timor adsit, ne ille ex assidua, & forti frictione carnis tensione inducta lassitudinis sensum patiatur, oleo relaxante, veluti oportet, vt est oleum Sabinum, abstinendum tamen est ab astringentibus, vt est rosaceum, omphacinum citoniorum, & alia similia, cum potiùs cutis poros cogendò, prædictos ita desideratos halitus repellendo impediant; quare hyems si fuerit, maximè nocet, ita vt nihil deterius sit; si verò ad medicamina digerentia transeundum sit, oleum sicyoniũ valdè proficuum est, quod ideò sicyonium, quia in Sicyonia fieri consueuit, dicitur, cuius compositio apud Dioscorid. *lib.* 1. *cap.* 10. adducitur, cuius actioitas (cum hoc non inueniatur) à plurimis aliis, vt sunt chamæmelinum, euphorbij, amygdalarum dulcium, rutaceum, & alia similia simulanda est, quæ cum frictiones siccæ per vniuersum corpus præcedant, toti spinæ dorsi, & cruribus applicanda sunt, ita vt spatio totius diei in domo nequaquam madente sine homida, poráque luce vigente, cum calore, moderato hoc opus debeat fieri.

TEXTVS.

Sane mulsa, &c.

32. INter omnia laborantibus proficua mulsam, in qua coctum hyssopum sit, Magister collaudat, vt ipse 1. *ad Glauconem, cap.* 14. ait, *sufficit autem, si eis dederimus melicrati potum, in quo ebullierit thymus, vel origanum, vel pulegium, vel hyssopus.* Quare melicratum Magister proponit, vt succum crassum attenuet, ac ipsum fluidum reddat, ipsique attenuantia, vt pulegiũ, hyssopum ac dicta permiscet, prohibet similiter cibum, vel sorbitionem vel aquam liberaliter bibitam, nisi tantùm mulsam, tribus primis diebus assumendam permittit. Neque somnus vberior ipsis confert, eo quod succos crudos digeri impedit, ac viscera medio motu ad interna magis grauat. Si tamen aliquis alius affectus est, qui somnum, vigiliámque modicam indicet, profectò iste principatũ habet, somnus enim concoquit, vigilia digerit, quorum vtroque hi, qui multitudine succorum crudorum oppressi ægrotant, indigent. Quare si modicè tam somno, quam vigilia vtantur, ita vt si multo alterum post alterum absque excessu eueniant, valdè proderit, dum etiam pulsus his admodum paruus, atque langoidus adest, simúlque vehementer inæqualis appareat, extremũ iam vitæ periculũ est habendum. Propterea que præter illa, quæ supra sunt dicta, nihil est operandum. Si verò pulsus robore mediocri, & magnitudine constet, miniméque intercisus sit, & æqualis adsit, consideranda sunt, quæ ad aluum spectant, etsi sponte natura commodè non excernat, audacter per inferius medicamentum subducens est infundendum, post aquam enim mulsam solet accidere, vt quæ in primis venis circa iecur & mesenterium repertis, solent colligi, hoc modo proficuè deiiciantur, quod si plusquam conuenit supernacaneorum fluxus per aluum moueatur, potiùs principio mulsam decoquere, vt ea ægri vtantur, oportebit, nam ita sicut dum est cocta magis nutrit, minúsque aluum ducit, sic econtra,

dum cruda minùs nutrit,alvum tamen magis subducit. Si deinde largiùs superflua descendant, neutiquam sunt sistenda, sed pro aqua mulsa potiùs ptisanæ cremor proficit. Si verò adhuc pergant fluere, aliæ sorbitiones sunt exhibendæ, servando tamen pulsuum rationem, an constent, vel infirmi valdè reperiantur, quoniam aliquando subitò ad languorem, vel inæqualitatem mutantur; quo in casu panis ex vino dilutus exhibendus est: si etenim nec in ventriculo, aut iecore phlegmon reperiatur quando si hac iusfestentur, existente iam corpore succis crudis referto, sine dubio salus laboranti est desperata, sic iam pulsus imbecillitate contracta. Quo in casu honorem Medici Magister inspiciens, inquit; teipsum à culpa immunem præstabis; si moriturum prædixeris, ac nullo generosiori medicamento vsus fueris. Quibus verò spes & salutis(videlicet omnibus, qui ita citra phlegmonem ægrotant) maximum dedecus mihi videtur accidere Medico, qui vtique ipsos in principio susceperit, si in syncopem inciderint, licet per ignorantiam Medicorum id quotidie contingere cernimus.

TEXTVS.

Sane dictum à me etiam, &c.

33. QVamquam in superioribus Magister cataplasmatis, & perfusionibus assiduè præcordia vexari, phlegmonásque ex illorum vsu suscitari, prædixit iterum, in præsenti monet, quod neutiquam his vtendum priúsquam supervacanea maiori ex parte euacuata sint, partim devicta & concocta, neque tunc solùm relaxando ipsis vtendum,sed ex absinthio mediocriter perfundendo est agendum: dummodò febris non planè sit magna. Si deindè postquam per tres primos dies prædictis remediis vtendo, nihil incommodum superveniat eisdem vsque ad septimum; aqua duntaxat mulsa, in qua decoctus hyssopus sit,vti oportet. Quoniam hac febre affecti longissimam cibi abstinentiam ferre possunt, eò quòd corpus ex succis, quos continet, crudis concoquendis alitur. Si verò non tantùm succi sint crudi, sed etiam eò corruptionis peruenerint, vt concoqui ad debitam perfectionem non possint, qui hoc modo ægrotant,desperatam salutem habent, sed qui, si nullus præsertim error cõmittatur, hi aqua solùm mulsa vsque ad septimum sunt nutriendi; & ideò servari possunt, aut sicubi id res exigat, vel cum alui fluxu,vel si æger mulsam fastidiet, ptisanæ cremor est vtilis, & istum, si auersetur, alica merè ptisana præparanda est; neque huic affectui acetum est parum vtile, imò pro mulsa ratione succorum crudorum oxymelite est vtendum, præcipuè quidem qui pulsus paruos, tum tardos, ac raros habent, potiùs hos succos frigidos & crassos habent. Videbitur tamen(ait Magister) fieri non posse, quod dictum est; quia nullus febricitantium, aut tardiorem, aut rariorem pulsum habere potest. Duplex tamen ratio,vt hoc comperiamus,à Galeno ostenditur, prima videlicèt, quod euidenter in accessionibus contingat, & tardiores & rariores pulsus fieri, quam pro naturali ipsorum habitu altera, quod reliquis temporibus præter accessionem horum febricitantium arteriæ, tum rariùs, tum tardiùs pulsant,quàm quæ in aliis quibuslibet febricitantibus adsunt.

TEXTVS.

Ergo si æstas sit, &c.

34. PErpendit iam anni tempus, quo remedia exhibentur, simúlque vim temporis cum consuetudinis virtute comparando, proponit; si enim æstiuum tempus, quo huiusmodi febris adest, fuerit, ægerque frigidæ potioni assuetus extiterit, laboranti oxymel frigidum est exhibendum; si verò hyemale fuerit, omnibus sic febrientibus calidum, tam his, qui calidæ, quàm frigidæ potioni sunt assuefacti, est dandum: ita pariter si æstatis tempore immodica æstuatio flagret, etiam qui calidam assumere solebant, potiùs habita ratione ad anni tempus, frigidum actu oxymel assumere tenentur: cum tamen nullum sit his viscus ad nocumentum aptum, siue opportunũ. Inter alia sanè aduersissima sunt his, tam balneum, quàm aër ambiens, si in eorum quolibet, vel caliditas, vel frigidities immodicè intensa dominetur. Quare nec lavandi ij sunt balneo, de quo in præsenti Magister alloquitur in nostra Hispania non vtimur, sic & reclinandi in domo sunt, æstate quidem, quæ frigeat, hyeme verò, quæ caleat, vel quæ potiùs quolibet tempore temperata sit, vt *suprà* expositum manet. A quolibet enim frigiditatis & caloris excessu non exigua sequitur noxa, quoniam ab intenso balnei,& æstatis calore crudi humores liquati per omnes corporis partes impetuosè fluunt, itavt ad pulmones, atque cor impetus immineat, aliquando etiam ipsum ad cerebrum subeundo, cum valdè conducat, vt circa iecur, primásque venas adhuc ipsis subsistant. Ita pariter, viceversa in hyeme, ab ambientis frigiditate, succi cum iam crudi sint, ineptiores ad concoctionem redduntur, ac hepatis obstructiones, si leues sint, valdè augent, si absint, quia nullæ; eas sua crassitie vasis propter frigiditatem ambientis adhærentes generant. Si autem peruenias ad eos, qui iam actu syncope premuntur, si viscera iam supradicta phlegmone non sint affecta panis non multus imbutus ex vino aliquo, quod celerem digestionem in corpus aduuet, quale est rufum, exhibendus est statimque ad frictiones est deueniendum. Si denique æstas sit, & regio ex natura sua calida, aut cœli status vehementer calidus cum frigida (id est aqua) vinum dabis, si verò nihil eiuscemodi sit, cum calida aqua ipsum propinandum, vtpotè crudorum succorum coctionem, ac distributionem feliciter adiuuat.

Dubitationes

Dubitationes super Textum.

35. PErcelebris autem ex Gal. texto difficultas non facilè soluenda nascitur, Magister enim postquam in præsenti capite ait, pulsus horum febricitantium minores esse quàm pro caloris ratione ideóque ad oxymel reuerti conuenit, maximè quibus tum paruus, tum tardus, ac rarus pulsus est, his frigidos esse succos putandum:dubium quidem in eo stat, quod cum hæc febris reuera sit continua, ac proinde continuò cor sit præter naturam calefactum, quia febricitans, quomodo valet infrigidari vllo tempore, vt pulsus fint minores, quàm pro caloris ratione, hoc est pro exigentia caloris febrilis temperandi, & præcipuè si ad satisfaciendum prædicto vsui caloris febrilis potius pulsus velox, celerior inquam,& frequentior requiritur, quomodo paruus, tum tardus, ac rarus pulsus valet reperiri?

36. Huic dubio Magister ipse satisfacere conatur, asserens, duplicem, vt *suprà* est dictum, dari rationem: prima videlicet est quod euidenter in accessionibus appareat rariores fieri, quàm pro naturali ipsorum habitu; secunda quod reliquis temporibus præter accessionem horum arteriæ rariùs, & tardiùs, quam aliorum quomocumque febricitantium pulsent,quamquam rationem Magister experientiæ nexam proponat. Causam tamen propter quam omittit, etsi aliqua ostendenda sit, potiùs doctrinæ ipsius Magistri, ac veritati opponitur; nam si vt cor febriciter, calidius præter naturam reddi debet, & huiusmodi calor semper naturali est intensior, & adhuc naturalis calor pulsum rarum, ac tardum non habet, nisi dum cor intemperie frigida laborat, multo minus quando febricitans, quia intensiori quam pro naturali habitu laborat:ergo Magistri doctrina sustinenda non videtur.

37. Auicenna tamen intendens pro Gal. satisfacere in hæc prorumpit verba. *Et accidit in inceptione sui vt effundatur ad cor res frigida faciens accidere syncopem, & minoratur pulsus, & tardatur, & fit rarus.* Quasi dicat in principiis accessionum: quando humor incipit ad focum moueri,cor infrigidatur;quia frigidus vapor ex pituita incipit eleuari,cor ipsum partim intemperās, partimque replens,& suffocans,quò fit vt cordis calore vitali extincto æger in syncopem cadat,quare per illa verba,*inceptione sui*,significat vtrumque principium accessionum videlicet, & syncopes, saltim periculum cadendi in eam ob rationem dictam, sed neque adæquatè huiuscemodi ratio dubitationem dissoluit.Galenus enim non loquitur præcisè de tempore antecedenti accessionem, nec præcisè de inceptione illius, sed absolutè in textu profert. *Quod euidenter in accessionibus appareat, rariores fieri, quàm pro naturali ipsorum habitu.* Præterea, quia si in accessionum principio cor à frigido pituitæ vapore infrigidatur præter naturam, ergo non febre,ergo jam ista non continua, sed intermittens erit. Cum asserat per alia verba. *Ergo euadit cor à nocumento, & frigore eius, & cadit in nocumentum caloris eius quare fit pulsus velox, & propriè cum constrictione sua.* Quod idem est ac dicere: quoniam in accessionum principio suffocatur calor vitalis, & frigore extinguitur, pulsus debiles tardi & rari ob diminutionem vsus fient; posteà verò si materia illa pituitosa, quia putrescit, calefiat, pulsus erit velox, & propriè in constrictione, erit velocior, plusquàm sit velocitas aliorum, idest velocior quam præcedentes, quia iam multum viget copia fuliginum, quæ media constrictione sunt pellendæ.Ex qua doctrina infertur sequela dicta, in principio nimirum accessionum, quia frigidum est, & intemperatum cor, non febre,sed intemperie frigida laborare:ac proindè huiuscemodi febrem non esse continuam.

38. Petrus verò Michaël de Heredia responsum præbet, dicendo, quod vt pulsus rarior,quam naturali statui conueniat, appareat, cor in accessionum initio debeat præter naturam infrigidari, vt inde rarior & tardior pulsus appareat. Quare in nulla accessionis parte febrilis, in qua cor præter naturam calefiat, pulsus rarior quàm pro natura apparebit, sed semper frequentior apparebit. Quare dum Gal. ait, quod euidenter in accessionibus appareat, & tardiores, & rariores, quam pro naturali habitu pulsus esse, non intelligit accessiones vt necessariò calorem præter naturam in corde dicunt, sed quamlibet mutationem, quæ nouam accessionem proximè venturam significet, intelligit; ob quam rationem, inquit Heredia, quotidie experimur extrema infrigidari, & nondum febrem esse.

39. Signa igitur accessionum appellauit Gal. impropriè accessiones, in quibus pulsus rariores quàm pro naturali habitu dicit, *quo tempore febris omninò deficit, quia tota corrumpitur.* Si priùs ob caloris suffocationem erat, frigidam potiùs intemperiem inducentem omninò febri oppositam, quousque materia suffocans à calore deuicta reaccendatur ac febrem causet.

40. Neque huiusmodi rationes difficultatem exhauriunt, imò aliquam contradictionem inuoluunt. Primò enim ait doctissimus Heredia certum esse in accessionum principio cor præter naturam infrigidari, vt rarior, & tardior pulsus appareat:ergo si absolutè Gal. in accessionibus pulsum rarum esse profert, quomodo ita impropriè intelligendum est de tempore antecedenti accessionem pro mutatione tantùm quæ ad eam præcedit. Præterea quia si quotidie experimur extrema infrigidari, & nondum febrem esse:ergo ante accessionem in illa mutatione dicta febris omninò deficit (ex verbis ipsius Autoris) quia tota corrumpitur:ergo in illo tunc potiùs frigida intemperies in corde est communicata: ergo iam aliquo tempore huiusmodi febris intermittens erit,quod est contra Galenum Auicennam,& ipsum Authorem febrem continuam esse fatentem; ergo vt Galeni verba vt verissima amplectantur, non ita intelligenda veniunt.

41. Potius igitur vt Auicennam insequamur; & Galeni doctrinā veneremur est notandū, quod vt pulsus immutetur ad vsui adaucto satisfaciendū non solum causarum continentium facultatis nimirum & instrumenti obedientis concursus requiritur, verùm etiam illustratiua qualitas, irradiatio, siue influxus nuncupata est valdè necessaria, ita vt etsi ex parte principij facultas valida, instrumentumque obediens adsit, si tamen prædictus

prędictus influxus deficiat æque ad perisum vsus siue indigentiæ attemperationis, differentia pulsus apponi non valebit. Quod exemplo facultatis sensificæ claret, si enim influxus animalis debite ad inferiora non descendat, propter aliquod in nervorum exortu impediens licèt cerebrum, quod est mandans, membrúmque mandatum rectè sit dispositum, sensifica actio non recte, vt in paralysi patet, exercebitur: quare eadem in actione pulsifica militat ratio, si ex corde ad arteriarum motum secundum vsus indigentiam exercendum, influxus vitalis non communicetur, differentia pulsus, provt indiget natura non fiet.

42. Quibus sic iactis respondeo pro Galen. verbis non implicare in accessionum principio pulsum tum paruum, tardum, ac rarum, quàm pro habitu naturali apparere, quoniam quamvis vapores à pituita eleuati ad cor, ipsum præter naturam non infrigident, quia iam illa materia dum incipit moueri aliquam calefactionem concepit: sua tamen corpulentia, & crassitie ita vitales spiritus cogunt, atque incrassant, arteriasque suo pôdere, ac multitudine grauant, vt citra cordis infrigidationem solum per modum substantiæ impedire valeant, quominus spiritus cordis vitales, calor influens, & prædictus influxus instrumentis communicari possit, quo in casu tali irradiatione fere in totum feriata, quàmvis vsus pro caloris febrilis attemperatione celeritatem ac frequentiam exigat, potiùs tarditas & raritas propter dictum impediens apparebit, quod experientia splendescit in his, qui, etsi viscera flagrantia & extrema algentia habeant præ ingentissima humorum sarcina, etiam si sanguinis, aliquando ita in totum natura oppressa existit, vt citra debilitatem essentialem neque caloris suffocationem, sed tantùm obrutionem nullum sensibilem, siue apparentem pulsum habent; Sanguine verò venæ sectione misso, levata ab onere natura ablatóque dicto impedimento, pulsus magnitudo præostenditur. Quare seruata hac paritate in accessionum principio prædictarum febrium raritas, & tarditas pulsus apparet, donec diutiùs materia vaporosa pituitæ per vlteriorem vi putredinis calefactionem attenuatur, rarefit, & à natura devicta exhalatur, vt maiori irradiatione ad arterias suppeditata, pro calore cordis febrili attemperando velox, siue celerior, ac frequentior pulsus, qui erat obscuratus, appareat.

43. Ex quibus patet Auicennam rectè Gal. pro accessionum principio hos pulsus raros & tardos apparere, intellexisse, non tamen quia cor infrigidatũ præter naturã reddatur, sed valdè oppressum & quasi impeditum, vt confluxum arteriis cõdonet. Sicque absque eo quod febris intermittat, sed semper continuo, & cor præter naturam calefaciens, ratione dicti impedientis non ostendetur, imo veluti infebricitans æger indicabitur, & multo minor, & tardior erit pulsus, quàm pro habitu naturali, & in quolibet tempore extra accessionem in quolibet febricitante, quia neque in aliis febribus, neque in statu naturali, ita natura obruta, & oppressa est, vt motus arteriæ impediri possit. Ex quibus inferendum est propter dictam virium oppressionem, tandem ita virtutem in his febribus euinci, vt sequatur in principio accessionum mors, vt Auicẽna satis sic exponit: *Et quando mouetur, & incipit in putrefactione, vincit virtutem plus, & facit eam hæsitantem.* Idest quando incipit materia in foco putrefieri, vincit virtutem plus; quoniam quando succi crudi calefieri præter naturam, & putrefieri incipiunt, maximè liquantur, & rarefiunt, quandóque impetuosè quia magis replent, etiam magis suffocant, sicque plus virtutem vincunt. Vndè nascitur, vt hac febre oppressi fere semper in principio intereant, & interdum in augmento, in quo per intensiorem putredinem, & liquationem humorum fluxilior reddita materia vehementius in principem partem, vt cor irruit, calorem ipsius in totum extinguendo, frequentiùs verò, vt bene animadvertit Heredia solent ægri in principio vltimæ accessionis vitam deperdere, quia nunquam pulsus dilatatur, sed ab initio vsque ad vltimam vitæ oppressus est, ac vehementer contractus, quamvis longior sit accessio, & licèt aliquibus in declinatione perire videatur, quia plurimum ab initio distat, falluntur, cum iam ab ipso accessionis principio æger suffocari incipere soleat: vbi præ naturæ cum causa accessionis gravante, pugna, absque eo quod reliqua tempora pertranseat, calor natiuus extinguitur.

44. In Magistri etiam consilium, dum cibi abstinentiam longissimam posse ferre, hac febre laborantes monet, vrgens ratio insurgit. Etsi enim Gal. proferat, quod corpus ex succis, quos continet, crudis concoquendis alatur, difficilè quidem videtur ex prædictis succis naturam nutriri posse: nam in eis non solum ex Auicenna perpendenda est cruditas, sed etiam corruptela, qua materia ad nutriendum inepta redditur; præterea, quia ipse Gal. 1. *de nat. fac. cap.* 11. vbi de anasarca & corporis intumescentia sermonem instituens, inquit, quod ista generatur, quoniam pituitæ copia nutrimentum aquosius reddit, proptereáque partibus agglutinari non potest, sicque omnino immutatum partes in tumorem, siue superfluam molem attollens, reddit. Quæ doctrina ex eiusdem verbis patet, dum sic fatur: *Veriùm affluentis nutrimenti appositio quædam fit, quod tamen propterea quod aquosius adhuc est, nec ad succum sufficienter redactum, nec lentitiam, glutinisque consistentiam, quæ naturalis caloris ope provenit, adeptum, adhærentiam consequi non valet, desinente nimirum, ac delabente ob tenuis, & crudi humoris exuberantiam à solidis corporis particulis nutrimento.* Addendum tamen est epituitosum humorem qui anasarcam progignit lentum satis & tenacissimum esse posse: vt ob illius copiam sanguinis agglutinatio non implicet, non enim necesse est, vt in leucophlegmatia semper humor tenuis sit, ac semper ex serosa pituita fiat, vt ex permanentia, & resolutionis difficultate, qua tumor resoluitur, satis confirmatur, tenacissime namque partibus adhæret, ægreque discutitur. Quare nihil mirum, si alimentum, cum tanta pituitę crassæ copia permixtum, improbum nutritioni reddatur, & præsertim, si perpendamus; quod quamuis optimum alimentum partibus alendis applicaretur, propter tamen frigiditatem partium externarum à prædicta pituita intensè frigida inductam, ita immutatum maneret, vt potius in

alium

alium succum, frigidum, & crassum, & non io partes viuentes verteretur: nunc sic ex doctrina ipsius Gal. loco allegato constat, quod idcò in anasarca nutritio laudabilis non sit, quia materia pituitosa redundans ob tenuitatem, & fluxibilitatem quam habet, aquosius alimentum reddit, sicque partibus alendis agglutinari non valet, ac proinde omnino partes tumefacit. Deinde ex alia parte, dum huiusmodi pituita aliquando crassa & viscida est; quia tamen valde frigida ipsis partibus hærens, idem alimentum, etiamsi laudabile esset, ita infrigidat; vt in succum frigidum vertat: ergo ineptum ad nutritionem illud efficit: ergo multo melius ea ineptior pro corpore alendo erit, siue tenuis, vt in anasarca dicta, siue crassa valde, & tenax, vt in his febribus extiterit: male ergo videtur Galen. dicere in textu, longissimam cibi abstinentiam hac febre laborantes posse ferre cum succis, quos continent, ali valeant.

45. His ac similibus rationibus Auicenna nixus contrarium sentiendi modum per subsequentia verba exprimit: *& c.bis indigent vehementer, quoniam in humoribus eorum, non est quod nutriat corpus, & viuificet ipsum, & corpus est priuatum nutrimento. quod si studueris in cibando, additur materia diminuta & si non cibatur, cadit virtus.* Vnde infertur corpora febricitantium nihil beneficij naturæ nutriendæ à pituita febrem istam producente assumere: Sicque alimenti indigentiam vehementem esse, quia corpus est alimento priuatum. Si tamen, inquit, studeamus in cibando, materia diminuta cumulatur, & si æger non cibatur, virtus cadit.

46. Hanc quidem doctrinam Heredia iosequens, nodum huiusce modi dissoluendum existimat, eo quod succi crudi hanc febrem syncopalem creantes ad nutriendum non sint idonei, imò alimentum vitiare (vt *suprà* est dictum) possont, licèt tamen ægri multam inediam ferre valeant, pendet, quia paucissima resolutio fit, sicque etsi cibo vehementer egeant, vt inquit Auicenna, hoc est ad spirituum instaurationem, ad quos gigneodos nec idonea est materia, nec agens: oam ista debet esse spirituosa, pinguis, & aërea, pituitosa; etenim nequaquam ad spiritus creandos est apta, imò ipsos suffocat, & extioguit, vt febris syncopalis fiat; aquosum etiam excrementum omnis pinguedinis, & naturæ acreæ expers est: ergo cum propter dictam suffocationem ita spiritus deperdantur, materia laudabiliori, pingui, aerea, siue spirituosa est opus, vt assiduè instaurentur, & corpus calefiat; si vero nutriantur copiosè ad præcautionem syncopes imminentis non solum non impeditur, verum etiam suscitatur, quia suffocationis causa, & syncopes occasio augescit. Si tandem cibus obnegetur, ob spirituum defectum, etiam ægri pereunt.

Quamquam Petrus Michaël de Heredia Galenicæ menti non assentiat, nec modum eum à calumnia liberandi inueniat, acutè tamen suam sententiam proponit: obnegandum enim non est materiam pro spiritu geoerando vitali oon aquosam, sed potius aëream, & pingnem, qualis ex alimento resultat, esse necessariam. Neque dubitandum pituitam, quæ febrem syncopalem creat, si ad corruptelam peruenerit, vt ait Gal. exitialem esse, desperatamque salutem. De pituita verò antecedenti, quæ nondum est corrupta, difficultas militat, Vtrum ista tempore indigentiæ, pro corporis nutrimento, prout in sanguinem conuersa per vlteriorem coctionem possit deseruire, cum absolute Gal. de illa alloquens in Textu, *ex succis, quos continet corpus ali* pronunciet. Sicque abstinentiam à cibo longissimam esse oportere. Cum ex alimenti exhibitione grauata magis natura, maior caloris suffocatio sequatur, grauis equidem difficultas, maiorique mente quàm mea, vt debite dissoluatur, indiget.

47. Mea eteoim assertio est, quod neque absolutè obnegandum est alimentum, neque ita crassum est exhibendum, vt incrementum causæ morbificæ eueniat, sed quia calor veluti sopitus, tum à copia, tum etiam à qualitate frigida pituitæ, intensionem maiorem per alimenta spirituosa, & qualitate calida exigit, vt nouis spiritibus instauratis per symmetra, materia morbifica calefieri, attenuari, & concoqui valeat. Propterea nutrimentum obdenegandum in totum non est; facilè enim, vt inquit Auicenna, virtus caderet, neque vehementer est dandum, etsi vehementer laborantes cibis indigeant, vt Princeps Arabum ait, cum ex eius verbis constet, quod materia diminuta additur: quare dum Galen. ait longissimam abstinentiam cibi posse ferre, loquutus fuit comparatiuè ad alias febres, & ad moderandam Medicorum cibationem, ita vt victus sit tenuis, etiamsi indigentia tenuis noo fit. Et licet dixerit Magister solum mulsam exhibendam esse, hoc tamen non ita strictè nostris temporibus est carpendum, vt etiam non viscul's spirituosis, & alimentis tenuibus possimus vti. Quare quamvis febricitantium resolutio exigua sit, proindéque cibandum non est, quia tamen spiritus propter extinctionem depauperantur, aliqua nutrimenti exhibitio est agenda, non multa; quia magis calor oatiuus obruerctur, tum etiam, quia iam aliquantulum ex succis, quos continet, natura nutritur, non quidem succis, vt iam est dictum corruptis, neque pituita qualis depingitur tenuis io anasarca apud Gal. sed aliqua portione antecedentis, quæ cum non sit absolute succus crudus, sed pituita laudabilior, quæ est veluti sanguis semicoctus, ex ista per vlteriorem coctionem aliquod beneficium pro nutritione corpus suscipere valebit, veluti in animalibus, quæ multo tempore in latibulis, ex succo antecedenter genito pituitoso, difficilis resolutionis, & apto ad alimoniam conseruatio per nutritionem, sine nouo alimento assumpto euenit; qua propter & Gal. insequendus; cum dicat naturam ali hoc est, aliquantulum ex succo, quem continet, ac abstineotiam longissimam esse tum propter hoc, tum etiam propter pauxillam resolutionem. Auiceona etiam veoerandus est cum asserat vehementer alimento iodigere, propter spirituum deperditionem, vbi caloris suffocationis. non tamen alimentum crassum, sed exiguum est dandum, valdéque spirituosum, vt natiuus calor roboratus causam morbificam deuincat, & ne (quia multum) magis virium obrutio & syncope augescit. Neque in totum repugnandum, ne virtus omnino cadat. Quibus si possibile est, tam sensus Magistri in textu, quam Auicennæ doctrina non dissentiunt: acutúsque sentiédi

di modus apud Herediam collaudãdus permanet.

48. Quare tenuis victus imperandus est, & quamdiù cum illo virtus constat, ex ipsa enim virtutis stabilitate duo inferuntur, aut nimirum quod succi crudi coquantur, ac ex illis, spiritus instaurentur, aut saltem, quod non resoluantur, ac proinde quod alimento non egeat, proptereáque Galeni & Auicennæ doctrina absolutè prolata periculosa est censenda, ideóque Rhasis potiùs collaudandus, cum debite victus rationem, sic alloquens, instituat: huic vero ægro si cum solam ptisanam sumit non debilitatur aliud non est dandum, nisi ipsa, & panis cum hydromelle, si autem debilitatus fuerit, cum cibis, quos in febre phlegmatica prædiximus, erit nutriendus.

49. Cibandi verò duplex occasio reperitur, vna quando actuali syncope laborantes apprehenduntur, quibus optimis odoribus, frictionibus extremorum, ac tenuissimo, facilique cibo, aut vino generoso est opitulandum. Notandum tamen est rigorosius loquendo, quod huiuscemodi deliquium, aut syncope melius frictionibus, & ligaturis humoris ad corporis circunferentiam distrahentibus, quàm alimento exhibito tollitur: talis enim virtutum casus accidit, ex eo quod vitalis calor succorum crudorum copia suffocatur. Quare quidquid vlteriùs replet, deliquij causam adauget, ob quam rationem tenuissimum, & calefaciens, si propinetur debet esse: quo fundamento Gal. 1. *ad Glauconem, cap.* 14. nixus, sic fatur; *atqui ex multitudine non ita, verum in illis artus quam plurimum fricare, atque alligare oportet, at vino mero, & cibis abstinendum.* Tales enim non in syncopem ob spirituum defectum cadunt, sed ob eorum oppressionem, ac densitatem à succorum compressione contractam, quod vitium, nec alimentum, nec vinum emendare possint, sed retractio potius humorum ad habitum: nam etiamsi spiritus in corpore non deficiant, cum tamen densati, & veluti congelati sint, non fluunt.

50. Alia præterea cibandi occasio datur in ordine ad totam febris constitutionem, de qua diximus supra non seruandam in totum abstinentiam, vsque ad septimum diem cum sola mulsa, sed alimento tenuiori, vt iuribus anium cum multo petrosilino, ciceribus, cinamomo, & aliis similibus paratis, vt facilè corpus sine grauamine nutriatur, vt Hipp. 2. *Aphor. sent.* 11. *facilius est impleri potu, quam cibo.* Sicque in cibi tenuitate immorari debemus: nam inedia ad crudorum coctionem, & resolutionem valdè conducit, vt Hipp. 7. *Aphor. sent.* 59. inquit, *corporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit.* Quia fames corpora exsiccat, illorum superflua absumendo.

51. Ratio etiam non exigua contra Galen. textum obseruatur, cum in tam crudeli, magnoque morbo, quoad essentiam, quoad symptoma, tum vehementiam ac tot partes principales affectas, ad ipsum profligandum remedium magnum, quale est sanguinis missio, non proponat; imò tam venæ sectionem, quàm purgationem valdè renuit, licet huiusmodi febrem talia remedia desiderare fateatur, sed solum cibi longissimam abstinentiam, assiduásque frictiones, vt quid idoneius, declarat, eo quod maximum virium dispendium ex sanguinis missione, vel purgatione sequitur, cum citra hæc remedia iam syncope subitò eueniat, sicque propter virium imbecillitatem, & quia humores valdè crudi sunt, etiamsi euacuationem desiderent, vacuantia præsidia maiora non ferunt.

52. Quamquam tamen hæc sic à Magistro stabilita maneant, sub distinctione alloqui oportet. Primo enim morbi magnitudo negari non potest. Secundo acutics, siue morbi motus, etsi nō ratione humoris constitutionis, saltem multitudinis, & oppressionis celerrimus patet: ergo ex parte indicantis, quia magnus morbus est, magnum auxilium, vt est sanguinis missio, indicatur. Quod omne apud Magistrum est confessum, cum asserat. *Cum tamen euacuationem desiderent.* Quod potiùs de præsidio magno, euacuatorio intelligitur: ergo præcisè ex parte indicantis, à causa materiali pendentis, de sanguinis missione, aut purgatione dubitandum non est. Solùm tamen de consentiente, dices cum Gal. primo, quia vires, vt languidæ, non consentiunt, sucique, quia crudi sunt potius, prædictam euacuationem impediunt. His tamen non obstantibus, cum diuersæ species, sine gradus languoris sint, diuersa ratio pro sanguine mittendo currit. Dum enim Gal. in textu inquit, quod quando animi deliquium, siue syncope euenit, ac simul succi ita sint non tantum crudi, sed etiam eo corruptionis peruenerint, vt concoqui non possint, in quo casu desperata est salus, merito vires ita sunt per essentiam languidæ, vt sanguinis missionem ferre non valeant: in quo sensu, etsi ratione morbi hæc præsidia desiderentur, non tamen, quia non datur consentiens ex parte virium, exsequenda sunt.

53. Si vero syncope ratione multitudinis, & oppressionis, etsi aliquis langnor, quia vi suffocationis spiritus depauperantur, eueniat, potius pendeat, quamvis succi crudi sint, si cum cōmercio sanguinis reperiantur, nequaquam sanguinis missionem impedire possunt; quia cum potius illa debilitas per aggrauationē, quam omnimodè essentialis sit, euacuationem, vt natura leuata morbificam materiam deuincat, consentiet, cum malum grauissimum sit, naturáque succorum copia valde obruatur. Quam doctrinam Trallianus, *tract.* 12. *cap.* 3. *fol.* 712. firmat, dicendo. *Salubre igitur est quantum ad copiam attinet, vacuationem per sectam venam moliri, eamque rursus iterare, imò non permittere, vt humores crudi rursus in corpore redundent, metus enim est, ne vires prostrata humorem crudum nequeant coquere, & distribuere, satis igitur arbitror, vt euacuationem potius vtemus, sin autem humor vsque adeò superauerit, vt periculum sit, ne vires sufficentur non absurdum est tum ex copia modicum subtrahere, & grauatas ipsas leuare.* Et per alia verba sic infra inquit: *quapropter si vires robusta, & copia, qua offendit admodum ampla fuerit, in eum modum est agendum. Sin autem imbecilla, & cruditas multa subsit, frictionibus incumbendum, atque iis qua sensim extenuare, ac discutere, crudósque humores, & incoctos possunt concoquere,* &c. Ex qua doctrina, tota Gal. expositio in textu patet: nam si vires, inquit, robustæ sint, & copia, quæ offendit admodum ampla fuerit, vacuationem per sectam venam moliri expedit. Sin autem imbecillæ (id est per essentiam) & cruditas multa

molta subsit, nequaquam vena est secanda, sed frict onibus, & aliis *supra* dictis est incumbendum. Vnde dum pituita benigna,& sanguini propinqua dominatur, vires constant, vt sanguis mittatur; dum verò pituita frigidior, vt acida, vel succus crudus, & præcipue cum corruptela, vires languescunt, sicque solùm frictiones, & alia similia permittunt.

Antequam tamen venæ sectio fiat, notandum expedit: damnum,quod à crudorum succorum copia ventriculus, ac illius orificium suscipiont, vt Gal. *in textu de offensa,& anxietate ventriculi* alloquitur; si enim hæ reperiantur,nequaquam sanguis est mittendus: quare tria necessariò perpendenda occurrunt. Primum scilicet humorum crudorum natura, magnum enim frigiditatis discrimen inter eos datur. Secundum ventriculi, & eius orificij læsio, ac debilitas est. Tertium tandem virium constantia non solùm præsentis, sed futuri temporis, ac totius morbi constitutionis, vt maiora auxilia decernere possimus.

54. Quibus igitur perpensis, stabiliendum sequitur, quod vbi os ventriculi læsum, ac debile adest,eo quod in se cruda excrementa continet, nequaquam sanguis mittendus est, debilitas enim eius nimis augescit, & proindè quæcumque excrementa, quia languidior redditus facil.ùs recipit,& difficiliùs concoquit. Vnde vel animo linquunt, vel syncope correpti intereunt.Quare hoc in casu securiùs primò venter clysteribus leniotibus,ne vehementioribus magna commotio subsequatur, humoréique,aut excrementa in aliquam partem impetuosè irruant, sollicitandus est.Quod Auicennæ menti assentit, cum asserat. *In huius febris curatione; & modus curationis est euacuatio gradatè ex subtili ad fortem, & propriè quando natura non respondet ex se, tunc enim cum clysteribus mundes quod est in intestinis, & venis propinquis eis.* Quod consilium semper est magni faciendum, nunquam enim aut tardò hac in febre prima regio fine crudorum humorum copia oppressa est, cum crudorum officina puretur, & meritò ventriculus primò solet affici:nam huiusmodi excrementa in secundam regionem distribui, quin prius in prima extiterint, nequeunt. Dum verò clysteres præscribimus, aqua mulsa, vt Magister in textu, vel oxymel, Rhodosacharum, miua cinamomi, & alia similia assiduè sunt propinanda, vt celeriter talis materia disponatur,ac levi pharmaco phlegmagogo, quod ex toto nũ trahat,sed tantùm quod primam regionem, & ventriculi os lædit educat, vt tandem ventriculo roborato,sanguinis missio, vt *suprà* est dictum exequi valeat. Ex qua doctrina meritò Roderius Fonseca *tom. 2. consultationum* taxandus est. Tum qoia priùs ventriculi robor, ante excrementorum os ventriculi lædentium eductionem tentat, ac priùs venam secat, & statim altera die expurgat, vt *consultatione 2. de cardialgia* cum febre firmat, hoc quidem rationem, ac methodum dogmaticam fugit, cum priùs excrementa erodentia, aut cruda eum imbuentia, ante adstringentia debeant euacuari, tunc enim veluti quis spongiam plenam spinis manu comprimens, se ipsum dilacerat ventriculus per dictam adstrictionem ab erodentibus excrementis, tanquam spinis vehementem læsionem, vt anxietatem animi deliquium, & syncopem patietur. Tum etiam noo exiguum Fonseca errorem committit, cum ante ventriculi expurgationem sanguinem mittat,vt ipse Gal. *suprà* tanquam verum impediens sanguinis missionis cruditatem ventris proponat, vt latis libro de curandi ratione per sanguinis missionem ostensum reliqui.

55. Nec Mercati sensus amplectendus,eo quod antequam sanguinem mittat, non solùm primam sed etiam secundam regionem præparat,atque expurgat. Quod nequaquam est rationi consonum, nisi dum secundæ regionis materia non cum sanguinis cõmercio, sed separata, & supernatans adest, tunc enim cum separat one nulla, vel coctione, vt educatur,indigeat, meritò potius purgationem,quàm sanguinis missionem ind cabit, constantibus tamen viribus pharmaco purganti debet euacuari. Si autem permixti humores crudi sint, potiùs eorum coctio, vt expurgatio fi.t, expectanda est, vt latiùs libro de purgatione ostensum manet.

56. Difficile vlterius quod Gal. *in Textu* inquit, apparet, dum continuas, largasque frictiones, tum siccas, tum cum oleis laxantibus, & resoluẽtibus consolitnam plurima incommoda imminent, eo quod ante vllam corporis vniuersalem evacuationem assiduè ac fortiter artus fricentur. Primò enim cruda primæ regionis ad interna trahentur. Quare obstructiones incrementum suscipiunt. Secundo,quia ob immoderatam frictionem externa regio crudis implebitur, quia cum materia, ita sit crassa, & lenta resolui non poterit sicque ad ambitum tracta,siue evocata maximè replebit. Quod ex eodem Magistro 4. *de sanitate tuenda, cap.* 5. firmatur: vbi dum succi crudi in prima regione sint, nec venam secare,nec expurgare,nec exercitium,aut motum, aut balneum admittit, quod per sequentia verba patefit. *Eadem de causa, nec excitare,nec omninò mouere, sed nec lavare expedit, eos qui in primis venis crudorum copiam habent, si quidem omnes id genus motus succos illos in totum corpus agunt; seruandi igitur ij sunt in omni quiete, dandaque ipsis cibus, potio, medicamenta quæ sunt singula eius generis, quæ attenuent, dissecent, & conficiant succorum crassitudinem, idque citra manifestum calorem: nam qui excalefacti vehementius fuere succi, ij in omnem corporis partem feruntur, &c.* Ex qua Galeni autoritate constat, quod frictio non aliter resoluat, quàm prios calefaciendo, ac proindè si tam vehemens est, quod resoluere possit, priùs vehementer debet calefacere: ergo sic succi attenuati, liquatiqoe per calorem redditi, meritò in totum corpus ad obstructiones geminandas impetuosè agentur, calorque natiuus velociùs in suffocationem tendet: ergo malè Gal. in textu assiduas, fortésque frictiones in febris principio, absque vlla corporis vniuersali euacuatione imperat.

57. Cui satisfit, si perpendas,quòd in hac febre à Magistro allata viscera etiam sunt præ succorum copia nimis obstructa, ob quorum læsionem syncopis minatur,sicq; mediis frictionibus cruda primæ regionis ad secundam non trahuntur, quãdo totum corpus his succis est oppletum. Neque tractionis sufficiens causa adest,nam quod insensibiliter evacuatur,nonę tractionis occasio non est,

quoniam calor resolhens solum in partibus extimis reperitur, neque ad interiora illius actio extenditur, vt excrementa interiora fundere & liquare valeat; si verò aliquid ex intimis ad corporis ambitum attrahatur, non exigua dimanabit vtilitas, cum viscera magis exonerata reddantur; minus enim inconueniens, eo quod extima, & non intima obstruantur, aderit: securius tamen semper, regionem primam detergere, ac expurgare, antequam frictiones, nec cucurbitulæ exerceantur, erit. Etsi Magister in textu non tetigerit.

58. Inqoires deinde, si Gal. *in textu* ita frictiones assiduas & fortes exercendas imperat, vt panno aspred ne constante vtendum esse dicat. Cur vrticas ad maiorem attractionem, & materiæ crudæ per ambitum resolutionem efficiendam non consulit, cum media maiori inæqualitatis, ac solutionis continui sensatione, sequatur vehementior attractio (ingenue quidem) Magister tamen etsi tacite iam *in textu* maxima cum doctrina satisfacit, cum adhuc post frictiones fortes linimenta medio oleo præcipiat, ne ratione frictionis assiduæ tensio quæ sequitur in totius partibus corporis media attract one humoris inducta, lassitudinis sensus inducat: hac enim lassitudine tensiua & dolorosa permanenti, omnimode somnus laborantibus impediretur, & cum somnus, vt concoquat; veluti vigilia, vt distribuat, valdè conferat, vt Gal. *in textu*, proinde vt ablata tali lassitudinis sensatione somnum concilient, linimenta imperauit. Quia tamen medio vrticarum vsu non solùm lassitudinis sensus, verùm etiam ampullæ vlcerosæ in substantia cutanea, valdéque dolorosæ quæ linimentis non ita facilè demulceri possunt, sequuntur, ad somnum ita proficuum impediendum; propterea non vrticas Galenus veluti frictiones decreuit.

59. Nec minorem vtilitatem confert, mediocritatem inter somnum, & vigiliam obseruare, cum Gal. *in textu* asserat; at verò vberior somnus iis est salutaris, cum nec crudos succos digeri sinat, & viscera grauiora reddat; sed si quis alius affectus est, qui somnum, & vigilias modicas desideret, hic profectò in iis est, quippè somnus concoquit, vigiliæ digerunt. Ex qua doctrina dubitabis, vt acutè Heredia tangit. Quomodo in somno & vigilia mediocritas seruari possit; quia si somnus mediocris appellatur ex eo quod minor sit, quàm qui bene valentibus debetur, illo in casu vigilia non mediocris, sed magna, maiorque quàm quæ corpori temperato debetur, vel è contra si vigilia mediocris, sit quam in statu naturæ, somnus maior, & noxior erit: atqui Auicenna medietatem, sic loquens, seruat. *Et ponatur medietas temporis eorum dormitioni, & medietas temporis eorum frictioni, si possibile est*; ergo ex hac doctrina æqualiter somnum, & vigiliam habenda esse, infertur vt æger, si possibile est duodecim horis dormiat, ac aliis duodecim vigilando tempus conterat: dum enim frictiones fiunt, dormire non licet, quia finis vt succorum euacuatio ad extra, & resolutio inanis redditur. Quare Gal. *in textu*, & Auicenna loco citato intelligendi sunt sub distinctione, videlicet, quod ex opportuno tempore ad remedia adhibēda medietas in frictione, & alia medietas in somno absumatur. Quod non ita intelligendum, vt totum tempus frictionis debeat esse continuum, sed partiali tempore perfricandum est corpus: deindè alio partiali somnum conciliare debet. Præterea denoto fricare seruata vigilia, ac iterum dormire, vt inter vtrumque magna vicissitudo & ordo seruetur, vt partim somni tempore alimentum concoquatur, veluti vigiliæ spatio frictionibus exercitis alimentum distribuatur, & quod halituosum, & eleuatum est, discutiatur. Vnde licet non continue vigilia, neque somnus permaneant, semper medietatem, ac mediocritatem obtinebunt, vt duplex desiderabilis finis, coctio nimirum, ac distributio elucescant.



CAPVT IV.

De curanda syncope, quæ oritur ex flaua bile, ac de natura vinorum, quæ syncopis curationi conferunt.

60. POSTQVAM Magister febris syncopalis humorosæ ex succorum, crudorum copia pendentis curationem in antecedenti instituit, iam in præsenti capite syncopi quæ in febre sincopali, minuta ex flaua bile orientis medelam adducit, tum potionem ratione symptomatis frigidam, tum etiam differentiam, & naturam vinorum, quæ ipsi valde prosint perpendens, consulit.

TEXTVS.

At quibus ex flaua bile, &c.

61. QVamquam Magister in præsenti nomine syncopis ab humore bilioso ortæ febrem syncopalem minutam intellexit, non tamen apud omnes cuius naturæ sit, decernere constat. Auicenna etenim ab humoribus tenuibus, & serosis capite proprio oriri persensit, & ideò eam minutam nuncupat, quia à leuissimo, tenuissimóque humore nascitur, quoniam tanta quantitate non indiget, vt fiat syncopis, ac pituitæ, ob quam rationem à plurimis minuta dicitur. Vere quidem sentiendum est duplicem esse febrem syncopalem minutam: vnam quidem ratione materiæ, aliam verò ratione syncopis. Prima duplici conditione gaudet, nam vel fit ab humoribus tenuibus intense putrefactis, quæ ita est ab Auicenna nuncupata. Secunda verò, quia ex bile potiùs suscitatur, vt Magister in textu exponit: Vtraque tamen licet à diuersis humoribus fiat lethaliter syncoptica est, & ideò humoralis minuta nominatur; quoniam propter depravitam conditionem tenuis, aut biliosi humoris eundem locum obsidentis syncopis, ac diuersa accidentia eueniunt. Quæ verò syncopalis minuta ratione syncopis efficitur, ideo talis nominatur quia minor est, &

& securior,licet in eodem loco , ac humorosa di-cta quæ cum exigua etiam humoris pituitosi quantitate sit , propterea sit securior , & minuta : nam quantitas humoris adeo parva est , vt laborantem ad subitum omnium virium lapsum non perducat. Solum etenim cor , & pulsum coarctat , infirmat , ac plurimis inæqualitatibus vitiat, ita vt quamquam syncopim non inferat, valdè tamen cor afficiat. Ad subueniendum igitur syncopi ex bile orienti , in prædicta febre minuta meritò Magister *in principio textus* potionem frigidam consulit : nam cum curatio per contraria fiat , naturáque humoris huiusmodi affectionem producentis calida & sicca sit , meritò potione frigida & humida , vt pote contraria hebetanda , corrigenda , tandémque devastanda erit , vt affectus syncoposus auferatur.

TEXTVS.

Vinum tamen , &c.

62. SEcundum quod syncopi dictæ valde confert apud Magistrum , vinum tenue fulvum & veteratum est, quoniam deductiuoem in corpus promouet : vt tamen maximas, quas vtilitates exhibet , cum Gal. exponamus. Prius, licèt aliqua de vini natura 7. *methodi cap.* 6. dicta sint , diffusiùs omnem naturam ac vinorum differentias aperire in præsenti , vt dilucidius Gal. intentio clarescat , oportet. Quare cum eodem Magistro 3. *de ratione victus* 1. plurimas vinorum differentias inueniri est notandum , quarum prima sumitur ex colore: vinum enim vel est album, aut fuluum, aut rubrum, aut nigrum. Vt ipse etiam Gal. 5. *de sanitate tuenda* , *cap.* 5. vbi flauum, & ea, quæ inter album & flauum medios colores retinent.

63. Album quidem non sicuti lac,vel nix dicitur quoniam naturæ beneficio nullum ita adest; album tamen ideò dicitur , quia colori aquæ assimilatur, præcipuè quando substantiæ tenui constat ; pallidum verò est , quod subpallidum nuncupatur, quod ex pallido albicans à Magistro loco citato de sanitate tuenda vocatur. Subflavum ex pallido flauum nuncupat, ab hoc rufum , & fulvum tantum intensione & remissione differunt : & quando huiuscemodi colores substantiæ tenui, ac perspicuæ coniunguntur, rutilum , ac perlucidum efficiunt , ut Magister *lib. de bonitate, ac vitio succorum,explanat*. De rubro similiter locis citatis egit,ita vt sub eo remisso giluum contineatur.Quorum vltimum nigrum est, neque ita nuncupatur ; quia veluti atramentum sit , sed quia obscure est rubrum, quale in Asia Theteum erat, & Scibelites, apud Romanos Phaleruum , quod tot encomijs Gal. collaudat.

64. Secunda vlterius differentia ex vini sapore desumitur , dulce enim, aut austerum, aut inter hæc medium est, vel per participationem,vel extremorum negationem;vel tandem est acre,etsi tamen plurimæ saporum species sint,vt Magister 1. *simp.* 36. & 37. adeò vt comprehendi non valeant,possunt tamen in aliquem numerum redigi.

Tertia præterea ex odore differentia sumitur:nam vel vinum boni, aut mali odoris est, aut in odorum veluti aqua odor quidem in eo semper virtutem & robur significat , priuatio tamen odoris frigiditatis , ac debilitatis est signum , vt Magister 3.*acutor. comm.*20. quod pendet ex eo quod, lignum vitis multum aquosæ substantiæ, parumque substantiæ calidæ assumit , ac in eo leuis alteratio fit , tunc vinum frigidum , ac inodorum euadit,caliditas enim , atque odor propter plurimam alterationem , permixtionemque substantiæ calidæ comparantur. Quare Gal.*eodem* 3. *acutor. comm.* 8. inquit, quod in regionibus feruidis raró vinum tenue , & inodorum inuenitur ; sed potius in frigidis hoc accidit. Odor igitur in vinis ad succi bonitatem agit , graueolentia verò præsertim si crassitici , atque austeritati adiuncta sit potiùs succorum vitium progignit.& Magister *de bono & malo succo* , *cap.* 1.Quare vinum odoratum quia calidissimum est corporibus biliosis , siue ex propria natura, vel ætate, aut qualiber ex alia causa valdè nocet : non etenim , quia prauum sanguinem generat , sed quia horum corporum humores potius refrigerari, quàm,calefieri desiderant ; è contra vero in pituitosis , in regione frigida, ac tempore frigido , quia vim indicandi contrariam obtinent , proficua sunt ; cum etiam hæc odorata vina , quia caput tentant , valdè feriunt , ac replent , in capitis frigidi affectibus noxia sunt , thoracis tamen , pulmonisque diuturnos morbos , qui absque febre nocent , maxime iuuant. Cum humores crudos , & crassos concoquant , & extenuent , etsi dulcia fuerint , excrementa crassa sua humiditate medio sputo expurgationem suscitant ; vt Galen. *libro de attenuante victu cap. vltimo* , vina tandem inodora, tenuia , & aquosa , præcipuè si leuiter adstringant , affectus capitis leues per ventriculi consensum natos , humores temperando , & roborando emendare solent.

65. Quarta differentia ex vini consistentia perpendenda est ; nam vel tenue, aut crassum , aut mediocre est ; quare ratione crassitiei parciùs, aut copiosius est dandum , veluti ratione tenuitatis magis aut minus alimenti distributionem iuuat , vt Galen. *libro de bonitate & vitio succorum. cap.* 12. ostendit. Nec minus habita ratione ad facultatem , qua vinum gaudet , est inspiciendum ; aut enim est validum , aut imbecillum , aut mediocre validum : illud ex Gal. 3. *acutor. comment.* 1. dicitur , quod vehementer , ac celeriter corpus calefacit , caputque ferit , ideóque vinosum dicitur , quia illud , quod in eo reperitur , quod aquam evincit vehementissimum est. Quomodo tamen dices aquam euincere dum sincerum adest , nullamque aquam permixtam habet , soluitur hæc dubitatio cum doctissimo Zacuto , si asseras , quod vinum ab aqua sapore , odore , consistentia , & facultate differt , quanto nimirum hæc vehementiora obtinet , tanto potentiùs , ac vinosum appellatur , cum ea mediis quibus aquam euincit intensiora contineat ; vinum verò aquosum , quia in omnibus fere simile aquæ sit , propterea aquosum nominatur , parúmque aquam vincere dicitur. Secundo est di-

cendum, quod vites nec nutriuntur, nec fructus ferre valent, nisi ex terra humiditatem aquæ sibi alliciant, quæ aliquando in ligno vitis multum transmutatur. Quo in casu vinosum, quia potens fit, aliquando tamen parum transmutatur, & & aquosum vinum exurgit. 3. difficultati respondeo ex Gal. *acutor.* 10. quod vinum potens ad bene temperatam mixtionem multum aquæ cum exigua mutatione sustinere valet: quare polyphorum, idest multiferum potens, vel vinosum appellatur. Contra tamen aquosum, quod exigua aquæ quantitate permixta, ita diluitur, vt bibi non possit, parumque aquæ sustineat, nuncupatur; ac proinde oligophorum, idest pauciferum nominatur.

66. Vinum tandem ex tempore, siue ætate perpendendum est; aut enim nouum, aut mediæ ætatis, aut antiquum est, quæ differentia ratione temporis extrinseca videtur, quia vinum ratione temporis per se nec lædit, nec iuvat; sed propter intrinsecam mutationem, quæ in tempore accidit, ex vi operationis ab interno calore, procedentis, ex eo quod decursu temporis, paulatimque partes aqueas ita concoquit, vt aëreas ignitas reddat, vnde merito Gal. 4. *simpl.* 11. *cap.* & in præsenti textu docet, quod omne vinum antiquitate acrius, & & calidius fit.

67. Quibus præhabitis facilè Magistri intentio elucescet, licet enim specifica, quæ Galenus adducit vina à suis temporibus non ita appareant, nostris tamen quæ inueniuntur iam, vt salubriora quædam, veluti alia nocumentosa exponit; cum in textu asserat, quod vinum, quod sua natura calidum sit, ac deductionem in corpus promoveat, maxime offerre conueniet illis, qui syncope afficiantur: desiderandum enim est non in ventre manere, sed alimentum assumptum per vniuersum corpus distribui. Quare ea vina deligenda huic fini sunt, quæ & flauo colore, & substantia tenui, ac ætate vetera constant; hæc enim boni odoris sunt: nam si ipsum paululum degustes, calorem per totum corpus transmitti persenties; amara verò præ vetustate vina nequaquam sunt exhibenda, præcipuè his, qui syncope ex bile vrgentur: hæc enim iam laudabilem ac nutrimentalem succum amiserunt, tum etiam cum iniucunda sint, simul stomachum offendunt. Vtilissima ergo his erunt, quæ austera percipiantur, quia iam adstringendi vim propter vetustatem non amplius exhibent; calorem tamen admodum euidentem habent, omnia enim quæ in his, quorum stomachus bile amara vexatur, desideramus, adimplebunt; cum & iucunde sumantur, tum coctionem, digestionemque in corpus promouendo, simulque succi vitium mitigando, corporis habitum calefaciendo, atque stomachum ipsum firmando agent. Quare illis vtendum, ait Magister, quoties ardenti febre laborans syncope ex bile orta, aut multa illius quantitate in ventriculo reperta vexetur.

TEXTVS.

Quibus tamen ex crudis, &c.

68. Discrimen tamen Magister adducit, vbi syncope ex crudis humoribus imminet. Tunc enim Phalernum vinum tanto vtilius, quanto tum melioris succi est, tum etiam calidius adest, eò quod velociùs illis per corpus distribuetur, crudisque succis concoquendis auxiliabitur: quod propriè intelligitur de illo, quod Auerroës *libro* 5. *collect. cap.* 16. vt laudabile depinxit, sic alloquens. *Et vinum, quod melius reperitur, est aromaticum, cuius caliditas penetrare potest per totum corpus, quod sit sine amaritudine, & stipticitate, & est illud vinum, quod est vinosum, & pungitiuum in principio, & post delectabile sine aliqua amaritudine & puncticitate.* Si tamen aliquando æger sanitatis tempore dulcibus vinis insuevit, huic dulcius vinum permittendum erit. Quare vbi abundantia prædictorum succorum crudorum syncopem suscitet, tam crassa, quàm aquosa, vt parum efficacia sunt fugienda, sed potius media dicta, aut flaua & calida sunt eligenda: ista enim odorata, veluti aromata sunt, alimentum corpori suppeditãt familiare, succum laudabilem gignunt, facultates principes roborant, exhilarant, ac spiritus instaurant, quoniam solo halitu lipothymia, vel syncope languentibus opitulantur: è contra verò fœtida, quæ sunt, aut graui odore affecta spiritus prosternunt, facultates dejiciunt, reprobum succum generant, vaporémque tetrum, ac ferinum, capiti illius dolorem inducentem, transmittunt, alba quidem ideò in prædicto casu inefficacia (ait Magister) sunt, quia nullum invenies ex albo vinorum genere calidum, nisi quando alba mediocriter, & austera inueterauerint, quæ fulviora quodam modo redduntur. Sicque mediocriter alba, quæ crassa, & austera sunt nequaquam ad digestionem in corpus sunt idonea.

TEXTVS.

In penuria verò vini, &c.

69. QVando verò vtile vinum, quod vtrique syncopi, tam ex crudorum succorum copia, quam ex bile orienti, confert, deficit, coactus eo Medicus vti, omnia tum austera, tum noua, itemque crassa fugere debet, aquosa verò eligere, præsertim si antiqua sint, hæc enim licèt non vehementer calefaciant, facile tamen in omne corpus deducuntur, proindè cum celeritas digestionis in corpus sit his communis cum vinis fuluis, differentia in his reperietur, videlicet quod fulua ad coctionem, quæ in ventriculo, ac venis agitur magis conducunt, propterea quod magis excalefaciunt, deinde mistibilia & nutrientia sunt, sicque ad succi bonitatem opportuna, quod nequaquam in aquosis vinis invenitur. Quoniam nihil aut minimum ex horum substantia

tia in ſanguinis ſpeciem mutatur; ſed, qu'a fulua caput feriunt, aquoſiora vero nuſquam id cõtriſtant, imo vrinas inter omnia vina mouent, iſta non ſemper fugienda, à quibus ſecundum locum obtinent, quæcunque inter fulua maxime ſunt tenuia, quæ etiam ad ſyncopę ſubueniendum potiſſimum ſunt ſeligenda, eo quod fulua, & craſſa tardius in corpus diſtribuuntur; licet aiiteris omnibus facilius penetrationem conſequantur.

Dubitationes ſuper Textum.

70. Inter omnia, quæ Magiſter in textu oſtendit, quod maiorem contradictionem inuoluere videtur, eſt vinum album frigidum eſſe, cum abſolute pronunciet. *Neque enim inuenias, ex albo vinorum genere calidum vllum*: E contra vero Gal. omne vinum calidum eſſe affirmat. 8. *ſimpl. titulo de vino*; *&* 3. *acutor.* 106. & 4. *ſimpli.* 11. vinum omne calefacere, quia ex ſolis calore, & ex vite calorem contraxit, inquit: ergo ex his locis Magiſter vtpote ſibi contrarius taxandus videtur. Soluendus tamen nodus eſt, eo quod Gal. ęquiparans vinum album cum aliorũ differentiis, dixit, nullum ſe vidiſſe ex alborum genere multum calidum, nõ quidem præciſè non eſſe calidum, quia frigidum poſitiue, & à prædominio ſit, ſed collectiuè non multum veluti alia calidum. Vt ipſe Gal. 3. acut. comm. 6. nempè *ex vinis albis nullum valenter calefacere poteſt, quod enim ſumme calidum eſt, id continuo & flauum exiſtit, veluti & quod ab ipſo eſt fuluum, mox ab iis rubrum, & deinde dulce, album autem minus quidem his omnibus calefacit, &c.* Ex quibus infertur quòd quamuis vinum aquoſum, colore, ſapore, odore aquæ aſſimiletur, quia in vitis ligno leuem tranſmutationem ſuſcepit, aëreas tamen partes, quarum ratione calefacit, ſortitur.

71. Inquires vlterius circa textũ, vtrùm videlicet non ſolum ratione ſyncopis ſubueniendæ vinum propinandum ſit; verum etiam in febribus aliquando conferat; Gal. enim 2. *apho. comment.* 21. negatiuam partem inſequi videtur, cum aſſerat: *Quibus refici corpus eſt opus, vino in potu vtendum cenſeo, modo non febricitent, aut inflammatione aliqua laborent, vel dolore capitis, vel phrenitide*, vt etiam 1. *ad Glauconem, cap.* 14. teſtatur: ergo ex Magiſtri doctina vinum in febribus obnegandum infertur. Si tamen Galeni mens rectè percipiatur, non ſemper vinum in febribus, non qualecumque, ſed ſpeciale renuendum erit: nam vinum aquoum non tanta caliditate gaudet, vt febrem augere, atque inflammare poſſit. Vt ipſe Gal. 3. acut. cap. 8. in diariis, & acutis porrigendum eſſe fatetur; vinum verò vinoſum è contra fugiendum eſt, quia valdè calefacit, ac proindè febrem intendit, & phlegmonem increſcere ſuſcitat; caput tentat, neruos ferit, fluxiones mouet, corpus perturbat. Sicque etſi non quodcumque in febribus vinum eſt condonandum, quale eſt potens, & vinoſum, de quo intelligendus eſt Gal. loco citato, bene tamen aquoſum, quoniam naturalia omnia inſtrumenta roborat, coctionem iuvat cunctas excretiones naturales adauget: ob quam rationem ex Hipp. conſilio, Magiſter hoc in acutis concedit. *Vt* 8. *meth. cap.* 5. *&* 4. *acutorum* 4. *&* 7. *methodi. cap.* 6. ſine vllo nocumento in fe-

bre hectica offerri poſſe aſſeverat. Tum etiam Magiſter 11. *Meth. cap.* 9. dummodo febris putrida in declinatione ſit, corpúſque evacuatum, ac ſigna coctionis apparuerint, ſic alloquens demonſtrat. At ſi mediocris eſt febris &c. quando enim vehementiſſima adeſt febris, in ſummoque vigore conſiſtit, vinum licet aquoſum propter partes aëreas, & igneas, quas continet, febrem ſolet intendere, veluti etiam quando humor crudus eſt, aut multus, vini ratione agitari ſolet, ſicque obſtructiones, ac putredinem fouet.

71. Notandum ſimiliter eſt, quod ratione ſymptomatum in febribus aliquando vinum propinandum, aliquando etiam prohibendum; ſi enim delirium, dolor capitis, vel inflammatio, vel eryſipelas, vel intemperies alicuius partis admodum calida adſint, licèt aquoſum adhuc negandum eſt, ex illius namque vſu mala inſanabilia eueniunt, vt Magiſter 1. *ad Glauconem cap.* 14. *&* 8. *Secundum locos cap.* 7. exponit; ſi tamen vires reſolutæ ſint immodica vigilia, inappetentia, coctio deprauata, veneni ſuſpicio, vel qualitas maligna vt in peſtiferis, ac malignis febribus reperiantur in quantitate moderata offerri valebit. Vinum enim prædictis valdè auxiliabitur, præſertimque veneno valenter obſiſtit. Vt Dioſcorides *libro* 5. *cap.* 7. *& libro* 6. *cap.* 1. aſſeuerat; quia putredinem arcet, aquoſum igitur vinum in omnibus febribus poſt coctionem concedi poteſt. De quo non intelligendus eſt Magiſter *loco citato*, vbi ſolum polyphorum, vt nocumentoſum prohibet.



CAPVT V.

De affectibus tum in ſpiritu, tum in partibus corporis, quibus vires læduntur, ac ſyncope naſcitur, remouendis.



73. V M Medicorum plurimi dum laborantes ſyncope corripi vident, ad eorum medelam præſcribendam valdè animo cadant, ac in antecedenti capite curationem ſyncopis à duplici cauſa, videlicet bilis ad ventriculum confluxu, vel humorum crudorum multitudine orientis, Galen. præſcribat: iam in præſenti ſpecioſiùs omnes ſingulares ſyncopales cauſas enumerans, quæ tum ex vitio ſpirituum, vel partium ſolidarum affectione procedunt, peculiariter excellentiorem methodum, qua eis occurrere valeamus oſtendit, vt lucidiori, qua poſſimus doctrina fulciti, non animo linquentes, virtutem ægrorum labentem reficere, ac roborare poſſimus.



TEXTVS.

Quod syncope praeceps virium lapsus, &c.

74. Ntequam syncopis auxilium Magister consulat, illius naturam in præsenti exponit, quod syncope nihil aliud est, quam præceps virium lapsus, eò quod subitus omnium facultatum defectus fit, in hac enim affectione cor maximè laborat, & patitur, ita vt facultas vitalis plurimum languescat; ex quo fit, vt non solum hæc, verum etiam omnes aliæ totius corporis facultates, ab operationibus feriatæ maneant, pereunte enim cordis actione, ac illius influxu non communicato, necessario reliquæ partes actionibus priuantur, vt Gal. 5. *de locis affectis*, *cap.* 1. inquit. Veluti Trallianus *lib.* 11. *cap.* 3. *Titulo de syncope*; quæ in febribus euenit, appellatur quidem præceps lapsus virium, quia repentinus, ac subitus est, proindéque ab aliis cordis affectionibus, in quibus paulatim vires deficiunt, donec mors proximior fiat, distinguitur.

75. Pro maiori autem textus, ac veritatis expositione, perpendere oportet, quod licet exolutio virtutis, animi deliquium, & syncope inter se similitudinem habeant; sunt tamen affectus diuersi, exolutio namque virtutis est illa virium debilitas, media qua sensus, atque motus perturbantur, ac deficere tantum incipiunt; secundùm verò aliquam partem adhuc seruantur:animi deliquium est illa virium imbecillitas, in qua sensus, & motus cum exigua tamen pulsus debilitate iam deficiunt, sicque huiuscemodi affectus maiorem virium lapsum obtinet. Quare ij affectus manifestè distinguntur, vt Hipp. 7. *Aphor. sent.* 8. inquit: *A tuberculi intus ruptione, virium deiectio, vomitio, aut animi d fectio fit.* Tum etiam ipse 2. *Aphor. sent.* 41. dum ait: *qui frequenter, ac fortiter absque causa manifesta animo deficiunt, de repente moriuntur.* Vbi per hoc verbum *exoluuntur,*) non solum ægros, qui exolutionem, sed eos, qui animi deliquium patiuntur, intelligit. Quare distinctio inter exolutionem, & animi deliquium inter Medicos frequentior adest, vt *lib. de sanguinis missione* expositum reliqui.

76. Vltimus vero affectus syncope nuncupatus de quo in præsenti Gal. sermonem instituit, multo maiorem virium iacturam, quam præcedentes significat. Vnde hoc affectu correpti, non solum in actionibus animalibus, sed etiam in vitalibus maximam iacturam patiuntur, proindéque viuido colore destituti, sine respiratione, & pulsu, vel eo valde languido, & exiguo, *frigido* sudore respersi emortui iacent. In hoc igitur affectu maior virium debilitas quàm in aliis supradictis adest. Vt Aëtius *Tetrab.* 2. *sermone* 2. *cap.* 101. animi deliquium à syncope differre affirmat; quoniam illud repente inuadit, & sensu, atque motu citra sudorem hominem priuat, syncope verò & dormientes, ac vigilantes cum sudore frigido, qui syncopticus solet appellari, à sola retentricis debilitate prognato, interficit. Natura iam syncopis, ac discrimine inter eam, virium exolutionem, & animi deliquium adapertis, merito ad Magistri textus doctrinam exponendam accedimus. Gal. enim inquit, quod cum virium constitutio, & essentia nostrum corpus gubernantium, tum in spiritibus, tum etiam in temperamento corporum solidorum fundetur, ac fulciatur. Propterea vbi ista integra in statu naturali sunt, seruari debent, & vbi corrupta sunt ad integrum omnino sunt reuocanda: primum enim, vt habita sanitas conseruetur; secundum verò vt amissa recuperetur, dirigitur; illud quidem ad libros de sanitate tuenda, hoc verò ad medendi methodum pertinet. Quare spiritosa substantia, simul cum solida ita in morbis custodiri debent, vt tum in qualitate, tum quantitate, quod fieri possit, semper naturaliter se habeant taliter, vt nihil vtriusque substantiæ, vel euacuetur, vel in aliam naturam immutetur, & meritò, quoniam vires quæ nostrum corpus gubernant prædictis substantiis muniuntur, ac conseruantur; quia tamen vt in commentariis de sanitate tuenda ostensum est, fieri non potest, vt hoc corpori nostro, quia generabile est, non contingat: proinde necesse est, vt portio substantiæ, quæ defluit per repositionem instauretur, veluti etiam quæ alteratur, vel intemperatur, per contrariam alterationem in naturalem, & debitam temperiem, corrigatur. Quod autem prædictum effluvium talis substantiæ in corpore (quia generabili) euitari non possit, exponit *libro* 1. *cap.* 2. sic alloquens: *sane quod corpus nostrum ladunt, corrumpuntque ca sunt generis duplicia. Altera nobiscum congenita, & quæ vitare nequeas, quæque ex ipsis generationis principiis veluti radice oriuntur. Altera quæ & declinare possis, & orta à nobis non sunt: quæ tamen non minus, quàm illa corpus nostrum conficiunt.* Et paulò infra ait: *Vna igitur hæc est omni genito corpori corruptela, interitusque connata necessitas: altera est, quæ etiam in animalibus præcipue cernitur, totius substantiæ fluor, quem insitus calor excitat.* Cum igitur calor innatus in humidum radicale (etsi non proprium, quod informat) saltim vicinum semper calefaciendo, & attenuãdo agat, propterea decursu temporis prædictæ substantiæ, tam spiritosæ, quàm solidæ dissipatio, & effluuium ineuitabile contingit. Quemadmodum aliæ adsunt causæ quæ etsi congenitæ non sint, vt fuligines, excrementa, aër ambiens immodicè calidus, ac similia huiuscemodi dissipationem inducunt, quam ideò in præsenti Magister vindicandam proponit.

TEXTVS.

Si igitur tum vacuatio, tum alteratio, &c.

77. Vomodo igitur dispendium adapertum circa has substantias emendari valeat, Magister expositurus aggreditur. Nam si tam euacuatio, quàm illarum alteratio sensim, ac paulatim fiant, etiam correctio vtriusque sensim est agenda, si verò confertim & semel, magnáque aliquando euacuatio, vel etiam adjectio accidat, & morbus ita progignatur, eamque multa simul irruit

irruit sarcire debemus, dum quidem euacuatio adest confertim institurando, veluti si adiectio deponendo, vt Hipp. *Aphor. 2. sent. 7. quæ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet: quæ verò breui, breuiter.* Nam morbus breuis, etsi extenuationem magnam efficiat, tamen debilitatem in essentia facultatibus naturalibus solidorum non magnam adfert; longus verò, quia per multum tempus extenuationem adfert, propterea temperamentum partium radicitus euertit: quare qui ex longo tempore extenuatus est, celeriter refici non potest, quia non reficit quod ingeritur, sed quo natura coquendo, & vincendo fruitur: qui verò breui tempore extenuatur, copiosiori cibo frui poterit. Sicque celeriter refici, quoniam debilitas facultatum nondum in facto, & per essentiam in partibus, sed per dispositionem adest. De quo latiùs 7. *methodi*, 6. *actum est.*

TEXTVS.

Ergo animalis spiritus, &c.

78. Spiritus quædam substantia pertenuis, vaporosa, & aerea est facultatum instrumentum, quo agit, nuncupata & apud Hipp. *6. de morbis vulgaribus, sect. 8. text. 8.* impetum faciens nominatur, eo quod illius vis, & per omnes corporis partes incursio magna sit. Quare triplex in præsenti spiritus differentia à Magistro ponitur, spiritus videlicet animalis, vitalis, & tertius sub dubio, vt est naturalis. Primus à cerebro, secundus à corde originem trahit, & tertius naturalis dictus, si aliquis sit, in hepate residet. Cum igitur prædicta spirituosa substantia inter alias facilius labatur, syncopem etiam præcedat cum virium lapsu: propterea iam Gal. causas huius syncopis in præsenti exponit, qui substantiæ corporum solidorum digestioni, dissipationi, vel euacuationi succedit. Vnde in longissimis morbis accidit, vtex nutrimenti defectu in atrophia experimur, præterea in febribus acutis, quæ immodice corpus liquant, quoniam substantiæ temperies mutata est, cum vel immodicus calor, vel frigiditas, vel humiditas, aut siccitas in faciem esse in prædictis partibus solidis sit. Alteratio verò in spiritibus à diuersis causis nascitur, à vitiosis nimirum succis, aut ab ambientis aëris malitia, aut ab animalium, quæ virus expellunt, venenis; corruptio verò essentiæ spirituum, siue imminens, siue quæ iam actu adest, quæ tum ex animi affectu nascitur, tum ingenti dolore, tum pluribus motibus, vt etiam sunt vigiliæ, tum similiter, ex ipsorum spirituum immodica raritate & tenuitate, ac simul corporum eos continentium laxitate; & raritate, tum verò præsertim ante omnia ex ipsa respiratione prohibita, ac alimenti defectu diligentius medelam expostulat. Sunt equidem animi affectus timor subitus, & vehemens: Præterea quæ contraria huic timori voluptas maxima est, (id est excessus gaudij) horum enim occasione plurimi periere, & licet aliquando timores magni, & maximæ voluptates non iugulent, facilè tamen spiritus resolubiles ac infirmos reddunt; nam medio timore inculcati, retractique subitò spiritus ad interna, confertim obruuntur, ac suffocantur, veluti media maxima voluptate vice versa ad extima affatim irruentes cor principalissimum, ac nobilissimum vitæ fonticulum valde infrigidatum præter naturam reddunt; sicque insitus illius calor sine consortio inuentus perit. Notandum tamen est, vt bene Lemosius annotat, quod voluptas, siue gaudium non rigorose timori, nisi fortitudo, contrariatur, vt Arist. libello de virtutibus asserit. *Voluptati namque dolor contrariatur*, id est, tristitia, & *lib. 2. Ethi. cap. 3.* ait: *fortitudini namque non audacia, quæ est exuperatio, sed timiditas, quæ est defectus magis opponitur.* Quod autem immodica lætitia, aut voluptate plurimi pereant ex Plinio *lib. 7. cap. 32.* patet, cum dicat, quod Sophocles, & Dionysius scilicet Tyrannus, vterque cum Tragicæ nuncium suscepisset, obiit. Præterea ex Plinio *lib. 7. cap. 33.* Philipides comœdiographus cum in certamine Poëtarum præter spem vicisset, propterea que vehementissime de euentu gauderet, inter gaudij motum mortuus fuit. Diagoras Rhodius, postquam tres filios athletas, eodem die vincere, simulque victores coronæ triumphum assumere vidit, ac quia omnis populus gratitudinis munere flores vndique in eum coniecerunt, in Statio populo honores splendentes offerente, in filiorum manibus præ immodica lætitia, siue voluptate spiritum vitæ efflauit. Plurimos his similes euentus in Lemosio, si volueris, perlege.

TEXTVS.

Tristitia verò, &c.

79. Alios animi affectus, quibus ægri aliquando animo linquunt, aliquādo virium exolutionem patiuntur, quandoque etiam moriuntur in præsenti, vt sunt tristitia, anxietas, ira, & cura, Magister ostendit. Eodem enim genere sunt noxiæ huiuscemodi affectiones, quo vigiliæ frequentes operantur: nam vires valde per spirituum dispendium resoluunt. Præ vehementi, & repentina tristitia non pauci, qui vitam cum morte commutarunt, fuere vt Plinius *lib. 7. cap. 36.* refert, quod P. Rutilius nunciata fratris in consulatus petitione repulsa, statim spiritum spirauit. Veluti etiam Magister Lepidus vxoris charitate ingenti, & adeò mœrore nimio post repudium fuit correptus vt confertim obiisset. Nec minus medio pudore plurimi laborantes vitæ lomine deserti fuere. Homerus qui cum quæstionem à piscatoribus propositam soluere non potuisset, absumptus pudore mansit. Ex ira similiter mortem euenire posse non solùm in præsenti Magister, verum etiam *1. ad Glauconem cap. 14.* testatur. In his igitur omnibus affectibus, ait Galenus ipsa anima per seipsam mouetur; at verò in actionibus corporalibus ipsa potiùs corpus nostrum mouet. Sicque illius robur vtroque genere suorum motuum resoluit, si modum in operando excedant. Sicque ira, mansuetudo, timor, misericordia, confidentia, gaudium, odium, demum

mum atque amor, communes corpori, & animæ affectiones sunt, vt Aristot. *cap.1.lib.1.de Anima, & libro de sensu, & sensibili. cap.1.* Ideo vt sunt communes ita corpus, & animam mouent: quare in iis anima per se ipsam moueri non valet, imò verò mouet, ac mouetur, vt in aliis actionibus corporalibus accidit: nam si ira propria animæ affectio esset, per se ipsam duntaxat moueretur. Vnde necessariò mouere, & moueri cogitur, cùm non propria animæ affectio sit.

TEXTVS.

Ad rem verò propositam, &c.

80. Cvm Magister *lib.1.ad Glauconem, cap.14.* modum, quo vnaquæque causa animi deliquium inducere solet, copiosè explicuerit, propterea in præsenti solum vires ab illis frangi, vt experientia patet, easdemque custodiendas, ac reficiendas esse ne omninò labantur, indeque mortalis casus eueniat, exponit. Sicque, inquit, quod substantia spirituum corpus gubernantium, si plus iusto extenuetur, duplici modo imbecilla redditur; vel quia facilè dissipatur, & exhalatur, ac eadem ratione si totum corpus transmutatum in immoderatam raritatem sit, facilè spirituum substantia in halitus digeretur, ex eo quod tenuissimis partibus constet, & corpus propter raritatem habitus, ac laxitatem eos continere non possit. Ex qua duplici causa, illo in casu syncope eueniet.

TEXTVS.

Ergo nec rarefaciendum, &c.

81. Auxilium igitur iam Magister prædicti affectus adfert, eo quod corpus ægrotantis non rarefaciendum est, imo vnguentis idoneis est condensandum, cum potius indicatio spiritus retinendi, ne in halitus volitent, vigeat. Neque cibis, ac potibus valenter attenuantibus, sed in quantitate moderatis, in qualitate exactis est vtendum, itavt medio cibo, & potu maximè ad robur virium tuendum properemus. Et cum ad spiritus generationem, conseruationémque, aërambiens, quem inspiramus, valde necessarius sit, proinde maxima illius cura est habenda, vti scilicet optima temperie polleat, ac ab omni inquinamento purissimus sit. Si enim aliquid ex metallis, aut caminis, aut barathris sibi commisceat, vel aliquid ex leguminum putredine, vel olerum, vel animalium, vel cuiuslibet similis rei secum contrahat, vt sunt halitus ex stagnis, vel paludibus, vel flumio, fugiendus est. Quæ omnia, qui vires illæsas tueri cupiat, prospicere debet. Nec minus corpora solida, in quibus virium essentia præsertim consistit, magnificienda sunt, itavt semper illarum temperamentum custodiatur, vt robur virtutis permaneat, & syncopalis accessio, quo minus derepente indicat, præcaueatur: ante omnia tamen sustinenda, defendendáque sunt temperamenta trium principum partium cordis duntaxat, cerebri, & iecinoris; mox verò reliquarum partium quæcunque in consortium affectus, principales partes secum facilè trahunt. Cuiusmodi est ventriculi os, quod præ exquisito, quo fruitur sensu, symptomata non pauca, & aliquando syncopas conuocat.

TEXTVS.

Porro memoratus iam, &c.

82. IN huius textus calce Gal. syncopem ex humorum crudorum copia ortam, quam *cap. 3.antecedenti* adaperuit, iterum memoratur. Quare si huiuscemodi humores copia sua vires premant, & ratione tum multitudinis, tum crassitiei exiguos corporis meatus obstruant, illo in casu talis affectus multis nominibus exitialis est, & variis de causis syncope accidit, quoniam corpus sub hoc affectu non nutritur, & deinde suffocatur tum etiam quia mediocritas temperamenti non solùm alteratur, sed etiam corrumpitur. Cuius est ratio: nam hi crudi succi priusquam concocti sint, nutrire non possunt, & cum multi sint, vires grauant; si verò spiramenta respirationi deseruientia, obstruant, calorem extingunt. Si tamen neque obstruant, nec grauent, non syncopem, sed animi deliquia inferunt, nam huiusmodi ægri nisi frequentiùs nutriantur, resoluuntur, & animo linquunt. Quare hi non copiosè semel nutriendi sunt, neque crassa, frigidáque alimenta sunt exhibenda, sed quæ ex genere extenuantium, & calefacientium sunt; eodémque modo medicamenta extenuantia, & calefacientia sunt ipsis offerenda. Quibus etiam vinum aquosum ab initio tanquam opportunum est censendum: ex quo infertur cum Magistro, vt capite antecedenti est dictum nullum vinum, quod non calefaciat reperiri, hoc quidem est his condonandum ait; si tamen vehementer non febricitent, & præcipuè si qui laborant senes sint, eo vti permittendum est, & post cibationem illud est assumendum. Notandum tandem ex Magistro, quod qui ex huiusmodi succis laborant, quotidie accessionibus apprehenduntur, præcipuéque ad vesperam, & noctu, non tamen manè, nec vsque ad meridiem eas patiuntur, eo quod potius *prædicto tempore succorum crudorum motus dominatur*.

Dubia selectiora iuxta Textum.

83. Ex syncopis natura in capitis initio à Magistro adaperta, pars primò affecta constituit. Inter omnes videlicet esse cor, vt *2.Aphor. sent.41.* Gal. inter cordis morbos acutissimos syncopem esse, inquit, in hoc enim affectu omnium partium corporis operationes offenduntur, & quasi deficiunt; & cum cor sit pars, à qua omnes in esse & conseruari pendeant, quia omnes illius influxu ad operandum indigent, proinde vitium, siue affectio syncopalis præcipuè in corde aderit. Quare legitimæ in dubium occurres, cùm in corde plures facultates floreant: Facultas nimirum pulsifica, & spirituum vitalium generatiua, veluti

veluti etiam irascibilis verum syncope facultatis pulsificæ, vel alterius in corde residentis symptoma sit. Cui satisfiet si perpendas, quod cum syncope in actione abolita symptoma sit, omnium facultatum operationes destruit; hæc tamen noxa præsertim ad pulsificam, & spirituum generationem pertinet, ex quarum actione abolita accidit, vt sanguis arterialis, & spiritus vitales reliquis corporis partibus deficiant. Feriantibus illis ab omni actione, sicque cum media actione facultatis pulsificæ, & generatiuæ spirituum, hi & calor influens rectè aliis partibus à corde communicentur, propterea quamuis irascibilis non operetur, vt patet in homine dormiente, ex hac etsi abolita syncope, nequaquam quemadmodum ex aliarum læsione continget. Nam hoc principio irascibili, non quemadmodum à pulsifico, & spiritus generatiuo, aliarum partium actiones dependentiam habent, vt corporis membra vigeant, roborentur, vitaque fruantur, demumque à corde influxum vitalem suscipiant. Etsi fortè inquiras, an huiuscemodi symptomata potiùs ad vnam, quàm ad aliam, vel æquè ad vtramque facultatem pertineat? Respundeo proprium & principaliùs facultatis pulsificæ symptoma esse: nam ex huius actione abolita, vel maximè diminuta, naturalis cordis calor corrumpitur, aërque pro spiritu vitali progignendo cordi non communicatur, ex cuius defectu, vtpote causa materiali, etsi partiali, spirituum generatio abolctur. Secundariò verò, & consequenter facultas irascibilis otiatur, ac reliquæ partes influxum calorificum à corde, etsi pro vita necessarium desiderent, non recipiunt.

84. Occurres etiam in textu, cum Galen. asserat ex ingenti dolore syncopem nasci posse, eo quòd creditu difficile videtur, quia dolor formalem agendi rationem non habet: ergo neque spiritus per se dissipare, aut corrumpere valebit: ergo neque syncopis causa esse. Respondeo tamen, quod etsi dolor ratione formali agendi careat, nec sentiri possit, vt ex Magistro 2. *Aphor. comm.* 6. constat; quia tamen naturali partium substantiæ aduersatur, ac dispositioni seruit, ac facultatem expultricem, vt objectum dolorificum sensatum à se repellat, excitat, propterea ex tali motu, & valida agitatione, spiritus quia tenuissimi, & calidissimi immodicè attenuantur, rarefiunt, exhalantur, ac tandem vires deficiunt. Præterea cum dolor ex Galen. *cap.* 1. *&* 2. *huius libri* tristis sensatio sit, prouida propter hoc natura sanguinem, atque spiritum subitò ad cor immittat, quæ substantia spirituosa immoderatè aggregata natiuum cordis calorem minuit, suffocat, ac extinguit. Tandemque natura ita intensè dolori est intenta, vt sui officij oblita ab operatione cesset, vndè sequitur sensum, ac motum aboleri, ac demum syncopem succedere.

85. Nec minus tristitiam causam syncopis esse non posse asseuerabis, etsi Galen. *in Textu* satis ostendere videatur, nam syncope vt dictum manet, repentinus & præceps virium lapsus est, atqui tristitia est pathema, quod longo tempore paulatim, sensim, ac sine sensatione vires dissoluit: Ergo syncopem exhibere non potest. Cum effectus subitò factus à causa non subita, sed paulatim oriri non valeat. Quod dilucet, si Galen. mentem calleas, qui etsi mœstitiam syncopem inducere proferat: hoc tamen ratione tristitiæ per se, & immediatè non, sed mediate, ac ex accidenti contingere intelligit, debilibus enim corde, veluti fœminis, ac senibus si tristitia propter aliquod nuntium officiat, quia ex illa statim timor, qui celeriùs in cor spiritus cogendo, adiungitur; proindè exoluuntur, ac pereunt: si verò fortes, & robusti extiterint, qui mœstitia corripiuntur, quoniam vehementi cura, & sollicitudine diutiùs laborant, calor natiuus minuitur, ac spiritibus dissipatis marcescunt, vt levi quadam occasione syncope occupentur; quare propter sollicitudinis consortium cum tristitia vltimatè ad syncopem contrahendam disponuntur.

86. Maiorem tamen difficultatem pariet, quomodo Magister *in Textu* gaudium, & vigiliam causam syncopis esse posse pronunciet: nam si huiuscemodi affectus in retrocessu sanguinis, & spiritus ad cor consistit; gaudium verò est pathema, in quo veluti in vigilia prædictæ substantiæ potius ad extimas corporis partes expanduntur: ergo cum motus vtriusque affectus valdè sint contrarij, meritò si syncope à retrocessu procedit, in gaudio, & vigilia, quia non retrocessus, sed econtra motus ad extra euenit, syncope non continget, quamquam Zacutus pro dirimenda hac difficultate Galenum huius veritatis Autorem *in hoc Textu*, *& primo ad Glauconem*, *cap.* 14. adferat, rationi tamen in contrarium dictæ non satisfacit. Inquit enim quod subito motu, & agitatione spiritus attenuantur, & resoluuntur, & in maxima effusione caloris accidit syncope, & aliquando mors: quare multi præ nimio gaudio expirarunt. Hoc quidem solum modum, quo syncope in gaudio contingat, (etsi non completè) exponit, non verò sequitur syncopem consistere in subito sanguinis, & spiritus retrocessu ad cor, imò contrarium ex responsione clarescit. Quare dicendum acutiori calamo eodem doctrinæ ordine, quod licèt verum sit, medio ingenti gaudio spiritus ac sanguinem in extimas corporis partes expandi, resolui, ac immodicè calorem effundi, proinde cum cor ita magna spirituum copia, qua indigebat, inops, ac depauperatum maneat, reliquam etsi exiguam spirituum quantitatem ita strictè pro ipsius conseruatione cogere, ac custodire conatur, vt minimum influxus aliis corporis partibus communicet, sicque his influxu à corde omnimodè priuatis omnes abolentur actiones, quibus deficientibus syncope accidit. Quare licèt primus motus medio gaudio ad extra fit, ac primo spiritus tam immodicè resoluantur. Secundus verò motus ad intra, medio quo spiritus, quos potest, cogit, & seruat immediatè syncopem exhibet: Ex quo manifestè infertur, semper in syncope subitum ad cor retrocessum reperiri.

87. Nec idem contingere posse in vigilia immodica dubites: nam licèt vigilia pedetentim, ac sine sensu humidum diu & importunè absumen-

do corpus, liquet, ac tabefaciat. Et hoc fit per humidi radicalis euaporationem, ac in halitus digestionem hoc quidem initiatiuè, & mediatè ad syncopem conducit. Nam cum cor primum sit viuens, & vltimum moriens adhuc illo in casu, vt vltimum sibi vitæ terminum muniat, proprios etsi exiguos spiritus, quibus conseruari valeat, retinet, aliarum (etsi luminosum sit) partium oblitum, ex qua veluti diuina prouidentia, famulantia membra influxu priuata feriatas actiones habent, sicque syncope, & mors aliquando succedit.

88. Febres similiter acutæ, vt ardentes, & colliquantes, veluti syncopis causæ à Magistro *in Textu* enumerantur, & meritò etsi dubites, cum hic affectus subitus, ac præceps virium lapsus sit, & febris hectica, & ardens sensim corpus liquet, quia tamen intemperies præcipuè materialis ad vltimum sui gradum, & intensionem accedit: propterea in vltimo repentè & subitò introducitur, sicque spiritus rarefacit, dissipat, atque dissolvit. Quod in malignis, ac pestiferis febribus, in quibus venefica aura spiritibus vitalibus communicata, eos absumendo prosternit, experimur.

89. Ex Magistri consilio syncopis curandæ ex immodica inanitione, aut repletione confertim facta orientis, dum inquit confertim etiam in repletione magna euacuationem, veluti in euacuatione immoderata adiectionem celeriter esse agendam, nascitur efficacia, & actiuitas, quia tam repletio, quàm inanitio dum vires excedunt, syncopem efficiunt; nam si omni euacuationi est annexus casus virtutis, vt 5. *Aphor. sent.* 16. multo melius, dum nimia est, diúque permanet, & non solùm vacuatio vtilis humoris, vt sanguinis, quacunque ex parte, sed etiam inutilis syncopem accersere potest, vt quotidie in hydrope sectione ventris, ac in magni tumoris apertione maximum spirituum dispendium subsequi, tandémque syncopem succedere experimur, vt 6. *Aphor. sentent.* 27. *primoque ad Glauconem, cap.* 14. constat. Eadem etsi diuerso agendi modo, in repletione immoderata ratio militat, ex nimia enim sanguinis, vel humorum plenitudine vasa præoccluduntur, sicque cordis, & caloris perspiratio impeditur, qua deficiente calor intensior, acriorque efficitur, vt pabulum vehementiùs absumatur, quo pereunte, ipse calor, quasi forma sine subjecto marcescit, atque resoluitur. Quare ob nimiam humorum vel sanguinis copiam, quam vires nequaquam sustinere valeant, præ quantitate solùm, aut præ frigiditate tandem in spiritibus inducta, innatus calor extinctus perit.

90. Insurges tamen in Textum, vbi cum Magistro venena vim syncopem producendi obtinere protulimus: nam venena calida quamvis extremo calore gaudeant, subitam alterationem non inferunt; nam actio caloris humidum absumentis lentè fit: si verò frigiditate polleant, resolutionem spiritus prohibent, quia cutis spiracula coercent, ac humores excerni impediunt, quod idem exsiccantia venena præstant. Quoniam media siccitate adstrictionem inducendo meatus corrugant, ne sanguis aliique humores exhalationem sortiantur. Atque ij omnes modi operandi potius paulatim, quàm subitò ab his causis pendent, ergo cum syncope sit affectus non lentè, siue paulatim, sed subitò prognatus, quia subitus lapsus virium nequaquam à prædictis apud Galenum causis dimanare valebit.

91. Instantiæ virtus prosternitur. Respondendo quòd venena tam in corpore genita, quàm interiùs assumpta, siue extra apposita, aut ab animalibus veneficis ejaculata potiùs vi maligna, & venenata qualitate, quàm manifesta cordis substantiam dissoluunt. Sicque etsi manifesta qualitas vt in argutie est dictum, paulatim suos intensionis gradus communicet, maligna verò promptiùs ac subitò cor fatigat, vt syncopem promptissimè concitet. Venenosi enim halitus à corporis Trunco, vel alia remotissima parte in cor irruunt, ac præcipua viscera inquinantes, vires valdè frangunt, eo quod præ maligna, & efficaci antipathia partes internæ putrefiunt, ac corrumpuntur. Sicque venena calida spiritus, & sanguinem impensè absumunt, frigida densant, atque congelant, vt spiritus immobiles reddantur, quo instrumento deficiente, symmetria partium ruit. Sicca verò radicale humidum in absumptionem reddunt, spiritus siccitate exprimunt, ac sanguinem hoc modo resoluunt; humida tandem viscera, & cor putrefaciunt, illorumque tonum ita devastant, vt nulla pro vita custodienda rectè actio elaboretur.

92. Dubium præterea non contemnendum offertur. Vtrum scilicet vermes syncopem suscitare possint, cùm ex eorum sæuitie, aut venefico vapore, tam epilepsia, quàm apoplexia, ventriculi anxietates, cordis tremor, bulimus, colica affectio, strangulatio subita, conuulsio, saltúsque totius corporis nascuntur. Quare si tot grauia ex dira vermium qualitate dimanant, cur syncope ab illis oriri non posse, quis asseuerare audebit. Præsertimque huiuscemodi assertio ex Auicenna 16. 3. *Tractatu* 1. *cap.* 4. per sequentia verba constat. *Iam autem accidit cuidam notorum nostrorum difficultas deglutiendi propter retentionem, reive deglutitionem ignota, & perduxit illum ad similitudinem præfocationis, & fecit eum syncopari. Cum nausea, cum qua euomit vermes plurimos, cum quorum expulsione facilior facta est deglutitio, & ablata est præfocatio.* Ex qua doctrina manifestè syncopem à vermibus nasci posse patet, nec mirum: nam si mortui extiterint ex putredine, ac horribili fœtore vapores cor frequenter opprimentes, quia veneficos, eructant: si verò viui sint per corpus oberrando, ac præcipuè per ventriculum, istum vehementer mordicant, ac diuellunt, proindéque syncope cardiaca solet euenire. Præterea, cum hi alimentum partibus necessarium sibi pro alimonia propria surripiant, vt Galen. *lib. de Theriaca ad Pisonem cap.* 25. *&* 3. *acutor.* 54. exponit.

93. Quomodo verò oris ventriculi cõflictatio, vel anxietas syncopem commouet, ex doctrina Magistri in Textu clarescit, nam cùm mirabilis oris vẽtriculi cum corde consensus sit, eo quod ar-

tciiæ

teriæ à corde deriuatæ ventriculo implantantur, quarum interuentu, ac diſſeminatione in fluxum vitalem illi communicat; propterea ventriculi ore affecto, vel anxietate, ſine dolorifica alteratione immodicum per has arterias influxum proclamat, ac dignitatem cordis ad eum mittendum innitat, ſicque non exigua ſpirituum ad eum confluentium fit diſſipatio, vt ſyncope ſtomachica inſurgat. Nec minus ſi volueris cerebrum in hac ventriculi affectione conſentit, ob enim neruorum genus, in prædictum orificium propagatum, cùm ita exquiſitiſſimo ſenſu polleat, meritò dum ingenti dolore cruciatur, ſpirituum animalium ad hanc partem immodicus confluxus peruenit. Vnde cerebro compatiente propter ſimilitudinem, quam cum ſubſtantia neruoſa obtinet, ingens reſolutio, ac diſſipatio virtutis animalis ſuccedit, tandemque cerebri robur, vt irradiationem aliis corporis partibus ſuppeditare non valeat, langueſcit.

94. Neque dubium exiguum offertur, vtrum videlicet præſente ſyncopali acceſſione ſanguis mittendus ſit? Circa quam difficultatem aliqui reſpondere conantur potius hoc præſidium ante acceſſionem celebrandam eſſe: natura enim magis adminiculans adeſt, eo quod extima frigida non ſint, nullo exiſtente caloris retroceſſu ad interna, ſanguiſque pararior motui, & euacuationi obediat, è contrà verò ſyncope iam actu inuadente, propter motum contrarium, defectumque caloris influxus inane remedium exercebitur, potiùſque ſpirituoſa ſubſtantia reſoluta, viuens peribit.

95. Quâ non obſtante ratione, aſſertio contraria vt verior eſt inſequenda. Primò enim ex Hipp. *lib. 4. acut. Text.* 27. conſtat, quòd quando quis ſanus exiſtens repentè obmuteſcit abſque cauſa manifeſta, hoc accidit ob interceptiones, & occluſiones venarum, per quas Gal. *in comment.* vaſorum repletiones intelligit, quæ à copia ſolent oriri: atqui tunc virtus grauatur, calorque extinguitur, cum aliquid ſuffocationi ſimile patiatur, ita vt affectus ab hac ſumma repletione manentes, apoplexiam, epilepſiam & ſyncopem enumeret, quia organa vocalia nimia humorum ſarcina obſtructa ſunt: ergo deponenda eſt talis plenitudo, vt ſyncope, & prædicti affectus ſoluantur: ergo ſanguinis miſſio vt ſubſidium eſſentialiſſimum exequenda eſt. Neque ſufficit obiectio ſuppoſita ex frigiditate extremorum in actuali ſyncope: nam ipſe Hippocr. hoc præuidens *eodem libro acutor. Text.* 28. inquit: quamvis extremorum frigiditas præceſſerit, ad quam corrigendam, vt ſanguis fluxilior ad motum reddatur *Textu* 16. & 17. eiſdem conſulit ante ſanguinis miſſionem fomenta calida priùs eſſe adhibenda, vt ſanguis, qui ob interceptiones venarum frigidus, & veluti concretus erat, diſſoluatur, faciliúſque vena ſecta exire poſſit. Licèt tali tempore acceſſio ſyncopalis præſens ſit.

96. Stabiliendum igitur eſt in tali caſu valdè neceſſariam phlebotomiam eſſe, dempto enim onere, & copia naturam gravante, impeditur ne ſpiritus in totum corrumpantur: nam hoc præſidio neglecto ſpiritus media ſuffocatione corrupti euaneſcent. Notandum tamen eſt, quòd ſi nimia cum omnimoda pulſus deficientia, frigiditas adſit, nequaquam ſanguis eſt detrahendus, quoniam cum iam ſanguis penitus concretus ſit, ſi hoc tempore mittatur floridus & laudabilis exibit, vel nullus conſluet propter ſpiritus influxum deficientem; quare potiùs remediis ſanguinem fundentibus, extenuantibus, ipſumque fluxiliorem reddentibus eſt vtendum, vt frictiones, fomenta calida, potionéſque ſanguinem attenuantes, & ſimilia valebunt eſſe.

97. Nec ſi inſurgas, ſufficiet, eo quod Gal. *cap. 3. huius libri* in ſyncope nullo modo ſanguinem eſſe mittendum aſſeuerat; nam quamvis euacuationem deſiderent, eam tamen citra maximum diſpendium non tolerant. Præterea, quia nullius vſus phlebotomia videtur cum ſpiritus reſoluat, & amplius acceſſionem conduplicet. Huic obiectioni Zacutus ſatisfacere intendit: aſſerens Galenum loco citato intelligendum eſſe de ſyncope orta ex copia ſuccorum crudorum, qua præſente noxia eſt nimis, quia vires adeſſe non poſſunt, etſi euacuationem tentes, extracto ſanguine, cuius ope crudi ſucci coquuntur, ipſi crudiores, & frigidiores redduntur, & morbus in poſterum remedium non habet. Parcat mihi tamen tanta viri auctoritas, qui ita abſolutè Textum Galen. profert, ac intelligit, cùm aliter ſit Magiſter *in cap. 3. citato* inteligendus. Nam etiamſi maxima ſuccorum cruditas ſyncopis cauſa ſit, non ſemper ſanguinis miſſionem prohibet, dum enim ſucci crudi ad omnimodam corruptelam peruenêre, ibi iam deſperata ſalus exiſtit, vt ait Galen. *in Textu*, nequaquam phlebotomia exercenda. Vbi verò iſti nec omnino corrupti, neque à ſanguinis commercio ſeparati, imò aliqua illorum portio pituitæ laudabilis, quæ veluti ſanguis ſemicoctus appellatur, adſunt; ſanguis etſi modicè detrahendus erit, vt detracta copia, & depoſita multitudine, quæ calorem naturalem, & ſpiritus ſuffocabat, calor innatus ventilari incipiat, ac ſpiritibus regeneratis ſyncopalis acceſſio remoueatur.

98. Si verò aliqua immodica euacuatio, quæ vires diſſoluat, ac ſyncopem inducat, præſens fuerit, tantùm abeſt, quod ſanguinis miſſio fieri debeat, quin imò diligentiâ omni quælibet euacuatio ſupprimenda eſt, præſidiis, quæ omni euacuationi immodicæ proſint, vt ſpiritus reficiantur viréſque roborentur, vt ex Hippocrat. 2. *Aphor.* 11. odores Herbarum, fructuum redolentium, Ambræ, moſchi ſunt collaudandi, & inter omnia odor ex alimentis eleuatus, vt vini generoſi, & antiqui, carnis aſſæ, paniſque recentis ſtatim à furno extracti, vino odorifero, aut aqua naphæ irrorati mirificè prodeſt; quare habita ratione ad diuerſam ſyncopis cauſam diuerſa medela excogitari valet, ſi enim ſyncope oriatur in febribus peſtilentibus, & malignis, maligna qualitas alexipharmacis eſt profliganda: ſi ex veneno, morſuve animalis venenoſi, Alexitetia ſuccurrunt; ſi ab animi affectibus pendeat, ij moderandi, ægerque in contrarium ſtatum reducendus eſt: ſi ex vtero tanquam mandante, ſanguis ex talo detrahendus; ſi ex vermibus, hi necandi, & quæ inter om-

nia certius, ac securius eos interficiunt, alij ficci fuccos cum vino permixtus principatum habet, & meritò: nam allium præstantissimum alexipharmacum pro necandis vermibus est, quoniam præter efficaciam, qua gaudet, facultatem, etiam contra viperarum ictus mirabiliter, & victoriosè pugnat. Tantaque aduersus omnis generis efficacia pollet, vt illius odore illi statim, velut à præsentaneo veneno emoriantur. Cum deinde in pestiferis, malignisque febribus fluxus alui fæuus, & colliquans sensim, ac sine dolore vires, ac spiritus resoluens accidat, ex quo liquato, & exhausto totius corporis habitu, lancinataque facultate vitali ab aura malefica eleuata syncope suscitatur ad quam ita intempestiuam, quam diram euacuationem reprimendam, inter excellentiora adstringentia crystallina conserua floret, magna enim est crystalli contra venenum facultas, & vis adstringendi omnibus potentior: nam cùm gemma sit quæ ex Plinio, *lib. 37. cap. 2.* non ex aqua, aut niue congelata, & per annos indurata fit, sed ex humore omnium purissimo in terræ visceribus gignitur, eo modo, quo Adamas, aut alij similes lapides, refrigerat, valdeque fluxum compescit: proinde in dysentericis in tenuissimum puluerem trita vtiliter exhibetur. Cumque antidotum veneni sit omnem malignum fluxum cohibet, ventriculum roborat, vomitui immodico auxiliatur, & aduersus choleram tutissimum alexipharmacum est.



CAPVT VI.

De syncope curanda in iis, qui succos tenuissimos, & qui facilè exhalant, continent.

99. VM in antecedenti cap. Magister causas præcipuas ratione multitudinis, & oppressionis syncopem inducentes, illiusque medelam stabilisset, iam in præsenti ad contrarias causas syncopem progignentes aperiendas accedit, eo quod talis affectus diuersa valde rationo curationem desiderat, quoniam vbi prætenues fucci, ac facillimè exhalabiles sunt, non euacuatione; sed nec attenuatione, sed potius incrassatione, ac repositione nutrimenti sunt corrigendi, ac instauranda substantia viuentis, quæ ita celeriter resoluitur.

TEXTVS.

Age modo transeamus ad eos, &c.

100. Syncope quidem ex humoribus tenuibus pendens, duplici modo fieri solet, vel nimirum quando in ventriculo prædictorum humorum copia anxietatem, aut dolorem inducens adest, de qua latiùs cum Magistro *cap. 4. huius libri* diximus; vel quando huiusmodi humores in venis dominantur, ac facile exhalantur, de cuius curatione in præsenti Galen. sermonem instituit. Quare postquam antecedenter aliam syncopis medelam constituit, ad hanc peculiarem perueniens inquit: *age modo transeamus.* Nam qui ob tenues humores animo concidunt, paulatim, & assiduè nutriendi sunt; si verò hos curandos adhuc viribus valentibus aggrediamur, non eos paulatim alemus, quoniam ij alimentum liberius, & semel adhibitum, quia viribus constant, superare siue coquere possunt, & quemadmodum asseueratum est, quod qui ex succorum crudorum multitudine laborant, ac syncope afficiuntur, si iecoris, aut ventriculi phlegmone vexentur, prorsus periclitantur. Non aliter in iis, qui ob humores tenues syncopizant, si viribus iam languidis aliquod eorum viscus phlegmone infestetur insanabilis affectus est censendus: nam etsi ratione virium hos nutrire assiduè conueniat, nequaquam tamen propter affectionem phlegmonosam, sed tantum in remissione est faciendum. Quare cum si non nutrirentur, seruari ij non valeant, proinde desperata salus eorum est iudicanda in eiusmodi affectibus, lethalis illa duntaxat species in facie, quam primo de prænotionibus Hipp. in initio depinxit, solet apparere, vt nasus acutus, oculi caui, & reliqua, quæ ibi descripta sunt; nam sine multum excernant, siue vigilent, siue tristentur, siue tardè nutriantur, protinus hanc faciem habent. Notandum tamen est, quod si ex aliqua, aut plurimis istarum causarum macies, vel extenuatio pendeat, minus damnum, quàm si absque iis emacientur, est putandum. Quare si absque illis ita ægri appareant, sine dubio tale signum vt pestiferum iudicabitur; & præsertim vehementiùsque, si à morbi principio talem speciem laborantes obtineant. Quoniam ad ipsius coctionem veramque terminationem non durabunt, & ob id Hipp. dixit, si quid eiusmodi consenserit, minus subesse periculi putandum: nam in morbi principio licèt eum aliquo dictorum in eo statu sint, haud quaquam id bonum est. Cæterum hoc minus est periculosum, quàm si nulla dictarum causa concurrat.

TEXTVS.

Non solum autem, &c.

101. NEc solum Maciei, atque extenuationis causa (inquit Magister) spiritus & sanguinis digestio vtcumque, accidere solet, verùm etiam propter vim expultricem per vniuersam corporis molem immoderatiùs lancinatam, quod præcipuè præ retentricis imbecillitate solet contingere, quæ omnia ad partium temperiem amissam sunt reducenda, vt *superiori cap.* Magister ostendit: facultas enim expultrix ab humorum acredine vellicatur, acredo quidem humorum ab intenso, nimioque calore nascitur; vnde etiam retentricis imbecillitas succedit, eò quòd intensus

intensus calor spiramenta cutis supra modum rarefaciens retentricis debitum munus destruit, sicque partim ab expultrice irritata, partimque à retentrice deiecta, talis extenuatio, virium iactura, & syncope procedunt.

TEXTVS.

Sane nutrire, &c.

102. Quibus prælibatis, huic affectui Gal. subsidium opportunum consulens nutrienda horum corpora statim esse, & cutim densandam præcipit. Quare frigidum iis aërem adstringentem parare oportet, vt suprà dictum manet. In quem similiter scopum adimplendum adstringentibus vngendi sunt, cibique non facilè defluentes, & exhalabiles propinandi. Quare panis, & sorbitio ex alica, & fructus austeri, quique non facilè corrumpuntur, prosunt. Veluti oua præsertim tamen vitelli: nam hi faciliùs, quàm pars alba concoquuntur, & oua quominus elixantur tanto ad coctionem aptiora redduntur: nam si multum elixentur, tenuior pars eorum absumitur, proindeque crassescunt, ac difficilia concocta fiunt. Sicque solum vitelli, non verò pars alba, sorbendi sunt, ista enim quia valdè frigida in his affectibus, quia vires languescunt, non est adhibenda, ob difficilem ad coctionem dispositionem, quam continet. Cerebrum deinde suillum assum tamen diligenter, nequaquam cruentum, proficuum erit, vel in iure albo legitime elixum, porro, & anetho iniectis, quoniam cibus pituitosior, crassique succi est, & tarde permeans, quemadmodum *lib. 1. de alimentorum facultatibus cap. 8.* in tertiana quoque exquisita, *cap. 9. lib. 1. ad Glauconem*, pedes suillos & cerebrum Magister concedit, eò quòd maxime resolutioni, atque spirituum, & sanguinis exhalationi obsistunt. Lemosius verò in Gal. contrarium persentit, cum etsi pedes condonandos fateatur, substantiam cerebri, quia difficilè coquitur, obnegandam asseuerat.

103. Quamquam Lemosij obstaculum adductum magni faciendum videatur, quia cerebrum suillum in ventriculo, & iecore ob crassitiem à debili ægri calore vix valet concoqui, aut elaborari, imò cum insuperatum remaneat, corrumpitur. Sicque vires reficere non possit, hoc tamen non obstante, cum Magister corporibus extenuatis, ac debilibus, voluptatis gratia illud condonet, non erit cur tantopere pluribus sit nocumentosius: nam hoc alimentum, dum firmum corpori nutrimentum præstat, magis prodest, quàm noceat, etsi non ita perfectè in ventriculo concoquatur, quia minus damnum maiori vtilitate redimere oportet, præcipuè si, vt Magister ait diligenter assum adsit: nam ignis auxilio maior lentoris portio absumitur, vel in albo iure anetho, & porro præparatum est, hoc enim modo nimia humiditas resoluitur. Quare ita semper agendum est, vt succorum materiam siue alimoniam corporis crassiorem reddamus, cutim densemus, ac omne genus exhalationis impediamus. Vinum etiam iis aquosum inter initia; sumptum tamen post cibum conuenit, ac etiam aliquid carnei nutrimenti est post illa, præcipuè post quartum diem, ac humoribus febrem efficientibus, ad coctionem accedentibus, est propinandum, & hoc non sine magna præmeditatione, ne Medici, vt nostra ætate accidit, temerè à principio morbi sine discrimine aliquid carnis præscribant. In calce tandem textus iterum affectum d[illegible]ctum ex multitudine succorum crudorum pendentem repetit. *De quo latius, cap. 3. huius libri actum est.*



CAPVT VII.

De reliquis causis syncopis. Primumque de affectibus, quibus dolores succedunt.

104. VAMQVAM reliquas syncopis causas Magister in præsenti aperiendas offerat. Tantùm tamen naturam, & causas doloris exponens, à quo celerius vires lacessitæ manent, spiritus exoluantur, ac syncope nascitur, de eo disputationem cum inter, omnia symptomata, vt vicem causæ gerit, curationem vertat, constituit.

TEXTVS.

Nunc reliquas ocasiones, quibus syncope, &c.

105. Quatuor quidem Gal. syncopis causas, vt vehementem dolorem, vigilias noctè, dieque permanentes, immodicam inanitionem ac in iis, qui aliena loquuntur, aliquando motus (sed si placeat) quintam causam, scilicet principiorum intemperiem, de qua in calce lib. acturus promittit, enumerat; oblitus verò promissi, cum non id adimplenisset, solum dolorum reminiscens, ab eis exordimr, inquiens: *ergo si causam ipsam*: idest si causa à qua dolor originem ducit, semoveatur, non solum symptoma, vt est dolor, sed etiam ipse morbus auferetur, & licet contra symptoma non pugnemus, simul cum ægritudine curabitur. Si verò propter aliquam occasionem in affectum semouendum operari non possimus, intensusque valde dolor extiterit, causam illius velut negligendo, eius vehementiam lenire, ac mitigare debemus: quoniam verò nec doloris causas tollere, nec eius vehementiã remittere conuenit, nisi prius aqua causa huiusmodi dolor laborantem affligat, intelligamus; propterea antecedenter prædictæ causæ perpendendæ sunt, signaque quibus dignosci valeant, sunt cognoscenda. Vt igitur essentiam, causasque doloris Magister exponat, aliqua notanda præcipit,

pit, quorum primum est, nihil dolore affici posse, quod non sit passionis capax. Vt 1. *de Elem. cap.* 1. Secundum est ex primo deductum, nimirum, vt aliqua doleat doloris expers esse nequit, vt ossa, cartilagines, ligamenta, quæ quia valdè terrestria neruisque carent, non dolent; Tertium vt sensatio dolorifica fiat, siue à continui solutione siue alteratione proueniat, tam vnam, quàm alteram non sensim, sed confertim, & violenter fieri necesse esse; quod alteratio, vel continuitatis solutio subito fieri debeat: latius Magister 1. *lib. de symptomatum causis. cap.*6.commostrat,tum etiam ex Hipp.*lib. de locis in homine* sic asserente, patet *his quibus mutatur,corrumpi turque natura,dolores fiunt. lib. similiter* 2.*aphor. sent.*52.sic Hipp. fatur. *Plurimum, & repente euacuare, aut replere aut calefacere, aut refrigerare, aut aliter quomodocumque corpus moueri periculosum, & omne nimium naturæ inimicum, quod verò paulatim fit tutum, præsertim vbi quis ab altero ad alterum progreditur.* Ex qua sententia duplex notatu digna doctrina inferenda est, prima ex eo, quod non solùm plurimum, & repente euacuare, vel alterare, aut aliud quidpiam circa ægrum agere periculosum esse sumitur; sed etiam quodlibet horum seorsim sumptum, videlicet, vel plurimùm aliquid facere, vel repente moliri, nam licèt periculosius, plurimum, & repente euacuare sit; euacuare tamen plurimùm, aut alterare, quantumvis paulatim fiat, vitam devastabit: nam omne nimium, etsi paulatim factum, valdè naturæ adversum est,sicque siue subitò,siue paulatim cũ nimia sit naturę mutatio,maximũ naturę damnum infert. Secunda verò,quæ infertur doctrina est,quod illa nimietas euacuationis,vel intẽsio alterationis,quę subitò fit,solùm & præcise quia subitus ille causæ occursus passionem,& molestiam auget, est dolorosa; maximè quando id ad quod mutatio fit, est naturæ inassuetum;nam illo in casu duplex molestiæ causa reperitur, repentina nimirum alteratio, ac inconsueti occursus. Quare quid paulatim fit, cùm nimium nõ sit tutum est,præsertim verò,vbi quis ab altero in alterum progreditur, id est, ab insuetis ad consueta. Sique mutatio,quæ violenta fiat, licèt ad naturalem habitum,siue statum ducat, nisi paulatim eam natura suscipiat, dolore cruciabitur, propterea Magister in præsenti ait: Scimus enim, qui in vehementi frigore iter fecerunt, eos cum sese non sensim, sed semel calefacere properarent, dolore circa vnguium radices adeò vehementi affectos,vt ferre non possent. Vnde etsi in naturalem statum videantur reuocari, quia non paulatim sed confertim immutantur, dolore cruciantur. Causa tamen huius, etsi à Magistro relicta, in promptu est, quoniam frigus à calore occurrenti confertim in profundum partis pellitur subitò, quare ex illa repentina intemperie partes coguntur, siue comprimuntur. Sicque continui solutio, ac dolor sequitur. Vnde semper dolor fit in corpore passibili subito sentienti, ac violenter mutato. Cùm igitur dolor sit affectus præter naturam, qui vel morbus, aut causa morbi, aut symptoma sit, meritò ex Magistro neque morbum, nec causam, sed tantùm symptoma esse constat. Cúmque nec symptoma in affecta corporis, neque in excretis sit, in actione tantùm læsa consistet. Ex quo manifestè sequitur, quod dolor symptoma est in actione læsa consistens in corpore passibili sentienti subito, violenterque factum.

TEXTVS.

Porro naturalis notitia, &c.

106. CAnsam equidem siue vitium, ex quo dolor sequitur aut continui solutionem aut liquã alteratione esse Magister iam asseuerat: ac primùm,scrutandũ esse cuius naturæ sit,quod continuitatem solvit, consuluitoam vel est ruptio, vel contusio,vel erosio affectus ille, qui diuisionem continui facit, ita vt ruptio ex quadam distensione, contusio ex grauante, erosio ea mordente qualitate proueniat; quia tamen quod dolorem exhibet, siue tendens, siue grauans, siue mordens sit, cùm forinsecus non proveniat: proinde corpus ex seipso aliquid horum, quod intrinsecus fiat, patietur. Quare tensio ab aliqua re corpus distendente, in eóque contenta fieri potest, vel ab immodica siccitate, contusio verò ab aliquo humore denso adiacente, veluti morsus vel erosio ab acri humore nascetur. Quibus sic iactis perpendendum iam est, vbi vehemens dolor adest, an humor multus sit, vt in inflammationibus experimur, an spiritus siue flatus impotens vt exeat, vt in dolore colico, an grauis moles, vt in tumoribus valde induratis apparet, an humor mordicans, aut affectus siccus, vt in convulsione ab inanitione pendente, aut caliditas, aut frigiditas vehemens subsit. Quorum omnium causæ, vel in spiritibus, vel in humoribus, vel in ipsis solidis fundantur, ita vt quidquid eorum vehementer calefactum refrigeratumve sit, quando partem sibi vicinam tangit, magnam illi molestiam adferat. Vt igitur iam non solum methodum medendi persequamur, sed etiam ad affectuum cognitionem peruenire possimus duos, aut tres ægros in exemplum proponit, vt euentu eorum in salutem percepto clariorem luce eius doctrinam insequamur. Primus etenim quadragenarius erat, qui cum dolore colico affectus esse putaretur, neque fomenta humida, siccave nec cataplasmata, nec clysteres ei profuere, imò vehementer exacerbatus fit: à rutaceo enim oleo per sedem injecto peius se habuit, tum etiam à castoreo, cum etiam cremorem cocti fœnugreci vná cum melle assumpsisset, acriter irritatus est, quod Magister perpendens mordentes succos in tunicis intestinorum immersos esse conjecit, qui scilicet secum vná corrumperent, tam ea, quæ per inferiora essent infusa, quam ea, quæ per se os æger assumebat, posteáque alimentum, quod non facile corrumperetur, laboranti Gal. exhibuit,ex quo cùm Magister minus eum laboriosum,cruciatumque esse cognouisset, vitiosum humorem purgandum existimauit, & inter omnia aptissimum medicamentum ad vitiosum humorem expurgandum, quod ex aloë componitur, quodque iam vulgò picran appellant, idest hiera picra, cuius descriptio *cap.*11. *lib.*7. ostenditur, Magister, elegit, nec semel illo iustè laborantem purgare ausus fuit, sed mediis intervallis id moderatè faciens quindecim spatio dierum

dierum ægrotantem in ſalubrem ſtatum reuocauit.

107. Ex hoc igitur euentu clareſcit, quod ſi colicus dolor non ſolùm à flatu, ſed etiam ab aliquo humore proueniat, fruſtrà remedia topica, niſi priùs humor educatur, admouentur. Quare in principio fomenta non profuere; fomentorum duntaxat tria genera, humida, ſicca, & mixta reperiuntur: humidum veluti ſpongia mollis, & magna ex aqua calida expreſſa, parti affectæ applicata eſt, cuius generis aqua calida, aut oleum in ventriculos, aut vaſa ærea, & fictilia, aut in veſicam coniecta ſunt, quæ quidem humida fomenta inflammationibus ex bilioſo humore ſuſcitatis conferunt: ſiccum verò fomentum eſt milium, ſal, arena in ſacculos coniecta, lateres ſimiliter calidi panniculis inuoluti, aut circumlati, quę omnia dolorificis affectionibus ex tenui, aquoſoque ſanguine orientibus ſunt proficua; Mixtum demum fomentum eſt, hordeum, eruumque priùs contuſa, acetóque cum aqua macerata, vel etiam farina illius eodem modo præparata, & in ſacculis appoſita, quibus fomentis mixtis ad craſſos, viſcoſoſque humores inſcindendos, conficiendos ac diſſipandos vtendum expedit. Hæc tamen vt eruditè Magiſter aduertit, donec cauſa morbifica in eolico dolore expurgetur, vt in prædicto ægroto exponit, neutiquam commoda ſunt, cum dolorem vehementiorem, acrioremque reddant.

108. Ex Magiſtri caſu ſimiliter infertur, quòd ex cauſa morbi non cognita, non proſunt auxilia quia ſolùm fortunæ committuntur, & morbus aliquando augeſcit, quandóque funeſtus effectus euenit, vt Medicis à Gal. prædictis contigit, qui cum doloris colici cauſam non calluerint, illum magis remediis exacerbabant. Quare Gal. ſplendenti lumine pollens iuſtè laborantem purgauit, vt Medici tempus, quo pharmacum ægris propinandum ſit, animadvertant. Si enim vires laborantes non admodum validæ, ſed propter morbi longitudinem imbecilles aliquantulum ſint, non valentius pharmacum, ſed mitius nec ſemel & copioſe, ſed pluries & clemens, eſt condonandum, vt Magiſter ad prædictum infirmum accedens ita operaſſe refert: Hierampicram autem ſelegit, & meritò, qoia colica affectio, vbi pituita in ſinu continetur inter duas inteſtini tonicas, ſit, quæ quidem pituita dum caleſit, rareſit, reſoluitur, ac diſtenditur, vehementia tormina efficit, qua de cauſa animi defectionem infert.

TEXTVS.

At alius iuvenis huic quidem ætate, &c.

109. Alterum colica affectione laborantem, qui ſæpe antea eam paſſus fuit, Magiſter proponit, acceptóque ſcamoniæ ſucco purgatum fuiſſe refert, & cum benè largius vacuatus fuiſſet, primo die veſperi in balneo lotus mox ptiſanæ cremorem ſumpſit, deinde, piſcem quoque devorauit, & ea nocte omnia, quæ ſuſceperat, euomuit. Secundo præterea die lauatus primo lactucam comedit, mox; aliquid carnis auium in albo iure elixæ ab hac alicam ex aqua vino auſtero iniecto aſſumpſit, ſtatim ac ab iis leuatus mediocriter viſus fuit; etiam die tertio eodem modo fuit nutritus, plura tamen, quàm pro quantitate ciborum per aluum proiecit, & illa cum morſu ſenſata fuere, vlterius die quarto dolorem ventris magis exacerbari perſentit, & cum ſe in balneo alicubi frigus accepiſſe imprudentem putaſſet, oleum rutaceum ſibi per ſedem iniecit, ex quo non ſolùm vehementer vexatus fuit, verùm etiam liquidam deiectionem copioſiſſimam expulit: ex quo facilè fuit deductum quòd aliqua portio ex toto corpore ad locum ventris affectum deferebatur. Poſteà iam per circuitus ſimilis cruciatus repetebat. Quæ cum audiſſet Magiſter ſymptomata noxam ex ſcãmonia in illis maximè inteſtinis permanentia fuiſſe intellexit, cùm priùs huiuſcemodi partes iam eſſent imbecillæ, ita vt quaſi iam affectus fluxio eſſet initium. Qua cognitione, vt Galenica, talia præſidia colica abiicere Magiſter iuſſit, & alica calente, quæ cocta in aqua eſſet, ſimulque immiſſis ei mali punici granis ægrotantem nutriri præcepit. Qui, cùm tota nocte citra dolorem dormiuiſſet, remedij nobilitatem, fuit miratus. Simulque qoid eſſet bibeodum inquiſiuit. Cui Galen. cremorem rhois dilutum exulceratio facta, ipſa adſtringeretur, ſiue vt reprimeretur illud qood ex conſuetudine ex ſuperioribus locis ad partem affectam confluebat; iuſſitque eodem modo prandio vti, ac ad veſperam pro cœna panem durum madefactum in aliquo vino naturaliter auſtero, ſed veteri diſpoſuit. Pariter quemcumque fructum auſterum, ſiue malum, ſiue pirum ſiue punicum, quem vellet ſumere permiſit. Eadémque ratione tertio die cibatus fuit; io quarto Theriacam bibit, ac omnino in ſanitatem fuit reſtitutus, & ad conſueta reuertens, nullam novitatem, neque incommodum perſenſit.

110. Ex huius ægri curatione, plurima notatu digna offeruntur. primum enim ex Magiſtro patet, quàm periculoſum ſcãmonium in colico dolore ſit, cum ex illius adhibitione ex aliorum medicorum conſenſu, dolor non ſolum non fuit leuatus, imò valde exacerbatus appamit. Secundum non minoris momenti eſt, quod non ſemper pharmaco purgante in affectione eolica eſt vtendum. Licèt aliquando vt in primo ægrotante Magiſter effecit. Nam dum ex ſopernis corporis partibus ſocci praui ad affectãm partem confluunt, vt cognovit Gal. nequaquam fluxio medio pharmaco eſt de nouo ſuſcitanda, quooiam dolor magis augeſcet, & pars languidior redditur, aptior ad attractionem reddetur. Vnde multò plures humores ad eam irruent, quàm qui à medicamento detracti ſint, nam pharmacum exoluens dum in ventriculo detinetur, virtute propria attractrice prædictos humores è venis, & aliunde etiam ad ſe attrahit. Quare in ea agitatione, & purgatione nequaquam humor, qui doloris colici eſt cauſa expellitur: pharmaci enim actio, cum ad inteſtinum colon præcipue illud pertenit, quod in inferiori inteſtinorum parte ſitum eſt, ac celluilis plenum, fere iam perfecta, & finita eſt, ſicque amplius parum, aut nihil tale medicamentum in humores, qui dolorem gignunt, agere poteſt,

test. Quare ex Magistri doctrina tutiùs erit medicamentis exolventibus per sedem immissis, qualia sunt diaphenicum, & alia id genus uti, per os verò, absente humorum ex venis omni fluxu lenibus, quæ facultatem humores longiùs trahendi non habeant est vtendum, vt hierapicra, catholicon, rosaceum solutiuum, oleum amygdalarum dulcium & alia sunt; nec minorem errorem prædicti Medici commiserunt, cum in dolore colico à causa frigida pendente lactucam côcessissent, quoniam tam intemperies quàm symptoma incrementum suscepit. Notandum similiter est, quod in hora vehementis doloris, cibus quicumque licet leuissimus non sine noxa est: nam cum dolor maximè virtutem prosternat, ita vt neque ventriculus cibum rectè concoquat, neque hepar eum debite in sanguinem transmutet, nec distributio, appositio, excrementorúmque expulsio, nec vlla naturalis actio commode fiat, partim propter spirituum vi doloris exhalationem, partim quia natura ad id, quod contristat, tota veluti intenta sanguinem, & spiritus ad locum dolore vexatum mittit, proptereáque accidit vt partes coctioni à natura fabrefactæ spiritibus, qui omnium actionum instrumenta sunt, destitutæ indigeant, sicque ab iis depauperatæ imbecillem, aut deprauatam actionem efficiant, & facilè extraneum calorem concipiant. Quare quilibet dolor ægrum vehementer affligens omnem cibum, & potum abscindit, vt Magister *lib. 2. de ratione victus, Comment.* 48. *dum ait*, firmat: *qui cibum his exhibet maximum affert detrimentum, inquit, etiam ob dolores sæpius ægri sine pulsu redduntur, animique deliquia incurrunt, & nullo pacto queunt moueri, similiter & ob morbi acumen sunt autem quibus non ob hæc virtus offenditur, sed ob vasorum quamdolibet euacuationem sensui manifestam, siue ob eam, quæ per halitum fit, discussionem, siue ob inediam virtus labefactata fuerit: qui ita affecti sunt cibari quàm celerrime expostulant. Contra autem, qui ob dolorem, vel morbi acumen parum valentem habent facultatem, vacuatione interdum magis quàm repletione indigent, imò qui cibum his exhibet maximum affert detrimentum.* Ex qua Magistri doctrina facilè infertur, quod vehementissimo laboranti dolore, si virium robur adsit nullum alimentum est exhibendum; quando verò dolores non ita vehementes sunt, somnum tamen contrahere non possunt, his victus per pocula, idest valdè tenuis, conuenit; si tamen dolores intermittant, ita vt per circuitus, vt ait. Gal. in prædicto ægroto, repetant, illo in casu intermissionis tempore poculentis, vt Magister fecit, est vtendum: vltimò perpendendum expedit, quod licet theriaca ad dolores sedandos admirandum remedium sit, quia non solum fluxiones sistit, sed etiam eas consumit, vt ipse Magister *lib. de Theriaca ad Pisonem. cap.* 15. scribit. Si tamen in dolore sedando æger purgatione indigeat, neque theriaca, neque alio medicamento, quod opio, & similibus conficiatur, vtendum est, quare in pleuritide huiusmodi medicamenta valdè sunt tenuenda. In tertio similiter ægroto Magister curationem integram factam fuisse commôstrat, qui cum in æstate affectione colica corriperetur, ac sitibundus admodum esset, præter alia, quæ supra memorata sunt, etiam frigidam potionem maxima cum vtilitate assumpsit. Vnde si dolor à causa calida oriatur, sitisque vrgeat, & tempus calidum sit, frigidæ potio proficuum remedium adest.

TEXTVS.

Ergo ne requiras in omni affectu, &c.

111. CVm duplex morborum cognitio valeat esse, ita vt vna scientifica, alia verò coniecturalis sit, proinde in præsenti Magister concludit, dicens, non semper in omni morborum medela cognitionem scientificam, vt in pleuritide, ac dysenteria esse inquirendam, nam cognitio scientifica morborum certis, ac definitis signis comparatur, vt Hipp. *lib. 6. de morbis vulgar. sect. 7. textu* 41. inquit, *à quo vnum, sic cetera*, idest, ea ratione, qua Medicus vnum symptoma cognoscit, siue inuenit, eadem via de reliquis poterit iudicare, vt si quis dolore lateris afficiatur, & Medicus pungentem dolorem esse comperiat, in tali casu à prædicto signo coniectura facta poterit de aliis interrogare. Vtrum videlicet tussi, difficili respiratione, vel febre corripiatur. Quare vno symptomate rectè percepto, de aliis aut futuris, aut consequentibus certior fiet ad prædicendum: coniecturalis verò cognitio non certis signis constat, sed potius à iuuantibus, & nocentibus sumitur, vt in cognitione dolorum Magistro evenit, vt 2. *de locis affectis, cap.* 5. refert, qui cum primo dolorem nephriticum se pati iudicasset, posteà dolore cum oleo rutaceo sedato, potiùs colicum fuisse manifestè sibi persuasit. Quapropter inquit in præsenti methodum enim in iis, atque etiam exercitationem in morborum cognitionibus seorsum per se fecimus: quo scilicet arte quis instruetur, in omni ægro tum locum, qui affligitur, tum ipsius affectum, veluti uos inueniat. Vt igitur si Medicus perfectè morbum non calleat, videat Hipp. consilium magni æstimandum *lib. de locis in homine*, vbi sic fatur: *morbum, si quis non cognoscat, medicamentum bibendum præbeat non forte. Si itaque leuior fiat, demonstrata via est, quod gracilitatem inducendo curandus est. Si verò non leuior reddatur, sed peius habeat, contraria facienda sunt, si non profuerit gracilem facere, tumidum facere, conducere, & frequenter permutare, ita vt hoc consilio vtaris.*

Dubia circa Textum non contemnenda.

112. Quamuis per transennam *in textu* dolorem symptoma esse in actione læsa consistens, dictum fuit; plurimæ tamen circa doloris naturam difficultates licet pluries concussæ parum discussæ occurrunt. Et licèt ad eius per causæ ablationem, curationem, quia potius methaphysicæ, quàm Medicæ sunt, non conducant, breuiter tamen speciosiora pertingam. Dubitabis igitur primò dolorem, qui symptoma in actione læsa consistens appellatur, in qua, inquam, actione læsa collocari. Respondeo actionem potiùs deprauatam esse, non etenim erroneam ex eo quod facultas

facultas percipiat vnum pro alio, vt cum febriens dulcia amara esse existimat, vel quando facultas vnam substantiam pro alia gignit, sed potiùs actionem auctam ad deprauatam reductam esse, veluti appetentia canina, quæ sine aliquo errore adaucta fit: & probatur, nam illa actio aucta dicitur, quæ intensiuè naturalem, & debitam mediocritatem excedit: sed doloris objectum excedit mediocriem & debitam partis sensationem: ergo talis sensatio prout est excedens erit adaucta: ergo deprauata: nam cum objectum valde corrumpens sensum Tactus sit, propterea vehemens, & excedens erit, ac proinde pars valde intensè acerbitatem sentiet.

113. Dices tamen, quòd nulla actio læsa videtur, vbi sensus proprium objectum, tale quale est in se deprehendit; atqui cũ pars dolet, illius sensus tactus calidum, frigidum, durum, ac molle, vti sunt in se iudicat: ergo in dolore nulla actionis læsio reperitur. Præterea quoniam actio est, quâ potentia, & instrumentum perficiuntur, cum tam potentia, quàm illius organum ad actionem tanquam ad finem cognatum & debitum ordinentur, esse enim est propter operari: ergo actio sensifica in dolore potiùs perfectiua, quam destructiua erit: ergo non erit actio læsa, ac proinde non erit symptoma in actione læsa deprauata.

114. Prima quidem ratio languescet, si perpendas quod quamvis in dolore sensus tactus, objectum quale est, percipiat, quia tamen est vehemens, atque organum corrumpit, propterea sensatio præter naturam fit. Secundæque rationi Respondeo primam etiam detruncando, ex eo quòd modificatio actionis facultatis sensitiuæ, siue modus tendendi, qui ex parte objecti corrumpentis sumitur est contra naturam. Nam cum talis sensatio fiat subito, siue affatim, & supra modum mediocritatis, ac subitas mutationes natura ferre non possit, proinde fit vt dolor in quantum est actio sensifica objecti proprij perficiat potentiam, & organum, tamen quia subito fit, & affatim naturam corrumpit, ideò deprauatè agit, sicque actio deprauata dicetur, quia tales mutationes nunquam sunt secundum naturam, quando causa corrumpens hoc modo afficit, etsi per possibile neque dolor, nec voluptas adesset, si sensatio subito in parte fieret, necessariò symptomatica esset: nam mutatio tam subita, & magna nunquàm naturæ nostræ conformis poterit esse: ergo dolor symptoma sensus tactus in actione deprauata consistens nũcupabitur.

115. Dubitabis, 4. Vtrum dolor sit actio, solùm sensus tactus complete, & integrè, vtrum verò etiam appetitus sensitiui, ita vt in eius fuga formaliter consistat? Vt tamen hæc difficultas soluta elucescat, priùs aliqua prænotanda occurrunt. Primò enim sciendum est, quòd appetitus triplex est naturalis vnus, sensitiuus alius, tertius verò intellectiuus: naturalis omnibus tam animatis, quã inanimatis communiter conuenit, qui nihil est aliud, quàm quædam inclinatio, qua quodlibet ens absque vlla cognitione in illud, quod sibi conueniens est, fertur, vt inclinatio materiæ ad formam: qui appetitus non est alicuius facultatis actus, sed ipsamet natura rei ex se propensa in aliquid sibi bonum: appetitus verò sensitiuus facultas quædam corporea est, quæ in materiale bonum tantùm fertur, concurrente antecedenter cognitione interni sensus: appetitus verò intellectiuus, qui voluntas dicitur, est facultas immaterialis, quæ in bonum, tam vniuersale, quàm particulare, tam nudum à materia, quàm materia conexum fertur; Quare hi duo appetitus partim conueniunt, partimque dissentiunt: conuenientia in eo stat, quod vterque appetitus cognitionem sequitur: differunt verò tripliciter; nam voluntas ductum, siue lumen rationis sequitur, appetitus sensitiuus imaginationem, vel cogitationem, deinde quia actiones voluntatis simpliciter liberæ sunt: appetitus sensitiuus neutiquam, sed imperfecta, & adumbrata libertate gaudet, aliunde emendicata, propter consortium nimirum cum voluntate, hoc tamen solum in homine non verò in brutis animantibus, quæ non sponte ac libere, sed naturæ impetu operantur. Voluntas tandem siue appetitus intellectiuus per se ac naturali ordine sensitiuum mouet, qui non semper voluntati obedit, sed interdum obsistit, siue renititur. Voluntas enim appetitui sensitiuo, non ita veluti domini seruis, dominatur, ideòque aliquando renuit.

116. Notandum vlteriùs est, maximam distinctionem ex sancto Thoma inter passiones, quæ incipiunt ab anima, & secundariò corpus mouere possunt, & inter illas, quæ à corpore nascuntur, & animam tandem attingunt, reperiri. Inter istas, quæ à corpore incipiunt, dolor corporalis est, & præsertim sensus tactus, inter eas verò, quæ ab anima exordiuntur, tristitia nuncupatur. Quare in dolore & tristitia duo percipienda inuenientur: videlicet primò oppositio inter objectum, quod dolorem infert, & inter dolore affectum, siue contristatum: Secundò perceptio illius objecti: vnde respectu oppositionis, & contrarietatis inter objectum dolorosum, & naturam dolentem, quæ ab illo corrumpitur, est dicendum totum hoc ad sensationem materialem organi pertinere, respectu verò repugnantiæ, & contrarietatis inter appetitum, & objectum, quod quis odit, potiùs, tristitia nominatur. Vnde perceptio, quæ in dolore semper adest secundum sensus tactus intelligenda est; tristitia verò secundùm apprehensionem interiorem; quapropter dolor semper incipit à corruptione vel læsione & terminatur in perceptione sensus objecti corrumpentis, vbi ratio doloris materialiter completur; tristitia verò incipit in aprehensione interiori & terminatur in affectione, proinde dolor est in sensu, sicut in subjecto, tristitia tandem in appetitu, vt dicamus dolorem potiùs passionem corporalem; tristitiam verò animalem esse.

117. Notandum similiter est, quòd ad dolorem, & voluptatem necessariò sensatio actualis prærequiritur, & hoc ita esse verum, vt licèt cognitio intellectualis adsit, si tamen sensus tactus non accedat nequaquam tales passiones in appetitu sensitiuo, vt fugiat, vel prosequatur, valebunt excitari; nam cognitio intellectiua vt sic, sine sensatione actuali appetitum rationalem tantùm immutabit, ita vt ibidem sistat: at verò vt corpus immutet, aliqua sensatio, necesse est, vt mediet, ac per consequẽs vltima humorum motatio, aut corporis transmutatio in dicto sensu appetitiuo elucescet.

118. Quibus sic iactis verior sit assertio, quod dolor pro formali non est ipsa sensatio tristis, sed solum pro materiali, & fun tamento: nam sensatio tristis duo satis diuersa dicit, primò etenim est actio sentiendi, secundò est tristis, quare quoddam est aggregatum ex tristitia & sensatione simul, quæ quia coniunctim fiunt, & ad præsentiam vnius objecti iudicantur, quasi ab vna, & eadem potentia oriantur, quod ita non contingit, quoniam sensatio à potentia cognoscitiua dimanat, tristitia verò & dolor ab appetente: objectum quidem tres diuersas rationes fundat, quibus tres facultates, duas cognoscitiuas, & tertiam motiuam respicit, nam sub ratione tangibilis, & sensibilis respicit facultatem tactiuam, sub ratione disconvenientis cogitatiuam, seu æstimatiuam: nam ista facultas, siue potentia species insensatas ex sensatis efficit, & tertio cum auertere & renuere dolorem oporteat, constructus est appetitus (ex propria conditione motiuus) cui displiceat fugamque eliciat, in qua apud acutiora ingenia formalis natura, & ratio doloris collocatur.

119. Probatur igitur huiusmodi conclusio: Primo ex Arist. 1. *de anima, cap. 7.* vbi sic fatur: *atque voluptate affici, aut dolore est operari ipsa medietate sensus ad bonum, aut malum, vt talia sunt, & fuga, & appetitus.* Ex quibus verbis patet, quid sit iucunda, molestáque actio, circa quid versetur, & cuius facultatis sit propria, ait quidem voluptatem, aut dolorem, atque versari circa bonum, aut malum, ea ratione qua talia sunt ad appetitum sensitiuum pertinere, quem medietatem, seu mediocritatem appellat, quia vtrumque tam suaue, quàm insuaue suscipit, siue quia ex se est quasi medium aptum non magis ad voluptatem, quàm ad molestiam recipiendam, deinde fugam, & appetitum in actu monstrat, idest actum fugiendi, & actum prosequendi objectum, idem esse, ac dolor & voluptas sunt: ergo voluptas & dolor ad appetitum sensitiuum ex Arist. pertinent.

120. Probatur præterea ratione: si voluptas, & dolor non essent actiones appetitus sensitiui, sed solùm sensus tactus, non esset necessarius particularis appetitus alicuius facultatis in animalibus ad fugiendum obnoxium, & prosequendum bonum: atqui natura illa vt incursus externos fugerent, quadam facultate muniuit, mediâ quâ auersionem, & fugam parerent: ergo vel est necessarius talis appetitus sensitiuus ad hoc munus adimplendum, aut ipsa potentia sensifica externa sufficit.

Vlteriùs roboratur: Hipp. enim 2. *Aphor. sentent.* 6. inquit, *quicumque dolentes dolorem omnino non sentiunt, his mens ægrotat. Dolentes appellat eos*, ait Gal. *in Commentar. qui aliqua in parte offensi sunt ita vehementer, vt nisi delirio premerentur; dolerent.* Vbi Cornelius Celsus potiùs causam doloris intelligit, asserens, *quibus causa doloris, neque sensus eius adest, his mens laborat*: ergo quibuscumque pars aliqua corporis causam habet, quæ dolorem solet inferre, eam verò non apprehendunt, nec discernunt, nec agnoscunt, vt phrenetici, mens ægrotat, aut corrupta, vel alio vehementer occupata, aut extremè languida est nunc sic, si ad dolorem percipiendum, idest ad objectum dolorosum sensandum necessariò requiritur mens: ergo vt ista aliquod exerceat munus, nullum aliud nisi ductu illius appetitiua fugiat: ergo quia etiam est necessaria facultas sensifica appetitiua, quòd in gladiatoribus, qui in certamine vulnerantur, experimur; ij enim doloris causam, vt solutionem media vulneratione continui, quia mens est auersa non sentiunt, eo quod potiùs in offensam inimico inducendam est intenta, vt simul quæ natura interim patitur, aduertere nequeat. Ex quibus infertur, quòd dum Hippocrat. inquit, *mens auersa*, idem est ac dicere facultas cogitatiua, siue ratiocinatrix, vt Galen. *in Commentar.* fatetur: ista enim, dolorificas passiones apprehendit, ac res indicat, & discernit: nam ista sola ex rebus sensatis educit species earum rerum, quæ à sensibus externis non fuerunt sensatæ, vt amicitiæ, vel inimicitiæ, cuius iudicio appetitus sensitiuus mouetur, vt in odium & fugam conjiciatur. Quare cum talis facultas cogitatiua ita sit necessaria, meritò vt appetitum sensitiuum ad fugam vel amplexum moueat, & ducat.

121. Probatur deinde prædicta assertio, nam facultates distinguuntur per actiones, & objecta formalia adęquata, in quæ tendunt, vt Aristot. 2. *de anima, cap.* 4. sed voluptas est actio, siue tendentia circa bonum, & iucundum, veluti dolor circa malum, & molestum: ergo ad facultates ad quas bonum & malum, vel iucundum & molestum pertineant, pariter actiones siue tendentiæ in bonum, malum, iucundum & molestum pertinebunt: ergo si objecta videlicet bonum, & malum, & iucundum, & molestum pertinent ad facultatem appetitiuam, pariter actiones, siue tendentiæ in ista objecta ad facultatem appetitiuam, non verò sensificam externam pertinebunt, ac proinde dolor, & voluptas formaliter actiones appetitus aderunt.

122. Dices tamen quòd bonum & iucundum veluti malum & molestum, vt talia solùm sunt objectum facultatis cogitatiuæ, siue intellectiuæ, non verò facultatis appetitiuæ: nam facultas cogitatiua respicit bonum sub ratione boni, veluti malum sub ratione mali, facultas verò appetitiua neutiquam in has operationes prorumpit, sed tantum fugit, aut amplectitur objectum. Sicque quod ad facultatem istam bonum, & malum neutiquam; sed ad cogitatiuam pertinent. Hæc tamen solutio nullam vim infert; si enim perpendas quod vnum & idem objectum sub diuersa ratione formali ad diuersas facultates pertinere potest, non ita ratio distinctiua adduceretur; nam bonum & malum, etsi ex se, & ex sua natura vnum sit objectum, tamen vt est objectum materiale, sensibile, ac tangibile, vt tale solum ad facultatem sensificam tactus pertinet, vbi terminatur facultatis actio, & formalitas, sub qua ab hac facultate tangitur; at verò idem hoc objectum bonum, vt cognoscibile respicitur à potentia cognoscitiua, quæ discernit illud sub formalitate boni à malo, ita vt sub formalitate boni, & vt tale repræsentet appetitui huiusmodi objectum: quod quidem, non vt tangibile, neque vt cognoscibile,

cognoscibile, sed vt fugibile, vel prosequibile tangitur à potentia appetitiua taliter vt illud dum vt bonum est repræsentatum, appetitus illud prosequatur, & delectetur, & dum vt malum est insinuatum, illud appetitus fugiat, sicque sub diuersa formalitate ad appetitum pertinebit, ita vt voluptas in amplexu, veluti dolor in fuga consistat, vt fateamur dolorem & voluptatem formaliter ad facultatem appetitiuam, potiúsquam ad sensitiuam pertineat.

123. Cùm igitur voluptas sit actio bona, iucunda, & suauis appetitus sensitiui, & contrarium dolor eiusdem appetitus actio mala odiosa, & molesta sit, meritò quo modo voluptas, & dolor fiant, patebit, si animaduertas quò l tactus primò percipit objectum suaue, & iucundum, ea ratione, quâ tactile solùm est: hinc talis objecti species ad cerebrum ascendit, in quo de objecto quocumque sensus externi fit iudicium, tal ter vt ibi decernatur bonum esse, sub qua ratione appetitus sensitiuus suscitatur, prosequitur, admittit, ac iucunditatis fructu gaudet; ex quo infertur quomodo voluptas appetitus sensitiui complacentia sit. Quandò vero tactus objectum molestum, vehemens ad temperiem sensus improportionatum ac organum illius corrumpens percipit, ita vt tactile solum sentiat, illo in casu talis sensatio præter naturam est deprauata, & statim ac species illius sursum in cerebrum conscendit, continuò à potentia cogitatiua, vt malum accusatur, & condemnatur. Vnde appetitus sensitiuus, cui tale objectum, vt malum proponitur, illud declinat, ac consultò dolenter fugit, acerbéque sustinet, in quo actu formaliter dolor cōsistit, qui quidem displicētia appetitus sensitiui erit.

124. Aduersus hanc tamen doctrinam Gal. authoritatibus insurges. *Libro de enim de differētiis symptomatum, text.* 13. inquit, *egregium, præter cæteros sensus in actione sua symptoma possidet dolerē.* Tum etiam *Primo de causis symps.* cap. 6. *voluptate & dolore omnes sensus affici posse* scribit. *Secundo* similiter *de locis affectis*, cap. 2. ait. *Dolor tristis sensus est, sicuti voluptas blandus sensus*, 7. *etiam libro de Hipp. & Platonis decretis. Nullum nos doloris sensum habituros fuisse, nisi in membris aliqua sentiendi facultas inesset.* Hæ tamen authoritates Gal. in vnum coeuntes vnica fere responsione sunt soluendæ, eò quòd licet Galen. dolorem egregium symptoma sensus tactus appellet, nec tristem sensationem esse asseueret, hoc etenim solùm materialiter, non verò formaliter est intelligendum, ita vt ad actionem sensus tactus tristem consurgat dolor, eo quod antecedenter, & causaliter talis actio sensus tactus prærequiratur: Quoniam sensatio ipsius tactus voluptatis, & doloris solùm materialis causa est, actus verò appetitus sensitiui, ipsamet voluptas, ac ipsemet dolor formaliter, veluti enim eclipsis interpositio appellatur, licèt formaliter obtenebratio sit propter talem interpositionem antecedentem prioritate originis, siue causæ, ita voluptas, & dolor est complacentia, vel displicentia, propter antecedentem sensationem iucundam, vel molestam, quæ quia antecedit in sensu tactus, taliter vt sine ea talis actio appetitus non daretur. Propterea sensus tactus molestus efficienter & causatiuè, siue materialiter dolor, veluti iucundus voluptas appellatur, etsi re vera formaliter dolorem non constituat, & ob hanc causam Magister necessitatem antecedentionis sensus tactus ad dolorem prævidens dixit, *quod nisi in membris aliqua sentiendi facultas inesset, nullum nos dolorem sensus habituros fuisse.*

125. Objicies deinde ratione, nam si dolor actio appetitus esset, sequeretur, quòd quotiescumque vellet, dolorem lenire posset, & aliquando abstergere, prorsusque repellere, etiamsi omnia ad dolorem requisita sint posita; atqui hoc experientiæ obstat: nam dolor nobis nolentibus euenit: ergo dolor non est actio appetitus, sequela probatur, nam appetitus sensitiuus est liber: ergo libere valebit operari: ergo licèt detur naturæ corruptio in sensu tactus, ac alia ad dolorem requisita præcedant appetitus sensitiuus cum liberè operetur, poterit, si velit dolori resistere, cum in eius actione consistat; vt tamen huic rationi satisfaciam Resp. nequaquam appetitum dolorem euitare posse; nam etsi sua sponte agat, aliquas tamen actiones ri u naturali procedentes habet: nam præsupposita alia actione, cum tanta sit connexio, ac necessitas, vt vna posita, necessariò alia debet poni, propterea libere non operabitur. Quare ex eò quod appetitus aliquod objectum conueniens velit, statim necessario sequitur, ac determinatè cogitur, vt objectum contrarium disconueniens nolit, ac fugiat veluti quando intensio iam est constituta quoad finem necessariò alia actio circa medium conducens in talem finem ponitur, quæ actiones ex tali suppositione sunt necessariæ: non aliter posita cognitione objecti naturam corrumpentis, necessario dolor ex suppositione, absque eo quòd appetitus velit illum lenire, ponitur; quia iam appetitus non liberè, sed necessariò operabitur.

126. Insurges etiam, nam sensus externi non solùm objecta propria cognoscunt, videlicet quatenus sensibilia sunt, sed etiam quatenùs iucunda, vel molesta vt ex fine naturæ constat; siquidem animalia eis, præcipuè sensu tactus, pollēt, vt à rebus nocentibus, ac interitum inducentibus sese tueri possint. Vt Aristot. 3. *de anima, cap.* 13. sed talis finis, si objecta vt iucunda, vel molesta non cognoscerent, frustraretur: ergo quia non solùm ea vt sensibilia, sed etiam, vt noxia, vel voluptuosa cognoscuntur, aliàs indiscriminatim ad omnia propensa essent. Cui resp. negando maiorem, sensus enim tactus ex se tantùm percipit tactilia, quatenùs talia sunt. Vtrum verò hæc auxilium, vel detrimentum inferre valeant, ad aliam facultatem internam attinet: nam ista sensus propria objecta percipiunt, vt in alia dilatati non possint, & licèt calidum, vel frigidum esse iucundum vel molestum contingat, ratione tamen, quâ calidum, vel frigidum est, tactui subjectatur, qua verò ratione iucundum vel molestum cognitioni cedit, sicque ad superiorem facultatem attinet. Quare cum nulla facultas extra sui objecti limites exeat, proinde amicitia, & odium non sensus externi, sed alterius potentiæ objecta aderunt, vt pulchritudo & deformitas, quæ objecta visus non, sed color qui libet, sunt: ergo ita pariter iucundum, & molestum, quatenus talia sunt, à sensibus neutiquam, sed tantùm objecta illorum propria, & adæquata percipiuntur. Confirmationi de fine, allatæ Respondeo quòd in animali-

bus iam stimatiua, veluti in rationalibus cogitatiua ad vtilia, vel noxia distinguenda vt talis finis adimpleatur, reperiuntur, & hoc, ita est verum, vt adhuc in animalibus imperfectis, vt lacertis, præter sensum tactus imperfecta imaginatio adsit, vt appetitus quidquid corrumpat, fugiat.

127. Vrgebis vlterius, si dolor formaliter in fuga appetitus consisteret, quotiescumque talis fuga daretur, necessario dolor reperiretur: sed aliquando potest dari huiusmodi appetitus fuga absque eo quòd detur dolor: ergo quia in tali fuga dolor formaliter non consistit. Maior, siue sequela, non probatione indiget. Minor verò probatur; nam si sensus internus per sensationem reflexam, absque actuali sensatione externa objecti corrumpentis, repræsentet appetitui sensationem præteritam ex multo tempore sub ratione disconuenientiæ, & molestiæ, sine dubio appetitus fugam aget, ac denuò præteritam sensationem externam, & internam renuet; atqui iste actus, videlicet appetitus fuga sine dolore accidit: ergo quia dolor in tali fuga non consistit. Suppositio nequaquam negari valet: nam sensus communis non solum species materiales sensus externi, in alias intentionales conuersas, quæ actuales sint appetitui repræsentare potest, sed per nouam reflexionem iterum eas receptas & genitas ei proponere solet; ergo in tali casu absente objecto corrumpente, illiúsque à sensu tactus perceptione, per dictam à sensu communi ostensionem appetitus objectum, vt malum propositum fugiet; quæ fuga sine dolore danda est: ergo quia dolor in prædicta fuga non consistit.

128. Hæc tamen ratio, etsi apparenter nostram vexare videatur, multipliciter valet solui: primò enim respondeo, quod suppositio in omnibus non se tenet: nam in casu posito nego sensum communem repræsentare potentiæ appetitiuæ objectum dolorosum, quin præsens sit, sed tantum potentiæ intentionali liberæ, qualis est voluntas, quæ quia libera tale objectum fugere, vel amplecti poterit, sicque aliquando fuga, aliquando non dabitur; de qua quæstio non procedit, sed de appetitus sensitiui fuga ita coacta situ, & subordinatione actionum, vt præsenti objecto molestante, per species materiales, quas in spirituales mens immutat, appetitus necessariò tale objectum corrumpens fugiat. Quo sensibili objecto deficiente, siue lapso, appetitus ad illud fugiendum non excitatur, vt supra constat, vbi protuli, quod licet cognitio intellectualis adsit, si tamen sensus tactus non accedat, nequaquam tales passiones in appetitu sensitiuo vt fugiat, vel prosequatur valebunt excitari, sicque cognitio intellectiua vt sic sine sensatione actuali tantùm appetitum rationalem immutabit, ita vt ibidem sistat; tum etiam quia in casu allato maximum sequeretur inconueniens, nam voluntas intellectualis, cum libera sit, tale objectum fugere, & non fugere posset, deinde alia appetitiua sensifica, si est illuminatum objectum, vt molestum eum fugeret: ergo eodem tempore in illa illuminatione doloris præteriti homo fugeret ratione appetitus, & ratione voluntatis intellectiuæ posset non fugere: ergo duos motus contrarios efficere posset eodem tempore circa eandem reflexionem, & circa species objecti eodem modo illuminatas: hoc non est dicendum: ergo neque talem repræsentationem per reflexionem fieri appetitui sensitiuo, sed tantum intellectuali, qui liberè operatur.

129. Instabis verò, quoniam licet operatio sensus communis, & appetitus sensitiui postulent sensus externi actionem materialiter, non tamen esse actualem requirunt, sed præcessisse sufficit, alias sensus communis, seu Phantasia potentia reflexiua non esset: sed dolor sine sensatione externa actuali nunquam accidit: ergo quia non in operatione vltimata appetitus, sed in antecedenti sensus tactus formaliter consistit. Cui respondeo quod licet sensus communis potentia reflexiua sit, ex hoc tamen non sequitur, dum per reflexionem sine objecto præsenti illuminat, species appetitus mittere, sed solùm voluntati vt dixi intellectuali, ista enim à præcedentibus in organo dispositionibus non pendet, bene verò appetitiua sensualis, quæ subordinata est, vt ad species objecti sensati actualis, non vero præteriti fugiat, vel amplexum efficiat.

130. Vel si malueris admissa in totum prædicta illuminatione ad appetitum sensitiuum objecto corrumpente præterito, respondeo quod nequaquam implicat illo in casu fugam in appetitu sensitiuo dari, quæ etsi non constituat dolorem in concreto, dabitur tamen doloris forma in abstracto absque materia, videlicet sensatione antecedenti in organo. Quare tunc erit verum dicere dolorem non dari, quia concausa materialis illius deficit, sicque deficiente constitutiuo materiali, absolutè dolor non aderit, quamvis Tristitia, & fuga, quæ doloris forma nuncupatur, detur: veluti enim homo per corpus, & animam constituitur, ita dolor per sensationem externam, & fugam appetitus, & quemadmodum anima à corpore separata absolutè homo appellari non valet, sed tantùm forma hominis in abstracto, ita pariter de dolore sentiendum expedit, vbi existente appetitus fuga per reflexionem à sensu communi, nequaquam dolor in concreto dabitur; quia deficit comprincipium, vt sensatio externa, bene verò doloris forma in abstracto, vt fateamur dolorem integrè, & perfectè in vtraque entitate consistere.

131. Objicies tandem in nostram assertionem, nam ex Gal. doctrina dolor est symptoma: ergo quid erit prætet naturam: sed actio appetitus, vt fuga est naturalis: ergo dolor nequaquam in appetitus fuga consistit. Minor probatur: Nam appetitum fugere & renuere quidquid molestum sit, naturalissimum appetitui est: ergo quia talis actio est naturalis, appetitus enim sensitiuus, quantumvis adaucte, & extremè fugiat objectum nimis corrumpens, ita vt magis, & magis illud renuat naturalissimè, ac secundum naturæ exigentiam operatur. nam ex illius actione nulla potentiæ, neque instrumenti corruptio sequitur. Quare semper talis actio appetitus, nempè fuga, naturalis erit: ergo dolor cum quid præter naturam sit, in tali fuga consistere non potest.

132. Cui Respondeo negando minorem, fugam inquam appetitus absolute prolatam naturalem esse. Sicque Respondeo distinguendo: fuga est naturalis ex parte potentiæ, quia ista semper procliuis est ad malum fugiendū & bonum amplectendum, concedo,

concedo; ex parte verò modi tendendi, tum adauctè, tum etiam subitò, vt aliquando appetitus operatur, nego; sicque si adauctè, extremè, & subitò fugiat, illo in casu tantùm abest talem actionem in modo operandi esse naturalem, quin imò maximam naturæ noxam inferat, quoniam immodica, vehemén sque voluptas, siue gaudium, veluti immodica tristitia, non solùm animi deliquium, verum etiam syncopem, & mortem solet inducere, vt supra cum Galen. *cap. 5. huius libri* exposui. Vbi inquit: *Tristitia verò, & anxietas, & ira, & cura eo genere sunt noxia, quo frequentes vigiliæ, quoniam vires resoluant.* Ergo tristitia, fugaque appetitus si modum excesserint, ac subitò fiant, non solùm actiones naturales non erunt, verùm valdè noxiæ mortémque inferre valent: quomodo autem tristitia, & fuga appetitus actio subitò facta & adaucta esse possit, in promptu ratio nos pulsat, nam prædictæ potentiæ sensus duntaxat externus tactus sensus communis, & appetitus sensitiuus ita ordinem seruant, vt ad pensum alterationis obiecti corrumpentis sensus externus secundùm vehementiam corruptionis talis obiecti, & quod admodum subitò, vel paulatim operantis, has species confertim, extreméque mittit ad sensum communem, qui easdem species, quoad excessiuum, ac subitò receptas ad appetitus confertim dirigit, qui simul cogitur confertim, & adaucto modo tale obiectum fugere, ex qua fuga subitò, & adaucto modo facta, spiritus, & humores talis appetitus impetuosè mouet, vt vehemens feruor, æstuatio, & resolutio illorum syncopem, & aliquando mortem inducat. Quemadmodum in vehementi gaudio appetitus spiritus immodicè ad corporis circumferentiam excitans hos dissipari, resolui, corpúsque ita infrigidari efficit, vt vita exhaletur. En quomodo appetitus fuga licèt ratione potentiæ, non tamen quoad modum est naturalis, cum licèt huiusmodi passiones primo à corpore nascantur, tandem animam attingunt, veluti aliæ, quæ ab anima oriuntur, & secundariò corpus mouere possunt, vt *eodem cap. citato* Gal. & S. Thomas *in annotationibus* exponunt: quare manifestè infertur ex vehementi tristitia, fugaque appetitus instrumenta spiritus duntaxat corporis corrumpi.

133. Ex satis manifestis verbis Magistri in hæc verba prorumpentis; *illud etiam memoria repetamus, ne alterationem quidem ipsam sensim irrepentem dolorem afferre animali posse: sed quæ dolore animal afficiet, eam mutationem tum confertim factam, tum verò violentam esse debere.* Dubium non contemnendum occurrit an prædicta conditio subitò, & affatim ad omnem dolorem exhibendum, sit necessaria? Iuxta quod dubium plurimi hanc conditionem, vt non necessariam renuunt: nam celeritas, & tarditas potiùs sunt proprietates motus, quàm doloris: ergo quia nequaquam sunt ad doloris necessariæ, cum multoties doleamus sine vlla vehementia, aut subita celeritate: quare quando celeritas & vehementia causæ corrumpentis adsit, dolores magnos, & vehementes, non verò paruos, longęvos & tardos efficiet: ergo licet ad aliquos vt magnos, non verò ad omnes vt paruos talis conditio expostulatur.

134. Præterea, quia ex hoc sequeretur, quod omnes morbi, & omnia symptomata, vtpote disconuenientia, cognita, & subitò, confertimque facta naturam doloris obtinerent: sed hoc experientiæ aduersatur: ergo nequaquam est fatendum ad doloris naturam subitum motum, & celerem causæ corrumpentis requiri. Sequela legitimè patet. Minor probatur: nam si quis repente magna, siue vt philosophicè loquar, valde intensa febre corripiatur, non ex hoc sequitur dolorem pati: ergo quia vehemens, & subitò irruentia morbi non necessariò dolorem constituit. Quare hoc verbum, *subitò siue affatim*, à Gal. in Textu prolatum, intelligendum est pro eo, quod nouiter accidit, à magno aut paruo obiecto abstrahendo. Sicque motus subitus, nihil est aliud, quàm id quod nouiter accidit, ideoque fit dolor, quia noua sensatio euenit.

135. Hæc tamen intelligendi Magistrum ratio sustineri non valet, & non exiguam contradictionem inuoluit: nam si hoc esset verum, dum quis de statu præter naturam ad naturalem redditur, etsi paulatim illa mutatio fiat, non voluptas sed dolor inducetur, cum nouiter talis mutatio accidat. Dices, disparem esse rationem, nam talis motus, cum ad naturalem sit statum, si paulatim fiat, obtinebit conditionem sufficientem ad voluptatem, vt est nouiter immutari, ac simul esse in habitum naturalem conuersum.

136. Rectè quidem: ergo quando talis mutatio est in talem statum naturalem si non solùm nouiter, sed vehementer, ac celeriter fit, non voluptatem, sed dolorem efficiet: atqui talis actio dolorifica non sumitur ex absoluta nouitate status, sed ex modo nouitatis, quia vehementer, & celeriter immutatur: ergo quia ratio distinctiua propter quam aliquando voluptas, quandoque dolor in hoc casu euenit, sumitur non præcisè ex mutatione (quia noua) sed, quia vehementi, ac celeriter contingit. Confirmatur ex adducto exemplo Magistri in Textu: si enim quis manum vehementer frigidam non sensim, sed semel calefacere intendat, dolore circa vnguium radices vehementi cruciabitur, atqui iste de intemperie frigida in calorem à parte desideratum, ac naturalem mutatur, & licet talis mutatio quoad terminum naturalis sit, quoad modum tamen, quia non solùm nouiter, sed vehementer accidit, non voluptatem, sed ingentissimum dolorem progignit. Ergo quia ratio efficacissima conditionalis sine qua non ad dolorem ex subita & celeriter mutatione facta sumitur, cum experiamur ex eodem exemplo allato, quod si non vehementer talis transitus de frigido in calidum, sed paulatim fiat, econtra non dolor, sed voluptas eueniat: quare maximè diuersum esse voluptatem, ac dolorem progigni est fatendum: nam ad voluptatem nequaquam obiectum ita vehementer sensum tactus afficere debet, imò quia non cum natura partis illa alteratio, neque sensatio proportionem seruet, solùm propter tendendi modum corrumpet: benè verò ad dolorem, nam cum tota doloris constitutio in entitate morbosa consistat, meritò tunc alteratio vehementer irruens, actionem sensus tactus vehementem adauctámque vt fiat dolor, excitabit, quæ si exigua sit, à natura quamvis morbosa parui fiet, aliàs in qualibet alteratione siue caloris, aut frigiditatis, cùm nouiter

accidat, dolorem progignere posset, eo quod iam esset quid malum coniunctum, cognitum, quia priùs sensatum quod est falsissimum, vt in febre diaria experimur, vbi etsi calore præter naturam corporis partes nouiter immutentur, nequaquam illius ratione dolore afficiuntur.

137. Vt tamen rationes superius allatæ dilutæ maneant, notandum expedit, quòd in doloris generatione violentia causarum, & mutationis magnitudo maximam latitudinem, & diuisionem penes gradum pro doloris natura, & varietate habent. debitum enim est, vt in paruo dolore minor celeritas, & mutatio, quàm in magno reperiatur; in quolibet tamen dolore violentia proportionata cum magnitudine mutationis requiritur, quare licèt parui dolores, & longævi adsint, ex hoc non infertur, talem operandi celeritatem, & vehementiam, licèt minorem quàm in magnis doloribus non esse valdè necessariam. Neque ex hoc colligas proinde omnes morbos magnos vt febres dolores esse debere, si enim reliqua ad dolorem requisita deficiant, quamvis morbus magnus sit, nō indè naturam doloris cōstituet: nam quamvis phrenitis morbus magnus adsit, deficiente tamen facultate cognoscitiua, quia mens ægrotat, non aderit dolor, in paralysi similiter cum influxus animalis illustratiuus feriatus sit, non solùm affectus incapax doloris erit, imò totaliter pars sensu priuata manebit. Quare non ex eo, quod morbus sit magnus, dolorem debere esse, colligendum est. Neque ratio de febribus magnis concludit, in eis etenim respondere possum, iam dolores exhibere posse, cum ferè semper lassitudines vel phlegmonosæ, tensiuæ, aut vlcerosæ adsint, quæ ab Hipp. pro laboribus, aut doloribus assumuntur. Sic Arist. frequenter corporis laborem dolorem dicere consueuit, vt 7. *de historia animalium*, *cap.* 4. *&* 9. dolorem, quem mulieres in pariendo patiuntur, laborem appellat. Quare Hipp. 7. *Aphor. libri* 1. laboris nomen pro dolore intelligit, sic asserens: *cum morbus peracutus est, statim extremos habet dolores*, ac si dicat labores, tum etiam 4. *Aphor. sentent.* 23. dum ait: *quibuscumque resurgentibus ex morbis, si quid laborauerit, ijs fiunt abscessus.* Et Gal. *in comm.* siquidem labor, & vehementem significat motum, & dolorem & læsionem. Quapropter cùm lassitudines pro doloribus, & laboribus percipi valeant, cum illæ in febribus magnis inueniantur, meritò in illis dolores adesse fatendum est. Ij tamen dolores quamvis febris vehemens sit, non magni & vehementes, sed minores excitantur, cuius est ratio, quia calor febrilis, cùm non in vnica tantùm parte, sed per vniuersa corporis membra sparsus sit, proindè non vnitam, ac vehementem alterationem, sed debiliorem exhibebit; tum etiam, quia cum natura, siue facultas cognoscitiua non sit ad vnicam mutationem dolorificam, sed plures intenta, propterea à diuersis partibus afflictis contracta, atque sparsa, quasi ab vna ad alias, vt cognoscat, erit auersa, sicque non ita acutè, & perfectè objecta corrumpentia discernere valebit, eo quia diuisa est virtus, quæ semper fortior dum vnita seipsâ diuisâ. Vndè semper prædicti dolores in febribus, etsi vehementibus, non vehementes, sed minores adsunt. Nec si dixeris, valet, quòd celeritas & tarditas potius sunt motus, quàm doloris proprietates, nam licèt propriè motui conueniant, non tamen implicat, transcendere ad causam, quæ mouetur celeriter, vel tardè: nam cùm motus alicuius sit motus, quia ad mobile dicit relationem, proinde causæ dolorificæ, & corrumpenti accidit, celeriter, vel tardè moueri. Vnde si objectum celeriter, ac subitò mouetur corrumpendo, etiam corruptio partis, ac illius sensatio, celeriter fiet, vt propriè ad doloris naturam constituendam subitam ac celerem mutationem requiri asseueremus.

138. Nostram doctrinam ipse Magister etiam 1. *de sympt. causis, cap.* 6. firmat, inquiens, *celeritatem simul & magnitudinem mutationis necessariam esse*, & vt clarius notescat, notandum est, quòd violentia causarum non solùm ad intemperiem, & solutionem continui, sed etiam ad objecta sensibilia, quæ causæ morbificæ sunt, valet referri, diuersimodè tamen: nam quæ distendunt, vulnerant, erodontque, violenter agere possunt, aliquando verò sensim partes viuentes exasperare valent, ac in eis atrocissimos dolores, magnamque immutationem excitare. Quare celeritas magis propriè, ac immediatè causis nostris dolorificis, ac immediatè corrumpentibus, quàm causis morbificis solutionem producentibus conuenit.

139. Quibus non obstantibus insurges quoniam si quis leuiter, & paulatim digitum pungat, dolor sine magna mutatione orietur: ergo quia ad dolorem magnam & celerem mutationem dari non est opus. Hæc argutiæ ex notatis liquet, nam objectum sensibile pungens paulatim valet agere, solutio tamen continui, & intemperies in organum tactus non paulatim, sed celeriter agunt: nam etsi ex parte scindentis motus paulatinus dicatur, ex parte tamen organi, quod ægrè solutionem sustinet celerrima corruptio, & adaucta sensatur. Vlterius instabis, nam nulli darentur motus continui, si causarum violentia esset necessaria, quia nullum violentum est perpetuum. Cui respondeo quòd continuitas doloris continuam & violentam actionem causarum significat, quoniam diuturni dolores pertinaciam causarum testantur, neque ideò neganda violentia, ex eo quod non nisi ad diffinitum, terminatumque tempus permaneant. Nec si serræ exemplum afferas, conuincit, eo quod si serra, vel rudius quoddam corpus partes vlceratas sensim confricando molestent, dolor sine celeritate, ac violentia orietur. Hæc quidem ratio ex suppositis dissoluitur, quoniam licèt serra sensim agat, morbi tamen in parte sensibili violenter organi sensorij naturam irritant, doloresque inferunt. In tali etenim natura partis à solutionis vi corrupta celeritas sensationis agitur.

Percelebris circa Textum Disputatio de immediatis doloris causis.

140. Cum Gal. in Textu asserat. *Nunc autem confessum hoc principium sumentes, necesse esse, vt affectus, qui dolorem excitet, vel diuisio sit, vel alteratio.* Maxima cum ratione in medium proponendum occurrit, an huiuscemodi prædictæ causæ dolorem immediatè inferant. Tot tamque

Authorum

Autorum opiniones in hoc difficultatis oceano luctantes offeruntur, vt longum sermonem decernendum proclament. Alij enim intemperiem solam, alij solutionem tantum continui, alij vtramque simul & coniunctim, alij disiunctim. Alij intemperiem cum solutione, quam solùm connotando vt conditionem sine qua non postulet. Alij tandem sensibilem cognitionem, aut perceptionem rei inferentis dolorem esse proximam, immediatámque doloris causam tuentur. Breuiter tamen vnamquamque perpendens selectiorem, veriorémque, subtilioribus rationibus proponam, ac fulcitam constituam, quæ inter omnes solidior splendescit, si asseramus duas esse in vniuersum immediatas doloris causas, tam coniunctim, quàm diuisim repertas, solutionem nimirùm continui, & aliquam intemperiem. Autoritatibus equidem, & rationibus clipeata manebit. Hipp. enim *lib. de locis in homine* manifestè sic alloquens ostendit: *his, quibus mutatur, ac corrumpitur, natura dolores fiunt.* Quare verbum *mutatur*, pro intemperie, veluti verbum, *corrumpitur*, pro solutione continui intellexit Plato similiter in Philebo ait: *Armonia soluta in animantibus vnà natura solutionem, generationémque dolorum eo tempore fieri dico.* Magister etiam Gal. *in præsenti cap.* adaperto veluti *cap. 8. artis parua, lib. de artis constitutione, cap. 8. lib. de inæquali intemperie, cap. 8. lib. 4. de locis affectis, comment. 1. in primum epidem. comm. 2. lib. de ratione victus in morbis acutis, cap. 3.* Hipp. *lib. de locis in homine.* Aristot. *lib. 6. Topicorum, cap. 3.* Tum etiam Gal. 1. *de sympt. causis, cap. 6.* Omnes quidem solutionem continui, ac intemperiem, vt doloris causas amplectuntur. Et manifestis Gal. verbis probatur, qui *lib. artis medicinalis, cap. 88.* sic fatur: *Dolor autem quemcunque obsederit locum, aut continuitati solutionem, aut subitam alterationem ostendit, soluitur autem continuitas incisione, excessione, fractione, extensione. Alteratur vero substantia à caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate.* Ergo ex his duæ causæ, æquè totales totalitate effectus, & causæ totalitate ad dolorem constituendum reperiuntur, itavt sola diuisio per se, solaque intemperies dolorem in sensu tactus efficere possint. Tum etiam Magister 1. *de natura humana, Textu 21.* non solùm dolorem, aut ab intemperie, aut à solutione continui fieri fatetur, verùm remedia diuersa ad vnumquemque dolorem proponit, dicens: dolorem à continui diuisione pendentem vniendo tolli, ab intemperie verò alterando. Ergo ex Galen. vnaquæque istarum sine alia causarum dolorem inducere valet.

141. Nec si dicas, valet, duas æquè adæquatas vnius effectus causas concedere absurdum esse, nisi vni causæ vnus tantùm effectus respondere debeat: hoc quidem verum est, quando causæ non æquiuocæ, nec subordinatæ sunt, neque in aliquo tertio conueniunt. In præsenti tamen doloris causæ & æquivocæ operantur, ac in aliquo tertio conueniunt: nam calor alterans non sub formalitate caloris, nec solutio continui præcisè vt talis, sed provt tam calor, quàm solutio in corrumpendo naturam sensus tactus conueniunt, dolorem exhibent, sicque iam in vnico tertio, videlicet in corruptione, ac molestia, quam gignunt, conueniunt, vt has duas doloris causas tam coniunctas, quàm diuisas dolorem suscitare posse asseneremus.

142. Probatur igitur iam ratione huiusmodi assertio, primóque quoad intemperiem ostenditur: nam intemperies solum cum debitis conditionibus, nulla continui solutione existente, potest esse objectum malum, coniunctum, sensatum, siue cognitum, & subitò factum. Ergo erit sufficiens doloris causa. Antecedens probatur primò, quod sit objectum non est dubitandum, cum qualitates primæ apud omnes objectum sensus tactus adsint; deinde quod sit malum claret, cum sit intemperies, ac proindè morbus, coniunctum patet cum parti viuenti inhæreat, sensatum etiam, siue cognitum, cum alterationem corruptiuam efficiat, alias mens esset auersa, vt in phreneticis, qui non dolent, ex defectu cognitionis, patet. Tandem subitò factum, cum possit celeriter & subitò natura partis à calore immodico corrumpi. Ergo sola intemperies potest esse objectum malum, coniunctum, cognitum, & subitò factum: sed hæc omnia sunt requisita adæquata ad dolorem exhibendum. Ergo cum ista à sola intemperie oriri valeant, sola intemperies dolorem progignere valebit. Conditiones equidem sunt, vt sit inæqualis, & fiens: nam facta, æqualis aut habitualis, vt hectica dolorem non efficiet, quia non sentitur, quasi naturalis esset, ac proindè natura eam parvi facit.

143. Dices tamen, quod licèt intemperies sit quid malum, coniunctum, cognitum, &c. Quia verò media caloris aut frigiditatis irruentia necessariò natura partis intemperatæ diuiditur, aut soluitur: proinde etsi intemperies doloris sit causa, sine verò solutione tanquam conditione sine qua non, dolor non inducetur, quia præcisè vi illarum qualitatum subitò & vehementer corrumpentium partes separantur: calor enim media rarefactione, veluti frigiditas media densitate eas soluit, proprium caloris rarefacere, quemadmodum frigiditatis cogere, ac densare est, quapropter nunquam sine continui solutione, etsi non ab ea, sed ab intemperie dolor causari valebit.

144. Sed contra hanc responsionem sic insurgo. Est impossibile, quod neque calor rarefaciat, nec frigiditas denset, quin calor priùs sit extra causas, & à parte rei existat: nam priùs est esse, deinde operari, cum esse sit propter operari. Ergo in aliquo instanti reali debet priùs existere antequam partem rarefaciat, & soluat continuum: atqui dum introducitur per veram inhæsionem in parte viuente talis calor, iam natura tactus alteratur: Ergo ante talem solutionem sensus tactus corrumpitur, quia alteratur: Ergo sensatur, & cognoscitur. Ergo ante talem solutionem continui, quæ sequitur, vt effectus secundarius calorem existentem in parte, dabitur dolor, cum iste potiùs fiat, dum natura alteratur, quàm dum alterata est.

145. Roboratur vlteriùs nostra opinio ex Auicenna sic *fen 2. 1. can. doctri. 2. cap. 19.* aientes *possunt dolere partes similares sine solutione continui; quia verbi gratia, dentes primò & per se non ratione neruorum, & gingivarum,* apud Gal. *cap. 8. lib. 5. de medicamentorum compositione secundum loca, dolorem patiuntur, sine tamen continui solutione.*

cum

tum dilatari non possint, vt constat ex duritie.

141. Grauis quidem de continui solutione difficultas adest, quod dolorem immediatè valeat exhibere. Probatur tamen: nam ex eo præcisè quod partium vnitas violenter, ac celeriter dissoluatur, natura illarum sensibiliter corrumpitur: ergo talis sensatio corruptionis est tristis: atqui dolor est tristis sensatio: ergo si ista à solutione continui potest oriri, pariter dolor à solutione continui immediatè, & adæquatè pendebit. Ant. probatur: nam ex eo præcisè quod vnitas celeriter soluatur, amittitur status salubris partium continuarum, cùm solutio continui sit morbus communis: ergo absque omni intemperie corrumpitur sensibiliter natura: ergo necessariò datur sensatio non voluptuosa, sed tristis: ista est dolor: ergo necessariò dabitur dolor. Quod autem detur sensibilis corruptio, patet. Cùm solutio continui sit morbus sensibilis: ergo actio corruptiua ab ea pendens sensibilis erit: ergo cognoscibilis: ergo cùm talis dolorosa sensatio à solutione oriatur, ista doloris causa immediata erit: quod confirmatur ex hypothesi valdè possibili: nam licèt scindens temperatissimum sit, vt ait Sancta Crux, etsi fortè placeat, simillimam temperiem carni diuisæ habeat, ac aër ambiens, qui in carnem solutam ingredi valeat, sit omninò temperatus, hoc non obstante amissa connaturali vnitate, necessariò dolor inducetur, atqui illo in casu neque ex parte instrumenti scindentis, neque ex parte aëris ambientis, neque ex parte motus, quia iste potest esse paulatinus absque eo quod calorem inducat, neque respectu partis diuisæ, quæ temperata est, datur aliqua qualitas excedens, & morbosa: ergo tunc nequaquam ab intemperie, sed à sola continui solutione immediatè dolor pendebit.

147. Dices tamen adhuc casu allato intemperiem ad partem contractam esse, quamuis ratione causæ externæ non accidat: nam cùm ad solutionem continui humoris affluxus sequatur, merito iste cum qualitatibus gaudeat, neque à natura partis diuisæ, quia multus, & subitò irruens moderetur. Propterea mediis suis qualitatibus intemperiem parti inferet, vt semper dicamus non solutioni continuitatis talem dolorem, sed potiùs intemperiei immediatè deberi.

148. Sed contra sic insurgo: Nam antequam humor ad partem confluat, necessariò continuitas soluitur, nam ideò fluxio suscitatur, quia continuum soluitur; sed in ipso fieri solutionis iam dolor adest. Ergo ante talem intemperiem dabitur dolor: ergo non ab intemperie, sed à sola continui solutione immediatè potest progigni. Dices, quod tempore, quo soluitur pars, fluxio humoris mouetur, sicque quod semper ab intemperie, non verò à solutione dolor fiet, contra: nam ratio propter quam fluxio suscitatur, est quia natura vi doloris irritata sanguinem & spiritus ad partem mittit: sed tota irritatio nascitur à dolore, alias non flueret humor: ergo iam dolor tanquam quid irritans ad fluxionem præcedit. Vrgentiúsque arguo: nam quamuis eodem instanti reali, quo soluitur continuum, humor confluat, hoc non obstante priùs humor debet in parte soluta recipi antequam in ea calorem, siue intemperiem producat: ergo præcisè eodem tempore, quo fluet nondum introducta est intemperies, cum omne agens priùs approximatione ad passum, & tempore debito ad operandum indigeat: sed sic est quod in illo tunc quo continuitas soluitur, dolor excitatur: ergo cum nondum talis intemperies adsit, non ab illa, sed à sola continui solutione immediatè pendebit. Quare veritati, rationique consonum videtur, tam solutionem continui, quàm intemperiem, coniunctim, siue separatim dolorem posse causare; nam si causa qualibet calida ad tantum calorem perueniat, vt vrat, duplex dolor, alter ab intemperie, alterque à solutione continui excitabitur, & quamuis pars sentiens ferro ignito scindatur, ibi sine dubio duo dolores, quamuis per modum vnius sensationis tristis fiat, reperientur. Neque ex hoc infertas vtramque causam, si coniuncta sit, dolorem posse inferre, vt in exemplo allato, separatam verò nequaquam, quia solutio continui non ratione sui, sed intemperiei ratione sensationem inducit, ac proindè, quod coniuncta talem effectum; necutiquam verò separata constituet. Contra: nam quidquid alicui entitati intrinsecè conuenit, ratione consortij cum alia, vel absentiæ talem actiuitatem intrinsecam non deperdit, licèt impediri valeat: ergo si quando solutio continui coniuncta cum intemperie intrinsecè, & ex sua natura sufficientem virtutem ad dolorem excitandum habet, eandem, quamuis separata sit, obtinebit: coniunctio enim, vel ab alia entitate separatio valdè extrinseca est, vt nihil actiuitatis ei adferat, sicque si solutio continui coniuncta cum intemperie dolorem exhibere potest, non aliter dum separata adest, valebit.

149. Contra primam tamen conclusionis partem, vbi intemperiem solam dolorem efficere posse probatum manet, diuersæ militant rationes, sicque 1. Obijcies, si intemperies dolorem pareret sine solutione continui, vbi vehemens esset calor, vt in febribus ardentibus ibi dolor excitaretur; atqui hoc non accidit, quia ab ista intemperie vnitas partium non soluitur: ergo intemperies sine solutione dolorem inferre non potest. Hæc argutia satis suprà, dum in febribus magnis dolores, labores, ac lassitudines adesse prædixi, soluta manet. Objicies 2. qualitates dolorem non excitant, nisi continuum soluendo, vt ignis dum partium continuitatem euertit, frigus verò dum digiti tensi, & tumidi apparent: ergo solùm ratione solutionis, non verò intemperiei dolor euenit. Cui respondeo negando antecedens, & exemplo de igne affecto simul ibi intemperiem, & continui solutionem adesse, quæ coniunctim cùm sint, vnaquæque dolorem peculiarem sibi debitum exhibebit, itavt licèt coniunctæ non essent, ab illarum qualibet dolor excitaretur. Obiicies 3. Causa dolorifica confertim, ac subitò debet agere: sed sic est quod intemperies sensim fit, cum ab alteratione, ac motu pendeat: ergo ab intemperie sola implicat dolor nasci. Respondeo, negando minorem, nam licèt intemperies à motu, & alteratione pendeat, istam celeriter ab agente calefacienti fieri non implicat, cum calor celeriter, ac vehementer à sua causa vehementer operanti, possit produci. Sicque solutio continui etsi aliquando sequatur, non tamen semper est necessaria. Neque sufficit dicere

cere cum Hipp. *lib. de natura humanâ*, quod si homo vnum, non doleret: ergo quia solutio illius vnitatis doloris causa non erit Hipp. enim verbum *vnum* solùm refert ad vnum tantum elementum, non verò ad partium vnitatem, imò ex prædicto loco cum potiùs agat de vnico elemento, contrarium est inferendum: nam si homo esset vnum elementum, vnæ tamen essent qualitates: ergo non daretur alteratio, quia non datur contrarietas qualitatũ: ergo non daretur dolor, quia non afficeretur intẽperie: ergo quia intẽperies doloris est causa, ex argumento colligitur.

150. Senties verò cum Argenterio sensibilem cognitionem, aut perceptionem rei dolorem inferentis, esse proximam & immediatam doloris causam, istam tamen primo, & per se à solutione continui, ab intemperie verò quatenus vnitatem partium corrumpit, oriri asseuerabis. Quod sic ostenditur, quoniam causa immediata doloris illa debet esse, sine qua dolor fieri non potest; atqui sine sensu dolor fieri non potest: ergo prædicta sensatio doloris est causa. Probatur. 2. dolor est molestia rei, quæ percipitur natura ab his, quæ continuum soluunt: ergo perceptio rei molestantis erit causa doloris: ac proinde neque intemperies, nec solutio continui. Hæ quidem rationes potiùs hanc perceptionem sensibilem dispositionem, quæ præcedit iudicium, quàm doloris causam, esse probant. Tria etenim ad dolorem concurrunt, primò quod agit, obiectum videlicet, vel causa morbifica; secundò quod patitur, pars nimirùm sensibilis; tertiò quod de passione iam iudicat, anima duntaxat: Vnde perceptio, cum sit passio, causa effectiua doloris nequit esse, eo quod est conditio subsequens impressionem doloris, & quæ iudicium antecedit. Quare primæ, ac secundæ rationi respondeo sensum ad doloris generationem dispositiue, nequaquam tamen doloris causam efficientem esse: nam cum doloris causa effectiua debeat esse, & contra naturam irruens, sensus vero, & perceptio passionem indicent, propterea causam doloris esse implicabit.

151. Doctissimus quidem Laporta Ranchini præceptor meritissimus; intemperiem, & solutionem continui non esse causam doloris, sed tantùm conditiones necessarias existimat: Causam verò vnicam & proximam doloris efficientem, & conseruantem obiectum sensibile esse declarat; quod hac ratione probat. Nihil aliud potest dolorem inferre, quam illud, quod sit patibilis qualitas agens in sensum tactus: atqui obiectum sensibile nihil est aliud, quam patibilis qualitas in sensum tactus agens: ergo illud erit doloris causa. Cui respondeo negando maiorem, nam tale obiectum solum rationem causæ morbificæ, quæ morbum producit, habet, non verò rationem causæ, quæ immediatè dolorem infert: nam ista debet esse morbus, à quo dolor, tanquam symptoma pendet. Vnde semper ab intemperie, vel à solutione continui tam coniunctim, quam diuisim dolor ortum ducere potest.

152. Neque asseras, quod inter obiectum, & sensationem necessariò aliqua species debet intercedere: nam sentire est suscipere speciem sine materia: ergo intemperies ac solutio continui nequaquam per se, sed per species dolorem immediatè progignere valent. Cui respondeo quod in præsenti non loquimur de dolore pro formali ad cuius constitutionem prærequiruntur species vt fiat à mente iudicium, sed pro physico & materiali antecedenti, vbi absque omni consideratione specierum ad alias potentias per proprium corruptiuum sensus tactus obiectum sensatio molesta inducitur ad quam immediatè, tam intemperies, quam solutio continui possunt operari.

153. Peculiariter tamen in secundam conclusionis partem quæ solutionem continui doloris esse causam asseuerat, insurges: nam vnio non est causa voluptatis: ergo neque solutio continui causa doloris: atqui contrariorum eadam lex currit: ergo si voluptas & dolor contrariantur, contrarias causas obtinere debent. Cui possem respondere vnionem iam speciem voluptatis efficere, quatenus enim sanitas in vnione consistit, cum totum esse entis sit esse vnum; at verò rigorosè loquendo de actione voluptuosa sensibili, ad quam obiectum nouum, blandum, & prosequibile de nouo eueniens, concurrat, est dicendum, quod vnio quæ iam est facta, acquisita, & veluti habitualis parti viuenti ista non est causa voluptatis; illa verò quæ de nouo acquiritur, & media nouitate naturæ accidit, quia natura transit de soluta vnitate in vnionem de nouo aduenientem, iam talis vnio, quia de nouo, & obiectum voluptuosum, ac naturale fit, voluptatem inducit. Quare veluti solutio facta vnioni factæ, & veluti solutio in fieri vnioni in fieri opponitur, ita pariter quemadmodum solutio facta dolorem non infert, benè tamen solutio in fieri; non aliter solutio in fieri dolorem, quemadmodum vnitas in fieri voluptatem exhibebit.

Obijcies præterea: nam solutio continui est quantitas discreta: ergo nullam actiuitatem habet, sed causa doloris debet esse actiua: ergo solutio continui non valet dolorem causare, cum nullam actiuitatem habeat. Respondeo solutionem continui necessariò esse morbum: sicque actiuitatem obtinere, propterea q; soluit continuum, & quàvis quantitatem discretam connotet, ipsa tamen nõ est quantitas discreta, sed affectus positiuus actionem lædens, sensationem videlicet molestam inducens.

154. Neque Valesij acities, vt rectè Santacruz ostendit, insequenda est: nam intemperiem solam dolorem causare, solutionem verò continui etsi necessariam esse, vt consequentem ad intemperiem, nullum in effectum influxum dolorificum obtinere, dicere valde rationi est dissonũ, eo quod cum solutio continui, vt omnes fatentur, sit morbus necessariò effectum videlicet actionem læsam producere debet: ergo licet ad intemperiẽ aliquando subsequatur, non otiosa talis continui solutio, sed actiua erit: ergo dolorem additũ ad eum, qui ab intemperie pendet, progignet. Sicque aut primum augebit, aut dolorem de nouo causabit, quamvis ad intemperiem sequatur, quoniam licet solutio cõtinui cum intemperie coniungatur, non tamen ideò sua actione, & actiuitate priuabitur, alias illo in casu non esset morbus sensibiliter actiones lædens; sed sic est, quod implicat vnicum morbum, licet cum alio complicetur suo influxu; & actione priuari: ergo non aliter quamvis solutio continui cum intemperie coniungatur suo influxu, actioneque læsiua non destituetur: ergo quia semper ex se dolorem exhibere valet.

155. Vehementiorem quidem vim rationes, quas Auerroës adducit contra continui solutionem, habent, quarum prima est, quia sensibile commune sensum immutare non valet, nisi ratione speciei sensibilis proprij: sed solutio continui est solum sensibile commune sensus tactus: ergo solutio continui non ratione sui, sed ratione intemperiei valebit causare: secunda verò est, quemadmodum se habet visus ad visibilia, ita se habet tactus ad tangibilia: atqui visus nihil omninò potest videre nisi imbutum fuerit colore: ergo neque tactus nihil tangere valebit, nisi similitudine, & specie qualitatis tangibilis. Maior & minor sunt legitimæ, consequentia probatur: tota ratio propterquam visus nihil valet videre, nisi fuerit imbutum colore, est quia color est objectum proprium. Reliqua verò objectum commune visus: sed sic est, quod sola qualitas tangibilis est obiectum proprium sensus tactus; solutio verò continui est obiectum commune: ergo sola qualitas tangibilis sensabitur à tactu, non verò solutio continui: ergo ista dolorem inferre non valebit, sed sola intemperies.

156. Has quidem rationes Lemosius detruncare conatur, improbè tamen, & maximo ab eo errore commisso, cùm ex responsione, vera, solidaque omnium Medicorum, ac Philosophorum fundamenta corruunt. Inquit enim minorem primæ rationis esse falsam videlicet dolorem esse obiectum commune sensus tactus. En à Lemosio manifestum, & insolenter transitum esse, in respondendo: nam quando Averroës alloquitur de solutione continui, eam esse obiectum commune asserebant. Respondet Lemosius de dolore, istum non commune, sed proprium esse pronuntians, quasi idem esset solutio continui, ac dolor. Quare disputatio de ista procedit, vtrum sit commune obiectum, & responsio est de dolore, qui potiùs est illius effectus: præterea quia solutio continui habet vicem morbi, dolor verò vicem symptomatis: ac proinde dolor non obiectum, sed symptoma tactus est, sicque vt supra manet ostensum, potiùs est sensatio tristis, quàm obiectum tactus. Quare maximum commisit Lemosius errorem, cum solutionem continui cum dolore identificarit, eo quod minor syllogismi procedat de solutione cõtinui, & Lemosius de dolore sermonem instituat. Nec secunda ratio à Lemosio diluitur, cum potiùs visum debere percipere obiecta imbuta aliquo colore asserat, hoc tantùm ad voluptatem, non verò ad dolorem requiri: quasi ad voluptatem, & dolorem eædem physicæ, & materiales, quàm internæ, & immateriales non exigantur.

157. Deinde sententiam Hipp. *secundi Aph. 6.* vbi ait. *Quicumque dolentes parte aliqua Corporis, omninò dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.* Lemosius non calluit, nam si dolentes idem est ac si dixisset, quicunque laborantes parte aliqua corporis, vel si mauis quicunque habentes causam doloris, siue obiectum dolorificum, vt intemperiem, vel continui solutionem in aliqua corporis parte, & talem laborem, vel obiectum dolorificum, vel doloris causam, vt dictam intemperiem, siue continui solutionem non sentiat, iis mens ægrotat: quare verbum *dolorem* potiùs pro doloris causa est intelligendum vt dolorem non esse obiectum tactus, sed actionẽ illius iudicemus.

158. Perpendens acutiem, qua fundamenta Averroës nituntur, doctissimus Santa-cruz aliter respondet fatendo nimirùm quod, quia solutio continui, cum motus vt sic sit, dolorem efficere non possit, nisi aliquid causatiuum doloris intercedat, non vt conditio, sed vt aliquid se tenens ex parte principij effectiui, quod sit proximum, & immediatum sensus tactus obiectum: nam vt sensus tactus sentiat, immutatione reali, & intentionali indiget, sicque vt quis calorem sentiat, physicè aliquem caloris gradum in medio interno sensorij organi debet recipere, vt inde à prædicto calore producatur species intentionalis, quæ potentiam in organo residentem actuet, vt tandem actio eliciatur. Quare concedit facultatem sensificam non sentire, nisi aliqua species in potentia tactili producta sit, quæ species dolorosa nuncupatur, sicque, cum ista species, siue qualitas dolorosa immediatè attingat potentiam, proinde tristis sensatio producetur, & cum ex illo motu diuisiuo per se prædicta qualitas emanare non possit, propterea talis motus, siue solutio continui non immediata causa doloris per se dicetur, nisi intercedat huiusmodi species, aut qualitas, quæ potiùs ex inconuenienti, ac molestanti sensibili proprio ibi reperto emanare potest, quale autem hoc à quo talis qualitas pullulat, sit, Santa-cruz ait esse illud, quod realiter tangit, aut immutat præter naturam medium internum tactus, taliter, vt cum partes diuisæ mutent superficiem, deperdita vnitate connaturali, necessariò dolore afficiantur. Nam huiusceemodi partes ante diuisionem vnica & indiuidua dispositione erant seruatæ virtualiter ab anima, postea verò si aliquid, quod simultaneam coniunctionem impediat, accedat, vnaquæque pars diuisa de facto via corruptionis patietur, quatenus modum, quo ab anima vitaliter gubernatur, amisit, qui modus erat vnio siue alia noua, aut interueniente superficie. Quare deperdito primo modo, alioque nouo essendi modo præter naturam aduenienti, necessariò tactus immutabitur, quin partes sentientes à diuerso sensibili omninò alieno tanguntur: sicque per speciem productam dolorosam, siue disconuenientem tristis sensatio fiet: quia igitur partes diuisæ sentientes ad amissionem suæ vnitatis tristantur, quoniam sequitur aliqua superficies corporis præter naturam, licèt non sit, neque humor, neque aër qui temperatus valet esse, quare solutio continui vt talis solum applicat obiectum contristabile, vt dolor sequatur.

159. Hæc quidem responsio etsi Averroës obiectionibus satisfacere conetur, variis tamen difficultatibus complicata manet. Primo enim fatetur Santa-cruz in sua sententia solutionem continui immediatam doloris causam posse esse, secundò, rationibus in contrarium prolatis respondens, eam sine interueniente alia qualitate, vel specie producta dolorem exhibere non posse, affirmat. Tertiò, causam doloris ad nouum modum essendi partium diuisarum reducit, nempè ad modum præter naturam, quo partes separatæ collocantur. Quartò, quia solutio continui vt sic est tantum motus, eam solùm applicare sensibile proprium contristabile, vt dolor sequatur, asseuerat.

Vnam

160. Vnamquamque in examen assertionem conuocemus, prima est, solutio continui immediata & proxima doloris est causa; ergo nulla entitas inter eam & dolorem mediat. Secunda est assertio, solutio continui sine interueniente alia qualitate, vel specie producta dolorem exhibere non potest; ergo si ista entitas inter dolorem & solutionem mediat, iam solutio immediata doloris causa non erit. Tertia assertio: causa doloris est nouus modus essendi partium diuisarum; ergo sine illa qualitate vocata specie, solus nouus modus essendi partium dolorem progignet. Quarta assertio: solutio continui vt sic est tantum motus, & ideò solum applicat sensibile proprium contristabile, vt dolor sequatur: ergo solutio continui vt sic, & ex natura rei solum est veluti conditio, media qua objectum dolorosum applicatur: ergo solum tale objectum dolorosum, videlicet humor intemperiem producens, vel vt potius loquar, intemperies ab eo producta erit solum causa immediata doloris, solutio vero tanquam causa mouens, & applicans doloris causam.

161. Valde meam, quia exiguam, mentem fugit, quo modo his illationibus tanti Authoris satisfacere valeam; pro eo tamen primæ opinioni nixus, ac objectioni de intermedia qualitate satisfaciens ipse respondeo, quod quamvis aliquam entitatem inter dolorem, & solutionem continui interponi concedamus, hoc non obstante solutio continui erit immediata doloris causa, cuius est ratio, nam ista entitas, quæ mediat, species dolorosa nuncupatur, quæ quamvis qualitas dicatur, & respectu illius producentis, nempè objecti corrumpentis terminus sit, est tamen terminus modalis, & tanquam conditio requisita prævia, & subordinata tali objecto, & potentiæ, vt sine illa reperiri non valeat, tanquam modus non sine re; quare quemadmodum licet color sit objectum proprium visus, iste videri non valet, nisi mittat species impressas coloratas ad organum potentiæ visiuæ, quæ tamen quamvis sint terminus producti, & medient inter colorem, & potentiam visiuam, non tollunt immediationem, sed dicimus colorem immediatè videri à visu, & quemadmodum calor præter naturam, & corrumpens in parte sentiente immutatione reali partem alterat, vt inde intentionalis species potentiam tactus actuet, sequaturque actio sensifica, quæ tamen species nequaquam etsi medient inter objectum nempè calorem, & potentiam sensificam immediationem auferunt, sed communiter colorem à visu, veluti calorem à sensu tactus percipi asserimus: non aliter solutio continui provt in passo, nempè parte sentiente recipitur quanquam media specie ab objecto inconuenienti, & tristabili emanante, non ratione sui, sed illius ratione sentiatur, etsi sit commune objectum: sufficiat, tamen talis qualitas, vel species producta, quia est veluti conditio requisita sine qua non, & subordinata modaliter, at hoc vt sine mediatione entitatis alienæ vt sic loquar, solutio continui, & sentiatur & immediata doloris sit causa. Dices tamen valdè disparem esse rationem inter colorem & visum, ac inter calorem, & sensum tactus à ratione desumpta inter continui solutionem, & potentiam tactiuam, nam illa sunt objecta propria, & mediis proprijs speciebus potentias actuant, solutio verò continui est semper commone objectum, & ideò vt solutio nunquam mittit species proprias, sicque aliæ quæ ex obiecto tangibili scindente, & inconuenien[t]i dimanant, cum valde realiter à solutione continui distinguantur, non possint naturam modalem respectu solutionis habere, sed respectu rei cuius sunt tales species, vt respectu ta[l]is objecti scindentis quantitatiui, impenetrabilis, & incompossibilis cum superficie quantitatiua partis sentientis, quæ soluitur, ac proinde nunquam immediatè solutio sentiatur, neque doloris causa immediatè erit. Cui pro Authore respondendum est, quod aliud est solutionem continui esse objectum proprium tactus, aliud verò causam esse immediatam doloris: nam etsi solutio ratione speciei, siue qualitatis dolorificæ ab objecto inconuenienti scindente oriatur, tamen hoc est verum, vt dicamus non immediatè, sed interposita ista qualitate ab al[i]o producta solutionem sentiri, at verò vt dolorem progignat cum talis solutio prout passiua, & prout in passo recipitur cum maxima tactus molestia, dolorificum statum inducere valebit. Quæ omnia in tam ardua difficultate etsi illa intimiùs callere Authores videantur, plurimis tamen obnubilationibos plena sunt.

162. Doctissimus vero Martinez aliter responsom præbet, solutionem dontaxat continui percipi ab organo sentienti propter impulsum, qui à causa principali communicatus continuitatem destruit, doloremque causat, & objectum, siue sensibile proprium est, ratione cuius dicta solutio continui sensibile proprium dolorem causans appellatur, in quam respondendi rationem aliqui insurgunt, nam qoodlibet objectum siue causa doloris debet esse quid sensibile, & corruptiuum, sed impulsus licèt sit qualitas sensibilis, non est quid corruptiuum naturæ sensibilis ex se, & ratione sui; ergo non est causa doloris. Maior est apud omnes. Minor probatur, nam corruptio, quæ fit media receptione alterius rei positiuæ in subjecto semper fit à contrario, vt dum calor corrumpitur media receptione frigiditatis in parte; sed sic est quod impulsus non opponitur naturæ tactus: ergo non corrumpit ipsum. Minor videlicet, quod non opponatur, probatur. Nam tactus natura coalescit ex calido, frigido, humido, & sicco temperatis: ergo solùm talis sensus tactus à calido, frigido, humido, & sicco distemperatis corrumpetur: ergo cum tactus non constet ex impulsu ex illius remissione, aut intensione talis natura non corrumpetur.

163. Hæc tamen arguties diluitur, si asseram, minorem esse falsam, impulsum videlicet non esse naturæ tactus corruptiuum. Et ad confirmationem minoris propositionis secundi syllogismi respondeo impulsum contrariari cum natura tactus, quamvis illius natura coalescat ex calido, frigido, humido, & sicco; nam præter hæc indiget natura tactus vnitate physica reali, & quantitatiua substantiarum elementorum, quæ vnitas essentialissima præter temperiem qualitatum, cum sit inter substantiales partes quantitativas, proindè non solùm natura tactus ab intemperie qualitatum primarum corrumpetur, sed à separatione,

ac deperditione talis vnionis quantitatiuæ, quare impulsus qui etsi ex se formaliter sit qualitas, quia tamen fundamentaliter pendet ab agente quanto impenetrabili, propterea physice & fundamentaliter ratione corporis à quo emanat, impenetrabilitaté arguit,ac proinde incompossibilitatem cum vnitate quanta partium sentientium. Sicque in illa luctuosa impressione impulsus in parte sentiente datur contrarietas corruptiua, itavt pars vnita impulsui soluentis cedens corrumpatur. Vnde iam contrarietas, vt est impenetratio inter vnam & aliam entitatem dabitur, vt asseramus naturam partium simultaneitatem deperdere, ac proinde corrumpi non semper à qualitatibus primis, sed etiam pluries à solutione continui ratione prædicti impulsus.

Nec, si dicas, valet, impulsum non contrariari vnioni, quæ deperditur: nam licèt sola solutio vnitati contrarietur, deperditur tamen vnio propter, vt dixi, incompossibilitatem vnius rei quantæ cum alia, vt tandem vna, vel altera cedat, ac separetur, quæ quantitas, vt dixi, ex parte impulsus fundamentaliter ab scindente quanto sumitur, cuius ratione impulsus qualitas modalis appellatur, quæ quia modus immediationem inter solutionem ac dolorem non tollit, vt de speciebus apud Santa-Cruz prolatis prædixi.

164. Instabis vlterius: huiusceemodi impulsus non est modus solutionis continui, sed solum ratione impellentis: ergo ratione solutionis est entitas, siue terminus productus ab alio: ergo talis terminus semper intermediabit inter solutionem, & dolorem: ergo potius talis impulsus erit immediata doloris causa; solutio verò mediata,cum ratione tertiæ entitatis sentiatur, ac corrumpat. Respondeo nullam implicantiam ex dictis dari, nam quamvis humana vnio sit terminus eductus, non ab extremis, quæ vnit, sed ab alio agente; hoc non obstanti talis entitas vnitiua, siue terminus sub alia formalitate est modus suorum extremorum,quæ immediatè vnit, ac proinde licèt talis impulsus sit ab impellente productus, ac respectu illius terminus dicatur; ratione verò solutionis continui in ordine ad corruptionem dolorificam dicetur entitas modalis, cum media illa solutio sentiatur à natura tactus, quæ licèt mediet, quia modus est, immediationem non auferet, vt vnio inter extrema posita, ista esse immediatè vnita non impedit.

165. Nec quiesces nisi vlterius obsistas, nam si prædictus impulsus corruptiuus naturæ tactus esset, ad pensum impulsus in sensorio recepti deberet dolor fieri; atqui experimur quod quamvis impulsus intensissimus in organo sentiente sit receptus,nullus sequitur dolor, & econtra licèt paruus impulsus recipiatur, magnus producitur: ergo non ab impulsu, sed ab alia causa dolor efficitur. Duplex minoris pars probatur: nam pluries ob impulsum ambientis aëris vehementissimum recto tramite iter efficere (sine dolore tamen) impellimur, & econtra ex paruissimo impulsu, vt in levi percussione dolor suscitatur; ergo quia præcisè non ratione impulsus natura doloris tanquam effectus constituitur, in aërem argutiés aërea dissoluetur. Si perpendas, primò etenim quod ambiens illo in casu non solutionem continui efficit, sicque nec dolorem: quare non quicunque impulsus doloris causa dicetur, (modo explicato) sed impulsus scissiuus,vel diuisiuus, qui à corpore vel instrumento proportionato cum duritie à renitentia solida oriatur, aër enim cum substantia ita rara constet,dispositionibus ad solutionem efficiendam requisitis earet. Quare paritas de isto, ac de quolibet impulsu non currit. Si tamen vrgentiùs alloqui volueris, adhuc inter instrumenta diuidentia difficultas proponi valebit, cum aliqua instrumenta vehementiori impulsu, minorem dolorem, quàm alia remissiori maiorem exhibere possint, & vrgentiùs idem instrumentum vt gladius secundùm vnicam illius superficiem vt planam, etsi vehementi cum impulsu, minorem dolorem, quàm secundum aliam, vt acutiorem, qua pollet, minori cum impulsu intensiorem dolorem inferre valebit: ergo quia impulsus non est causa prædicti doloris, cum effectus remissio, siue intensio semper remissionem vel intensionem suæ causæ redoleat.

166. Acuta quidem hæc vltima ratio parui fiet, tamen si animaduertamus, quod ferè iam supra prædictum est, impulsum videlicet ita ab impellente pendere, suamque naturam ostendere, vt ad naturam, & dispositionem instrumenti scindentis talis impulsus specificetur, modificetur, ac qualificatus sit: nam quamvis talis impulsus formaliter qualitas sit, fundamentaliter tamen, quia ab agente quanto regulatur, itavt aliquando istud rarum & molle, aliquando durum, & solidum, aliquando planum, aliquandq asperum, acuminatum, & acutum sit, proinde propter has corvas dispositiones ad instrumentum quantum prædictus impulsus acutiùs, vel obtusiùs continuitatem partis sentientis corrumpat: ac proinde etiam acutius vel obtusius affectionem dolorificam in sensu tactus inducere valebit, sicque non præcisè ratione impulsus solum, vt impulsus est, sed cum addito, vt talis impulsus modificatus à tali dispositione quantitatiua instrumenti partes sentientes diuidentis, illarum naturam corrumpit. Certum enim est, quod vnum & idem agens in specie diuersis tamen dispositionibus indutum intensiorem vel remissiorem effectum producere valet, quemadmodum propter varias etiam in passo dispositiones repertas, robustius, vel languidius solet operari. Primæ partis exemplar stat in hominis actionibus principibus; licèt enim puer idem sit agens, ac dum est adolescens, eo quòd solùm cerebrum animæ instrumentum in pueritia immodica humiditatum sarcina imbutum adest; econtra in adolescentia his denudatum purum, ac expurgatum manet, ob has, & alias perfectiores cerebri actiones, anima rationalis excellentiores, quas in pueritia nequaquam exercet: ergo ex instrumenti, quo agens vtitur, dispositionum diuersitate, tendendi modus in effectu diuersus elucescit: secundæ verò partis expositio constat satis apertè, dum passum distinctas continet dispositiones, licèt agens vnum specie ac numero sit. Quis enim obuegabit robur, celeritatem, ac facilitatem, qua ignis ad comburenda ligna sicca fruitur; econtra verò difficultatem, tarditatem, & languorem, quibus idem ignis erga viridia operatur: ergo legitimè

timè infertur varietas, quæ adeſt in operationibus ex varietate diſpoſitionum inſtrumenti etſi agens vnum ſit, veluti ex diuerſitate illarum in paſſo erga quod agens operaturum eſt; quapropter nihil mirum impulſum aliquando dolorem intenſiorem, quandóque remiſſiorem inferre, ſi inſtrumentum ſcindens diuerſas in ſe diſpoſitiones contineat, vt gladius, qui per ſuperficiem planam non ita acutè, veluti per acuminatam partes organi ſentientes velociter penetrando, ac ſolvendo, corrumpit. Vt igitur noſtram aſſertionem, ſolutionem, nimirum continui immediatam doloris cauſam eſſe poſſe, tueamur, vel, rationes à Santacruz allatas, vel, quas doctiſſimus Martinez adducit, prædicto ordine adapertas poſſimus inſequi, quamquam in tam grauiſſima difficultate tot arcana, & difficillima debeamus fateri.

167. His ergo iam præhabitis, cum continui ſolutio ſit duplex fiens duntaxat, & facta; & fiens nondum morbus ſit, bene verò facta, dolor tamen non factam, ſed tantum fientem ſequatur, vt Hip. *ſupra* citatus *libro de locis in homine; his quibus natura alteratur, & corrumpitur, dolores excitantur*, quo verbo corrumpitur celeritatem mutationis, ac fieri ſolutionis oſtendit. Propterea non exigua difficultas nobis obverſatur, eò quod dolor eſt ſymptoma morbum ſequens, & entitas quam ſequitur, vt eſt ſolutio in fieri, nequaquam morbus adeſt; facta verò quæ proprie morbus eſt, ipſum non progignit. Quare aut dolor non eſt ſymptoma, aut non fientem, ſed tantùm factam ſolutionem inſequitur, quod Hipp. doctrinæ, ac experientiæ opponitur. Siquidem totum eſſe doloris eſt in fieri, quia tãtum adeſt, dum fit; atqui dum fit ſolutio facta quæ eſt morbus nondum fit: ergo dolor morbum non inſequetur: ac proinde vel non erit ſymptoma vel ſolutionem in fieri inſequi non valebit.

168. Vt huic difficultati aliqua via ſatisfacere doctiſſimus Roſelius poſſit, aliqua fundamenta ſupponit, quæ ne Authorum doctrinam alienam, vt propriam tranſcribam, omitto. Solum tamen quæ proximiùs maiori expoſitioni conferunt, adferam. Sicque primo notandum expedit tres ex Gal. *libro de differentiis ſymptomatum*, *cap.* 3. compoſitionis in noſtris corporibus differentias contineri, quarum prima eſt partium temperamentum, quo facultates naturales gaudent ad operandum; Secunda verò ſtructura organica nuncupatur, qua facultates animales principes, & non principes operantur. Tertia tandem compoſitio ad vniuerſum corpus pertinet, quæ communis continuitas appellatur, quaque facultas tactiua ad objecta ſenſifica percipienda vtitur, iſta etenim compoſitio ex cohærentia corporum ſimplicium fit continuitas partium ſimilarium, vt ex iſtarum vnione inſtrumẽtorum contiguitas exurgat, quæ quidem compoſitio vtriſque partibus ad actiones obeundas vſum præſtat, cum igitur partes diuiduntur, ſiue ſolvuntur, iam talis compoſitio vitioſa, & præter naturam redditur, actioneſque harum partium ſenſibiliter lædit. Quare quando huiuſmodi compoſitio ſecundum naturam ſe habet ſolum vſum, vt partes operentur, præſtat, quando verò præter naturam eſt, licet actu corrumpatur morbus eſt, actionéſque lædit; nam vt Gal. *libro de differentiis morborum*, *cap.* 6. inquit, cum aliqua pars præbens vſum actionem lædit media alia affectione partis principis cauſa potius morbifica, ſi verò primò, & per ſe rigoroſè morbus adeſt.

169. Animaduertendum etiam eſt, quòd tam quælibet noſtri corporis pars ſimilaris, quàm inſtrumentalis ita continuitate ad operandũ egent, vt ſemper earum comes, & miniſtra dicatur, ideoque illæ ſiue in ſtatu naturali, vel vitioſo repeṙiantur, ſemper actionum cauſæ ſunt. Tertia verò cõpoſitio, quæ vnitas eſt, valdè aliter ſe habet, cum ſolùm (vt dictum eſt) in ſtatu naturæ vſum præſtet, ac in ſtatu morboſo lædat operationes, ita vt non ſolùm aliquas, verum aliarum compoſitionum actiones oſtendere poſſit, & ſine illis per ſe ſola dolorem excitare, & quamvis in morborum hanc triplicem compoſitionem deſtruentium generatione, omne per primos gradus, videlicet per mutationem in fieri percurrant, maximum tamen diſcrimen inter tertiam compoſitionem, & alias adeſt, dum enim calidus morbus conſtitutionem aggreditur, neceſſe eſt, vt priùs incipiat calor in fieri produci, vbi nondum actio læſa ſenſibiliter, nec morbus re vera conſtitutus adeſt veluti etiam dum ſtructura vitiari incipit, ac ſuum eſſe in fieri morboſo continet nondum morbus organicus, neque actio ſenſibiliter organica læſa reperiuntur. Compoſitio verò tertia, videlicet vnitas dum in fieri corruptionis adeſt, antequàm facta ſolutio ſit, cum iam ſenſibiliter partes vnitæ ſolvantur, licet ſint fientes corruptiones, quia tamen doloroſæ, & ſenſibiliter moleſtæ ſtatim affectum morboſum, ſiue qualitatem permanentem, quæ morbum conſtituat, progignunt. Quamquam ſolutio tota in fieri conſiſtat, cum tanta ſit de vnitate pro omni compoſitione partium indigentia, & pretium magnifaciendum, vt natura pro illa ſolicita ſtatim corruptionem perſentiat, ac valdè ægrè ferat. Ex quibus infertur quod ſoluta vnitas formaliter aſſumpta affectus, & qualitas permanens eſt, ac doloris cauſa dicetur, quãvis materialiter, videlicet illo tempore, & actu imperfecto ſoluendi ſit in ſolo fieri, quod cauſam dolorificam ad potentiam introducit, maxima enim diuerſa ratio inter intemperiem dolorem efficientem, ac ſolutionem continui currit, quoniam intemperies cum calor eſt in ſolo fieri, adhuc morbus non eſt, cum ex hoc puro fieri caloris nulla manifeſta, & ſenſibilis læſio detur, vſque quò calor iam in facto eſt formaliter, & materialiter productus, at verò continuitas dum ſoluitur, & in ſolo fieri conſiſtit, propter ſolventis vehementiam, ac celeritatem actionẽ ſenſibiliter lædit, doloremq; infert. Quare rationibus dictis facilè Reſpondeo dolorem duntaxat ſymptoma eſſe, & ſequi morbum, qui ſolutio continui in fieri, non verò facta eſt, iſta enim poſtquam eſt cõſummata, & completa nullam nouam corruptionem dolorificam in ſenſu tactus inducit, ac proinde nec dolorem; ex illa verò in fieri ſtatim moleſtiam tactus perſentit, ac appetitus refugit, cuius averſio formaliter dolor eſt. Vnde fieri ſolutionis materialiter ſufficiens cauſa dicetur, vt formaliter qualitas permanens moleſta, & læſiua, quæ dolorem inferat, oriri poſſit, nullum inter omnes elevatiori, acutiorique

calamo, quàm sapientissimum Roselium in hac difficultate sentire prævidi.

170. Nec minus ex nostri capitis Texto alia difficultas offertur, cum Magister Gal. in eo asserat. Verum *quid agendo, quæ vehementer, vel excalefaciunt, vel refrigerant dolorem inferant*. Vnde inquiritur an sola caliditas, & frigiditas à Magistro adductæ causæ doloris, dum intenduntur præter naturam, ac vehementer invadunt, sint, an etiam aliquando homiditas, vel siccitas excedens idem præstare valeant. Quoad calorem quidem & frigiditatem facilè dubitationi est respondendum, cum tam calor quàm frigiditas sint qualitates non solum actiuæ, sed etiam quæ subito, & vehementer sensum tactus corrumpere valent: atqui nihil aliud ad dolorem inferendum requiritur: ergo causa vera & propria doloris sunt, reliquæ verò qualitates, vt humiditas, & siccitas, licet actiuæ sint, cum alias sibi similes progignant, & alias sibi contrarias formaliter expellant, quia tamen lentè, paulatimque operantur, sensumque tactus sine vehementi, ac celeri incursu immutant, propterea dolorificam affectionem efficere non possunt, nam vt suprà expositum manet, illa particula, *subito*, non pro alteratione, vel immutatione nova sensus tactus ab objecto molestanti, sed pro celeri, & vehementi corruptione intelligenda est; quapropter cum huiusmodi conditiones ex humiditatis & siccitatis operationibus, ac incursu oriri non possint, proinde humiditas, & siccitas ineptæ ad dolorem inducendum, nisi aliquo affluente humore, vel alia qualitate magis activarum frigiditate nimirum vel calore associatæ sint, iudicantur.



CAPVT VIII.

Selectior doloris profligatio.

171. 

Anta quidem doloris acerbitas esse solet, vt omnes illius grauissimam, & inexpugnabilem molestiam fugiant, non enim solum corpora vigiliis immodicis afficiuntur, sed etiam spiritus resolvuntur, mediòque illo nativus calor exhauritur, sanguinis, atque humorum moles exagitatur, immutatur, & corrumpitur, proindéque fluxiones, febres, inflammationes, & convulsiones, quin etiam animi deliquia, & virium exolutio in syncopen tendens (vt suprà expositum est) evenit; & aliquando in tantam laborantes desperationem accedunt, vt sponte ad ipsam necem tam immanis ratione huius symptomatis confugiant, quam quidem non vt cruciatum, sed vt amabiliorem statum in tam vehementi luctu appetunt: iste igitur affectus celerrima, & efficacissima subsidia exigit; cum adhuc in eorum exhibitione celeritas ipsa allaborantibus vt magna mora indicetur: quare quo citius mitigandus est, vt ægri à leuissimo, cruciatu liberi redditi Medicorum gratiam, ac remediorum vim agnoscant, & buccinent non propterea immeritò Magister Gal. postquàm *in cap. antecedenti* naturam, & essentiam doloris, causasque illius immediatas præostendit, ac peculiariter aliquam illios curationis partem attulit. Tam in præsenti, vt Medici omnem doloris differentiam habita ratione ad diuersas, à quibus pédeant causas, profligare valeant, exactissimè vt de more habet, methodum completam illius curationis, totum librum 12. perficiens, constituit.

TEXTVS.

Ergo reuertamur ad affectus, qui dolores excitant, &c.

172. Qvamquam superiori capite affectus siue causas, quæ dolorem inferre possint Magister exposuerit, iterum eas in præsenti repetit. Quare vel dolor, qoia intemperies simplex citra humoris affluxum adest, excitatur, vel quia illius humoris solum qoalitas alterat, & sensum tactus corrumpit, vel quia tantum ipsorum humorum multitudo absque qualitate alterante tensionem, ac solutionem efficit, vel quia prædicti humores ductus, siue transitus locorum, & vaporum obstruunt, vel deinde quando aliquis flatulentus spiritus præ partis imbecillitate natus exitum quærens tensiuam molestiam, ac dolorosam suscitat, vel tandem quando aliqua externa causa, vt ardor, siue frigiditas sobito, & vehementer naturam tactus immutant: cum igitur doloris curatio vniversalis, aut resolutione, aut evacuatione, aot mediis narcoticis stupefactione compleatur. Propterea Gal. in vnoquoque dolore de his omnibus sermonem instituit, asserens, quòd, si dolor ex multitudine sanguinis partem valde distendentis, ac per consequens, continnitatem solventis, vt in phlegmone contingit, oriatur, statim si vires laborantis validæ sint, eo quod consentiant, sanguis est mittendus, proinde Magister *in Comment.* 23. *primi Apho.* dixit: *in maximis etiam inflammationibus, & vehementissimis doloribus, nullum maius noti remedium, quam vsque ad animi defectionem evacuare adhibita distinctione, an mittere sanguinem, an purgare oporteat, quemadmodum in libro de vena sectione monstrauimus.* En qoomodo Gal. *in præsenti & loco citato* ad dolorificam curationem exequendam à subsidio evacuatorio per sanguinis missionem, viribus tamen valentibus incipit; si verò æger vel sanguinis missionem pertimeat, aut vires languidæ adsint, potiùs sanguis frictionibus, clysteribus, aut cucurbitulis reuellendus est, aliquando etiam si capitis dolor fuerit per propinqua vt nates, & palam deriuandos, qua tamen via, & ratione vires valentes, vel languidas esse, vt consentiant, vel sanguinis missionem impediant, cognoscere valeamus, late *vndecimo libro, cap.* 14. expositum, dilocidatumque manet. Si deinde, ait Magister, præcedentibus remediis prædictis dolor perseueret, signum certum doloris causam tantum in dolorosa affectáque parte impactam esse, sicque curatio per medicamina digerentia, quæ ex ipsa parte evacuationem agunt, molienda

molienda est, simili ratione dolor qui ex flatulento spiritu nascitur, sedabitur, anodynis duntaxat medicamentis, quæ aëream sobstantiam discutere possint, in his tamen affectis potius extenuantibus cibis, tum etiam injectionibus per sedem, & cataplasmatis, irrorationibus, atque foměntis ambiens corpus rarefaciendo, est vtendum: si verò aliqua moles, vel tumor grauans, siue contundens doloris causa sit, ipse tumor per medicamina attenuantia, & rarefacientia est curandus; si deinde mordicans humor statum tristem, aut dolorosum efficit, maxime illi contraria, quæ extenuant, & calefaciont, sont, cum prædictus humor, dolorque ab eo pendens insolenter augescat, quapropter ab omnibus acribus tam cibis, quàm medicamentis abstinendum expedit. Sicque talis affectus vt rectam curationem sortiatur, quod causæ molestantes, siue dolorem progignentes, euacuantur. Oportet proinde in colico dolore statim per sedem clysteres qoi prædictos humores diluere sint apti, vt detersivi injiciendi sunt, quæ tamen si non prosint, vt acris humor euacuetur, eo quod in ipsis intestini tunicis imbibitus adsit purgans medicamentum; vt Hiera, de qua Magister, *cap.* 7. *antecedenti* agit, est propinandum; quod si id omnino fieri non possit, taliter vt doloris causa evacuari nequeat, potiùs hic affectus per epicrasim, idest paulatim profligandus est, ita vt quod vitiosum est, euacuetur, & quod salubre adest, pro illo reponatur, vt *lib.* 2. *cap.* 10. suprà expositum est, in cuius vsu omnia clementia pharmaca vt casia fistula, syp. rosatus solutiuus, diacatho, & alia similia sibi locum abrogant, nec minus ptisana, potusque aquæ frigidæ, præcipue cum maxima sitis vrget, prosunt.

TEXTVS.

Sin id quoque fieri non possit, &c.

173. CVm igitur iam Magister, quæ benigniora, tutiora, præstantioráque suo ordine subsidia fieri debeant, proposuerit, iam si his satisfieri affectui non valeamus, ea quæ torporem inferunt, stupefacientia noncupata propinanda, quæ minus hos affectus, quàm alios lædunt, imperat: ista enim, licet reliquorum communia sint, eo quod omnino refrigerant, atque exsiccant, non solum sensui torporem inducunt, verum etiam humorum tenuitatem cogunt, fluxibilitatem incrassando impediunt, ac vehementem illorum caliditatem frangunt. Quare ingentem vtilitatem conferunt; maximum tamen errorem, qui horum affectum initio narcotica præscribunt, committunt: hæc enim rigorosè, & propriè dolorem etsi auferant non curant, sed potiùs materialem causam veluti congelatam intus detinent, quæ vehementius posteà in dolorem augendum excitatur, tenaciorque parti afflictæ, reddita, tenaciorem affectum constituit, vt atrociori renouato dolore, vires in totum dissolvantur. Quare radicalis, veriorque curatio, in causæ fluxum suscitantis ablatione; vt partes interea, facultates quæ nostri corporis roboratæ floreant, consistit; quando verò vrgentia vocitat, præsertim cum superius à Magistro præscripta non profuerunt, narcoticis sine vlla mora est vtendum: antequàm tamen ad alia progrediamur, notandum conuenit, quod horum remediorũ in potu exhibitio maxime suspiciosa est, sicque pertimescenda; potius em plastris, aut clysteribus admixta sine sensibili nocumento iuvant, si verò parum prosint, & potu vti cogamur, cautè, & antiqoiora, quia minus noxia sunt, cum media coctione, & aliarum rerum permixta confracta maneant, sunt propinanda. Notandum præterea est, tempus eis vtendi aptius, & commodius vespere, quo somnum conciliandum esse oportet, adesse, tunc etenim humorum, & spirituum commotiooes medio somno sedantur. Licet etiam aliqui perspicuè mane condonent, præsertim cum æger ab insomnis liber existit, tunc enim minus freqnentem exorgendi necessitatem inducunt, eo quòd excrementorum acredinem obtundunt, & effrænant: nec minus perpendere quantam noxam inferat iis medicamentis statim à cibo, ac in corporibus plenis, nulla evacuatione, aut purgatione exercita, vti oportet. Quoniam ita natura præ multitudine humorum oppressa, & præ intensa narcoticorum frigiditate, spirituum, & caloris ventilatione priuatur, vt ipso in totum obruto, extinctoque pereat. Nec multis diebus, sed tempore interposito, quo roborantia condonentur, vt vitæ thesaurum custodiant, danda sunt, & licet ante dolorum insultus, vel invasiones ea satius adhibere sit, aliquando tamen in ipsa violenta humorum agitatione, atque commotione, vt in vehementi colico dolore eis vti est necessarium per stupefacientia curationem falsam, quàm veram esse asseverat, præcipuè cum magna doloris intensio adest, ne interea vires in totum labantur.

TEXTVS.

Vbi verò crassi, glutinosique humores, &c.

174. Aggreditur iam Gal. de colico dolore à crassis, glutinosisque humoribus procedente acturus, in quo affectu maxime aduersa, noxiaque torporem inducentia esse animaduertit, sicque illorum vsus vnquam est exercendus; hoc equidem de proprio affecto, vt talis est à causa frigida oriens, est intelligendum, non verò de symptomate, vt vicem causæ vires resoluentis habet, quoniam ad symptoma tollendum vt tale, Magister narcoticis, vt t. 1. *huius lib.* est dictũ, vtitur, inquit etenim: *& talium quidem medicamentorum vsus, eorum qui aduersus symptoma pugnant, & proprius potissimum, vbi ex frigida causa dolor est excitatus, obsunt enim talia plurimum toti affectui, ac curationi contumacem eum reddunt.* Quare licet in vtroque affectu narcotica præscribere cogamur, tutius in affectu calido, quàm frigido id præstabimus, sciendum etiam est, quod ex solis tantum humoribus crassis non nisi ex aliquo accidenti spiritus halituosus eis cõmixtus fuerit, qui ex parte, vbi adest, erumpere prorsus non possit, gravissimus dolor progigni valet cuius causa ve-

hemeņ

per accidens, non primario etiam affectiones inde opem ſentire quis dicere poſſet. Sedato enim dolore, & ſomno conſequente, natura affectiones dolorem efficientes concoquit Si tamen aliquod cataplaſma res ipſa imponendum ſuadeat, ait Magiſter ex capitibus papaueris in aqua dococtis, & farina fenogræci, vel ordei, vel lini ſeminis aquæ immiſſa, hoc cataplaſma eſſe conficiendum. Sciendum quidem eſt, quod medicamentum, quòd caſtoreum recipit, non ſolum aurium dolorem, ſed etiam oculorum, & deotium, ſi auribus inſtilletur, ſedat. Collyria ſimiliter, quæ ex opio fiunt vehementiſſimos oculorum dolores etſi remittant, eis tamen ſolum, cum maxima neceſſitas vrgeat, eſt vtendum, vt ſuprà ſatis adapertum manet. Partes enim affectæ neceſſario lędúntur, ac ad reliquam venturamque vitam ex medicamenti refrigeratione imbecilliores euadunt. Qoia tamen laborantis ſalutem in præſens magni facere & futuram læſionem poſt habere, debemus, propterea eis aliquando, cum doloris vrgentia nos moneat vtendum eſt. Aliàs nequaquam audacter Medicus ita operabitur, quia plurimi laborantiom ex eorum vſu eò infirmatis venere, vt alij fere nihil viderent, alij propemodum ſordi redderentur. Proinde Galen. fatetur, quod dum coactus prædictis ſubſidiis fuit vſus, poſt modum in ſanitatis tempore particulas ipſas excalefacit, itavt auribus oleum, quod ſolum caſtoreum habet, infudiſſet: oculis verò collyria, quæ tantum excalefaciant, ſelegiſſet In quem vſum collyrium ex cinnamomo, cōfectum magni æſtimat. Cinnamomum quidem inter tam varias, quas cōtinet, ſpecies, quod tempore Gal. ſelectius laudādum, non reperitur; ſicque ex communi, qoo noſtris temporibus vtimur, pondus duplicatum ſemper pro illo aſſumendum eſt.

176. Ad colici doloris, qui à ſolo ſpiritu flatulento naſcitur, curationem iam accedit, quem cucurbita valde flamma ignita ſoluendum eſſe, conſulit. Nam huiuſcemodi præſidium in talibus affectibus opus ita mirificum efficiet, vt incantamenti more operari, videatur. Siue inteſtina, ſiue quælibet noſtri corporis pars eis corripiatur, ſtatim enim qui tali ſpiritu flatulento cruciantur, cucurbita admota, liberi, ac immunes à dolore euadunt; qui verò non ſolom vim doloroſam flatus, ſed ſed etiam humoris, à quo iſte excitatur, moleſtiam pationtur, quamquam illicò admota cucurbitula ignea dolorem ſedatum perſentiāt, ſequenti tamen nocte, vel poſtridie, vel etiam tertio die ſimilem, & aliquando acriorem dolorem perferunt. Et præcipue ſi victus ratio non rite exercita fuerit, aut intempeſtiue valdeque intenſe particulas excalfecerint, & merito qoia quamvis flatuoſus ſpiritus à calore cucurbitæ reſoluatur; quia tamen ſuccus à quo ipſe oritur, nondum euacuatus eſt, iterum per circuitus, prædictum dolorem, flatum denuò progignendo, renouat. Quare ſi in ventre aliquid crudi humoris adſit, mirificè ex acrium clyſterum injectione, qua materia coquitur, digeritur, euacuatur, partimque reſoluitur, dolor curatur. Notandum tamen eſt, quod habita ratione ad doloris acceſſionem iſta primum inter omnia curanda eſt, admota videlicet cucurbita, vt flatuoſus ſpiritus eleuatus digeratur, vt tādem prædictus humor per injecta ex dictis medicamenta euacuetur. Propterea Gal. in præſenti ſe decoctum rutæ in oleo tenuis ſubſtantiæ præſcripſiſſe fatetur. Inquitque, quod aliqui ægri vbi oleum acceperunt maximo dolore cruciati fuere, poſtea verò exiguo temporis ſpatio interpoſito, humorem vitreum excreuere ex qua euacuatione ſimul & à dolore, & ab affectu liberi euaſere, ſublata enim cauſa, quæ ſpiritum flatulentum gignebat nihil mirum quod omnia accidentia ſedentur.

TEXTVS.

His humoribus contrariam maximè naturam, &c.

177. IN calce tandem capitis Magiſter ad colicum dolorem ex tenuibus, & acribus humoribus pendentem, curandum accedit, licet iam *ſupra text.* 4. dictū ſit; inquit igitur, hos humores, ſi in ore ventriculi collecti ſint, conuulſiones crebras accerſere, ſi verò in inteſtinis adſint, colicum dolorem inferre. Quare cum talis humor in ventriculo continetur, vomitu expellendus eſt, ſi verò in inteſtinis per ſedem, quæ detergere, ac eluere huiuſcemodi humorem valeant, injicienda ſunt. Cum autem talium pleráque mordeant, commodiſſime ex his aliqoid, quod morſu careat, vt ptiſanæ cremor; eligēdum eſt, cibique boni ſucci, ac difficiles vt corrūpantur, vt antecedenti libro cōſtat, proſūt.

Quomodo verò conuulſiones, & à qoo humore in ventriculi orificio exiſtente naſcantur, Magiſter exponit, adoléſcentem quemdam conuulſione, ac ſyncope correptum adducens, ex quo guttæ quædā frigidæ, ideſt madores, emanabant, pulſuſque in ſummo gradu parvuli erant. Et cum Gal. ex dictis conjiceret in ventriculi orificio mordentem aliquem contineri humorem, ſtatim ægro aquam tepidam bibendam conceſſit, poſtquàm talem liquorem, vel ſubſtantiam adoleſcens euomuit, qoalis floridiſſima ærugo aquæ permixta ſolet apparere, quam etiam Magiſter 5 *lib. aphor. ſent.* 1. *in com.* depinxit, ſic aſſereos: *Sicuti adoleſcenti qui æruginem euomuerat. Præſtat enim æruginem, non æruginoſum vomitum illum nominare. Erat enim talis qualis vera ærugo nominatur floremiſſimus. Verum inter vomendum totum corpus conuulſum eſt, & ærugine euacuata febris ſtatim, & conuulſio ceſſavit. Tale autem erat quòd euomuerat, ſicuti ſiquis optimam æruginem aqua perfunderet, adeò vt ex eorum vnione talis ſubſtantia exultaret, quæ defruti craſſitudinē repræſentaret.* Ly, *defrutum* nihil aliud eſt, quàm muſtum ad dimidium decoctum, vt Plinius *lib.* 14. *cap.* 9. aſſeuerat. Alium tandē dolorem ab immodica ſiccitate procreatum remedia humectantia expoſcere, Gal. profert, quanquam curatu perdifficilis ſit, & preſertim qui occaſione febris abſumentis contractus impoſſibilis eſt, & merito: nam cum ſolidarum partium humiditas natiua abſumpta fuerit, ſanari, nec reſtitui valet, qood enim in ſanis decurſu ætatis ſenium, id ſicca intemperies conſummata, & completa in ægris appellatur. Quare cum ſeniom curationem obneget, ita pariter partium ſolidarum ſiccitas prædicta auxiliis irridet. In cuius confirmationem tres conuulſionis differentias, quæ percurari poſſunt, oſtendit. Si enim conuulſio ex neruoſarum partium repletione incidat, vt in iis, qnos magnus phlegmon premit, accidit, vel ex mordente, ac tenui humore partes neruoſas corrodente

rodente nascatur, vel ex ingenti frigore, quod tale quippiam quale gelu efficit, ortum ducat. Quælibet, inquam, harum conuulsionem remediis obedire valet. Quæ tamen ex neruosarum partium siccitate pendeat, insanabilis est, vt *lib. de Marasmo* satis Magister adaperuit.

Dubitationes circa Textum obseruatione digna.

178. Cum Magister in textu ad sedationem doloris priùs reuulsoriis auxiliis, deinde anodynis vtatur, videtur sibi ipsi contrariari, cum *lib.6. de morbis vulgaribus, comment.* 8. vbi sic fatur, teneat: *Neque enim semper in retrahentibus auxiliis permanendum est, sed aliquod tempus, quod retrahentibus vacet, interponere oportet, vt succum, qui in affecto membro prius inhæserit, excerni permittamus, in membro enim remanens ipsum bifariam contristabit, multitudine distendens, & qualitate discrucians. At si humores in particulam prius illatos exire permiseris, ipsam dolore liberabis, faciliusque reuulsoriis auxiliis aliquid proficies, non amplius in seipsum membro propter dolorem succos prouitantes secundum eam, quam à principio non rectè acceperant, inclinationem.* Ex qua doctrina, prius Galenum anodynis, deinde reuulsoriis auxilijs vti videtur. Quod consilium Auicenna *lib.1.part.4. c.3.* perpendens dixit: *Cumque materiam ad longinquum trahere volueris, loci dolorem, prius sedabis, vt ipsius minuatur coarctatio per attractionem, quoniam dolor est trahens,* & *cap.1.* asseruerat, *Cumque ad diuersum trahere volueris, membri à quo protrahis, dolorem prius seda.* Ergo ex his locis, & antecedenti ex Textu manifesta contradictio apparet. Hoc tamen dissoluitur ex distinctione, quæ in modo progignendi doloris animaduertenda est: nam vel dolor primò est causa, vt humor in partem decumbat, vel potius est effectus, & oriens ab humoris decubitu, quando etenim dolor; quia attrahit, est decubitus causa, tunc priùs anodynis, deinde reuulsoriis vti oportet, vt antecedenter dolore sedato, impediatur talis dolorifica attractio; quando verò ipse dolor potius ab humoris decubitu nascitur, quod frequentius euenit, illo in casu primò reuulsoriis, deinde anodynis est vtendum. Quare de ista doloris perpensione Magister *in præsenti Textu*; de illa verò prima dicta, in aliis locis citatis cum Auicenna est intelligendus, ex quibus non verborum, & doctrinæ contradictio, sed consensus clarescit.

179. Dubitabis etiam de Magistri præcepto asserentis in colicis doloribus à crassis frigidisque humoribus natis, nequaquam vehementer auxiliis calidis esse vtendum. Posteà vero allium, quod quarto gradu calidum est, laudat: ergo vel calefacientibus vehementer aliquando vtendum est, aut allium valde renuendum. Et pari passu oleum rutaceum, laurinum, & alia similia, quæ non parum calefaciunt, currunt. Cui satisfacere Lemosius conatur, asserens quod Gal. remedia vehementer calefacientia, quæ solùm liquare, non verò discutere, ac digerere possunt, obnegat. Quia tamẽ allium, & reliqua prædicta calida simul, & siccantia, nec minus attenuantia sunt, propterea ista specificè collaudat. Et quamvis flatus aliquo modo excitentur, vnaque dolor aliquantulum increscat, hoc non obstat, ista enim præsidia tum flatuum, tumque illius materiam discutient, ac dissoluent. Proinde Magister injecto oleo rutaceo plurimos ægrotum acriùs exacerbari, cruciarique dolore, fatetur. Postmodum verò flatus, & humorem excerni, doloremque radicitùs euelli, ait. Dicendum tandem est, remedia vehementer calida, præsertim exterius, vt cataplasmata, admota nocere, quia potius humorem fundent, quàm digerant, cùm immediate partem affectam, vbi materia viscida est impacta, non attingant. Quæ verò comeduntur, præ contraria ratione facilius, & promptios parti afflictæ opitulantur. Vt ex rustici euentu allium comedentis, & merum bibentis, patet.

180. Quomodo etiam dubitabis allium sitim non inferre Magister in textu asseueret, cum si medicamen ita calidum, & siccum vt dictum manet, tum etiam quia Dioscorides *lib.2.c.144.* contrarium insinuat. Respondeo pro Galeno allium sitim à salso humore orientẽ peculiariter sedare, eã verò quæ à bile nascitur, potius augere. Vel si malueris, alliũ ex sua natura, quia calidũ, & siccum est, sitim inducere; quia tamẽ humores pituitosos à capite per fauces vergere facit, vt inde palatũ humefiat, proinde sitim ex accidenti sedare, dicendũ est.

181. Nec minus in dubium fertur circa majorem Textus expositionem, cum Magister inter doloris colici causas, flatulẽtum spiritum à materia in intestinis contenta eleuatum reponat. Vtrum videlicet flatuum generatio potius à debilitate caloris innati, quàm à calore intenso nascatur. Pro quo notandum prius expedit, quod flatus est spiritus turbidus, & nebulosus à calore imbecilli ex humore viscoso, crasso, & frigido progenitus. Vnde effectus videlicet flatus, efficiens causa, vt imbecillis, ac invalidus calor materialisq; demũ ex qua vt succus crassus, frigidus, & viscosus colliguntur. Pluries enim in vẽtre ex humoribus in ipso contẽtis pituitosis, aut ex cibis vapores à mediocri caliditate resolutis, flatuum generatio evenit: nam frigiditas perfecta nullum omnino vaporem eleuat, imò cogit. Quare neq; omnino attenuat, neque absumit, nec dissoluit; intensus verò calor cibum attenuat, si flatuosa natura cõstet, quo casu nebulosus flatus gignitur, ita tamen paucus, vt per vnum, aut alterum ructum excernatur: mediocris verò caliditas, minori vi pollens, licet cibos dissoluat, non quidem perfectè consumit, sic potius flatus ab ipso non forti, sed languido generatur.

182. Hanc philosophandi rationem firmabis, si perpendas, quod veluti in vniuerso, magnoque mundo, solis, stellarumque actione duplex exhalationis differentia reperitur, vt Arist. *lib.2. meteor. c. alibi citato* aliud humidum, quod pluuiæ materiam suppeditat, siccum verò aliud, quod ventis, ac impressionibus ignitis subseruit, sic in animalis corpore, paruulo mundo caloris actione duplex recrementorum differentia eleuatur, aliud duntaxat humidum, & vaporosum, insensibiliter per cutis spiramenta effumans, aut sensibiliter medio sudore propulsum exiens, aliud verò est siccum, ac fuliginosum, ex quo pili, vngues, & sordes progignuntur, vt Magister *l. de sanitate tuenda, c.* 12. Præter hæc alia recrementa flatuosa, quæ ipse Magister flatum, siue spiritum flatuosum appellat, adsunt quem licet vbique, præsertim tamen in locis ad ventrem pertinentibus generari 2. *ad Glauconem, cap.6.* asseuerant.

183. Quibus

183. Quibus ſic poſitis, indica, quod quemadmodum extrinſecus ac in mundo magno frigidiſſimæ, & boreales conſtitutiones, quales hieme vigent, & calidiſſimæ, vt æſtiuæ purum potiùs, quàm turbidum aërem reddunt: quæ verò inter has mediæ reperiuntur, nebuloſum gignunt. Non aliter in animalium corporibus, mundo vt dixi paruo, neque dum calor languidus eſt, ita vt magis frigiditas (vt ſic loquar) præpolleat, neque dū calor vehementer inualeſcit, ſed quando inter hęc extrema medio modo ſe habet, flatuoſum recrementum generatur. Quod vbi per ſtomachum excernitur, ructus efficit, per ſedem verò vel cum ſtrepitu, vel ſine eo, flatum exhibet; quando verò nec per os, nec per ſedem excernitur, inflationem producit.

Hanc ſentiendi rationem Magiſter Gal. 3. *de ſympt. cauſis, cap.* 2. dum ſic ait, roborat, eſt autem & horum generatio in ipſis, quæ in ventre ſunt, locis, ſuccis quibuſdam pituitoſis, vel cibis inibi à deficienti calore in halitum ſolutis: quippe ſincera frigiditas prorſus halitum non facit, quòd ſcilicet ea nec attenuat, nec conficit, nec alimentum diſſoluit: fortis verò calor, cum longo interuallo nutrimentum ſuperet, amplius quàm pro halitu generando id attenuat, niſi tamen flatuoſum ſit natura: tunc enim gignitur ſpiritus quidam turbidus, ac vt ſic dicam, nebuloſus, cæterum exiguus, & brevi tempore, itavt vno, vel altero ructu vacuetur. At calor, qui in cibos agit, ceterum diminute, is eos quodam modo diſſoluit, non tamen prorſus conficit, atque hinc oritur flatuoſus ſpiritus. Ex Gal. igitur præſenti doctrina mirificè noſtra aſſertio conſtat, calorem videlicet imbecillum, ſiue languidum ſpiritus flatulenti generationis cauſam adeſſe.

184. Nec, ſi dicas, valet, quod cum calor à plurimis cauſis langueſcat, plurimæ etiam flatus generationis cauſæ reperientur: primo enim calor à frigore per ſe minuitur, ſiue remittitur, veluti à verè contrario, qua ratione potio frigida flatum, atque hydropem accerſit; vt Gal. 6. *de locis affectis cap.* 1. docet. Secundo à prohibita tranſpiratione, qua omnis calor ſponte langueſcit. Tertio à defectu materiæ. Quartò ab illius ineptitudine dum enim immodicè craſſa eſt, à natiuo calore confici, elaborarique nequit, ſed potiùs in flatum vertitur. Quintò ab immodica copia, cum innatus ignis præ illa & obruatur, & extinguatur. Sextò ab intenſa ſiccitate, natiuum humidum caloris pabulum abſumente. Septimo, & vltimo ab ignea caliditate, vt in priapiſmo contingit: ex Gal. 14. *Meth. cap.* 7. Vbi infrigidantia lumbis apponenda, venamque refrigerationis gratia ſecandam eſſe iubet, ac in mirachiali, flatuoſaque melancholia manifeſte patet ex Gal. 3. *de locis affectis, cap.* 7. in qua flatus corrigi aſſumptis refrigerantibus, refracto immodico pylori calore, teſtatur; proptereaque Gal. 4. *lib. acutorum, comm.* 42. ſpiritum calidum flatuoſum in corpore gigni affirmat, ſic aſſerens: *Verum cum ſpiritus calidus, flatuoſuſque ad caput fertur ob humorum prauitatem, &c.* ergo ex his infertur (dices) calorem non ſolum languidum, verum valde intenſum, aliáque ſuperius prædicta flatuum generationem inducere poſſe.

185. Licet tamen plures calorem noſtrum nativum cauſas debilitantes fateamur, hæ quidem non ſunt immediatæ, primariæ, & flatus efficientes, ſed valde remotæ, ſecundariæ, & ex accidenti; calor enim adurens flatus non elevat, ſi in quod vis humidum agat; at verò debilis calor in quodvis agat, eos generat, eo quòd præ imbecillitate illos attenuare, ac diſcutere nequit. Quare quamvis priapiſmum frigida curent, potius hoc, quia calor igneus mitteſcit, atque remittitur, evenit, veluti venæ ſectio in iuvene robuſto, quia humor in inteſtinum colon dictum fluxurus, ac in flatum gignendum aptus reuellitur, ſicque calor innatus debilis ſemper flatus gignit, qui ſi immodicus, valdéque intenſus adſit, vt in melancholia hypochondriaca ſępe accidit, debilis, etiam eſt, quia ab ſtatu naturali diſceſſit, neque commodum naturæ operantis inſtrumentum eſt, imò ab excedenti calor inſitus imbecillior redditur, propterea coctio læditur, cruditates increſcunt, vt flatuum copia in dies augeſcat. Et proinde ab igneo calore, nativum deuaſtante, reſoluenteque frigidi affectus, quandóque hydrops, vt in morbis acutis oriuntur. Flatus ergo generatio ſemper à languido calore gigni ex dictis conſtat, & tandem Gal. 4. *acutorum, comm.* 42. *ſupra citato* roborat, ſic inquiens: *Conatur ſiquidem caliditas natiua corporis humores tum diſſoluere, tum effundere, ſed tenuare ipſos, & per inſenſibilia foramina excernere non poteſt. Cum verò perfecte languet, neque ſoluere incipit, atque ob id ſpiritus flatuoſus non ſummè languente natiua caliditate ortum habet*, &c.

186. Cum demum Magiſter in textus calce tres convulſionis differentias, quæ ſolui poſſunt, aliamque curatu impoſſibilem adducat, propterea, præter convulſionis cauſas, quales repletio, & inanitio ſunt, alias Galenum in prædicto textu præſcribere, infertur. Convulſio etenim eſt contractio muſculorum, & neruorum motus à cauſa præter naturam, ſimilis contractioni, quæ ſecundum voluntatis imperium fit, ex qua definitione, non aliter poſſe convelli partes, quàm ex magna repletione, aut inanitione, quæ contrahat, eſt fatendum. Vt Hipp. 6. *aphor. ſentent.* 39. inquit. Convulſio fit vel ex repletione, vel inanitione: ita autem & ſingultus. Quare quamvis ob aliquam irritationem, aliquod membrum ſeſe contrahat, vel concutiat, hęc quidem non convulſio proprie cum à facultate fiat, ſed paſſio convulſioni ſimilis erit. Propterea dum Hipp. 4. *aphor. ſent.* 4. inquit. *Ex ſuperpurgatione convulſio, aut ſingultus ſuccedens malum.* Ex hoc duplex iam cauſa, qua convulſio fiat, vt irritatio à pharmaco procedens, & ſuperpurgatio manifeſte conſtat. Ita vt huiuſcemodi convulſio non ex irritatione ſolùm ſed etiam ex inanitione oriatur, quæ grauiſſima eſt affectio, cum potiùs euacuationem ſuccorum naturalium venarum, & ob ingentem facultatum irritationem, partium viventium ſubſtantiam inferat. De hac etenim quæ inanitionem ſiue aſſumptionem humiditatis natiuæ ſequitur, venit Magiſter intelligendus, dum ait in textu, *ſed quæ ex neruoſarum partium provenit ſiccitate, inſanabilis eſt*, ob quam merito rationem prædixit Hipp. *lib.* 5. *aphor. ſent.* 1. convulſio ex helleboro lethalis, vbi etſi à fumis acribus, & mor-

dacibus medicamenti, aut succorum corporis ventriculi orificium mordicantium, per consensum media irritatione nervorum motus convulsivus induci valeat, in præsenti tamen oraculo, non ita de hac causa, neque de repletione cõvulsio percipi potest, ex repletione non quidem, quia potiùs vi pharmaci euacuatio evenit, proinde si ex inanitione, de qua est intelligendum, oritur, semper casos lethalis est, vt Gal. in Textu inquit, eo quod corporis veluti nervorum partium humiditates, quæ instaurari non valent, absumuntur, vt ex superpurgatione dicta constat. Tandemque prædicta convulsionis causa pro ioanitione sumpta elucescit, ex eodem Hipp. 4. *Aphor. sent.* 3. dum sic fatus: *sanguine multo fluente, convulsio, aut singultus superveniens, malum.* Siue enim sanguis sponte, siue ex vulnere profluat, semper convulsio superveniens periculosa est, nam ex immodica sanguinis profusione, ac evacoatione nervorum, atque musculorum sobstantia nutrimento debito destituuntur, vt inde natiua instaurari nequeat. Sicque tandem, ipsa absumpta, siue deperdi a curationem obnegat.

187. Cum ergo ex dictis solum præcipuæ convulsionis causæ, vt repletio, & inanitio constet, merito Galenum in textu sibi contradictionem, cum tres convulsionis differentias præscribat, adducere videtur. Magister tamen à calumnia, si respondeamus, liberatur, quòd dum Magister illud verbom, *tres*, protulit, non quidem ad tres convulsionis causas, sed potiùs ad tres modos, quibus efficitur, est referendum. Nam etsi præter repletionem, ac inanitionem, vnica causa ut humor mordens, ac tenuis, & frigus præscribatur, istam etenim Medici spasmum potiùs non proportionatum ad materiam appellant. Nam quamvis Gal. tres dixit, 5. tamen *Aphor. sentent.* 1. alloquens, duas esse causas convulsionis primogenias, reliquam verò per consensum, non verò primogeniam nuncupandam dixit.

188. Sed cum Magister in præsenti de omni specie colici doloris intelligendus veniat, miraberis non immerito, quomodo ipse scipsum cùm dolorem colicũ à pituita vitrea pronatum pateretur, iudicans non colicum, sed nephriticum esse deciperetur, vt 2. *de locis affectis, cap.* 5. sic alloquens fatetur: *Porro memini, mi ipsi accidisse dolorem vehementissimum, vt mihi videtur, in intimo ventre terebro perforari, in eo potissimum spatio, per quod à renibus ad vesicam vreteras scimus extendi: iniecto deinde rutac.o oleo, quum ad paulo post excernero tentarem, excreui simul gratum: quippe vitro fuso tum coloro, tum substantia, haud absimilis erat. Atque id aliis quoque accidero conspexi. Equidem putabam lapidem in altero vreterum impactum, adeò mihi doloris ipsius species perforanti similis videbatur. Atqui excreto humore, doloreque sedato manifeste constabat. Neque lapidem fuisse causam, neque vreteres, aut renes fuisse affectos, sed aliquod intestinorum, & forte magis crassorum. Neque enim veluti pertemo corpus, exitus eius breuis temporis fuit: sed tanquam à pr fundo quodam, & per crassius aliquod, quàm per tenuium intestinorum tunicam ferebatur. Huiusmodi dolor s omnes propemodum Medici colicos nominare mihi videntur, quanquam quod ad locum, in quo dolor sentitur, pertinet, nullum adsit indicium, colon potiùs, quam tenuium intestinorum aliquod dolore affici, &c.* Hæc Gal. *loco citato.* Ex qua Magistri deceptione decantata, non, etsi præstantissimos viros nostris temporibus quandóque errores cõmittere, est mirandum; quare decorum Medico est, proprios errores fateri, neque ideò Gal. culpa irretitus manet, quamvis dolorem colicum à nephritio distinguere non valuit: hos enim inter se discernere non ita facile, imò valde laboriosum est, cum ipse Gal. esset æger, & sui Medicus, qui crudelissimo cruciatu oppressus colicum dolorem, quo afficiebatur, à renali non distinxit, quamquam ille tam exactè notas vtriusque affectus tum hoc loco dicto, tum etiam 6. *de locis affectis, cap.* 1. adduxit. Distinctióque præcipua quam refert, potiùs ex materia per secessum excreta frigidissima, & colore, & consistentia fuso vitro persimili, quam vitream pituitam antiqui Medici appellant, quàm ex antecedentibus signis, elucescit.

189. Nec admiratione, ac per consequens dubio caret, quo pacto ex alimento in ventriculo, & in calidissimo viscere, quale iecur adest concocto, tam frigidus succus, vt pituita vitrea generari possit, vndeque tam intensam frigiditatem acquirere valeat, vt intra corpus contenta à tam valido, intensóque calore aliquantulum non calefiat, neque auxiliis calidis intro assumptis, extraque apositis, simolque motu ex violentia calorem concipiat. Experimur enim quod aqua licet frigidissima in cacabum immissa calore ignis celeriter calefit: ergo longissimo saltim tempore pituitæ frigiditas, à calore partium corporis continentium aliqua ex parte remittenda erit, itavt potiùs calida, quàm frigida euadat. Gal. præterea 6. *Epid. sect.* 5. *comm.* 27. inquit, cibi, potúsque vincente animali à frigore gelari non possunt, vt alia frigore concreta repræsentent: ergo multo minos vitrea pituita in corpore, calore interno vigente, oriri valebit: atqui ex alia parte Galeno asserenti 2. *de feb. cap.* 6. epialam à pituita vitrea generari, danda fides est: igitur dissolvendæ rationes adductæ occurrunt. Quare dicendum est cum Gal. 1. *prorrheticorum. Sect.* 1. *comment.* 35. quod cum pituita vitrea frigidissima sit omnium quæ in corpore reperiuntur, & crassissima, & ob viscíditatem partibus tenacissimè impacta adhæreat, propterea difficulter putrescit, & accenditur, ob quam causam febre epiala correpti simul rigore, febréque afficiuntur. Et ita contumacissima est, vt per partes sentientes diffusa absque febre affectum rigorificum gignat, sicque, licet vehementi motu agitetur, calorem non concipit. Et quod sine febre à prædicta pituita rigor nasci valeat ex Gal. *libro de rigore, cap.* 7. constat, in illo iuvene qui rigore sine febre à prædicto succo pronato correptus fuit, auxiliisque calidis sanitatem recognovit. Nec rigorem siue febre adinveniri posse dubites, vt Hipp. *lib.* 1. *Epid. sect.* 2. *textu* 22. *in historia vxoris Epicratis. Et* 1. *prorrhetic. sect.* 2. *Text.* 31. & Galen. *lib. de inæquali intemperie, cap.* 8. *& lib. de differentiis morb. cap.* 5. veluti Avicenna 1. 4. *Tractatu* 2. *cap.* 6. *in med.* vnanimiter asseuerant.

190. Quibus sic firmiter de nulla pituitæ vitreæ repugnantia stabilitis, rationibus in contrarium prolatis respondetur, verissimum quidem esse

esse non ita tam intensam friditatem nostris in corporibus in statu naturali adesse posse, vt huiusmodi succum progignere valeat. Potest tamen in statu præter naturam calor naturalis valde remissus, languidúsque reperiri, vt præ hoc refracto, ac debili iste humor gignatur, præcipuè in partibus natura sua frigidis, vt in intestinis, vesica lotij, & aliis similibus, in quibus pituitosa excrementa ex se frigida, & viscida collecta, quò diutius immorantur, eò plus tenuibus partibus absumptis, ac resolutis frigidiora fiant, quæ in partibus in quas decumbunt grauissimos dolores concitant. Vt in dolore colico nuper dicto satis liquet. Nec mirandum, cum pluries sudor, atque humor ex corpore acuta febre laborante actu frigida erumpant. Vt Hipp. *Aphor.4.sent.47.* resoluta enim parte humorum ignea vi febris acutiei, in dies ob caloris natiui defectum frigescunt. Sicque status, atque natura prædictorum succorum, ę frigida nequaquam de naturali corporis dispositione, sed potiùs morbosa sunt intelligenda.

191. Quamquam Magister Gal. in textu prædicto colici doloris curationem complens stercus lupinum vt speciosissimum, ac valde proficuum subsidium omiserit, non ideò vt sui muneris, atque promissi oblitus taxandus, cum iam ipse *lib. 10. de simpl. medicam. facult. titulo. Stercus caprinum* satis erudite sic assereus adaperiat. *At lupinum stercus quidam colicis potandum dabat, non tantum in ipsis paroxysmis, sed etiam internallis, siquidem phlegmone vacarent. Quorum ego quosdam vidi non amplius invadi: & qui erant invasi, non aplius id grauiter passos, sed nec post paucum temporis. Accipiebat autem ille albidius stercus, quale vbi ossa ederint, solent excernere. Verum illud etiam in eo mirabatur, quod vel suspensum euidenter aliquoties iuuisset. Itaque hic stercus capiebat quod non decidisset in terram, id quod non erat inventu difficile; ea enim est luporum natura, que canum, vt suspenso altero posteriorum crurum, & meiant, & cacent in eminenti quopiam ex terra. Itaque in spinis sæpe astare stercus lupinum reperitur, & fruticibus, vepribus, herbisque procerioribus inuenitur. Porrò in stercore illorum, & non nihil ossium deuorati animalis, quod vt effugit commansionem, ita & concoctionem: quod & ipsum contundens, ac conterens, bibendum prabuit colicis: miscebatque & salis quidpiam, aut piperis, aut quidpiam eiusmodi. Vt plurimum autem ex vino albo consistentia tenuis bibendum prabebat: interim verò etiam ex aqua. Hoc ergo stercoris quod patientis ilibus applicandum dicebat, nos in ollula ad magnitudinem maxime faba repositum quibusdam suspendimus, nec potuimus non mirari, quum plurimos ipsorum videremus adjutos, &c.* hæc Gal.

192. Non immeritò, etsi stercus omne calefaciendi, exsiccandique virtute gaudeat, vt Magister *lib. 10. simplicium.* Ac proinde affectui frigido, atque humido valde prosit. Speciosius ad colicum dolorem à flatu humoribusque frigidis prortatum mirifice sedandum, stercus lupinum seligit. Non quidem solum ratione qualitatis manifestæ, qua pollet, verum etiam occultæ cuiusdam indicibilis inquam proprietatis, quam hoc subsidium contractam obtinet, huic affectui auxiliaturum, dummodo phlegmone absit, qua enim præsente maxime ab eo est abstinendum; calefacit etenim, ac inflammationem progignit. Si morbifica causa calida, vt biliosa extiterit. Sicque affectui tantum frigido succurrere valet. Præcipue si cum prædicto stercore gratioris saporis ratione piper, salem, & mel permisceas, præter enim voluptatem, quam gustui exhibere valet, promptius ad laborantem partem suam vim communicat, ampliúsque si vino, aut aqua mellis diluatur. Stercus igitur lupinum, siue epotum, siue super locum affectum alligatum contra colicam affectionem dolorificam validum auxilium cuius testimonium Auicenn. 16.3. *Tractatu 4. cap. 14.* Per sequentia verba sigillat. *Stercus autem adiuuat quod fit ex ossibus qua comedit, (& eius signum est vt sit album, in quo color alius non permiscetur, & proprie illud, quod ejicit super spinas) est res magis iuuatiua, & datur in potu in vino, aut in aqua mellis, aut lambitur in melle lambitionibus, postquam cum eo conficitur secundum descriptionem; aut fit aromaticum cum sale, & pipere, aut cum alia specierum, & si inuenitur in stercore eius os sicut est, est mirabile etiam. Et dicitur quod eius suspensio est iuuatiua, & dictum est, quod corpus intestinum adiuuat, quum exsiccatur, & teritur, est magis vltimum in iuuamento quàm stercus eius, &c.* Ex qua doctrina liquido mirifica stercoris lupini dolori colico medendo, virtus constat, & præterquàm quod illius proprietas, qua inopinate occulta operatur, à plurimis equidem admittitur. Marcellus enim Donatus *lib. 6. de Historia Medicam. mirabilium, cap. 3.* Fracastorius *1. de morbis contagiosis, cap. 8.* Et ipse Gal. *11. lib. simplic. cap. de cancris fluuiatilibus* hanc occultam proprietatem prædicti stercoris vt certam asseuerant.

193. Nec minus doctissimus Rodericus à Fonseca *in suis consultationib. consult. 57. fol. 209.* Quoddam singulare tanquam maximum secretum pro colico dolore tum soluendo, tum etiam præcauendo auxilium, quod à substantiæ proprietate operatur, quodque in seipso prædicto dolore correptus, mirifice fuit expertus, sumere collaudat. Animaduertitque testiculos equorum castratorum vino generoso optime lauandos esse, vt inde in talcolas incidantur, sensimque in furno exsiccentur, non quidem intense calido, ne comburantur. Quibus pro vsu servatis vnicam tantum ʒ. cum ʒ.ß. seminum anisi in pulverem reductorum in iure, vel in vino propinandum esse monet, ita vt aliquæ evacuationes per clysteres præcesserint. Ac post illius subsidij assumptionem, ante cuiuscumque oblationem tres aut quatuor horæ pertranseant.

194. Quamuis Magister dum cucurbitulam igneam dolore colico parti affectæ apponendam doceat: vt spiritus inibi contentus, vaporque à calore partis imbecillo eleuatus, nonque discussus ad extra trahatur, tandemque resoluatur, plurimi tamen causam, modúmque huius euentus nescientes, calorem cucurbitæ, veluti eum, qui in partibus interioribus inflammatione correptis (vt in lipiria) intensus adest attractionis de nouo est causa, sanguinem ac spiritum ad se trahere sentiunt. Hoc quidem crassa minerua per-



COMMENTARII
IN LIBRVM XIII.
GALENI,
DE METHODO
MEDENDI.
EXPOSITIO VII.

PRÆFATIO,
Libri institutum continens.

1. POSTQVAM nulli secundus, Galenus duo iam morborum genera, quomodo curanda sint, protulit, ita vt vnum in intemperie; aliud verò in soluta vnitate constitutum sit, de hac quidem in tertio, quarto, quinto, ac sexto libro huius instituti sermonem stabiliuit, post illam verò de affectibus qui in intemperie consistunt vsque ad duodecimum completissimè, ac splendescenti doctrina egit; in hoc verò decimo tertio de tumoribus, qui præter naturam incidunt, disertissimè alloquitur, in quibus nimirùm partes à naturali habitu recesserunt: & cùm inter tumores plures affectiones specie diuersæ sint, propterea primum de phlegmonis curatione, tam glandularum, quàm hepatis, vt hoc exemplo vniuersam methodum curationis phlegmonum consequi valeamus, tractationem aggreditur. Nec minus de principe animæ parte cerebro duntaxat, atque de phrenitide, ac lethargo disputat, vt postea indicationem à parte affecta desumptam perfectiùs seligamus. Demúmque nonnulla de liene, ac de instrumentis respirationi seruientibus adducit. Præsentem quidem librum, oculorum curandi methodum, phlegmonem, & arteriarum incisionem perficiens proponit.



CAPVT I.

Quidditatiuum phlegmonis exponitur.

TEXTVS.

At cum plures specie affectiones, &c.

2. VAMQVAM Magister naturam, vel essentiam, differentias, causas, signa, & tumorum præter naturam curationem adferre promiserit; prius tamen in præsenti capite, cum phlegmon inter omnes tumores frequentius accidat, febresque, & alia symptomata periculosissima suscitet, de illius natura exponenda incipit: & cum veteres pluries inflammationem, sub nomine phlegmonis, intellexissent; proinde Magister hoc in capite nullatenùs phlegmonē pro inflammatione vsurpandam esse, asseuerat, sed potius dum supra inflammationem tensio simul in particula efficitur quæ non modo medio tactu deprehendatur, sed etiam ipse æger proprio sensu eam aduertat, quin etiam pro tensionis modo, tangenti quoque renititur pars phlegmone obsessā, & magis quam pro naturali habitu augescit, neque sine dolore adest; aliquando etiam in eo, cum malum amplius increscit, & præcipuè si in suppurationem tendit, pulsationis sensus est, ruborque in parte phlegmone laborante semper maior, siue minor percipitur quæ omnia perpetuo partibus inflammatis insunt, ita vt vel in ipso pedis vestigio, vel in manus interna parte incubuit, hæc etiam magis rubra quàm ante videantur.

Paraphrasis Textus.

3. Vt phlegmonis essentia in Galeni doctrina omnimodè innotescat, quot modis ab antiquis phlegmone, siue inflammatio percipi debeat, prius operæ pretium erit, inuestigare. Auicenna equidem 3. 4. *tract.* 1. *cap.* 2. phlegmonem tria significare inquit. Primo nimirùm exarsionem, in qua sola intemperies absque materia reperitur, ad quam febris valet reduci, propterea que, vt ab inflammationibus differat, exarsio appellatur, vt ex Galeno 2. *ad Glauconem, cap.* 1. infertur.

4. Phlegmone 2. quamcunque inflammationem cum materia significat, ita vt omnes calidi tumores, tam ex sanguine, quàm ex bile, vel quolibet alio humore pronati intelligantur, vt Magister eodem loco citato. Sumitur demum phlegmone pro illa inflammatione, quæ ex sanguinis fluxu pendet, de qua in præsenti potius Magister alloquitur. Quanquam de illius expositione varij varia proferant. Ipse enim Galenus in præsenti libro inquit, *quod phlegmone est tumor carnosarum partium, vbi tensione cum & renitentia, nec non dolore pulsatili, & calide, ruborique, maiorem sibi tumorem contrahit.* Paulus verò Ægid. *lib.* 4. *cap.* 17. sic fatur: *Phlegmone tumor quidam rubens est cum dolore multo, renitens tactui, calensque ex sanguine, conrelatum est, non prauum ortum habens.* *Ex quibus veluti constat, quod phlegmone est tumor præter naturam calidus, rubicundus, cum dolore, pulsatione, & tensione prominens, & circumscriptus oui saltem gallinacei magnitudine est quidem tumor calidus.* Quia ex sanguine, qui succus calidus est, nascitur, & ita huiuscemodi calor vehemens dicitur, vt pars affecta vri videatur. *Rubicundus adest* propter sanguinis ruborem, illius autorem: acerbus etenim dolor persentitur, eo quod ex calore, pulsu, & tensione fiat, & eo acerbior, quo pars acutiori sentiendi actione polleat. Et cum arteriæ liberè præ nimia inflammatione, humorisque fluxi copia dilatari non valeant, propterea pulsatio profunda, & molesta, distensioque renitens persentitur.

5. Quibus sic iactis ex Magistri doctrina in textu facile infertur, quod phlegmone est morbus in compositione, præsertim in magnitudine adaucta: tum etiam in intemperie, solutaque vnitate, vt Gal. 1. *de temperamentis.* Vt enim organica membra respicit, morbus est in compositione; morbus verò in intemperie, vt lapsus simplicium partium est, in soluta tandem vnitate, quatenus tam organicum, quam similare partium genus respicit, collocatur.

6. Aliqua tamen ex suppositis maiori expositione indigentia notanda. Primo, quod etsi Magister, phlegmonem tumorem esse asseueret; iste tamen citò fit, & facile crescit, quoniam materia ex qua, vt sanguis, multa, vt facile fluat, adest. Calor etiam mordax est, vt Galenus *lib. de inæquali intemperie*, quia prædictus sanguis valde feruens. Primo arteriarum, venarumque tunicas; dein de omnia, quæ extra eas adsunt, præter modum calefacit: nam cum sanguis in parte constipatus sit, difflari nequit: ac proinde putrescit, sicque calore præter naturam, & putredinali afficitur: *quippe nisi humor penitus transpiret necesse est, vt statim putrescat.* Animaduertendum tamen est, vt Magister in textu ait, quod phlegmonis calor ab initio non ita intensus est, sed procedente tempore, naturali dumtaxat perspiratione omnium meatuum ex obstructione impedita. Nec minus perpendendum occurrit, quod pulsatio non semper inflammationi adest, sed tantùm quando increscit: tum etiam in suppurationem tendit, vt Magister *in præsenti*, & 9. *methodi* inquit: *Pulsatio est magna phlegmonis symptoma.* Et merito nam ad incrementi, vigorisque morbi mutationem, symptomata ipsum sequentia ostenduntur. Quare quia in statu omnia fortiora, propterea in eo, quia pus fit, dolores, & febres augescunt, pulsatioque magis relucet propter arteriarum materiæ putrescentis oppressionem eas liberè dilatari non permittentem.

7. Febres similiter ex inflammationibus subsequi solent, vt Gal. 1. *de different. febr. cap.* 4. & 2. *de different. febr. cap.* 1. sic fatur: *Vbi autem constipata excrementa in particula inflammata putruerint, calor quidem præter naturam accenditur, qui ab inflammato membro in alia illi vicina, atque ab his in alia successione quadam extenditur, donec ad cor aliquando ipse calor perueniat.* Nec minus ipse Magister. 10. *Methodi* sic ait: *E phlegmone subsequuntur febres propter putredinem.* Dixi quod febres subse

subsequi solent, non semper & necessario, sed aliquando, vt Magister: *donec ad cor aliquando ipse calor perueniat.* In paruis enim inflammationibus, ignobiliúmque partium rarò febris accidit, vt ex Gal. 4. *de pulf. causis* asserente constat: *etenim in omni parte, quæ inflammata est, hæc necessario duo accidunt: calor immodicus, & tensio, quæ corpori vniuerso communicantur, vbi aut pars nobilis inflammata fuerit, aut insigni prædita inflammatione.*

8. Si de partibus affectis, de his inquam, quæ inflammationibus, vel phlegmonibus subiectari possint, inquiras, facilè ex Magistro *lib. de inæquali intemperie, ac de tumoribus præter naturam,* percipies, cum asserat: *fluxionem suscipiunt cutis, caro, nerui, tendones, membrana vasorum tunica, ac etiam interdum ossa.* Frequentius tamen musculi phlegmone afficiuntur, eo quod natura sanguinea, maiorique venarum amplitudine gaudent; si verò sanguis subtilis fuerit inflammatio potius in cute, si crassior in musculis fiet, si mediocris, medio modo se habebit.

9. Nec quiesces, licet phlegmonis naturam, causam, signa, partemque affectam calleas, nisi modum ipsius generationis percipias, vt inde cum Magistro veram indicationem curatiuam seligere possis: propterea Galen. 10. *methodi, cap. 6. ac lib. de inæquali intemperie, cap. 6.* tum etiam *lib. artis medicinalis, cap. 95.* veluti 14. *methodi, sequenti cap. 2.* inquit, quod inflammatio progignitur, quando copiosior ad aliquam partem humor accedit, primoque magnas venas replet, secundo ad paruas, & ex paruis ad minores, ex quibus ad minimas descendit. Et cum in his iam fluxio impacta est, ampliúsque contineri non valet, aliqua illius pars per vasorum orificia exit, alia vero per corum foramina ad exteriora percolatur, ex qua fluxione spatia, quæ vacua, & intermedia primorum corporum implentur; proindeque omnia ex humore prædicto, secundum omnem partem incalescunt ipsoque irrorantur. Ex præostensis non solum, quod phlegmone ex fluxione nascatur, verum etiam fluxionis causa, propter quam morbifica causa in partem decumbat, facile inferes. Præcipuéque Magister in præsenti libro significat, dum ait: *Porrò sanguis copiosior influit alia quapiam, aliísve particulis aliquando eum mittentibus, ac ea, quæ phlegmone laborare incipit: recipiente; aliquando particula, quæ affligitur, ipsum ad se trahente. Sanè quæ mittunt partes, alias, vt copia superuacuum, vel qualitate molestum: alias vtroque nomine succum propellunt.* Nec minus secundo de differentiis febrium *cap. 11.* hanc doctrinam Magister adaperit. Vt latiùs infra patefiet. Sed si dubites de prognosi in phlegmone profliganda, vt illius magnitudinem, motum ad intra, vel extra, congeneream eius naturam cum ægrotantis, & ætatis, temporisque anni natura, simulque partem, quæ phlegmone obsessa sit, perpendas, oportet. Si enim in partibus externis, nisi admodum magnæ obsederint, minus vitæ periculum minantur, quando tamen ita magnum suscipiunt incrementum, vt caloris natiui suffocatio, & extinctio præ materiæ copia immineat, potius in gangrænam; vel sphacelum, siderationémve transmutantur; proindéque vehementer periclitantur.

10. Motus pariter phlegmonis assiduè in extimas partes prorumpentis laudabilis, veluti in internas semper vt prauus damnandus, vt Magister *in Comment. lib. 6. Aphorism. sent. 25. Erysipelas intus verti non bonum*; Si enim tumor qualiscumque fuerit intrò subitò delitescat, est damnandus, cum in membra nobiliora morbifica causa vehementer refluat; propterea que excretiones, quæ fieri cœperunt, & protinus desierunt omnes in peiorem statum ægrum deducunt, vt satis tractatu de crisibus expositum manet.

11. Non immeritò naturam ægri cum morbo affinem, vel dissidentem callendam esse prædixi; nam si phlegmone in subene, tempore calido, calidaque & rara parte corporis, absque omnimoda plethorica, nec cacochyma dispositione adsit, propter huiuscemodi affinitatem minus periculum impendet. Veluti è contra, si his contraria contigerint, vt Hippocrat. 2. *Aphorism. sentent.* 24. sic ait: *in morbis minus periclitantur, quorum naturæ, & habitui, & ætati & regioni magis congruit, quam quibus secundum nihil congruit.* Cuius est ratio; nam is cui morbus congruit, ex leniori causa cœpit ægrotare, quare cum maxima curationis pars in sublatione causæ posita sit, faciliùs curabitur. Notandum tamen est, non ideò semper esse dicendum, quod quivis morbus non congruens periculosior quovis congruente sit: sed quod idem morbus plus periculi habeat in eo, cui non congruit, quàm in eo cui congruit. Vt febris ardens in natura frigida, cui non congruit, periculosior, quàm in calida, cui congruit, adest. Et vlterius animaduerte, non solùm morbum minus periculosum esse illi, cuius naturæ, & habitui, & ætati; tempori, & regioni congruit, quàm illi, cui secundum nihil horum; verùm etiam minus periculosum esse, quibus secundum tria, aut duo, aut vnum etiam congruit, quam quibus secundùm nihil horum. Proindeque oraculum Hippocratis, & prognosis phlegmonis non copulatè, sed disiunctè, quorum naturæ, aut habitui; aut ætati, aut regioni congruit, sunt intelligenda. Seruata tamen dignitate, maiorique suppositione inter ea, quæ congruunt. Cum magis natura ægri particularis quàm ætas, & ista potius, quam anni tempus, & regio perpendenda sint. Vt tandem indefectibile præsagium constituere valeamus partium præstantia animadoertenda est, si enim phlegmone in aliqua nobili parte intenso cum dolore adsit, vel in emunctoriis, cordi, & cerebro proximis exquisitissimo sensu affectis inueniatur, ne in esthiomenum, aut gangrænam incidat, pertimescendū erit.

12. Nec minus notandum, Galenicam in præsenti mentem de vera phlegmone percipiendam esse: ista enim ex sanguine naturali, & benigno generatur; ex sanguine verò illaudabili facto per aliorum humorum admixtionem tres differentiæ non veræ phlegmonis oriuntur

oriuntur, eo quod tres alij humores, veluti pituita, vtraque bilis sanguini permisceri valent, si flaua bilis sanguini commisceatur, tumor ex vtroque humore factus phlegmone erysipelatodes nuncupatur, veluti si pituita, phlegmone hædematodes, si succus melancholicus, phlegmone scirrhodes. Ex sanguine tamen præter naturam reddito, & maligno per adustionem, & corruptionem propriæ substantiæ, præ ipsius tenuitate, aut crassitie carbunculi, vel gangræna, vel sphacelus eueniunt.

13. Cum tamen Magister phlegmonis symptomata non increscere, neque inflammationi pulsationem inesse, nisi dum in suppurationem tendit, prædixisset. Propterea quomodo per suppurationem, vel coctionem febres, dolorésque intendantur inquires. Vt etiam in putridis febribus idem in earum incremento, & vigore euenit. Et merito ex his duplex dubitandi ratio pullulat, quarum prima est, quod coctio est febris intensioris causa, sitque media puris generatione, quæ coctio dicitur dolores increscunt, vt supra cum Hippocrate 2. *Aphorism. sent.* 47. *dum pus fit dolores, & febres augentur magis, quam ipso confecto* dictum manet, quare quando phlegmonis materia, qualis est sanguis suppuratur, febris augetur. Secunda increpandi ratio est, eo quod difficile hoc valde videatur, siquidem putredo media coctione emendatur, & cum putredo sit conditio, siue occasio intensioris febris, si media coctione putredo corrigitur, etiam media coctione febris corrigetur:ergo dum sit coctio in phlegmone, & in genere venoso in febribus putridis febres non solùm non augescent, verùm etiam remittendæ erunt: quod verò media coctione putredo emendetur. Ex Gal. *lib. artis medicin.* dum inquit: *quod coctio est actio faciens cessare putredinem manente substantia*, patet.

14. Quibus non obstantibus semper vt verior Galenica assertio in textu est tenenda, phlegmonem videlicet dum in suppurationem tendit, febresque etiam putridas dum causa morbifica coquitur, vt in statu accidit intensiorem calorem, quam coctione confecta, obtinere. Quod diuersis fundamentis est fulciendum, quorum primum ex Hipp. 2. *Aphorism. sent.* 29. *&* 30. desumitur vbi ait: *inchoantibus morbis, si quid tibi videtur mouendum, moue; cum verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere.* Cuius ratio desumitur ex sententia sequenti, 30. *nam circa initia & fines omnia imbecilliora, circa statum verò omnia fortiora.* Id est, in vigore, siue statu morbi omnia symptomata, vt accessiones febrium, vigiliæ, dolores, fastidium cibi, & alia sunt fortiora. Nunc sic; in statu fiunt coctiones, atqui in statu symptomata sunt fortiora: ergo tempore coctionis in febribus, & suppurationis in phlegmonibus, seu inflammationibus similiter vehementiora erunt: ac proinde febres ac dolores augescent.

15. Nec quod aliqui profetant, consistet totum esse verum dicendo, non tamen Hippocratem de statu coctionis, sed de vigore, & statu putredinis, in quo accessiones, & reliqua symptomata vehementiora sunt, intelligendum esse: hæc quidem expositio Galeno, & Hippocrati opponitur. Dum enim Galen. *in comment. sentent.* 29. rationem propterquam in morbi statu sit quiescendum, reddens propriè quia in statu coctiones fiunt, alloquitur sic verba constituens: *Quorum neutrum oportet adhibere morbo iam consistente vt enim libris de crisibus manifestauimus; coctiones morborum tunc maximè fiunt, &c.* Et infra protulit: *morbo autem consistente cum iam natura concoquit, superfluum est euacuare*: ergo ex hac Galeni doctrina luce meridiana clarius patet, quod status morbi, siue vigor, in quo symptomata, & febres augescunt, sumitur pro statu coctionis, in quo nequaquam sanguis mittendus est, neque vlla purgatio exequenda: imò à magnis auxiliis semper quiescendum, cum contrarium in statu putredinis sit exequendum, eo quod potius illo in casu remedia maiora valdè conueniant. Nunquam enim maior eorum necessitas quam in summo putredini vigore vrget, cum natura ferè deuicta sit, putredoque vehemens sui ablationem proclamans, prædicta subsidia celeriter exequenda indicet. Quis enim dum victoria morbi, naturæque impotententia sunt auxilia medica obnegabit? Nam pluries materiam diminuere, vt natura eam concoquat, reuellere à foco, ac ventilationem inducere, attemperare, ac alia similia, quæ indicari valent, exequi oportet: ergo si in summa putredine, illiúsque vigore subsidia medica sunt exercenda, & Hippocrates præcipit, quod in morborum statu est quiescendum, non erit de illo putredinis, sed pòtius coctionis statu intelligendus, quia iam natura summè concoquit, & paulò post victrix euadet: quare opus auxiliorum non est, cum potius naturæ actio circa morbificam materiam impediretur; sicque quiescendum, nequaquam tamen dum putredo causæ viget. Quare mirandum non erit, si dum coctiones celebrantur, omnia symptomata maiora, veluti in principio, & fine imbecilliora sint.

16. Nec minus hanc doctrinam Magister Galenus *lib. de totius morbi temporibus, cap.* 3. vbi de inflammationis temporibus agens, fulcitam sic alloquens, reliquit: *porrò cum in pus iam vertitur, maximi dolores tunc partem apprehendunt: nam in puris generatione dolores, febresque magis, quàm iam facto infestant,* &c. Roboratur etiam ex primo *Aphorism. sentent.* 8. vbi sic Hippocrates fatur: *quando morbus in suo vigore consisterit, tenuissimo victu vtendum est.* In cuius Commentario Galenus sic ait: *vbi morbus in suo vigore consistit, victu tenuissimo vtendum est; tum propter symptomatum magnitudinem; tum propter morbi coctionem: Nec enim distrahere oportet naturam ad alteram nouam coctionem, cum eo tempore vim coctioni humorum morbum facientium fortiter vacet, & non multò post sit euictura.* Ex quibus Galeni, & Hippocratis verbis, manifeste complicatio magnitudinis symptomatum cum summo statu, vel vigore coctionis constat: ergo quando coctio humorum in febribus, vel suppuratio, in inflammatio

mationibus celebratur, necessario febres, dolores, aliaque symptomata increscunt.

17. Sit secunda dubitandi ratio, quomodo nimirum per coctiones febris intensatur, nam ex Galeno omniumque medicorum schola coctio à calore fieri debet; atqui viuens materiam putridam calefacere non valet: ergo ratione coctionis nequaquam febris potest intendi. Minor probatur: nam putrida materia in viuente febrem inducit: ergo quia talis materia viuente est calidior: ergo ab illo denuò calefieri non potest; ac proinde nec concoqui, cum coctio fiat medio calore. Qua plurimi ratione nixi, & conuicti potiùs materiam putridam à frigore concoqui, aiunt, simulque quòd tempora coctionis cum temporibus morbi nullatenus coincidere valeant. Sed è contra videlicet, quòd quando coctio celebratur, quoniam à frigore fit, febris remittatur.

18. Quàm tamen falsa hæc assertio sit, ex *primo libro de Crisibus capit.* 18. constat, ibi enim Galenus sic fatur: *hoc ergo est, quod priùs dicebatur, quod scilicet in morbis febrilibus tale quid accidit, quale in his qua supparantur, & dolores, & febres pracipue contingunt, ita & hic dum coguntur humores, qui febrem inducunt; sic igitur in Anaxione, quantum ex prima illa crisi defecta relictum erat, hoc rursus efferuescens tempore coctionis, illam febrem generauit, qua crisim antecessit.* Quis ergo ex his obcæcatus manebit sensumque hallucinatum non extirpabit? Nec minus ex *libro 3. Epid. section. 1. in historia Hermocratis Commentario* 8. Cum enim die 14. non febricitaret, propterea in exitio erat, vt per hæc verba clarescit: *Quis quidem affectus ignorat vulgus medicorum, & gaudet, si qua videatur allemasio, etiamsi hac ex signis prioribus proficiscatur, & symptomatibus exitiosis nescientum cum natura enecatur, & extinguitur insitus calor, tales solere status incidere, non secus ac partes, qua mala destuxione in tumorem assurgunt vbi natura pra infirmitate nequaquam attingit humoris coctionem, qui excitauit tumorem: nam cum generatur pus, dolores fiunt, & febres, quod natiuus calor humores tumoris autores immutet; quare quando hic omninò à concoquendo abstinet per imbecillitatem, nec laborant, nec febricitant, nisi parum.* Et posteà infrà textu 10. exponens Magister Galenus diem vigesimum, in quo iudicatus est, & à febre liberatus, sic Galenus dixit: *Quo die accedere febris debebat, si natura omninò aggressa humoris coctionem esset.* Coctio igitur materiæ putridæ incrementum febri condonat, ita vt duplex febris causa sit, vna quidem putredo, altera verò ipsa coctio materiæ putridæ, vt Magister loco citato vltimo roborat, sic loquens: *Neque enim decimo septimo die accessit febris natiui caloris ratione, sed sola putredinis, succensis febriliter humoribus.*

19. Quibus prælibatis, prima ratio superius adducta, videlicet, quòd coctio debet fieri à calore; atqui viuens materiam putridam, calefacere non potest: ergo ratione coctionis febres augeri non possunt: dissoluitur quidem si perpendamus, quòd humor putridus, quando febrem creat duas continet partes, fuligines duntaxat, & partem crassiorem, quæ fixa remanet, quia in eas immutari incapax est; fuligines enim hac crassiori parte calidiores sunt, & ab ea iam separatæ per totum corpus distributæ febrem progignunt; quare cum calor partium viuentis intensior, quàm ille qui in parte crassiori est, adsit, ac deinde partes eam coquere, & calefacere possint, eo quod fuligines sint incoctiles, & potius per poros, & expirationem expelluntur, proinde quod coquitur crassum tantum, & remanens in parte inflammata, & putredinis foco, vt alibi est, sicque non implicabit materiam etsi putridam secundum illam partem crassam, & terream, quæ non ita calida est, à calore viuentis intensiore concoqui, & calefieri.

20. Dices tamen, si pars crassa humoris à viuente calefieret, non posset viuens denuò ab ea calefieri: ergo semper implicaret, quod febris posset intendi. Quod deciditur respondendo, quod quando humores putridi coquuntur, feruent, & propter ebullitionem, ac sanguinis vstionem, calidiores redduntur, febrésque augentur. Vel si tibi placuerit alia occurit causa intensionis caloris in dicto casu: nam fuligines eleuatæ propter humoris, qui coquitur, efferuescentiam, partibus viuentis communicantur, quibus priores fuligines communicatæ non erant, eo quod eodem tẽpore, eidemque parti cum quantitatiuæ, & corporeæ sint, applicari non valeant; ac proinde in tali parte febris increscit, quamvis fuligines, quæ de nouo applicantur prioribus calidioris non sint, cum propter maiorem agentis applicationem intensior effectus resultet.

21. Vlterius acutè obstabis dicendo, quod ex dicta occasione intensior febris in corpore vniuerso non loquitur, sed in partibus tantum quibus de nouo fuligines communicantur. Quòd quidem experientiæ repugnat: pulsus enim, ac respiratio insignem mutationem suscipiunt, ipseque æger se calidiorem in omnibus partibus persentit, cui cum Petro Michaeli de Heredia respondeo, non solum sensus iudicio, verum re vera febrem in vniuerso esse intensiorem quia illa pars cui de nouo fuligines communicantur, vt plus calefit: quare aliam partem sibi immediatam minus refrigerat, quoniam à fuliginibus fuit calefacta; proinde necessario febris in omnibus partibus intenditur: nam illa pars immediata, quæ à sibi proxima minus infrigidatur, calefit ab agente calefaciente illam magis, quam antea, quia & pars, & agens à frigiditate minus iam repatiuntur, & vt repatiantur minus, calefiunt plus: quod est in philosophia euidens. Acuta est responsio, ex hac tamen negandum non est, omnes partes per continui alterationem à fuliginibus calefieri, nam etsi vniformiter fuligines non partibus applicentur, seruata tamen proportione inter calidas & corporis frigidas partes, comparatiue ad fuligines calidiores semper alterationi calorificę istarum subjectantur; sicque etsi pars immediata ad aliam calefactam infrigidari posset ab aliquo, ab vlteriori tamen fuliginum calore tandem præter naturam calefieret: vt semper febrem in toto corpore intendi media coctione possimus dicere.

22. Et quamuis; vt est dictum, multitudo

agentium iubet ad agendum; proptereaque etsi fuligines aliæ aliis calidiores non sint, iterum, atque iterum media coctione ad partes eleuatæ possunt vlteriorem calorem inducere, cum maior effectus ex maiori agentis applicatione resultet. Hoc tamen non obstante sermonis consecutione dicam, quod fuligines, quæ de nouo partibus communicantur media ebullitione dum coctio celebratur, prioribus calidiores valebunt esse, vt intensiorem calorem in partibus prodneant: nam cum ebullitio à principio vsque ad statum coctionis increscat, huiuscemodi fuligines calidiores, eo quod ficciores, & acriores reddentur, partibus humidis, & frigidis semotis; non enim implicat à propria ipsarum forma per aptiorem dispositionem à feruore materiæ, à qua eleuantur, pendentem, quod intensior calor pullulet, qui de nouo partibus febrem augens, communicetur.

23. Neque exigua increpatio exurgit: nam si humor putridus, dum coquitur, ab intensiori calore partium coquitur, necessario non coctio, sed vel putredo intensior, vel vstio sequeretur: ergo quia nequaquam intensior calor pro materia putrida coquenda requiritur. Sequela probatur, nam huiuscemodi humor ante coctionem est putredine infectus, quia calore violento est corruptus, & alteratus: ergo si vt concoquatur, maior calor requiritur, addito intensiori calore, potiùs putredinis causa augebitur: ergo coctionis loco putredo, vel vstio sequetur, quoniam si antecedenter à remissiori calore, quia præternaturali humor erat putridus, efficacius ab intensiori à partibus communicato talis humor putrescet: ergo quia ad illius coctionem, nequaquam vlterior concoquentis calor requiritur. Cui respondeo, quod illa portio humoris qui coquitur, aliquam de nouo dispositionem, ratione cuius ab intensiori calore concoquatur, adquirit, quæ dispositio in putredinis humoribus humiditatis remissio, veluti in vstis siccitas moderatior, & temperatior erit. Calor enim, qui cum humiditatis excessu putredini author erat, veluti cum siccitatis intemperantia vstionem efficiebat, si postea talis materia putrida siccetur, & vsta humectetur, potius quàm putredo, nec vstio, naturæ opus videlicet coctio subsequetur, idem enim calor, qui humiditate in excessu concomitatus putrefacit, si illa superflua non scateat ad coctionem potius quàm putredinem concurret. Quare ab eo maiori partium calore humor putridus exuritur, & veluti in cinerem conuertitur; ita vt non humidum, sed quasi carbones terreum, & vstum; proindeque frigidius mixtum, ac putredinis in corpore incapax, ineptumque vt humores putrefaciat, remanet. Quapropter, quod humidum, & putridum est, in fuligines transmutatur, tandemque resoluitur, reliquum verò crassius incineratum remanet, vt Galenus *in Comment. sent. 47. lib. 2. Aphorism.* sic ait: *Et hæc ambo contingunt ex quadam veluti ebullitione, atque exustione sanguinis, qui vbi ex toto exustus fuerit, residuum eius fit pus, quemadmodum ex lignorum exustione cinis, atque ideo tempore illo dolores sedantur, & febres.* Ex quibus satis clarescit, quod eodem modo humores in febribus putridis concoquuntur, quo in aliis affectibus suppurantur, cum ex eo feruore, atque exustione, quod putridum sit, resoluatur, & quod propter crassitiem resolui non possit exsiccatum, non quidem, vt cinis, sed ad similitudinem maneat, proptereaque Aristoteles 4. *meteor. cap.* 10. dixit: quodque putrescunt, tandem fiunt terra, & cinis; neque ex hoe colligendum, quod semper pus, adhuc in putridis febribus, quando materia coquitur, fieri debet, quamvis humor putridus, calorque mixtus ex naturali, & contra naturam, vt in inflammationibus adsit. Diuersa enim est ratio, quoniam humor in inflammationibus intra partis inflammatæ poros adest, vbi semper natura propriam partis nutritionem conatur, humoremque in roridam substantiam contentum immutat; sicque ob ineptitudinem materiæ putridæ loco roris, potius pus conficitur, quia tamen intra vasa nutritio celebrari repugnat; proinde simul quod verum pus, sed vel sedimentum, vel humores incinerantur, fiat. Quare dicendum est, quod quando coctionis terminus inductus iam est, cum iam feruor cesset febres etiam moderantur siue remittuntur, vt de pure iam facto Hippocrates, & Galenus alloquuntur.

24. Locus igitur Galeni *ex lib. art. medicin.* adductus, dum inquit; quod *coctio quæ actio faciens cessare putredinem manente substantia.* Diluitur respondendo, concedendo autoritatem, & rationis propositæ maiorem fateor. Minorem vero videlicet, sed cessante putredine cessat febris, distinguo, cessat febris essentialis, quæ vi putredinis progignitur, concedo; cessat febris accidentalis, vel symptomatica, quæ feruorem, & ebullitionem vi coctionis nascitur, nego: vnde febres media coctione augeri, quæ tantum symptomaticæ sunt; non implicat.



CAPVT II.

Phlegmones curatio proponitur.

25. NAtura, essentia, phlegmonesque causis in lucem editis in antecedenti capite, iam Magister illius medelam in præsenti nobis proponere conatur, cognitio enim morbi inuentio remedij est; sicque sic caput alloquitur incipiens.

TEXTVS.

Etenim demonstratum est, &c.

26. Ostensum etenim iam est, quod omnis phlegmone ex confluente sanguine oritur; qui aliis statim calidior, quam pro sua natura fuit in ipsa parte, quæ phlegmone vexatur, efficitur. Et cum commune hoc sit, siue sanguis plegmonem progignens in vasorum finibus impactus apud aliquos, siue interpositus in solis arteriis sit, siue obstructionem, aut resistentiam in raritatibus quantitatiuam inferat. Quo fit, vt etiam curandi ratio, siue judicatio omnibus communis adsit, vacuatio videlicet sanguinis in particula

particula phlegmone laborante redundantis.

TEXTVS.

Phlegmones verò, &c.

27. CVm in phlegmone, quæ adhuc fit, quod factum, quidque fiens reperiatur, propterea Magiſter in præſenti duplicem in ea veluti in reliquis omnibus morbis, quicumque in gignendo adhuc ſunt, indicationem conſtituit. Adducitque rationem dicendo, quod illud quod jam genitum eſt, id potius remediis ad partem medicinæ curatricem pertinentibus, ſubtrahendum eſt, illud verò quod adhuc in fieri, actualique generatione adeſt præcauentibus futurum morbum detruncandum eſt, proindeque non ſimplex, ſed compoſita de morbis, qui adhuc in generatione ſunt, medendi ſolicitudo, & indicatio eſt habenda, ex ea nimirum quæ prouidet, & ea quæ actu curat, veluti etiam ſi phlegmone omnino adhuc laborare non cœperit, ſed tamen jam genus aliquod eorumque phlegmonem ſuſcitare poſſint, in corpore ſubeſſe appareat, in his quoque omnibus ſola prouiſio indicatur, ſi tamen nulla adhuc cauſa in corpore ſubaſitur, his ſic ſe habentibus, ſolumque ſanitatem cuſtodire valeant, conferunt. Cauſæ igitur quę phlegmonem progignere videntur cum jam ſint in corpore conceptæ, exiguæ verò adhuc atque in principio, ne quidem increſcant, majoréſque fiant, inhibendæ ſunt; quod proprie phlegmonem præcauere eſt dicendum, ſi tamen ita increuerint, vt jam phlegmonem efficiant, eas profligare, aut ſemouere oportet, quantumque phlegmonis genitum jam ſit proprie ſanare.

Paraphraſis.

28. Cum corpora multipliciter perpendi poſſint, vel in ſtatu quidem ſalubri, dum nulla adhuc phlegmonis cauſa ſubaſitur, vel quamvis phlegmonis adhuc non ſit bene verò aliquod cauſarum genus, quod illam ſuſcitare valeat, in corpore ſubeſſe appareat, exiguum tam ē robur ad agendum obtineat, vel ſi ita hujuſcemodi cauſæ increuerint, vt jam actu phlegmonem conſtituant, adeo vt quid fluxum, factumque adſit: veluti ex alia parte fiens, ſiue fluens eueniat. Propterea diuerſæ à Galeno indicationes ſtabiliuntur. Prima etenim ſalubris in primo caſu. Secunda quidem præcautiua, vt in exemplo adducta, quemadmodum in actuali phlegmonis generatione, compoſita ex materia partim fluxa, partimque fluente indicatio, vt reuellendi, euacuandique eam ſuboritur. Quamvis tamen Magiſter communiores indicationes ſtabilitas relinquat, ſpecioſius eas in præſenti adducere oportet. Cum igitur phlegmones morbus, tam partium ſimilarium, quia intemperies, quam organicarum propter magnitudinem adauctam, & morboſam, veluti in ſoluta vnitate, cum continuitas partium ſoluatur, ſit. Propterea tam vt intemperies, quam vt organicus, & communis morbus ſui ablationem poſtulat, quia tamen materialis eſt, vtpote à materia fluxa, vt factus, & fluxura, vt gignendus pendet; proinde tota veluti curandi indicatio, ad cauſæ videlicet ſanguinis ablationem dirigenda eſt. Cauſa quidem variis modis recedere valet, ſicque diuerſimodam indicationem ſecum ducet: ſi enim multa, quia excedens, ſit, euacuationem; ſi intemperata, quia calida attemperationem; ſi fluens, vel fluxura, quia vel quantitate, vel qualitate, vel vtroque modo irritans, reuulſionem indicare valebit. Et quamvis tam euacuatio, quàm reuulſio omnifariam exerceri valeat, quia verò ad cauſæ magnitudinem morbi tobur, & magnitudo inſequuntur; proinde phlegmones vel actu, vel imminenter magnus, auxilium non exiguum, ſed magnum indicabit: quare vt à prædicta materia natus ſanguinis miſſionem vim reuulſoriam, propter ipſius fluxum obtinentem, poſtulabit. Ita vt omni fluxus veſtigio ſemoto, aliæ indicationes à ſanguine fluxo in parte phlegmone obſeſſà pendentes adimpleantur. Materia enim inibi contenta, vtpote conjuncta euacuationem exigit. Quæ rigoroſe vt latius infra pateſiet, per reſoluentia intendi debet; & cum varia accidentia, ſiue ſymptomata phlegmonem ſubſequi poſſint, hæc dum magna, vicemque cauſæ poſſident, remotionem curatricem indicabunt. Quibus ſic animaduerſis non minoris pretij erit, victus rationem debitam, ſimulque omnes alias res non naturales inſtituere, vt *Gal. lib. artis medicin. cap.* 85. monet.

29. Neque prædicta pro ſpecioſiori phlegmonis curatione ſufficiunt. Cum adhuc generici ſcopi ſupra relati magis peculiariter aperiendi offerantur. Primus igitur prædictus, vt humorem antecedentem inhibeamus, vel à parte affecta in contrariam auertamus dirigitur, quod præcipue fit ſanguinis miſſione, in cujus exercitium, licet magnitudo morbi, ætas florens, & virium tobur adſit, quæ generica potiùs indicantia nuncupantur, ſpecificum indicans, vt ſanguinis vitium in quanto, vel in motu neceſſario requiritur; ſi ergo ſanguis copioſus, vel impetuoſe ad partem confluens eſt, magna inflammatio, febriſque valde intenſa, & vehemens dolor aderit. Quare deſumpta à morbi magnitudine, & ſpecie cauſæ indicatione, magna & cita euacuatio per ſanguinis miſſionem, quandóque vſque ad animi deliquium, vt Magiſter *Comment.* 23. *primi Aphoriſm.* docet, exequenda eſt. Sicque non ſolum vbi plethorica diſpoſitio, verum etiam ſine illa, vbi ſanguinis præ feruore motus, ex quo dolor naſcitur, requiritur, conuenit, eo quod ab his fluxio ſemper increſcit. Vt Galenus *in præſenti* 13. & *lib. de venæ ſectione* ſic inquit: *Phlegmone incipien e etiamſi plenitudo non adſit, expedit ſanguinis miſſio.*

30. Si verò vires venæ ſectionem non conſenſerint, aut aliquod aliud impediens adſit potius cucurbitulæ ſcarificandæ ſunt, eo quod vicem ſanguinis miſſionem viribus non ita valentibus gerere valent, cum præterea propter aliquam aſſueſactam euacuationē retentam tamen, vt ex menſibus ſuppreſſis, hæmorrhoidibus, vel narium hæmorrhagia, phlegmone contingat,

menstruæ purgationes venæ sectione internarum siphenarum,aliisque convenientibus protritaodæ sunt, dummodo præter plenitudinem vteri particularem, vniuersalis non sit, hoc enim in casu priùs multitudine vniuersali per superna deposita ad interiores, videlicet ex talo deuueniendum est, vt latius *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem exposui.* Qua igitur necessaria doctrina seruata, hæmorrhoides hirudinibus, ac aliis præsidiis sunt aperiendæ, veluti in hæmorrhagia suppressa narium venæ,tam fomentis calefacientibus, & attrahentibus, quam rerum asperarum immissione sunt referandæ, siue aperiendæ. Neque sanguinis missio quolibet ex loco, sed ex laboranti contrario exequi debet, vt Magister 13.& 14. *Methodi*, vt infra patebit, commonstrat. Seruata tamen rectitudine, ne sanguis impetuose ad affectam partem perueniat, cum semper revulsio, è directo humoris fluentis in contrarium sit tractus, vt *libr. de sanguinis missione* dum de revulsionis differentiis loquens satis adaperui.

31. Notandum tamen est, quod plurimi in curandis morbis medici crassissimos errores committunt, præcipue si curationis initia veluti expedit, non aggrediantur, in maximum enim vitæ discrimen ægrotantes deducunt, vt Gal. *lib. 2. ad Glauconem, cap. 2.* sic loquens ostendit: *Sunt autem hæc duo errata, maxime si nulla de toto corpore prouidentia habetur, etsi calefiat, atque humectetur etiam membrum: hæc verò duo medicorum plerique delinquunt, nonnulli quidem ex methodicis persuasi, & inflammationes omnes esse passiones astrictas existimantes, eas laxandas esse duxerunt, &c.* Ex huiuscemodi Magistri doctrina duo maiora medicorum vitia colliguntur; quorum primum est,quando videlicet aliqua corporis pars præsertim principalis,inflãmatione corrigitur,plethora,aut cacochymia in corporis mole reperta, & tota curationis intentio ad solam partem inflammatam dirigitur, plenitudine tamen, & cacochymia, quæ maioris inflammationis causæ esse solent, neglectis, itavt omni corporis euacuatione parui facta, illicò inflammationis curationem aggrediantur, topica remedia sine vllo fundamento rationali, nec methodico, sed potiùs empirico nixi apponendo. Secundum quidem vitium à Medicis commissum ex eo pendet, quòd partem inflammatam diuersis medicamentis calefaciant, atque humectent; quare potiùs attractio, & fluxio ad partem laborantem suscitatur, cum calor attractionis causa, sicut frigus repulsionis sit. Quapropter quotiescumque medicus immodicè medicamina calida parti inflammatæ applicuerit, humorum, aut excrementorum attractionem, præsertim si plenitudo, aut cacochymia in corpore sit, illi exhibebit. Præterea ex Galeno quantum à veriori curatione, qui medicamenta humectantia in phlegmones principio præscribunt, discedant,constat: nam phlegmone cùm à sanguine fiat potiùs refrigerationem, moderatámque siccationem indicat; non ergo immeritò Magister loco citato plurimos medicorum omnes inflammationes ex attractione prouenisse, proindéque laxandas putantium coarguit; Galenus verò non diffitetur, quòd aliquæ inflammationes ab adstrictione nasci non possint: ac per consequens habita ratione ad causam, laxandas indicat. Verum cum non omnes adstrictionem insequantur, nec omnes emolliendas esse fatendum, quod habita ratione ad partium phlegmone laborantium, & temporum vniuersalium diuersitatem desumendum est, partes enim quæ à natura destinatæ, vt aliarum principum excrementa recipiant, veluti adenes sunt, temporis laxationem exigunt, aliæ verò quæ communem vsum, vt ventriculus, & hepar præstant, non semper laxandæ, sed potiùs corroborandæ, in aliquarum enim inflammationum principio repellentia, quemadmodum in aliis temporibus laxantia conferunt. Quod *cap. 15. huius libri* patefiet. Quare solùm breuiter in præsenti quatuor casus, quibus repellentia non conueniunt, adducam. Primò enim si pars inflammatione obsessa imbecillis sit, vt glandulæ iam dictæ repellentia medicamina obnegat. Secundò quando maximus dolor adest, ne iste vehementiùs increscat, ægerque in animi deliquium incidat, repercutientia sunt renuenda. Tertiò si inflammatio à causa procatarctica, vt à morsu serpentis, vel canis rabidi ortum ducat, ne venefica vis nobile membrum irruat, repellentia non sunt permittenda. Quartò & vltimò quando maxima sanguinis confluentis copia,quæ repercussiuis nequaquam obsistere valeat, ne caloris natiui, & insiti partis obrutio, & suffocatio eueniat prædicta subsidia inhibenda sunt.

32. Quibus sic prælibatis,si superius prædicta ad revellendum humorem non suffecerint, aut aliquid venæ sectionem impediat, diuersimode causa morbifica distrahẽda est,sicque frictione, dolorifica vincula, cucurbitulæ aliquando siccæ,quandóque scarificatæ, vt dixi, sanguisugæ, medicamenta rubefacientia, fomenta calida, vt inde medio calore materiam auertant, possunt. Notandum tamen est, quòd auersionis,siue revulsionis conditio ita semper est seruanda, vt talia præsidia in partibus contrariis laboranti fiant, vt Magister 8. *methodi, ac in præsenti lib. veluti 1. ad Glauconem* exponit.

33. Secundus verò scopus, qui materiæ coniunctæ quia in parte receptæ, euacuatio dicitur, quinque modis adimpleri valet. Primo etenim revulsione, vt iam diximus, non enim quod revulsio humoribus iam fluxis subueniri possit, implicat: vt *lib. de curandi ratione alloquens de revulsionis differentiis adaperui.* Secundo deriuatione. Tertio repulsione. Quarto scarificatione. Quintò tandem resolutione intensibili deriuatio equidem quando aliqua propinqua,vena vel in parte propinqua secatur est exercenda, vt dum iam amplius materia non fluit, in angina vena sub lingua scinditur, nec minus repulsio laudanda est, cum non solum, quòd impletum est medicamentis digerentibus, sed his quæ adstringunt, & refrigerant, euacuandum sit, vt Magister Galenus 2. *ad Glauconem cap. 2.* Sic alloquens, docet: *atque emplastrum apponere ex semper viuo, & corticibus malorum punicorum in vino decoctis, & rhu, & farina hordei compositum. Hoc enim & in huiusmodi optimum est, atque ad omnia, quæ facere intendimus efficax. Repellit enim id quod affluit, atque id quod continetur exsiccat, & circumiacentia membra corroborat.* Ex qua Magistri doctrina satis

manifeste

manifeste euacuatiua non totius, sed partis priuatæ inflammatæ colligitur, in cuius finem emplastrum ex medicamentis repellentibus constituit, vt introrsum repellat, & extrorsū exprimat, quod quidem auxilium inflammationibus factis, à magnaque humorum fluxione genitis vtiliter prodesse docet, magnam enim in repellendo, vt ex natura prædictorum medicaminum constat, vim obtinet. Nam semper-viuum, tam maius, quàm minus, licet moderate adstringere dicatur à Magistro 6. *lib. simpl. ab eodem tamen frigidum tertio ordine indicatur, quare magnum dicetur medicamentum*: cortices similiter mali punici regionis ratione, seu mala granata granorum ratione nuncupata extremè siccare, ac refrigerare ex Magistri mente, possunt. Quemadmodum rhu, siue alio modo sumach dictum, in secundo gradu refrigerare, in tertio verò siccare valet. Quorum medicamentorum natura perpensa virtus vehemens repercussiua, ac magnis inflammationibus valde proficua infertur. Ex cuius emplastri à Magistro confecti norma quilibet eruditus medicus quamplurima medicamina inflammationibus vtilia præscribere valebit. Nec minus alia sunt subsidia ex his medicamentis, quæ influentem sanguinem intercipiunt, & quasi in itinere detinent; proindéque intercipientia nuncupata, eo quod cum frigida, & sicca, ideoque adstringentia sint, constringendo sanguinem fluere prohibeant, quapropter defensiua nuncupantur. Cui tamen parti applicari debeant, Magister 4. *de compositione medicam. Secundum genera*, satis exposuit, vasis nimirum prope partem affectam intermediis, & supra articulum, vbi vasa carne denudata sunt, debent apponi.

34. Scarificatio verò, & sectio, etsi conueniat, non tamen omni inflammationi confert, sed ei tantum, quæ ad suppurationem peruenit, neque adhuc omni suppuratæ inflammationi, sed tantum illi, quæ medicamentis resolventibus propter puris copiam euacuari non potest, quamquam aliquod pus in parte suppurante contentum sit, prætereàque etsi magna in copia sit, protinus incidere non expedit, sed medicamentis resolventibus digestionem moliri, vt Magister. 2. *ad Glauconem, cap.* 1. ait *inflammationes ex fluxionibus, ac principio non scarificandæ, inueteratæ verò post totius corporis euacuationem; atque quasdam durities, ac nigrities continent, ab his per scarificationem, sanguinem auferre nihil prohibet, & emplastrum ex farina hordeacea & ceratum, vel aliquod aliud medicamen ex discutientibus admouere.*

35. Resolutio tandem insensibilis, quæ vltima euacuationis differentia ex parte inflammata dicitur, medicamentis, moderatè calidis naturalem calorem augendo fit; vt Galenus in præsentis libri *cap.* 8. docet, sic asserens: *simili modo quæ modice excalefaciunt, vtraque interdum ratione prosunt, quod, & dolorem sedant, & contenta in parte laboranti digerant.* Ex quibus clare infertur, quod huiuscemodi medicamenta dolorem sedando, incrementum phlegmones prohibent, simúlque digerendo quod materiæ iam conceptum est, soluant: digerentia, seu relaxantia medicamenta diuersimodè possunt nominari, ista enim etiam rarefacientia, euacuantia, & emollientia nuncupantur, vt Galen. *lib.* 5. *simpl. cap.* 10. varias laxantium medicamentorum differentias esse monet. Quare rarefacientia medicamenta, quæ sublaxantium nomine comprehenduntur, media pororum apertione laxant, quorum natura in Galeni sensu *lib.* 5. *simplic. cap.* 13. calida, & minimè sicca est, licet quia tenuium partium sunt inter medicamina calida & sicca in primo gradu collocentur. Resoluentia verò, discutientia, & digerentia sunt, ideóque diaphoretica nuncupantur, cum per corporis alitum valeant euacuare, propterea que calida & sicca secundum magis, & minus, prout partes affectæ, & tumorum natura postulauerint, sunt. Sicque post repellentium vsum, digerentium necessitas vrget, vt humores digeri, atque exhalari possint, quia tamen phlegmones veluti reliquæ inflammationes, quatuor modis, vt resolutione, suppuratione, induratione, vel corruptione terminari solent, inter quos terminatio ceteris omnibus apud omnes collaudatur; suppuratio verò secundum locum, veluti induratio tertium possidet, vt inde corruptionem potius maligniorem phlegmonis terminum esse fateamur, cum potius ægros ad necis, quàm salutis statum inducat. Propter tamen diuersam prædictorum remediorum naturam, & morborum temporum perpensionem, in quibus non vna, sed alia valde diuersa præscribere conuenit, propterea ita morborum tempora necessaria sunt cognitu, vt inanis, frustraneaque morborum curationis via & ratio maneat. Quo fundamento Gal. *lib. de totius morbi temporibus, & primo de crisibus* nixus statuta tempora reliquit, quæ tamen phlegmonibus, siue inflammationibus fientibus, quàm factis competunt, licet enim semper morbos fientes in principio existere videatur, rigorose tamen sua tempora, principium duntaxat, augmentum, statum, & declinationem particularem talis principij obtinent; non enim implicat, quod licet, quoad totam essentiam factus morbus sit, quoad tamen extensionem, vt in progressu fluxionis experimur morbus fiens prout à causa conseruante, ac fonente peodet, nuncupetur.

36. Quibus prælibatis, prædicta morborum tempora cognoscentur, si cum Galeno perpendas, quod illud phlegmonis principium appellabitur, omne tempus, quo fluxio à primo insultu vsque ad fluxionis cessationem permanserit; augmētum verò ab ipsa fluxionis cessatione incipit, quæ quidem cessatio, vbi primum quod in parte phlegmone laborante contentum est, putrefieri incipit, elucescit. Quare augmentum à fluxionis cessatione incipit, & in statum inflammationis desinit. Status etenim phlegmonis, etsi vnus semper sit, dupliciter tamen propter duplicem terminationis modum, quem continet, est perpendendus; potest enim phlegmones, vel media resolutione, vel suppuratione terminari, sicque vel status per resolutionem, vel suppurationem terminari valet: quare materia fluxa iam in totum in parte;(quòd idem est ac dicere) transacto principio phlegmones, subsequitur augmentum, vbi iam humor incipit, aut suppurari, aut resolui, imperfecte tamen, ac rude, donec vehementius, & manifestius materia in suppurationem, vel resolutionem

solutionem tendat, tunc enim status vniuersalis phlegmonis, veluti cuiusque inflammationis nuncupatur, in eo quidem vehementiora, fortioraq; symptomata, quam in principio, ac fine propter materiæ particularis ebullitionem contingunt, vt Hipp. 2. *Aphor. sent.* 47. inquit latiusque in antecedenti capite modum suppurationis tumorum pertingens, ipse exposui. Quare in præsenti dicendum est, quod quando phlegmones putresieri, ut digeri, resolnique incipit augmentum, definitur, ac status sequitur, qui toto illo tempore, quo pus confici durat, etiam permanet, in quoque symptomata in summo vigore torquentia reperiuntur, quemadmodum, dum hæc remitti, declinareque incipiunt, facto iam perfecto pure, siue materia in parte contenta resoluta, declinatio sequitur.

Notandum proinde est, quod rigorose loquendo in augmēto etiam humoris fluxio aliquātulum permanet vsque ad vltimam ipsius partem, in qua iam materia phlegmones digeri, vel putresieri imperfecte incipit; sicque in vnica augmenti parte nempe in temporibus antecedentibus materiæ fluxio permanet, in vltima verò illa cessat & suppuratio incipit. Quæ pars fere pro prima status parte est desumenda, quam doctrinam sigillatam deduces ex Magistro Galeno 1. *de humoribus, cap.* 4. asserente: *Cum autem influxus cessabit, & quod in particula continetur, putresieri inceperit, calor quidem ob putredinem nascitur, & fusio magis propter calorem, vnde etiam & spiritus generantur, atque ob hac ambo particula magis, quam antea distenditur, etiamsi nihil influat; hoc igitur secundum tempus est inflammationis augmentum.* Ex quibus verbis vltima augmenti pars, quæ cum status principio consonat, clarescit, cum in primis temporibus adhuc fluxio permaneat, in vltimo verò iam suppuratio, aut resolutio incipiat. Proinde dum ait Galenus: *etiamsi nihil influat*, de vltima augmenti parte potius intelligitur; ac omnia quæ inflammationibus conuenire solent exponuntur, in illa enim particula, *quod continetur putresieri incipit?* ait Magister, quasi asserat: Quod sanguis extra vasa prolapsus, cum extra proprium locum sit, necessario putrescit, ex cuius putredine calor præter naturam oritur, à quo quidem sanguis funditur, qui sic fusus in spiritum, siue halitum vertitur, quare propter sanguinis fusionem, ac spirituum, aut halituum generationem inflammatio, siue phlegmone magis quam antea augegetur, distenditur, ac dolet, *etiamsi nihil influat.*

37. Quibus præhabitis, non immeritò in dubium accedes. Vtrum videlicet in phlegmonis principio medicamina digerentia conueniant. Præsens quidem dubitat o de phlegmone, ac de qualibet inflammatione, vt inflammatio est, militat. Cui dum Magistro negatiuè respondeo, diuersæ enim ipsius authoritates meam assertionem roborant. Primo enim ad Glauconem *cap.* 2. sic fatur: *Quicunque inflammatum statim in principio morbi soluere tentant, de eo quidem quod intentum est, atque inflammatum nihil admittunt.* Et vlterius Magister idem confirmat sic alloquens: *Cum magno autem dolore fluxu accidente non sic oportet, neque aquam calidam neque oleum, nec farina triticea cataplasma offerre: ista enim omnia cum digerentia sint medicamenta fluxionibus aduersantur.* Ex quibus facile infertur, quod non solum inflammationibus, verum etiam partibus sanis nocent, vt Magister ait: *quæ verò morbo resistunt, & sana sunt colliquescere faciunt.* Nec minus hanc doctrinam diuersis rationibus fulcire possumus; Prima equidem se tenet ex eo, quod in phlegmones principio aliarum quæ inflammationum humores fluxi, conrentique in parte omnino crudi sunt: ergo ad euacuationem inepti; sed medicamenta digerentia sunt euacuantia: ergo in phlegmonis principio non sunt apponenda. Roboratur vlterius, nam medicamenta digerentia operantur medio calore: ergo medio illo, fluxiones augescunt: ergo dolores, ac intemperies in parte increscunt: ergo parti laboranti noua inflammatio additur; atqui afflictio non est danda afflicto: ergo si mediis medicamentis digerentibus noua fluxio, nouaque symptomata adduntur, nequaquam in principio inflammationum medicamentis digerentibus est vtendum Vlterius nam Medicus est imitator naturæ rectè operantis; sed natura in principiis inflammationis, quia grauata oppressaque humoris multitudine est, non digerit, nec resolvit: ergo nec Medicus in prædicto principio resolutiua, & digerentia parti inflammatæ apponet. Alias naturam non imitaretur, sed potius illius motum depravatum imitaret.

38. Ex dictis debitè vt certum colliges, quod in phlegmones principio, vt supra dixi, repellentia potius medicamenta competant, vt Galenus 9. *Methodi* sic ait: *at repellentia remedia, quæ certè adstringendi vim habent in principiis idonea sunt duplici ratione, & quod robur affectis partibus inferant; (vnde minus promptè affluxum excrementorum in se recipiunt) & quod eorum quæ in his iam recepta sunt tenuissimum extrorsus exprimant.* Tum etiam Magister Galen. 8. *Methodi* ait: *Ceterum ad incipientes phlegmones frigidis, & adstringentibus magis vtendum est, quam iis, quæ digerunt, atque etiam tum Magis vbi crassum, quod confluit non est.* Nec minus vere in hanc doctrinam firmandam diuersæ rationes adsunt. Quarum prima offertur ex eo, quod in principio phlegmones semper influxus paucus, ac materia plurimum tenuis, partis repellentis virtus satis valida, humorque influxus nondum ibi impactus sit: ergo cum omnia hæc concurrant, facilius medicamentis repellentibus in phlegmones principio, quod genitum est, curabitur, & quod gignendum sit, præcauebitur. Secunda verò ratio est, quoniam remediis repellentibus citius euacuatio fit, eo quod à minoribus ad maiora vasa, & ab iis ad alia maiora sanguis propellatur, è contra verò per digerentia euacuatio euenit, sanguis enim à vasis extra vasa, deinde in spatia vacua, quæ angustiora sunt, posteàque in partis poros angustiores tandemque ad cutem reliquis densiorem attrahitur: ergo cum motus repellentium ad ampliora vasa, veluti digerentium in angustiora tendat, faciliùs ille, quam iste fiet, celeriùsque materiæ fluenti subueniendum erit.

39. Cum

[illegible]9. Cum igitur in phlegmonarum principio, [illegible] repellentia conueniant, pro[illegible], quia materia valde fluxa est, [illegible] resoluentia, digerentiaque conueniant, in statu verò resoluentia, & [illegible] pari portione, quia æqualis est [illegible] fluxionis, & fluxi quantitas, conueniunt. [illegible] max[illegible] esse debent, [illegible] statu [illegible] de[illegible] & [illegible] paeta [illegible] Si [illegible] atio [illegible] tione [illegible] ndat; si vero [illegible] abs[illegible], [illegible] pediri [illegible] aperien[illegible], & d[illegible] comp[illegible]. Vt M[illegible] *libr. 2. de simplic. medicam.* [illegible] *& libro de comp[illegible] medicament.* [illegible]

[illegible] Quamquam tamen hæc sic adaperta [illegible] i Medicorum schola [illegible] lata ma[illegible] non [illegible] deficit non exigua dubi[illegible] videlicet in statu phlegmones, [illegible] ioni æquali medicamentorum [illegible], a d[illegible] portione sit vten[illegible]dum, [illegible] verò, solum [illegible] pellentia constante. Et [illegible] dubium facilius, [illegible] de[illegible]cisum [illegible], inquirendum etiam est, a[illegible] [illegible] æqu[illegible] portionem [illegible] um, [illegible] solue[illegible] in statu phl[illegible]onis ap[illegible]ican[illegible] de phl[illegible]gmon[illegible] sta[illegible], in [illegible] natura solum, vel in resolutionem, vel [illegible]purationem tendi[illegible]; ita vt nulla pa[illegible] flu[illegible] adsit; imò materiam in parte collect[illegible]m [illegible] natura in ea coctionem aggred[illegible]tur, in[illegible]telligendum sit [illegible] de statu fluxion[illegible], [illegible] quidem, etsi phlegmones [illegible] nuncup[illegible]ur, [illegible] sed potius particularis [illegible] pr[illegible] est principium [illegible] vni[illegible] phlegmonis [illegible] adhuc vt supra dixi, [illegible] pium [illegible] augmentum, sta[illegible]tum, & declin[illegible] diuidatur, p[illegible]nde [illegible] temporibus [illegible] culatibus fluxio exercetur; ita [illegible] fluxionis, qu[illegible] status p[illegible] dici[illegible]tur, [illegible] humoris [illegible] viget, non ta[illegible]men vniuersali phleg[illegible] statu, vbi nulla iam [illegible] celebratur: imo cessante omni fluxione, natura in materiæ coctionem ad [illegible] potius qu[illegible], [illegible] motus requ[illegible], dirig[illegible]tur. Vt ta[illegible]men ver[illegible] ectio [illegible], falsaque [illegible] tur d[illegible] contrarium fundamenta sunt proponen[illegible]. Q[illegible] cum plurimi i[illegible] phlegmo[illegible]nes [illegible] repellentia valde [illegible]mant, pro[illegible] ra[illegible]tiones propendentes occurrunt, quarum prima est: Medicamenta repellentia, neque commu[illegible]cta cum resolutiuis, nec separata in statu phleg[illegible]monis conueniunt, ergo neutro modo. Prima antecedentis pars probatur: nam mixtio facta contrariorum ad inui[illegible] in æquali portione mixtorum eandem facultatem, quam vnum[illegible]quodque separatum haberet, non obtinet, at[illegible]qui medicamentum ex repellentibus, & re[illegible]soluentibus, veluti ex contrariis est compositum: ergo medicamentum ex repellentibus, & re[illegible]solutiuis mixtum eandem virtutem, quam vnumquodque per se haberet, non obtinebit: ergo in phlegmones statu [illegible] cum eandem virtutem, quam antea [illegible] permixta sint non obtineant, [illegible] nda non sunt. Secunda deinde antecedentis p[illegible] videlicet quod n[illegible]c repellentia per [illegible] statu phleg[illegible]mon[illegible] possu[illegible]nt, Prob[illegible]r: nam ne[illegible]quam est negandum, quod in [illegible]mones [illegible] materia [illegible] parte inflammata contenta in [illegible]purationem, vel resolutione[illegible] d[illegible]onatur, sed medijs repel[illegible]bus tali dispositio aufertur, ac suppu[illegible] impeditur cum media r[illegible]pul[illegible]sione in co[illegible]poris intimiora materia re[illegible]cedat, ergo dicendum est, repellentia n[illegible] pe[illegible] se sola in phlegmones st[illegible] appon[illegible]da.

41. Huic rationi aliqui satisfac[illegible], dicentes falsam esse suppositionem [illegible] nem nimirum ex repellentibus, & resolutiuis tanquam ex duobus contrarii[illegible] compositam esse, ista enim absolute contr[illegible] con[illegible]traria ex Philosopho, & Magistro Galeno sunt quæ sub eodem genere posita, plurimum inter [illegible] diff[illegible], vt ignis & aqua; repellentia verò & resoluentia inter se absolute non differunt cum potius iuxta passiuas qualitates symbola sint, [illegible] cet circa actiuas dis[illegible] repellentia enim velut resoluentia sunt sicca, etsi in calore, & frigiditate differant. Quare nequaquam implicabit medicamenta repellentia, & re[illegible]soluentia in phlegmones statu præscribere, nam quamquam medicamentum mixtum[illegible] non sit eiusdem virtutis, ac si separatum fuerit, illius tamen applicatio in phlegmones statu n[illegible] erit inutilis: quemadmodum etenim aqua te[illegible]pida, etsi non eadem calefactione, nec refri[illegible]geratione, vt aqua calida & frigida gaudeat; aqua tamen tepida semper virtute quadam in [illegible] natura pollet; sicque non aliter medica[illegible]tum mixtum ex repellentibus, & resolutiuis, [illegible] cet temperatum sit in statu phlegmones, iam aliquod commodum, videlicet dolorem sedare, exhibebit.

41. Secunda præterea ratio sic currit. Ter[illegible]minatio, judicium, siue crisis morborum, vel in statu, vel prope statum ægritudinis accidit; ergo phlegmones terminatio, quæ per resolu[illegible]tionem, suppurationem, indurationem, & corruptionem fit circa phlegmonis statum fieri debet; atqui talis terminatio siue crisis per repellentia, tam separata, quàm con[illegible]iuncta impediretur: ergo quia nequaquam in prædicto inflammationis tempore sunt appo[illegible]nenda.

43. Cui aliqui responsum præbent, cum asserant, quod morborum terminatio, quæ per vnicam euacuationem euenit, diuersimodè, quam terminatio tumorum; & phlegmonarum se ha[illegible]bet; illa enim solo naturæ motu sine medi[illegible]camentis quæ si expulsio perfecta, tuta, & absoluta fuerit, perfecte morbum sine recidi[illegible]ua indicat, fit. Ista verò tumorum, & phleg[illegible]monarum terminatio non ita se habet; cum non subitò, sed sensim ratione caloris nat[illegible]ui adiuti medicamentorum, vt finiri possit. licet enim in phlegmones statu humores infixi

conco

concoquantur, non tamen proindè illius constitutio subitò (cum materia impacta sit) terminabitur. Quod si aliquando phlegmonem subitò resolui eueniat hoc vel quia materia exigua in quantitate, subtilisque sit, vel quia in corpus resiliat (quod semper est malum) prouenit.

44. Contraria quidem sententia contrariis fundamentis nititur, præcipuumque fundamentum sumitur (vt supra est cum Galeno dictum ex eo quod in phlegmones statu par est illud quod influit, ei, quod influxum est, quo supposito sic assertio probatur. Quando æquali portio humoris fluentis, & fluxi apparet æquale remedium, quod fluentem repellat, fluxumque resoluat, est applicandum; atqui quod repellit medicamen est repellens, veluti quod resoluit resolutiuum est: ergo illo in casu æqualis portio repellentium, ac resoluentium applicanda est. Cui argumento contrarium opinantes respondent, suppositum videlicet in phlegmones statu par esse illud quod influit ei, quod influxum est, falsum esse, sicque in tali, statu repellentia eodem portione cum resoluentibus non sunt apponenda, cum in phlegmones statu potius quod influxum sit, multa in quantitate, paucum verò aut nihil, quod fluit, reperiatur.

45. Vtraque tamen opinio, si debitè perpendatur, rationesque difficultatem dissoluentes sub distinctione intelligantur, æqualem veritatis rationis secum ducent. In quarum tutelam prius memorandum expedit, quàm vera sit Galeni doctrina superius prolata, dum per præsentiam fluentium humorum, ac fluxionis absentiam, tempora phlegmonis, atque inflammationum vniuersalium sunt animaduersa, atque stabilita. Cum igitur certissimum apud Galenum sit decretum, quod in statu vniuersali phlegmonis, nulla adhuc exigua fluxio adest, neque vllus materiæ motus, imò maxima quies in parte inflammata adsit, vt finis naturæ, coctio videlicet, & terminatio per suppurationem, aut resolutionem vi caloris natiui fiat proinde sustendum esse, quod dum Galenus æqualem portionem repellentium, ac resoluentium in phlegmones statu præscribit, potius de statu particulari fluxionis non verò de vniuersali statu inflammationis est intelligendus. Ac euidentissime probatur, nam ex dictis manifestè, quod status vniuersalis inflammationis, vt inflammatio est, sit illud tempus infertur, in quo iam nulla humoris fluxio: imo totius naturæ finis est, materiam in parte contentam resoluere, aut suppurare; atqui vbi non datur fluxio nullum ad sit indicans repulsionis ergo illo in casu nequaquam sunt præscribenda repellentia; deinde repulsio est impedimentum, quo minus natura in sanguinis resolutionem tendat, cum resolutio fiat per euacuationem materiæ extrorsum, & in halitus conuersæ, eo quod repellentia medicamenta huiuscemodi humorem frigiditatem cogunt, densant, ineptumque ad euaporationem reddunt: ergo à primo ad vltimum facile, quod medicamenta repellentia in phlegmones statu

non conferant, infertur.

46. Nec si feras vale[illegible], quod [illegible] seorsum, & per se sola apposita [illegible] bene tamen cum resoluentibus [illegible] ex eorum miscella quædam media [illegible] opus naturæ non impediat, exu[illegible] nam vel ista media entitas vim [re]pellendi [illegible] seruat vel iam eam vi mixtionis amittit, si feras adhuc eam seruare, intentum est [illegible] ergo cum semper repellentia illa [illegible] te media [iam] repellendi habeant, [illegible] pedirent secundum repulsionem, [illegible] nent humoris in parte cont[illegible] n'm. Deinde quia non sunt [illegible] vt [illegible] xi, cum repulsio semp[er] a flu[illegible] quæ nequiquam in statu [illegible] nis inuenitur. Si [ver]ò pro[fer]as, quod [illegible] medicamentorum ex [re]pellentium ac [illegible] miscella iam virtus illa repulsiua [illegible] & ad tertiam entitatem [illegible] nullum incommodum [se]quitur [illegible] luti aqua calida, & frigida [illegible] dam, tertiam constituet [illegible], quæ non [illegible] aq[ua] frigida, & calida [illegible] denerit. Ex hac etiam [re]sponden[illegible] stiæ illationis veritas elucescit, [illegible] tia, quia coniuncta sunt cum [illegible] per ta sunt: ergo iam non rep[illegible] tur, cum frigiditas à qua repul[illegible] non adsit: ergo iam non repellent [illegible] munus medicamenti temperati [illegible] ergo cum medicamenta laxanti[illegible] & resoluentia per se sola, sin[e] vlla [co]mmixtione indicata sint à natura partis affectæ, [illegible] ris quiescentis, illius quantitati, q[illegible] tenuis, vel crassioris, vt [illegible] ratio [illegible], possintque o[illegible] ti facere proinde in ph[illegible] sali solum digerentia, & [illegible] quam tamen repellen[tia] sunt appone[nda]. Ex quibus rationibus [illegible] opinio, quæ [illegible] repellentia in statum phlegmonis vniuer[salis] obneganda esse, colligitur. Nec minus [illegible], vt verissima est sustinenda, quæ medicame[nta] repellentia cum resoluentis in æquali portione amplectitur; in statu tamen phlegmonis [parti]culari, id est, in statu principij vniuer[salis], vel si malueris, in statu fluxionis, quæ in statu principij inflammationis viget, vbi æqualis [illegible] fluxi, & fluentis v[ide]tur. Vnd[e illegible] Galenus inquit, quod æqualis pars repel[lenti]um, & resoluentium medicamentorum in inflammationis statu est apponenda potius de hoc fluxionis statu, qui in principio vniuers[ali] accidit, quàm de statu vniuersali inflammationis est intelligendum. Et manifestissime contra Petrum Cananes probatur, nam [illegible] adest fluxio humoris, sola repulsionis [illegible], vt in principio principij reperitur, requiritur; & vbi sola materia est fluxa sine fluxione fouente, sola resolution[is] aut suppurationis indicatio inuenitur: ergo vbi vtraque est æqualis quantitas humoris fluxi, & fluentis, æqualis etiam indicatio [re]pulsionis, & resolutionis, aut suppurationis erit: ergo æqualis

etiam

etiam erit portio indicati repellentium nimirum, & reſoluentium præſcribenda; ſed ſic eſt, quod in fluxionis ſtatu dicto æqualiter eſt quod fluit, & fluxum: ergo hoc tempore ſunt talia medicamenta apponenda. Minor vltima probatur, nam ex doctrina Magiſtri Galeni 1. *de humor. cap.* 4. conſtat, quod iam tranſacto phlegmonis principio vniuerſali, ſubſequutoque augmento fluxio ceſſat, & potius natura incipit ſuppurationem efficere: ergo ſtatus fluxionis, itavt æqualiter ſit fluxum, & fluens non in augmento, multo minus in ſtatu vniuerſali, cùm nulla ſit fluxio, ſed potius in ſtatu particulari principij vniuerſalis intelligitur. Quod autem expreſſe hanc veritatem Galenus oſtendat ex loco adducto iis verbis patet: *Cum autem influxus ceſſauit, & quod in particula continetur putrefieri inceperit, calor quidam ob putredinem naſcitur, & fuſio magis propter calorem: Vnde etiam, & ſpiritus generantur, atque ob hæc ambo, particula magis, quàm antea diſtenditur, etiamſi nihil influat; hoc igitur ſecundum tempus inflammationis eſt augmentum.* En manifeſtiſſimè, ex Magiſtro Galeno, quam falſum ſit, in ſtatu phlegmones vniuerſali fluxionem vllam humoris dari, cum iam antecedenter ad dictum ſtatum, in vltima ſaltem augmenti parte Galenus omnimodæ fluxionis ceſſationem, vbi iam ſuppurationem incipere oſtendit, fateatur: ergo ſi in prædicto ſtatu nulla fluxio apud Galenum adeſt, nequaquam repellentia, vt vera indicata ſunt apponenda, & cum in particulari fluxionis ſtatu æquis portionibus quid fluxum, quidque fluens inueniatur, potius prædicto in ſtatu, æquis portionibus repellentia, & reſoluentia ſunt apponenda.

47. Nec ſimili inſurgas ratione, eo quod cum fiat vnica entitas ex repellentibus, & reſoluentibus temperata, proinde nulla repulſio fiet; ipſe enim aliter reponſum præbeo, ſuppoſitionem enim hanc mediam entitatem dictam obnego: nam licet repellentia cum reſolutiuis miſceantur, non proinde ſuas vires medicamentoſas, & poteſtatiuas amittunt; non enim ita horum medicaminum à natura mixtio fit, vt peculiaris mixtionis, & ſubſtantiæ modus tenuis, vel craſſus deperdatur, & qualis ad tertium mixtum conſtituendum requiritur, fiat; alias neque rigoroſe tale medicamentum repelleret, nec reſolveret, aut digereret; atqui ex vnica parte partialem repulſionem, veluti aliam peculiarem digeſtionem in prædicto caſu experimur: ergo talia medicamenta integram ſuam vim partim repulſiuam, partimque reſolutiuam continent: ac proinde tertia entitas temperata dicta non exurgit. Ex quibus vna, & altera ſententia diuerſimode percepta laudanda, ſequendáque eſt, cum nec Galeni menti, nec veritati diſſentiat.

48. Nec ſufficiet, Si vrgeas, ex eo quod in ſtatu fluxionis vrgentius fluit humor ad partem affectam: ergo vrgentius tali fluxioni per contraria, videlicet repellentia eſt ſuccurrendum, quod ex Galeno 8. *Methodi* conſtat, cum aſſerat, remedium debere eſſe æquale affectui; atqui in fluxionis ſtatu humor vrgentius fluit: ergo per æquale remedium debet repelli; ſed ſic eſt, quod medicamentum ex æquali portione repellentium, & reſoluentium non eſt æquale in ſtatu fluxionis ad repellendum cùm temperatum ſit: ergo ad ſiſtendam fluxionem in ſtatu non erit opportunum.

49. Cui inſtantiæ facilè. Reſpondeo primò quidem diſtinguendo antecedens, in ſtatu fluxionis vrgentius fluit humor, habita ratione ad omnem fluxionem venturam, concedo; vrgentius fluit, quàm fluxit, ſubdiſtinguo; vrgentius, fluit, quoad motum celerem, & impetuoſum, concedo; quod quantitatem, nego. Nam jam maxima quãtitas eſt fluxa in ſtatu fluxionis & licet fluxio, vt talis, vigeat, repellentia fortia, & vigentia poſtulat; reſpectu tamen materiæ fluxæ, alia etiam indicatio clamat, reſolutio videlicet materiæ iam in parte contentæ. Quare indicatio repellentium aliam reſoluentium indicationem, etſi fluxio vigeat, non tollit; neque quod medicamentum ex duobus repellentibus, & reſolutiuis factum temperatum ſit, eſt fatendum, vt ſupra dixi, non enim implicat ſecundum vnam medicamenti virtutem cum fluxione vigente æqualem, & ſecundùm aliam reſoluentium, cum quantitate fluxa parem, æqualiter repulſionem, ac reſolutionem diuerſæ materiæ fieri.

50. Repellentia igitur medicamenta, tam propria, quàm impropria nequaquam, ſed ſemper laxantia, & diſcutientia in phlegmones ſtatu vniuerſali ſunt præſcribenda. Repellentia etenim duplici ratione repellunt, vel per ſe, & propriè, vel per accidens; per ſe quidem qualitate frigida, veluti enim calor media rarefactione, & apertione partium diſpoſitiuè attrahit, non aliter frigiditas media pororum adſtrictione, & partium denſitate, ſine conſtipatione à ſe occaſionaliter propulſat. Proinde medicamentum omne frigidum repellens ratione frigiditatis erit, coniunctum tamen cum ſiccitate multò melius, & magis proprie repellens validiuſq; erit, quia non ſolum quatenus frigidum, verum etiam quatenus ſiccum partem conſtringendo humores ab ea in alias exprimit. Quod medicamentum frigidum, & ſiccum, dum pars affecta vaſa ampla continet, dolorque non intenſe vrget, conuenit; ſi enim dolor vrgeret, & conſtrictionem partis induceremus, potiùs affectus increſceret, quàm decrementum ſuſciperet; repellens verò humidum, aqueum, & improprium ſola frigiditate repellit, proptereáque imbecillius eſt, cum humiditatis laxare ſit proprium; & ideo vim repulſiuam aliquo modo media laxitate obtundit. Ob quam cauſam dolore in parte phlegmone obſeſſa vigente, huiuſmodi medicamentum repellens improprium, quia humidum, & laxans, maxime confert, cum partes vi doloris exaſperatas, laxitatem inducendo leniat.

51. Cum verò diuerſa ad virtutem repellentium augendam, vel minuendam, maxime perpendenda ſint, propterea tam phlegmonarum tempora, quàm alia diuerſa medicus inſpicere debet, ſi enim aer ambiens, cælique conſtitutio calida (vt in æſtate) ſit, quia cauſam morbificam phlegmonis, ſanguinem nimirum calefaciendo ad fluxionem magis diſponit, robuſtiora repellentia, quemadmodum, ſi frigidus adſit, imbe-

cilliora parti laboranti sunt apponenda; si tamen, tam partis laborantis, quàm totius temperamentum calidum sit, cum exiguus à proprio temperamento recessus inflammatio sit, mitiora repellentia, veluti econtra, si frigidum sit, ob intensiorem intemperiem valentiora sunt applicanda. Vnde ex affectus magnitudine, valentius, vel remissius repellens, sumpta indicatione à maiori, vel remissiori læsione requiritur. Non ergo immeritò in pueritia, quia tenerrima ætas, & in ijs qui exquisito sensu pollent, cum facilè à medicamentorum vi alterentur, validioráque medicamina ferre non possint; benè verò in adultis, & obtusi sentiendi actione pollentibus, repellens medicamen, quod vehemens fuerit, applicabitur: cum deinde corporum vasa, per quæ sanguinis fluxio percurrit, lata sint, vehementiora repellentia, ad tantam illius quantitatem sistendam, contra verò si angusta, imbecilliora prærequiruntur; nec minus partis inflammatæ situatio, rationem repellentia præscribendi, modificat; si enim pars laborans procliuis ad inferna sit, cum facile humores deorsum vergant, econtra tamen sursum irruant, ob hanc rationem in superno motu imbecilliora, veluti in inferuo validiora repellentia conueniunt. Si tandem indicationes inter se repugnantiam arguant, potius repellentia mediocria sunt eligenda, cum ex mitioribus sanguis non retrocedat, & ex vehementioribus cutis multùm contrahatur, valdéque dolor & fluxio increscat, quod & in parte relinquitur, ita tenax, durum, & ineptum ad resolutionem est, ægrè attenuari, ac discuti valeat. Notandum tamen est, quod repellentia medicamenta, tam humida, quàm sicca frequenter sunt à loco immutanda, ne à laborante parte semel calefacta eandem vicissim præter naturam calefaciant; non ita in digerentium, resoluentium, & suppurantium vsu est operandum, cum potius medicamentum, vt huiusemodi naturæ operi auxilietur, vlteriori tempore indigeat: primum enim sanguinem attenuat, deinde in halitum, seu vaporem vertit, postea ad se attrahit, tandem per insensibiles cutis meatus cum euacuat, quod non ita celeriter, quemadmodum attemperatio, & partium adstrictio, quæ à repellentibus nascitur, fieri potest. Cum igitur à principio inflammationis vsque ad augmentum, ipsius repellentia, veluti ab ipso augmento vsque ad principium status, tam digerentia, quam repellentia secundum magis, & minus conferant; iam in statu diuersus respectus est assumendus, phlegmones enim status, seu vigor est, quando inflammatio ad talem gradum peruenerit vltra quem progredi non valeat, hoc est, cum inflammatio maximè aucta est, intensi dolores reperiuntur, calorque insignis persentitur, in prædicto igitur phlegmonis statu potius materiam, sanguinem videlicet euacuantia, qualia medicamenta relaxantia sunt, apponere oportet, vt Magister Gal. *cap. 16. huius lib. & 2. simp. cap.* 10. vbi ait: *in statu phlegmones digerentia, & resoluentia locum habere.* Si vero afferas Galenum *lib. 1. de compositione medicamentorum simp. cap.* 4. & 6. dicere, in statu inflammationis pares esse indicationes repellendi, ac digerendi, hoc iam supra satis discussum, decisumque manet, ex eo quod dictum sit, statum inflammationis, potius statum fluxionis, quam vniuersalem statum inflammationis intelligi, etsi malueris, ly *status*, etiam pro principio status, non verò pro aliis temporibus est assumendus, in his enim cum tota materia extra vasa sit, pura digerentia competunt, vt Magister *lib. artis medicinalis, cap.* 40. sic fatur: *digerens, quod mediocrem caliditatem obtinet: quidquid per summa haret, potens est id medicamentum digerere, & in iis dolorem sedat, ac si multò magis humidum fuerit.* Præterea addit: *id verò quod euacuare oportet, si in penitioribus partibus hæreat, intendendus atque augendus medicamenti est calor, ne prius, quàm profundas partes attingat, interim vires amittat.* Prædicta equidem medicamenta, quæ in statu conueniunt, cum ad dolorem mitigandum, & ad materiam fluxam discutiendam deseruiant, & cum multa humiditate vigeant, tardissimè, vt supra diximus, immutanda sunt.

52. Vltimum, securiúsque inter omnia phlegmonis tempus declinatio dicitur, quæ quando ex supradictis medicamentis humor in parte laborante contentus resoluitur, ac discutitur, ac tumor, & tensio minuuntur, doloré[s]que valde remittũtur, cognoscitur. Quo tempore discutientia tantùm, eoque validiora competunt, quo inflammationis declinatio magis in finem perueniat, cum illa etiam sua tempora particularia obtineat. Hanc quidem doctrinam Magister 8. *methodi*, sic alloquens roborat: *at vbi iam phlegmones ipse veluti feruor subsederit, mitigatoriis emplastris dimissis ad ea qua digerunt, paulatim est transeundum.* Quod similiter 6. *de compos. medicam. secund. loc. cap.* 1. & 3. *simp.* aliisque in locis commonstrat, non tamen prædicta medicamenta immoderate calida debent esse, nam etiamsi tota materia iam extra vasa effusa sit, vi immodici medicamenti caloris noua posset fluxio suscitari.

53. Si tandem propter morbificæ causæ copiam vel crassitiem, ac densitatem; tum materiæ; tum loci affecti media resolutione phlegmone terminari non possit, potiúsque ad suppurationem disponi videatur, medicamentis vim suppurandi obtinentibus naturæ auxiliandum est, vt Galenus *lib. de simp. med. facult. cap.* 2. ostendit. Cum igitur suppuratio sanguinis, aut alterius materiæ in parte receptæ conuersio in pus dicatur, de hac velles quomodo pus fiat, scire; quia tamen supra tam de puris generatione in tumoribus, quàm de productione sediminis, quæ in statu contingunt, latiùs *cap.* 1. *huius libri*, egi, propterea ad alia me conferam, solumque breuiter, vt quam benè, vel malè natura se gerat, cognoscas, puris plures differentias proponam: si enim pus naturæ robur, perfectámque naturæ actionem arguat, album, læue, æquale, & quam minimè fœtidum erit, semper quidem hoc in casu naturalis caloris prædominium vincentis significabit. Nec immeritò, nam puris albedo, cum qualitas inter secundas sit, alias agentis, partisque, in qua pus gignitur, tanquam effectus insequatur, propterea albedini venarum, arteriarum, neruorum, & membranarum, à quorum calore fit, assimilatur, cùm omne agens sibi passum semper assimilare intendat; nec minus pus incrassatione indiget, cum morbo eunte ad iudicationes, excretiones crassescere oporteat; coctio enim semper procedit incrassando, æqualitas etiam in eo requiri

requiritur, vt quoad tempus permanentiam virtutis concoctricis adinueniamus, veluti læuitas quæ quoad omnes cjus partes animaduersa, vt obedientiam vniformem,ac aptitudinem materiæ percipiamus, nos docet. Et quamquam extraneus calor putredinalis cum natiuo vnitus in puris generatione apud omnes concedatur, eo quod tamen naturalis alienum deuicit exiguum fœtorem, quia putredo est deuicta, substantia purulenta ostendet.

54. Prauum verò pus, atque optimo contrarium, quale liuidum, nigrum, aut rubrum, vel tenue grumosum inæquale, & maxime fœtidum est, caloris putredinalis prædominum significat. Cum igitur varia generationem puris signa præcedant, proinde nunquam, vt naturæ motum insequamur parui pendenda sunt, communiter quidem quando inflãmatio in suppurationem tendit, ipsius magnitudo, dolorum vehementia, pulsatio magna, insignis tensio, calor, & febris augescunt; Cur verò hæc accidant, *cap. antecedenti dictum manet*. Quo in casu concoctoria, & suppurantia conferunt; Et quamvis Galenus *diuersis in locis* pus mouentia calida, & humida moderatè debere esse asseueret, hoc habita ratione ad temperiem hominis vniuersalem calidam,& humidam; non verò ad peculiarem partis affectæ cum ad opus mouendum, & concoquendum in dura meninge, quæ temperie frigida, & sicca pollet, oleum rosaceum, quod etiam frigidum, & siccum temperiei meningis duræ correspondens est, præscribit. Quare medicamentum suppurans simile temperiei partis laborantis debet esse; tum etiam in emplastrica forma applicandum restat, vt tenaciter poris cutis adhærens halituosum spiritum caloris ipsius trãspirare impediat, sicque calor extensiue, siue in copia augescit, vt Gal. *5. simp. c. 9.* monet. Et inter opportuniora suis tempora medicamentis vtendi est, illud quod ab augmenti principio vsque ad totius penè vigoris, siue status vniuersalis inflammationis finem, siue declinationem, vt doctrina superius dicta consequenter permaneat, perdurat; Quando verò jam euacuandi pus necessitas cogat, inspicere oportet, in quem plurima finem assequendum, signa manifesta pus jam confectum ostendentia reperiuntur. Si enim partis phlegmone obsessæ læuitas, doloris, caliditatis, tensionis, pulsationis, duritiei, febrisque remissio acciderit; propterea que tumor breuior, siue minor factus, eminentior tamen, & in mucronem conuersus, ac in albedinem tendens, cum subjectarum partium à cute separatione, appareat; ita vt supprimentibus digitis inundatio percipiatur, jam prædictæ particulæ pus sui euacuationem indicat. Quod dupliciter, vt Gal. *lib. artis medicin. cap. 95.* inquit, fieri potest: nam vel sensibilis, aut insensibilis euacuatio tentanda est: nam protinus pure confecto ad incisionem non est deueniendum, vt Magister 8. *Methodi* sic affirmat: *Quod si pus aliquod notabile in suppurante particula sit contentum, non expedit scindere protinus, sed digestionem moliri medicamentis ad id valentibus.* Quare vt euacuatio sensibilis, aut insensibilis intendenda à medico sit, cutis qualitas, quoad duritiem, vel mollitiem, tenuitatem, vel crassitiem, laxitatem, vel adstrictionem perpendenda est, veluti an pus sit paucum, vel multum, crassum, vel tenue, an in superficie, vel partis profundo reperiatur animaduertere oportet, vt per insensibiliter euacuantia, & ista mitiora vel validiora, vel per euacuationem sensibilem talis sanies extrahatur; nisi ergo pus ob sui copiam, vel crassitiem, vel partis affectæ profunditatem, vel quid aliud ex dictis resolui possit, sensibiliter apertione duntaxat est euacuandum. Apertio equidem diuersimode fieri potest: nam aut ex puris acrimonia superposita cutis media erosione separatur, quod nequaquam expectandum est: nam ex hoc majori sinu, aut cauernula facta curatio protrahitur, ac diutius æger dolore vexatur. Vel apertio mediis medicamentis, in iis qui nullo pacto sectionem admittere permittunt, est efficienda interque medicamina, quædam mitiora; quædam verò valentiora habita ratione ad ea quæ supra diximus, de humoris potentia obedientiali, & præuia partis ad contexturam dispositione inueniuntur. Quæ quidem tantum loco, in quo vt fiat apertio intendimus, debent apponi, & magnitudinem vnius nummi aurei obtinere, vt inde circum circa medicamentum supparans, ac resoluens applicetur. Tertia tandem phlegmones jam suppuratæ apertio, quæ ferro exequenda est, vt debitè fiat? secundum tumoris partem quibus instrumentis, & vt quæ sint necessario obseruanda cognoscantur, peritus, ac expertus Chirurgus venit eligendus.

55. Postquam igitur dissectio partis facta fuerit, & pus euacuatum sit, vlceri nequaquam medicamenta humectantia apponere oportet, vt est oleum, & aqua, sed potius exsiccantia, vt Magister *lib. 2. de arte curatiua ad Glauconem, c. 2.* tum etiam *3. 4. & 6. Methodi*, vbi ait; *Vlcus, vt vlcus exsiccationem postulat.* Quare *2. ad Glauconem*, illud lavare jubet melicrato, aut vino, aut mulsa, aut oxycrato, quæ virtute exsicandi possent, quod si inflammatio adsit, cataplasma ex lente confectum conuenit, veluti si vlcus inflammatum non extiterit, majora exsiccantia, vt medicamentum ex chalcite præparata confectum, & vinum cui aqua marina immixta fuerit, quam arte, dum marina deficit, salem miscendo efficimus, conferunt, quam doctrinam Magister Galenus *2. de arte curatiua citato* sic alloquens affirmat: *Et postquam secueris, & pus euacuaueris, cauendum est deinceps ne oleum, aut aquam opponas, etsi quando vulnus abluere oporteat, melicrato, vel oxycrato, & vino, & mulsa vtendum, superponendum verò, si adhuc inflammetur, ex lente cataplasma, si verò sine inflammatione fuerit, aliquod ex iis medicamentis, quæ Emplastri ritu applicantur, quibus in hujuscemodi sectionibus vti consueuimus, & præcipue id, quod ex chalcitide constat.* Quibus sic præhabitis facile vnusquisque hujuscemodi norma perpensa vltimum phlegmonis curationi terminum præscribere valebit: facta enim, vt dixi, incisione, ac pure euacuato, vel vice vnica, si in pauca quantitate, vel pluribus, si in magna sit, dolor vt solutionis factæ leniendus est, quod præcipue ouo integro, vel illius albumine subacto, turundam in scissionem imponendo, vt aperta seruetur, adimplebimus, stupa præterea in eodem ouo, vel illius albumine imbibita superponenda est,

quibus non solum dolor sedabitur, verum etiam fluxus aliquis repetcntietur. Die verò iam insequenti medicamine, vulgo, digestiuo dicto, dummodo materia tota in parte inflammata contenta suppurata non sit, est vtendum. Tandémque omnes indicationes vlceris in communi, nisi putridum, ac sordidum fiat, percurrere est necesse.

56. Quia verò in ipsa phlegmones actuali curatione varia, & vehementia symptomata, vt dolor, materiæ coniunctæ, contentæque in parte laborante, ad intra regressus, ita vt in interioribus tumor excitetur, putredo intensa, partis affectæ corruptio, durities lapidea, & febris superuenire possunt, proinde operæ pretium, prædicta symptomata corrigere, ac remouere erit. phlegmones quidem durities dupliciter euenire valet, nam vel quia medicamenta apposita immodicè sicca sunt, proindeque partibus materiæ tenuioribus resolutis, crassioribusque in parte inflammata relictis, ac valdè induratis, pars suam debitam mollitiem deperdens, inexpugnabilem ferè duritiem sibi induit, vel quia medicamina validissima in refrigerando sunt, vt inde media intensa frigiditate parti affectæ admota, illius substantiam cogant, & incrassent, duritiemque exhibeant. Antequam tamen prædicta durities extrema fiat, pars sic laborans scarificanda est, sanguisque educendus, vt postea medicamentum partim resoluens, partimque emolliens superponendum sit; si verò tumor phlegmonosus in scirrhum futuritionem immineat, semper emollientibus, ac digerentibus erit vtendum, vt debito loco agendum erit. Si deinde propter caloris putredinalis supra natiuum partis victoriam, aliqua portio computrescat, quæ corruptio gangræna nuncupata sæuissimum est symptoma, cui vt subueniamus, protinùs pars affecta profundè scarificanda est, vt sanguis inibi contentus educatur, & antequam diuersa medicamenta apponantur, muria est abluenda. Nec minùs ex Hippocrate, & Galeno intromissio, siue materiæ phlegmones retrocessus periculosus est; sicque dum ipsum futurum indicamus, ne in corporis nobiliores partes irruant, medicamentis valdè attrahentibus, & cucurbitulis huiuscemodi materiam expedit euocare, quare vel sanguisugarum suctio, dolor, cum attractionis, saltim ex accidenti sit causa, veluti vincula; frictiones, cauteria, & similia conueniunt. Quæ tamen medicamenta, tam qualitate manifesta, quàm occulta conferant, cum satis apud auctores pateat, eos perlege.

57. Cum inter omnia principatum symptomata dolor sibi abroget, proindè dum in phlegmone ingens, adsit totam sibi, ne virium exolutio eueniat, curatio curationem arripit, & cum causæ ipsius apud Magistrum satis *in lib. antecedenti* apertæ, rationésque, & modi curatiui ostensi maneant. In methodum renouandam non immoror, eo quod, vel causa illius auferenda, vel anodynis vtendum, vel sensus à parte affecta narcoticis adimendus sit, vt Gal. 5. *simp. cap.* 3. inquit, de quibus supra manet actum. Notandum tamen est, quod cum dolor cuiusque partis inflammatione laborantis, vel ab aliqua punctura instrumenti veneficij, vel ab aliquo morsu venenosi animalis oriri valeat, primum inter omnia pars superior, quæ ægra non est, arctè liganda est, vt quæ laborat scarificationem sustineat, & in ea cucurbitulæ apponantur, vel sanguis partis punctæ, aut demorsæ ab aliquo homine saturo, præcedente illius ore vino abluto sugatur; si tamen locus veneno infectus, vt cucurbitulæ apponi possint, nec scarificatio fieri valeat, inepius sit. Medicamina attrahentia, abluta priùs parte acri, & calido lixiuio applicanda sunt, quod si eis affectio non cedat ad medicamenta à tota substantia agentia, & aliquando ad escharam candenti ferro inducendum est confugiendum, quánquam etiam febris, quæ veluti symptoma nuncupatur, phlegmonem insequatur, & indicationem curatiuam secum ferat, quia tamen de cuiuscunque ablatione satis in libris antecedentibus cum Magistro sermonem construximus, propterea operosum, ac inane denuò in præsenti esset pertractare. Quibus iam symptomata phlegmonibus superuenientia quisque remouere valebit.

58. Principalioribus igitur scopis, vt phlegmones regularis, atque methodica curatio splendescat, veluti inhibitio fluentis sanguinis, siue in contrarium auersio, ac ipsius materiæ coniunctæ euacuatio, aut sensibilis, aut insensibilis, tandemque symptomatum superuenientium correctio est, adapertis. Vltimus ita necessarius, vt sine illo, nullus præter naturam affectus profligari possit, qualis victus ratio est, exponendus restat. Sex autem, vt manet dictum, rerum naturalium, & eorum quæ illis annexa sunt, debita administratione talis intensio perficitur. Quæ omnia, cum phlegmonosa constitutio semper accedere soleant febres, potius ad frigiditatem, moderatamque humiditatem inducendam iuuare debent. Sicque si ad quamlibet indiuiduationem deuenire volueris, aërem sincerum, & clarum simulque modicè frigidum magni pende, veluti victum tenuem; frigidum, & humidum delige, vinum debile oligophoron dictum, ac in pauca quantitate; dummodò febris vehemens non sit, est assumendum: ardor enim febris magnus illud omnimodè prohibet, & cum inter alia motus tam corporis, quàm animi caloris, saltim per accidens sit causa, propterea tam partis affectæ, quàm totius, si plurima præsertim succorum repletio sit, quies est seruanda: ac per consequens ne causa phlegmones morbifica augescat, crapula, & ingluuies inhibendæ sunt. Quia tamen hæ propter somnum immodicum, tam diurnum, quàm meridianum vigent, proindè inter somnum, & vigiliam moderatio est amplectenda. Quid tamen de alui excrementis suppressis dices, cum ventris torpor omnium confusio, ac cerebri consumptio sit, quare aluus semper mollis clisteribus subtenenda est, si ergo quia excrementa diutiùs detenta calorem natiuum obruendo extinguunt, ea omni cura euacuanda sunt, non semel, sed paulisper ne subitò, & repente euacuatis, omnimoda naturæ exolutio contingat, multò minus laudabilior, ingentique spirituum copia substantia florens, qualis seminalis materia est, euacuari debet; vndè intempestiuus coitus, quia extremè omnium virium lapsum inducere valet, renuendus est.

CAPVT

CAPUT III.

Modus fluxionis in phlegmone [illegible].

TEXTUS.

At communis omnium phlegmonarum, &c.

59. POSTQVAM sanguinis [illegible] fluxum, [illegible] quam [illegible] ad [illegible] tionem [illegible] generationem [illegible] nium phlegmonarum efficere, Magister [illegible] bus; [illegible] *lib. de tumo[illegible]* [illegible] patè com[illegible] [illegible] fluxioni [illegible] qu[illegible] ex [illegible] particulam [illegible], [illegible]. It [illegible] [illegible]pium vel aliæ [illegible] & pars quæ phlegmon[illegible] [illegible] aliquando verò [illegible] affecta qu[illegible] attrahat, sicque pa[illegible] quæ h[illegible] [illegible] qui præ multitudine, aut cop[illegible] [illegible] qu[illegible] ate irritan[illegible] vel simul vt [illegible] o, cop[illegible] vel licet, & q[illegible] litate nocuum[illegible] [illegible] grediuntur. Quæ tumor[illegible] [illegible] [illegible] ratione caloris morbifici [illegible] [illegible] At verò in dol[illegible] [illegible] eam [illegible] parte [illegible], & lab[illegible] [illegible] qu[illegible] vi [illegible] [illegible] substantia [illegible] qui [illegible], atque apior [illegible] dum [illegible] [illegible]. Qu[illegible] pa[illegible] hæc [illegible] effi[illegible], aut h[illegible] Ma[illegible] Asel[illegible] po[illegible] co[illegible]. Quo[illegible]odo [illegible], [illegible] experientia [illegible] est, [illegible] patiuntur, c[illegible] ea quoque phlegmonem [illegible] doloris pa[illegible]sam tamen huius [illegible] plurimi igno[illegible], alij verò nullo modo probabilem assequuntur, [illegible] Galeni est, quod quædam facult[illegible] expul[illegible] st, quæ suo munere fu[illegible] aliquod obiectum contristabile [illegible] dolorosum persentit, [illegible] nen, [illegible] contristant, causa doloris est, quæcun[illegible] sit, quando igitur huiuscemodi [illegible] propulsat, aliquando phlegmon[illegible] particula [illegible], & quando prima vi, atque [illegible], postea vehementius inten[illegible]dens, quod molest[illegible] sanguinis, & spiritus portion[illegible] p[illegible] bus super, & circum [illegible] borantem, sine dolorificam si[illegible]mul [illegible]; ex quo sequitur, quod ex dolore porti[illegible] h[illegible] confluentis particulam affectam [illegible] tumorem [illegible].

Paraphrasis.

60. Quamuis Magister [illegible] modum [illegible] & causam, qu[illegible] phl[illegible] [illegible] cing[illegible] in præ[illegible] adducat, vnus [illegible] (ben[illegible] G[illegible] perp[illegible] tu[illegible]rum, tuberumque à fluxione o[illegible] fa [illegible] vas bit, non enim solum [illegible] hoc cap. apud Mag[illegible], verùm, [illegible] *morborum, cap. 6. [illegible] 2. de diff. febrium cap.* [illegible] positio splendesc[illegible]. Cum igitur vnica phle[illegible]nis omniumque tumorum causa veluti humoris fluxio sit, vt ex Hipp. *lib. de homin. nat.* constat, promit modum, & causas huius fluxionis, vt apertius [illegible] priùs tr[illegible] hypothesin ex libris de facultatibus naturalibus desumptam [illegible]ponit. Prima equidem est, quatuor f[illegible] [illegible] turales nostri in corporis parti[illegible] [illegible] attractricem duntaxat, retentricem, con[illegible]cem, & expultricem inesse. Nulla enim pa[illegible]la, etsi minima est, quæ alimenti laudabilis [illegible] portionem non amplectatur, sicque illud [illegible] [illegible], retinet, concoquit, & quod noxium, [illegible] vtile fuerit, expellit. Alia verò hypothesis [illegible] quam rationem partes principes [illegible] quid [illegible] num à natura est à se depellat, & in [illegible] detrudant, ostendit. Cuius est [illegible] quia ex[illegible]mentum vel supra modum naturæ auctum, [illegible]mia copia superuacuum, vel su[illegible] qualitate [illegible] manifesta, siue occulta) aut vtroque modo [illegible] vellicans est. Tertia & vltima hypothesis [illegible] tium corpori robur æquale non esse, supponit. Quædam enim partes robustæ, a que validæ, vt principes sunt; aliæ verò imbecilles, quæ triplici rati[illegible] debiles nuncupantur, nam vel statim à prima [illegible] formatione aliquis et error euenit, vel postquam iam anim[illegible] in lucem [illegible] est, aliquam noxam con[illegible] pot[illegible] natura iam particula[illegible] [illegible] tatem quasi expostulat, vt glandulæ, & e[illegible] adsunt. Pri[illegible] d[illegible]m imbecillitas, vel ex g[illegible] totum, aut ge[illegible] cum vel materiæ seminalis errore, vel vteri aliquo affectu præter naturam nascitur; secunda verò imbecillitas post animalis formationem, atque ex[illegible], ex eo pendet, quod licet aliquæ partes validissimæ creatæ fuerint, aliqua tamen occasione languidæ redduntur, quæ partes principes ex vlcere, vel intensa æstuatione imbecilles fiunt.

6[illegible]. Tertia tandem imbecillitas secundùm partium veluti indigentiam reperitur, taliter, vt cum nullo fine, præter redundantiu[illegible] excrementorum receptionem, [illegible]audeant, proptereà eas à natura languidas fuisse oportuit; sicque vel ratione laxitatis, vt glandulæ, vel situs ratione, [illegible] entis vera imbecillitate induuntur.

Notandum tamen est, non omne[illegible] [illegible] glandulas, sed solùm eas, quæ nullam instam [illegible]ti [illegible]ctionem exercent, vt quæ retrò aures, & sub axillis, ac inguinibus existunt, intelligendas [illegible]; aliæ enim peculiarem instrumenti actionem [illegible], vt amygdalæ in faucibus, quæ saliuam, mammæ lac, ac testes semen progignunt, obtinent. Proinde ista oon[illegible] recipiendum sunt à natura destinata; benè verò [illegible] prædictæ glandulæ veluti par[illegible]ticulæ, quæ situationem, vt cutis ad redundantem corporis excrementa aptiorem habent,

cuius

[illegible] extrema omniũ partium corporis [illegible] ; sicut [illegible] vlceribus , [illegible] , alijsq; affectibus [illegible] , [illegible] minimum [illegible] natura [illegible] pluri- [illegible] instrumenta [illegible] excrementa, [illegible] , quæ in capite sunt , palatum , & [illegible] quæ in thorace , fauces , quæ in ventricu- [illegible] que venis [illegible] , quæ in renibus [illegible] , quæ [illegible] in habitu corporis tendunt , expurgari [illegible] , cutim [illegible] eximi , ad hujuscemodi facili [illegible] fabrefecit.

62. Quibus jactis principijs facilè à Magistro [illegible] fluxionis rationem , ac modum , quo tam phlegmones, quam tumores præter naturam, & omnes affectus ex fluxione inchoati vltro producantur & absoluantur, [illegible] . Cum igitur fluxionis causa duplex sit , expulsio videlicet à robustioribus ad minus robustas , seu imbecilles [illegible] , & attractio , quæ à partibus laborantibus , [illegible] affectu fit , proinde prius quomodo fluxio fiat Magister locis citatis docet. Quando etenim in aliqua parte, veluti in hepate , [illegible] , cerebri , aut alterius partis multa excrementa colliguntur , vel quia in victu error commissus est , vel quia particulæ temperies est [illegible] , vel quia meatus naturales per quos excrementa solita excerni erant, sunt occlusi , illo in [illegible] , vel indebita quantitate , aut praua qualitate partem ad sui expulsionem [illegible] ; si vero pars ita imbecilla extiterit , vt excrementa noxia excernere nequeat , ibi detinentur , & præ diuersitate , aut excrementorum varietate , varia morborum genera progignuntur. Si tamen pars valida , & robusta sit , prædicta excrementa in aliam languidam partem , hæc rursus in aliam languidiorem , donec tandem in eam , quæ omnium imbecillima [illegible] ; ita vt vltimum subjectum receptaculum [illegible] que in tali parte fluxio necessario consistet [illegible] . Quare [illegible] tim ac superflua in illam [illegible] , [illegible] rio extra vasa effluunt , illis venis præter modum magna tensione impletis. Vnde spatia inania inter similares partes sic immodice præ multitudine tensa , si à sanguine phlegmonem , veluti à varia excrementorum natura , varia tumorum genera constituunt. Alia præterea fluxionis causa est attractio , quando nimirum , absque eo quod partes robustæ vllam expulsionem efficiant , affectæ , siue laborantes solum , excrementa recipiunt , siue attrahunt, cujus attractionis tam calor , quàm dolor illius partis est causa ; de calore quidem Magister ex iis quæ experientia videntur, nos docet ; si enim alicui parti thapsia applicetur, protinus illa particula calidior reddita in tumorem attollitur ; imo etiam , quæ facultate attractrice, vt magnes ; gaudent, si fricatione calefiant , citiùs & vehementius trahunt , quemadmodum medicamenta purgantia , quæ calorem adjunctum habent vehementius purgant , vt Magister *lib.* [illegible] *simp. cap.* 17. inquit : ergò non aliter nostro in corpore quælibet pars præter naturam calefacta ex partibus vicinis sanguinem, phlegmonem progignendo attrahere valebit; quod verò pars dolore affecta causa attractionis sit , duplici exemplo Magister 2. *de feb. cap.* 11. exponit ; primumque militat, nam si quis in extrema alicujus digiti parte puncturam [illegible] , statim dolor [illegible] , & [illegible] inflammatio [illegible] , ac partes [illegible] in [illegible] cluantur, [illegible] partes exemplum , [illegible] alicui [illegible] calculum obortum [illegible] , neq; etiam [illegible] , non regulariter [illegible] erit , superc[illegible] postmo[illegible] , qui ab vrina comprim[illegible] primum quidem ibi dolor excitabitur, deinde in toto [illegible] , [illegible] propter vehementem humorum fluxionem ad ipsas partes, magna inflammatio [illegible] ; ergo quia ipse dolor attractionis causa est [illegible] nuncupanda.

Aliqua circa Textum dubia decidenda offeruntur.

63. [illegible]stabis quidem in Galeni textum , fluxionis causam in phlegmonibus , aut præter naturam tumoribus , aut partem mittentem robustam , vel imbecillam esse asserentem : nam [illegible] quando euenire potest , quod absque vllo [illegible] , intemperie , nec languore in parte [illegible] , & [illegible] vlla expulsione a mittente [illegible] [illegible] pellens fit , [illegible] è con[illegible] qua p[illegible] [illegible] in attrahendo [illegible] in eum [illegible] , & [illegible] reperiri , atqui in tumore , & [illegible] tur absque robore mittentis , [illegible] re recipiente : ergo jam præter cau[illegible] fluxi[illegible] quas Magister adducit , [illegible] alia ab[illegible] præ[illegible] [illegible] reperitur. Cui [illegible] pro Galeno respondeo ; quod non est con[illegible] facultatem tractricem [illegible] , ac [illegible] pel[illegible] ad excitandam fluxion[illegible] [illegible] : nam illud facultati [illegible] robu[illegible] copioso [illegible] conueniat sanguine , [illegible] parti [illegible] dispositionem [illegible] tur , quæ [illegible] particulæ non [illegible] [illegible] , propter [illegible] vel [illegible] significabit , [illegible] busta in attrahendo , morbosa [illegible] aucta erit veluti etiam in expellendo , & [illegible] quando languida , quia [illegible] , vnde [illegible] hæc [illegible] gotosè [illegible] quendo [illegible] nuncupatur.

64. [illegible] vlterius dubitabis cum M[illegible] [illegible] parti [illegible] attractionis causam esse [illegible] phlegmone doceat ; nam caloris actio sit cal[illegible] [illegible] , quam similium congregatio , ac dissimil[illegible] disgregatio sequitur , atqui attractio nu[illegible] harum actionum , nullamque istarum con[illegible] tur ; ergo quia calor attractionis ca[illegible] est. Probatur secundò , quia nihil est in [illegible] , quod tantum sibi attrahat propter [illegible] [illegible] , sed vt illi fruatur , atque delectatur , calor nulla voluptate sanguinis fruitur ; [illegible] tractionis causa non est. Vlterius in textum [illegible] arguens , quoniam si attractionis causa esset , non solum corpora liquida , siue fluxilia , vt humores , sed etiam corpora [illegible] , lapides , & ligna traheret ; atqui [illegible] trahi experimur : ergo quia non [illegible] calore.

65. Primæ tamen rationi pro Magistro respondeo , quod calor simpliciter natura calefacit , & præter id, homogenea congregat , & heterogenea disgregat , veluti [illegible]

plures actiones, qualis eſt attractio per accidens elicit, vt experientia compertum eſt, proindè quamquam per ſe ſanguinem, & humores pars affecta, ratione caloris trahat, hoc tantum ex accidenti, ac diſpoſitiuè eſt intelligendum, cum ipſe Magiſter in Textu potius facultatem tractricem, vt plurimis in locis oſtenſum manet, commonſtrauerit. Minor ſimiliter ſecundæ rationis diſtinguenda offertur, quæ attrahunt non ratione tractionis, ſed fruitionis ratione trahunt, ſi tractio ſimilitudine ſubſtantiæ fiat, vt in tractione alimenti à partibus euenit, concedo, ſi ſolum ratione diſpoſitiua materiæ, vel expurgandi ratione corpus, vt in veſicæ lotij attractione, & veſicæ fellis, quæ abſque vlla fruitione, tam vna lotium, quam alia felleam ſubſtantiam attrahunt, nego. Quare cum pars phlegmone obſeſſa eſt, ly *calor* non fruitionis ratione attrahet, vt facultas naturalis, neque ratione vllius expurgationis, ſed tantùm ex accidenti, & occaſionaliter, vt materia calefecta, & fuſa à calore, potentius à facultate partis calore correptæ ſanguis trahatur. Ex quibus tertia ratio ſatis diluta manet, nam etſi res ſolidæ, vt lapides non trahantur, quia non ita diſpoſitæ; benè tamen liquidæ, ac fluxiles, vt humores; quia aptiorem diſpoſitionem obtinent, præterea quia talis tractio nunquam vi caloris per ſe efficitur.

66. Quia tamen plurimi apud Galenum non calorem vt cauſam tractionis per accidens ſolum, verùm etiam per ſe conſtitui indicant, propterea ſolutiones adductas ipſis diſplicere fatentur, calorem enim potiùs per ſe trahere ſic probant. Nam adhuc ſimilitudo (vt ait Valeſius) attractionis cauſa non eſt: ergo ſolus calor per ſe trahet. Antecedens probatur, quia ſimilitudo eſt in vtriſque eorum, quæ ſimilia ſunt: ergo ob hanc ſimilitudinem non trahit potiùs quod ſimilius eſt, cum eadem ſit, ſed ſimile quod calidius eſt trahit, quod verò ſimile minus calidum adeſt trahitur: ergo ſimilitudo ſine calore trahere non poteſt, quoniam etſi ſimilitudo trahendi hoc vel illod ſit cauſa, calor tamen omninò eſt tractionis complementum. Roboratur vlterius, à contrariis; frigiditas enim calori contraria per ſe repellit, eo quod humoris repercuſſum efficit, non quidem eo, quod locum ex quo humor repellitur, impleat, ſed quod ex ſua natura hoc frigiditati inſit: ergo ipſius contrario calori duntaxat contraria virtus trahendi nimirùm per ſe, non verò ex accidenti competit.

67. Hæ tamen rationes (tanti viri venia) vim non ad hanc aſſertionem inſequendam, inferunt. Nam ſi calor per ſe traheret, quo vehementior, ac intenſior eſſet, vehementiùs quàm remiſſus traheret; atqui contrarium experientia patet: ergo quia nulla ratione calor per ſe trahit. Præterea; nam primarius caloris effectus, apud omnes, eſt calefacere; quidquid verò conſequitur calori ſecundario, & per accidens accidit: ergo ſi calor attrahit, potius per aliud, & non per ſe erit, quia ille effectus per ſe appellatur, qui primariò à cauſa per ſe intenditur, ille verò per accidens, qui effectum propoſitum à cauſa per ſe efficienti conſequitur; atqui attractio à calore facta ſic ſe habet, nam calor priùs calefacere intendit; Vnde rarefactio, tenuitas, leuitas, & attractio ſequuntur: ergo calor neque primo, nec ſecundo, ſed poſt diuerſas actiones attrahit, quare talis attractio non eſt vera, ſed quidam fluxionis terminus, cum tantùm medio calore trahibile, vt à facultate partis tractrice facilius trahitur, diſponitur.

68. Quibus præhabitis Valeſij rationes decidendæ erunt. Si perpendas, vt verum, quod non ideo vnum ſimile aliud ſibi ſimile trahit, quia calidius ſit attrahens re attracta, vt ait Valleſius medicamentum purgans humorem trahere; non tamen econtra medicamentum ab humore trahi, hoc quidem præciſè nec medicamento, quia calidius humore ſit, debetur, ſed quia medicamentum ex ſua conſtitutione, virtute, aut facultate tractrice viget, quàm humores nequicquam habent, benè tamen eſt verum, quod pharmacum purgans, quia ſimile cum humore, eum eligit, & quia facultatem tractoriam habet eum attrahit, quia denique calore pollet, eo ad attractionem iuuatur; quare abſolutè tractionis cauſa per ſe in medicamento, electionis in illius ſimilitudine ſubſtantiæ aderit, vt demum calor huiuſcemodi agenti diſpoſitiuè, ac per accidens auxilietur, propterea ſuccinum media perfrictione, & calefactione citiùs, ac expertiùs paleas trahit. Secundæ argutiei reſpondeo, antecedens negando, frigiditas enim per ſe non repellit, humores enim à vaſis partis refrigeratæ pelluntur, quia intenſa frigiditate pars denſata, & compreſſa, veluti ſpongia in ſe cogitur, & vnitior facta claudit, omnéſque poros à quibus humor pellitur, occupat, & cum duo corpora in eodem loco naturaliter exiſtere nequeant, repugnat enim penè tractio; propterea expulſio non à frigiditate per ſe naſcitur, ſed tantùm per accidens, ac diſpoſitiuè operatur.

69. Cum in capitis calce Magiſter inter fluxionis cauſas ad phlegmonem producẽdum attractionem partis affectæ, quia dolore vexatæ, enumerãdam eſſe dixiſſet, ita vt dolor ipſis attractionis ſit cauſa, propterea non immeritò in dubium adduces, quomodo dolor apud Magiſtrum an per ſe, vel occaſionaliter ſolùm tractionis ſit cauſa. Et vt verius hoc cũ Galeno aſſequamur illius verba textus denuò repetenda ſunt, cum aſſerat de facultate naturali expultrice contra Aſclepiadem ſic alloquens: *Hanc igitur eiicere dum properat, phlegmonem interdum in particula concitat. Cum enim primis ſuis conatibus nihil profecit, vehementiùs aggreſſa quod infeſtat expellere, ſanguinis aliquid, & ſpiritus ex ſuperpoſitis partibus in afflictam ſimul e primit, atque hinc fit, quod ex dolore particula pro portione confluentis in eam humoris, in tumorem attollitur.* Ex quibus verbis liquido conſtat, dolorem ex accidenti attrahere, nequaquam verò per ſe, facultas enim excretoria dicta eſt, quæ in dolore fluxionem progignit, ſicq; ait Gal. *ex dolore particula pro portione confluentis humoris in eam, in tumorem attollitur.* Vnde facultas expultrix partium ſuppoſitarum fluxionem vi doloris irritata excitat, dolor verò occaſionaliter, vt facultas expellat, operatur; Quomodo tamẽ hoc propriè contingat, Chryſtophorus à Vega. 2. *artis medic.* ac Segarra *in comment. cap. 6. lib. 2. de morborum cauſis*, modum quo dolor tractionis ſit cauſa, etſi fingãt, ex verbis Magiſtri non fingere, ſed fundamẽtaliter, & verè conſtitue-

re putant; arbitrantur enim, quod dolor facultatem animalem excitat, quæ ſuis inſtrumentis vtens ſanguinem, atque ſpiritus ad partem dolentem, illi auxiliatura mittit, ſicque cum ſpiritus, & ſanguis contra doloris cauſam militare poſſint, eos medio alio comprincipio parti afflictæ communicat, quod quidem facultas expultrix naturalis eſt, quæ mediante fibrarum, neruorum, & muſculorum compreſſione, vt dolorificæ particulæ opem ferat, ſuum munus exercet.

70. Hæc tamen dubij reſolutio nullum veritatis veſtigium cootinet. Facultas eoim animalis motiua ſua ſponte operatur præcedeote cognitione, & in nobis actio libera voluntatis adeſſe debet: ergo ſi in doloroſa parte fluxio fieret ope facultatis animalis mediis moſculis, cum noſtra voluntaria facultas hunc motum cohibere poſſet, proindè fluxiones reprimere, atque coercere valeremus: quod experimento repugnat: ergo fictitium eſt dicere, hanc humoris fluxionem in dolorificam partem ratione auxiliandi ei fieri. Præterea quia nequaquam eſt credendum, quod ſanguis, & ſpiritus, qui ad partem dolentem à facultate mittuntur, auxilium vllum præbeant, quod enim morbum adauget, & exaſperat, phlogoſim magis accendit, maiorem tenſionem efficit, acerbiorémque dolorem excitat, parti dolenti opem ferre non poteſt; atqoi ſanguis & ſpiritus, qui à facultate mittuntur, prædicta incommoda particulæ dolorificæ inferunt: ergo credendum neutiquam eſt, huiuſcemodi facultatem excretoriam parti, quæ præ dolore incipit inflammari aliquod juvamen ad ſecundum dolorem, neque illius cauſam pellendam exhibere.

74. Vlterius aſſertio ſuppoſita reiicitur: nam ſi ſanguis & ſpiritus aliarum partium laboranti eſſet ſubſidium, nulla indicatio methodica & rationalis daretur ad impetum humorum defluctiom per initia morborum propulſandum; atqui in principio phlegmonis omniúmque inflãmationum indicatio repellentium, vt in capite antecedenti conſtat, dominabitur: ergo quia ſangois, & ſpiritus qui ad partem dolentem confluunt, nullam illi opem; imò intenſiorem dolorem inferre poſſunt: ergo talis partium ſuperpoſitarum influxus, nequaquam ad laboranti favendum exercetur. Dices tamen quod noſtri corporis partes nolla ratione, ſed quodam naturæ inſtinctu operantur, ſicque aliæ aliis prodeſſe conantur; benè quidem: ergo cum non ratione operentur, non erit vlla finalizatio in eis parti dolenti favendi, quia eis actio diſtinctiua rationalis deficit. Et ſi aſſeras prædictum inſtinctum ſufficere, benè, ſi facultas partium medio inſtinctu naturæ ad opitulandum mittit, cur pluſquam conuenit, mittit, vt ſit in auxilio? nam ſi quantum ſolom requiritur parti dolorificæ mitteret ad caoſam doloris detrudendam, potios parti robur induceret, ac juvamen inferret; ſed ſic eſt, quod econtra, grauiſſimè læditur: ergo &c. Si tamen dicas, non ſufficiet, quod inſtinctu naturæ operari, noo eſt media cognitione operari; proindéque pluſquam oportet prædictæ partes quaſi cæco impetu ſanguinem, & ſpiritum mittunt. Sed contra, qoia etiam in ſtatu naturali facultas expultrix inſtinctu naturali, nonque media ratione operatur; atqui quando, & quantum eſt opus operatur, vel ab opere ceſſat, licèt ratio deficiat: ergo ita pariter in dolore, aliiſque in caſibus cum opus non eſt mittere, deberet ceſſare, & conquieſcere. Si verò denuò reſpondeas, quod in eo caſu vi doloris moleſtantis natura partium ad laboranti auxiliandum coacta movetur ad huiuſcemodi ſanguinis, & ſpiritus confluxum, quem etſi intempeſtiue, & ſopra modum efficiat, hoc oon ratione principij expellentis, ſed objecti moleſtantis immodicè oritur, ſicq; etſi finis opem ferendi euaneſcat, ex parte tamen naturæ finalizatio damnanda non eſt, quamvis modus expulſiuus propter adauctam vellicationem, quæ à cauſa doloris peodet, prodoeatur.

72. Contra hanc tamen vltimam ſolutionem ſic inſurgo, nam in hac opinione actio doloroſa ſolum eſt in parte particulari inflammata, & recipiente, non verò in mittentibus; ergo iſtæ cum nullam moleſtiam perpetiantur; imò quia validæ, ac ſanæ ſunt, laboranti favere conantur non immodicè irritatæ vi doloris, quo non afficiuntur, expulſionem efficient, ſed tantum ſanguinis, & ſpiritus, quantum pro partis laborantis ſubſidio ſoffìciat, expellent; atqui experimur vehementiſſimam aliquando fluxionem, ac expulſionem, valdè nocuam, ita vt pars inflammata pluries in gangrænam tendat, contingere: ergo non valet effugium deſumptum ex immodica irritatione à dolore, vt partes adaucto modo ſanguinem mittant, cum huiuſcemodi partes mittentes, io hac opinione, nullo dolore vexentur; quare ſapientiſſimus Vega io aſſignanda facultate animali ad talem expulſionem fallitur. Etiam ſi ſenſifica animalis cauſam doloris perſentiens etiã requiratur.

73. Aliorum tamen opioio ferè in hanc prædictam coincidit: nam cum vt certum tenendum ſit dolorem in parte debilitatem inducere præ magna diſſipatione, quæ ſequitur, proinde ratione debilitatis dictæ, vt cauſa moleſtans eam efficiens, expellatur, aliæ partes ſanguinem, & ſpiritum in afflictam roborandam mittunt, quo concurſu inflammationes, & tumores per accidens eueniunt; hoc tamen nequaquam à facultate animali, ſed ab expultrice naturali propter bonum totius provenit; proprium enim cuiuſlibet partis eſt, cauſam moleſtantem, vbicumqoe ſit, propter communem conſenſum expellere. Quæ opinio ex quadam Galeoi *doctrina in 5. lib. Aphoriſm. comm. 53.* roboratur, vbi ſic fatur: *hac enim eſt quædam ratio communis in quibus natura aliquid violenter excernit, vt eo ſanguis, & ſpiritus ferantur, quibus duobus, veluti inſtrumentis, (de ſanguine, & ſpiritu intelligit) natura vtens, ea, quæ infeſtant per vim expellit.* Et vltra proſequitur: *hac igitur ratione & dolentibus partibus inflammationes aduenìunt, natura excernere, atq; expellere cauſam doloris properante, vt verò hoc faciat, ſanguine, & ſpiritu locum replente.*

74. Hæc tameo aſſertio, licet à prima, quia facultatem animalem negat, ſolúmque naturalem expultricem admittit, differat inſequenda non eſt, primóque ex eadem Magiſtri auctoritate adducta oon eſſe admittendam, plurimis rationibus conſtat. Primò etenim, qoia Gal. in hoc commentario nequaquam partes ſanas laborantis ope, atq; pro auxilio ſanguinem, ac ſpiritum mittere, inquit: Et licet reſpondeas, ſatis ex illius verbis colligi, falleris: nam ſi finem Hippocratis, & Galeni perpendamus, Galenũ hoc nõ ſomniaſſe judicabimos.

Hippocra

Hippocrates etenim sic in dicto oraculo fatur: *Quæcunque mulieres grauidæ à febribus capiuntur, & vehementer sine manifesta causa extenuantur, difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum facientes periclitantur.* Cuius est sensus legitimus, quæ duntaxat fœtum corrupturæ sunt in prægnantibus, hæ mammas extenuata habent, quoniam infanti nutrimentum deficit, vel ipsa natura fœtum casurum, aut periturum esse persentiens, vt prouideat, spiritus, & sanguinem ad vterum transmittit. Quare is sanguis, qui in mammis continebatur ad vterum transmissus, mammas tenuiores reddit, at verò duræ mãmæ non sunt abortus indicia, sed aut dolorem mãmarum, aut coxarum, aut oculorum, aut genuum significant: nam materiæ, quæ in vterum vergebant, & quæ fœtum lædere poterant, ad alias partes diuertuntur: vndè vterus immunis relinquitur, deindéque fœtus nõ corrumpetur. Ex huiusmodi veriori oraculi sensu facilè infertur confirmatio Galeni *in comment.* nam natura sagax, atque prouida præuidens quasi fœtum ex defectu alimenti, nempè sanguinis, & spiritus corrumpendum esse, ex mammis, supernisque partibus mittit sanguinem, & spiritus ad opem ferendam, & huic necessariò vsui satisfaciendum, fœtum nimirùm denuo per vlteriorem alimenti communicationem conseruando, ita vt debitè nonque immodicè, sanguinem, atque spiritus quãtum opus sit ad vterum mittat: quare hoc opus à natura pendens non fit media naturæ irritatione, neque violenter, ac intempestiue, sicque dum ait Magister in Textu: *Hæc enim est quædam ratio communis in quibus natura aliquid violenter excernit, eo sanguinem; & spiritum tendere, quibus duobus, veluti instrumentis natura vtens, ea, quæ infestant per vim expellit.* Hic modus naturæ operandi non intelligitur de casu posito, quando mãmæ præ defectu alimenti in fœtu transmisso sanguine extenuantur; nam illa naturæ transmissio à supernis ad vterum ratione fœtui auxiliandi, rigorosè non est violenta, quia nihil violenter naturam irritat ad expulsionem, sed ratio communis, & naturæ lex ipsam ad regularem totius conseruationem monet, qualis est fœtus conseruatio, qui si alimentum non haberet sufficiens, interiret; sicque tantùm abest quod hæc ratio sit violenta, quin maximè naturæ sit conformis. Imò vt ipse Magister *in comment.* inquit, semper ordine naturæ ad corpus vteri materia vtilior pro fœtu alendo, & conseruando reponitur.

75. Valebunt tamen Magistri verba alio in casu perpendi; nam cum fœtus corruptio ex multis causis fieri possit, quas Hippocrates *lib. de fœminarum morbis* refert, sic alloquens: *Nam si prægnans morbo aliquo laborat, fœtus perditur, si valida non sit, si aliquod onus attollit, si percutitur, si salit, si non comedit, si territur, si febriat, si clamet; si crapuletur; nam cibus, potúsque multus crebrò causa est, vti fœtus perdatur. Si vuluæ vento plenæ sint, si densæ, si magnæ, paruæve sint, & alia iis similia habeant, partus periclitatur.* Cumque aut abortus fieri, vel fœtus corrumpi ex aliqua prædictarum causarum, nisi in vteri partibus dolor fiat, propter quem sanguis ad genitales partes defertur, & mãmas ipsas derelinquit, non possit, propterea intelligendum expedit. Quod de huiusmodi casu intelligendus est Magister in Textu dum dicit; *quod hæc est quædam ratio communis in quibus naturæ aliquid violenter excernit.* Dum enim in prægnantibus affectio dolorosa in vtero reperitur, ex qua abortus imminet, natura sanguinem, & spiritus ad vterum mittit, vt causæ abortum facienti oppugnet. Dices: ergo si adsit in vtero dolor ex quo abortus sequetur, quamvis huiuscemodi dolor ex sanguine, & spiritu ab aliis partibus emissio non sedetur, imò augeatur, hoc tamen non tollit, quod natura, quia cæco impetu operatur, pro auxilio, & ope partis laborantis operetur. Respondeo valdè diuersam rationem inter vteri dolorem, dum mulier prægnans est, ac dum immunis affectu, vel si alium reliquarum partium dolorem habeat; nam cum vtero est gerens, Magister inquit, quod vel fœtus est debilis, vel iam corruptionem est passus; si debilis nouo spiritus, & sanguinis aduentu roboratur, & seruatur, abortusque prohibetur, si corruptus iam est, vt natura partis validior reddita, & quia est locus conferens ad fœtum corruptum expellendum, sanguinis, & spiritus confluxus maximè iuvat; si verò vterus immunis à fœtu dolore afficiatur, quemadmodum reliquæ corporis partes, quilibet sanguinis & spiritus confluxus nequaquam propter finem parti afflictæ subueniendi fiet, sed potiùs partes, quæ mittunt, aut sanguinem expellunt, non ad dolorificam præcisè iuvandam operantur, sed quia ipsæ mittentes, quæ circum circa singularem affectam, vbi intensior splendescit dolor, sunt, etiam aliqua molestia dolorosa per consensum à prima corripiuntur. Qui dolor reliquarum partium non ita percipitur; imò obscuratur, eo quia in prima, & principaliori parte laborante maior & vehementior dominatur, vt communiter ex Hippocratis doctrina euenit: *dum duo in duabus corporis partibus dolores adsunt, maior obscurat minorem;* Quare merito Galenus in nostro Textu ait, de facultate excretoria loquens: *Sanguinis aliquid & spiritus ex superpositis partibus in afflictam simul exprimit.* Non quidem inquit, ex reliquis, nec communibus; sed ex superpositis, id est circum circa partem dolorosam affectam, quasi hæ partes propter vicinitatem, & consensum, ex affectione dolorifica, vel vt rectiùs loquar, ex doloris in parte causa molestante, vicinioribus aliqua portio vaporosa communicata, tristitiam, ac molestiam communicat, quæ cum sic etiam vellicatæ sint, ita sese exprimunt, à prædicto objecto irritamen fugientes, vt media illa contractione, vasorumque compressione facultas naturalis excernens spiritus, & sanguinem ad primam intensiúsque laborantem violenter emittat. Vnaquæque enim pars suam, semper conseruationem intendens, quidquid sibi molestum fuerit, si robur obtineat, in vicinam excernit. Dices tamẽ, quod partes suprapositæ cum sanæ sint, dolore, vlloque obiecto molestante vacant: ergo nequaquam à causa propria contristãte ad expulsionem mouentur, sed potiùs ad auxilium parti dolenti ferendum. Præterea inquires, quare potiùs pars laborãs, sine dolore obsessa non sese exprimit? vt inde ab obiecto dolorifico lancinata, media vasorum

compreſſione ſpirituum, ac ſanguinem ſimúlque cauſam morbificam in vicinas, atque proximiores emittat, acutè quidem, ſed ſi debitum, ac regularem naturæ modum perpendas, hoc vt certum fatendum eſt, ſemper videlicèt vnamquamque particulam quantum eſt ex ſe, cauſam ſibi moleſtantem in aliam excernere, dummodò viribus vigeat, quare in principio inflammationis dum aliqua pars intemperatur, aut eius continuitas diſſolvitur, priùs ſeſe ad morbificam, & doloroſam cauſam excercendum contrahit, ac media facultate expultrice in proximas aliquam illius portionem emittit, media qua vicinæ immutantur, afficiuntur præter naturam, ac in illius expulſionem proritantur, cumque iſtæ validiores, prima labotante, vbi principalior doloris cauſa adeſt: ſint; propterea denuò ad illam quia languidiorem, magiſque conflictatam non ſolùm morbificam materiam receptam reuocant, verum maiorem ſanguinis, & ſpiritus copiam per expreſſionem excernunt, en naturæ concurrendi modus, ſi tamen vicinæ partes, quia ex ſua natura, vel ratione ſitus languidiores, quàm dolorifica ſint, illo in caſu promptius: tum præ vicinitate: tum præ languore: tum etiam aliquando per conſenſum in laborando cum prima conſentient, vt in punctura digiti patet, vbi per quàm breuiſſimè non ſolùm digitus, verùm etiam manus, brachium, & aliquando ſub axillis affectus inflammatorius ac dolorificus excitatur. Sicque falſum eſt dicere partes vicinas, aut ſuperpoſitas, cum ſanguinem, & ſpiritus mittunt, ſanas, ſineque omni affectione dolorifica exiſtere. Nam ex doctrina Galeni noſtro in textu, veluti 2. *de cauſis morb. 6. ac 2. de febr. cap.* 11. conſtat, quod quidquid à facultate expultrice pellitur, neceſſariò debet obiectum, vel quantitate, vel qualitate, aut vtroque modo irritans eſſe: ergo vt partes ſupra poſitæ ad dolentem aliquid expellant, debent tale obiectum perſentire; atqui ſi ſanæ eſſent, neque daretur moleſtans, neque quid ſenſatum: ergo facultas expultrix feriata eſſet; ac proindè nihil excerneret; atqui ex doctrina Magiſtri ſpiritus, & ſanguinem excernit: ergo quia inuita, & lancinata ab aliquo obiecto moleſtante in quanto, vel in quali eſt; ac proindè non ſanæ prædictæ partes ſuperpoſitæ, ſed per conſenſum dolore affectæ aderunt.

76. Quibus ſic præhabitis primo tenendum eſt, dolorem nequaquam per ſe tractionis eſſe cauſam, ſed ſolùm per accidens, etſi malueris impropriè, & abuſiuè, communiori modo loquendi, dolorem trahere dicitur: nam in parte dolente nulla actio tractiua eluceſcit, ſed potiùs expulſio à partibus ſuper poſitis in partem dolentem, vt eſt dictum, & ex textu probatum manet, quæ aſſertio etiam ratione probatur; nam ſi pars doloroſa traheret, maximè quia vi doloris diſſipata, & languida reddita ſpiritibus, & ſanguine ad cauſam contriſtantem pellendam indiget; ſed hac non obſtante reſolutione partis doloroſæ ex confluxu ſanguinis, & ſpirituum inflammatio dolor, & reſolutio illius augeſcit: ergo cum dolor, nec diſſipatio partis adimantur, facultas attrahens ratione partem affectam roborandi talem actionem tractricem non efficiet: ergo quia dolor adhuc ex accidenti tractionis non eſt cauſa, præcipuè, cum in omnium ſententia potiùs à partibus ſuperpoſitis ad affectam, expulſio quæ fluxionis eſt cauſa procedat. Vnde ſi vt communiter loquamur, dolorem attractionis, & expulſionis reſpectu diuerſorum per accidens tamen eſſe cauſam dicere tibi placuerit, non rationi diſſonum erit. Totum enim fluxionis fundamentum in partibus inflammatis propter quod dum dolor adeſt, ſpiritus, & ſanguis ad partem laborantem confluunt, ſtat in eo, quod medio dolore ſpiritus, atque calor partis dolorificæ diſſipantur, ac reſoluuntur; ſicque primo pars calore depauperata natiuo, ac ſubſtantia natiua deſtituta inſtaurationem illius per nouam ſpiritus, & ſanguinis repoſitionem exigit, quæ nullo modo niſi à facultate attractrice partis laborantis fieri valet; ſicque ob hanc rationem dolor pro fundamento, occaſionaliter attractionis cauſa, & valde per accidens dicetur. Si verò pro alia dolor formalitate percipiatur, quatenùs partes ſuperpoſitæ ad dolétem primam per expreſſionem, quia etiam dolorificæ, etſi robuſtiores ea ſint, ſpiritus, ac ſanguinem excernunt, hoc in caſu, ſub hacque ratione etiam dolor expulſionis, ſiue excretionis cauſa, tanquam fundamentum, quo huiuſcemodi partes lancinatæ excernunt, nuncupabitur, quapropter ſub hac diuerſa conſideratione dolor attractionis, & expulſionis cauſa eſt appellandus.

77. Quod autem dolor attractionis cauſa per ſe non ſit, probatur: nam in dolore reperiuntur triſtis ſenſatio, appetitus fuga, ſolutio continui, aut intemperies, & obiectum doloroſum; atqui nihil horum per ſe trahit: ergo dolor quomodocumque ſumatur per ſe nunquam trahit. Minor probatur, & primo, quoniam ſenſatio triſtis, vel appetitus fuga, in quibus dolor conſiſtit, ſunt actiones, & cauſalitates ad agendum; atqui actio, ſiue cauſalitas non eſt agens: ergo dolor, vt eſt triſtis ſenſatio, vel fuga appetitus cum agens non ſit, per ſe trahere non valebit. Secundò nec ſolutio continui, nam iſta eſt motus, ſiue actus inſtrumenti ſcindentis, quod ad vnitatem ſoluendam mouetur: ergo cum motus non ſit agens, vt dixi, pro hac ratione per ſe dolor non abſtrahet, neque prout ſolutio continui ſumitur pro ipſis partibus iam diuiſis, vt diuiſæ ſunt, hac enim ratione iam quid priuatiuum erit; ac proinde poſitiuè tractionem non efficiet. Nec tandem prout eſt obiectum; nam hoc, vel eſt prima qualitas, vt calor, & frigiditas, vel ſecunda, vel impulſus; atqui hæc omnia nequaquam per ſe motum localem, ſiue impulſum attractiuum efficere valent, vt apud omnes eſt certum: ergo neutro modo dolor per ſe; ſed modo ſupradicto tractionis, id eſt, abuſiuè, & impropriè cauſa nuncupabitur.

78. Si tamen inſurgas adhuc in ſenſu prædicto, quod facultas naturalis excretoria neutiquam ad excernendum irritari poteſt, nam doloris cauſa, vt dolor eſt ſenſatio ſolùm facultatis animalis à qua ſenſatur, eſt obiectum; atqui hoc ad facultatem merè naturalem non attinet: ergo quia facultas naturalis in dolore nullum concurſum expulſiuum efficit. Linquit tamen hæc ratio, ſi tantùm eſſe facultatem noſtri corporis inter ſe conſenſum perpendas, vt facultati animali ſemel moleſtia exhibita ſtatim naturalis expultrix ad excernendum irritetur, quod excrementorum acrimonia in diuerſis corporis

partibus

partibus reperta commonstrat, quæ statim ac facultatem animalem sensificam stimulauerint, simul facultatem expultricem ad excernendum inuitant, vt fæcum, lotij, excrementorum cerebri, ac reliquarum partium excretione patet, sicque etsi rigorose fluxio in dolore à facultate partium superpositarum expultrice oriatur; non tamen animalem sensificam, quæ istam in consensum trahat, præcedere tollit.

79. Nec mente quiesces, cum Galenum audieris dixisse, huiusmodi expulsionis modum ad partem dolentem solum è partibus vicinis, & super positis fieri, nam in digiti medio acu punctura dolor videtur ipsum digitum, aut manum, aut totum brachium non posse exercere; atqui in artis operibus sanguinis impetum à longinquissimis partibus versùs dolentem concitari obseruamus, itavt à digiti punctura fluxiones, vel à thoracis partibus, & aliquando in axillis tumores inflammationi contingant: ergo fluxio, atque expulsio in dolore non solum à partibus proximis, & superpositis, sed à longinquis fieri valebit. Quæ argutiæ in Magistri doctrinam nullam vim infert, communiter enim solum à proximioribus fluxio partibus nascitur, quando tamen vehementia doloris, permanentia immodica, ac succorum prauorum copia, qua totum corpus abundat, reperiuntur; nihil mirum quod propter acerbitatem doloris, ac ingentem cacochymiam etiam ad partes longinquiores; & vltimas doloris consensus permeat; sicque fluxionis commotio ingens à prædictis partibus remotis, quia etiam dolore per consensum correptæ, ac ab objecto ipsis dolorifico molestante lancinatæ sunt, nascitur. Proinde interim sanæ, immunésque ab aliqua vellicante causa, siue per se, siue aliunde, ac per consensum confluente sicit, nullum confluxum sanguinis, & spiritus in partem dolentem efficient, quia cum sanæ sint, nullum objectum facultatis expultricis, neque in quanto, neque in quali eam inuitans aderit.

80 Ex quibus satis quantum verò dissonum sit, patet dicere sanguinem, ac spiritus ad partem dolentem confluere, quia concomitantur motum spirituum animalium ad sensationem partis dolorificæ currentium cum quibus maximam spiritus vitales, sanguis analogiam obtinent. Sicque cum ad illustrationem animalem ad dolorificum objectum sensandum requisitam spiritus animales concurrant, & præ immodica, & vehementi molestia, ingens dicta illustratio, & copiosiores animalis spiritus ad dictam partem confluant, propterea propter analogiam, ac similitudinem, quam cum sanguine, ac spiritu vitali habent, spiritum secum vitalem ferunt, & iste tandem sanguinem ducit.


81. Hæc quidem opinio multipliciter errorem commissum ducit; primo etenim, quia iam huiusceemodi concursum harum entitatum confluentium ad parti laboranti præcisè auxiliandum fieri, quod esse falsum probatum manet, asseuerat. Secundo quia nulla datur indigentia, vt natura maiorem concursum spirituum animalium ad partem dolentem apponat, nam ex illo acrior sensatio efficitur: ac proinde magis actio fit deprauata, vt inde non ita objectum quale est in se deprehendatur; atqui natura quantum est ex se nullam actionem deprauatam efficere intendit: ergo neque instrumenta in eam prorumpendam apponet: ergo cum maior spirituum animalium copia, quàm pro vsu est, potius ad maiorem sensationis deprauationem conducat, proinde nequaquam naturam maiorem illustrationis, & spiritus animalis copiam apponere tempore doloris, est dicendum: ac proinde multo minus propter dictam analogiam spiritus vitales, & sanguis confluent.

82. Præterea exigua opinionis veritas, aut nulla claret, nam quamquam inter animales, & vitales spiritus veluti inter istos, & sanguinē analogiam fateamur, non proinde attractio vnius ab altero est admittenda: nam licet similitudo, vt communiter loquamur attractionis causa dicatur, nequaquam hoc est verum vt in magnete patet quia licet analogiam cum alio magnete habeat, non proinde vnus magnes alterum trahit: ergo quia similitudo præcise non est causa tractionis. Dices tamen paritatem sustinendam non esse, nam si adsit omnimoda analogia nequaquam attractio fiet, nam cum agens omne passum sibi assimilare intendat, & iam vnus magnes alterum sibi omninò similem inueniat, proinde quia non adest finis, licet sufficiens virtus ex parte analogiæ ad trahendum detur, deficiente fine, cessat actus agentis; ac proinde attractio.

83. Sed vlterius insurgo nam inter ipsum magnetem & ferrum non omnimoda similitudo adest, sed quæ sufficit, vt magnes ferrum, non verò ferrum magnetem trahat; atqui si dicta analogia tractionis esset causa non esset maior ratio cur magnes ferrum, quam illud magnetem trahat: ergo quia huiusceemodi analogia non est per se tractionis causa, sed potius facultas tractiua in magnete reperta, idem militat de pharmaco purgante quod humorem sibi similem, quia facultate attractrice viget: trahit: nunc sic, quando spiritus animales ad partem dolorificam confluunt, habent dictam analogiam cum spiritibus vitalibus: ergo si animales alios vitales secum ferunt, nō erit talis delatio ratione analogiæ præcisè, sed ratione attractionis: ergo spiritus animales deberent habere facultatem sibi insitam attractricem; atqui hoc nullus dixit: ergo neque spiritus animales secum alios vitales ferre, dicendum erit. Præterea quia si dum animales mouentur, quia cum vitalibus analogiam habent eos secum ducunt, quare in animi pathematibus, & in aliis spirituum vitalium immodico fluxu propter dictam analogiam spiritus vitales alios animales non secum media attractione ferunt? cum vnius quàm alterius major ratio non sit; idemque de sanguine, qui motum spirituum sequitur philosophandum venit, ad facultatem in spiritu vitali attractionem admittendam, quòd nullus somniauit.

84. Quidquid enim cum mouetur, vel à se, vel ab alio mouetur, si à se, ratione proprij finis, & inclinationis, vt lapis in centrum, & ignis in superna, si ab alio, vel quia pellitur, vel attrahitur: ergo si spiritus & sanguis in fluxionibus mouentur, vt est certum, vel à facultate attractrice partium recipientium, vel ab expultrice mittentium necessario mouentur, non verò per

dictam analogiam acutè suppositam fluxiones ad dolorificam partem fieri, dicendum erit.



CAPVT IV.

Aliquæ tumorum differentiæ à causa desumptæ, & aliqua circa phlegmonem exponuntur.

85. 
OSTQVAM Magister in antecedenti capite modum fluxionis in phlegmone, aliisque tumoribus erudite (vt solet) adaperuit, ac spiritus, & sanguinem in partem dolentem per confluxum tumorum causam esse asseuerauit, iam in præsenti tumorum differentias ab humorum varietate, & natura confluentium oriri, docet simulque aliqua notanda circa modum generationis phlegmonarum proponit.

TEXTVS.

Quin etiam omnium tumorum, &c.

86. CVm variæ tumorum præter naturam differentiæ inueniri valeant, eorum causas, à quibus pendent, exponere oportebit; proinde Magister illorum varietatem ex varia eorum, quæ influunt natura nasci asserit: nam vbi materia flatuosa copiosior ad aliquam particulam peruenit, flatuosi potius tumores gignuntur; vbi verò magis sanguis in eam decubuerit, phlegmonosi potius, sicut vbi flaua bilis, erisypelatosi, & vbi pituita fluxerit, œdematosi fiunt. Tandémque vbi, vel crassus, vel vehementer lentus humor adest, qui parti infixus adhæret, scirrhosi nuncupantur. Crassus etenim humor, quodam modo iam melancholicus magis, minusve est, lentus potius ex glutinosis cibis nascitur; aliquando tamen ex ipsis partibus neruosis, si multum huiuscemodi excrementum genuerint. De reliquis verò tumoribus infra se acturum Magister promittit.

TEXTVS.

Nunc de phlegmone agemus, &c.

87. NVnc quidem demo ad phlegmones sermonem se reuocat. Cum ergo (inquit) aliqua pars phlegmone affici inceperit, an propter immodicum calorem, qui in illa parte præter naturam sit accensus; an verò propter dolorem, vel ipsius partis phlegmonosæ, vel alterius illi proximæ hanc inflammationem contraxerit perpendêdum est. vt videlicet percepta tali causa, phlegmone non amplius augescat, quia iam animaduersione facta, numquid aliqua particula vicina largius sanguinem ad partem phlegmone laborantem transmittat, præterea an totum corpus immodica sanguinis redundantia afficiatur.

Paraphrasis.

88. Quamquam Magister, quomodo natura tumorum præter naturam ex causarum varietate desumatur, solùm in præsenti afferat, maxime tamen communiorem illorum naturam & essentiam, vt postea differentiæ, & species, causæ, symptomata, signa, & prognostica patefiunt, ostendere oportebit. Notionaliter quidem diuersimodè tumor apud auctores percurrit, & licet communiter tumor eminentia quædam corporis humani sit, cum verò corporis humani triplex sit eminentia, quædam videlicet naturalis, vt humeri, capitis, & aliarum partium eminentia, de quibus cum secundum naturam sint, in præsenti alloquendum non est; alia verò est eminentia, quæ quamuis non sit naturalis, non tamen omnino præter naturam est, vt mulieris venter prægnantis, & ob lactis generationem mammæ turgidæ; non etenim præter naturam sunt, quia sic non semper permanent, quod genus eminentiæ, vel tumoris à Magistro supra naturam nominatur. Tertia tandem eminentia omnino præter naturam adest, cum media illa membrum debitam proportionem deperdat, actionemque læsam habeat. De qua eminentia seu tumore in genere dicto est agendum, qui plurimis nominibus ab auctoribus appellatur, vt inflammatio, tuber. aut tuberculum, eminentia, phyma, œdema, vt Hippocrates 4. *aphorism.* 54. omnes tumores œdema sic alloquens appellat: *Si ei quem febris habet tumore non existente in faucibus, strangulatus repente euenerit, lethale*, cuius est sensus, ei qui magna febre laborat nullo tumore idest œdemate, non quidem eo quod à pituita sit, sed quod pro tumore generatim sumitur, apparente in faucibus (addendum est neque si in ceruice, quidquam appareat, doloresque vehementes fuerint, *Lethale*, & merito; nam ibi acerbissima anginæ species, quam Græci Cynanchem appellabant, quæ potius pro asperæ arteriæ inflammatione vsurpatur. Quare dum Hippocrates inquit: *nullo tumore* idem est ac *œdemate*, pro tumore in genere sumpto, quamuis sit vna tumoris species, vt Phyma: Arabes verò tumorem communiter Aposthema, vel votor, etsi votor etiam, quædam tumoris species sit, vocant: re tamen vera, & essentialiter, quid tumor sit, Magister in primo huius libri capite tumorem morbum in quo membra à naturali habitu in magnitudine recedunt, esse fatetur. Ex quibus verbis, etsi diuersimode plurimi naturam; & essentiam tumoris exponere conentur, eorum assertionibus relictis pro nostræ claritate, ac veritate opinionis breuiter Magistri mentem proponam. Galenus enim ex prædictis tumoris naturam in communi facile ostendit, ex cuius doctrina, tumor præter naturam, nihil aliud est, quàm *morbus fere semper compositus ab eo denominandus, à quo actio læditur*. Apparatus

latur quidem *morbus* vt exigua tubercula, quæ non ſunt morbi, ſed ſolum ſymptomata, qualia in pubeſcentium facie oriuntur, excludantur: nuncupatur etiam *compoſitus*, nam tumor, qui ex humorum confluxu fit, etiam intemperiem coniunctam, quatenus illi humores calidi, frigidi, humidi, vel ſicci ſunt, habet: non aliter in hernia omentali, aut inteſtinali, vnà cum quantitate, aut magnitudine adaucta morbus in ſitu complicatus eſt. Illa præterea particula *fere ſemper* apponitur, quoniam aliqui tumores ideam ſimplicis morbi ita obtinent, vt præter magnitudinem adauctam nullum alium morbum ſibi coniunctum habeant, veluti in iis, qui ita pingueſcunt, vt tam actionem loco-motiuam, quàm alias peculiares obire nequeant, evenit; in his enim ſolum ratione magnitudinis adauctæ, quia morboſæ, non verò alterius morbi actiones læduntur. Nec minus neceſſaria vltima particula, qualis eſt, *ab eo denominandus à quo actio læditur*, exponitur: nam eriſypelas quatenus eſt intemperies actiones lædit, ſicque habita ratione ab hac læſione in intemperie morbus nominatur, cum reſpectu magnitudinis adauctæ eriſypelas, præcipue exquiſitum eo quod ſolius cutis ſit affectus, nullam læſionem inferat; è contra verò in ſupra modum obeſis, & glandulis, aut lingua immodicè adaucta, actio ab aucta magnitudine læditur, quare prædicti tumores tantùm morbi in magnitudine adaucta ratione actionis læſæ ſunt nuncupandi.

89. Quibus præſcriptis iam tumorum præter naturam differentiæ aperiendæ veniunt, quæ à decem rebus deſumi valent. Primo duntaxat ab eſſentia rei, ſiue ſubſtantia, vt illæ quæ à tumoris forma (hoc eſt ſecundum maiorem, vel minorem magnitudinem) perpenduntur. Secundò huiuſcemodi differentiæ à parte affecta valent conſtitui, licet in materia ex qua conueniant, inflammatio enim, quæ in cerebri membranis fit, phrenitis, veluti quæ in oculo ophthalmia, in faucibus ſynanchæ, in pleura pleuritis, ac in inguinibus bubo nuncupatur. Tertiò à cauſa materiali tumorum differentiæ eliciuntur, ita vt aquoſus, flatuoſus, calidus, vel frigidus appelletur, veluti tumor inteſtinalis, vel omentalis cum omentum, aut inteſtina in ſcrotum decidunt, conſtituitur. Quartò præterea ex cauſis efficientibus tumores differunt, quales; aliæ internæ, aliæ verò externæ, aliæ magis manifeſtæ; aliæ verò minus, internæ quidem congeſtio, aut fluxio ſunt, de iſta in antecedenti capite ſatis eſt loqutum, congeſtio tamen ex quatuor cauſis veluti à virtute concoctrice, & nutrice debili, vel expultrice, vel retentrice languida, vel meatuum obſtructione naſcitur, vt Galenus *libro de differentiis morborum* docet.

90. Quintò præterea tumorum præter naturam differentiæ ab accidentibus, ſiue ſupervenientibus ſymptomatibus, vt à doloris vehemētia, vel clementia, à caloris intenſione, vel remiſſione, colore, mollitie, duritie, pulſatione, tenſione, benignitate, vel malignitate, quæ apparere ſolent, ſunt deſumendæ. Sextò à tempore anni, vt ſi hieme, vel æſtate eueniant, vernales, ſiue æſtiui tumores dicentur. Septimò ab ægrotantis ætate, vt variolæ, & morbilli, qui morbi iuueniles, quemadmodum alij ſeniles vocantur. Octauò à motu, vt qui tumores celeres, vel tardi ſunt, ita vt ſi celeriter terminentur, celeres, veluti qui tardè chronici apud omnes nominentur. Nonò ab euentu ſanabiles, vel inſalubres judicantur. Decimò verò, & vltimò tumores ratione ſitus differunt, ſicque alii interni, veluti alij externi adſunt, iſti cutis eminentiam conſtituunt, quia ſemper exterius apparent, vt quilibet tumor, tuberculum, & quælibet puſtula; quare omnium tumorum præter naturam varietas ſemper naturam materiæ, quæ influit, ſubſequitur, vt Magiſter in principio huius noſtri textus, ſic alloquens exponit: *Varietas omnium tumorum præter naturam ex eius quod influit natura enaſcitur, vbi enim flatulēta materia copioſior acceſſerit flatuoſi magis tumores fiunt, phlegmones verò magis ſimiles vbi ſāguis, ſicut eriſypelati, vbi flaua bilis, & œdematoſi magis vbi pituita, ſimiliter ſchirrhoſi, vbi vel craſſus, vel vehemēter lētus humor eſt, qui parti eſt infixus.* Cū ergo tumorū ſimplicium cauſæ ſatis pateant, meritò complicatorum naturam & appellationem humoris exuperantis ſpecies progignet, ſi enim ſanguis bilem exuperet phlegmone eriſypelatoſa, veluti ſi bilis ſanguinem, eriſypelas phlegmonodes nominabitur, vt inde de aliorum humorum mixtione ad tumorum compoſitorum naturam cognoſcendam deueniamus.

91. Cùm igitur iam in antecedentibus phlegmonis cauſæ, illiúſque fluxionis, quemadmodum in aliis tumoribus ex fluxione pendentibus accidit, quales (vt dictum manet) membrum expellens quatenus robuſtum eſt, vel connexionem cum parte laborante habet, pars recipiens, humoris fluentis conditio, & viæ per quas fluxio fit, ſunt ſatis adapertæ, maneant. Propterea de iis non denuo eſt agendum, quia tamen diuerſa ſigna nos in tumorum naturā, & differentias, ſimulque euentum laudabilem, vel funeſtum ducere valent, proinde varia ſignorum genera reperiri poſſe, eſt animaduertendum, alia etenim demonſtratiua, quæ præſentem morbum oſtendunt; alia prognoſtica, quæ futura prædicenda indicant; alia tandem cōmemoratiua, quæ præterita perpendenda monent, adſunt. Quæ denique ſalubria, vel inſalubria, ſiue neutra nuncupantur. Inſalubria duntaxat morbi ſpeciem, & ideam, alia partem affectam, ſiue laborantem, alia cauſam morbificā ſignificant; alia concomitantia, aliáque aſſidentia dicta ſunt. De quibus omnibus ſpeciatim *lib. de criſibus* ſermonem conſtruxi.

92. Quamquam ſimiliter ratio in morbis præſagiendi cum Galeno 4. *de præſagatione ex pulſibus, & lib. citato* adducta fuit, aliqua tamen in præſenti de tumorum prognoſticis ſunt pertractanda, quare an tumor ſalutiferus, vel mortiferus, an citò vel tardè, qua die, & hora futurus ſit, & an per reſolutionem, ſuppurationem, indurationem, vel corruptionem terminandus ſit? perpendendum expedit. Sicque ait Galenus 3. *de criſibus, cap.* 5. quod ad rectè præſagiendum, vires ægri cum morbi magnitudine conferre, morbique ſtatum futurum præcognoſcere oportet, quod apertiſſimè Magiſter 1. *ad Glauconem, cap.* 10. Sic alloquens expoſuit: *ſed id quoque noſcere opus eſt ad quantam magnitudinem perueniat morbus, ac quanta ſint ægroti vires, vt ad ea inſpiciens, quæ maius auxilium expoſcunt, media quidem in valentioribus*


lentioribus vtaris viribus, & morbo coctu difficili; largiori autem cibo vbi vires sunt debiliores, neque morbus adhuc concoqui contumax, ex qua doctrina ad benè prædicendum quaotam morbi quantitatem, viriumque robur expendere oportcat,deducitur; si enim vires adeò validæ fuerint, vt morbum euincere valeant, salubris morbi euentus, qoemadmodum, si languidæ insalubris iud.cabitur. Quare vt morbi magnitudo innotescat,quantus illius à naturali statu recessus sit,id est,in quem gradum lapsus,tertium videlicet,aut quartum peruenerit, scire conuenit: sed quomodo medicus huiusemodi gradum, seu morbi magnitudinem intelligere possit, non exigua dubitatio militat, quamuis Magister 1. *ad Glauconem,cap.*1. Medicũ quantus fuerit morbi recessus in præternaturam scire posse, qui naturalem ægri statum exqu.sitè cognoscat, monet, quod per huiusemodi verba confirmat: *quod quidem non communem tantùm omnium naturam medicum cognoscere oportcat, ô Glauco, sed vniuscuiusque propriam, & dudum ab Hippocrate traditum est, & nos in ipsis artis operibus(vt n sti)circa id sufficienter studuimus, non tamen propriam singulorum naturam æquè, atque communem possibile est scribere, verùm scripta contrariò se operibus habent,tum in pluribus alijs rebus, tum præsertim in his, quæ ad præsentem attinent intentionem.* Licèt tamen ex hac Magistri doctrina non communem solum, sed omnium in particulari hominum naturam ad recessum in morbo percipiendum cognoscere oporteat, eo quod ratio communis neminem doctum facit, nisi in particularibus exerceatur, hoc non obstante deficiente naturæ peculiaris, & priuatæ cognitione, ad eam communem est confugiendum, vt in præsenti Magister inquit: *Cum igitur hoc in ipsis nobis fuerit ignotum, ne omnino hæsitemus, ad communem confugimus.* Si ergo fœlicitas, diuinúmque numen medicum, vt naturalem vnumquemque statum hominis perfectè calleat, dirigat, facilè morbi magnitudinem discernet: nam quantum vnumquodque à naturali statu recedit ad tantam morbus magnitudinem peruenit; sicque si parum à naturali statu ægritudo recedat,ipsa quidem magna non erit, si verò valdè recedat, magna ægritùdo aderit, quemadmodum si recessus medius inter dictos fit medio modo affectio se habebit. Vnde morbi magnitudo à recessu, & lapsu naturalis status originem ducit, tumor igitur ad benè prædicendum, an magnus, vel paruus sit, maliguus,vel beoignus, nobilis pars affecta,vel ignobilis, principalis, aut principi deseruiens sit, animaduertendum est, quemadmodum, vt terminatio illius breuis, vel longa futura sit, cognoscatur, tempus in quo tumor adsit est inspiciendum, vt latiùs cum Magistro *in comment. sententia* 12. 1. *Aphorism. dum lib.de Crisibus*, morborum temporum breuitatem aut longitudinem futuram præscripsi,egi.

93. Cum igitur morbi magnitudo cum virium robore conferri debeat, propterea an debiles, an imbecillæ, vel validæ, ac robustæ sint, perpendere debemus. Omnibus quidem ex Magistro ootum est, vires in spiritibus, ac partium solidarum temperamento collocatas esse, ita vt vbi spiritus, partésque solidæ integra extiterint, seruari postulent, vbi tamen corrupta visa fuerint, ad integrum reuocari exigant. Quod verò virium fulcrum, ac propugnaculum spiritus, ac partes nostri corporis solidæ adsint, Magister *lib.* 10. *Methodi, cap.* 3. sic alloquens affirmat: *Quoniam vero virium substantia; tum ex spiritu; tum vero ex carnosa specie, & solidis ipsis completur.* Quare vires in spiritibus,tam vitalibus,quam animalibus collocantur,ita vt in quantitate praua, qualitatéque temperata sint, quemadmodum partes solidæ in recta quantitate, pranaque constructiooe, compositione, iusto temperamento gaudeant, præcipuè tamen, si principia, vt cerebrum, cor, & iecur,à quibus reliqua emanant,& in quorum consortium, ac juuamen procreata sunt, benè se habeant, vt cum Galeno 12. *methodi* exposui *cap.* 5. Nec solùm virium cognitio ab optima partium solidarum constitutione, & à debita spirituum qualitate pendet; Verum etiam ab aliis, quæ immediatè ab eis pendent,à facultatibus duntaxat, & actionibus, ex quarum robore vires facilè cognoscuntur, vt Galenus *lib. de plenitudine*, sic exponit:*ac proinde ex iis iam dictis sanè liquet, actiones validas propriam esse, ac inseparabilem virium vigentium notam; nam hac sic se habere videntur, quod primum sint partes cum sua praexcellenti compositione, & quantitate, deinde partium temperamenta, ex quibus immediatè facultates dependent: & ex facultatibus actiones, & ex actionibus opera. Ex quibus omnibus in virium cognitionem deuenire solemus: vnde qualia fuerint opera; tales actiones, & quales actiones, tales facultates, & denique quales facultates talia temperamenta, & partes fieri necesse erit, in quibus vires consistere credendum est.* Notandum tamen est, quod quando Galenus temperamenta facultatum principium vocat, hoc instrumentaliter tantum; non verò radicaliter est intelligendum, cum facultates potius cum anima rea.iter sint identificatæ, quia tamen temperamento, tanquam regulari, & proportionatè ab anima directo indigent, proinde potest dici facultates à temperamento pendere, quare ly: *deinde partium temperamenta, ex quibus immediatè facultates dependent*, in prædicto sensu sunt assumenda. Quo supposito facilè vires ægrotantium in tumoribus, & in quolibet morbo conjectari valebis, vt quantum adiicere, vel adimere, non temerè, sed cordatè possis, percipias: quapropter si quantum morbus à naturali statu recedat, qualéque virium robor sit, & in quo tempore, vt breuitas,vel longitudo aut tarditas elucescat,animaduertas, rectà cum ratione futuritionem tumoris in laudabilem, vel prauum statum cognities. Proinde si tumor, siue abscessus juxta aliquod membrum nobile,vel propè articulos, & in partibus venosis, & neruosis, aut aliqua languida particula sit,& ex materia maligna oriatur,vel pessimi tumores vagentur, siue ex materia crassa geniti, simulque in particula cute valdè densa reperiantur, planitiésque, æqualitas quoad formationem absque vlla eleuatione eis sit, huiusemodi tumores tardè, lentéque in maturationem accedent, suspectíque ad judicium medici deuenient; veluti è contra, qui prædictis tumoribus contrarij fuerint, breuem, facilem, ac laudabilem terminationem obtinebunt.

94. Propte

94. Propterea quod Magister selectiorem nobis doctrinam præsagiendi in tumoribus ostendens sic *lib. de inequali intemperie* alloquitur: *Optimum est abscessionis genus, si abscessus aliquãdo fiat in capacitatum, proxima sunt; tum maxime; tum minime momentanea, alias in non momentanea quidem non tamen maxima; interim in maxima, non tamen non momentanea, ac quæ in ventriculum incidit abscessionum optima est, quæ in sinum eius internum abiit, in quem etiam plerumque se aperiunt; Mala verò quæ sub peritonæo. Pari modo in hiis quæ circa cerebrum existunt, bona est quæ in priores ventriculos eius abscedunt; mala quæ sub inuolucris ipsius, & quæ etiam in posticum eius ventrem se recipit. Qui verò circa costas colliguntur abscessus ij in capacitates erumpunt pectoris, at musculorum abscessus sub cute; viscerum autem in arterias, & venas, quas in se continent: vel in membranam, quæ ipsis pro cute est.* En quomodo Magister modum laudabiliorem terminationis in tumoribus adducit, vt *lib. de crisibus* dictum est. Quoad tempus verò, ac securiorem terminationem tumorum Hippocrates *Primo prognost.* 34. sic ait: *si verò mollior tumor est, nec dolet pressu, que digitis cedit, diuturniorem efficit iudicationem, ac minori cum periculo est.* Textu tamen 48. sic fatur. *Quicumque ergo tumor dolens, durus, & magnus est, periculum mortis breui fore significat; quicumque verò mollis non dolens digitis cedit, promentibus diutius immoratur.* Textu etiam 41. inquit: *tumor qui in ventre fatigat minus facit abscessum, quam qui in illis, & tumores subter vmbilicum raro in pus vertuntur.* Et meritò nam ex Magistro in illis maior caloris copia, quàm in ventre adest. Nec minus suppurationis bonam, vel prauam conditionem exponit. Textu 44. vbi sic ait: *Ex suppurationibus, quæ foras vertitur optima est, maxime quæ exreditur, & in sublime resurgit; si verò magna est, & lata, minimèque in mucronem subducitur, pessima est.* Quoniam vt Magister *in comment.* explicat, robur expultricis facultatis ostenditur. Textu verò sequenti 45. Hippocrates addit: *Quæ verò introrumpitur optima est, si cum exteriori sede nihil communicet, sed adducta est, nec dolet, & omnis exterior locus vnicolor apparet.* Nec minus Auicenna 3. 4. *cap.* 10. scribit: *Ex apostematibus, quæ in neruosis partibus oriuntur, pessima inducunt symptomata, quæ verò in articulis oriuntur, tarde suppurantur, & pessima sunt.* Quæ tamen optimum, vel prauum pus, nobis ostendant, esse, iam supra prædictum manet. Et an citò vel tardè, & quo tempore, ac hora tumor terminandus sit, inspecta causæ morbificæ natura, & motu cognoscemus, *vt lib. de crisibus* præscriptum manet, an verò per resolutionem, suppurationem, indurationem, vel corruptionem terminatio fiat, vel tandem materia tumoris delitescat, cognosces, si animaduertas, quod si leuitas membri, ac deficiens pulsatio appareat, potius tumorem in halitum digeri, hoc est, per resolutionem terminari judicabis. Nulla deinde in cute facta continui solutione, vbi etiam pus paucum laudabile, tenue, & non in alto delitescens est; Quando verò dolor intrinsecus, pulsatio calorisque incrementum datur abscessus in suppurationem vertitur, veluti si nigredo, aut liuor, quandóque graneolentia accedens sit, partis tumore obiectæ corruptelam ostendunt; si verò tumor imminuatur, ac durior reddatur, potius in lapideam duritiem abire judicatur, si denique subita tumoris diminutio, quæ aliquando præ nimia refrigeratione, nonnumquam propter qualitatem veneficam (absque eo quod aliqua reprimentia admoueantur) contingit, appareat, materiam abscessus regredi, & delitescere prænotabis. Ita vt ad huiuscemodi subitam delitescentiam febris protinus, prauaque plurima symptomata subsequantur. Quibus prælibatis Magister textum claudens, caputque antecedens corroborans inquit: *Cum igitur particula aliqua phlegmone vrgere cæperit, videndum est, an propter calorem aliquem, qui in illa præter naturam sit ortus, an propter dolorem, vel ipsius, vel propinquæ alicuius partis, hanc contraxerit, quo scilicet adempta causa, phlegmone non amplius increscat.* Quasi Magister dicat, quod cum in antecedenti capite expositum maneat, calorem præter naturam auctum in parte, vel dolorem, siue sit in parte inflammata, vel in illi proxima, inflammationis esse caussam, proinde si medicus quamlibet istarum causarum recte cognoscat, ne phlegmone increscat, præcauebit, & quæ iam genita fuerit facilè soluetur. Et vlterius progreditur Magister dicens: *post hanc considerationem proximè illa contemplabere: nunquid vicina aliqua particula sanguinem largius ad partem phlegmone obsessam transmittat; deinde num totum corpus sanguine nimiùs abundet.* Quod idem est, ac dicere, quod plenitudine, vel totius, vel alicuius vicinæ particulæ ad laborantem sanguinem immodicè mittentis, cognita, facillime phlegmonis generatio media sanguinis euacuatione facta profligari valebit, eo quod cum morbus à materia pendens sit, per illius remotionem solui debeat.

* *
*



CAPVT V.

De iis quæ ad phlegmonis curationem conducunt.

95. VM ex diuersa causarum confluentium in partes naturæ, diuersa tumorum genera oriri Magister in antecedenti capite satis exposuerit, nunc iam phlegmonis natura, & modo quo fit adaperto, in illius curationem magis peculiariter progreditur, ita vt per sequentia capita huiuscemodi finem adimpleat.

TEXTVS.

Nam tibi (arbitror) non excidit, &c.

96. QVanquam superius Magister fluxiones fieri ad phlegmonarum generationem, per decubitum excrementorum in languidiores partes significauit, iterum in præsenti asserens repetit, quod quæcumq. supervacanea propter redundantiam, aut qualitatem prauam sunt à valentioribus partibus in imbecilliores depulsa decumbunt, ex quo nascitur, vt glandulæ, quas adenas, siue emunctoria omnes appellant, facile prædictas fluxiones recipiant, & precipue quæ rariori natura constant, maius etenim arteriarium, & venarum, & neruorum, musculorúmque robur, imbecillius verò, aut nullum eorum corporum, quæ glandulosam naturam habent, adest; præterea euenit, vt ratione vlceris in manus, siue pedis digito facti, huiuscemodi glandulæ in inguinibus, & aliis, tum intumescant, tum pariter phlegmone afficiantur, cum sanguinem ad vltimos artus percurrentem, anteriores susceperint, quin etiam in collo, & retro aures sæpe sæpius iis quibus collum, caput, vel aliqua vicina pars vlcere correpta est, glandulæ intumescunt. Et licet adenas vocent omnes, cum tamen iam intumuerunt, bubones potius nuncupantur. Si verò istarum partium phlegmone aliquando scirrhosior fuerit: ista difficilis curatu erit; potiúsque struma dicitur, de cuius curatione infra Magister se acturum promittit.

TEXTVS.

Nunc de phlegmonis, quoniam de iis, &c.

97. DVm igitur phlegmonarum initium adest, ex inhibitione causæ illas generantis curatio pendet, primúmque de illis quæ vlcera insequuntur, Magister agit. Postquam enim iuxta magnam arteriam, aut venam aliquod vlcus factum est, celerrime bubones excitantur, aliquando etiam ipsa vena per totum membrum, rubra callens, & distenta apparet, quam si quis tangat dolorem inducet. Si ergo illo in casu vniuersum corpus, vel malo succo redundet, aut plethoricum sit, non ita facile soluitur; Si verò sanum planè sit, satis facile terminabitur. Sicque totum membrum, vt dolor mitescat, excalefacere, ac humectare modicè oportet, sicque ipsi vlceri tetrapharmacum in lint. o'o impositum, quod potissimum oleo rosaceo, vel si hoc non inueniatur, aliquo laxann, liquatur, expedit; cuncto verò membro affecto hapso lanæ calente oleo imbuto circumscripto, tum etiam ipsi vlceri medicamen calidum imponendum est, & super ipsum cataplasma calidum extrinsecus dare. Quod ex farina, siue ordacea, vel triticea, siue ex ambabus mixtis componatur succus verò siue illius humor sit ex aqua cum pauco oleo confectus. Ita pariter ipsi adeni, vel emunctorio, quod phlegmone corrigi cœpit, vt mitescat, primo die lana ex oleo calente madens imponi debet, non quidem (vt plurimi volunt) statim sal est addendum; posteà verò cum tumor per totum membrum remissius iam fuerit, dolorque v'ceris sedatur, sale iam vtendum erit. Quin etiam macedonicum pharmacum vocatum, veluti etiam tetrapharmacum ipsi vlceri imponere oportebit. Hæc enim inter se similia sunt, excepto thure macedonico, qui tetrapharmacum superat.

TEXTVS.

At si plethoricum corpus sit, &c.

98. POstquam igitur iam Magister phlegmonis curationem nulla corporis dispositione plethorica, nec praua humorum dispositione existente, adduxit, iam dum hæc actu adsunt, diuersimodè methodum præscribit. Si enim plethoricum corpus sit, vel malo succo redundet, curatio per ea quæ si calent, vt dictum est, fluxionem ad membrum de nouo excitat; quare potius sanguinem mittere conuenit, quod vel vena incisa, aut membris, quæ affecta non sunt scarificatis, faciendum est; sicque si manus laboret, crura scarificanda sunt, veluti si alterum crus male se habeat, reliquum. Ipsa enim copia, seu multitudo has euacuationes, sicut succorum vitium, succi redundantis purgationem indicat, & pluries medijs iis præsidiis glandularum phlegmone soluitur. Multoties tamen, vel propter segnitiem,

&

& inertiam Medici euacuationem omittentis, vel propter laborant.s mollitiem, qui eam recusat, phlegmone maior inualescit; proptereáque ad suppurationem peruenit. Vbi enim glandulæ vehemẽter, aut quæuis alia particula, quæ phlegmone laborat, distentæ sunt, toto priùs corpore satis euacuato, ipsas scarificare necesse est, nec solùm totum corpus euacuare, cum redundantia succorum est plenum; verum etiam cum tantum succorum mediocritatem continet, si morbi magnitudo postulet, oportet. Siquidem dolor, & calor membri, vbi phlegmone adest, licet corpus ab excrementis purum sit, fluxionis causæ (vt supra est dictum) fiunt. Hoc tamen parcius casu huiusmodi est faciendum, vacuandum enim est, prove maximè, tum laborantis ætati, tum naturæ conuenire videatur, non quidem anni tempore, regione, & consuetudine ipsius ægrotantis parui pensis. Cum verò iam phlegmones, veluti etiam fervor subsedit, ac dimiserit, mitigatoriis Cataplasmatis dimissis, ad digerentia paulatim transeundum est, paulúmque cum ipsis mitigatoriis mellis est permiscendum, statim farina tritici prorsus est auferenda, contentis hordacea cum vberiore melle. Sicque ad aliqua humida digerentia est accedendum, ita vt a duris, qualia pleráque emplastra sunt, est abstinendum, quoniam phlegmonarum reliquias valdè contrahunt, rursúsque phlegmonem in parte affecta excitant. Notandum etiam est, quod si aliquod notabile pus in particula suppurante contineatur, nequaquam (vt plurimi faciunt) protinus incidere expedit: imò exhalationem medicamentis ad id conducentibus, quorum vsus ex affectu coniectatus sit, molliri conuenit, quando etenim adhuc aliquid naturæ phlegmones in membro remanet, aeria medicamenta potius, quam digerant, irritant; si verò quod ex phlegmone restat, in scirrhosum affectum transeat iam fidenter medicamenta valentiora possunt apponi, bis tamen in die, primum manè, secundumque vesperi, quem affectum huiuscemodi medicamenta efficiant, obseruandum est, quod si balneo quoque vtatur, etiam in eo tempore. Si tamen pars laborans præ medicamenti acrimonia irritata videatur, ita vt magis tumida, vel rubra sit, aut intensius doleat: intereà Medicus eam fomento, quod per spongiam administratum sit, mitigabit. Ita vt aliquando ex aqua sola dulci, aliquando sal continente, vbi scirrhosior phlegmone sit, fiat. Sin aliquando puris contenti copia ita medicamenta superet, vt ab illis in totum digeri in halitum non posse videatur, exitus media sectione substantiæ, quæ digestioni non cessit, procurandus est. Præcipuè quidem eo loco, quo editissimum est, ibi enim tenuissima cutis apparebit. In dissectione etiam, ne fluxus aliquis superueniat, & quod suppuratum est incidatur, animaduertere oportet, vt postea medicamen, quod sine morsu siccet, imponatur.

TEXTVS.

Quod si computruisse portio aliqua, &c.

99. Animaduertit etiam Magister, quod si præter materiæ contentæ suppuratæ portionem, aliqua partis suppurantis particula videatur, eam excedi est necesse, quare quidam in iis quæ in axillis, & inguinibus suppurantur, semper in myrti folij speciem cutim excidi imperant cum in iis laxa ea naturaliter sit, propter eáque omne quod illi aduenit, prompte recipit. Alij verò maximam sectionem efficere solent: qua de causa particula vbi ad cicatricem perduxit, non solum turpissima, verum etiam imbecillior redditur, & frequentius ad motum valde tarda, & inepta; proinde Magister, vt hæc vitemus monet, quod sola incisione, ac medicamentis valenter siccantibus huiuscemodi sanavimus. Quod si non solum propter puris multitudinem, sed etiam partium corruptarum secare aliquid oporteat, sectionem tantum quæ myrti folio assimilatur, non quidem magnam efficiemus. Et cum in tali scissione longitudo maior, quàm latitudo sit, ob hanc causam in inguine longitudo per transuersum, non tamen per membri rectitudinem deducatur, nam quando membrum inflectimus cutis naturaliter sibi ipsi applicatur; sicque post cutim incisam medicamina pus citantia, deinde expurgantia sunt imponenda; & post hæc si cauitas adhuc sit, quæ eam impleant, sunt adhibenda, vt tandem quæ cicatricem inducant, conferunt. Quia tamen plurimi ducere vlcus ad cicatricem incipiunt, cum iam penitus impletum adest, neque aliquid cauum iam restat; præ hoc errore accidit, vt cicatricem circumposita cuti eminentiorem efficiant, quare, vt cuti cicatrix æqualis fiat, priúsquam vlcus ad æqualitatem prorsus sit impletum prædictis medicamentis vti oportet.

CAPVT VI.

Phlegmonarum curatio vlterius progreditur.

TEXTVS.

Nunc ad sermonem de phlegmone &c.

100. EVNDEM Magister sermonem subsequens, quæ iam superius de phlegmonarum curatione protulit, repetit. Communis enim earum indicatio est euacuatio, ita vt quæ sunt in fieri, siue generatione priùs sanguinis confluxum ad affectam partem inhibere, quàm euacuare oporteat. Quare vt inhibeatur talis fluxus, causa fluxionis inuenienda est, quæ duplex est, ista enim aliquando ex eadem parte phlegmone obsessa pendet, aliquando verò ex aliis diuersis corporis partibus, ex illa etenim quando calidior est, aut aliquo dolore afficitur, ex aliis nimirum, quando vel

alia, vel reliquæ ad aff.ctam, quod superfluitat, transmittunt, vel simul dum totum corpus præter naturam affectum per vasorum veluti vomitum, vt in rheumatismo euenit, adest. Quomodo autem intemperetur, seu calidius corpus reddatur, exponit dicens, quod vel calidius propter motum immodicum, vel ob aliquem à sole, vel igne teporem, siue aliquod acre medicamentum fit. Dolore tamen afficitur & propter intemperiem, & vulnus, atque contusionem, & distorsionem, tensionemque, ac demum præ quadam obstructione, ac spiritu flatuoso, intemperies tam extrinsecus, quàm ex succis in ipso corpore contentis prouenire valet, extrinsecus enim aliqua venenata animalia, & medicamenta, quæ vehementer excalefaciant, vel refrigerent, siue ambiens, vel intrinsecus succi inæqu les in corpore congesti, corpus intemperare possunt.

TEXTVS.

His igitur omnibus æstimatis, &c.

101. CVm igitur phlegmones adhuc in generatione sunt earum causæ priùs sunt abscindendæ, quæ verò iam factæ sunt, hæ solæ curandæ sunt, vel ergo totum corpus æquabiliter succos continet, quod apud Magistrum plenitudo, & succorum redundantia dicitur, vel flaua bile, vel nigra, vel pituita, vel humoribus serosis refertum corpus iam est, quod non plethora, sed succorum vitium, siue cacochymia nuncupatur; plethora etenim tum sanguinis missione, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictionibus, simulque medicamentis digerentibus, tandémque inedia soluitur. Succorum verò vitium purgatione, quæ à quocumque superanti vitio indicata sit, corrigitur. Notandum tamen ex Magistro expedit, quod si iam æger febre correptus sit, neque exercitij exuperantia, neque vnctione, quæ excalefaciat, nec multa frictione, nec balneo; imo sanguinis missione, vnà cum inedia, vel purgatione aliqua (si indicans sit) vacuanda est. Si tamen nondum febricitet, securè prædicta sunt exercenda. Si deinde laborantis crura phlegmone laborant, nequaquam exercitatio aut cursus conuenit, neque adhuc pedibus stare, permittendum est, satius enim superius, ac manuum motum exercitari est iubendum; è contra verò si in partibus supernis phlegmone incipiat, tam ambulatio, aut cursus, frictioque in cruribus propter rationem communem reuulsiuam prosunt. Meritò tamen in his qui circa sedem aut partem vicinam phlegmone obsessam habent, per aluum dejectio non est exequenda, veluti si in vesica, aut illius collo, siue renibus phlegmone initium assumat, Pharmaca diuretica sunt condonanda, nec minus vteri, vel pudendi affectiones phlegmonosæ medicamina menses prouocantia renuunt, potius enim ad partes maxime longinquas reuulsio efficienda est, perpensa videlicet phlegmones magnitudine, totiúsque corporis statu, nam si plurima succorum abundantia reperiatur, tam exercitatio, quàm balneum est periculosum; si verò sit exigua permittendum est.

TEXTVS.

Quippe satis constat affectum, &c.

102. POstquam iam Magister aliqua commonefacienda prædixit, iam ad affectum factum soluendum accedit, sicque dum ex flatulento spiritu, ac particulæ densitate aliquis dolor oritur, relaxantia, doloremque sedantia, hoc in casu, vt quòd iam phlegmones conflatum est digerat, prosunt, velutisi à frigiditate excedenti intemperies nascatur. Quoniam media calefactione, non solum intemperies, verùm etiam simul phlegmonæ auxilium eueniet, quemadmodum si vehementior calor intemperiei sit causa præsidia frigidæ vtrumque affectum soluent, nam non solum digerentibus, sed etiam adstringentibus, & refrigerantibus, quod impletum est, euacuabitur, præcipuè tamen in phlegmonarum principio, potius adstringentibus, quàm iis quæ digerunt, præsertim vbi quod confluit crassum non est, vtendum expedit. Si tamen sanguis in particula phlegmone correpta vehementer est impactus, nequaquam repercutientia, sed digerentia sunt seligenda. Vbi verò ex animalis punctu, siue morsu dolor excitatur, duplex dolorem sedandi via est, virulentiam videlicet euacuandi, aut doloris causam alterandi, quare iis, quæ vehementer attrahunt, medicamentis euacuatio est efficienda veluti alteratio iis quæ vel qualitatibus, vel substantia sunt contraria; euacuant prætereà tum calefacientia omnia, tum etiam quæ sine calefactione, veluti cucurbitulæ vehementer trahunt. Sunt similiter qui laboranti parti admoti ore suo virus extrahunt. Nec minus cauteria, tam actu, quam quæ ad similitudinem escharam inducunt, quoniam cunctam virulentam, quæ infestat substantiam exinaniunt, valdè prosunt. Aliud auxiliorum genus in alteratione contraria consistit, sicque si intensum calorem, vel in eadem particula, vel in corpore vniuerso æger præsentiat auxilia refrigerantia, veluti si frigiditatem, calefacientia sunt exhibenda. Licet tamen huiuscemodi medicationes communes phlegmonarum sint; variantur verò pro laborantium particularum ratione.

CAPVT

CAPVT VII.

Eadem similis curationis ratio percurrit.

TEXTVS.

Vna itaque indicatio ex ipsis, &c.

103. VM igitur pro partium affectarum diuersitate diuersa & peculiaris curatio elucescat, vt in fine antecedentis capitis Magister commonstrat, proinde in præsenti quod ex partibus similaribus altera, veluti ex instrumentariis altera indicatio accipiatur ostendit. Et ideò ea quæ ex similaribus sumitur potiùs modum alterationis per calefactionem, refrigerationem, homectationem, & exsiccationem prædeterminat, quæ verò ex instrumentariis pendet, tum locum ipsum per quem vacuatio conueniat, tum vacuationis rationem, tandémque in vsu medicamentorum similium in specie modum signat. Quia tamen de partium similarium indicatione Magister supra de vlcerum curatione alloquens, satis egit, proinde de instrumentaria in sequenti capite se acturum promittit.



CAPVT VIII.

Discrimen inter phlegmonis & erysipelatis curationem adest.

TEXTVS.

Cum enim phlegmone duplici, &c.

104. VM igitur phlegmone dupliciter à naturali statu recedat, vel quatenus pars affecta immodico sanguine abondat, vel quatenus intemperie calida laborat, proinde semper euacuatio refrigerationem vincere, ac præcedere necesse est; è contra verò in erysipelate contingit, cum potius refrigerationis, quam euacuationis indicatio, quamuis vtriusque affectus communis ratio, & via homoris morbifici euacuandi sit, vrgeat. Postquam ergo erysipelas refrigeratum est, medicamina digerentia conueniunt; in phlegmone etenim tantisper refrigerare oportet, quatenus, vt incrementum inhibere possimus, sufficiat. Tunc quidem cum immoderatus calor dolorem excitat, & ad partem laborantem aliquid de nouo attrahit, vtroque nomine phlegmonis incrementum indicamus; quare quantum frigidi, tam phlegmoni, quàm morbo calido congruat, tantum eius incrementum per refrigerantia est inhibendum, cum mediis illis simul quod ad partem confluit, repercutiatur. Quando verò aliqua portio in ægra parte contenta in proximas repellitur, iam hoc potios phlegmones factæ, siue genitæ est curatio. Non aliter quæ modicè calefaciunt vtroque modo interdum iuuant, dolorem enim sedant, & materiam in particula contentam digerunt, ac dissoluunt. Quoniam ex doloris remissione, quæ sequitur, phlegmonarum incrementum vetatur, & quod receptum est, per dissipationem sanatur. Cum hæc omnia satis in expositione antecedentium capitum adaperta permaneant, proinde oleum, & operam perdere esset, si iterum in præsenti adducerentur.



CAPVT IX.

Aliqua notatu digna ostenduntur.

TEXTVS.

Quoniam igitur momentum, &c.

105. RÆCIPVA quidem (vt ait Magister) phlegmones iam factæ curatio in euacuatione sanguinis in ipsa parte laborante redundantis consistit; hæc autem euacuatio duplex est, vel enim quia sanguis in ægra parte contentus ad alias transfertur, aut foris à corpore expellitur, tam vna quàm altera gemina est, nam sanguinis ad alias partes translatio, vel vbi ipsa pars phlegmone obsessa sanguinem expellit, vel vbi aliæ partes, quæ integræ sunt, ad se attrahunt, fit. Non aliter euacuatio sanguinis contenti foris fit, vel aliquo sensibili effluvio euacuatio euenit, vel per ipsam partem phlegmone laborantem, vel per eas, quæ vnà cum ea aperiuntur, perficitur. Sicque apud Magistrum maximè dissectionum notitia curantibus est opus.

TEXTVS.

Ergo tum hæ indicationes, &c.

106. NOn ergo immeritò plurima pro diuersa phlegmonarum curatione sunt perpendenda. Pro diuersa enim partium natura, situatione, vel positu, tum figura, vt si locus laborans instrumentalis est, vt talis, non verò similaris specificam, valdèque distinctam indicationem curatiuam sortiuntur; ita vt pars, an rara, an densa, an sensus acuti, an hebetis, an robusta, an languida,

guida, an princeps, an è contra, an interna, an verò externa sit contemplemur. Et merito Magister sinum partis, & alia memoratur, quoniam aliter inflammatio partis internæ, aliter verò partis externæ, veluti aliter cauitatis vitalis, aliter verò naturalis, quemadmodum diuersimodè, quæ in crure, quàm quæ in glandulis fit, sanatur. Idemque de aliis prædictis præseotiendum est.

CAPVT X.

Vt ad particularia deueniamus admonitio.

107. V M ratio vniuersalis neminem doctum faciat, nisi in particularibus se exerceat, proinde in præsenti Magister iam se ad particularia deuenturum, hepatis inflammationem proponens, ac illius curationem exquisite adducens, promittit. Antequam tamen in illius doctrinam insequendam aggrediamur, operæ pretium erit, aliqua impedientia phlegmonarum curationem in medium præscribere. Primò enim si febris cum phlegmone complicata extiterit, ista etenim, ita primo inspicienda, vt quod actu phlegmonosum, siue inflammatum est, absque illius medela, curari non valeat, nam calefacta parte inflammata per continui alterationem, calor vlterius progreditur, donec cor vnà calefiat. Quare febris prius, vt supra prædictum est tam sanguinis missione, diæta, frictionibus, cucurbitulis, ac similibus præostensis tollitur, & aliquando simul febris, & inflammatio soluuntur.

108. Nec minus inflammationis terminationem, durities in parte inflammata derelicta impedit, quæ pluries vel propter valentiora repellentia parti admota sua immodica frigiditate incrassantia, & densantia, vel ob medicamentum discutiens vehementius applicatum, cuius vi tenuioribus partibus phlegmonis resolutis, reliquæ crassiores indurantur, euenit. Et ita præ huiusmodi duritie materia in parte laborante contenta, tam resolutioni, quàm suppurationi inepta redditur, vt nulli medicamini cedat, quo in casu apud Magistrum. 2. *ad Glauconem, cap.* 1. *&* 7. locus densus, & durus scarificandus est, ac sanguis contentus euacuandus, vt iam medicamentum partim emolliens, partimque resoluens apponatur.

109. Quid tamen de dolore provt impediens pro curatione phlegmonis sit, (præcipuè si magnus) dices? iste quidem cum aliquando ex intemperie calida flammea, partim ex materia, aut vaporosa substantia immodicè locum affectum distendente, vel ex se dura distendente oriatur, proinde præsens symptoma, ne patiens in conuulsionem aut vitium exolutionem incidat, primo est curandum, sicque vt Magister, 5. *simpl. cap.* 19. inquit, tribus modis videlicet doloris causam, vel anodynis, vel sensum auferendo dolor curatur. De quibus latiùs *lib.* 12. *Methodi,* dum de febribus cum symptomatibus vicem causæ gerentibus complicatis egimus.



CAPVT XI.

Phlegmones iecinoris proponitur, & curatur.

110. V M igitur iecur prima, princepsque generandi sanguinis officina apud omnes constituatur, & ita membrum inter nobiles corporis partes reponatur, vt Galenus 7. *de placitis, cap.* 5. *ex Platone,* in iecore animam concupiscibilem propter fruitionem, rerum iucundarum existere asseueret. Cúmque huiuscemodi membrum calidum, & humidum ex sua natura sit propterea promptius quam reliqua phlegmone corripi periclitatur, proindéque Galenus in præsenti illius curationem per varia capita aggreditur.

TEXTVS.

Proponatur itaque iecur iam, &c.

111. IN superioribus satis quid tam inflammatio in communi, quàm in particulari, vt est in iecore daret, cum quælibet habita ratione ad partem differat. Ita enim iecoris tumor cum dolore, calore, duritie ac renitentia est, quam Galenus illiusque causas 5. *de locis affectis, cap.* 7. adaperuit. Si ergo iecur prædicta inflammatione aut phlegmone corripi incipiat, inter omnia primum, an totum corpus inanitione indigeat, perpendendum est, quæ si indigentia adsit, vires statim magnifaciendæ, metiendæque, an iustam semel vacuationem sustinere possint, sunt. Primò igitur, an actuale robur sit. Secundò ex illo ætas consideranda, nam si puer sit, vacuationem, quæ per dissectam venam fit, non ferret, (hoc admissa venia à tanto Magistro, de euacuatione larga, vel audacter facta est intelligendum; verùm cum iam pueri pubertatem attigerint missionem sanguinis (id est, largiorem aut copiosiorem, tolerant.

TEXTVS.

Ergo pariter tum revellendus, &c.

111. QVibus sic iactis sanguis, qui ad iecur fluit, interna cubiti vena dissecta, tum revellendus, tum euacuãdus est, eo quod ex regione, ampláque via cum vena caua communionem, ac vicinitatem habet. Quæ si noo appareat, media

dia inſcidenda eſt, quod ſi ita obſcurata ſit, tertia diſſecari debet. Modus verò euacuandi; tum ex redundantiæ modo; tum ex ſupradictis, ætate nimirum, natura, tempore anni, regione,& conſuetudine, præcipuéque virium robore æſtimandus eſt. Quæ omnia cum communia ſint, alia peculiaria, an videlicet media, an humeralis vena ſcindenda ſit, an illa quæ iuxta malleolum eſt, ſiuéque in poplite perpendenda ſunt, quod potius ex parte affecta indicatur. Nam non ſolum ratio, verum etiam ipſe vſus diuerſam alteri parti vacuationem conuenire indicat, ſiquidem plurimi ex his qui oculorum phlegmone affici cœperunt, ſola purgatione per aluum vno die ſanati manſere, quam rem, ſi cum iecur phlegmone corripi incipiat, aliquis efficere conetur, maximam potiſſimum phlegmonem medio pharmaco excitabit, veluti ſi quando in renibus, & veſica inflammatio incipiat, medicamina lotium mouentia exhibeat, ſiue cum vterus phlegmone afficitur, menſes vocare tentet. A parte omni fluxione tentata, quod redundat, reuellere; nequaquam verò ad eam trahere oportet. Paríque exemplo alia currunt, quemadmodum ſi ventriculus, aut inteſtina phlegmone laborare cœperint, medicamentum aluum mouens maximè renuendum eſt, eadémque indicationem vterus ſortitur, veluti pudenda cum meatibus vrinæ. Propterea in omnibus, quæ circa caput accidunt, purgatio in contrarium debet auertere. Sicque ſi circa fauces, & palatum, aut linguam, aut demum in ore phlegmone inceperit, in his omnia, quæ pituitam per os euocant, cauenda ſunt. Quare ſi inteſtina ægrotauerint, aluumque mouerat quis,aut ſi renes,aut veſica ſit affecta, vrinas prouocet, vel ſi ſtomachi partes ſint laborantes vomitum ſollicitet,ægrè operabitur. Satius enim erit vbi partes oris phlegmonem pati cœperint, ad nares morbificam cauſam deriuare.

TEXTVS

Pari modo venam quoque vbi ha, &c.

113. TRactio ad partem affectam apud Magiſtrum debite damnatur,reuulſioque,ſiue auerſio in phlegmonarum initio in contrariam maximè collaudatur. Merito ergo ſingularem auertendi modum in diuerſis affectibus, ex locorum laborantium diſcrimine obſeruandum commonſtrat. Quare vbi partes in ore contentæ phlegmonem perpeti incipiunt. Vena humeralis, quæ ſi non appareat, media ſcindenda eſt, vbi vero iecur, pectus, pulmo, aut cor ita afficiuntur, interna in angina tamen primæ in brachio, vltimæque ſub lingua adſunt. Quod ſi affectus in occipite ſit, eáque in cubito eſt,& quæ in fronte reperitur ſecari debet. Si deinde renes, veſica, pudendum,& vterus ſic ægre ſe habeant, venæ ex poplite,& præcipuè, quæ è directo correſpondent, ſunt aperiendæ. Sicque vbi iecur, quæ in dextro ſunt cubito, vbi lienem phlegmone inuadit, è contra quæ in ſiniſtro reperiuntur. Sicque diuerſitas vacuationis ſemper pro partium affectarum diuerſitate varianda eſt. Pari etiam ratione vbi pectus, vel ventriculus, vel partes circa collum,caputve phlegmone afficiuntur, artus vincire conuenit, nunquam tamen ipſum membrum, quod phlegmone laborat vinciendum eſt, ſed potius ſi manus phlegmone obſeſſa ſit crura, veluti ſi crus, manus ligatura eſt comprimenda, cum ſemper in contrariam partem laboranti auerſio ſit efficienda.

Dubia circa textum ſelectiora.

114. Cum apud omnes iecoris inflammatio ab humore calido, tanquam ab interna cauſa, vt ſanguine, vel humore bilioſo, qui extra venas effuſi inflammantur, & putreſcunt, progignatur, vt inde in hoc membro tumores eryſipelatodes, & phlegmonodes oriantur. Proinde dubium non exigui momenti diſceptandum occurrit; vtrùm videlicet ex intemperie ſimplici calida,vel compoſita iecoris inflammatio poſſit progigni, quod qui melius ſentiunt, diſſoluunt, benè quidem intemperantiam, tam ſimplicem, quam compoſitam,non verò nudam ſiue citra humoris affluxum prædictam iecoris phlegmonem efficere poſſe; & meritò quia ſi huiuſcemodi affectus tumor eſt, quomodo ab intemperantia nuda citra humorem, etſi à nuda intemp.rie, quomodo tumor poteſt eſſe, cum neceſſariò iſte materiam quantam ſupra modum partem laborantem diſtendentem exigat. Vnde cum iecur calore exæſtuat, bilis in corpore copia redundat, quæ ex genere venoſo ad iecur ipſum vi caloris, doloriſque attracta, ſiue ipſi parti firmiter adhærens inflammationem valet inducere.

115. Sed an prædicta iecoris inflammatio à bile æruginoſa poſſit inflammari inquires. Impoſſibile enim videtur, æruginoſa enim bilis vſque adeò pernicioſa, & maligna eſt, vt diù viuente animali intra corpus contineri nequeat; ſed imò ita oporteat celeriter pelli, vt aliàs protinus præ malignitate interimat, quoniam humidum radicale omninò exurit, vt ex Magiſtro, 5. *Aphor. comment.* 6.& *lib.* 7. *comment.* 6. Sicque ex prædicta bile æruginoſa iecur inflammari, impoſſibile videtur, neque quod vomitus æruginoſus ſemper ſequatur, & animal vita fruatur. Hac tamen ratione non obſtante, hepatis inflammationem à bile prædicta oriri poſſe fatendum eſt, vomitus etenim bilis, quàm iecur in ventriculum tranſmittere ſolet, eámque valdè ſinceram, hoc commonſtrat, vt Magiſter 3. *epid. ſect.* 2. *comment.*8.& 2. *prog.* 38. tum etiam 6. *aphoriſm.* vbi ex adurente, exſiccantéque calore,primo flauam, deinde vitellinam periculoſiſſimam,tandem æruginoſam bilem generari profert. Vt latè *lib.* 12. *Meth.* de tertiana pernicioſa, febréque ſyncopali alloquens cum Magiſtro, adaperui.

116. Antequam tamen, quod Magiſter auxilium in textu, quare ſanguinis miſſio eſt, firmat adducamus, iecoris inflammationem peculiariter dignoſcere, quæque illius pars,an gibba,vel caua inflammata ſit, & quomodo ab aliarum partium inflammationibus differat, eſt diſcriminandum. Magiſter equidem 5. *de locis affectis,cap.*7. iecoris inflammationem dignoſcendum eſſe (ſi percipiamus) prædixit, quod in dextro Hypochódrio dolor

lor grauans, continuóque permanens sit, nam cum huiuscemodi pars sensu priuata sit, propterea ratione substantiæ non sentit, nec dolet; tunica tamen ipsum vestiens præ sanguinis copia accumulati in prædicta inflammatione pondus, grauitatémque valdè molestam persentit. Tum etiam si inflammatio satis increscat, quia in parte calida interna, & principalissima est, febris continua dominatur. Cum deinde omnis inflammatio præ tensione arteriis communicata à sanguine distendente, duritie, ac inæqualitate subsequuta pulsum durum, & veluti serratilem constituat, proinde iecoris inflammatio huiusmodi signum secum fert. Nec minus respiratio difficilis iecoris phlegmonem significat, non solùm quia à par medio respirationis motu semper cum septo transuerso concutitur, & dolore, & inflammatione increscente tardior, & crebrior respiratio, vt in pleuritide accidit, redditur; sed etiam quia hepate tumescente septum cum comprimatur, immodicè angustius redditur; sicque pulmonum cauitates per consensum etiam coarctantur, atque angustantur, præ cuius causa, vt respirationis nocumentum tollatur, tussis quæ potius est sicca molestat. Quia tamen huiuscemodi signa pleuritidem lateris dextri valde imitantur, proinde medici tyrones pluries pro hepatis phlegmone pleuritidem intelligunt, ita vt protinus remedia localia, calida, laxantia, & discutientia, ex quibus inflammatio extremè augescit, apponant, vt doctissimè Petrus Michael de Heredia signa distinctiua referens, prænotat.

117. Ex prædictis igitur signis stabilitis nulla inter dolorem pleuriticum, & hepatis inflammationem differentia distinctiua videtur. Nam pulsus durus quemadmodum in iecoris phlegmone, ita in pleuritide adest: nam etsi aliquando penes maiorem, vel minorem duritiem pulsus possit differre, hoc non distinguit specificam affectus naturam, cum magis, & minus speciem non mutet; præterea quia potest exigua esse humoris portio extra vasa in pleuritide, & in iecoris phlegmone multo maior existere, vt inde pulsus durior in hepate inflammato, quàm in pleuritide reperiatur. Sicque tale signum quoad pulsus duritiem non exquisitè veram affectionem hepatis, magis quàm pleuræ significabit. Neque dolor grauans in hepate inflammato semper est necessarius; si enim sola caro iecoris, non verò membrana inflammatione, quæ exigua sit, afficiatur, illo tunc in parte dextra pondus, non tamen dolor aderit. Tunc etenim exigua humoris in substantia hepatis collecta non ad tunicam soluendam sufficiet. Quare potius præ pondere solo in parte contenta affecta pleuritis in qua nequaquam adest, à iecoris inflammatione distinguetur.

118. Nec minus tussis sicca, quæ in iecoris phlegmone reperiri solet, ambiguitatem conseruat, nam dum caua iecoris pars afficitur, tussis nulla reperitur. Neque adhuc in gibba, nisi in inflammatione magna dominetur, à qualibet enim inflammatione, non pulmo, & septum transuersum, vt tussis excitetur comprimuntur. Tum etiam quia in pleuritidis principio; vt Magister 2. *de locis affectis, cap. vltimo*, tussis sicca datur. Et aliquando è contra in hepate inflammato tussis non sicca, sed cum sputo euenire solet.

119. Meritò igitur ex dicendis distinguendæ prædictæ affectiones erunt, quoniam pleuritis propria, & exquisita nullum symptoma ventriculo, quale iecur inflammatum solet, exhibet: quare nec vomitus, nec sitis implacabilis, neque alia linguæ accidentia in pleuritide adsunt. Et licet aliquando in iecore inflammato tussis cum sputo reperiatur, quia raro; frequenter verò in pleuritide, propterea tussis sicca plurimum ad affectionem hepaticam digno.cendam conducit. Situs etiam ex Magistro partis affectæ, maxime est prænotandus, inter enim pleuram, & hepar, septum mediat, quare pleuritis intra cauitatem contenta, non tactu, bene verò hepar intra septum explorari valet; sicque si æger supine abductis cruribus constituta si, tensioque in dextro Hypochôdrio cum figura iecori proportionata tactu percipiatur, nequaquam pleuritis, sed hepatis inflammatio est tenenda. Quia tamen aliquando sola iecoris pars superior, quæ intra costas inferiores collocatur, inflammari potest, per tactum phlegmonem illius agnosci, illo tunc maximè repugnat. Tandémque fatendum est in pleuritide exquisita, exquisitiorem, pungentémque dolorem, quam in iecore inflammato, vbi potius grauatiuus, & ponderosus est, reperiri. Qua veluti distinctione seruata lienis inflammatio à lateris sinistri pleuritide discriminanda erit.

120. Quoniam maximè ad iecoris curationem inflammati, an gibba illius pars, vel caua inflammatione correpta sit, dignoscere oporteat, propterea signa distinctiua necessario sunt præscribenda. Quando enim caua hepatis pars inflammatione afficitur, fastidium, sitis, nausea, & vomitus biliosus vehementer affligunt, nam huiuscemodi pars maximum cum ventriculo consensum obtinet; Quando vero pars illius gibba laborat, difficilior respiratio, tussis, dolorque vehementior est, præcipue inter respirandum dolorque vsque ad iugulum dextræ partis, adeò vt detrahi videatur standum. Quoniam hæc pars maiorem cum septo, & pulmone societatem habet, & inter respirationem vnam, & alteram iecur magis opprimitur; proinde difficilius laborantes respirant. Vt Auie. *fen* 14. *lib.* 3. *textu* 3. *cap.* 4. satis apertè exponit.

121. Vtrùm verò iecoris inflammatio in parte conuexa consistens periculosior, quàm quæ in concaua affligit, sit, (inquires?) iuxta quam dubitationem Magister sibi diuersis in locis correpugnans apparet, *nam 6. epid. sect. 1. comment. 14.* sic manifestè ait: *Quin & iecoris ipsius conuexum, concauo longè periculosius est, & nonnulli ipsum inter superiores partes totius corporis quemadmodum, & os ventriculi reponunt, &c.* Idem Auie. 1. 4. 3. *tract.* 3. *cap.* 5. sic alloquens firmat: *Et apostema quidem, quod est in gibbositate deterius est, apostemate, quod est apud concauitatem.* Quibus ratio assidere videtur, quoniam huiuscemodi partis gibbæ inflammatio maiori quàm alia inter respirandum dolore, atque febre laborantem contorquet. Vehementioremque tussim excitat, ac dolor vsque ad dextræ partis iugulum, vt dictum manet, extenditur.

122. Ipse tamen Magister 5. *de locis affectis, cap.* 7. contrarium ipsius opinioni, periculosiorem nimirum inflammationem cauæ partis, ea

quæ

quæ est in gibba esse promlit: Quod similiter non ratione denudatum apparet. Quoniam, fastidium, nausea, sitis, vomitus biliosus: vesicæque fellis ingentissimus ardor, ita vt pruna illic existens videatur, eam comitantur; atqui hæc omnia symptomata vehementiora quam prædicta sunt; ergo quia morbus ea inducens, qualis inflammatio cauæ partis iecoris est vehementior, acutior, & periculosior existit.

123. Perpensa equidem ex natura rei difficultate, semper inflammationem partis iecoris gibbæ periculosiorem ex se esse, fateri debemus. Nam morbus partem nobiliorem afficiens (reliquis paribus) periculosior est censendus; Cum verò conuexa pars concaua præstantior, magisque cordi, & reliquis membris spiritalibus consentiens sit, ac sanguine puriore alatur, propterea, etsi vehementiora symptomata, quæ ex caua parte affectæ oriuntur, videantur, deterior inflammatio in gibba existens censenda est. Hæc enim symptomata non ratione magnitudinis morbi tantum, quantum consensus ratione inter cauam partem, & ventriculum reperti, eueniunt. Imò licet maiora appareant, non ideò peiora iudicantur, quia ignobiliorem partem in consensum, quàm si esset spiritalis, (vt cor,) trahit. Neque Magister taxandus cum nullam sibi in diuersis locis contradictionem innoluat. Ipse quidem multipliciter morbum dicendum esse deteriorem nobis ostendens, videlicèt, vel propter symptomatum magnitudinem, vel partis affectæ præstantiam, huiuscemodi perniciem diuersa ratione perpendit. Sicque aliquando partem connexam, quandoque cauam inflammatam periculosiorem esse innuit. Nam concocta inflammatione partis cauæ facilius pus confectum per meserei venas, atque intestina expurgatur. Quæ verò in gibba continetur difficilius per emulgentes, vreteras, & vesicam, nam vt Magister 7. *Methodi, cap.* 13. inquit: intestina iecoris superflua tolerare assueta sunt. Sicque ex Magistri doctrina semper phlegmonem gibbæ iecoris partis ex natura sui, cum nobiliorem partem afficiat periculosiorem, quam quæ in caua reperitur adesse cēsendum est.

124. Nec febrem in hoc affectu acutam semper esse dubites: nam quamquam plurima, vt prædixi, symptomata appareant, si tamen phlegmones erysipelatodes inflammationem efficiens adsit, quia ista propter sanguinis cum bile feruorem fit, febris causus, siue ardens, in qua calor, & sitis valdè vrgent, gignitur, quæ præter acutiem, perniciosa etiam, & maligna 4. *aphor.* 48. est vt 12. *methodi* cum Mercato adaperui. Sicque semper in iecoris inflammatione febris ardens comitatur; nam hæc ad viscerum nobilium inflammationes subsequitur, vt Paulus *lib.* 7. *cap.* 46. cum Aetio, & Alexandro *proprio capite de hepatis inflammatione*, prænotauit. Simúlque semper febrem acutam comitem esse talis inflammationis persensit. Et meritò quoniam feruor humoris ebullientis in hepate, veluti in foco, cum necessariò increscat, sanguisque præ multitudine obstruat, nonque ventilatus, valdè putrescat, fuligines putridæ statim cordi communicatæ continuam, & ardentem febrem suscitare sunt aptæ. Sicque ex prædicta iecoris inflammatione, quæ ex Magistro 10. *methodi* 5. morbus magnus; & lethalis est, febris etiam magna, & acuta pendebit. Si tamen forte cum sanguine, vel cum bilioso, & tenui humore, pituitosi vllá portio permixta extiterit, ex quibus phlegmones sequatur, illo in casu non ita febris subsequutura magna, & acuta erit, de quo casu Hippocrates 1. *prorrh.* 21. febrem hepatis inflammationem non esse acutam persentiens, intelligendus est.

125. Ex prædictis facilè huius affectus prognosim inferre valebis. Nam cum, vt præteriptum, notúmque apud omnes est, iecur principale corporis membrum alimentum ipsi præparet, proinde ob alimenti vitium, quod ex prima generatione gignitur, nequaquam materia sanguinea laudabilis ad spiritus, qui assiduè deperduntur de nouo reficiendos suppeditatur, alimentum enim vi flammeæ iecoris intemperiei exuritur, nidorosúmque redditum, nec partes corporis nutrit, neque aëream spiritibus vitalibus gignendis materiam aptam habet, eo quod à prædicto calore æstuante pars sanguinis spirituosa absumitur. Nec minus si propter inflammationis magnitudinem radices venæ cauæ valdè comprimantur, ad vniuersum corpus sanguinis distributio cohibetur; sicque potiùs per mesereas venas retrocedit, & sanguineæ deiectiones eueniunt. Ex quibus duplex non exiguum corpori damnum accidit, eo quòd alimento priuatum colliquatúmque ab excedenti iecoris calore contabescit; ideóque omnes virtutes prosternuntur, quibus deficientibus satis claret vitæ periculum, cum ex Magistro vnica spes salutis sit virium robur.

126. Neque immeritò Hippocrates 4. *aphor.* 17. singultum in hoc affectu damnauit, cum sic verba proferat: *in iecoris inflammatione singultus superueniens malum.* Quia ex Magistro ingentem, ac feruidam inflammationem arguit. Vt inde ab affecta parte inflammata sanguis, & spiritus vi caliditatis more cucurbitæ trahantur, quibus exterius deficientibus, externa infrigidantur, cum interna deurantur ad lipiriam febrem progignendam, quem statum, vt lethalem Hippocrates 4. *aphor.* 48. sic alloquens protulit: *in febribus non intermittentibus, si partes exteriores algeant, interiores verò deurantur, & sitim habeant lethale.* Quod Magister Galenus *in comment.* satis adaperuit, dum inquit: *Quando aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori, vel erysipelas euenerit, totus ex toto corpore sanguis ad locum patientem trahitur, atque ideò profunda vruntur, sed cutis refrigeratur.* Et quam sitire ita apud Hippocratem damnetur, multò peius non sitire, cum extinctionem, & mortificationem partis sentientis significet, est censendum.

127. Ad excellentiam magnitudinis tanti morbi detruncandam maxima cum ratione Magister in textu, auxilium ita celebre, atque præstantius (vt est sanguinis missio) reuulsionis, euacuationisque gratia copiosè subitò, & confestim exequendum imperat, vt 1. *aphorism. sent.* 23. Basili-

cam etenim præ cæteris venis elegit: nam hæc promptissimè è vena caua copiam exhaurit, cum maiorem societatem cum ea obtineat, vt ipse Magister 1. *acut. comment.* 11. & *lib.* 4. *de sanitate tuenda, cap.* 4.

128. Quoniam ex Magistri textu liquido constat, in partium infernarum inflammationibus, vteri videlicet, vesicæ, atque pudendi missionem sanguinis ex talo efficiendam esse. In dubium proferes, vtrum aliquando non ex talo, sed ex brachio, & in hepatis inflammatione, non ex brachio, sed ex talo sanguis mittendus sit? Et ratio dubitandi ex duplici fonte desumitur. Nam si vterus, vesica, & pudendum partes sunt infernæ, ita hypochondria, & inguina inferiora nuncupantur, ex quorum dolorifica affectione sanguinem ex brachio Magister extrahit: ergo etiam si vterus, & pudenda inferna dicantur ex brachio sanguinem detrahere oportebit. Aliud quod in hepatis inflammatione fundamentum, vt sanguis ex talo mittatur, currit: quia quemadmodum renes inter partes infernas, & supernas ambigunt, ita iecur ambigit, quia renes ab hepate non multum distant, cum propè venam cauam paululùm sub iecore siti sint, adeò vt rem dexter ipsum iecur sæpè pertingat; quare hepar tam supernis, quàm infernis euacuationibus ratione situs succumbere potest.

129. His tamen magis perpensis semper Galenica doctrina sustinenda est, nam rigorosè loquendo hepar nequaquam ambigit, sed vt Vallesius *lib.* 7. *controuerf.* 4. inter partes supernas, vltima determinate hepar est, veluti partium infernarum primi sunt renes. Vnde ruit fundamentum iecur cum ambiguitate situandi, propterea in iecoris inflammatione sanguinis effusio potiùs ex brachio, quàm ex talo exequenda est; si verò affectio iam est inueterata, particularisque membri affecti plenitudo officitur, cum nulla iam sit vniuersalis non obstat, sanguinem ex talo, vt in nephritide euenit, extrahere; è contrà verò quando recens hepatis phlegmone est copia, quæ sanguinis ingens adest, ipsam priùs ex brachio deponere, quasi de fide oportere, persentiendum est, Vt Magister *libr. de curandi ratione per sanguinis mission. cap.* 18. Sic alloquens firmat: *itaque etiam misso ex cubito sanguine interdum auscultant, vbi videlicèt recens fuerit phlegmone, sanguinisque adfuerit multitudo.* Nec minus 2. *ad Glauconem, capit.* 2. quod in genu inflammatione corpore pleno sistente ex superioribus partibus sanguinem haurire conu nit, exponit. Cum fluxionis motum ad contraria auertere expediat; si tamen affectus inueterascit ex talo euacuare sine vllo dubio vtilissimum est, sicque in morbo regio à iecoris obstructione, pendente ex talo euacuatio est efficienda, veluti in vteri inflammatione (cum recens fuerit) licèt pars inferior sit è cubito sanguis est mittendus, cum adhuc vniuersalis, superiorque plenitudo deposita non sit. Vt iam libro de curandi ratione per sanguinis missionem latiùs adaperui.

130. Ita Magister audacter, copioséque sanguinem in huiusceemodi affectu extraxit, vt non solùm causa antecedens inflammationem fouens, sed etiam coniuncta euacuaretur. Quod posse fieri 1. *acut.* 11. satisfirmat. Simulque ita esse operandum multis in locis asseuerat. In vehementissimis etiam inflammationibus, & febribus ardentibus subitò, ac semel priusquam partis dolor augescat, nec febris caliditas increscat, neque humores immodicè excalefacti, & furientes ad alias principes partes decumbant, expedit ducere.

131. Hanc etenim copiosam euacuationem non modo in externis, verum in internis inflammationibus (dummodò requisitæ conditiones adsint) celebrandam esse ex Magistro 4. *acut. comment.* 74. est fatendum, ait enim: *si virtus robusta fuerit, viguerit ætas, sanguis abundauerit, & laborantis natura, tum densior, tum durior, atque ægrè magis perspirabilis, & sanguis copiosus fuerit: anni etiam tempus, & constitutio benè temperata, sic sane, & regio, nempè, quod ad animi vsque defectionem sanguinem auferre vereamur, nobis ex his accidit.* Quantitas quidem extracta fuit 200. drachmarum, quæ numerum vnciarum 26. cum dimidia ex Galeno faciunt, qui 6. *de compos. medicam. sec. loc. cap.* 1. *tit. stomaticum ex malis punicis Andromachi, &c.* pro vnica vncia octo drachmas intelligit, sic alloquens: *octo enim drachmæ vnciam efficiunt.* Ex quibus Magistrum vnica vice duas libras cum vncia, & dimidia extraxisse constat, quemadmodum in muliere illa nobili Romana primo libram, deinde semilibram extraxit: vt 6. *epid. sect.* 3. *comm.* 29. patet; tum etiam *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem, cap.* 17. pro dolore oculorum detruncando œconomum Romanum infestante quinque horarum spatio, quatuor libras sanguinis extraxit.

132. Cùm igitur in omnibus inflammationibus internis à calidissimo, valdéque sanguine feruido concitatis, apud omnes priscos Arabes, & Iuniores sanguinem copiosè mittendum esse oporteat, propterea nullus (conditionibus supra prædictis adstantibus) huiusceemodi auxilium renuere debet. Et aliquando aliis rectè, & ritè euacuationibus exercitis, cum affectus non satisfcat; cucurbitula scarificata super partem affectam, & postea die sequenti sanguisugæ ipsi parti laboranti appositæ mirificam vtilitatem exhibent, vt doctissimus Zacutus se ita feliciissimè operasse fatetur: nam cum inflammatio soleat fieri ex sanguine crasso, & præadustione terrestriori, proinde huiusceemodi succus limosus, nisi ex eadem parte affecta sensibiliter extrahatur, semper dirus, ferox ac intolerabilis dolor permanet, quare tum scarificatio præcedente cucurbitula; tum demum hirudines maximè tali in casu prodesse valent, vt Magister 13. *methodi cap.* 19. satis firmat.

133. Quamuis etenim præceptum Galeni in textu vniuersale sit, videlicet cum iecur phlegmone laborare cœperit, expurgantia medicamina vitanda esse, eo quod ex eorum exhibitione vehementer inflāmatio, humore per eam partem euacuato, valdéque cōmoto, excitatur. Propterea omnes

nes veteres nihil posse ab inflammata parte purgantibus detrahi, neque à reliquis, quin ea magis lædatur, animaduertentes ne magis febrilis caliditas increscat, purgationem per aluum, interdixerunt. Si tamen febris remissa fuerit, & inflammatio in coctionem, & resolutionem vergat, purgatio iam exequẽda erit. Vt Galenus 7. *methodi* vult, *& lib. 8. de comp. sec. loc. cap. de his quæ Archigenes ad hepatis inflammationem conscripsit.* Et speciosius Magister Galenus *in præsenti libro cap.* 15. vt *infra* patebit. Vbi sic fatur: *Nam sicut iecoris cauum expurgatur per aluum, vt paulò supra diximus, sic gibba eius per ea, quæ vrinam mouent, cuius generis est apium procedente etiam tempore vbi phlegmone iam concoquit, etiam valentioribus vti licet, assaro, & celtica nardo, & Fhu quod vocant, & petroselino, & smirnio, & mio, sicut etiam per ventrem euacuare, si eauum afficitur cnito cibis admixto, & vrtica, & mercuriali, & epitimo, & filicula, omnia præterea, quæ aluum deijciunt.* Et digna notatu sunt verba prolata; *vbi phlegmone iam coquitur.* Tempore quo per aluum subducendos succos esse commendat Galenus, tam ad vnum enim, quàm ad alterum auxilium nequaquam perfectam coctionem expectandam esse commonet. Quoniam veluti in pleuritide si statim materia, quæ leniter coquitur media tussi non reijciatur, casus mortalis adesset, eo quod diutiùs detenta suppuraretur, à qua permutatione ferè omnes pereunt, non aliter in præsenti si in iecoris inflammatione totalis humorum coctio expectaretur, suppuratio cum manifesto ægri periculo contingeret, proinde materia paulatim disponi oportet, ne detenta in purulentam substantiam mutetur. Ne igitur in affectu ita acuto natura in coctionem tendat, quia semper in iecore inflammato virus corruptum resudat, hac de causa cum tenui tunica obtegatur; indicatio ad leniter expurgandum offertur, & quemadmodum vrinam mouentia, non semel, sed per vices propinanda sunt. Eo quod natura paulatim concoquit; ita huiusce modi expurgatio paulatim repetenda est. Quare dum febris remissa est, ante perfectam in totum coctionem, id est, suppurationem medicamina expurgantia, quæ lenia fuerint exhibere conuenit. Quæ autem inter omnia electiora dicantur, facilè vnicuique licebit. Cum semper casia, tamarindi, manna, & alia similia conueniant. Perpendendum tamen est, quod si pars iecoris conuexa simul cum caua inflammatur, necessario medicamina partem cauam expurgantia prius, quam quæ gibbam mundant, sunt exhibenda; alioqui enim inflammatio partis gibbæ magis augescet, eo quod medicamenta vrinam mouentia humores partis cauæ in gibbam, quæ magis tumescet, deducunt. Licet tamen aliqui medicamenta purgantia cum cibis permisceant, ne trahant ex toto, sed vt iecur tantùm expurgent. Nam dum Chylus à iecore trahitur, prædicta medicamenta suauiter humores, quin totum corpus turbetur, extrahunt. Propterea Hippocrates dixit: *optimum in alimento medicamentum.* Hæc tamen assertio, & fundamenti ratio fictitia videtur. Primo enim Hippocratis oraculum, non de medicamentis purgantibus cum alimentis permixtis est intelligendum, sed potius de alteratiuis, & contemperantibus, ac corroborantibus, nonque coctionem naturæ impedientibus, qualia sunt purgantia. Deinde quia si dum iecur chylum trahit, medicamina humores attrahunt, quomodo quæ in vasis iecoris continentur, expurgantur; præterea, quia vbi potius alimentorum corruptio, quam chyli generatio euenit, quem laudabilem chylum iecur sibi attrahere valebit? Quare Hippocrates *libr. de alimentis, num.* 4. sic alloquitur: *in alimento medicina malum.* Nam cibus medicamento permixtus ob humores attractos, facilè corrumpitur, & citra partium alimoniam crudus, atque incoctus à ventre deijcitur; & si fortè partes cibum sugunt, potius ille infecta qualitate, ac putredinali aderit. Vlteriùs quia cibus agendi virtutem in medicamine repertam, vt pharmacum de potentia in actum reduci prohibeat. Qua ratione medicamenti exhibitio ad purgandum morbificum succum est frustranea, sed solum vt etiam iecur, & venæ ad alimentum attrahendum impediantur. Vnde alter alterius ita actionem prohibet, vt tum partium nutritio, tum succorum expurgatio perturbetur, ac impediatur. Quapropter ieiuno ventre solum medicamentum, ac impermixtum offerendum esse videtur.

134. Si tamen tres medicamentorum purgantium differentias perpendamus, facilius huiuscemodi difficultatem dissoluemus. Quædam enim medicamina benigna, quæ minimum ab alimenti natura recedunt, adsunt. Cuiusmodi sunt pruna, violæ, manna, serum lactis; medulla casiæ, rosa alexandrina, saccaro condita, & similia; alia verò sunt maligna, quibus virtus, atque substantia venenata inest, vt scamonium, helleborum, & collochyntis; tertia tandem medicamenta purgantia mediocria interdicta sunt, vt rhabarbarum, aloë, senna, atque agaricum. Benigna equidem, & placida tutò cum cibis offerri possunt, hoc enim modo natura ea suauiùs amplexatur, eo quod alimentum cum eis permixtum nequaquam corrumpitur, cum parum inter se dissentiant. Quare quod à iecore trahitur nullatenus praua qualitate infectum est. De quibus Hippocrates *loco citato*, dum inquit: *optimum medicamentum in alimento* intelligendus venit. Mediocria tamen purgantia, quorum tenuior pars ad succum attrahendum permeat, neutiquam cum cibis sunt permiscenda, eo quod hæc corpori alendo seruire non valent. Sicque medicamenta exsoluentia, quæ si in ventre permaneant, eorum vaporosa substantia in altiores partes penetrat, vt noxius earum succus attrahatur, oppositam penitus naturam cum alimentis habent; ideóque cum eis permiscenda non sunt. De quibus Hippocrates dum dixit: *in alimento medicina malum,* animaduertendus est.

135. Notandus tamen Hippocrates est, *6. epid. sect. 5. textu* 29. qui valida medicamenta cum cibo permiscet, nam dum helleborum exhibet, lauare, & comedere præcipit: vt celerius minorique molestia suum opus adimpleat. Vt enim medicamentum ocyus erumpat balneum aquæ dulcis, & cibus, quibus corpus humectetur, conducunt. Dum Hippocrates ait: *ad veratra qui non*

facilè purgantur, corpus antea humectare expedit alimento, & quiete. Dicendum quidem est, quod veratrum, aut eodem tempore, quo alimentum, aut post illud valet assumi, quia ex victu humores attenuantur, & viæ, & succi per ventrem deferantur, pa efiant, vt inde corpora fluxa reddantur; propterea *4. aphor.* t 13. vt qui veratrum assumpturi sunt cibo, & quiete corpus humectent, monet. Merito etiam Galenus *in præsenti libro, cap.* 15. in inflammatione canæ partis iecoris, magisque remittente phlegmone medicamenta exoluentia vt carthamum, mercurialem, epithymum, & polypodium in decocto ptisanæ propinat. Cuius est ratio, quia ptisanæ temperie, & leuitate medicamenti vis prorsus obtunditur, præ cuius beneficio eam post pharmacum. *2. acut.* 11. bibendam præcipit. Tum vt cibi iucundi tanquam vehiculi ope iecur medicamentum nullatenus respuat, imò ad se adiiciat, eumque ad cauam partem, ex qua humor noxius necessario per aluum educatur, transferat; sic enim medicamen obstructos, angustósque iecinoris meatus penetrans, ac peruadens, humorem crassum, atque deustum vacuare valebit.



CAPVT XII.

Quando localia partibus inflammatis valdè noceant.

136. 

OSTQVAM Magister auxilium magnum, vt est sanguinis missio, modumque rectè vtendi ad iecoris aliarúmque partium inflammationem profligādam *in antecedenti capite* proposuit, iam in præsenti quando, & quomodo medicamenta localia diuersis partibus, atque iecinori apposita nocere possint, commonstrat.

TEXTVS.

Sed nec refrigerare inter initia, &c.

t 37. ITa inflammationis tempora discernenda Magister commonet, vt semper in earum initio qualibet in parte inflammatio sit, medicamenta refrigerantia particulæ laboranti maiorem noxam, quam vtilitatem inferre pronuntiet. In particulis enim, quæ circa artus sunt, spongiam, vel ex aqua frigida, cum pauco aceto, vel sola illa madentem imponere sufficiet, vel etiam ex vino aliquo austero Si verò iecur phlegmone laborare cœperit, nemo rationis capax illis vtetur; imò nec melino, aut myrteo, aut mastichino, aut nardino, aut lentiscino, aut aliquo adstringente oleo, siue alio cui absynthium decoctum sit, vti oportebit, neque horum vllum frigidum, veluti nec cataplasma frigidum conueniet. Et ita necessariò inflammationis iecoris principium est animaduertendum, vt adhuc mala præcipuè cotonea vino cocta cataplasma cōstruentia frigida non sint iecinori admouenda, neque oculis, neque oris partibus, si hæc tentari phlegmone cœperint, oleum, vt dictum est, apponendum expedit. Auribus verò quamvis acetum cum rosacco infundatur, nihil noxæ subsequetur. Quod tamen oculis laborantibus, nec medicamē ex moris confectum, aut aliud quidpiam simile conuenit, hæc enim omnia oculis tristem sensationem, aut dolorem exhibent. Licet ex genere indicatorum adsint; si verò glandulæ phlegmone affici incipiant, oleum solum commune calens sufficiet.

Aliqua iuxta maiorem Textus expositionem adducuntur.

t 38. Præceptum omni obseruatione dignum apud Magistrum alatum, videlicèt quod si ante missionem sanguinis in hepatis inflāmatione localia repellentia ei applicentur, induratur, maximè colludandum est, & etiam post sanguinis missionē, si diù medicus in eorum exhibitione persistat induratio, atq; scirrhosus status imminet, nam iecur ex propria sua natura ad contrahendā duritiem in propria substātia pars aptissima est. Vnde inflammatio incurabilis redditur, iecoris enim conditio, veluti sanguinis est, eo quòd facile vtrumq; gelatur, & cōcrescit, cum iecur veluti sanguis coagulatus sit. Nec minus aliud notatu dignum inconueniens ex adstringentium vsu sequitur, videlicet quia ostium per quod vesica fellea bilem à iecore expurgat, occludit, indéque cohibita in iecore detinetur, nouúmque fomitem inflammationi suppeditat. Licèt verum sit, quod ex internis adstringentibus, quia immediatius, & velocius ad hepatis venas peruadunt eas obstruendo, ex quo morbus regius subsequitur, maiora incommoda eueniant. Quare cum summa cautione adhuc externa adstringentia apponenda sunt, cum quibus resoluentia in dicta iecoris inflammatione, ne lapidescat permiscere oportet.

139. Quantum verò sola resoluentia & relaxantia officere, si apponantur in hepatis inflammatione incipiente possint. Magister Galenus Attalum Medicum *in historia cap.* t 5. *de hepatis inflammatione*, quia relaxantibus medicamentis vtens Theagenem Cynicum inflammatione hepatis laborantem interfecit, valdè imperitum, atque ignarum coarguit. Historia quidem sic incipit: *Placet autem nunc in memoriam reuocare tibi egregiam eorum curationem, quam Theageni Philosopho Cynico adhibuerunt, siquidem hanc norunt plurimi, propter viri famam vt qui publicè disputare in Traiani circo quotidie sit solitus. Erat qui hominem curabat, vnus ex Sorani discipulus nomine Attalus. Is imposuit quotidie iecinori cataplasma ex pane, & melle, haud intelligens viscus hoc mediocriter adstringi debere, propterea quod animalibus altricis facultatis principium sit, & venosum ab hoc oriatur genus, ita igitur viscus curauit, sicut bubonas, meris scilicet, & solis relaxanti*

laxantibus vtens, cataplasma ex pane, & melle imponens, ac prius oleo calente perfundens: tum sorbitione ex alica cibans. Visum autem est mihi seorsum Attalum monere, vt adstringens aliquid admisceret, nec nudis relaxantibus vteretur, &c.

140. Ex qua historia Magister Galenus inquit, iecur, quoniam animalibus altricis facultatis principium est, & venosum genus ab eo nascitur, adstringentia medicamenta ad suae substantiae conseruationem expostulasse. Propria enim hepatis substantia mollis est; ideóque à laxantibus solis prorsus dissoluitur; quare si iis adstringentia misceantur laxatis virtus retunditur, pars vnita conseruatur, poris conniuentibus calor naturalis ita retinetur, vt nec exhalare, aut totus euanescere valeat, vt igitur iecinoris natiuus calor conseruetur, illius substantia roboretur, spiritus non dissipentur, ipsiusque sanguifica virtus non flaccescat; omnibus localibus apponendis adstringentia permiscere oportet, & ista odora, & modicè calida, frigida enim, vt dictum est, calori natiuo sunt infesta, iecinoris substantiam scirrhosam reddunt, & media frigiditate, atque siccitate sanguinem, & spiritus à praedicta substantia repellunt, sicque innatus iecinoris calor valde languescit. Meritò ergo Magister imprudentissimum Attalum, quia sola relaxantia imponebat, vt asinum reprehendit, ac tenet.

141. Roborantia igitur in iecoris inflammatione potius quae vel solam adstringendi virtutem, vel amaritudinem obtineant, apponenda sunt. Quod in historia Magistri *de hepatis inflammatione, cap.* 111. satis paret dum in haec verba prorumpit: *Erat enim is qui aegrotabat medicus, quem iam lucernis accensis inuisimus: ergo cum inclinatam notabiliter febrem inuenissem, vtendum occasione, quàm primum censui, eo certe magis quod suspectam quae gallicinio futura erat, alterius accessionis initium allaturam verebamur. Incoxi in oleo quidem absinthium: in aqua verò malum cotoneum. Dum autem haec coquebantur, mirobalani piesma, & ireos radicem, quae intus inueneram, contundi, cribrarique: deinde olei & aqua quae parauceram, portionem in lebetem immisi: ac vbi modice coxeram myrobalanum, & irim vnà cum exigua cera iniecit, coquimus autem cotoneum non in aqua modò, verùm etiam persaepe in austero vino, ac omnibus eiusmodi cataplasmatis, de ipsa quoque cotonei carne interdum admiscemus, &c.* Galen. haec.

142. Ex qua Magistri satis manifesta doctrina facile vnusquisque quàm vtilia medicamina, quae astringendi virtutem & amaritudinem habent, vtilia sint, satis inferet; si verò phlegmone in initio sit, & fluxio copiosior vim adstringentem augere conuenit. Si verò totum corpus purum adest, neque ipsum membrum affectum imbecillum, parumque fluit, illo in casu minimum adstringentium relaxantibus in maiori quanto est permiscendū, humor enim in inflammationis initio ad inflammatam partem confluens reuellendus est, quam actionem adstringentia vtiliter efficiunt, illorum enim ope pars roboratur, humorque ad interiores cedens, fluens, tum etiam fluxus, & fluxurus exprimitur, nam cum particula laborans vegetior reddatur, humoris recipiendi incapax fit; solum enim ad debilem partem humores, qui per corpus vagantur, fluunt in iecore igitur si relaxantia tantum apponantur, pars debilitatur, & fluxio suscitatur praecipuè si corpus impurum adest, vt Magister 11. *methodi, cap.* 16. docet: *calefacere etenim praecordia cataplasmatis, & perfusionibus non est perpetuo tutum, nisi vbi corpus purum est: caeteris omnibus extrema est pernicies.* Praeterea cum Magister febrem inclinatam inuenisset, & quia nocturno ita tempore tam cito medicamenta ab officina forte deferri non possent, ne occasio laberetur, quae supradicta manent, & intra domum laborantis reperta fuere apposuit: praecipue cum hora suspecta accessionis in gallicinio speraretur, idest, ea noctis parte in qua galli canunt, quae est quarta castrensis vigilia.

143. Apposuit quidem frixum in oleo, non simplici, sed vel Hispano, vel crudo, vel omphacino nuncupato. Quod virtute roborandi apud Magistrum 12. *Methodi* 3. viget. Incoxit etiam cotoneum in aqua ex qua cum oleo decoctione facta, ac iniectis puluetibus tetrimenti mirobalani, & radicis ireos; quae vim adstringentem obtinent, adiecta cera vnguentum ad praedictum vsum vtile parauit. Nec immeritò cum cotoneum valde iecur roboret, & praecipue in austero vino decoctum eo quòd cydonium debite adstringit, vt Magister *lib.* 2. *alim. cap.* 23. & Dioscorides *lib.* 1. *cap.* 136. docet. Tum etiam quia praedictum vinum natura sua austerum, & adstringens est; ideóque ventriculum roborat, ex Magistro 12. *Methodi, cap.* 4. Sicque omnibus excretionibus valde auxiliatur, propterea eo non, nisi ad alimum sistendam est vtendum, cum alimento deducendo, nec sanguini generando, nec succorum bonitati, nec sudoribus excitandis conferat, tantum enim vt medicamentum partes firmas, fluxionesque sistit, eamdem quidem doctrinam *cap.* 15. huius libri Magister, vt infra constabit, sigillat.



CAPVT XIII.

De victu in iecinoris inflammationis praescribendo.

144. T debite victus ratio in phlegmonis iecoris curatione praescribi valeat. In praesenti Magister discrimen inter artuum, iecorisque inflammationes adducit, vt seruata natura, atque functione partis affectae diuersimode quoad diuersos nutriendi scopos Medicus operari valeat.

TEXTVS.

Sed & reliquus victus ordinandus, &c.

CVm etenim glandulæ, aut artus phlegmone corripiuntur, solum vnica tantum indicatio, quæ quantitatem, & qualitatem victus exhibendam jubet, elucescit. Neque enim an alicam, an ptisanam, an verò mulsam, an punicum, an malum, an tandem quippiam medicus exhibeat, interest.

TEXTVS.

An si iecur phlegmone infestatur, &c.

145. SI tamen, ait Magister, hepar phlegmone laborat, exquisitissimo victu est vtendum, quemadmodum equidem si ventriculus eodem modo afficitur, cuius est ratio: nam cum hepar, & ventriculus toti corpori subseruiant, propterea si alimentum non probe coctum, ac deuictum, siue non rite in sanguinem mutatum sit, omnibus viuentis partibus maximum nocumentum euenit. Artuum verò partes, quia tantum alimenti, quantum ad earum nutritionem sufficit, suscipiunt; propterea etsi ex malo, quod probe in ventriculo coctum sit, siue ex alica, siue ex ptisana alimentum ad eas perueniat, parum interest; in jecore verò inflammato ex nutrimenti differentia, quoad quantum, & quale maxima etiam ad iuvandum, vel lædendum vtrique parti, tam ventriculo, quàm hepati cognosci debet. Vt debite Medicus victus rationem præscribere valeat.

Textus annotationes.

146. Nec immeritò Magister tenuissimum victum in jecoris inflammatione dandum esse iubet; nam si tota affectio sine vllo cibo, & sine vllis cibis transite sua tempora posset, maxime esset optandum, quia tamen hoc fieri non potest, propterea sufficientem victum cum quo æger donec morbus indicetur, durare possit, ne priùs deficiat, præscribere oportet. Sicque vt plurimo, aut pauco cibo æger indigeat, ex morbo, aut ex ipsius laborantis natura, aut ex externis percipere debemus, in ipso quidem morbo constitutio, aut species prænotanda est. Nam constitutio quo longior sit, copiosiori victu est opus, vt in plures dies viuens sufficere possit; quare conjecturari oportet ex Hippocrate 1. *Aphor. sent.* 9. An æger cum victu perdurare possit necne, &c. Quare tanto copiosius à principio alimentum condonandum, quanto futurus morbus longior videatur. Quod nequaquam Medici imperiti, nullam temporum morbi prouidentiam futurorum habentes, efficiunt. Proinde in acutis cum plus facultatem affici, multisque symptomatibus ægrum inuadi percipiant, eos mox ingurgitare, siue supra modum cibis replere incipiunt; è contra verò in morbis cronicis, cum per initia nulla symptomata, omnésque vires parum, aut nihil sentire laboris prænotent, victum nimis extenuant, & cum in posterum morbum longius, quàm indicabant, protrahi, videant, longitudinem inediæ commissam pertimescentes cibum augere intempestiuè coguntur; ita vt vires ante tempus languescere, sinant; & tandem succorum concoctionem per augescentiam ciborum in statu impediant. Contrarium tamen semper est operandum, quoniam in morbi principio plus cibi quàm in aliis temporibus exhibendum est, procedente verò concoctione, morbóque in iudicationem eunte, ea celeritate, qua ipsius morbi duratio contrahitur, sensim de alimento est detrahendum, proinde licet in acutissimo morbo tenuissimo victu in principio sit vtendum ex *lib.* 1. Hippocratis *sent.* 7. præcipue tamen vbi in statu constiterit, tenuiori ex eodem Hippocrate *sent.* 8. est opus. Neque inde inferas morborum tempora per se vllum cibum indicare, morbi enim tempora partes ipsius morbi sunt, ita vt ipse morbus incipiens, increscens, stans, siue vigens, aut decrescens, dicatur, cum igitur omnis morbus, omnésque eius partes potius prohibeant, quàm dari cibum petant, propterea ab illis victus per se non indicabitur. Ex accidenti tamen, quia in aliquo morbi tempore, vt in augmento, & statu natura coctioni est dedita; in aliis verò vt in principio, & declinatione natura à coctionibus vacat, ob hanc rationem, vbi natura in illis coctioni est occupata alimentum magis prohibetur; in his verò quia à prædicto opere libera est, minus prohibetur, magisque permittitur; sicque morborum tempora ex natura rei, & per se nequaquam alimoniam indicant, sed quia in eis aliquando alterationes, & coctiones vigent, aliquando verò absunt, vt inde præ hac causa alimentorum penuria, vel copiosior quantitas præscribi valeat. Verius tamen propter ipsam facultatem, quæ tanto magis periclitatur detracto cibo in principio, quàm posterius, quanto plus temporis transeundum restat, cibus est exhibendus. Quare vel facultas est valida, vel languida, si robusta alimentum copiosius, & rarò, si imbecilla tenuius, & frequenter, quia cum robore facultatis alimentorum copia facile deuincitur, vt vires seruentur, & rarò est præscribenda, ne morbifica causa augescat; quando verò est languida parum, & sæpe, quia multa non concoquuntur, pauca verò non sufficiunt; ideóque audiendus Hippocrates dum ait, quibus semel, aut bis condonanda sunt alimenta, &c. 1. *aphorism. sent.* 17. Nec minus ex morbi specie indicatio cibi quantitatis desumitur; nam cum victus ratio ratione facultatis per se indicetur, proinde morbi species, quæ ex natura sua robustiori facultate, vt vincatur, indigeat, copiosiorem cibum præbendum esse permittit.

147. Quid ergo de partibus affectis ad ciborum quantitatem præscribendam dicemus, si enim morbifica materia intra thoracem adsit, copiosius, quàm cum naturalia instrumenta afficiuntur, alimentum propinandum expedit, quoniam cum quæ in thorace adsunt, euinci citra coctionem, expulsionem non valeant; ita vt coctio

solum

ſolum vires naturales, expulſio verò per ſputum exercita naturales, atque animales ex, oſcat, quia media tuſſi, aut vehementi exufflatione agenobus thoracis maxima vi muſculis cauſa morbifica expuitur, propterea ob indigentiam maioris facultatis animalis roboris copioſiori cibo eſt opus; ſi enim hoc modo laborantes ſine ſufficienti alimonia Medicus curari ſinat, eos in extremum virium languorem ita deducet, vt ſi cocta materia ſit, quia tamen impotentia excreandi præ debilitate afficiuntur, ſuffocati pereunt. In aliis verò morbis cum ſolum vires naturales in vincendam cauſam agunt, minus, vt in hypochondriorum, aliarumque partium affectionibus eſt condonandum. Minimum etiam in ventriculi, & iecinoris inflammationibus (vt ait Magiſter in textu) quia cum huiuſcemodi partes primarias, & maximas alimentorum mutationes, vt toti corpori ſubſeruiant, efficiant, propterea maxime à cibo læduntur, ſicque tenuiſſimo ait Magiſter cibo eſt vtendum, deſumpta enim indicatione ab officio partium, quales ſunt ventriculus, & hepar maior noxa, quam commodum ex copioſo cibo, quod non ita in affectibus artuum, aut aliarum partium, quæ officiales non ſunt, ſequitur. Hæc quidem, quæ ad morbi ſpeciem, conſtitutionem, partium affectarum vſum, ſiue officium pertinent, adſunt.

148. Habita tamen ad laborantem, ſiue ægrum perpenſione, vt alimenta copioſiora, vel pauciora præſcribi debeant, duo à quibus indicatio ſumitur, natura videlicet, & conſuetudo animaduertenda ſunt; nam quibus plurimum calidi innati eſt, plurimo alimento eſt opus, vt Hippocrates *aphor. 1. ſent. 14. qui creſcunt plurimum habent calidi innati, plurimo ergo indigent alimento, aliter corpus abſumitur. Senibus vero exiguum calidum: idcirco exiguis egent fomitibus; nam ſub multis extinguitur, &c.* Quare calido innato copioſiore vigentibus, cum a pauco alimento exoluantur, plus illis, minus verò aliis qui exiguum calidum habent, eſt propinandum. Cur verò facile primi exoluantur. Eſt ratio, quia cum concoctrix facultas naturalis ſit, quæ præſente materia ab opere feriari non valeat, proinde exiguo alimento dato, excrementa, quæ neceſſario in officinis reperiri ſolent, valde exurit, à quibus poſtea recrematis noſtra ſubſtantia ita exuritur, vt liqueſiat; ſimulque ipſum alimentum, quia valdè exiguum, corrumpitur, ac vitiatur, & in ſubſtantiam nidoroſam redditur. Deficit etenim inter agens, & paſſum debita proportio, vt ſibi debitam aſſimilationem in paſſo ſigillet. Alias potius deprauate facultas operatur. Quæcumque etenim ad ignem lentum denſata coguntur, & dulceſcunt, ad ardentiorem ita vitiantur, vt amara, & fumida vertantur, non aliter ex victu exiguo, aut tenui omnibus validiori calore vigentibus, ſiue ex propria natura, ſiue ex anni tempore, vt hyeme, & vere hoc accidit. Nam pueruli, & adoleſcentes, ac tempus hyemale, & vernum, quia in illis natiua calliditas eſt copioſior, & in iis quia ipſa copioſior viget, cum ventres hyeme, & vere calidiſſimi ſint, copioſiorem victum, dum ægri, eſſe præſcribendum poſtulant; Quæmadmodum è contra in autumno, & ſenibus, in quibus ob penuriam caloris natiui, paucis fomitibus; eſt opus.

149. Nec minoris ponderis in victus exhibitione conſuetudo ſub rantium eſt. Hæc enim inter omnia naturæ familiaris, & grauiſſima eſt, propterea ex Hippocrate: *Quæ multo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora, minus moleſtare ſolent, quam inaſſueta. 1. aphoriſm ſent. 50.* veluti etiam inquit eodem *lib ſent. 49. Qui aſſueti ſunt conſuetos ferre labores, etſi ſint debiles, aut ſenes, facilius ferunt, quam fortes & iuniores.* In omnis igitur victus ratione ob morborum curationem conſuetudo eſt ſeruanda, in ſomno etenim & ... atque euacuationibus, aliiſque huiuſmodi, veluti in cibi quantitate, ſi Medicus aſſuetas naturæ actiones deſpiciat, plurimos errores patrabit. Cum ergo in omnibus morbis ſemper cibus ex aliqua quantitate detrahendus ſit, propterea in diuturnioribus minus, in acutis multo plus, in mediocribus mediocriter, & tandem in omnibus ad proportionem ex eo quòd conſuetum fuerit eſt detrahendum.



CAPVT XIV.

De victu medicamentoſo ad iecoris phlegmonem ſoluendam.

150. VM inter omnia, quæ maximè in alimenti exhibitione prænotanda, ne in iecinoris phlegmone obſtructiones augeſcant, alimenta quoad modum ſubſtantiæ ſint, propterea Magiſter in præſenti ſelectiorem, tenuióremque victum quoad ſubſtantiam dandum eſſe in iecoris inflammatione præmonet. Simulque quantum, quæ craſſa ſunt officiant, prænotat.

TEXTVS.

Nam expelli è iecinore oportet, &c.

151. QVoniam maxime ſiue ſuccum bilioſum, ſiue ſaniem, quæ ex phlegmone iecinoris naſcitur expelli ex eo oportet. Quod tamen nequaquam fieri valet, niſi illius vaſa detergantur, ac meatus, qui ad ieiunum apertus ſit. Quare cum inter omnia alia huic viſceri tenaciter propter craſſitiẽ inhæreat, eiuſq; vas obſtruat, & bilem in inteſtinum deferri, totumque in corpus digeri prohibeat, proinde apud Magiſtrum damnatur. Iecur etenim, & os meatus, qui bilem tranſmittit, cibos, & pharmaca, quæ obſtructa recludant indicat. Iſta quidem omnia nequaquam lenta, ſed tenui conſiſtentia & qualitate mordente gaudent. Ab his tamen, vtpote quia

quia mordicantia sunt, phlegmone augescit. Quapropter ea quæ citra morsum detergentia sint, cuiusmodi est mulsa, conueniunt. Quia tamen, tum iecur, tum lienem dulcibus intumescere, experimur, euitanda sunt.

TEXTVS.

Supersunt igitur, quæ culpa vacent, &c.

151. QVia tamē in cibis omnium ptisana, quę sine morsu deterget, quemadmodum in Pharmacis oxymeli aqua mixtum pro fine deobstruendi complendo sufficiunt, malum punicum etenim, ac alia, quæ adstringunt, dum meatus bilis obstruunt, bilis transitum impediunt, propterea in iecinoris phlegmone præcipue caua laborante parte, maximè lædunt: Quoniam adstringentia, siue medicamina, siue alimenta substantia lenta constantia ad angustias, quas ipsa phlegmone conficit, agendas perueniunt. Pariter quæ mordicantia sunt phlegmonas in caua iecoris substantia existentes magis irritant, quando verò in parte conuexa inflammatio adest, iam ad inflammationem, quæ assumuntur, si adstringentia, siue mordicantia, siue quæ in vasia angustis alimenta (quia lenta, & inhærentia) sint, ita mutata perueniunt, vt nec prima dicta adstringant, nec secunda mordicent, nec tertia præ lentore, quia cum amiserunt, obstruant. Mutationis autem duplex occurrit causa, tum etenim prius sunt concocta, & deuicta, tum etiam quia sanguini, qui antecedenter in hepate aderat, commixta iam sunt; in caua verò iecoris parte statim venæ mesenterij, simul phlegmone afficiuntur, quando ex illa, quæ ad portam pertinet, omnes oriantur. Protinus similiter quæcumque earum oscula incidunt, suam vim ostendere; itavt tam inflammatio, quam obstructiones valdè augescant.

Expositiones juxta textum.

153. Cum Magister meritò in textu alimentum tenue detergens, & excrementorum expers in iecinoris inflammatione commendet. Quamuia nulla harum conditionum sit, eam tamen, quia iecur inflammatum dulcibus intumescit, damnat. Intumescit etenim quia familiaritate substantiæ præ dulcedine, antequam in ventriculo perfectè commutata sint ea attrahit. Ob quam etiam rationem, ea Princeps Auicenna *fen* 14. *lib.* 3. *tex.* 1. *cap.* 19. sic alloquena renuit: *Dulcia iecur impinguant, & magnificatur, & confortatur, verùm velocia sunt, & faciunt euenire obstructiones: propterea quia hepar attrahit ea impetuosè associans ea humoribus aliis, & propter hoc oportet, vt vitet dulcia ille qui habet apostema in hepate suo.* Frequentius etiam dulcia, quia quod dulce est resultat ex coctione; ac proinde crassescit. Crassa sunt, sicque ad obstructiones geminandas aptissima, & quamuis in eis partea tenuiores adsint, præ quibus inepta obstruendi dicantur, quia tamen propter dulcedinem incommutata trahuntur, remenda sunt. Etsi etiam dulcia; quia in bilem vertuntur, ex Hipp. vias reserate videatur, hoc esset verum, si bilis ex dulcibus genita. non crassa, & tenax vitellina, & flaua esset; quia verò ob conditiones materiæ ex qua gignitur, quæ dulcis est lenta, & crassa, etiam bilis crassa, & lenta resultat, quæ potiùs ad magis obstruendum, quàm reserandum, nec detergendum deseruit. Et cum non omnis rerum dulcium quantitas in bilem, sed solum aëtea, & pinguis commutetur, quæ quidem adhuc partibus excrementitiis permixta à iecore attrahitur, proinde iecur, ac venas mesaraicas arctissime obstruit. Sicque Magister in textu pro exemplo mulsam renuens adduxit. Inter omnia igitur alimenta ptisana sine morsu detergit, incendiúmque attemperat, eam Magister maxime collaudat, in principio tamen inflammationis in exigua quantitate est propinanda.

154. Notandum etiam expedit discrimen apud Magistrum adductum, ex eo quod si pars iecoris conuexa inflammatione laboret, non ita medicamenta mordicantia mordicant, neque adstringentia perstringunt, nec alimenta lenta vias obstruunt, acsi caua pars phlegmone laborasset, nam antequam ad substantiam gibbam hepatis perueniant, iam commutata media coctione, atque sanguini permixta sunt. Quod non ita cum caua est affecta, euenit; nam immediatus sine prædicta immutatione venas mesaraicas, quæ simul inflammatione afficiuntur, perstringunt, mordicando, adstringendo, & obstruendo: Vnde periculosa in cauæ partis, quàm gibbæ iecoris inflammatione sunt tenenda. Quia verò semper in qualibet istarum inflammationum obnoxia sunt. Propterea Magister hæc protulit verba: *in iecinoris phlegmone præcipue caua laborante parte maximè lædunt.* (Præcipue) quia etiam in parte conuexa, etsi non ita, nocumentum magnum exhibent.

Qnoniam in alimentis non solum quantitas, verum qualitas etiam, opportunitas, & vtendi modus perpendenda sunt; propterea postquam de ciborum quantitate superius cum Magistro in hepatis inflammatione, vtpote morbo acutissimo victum tenuissimum indicante, fuit peractum, in præsenti de alimentorum qualitate ptisanam amplectens Galenus, vt vtilissimam adducit. Et cum ciborum qualitates duplices sint, vel etenim, vt mere cibi, vel vt medicamentosi sunt judicandi; itavt dum cibi tantum mera qualitate gaudent, coctu faciles, aut difficiles, tenues, aut crassi, boni, aut mali succi, multi aut pauci nutrimenti, facilis, aut difficilis descensus sint. Dum verò medicamentosi, vel calidi, vel frigidi, humidi, aut sicci, adstringentes, laxantes, attenuantes, aperientes, vel obstruentes adsint. Ptisana igitur inter omnia concoctu facilis, tenuis, boni succi, pauci nutrimenti, facilis descensus, frida, & humida, laxans, attenuans, & aperiens apud Magistrum est, vt inde omnes scopos, quibus hepatis inflammatio indicat, adimpleat.

CAPVT

CAPVT XV.

Vsus medicaminum localium laxantium in iecoris phlegmone condemnatur.

TEXTVS.

Placet autem nunc ad memoriam reuocare tibi egregiam eorum, &c.

155. 
POSTQVAM Magister, *cap.* 12. antecedenti nocumenta quæ ex solis localibus restringentibus iecinori inflammato, subsequuntur, retulit, iam in præsenti quantum relaxantia sola ipsi apposita noceant, monet; quia tamen in prædicto capite antecedenti ipsius expositionem adducendo historiam Thessali Theagini philosopho mortem inducentis retulit, eo quòd quotidie iecinori cataplasma ex melle, & pane imposuit huiuscemodi viscus mediocriter adstringentia postulare ignorans, ex eo quòd principium altricis facultatis sit, venosumque genus ab ipso nascatur. Propterea cum satis hæc superius explanata maneant, iterum in memoriam reuocare superuacaneum esset.

CAPVT XVI.

Diuersa indicatio, quæ currat dum phlegmone iecinoris incipit, ab statu digestionis ne in scirrhum transeat clarescit.

TEXTVS.

Quippe iecinoris substantia scirrhis, &c.

156. 
INTER alias, quas iecur inflammatum terminationes pati solet scirrhus est, quoniam ipsum in statu naturali, aliquid substantiæ lutosæ continet, & licet lienis substantia, quam iecoris rarior sit, crebrius tamen propter nutrimentum, quo fruitur, scirrhoso affectu corripitur, nihilque mirum, alimentum enim lienis sanguis crassior, nigrior, & qui veluti limus purioris est sanguinis. Proinde nihil mirum si ambo viscera scirrhosis tumoribus afficiantur.

TEXTVS.

Renes verò, quod conditi sunt, &c.

157. EX renum fabrica, & situatione tactus obscuratur, vt inde affectio scirrhosa, qua facile laborare possunt comprehendi non valeat; frequenter etenim nephritidæ, quæ aliquando facile, quandóque difficulter soluitur, corripiuntur, cum in vtroque viscere, tum substantiæ qualitatis ratione, tum præ vitio excrementorum, quæ per ea dilabũtur, sufficiens sic apparatus contineatur; propterea qui alimentis succi crassi vescuntur, calculis frequenter vexantur: quo igitur difficilior scirrhosus affectus in his tribus visceribus curatu adest, tanto accuratius, ne quis in similem affectum incidat, cauendum expedit. Præcipue quidem, qui iam phlegmone laborant, si prædictis cibis vtantur, periculum proximum pertimescere debent.

TEXTVS.

Quin etiam eiusmodi affectum, &c.

158. QVæ igitur ad huiuscemodi affectum detruncandum conueniant, Magister docet, medicamenta videlicet, quæ dilicent, dissoluant, atque frangant, vt quæ obstructiones eruant; & detergant, virtute quidem potentiore, ac valentiore constantia conueniunt, & cum in opere de simplicibus satis Magister horũ medicamentorum materiam, ac facultatem satis exposuisset; proinde in præsenti proprias solum cujuslibet morbi indicationes adducit, coincidentia enim qualia sunt virtus, natura, ætas, anni tempus, regio, consuetudo, & similia comperta apud Magistrum subsistunt. Ob rationes dictas de indicatione à particula laborante desumpta exemplo hepatis agit.

TEXTVS.

Quippe vbi id phlegmone laborat, &c.

159. VBi ergo iecur phlegmone afficitur, quæ exterius apponenda sunt, mixta facultate pollere debent, quod in omnium phlegmonarum genere communiter est obseruandum, licet verum sit, quod si quis solùm repellentibus illo tempore vtatur, non peccet. Verum etiam quando nec amplius quidquam affluat, nec quod in affecta particula contineatur possit repelli. Ob diuersas enim causas hoc euenire valet; nam in principio tum quod confluit est paucum, tum maiori ex parte non immodice crassum, & tenax, tum partis reci-

pientis virtus multoties robustior, ac valentior, ita vt nondum sit languida, tum denique materia in prædicta parte contenta nondum violenter impacta sit. Qua propter illo in casu medicamina mixta virtute constantia, vt vtilia censenda, etsi sola repellentia, si admoueantur, non nocebũt.

TEXTVS.

At cum phlegmone in vigore suo, &c.

160. CVm verò iam phlegmone constiterit, tum multa sanguinis copia, subindéque crassioris, ac vehementer impacti continetur, tum partis laborantis facultas, quam valentem desideramus, vt supervacua à se depellat. Languidior est quandoquidem, haud satis potens est medicaminum adstringentium virtus, quæ per se solam totum efficiat. Hæc enim cogendis, constringendis, ac veluti densandis, atque corporibus, quæ tenuiora consistentia sunt, comprimendis in partes circum positas expellere. Si tamen facultas, & virtus particulæ affectæ non aliquid opituletur, nihil effatu dignum vtile eueniet. A phlegmone similiter indicatio desumpta communiter digestio, siue evaporatio nuncopatur, hæc quidem humorem in parte inflammata contentum per insensiles meatus elicit. Quæ verò ab ipsa sumitur particula, ea in diuersam nos partem trahit: robur videlicet ipsius seruandum esse postulat. Quare dum contrariæ indicationes adsunt, composita medicamenta ipsis satisfacientia requiruntur. Partim enim robur particulæ, ac materiæ contentæ resolutionem intendere debemus; si verò femor, aut tibia, aut cubitus, aut brachium, aut adenes in eis contenti phlegmone laborent, nulla roborandi has partes necessitas adest, idemque communiter in iis partibus, quarum eiusmodi munus est, obseruandum expedit.

Aliqua supra Textum exponenda afferuntur.

161. Quoniam iecur limoso alitur sanguine, huius pars præsertim gibba multis, valdéque exilibus venis referta est, propterea obstructionibus apta corripi, mollem cum substantiam habeat, facile illius prædicta vasa tenuia à crasso, viscidóque humore infarciuntur, & obturantur, qui in dies propter tenuioris portionis, qua constat vi caloris resultationem, magis ac magis ita induratur, vt absolutam, completamque duritiem scirrhum cõstituentem acquirat. Vnde semper humor crassus partibus tenaciter impactus prædictum iecoris molem obstruendo, eamque indurando scirrhum tenuioribus partibus dissipatis efficit, quod quidẽ, vel Medicorum imperitia, quando nimirum, aut importuna auxilia, siue nimis refrigerantia, vel valide discutiẽtia phlegmonibus adhibent, vt humor, vel frigore induratus, vel à calore exsiccatus lapidescat, contingit. Scirrhus etenim à reliquis tumoribus facile differt, nam ab inflammatione, quoniam ista dolet, ab erysipelate, eo quòd non est durum, ab œdemate cum hoc tactui non obsistat, sed potiùs facile cedat, ab aquosis tandẽ tumoribus, quoniam hi sonum, vt timpanum reddunt. Quæ omnia in scirrho absunt, qui demum tumor cum lapidosus, durus, indolens, immobilis, veluti si clauo fixus esset, adsit. Propterea à nodo, glandula, struma & ganglio differt, vt Magister 14. *methodi, cap. 9. & 2. ad Glauconem 4. & 5. de simplic. medicam. facul. cap. 9. & 4. acut.* 21. aliisque in locis docet.

162. De iecoris igitur scirrho Magister in textu alloquens facilem ipsius generationem, & celerem præcautionem præmonet; ita vt quam facilis ipsius productio, difficilima verò solutio præsertim si antiquus & exquisitus repetiatur, est. Quod dilucide Magister *lib. 2. ad Glauconẽ cap.* 5. per hæc verba adaperuit: *scirrhum autem hepatis ab initio quidem sananimus sæpius, vbi verò ad plures dies forte foret extensus, neque ipse potui sanare, nec alium vidi qui posset. Omnibus verò qui sic affecti sunt, ex necessitate sequitur aqua intercus, pereunt autem plurimi in tempore longo. Quosdam etiam noui breui pereuntes, quibus aluus multa deiiciebat, &c.* Ex qua doctrina maximum ad facilem, vel difficilem curationem scirrhi discrimen constat. Nam vel iecinoris, vt dixi, scirrhus longus, tenax, & exquisitus, vel recens, siue ab initio est, iste enim facilios solutionem permittit. Proinde Magister ait: *scirrhum autem hepatis ab initio sæpius sananimus, vbi verò plures dies forte foret extensus, neque ipse potui, neque alium vidi sanare*: causaque præcipua offertur: eo quod inter initia humor non ita tenax, & crassus, neque ita firmiter visceri infarctus, nec iecur adeò languidum est. Quare medicamentis extrinsecus appositis, siue intus assumptis, sæpe terminationem amplexatur. Cum verò exquisitus, ac diuturnus, & iecur imbecille, atque indoratum valde est, exigua salutis spes ex Magistro 14. *Methodi desiderari debet. Ipse similiter. 7. de compositione medic. per gen. cap.* 9. aliam insanabilitatis causam refert, sic alloquens. *Qui sensu caret, iam sanari non potest: siquidem qui imposita medicamenta non persentit ei quanam spes inde auxilij expectari potest? cum qui sentiunt, eatenus spem faciant, quatenus etiam sensus sunt participes, &c.* Quare si scirrhus omnino insensibilis, iecore valde languescente adsit, calor ipsius pusillus, & deiectus, nec medicamina adhibita regulare, nec in actum reuocare potest: præterea nec sanguinem, sed humorem pituitosum flatu refertum progignit. Quo hepar humore frigido, crasso & lento obrutum, cum sit natiuo calore diminuto, attemperationéque impedita, sanguificandi facultate demum feriata hydrops nascitur. Ex quibus plurima symptomata, tandemque mors euenire solet. Pereunt enim hydrope affecti, siti cruciati, difficili respiratione laborant, lenta febricula tenentur, ac debito alimento destituti longo temporis spatio extenuantur, marcescunt, ac humido radicali, vi caloris febrilis absumpto necessariò intereunt. Breuius tamen funestus euentus accidit, quibus alui fluxus superuenit, ex eo enim vires iam exhaustæ in deterius irruunt; nam ipse breuissime naturam dejicit, fatigat, ac premit; quoniam cum alimentum ab imbecillibus venis trahi ad hepar non possit, eo quod habituali intemperie afficiuntur: proinde ante attractionem corrumpitur, & lientericus fluxus accidit, ex quo corpus alimento vniuersum priuari; ac proinde absumi est necesse. Etsi maluetis assidua excrementi

menti bilioſi coaceruatio, tum à putredine, tum ab inflammatione, ac vehementi calore ieiuni hoiuſcemodi fluxus eſt cauſa, nam prædicta excrementa putrida inteſtina acredine mordicando ad excretionem irritant. Non quidem cum naturæ leuamine, cum nec dolores ſedentur, nec intenſus, ac putredinalis calor remittatur; intemperies enim hectica permanenter prædicta excrementa generat. Quapropter ob dictum ventris fluxum, citiſſime vires labuntur. Cum igitur ex hepatis ſcirrho tot, tantáque naturæ nocumenta ſubſequantur; propterea Magiſter in textu, quantum eum præcavere in phlegmonoſa diſpoſitione oporteat, commonet.

163. Licet tamen lienis ſubſtantia rarior, quàm iecinoris ſit crebriùs ſcirrhoſo affectu, ait Magiſter in textu, affligitur. Quia lien ſucco melancholico naturaliter nutritur, cum talis à natura, & ad iecur expurgandum ſit factus; quare pluries huiuſcemodi ſucco imbuitur, nam aut diminute ipſe hoiuſcemodi ſuccum expellit, aut humor ſe ipſo craſſior redditus eſt, ac proinde præ immodica craſſitie, ac tenacitate expulſioni non obedit. Quo fit, vt lien ſenſim intumeſcat; præſeriim verò ſi flatus cum dicto humore coniunctus extiterit; ex quibus neceſſario tumor ſcirrhoſus oritur, de quo Magiſter *lib. 14. Methodi, cap. 17.* vt infra conſtabit; agit. Et ipſe *2. ad Glauconem* ipſius curationem referens ſic ait: *ſplenem induratum non ſolum deforis fortibus medicamentis curare conuenit, ſed & fortiſſimis potionibus, nam eas ſine moleſtia tolerat, ex quorum numero primas partes ſibi vendicant; &c.* Sed quare Magiſter in prædicto capite, foris fortia medicamina, interiùs verò fortiſſima adhibenda eſſe, inquit? Cum potiùs ipſe in affectibus melancholicis in principio leuiſſima ſumenda, deinde fortia, & fortiſſima præcipiat. Satisfit huic dubio ſine Magiſtri doctrinæ ruina, nam ſeruat ſemper præceptum, eo quòd à leuiſſimis, deinde ad fortia, & fortiſſima tandem ſit deueniendum, in hoc affectu ad diſtinctionem aliorum, vt hepatis ſcirrhi, in quo non ita fortia & fortiſſima propter vſum atque partis præſtantiam conueniunt. Nam cum hepar vſum communem, valdéque vtilem, ac neceſſarium, quo vniuerſis corporis partibus alendis ſubſeruit, habeat; proinde hepar medicamenta fortiſſima ſuſtinere non valet; bene verò lien, qui hoc ita percelebri munere caret, vt huiuſmodi vacuationes à dictis medicamentis poſſit ferre. Quare foris fortia medicamenta, quorum vis ad lienis vſque penetrationem perueniat, Magiſter præcipit. Vt illud quod per poros tantum tenue ſit, diſcutiatur, atque euacuetur; intenſiùs verò fortiſſima propter humorũ contumaciã, vt debita fiat euacuatio, ſunt applicanda. Ex quibus locum ſibi primum cortices radicum capparis, & ſcolopendriæ, ac myricæ, tum radix, tum germina, ſi in aceto, & oxymelite concoquantur, vendicant. Quale enim abſinthium iecori medicamen, tale lieni capparis cortex medicamentum eſt, & quemadmodum hepati eupatorium, ita lieni ſcolopendrium conuenit. Cortices etenim capparis vim incidẽdi, extergendi, digerendi, ac contrahendi; proindéque roborandi lienem habent; licet enim lien ratione ſubſtantiæ, qua rara conſtat, in ſua eſſentia conſeruandus ſit; non tamen medicamentis omnino relaxantibus, ſed partim ipſum per aliquam adſtrictionem roborantibus vti expedit. Non immeritò Magiſter in textu indicationem ab ipſa parte affecta, qualis eſt hepar deſumens roborationem vt ipſi auxiliemur, exercendam, præcipit vt non ſolum materia in ipſa particula phlegmone obſeſſa per inſenſiles meatus euacuetur; verum etiam robur ipſi parti propter præſtantiam, atque vſum, quo gaudet, inducatur.

164. Cum etiã inter alias corporis partes, renes affectu ſcirrhoſo facile corripi poſſe Magiſter in textu exponat, operæ pretiũ aliqua, iuxta illius doctrinam inſequendam, dicenda offeruntur. Vltimũ ergo excrementum ex hepatis ſanguificatione ortum ſerum appellatur, cuius vnica portio alimenti per vniuerſum corpus vehiculum eſt; alia verò naturæ ordine in renibus colligitur, hic quidem geminati fuere, vt ſi fortaſſe vnus ab actione feriaretur, alios incolumis maneret, ſunt etiam duo, quia pro ſeri maxima copia vnicus non debite, ac ſine labore ſufficeret. Situatio ipſorum parum infra iecur fere in medio ſpinæ adeſt, venæ duntaxat cauæ per emulgentes venas, dorſo, & lumborum coſtis per membranas peritonæi alligantur. Et cum eorum virtus attractrix valida floreat ne ſi ambo in eadem regione collocati fuiſſent, inter ipſos aliquod certamen, ſiue pugna in attractione ſuſcitaretur, diuerſum ſitum ſortiti ſunt; ita vt ſiniſter in altiori loco, dexter verò maiori ex parte in inferiori ſit; oportebat quidem, nam hepar humanum deorſum deſcẽdens ſatis magnum, & amplum, lien verò paruus adeſt. Renum ſubſtantia dura, craſſa, denſa, & rubra, parum diuerſa à cordis ſubſtantia exiſtit, niſi quod fibris differat. Vnuſquiſque ren tria vaſorum genera, venas duntaxat, arterias, & vreteras obtinet. Venæ emulgentes nuncupatæ ratione officij à vena caua, veluti arteriæ ab arteria magna originem ducunt. Ambo vaſa maiora quæ vtraque renum moles requirat, ſunt; eo quòd non ſolum nutritioni, ſed etiam expurgationi ſeroſi recrementi ſubſeruiant. Propter quod munus intra cuiuſlibet renis corpus duo ſinus, vnos à venarum, & arteriarum extremitatibus, admodum ſinus cerebri, obſeruantur; alius verò eſt conſpicuus, vt ſerum iam depuratum & à ſanguine ſeparatum ſuſcipiat. Renes medio peritonæo cum lumbis, cum veſica lotij per vreteras: cum cerebro per neruos: cum corde per arterias: cum iecore per venas ligantur. Quibus præhabitis facilè cognoſces, quàm difficile ſcirrhũ, quo renes affecti ſint, prehendere ſit, vt Magiſter in textu ait. Ratio verò nephritidas alias, alias facile ſolubiles, alias verò difficulter pati poſſe, ſuadet. Propterea qui cibis craſſi ſucci veſcuntur paratiores ad calculum gignendum ſunt. Sicque eo quod huiuſcemodi affectus difficilius curantur, tanto magis ſolicitum Medicum, ne quis in hos incidat, inueniri oportet. Propterea medicamenta, quæ diſſecent, diſſoluant, atque frangant à Magiſtro eligenda imperantur. Et cum ex profeſſo omnia minutim calculum frangentia in præſenti non ſint referenda. Quæ pretioſius, atque efficacius mirabili prouidentia hoc adimplẽt, adferam. Dignum quidem laude eſt conſilium doctiſſimi Auenzoar, qui *lib. 2. theiz. ir. tract. 2. cap. 7.* ſic alloquitur: *Etiam recordor cùm eſſem in carceribus Aly, quod ipſe miſit ſcriptorem vnum ſuum*

suum, qui erat in conditione mortis à lapide. & precepi ei, vt biberet tertiam partem vncie de optimo balsamo, & eiecit lapidem cum vrina in ipso die. Ex qua obseruatione, & ex auctorum consensu mirificum auxilium ad calculum renum frangendum est balsamum; hoc etenim ab arbore quadam pretiosissima media incisione extrahitur, cuius perfectionis, ac sinceritatis examen constat, ex eo quod si laneæ vesti instillatum nullam maculam relinquat, etsi lacti, aut aquæ infusum coagulet, nunquam tamen quin hic liquor pretiosissimus adulterinus sit, ad nos peruenit, ipsum ita generosum est, vt cum calidum, & siccum in excessu secundo ex Magistro *lib. 6. simplic. tit. de balsamo*, sit, partibusque tenuibus vigeat, menstrua pronocet, sudorem proliciat, secundinas extrahat, oculorum tenebras abstergat, horrores discutiat, vlcerum sorditiem expurget cruda concoquat, vrinam moueat, difficulter spirantibus prosit, virulentiæ animalium medeatur, pulmonum affectibus auxilietur, vertigini, morbóque comitiali mirifice obstet, ossium squamas extrahat, neruo ũ affectionibus opituletur, cerebrum roboret, renum, vesicæque vias mundificet, sicque crassos concretósque humores expurget, tandémque compactas calculi partes intimè penetrans, ipsum in minutissimas portiones dissecet. De quo satis diffuse Auicenna *lib. 2. trac. 2. cap. 84.* Serapio Dioscoridis commentatores, Hermolaus, Manardus, Fragosus, & alij quamplurimi sermonem construxere.

165. Doctissimus similiter Aëtius *tetrab. 3. sermon. 3. cap. 13.* & Trallianus *lib. 9. cap. 3.* pro celebri remedio passerem paruum, qui traglodytes nuncupatur, maxime ad renum calculum frangendum collaudant, loco enim citato Aëtius sic ait: *Naturalem autem vim omnino admiratione dignam habet passerculus traglodytes aduersus calculosos, itaque sale conditus, & crudus in cibo acceptus morbum perfectè sanat, & noui quosdam ob eius vsum nunquam amplius ab affectione vexatos &c.* Ex qua obseruatione tam curatio, quam præseruatio pro renum calculis ad celebrandum semper præstantissimum, & efficacissimum præsidium traglodytem dictum enascitur; ita vt à proprietate, seu tota substantia prodesse Magister Galenus *lib. de ren. dignot. atque curatione, cap. 7.* & alij testantur, etsi Pereda in Paschalium nullum remedium à tota substantia dari ad calculum frangendum, cogitare ausus fuisset.

166. Auis inquam, siue passer traglodytes dictus à subeundis trogiis, scilicet cauernis, vt & populi Traglodytæ nomenclaturam suscipit, qui passer satis communis, & domesticus est, & iuxta sepes & muros alimentum quærit. Omnium passerum minimus (excepto passere regulo dicto,) est. Et licet valdè in multis regulo similis sit, maxime tamen ab eo differt, præterquam quod in fronte pennas auri colore non obtinet; est etiam traglodytes regulo paulo maior, & nigrior, illiúsque cauda albo colore ornata, magísque quàm regulus garrulat. Et iuxta summum alæ lineamentum cinerei coloris amplius est, breues tandem volatus efficit, diuersa nomina sortitur, nam Itali eum reatin vocant, apud Florentiam fiorrancio, idest, flos calendulæ, apud Galliam Roy, alibi beurichon, alibi farfonte, apud Normannos rebetre, quasi roybetre, & alibi cantafasona, quod saltitando fasciculos numerare videtur, ab Anglis vren, Turcis Bilbil, apud Arabes, & recentiores medicos cauda tremula vocatur, Hispano, & vulgari nomine *enganico*. Iste quidem iuxta parietes domuum, & sepes nidulum è musco construit, araneas venatur, mira eius in cantu suauitas, sed ali non potest, Maio præcipuè cantillat, vt omnes ferunt, vt Gesnerius Tigurinus in animalium historia satis refert.

167. Conditus igitur sale, & crudus hic passerculus in cibo comestus nephritidem perfecte sanat: calculos enim iam concretos per vrinam expellit, ac in posterum generari prohibet, cuius puluis media combustione factus, & cum piperis momento, cúmque merò epotus celeberrimum auxilium apud plurimos ad calculos, tam præcauendos, quàm curandos adest. Vt Auicenna, Matthæus Gradius, Baptista Theodosius, doctissimus Zacutus, Horatius, Augenius, Rodericus à Fonseca, & alijquamplurimi sentiunt.

168. Optime conditur pennis euulsis, itaque posteà largo sale obrutus, & arefactus editur; si tamen plures passeres inueniantur, melius eos decoctos erit edere, nec minus si assati integri, ita vt nihil ex eis præter pennas abjiciatur, comedantur, proderit. Zacutus equidem ipsum condiendum perfectius asserit, si adhuc viuum sale euulsis tantum pennis obruamus, vel si mauis in eum olullam conjectum cum ipsis pennis inductum vri relinquere, vt ipsius cinis cum modico pipere commixtus assumi possit, vt inde laborantes calculo peregrè proficiscantur, & curentur, debite operabis.

169. Cum igitur renum calculus corpusculum quoddam durum, toto genere præternatum instar lapidis, seu tophi in substantia, seu renum sinibus genitum sit; proinde à topho, callo, & verruca distinguitur: nam licet hæc duritiem obtineant, lapidis tamen forma carent. Cuius causa materialis, ait Zacutus, potius copia humoris crassi, & viscosi in renibus, aut vesica acervati est, siue pituita, siue melancholia, à cibis melancholicis genita sit, veluti enim ex viscida terra, & materia aquositatis participe lapidea corpora gignuntur, vi caloris tenuiorem portionem resoluentis, & crassiorem densantis, non aliter nostris in corporibus lapides procreantur. Auicen. tamen *lib. 3. tract. 2. cap. 16. & 4. part. canticorum*, non solum pituitam ipsam, sed materiam purulentam, & sanguinem in phlegmone aggregatum calculi generationis causam esse posse docuit. Rodericus verò à Fonseca Paracelsum insequens, calculum, non à pituita, vel melancholia, sed à sale ipsius vrinæ, qui intus coagulatur, sicut extra in matula concrescit, fieri inquit, neque solum solum à calore adurenti, quoniam etiam in aquis frigidissimis lapides concrescunt, sed à propria natura ipsius salis procreari. Propteréaque remedia quæ ipsum salem dissoluant, atque liquefaciant vt terebenthina lota, maxtix, myrrha, mumia, crystallum tartari, alia similia sunt exhibenda.

170. Rinerius tamen nequaquam, materiam pituitosam, viscidam, & crassam aptam, vt calculi generentur, esse inquit; nam si hoc esset vo-

rum

rum in cerebro, & ventriculo, vbi potius quam in aliis partibus pituita viget, calculi producentur; etiamsi in iis partibus calor, non ita intensus, ac validus adsit; nam ex Hippocratis, & Galeni doctrina remissus calor actione diuturnori ad concretionem efficiendam sufficit. Proinde senes ad calculorum generationem magis apti reperiuntur, quamquam iuberes calorem intensiorem obtineant, nam calculi materia diutiùs in renibus senum præ facultatis expultricis imbecillitate immoratur, sicque à calore renum diutiùs coquitur, atque induratur, licet longe remissior calor adsit.

171. Ratio quidem apud Riverium adducta non vt eam insequamur nos coercet: nam exemplum de cerebri, atque ventriculi pituita in maiori quantitate reperta non vrget; non enim quælibet pituita ad calculi generationem, vtpote valde aquosa, vt fluxibilis, sed ea quæ viscosior, lutosa, & terrestris est, intelligenda est. Vnde cum quæ in ventriculo, & cerebro inuenitur potius primas, non verò secundas dotes obtineat, non apta in cerebro, veluti quæ in renibus existit, erit. Præterea calor etsi in senum renibus remissus, intensior verò in iuvenibus sit, tamen cum celeriter ex proprio Riuerij dicto ex iuvenum renibus materia excernatur, & in senum renibus diutiùs immoretur: proinde in senibus, etsi à calore remissiori quia tamen ista est præsens, permanens, & fixa, cum non ita prompte expellatur, generantur calculi; in iuvenibus verò ex defectu subjecti, quod celerius excernitur, etsi causa efficiens, vt calor intensiùs adsit, effectus non producitur, non enim efficiens sine materiali causa præsupposita operari valebit.

172. Alij etenim materialem calculi causam succumquemdam lapidescentem efficientem, efficientem verò, non calorem, sed spiritum peculiarem lapidificum esse, asseuerant. Succus lapidescens, apud eos, humor quidam innata peculiarique virtute præditus, vt in lapidem transeat intelligitur, quod ex lapidum generatione, quæ in vniuerso fit mundo clarescit. Plurimæ enim fontiū aquæ in lapides, & saxa (ex variis auctorum historiis) conuertuntur. Quemadmodum ligna, stirpes, & animalia intra paucos dies in eas iniecta lapidea crusta sibi obducunt. Tum etiam quædam vini portio doliorum parietibus adhærens lapideam duritiem acquirens tartarum nominatur. Nec minus ex ipsa vrina perspicua, & limpidissima reddita, postquam refrigerata est lapidea quædam substantia concrescit, ac matulæ parietibus adhærescit. Spiritus verò lapidificus in causa materiali contentus, & insitus instar seminis est ad lapidis formam inducendam. Vnde Riverius inquit, quod huiuscemodi spiritus lapidificus, non solum in calculorum renibus, sed etiam in proprio succo lapidescente ab esculentis, & potulentis separato residet; ita vt dum potentior non est, vtriusque conuersus necessarius fit. Propterea plurimi cibis aliquantulum idoneis ad calculorum generationem vtentes, concurrente etiam calculosa renum dispositione, vel spiritu lapidifico renibus infixo eos generant. Si verò ab spiritu illo immunes sint ex talibus cibis calculi non fiunt; nam eorum vis lapidifica satis potens non est, vt sine renum concursu materiam illam in lapideam duritiem conuertere possit. Contra tamen, si vis lapidifica longe potentior sit in iis quæ assumuntur, ac eorum vsus frequens sit, calculi producentur etiamsi renes illa dispositione, aut spiritu lapidifico orbati sint. Et è contra, si talis vis lapidifica in renibus maxime vigeat, tunc ex alimentis, licet laudabilibus, & perfectis calculos generabit. Ex quibus inferetur Riverium fateri aliquando, vtriusque spiritus concursum, renum videlicet, & succi lapidescentis requiri; aliquando solum spiritum lapidificum, seu dispositionem, dum potens est, in renibus sufficere. Aliquando etiam per solam vim succi lapidifici, si valida fuerit, quamuis renes spiritu sint orbati calculos generari posse. Vnde aliquam contradictionem sequi constat. Primo enim Riuerius talem dispositionem in renibus negat, dum in Fernelium arguit; secundò eam nominat dispositionem, vel spiritum lapidificum in renibus fixum. Propterea quia si in illius opinione talis renum spiritus lapidificus est causa calculi efficiens, quomodo dispositio, etsi dispositio quómodo efficiens? cum illa se ex parte subjecti; ista verò ex parte efficientis causæ se habeat. Dispositio enim prærequisita potius est via, quàm causa operatiua efficienter ad operandum; sicque potiùs Riverius diceret, huiuscemodi spiritum lapidificum indistinctum esse à quadam virtute, seu facultate lapidifica, non distincta ab eadem forma materiali ipsius succi lapidifici; ita vt talis materia ab excedenti renum calore perfectius disponatur ad calculum, eo quod tenuior illius pars cum resoluta sit, tartarea substantia, sic disposita vltimate à propria forma, siue virtute indistincta ab ea in calculum concrescat. Quemadmodum in externis lapides in litoribus fluminum generantur, qui antequam aquosa substantia vi solis caloris resoluta, dissipatáque sint, generari non possunt; postea verò semoto dicto impediente à propria succi lapidifici forma, lapis per concretionem generatur. Quapropter dum alimenta laudabilia assumuntur, & tamen calculi producuntur, hoc non tollit semper in prædicto mixto aptitudinem ad calculum, etsi non tantam dari; nam si illo casu talia alimenta vel succi ab eis orti ab immodico renum calore torrefiant, ita vt serosiori substantia resoluta, tartarea quædam remaneat, ab ea etiam calculi producerentur, sicque semper à virtute, seu forma particulari succi efficienter, & à renum calore dispositiue talis lapidificatio nascetur. Et pariter quamquam renū calor non ita intensus sit pro prædicta succi aquosioris consomptione, si tamen ex parte materiæ iam præsuppositiue materia ex se est magis tartarea, & terrestris, non ita calore disponente renum indigebit, vt in senibus patet, in quibus quamuis calor remissus adsit, materia tamen ex qua crassior, lutosior, & terrestrior ad talem generationem sufficit. Quare etsi fateamur, calorem renum excedentem causam efficientem calculorum proximam non esse, dicendum quidem erit dispositiuam adesse; proximam verò non spiritum fictitium dictum, sed propriam formam ipsius succi lapidifici, quæ posita vltima dispositione, semotisque impedimentis, qualia sunt fluxibilitas substantiæ serosioris, secundum materiæ exigentiam, concretionem dictam efficit.

Ex dictis igitur sine vllo spiritu lapidifico imaginato apud Fernelium plurimas fontium aquas, portionem etiam vini doliorum parietibus inhęrentem, ac ex vrina limpidissima, postquam refrigerata sit quandam substantiam lapideã matulæ parietibus adhærescentem in lapideam duritiem à sola propria forma prædictorum succorum abire posse colligitur.

173. Acutissimus quidem Petrus Michael de Heredia, materiam lapidum, atque arenularum, nequaquam humores, sed quid eorum tartareum, sine portionem sabulosam,& tophaceam ab ipsis humoribus valde distinctam simul cum sero & toto corpore per renes, & vesicam deriuatam esse persentiens, arenulas reuera seorsim creari tanquam entia omninò distincta, & tot alia inquit, quoniam earum materia consistens, & in se conglobata in prima sui generatione adest, quæ postea hærens,& fixa, & à liquore separata amplius exsiccatur, & ab ipso spiritu (resoluta iam humiditate, seu humore) à quo coagulatio impediebatur, coagulatur. Portio etenim maior, aut minor materiæ arenularum est, prout maior, aut minor illius cõminutio in alterationibus, concoctionibus, triturationibus, & eiborum masticatione elaboratur, sicque aut arenulæ, aut lapides procreantur, materia tamen pituitosa quamplurimùm, vt huiuscemodi partes tartareæ alligentur, & conglutinentur inter se, & vt partibus matulæ, vel ipsis renibus, aut vesicæ firmiter hæreant, confert. Sicque calculi producuntur atque augescunt, dummodò pituita lenta, aut aliquid aliud tenax mucosum diuersas tartareæ substantiæ portiones conglutinet, sine quo vinculo, aut viscido glutine calculus magnus nequiquam formari valet, quo deficiente potiùs arenulæ quàm lapis ex defectu vinculi fiunt. Addit etiam Petrus Michael, quod spiritu coagulato lapides creantur, atque indurantur; iste enim tantam virtutem indurandi materiam, quam attingit obtinet, vt adhuc ipsam pituitam, quæ vt agglutinatoria partium tartarearum residet, etiam induret,ac in calculum conuertere sollicitet; proindéque firmissimum dictarum partium vinculum, vt calculi vehementer duri formentur, fit.

174. Doctissimè quidem Heredia persensit in prima suæ assertionis parte, nam verissimum est, nullum humorem sub ratione, & consistentia, atque natura humoris calculorum causam materialem posse esse, sed potius dictam substantiam tartaream,tophaceam, & sabulosam, quæ ex humorum vstione, atque reassatione deperdita iam forma, & natura illorum, ita vt humores mediata causa; immediata verò tartarum ex illis resultans sit. Sicque etsi communiter recentiores fateantur, tam ex sanguine, melancholia, quàm pituita calculos generari posse asseuerent. Hoc tamen tanquam ex materia antecedenti, & mediata intelligendum est. Vnde licèt pituita glutinosa, & viscida,vt vinculum substantiæ lapideæ deseruiat, non tamen eum pituita prædicta sit quid mixtum, partes omnibus elementis respondentes obtinens, implicabit secundùm portionem terrestriorem in tartarum vi immodici caloris conuerti, & secundum aliam viscosiorem elemento aëreo correspondens vinculum portionum tartari fortiter alligati, & conglutinati esse. Quod ex eiusdem Michaelis de Heredia verbis elarescit,cum ipse in omnibus mixtis suum proprium sal reperiri fateatur, & vt ab omnibus arte chymica seorsim extrahi solet.

175. Admissa tamen tanti viri venia spiritus, quem adducit lapidificus renuẽdus est, & præcipuè cum ipse asserat, quod tali spiritu coagulato lapides creantur; nam si spiritus coagulatur, vel à se, vel ab alio fiet. Si ab alio spiritus coaguletur, inquiram quid erit illud à quo? si à se ipso vt quid talis spiritus, cum iam ipsum tartarum à propria forma sine illo concrescere possit & media pituita, quasi vinculo tandem lapidescere: ac proinde quasi inutilis, & superfluus talis spiritus reiiciendus est, & potissimum cum experiamur, quod sal gemmæ, alumen, vitriolum, nitrum,& sal, quo vtimur, cum naturæ metallorum multum participent in se vim coagulandi, à qua internè coagulantur, & solidantur, id est, à propria forma, si ab aliquo non impediantur,habent, à quibus in corpore humano tam duri, ac solidi lapides reperiri solent, vt frangi ab impulsu ferreo non valeant. Et aliquando incredibilis eorum numerus progigni solet, vt doctissimus Zacutus *lib. 2. de praxi histor. obseru. 2. fol. 442.* refert. Quidam enim florentis ætatis ita arenosa, & calculosa constitutione erat correptus, vt ab initio puerilis ætatis vrinam maximè arenosam expelleret; calore verò iam in iuventute intẽsius vigente, materia lutosa, & viscida magis coacta, & conglutinata singulo die sexaginta, & aliquando plures lapillos colore albos, tersos, rotundos, duros, lucidos ad ciceris magnitudinem, citra vllam molestiam, dolorem, ardorem, ac vrinæ suppressionem excernebat. Qui etsi omnia auxilia debita celebrata fuerunt, increscente affectu, libet euadere non potuit.Tanta etenim materiæ gypseæ quantitas ex alimentis praui succi generari solet, vt ad prædictum calculorum numerum efficiendum, vel ad miram etiam magnitudinem calculi gignendi deseruire sufficiat. Vt experientia in quadam fœmina constitit, quæ cum duodecim diebus vrinæ suppressionem maximo cruciatu perpessa fuisset, plurimis subsidiis adhibitis solum balneo oleagineo leuata calculum oblongum, durissimum, asperum, inæqualem, subnigrum, qui grana 37. pendebat, excreuit, vt Zacutus refert.

176. Quanquam frequentius in renibus, & vesica calculi generati soleant; aliquando tamen diuersis in nostri corporis partibus, tam calculi, quàm alia miranda reperta fuere; Magister enim Galenus *4. de locis affect. cap. 8.* quendam, se vidisse, refert, qui grandines eius magnitudine è pulmone eiecit, tum etiam Sehenchius vesiculas piscium vesicis similes interdum è pulmonibus excretas obseruauit. *2. obs. 50.* ipse similiter *eodem lib. 2.* vermiculos diuersæ figuræ è pulmonibus expulsos à diuersis medicis obseruatum esse testatur; nec minus in ventriculis cordis vermes in constitutione febrium pestilentium genitos fuisse. Vidus Vidius *cap. de morbis cordis* ex dissectione corporum obseruatum fuisse inquit Olerius *comment. c. lib. 6. aphor. 4. coac. prædict.* Hipp. diuersos in corde lapides productos asseuerat, & in Maximiliani II. Imperatoris corde tres lapides reperti fuere, vt Riuerius ait.

177. In

177. In generali quodam Carmelitarum alter rem lapidem continebat, qui ab amplo caudice principium ſumens in octo ramos iuxta canaliculorum vaſis vrinarij formam, atque numerum diuiſus, curalli truncum, & ſurculos elegantiſſimè æmulabatur: ac propterea venis caro valdè contracta, & imminuta ita firmiter huic lapidi vndique adhærebat, vt depoſita propria figura, quaſi craſſa quædam cutis ei obduceretur, vt Euſtachius *cap. 44. de renibus* monſtrat; quem Ioannes Ionſtonius *in ſua thaumographia naturali de admirandis in homine, art.* 4. in teſtimonium adducit. Ne minùs mirandi ſunt quidam vermes craſſi, albi, viui, dimidij digiti indicis longitudine, qui in vtroque renum cauo cuiuſdam iuuenis aderant, illius interiora ita corrodentes, vt totum eius corpus extremè mortem inducendo contabefecerint, quod propriis oculis ſe vidiſſe Zacutus aſſeuerat.

178. Cum igitur tam immaniter calculi renum ægros contorqueant, non immeritò Magiſter in textu medicamina frangentia maximè neceſſaria eſſe, inter quæ oleum lappæ maioris principatum obtinet, eo quod omnia vitia, tam renum, quam veſicæ, quæ ex tartaro, & ex calculo eueniunt, mirabiliter extirpat, propter virtutem aperiendi in ſpiritibus ſui ſalis contentam, cuius doſis ʒ ß. cum iure, vel opportuno decocto ieiuno ventriculo debet propinari. Lapis etiam renalis puluerizatus, atque bibitus, & adhuc in aliquorum opinione exterius reni dolenti appoſitus calculum renum diſſoluit. Quod ſolum mirabili experientia nititur, cum potiùs philoſophiæ repugnet, ob duplicem cauſam. Primò enim quia ſimile in omninò ſimile, vt magnes in alium magnetem non agit. Secundò quia cum cauſa materialis tartarea lapidis in puluerem redacti, & bibiti eiuſdem naturæ, ac conſtitutionis cum calculi in rene exiſtentis materia ſit, potiùs calculum internum augendum, quam diſſoluendum eſſe, indicari valet, vt peritiſſimus Heredia inquit: dumtamen alia plurima mitiora ſubſidia non ſufficerint, vnicum & mirandum, vt ſupra dixi, Balſamum eſt, cuius ʒ ij. cum ℥ iij. olei amygdalarum dulcium propinari debet. Animaduertendum tamen eſt, quod ſemper cum auxiliis calculum frangentibus aliud frigidum ſimplex eorum calorem remittens, atque temperans, præcipuè, ſi febris adſit, oportet. Præſtantiſſimam equidem Zacutus conſectiam ex ligno nephritico pro cautione, atque calculorum curatione conſtruxit. Quæ calculum atterit, viſcoſum ſuccum arenoſamque ſubſtantiam abſtergit. Vaſaque vrinaria peculiari proprietate mundificat, & repurgat. Hæc etenim ſic paratur.

179. ℞. *Ligni nephritici in ſubtiliſſimum puluerem redacti ℥ ij. lapidis Iudaici preparati cum ſucco limonum ℥ j. ſpecierum lithotrib. ʒ ij. cicerum rubror ʒ iij. ſem. raphani ʒ iij. Theriacæ mithridat. ℥ ij. ſemin. veronic. ℥ ij. ß. florum alth. bugloſ. & violarum ana ʒ ij. radicum ſenicul. acori. gentianæ ana ʒ v. milij ſolis ℥ ß. lapidis lyncis ʒ j. radic. anonidis, eringij, bardan. ana ℥ j. virgæ aureæ ʒ iij. ſanguin. hircin. ʒ ij. ß. ſeminis meſpilor. ʒ ij. puln. auis Troglodytic. ℥ ß. ſaccari candi ℥ j. penidior. ℥ ij. omnia excipiantur cum ſacaro ʒ ij. oximelitis ſcillitic. & ʒ iij. ſyp. cap. ven. adde aniſi ʒ j. cinamomi ʒ ij. & ſecundum artem fiat conſerua.*

180. Nec minùs aqua ex ſanguine hirci deſtillata per vitrea organa in Bal. M. excellens ad calculum diſſoluendum ſubſidium eſt, hircus tamen ſpatio vnius menſis ſaxifragia, pimpinella, baccis iuniperi, petroſelino, ac aliis diureticis ſine vllo potu eſt nutriendus. Si vrina ſimiliter hirci recentiſſimè ex viuente adhuc hirco cum veſica extracta, potanda exhibeatur, & illius omentum cum inteſtinis, calculoſi ventri, pubi, ac perinæo appoſitum fuerit, mirabiliter in obſtructione renum à calculo totali, vel etiam vbi vreteres, & veſica à calculo in eam regionem detruſo omninò obſtructi adfuerint; ita vt nec minima lotij gutta prolabi valeat, prodeſt.

181. Si tamen calculus è renibus euelli non valeat, cum cucurbitæ, lenito priùs dolore, remollitis relaxatis partibus, renibus primo, deinde perinæo, & inguinibus applicitæ mirificè euocando auxiliantur. Ex loci enim anguſtia, in locis amplitudinem calculum euellunt, tantæque vtilitatis ſunt, vt illarum opus miraculoſum videatur.

Poſt igitur corporis purgationem adductus excrementis ſuis liberandos, atque mundificandos nullum præſtantiùs, quam potum per plures dies aquarum thermalium, remedium expertum cognoui. Suo enim calore ex bituminali vena orto, fundunt, atque liquant quoſcunque craſſiores mucos, ipſóſque teneriores calculos, ſi adhuc reperiantur, & nitroſam ſubſtantiam abradunt, & quaſi prædictarum viarum ſordes detergent. Et cum maxima in quantitate quaſi impetuoſo torrente impuritates, non ſolùm renum, veſicæ, atque inteſtinorum, verùm totius corporis abripere, & abluere ſolent.



CAPVT XVII.

Scirrho lienis auxiliandi modus oſtenditur.

TEXTVS.

Ergo nec lienem tantum relaxantibus, &c.

182.  IENIS caro flaccida, ſaturni ſyderi frigido, correſpondens humoris, cum melancholici valdè limoſi ex hepate miſſi, receptaculum ſit. Relaxantibus tantum ex Magiſtro curari non poteſt; eo quod ex ipſo ſucco nutritur. Propterea dum obſtructio, aut phlegmone præſertim, ſi ſcirrhoſa iam adſit, eum apprehenderit. Tum medicamina obſtructiones auferentia, atque diſſecantia vehementiora conueniunt. Quale enim medicamen hepati abſynthium

thium est, tale lieni capparis cortex est; quale similiter iecinori eupatorium, tale lieni scolopendrium est, nam ambo viscera, iecur videlicet, & lien similia in genere medicamina exigunt, & quo crassiore alimento lien fruitur, tanto illi valentiora, quàm hepati sunt exhibenda. Sicque si ipsa scirrho laborent, nutrimenta eadem in genere, etsi penes magis, & minus differant, conueniunt. Quare vtrique visceri, si aliquid capparis ex oxymelite comedatur, erit vtile, dummodò diuersimodè cum oxymelite misceatur, quoniam & in maiori quantitate, & oxymeli minus diluto conuenit. Aut quomodocumque in genere, vel in specie similium remediorum dicamus ex actione, atque compositione indicatio desumitur.

TEXTVS.

A societate verò cum vicinis partibus, &c.

183. ALia vero ex Magistro indicatio à societate cum partibus vicinis, idest, à situ desumitur; gibbam enim iecoris partem per renes, cauam verò per ventrem inferiorem expurgari oportet. Quia tamen in liene affecto, si per renes aliqua euacuatio intendatur, cum nulla huic visceri via manifesta sit (inanis, & frustranea erit; proinde vbi phlegmone corripitur, medicamentis dejectoriis, vt id detergatur, & supervacuum deponatur, vtemur. Dupliciter etenim hæc exequenda remedia sunt; nam cum partes superius positæ affectæ sint, cum his, quæ comeduntur, & bibuntur assumi debent. Si verò inferiores cum clysteribus infundenda sunt. Quamquam virtus eorum, quæ eduntur, ac bibuntur antequam ad infernas partes perueniat, resoluitur. Quæ tamen infusa, atque iniecta sunt omninò ad ieiunum ascendere non valent, cum fortasse ad tenue solum attingant. Quibus non obstantibus ex partium situatione experimur, quod inferioribus intestinorum aliquid per clysteres infundendum est. Superioribus verò, atque ipsi ventriculo, lieni, & stomacho, id est, gulæ, supernæ aliquid exhibendum; sieque in gula, quæ propriè stomachus vocatur, cataplasmata super spinam dorsi imponimus, non verò ad pectus, neque cum os ventriculi phlegmone vrgetur; quoniam gula spinæ deorsum per collum, & pectus vsque ad ventriculum porrecta superiacet. Cum tamen in antecedenti capite cum Magistro 2. *de arte curatiua ad Glauconem*, quomodo in lienis scirrho fortia, & fortissima medicamenta; non verò ita in iecinoris affectione scirrhosa conueniant, satis clarescat. Propterea in præsenti textu ea non denuò referendo omitto. Et pariter reliqua in calce capitis, desumpta indicatione à partium positione, cum satis pateant, maiori expositione non indigent.



CAPVT XVIII.

Ex partium contextura, & substantia modus vtendi remediis exponitur.

TEXTVS.

Neque igitur hac uenere qui Thessalum, &c.

184. 

QVONIAM Thessali sectatores semper sine vlla distinctione curant, Magister eos coarguit. Nesciunt enim quod omne membrum phlegmone obsessum, nisi cutim, qua tegitur, spissam habeat, tenuis sanies foras dimittit, ac laxat. Eo fit, vt quæ oris partes, nasi, faucium, intestinorum, stomachi, ventriculi, & omnium viscerum infestant, aliquid foras effluat. Non aliter ex interna pectoris facie, cum phlegmone corripitur, aliqua sanies excernitur. Quemadmodum ergo ipse lien, & caua iecinoris pars per intestina, gibba verò, & renes per vrinam expurgantur; ita pariter pectus vbi illius interna phlegmone laborant, per membranam, qua induitur aliquid in pulmonum spatium transfert. Quod quidem per eandem viam, qua pulmo, expurgari debebat.

TEXTVS

Dabimus igitur iis, qui sic laborant, &c.

185. MEdicamenta igitur iis in casibus, quæ attenuent, & vias aperiant, vt quæ per eas deferenda sint, diffecentur, ac dissipentur, præcipuè cum crassa, & glutinosa substantia constant, eligenda sunt. Cum maxima tamen animaduersione: nam si phlegmone viget mediocria tantum; si vero planè iam decreuit, aut declinauit, & quasi penitus cessauit, vt excrementa educi exigunt, fortiora sunt exhibenda. Mediocre igitur, ptisanæ cremor, & mulsa est; Valentius vero semen vrticæ, & mulsa in qua paululum aliquid acrium herbarum coniectum sit, vt origanum, & hyssopum, & calamitha & pulegium, & illiricæ ireos radix. Eodem modo, & quod ex marrubio conficitur oxymeli, & alia huiusmodi validè crassiora excrementa in pectore, atque pulmone contenta incidere possunt. Et quia in operibus de medicamentis copiam omnium similem virtutem habentium Magister satis adaperuit, proinde ea in præsenti omittit.

CAPVT



CAPVT XIX.

Ex phlegmonis situ ratio curandi desumitur.

TEXTVS.

Non solum autem iam dictam, &c.

186. 
Ec solum ex loco partis affectæ, differentiam remediorum Magister perpendendam ostendit in præsenti, verum annotat, quod quæ in corporis summo phlegmone laborant, ea propriis remediis phlegmones curentur, quæ in alto sunt corpore, dummodo enim eis aliqua medicamenta acria immisceantur: nam dum ab alto descendunt eorum virtus resoluitur. Quare cucurbitæ, tum vt foras, quæ in alto sunt, euocentur: tum vt euacuentur, atque eruantur, quæ iam in scirrhum tendunt, maximum auxilium adest. Notandum tamen expedit, quod in phlegmonis initio in ipsa parte, quæ phlegmone vexatur nequaquam est apponenda; imò postquam totum corpus euacuatum præcesserit, & eorum quæ in parte inflammata continentur aliquid educatur, aut etiam foras versus attrahatur, ita est operandum, nam dum vitia adhuc imminent, neutiquam ipsis partibus, quæ affici incipiunt, sed aliis quæ eis sunt continuæ, cucurbita est affigenda, vt vera in contrarium reuulsio exerceatur.

TEXTVS.

Sic namque ad mamillas cucurbitas imponimus, &c.

187. VT igitur vera, completáque reuulsio eueniat, cum sanguis ex vtero profluit, ad mamillas cucurbitas Magister imponit, veluti in profluuio sanguinis ex naribus præcordiis cucurbitæ maximæ sunt affigendæ, proindéque quodlibet sanguinis profluuium per vasa communia in contrarium est auertendum, veluti (si oporteat) media cucurbita ad partem desideratam sanguinem debemus attrahere: nam cum sanguis menstruus euocandus est, impube, atque inguine cucurbita (ex Magistro) est applicanda; deinde ad oculorum fluxiones, in occipite cucurbita fixa efficacissimè auxiliatur. Præcedenti tamen totius corporis euacuatione, si enim sanguine oppletum sit, potiùs ex cucurbitæ in qualibet capitis parte appositione, ipsum totum immodicè replebitur. Nec solum reuulsio, verùm deriuatio, & euacuatio ex cucurbita applicata euenire potest. Ita enim etsi non sanguinem manifeste, saltem spiritus extrahit, humores ad se se rapit, irruentem fluxionem reuellit, sanguinis fluxum vndecunque factum directo, contrarioque loco imposita cohibet, fluctuantem humorem reprimit, impactum deriuat ac illum qui in corporis alto demersus est, in summum euocat; propterea Magister, vt his indicationibus satisfaciamus, cucurbitam in præsenti maximè laudat.



CAPVT XX.

Non quodlibet adstringens in phlegmonis initio exhibendum est.

TEXTVS.

Ergo hac omnis phlegmones, &c.

188. 
VÆLIBET igitur communis indicatio dicta ad omnem phlegmonem soluendam in qualibet parte administretur, adest. Si tamen adstringêti medicamento sit opus, non absolutè quodlibet adstringens, in his, quæ sunt assumenda est adhibendum, sed tantum illud, quod virtute omni corruptrice caret. Chalcanthus enim inter maiora adstringit, veluti misy, & sori, & chalcitis, & diphriges, & æs vstum, & squama eius, atque flos; huiuscemodi verò medicamenta deuorata valde nocent; propterea stomachis illa miscere neutiquam est securum, ex iis enim ad ventriculum aliquid internum defluit. Sed nec aloës his medicamentis, quæ deuoranda sunt, ratione phlegmones, quæ intus constiterit, miscere conuenit; eo quod illi virtus quædam purgatrix inest. Cæterum cum iam phlegmone in totum ad declinationem peruenerit. Si causa deiiciendi per ventrem, qui prorsus non deiecerit paululum aloës admisceatur, nulla læsio subsequetur. Mercuriali tamen, aut vrtica, aut enico, aut similium aliquo aluus subducatur, satius, securiúsque erit.



CAPVT XXI.

Ex vsu, atque actione partis affecta, indicatio satis vtilis ad remedia adhibenda clarescit.

TEXTVS.

Sed adijciamus adhuc ea quæ, &c.

189. X ignorantia Thessalum insequentium qui nec corporum dissectionem, nec partium actiones, atque vsus noscunt, fundamentum Magister ipsos taxandi assumit; nam cum floccos aliquem colligere, & festucas legere vident, solum nostro exemplo nitentes, oxyrrhodinum madefacere caput audet. Nam inquirit Magister ab eis, cur non thoracem potiùs madefaciunt, cum ex indicatione remedia inueniantur, potest enim contingere, vt corde etiam affecto phrenitis eueniat. Nam empirici experientia sola nitentes se eiusmodi medicamenta intendere aiunt; qui verò adhuc istam negligunt, & actiones partium non inquirunt: vnde (ait Magister) succurrunt, vt pro thorace in phreniticis caput madefacere decernant, præterea oxyrrhodinum ipsum quod capiti in phrenitide applicamus, ceu quidam ex amicis solebat dicere, non solum Thessali sectatores sine methodo curantes, sed etiam alios omnes, qui principem partem animæ in corde collocant, redarguit. Nam cum aliquando ipse Galenus quendam ex Athenæi discipulis caput aceto, & oleo mixtis perfundere vidisset, prohibuit, iussitque pectori id remedium admouere, nam cum in delirio pars princeps sit læsa; illa tamen auctore Athæneo in corde residet. Quare malum relicto pectore, caput eum integrum præcipuè, & sine noxa vexare esset, illique negotium facessere, iam oxyrrhodinum infundendo, iam radendo, tum spondylum, aut serpillum, sine aliquid id genus admouendo: imò vero si malum traheret, etiam castoreum, aut etiam cucurbitam, quod idem esset, ac si in femore alicui fiat, calcaneo remedium applicare. Quin etiam in lethargo omnes capiti auxilia applicant. Quoniam huiuscemodi affectus quodammodo habita ratione ad speciem phrenitidi contrariatur. In capite etenim in quo princeps animi pars residet, generatur: Cum ergo humor in capite redundans frigidus est, insensibilem, ac immobilem hominem reddit; cum vero calidus, potius motus assiduus cum mentis læsione accidit. Segnitia enim ex frigore, veluti ex calore immodicus motus, ex humoris vero vitio dementia nascitur.

TEXTVS.

Itaque incidenda in talibus affectibus, &c.

190. CVm igitur tam lethargus, quam phrenitis affectus magnitudinem habeant, proindeque remedij magnitudinem exigant. Magister in textu sanguinis missionem statim ab initio exercendam præcipit. Dummodo vires consentiant, ac humorum crudorum copia, vel ætas puerilis, anni tempus, vel regio extremè calida, aut frigida non prohibeat. Quod communiter de vtroque affectu, tam videlicet de illo qui cum sopore, quam cum vigiliis accidit, est intelligendum oxyrrhodinum. Præterea communiter vtrique affectui in principio admouendum expedit, nam quilibet humor fuerit, semper à capite, dicto tempore, repellendus est. Quæ vero hos affectus insequuntur, contraria sunt, sicque contrariæ indicationes afferuntur, quoniam quæ cum vigiliis coniunguntur; ea linire oportet; quæ verò cum immobilitate, excitare. Quare quando increscunt ita delirium, quam pervigilium, perfusiones ex capitibus papaverum conferunt odor similiter attemperans naribus obiectus, ac narium alarum intus, frontisque illinitio ex similibus medicamentis sunt necessaria. Cerebrum etenim, quod supra modum scandescens est, refrigerando stupefacere facultatem principem debemus. In contrario vero affectu, lethargo videlicet, excitare, humorisque noxij sopores altos citra febrem, & putredinem inducentis, quia crassus est, crassitiem valdè incidere, atque calefacere valde opportunum est. Si tamen prædictus humor aliquando putredinem concipiat, ex qua febris subsequitur, coctionem tymi, pulegij, origani, & aliorum similium in aceto factam, naribus applicandam, Magister monet: vt vapor ad cerebrum sublatus crassitiē humoris dissecet. Deinde palatum valentibus, acribúsq; medicamētis vngemus, quæ similiter, vt sternutamenta deseruient.

TEXTVS.

Quin etiam cucurbitis ad vtrumque, &c.

191. NEc minùs vtrique affectui phrenitidi videlicet, ac lethargo cucurbitæ, si diutiùs duret, possunt. Castoreum etiam, si debito tempore adhibeatur, probè ipsum euincit. Quare in his affectibus, non solùm, qui Thessalum imitantur, verùm qui principem animi facultatem in corde residere decernunt, redarguuntur. Nam non solum opportuna horum remediorum copia eis deerit, sed etiam partem cui applicanda sit, ignorabunt. Neque enim inter omnes affectus æqua currit paritas, nam in ophthalmia, vel pleuritide, vel angina, tum ab ipso ægroto locus affectus persentitur, tum nos, medio tactu, atque visu, eum cognoscimus: non verò in lethargo, & phrenitide, epilepsia, delirio, cōuulsionibus, & tetanis hoc ita patet. In his autem formula subsidiorum ex natura affectus reperitur: locus verò cui maximè apponenda sunt, ex actionibus, & vsibus partium, quas Thessalici ignorabant, desumitur.

Aliqua

Aliqua pro Textus expoſitione proponenda offeruntur.

192. Cum cerebrum humanæ mentis arx, rationis ſedes, ſapientiæ domicilium, memoriæ, judicij, & cogitationum officina ſit, ſupremúmque locum occupet, an non ſupremam, & angelicam mundi partem oſtendit? in hoc igitur tam phrenitis, quàm lethargus (ex Magiſtri doctrina) generantur. Sicque cuiuſlibet horum cauſa diuerſas, & magnas læſiones exhibet, nam ſi frigida ſit, inſenſibilem, ac immobilem hominem reddit; ſi verò calida perp.tuum motum cum mentis læſione infert. Vnde ex vehementia læſionum ab his affectibus orta, remedij magnitudinem (vt eſt ſanguinis miſſio) pro ipſis detruncandis Magiſter in textu admonet. Quia tamen varia claſſicorum controuerſia adeſt circa venæ ſectionem, tam in phrenitide, quàm in lethargo exequendam; propterea, vt Magiſtri doctrina magis ſplendeſcat, dubium non exiguum circa hanc difficultatem offertur, quod in quatuor diſſecatur partes. Prima etenim eſt, an in omni phrenitide ſanguinis miſſio conueniat. Secunda quando. Tertia quantum. Quarta ex quo loco facienda ſit. Et quanquam vt debitè hæc quatuor prædicta adimpleri poſſint, naturam, & eſſentiam phrenitidis, quæ partes cerebri neceſſariò afficiantur, an inflammatio ad phrenitidem eſſentialiter requiratur, an verò intemperies calida cum humoris affluxu in cerebri ſubſtantia requiratur, ſcire neceſſarium ſit. Tamen quoniam *lib.* 11. *methodi, cap.* 17. hæc ſatis conſpicua maneant; propterea ad enucleanda dubia propoſita iuxta ſanguinis miſſionem celebrandam, eſt deueniendum.

193. Quoad primum igitur dubium, plurimi ſanguinem in phrenitide nequaquam eſſe mittendum aiunt, nam phrenitici facilè in ſyncopem labuntur; atqui media ſanguinis miſſione virtus magis langueſcit: ergo proniores ad ſyncopē redduntur: ergo iſta facienda non eſt. Hæc quidem ratio, admiſſa maiori propoſitione, non conuincit, ſi cum diſtinctione eā percipiamus, ſi enim phlebotomia male, & ſupra modum exerceatur, nihil mirum quod ſyncope ſequatur; ſi verò rite fiat, tātum abeſt, quod in illam ægri incidant, vt potiùs ab ea præſeruentur; ſicque ratione quantitatis, vt infra dicemus, non verò quoad ſpeciem remedij, ſanguinis miſſio erit perpendenda. Neque alia ratio ex doloris defectu in phreniticis vrget, quæ ſic ſe habet: phrenitici dolore carent; atqui ſanguis in vehementiſſimis doloribus eſt mittendus: ergo cum illis abſit, mittendus non eſt. Soluitur, ſi animaduertas, quod quamuis phrenitici dolorem non ſentiant, non tamen illo carent, cauſa videlicet dolorifica, ſolutione nimirùm continui, & vehementi intemperie, quæ valdè vires frangunt, certum enim eſt dolorem rigorosè triſtem nimirùm ſenſationem non dari, quia mens eſt auerſa, benè tamen cauſam virtutem reſoluentem, vnde etſi vi ſenſificæ actionis non ita detur virium diſſipatio, hoc tamen non tollit obiectum valdè ſenſum tactus media ſolutione, aut intemperie corrumpens in totum virtutē deuaſtare, quod experientia patet, cum phrenitici ſe mordeant, irentur, contriſtentur, bellicoſi reddantur, tandémque fractis viribus decumbāt, quapropter etſi dolorem non ſentiant, ratione cuius ſanguinis miſſio non ita fiat, bene tamen doloris cauſa, quæ permanens eſt illa indicatur. Quæ veritas ex Hip. 2. *Aphor. ſent.* 6. ſic aſſerente clareſcit: *quicumque dolentes dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat. Quicunque dolentes*, id eſt, cauſam doloris habentes, quam tamen etſi moleſtet, non ſentiunt: *mens auerſa eſt.* Sicque ratione concurſus facultatis animalis deficientis, doloris carentia, non verò diſpendij virium datur, ſicque ne talis virium diſſipatio increſcat, morbifica cauſa antecedens, ne coniuncta fiat, media ſanguinis miſſione eſt auferenda.

194. Aliorum verò claſſicorum ratio reclamat, nam ex venæ ſectione habitus phreniticorū facile refrigeratur, ſed ex hoc deterior lapſus ſequitur, ita vt humores craſſeſcant, lethargúſque ſequatur, qui deterior phrenitide affectus eſt: ergo ne hæc maiora eueniant venæ ſectio renuenda eſt. Auicenna enim in vniuerſali canone de phlebotomia duo eſſe cauenda monet, ne videlicet æger media illa in alterum duorum, vel nimiùm calidorum, ſub quorum feruorem, vel ad nimiam frigiditatem, atque incrudationem frigidorum ducatur; Quæ ratio, quia debilis, facile deciditur, nam ſanguinis miſſio moderata, cum ſupra vires non ſit, non ſolùm habitum non refrigerat, neque illos in affectum lethargicum ducit; verùm etiam ipſum ſoluere lethargum, ac ne fiat præcauere, humorúmque calidorum ebullitionē ſedare, vt infra conſtabit, poteſt; nam hoc eſſet verum, ſi bilis ipſa in habitu corporis, ac in toto valde abūdans, ſanguinis verò modica quantitas eſſet: qui ſi totus educeretur ſectione venæ, illo in caſu bilis intus remaneret, ac per totum diffuſa cum freno careret, magis ferina redderetur. Auicēniſtæ quidem media ſanguinis miſſione ſolum ſanguinem educi, non verò reliquos humores indifferenter euacuari, arbitrabantur; quia tamen omnes æquè humores extrahuntur; proinde accidit, quod non ſolum effervescentia, atque ebullitio non fiat, verùm ex ſanguinis miſſione potius, quam alio medio ſedatur. Dummodo euacuatio non magna, ſed modica illo in caſu fiat, vt Magiſter Galen. 4. *de ſanit. tuend. cap.* 4. & 6. inquit. Ex qua modica euacuatione ſanguinis, tum bilis, tum reliqui humores educuntur, & cum bilis quantitas minuatur, ac frenum, nempe ſanguis intus remaneat, illa frigeſcit, & ita ad ebullitionem ineptior redditur, vt ebullire compeſcatur, fervoremque deperdat.

Areteus verò, & Raſis *lib. diuiſionum*, ſimulque Azarabius, & Meſues phrenitidem duplicem eſſe aiunt, veram ſcilicet, & non veram, & iſtam vel à ſanguine, vel à bile gigni, ſi à ſanguine venam incidere potiùs quàm in bilioſa oportet. Quod probatur, nam phrenitis à materia ſeparata, & aliena à ſanguine fieri valet, atqui in hoc caſu phlebotomia non conuenit, vt Auicenna 1. *can. fen.* 4. *cap. de phlebotomia docet*; at in vera phrenitide facta à bile, hæc materia ſeparata eſt à ſanguine: ergo hic, non illa debet fieri. Vlterius quia in ſanguinea phrenitide plus euacuantia, quàm alterantia, è contra verò in bilioſa competunt; atqui ſanguinis miſſio præcipue euacuat: ergo iſta hoc in caſu, cum tantum alterantia indicata ſint, facienda non eſt: ac proinde in ſanguinea ſolùm conueniet.

195. Meliùs tamen alij, in omni phrenitide, sanguinem esse mittendum, putant. Vt Magister in textu exposito manifestè sic alloquens ostendit: *Itaque incidenda in talibus affectibus vena est statim ab initio consentientibus viribus*, &c. Quam sententiam Celius, Aurelianus, Celsus, Serapio, Rhasis, Gordonius, Math. Agradis, Altimarius, Capibacius, Mercurialis, Mercatus, Vega, Victorius Fauentinus, Leonellus, Marinellus, Fucsius, Iacchinus, Montanus, Zacutus, doctissimus Maglioca, Riuerius, ac semper laudandus Petrus Michael de Heredia, Massarias, Olerius, & alij quamplurimi. Primoque ex Hippocratis auctoritate 4. *acut.* 19. constat, vbi in omnibus morbis acutis, sanguinem detrahendum esse monet, dummodo morbus vehemens, ac vires validæ fuerint, & ægri ætas vigeat; atqui omnis phrenitis morbus acutus, & vehemens adest: ergo in omni phrenitide sanguis est mittendus. Roboratur ex eodem Galeno 1. *aphorism. comm.* 23. *in acutissimis doloribus, febribus vehementissimis, atque inflammationibus sanguis vsque ad animi deliquium est mittendus*; sed in phrenitide in aliorum opinione est ingens inflammatio, veheménsque febris; ergo in omni phrenitide sanguis est detrahendus. Probatur tertio, in omni phrenitide deriuatio, reuulsio, & euacuatio est indicata; atqui sanguinis missio debitè exercita hæc omnia complet: ergo in omni phrenitide ista est exequenda. Præterea fulcitur opinio, nam in capitis contusione à re externa nulla plenitudine, neque in toto, neque in parte existente, ne minimum sanguinis, qui reperitur in partem affectam trahatur, sanguinem mittimus. Vt Auicen. *can.* 4. *fen* 4. *cap. de contusione* docet. Tum etiam Galen. *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem*, sic fatur: *Perperamque Menodotus empiricus sola plethorica appellata syndrome, sanguinis missionem obseruare consueuerat, nos autem, & non ea existente venam secamus, cum dolor vehemens hominem prehenderit, vel pars aliqua fracta fuerit, vel os ex loco pulsum, vel alius quispiam artus confractus sit*, &c. Nunc sic ratio affirmatur. Non est maior ratio, quod in capitis contusione, vel artus fractura sine vlla plenitudine sanguis mittatur, quàm in phrenitide: ergo, &c. Probatur antecedens: Tota ratio propter quam in dicto casu sanguis emittitur est, quia ratione caloris, & doloris in contusione maior ad partem, etsi non detur plenitudo, fieret attractio; sed sic est quod in phrenitide, eadem ratione inflammationis internæ, & caloris attractio ad partem affectam, & multò magis cum adsit plenitudo, sic ergo si in casu posito sanguis necessario detrahendus est, multo meliùs in phrenitide vrgentia adest. Vlterius roboratur assertio; nam phrenitis magnus, acutus celer que morbus est; sed morbus celer, remedio celeri indiget, quod nullum aliud, quam sanguinis missio est: ergo inter alia sanguinis missio priùs in phrenitide est efficienda. Quasi his rationibus Gerardus ad Almansorem commentis adducta quadam distinctione hanc difficultatem discutere sibi videtur, ait enim, quod sanguis dopliciter potest mitti, per se videlicet, vel per accidens, vel directè, vel indirectè; sicque in phrenitide sanguinea, sanguinis missio per se conuenit, in cholerica verò per accidens, in illa directè, in hac verò indirectè; sanguis enim ad prohibendum humoris fluxum ad supernas partes mittitur, sicque sanguinem euacuando, aliquid etiam debile extrahitur

196. Hæc tamen opinio veriori doctrina caret, vt Maglioca persentit; nam vt sanguis extrahatur, indicatio ex parte morbi, & coindicatio ex parte virium requiritur; atqui in vera phrenitide à bile orta, hæ duæ indicationes per se ac directè adsunt, magnitudo videlicèt morbi à quanto, vel à motu pendentis, ac vitium robur in initio: ergo distinctio Gerardi superuacanea est. Deinde quia præcautio ne humor in aliquam partem fluat per se ac directè media reuulsione fit; sed sanguinis missio humorem fluentem per se in contrarium reuellit; ergo sanguinis missio in omni phrenitide siue sanguinea, siue biliosa per se indicata, atque exerceri debet.

197. Cum igitur varios fines, atque commoda media sanguinis missione reperiamus, propterea stabiliendum, vt certissimum est, in omni phrenitide eam celebrandam esse. Ista enim vel euacuatorium subsidium est, proinde quando sanguis naturæ inutilis est, eo quod vel qualitate peccat, media putredine, vel quantitate, media plenitudine, quoad vasa, & quoad vires exercenda erit, aut est remedium reuulsorium, quod exequimur, quando impetum sanguinis, & aliorum humorum in aliam partem trahere oportet. Cui fini citra plenitudinis existentiam, sanguinis missio satisfacit, cum ista potentiùs, ac celeriùs, quam cætera omnia subsidia reuellere possit. Inciditur etiam vena refrigerationis, & ventilationis gratia, phlebotomia enim ex accidenti, quia substantiam calidam extrahit, refrigetat, vt Magister 10. *methodi* ostendit, veluti euacuatio frigidæ calefacit. Vt Auicen. 1. 1. *doct.* 2. *serm.* 1. *cap.* 17. Mittitur etiam sanguis ad naturam leuandam, non solùm in morbis sanguineis, sed cum loco sanguinis alij humores abundant. De quo Magister 11. *Methodi, cap.* 15. intelligitur: *Leuata namque ea, quæ nostrum corpus regit, natura*, &c. Interdum etiam, vt qualis sanguis in venis contentus sit, cognoscamus, sanguinem mittimus. Vt Magister 1. *ad Glauconem, cap. de quartana curatione*, ac 3. *de loc. aff.* 7. *de curat. melancholia*, id exequendum dixit.

In sanguinea ergo phrenitide vena secanda est, vt partim euacuet, partimque naturam leuet, ac in biliosa phrenitide, vt reuellat, ac temperet; copia enim euacuationem, intemperies refrigerium indicat: nam humores vitiosi vnà cum sanguine permixti in venis inueniuntur, & prout in veteri proportione aderant, increscunt. Et in illo casu bilis calidissima cum sanguine permixta exit: & quanquam vacuato sanguine illa in corpore remaneret, vtilitas maior ex reuulsione, ope venæ sectionis facta contingit, quam damnum, quod ex bile relicta subsequitur, sicque præsente reuulsionis vtilitate, etiam in homine inanito phlebotomia præcipitur. 5. *meth.* 3. & in validissimis doloribus, atque inflammationibus, vt ex 1. *Aphor. com.* 23. supra est ostensum. Quare phrenitis, vel præsens, vel imminens, cum morbus magnus sit, remedium magnum veluti sanguinis missionem indicat. Sicque sanguis in maiori, vel minori copia, perpensa corporis natura, virium consensu,

conſenſu,& cauſa morborum efficiente,extrahendus eſt. Audacius etenim in ſanguinea, minùs in biliosa, ac minus in melancholica euacuare debemus,vt infra latiùs patebit.

198. Inquires tamen: cur Magiſter in textu addit: *niſi adſit crudorum humorum copia.* Et non ait: *acrium* qui frequentiùs in phrenitide dominantur. Cui reſpondeo, quod crudi media decoctione deuincuntur, & eum ſanguis ad eam celebrandam auxilietur; bilioſi verò potiùs purgatione, propterea crudus magis, quàm bilioſos, & acres excepit. Vel ſi mavis, ſucci crudi grauant, ductus obturant, ſpiritus,& ſanguinem ad membra nutrienda impediunt, natiuum calorem minuunt, viréſque deficiunt: quæ damna humores bilioſi, & acres non ita præſtant; ſicque in his, ſi vena ſcindatur corpus maiori ventilatione facta leuabitur. Hæc quidem reſponſio, etſi à Zaccto viro doctiſſimo dedita ſit, veriori rationi non aſſentit. Nam ex eius verbis inferendum venit, ſanguinis miſſionem, licet non ità fertilem, exequendam eſſe; quia eo quod ab humorum crudorum copia, natura grauatur, meatus valdè obſtruuntur, ſpiritus, & ſanguinis permeatio ad partes impeditur,ac natiuus calor non ventilatus imminuitur; indiget natura ſubſidio, quo à tanta ſarcina, vt reliquum concoquatur,leuetur. Sed media ſanguinis miſſione, quanquam ſanguis extrahatur, etiam humorum crudorum, qui vnà cum ſanguine ſunt permixti quantitas detrahitur: ergo facta miſſione ſanguinis moderata faciliùs, ac felicius caloris ventilatio fiet,ac illius interitus præcauebitur; imminuta enim aliqua humorum crudorum copia, reliqua celeriùs permeabit, atque coctionem ſubire valebit. Vnde dicendum eſt,quod quanquam Magiſter in textu dixerit: *niſi adſit humorum crudorum copia.* Hæc verba non rigoroſè ſanguinis miſſionem obnegant, ſed quia non ita large, vt in ſanguinea, ac bilioſa, euacuatio eſt efficienda. Quod roboratur ex eodem textus præſenti adaperto, cum in vtroque affecto, tam phrenitide, quam lethargo miſſionem ſanguinis præcipiat, cum aſſerat: *itaque incidenda in talibus affectibus vena eſt, ſtatim abinitio.* Sicque tam de phrenitide,quam de lethargo, vbi humorum crudorum copia dominatur, agit. Et vlterius Magiſter *lib. 11. meth. cap. 3.* agens de ſyncope ex humorum crudorũ copia orta licèt ſanguinis miſſionem renuat, cum aſſerat; *nulli talium ſanguis mitti ſine maximo diſpendio ſolet, cum tamen vacuationem deſiderent, verum nec ſanguinis miſſionem nec purgationem ſuſtinent.* Huic tamen tanti Magiſtri doctrinæ in expoſitione prædicti textus cum doctiſſimo Heredia ſatisfacere conatus fui, vbi cum Auicenna, etſi parce, ſanguinis miſſionem exercendam decreui.

199. Secundum non contemnendum dubium circa ſanguinis miſſionem eſt tempus, quo in phrenitide fieri debeat. Hæc etenim veluti quodlibet remedium quatuor ſcopis, qualitate nimirum, quantitate, tempore, ſiue occaſione, atque modo vtendi gaudet; ſicque adaperta remedij qualitate, ſiue ſpecie, ad occaſionem in qua exequendum ſit, accedimus. Iuxta quod dubium, aliqui nunquam, ſanguinem mittendum eſſe, alij vſque ad quartum diem, poſtea verò nequaquam cenſent; vt Aetius, & alij, Areteus verò tranſacto ſeptimo die ſanguinem extrahendum putat. Si tamen delirium quarta,aut quinta die cœperit, tunc ſanguis intra primam primi circuitus diem criticorum, tranſactis his neutiquam euacuari debet. C lius Aurelianus in ipſa prima diatrito ſanguinem mittit; aliàs verò non, eo quod in hoc affectu vires langueſcant. Mercurialis ſtatim, ſanguinem euacuandum eſſe inquit, dummodo aliàs miſſus non fuerit. Et hoc ratione febris antecedentis, nam cum pluries huiuſcemodi affectus febrem ſubſequatur, ratione cuius curandæ ſanguis antecedenter mittatur. Proinde illa euacuatione vti ampliùs non oportet. Hæc tamen ratio veras curandi indicationes detruncat, nam indicatio ſanguinis mittendi, non à numero dierum, ſed à virium robore, atque magnitudine morbi deſumitur: ergo cum phrenitis poſt decimam quartam diem febris, virium robore, morbique magnitudine adſtantibus, poſſit incipere, neceſſariò indicatio mittendi ſanguinem erit adimplenda.

200. Communior equidem ſchola in phrenitidis principio,vt ex noſtro textu conſtat, ſanguinem mittendum eſſe aſſeuerat, cum nullum ſalubrius,ac præſtantius ſubſidium,tam celeri,& acuto morbo deuaſtando reperiatur. Quem ſenſum Marinelus Gordonius, Mercatus, Victorius Fauent. Altimar. Capibacius, Fuchſius, Vega, & Maſſaria amplectuntur;ſicque Rhaſis prius venam ſecat, antequam ſymptomata complicentur. Et Auicenna primò venam aperit, & mox clyſtere acri propter motum humoris in caput vtitur, ipſe verò cum doctiſſimo Maglioca in pluribus ipſius phrenitidis temporibus, ſanguinem mittendum eſſe perſentio. In principio etenim, ne hic affectus fiat, ſanguis, ſiue humor reuellendus,media ſanguinis miſſione, eſt. Quia tamen aliquando id non euenit, ſed potiùs materia partim eſt fluxa, partimque fluxura, illo in caſo deriuationis, ac reuulſionis ratione extrahendus ſanguis eſt, quod cum iam morbus in augmento adeſt, contingit; ſi verò adhoc huic auxilio affectus non obediat; imò tota materia iam ſit fluxa, eam à parte affecta diſſecta frontis vena euacuare debemus, quanquam dum tota meteria fluxa, receptáque eſt in parte affecta, morbi ſtatus ſit. Præſertim in mea opinione, quam ſapientiſſimus Sanctorius à iaculis tyronum defendit *lib. de reuulſ.* vbi quod non ſolum humoribus fluxuris, & fluentibus, verum fluxis reuulſio debeatur, prædixi. Quare in omnibus ferè temporibus phrenitidis, dummodo morbus validus ſit,ac vires conſtent, ſemper ſanguinis miſſio indicatur. Cum hæc non à tempore, ſed à morbo magno, virium robore contracta morbifica ſpecie indicetur, neque luna, aut ſol, vt pravè empirici iudicant, obſtabit.

201. Tertium præterea dubium iuxta ſanguinis quantitatem exercendam militat, in hoc quidem auctorum maxima vtpote ſatis difficilè varietas reperitur. Inter alios enim Haliabas ſanguinẽ vſq; ad ſyncopem eſſe educendum inquit. Alij verò nequaquam,vt Serapius,Rhaſis,ac Ioãnes Math. eo quod phrenitici valde mouentur, & agitantur, & præcipuè cum iam ſyncopis ferocitas immineat; ſicque currente iam equo medicus calcar imponere non debet,nam ſi ad illam iam ægri ex

O 3 natura

natura morbi ſunt præuij, ac vltimatè diſpoſiti, nequiquam ſimul cum morbo media euacuatione eam vt properet, ſuſcitare debemus, ſed potiùs morbo reluctari, proinde ex Auicenna meliùs eſt cum cautela ſanguinem ducere, quam multum, & confertim ducendo eos ed ſyncopem, imò neque ad proximam ſyncopis diſpoſitionem diſponere, cum ſi hæc eueniat, medici culpa videatur ægrum perire.

202. Prima tamen ſententia, quam Haliabas amplectitur fundamento deſumpto ex Galeno 1. *aphor.* 23. ſupra relato nititur, quo in loco præſtantius præſidium nullum, quàm vſque ad animi deliquium euacuare, vbi ardens febris, vehemens dolor, ac interna aliqua fuerit inflammatio ſe vidiſſe fatetur: ergo cum in phrenitide, tum febris ardens, dolor vehemens, ac inflammatio in cerebro exiſtat, euacuatio vſque ad ſyncopem exercenda erit. Hæc tamen auctoritas, etſi inſequenda ſit, non tamen abſolute carpenda venit. Primo quia Galenus non vſque ad ſyncopem, ſed animi deliquium prædixit. Præterea quia non in quocumque vehementiſſimo dolore ſanguis vſque ad animi deliquium, vt in colico flatuoſo, ac phlegmatico extrahendus eſt. Et licet in phrenitide vehemens febris, ac inflãmatio adſit, ratione cujus euacuatio ad animi deliquium extendi poſſit; habita tamen ratione ad genus neruoſum, quod in hoc affectu valde labeſit, ne vires in totum langueſcant ſanguinis miſſio, non ſolum ſyncopem imminentem, verum nec lipothymiam inducere debet.

203. Verior igitur opinio, ac inter omnes prudentior quantitatem ſanguinis moderatam, atque diſcretam, potiùs, quàm continuam confertim factam collaudat. Quam aſſertionem Mercurialis, Altim. Saxon. Victorius Fauent. Mercatus, Maſaria, & alij inſequuntur. Et merito nam cum medicus non ſolum præſentes vires, ſed quales poſtea futuræ ſint, perpendere debeat, morbuſque acutus, & validus ſit, vires verò confractæ; propterea ſi larga ſanguinis miſſio fieret, ſubito æger ſuccumberet. Proinde Auicenna totum ſanguinem ducendum non eſſe protulit, vt nihil remaneat in corpore, dum phlebotomatur; ita vt aliquid; quo natura ad reſiſtendum vaporibus, ac defectui corroboretur, remaneat. Sicque Galenus imminens ex immodica ſanguinis extractione periculum perpendens, ita 11. *Methodi, cap.* 1. fatetur: *Eſto terminus, quem non tranſibit his qui ex arte generoſe contra morbum pugnat, vt tutò medicetur ei, qui dolores mitigat, vt vires cuſtodiat, vbi vltra pergitur, crudelis medici officium facit, qui vnà cum morbo vitam quoque homini aufert.* Ex Magiſtro igitur euacuationem neutiquam periculoſam, qualis eſt vſque ad ſyncopem, & in phrenitide adhoc vſque ad animi deliquium, exercendum eſſe infertur. Meliùs enim erit, reiteratis vicibus, ſanguinem mittere, quam totum vnica vice, ac ſemper minus, quàm pro morbi exigentia ſit. Quare in phrenitide ſanguinea ad libram vſque vnicam habita ratione ad ægri habitum, ætatem; conſuetudinem, anni tempus, regionem, & anteactam vitam ſanguis educi poteſt; in bilioſa verò phrenitide minùs, veluti etiam minus in corporibus obeſis, ac frigidis; ſi verò phrenitis medio modo ſe habeat, ſanguis vſque ad ℥viij. plus aut minùs. Si tandem laborantis habitudo ſanguineus fuerit, & plurimo ſanguine refertus, robuſtuſque exiſtat, & aliqua euacuatio conſueta ſuppreſſa reperiatur, illo in caſu ad libram vnam cum dimidia ſanguis mittendus erit. Hæc tamen cordatum medicum efflagitant.

204. Quartum tandem dubium quoad ſanguinis miſſionis ſcopum, videlicet modum operandi, ſatis arduum ab omnibus concuſſum, à paucis bene diſcuſſum eſt, cum plurimi ægri propter medicos tot tenebris inuolutos, ac cæcutientes potiùs mortem, quam ſalutem ob inſcium operandi modum in ſanguine mittendo, experiantur. Cum plures potius ex importuno loco ſanguine emiſſo à medicis, quam gladio interneцentur. Aëtios quidem venam mediam brachij ſecandam ſentit, & ſi huic morbus non cedat, cucurbitulas in occipitio apponendas ſcarificatas, ex quibus ſanguis ad libram vnam extrahatur, docet. Diocles verò, vt Celius ait primò venam ex brachio, mox ex lingua ſanguinem detrahendum judicat. Quod à Celio refellitur, eo quod ex hoc major capitis repletio ſequitur, fluxuſque neutiquam cohiberi valet, deinde quia cum phrenitici valde agitentur, potiùs loco venam tundendi, linguæ abſciſſio, in totum periclitabitur. Vt inde æger mutilus reddatur. Gordonius verò cephalicam priùs, mox venam frontis ſecat. Bruel tamen primo humoralem, mox cephalicam, aut mediam, ac demum fluxo jam humore frontis venam aperiendam aſſeuerat. Quod Iacchinus efficiendum fatetur. Auenzoar primò cephalicam, deinde venam in manu pulſatilem incidendam imperat. Areteus cubiti venam ſecandam non eſſe inquit: nam vaſa inaniuntur, magnaque noxa inducitur, præſertim cùm caput laborat, cùm hoc neruorum principium, ſenſúſque origo ſit; ſi verò præcordia afficiantur, hanc doctrinam inſequitur.

205. Gentilis verò ſentit, quod cum virtus languida eſt; in quo caſu æger apertionem venæ paruæ potiùs quam majorum ſuſtinet, vena frontis ſecanda eſt, vlterius cum corporis diſpoſitiones non conſentiunt; quod vel quia in toto repletio non adeſt, aut materia non eſt in fluxu, aut alia requiſita, vt aër, ætas, conſuetudo, & ſimilia, quæ veluti contra indicant, prædicta frontis vena eſt aperienda demumque quando æger brachium quia phreniticus porrigere non permitit, adimplenda ex fronte euacuatio erit.

206. Hæc aſſertio ſuſtineri non valet, nam ſi phrenitis in principio adeſt, neceſſariò aliqua portio humoris in reliquum corporis exiſtit, quo fit, vt ſurſum ad caput magis materia trahatur, etſi antecedenter phrenitis in principio erat, facta euacuatione ex vena frontis geminata fluxio, & affectus ſtabilis, ac confirmatus reddatur. Nec ſi aſſerant auctores, ſufficit, quod materia tota eſt fluxa, nihilque ipſius in motu eſt, quoniam ſtatim hanc apertionem exequendam ſentiunt, & cum in principio inflammationis neceſſariò tempora, quoad principium, augmentum, ſtatum, & declinationem fluxionis non poſſint eſſe completa; proinde in tali principio totam materiam iam eſſe fluxam implicat; ſicque potiùs materia eſt in motu. Deinde quia ſi virtus languida eſt, non

noo magis aliam quam reuulsoriam euacuationem permittet, cum ex natura rei & in esse euacuationis, quælibet virtutem consentientem expostulet. Neque ex impedimento ligaturæ brachij phreneticorum excusatio desumpta satisfacit, cum etiam ad venam frontis secandam ligaturam cõmendent; sicque etiam in brachio aperiendo illa fieri valebit. Tandemque rejicitur opinio, cum Magister Galenus tot in locis, vt 2. *de arte curat. ad Glauconem*, non solum euacuationem particularem; verùm nec remedia localia ante corporis euacuationem totius renuat. Pereda verò sub distinctione alloquens, si plenitudo totius non adsit, cephalicam, si verò adsuerit, primo venam hepaticam, mox mediam, & aliquando si mensium suppressio complicata sit venas pedis vt saphenas, aut ex hæmorroidibus, si hæ suppressæ præcesserint, aperiendas esse, persuadet, sieque venam primo, secundo, & tertio si oporteat incidendam, demumque cucurbitulas spatulis affigendas esse fatetur. Quamquam hæc opinio apud Masariam secundum aliquam partem, non verò quoad omnem conceditur, bene quidem si totius plenitudo existat. Primò venam in cubito, aut mediam secandam vult, & si tantum capitis oppressio, cephalicam admittit. Negat tamen tamen venam tali soluendam esse; eò quod cum morbus maximè vrgeat, nullas præbet inducias; proinde remedio celeri, quod non solùm reuellat, sed etiam deriuet, atque euacuet, indiget. Quod sectio venæ ex talo complere non potest; si verò simul cum morbo menses, qui non rite fluxerunt, eruperint, illo in caso hujusccemodi vena pedis dissecari debet. Hæmorroidales quidem venæ Mesues doctrina non semper soluendæ sunt; meliùs enim natium venas, cum per has frequentius affectus tollatur, dissecare oportet, moxque sui lingua, tandemque frontis venas, dummodo totiùs euacuatio præcesserit.

207. Saxonia verò venas tali secandas judicans, sic contra prædictam assertionem insurgit. Primo ex Galeno *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem, cap. 19.* vbi pedis venas, si menses suppressi absint, & causæ antecedentes hujus affectus adsuerint, secandas esse præcipit. Secundo probatur: nam reuulsio à parte fluxione tentata, quàm maxime facienda est; atqui per apertionem venarum pedis ita fit, è contra verò sanguis ad superiores partes trahitur, indeque major fluxio, cerebri inflammatio, & delirium subereseit: ergo priùs illo in casu venæ pedum aperiendæ sunt; postea verò venas supernas secandas jubet.

208. Vt igitur in tam graui difficultate rectè exerceamur, aliqua supponenda offeruntur, vt sanguinis missio commode fiat, ex illa enim vita, aut mors pendet; mors, si male; vita, si rectè. Proinde vel phrenitis symptomaticè alios morbos subsequitur; quo in casu cum antea iam ratione illorum venarum apertiones ex aliis partibus factæ fuerint, cephalica secanda est; deinde hirudines venis narium apponantur, vel setis porcinis ipsæ incidantur; postmodum verò sectio venæ frontis est efficienda. Quod si phrenitis à principio sine vllius morbi sequela contingat. Medicus, an aliqua consueta euacuatio retenta fuerit, perpendere debet: nam si menstrualis purgatio in mulieribus sit suppressa inquit Mercatus non semel, sed bis ex talo sanguis extrahendus est; deinde ex venis cephalicis. Petrus verò Michaël de Heredia neutrum perpetuum censet, sed habita ratione ad phrænitidis vrgentiam operandum esse, persentit; nam si incipiens sit, & quod cerebrum infestat immodicum sit, vena in maleolis bis in die secabitur, deinde ad cephalicam est confugiendum; si verò delirium vehemens, pulsus durus, oculi rubentes, & caput turgidum ac alia signa plenitudinis in cerebro existentis adsint, quoad vehementiam vrgentiæ cephalica incidetur: in totumque menstrua sunt contemnenda; ita vt si per primam cephalicæ apertionem plenitudini capitis satisfactũ non sit, neutiquam ad talum est recurrendum, eo quod indicatio vrgentiæ semper remanet; si verò per primam cephalicæ delirium moderatum, & capitis accidentia remissa appareant, vena maleoli secabitur. Quod si virtus valida sit, quæ simul duas euacuationes ferre valeat, nimiumque quod caput infestat, & quod vterus expurgare solet, sit. Necessario vena in talo, & in brachio eodem tempore secabitur. Sicque optimè vtrique indicationi medicus satisfaciet. Cum à parte mittente ad originem fluxus fiat reuulsio ex talo, & simul ex brachio, quod in capite vrget extrahatur.

209. Quia tamen vterus in recenter enixis, purgamenta, quæ conficit, majoris momenti, & perniciei expurgat. Cum multum, quod vterus tempore gestationis, coacervauit, sit. Propterea si actu purgatio lochiorum copiosè fluat, primo lecta vena in talo, quod fluxurum in caput, reuellendum est, deinde ad superiora vasa accedendum expedit, communi tamen præcepto appositis priùs in partibus inferioribus cucurbitis, ac in parte inguinum interna, ligaturis, & similibus seruato.

210. Venerata tamen tanti virî auctoritate, dupliciter illius assertio improbari valet. Primo quia fundamento vrgentiæ phreoitidis nitens in mensium suppressionem cephalicam primo, non verò venam in talo secat, quasi vrgentiã magis ex cephalicæ euacuatione non increseceret, quis enim obstabit, vt si fiat euacuatio, & deriuatio, vt quatuor v. g. non augescat fluxio ex toto corpore, vt octo, & ad inanitionem cerebri per cephalicam apertam non geminetur humoris quantitas, ac inflammatio in cerebro augescat. Præterea impugnatur: nam admissa hæc doctrina in mensium suppressione ratione vrgentiæ eadem ratione in lochiorum purgatione debet militare, & amplius: nam in actuali purgatione cum nondum suppressa sit, imò natura sui muneris non oblita per loca destinata expurgat, vt inde motui naturæ adminiculantis, & cucurbitas infra existentibus possimus sidere, sed hoc non obstante in muliere enixa lochiorum tempore, non primo ex cephalica, sed ex talo, deinde ex illa sanguinem mittit: ergo etiam in mensium suppressione, primo ex talo venæ, mox cephalica secandæ sunt. Et adhuc ratio pro mensium suppressione vrget: nam in mensium inueterata suppressione potest sanguis retentus in vtero non solum æquè vitiosus, sed aliquando malignior, vt in epilepsia perniciosa ab vtero eueniente patet, quam materia lochialis existere: ergo si tempore

tempore purgationis lochiorum, ne hujuscemodi praua materia in superiorem partem, videlicet cerebrū aperta vena cephalica trahatur, non obstante phrenitidis vrgentia, debet priùs sanguis ex talo mitti, pari passu de mensium suppressione antiqua concludendū est, alias si in purgatione lochiali Heredia vrgentiam phrenitidis contemnit, etiam in suppressione sanguinis menstrualis, qui in habitibus cachexicis, veluti veneficus solet esse, talem vrgentiam debet despicere.

211. Quare ipse semper his in casibus priùs venam ex talo, deinde ex partibus supernis secandas esse sentio, commodius enim ad suam originem fit reuulsio, quàm ad aliam partem, vt Galenus *lib. 6. art. medic. cap.* 18. docet. Neque obstat vrgentia, nec proferre, quod morbus inducias quia celeriter currit, non praestat. Nam hujuscemodi euacuationes vnica die bis, & ter, si vires valeant, efficere possumus; sicque eadem die bis ex pede sanguis mittatur; si verò affectus vrgeat, tum ex brachiis, vt ex media, tandemque ex cephalica sanguis extrahatur. Et aliquando supposito virium robore, atque morbi vrgentia libere vena quater secari valet. Et si mavis, vt in hoc rectè Heredia persentit, eodem tempore ratione affectus vrgentiae, & ratione partis mandantis, ex qua fluxio enascitur, supernae, ac infernae ex talo videlicet, & brachio sanguis euacuari potest, ad pensum virium roboris, vt inde vtrique indicationi reuulsioni videlicet, ac deriuationi satisfaciamus; ita vt nunquam prima inter omnes, vena quae secetur, cephalica sit. Propterea hanc doctrinam ipse insequens in epilepsia ab vtero pendente *lib. de sanguinis missione*, primò ex talo, deinde ex brachio sanguinem mittendum esse, & aliquando eodem tempore ex ambabus venis supernis, & infernis decreui.

212. Si tandem vir sit, qui phrenitide vexatur, ac hæmorroidas non obtineat, tunc vena hepatis in cubito, mox media, demumque cephalica secanda est, si verò ista in brachij summitate nō inueniatur quae sit in manu, & propriè in digito, qui pollex appellatur, secabitur. Simulq; interea frictionibus, cucurbitulis scarificatis, vesicatoriis in spatulis, natibus, atq; cruribus est vtendū, vt reuulsa, deriuataque materia, cerebrum peculiarem valeat euincere. Quibus praelibatis, si adhuc affectus non mitescat, ad euacuationem, quae à parte affecta sit, est accedendum, sicque vena frontis est aperienda inanito priùs toto corpore, ac cum jam tota materia, vt in morbi statu euenit, fluxa fuerit. Transacta septima die à phrenitidis principio, vt cùm Fauentino communis medicorum obseruatio monet. Nec mireris me dixisse, quater in die ratione vrgentiae sanguinem extrahi posse: nam expertus alloquor in vehementissima pleuritide, quam mulier monachalis patiebatur, vbi spatio duodecim horarum septies sanguinem mittendum decreui, eo quod gangraenae periculum impendebat, ac foelici cum euentu in statum salubrem restituta fuit. Sentiēdum similiter est, quod varicibus quando ex earum suppressione phrenitis ortum trahit, hirudines applicitae maxime cōferunt, praecipue si ex tetro, siue melancholico sanguine affectus nascatur, nec minus in menstruorum, & enixarum suppressione prosunt. Vt Hippocrates *6. aphorism. tex-tu* 21. sic ait: *insanientibus, si varices, siue hæmorroides supernenerint, insaniæ solutio.*

213. Doctissimus quidem Zacutus, etsi regularem doctrinam suprapositam fateatur, vt dignum obseruatione refert, quod quædam fœmina febre acuta laborans, despecta phlebotomia (propter medicorum incuriam) ex vigiliis, doloreque capitis sanguine ad superiores partes attracto vehementem phrenitidem contraxit, ita vt iam muscas captaret, ac in lectuli pedes jacens assiduo delirio correpta breuissime peritura judicaretur. Cui auctor auxilium intendens cucurbitas scarificatas dorso, atque occipitio apponendas jussit, ac ex venis frontis, & nasi sanguinem exhausit, simulque alia reuellentia subsidia exercuit, cum tamen debilis, siue languescēns esset, adeo vt nec cephalicæ in apertionem, nec purgantium vim ferre posset, in tali funesto, desperatóque casu, ad cucurbitulam in sincipite scarificatam tandem accessit, ex qua copioso sanguine (contra medicorum judicia) euacuato, mentem denuo acquisiuit. Ex quo euentu infero, quod propter medicorum inertiam in sanguine mittendo priùs per brachij venas, aut tali si suppressio mensium adesset, tota materia iam in cerebrum pene fluxa erat, proinde majus commodum, quam damnum ex cucurbita occipiti; & tandem sincipiti scarificata apposita sequutum fuit, eo quod indicatio in partes longinquas reuellendi non, sed potiùs per proximam, atque immediatam deriuandi, atque euacuandi dominabatur, cum magis affectus in statu, quàm in principio adesset.

214. Magister tamen Galenus maximè repellentia medicamenta in textu, vt oxyrrhodinum, tam pro phrenitide, quam lethargo commendat, cum asserat: *Nam repellendus à capite humor est quis is fuerit.* Quod etiam Magister *lib. 6. sec. loc. cap.* 1. ad initium, *& in art. medic. cap.* 95. Auic. 11. *cap.* 1. *&* 15. *&* 34. *tract.* 1. *cap.* 3. *ad init.* §. vbi ait: *& incipe cum repercussiuis*: vnanimiter amplectuntur; ita vt semper ad inflammationem incipientem medicamentis frigidis & adstringentibus vtamur. Quanquam autem in internarum, & externarum inflammationum initio repellentia sint ex vsu; nonnulli affectus excipiendi sunt. Primò enim si locus affectus alicujus membri principalis, aut huic valde propinquus sit, nequaquam repellentia conferunt, vt Magister *6. sec. loc. cap.* 1. Nam hoc in casu humor ad partem præstantiorem repulsus, vel illius calorem subito extinguet, vel inflammationem antecedenti majorem efficiet. 2. si humor fluens prauus, atque veneficus sit, vt 14. *methodi, cap.* 2. Propterea in bubonibus, ac inflammationibus pestilentibus, potiùs quæ humorem malignum foras euocent, quam quæ repellant, sunt imponenda. Tertio quando humor fluens multus, & impetuose irruit: nam ex repellentibus humor ad aliquod membrum recurrere cogitur, vel contumacior redditur. Quarto cum corpus valde plenum est, inutilis est repulsio ex Magistro *in art. med.* 95. Necesse enim est, quòd vniuersalis euacuatio præcedat. Quinto cum inflammatio, seu tumor criticè contingunt, vt Gal. 1. *sec. loc. cap.* 2. *de parotidibus ac* 13. *meth. cap.* 6. Sextò si humor crassus valdeque impactus est. Septimo si humor in corporis profundo,

fundo, vt in ischiade accidit, fit, cum potiùs inflammatio augescat. Guido denuo addit, quando dolor vehemens dominatur, cui anodyna, non verò repellentia, opitulantur; illa enim dolorem demolcendo inflammationis incrementum impediunt, vt Magister 13. *meth.cap.*8. Quo tempore non solum repellentia nocent, sed etiam omnia, quæ ante dolorem mitescentia diuertunt, vt Auicenn. 41. *cap.* 3. 5. *Cumque ad diuersum trahere volueris, dolorem prius seda.* Tanta enim doloris attractio est, vt ex subsidiis diuertentibus nulla perceptibilis vtilitas subsequatur. Octauo cum inflammatio à causa externa originem ducit. Vt Auicenna 4. 1. *cap.* 21. & quam ab ea nulla indicatio curatrix desumatur; quia nondum est permanens. Ex Magistro 9. *Methodi, capit.* 3. tamen à dispositione, quam causa extrinseca reliquit, sumitur; quare quando propter contusionem factam humor est valdè impactus, totius inconueniens tumorem aliquantulum increscere, quam materiam contentam omnino dissolutioni contumacem reddi; erit.

215. Vltimò in principio inflammationis sunt renuenda, cum pars valde languida existit; cum à frigiditate repellentium maxima ipsi noxa inferatur. Hæc tamen omnia de vere, ac proprie repellentibus, quæ frigida, siccea, & adstringentia sunt, intelligenda veniunt. Alia verò largo modo repellentia, eo quod calorem extraneum attemperando, innatum, & proprium roborant, vt nocentem causam expellat, ac suo lentore meatus modice occludunt, vt fluenti humori aditus cohibeatur appellantur. Hæc etenim in dictis casibus (exceptis tribus) admoueri possunt. Si enim humor fluens malignus sit, aut iuxta emunctorium infigatur, aut inflammatin ratione crisis eueniat, neutiquam prædicta repellentia, neque vna, neque alia licet appoere. Ex quibus manifeste liquet, quod in principio inflammationum mere repellentia sunt adhibenda, licet iam aliqua humoris portio fluxa sit, nam cum iste nondum in totum fixus adsit, facile repellentium virtute remeare valet. Quapropter si resoluentibus vtaris impensè partem afficies, quoniam adaucta humoris attractione, fluxio, dolor, & inflammatio augescet.

216. Merito igitur Magister in textu repellentia propria frigida, & sicca dicta in phrenitidis principio adhibenda commonet; sicque oxyrrhodinum statim collaudat. Sed quonam modo applicari debeat, non exigua auctorum varietas interponitur. Aëtius quidem oxyrrhodina potius tepida conferre persentit; frigiditas enim cerebri membranis officit. Caliditas etiam ferborem duplicat. Illa meatus densando superflua discuti prohibet, proinde æstate, tepidum, hyeme verò moderate calidum oxyrrhodinum oportet. Quam assertionem Auerroës 7. collig. Rasis ad Almansorem, Rogerius, Arioponus insequuntur. Auicenna tamen actu frigidum, ac nine refrigeratum apponendum imperat. Quam sententiam Masarias amplectitur, cerebrum enim non ita frigidum, vt hi censent, adest, cum omni aëre calidissimo calidius sit. Vt Magister 8. *de vsu partium* 2. docet. Præterea quia si calido, aut tepido ipso vtamor aptiores, vt fluant humores reddentur, cum ij iam calidi actu sint, sicque vt coerceantur eorumque fluxibilitas impediatur, actualis etiam oxyrrhodioi frigiditas requiritur. Altimarus, ac Victorius Fauent. hanc difficultatem indissolutam medio somno reliquerunt; Mercurialis verò oxyrrhodina æstate frigida, hyeme verò, ac in naturis non ita calidis tepida conferre existimat.

217. Relictis quidem variis auctorum sensibus, vt rite in apponendis oxyrrhodinis exerceamur plurima distinguenda, & perpendenda habita ratione ad tempora phrenitidis, naturam ægrotantis, anni tempus, ac humoris fluentis speciem sunt. Si enim phrenitis in principio adsit, cum humor in motu, aut via est, actuque fluit, talis motus potius frigidis actu, quam calidis coercendus est, eo quod calida ad se magis attrahant, cum potius laxent, quam repellant. Propterea Magister in textu nostri capitis inquit: *quippe sopire, ac stupefacere principem facultatem oportet.* Et in capite sequenti, & vltimo huius libri ipse in se oxyrrhodinum frigidum expertus fuit. Quare actu frigida, niuéque refrigerata adhibenda sunt. Præsertim si morbus acutus, ac vehemens magnóque cum impetu sua tempora currat, & ætas sit iuuenilis, temperamentum laborantis calidum, & siccum, hirsutum corpus, annique tempus æstiuum fuerit. Cui fini adimplendo, regio calida, & sicca, & phrenitis si ab humore bilioso acri, & mordaci, valdéque sincero nascatur, associantur. Si verò morbus in augmento adfuerit, illo in casu minus frigida oxyrrhodina conueniunt. In statu verò, ac declinatione fluxionis iam tepida conferunt; quando verò morbus non ita validus, neque acutus adest, etsi ætas senilis, vel puerilis, temperamentum frigidum & humidum habitus corporis obæsus, pinguis, mollis, atque laxos, mulier, vel eunuchus, anni tempus hyemale, regio borealis, ac humor spurius; eo quod cum aliis humoribus est commixtus extiterint, etiam tepida adhibere oxyrrhodina oportet. Quam assertionem Aëtius, Saxonia, Capiuacius, Pereda, Aretæus, & alij quamplurimi amplectendam decrenere. Quæ tandem mediis temporibus, aliisque conditionibus medio modo se habeant, medicus etiam medio modo (vt cordate operetur) debet se habere.

218. Quamquam tamen oxyrrhodina in principio phrenitidis auxiliari dictum fuit, hoc verò post factam sanguinis euacuationem, est exequendum, generalissimum enim præceptum est, localia neutiquam nisi prius corpus euacuatum fuerit esse applicanda, vt Magister 1. *de compos. secundum locos, cap.* 1. & 6. & 8. & 3. *de locis affect. cap.* 3. aliisque in locis ait. Sed si inquiras quanto tempore apponenda sint? Respondeo quod toto illo tempore, quo signa principij videantur, hæc tamen quæ tantum repercutientia, sunt intelligenda, cum in augmeoto, & in statu alia diuersa conueniant, vt supra loquendo de phlegmonum tempotibus satis adapertum maoet.

net. Sed cui loco applicanda dubitas. Respondeo, non fronti, vt aliqui voluerunt. Cum ibi os adeò densum, durum, ac magnum adsit, vt vis medicaminis penetrare non valeat, sed potius suturæ coronali, nec non temporibus, & collo, eo quod humores ex venis carotidibus ad caput ascendunt; sicque per has illorum motus effrænatur, nè ita celeriter cerebrum irruant. Multi quidem acetum in oxyrrhodino respuunt, ex eo quod neruis aduersatur, atque cuilibet inflammationi inimicum est, deinde quia acetum cum punctorium (quia acutum) sit, vt Magister Galen. *1. de simplic.* de aceto exponit, quod pungendo cerebri facultatem in eo residentem excitat, ita vt potius ei vigiliam, quàm quietem afferat, potius vigilia increscet, quàm somnus sequatur: proinde ne hoc eueniat, potius loco aceti acetositatem citri commiscendam iubent. Iste tamen sentiendi modus falso fundamento nititur, oxyrrhodinum enim Græce, dictum Latine oleum aceto commixtum significat, vt ex Galeno *lib. 13. meth. cap. sequenti* patebit; omnes etiam Græci, Arabes, ac Latini fatentur, neque oxyrrhodinum ex aceto componi, quia hoc ex se facultate somnum inducendi gaudeat. Sed solum tanquam vehiculum subseruiat, vt quæ frigida sunt, proindeque ad penetrationem inepta, aptiora medio aceto reddantur, demumque postquam cerebri ductus pertransierint, media virtute stupefaciendi, qua pollent, somnum conciliare, mentemque sedare possint; sicque aceti minima quantitas injicitur, vt solum fini prædicto satisfaciat. Quia tamen loco citato multa diximus, & aliqua cum Magistro in sequenti textu de oxyrrhodino dicenda offeruntur, ne iterum repetantur omitto.

219. Nec minus inter phrenitidis subsidia primatum somnus obtinet, ita vt multi medio isto mirifice in statum salubrem restituantur, nam ille, vt vitiosus humor concoquatur, ac deuincatur, æstuans cerebri calor mitescat, spirituum regeneratio elaboretur, vires inualescant, coctiones optime fiant, humorum excretio promoueatur, tandemque inflãmatio resoluatur, maxime auxiliatur. Cuius finis gratia doctissimus Zacutus quandam peculiarem obseruationem refert. Quidam etenim phrenitide confirmata laborans, postquam spatio viginti dierum omnia præsidia celebrata fuerunt, quæ ad intensissimum ardorem remittendum, extremam vigiliam corrigendam, vires valde deiectas reficiendas, & amentiam soluendam non profuere. Solum remedio sequenti ab ipso auctore memorato in statum salubrem fuit reductus, nam cum per integrum diem obdormisset, viribus valde refectis expergefactus ad mentem rediuit, tandemque statum salubrem acquisiuit.

220. ℞. radicis mandragoræ, hyoscyami, seminis lactucæ, portulacæ, coriandri viridis ana ℥ij. opij ℈j. philoni persici ℥ij. bulliant omnia in libris tribus vini albi ad consumptionem duarum partium coletur pro vsu, vt quando æger dormire debet opportuno tempore, sæpe naribus odorem applicet, naréśque intus eo illiniantur, tota facies abluatur, plantæ pedum, & volæ manus lauentur, & ad maiorem medicaminum penetrationem, si parum in decocto aceti injiciatur celerius proderit.

221. Præter diuersas embrochationum formas, aut per succos extractos, vel ebullitionem herbarum frigidarum, quæ ex alto fieri debent. Maior enim medicamenti virtus operatur, itavt non solum qualitas, verùm ipsius substantia penetret. Appositio ranarum maximè laudatur, & forsan inquit Saxonia, Gentilis eas amplectens vim torpedinis habere existimauit. Et ipse Maglioca in phrenitide quam fuit passus, se somnum expertum fuisse ex appositione ranarum viuarum in ipsius capite fatetur, ita vt has frigidas esse, magnamque vim repellendi habere percepisset. Sicque vel per medium dissectæ, vel etiam viuæ supra suturam coronalem, atque in temporibus sunt adhibendæ, ex quarum administratione plurimos ægros à morte liberatos fuisse refert.

222. Verum an phrenitidi purgatio, de qua Magister in textu mentionem non facit, conueniat necne, in præsenti dubitandum occurit, remedium, etiam ita magnum ac sanguinis missio pro tam magno, acutóque morbo, qualis phrenitis est, dicitur. Iuxta quam non exiguam difficultatem multi negatiue respondent. Nam præterquam quod nullus Græcorum id persentit, neque Auicenna, cum potius phlebotomia, & clysteribus hunc affectum solui asserat. Quam doctrinam Masaria, Fuchsius, & alij insequuntur. Eamque ex Hippocrate *4. de ratione vict. textu 22.* probat, vbi sic ait: *Quicumque ea quæ inflammantur statim inter initia morborum medicamento soluere conantur, ij non solùm ab inflammata parte, nihil adimunt, cum non cedat, quæ cruda est affectio:* ergo ex his infertur purgans medicamentum nequaquam conuenire. Secundo probatur nam in febribus ardentibus purgatio propter exurentem calorem impeditur; atqui in phrenitide exurens febris adest: ergo purgandum non expedit. Præterea quia humorum agitationem, impetuosúmque motum adaugent; sed phrenitis ab his pendet: ergo vi medicamentorum purgantium potius delirij incrementum, quam sedatio efficictur.

223. Contrariam verò alij sententiam tuentur, vt Gordonius, Gentilis, Ioannes Matth. & alij, adducuntque Auicennam asserentem, cholericum indigere solutione plurima, phlebotomia verò minore. Ratione similiter probatur, nam medicus non debet vti repellentibus, nisi corpus purgatum fuerit; atqui in phrenitide repellentibus ex Galeno, & omnibus vti oportet: ergo etiam medicamento purgante. Vlterius ait Mercurialis in phrenitide refrigeratione, & reuulsione indigemus, sed hæc medicamen purgans adimplet: ergo præbendum est. Galen. etiam *13. method. cap. 11.* in omnibus capitis affectibus purgandum esse monet, eo quod ab affecta parte humores reuelluntur: ergo cum phrenitis, capitis affectio sit, ac medio pharmaco purgante fiat dicta reuulsio, medicamento purgante opus erit. Gentilis quidem vt Auicenn. conciliet, sub distinctione alloquitur, phrenitis enim vel à sanguine,

sanguine, vel à bile fit, quæ sanguinea est, phlebotomia curatur; biliosa verò pharmacum indicat, quam Auicenna perpendens hic pharmacum collaudat, suprà verò solum canones vniuersales pro phrenitidis curatione præscribens, illam per phlebotomiam curari asseruit; è contra verò quando specificè alloquitur de biliosa phrenitide jam pharmaticam necessariam esse profert. Dominicus Maglioca hanc assertionē, vt certiorem putans rationibus aduersis satisfacere conatur: nam licet Græci de purgatione non locuti fuere, tamen non propterea renuenda est, sed potiùs cum nostræ ætatis pharmaca maxime benigna, & clementia sint, illa verò quibus antiquitus vtebantur, acria, & valde fortia, quæ tantum Græci nouerūt, talis purgatio admittenda est, hæc enim medicamina, nec febrem, nec inflammationem adaugent, eo quod nullam, aut exiguam motionem efficiunt; sicque auctoritati Hippocratis 4. *de ratione victus* 22. respondet. Quod Hippocrates alloquutus fuit de inflammationibus potius factis, in quibus purgationem obnegat, at vero ibi nondum est inflammatio, præcipuè in sententia Magliocæ asserentis ad phrenitidem constituendam non essentialiter inflammationem esse, sed tantum intemperiem cerebri calidam cum humoris affluxu; vlterius inquit Auctor Hippocr. loco dicto, de medicamentis robustioribus, & acredine præditis sui temporis loquutum fuisse. Neque quod febris ardor, & delirium augescat est pertimescendum. Respondet Auctor, quanquam purgantia calida sint, nam maius commodum cum totus noxius, & cacochymus humor euacuetur, vt dicta medicamina sine molestia efficiunt, quam noxa ex illorum modico calore subsequitur.

214. Sed quamuis in hoc affectu purgatio, quia indicata, & non impedita est, aliquando fieri debeat, de tempore, quo non exigua difficultas inter auctores militat. Communis etenim Medicorum schola, in principio purgandum esse, antequam humor ad aliquam partem irruat, ita vt in ipsa parte principe firmetur, tenet. Tunc enim natura est adminiculans, motúsque humoris, quia à natura partis depulsus, partimque à pharmaco attrahente reuulsus est, euacuationi facilius cedet, qui motus quasi turgentiam propter igneitatem, tenuitatem, ac fluxibilitatem constituit. Quare cum huiusmodi humor in caput fluens, in alvum reuellatur plurimos à morte præcavere valebit.

215. Alij vero in hunc sentiendi modum insurgunt. Hippocrates *enim* 1. *aphorism.* 22. atque aliis in locis concocta medicanda, non verò cruda commonet. Galenus etiam aduersus Iulian. *cap.* 7. purgandum non esse cruda materia, etiam si multa, docet. Nam euacuatio coctionem, ac secretionem sequitur, vt Galen. 4. *Aphorism.* 22. ergo cum in principio coctio nō adsit, euacuatio medio pharmaco suscitāda non est. Sicque coctio humoris semper in hac sententia expectanda est.

Mercatus verò aliquando in principio, & in augmento, aliquando neutiquam purgandum esse putat. Quare quando adhuc copia, ac exuberantia vitiosorum humorum, adest, qui demi indicāt, tunc purgandum, ac sanguinem mittendum esse ait, quia non diuertit, non educit, præsertim si æger parum delirauerit, signaque phrenitidis imminentis adsint, siue cocta, siue cruda sit materia, & maxime si cacochymia dominetur; si verò sanguis cum ea mixtus fuerit, illo in casu medicamentis clementibus, si tamen è contra, longè audacius, similiter in phrenitide per consensum antequam per essentiam constituatur purgatio conueniet, verùm si materia multa in capite recepta sit, maiorque copia fluxa, quàm fluxura remanserit, contra omnem rationem purgatio exercebitur, veluti etiam si iste affectus ex multo fervore, ac valde concitato humore, ita vt iam æger multum deliret. Natura enim illo in casu aliò vergens, medicamenti purgantis stimulum non percipit; proinde omnia irrita fiunt.

216. Maglioca verò purgationem in phrenitide exercendem ait, non vt materia iam fixa educatur, sed quæ fluit reuellatur, & ratione vehementiæ symptomatum, quia cum hæc aliquando vicem causæ obtineant, ad se curationem trahunt; sicque talis humorum reuulsio pharmaco purgante maximè in principio est efficienda, cum solum occasio illo tempore vigeat, at cum humor, vel iam totus, vel maiori ex parte fluxus est, nullatenus purgandus, sed aliis remediis illius euacuatio est intendenda, eò quod humor impactus, ac fixus prius concoqui, antequam educatur, debet; nam quemadmodum apostemata, nisi matura præcesserint, non secamus, non aliter hoc in casu est operandum. Quamuis Dominicus Maglioca insequendus sit, aliqua tamen maximè necessaria perpendenda sunt, vt licet phrenitis in principio adsit, non semper exhibeamus medicamentum purgans. Quare primo vt certum suppono, quod in sanguinea phrenitide purgatio non conuenit, nam materia antecedens, cum sanguis sit, non obiectum expurgationis, sed phlebotomiæ adest. Secundo cum affectus iam in cerebro est firmatus pharmacum purgans frustraneum erit. Nam phrenitici ob delirij vehementiam nimis auersi sunt; sicque nec humoris commoti molestiam, nec medicamenti stimulum sentiunt. Quare noua agitatione humorum suscitata ferocius mouentur, ac in cerebrum vehementius vergunt. Proinde si delirium in principio sit intensum, ob hanc causam purgatio est prohibenda. Nec minus totius corporis intensus ardor, præsertimque cerebri obstat, pars enim nimis calefacta ratione caloris quidque ratione medicaminis agitatur, ad se trahit, & quasi materiam commotam, absorbet, vt doctissimè Heredia inquit. Ad quod ardentes corporis carnes valde iuvant, ac multo magis aliqua hypochondriorum inflammatio, siue illorum intensus æstus omnimodè purgationem prohibet.

217. Prætere a notandum expedit, quod si medicus cordatus animaduertat summam huiuscemodi morbi acutiem, & brevitatem, qua suum principium in quo sanguinis missio debet fieri, dum tale auxilium exercetur, iam morbum non solum in augmento, verum in vigore adesse cognoscet. Quibus temporibus perniciosum valde purgationem intendere esset, quod maxima consideratione indiget, si tandem phrenitis ob efferuescentiam, potius, quàm ob cacochymiam biliosam oriatur, talis fervor in

toto, siue in capite sit, purgationem obnegat. Ex quibus infertur, quàm raiò in hoc affectu purgatione sit vtendum; proptereaqoe Vallesius 4. de victus ratione in acutis fol. 457. sic fatur: *in inflammationibus cerebri incipientibus eis præcipuè, quæ cum delirio, & quadam conuulsione incipiunt, aut etiam imminent eoe incipere parata expurgatur cum periculo, quia vt ipse Hippocrates dixit, calefaciunt caput ipsa pharmaca; calor verò pharmaci superueniens calori febris facit maniam; hanc ob causam ege in lethargo, aut phrenitide expurgandi necessitatem, si qua apparet clysteribus, aut saltem medicamentis non calefacientibus suppleri velim.*

218. Ex his liquet, quæ requisita vt ex purgatione in phrenitide conferentia sequatur, sint. Debet enim delirium valde remissum, ac moderatum esse, quod etiam ex sanguine non nascatur, carnes, viscera, nec cerebrum ardeant, hypochondria ab inflammatione, aut erysipelate libera sint, nec obstructa adsint, & quod alms clysteribus obediat, requiritur. Maximi etiam momenti est cachochymia humoris, qoi quasi turgens, ac separatus à commercio sanguinis, vel ita malignus, aut veneficus, vt incoctilis dicatur, sicque in totum coctionem obnegans purgationem indicet, & præcipuè, si morbusin principio adsit, sintque accessionum febris remissiones conspicuæ, & manifestæ, vt in eis antequam noua augescentia contingat purgatio fiat. Si verò tota materia jam fluxa in cerebro existat, quamnis maligna, & coctioni inobediena, cum jam non sit in genere venoso, tanquam materia antecedens, sed potiùs in cerebro inflammationem constituens, hæc non per purgationem, sed per suam peculiarem terminationem, resolutionem videlicet, vel suppurationem terminabitur, de qua inquam nec oominanda, nec imaginanda est purgatio, vt omnes communiter consentiunt. Quare magna cum præmeditatione hoc auxilium adhibendum est. Proinde Masarias, & alij medicamentis tantum quæ leniant, attemperent, & minùs corpus conturbent, vtuntur, vt sunt *sip. ros. Alexan. ex 9. infus. syp. reg. solut.* Manna electa in sero lactis dissoluta rabarb. medulla cassiæ recèns extracta, & alia hujusmodi.

219. Quamois biliosa materia ex se, qoia tenuis, & facilis ad motum lenientibus obedire valeat, quia verò jam in phrenitide motus aueršà, vt vim medicamenti persentiat est, ac motus humoris in cerebrum valde contrarius motui medicamenti deorsum, proinde plurimi asserunt hæc medicamenta lenientia, quia leuia inania, & frustranea esse, eo quod solum agitatio, non verò morbificæ causæ euacuatio fiet, sed potiùs adaucto humorum fervore, tam in toto, quam in cerebro, calor ardens, inflammatio, ac delirium suberescet.

230. Vt prædictum timorem medicus fugiat, Mercurialis quandam pilulam satis fortem construxit, vt medicamentum in exigua quantitate, ac sufficienti robore præditum facile à phreniticis assumatur. Quod medicamentum sic efformatur. ℞ trochiscor. Alan. ℈ß, diagridij ℥ ij. pulue. Cariophyllorum ℥ iij. cum succo ros. fiat pilula. Et licet Mercurialis hanc pilulam ex fortissimis medicamentis esse fateatur; tamen in summa necessitate, & corporibus robustis medicus audax esse debet, cum in casu quasi desperato, meliùs sit anceps experiri remedium, quàm ægrum mori permittere. Assarius Mercurialem taxans tale medicamentum respuit. Primò propter vehementem ipsius acrimoniam. Secundò propter difficultatem in phreniticorum voluntate deglutiendi. Tertiò propter majorem intensionem caloris, & siccitatis phrenitidis, quæ calore, & siccitate medicamenti intenderetur. Quartò ex motu humorum vi hujuscemodi medicamenti ad cerebrum: nam postea in caput major illorum euaporatio fiet, vt phrenitis augescat. Pro Mercuriali tamen Petrus Michaël respondet; has rationes exiguo fundamento niti, alteratio enim ex tam parua medicamenti quantitate nimia esse implicat. Quoniam colochyntis aliis, quibus miscetur, attemperatur, quòd Mercurialem non præteriuit. Neque si medicamentum ad ventriculum humores trahat, illius vsum obtemandum impedit; nam non retentionis, sed potiùs euacuationis fine, siue per vomitum, siue per dejectionem, humores in ventriculum trahuntur, quod communiter cuilibet pharmaco purganti euenire solet. Præcipue verò vt vicem hujus medicaminis prædicti gerat; aliud Petrus Michaël præstantius adducit, qood ex Sallario desumpsit, grassatum etenim ex diagridio & sero lactis est, & Auicenna sic alloquens, firmat: *Et quandoque ponunt in eis scammoneum cum confidunt de obedientia natura, vt si diagridij ℥ vj. aut vij in puluerem deducta ʒ x. seri caprini admisceatur.* Si deinde in cacochymia biliosa, & atrabiliaria euacuanda in prædicto sero duæ, aut tres drachmæ fol. senæ infundantur, vt postea facta colatura puluis diagridij addatur, in sensu Herediæ mirifice proderit. Et merito quia potentissime bilem à vasis trahit; semel tamen pharmaco purgante assumpto, omni cura exporgationem solicitare, ne commota materia, nonque educta vehementius cerebrum irruat, oportet. Proinde transacto actuationis tempore medicamenti, si aluus non moueatur, clysteres, aut acriora supositoria expultricem virtutem mouentia proderunt, & aliquando vmbilici regionem vngoento artanitæ, vel simili illinire conuenit. Ex visceribus textus Magistri satis alia grauis, & ardua quæstio juxta lethargi curationem insurgit. Videtur enim Gal. in lethargo sanguinis missionem commonere, & deinde per alia verba, tale remedium abnegare, vt per sequentia verba, & in textu præscripta liquet. Sic etenim alloquitur: *itaque incidenda in talibus affectibus vena est, statim ab initio.* Ex his igitur infertur, quod tam in phrenitide, quàm lethargo, statim ab inioo vena est secanda. Per sequentia verò ait: *Si modo tam valens virtus sit, vt sine noxa missionem sanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorum, quæ de secanda vena retulimus, sicuti vel crudi humoris copia, vel puerilis ætas, vel anni tempus, vel regio in qua sit, extremus calor, aut frigus, atque hoc commune vtrique vitio, & ei, quod cum sapore, & ei quod cum vigilus incidit.* Nunc sit: Ex Magistro vbi crudi humoris copia adest, sanguinis missio ab ea prohibetur; sed in lethargo homoris crudi copia dominatur: ergo in eo sanguinis missio est prohibenda: ergo ex verbis antecedentibus Magister in

lethargo

lethargo sanguinis missionem præcipit, cum asserat, *in talibus affectibus vena secanda.* Ex verbis verò subsequentibus eam in totum denegare videtur, cum si humoris crudi copia adsit, eam prohibendam esse, pronuntiet. Ex qua quasi contradictoria apparente, meritò dubitandum ocurrit, Vtrum pro lethargi curatione venæ sectio conferat: neg tiuam aliqui partem Aëtij auctoritate fulti tuentur, alloquens videlicet de lethargo sic fatur: *Si verò multitudo humorum in corpore est, vena secetur secundo die, & pro viribus euacuetur; si verò pituitosa, & lentior materia sit, veluti in lethargis redundare solet attenuantia exhibere oportet, & quæ crassitiem secare possunt.* Infertur ergo tunc secandam venam esse in lethargo, cum sanguis superabundat; atqui in lethargo non sanguis, sed pituita abundat: ergo in lethargo secanda vena non est. Vlteriùs ratione probatur: nam ille morbus sanguinis missionem postulat, qui à sanguine minùs distat, è contra verò, qui multum discedit; sed lethargus à natura sanguinis, cum potiùs ab humore pituitoso frigido, & humido nascatur, multum distat: ergo sectio venæ non est efficienda. Secundò probatur, quia venæ sectio ventilationis, ac refrigerationis causa fit, atqui hujuscemodi affectus frigidus & humidus est: ergo intemperies frigida increscet: ergo lethargus media sanguinis missione propter causæ refrigerium, etiam augebitur. Confirmatur tertiò: nam indicans sanguinis missionis non est cacochymia, sed sanguinis plenitudo; atqui in lethargo ista deficit, & solùm cacochymia pituitosa adest, ergo potiùs purgatio in lethargo, quā sanguinis missio indicatur.

231. Auctoritas tamen Aëtij, & aliæ rationes adductæ faciles solutu sunt. Primò enim Aëtius non dixit, in lethargo facto à pituita sanguinem mittendum non esse, cum certum sit, omnem lethargum ex pituita fieri; at verò in reliquis corporis partibus, si sanguis abundat, sanguinem mittendum esse sentit. In ipso verò lethargo vbi tantum humor pituitosus dominatur, non absolutè sectio venæ renuenda est, sed non ita largè, benè tamen in minori quantitate, cum ipsa pituita ex se sanguinis missionem non indicet, euacuatio efficienda est. Quare quamuis causa, aut ipse affectus lethargicus ex se, & pro natura causæ conjunctæ sanguinis missionem non postulet; at verò quia magnus morbus, acutusque est, ab humorum multitudine, quæ indifferenter, & secure per venæ sectionem extrahitur, pendens, missionem sanguinis desiderat. Pluries enim etsi sanguinis multitudo non adsit, cum periculum de aliquo futuro morbo magno imminet, sanguinem mittimus, vt cum quis ex alto cadit, aut capitis contusionem dolorosam patitur absque vlla sanguinis abundantia, ad humorum fluxum in partem determinatam affectam prohibendum ex Galeno sanguis est mittendus; aliquando etiam vbi morbus frigidus est, ortus tamen à causa calida, vt Galenus docet *lib. de sanguin. mission.* aduersus Erasistratum *cap. 5. lib. de tremore, cap. 54. 3. acut. comm. 3.* vbi de recenti anasarca ex sanguinis menstrui suppressione nata, vel hemorrhoïdibus retentis alloquitur, sanguis est mittendus, nam veluti ignis immissis lignis, tum humidis, tum frigidis prope extinctus, nisi quis multitudinem sustulerit, perlit; ita in frigidis affectibus, vt anasarca, & lethargo propter sanguinis frigidioris copiam, calor natiuus prope extinctus redditus, nisi sanguinis multitudo media venæ sectione auferatur in totum obrutus suffocabitur: ergo lethargus, qui frigidus affectus est, à sanguine frigidiore pendens propter redundantem pituitam, venam secandam indicat; & præcipuè cum in lethargo nondum hepar, veluti in hydrope, sit refrigeratum: præterea quia non in toto corpore humor pituitosus abundat, sed solùm in capite, & si mauis, quamuis in vniuerso corpore dominetur, ne natiuus calor suffocetur, materiáque redundans meliùs à natura gubernetur, tandemque concoquatur, venam secare oportet; ita vt potiùs corpus, media euacuatione, incalescat, quam refrigeretur, cum euacuatio substantiæ frigidæ, qualis est pituita, caloris causa ex accidenti, quemadmodum calidæ ablatio frigiditatis est. Parca tamen, satisque moderata euacuatio solum pro naturæ leuamine à tanto onere, ne spirituosa substantia facile labatur, est exercenda.

232. Ad primam rationem responsum præbetur dicendo, quod prima propositio est falsa: nam discedere, vel non discedere à sanguinis natura non diuersificat, sed modificat sanguinis missionem, cum ratio mittendi sanguinem, primò à morbo magno, & à virium robore, secundo à massa sanguinaria in quanto, vel in motu peccante, ita vt absque eo quod sanguis quartus humor valde superabundet, si tamen omnium humorum immodica copia ita excesserit, vt caloris extinctio immineat, venæ sectio sit efficienda, vel si ob immodicam humorum copiam aut motum simul ab ea pendentem natura sit valde grauata, cum morbi magnitudine de venæ sectione est decernendum. Verum verò est, quod in morbis acutis, quia à sanguine vel ab humore ab eo parum recedente, vt est pituita dulcis, quæ lethargum generat, dummodo ista exiguam putredinem concipiat, sanguis largius, quam in aliis affectibus extrahendus sit. Præterea animaduertendum expedit, quod in affectibus aliquando sanguis causa principalis est; aliquando verò non; sed causa sine qua non, id est, impediens, si non extrahatur, vt regularis curatio fiat. Quare quamuis lethargus à pituita oriatur, quia tamen ista electione medicamenti purgantis, nisi inscindatur, attenuetur, & fluxibilior reddatur, educi non potest, & ad tale munus adimplendum requiritur vasorum peruietas, ac humorum fluxibilitas, quæ consequi non valet Medicus, nisi sanguinis missio præcedat. Proinde quamuis more scholastico rigoroso sanguinis missio immediate, & per se propter indicans specificum à quanto, vel à motu pendens, quod vitium sanguinis appellatur, debeat fieri; lato tamen modo, quia sanguis cùm aliis humoribus in toto corpore existens multus est, caloremque natiuum opprimens, ac eductionem pituitæ lethargi causæ nominatæ impediens, antecedenter sanguinis missione est opus. Præterea respondeo, quod cum in lethargo somnus valde intensus sit, proindéque totus sanguis ad interna reuocetur, ex quo motu periculum suffocationis, & interitus caloris immineat, sanguinem mitti oportet, vt

Magister 4. *de ratione victus præcipu*, & Hipp. 6. *epidem comment*. 5. *text*. 5. sic ait: *vna cum calore in dormientibus, intus autem confugit calor, ac propterea, vt foras tuocetur calor, comp: tit venæ sectio, cum hæc à centro ad circunferentiam ducat humores.*

233. Secundæ rationi dico, quod quamuis sanguis ad calorem ventilandum mittatur, in lethargo quidem ratione febris ex putrefcente pituita ortæ, vt talis febrilis calor ventiletur extrahitur sanguis, eo quod multitudo aufertur. Et ob hanc rationem non est dicendum, corpus infrigidari morbosè, sed potius febrem temperari ad statum salubrem, & ex alia parte etiam modicè calefieri, cuius est ratio, quia tum propter euacuationem pituitæ, tum multitudinis grauantis, calor natiuus vegetior redditur, & quasi intensior, quia sublato infrigidante, media venæ sectione, vt est pituita,& humorum onus à quo natiuus calor obruebatur, & proximus extinctioni erat, melius vniuerso corpori, tum communicatur, tum omnes partes viuificat. sicque ex accidenti venæ sectione corpus calefit: atque per accidens etiam refrigeratur, quia febris maiori ventilatione inducta remittitur, quæ refrigeratio moderata, & proficua est, non vero veluti quæ in apoplexia à pituita orta euenit, cum in ea febris non reperiatur.

234. Ad tertiam rationem est asserendum, quod licet phlebotomia per se, ac directè,& electiuè cacochymiam non educat, tamen per accidens eam extrahit, cum ad sanguinis euacuationem putridi humoris eductio succedat, vt Galenus 11. *meth. cap*. 4. docet. Sicque etsi cacochymia per se purgationem, non vero sanguinis missionem indicet, quia saltim per accidens illa venæ sectione extrahitur, & existente in corpore multa plenitudine massæ, obstructis viis à materia pituitosa tenaci, crassa, & motui inobedienti, vt postea cacochymia radicitùs expurgetur, venæ sectio necessariò exercenda est. Præterquam quod in lethargo non tanta cacochymia intelligenda est, cum in principio virium robur sit, vt inde consentientibus illis solum ad obstructiones auferendas venæ sectio conferat, vt Magister 8. *meth. cap*. 4. iubet, etsi plenitudo non adsit. Nec si alleras sufficit; quod nec obstructiones, quia purgationem impediunt, nec caloris prohibita ventilatio, propter eandē causam obstant, ad hoc vt fiat sanguinis missio, & non purgatio, nam impedimenta remedij specifici non sunt indicantia specifica: ergo non possunt specificum remedium immutare: ergo si cacochymia, quæ adest indicat purgationem propter impedimenta dicta, non mutabitur in aliud indicans venæ sectionis, quale est vitium sanguinis in quanto, vel in motu. Soluitur instantia, si perpendas, quod cum in lethargo humorum multitudo in venis adsit, & motus illorum in cerebrum in maiori quantitate, tum propter debilitatem recipientis, tum propter in eo inflammationem factam immineat, proinde ad materiam ex toto corpore in cerebrum fluxuram repellendam, vt tales humores in contrarium trahantur, neque in cerebrum irruant, vena est secanda, sicque iam ratione quanti, & motus indicatio per se mittendi sanguinem adest. Vel video, vt dixi, nulla in corpore plenitudine reperta, quia cerebrum languoris, & caloris ratione à pituita putrescente valet infernam materiam ad se trahere, vt in vulneratis, contusisque euenire solet, absque vlla plenitudine, ob hanc rationem præcisè, ratione motus imminentis reuulsio media phlebotomia exequenda est. Sicque crudorum humorum copia in venis reperta, etsi quantitatem modificet, sanguinis missionem non impedit, vt Magister *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap*. 12. se fecisse refert: *in hoc quibus humorum crudorum copia inerat, nam paruulo sanguine detracto, protinus melicratum exhibeo.*

235. Alij equidem partim in lethargo sanguinis missionem, vt proficuam fatentur, partim vero ab illam respuunt. Si enim lethargus ab initio nascatur sanguis mitti debet; eò quod cum nulli alteri morbo succedat; si tamen alium morbum insequatur, venæ sectio non conuenit. Primæ partis ratio est, quia cum sanguinis missio virium robur exigat, propterea lethargus in principio cum non causa eas resoluens præcesserit, venæ sectionem valet sustinere. Secundæ verò partis ratio est, nam cum lethargus alium affectum, vt phrenitidem, vel febrem subsequitur, in quibus euacuationes venæ sectione præcesserè; atque inedia euenit, simulque maximi labores, tum ratione affectuum præcedentium, & præsentis, propterea viribus iam languidis existentibus, sanguinis missio nequaquam efficienda est, cum vnica spes salutis sit virium robur. Quod experientia patet, nam lethargus post phrenitidem eueniens potius ob vsu remediorum valde infrigidantium prouenit; sicque illo in casu, media sanguinis missione, maius virium dispendium, corporis morbosa refrigeratio, naturæ iactura,& tandem mors contingit. Quam assertionem antiquissimus Areteus, Trincabelius, Mercatus, Merenri lis, Olerius, Rondoletius, Pereda, Victorius, Benedictus, & Capiuacius amplectuntur: vnde stabilitur, quod incipiente lethargo siue pituita vna cum sanguine in capite, vel non, sed in reliquis corporis partibus redundet, quomodocunque sit, etiam sanguis mittendus est, tum quia egregiè ex capite reuulsio fit, tum quia vna cum sanguine pituita educitur; tum natura leuata potentius aduersus causam morbificam pugnat, ac victrix euadit. Si verò tantum cruda pituita, cudique humores lethargum gignant, & ipsa tam in cerebro, quàm in reliquis vasis totius dominetur, nullatenus sanguis est mittendus. Et probatur, nam ex Galeno *primo aphorismorum comment*. 21. & 4. *com*. 1. lethargus non terminatur à natura per fluxum sanguinis ex quocunque loco corporis idoneo sanguinis euacuationi: ergo neque medicus sanguinem educendo per locos magis conuenientes lethargum curabit. Cum per huiusmodi loca pituitam educere non oportcat. Deinde Auicenna *fen* 4. *can*. 1. inquit: *Caue ne sanguinis missione agrum ad vnam duarum rerum producas, aut ad calidorum humorum ebullitionem, aut ad frigidorum maiorem cruditatem, sed sanguis cum sit frenum vtriusque humoris, non est in vtriusque redundantia in tendens.*

236. Sed absolutè loquendo huiusmodi sententia sustinenda non est, crudus enim humor de facto sanguinis missionem non prohibet, sed quantita

quantitatem minoit, eum præ multitudine humorum, magnitudine morbi, & acutie consentientibus viribus sanguinis missio debeat fieri. Præterea quia venæ sectione non minus sanguis pro quarta sobstantia, quam cæteri humores educitur, cum ipse ex his omnibus aggregatus sit: ergo nec minus venæ sectione pituitosus humor educetur, cum ita æquè humor pituitosus cum reliquis aptus, vt fluat per venas sit, vt educatur: ergo sanguinis missio æquè omnes humores educet. Probatur vlterios; nam sanguinis missio obstructiones saltim secundario tollit, & præcipuè eas, quæ à multitudine pendent, tum etiam somnum profundum euocat; ergo tum obstructio, tum multitudo, tum somnus profundus, ac proinde lethargus media venæ sectione tolletur. Et si attente perpendas, quod Galenus 10. *meth.cap.2.* docet, de illo quod in propatulo est in hunc sensum deueniens, nam vbi ædificatores liberalius bibere desiderāt, in amphoris angustioribus orificij foramen aliud efficiunt, vt obstructioni mederi possint, sic pariter in multitudine humorum obstructionem generantium efficiendum est, ad quod sanguinis missio concurrit: ergo si sanguinis missio obstructioni medetur, ita somno, & lethargo auxiliabitur, quam doctrinam Auenzoar *cap. de apostemate phlegmatico duræ matris*, vbi sic fatur, roboratur: *tunc euacua ipsum cum modica phlebotomia, quia cito apparebit iuuamētum in phlebotomia.* Ex quibus verbis infertur, in frigido tumore à phlegmate producto tutò sanguinem, etsi modicè, mitti: ergo multo melius in lethargo, cum talis humor, non solùm in membranis, sed maximè in cerebri substantia existat. Falsum etiam est supponere, si sanguis in cerebro cum pituita commixtus sit, lethargum efficere, nam talis lethargus nequaquam esset, cum iste non ab humore permixto, sed tantum à pituita simplici fiat, aliàs non esset exquisitus lethargus, cum caliditas sanguinis pituitæ frigiditatem attemperaret; sicque intemperies frigida non, sed potius in frigido, & calido moderata resultaret; quare suppositio facta ex lethargo, qui à pituita cum sanguine permixta nascitur, vt possimus tutò sanguinem mittere, à veriori doctrina discedit. Ad aliam rationem respondetur, quod etsi non frequenter, aliquando tamen lethargum per sanguinis fluxum sanari, non implicat: nam cum illius causa crassa sit, vt ora vasorum aperiantur, impedit, ac stimulum facultatis expultricis ad quod noxium est, expellendum deficit. Et ideò asserendum est, conuenientiorem locum esse, pituitam in venis repertam, per easdem educere, quemadmodum quæ in ventriculo continentur, per os, aut secessum euacuare. Quare veluti pituita lethargum efficiens, quæ iam extra vasa residet, potius per proprios locos, vt per nasum, & palatum medijs herrinis, & apophlegmatismis est educenda, ita quæ intra venas continetur, per earum dissectionem euacuanda est; Nec locus Auicennæ præscriptus in præsenti vrget, nam media sanguinis missione, cum in exuperanti quantitate fit, certum, pituitam crudiorem reddi, calorémque natiuum remitti, & corpus infrigidari, est; at vero si euacuationis quantitas modica fuerit in principio, tantum abest, quod hæc eueniant, quin imò, vt supra dixi, ablata humorum sarcina, natiuus calor vegetior reddatur, corpus viuidius incalescat, & pituita, non solùm, non incrudetur, verum aptior coctioni reddatur.

237. Nec asserere in lethargo, qui alios morbos insequitur, semper vires languidas esse, ne medicus sanguinem mittat, est verum, nec perpetuum, quoniam ex transmissione per metathesim ex genere venoso in cerebrum materiæ pituitosæ, etiamsi febris, vel phreneitis antecedat, lethargus potest euenire, sed in illo casu absque eo quod magnæ euacuationes sanguinis antecesserint, potest accidere, & absque eo quod vires languidæ fuerint: ergo in illo casu, quamuis lethargus aliis morbis succedat, non est reipuenda sanguinis missio; imò ne talis transmissio, siue fluxio humorum in cerebrum augescat, venæ sectio est necessaria, & præsertim quia antecedenter euacuationes necessariæ non fuerant factæ, alias non ita ille motus tam deprauatus in cerebrum vergeret; quod si post phrenitidem vi laboris, quem natura patitur, eo quod vigiliæ sunt immodicæ; ac proinde ingens virtutum dissipatio, ac euacuationes satis magnæ exercitæ, tandémque ob immodicam remediorum frigiditatem in cerebro inductam lethargus succedat, nihil mirum viribus deiectis sanguinis missionem obnegandam esse. Primò quià etsi indicans adesset, consentiens, vt est virium robur deest. Secundo quia si non ratione multitudinis sed frigiditatis causa, cerebrum infrigidatum, densatum, valdéque sopitum est redditum, illo in casu potius medicus, qui sanguinis missionem decerneret, lethargicus, aut phreniticus nuncuparetur.

238. Concludendum igitur est, quod in lethargo, siue incipiens sit, aut alios affectus subsequatur, dummodo vires adsint, aut à sola pituita oriatur, aut à mixta (qui non verus lethargus nuncupatur) sanguinis missione vti oportet, nam à magnitudine morbi, à causa materiali multa, aut intempestiuè mota pendenti, venæ sectio indicatur, & à viribus validis toleratur: ergo cum hæc in lethargo reperiantur, necessariò vena est secanda, reliqua verò quæ coindicant, vel correpugnant absolutè ipsum indicatum non impediunt, sed indicati quantitatem minuunt, vt regio, anni tempus, ætas. sexus, habitus, & humorum crudorum multitudo, de quibus Magister, dum in textu alloquitur, ita intelligendus est.

239. Ob plorimas quidem causas sanguis in lethargo mitti debet, aliquando enim, vt materia vitiosa euacuetur: nam, vt supra dixi, vnà cum sanguine pituitosus humor, lethargum generans, educitur, cum huiusmodi euacuatio indifferens, ac promiscua sit. Præterea quia vaporum, ac humorum eleuatio, & ascensus ad superna prohibetur. Vlterius vt deriuatio talis materiæ fiat; sicque venæ proximæ inanitæ, partésque auaræ in transmittendo in cerebrum redduntur; proinde etiam translatio impeditur. Nec minus sanguis euacuatur, vt natura ab onere leuata, reliquum quod residet, euincat, vt Magister 13. *meth. cap.* 11. satis docet. Vltimò vt febris maiori ventilatione inducta temperetur, ac velocius calore in corporis partes communicato, illæ calidiores, ac viuidiores reddantur.

240. Nec defuere qui in lethargo curando parum referre dicant, quòd medicus animaduer-

tat,an

tat, an ex hac, an ex illa vena sanguis extrahatur, nam vndique sangois profluit: ergo si iste euacuandus est, vndique rectè ducetur, ac proinde parum scientificum, hanc vel illam venam eligere, erit. Hoc tamen valde à veritate discedit, quoniam si medicus sine peculiari vasorum distinctione sanguinem mitteret, aliquando illom ex parte ad quam homor fluit, euacuaret; sicque affectus propter maiorem in affectam partem tractionem augesceret, & è contra aliqnando sangois ad partem ad quam ducendus non esset, moueretur, sicque potius mors, quam aliquod commodum eueniret, præterea quia Galenus *lib. de sanguin. missione*, tres ad hunc vsum locos designauit: ergo quia singularis locus in sanguine mittendo est perpendendus.

241. Ex doctrina igitur Magistri 13. *method.* in omnibus euacuationibus à reuulsione incipiendum est, mox deriuatione est opus, tandémque à parte affecta euacuandum expedit; quare cum in lethargi principio à capite reuellendus humor, quisquis sit, indicet, quæ reuulsio qoam maximè à parte fluxione tentata sit; proinde si medicus primo cephalicam ante alias decerneret, prave ageret, nam ex tali euacuatione maiori cum impetu sanguis, aliique humores ad cerebrum mouerentur; sicque à parte affecta euacuatio nullatenus agenda est, nisi cum tota fluxa est materia in ipsam partem affectam: ergo cum in lethargi principio adhoc materia fluat, non ex cephalica (vt aliqui sentiunt) sanguinis missio est facienda. Vlterius confirmatur intentum, nam si corpore existente pleno pars affecta inaniretur media venæ sectione, ipsa vehementius præ imbecillitate, plenius humorem noxium, aptúmque ad fluxionem reciperet, languorque magis increscens tenaciorem affectum redderet.

242. Decernendum igitur sub distinctione est, perpendere enim originem morbi, vnde procedat, oportet, an videlicet menses, vel hæmorrhoides suppressi sint, siue aliqua consueta euacuatio suppressa, tunc enim vena in malleolis statim secanda est, quoniam humor ad locum ex quo fluit, hoc modo facile ducitur; sicque à parte fluxione tentata probe reuellitur, ac simul hæmorrhoides aperire oportet; postea verò si vniuersum corpus humoribus scateat, iecoraria vena, deinde media, tandémque cephalica est secanda; si vero corpus non ita sit, mediam, & vltimo cephalicam tundere sufficit. Præterea animaduertendum est, num tota materia iam fluxa sit, necne? si iam est recepta in parte affecta, cephalicam dissecare conuenit, præsertim si lethargus à phrenitide natus fuerit; quoniam humores noxij solum à parte laborante sunt extrahendi; si vero partim materia fluxa est, partimque alia fluxura imminet, euacuatio primo ex vena media, demum ex cephalica est agenda. Quod si vires ita deiectæ sint, vt prædictas euacuationes sustinere non possint, diuersis reuellentibus vti, tandémque cephalicam aperire propter acutiem, & vrgentiam affectus oportet. Aliquando etiam propter virium extremam iacturam cephalicæ apertio impedita valet esse, quo in casu materia tota, si fluxa iam fuerit, apertionem venæ frontis indicat, aut narium venæ mediis sanguisugis, aut pilis suis sunt soluendæ, & ita hirudinum opus est mirificum, vt si retro aures apponantur, eximium commodum subsequatur. Quare in regulari lethargi curatione reuulsio primo principatum in contrariam partem, id est, ad originem causæ, deriuatio ex vicina secundum; euacuatio tandem immediatè ex eadem parte dum tota materia fluxa, receptáque est in ea, habet; Quam doctrinam Magister *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem, cap.* 19. sic alloquens, lucidissime adaperuit: *Porro vt summatim dicam, incipientes phlegmonas reuulsione euacuare oportet, quæ vero inueterata iam sunt, ex ipsis, si fieri potest, affectis partibus, quod si nequeas, saltim ex vicinis, etenim in incipientibus auertere, quod influit, expediet, inueteratis autem ipsum tantum, quod affectæ parti infixum est euacuare; euacuabitur porro id optime per venas coniunctas, cum iis quæ in partibus ipsis sunt insitæ, huic rationi experientia quoque subscribit.*

Præter varia remedia reuellentia, deriuantia, & euacuantia ex parte affecta dicta, Zacutus Lusitanus in sua praxi historiarum peculiarem obseruationem conficit, in qua duo cauteria bene ignita pone aures applicata affectum lethargicum curatum fuisse testatur. In cuius confirmationem sic fatur: *Anglus quidam lethargo ita vehementer premebatur, vt sensibus veluti destitutus, in horas moriturus speraretur. Huic præter euacuationes vniuersales, clysteres acutos, glandes, acerrimas, sternutatoria, medicamina per palatum vacuantia, sinapismi in tota ferè capitis superficie excitati, sed citra leuamen vllum. Tandem cum hic contumax, aliquando sanetur, excitatis abscessibus retro aures, ad locum hunc naturam, & humores reuocare omni ingenio sum conatus, hirudines in ea parte affixa, cucurbitulæ scarificatæ admotæ, emplastra trahentia admota, facta ex theriaca, allius, capis, pipere, pyrethro, castoreo, euphorbio, cum aceto scillitico dissolutis, admixtéque decocto saluiæ, maioranæ, stæchados, pulegij, betonicæ, & oleo rutaceo, vulpino, & de castoreo emplastrum ex scilla bregmati admotum, sed cum is rueret in deterius cauteria duo benè ignita pone aures sunt inusta, ex quibus cum biduo ichores emanarent, expergefactus paulatim excreta per nares mucida pituita, in totum sanus euasit.* Quæ obseruatio digna exercitu est, nam tum medio calore ignis materia fusa, tenuiorque reddita, & ad extra euocata, tum etiam vi solutionis continui factæ, atque caloris in parte ignita inducti promptior, vt euacuaretur fuit facta; ac proinde natura superante morbus solutus fuit.

243. Libro similiter 1. *de praxi admiranda, obseru.* 16. se candenti ferramento crustas in vertice capitis excitasse, vnam videlicet in occipite inter primam & secundam vertebram, & circum circa mulus, doctissimus Zacutus inquit, ex quibus cum æger excitaretur, & ex parte vsta ichores effluerent, in mentem expergefactus rediuit, eò quod per multum tempus pituita liquata ignis calore inducto melius à natura valuit expelli, quo etiam auxilio aliquos caroticos curatos fuisse auctor asseuerat. Hanc etenim obseruationem Riuerius cum ex Zacuto extraxisset, collaudat. Ad huiusmodi autem affectionem lethargicam detruncandam castorei potum venerandus Trallianus *lib.* 1. *cap.* 14. maximè commonet, loco nimirum citato sic fatur: *at si affectus inueterascit, capillos adimito, vngitoque, tum caput in,*

quæ

Riuerius cum ex Zacuro extraxiſſet, collaudat. Ad huiuſmodi autem affectionem lethargicam detruncandam caſtorei potum venerandus Trallianus *lib. 1. cap. 14.* maxime commonet, loco nimirum citato, ſic fatur: *at ſi affectus inueteraſcit, capillos adimito, vngitoque, tum caput iis quæ exaſperare, ac vellere cutem poſſunt, vna cum caſtoreo, datoque ipſis potui caſtoreum præ omnibus: idque faciendum eſt, præſertim hora vna ante acceſſionem: etenim extenuat, & corpus, quod perfrixit, & prope eſt, vt emoriatur, recalefacit, fouetque; ego ſane noui multos lethargo victos, hoc ſolo remedio mortem euaſiſſe*, &c.

244. Quamquam aliis præſidiis lethargo auxiliari valeamus, nullo tamen promptius ſecurius, ac ſingulari quadam facultate, ſiue virtute, quam caſtoreo, quod diuerſa forma præſcribere poſſumus. Percelebris etenim virtus in affectibus frigidis ſoluendis ei ineſt, de cuius actiuitate, & vſu Archigenes integrum librum confecit. Cum igitur caſtoreum incidendi, extenuandique vim obtineat propria caliditate, ac ſiccitate, qua gaudet, affectus neruorum ex craſſa, & frigida materia genitos mirifice ſanat, flatus diſcutit, tormina ſoluit, ſingultui prodeſt, frigidis & humidis cerebri vitiis opitulatur, menſes prouocat, ſecundinas pellit, venenatæque qualitati opponitur, & vt inquit Trallianus, totum corpus extreme frigidum, ac prope emortuum, recalefacit, ac fouet. Concoctoriam demum facultatem habet, vt affectiones induratæ deuincantur, vt Galen. 3. *ſecundum loc. cap. 1. tit. de iis quæ Appollon.* ad auris dolorem conſcripſit. Quod *libro de theriaca ad Piſonem, cap. 9.* confirmat. Et tam intenſa virtus calefaciendi huius medicaminis eſt ex Magiſtro eodem loco citato, vt vim opij refringere poſſit, malitiam illius retundendo, atque effrenando. Quare diacaſtorium, id eſt, compoſitio à caſtoreo dicta, mirificas facultates ad lethargum, & affectus frigidos profligandos habet. Quam compoſitionem Nicolaus Præpoſterus, luminare maius, Vuecherius, & alij referunt. Et ita apud ſelectiores auctores huiuſmodi ſubſidium in laudes decantatum eſt, vt nullus qui probe ſentiat, eum negligat, vt ſunt Paulus *lib. 7. de caſtoreo* Aetius *tetra. 1. ſerm. 2. cap. 177.* Areteus *lib. 1. acut. 2.* Rondelet. *libr. de amphibiis, cap. vltim.* Muſa in examine teſticulor. caſtoris, Falopius, Maſaria, & alij quamplures.

245. Cum igitur Magiſter Galenus in textu de lethargo alloquens dixiſſet: *nam repellendus à capite humor eſt, quiſquis is fuerit.* Propterea in hoc affectu in principio principij ſolo oxyrrhodino ex aceto, & oleo roſaceo confecto eſt vtendum in augmento verò repellentia ſimul, & diſcutientia, in ſtatu ſola diſcutientia, & veluti in declinatione tantum reſoluentia conferunt in principio principij: etenim repellentia ſunt adhibenda, ſumpta prima tantum parte principij ad differentiam inter hoc tempus, & augmentum adducendam, vbi iam materia fluxa tum adeſt, tum in fluxu augeſcit. Magiſter verò 1. *ad Glaucon. cap. 15.* docet, quod in crudorum, ac frigidorum multitudine tepidis, in calidorum verò ſuccorum frigidis repellentibus eſt vtendum. Quare cum in hoc morbo materia frigida ſit, repellentia non ſunt frigida applicanda, ſed tepida ad maiorem refrigerationem, tum cerebri, & humoris prohibendam, quia tamen de parte capitis cui hæc ſubſidia apponi debeant, quo tempore, quibuſque facultatibus vigeant, ſatis *lib. 11. c. 17.* conſpicuum, ac reſolutum reliqui; ideo in præſenti prædicta, denuo dicenda omitto.

246. Nec minus vt proficuum pro lethargi curatione balneum Trallianus *lib. 1. cap. 1. in fin.* ſic alloquens amplectitur: *ego certe noui me quoſdam lethargo laborantes neque ſuſpicere præ multo ſopore potentes, neque hoc ipſum, quod lauarentur percipientes poſtquam à ſeptem diebus in balneum duxiſſem, magis ab eo excitatos inueniſſe, vt reſpicere, loqui, nonnulloſque e adſtantium agneſcere potuerint. Quare ſi vires robuſtæ appareant in balneo lauandum eſt; ſin imbecilliores, vt æger laſſitudinem, aut calorem balnei ferre nequeat, domi lauato, vaſe quodam aqua calida repleto, in quo æger collocetur, ita vt ſedeat, capite aquam excedente.*

247. Ex qua doctrina, & Tralliani experientia maxime in huiuſcemodi affectu balneum approbandum eſſe, infertur: nam cum concoctio inceperit, nihil obſtat lethargicos lauare, præſertim cum ſanguinis miſſio, purgatio, ac mediocris cerebri euacuatio præceſſerint; nam balneum reſpuere debemus, cum excrementorum copia dominatur, ſed quia rarò euenit, ex ſenſu Iacobi, & Auicennæ, quod iſta ex capite, & corpore ſufficienter euacuari valeat eo quod propter obliuionem, ſomnumque profundum, ac morbi remittentia humor in cerebri latebris reconditus cōmode nō poſſit educi, nā virtus ſenſifica conſopita medicamenti ſtimulum perſentire, nec naturalis de potentia in actum eum reducere valet, propterea balneum in morbi initio rarò adminiſtrari ſolet, vt recte Mercurialis *lib. 1. prax. cap. 17.* ait, ſuccos etenim crudos liquat, & extenuat, qui cum fuſi ſint frigidiorem, ac periculoſiorem affectum gignere ſolent. Si tamen morbo in declinatione exiſtente, calore iam tranſpirante, maiorique parte humoris morbifici diſcuſſa fiat, illo in caſu viribus alacrioribus factis, victaque amplius materia, maxime huic affectui proderit.

248. Vttamen rite, omnique methodica diſpoſitione hoc ſubſidio valeamus vti aliqua priùs ſupponenda ſunt neceſſario. Et primo quod lethargus non ita febrem intenſam adiunctam habeat, vt febrilis calor magis, quam materia morbifica indicet, cum febris magis noxia, quam calor remiſſus, qui ab humore pituitoſo ſolet ſuſcitari, ſit. Secundo eſt ſupponendum, Alexandrum Trallianum in præſcripta obſeruatione, balneum, facta (vt eſt dictum) euacuatione, tum per ſanguinis miſſionem, tum etiam per purgationem, etſi non in totum commode commonere. Quod etiam Gal. 3. *de ſanit. tuend. cap. 112. & 3. Aphoriſm. ac 3. de ratione vict. comment. 62. firmat.* 3. ex Tralliano animaduertendum eſt, quod iam morbo declinato, illiuſque cauſa ex toto digeſta, ac pene ad finem reducta balneum eſt exequendum, hoc enim remedio, ſe vſum fuiſſe poſt viginti duo dies ſuæ ægritudinis Trallianus inquit quod tempus non ſolum finis exacte peracutorum morborum, qualis eſt lethargus, ſed etiam peracutorum, & acutorum imò & chronicorum eſt.

Notandum quartò eſt, vires validas ad tale auxilium requiri, è contra verò, neutiquam, ſi enim hæ languidæ fuerint, nec balnei calorem æſtuantem, nec laborem diſpendij ſubſequendi ſuſtineri poterunt. Quin ò animaduertere oportet, an maiora, vehementioráque ſymptomata ægrum infeſtent, ſi enim hæc adſint, raro balneum adhibeatur, & cum iam morbus in declinatione eſt æger balneum ingrediatur. Quibus ita ſtabilitis ex Tralliani ſeſu, balneum mirifice prodeſt, cum hoc ſi quid morbifici humoris relictum manet, ad cutim ducat, atque à capite reuellat, concoquat ac vigiliam ſuſcitet; vt inde memoria, ac reliquæ virtutes rectrices feliciter operentur. Tandem Auctor præcipit, quod ſi æger ita debilis vt iter agere non poſſit, exiſtat, in tina domi vbi decumbit, iterum atque iterum aqua tamen tepida balneetur, ne immodica caliditate, illius vires in totum exoluantur, cæterum poſthac ad balneum ducatur, atque ad ſolitum locum. Hanc quidem doctrinam Aretæus *lib. 2. acut. 3. in fin.* Auicen. *13. tract. 4. cap. 5.* Aëtius *tetra. 1. ſerm. 2. cap. 3.* Fuchſius, Benedic. Vict. Fau. Saxonia *in paruo tomo*, Zacutus Luſitanus, Dominicus Maglioca, Pereda, & alii quamplurimi inſequuntur.

149. In hanc tamen aſſertionem inſurgunt aliqui hac ratione: nam raro corpus in lethargo ſufficienter purgari valet: ergo neutiquam illi balneum licet adhibere. Antecedens ſumitur ex eo, quod in lethargicis maxima obliuio, ſomnus profundus eſt, & cum materia craſſa, viſcida, & lenta ſit, non ita laxatiuis medicamentis cedit, ac tandem quia ſopita virtus opus medicamenti regulare non poteſt; ſicque purgatio completa, & radicalis in lethargo implicat; ac proinde etiam balnei vſus obſtabit.

150. Soluitur quidem hæc arguties, negando primum antecedens, videlicet, quod nunquam lethargici ſufficienter poſſunt purgari, aliàs nullus in ſalutem duceretur, & ad antecedentis probationem, tam obliuionem, quam ſomnum profundum adeſſe fateor, hæc tamen, etſi purgationes factas à leuibus medicamentis, non verò ab actiuioribus, & robuſtioribus impediunt. Quare etſi materia craſſa, & viſcida ſit, quæ non tam facile laxatiuis, bene tamen medicamentis eradicatiuis cedit, qualia ſunt ſcamoneum præparatum cum caſtoreo, & alia ſimilia, quod ſi virtus ſopita, & impotens opus medicamenti regulare ſit, vt ſupra iam dixi, non verò eſt debilis per eſſentiam quæ proprie inepta eſt ad medicamentum regulandum, ſed ſolum per aggrauationem tantum abeſt ad medicamentum contra indicandum, quin imò purgationem indicet. Propterea notandum expedit, quod facultas naturalis regulans, & actuans medicamentum, vt natura expellat, & medicamentum attrahat, ſopita non eſt, ſed ſolum animalis ſenſifica, cuius munus eſt ſentire ac mouere, & iſta etiam vi acredinis medicamenti ſuſcitatur, atque vt fiat debita purgatio ſtimulatur. Sed inſtabis, per balneum materia lethargum generans liquefit, humoreſque quieti fluxiles redduntur, ac proinde talis materia diffuſa dilatatur, ampliorque facta apoplexiam cerebri ventres obſtruendo gignere poteſt: ergo cum ex balneo maius incommodum, quam vtilitas immineat, ipſo vtendum non eſt. Cui reſpondeo quod etſi materia lethargi medio balneo attenuetur, ac liquetur, medio tamen ſudore, & euacuatione minuitur, ſicque non amplior, nec maior redditur, & licet humores quieti moueantur, ſimul motu educuntur per habitum corporis, ob quam rationem obſtructionem ventriculorum cerebri gigni, & apoplexiam imminere ex vſu balnei implicat. Sed vlterius inſtabis, quoniam ex actuali balnei calore, febrilis etiam & putredo augeſcit: ergo maior noxa quam vtilitas ex balneo continget. Reſpondetur, non quocunque tempore, ſed cum iam materia eſt in declinatione victa, ac putredo ceſſare incipit, balneo eſt vtendum, illo enim in caſu iam calor febris eſt in totum remiſſus, ac puſillus: nam cum coctio faciat ceſſare putredinem, & hac ceſſante febris ceſſet; proinde nullum inconueniens, vt dicta occaſione illo vtamur, ſequetur. Præterea dico, quod medio hoc ſubſidio portio materiæ tum in habitum euocatur, tum etiam euacuatur. proinde maior indicatio à materia, quàm contra indicatio ab affectu ſumitur, cum iſte per cauſæ euacuationem tollatur. Nec ſi Mercurialis ex Galeno 4. *de ſanitate tuenda* dicat, valet *balneum altos ſopores inducere*; ac proinde longum ſomnum lethargumque factum vehementiorem inducere.

151. Hæc enim ratio inanis eſt, nam hoc de balneo aquæ dulcis tantum, non verò de medicamentoſo, vel minerali intelligendum eſt, quo fit, vt nullus ſomnus, ſed potius vigilia inducatur, cum hęc omnia, vel actu, vel potentia calida & ſicca ſint, vel etiam dico, quod ſopores, & ſomnus augeſcunt, quando in ipſo balneo caput madefit; vt Galenus *1. de ſym. pt. cauſis, cap. 8. & de loc. affec. cap. 8.* inquit. At verò Alexander Trallianus ne caput in balneo profundetur præcipit, cum aſſerat: *ita vt ſedeat capite aquam excedente.* Quare hic auctor capitis lotionē in balneo valdè condemnat, eò quod ſomnum conciliat, è contra verò vigilias, vt ſupra dictum manet, ſi lotio per vniuerſum corpus fiat. Peractis igitur iam ſupra conditionibus præſcriptis balneum maxime artificiale ex aqua dulci, diuerſiſque herbis calidis paratum collaudatur, vt 2. aquæ calidæ, quod ſufficiat in qua bulliant fol. lauri, ſampſuci, origani, ſaluiæ ſtæcad. roris mar. lauend. chamepiri, chamedryos, pulegij, betonicæ, roſ. rub. quatuor anodinorum an. pug. iij. ſerpilli, calamenti, mentæ, mentaſtri, tragorigani, calami aromatici, vtriuſque galangæ, piperis, ac ſpicæ ad ℥ jß. ponantur omnia in lauacro, & æger ingrediatur. Tandēque pulmones ſuium capiti laborantis appoſiti appropietate valde proſunt, veluti ſanguis teſtudinis fronti illinitus mirabiliter lethargicis auxiliatur. Adducitur ab Arnaldo exemplar cuiuſdam lethargici, qui ſpatio ſeptem dierum reuocari non potuit, & poſtea duobus ſcarabeis ſub media cortice nucis collocatis ac occipiti raſo appoſitis, & aliis duobus in brachiorum muſculis ad partem anteriorem, demumque ſingulo in vnoquoque pede fortiter ligatis, hæc affectio veterna fuit fugata, nam cum ſub cortice ſcarabei adſtantes exitum quærant, mire vellicant, & aſſidua irritatione in vigiliam

ægrum

ægrum ducunt. Nec minus idem auctor suem quendam suspendentem ad lectuli caput admonendum præcipit, vt clamore horrisono, & tremendo grunitu infirmus reuocetur, vt se expertum fuisse asseuerat Auicenna *cap. 5. de cura subet*, contra soporosam affectionem sic alloquitur: *& ex cura est, vt ager audiat, & videat, res quæ, contristant ipsum; tristitia enim in huiusmodi ægritudinibus, in quibus debilitatur cogitatio, & extinguitur, est ex eis quæ commouent animam, & reducunt eam ad rectitudinem.* Quod de tristitia, quæ secum aliquod malum futurum coniunctum habet, intelligendum esse, Petrus Michaël de Heredia animaduertit ita vt Auicenna de malo futuro & objecto contristabili intelligatur, nam vt illud laborans fugiat, se sollicitum reddit, animamque huic fini applicat, vt perpensione damni imminentis modum euasionis, inquirat. Propterea Heredia Iacobum tristitiam pro ira vsurpandam judicantem taxat; eò quòd multo magis animus à malo imminenti, quàm ab alio objecto iracundiæ excitatur, etsi tamen objectum contristans futurum ad prædictum finem conducat, hoc tamen non tollit, quod ira, quæ ita est magnum animæ pathema media ebullitione, & feruore sanguinis juxta cor, quem exhibet, etiam animam à sopore reuocet, ac medio calore denuo, ac subito spirituum motu intensiori reddito, humores morbifici attenuentur ac in halitus melius digerantur. Sicque etsi pars sensus Herediæ in assignanda tristitia pro objecto contristabili futuro insequenda sit, non tamen assertio Iacobi respuenda, cum vtrumque ad soporem deuincendum juvare possit.



CAPVT XXII.

Indicationem à partibus sumptam tandem Galenus obseruandam commonet.

TEXTVS

Cæterum in præsenti eam quæ à partibus, &c.

252. CVm in antecedenti capite indicationem ab vsu, & actione partium affectarum Magister maximè perpendendam esse præcepisset, iam in præsenti illam, quæ à naturali dispositione, & structura partium valde obseruandam proponit, quemadmodum in his quæ caput constituunt liquet. Quamuis tamen Magister ait, quod etsi Medicus non in totum, saltem in promptu aliqua caput componentia necessario, vt medicamenta ritè adhibere possit, scire debet. Et ideò operæ pretium erit, aliqua ad caput pertinentia commonstrare.

253. Pars hominis suprema à Græcis cephalos nuncupatur, apud Latinos caput, quod est verum cerebri propugnaculum, & quamuis caput pars organica sit, cute, ossibus, membranis, cerebro, neruis, venis, arteriis, & pluribus aliis constans est: hoc non obstante caput est illa animalis particula, quæ super ceruicis primam vertebram situata adest, cuius figura rotunda, ac leuiter compressa est, qua figura propter capacitatem, ac externorum sensuum vim indiguit. Situm in loco sublimiori propter munus oculorum, qui omnia rectè in supremo loco constituti distinguere possint, obtinuit. Vniuersum tam muliebre, quàm virile caput in duas partes, incapillatam, & aliam sine capillis diuiditur, capillata etenim caluaria dicitur, cuius anterior pars sinciput; posterior verò occiput, veluti media tempora vocantur; pars verò sine capillis, facies, seu vultus, cuius pars superior, frons nominatur, veluti quæ à superciliis vsque ad collum prope remanet facies apud omnes dicitur.

254. In caluaria quidem primo capilli offeruntur, qui tum ad subiectarum partium tutelam, tum ad ornatum, tum ad fuliginosi excrementi expurgationem generantur. Secundò loco cuticula, cutis vera, & membrana carnosa adest. Tertiò pericranium dictum, vt ossa cranij cooperiat, quod quidem à dura meninge per suturas plura filamenta in caluariam distribuente originem trahit, quæ omnia filamenta in vnum conspirantia, & coëuntia hanc membranam efficiunt. Cerebrum verò munitum, & coopertum caluaria reperitur, vt externis iniuriis validè obsistat in caluaria ossa octo, sex propria, & duo communia, quæ mediis suturis distinguuntur, adsunt suturæ aliæ propriæ, aliæque communes sunt, propriæ ossa cranij à se inuicem secernunt, communes caluariam à maxilla separant, inter proprias aliæ sunt veræ, quæ more serræ dentatæ connectuntur, aliæ verò spuriæ, ac illegitimæ, quæ in formam squammarum agglutinantur: in capitis naturali figura tres suturæ veræ inueniuntur, prima coronalis, eo quod in dicta parte corona gestari soleat, hæc quidem in summum verticem transuersim tendit, secunda sagittalis, quæ in capitis longitudinem porrigitur, tertia propter figuram literæ lambdoides nuncupatur, & ab imo capitis sursum tendit.

255. Suturæ plurimis vsibus gaudent, primus etenim est, vt suturarum beneficio membrana dura cranio alligetur, & à compressione liberetur, quæ quidem cerebrum à cerebello, partesque dextras à sinistris distinguit. Secundus vt cerebrum, media suturarum raritate fuliginibus expurgatis, meliùs transpiret, tertius ne fractura vnius ossis alteri facilè communicetur, quartus vt medicamenti externi virtus altius permeare valeat vltimus tandem suturarum vsus, vt caluariæ capacitas amplior reddatur, deseruit.

256. Quibus præhabitis inquit Magister quod vt medicamentis bene capiti applicandis vtamur, saltim scire oportet nobis ante oculos offerri crassam membranam ante cerebrū collocatum, quæ externis coriis assimilatur, illamque pericranium Gal. vocat, & post illam cranium dictum existit, quare virtus medicamentorū quę in corporibus dēsis ac duris imponūtur, necessariò resoluetur, nisi suturas in dicto capitis osse natura fabrefecisset,

fecisset, eo quod medicamen vllum extrinsecùs appositum nihil effatu dignum ageret. Quia tamen suturæ & præcipuè in his coronaria, non solom qualitates medicamenti, verùm etiam substantiam, si hæc tenuis sit, facile initio recipit, ac transmittit, propterea plurimi cerebri affectus à virtute medicamentorum extrinsecus adhibitorum curantur. Ipse etenim Magister in se ipso expertum fuisse asseuerat, nam cum rosaceum frigidum supra ipsius caput infunderetur, citissimè, ac manifestissimè in sincipitis loco medicaminis penetrationem persensit diuersitatemque suturarum inter se se, quas suprà diximus, etiam ante dissectionem Magister confirmat, nam in his quibus caput est rasum, inter mandendum manifestus motus in sutura coronali cōmissionis ossium videtur, ita vt facile illis hominibus laxa huiusmodi ossium capitis compositio appareret.

TEXTVS.

Merito igitur ad hanc maxime partem, &c.

257. MEritò igitur Magister pharmaca infundenda esse super dictam capitis partem iubet, nam præter dictam soturarum structuram, cranium etiam hoc in loco tenuissimum, ac rarissimum est, sicque auidissime, ac facillime medicamentum permeare valet: vnde vt vehementer illius virtus descendat, hoc præcipue loco est imponendum, ad quod commodius, frictiones præcedere, abrasósqoe capillos esse oportet, agendum, quod si humidum actu est, quod applicari est opus, si hoc ab alto infundatur, vt fiunt embrocationes, ac veluti fontis aquæ deorsum labatur, medio ictu liquoris descendentis, impulsúque maiori feriente, maior in cerebrum intromissio agetur.

TEXTVS.

Sicut autem, &c.

258. DIscrimen non contemnendum inter affectus capitis, & oculorum, vt diuersimodè sobsidia adhibeamus Magister iam ostendit, inquit enim, quod quemadmodom ad capitis vitia vehementior liquoris auxiliantis casus ab alto confert, ita in oculorum affectionibus contraria ratio militat, quoniam io capite ipsius os durum, renitensque quod feritur est, in oculis verò imbecilla, & membranosa corpora, præterea in capite pars quæ ictum excipit, valdè ab ea quæ sanatur differt, illa etenim cum non sentiat quia osseosa facultate, quæ ex incussò ad ipsum peruenit, fruitur, in oculis verò, eadem pars quæ ictum patitur, est curanda, sicque molestia ex tali modo remedia adhibendi non exigua eueniret, præterea quia capitis os omni sensu ex se caret, acerrimo verò oculus pollet, proinde subsidia quæ huic parti apponantur, primo superiorem genam blandissimè attollere, mox minimè oportet, vlterius succi neutiquam acredine præditi, qui cū aliis medicamētis sūt infundendi, eligendi sunt. Magna igitur cum ratione veteres ad huiusmodi vsum humorem oui, albumen etenim illius eligendo inquam ex eo, quod mordacitate caret, ac glutinosom est, laudant: nam ex eo, quod non mordicet, dolorem non auget, sed potiùs indicationem dictam adimplere valeat, & ex lentore doloris mitigatio eueniet, nam ex natura talis substantiæ medicamenti asperitates, quæ ex acri floxione oriuntur, leniri possunt. Ad quod non minus iuuat, quod succus mediocriter crassus, ac lentus firmius quam tenuis, & aquosus in loco affecto, vt virtus medicamentosa felicius operetur, permaneat. Omne enim quod sine morsu lentum est, cum modicè incalescat, dolorem valde lenit, ac mitescere facit, quod Magistet ex deijectionibus aluum mordicantibus confirmat, in quibus si seuum iniicitur illico dolorem compescit, & qood permanentia remedij dicti in particula laborante valdè conferat, ex molestia quæ accidit, dum per clysterem assiduè in vitiis alui remedia infunduntur, & ex continuo motu genam attollendi in affectionibus oculorum, Gal. ostendit. Exquisitus deinde partis patientis sensus medicamentum iniiciendum maximè læue, & minime asperum, nec sabulosum fore indicat, proinde humidum oui commode vtendum præcipit; tum etiam quod illa quæ corpora terrea sont, ac medicamentis oculis idoneis permiscenda, summa cum cura ad vnguem leuigare oporteat.

TEXTVS.

Quoties tamen dolores, &c.

259. VBi verò vehementes dolores oculos infestant, quali affecta in phlegmone laborent, inquirere oportet, quoniam vel ex vehementi morsu humoris confluentis, aut quia illorum tunicæ plenitudine sunt distentæ, vel propter tensionem à crassis humoribus, siue flatuoso spiritu pendentem prędicti dolores oriuntur; morsus enim tum purgatione, deorsumque reuulsione atque euacuatione facta curari debet, tandemque ipsi laboranti particulæ succus oui supradictus, vt acris fluxio sine vlla læsione eluatur, infundendus est, quando tamen iam ipsa phlegmone concocta, corpusque euacuatum extiterit, lauationes per balneum valdè prosunt, dolorem enim statim sedant, & fluxionem in oculos vergentem compescunt, maxima etenim eius parte inter lauandum per totum corpus excreta, reliquo verò diluto. Distensio verò quæ ex partis repletione nascitur, sāguinismissione, alui dejectione, ac inferiorum partium frictione soluēda est, quod si aliquando affectus vrgeat, artus sunt ligandi, & mox fomētum, ex aqua dulci tepida ipsi parti dolorificæ est adhibendum, extensiones demum ex crasso humore, aut spiritu flatuoso prouenientes, vacuato antecedenter in his vniuerso corpore: humorúmque motu deorsom tracto, curantur, vt deinde localibus medicamentis, non quidem repercutientibus, ac constringentibus,

sed

sed potius euocantibus, ac resoluentibus debitè possimus vti, decoctum igitur fœnugræci infusum mirificè opitulatur, dummodo fœnugræcum, ne aliquid illi,vel puluis, vel sabuli adhæreat, prius lotum fuerit, hoc etenim medicamentum inter omnia, quæ oculis adhibentur, sine offensa maximè digerit, præceptum vlterius satis commune pluries dictum. Magister commonet, digerentia scilicet medicamenta, si alicui parti, non corporis redundantia sublata, sed permanente, applicentur, potiusquam inanire siue euacuare, partem replere,sicque vt tuto auxiliis euaporantibus vtamur, prius totum purgatum corpus præcedere oportet. Animaduertit etiam magister, quod aliquando in phlegmonosa dispositione, totum corpus mediocrem habitum, tum in humorum qualitate, tum in modo potest habere, & vna, aut duæ partes supra positæ suam propriam, ac vitiosam redundantiam ad affectam transferre valent, vt sæpè sæpius in oculorum affectionibus, capite ad eos fluxionem transmittente, contingere solet, sicque in iis prius caput, cognito affectu, quem generatio excrementorum comitatur, est sanandum. Propterea fluxiones oculorum inueteratæ oculis despectis, sine dimissis, propter capitis curationem, à quo tanquam à parte mittente oriuntur,curantur. Vnde si capitis vitium ab intemperie ortum ducat, curationem per contraria adhibendam postulat, multoties etenim vel frigida intemperies, val humida, vel vtraque simul caput afficit, rarius verò propter calorem acrem intemperantiæ oculis fluxionem mittunt, & in his nequiquam medicamenta ex thapsia, & sinapi confecta conueniunt, imò contraria, vt oleum crudum & hispanum, & rosaceum, tum etiam frequens in balneo ex aqua dulci lotio prodest, & aliquando ipsum cerebrum fluxionē transmittit,quo in casu intēperies totius capitis epithematis emendari debet,aliquando ex vasorum vitio prouenit,cum aut venæ,aut arteriæ languidæ existunt; proinde tunc vt aliorum vasorum supernacua recipiant, aliqua vasorum pars debet excindi, aut tota altè præscindenda est,itavt dura cicatrice inducta fluxio intercipiatur, vt tandem dictæ vasis partes in totum disiunctæ, continuitatem in perpetuum deperdant, ac ex vna in alteram partem confluxio prohibeatur. Cum verò vitium potius vasorum quæ in profundo capitis sunt, & ex parte superiore ad oculos vna cum neruis accedunt, adest, nihil ex dictis est agendum, proinde huiusmodi fluxiones malè curantur, vasa tamen quæ extrinsecus adsunt, hæc sine chirurgia, illitis medicamentis robur inducentibus, roboranda sunt. Quando tandem sangnis calidus ac vaporosus caput irruit, ac in arteriis maximè redundat, inter omnia subsidium saluberrimum, ipsam arteriam incidere, excogitatur. Raso autem capire diligenter tangere oportet, tum quæ retro, tum secundùm vtramque aurem arteriæ sunt,& præcipuè quæ in fronte, & in temporibus inueniuntur, & illæ quæ calidiores appareant, maiorique cum pulsu sunt inscindendæ,quæcunque vero paruæ, & propè cutem reperiuntur, has veluti in varicibus curam agimus, excidere aptius erit & statim ac arteria excisa est reliquæ illius partes ad alias sibi continuas retrahuntur,quod potissimum in paruis arteriis minorique pulsu gaudentibus accidit quod si magnum Vas magnúmque obtinens pulsum interuadare oporteat, securius vinculo quodam prius excipiendum est, vt mox quod in medio est secetur, vinculum autem nequaquam ex materia putrescibili debet constare,sed è contra cuiusmodi est chordarum gracilium, quæ enim facilè putrescunt, citò à vasis decidunt, & postquam iam caro in vacuitate genita est, quod vinculum decidat desiderandum est, nam caro, quæ in partibus vasorum abscissis coalescit, iam pro vinculo subseruit, & eorum osculum præcludit, & cum hoc iam actum apparet; quod vincula decidant, securitatem non auferunt. At vero quando venarum aliqua pars excidenda est, non ita vinculo imputrescibili dicto est opus, sed quodlibet aliud sufficiet, eo quod in arteriis motus assiduus ora arteriæ disiectæ facilè resoluit, quia vero venæ illo carent, postquam teclusæ, siue per ligaturam constrictæ, siue medicamento adstrictæ iam sunt, circum positam carnem circa coalescere consentiunt, præcipuè si totum corpus euacuatum sit, ac pars quieta siue immota seruetur, quo quidem exemplo ait Magister Varices curantur. Varix vena dilatata nuncupatur, quæ in testiculis, & cruribus dilatari solet. Sermonem autem de varicibus nunc Gal. differt.

Aliqua pro textus expositione proponenda offeruntur.

160. Licet in huius capitis initio desumpta indicatione à partis compositione, structura videlicet capitis, Magister medicamenta quomodo, cuique capitis parti sint adhibenda doceat, ita vt oxyrrhodina in futuram coronalem, aliquando per infusionem quandoque per embrocationem ab alto apponi debeant, tamen quia in superioribus satis hæc adaperta manent, proinde operæ pretium ea iterum non transcribere erit. Sicque ad alia textui satis genuina me confero. Cum igitur Magister in textu quonam affectu in phlegmone oculi laborent, inquirendum esse asserat,ac tres differentias causarum, præ quibus oculi dolore possunt affici exponat, vel etenim quia vasa sunt valdè distenta, vel quia morsus humoris confluentis est vehemens, vel tandem quia ab spiritu flatulento, vel humore crasso distensiones nascuntur, propterea dubitandum occurrit an his affectibus, siue omni oculorum inflammationi, aut ophthalmiæ cuilibet,sanguinis missio confecat necne?

161. Plurimi inter Græcos sanguinis missionem despicientes multoties purgationem pro dicto affectu soluendo decreuere, sic Hipp.*6.aphor.17.* alloquens præcipit: *Lippientem corripi alui profluuio, bonum*, & Magister *in præsenti libro,cap.11.* à nobis exposito inflammationes oculorum purgatione per aluum persanasse iactatur, ex his tamen renuendam esse sanguinis missionem non infertur, Hipp.enim venæ sectionem non prohibet, sed post hanc exercitam alui profluuium supernenire approbat: qoia partim antecedens, partimque causa coniuncta euacuatur, & licet Magister ophthalmiam se curasse purgatione asserat hoc potius, casu quo nulla corporis plenitudo vniuersalis nec particularis esset, sed singu-

lari tantum cacochymia existente, cum nullum inconueniens Magister ex pharmaco præuidisset, egit; propterea purgationem exercuit hoc tamen non tollit quod sanguinis missio perpetuo, ita vt etiam in illo casu conueniat, nam quamuis sola cacochymia adsit, tamen quia vi caloris & doloris fluxionis motus ad partẽ affectam imminet, ac proinde ex dicta attractione particularis plenitudo in propinquo sit, iam reuulsio fluentis, & fluxuri humoris, ac plenitudinis præcautio media sanguinis missione exequenda est: nam præcipua indicatio reuellendi, doloremque sedandi adest, quæ indicationes cum morbi magnitudine associatæ valde vrgent, proinde si oculorum inflammatio magna est, semper, etiamsi à flatu nascatur, vena est tundenda. Nam etiam Magister 4. *meth.* 6. *&* 4. *acutor.* 19. in doloribus ab externa causa natis, vt ictu, percussione, casu ab alto & aliis, etsi plenitudinis signa non adsint, ad partem ab inflammatione præcauendum reuulsionis gratia venæ sectionem imperat vt supra est dictum.

261. Iam celebre ac mirandum subsidium sanguinis missio est, vt in arte, media illa monstra, quemadmodum in natura euenire possint. Pro quo testimonio Doctissimus Zacutus quandam memoratu dignam obseruationem sic alloquens refert. Autor autem quendam Monachum gracilem, & excarnem, ætate 45. annorum vidit, qui in victu, vt reliqui in communitatibus solent, sobrius & abstinens erat, quo non obstante victu, singulis mensibus oculorum inflammatione ita immani, doloreque vehementi torquebatur, vt absque medici, aut chirurgi accessu, sibi ipsi venam eodem die, humorariam, aut nigram tunderet, ac digito scissioni imposito, semel, ac pluries sanguinem fluere permitteret, vsque quo dolor, tumor ruborque fugarentur, & adeo sęuus dolor aliquando ex copia feruentissimi ac mordicantissimi sanguinis in oculos delapsi, laborantem cruciabat, vt spatio 14. horarum decies sanguinem extraheret, ita vt sæpe animi deliquio teneretur, & quamquam æger plurima auxilia, vt sunt fontanellæ, balnea, purgantia, clementia, ac hirudines venis hæmorrhoidalibus appositæ, expertus fuit, tamen nullo alio remedio, quam venæ sectione toties iterata se iuuari fassus est ex qua obseruatione mirificum commodum in ophthalmia in perpetuum tenendum esse ex venæ sectione infertur.

263. Nec minus Magister *de curandi ratione per sanguinis miss. cap.* 17. sanguinis missionem ad oculorum inflammationem detruncandam sic asserens, collaudat. *Itaque ego rogatus à diuite quopiam, vt rerum suarum œconomum inuiserem, cui cæcitatis periculum imminebat, magno dolore diebus iam viginti vexatũ, quem Medicus secta Erasistratea curabat, anxie semper venæ sectionem refugiens: vbi ergo laborante inspecto, eum iuuenem multi sanguinis cognouissem: ac oculos quidem nondum vlceratos habere, ceterum phlegmonem maximam, fluxionemque, tum in ambabus palpebris densitatem, atque in altera quasdam etiam asperitates, à quibus oborta caligine, ægrotus magis magisque dolebat, ac fluxione, phlegmoneque exacerbabantur, his inquam conspectis, cognitaque omni ratione curationis, qua Medicus ille vsus fuerat, prima protinus detractione tres sanguinis libras exhausit, deinde hora nona aliam: à quibus mirifice refectus, inunctus est postero die mollium collyriorum quopiam, cui admixtum erat quod vinum habet, illud sub palpebris facto specilli cuspide in summo medicamen impositum ferente id quidem manè faciebam, deinde ad horam tertiam, postea ad nonam, postquam inunctiones, sub occasum solis in balneum ductus est; postero die palpebris extra versis, inunctus est maiori copia collyrij illius quod vinum recipit, melli illo collyrio admixta, deinde ad vesperam lotus est; postridiè manè oculos aperuit, qui ante biduum illos ne aperire quidem præ fluxione, atque dolore potuerat, quæ res incantationi similis visa est. Porrò ex palpebris restabant extergenda laboranti, tum densitates illa tum asperitates: ceterum id fieri non poterat citra medicamentum mordax, atqui ferre illud neutiquam potuisset, nisi prius vacuatus foret, &c.*

264. Ex qua venerandi Magistri historia, quam necessaria ad oculorum morbos leuandos, sanguinis missio sit, poteris dedocere, vt demum contra sectatores Erasistrati non timide, sed valide in his morbis sanguinem extrahas; nam cum in prædicto ægro dolorifica inflammatione vexato, nondum oculos vlceratos habente, maxima fluxio, palpebrarum asperitas & oculorum caligo à nimia sanguinis multitudine totius corporis, vel alicuius oculorum partis nasceretur, copiosa sanguinis euacuatione maximè leuatus fuit; hoc enim subsidio oculi laborantes in superiori corporis parte collocati, & à maioribus venis, in quibus vberior sanguinis redundantia reperitur, quæ valdè distant, subito inaniuntur: si tamen euacuatio repetatur, (vt Magister egit) securissima reuulsio eueniet, quoniam euacuationes quo magis in numerum singulares iterentur, tanto efficacius agemus, vt Magister *libr. de curandi ratione per sanguinis miss. c.* 12. exponit.

265. In præscripta deinde historia Magister nondum vlcera in laborantis oculis adesse prænotauit, & meritò nam si vlcus inueniretur, sedata inflammatione æger in statum salubrem non accessisset, eo quod vlceris sanatio potiùs exiccantibus fiat, quæ inflammationem palpebrarum densitatem, crassitiem videlicet ac duritiem adaugere possunt, qua igitur vacuatione facta, simulque collyrio molli oculis imposito, vnà cum illo quod vinum habet, curatus fuit, collyrium etenim molle, seu humidum dicitur, medicamentum oblongum, rotundum, ex liquoribus, succis, seminibus, fructibus, & metallicis compositum quo antiqui ad fistulas in qualibet corporis parte factas, & ad narium affectus vti solebant, vt Magister 2. *de compositione medic. sec. gener. capit.* 19. Celsus *lib.* 5. *cap.* 8. *&* Oribas. 10. *collect.* 23. testantur collyrium verò siccum, medicamentum quod soliditatem ac firmitatem obtinet, nuncupatur, si verò aliquis humor cum eo adjiciatur iam molle, siue humidum appellatur, inter hæc quædam refrigerant, quædam humectant, excalefaciunt, exsiccant, obstupefaciunt, fluxionesque compescunt, ac sistunt in casu quidem posito Magistrum, collyrio ad inflammationem extinguendam, materiam fluxam absumendam, humoresque fluentes reprimendos idoneo vsum fuisse nemini dubium erit, de quo ipse *lib.* 4. *de compositione medicament. sec. loc. cap.* 7. satis egit. Componitur enim ex Tragacantho, spodio, Amylo, cerusa, &

opio

opio torrefacto & vt palpebrarum asperitas tolleretur, collyrium quod vinum continet, cum alio dicto cõmiscet absque eo quod vini caliditas lædere possit, cum iam maiori ex parte inflammatio esset sedata, & quia simul cum aliis refrigerantibus temperatur, sicque vt humor oculis impactus resolueretur, corpore iam venæ sectione euacuato prædicto vini collyrio alteri addito vti oportuit.

266. Postquam iam inflammatio & dolor sedati fuere, ac humorum fluxio cohibita, ad palpebrarum densitates, ac asperitates detergendas Magister peruenit; quia tamen ad hoc adimplendum mordacia medicamenta conferunt, ex quibus denuò dolor, fluxio, & alia accidentia euenire possunt, propterea priùs pharmacum ad residuum humorem cacohymum expurgandum antequam dicta localia apponerentur, necessarium fore præuidit alias corpore non ritè expurgato debent reuui vt ipse Magister in nostro textu commonet.

267. An verò inferiores, superioresve in ophthalmia soluendæ venæ secandæ sint inquires? Circa quam difficultatẽ etsi Rhasis in affectibus supra iugulum humerariam secandam imperat, ac Serapio, & Auicen. in ophthalmia cephalicam scindant, eo quod ex hac vena missio sanguinis citissime succurrit, hoc tamen absolute non est decernendum, sed potiùs an necessitas vehementissime vrgeat, vel totum corpus exquisitissimè vacuatum sit scire oportet; nam si cephalica, priusquã basilica, aut communis dissecetur, potiùs affectus denuo inualescet, cum ex toto corpore pleno existente maior fluxio per dictam euacuationem particularem, in partem affectam irruat, si tamen ita vrgeat affectus vt maiori vi ingentissimi doloris, incommoda possint sequi, vrgentiori illo in casu succurrendum expedit. Quare tutius erit, quando affectus ex humorum confluxu, plenitudine adiuncta nascitur, venam communem aperire, nam licet cephalica maiorem consensum cum capite, quam communis habeat, quia tamen curationis ordo, vt ante partis affectæ curationem fluxioni auxiliemur, exigit, & cum fluxionem plenitudo exhibeat, proinde hanc prius secta communi aut basilica deponere, quam secta cephalica partem affectam inanire oportet: affectus enim ex fluxu pendens, priùs fluxionem illiusque causam, quam quod pars euacuetur, indicat & quamquam aperta cephalica successione ad id quod euacuatur, etiam totum corpus (si larga euacuatio fiat) inaniret, vt Gal. 1. *acut.* 10. quia tamen præ his copiosis euacuationibus vires valdè languescunt, quæ eas sustinere non possunt, & quia plenitudo totius corporis ex dicta vena in exigua quantitate demitur: proinde tutius à communi, aut basilicæ vena contundendis incipere in ophthalmia oportet vt Auicenna 1. 3. *tract.* 1. *cap.* 19. & Mesue *cap. de vertigine* asseuerant. Quod si plenitudo tantum in partibus affectis, & vicinis, non verò in toto corpore adest, aut acuties affectus cum symptomatum vehementia vrget, ita vt celerrimam auxilij opem expostulet, illo quidem casu tuta, & cita curatio agetur, si à parte laborante, ac viciniori loco vacuatio exerceatur; nam quæ *celeritatem desiderant, celeriter peragere oportet*, vt Hipp. 1. *acut.* 8. quod in suffocante angina, acutissima apoplexia, aut alio simili affectu obseruandum est alias maxime nocuum intempestiue cephalicam secare esset, nam cerebro, atque oculis insigne aliquando detrimentum adfert eo quod cerebrum vtpote molle, friabile, exsangue, & maxime, cum spirituum animalium ope ad agendum indigeat, penuriam sanguinis extracti amplius persentit, sicque propter spirituum citissimam resolutionem qualibet euacuatione facta illicò fatiscit, & præcipuè cum ex cephalica spirituosior illius sanguis extrahatur. Non ergo immeritò Hipp. 6. *epid. sect.* 6. 18. ad fluxus sanguinis è naribus debitam tolerantiam, firmum caput requiri, ait. Maxima ergo ex Vallesij doctrina præmeditatione cephalica est tundenda, plures enim ex eius intempestiua dissectione, ægri obcæcati extitere, præsertim debiles, in quibus non ita sanguinis copia dominatur; è contra verò vbi redundat, prædicta sectio viuaciorem visum, quam hebetem reddit, vt Magister Galen. *lib. de curandi rat. per sang. miss. cap.* 7. docet dummodo plenitudine existente in toto corpore non fiat, priùs enim illo in casu communis, & basilica est ferienda, etsi aliqua vacuatio assueta per vterum aut hæmorrhoidas suppressa fuerit, si affectus vrgentia permittat, sanguis ex talo tutius extrahetur, sæpe enim licet locus distantior appareat, valde commodior erit, quia semper ad originem & originis principium, consentiente affectus clementia, est deueniendum.

268. Postquam igitur vniuersum corpus sufficienter euacuatum est, mox cerebrum media cephalica dissecta, deinde venis nasi, frontis, sub lingua, ac oculorum angulis, vt commodius quod in ipsis oculis infixum est, expiret, cucurbitulæ scapulis, dorso, ac ipsi ceruici affixæ, & scarificatæ citissimum leuamen oculis conferunt.

269. Frequentius etenim scaturigo plurium morborum ab hepate, inter quos oculorum affectus sunt, nascitur: nam cum oculi in superna parte situati sint, à visceribus inferioribus facilè fuligines absorbent, sicque auxilium pro dolore compescendo, quod fluxionem sistat, reuellat, euacuet, ac hepar, quod origo causæ nuncupatur, refrigeret, atque temperet, est necessarium, & quamuis plurima ab autoribus, huic fini præscribantur, nullum præstantius apud plurimos quam ex saluatella sanguinem mittere pro soluenda in dicto casu ophthalmia, militabit vt Holl. 1. *de morbis internis, cap.* 35. Mercatus 4. *de morbis internis, cap.* 1. Vega 3. *art. med. sect.* 8. *cap.* 3. & alij magna cum vtilitate in iecoris affectibus sanguinem ex dicta vena extrahendum sentiunt. Vnde in oculorum morbis qui à partium interiorum squallore, ac viscerum intemperie calida nascuntur, ac fouentur, proficuum subsidium adest plurimi nimirum qui cæcitatis periculo tenebantur, in sanitatem ex Zacuti experimento euasere.

270. Prædicta tamen sectio in fine morbi, dum iam plenitudo adempta fuerit, est exequenda, quoniam exiguo humori, qui intus restat, vacuatio exigua in partem distantem mirifice iuuat; ex hac enim vacuatione visceris virtus ad expellendum excitatur, iecoris calor ventilatur, internæque partes refrigerantur, & cum media

saluatellæ

saluatellæ sciſſione vitus minus, quam aliarum ſectione langueſcant, propterea virium imbecillitate exiſtente, vel quando aliæ venæ natura ſua ſupramodum ſunt celatæ, vel quando præ multis ſectionibus antecedentibus cubitus ad vlteriorem euacuationem ſuſtinendam ſubſeruire non valet, ſaluatellam tundere, opus eſt, tunc quidem tempeſtiue hoc auxilium factum valde prodeſſe ſolet, & quamuis propter reuulſionem quæ ex dicta euacuatione ſequitur, non exigua vtilitas oriatur, præcipua tamen cauſa naturalis cognatio, quam cum hepate ſaluatella habet, adeſt; neque talis cognatio miranda, plurimus enim in noſtri corporis partibus conſenſus eluceſcit, qualis eſt labij inferioris ad diaphragma: nam illo pertacto, aut plantis pedum ſuauiter titillatis ſolcitatur ridendi voluptas, quod cum pedum cutis tenuis non ſit, ad tenuitatem partium referri non poteſt; ita etiam ex ſaluatella dextra ad hepar, veluti ex ſiniſtra ad lienem conſenſus deprehenditur, affecto enim hepate ſæpe manus dextera, quemadmodum liene laborante, ſiniſtra afficitur proinde ex Manus ſtructura hepatis diſpoſitionem Auic. 4. 3. *tract.* 2. *cap.* 3. *&* 30. *&* 2. 1. *doct.* 1. *ſum. tract.* 1. *cap.* 20. & Rhaſis 17. *com. cap.* 1. *&* 2. percipi aſſeuerant quapropter ſaluatellæ diſſectio propter conſenſum ac naturalem ſympathiam, quam cum iecore, & liene habet, in affectibus eorum ab intemperie calida pendentibus, maximum commodum inferre poteſt, proinde in oculorum inflammationibus, ac doloribus, à feruenti hepate orientibus mirabilem opem exhibere valet.

271. In quam doctrinam firmandam Zacutus peculiarem obſeruationem refert, ita vt quidam iuuenis plurium ſpatio menſium ophthalmia correptus, plurima cum auxilia expertus fuiſſet, vt ſunt euacuationes ſanguinis per diuerſa vaſa ritè celebratæ, cauterium in nucha, arteriæ in temporibus ter diſſectæ, quibus nihil iuuãtibus ita ſæuiſſimo dolore cruciabatur, vt oculus ex proprio loco exilire videretur, tandemque vena frontis ſciſſa fuit, ac temporibus ſanguiſugæ exhibitæ poſteà balneum adminiſtratum ac diuerſæ lotiones parti dolenti, ſimulque anodyna impoſita, & pharmaca propinata fuere quæ omnia dolor omnimodè deſpiciebat, cum ferocius, etſi aliquandiu quieſceret, denuò exacerbaretur & origine morbi in hepate valdè ſquallido animaduerſa, eo quòd iecur calidum bilioſum ac mordacem humorem gigneret, & ad oculos veluti ad partem languidiorem tranſmitteret, ſaluatellam ſcindere autor iuſſit, biſque illa ſecta, humore in diſtantia moto, atque iecoris calore maiori ventilatione inducta magis attemperato, numquam amplius æger dolorificam affectionem percepit.

272. Venerandus Hipp. *6. aphor. ſentent.* 31. omnia oculorum dolore laborantium auxilia ad quinque capita ſic aſſerens, reduxit: *Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum aut vena ſectio, aut pharmacum ſoluit.* Meritò Hipp. hæc omnia ad omnes dolores eſſe vtilia non dicit, ſed ad quoſdam hoc, ad quoſdam verò illud, & ad alios aliud commodum eſſe, habita enim ad cauſam ratione, ratio auxiliorum diſcriminatur, quoniam aut intemperies nuda, aut ſuccus aliquis dolorem excitat, ſi ſola intemperies fomentum intemperiei contrarium confert. Si verò humor, vel fluit, vel iam fluere ceſſauit, dum fluit ſanguinis miſſione, aut purgatione eſt vtendum, ſi fluere ceſſauit, propter totius corporis euacuationem vel quod in parte impactum reperitur craſſum eſt, cui potus vini iuuat, vel tenue, & mordax, cui balneum ſuccurrit, proinde ex Hipp. doctrina nullus oculorum dolor adeſt, qui aliquo dictorum præſidiorum non ſoluatur vini tamen potio maxime dolendi cauſa perpenſa, & cautè admodum exhiberi debet in cuius ſententiæ commentario Magiſter Gal. vnicam ex dictis doloris oculorum cauſam animaduertens vſum balnei multum præter eam quæ manifeſta eſt ratio, experientia confirmatum, laudat; ait etenim Magiſter. *Ac primùm quidem adoleſcentem balneaui, cui Medicus non abſque ratione ab initio venam ſecuerat, & deinceps curauerat medicinis; quas experientia cognouerat, cum inflammatio ſola obſideret oculos, dolebat autem vehementiſſimè per quoſdam inſultus, in quibus aiebat ſe ſentire acutos humores, qui vniuerſim fluebant ad oculos, quibus excretis licet vehementia doloris ſedaretur, non tamen dolor omnino ceſſabat, & hoc illi per totam quintam accidit diem, maius ſemper habens incrementum; cum igitur dolorem non poſſet tolerare, me, & quendam alterum ex ocularibus medicis aduocanit in vrbe Romana probatiſſimum illi itaque videbatur, vtendum eſſe collyrio quodam ex iis, quæ emplaſtica ideſt meatus obducentia nominant, & anodyna, cuiuſmodi ſunt, quæ ex ceruſa ſola, & papaueris ſucco componuntur, nam ſic maximè ſperabat poſſe reprimi per emplaſtica id, quod fluebat, & ſimul ſenſum per ſtupefacientia torpeſcere. Ego verò ab initio ſuſpecta habui talia medicamenta, neque enim vehementes reprimunt fluxiones, ſed excerni prohibent, atque ideo ſi humores fluentes acres extiterint, corneam erodi contingit: Si verò multi, extendi, ac vehementer irritari, ac ſi rumperetur: ex quibus niſi medicamentum fuerit magnopere ſtupefaciens, vt ex eo oculi maximam inflammationem non ſentiant, neceſſarium eſt vim viſoriam adeo lædi, vt ceſſante inflammatione, vel debiliter, vel nihil omnino videant, ſimul autem quandam praeduram affectionem, & quæ difficulter ſanari poſſit, in oculorum tunicis relinqui; cum igitur iſta noniſſem, atque animaduerterem, humorem influentem non paucum, valdéque acrem, & calidum primum fomento vtendum cenſui, experientiæ gratia, tanquam ex ea certius cogniturus, qualiſnam foret affectio ſolet enim in his fomentum parumper quidem dolorem lenire, ſed alteram fluxionem aduocare: qua enim ratione poteſt id quod in oculis continetur diſcutere, eadem ratione alteram quoque ex vicinis locis attrahere valet, verum quam primum aquam calidam, & ſpongiam afferri iuſſi, æger ipſe dixit ſe expertum eſſe ſæpius tota die, hoc remedium, ac primum dolorem imminuere, ſed paulo poſt maiorem adducere. Quæ ego cum audiuiſſem medicum ocularem dimiſi, promittens me abſque frigido medicamento ægrum dolore liberaturum eum autem ſolo balneo vſus eſſem, ita dolorem ſedaui, vt tota nocte æger dormiret, nec ſemel aliquem eorum qui iuxta dormiebant, aduocaret. Atque hinc in reliquis, in quibus per ſigna cognoui influere quidem humores acres ad oculos, non tamen corpus eſſe plenum, balnei vſu dolorem ſedaui, &c.* hæc Gal. in prædicto commen-

tario

tario. Ex quo Adolescentuli casu Magister dolores oculorum per insultus, siue paroxysmos acutos humores in oculos confluere cognouit, propterea que remedia ab oculari medico Romano adhibita semper habuit suspecta, nam fluxiones non compescunt, sed potiùs excerni prohibent, ita vt si humores fluentes acres fuerint, carneam erodere contingere soleant, si verò multi, præ quantitate vehementius extendi atque irritari, ac si tunicæ rumperentur, sicque necessario maior noxa subsequitur, si enim medicamentum non sit vehementer stupefaciens, acrior, ac ferocior dolor propter humoris acris retentionem in parte affecta augescit, si verò medicamētum stupefaciēs, siue narcoticum sit, ne inflammatio oculorum persentiatur, necessario facultas visoria ratione instrumenti læditur, quoniam cessante inflammatione, aut nulla actio visiva, aut diminuta fiet, & tunicæ oculorum dispositionem valde duram, ac densam acquirent. Quæ Magister animaduertens, humoremque in prædicto iuuene multum simulque acrem & calidum esse, primo fomentum ex aqua calida tentauit, mollit enim dolorem, alteram verò fluxionem aduocat, nam etsi humorem in oculo repertum discutiat, alium tamen propinquum, & in maiori copia ad partem affectam trahit, & postquam Magister spongiam, & aquas afferri præcepit, ægrotus se tota die, (id est per spatium totius diei sæpius) id remedium expertum esse dixit, & primo quod dolor remittebatur, sed paulo post intensior fiebat, persensit: qua experientia Magister nitens ocularium medicum dimisit, ægrumque absque medicamento stupefaciēte liberare promisit, sicque vtens tātum balneo ita dolorem sedauit, vt æger per totam noctem dormiret, absque eò quod vllum adstantium vocaret. Vnde quamvis in textu nostro Gal. adaperto, quod medicamenta digerentia in corpore pl.no oculis inflammatis apposita lædant constet, potius enim implere quam vacuare partem laborantem possunt, cum tamen per quosdam insultus in adolescente dolor vehementiùs incresceret, hac sola ratione nixus Magister balneum imperauit: quoniam hoc fluxionem acrem demulcet, ac contemperat, modicè humorem impactum digerit, attenuat, rarefacit, & æque in halitum vertit, innatum partis calorem valdè roborat, vires præ dolore atroci fractas fouet, ac instaurat, tandemque dolorem lenire valet, nec inde solum ad biliosam ophthalmiam soluendam balneum prodesse inferas, cum etiam illi, quæ ab humore crasso, & pituitoso nascitur, maximum iuuamen exhibeat.

273. Merito Gal. in præscripto *Comment. lib. 6. aphor. sent. 3.* in oculorum doloribus medicamenta stupefacienria suspecta habuit, vt etiam in dolore intestinorum 12. *Meth. cap.* 8. vt supra diximus, idem firmat, nam ob eorum vsum affectus incurabilis morsque aliquādo euenit; quamuis enim aliquandiu ægri dolore leventur, deinceps verò morbus immanior, ac tenacior redditur, nam intestinorum tunicæ immodica medicaminis frigiditate densiores, minusque materiam transmittendo, vt flatus augescant, aptiores fiunt, ipsaque causa morbifica tum crassior, tū tenacior, vt euacuetur, euadit. Quare multo magis suspecta, noxiaque in oculis dolentibus hæc medicamina esse debent, nam cum oculi cauitatibus per quas excrementa excernere possint, careant, proinde facultas visoria præ summa horum medicamentorum frigiditate, maxime hebetatur, spiritus incrassantur, ac torpidi fiunt, simulque cerebrum compatitur, propterea Magister in textu ait. *Ex quibus nisi medicamentum fuerit magnopere stupefaciens vt ex eo oculi maximam inflammationem non sentiant, necessarium est, vim visoriam adeo lædi, vt cessante inflammatione, vel debiliter, vel nihil omnino videant, simul autem quandā præduram affectionem, & quæ difficulter sanari possit in oculorum tunicis relinqui, &c.* Hæc tamen licet vera sint, in desperato casu anceps auxilium experiri, quam nullum præstat, cum magis noxa ex vi stupefacientium, quam ex atroci dolore mors amplectēda sit. Proinde Magister 12. *meth. cap.* 1. vrgentia doloris coactus stupefacientium vium intra oculos (cautè tamen) permittit. quam doctrinam Auicenna 3. 3. *tractatu 1. cap. 9. prop. fin.* sic asserens firmat: *Et quandoque doloris vehementia facit necessariam stupefacientium adhibitionem, sicut succi pomorum, mādragoræ, & lactucæ, & papaueris, & aliquid ex sumach; & prætermittantur ista, quantum est tibi possibile: quod si aliquid eorum administras propter necessitatem administra ipsum secundum cautelam, &c.*

274. Diuersa, pro temporum ophthalmiæ diuersitate, medicamina oportet adhibere. Ad inueteratam verò præcedentibus iam variis reuulsionis, deriuationis, ac euacuationis generibus quoddam mirificum vnguentum Zacutus ad humiditates à capite in oculos confluentes exiccandas, simulque expurgandas hac forma conficiendum adfert. ℞. *olei rosacei* ℥iij. *aquæ rosaceæ* ℥ xi. *camphor.* ʒi. *tutiæ* ℈i. *mellis* ℥ij *fellis hirci* ʒß. *farinæ lupinorum* ℈iß *sarcocollæ* ℈iß. Puluerisatis puluerisandis, misce, & lento igne coque modice, & cū pinguedine hircina, & arietina, ac momento ceræ fiat vnguentum secundum artem, eo etenim bis in die manè, & noctu, tribus horis post cœnam palpebræ superiores leuiter illinantur: post horam, quidem maxima humoris serosi quantitas per angulū præcipuè maiorē extrahetur à natura.

275. Nec minus Autor experientia manifesta ductus pro diuturna ophthalmia, aliisque oculorū affectionibus à nimia humiditate, crassisque humoribus opacis, & caliginosis pendentibus, vt densitate, albugine, vngue, suffusione, ac similibus, aquam quandam inter omnia subsidia singularissimam cōstruēdam iuuet, dummodo vniuersim corpus vacuatū extiterit. Si solum etenim tribus horis post pastum sex guttulas intra oculum eius actu frigidas instilles, post duas protinus horas tanquam è quodam fonte ichores maxima in copia effluent.

276. ℞. *Aloës,* ʒiij. *rutæ, fœniculi, betonicæ an. M. j. verbenæ, tormentillæ an. M. j. sarcocollæ,* ʒiij. *spumæ nitri* ʒiiß. *sacchari candi* ℥ij. *syrup. rosacei,* ʒiv. *vrinæ pueri impubis, libr.* ℥ß. *stercoris lacerti,* ʒiij. *Marrubij M. iij. euphrasiæ, M. i. ß zingiberis, spicæ nardi, piperis longi, caryophillorum, tutiæ an.* ʒij. *balsami* ʒiij. *mellis rosati,* ℥ ij. *viridis æris,* ʒi. *lycij,* ℈ij. *foliorum raphani M. j.* puluerisanda puluerisentur, & omnia misceantur ac infundantur in vino albo generoso in vase destillatitio, addita quarta parte mellis optimi decem dierum spatio, dummodo quotidie agitentur, & deinde ad

ignem apponantur, vt aqua destillata pro vsu seruetur.

277. Pluries tamen cum ophthalmia gallica sit, nulli prædictorum subsidiorum, quia qualitate manifesta tantum operantur, cedit, proinde Mercurialis alta doctrina libro de morbo Gallico nixus, sic alloquitur Auerr. *Cum videritis morbum quempiam communibus remediis non curari, putate esse morbum Gallicum cognominatum, &c.* fidem præstans, cuidam ophthalmia gallica laboranti decoctum smilacis asperæ spatio viginti dierum sumendum præscripsit, & citra vllam vtilitatem illud deseruisse cognouit: quare quamuis affectus supernas partes vexabat, ac timor, ne humore per os euacuato mercurij vi fluxio maior in oculos vergeret, ac morbus amplius augesceret, aderat; quia tamen diuturnus, & humoris fluentis impetus deuictus erat, vnguentum mercurij, corpore rite purgato applicandum rectè censuit. Nam post illius vsum spatio septem dierum copiosa sputi excretione, dolores, inflammatio, & pruritus palpebrarum euanuerunt, tandemque relicto quodam fonticulo in brachio vt cerebrum excreméta solita in oculos confluentia, posset melius spirando excernere, ac debita victus ratione custodita, salubrem statum acquisiuit.

278. Sed cum Magister in textu albumen oui in oculorum doloribus infundendum præcipiat, eo quod mordacitate caret, ac glutinosum est: nam præterquam quod non mordicat, dolorem non auget, ac ex lentore doloris mitigatio euenit, propterea meritò inquires, vtrum in ophthalmiæ curatione albumen oui præstantius, quàm lac sit auxilium? Aetius *tetrab.* 2. *serm.* 3. *cap.* 10. longè perfectius albumen oui, quàm lac affirmat. Sic alloquens: *Rarefacit albumen oui meatus, & per viscositatem facile euacuat lachrymam, & meatus obducit, ac humorum acrimoniam contemperat, & ipsorum tenuitatem ad iustam spissitudinem transmutat, & omnem morbosam putredinem detergit.* Vsum verò lactis ipse autor renuens sic alloquitur, loco citato. *Quidam porro dolorem obtundere volentes, & caliditatem, & acrimoniam edulcare, lac pro ouo infundunt: decipiunt autem seipsos, ex ignorantia, pro paruo solatio, diuturnam affectionem ægro propinantes, &c.* Quasi dicat, quod licet lac dolorem leniat, cum tamen crasso succo constet, humores coërcet, ac resolutioni tenaciores efficit, qua ratione affectus in longum tempus protrahitur.

280. Magister verò Galen. 4. *secundum loc. cap.* 2. lac maxime laudat, & Auic. subscribens idem firmat, cum dicat: *Non est conueniens, vt dimittatur destillatio lactis in oculo tempore longo, immo oportet vt remoueatur omni hora, &c. eo quod corrumpitur, & acescit.* Soluitur tamen dubium & loca sunt interpretanda ex eo quod Magister Gal. & Auicenna de vehementi dolore alloquentes lac non despiciunt, dum verò modici meminerunt, potius albumen oui amplexi fuere, vt etiã Aetius hac ratione venit intelligendus, nam cum dolor vehementer exacerbatur, virtutes languescere propter dispendium quod exhibet, caputque dehiscere facit, & quia in affectam partem fluxionem humorum magis properare cogit, proinde oculorum & capitis morbus lethalis euenit. Sicque illo casu ratione vrgentiæ lac apud Gal. & Auicen. consilium concedendum expedit, etsi morbificam causam perpendas distinctiuè ages, si enim multa fuerit, potiùs lac; quia ob albumen oui obstructio imminet, si verò pauca, albumen dictum confert: nam tunc incrassatio non sequetur, ac magis refrigerat. Vel si mauis in dolore intenso quia lac propter butyri lenitatem, & seri abstersiones dolorem magis mitigat, proinde in vehementi dolore, vel ob acredinem, vel multitudinem lac prodest, in remisso ouum est decernendum, lac autem ex fœmina lactante quia frigidius, & humidius conuenit, & vt opportunius à tertio mense vsque ad annum, quia recentius incoctum, antiquius verò crassum & calidius est, laudatur; sicque quod medium extiterit, ardorem temperat, dolorem demulcet, & oculos squallentes humectat: & hæc de hoc libro 13. methodi medendi Galeni.

COMMEN



COMMENTARII
IN LIBRVM XIV.
GALENI,
DE METHODO
MEDENDI.
EXPOSITIO VIII.

PRÆFATIO.
Libri institutum continens.

1. VAMVIS tam elegans, ac miranda hominis fabrica sit, illiusque virtus morbificis causis valde obsistere possit, eò quòd, tam in partium structura, quàm iustitiali tempetie inter omnia animalia perfectissimus sit, illius etenim ædificium plusquam ducentis ossibus est fulcitum, totque cartilaginibus, articuli omnes incrustati, ligamentis quamplurimis omnia connexa, membranis pene infinitis vestita, nervorum plusquam triginta paribus seu funiculis quibusdam membrorum vastissimæ moles irrigatæ, totidem arteriis veluti aquæductibus sanguine, ac spiritu virali spumante cunctæ partes perfusæ: musculis quadringentis, & diuersi generis carnibus, seu tormentis, vacua spatia repleta, & viscera obtecta cute demum circundata sunt, omniumque animalium solus homo vires, ac temperamenta in se continet inclusa, multi quidem leonis corde, multi struthionis ventriculo, non pauci, qui canis, plures qui suis, pene infiniti, qui asini natura fruuntur: in homine autem tanquam in centrali puncto, nodo, & fasciculo creaturarum omnium radices, & seminariæ virtutes delitescunt, propter ipsum equidem omnia tam vegetalia, animalia, quàm mineralia condita sunt. Quæ cum præclarissimè Magister Gal.

præuidisset, illius tutelam aduersa præcauendo,& in salubritatem morbificis causis reclamando acquirendam, nullum, etsi arduum, etsi difficillimum laborem recusauit. tum igitur ad pensum tot partium mirificè hominem construentium contraria vitam detruncantia respondeant, propterea Magister tam elegantissimam, quàm essentialissimam præ hoc fine methodum medendi concripsit, adaperrisque iam terdecim satis exactè libris, ad decimum quartum exarandum properat, seruatâ nimirum rectâ methodi doctrinâ in antecedenti libro de tumoribus præter naturam; primumque de phlegmonibus tam glandularum, quàm hepatis disertissimè egit, de principe animæ parte, de phrenitide, lethargo, indicatione demum à parte affecta desumpta sermonem construxit; in præsenti iam quasi diuinam prouidentiam in tumorum præter naturam plurimis differentiis, ac his quæ toto genere præter naturam nostris in corporibus gignuntur deuastandis adhibuit.



CAPVT I.

Erysipelatis nomenclaturam, modum, ac causam generationis exponere occurrit.

TEXTVS.

De tumoribus qui præter naturam in, &c.

2. 
Vm iam Magister (vt supra est dictum) in antecedentibus de tumoribus, qui præter naturam in corpore insunt, satis in decimo tertio Commentario præcipue egisset, simulque de phlegmone, quia frequentissimè accidere solet, qualisnam sit, illiusque curatio fieri debeat disseruit.

TEXTVS.

Haud longè verò à phlegmone abest, &c.

3. NVnc iam in quo erysipelas à phlegmone differat exponit, maximam etenim similitudinem inter se obtinent, quare vt discrimen percipiatur, quod erysipelas etsi tumorem,& calorem veluti phlegmonem ostendat, tamen ab ea in calore dissentiat, nam si tumor ruber adsit, potius phlegmonis, sin pallidus, flavusve,ex pallido,ac flauo colore mixtus, erysipelatis naturam sibi induit,pulsatio similiter in magna phlegmone reperitur illa nimirum quæ altius in corpus demittitur,erysipelas vice versa in cute potius,quàm cum profundè descendit consistit, quoniam illios causa quæ bilis pallida est tenui substantia constans facilè ex genere carnoso in corpore raro ad cutim transmittitur densitas proinde cutis, nisi hæc bilis valde tenuis & aquosa sit, veluti ea quæ quotidie cum sudore excernitur evacuationem sine exitum prohibet,& pluries per insensibilem evacuationem prædicta bilis amara in statu naturali exhalat;dum verò corpus præter naturam se habet, tum aliis vitiis efficitur, tum erisypelate laborat, nam vel copiosior, vel crassior, quàm pro naturæ exigentia iste succus redditur, quo in casu si vniuersus ad cutim compulsus diffundatur,eam tum comburendo, tum tumorê exhibendo, præter naturam afficit cum in sequenti capite Magister intentum huius textus ad rem deueniens, notitiamque de nomine relinquendo finem adimpleat, proinde ad 2. caput in quo cuncta splendescant properare oportet.



CAPVT II.

Vt natura erysipelatis causæ, ac differentiæ magis elucescant.

TEXTVS.

Sed satius est, veluti semper non dicimus, &c.

4. 
Vasi nomina despiciens ad rem Magister exarandum perueniens alterum principium satis, opportunum adfert cum sanguis videlicet copiosiùs in aliquam corporis partem confluxit, ita vt illius vasa cum rectè continere non possint, ex prædictis vasis,in musculorum spatia, quæ similaribus partibus, ex quibus constant,interueniunt, aliquid sanguinis roris instar exit,sicque tumor ex illa plenitudine nascitur, quem necessario cutis tensio subsequitur, & in carne alta dolor pulsatilis, rubor, & calor percipitur,& cum in visceribus sua quædam caro peculiaris adsit, etiam in iis similis affectus quemadmodum ille generari solet:nam sanguis ex vasis immodicè repletis,in halitus forma reindans prædicta symptomata inducit qui affectus fluxionis sanguineæ naturam redolet, qui genus carnosum maximè prehendit,

TEXTVS

TEXTVS.

Secundus alter bilioſæ fluxionis germen, &c.

5. INter phlegmonem igitur ac eryſipelatem ſimilitudinem aliquam & non exiguam differentiam confirmat: nam quemadmodum primus affectus phlegmones, dicitur ex ſanguine in genere muſculoſo ſupra modum recepto genitus, etiamaliquid cutis, multum, verò carnis, ita ſecundus affectus eryſipelas dictus aliquid ſubiectæ carnis magis tamen cutis apprehendit, quæ tum tegumentum omnium partium, tum membranoſam, & tenuem, quæ ſingulis internarum circundata eſt, ſignificat; qui, inquam, ſecundus affectus fluxionis bilioſæ ſoboles eſt, ſi tamen humor craſſior, atque acrior ſit, ſummam cuticulam excoriat, & aliquando in profundum exulceratio penenit, qui affectus, etſi eryſipelas appelletur, duplici (vt dictum eſt) differentia gaudet. Vnum quod abſque vlceratione, aliud verò vna cum ea accidit reperitur; prior quidem affectus vnicam tantum rationem participat, & phlegmone nominatur. Quando verò fluxio nec planè bilioſa, nec ſanguinea, ſed ex ambabus mixta eſt, tunc ab eo quod in prædicta mixtione dominatur nomen ſortitur, ſicque vel phlegmones eryſipelatoſa, vel eryſipelas phlegmonoſum vocabitur. Vbi verò horum næuorum excesſerit tale vitium inter phlegmonem, & eryſipelas medium aderit.

In vlteriorem textus expoſitionem nonnulla dicenda veniunt.

6. Satis ex Magiſtro eryſipelatis nomenclatura eſſentia, & differentiæ liquent, appellatur enim apud Paulum, Ætium, & Magiſtrum 2. *ad Glauc. cap.* 1. *tumor præter naturam, ex feruenti, tenuique ſanguine conflatus, & quod ad eſſentiam nihil eſt aliud eodem loco, & in textu noſtro quàm tumor præter naturam non admodum eleuatus ac magnus à bile proueniens, qui externam cutis partem, & corium ſubiectæ partis, vt plurimum occupat; quandoque partes cutis ſubiectas, vt muſculorum ſuperficiem.* Cum igitur bilis ipſa, craſſior, atque acrior eſt, cum cuticulæ ſupernæ ex vlceratione contingit, aliquando verò dum non mordax ſine illa reperitur, deinde exquiſitum eryſipelas eſt, quod ex bile vel tantum ex ferventi ſanguine, ac tenui oritur, non verò exquiſitum, ſiue ſpurium quod cum ſanguine, vel aliis humoribus permiſcetur; dicitur, nam ſi cum feruenti ſubtilique ſanguine bilis mixta fuerit, eriſypelas phlegmonoſum, veluti, ſi cum pituita œdematoſum (& ſic de reliquis) nuncupabitur: nomen tamen ab humore exuperanti ſemper aſſumit, vbi verò neutrum denominatur, medius quidem tumor ex eryſipelate, vel phlegmone, vel œdemate, aut ſchirro nuncupatur. Quam expoſitionem Magiſter *lib.* 2. *ad Glaucon. cap.* 1. ſic aſſerens firmat: *Quod ſi ex ſanguine, & flaua bile calidioribus, quam oporteat mixta fuerit, aut ex ſanguine quidem, ſed feruido, ac ſubſtantia tenuiſſimo eryſipelas hic affectus vocatur.* Ex quibus inferendum eſt quod ad eryſipelatis conſtitutionem, potius bilis cum ſanguine tenuiſſimo permixta, vel ſolus ſanguis feruidus, ac tenuiſſimus, quàm ſola ipſa bilis, quomodocumque ſit, concurrit: quod clariſſimè ex eodem cap. in verbis antecedentibus liquet, dum ſic ait: *Flaua verò bilis quando ſui ſeruans naturam vnà cum ſanguine per totum corpus defertur, morbum facit, qui regius appellatur: ſola verò quando excernitur, & in aliquo membro conſiſtit, herpes vocatur ſiquidem craſſa ſit ſecundum ſubſtantiam totam exulcerat cutem, vſque ad carnem ſuppoſitam, atque hunc affectum Hippocrates nominat herpetem excedentem; ſi verò tenuior fuerit id quod in ſuperficie eſt tantum veluti deurit, atque hæc ſpecies generis ſortitur appellationem, cum ſimpliciter, & ſine additione herpes vocetur, nam ex duabus ſpeciebus, quæ quidem nuper dicta ſunt, altera herpes exedens nominatur, altera verò miliaris, quoniam in hoc affectu puſtulæ paruæ, ac multæ per ſummam cutem ſimiles milio excitantur, fit autem herpes huiuſmodi etiam, ex bile quidem, ſed minus calida, & acri, quàm ſit prior.* Ex quibus neutiquam bilem ſinceram, ſiue ſolam eryſipelatis, ſed potius herpetis cauſam eſſe liquido conſtat, & cum ex Magiſtri doctrina, pars affecta in eryſipelate vt plurimum cutis, & aliquando partes cuti ſubiectæ ſint, frequentius quidem circa nares & faciem evenit, eo quod huiuſmodi pars facilè ſanguine tenuiſſimo irroretur; raritas enim faciei cedit, ac tenuitas bilis, cum leuitate ad motum celerem valde iuuat. Nec minus in cruribus reperiri ſolet, quia natura à bilioſo ſanguine vellicata, ad inguina vt emunctoria deſtinata, ex quibus in crura deſcendit, tranſmittit, proinde quibus in cruribus eryſipelas fit, antecedenter inguen partis affectæ dolore afficitur, & aliquando glandulæ tumeſcunt.

7. Modum generationis eryſipelatis Magiſter in *cap.* 1. ſatis, cum fluxionem genericè adducat, exponit. Sic enim fatur: *Cum ſanguis copioſus in aliquam partem procubuit, ſic vt ab eius particulæ vaſis nequeat contineri, exilitque aliquid inſtar roris ex ipſis vaſis, in ea muſculorum ſpatia, quæ ſimilaribus corporibus, ex quibus componuntur, interveniunt, vtique tumor ex plenitudine oritur cui ſuccedit cutis tenſio.* Quare quando in corpore magna bilioſi humoris redundantia adeſt, partes validæ, à tali ſarcina oppreſſæ, ad languidiores eum tranſmittunt, & ita inter ſe, quæ aliqua vi gaudent in mittendo ſuccedunt, vt ad ignobiliſſimam, imbecillimam, magiſque aptam ad recipiendum, qualis eſt cutis, tanquam ad cloacam transferant; nec de eryſipelate exquiſito dubites, ſi perpendas, quod in eo color rubicundus in flauitiem tendens, cum tumore paruo, calore intenſo, ac fere cutem exurente, & aliquando veſiculas eleuante, intenſaque febre, ac deurente dolore, mordente, ac pungitiuo, tactui mollitie, nullaque tenſione adeſt, tenuitas etenim, ac leuitas humoris, ita celeritatem motus ſuſcitat, vt facile herpetis more per diuerſas corporis partes, prima derelicta, ſerpat. Vnde penes partium quibus adhæreat differen-

tias maius, ait minus periculum, imminere est certum. Semper enim cum in principibus adest partibus periculi particeps affectus, neutiquam verò in ignobilioribus, ac distantioribus est; quare si hæc affectio in cerebro repetiatur, quæ (vlagro) solet nuncupari, ingenti periculo tempora cum à bile sincera oriatur, percutit; tantumque adest incendium internum, quod sanguinem, ac spiritum, impetuose in cerebrum irruere efficiat, simúlque facies frigescat, & citrina seu pallida, præcipuè in oculis appareat, os valde exsiccatur, vigilia immodica, accidentia terrifica, febrísque fortior quam in phlegmone ostenditur. In pueris autem talis morbus aliquando accidere solet, in quibus (vt ait Auicenna) sinciput ad intra trahitur, nam nimia cerebri, aliúsque membranarum siccitas, contrahit in se membranam exteriorem, quæ pericraneum nuncupatur, & cum ista cum internis vniatur, proinde trahentibus internis ad se tunicam craneum ambientem, etiam ipsum craneum internum (cum in pueris mollissimum sit) trahitur, ob quam similiter causam oculi, si totum cerebrum æqualiter patiatur, excavantur, si tamen vna pars magis quàm alia laboret, oculus prædictæ particulæ è directo respondens cavior fiet, tandémque totum corpus propter mollem ac teneram puerorum substantiam, ac facile resolubilem siccatur, & contabescit. Propterea, pueros facilè in convulsionem incidere Hipp. 3. *prog.* protulit. Quamuis non ita Erysipelas in facie, vel cervice periculosum, ac si in cerebro extiterit, periculo tamen non vacat, cum ex bilis ad interna transmeatione phrenitis, vel angina sequi valeat, vt Hipp. 6. *aphor. sent.* 25. sic fatur: *Erysipelas foris intus converti malum, intus vero exire bonum.* Quod non solùm de Erysipelate, sed de alio quolibet affectu ex Gal. *in comment.* est intelligendum, nam si ex nobilibus partibus affectus foras protruduntur bonum signum, malum verò si ad internas remigrant: quemadmodum quæcunque vitia si ad os traducantur, ac per confessionem foras eiiciantur bonum indicium, malum verò quando in internas, ac profundas animæ partes recurrunt est: ita pariter quicunque morbi, qui in corpore ciuili foras exeunt, signum bonum adest, contrà verò malum, quando in reipublicæ penetralia remigrant, infelix enim respublica est, quando partes interiores, id est principes, consiliarij, & ministri recurrentia vitia excipiunt.

8. Pertimescendum etiam est Erysipelas à quo putredo, aut suppuratio nascitur, vt Hipp. 7. *aphor.* 20. eò quod solum in malignis accidat, notandum tamen est, quod suppuratio apud Hipp. variis in locis, non boni puris generationem, sed putrescentiam, vt in præsenti significat Erysipelas enim nec solet, nec benè suppurari potest, sed potius carnibus simul computrescentibus, quoddam virus profert, quod cum magis via ad gangrænam sit, proinde suppurationem Erysipelati supervenientem, id est putredinem, malum esse necesse est, sed quis plurimos morbos alios insequentes, non vt periculosiores damnabit, cum pluries ad febrem, delirium, ad bubonem, febrem putridam, & aliquando ad malignam, alió sque vehementiores affectus succedere experiamur.

9. Etsi ritè perpendas quod non solum in re medica, verùm etiam in morali, ac Theologica, mala ex malis procreantur, eruditionem, non exiguam olfacies, a libidinum enim confusione, cædes plerúmque, & alia peccata subsequuntur; ab ebrietate libido, & insania, non rarò etiam cædes, à superbia, ira, & invidia tanquam à matrice oriuntur, & adhuc apud politicos morbi ex morbis generantur, pluries etenim à suspicione odium, ac ex odio iniuriæ, à fortunæ mutatione mentis perturbatio, error in consiliis, pavor, & trepidatio in corde, atque in hominum animis mutationes voluntatum fiunt; ex timiditate tandem suspicio, ex suspicione verò crudelitas: nam suspiciaces cum facile credant, ac delationibus leviter assentiantur, & avidissimè arripiant, promptéque calumnias, quæ deferuntur admittant, citò inflammati odia concipiunt, & cupiditate vindictæ ardescentes occasionem eos vlciscendi quærunt: quos vitæ aut imperio insidiari suspicantur.

10. Ad rem igitur denuo accedendo, & futurum Erysipelatis eventum inferendo cum Gal. *comm.* 26. *lib.* 6. *epid.* est dicendum: *si Erysipelati, vel nigredo quædam, aut pustula, aut mentis alienatio supervenias, ita malum est, vt nullus spei relinquatur locus.* Hæc tamen doctrina potius de pestilenti Erysipelate intelligenda est. Si etiam Erysipelas exquisitum extiterit frequentius insensibiliter, rarò verò per suppurationem soluitur, vnde quod à naturali bile pendet periculosum non est, vt Gal. 3. *de morb. vulg. comm.* 9. sic alloquens exponit: *Erysipelas quod à naturali bile oritur, periculo vacat, quoniam bilis naturalis malignitatem non habet, & ideo, nec vehementem dolorem, nec sæva symptomata inferre solet,* &c. Quare cum talis humor solùm in copia peccet, ac externas irruat partes, potius robur, quàm naturæ debilitatem arguit; præsertim, vbi minor, habita ratione ad laborantis naturam, habitum, ætatem, ac anni tempus recessus adest, in ætate enim senili, tempore hiemali, temperie pituitosa, ac aliis similibus propter intensiorem lapsum, quem natura patitur difficilior, quàm in contrariis solutio evenit.



CAPVT III.

Erysipelatis curatio proponitur.

TEXTVS

Curationis verò methodus sicuti, &c.

11. 
ERVANS Magister communem omnium præter naturam tumorum curationem, ab indicatione communi, qualis evacuatio est exorditur, ita vt si multitudinem humorum, qui eos excitant cognoscas, atque evacuationem eorum exerceas, pars tumore affecta in habitum

habitum naturalem redibit; vacuatio etenim in omnibus iis affectibus æqualiter duplex eſt, vna videlicet media repulſione ad alias partes, alia verò forinſecùs media digeſtione, ac per inſenſilem tranſpiratum in halituum reſolutione. Quia tamen eryſipelas non ſolum præ quantitate, verùm etiam ex vehementi inflammatione, qualitate corrumpente membrum cruciat, propterea refrigerationem intenſiorem, quàm phlegmone proclamat; hæc tamen curatio toti corpori periculoſa eſt, propterea quod bilis ad aliquod principale membrum interim fertur, quippe cum ſi ſanguinis abundantia, aut totum ſit ex minoris notæ membris fluxionem eius repellere. Et quemadmodum poſt totius corporis evacuationem repellentibus vti oportet ita in refrigerationis vſu agendum eſt.

TEXTVS.

Sed pro ſanguinis miſſione, &c.

12. LOco etiam ſanguinis miſſionis, purgatione bilis eſt opus, ac partem affectam refrigerare oportet, & terminus talis refrigerationis, ipſa coloris mutatio, ſi eryſipelas purum ſit; aderit, ſi verò non purum, ſed aliquantulum phlegmonodes, ſi pluſculum infrigidatio fiat livida cutis redditur, ſin, nec ſic quidem quis deſiſtat, in ſenili præſertim ætate nigricat, proinde quibus refrigerantium, non verò digerentium vſus adhibetur, neutiquam perfecta ſanitas, ſed potius ſcirrhoſus tumor in affecta particula relictus ſupervenit. Quare vbi pars laborans calorem alteratum acquirat, ab alterationibus, atque adſtringentibus, in contraria tranſeundo, antequam, vel livida, vel nigra prorſus fiat, abſtineri opportunius erit. Refrigerantia etenim, vt in opere de medicamentis à Magiſtro eſt dictum, ſolanum, & ſemper vivum, & portulaca, & intybum, & lenticula paluſtris, & cerata ex aqua admodum frigida & alia id genus ſunt; deficiente verò partis inflammatione, illi priuſquam liveſcat cataplaſma ex farina ordei eſt adhibendum. Cum tamen livor iam extiterit prius cute inciſa ſuperponendum cataplaſma, locúſque aqua calida marina tamen, quandoque muria perfundendus eſt, & ipſi cataplaſmati prædicta aqua vel acetum, vel oxalme miſcere convenit. Quo etiam tempore in aliquorum opinione coriandrum cum polenta eryſipelati ſalubre remedium fuit, eodem etiam medicamento, inter initia huius affectus alij vtentes magnum detrimentum laborantibus intulerunt, ſed potius ceratum roſaceum, cui aliquid calcis ſit immixtum prodeſſe aliqui dixere, veluti alia multa quæ valenter excalefaciant; Magiſter tamen nullum horum remediorum genus eryſipelati opitulari, antequam etenim mutatum ſtatum obtineat, id quod ab initio fuerat, atque alius ſtatus primo contrarius evadat, profert. Quomodo autem non contrariantur affectus calidus, & frigidus, aut color flavus, ſiue pallidus, cum livido, aut nigro Magiſter inquirit? & quemadmodum eryſipelas cum phlegmone coniungitur, etiam aliquando cum œdemate: quo caſu, quod ex ambobus conſtitutum eſt eryſipelas œdematoſum nuncupabitur, & cum media immodica refrigeratione tumor durus, ac reſolutu difficilis redditur, potius eryſipelas ſcirrhoſum appellabitur, qui cum compoſiti ſint affectus curatio compoſita eſt exequenda, præcipuè tamen indicatione ab exuperanti deſumpta, nec omiſſa ea quæ ab alio affectu complicato deſumitur.

Aliqua in textum obuerſantia exponuntur.

13. Cum igitur eryſipelas quid præter naturam ſit, in aliquo affectuum genere præter naturam collocatur; quia tamen tumor eſt morbus in magnitudine, & quia materialis ab humore bilioſo alterante pendens in intemperie morbus, dicetur; communis verò in ſoluta vnitate non ſemper cum in illo quod exquiſitum eſt nulla tenſio, compreſſio, aut partium divolſio adſit; quibus præhabitis Magiſter indicationem veram in illius curationem ſeligens, eum, quia materialis morbus eſt, ſui ablationem per evacuationem exigere inquit, & propter alterationem, à cauſa morbifica feruente orientem attemperationem neceſſariam proponit, ita vt maior refrigerationis indigentia in hoc affectu, quam in phlegmone, quia calor eſt intenſior, requiratur. Cavendum tamen eſt, ne in aliquod membrum princeps ipſa bilis repellatur, proinde talis curatio non admodum ſecura eſt, vſque quo totius corporis evacuatio præceſſerit, ſicque veluti in phlegmonis curatione poſt totius evacuationem repellentium vſus, ita in eryſipelate prodeſt, ac terminus refrigerationis coloris tantum mutatio debet eſſe, quando etenim eryſipelas eſt parvum protinus cum hoc conquieſcit, & refrigerationem ſat eſſe cognoſcitur, quando calor extraneus ſemotus, ac extinctus cum temperatione partis ſentitur. Neque refrigerantia medicamina, quæ ſimul adſtringentia ſint, cum ex illis vapores acres intus remeent, ac retineantur adhibenda ſunt, vt Gal. 1. *de comp. medicam. ſec. gen. cap.* 4. docet, ex qua doctrina, quam caute narcoticis ac ſtupefacientibus, ne intenſa frigiditate, qua gaudent particulæ laborantis calorem extinguant, ſit vtendum, colligitur. Quamuis tamen Magiſter in textu evacuationem totius corporis præceſſiſſe requiri aſſerat, vt medicamina refrigerantia parti apponantur, hoc dum eryſipelas ab externa cauſa, vt percuſſione, vel à partis affectæ calore, qui ſimul cum dolore fluxionis eſt cauſa ſuſcitatur, non eſt intelligendum, illo enim caſu adhuc in principio, abſque prædicta corporis evacuatione refrigerantibus tutò vti poſſumus, ſi verò ab interna cauſa oriatur periculoſè ages, niſi cum eryſipelas maximè à nobilioribus partibus diſtat, aut cum calor præter naturam ſummè intenſus, atque ardens eſt, nam ratione vrgentiæ, ne nativus afflictæ partis calor reſolvatur, ac evaneſcat. Etiamſi nulla ſenſibilis evacuatio anteceſſerit ad leviter refrigerantia eſt deveniendum, qualia Magiſter in textu præſcribit, vt ſolanum ſemper vivum, portulaca, vmbilicus veneris ac ſimilia dicta. Si tamen naturam, & conſenſum partis affectæ cum aliis perpendas, nullo tempore, cum eryſipelas ca-

put,

put, eeruicem, ac faciem prehenderit, infrigidantia convenire animadvertes, ne medio retrocessu in partes internas subsequuto, phrenitis, vel angina superveniat.

14. Ex peculiaribus autem Magistri verbis in textu dubium satis proficuum decidendum offertur cum sic asserat, *sed pro sanguinis missione medicamento, quod bilem trahat, purgante,* &c. ex quibus Magistrum sangoinis missionem interdicere in erysipelate videtur, tum etiam *lib. 2. ad Glauc. cap. 2.* inquit: *In erysipelatis curatione, si ingens sit, non necessario sanguis mittitur, sed ventrem per inferiora purgare sufficit medicamento, quod flauam bilem educat, exigua sit affectio, neque hoc necessarium erit, sed acri clystere, alvum exonerare sufficit.* In erysipelate igitur non sanguinis missio, sed pro illa purgatio apud Magistrum exercenda erit: quare vtrum non solum purgatio, verùm sanguinis missio conferat dubitatur, & pro negatiua parte prædictæ auctoritates vrgent, ratioque non exigua instat: nam indicatio sanguinis missionis specie differt ab indicatione pugationis; ergo indicantia simul differunt: ergo cum sanguinis missionis indicans sit illius virium, in quanto vel in moto morbum magnum inducens, purgationis indicatio potius ab humore cacochymo cum morbo magno coniuncto desumetur; atqui erysipelas quod morbus magnus adest ab humore cacochymo, qualis est bilis pendet: ergo potius in erysipelate indicatio purgationis, quam sanguinis missionis erit, tum etiam quia Gal. 1. *ad Glaucon. cap.* 9. in tertiana exqoisita sanguinem mittere noluit: ergo nec in erysipelate exquisito cum à bile fiat sanguis mittendus erit. Prædicta tamen ratio, nec testimonia relata si debitè perpendantur, sufficiunt. Primo enim aliqui respondent Gal. non prohibere, vt in erysipelate, & tertiana exquisita sanguis mittatur, sed sanguinem mittere non necessarium esse, quando videlicet, aut vires deficiunt, aut exigua sanguinis portio, in iis affectibus reperitur, hæc tamen responsio potius evasio, quam satisfactio est; nam hoc commune est in quolibet affectu in quo vires deficiant, cum enim consentiens non adsit, quamvis postulans reperiatur, sanguinis missio celebranda non est, neque multa, aut exigua sanguinis portio venæ sectionem indicat, sed quantitatem evacuationis, vel auget, vel diminuit.

15. Quare aliter est respondendum, Gal. nimirùm solum desumpsisse indicationem à cacochymia biliosa in erysipelate, ac tertiana exquisita, à qua pendent ij affectus, sicque sub ratione cacochymiæ vt talis est, non necessaria est sanguinis missio, proinde de ista non, sed de purgatione mentionem fecit, si vero perpendamus erysipelatem, vt morbum materialem pendentem à sanguine biliosiori in quanto, vel io motu peccante non qoidem solum purgationem, verum sanguinis missionem decernemus, & præsertim cum erysipelas perpetuo à dicto sanguine bilioso nascatur, nollum eoim exquisitum, quia à bile exquisita pendeat, sed quia in cute fit, dicitur propterea quamvis Galen. cacochymiam inspiciens purgationem firmaoit, non tamen sub hac alia consideratione, quia sanguis biliosus in quaoro peccat, & in motu aberrat, & in quali flagrat, sangoinis missio est renueoda cum hæc multitudinem deponat, motum revellat, ac tandem totum corpus ex accidenti refrigeret, quæ indicatio apud Magistrum minoris vtilitatis non est.

16. Hæc qoidem assertio ex nostro textu roboratur, cum Gal. asserat: *Ergo in omnibus qui sic præter naturam consistunt tumoribus, communis indicatio vacuatio est.* Vbi alloquens de Erysipelatis curatione, cum etiam tumor præter naturam sit, communem inesse tumoris indicationem per evacuationem adimplet, quemadmodum in aliis tumoribus in quibus venæ sectionem exequendam firmat. Ratio similiter in contrarium proposita dissolvitur, asserendo, quod Erysipelas non à bile exquisita, & sincera, quemadmodum herpes, sed à sanguine tenuissimo & bilioso ortum ducit, quare etsi cacochymia simul reperiatur, quæ tantum purgationem indicat, quia tamen multitudo saltem ad vires, motus depravatus, & ingens calor febrilis adest, sanguinis missio propter dictos vsus, non à cacochymia, sed à quanto, & motu cum morbo magno indicata est, etsi mavis pura cacochymia existeret, propter tameo doloris vrgentiam, qui impetuosè humorem, ad partem dolentem fluxurum contrahit, vt inde inflammatio, dolor, ac Erysipelas aogeatur, venæ sectio debet exerceri.

17. Nec si asseras valet, quod cum sanguinis missio promiscuè; non vero electiuè veluti purgatio corpus evacuet, potius ista, quàm illa oportebit; non inquam vrget, nam antequam illa materia cacochyma, ad partem inflammatam fluat, iam cum sanguine commixta est, vnde respectu huius antecedentis, vt revellatur, anteqoam ad fluxionem secernatur, promiscuè per sanguinis missionem extrahetur; dices verò quod iam in priocipio principianti affectus potest totus humor esse separatus, & cacochymus, quemadmodum, in tertiana exquisita evenire potest, hoc non obstat, quoniam licet fatear, præcisè sub formalitate cacochymiæ venæ sectionem nō indicari, tamen propter homorem fluentem & vi doloris, & caloris fluxurum, licet moltitudinis signa non adsint, sufficienter præsente morbo magno, vt est Erysipelas missionem sanguinis convenire, qoia quanquam hoc remedium humorem non seligat, ex hoc non sequitur vitiosum, non simul cum sanguine, ac aliis exire, nam non minus sanguis, aperta vena, quam reliqui humores evacuatur: ergo oon minus cacochymos quàm sanguis etiam extrahetur, sicque vt perfectius purgatione, refrigerantibos, & repellentibus vtamur, subsidium percelebre sanguinis missio aderit; quam opinionem Cornelius Celsus *lib. 5. cap.* 26. Paulos *lib. 4. cap.* 2. & Aëöus *serm.* 14. *cap.* 59. tuentur.

18. Aliqui similibus rationibus forsan convicti in Erysipelate cerebri, faciei & cervicis, missionem sanguinis ex cephalica efficiendam proferunt. Ij quidem dupliciter falluntur primo quia potius à parte affecta indicationem remedij specifici desumunt, cum potius ab specie morbi, & causæ materialis debeat dirigi, si enim Erysipelas magnum in facie, cerebro, vel in brachio aut crure adsit, cum idem sit morbus, & causa in specie, idem indicatum subsistet.

Quare

quare in qualibet parte magnum extiterit, magnum remedium vnum tamen in specie postulabit celeritatem verò in operandi modo, vna pars princeps, magis quàm alia ignobilis commonebit, secundus error huius assertionis, cephalicam semper in capitis, vel cervicis, aut faciei erysipelate scindere, est, nam si totum corpus vniversali plenitudine sit affectum, aut aliqua evacuatio à natura assueta suppressa sit, modus operandi est discriminandus, quoniam menstruali evacuatione, aut hæmorroïdibus detentis, potius ad causam, & originem causæ accedendo, sanguis, ex interioribus extrahendus est, si verò hæc non adsint, ex communi, aut media brachij, vt tandem, ad cephalicam deveniamus, ne cephalica aperta denuò fluxio ad partem affectam, nempè cerebrum geminetur. Si tandem vrgentissimus casus in erysipelare adsit, vt etiam in phrenitide evenire solet, eadem die ter, & quater evacuatio, viribus assentientibus est repetenda, vt mox ad cephalicam tutius recurrere valeamus; in erysipelate ergo venæ sectio, ac purgatio convenit, nisi affectio parva sit in qua clyster, vt Magister loco citato inquit, sufficit; neque medicamina purgantia intense calida, sed mitiora, & clementiora, vt rhabarbarum, casia, tamarindi, & alia, ne calor denuò ignescat conveniunt, qui denique simplicem affectum desumpta indicatione à causa materiali detroncare sciuerit, compositum etiam ex duplici humore orientem, vt Erysipelatem phlegmonosum, œdematosum, vel scirrhosum, facilè causæ morbificæ prædominium perpendens, absque eo quod aliam quæ in minori quantitate sit, despiciat curare valebit.



CAPVT IV.

Ocdematis curatio adducenda offertur.

TEXTVS.

Sicut enim ex biliosa fluxione, &c.

19. 
POSTQVAM Magister in antecedentibus de calidis tumoribus, vt phlegmones, Erysipelas, ac herpes sint, egit, jam de frigidis ab humore pituitoso pendentibus, inter quos œdema est, sermonem instituit, & meritò ante scirrhi curationem, quæ ad œdema dirigitur antecedit, eò quod illius causa cum pituita sit, sanguini reliquis humoribus propinquior est, & vlteriori concoctione in sanguinem convertitur. Quare quemadmodum Erysipelas à biliosi humoris fluxu, ita œdema, quod rarus quidam, atque indolens tumor est à pituita pendet. Et præterquam quod in pedibus, in affectibus etiam leucophlegmaticis, & phtois, aliisque habitibus vehementer cachexicis gigni solet. Quod quia multitudinem, quæ hominem premit, sequitur; illius ratione symptoma est, nullámque seorsum curationem requirit. Si enim modo curatione egebit, ipsa crura fricare iam oxyrrhodino, iam oleo cum sale, siue oxyrrhodino sal in se continente sufficiet. Si verò œdema, ex humore pituitoso in aliquam partem decumbente oriatur, spongia, ex qua enim aliqua aceti portione madefacta, satisfaciet, aqua tamen ita aceto temperanda est vt quasi potui deservire valeat. Spongia quidem primo ab inferiore parte incipiendo, vsque ad supernam deligenda est, etsi noua spongia non inueniatur, nitro, & aphronitro, & aqua lixiva detergenda, & expurganda est, si igitur his œdema non obediat, pusillum aliquid aluminis, antequam noua spongia apponatur, est iniiciendum, tharsicum etiam spongia vtilius si poscat, quæ aliquid aluminis habeat madefieri est efficienda veluti etiam in ossis fractura fasciæ inferne incipiunt magis comprimendo, mox sensim remittendo, absque eo, quod aliqua pars laxa relinquatur, sic in œdematis compressione agendum est. Medicamentum autem glaucium dictum in posca liquatum huic fini maximè prodest, nec solum œdemata, verùm multo magis, tum Erysipelata, tum incipiētes phlegmones, & præsertim calidas curat, nō enim quod phlegmonas Erysipelatosas, & Erysipelata phlegmonosa idem medicamētum sanare valeat dubium est. Illas verò phlegmonas, quæ in scirrhum deficere, aut Erysipelata, quæ iam infrigidata sunt, vel demum affectū vllum scirrhosum nequaquam huiusmodi medicamen persanavit.

TEXTVS.

Siquidem humor vnde huiusmodi vitium, &c.

20. Rationem propter quam hoc œdematosum scirrhū, ac similes affectus solvere non potest Magister commonstrat, ex eo quod, humor prædictos morbos gignens, aut glutinosus, aut crassus, siue vtriúsque naturam participās est, indicatio vero communis ad ipsos curandos, potius est evacuatio in totum illius humoris in particula tumore correpta contenti, nam id quod contumaciter inhæret digerere ac resoluere oportet. Quare si Medicus vehementer trahentibus, ac digerentibus evacuare conetur, & medicamentis, quæ non humectent, simul & excalefaciant, mollire, ac liquare aggrediatur. Primis statim diebus proficua curatio, quia tumor minoratur, videbitur, reliquum vero affectus permanens insanabile reddetur, nam cum solum partes tenuioris substātiæ digestæ ac resolutæ sint, quod crassius, ac terrestrius relinquitur in lapidosam substantiam nulli medicamini ceden-

tem evadet. Proinde etiam pori, qui in morbo articulorum ex humore crasso, atque glutinoso cum iis paulatim non digestus, sed medicamentis violentis potius totus exsiccatus sit, nascuntur, non curantur. Neque aliter calculi in renibus, torrefacto videlicet in illis crasso, & glutinoso succo gignuntur. Ad affectus igitur scirrhosos nullum medicamen vehementer quod calefaciat, ac exsiccet idoneum est, sed solum illa, quæ simul mollitiem exhibendo digerant, ac resolvant, vt medulla cervina, vitulina, sevum hircinum, taurinum, leoninum, ammoniacum, thymiama, vtrumque bdellium, & præsertim scythicum, eò quod humidus est, prosunt. Quibus indicationibus ritè perpensis de affectibus simplicibus, in compositis eandem methodum seruate oportebit.

Nonnulla iuxta Textus expositionem dicenda offeruntur.

21. Quamvis Magister œdema symptoma esse asserat, aliquando morbum, curationemque indicare fatetur, nam cum propter pituitæ influxum in aliquam partem fit, affectum organicum gignere solet, de quo in præsenti modum curationis commonet, licèt habita ratione ad causam partes affectas, & naturam ipsius, æqualiter se habere asserat, vt *lib. 2. ad Glauconem, capit. 4.* sic alloquitur: *œdema autem vocamus tumorem mollem doloris expertem, quem ex pituitosa substantia, aut spiritu vaporoso fieri constat, qualis in cadaueribus evenit, nonnunquam etiam in pedibus, & cruribus eorum, quos aqua inter cutem vexat, & in tabidis, & aliis qui malo habitu (Græci cachexiam) laborant. Verùm tale œdema in periculosis illis dispositionibus accidens est, nulla propria, præcipuáque curatione indigens.* Ex qua doctrina, & nostro textu huius capitis œdematis natura innotescit, œdema nimirum est tumor pituitosus, mollis, & laxus, doloris, ac caloris expers, & albi, vel subflavi coloris: species similiter duplex, eò quod vnum symptomaticum, & aliud morbosum sit. Partes laborantes, vt cutis, subiectáque caro, & aliæ laxæ ad fluxum pituitæ idoneæ, veluti manus, & pedes, cum à cordis calore maximè distent, affici constat, quia tamen non solùm partes extimæ, verùm etiam intimæ œdemate laborare valent, proinde œdematum differentiæ, tot, quot partium affectarum differentiæ sint, desumentur. Ex quibus non exiguum inter œdema, & alios præter naturam tumores discrimen adest, à phlegmone nimirùm, quia mollitiem, ac laxitatem, quibus phlegmones caret, continet, & quoniam sine dolore, & calore, quibus phlegmones gaudet, reperitur. Istius rubedo, illius albedo clarescit, nec minùs scirrhus mollitie, atque laxitate destitutus est, & qui pituitosus est, à crassa lentáque pituita, œdema verò à tenui, vt Galen. *lib. de tumoribus, præter naturam ait*, gignitur

22. Ex quibus iuxta prædicti affectus genuiniorem causam dubium suscitatur, ex qua videlicet pituitæ specie œdema propriè dictum ortum ducat, in cuius decisionem, prius œdema aliud exquisitum, aliud verò nothum esse, animadvertere oportet, & in ratione nothi, alterum simpliciter nothum dicitur, ab humorum permixtione, superante tamen pituita fit. Nothum verò secundùm quid, quod à pituita crassa, siue sincera, siue mixta cum aliis humoribus nascitur, est, hoc verò œdema propriè neutiquam; sed tumor scirrhosus, vt supra dictum manet, dicitur. Notandum etiam est, pituitam crassam, non æqualiter, sed alteram altera crassiorem reperiri, veluti tenuem pituitam, quæ alia tenuior est, crassior autem vitrea, quàm acida est, sic etiam salsa tenuior quàm insipida. Quibus præhabitis, œdema exquisitum, de quo Magister in textu alloquitur à pituita insipida, quæ tenuis est ortum ducit, eò quod supra modum adaucta, in aliquam corporis partem defluens huiuscemodi œdema efficit, vt Magister in textu ait: *sicut à biliosa fluxione Erysipelata, ita à fluxione pituitæ œdemata.* Quod verò hæc tantum insipida pituita, non tamen acida, salsa, nec dulcis œdema exquisitum gignat, probatur: nam œdema exquisitum in esse talis, est humor laxus, mollis, frigidus & indolens, sed hæc ab aliis nisi tantum ab insipida pituita obtinere non valet: ergo non ab illis sed ab hoc humore gignetur. Minor probatur, & primò de salsa cum ista propter vehementem tenuitatem aptam consistentiam pro tumore laxo & molli efficiendo non habet; secundò de vitrea, & acida patet, quia hæ præ crassitie, laxitatem, & mollitiem neutiquam, sed renitentiam tumori exhibebunt. Tertiò de dulci ostenditur, ista enim quamvis substantiæ mediocritate constet, quia tamen cum sanguine mixta est, potius spurium, quàm exquisitum œdema continet. Præterea dicendum occurrit pituitam crassam; benè quidem causam œdematis nothi secundùm quid esse, vt Magister *lib. 1. de tumor. præter naturam. cap. 10.* sic ait: *œdema verò tenui pituita, quemadmodum crassa & lenta, altera quadam scirrhosum species constituit.* Ex quibus duplex scirrhi species colligitur, alia videlicet à crassa, & lenta pituita facta, alia verò à succo melancholico, de qua in præsenti Magister non agit, sed solùm, de scirrhi specie, quæ vel ab initio propter humoris crassitiem, veluti per congestionem, vel per conversionem humoris tenuis in crassum efficitur, vt in erysipelate, phlegmone, vel proprio œdemate, dum propter intempestiuum, refrigerantium medicaminum, siue immodicè resoluentium vsum evenire experimur. Resoluta enim tenuiori parte humoris reliqua in substantiam lapidosam evadit, vt Magister in textu sic ait. *Cæterum quod de affectu restabit insanabile erit, siquidem toto quod in eo tenuium partium erat digesto, quod reliquum est veluti lapidosa concretio linquetur.*

23. Et vt prædicere ritè de futuro œdematis eventu valeas, recessum maximè perpendere oportet, si enim exquisitum à pituita insipida, ab hepate genita præ multitudine naturam opprimente, vt fluxio in aliquam partem sequatur, procedat, dum non symptoma, sed morbus est, non ita periculum, vt aliæ species arguit,

guit, morbus enim longus, eum frigidus ſit, ac à calore imbecillo non ita facilè vincatur, eſt, vt Gal. 1. *prog. comm.* 24. & præſertim ſi exquiſitum eſt œdema quale cum mollitie, & ſine dolore reperitur, eò quod, fluxiones ex ſanguine, vel pituita (naturali inquam) benignæ ſint vt Magiſter 2. *prog. comm.* 46. commonſtrat, durum verò œdema, & cum dolore, quale non legitimum ſed ſpurium eſt, periculo non vacat.

24. Illa tandem œdemata, quæ iam ingentem naturæ iacturam ioſequuntur, vt quæ in tabidis aecidunt, propter maximum à natura receſſum proindéque virium languorem, nunquam eurationem deſiderant, quæ verò habitibus eachexicis, vel hydrope aff ctis laborantibus aſſociantur, etſi impoſſibilitatem, oon obtineaut, difficilia tamen curatu ſunt. Illa etenim quæ in hydrope ex menſium, aut hæmorrhoidum ſuppreſſione orta inveniuotur, probabilius, quàm quæ in hydrope, ex immodicis evacuationibus ſanguinis facta adſunt, ſanari poterunt. In prima enim hydropis differentia, quanquam aliquis languor ſimul cum multitudine adſit depoſita oppreſſione à ſanguine menſtruali retento, faciliùs natura in ſalubrem ſtatum evadet, in ſecunda verò ſpecie, quia intenſior debilitas eſſentialis evacuationem immodicam ſanguinis, ac ſpiritus inſequens invenitur, in totum fere ſalutis ſpem obnegat, periculoſior ſemper extrema inanitio, quàm extrema repletio in curatione adeò, cum in repletione extrema per ablationem opprimentis calor natiuus denuò ventilatus, humidum, quo conſervatur amplectitur, in evacuatione verò etiam extrema cum radicitùs de pabulo propter reſolutionem illius vehementiſſimam, nihil inſtaurandum reſtet, propterea natiuus calor æreus, & primigenios fulcrum, quo conſervetur, ad vitales actiones obeundas, non habet, ſicque neceſſariò viuens perit.

25. Cum igitur Magiſter aliquando œdema morbum organicum eſſe poſſe aſſerat, curationem illius peculiarem localibus adimplet, frictiones nimirùm, per oxyrrhodinom factas imperat aſſerens; *ipſa tum crura perfricare, aliàs oxyrrhodino, alias oleo cum ſale, aut etiam oxyrrhodino ſal habente,* &c. tum etiam *lib. 2. artis curatiuæ ad Glauc. cap. 4. ſola enim frictio ex oxyrrhodino, aut nonnunquam ex ſale, & oleo, vel etiam ex ſale iniectis oxyrrhodino ſiſtit ipſum aliáque huiuſmodi multa.* Quod veriori indicationi curatiuæ à morbo deſumptæ opponi videtur, nam cum morbus ſui ablationem per contraria indicet, & morbus œdematoſus, quemadmodum oxyrrhodinum frigiditatem excedentem habeant, indicatum non indicanti contrarium, ſed ſimile in qualitatibus eſt: ergo œdema medio oxyrrhodino neutiquam curandum erit, quæ ratio in textum cuilibet perlegenti ſemper vt vera eſt amplectenda, habita quidem indicatione, ad morbum videlicet frigidum, & cauſam, qualis pituita, quæ etiam quia frigida contraria indicata vt calida & ſicca ſunt, expoſtulat, Galen. tamen in præſenti indicationem, dum oxyrrhodinum præſcribit, non ad morbum. neque ad cauſam, ſed potius ad tempora fluxioois illius dirigens, illud vtendum præcepit, nam cum quilibet materialis morbus ex fluxione natus quatuor tempora percurrat propterea habita ratione ad fluxionis principium quiſquis humor ſit, repellentia exhibenda iubet, vt in antecedenti *libro* 13. *cap.* 11. de lethargo agens ſic fatur. Nam repellendus *à capite humor eſt, quiſquis is fuerit.* Quapropter in principio œdematis neglecta quaſi morbi, & cauſæ indicatione, & ſolùm illius motum perpendeos oxyrrhodinum ad repellendum commonet. Quia tamen ſimul huic fini Medicus, & partiali indicationi à cauſa deſumptæ, per exſiccationem ſatisfacere valet, proinde cum oxyrrhodino aliquid ſalis eſſe permiſcendum Magiſter imperat, ita vt ſal inter œdematis initia deuſtos, quamvis potentius exſiccet non ſit admiſcendum, eo quod, minori vi adſtringendi, quàm quæ pro repulſione requiritur gaudeat.

26. Cum igitur Magiſter in textu de vniverſali curatione, ſed de particulari localia adminiſtranda præcipiens, nec verbum protuliſſet, meritò vtrum in œdematis exquiſiti curatione vniverſali, non ſolùm purgatio, cauſæ morbificæ pituitoſæ, verum etiam ſanguinis miſſio aliquando conferat, dubitabis. Quod facilè diſſolvetur, ſi perpendas, quod dubium nullatenus de œdemate, quod generationem pituitæ ex hepate eſſentialiter, & extremo languido procedit, videlicet, cum ex immodica ſanguinis evacuatione, ſiue à natura vt in hæmorrhagia, ſiue ab arte oritur militat, illo enim in eaſu habitus eachexici, hydropiei, & œdematoſi, propter ingens ſpirituum caloriſque nativi diſpendium, contingunt, vbi potius repoſitio, quam ſanguinis miſſio conuenit, quando verò œdemata cum hydrope complicata, ex menſium retentione eveniunt, quanquam œdema, vt tale eſt, neque vt à pituita ſincera pendens ſanguinis miſſionem non, ſed purgationem illius electiuam exigat, habita tamen ad morboſum apparatum, ex evacuatione menſtruali quæ aſſueta erat retenta, genitum, cum ibi humorum ſarcinas, & multitudo, naturam gravans, caloremque nativum quaſi obruens ſit, ſanguinis miſſio proderit, ſemota enim multitudine, quæ antecedens affectus cauſa nuncupatur, nativus calor perfectius ventilatur, vegetior redditur, ac aliquam portionem pituitæ intra venas exiſtentis, ac peculiarem, quæ in parte œdema conſtituit felicius concoquet, ac devincet, ſicque etſi Magiſter nec purgationem, nec ſanguinis miſſionem, in hoc affectu detruncando exercendam præcipit, hoc deſumitur, eò quod ſolùm de particulari morbi, ſiue tumoris ſolutione loquutus fuit, vt ipſe Magiſter *libro ſecundo ad Glauconem, capite quarto,* ſic ait: *cum verò propter pituitam parti infixam huiuſmodi fit affectus, ſpongia in aqua, qua parum aceti habuerit rigata paſſionem ſedat,* &c. quare dum pituita parti iam infixa eſt, & talem affectum efficit particularis morbus œdema videlicet generatur, cui ſolùm prædicta indicata, non verò ſanguinis miſſio ratione hu-

ns conuenit, benè tamen respectu fluentis, quæ in venis reperta,& cum sanguine commixta est, antequam præ multitudine secernatur, ad fluxum venæ sectio exercenda erit, tunc etenim adhuc materia est in fieri fluxionis, vt in textu nostro ait Magister, *at si ex pituitoso humore in particulam influente œdema constitit, &c.* si tamen dicere volueris, quod quamuis pituitæ fluxus detur, illa tamen, medicamen purgans cum secreta tota à commercio sanguinis possit esse, indicabit; respondeo verum esse ipsam vt separatam purgationem exigere, habita verò ratione ad ingentem illius copiam intra venas quæ tum magnas obstructiones procreat, tum calorem extremè obruere potest, pro nde vt purgatio perfectiùs exerceatur, materiàque expurganda maturescat, ac medicamini obediat, motusque in partem laborantem reuellatur, quamquam cum sanguinis cõmercio non sit, oon tollit media venæ sectione promiscue portionem huiusmodi pituitæ diminui, immò per ablationem materiæ frigidæ, qualis est pituita, corpus calore vegetiore reddito, calidius, quàm antea redditur, cum dilucidius influens omnibus corporis partibus semoto infrigidante, vt pituita in quanto, & in quali est, communicetur.



CAPVT V.

Indicatio scirrhi curatiua penes partium affectarum differentiam varianda venit.

TEXTVS.

Mihi verò iam tempestiuum fuerit, &c.

27. VM superius Magister de tumoribus à sanguine, bile, pituitaque genitis satis egerit, iam de iis, qui à succo melancholico nascuntur sermonem constituit, primoque partium diuersitatem a quibus varianda indicatio sumitur, commonstrat, quamuis in antecedenti libro plura prolata reliquit, omnes igitur tumores, præter naturam in quibus pori adhuc geoiti noo sunt prima ratio indicatiua evacuatio est, dum verò iam in partibus scirrhus contractus est, vacuatio per medicamenta malactica, quæ mollientia nuncupantur, efficienda est, quia tamen partium substantia, naturaliter alia rarior, aliaq; densior adest, propterea perpẽsa hac contexturę differẽtia, remedia specie diuersa oportet adhibere, sicque cum in tendonibus, vel ligamentis scirrhus inuenitur, medicamentis emollientibus dictis aliquid incidentium quale est acetum addendum expedit, licet interim in aliis partibus scirrho laborantibus Magister eo vtatur, in tendonibus verò, & ligamentis lapidem molarem maxime candentem, in aceto acerrimo extinguit, vt mox vapore aceti ascendente calido ligamentum aut tendo scirrhosus manu dimoueatur, ad maiorem vaporis imbibitionem, & penetrationem quo facto medicamen emolliens, imponendum restat: neutiquam verò in principio curationis aqua, sed oleo pars affecta est perfundenda, oleum quidem nullatenus adstringens, sed potius substantia tenui constans, vt sabinum, in quo aliquando radix altheæ, atque cucumeris siluestris concoquatur prodest. Vsus tamen aceti, cum vitium iam inueteratum est, ac mediis emollientibus pars disposita præcedit vtilior erit. Animaduertit verò Magister, quod aliqua medicamina emollientia composita cum aceto sunt, vt spatio vnius diei parti imponantur, eo quod virtus aceti, si modice, ac debito tempore illo vtamur, ad crassos humores dissecandos, ac dissoluendos proficua est, si verò immoderatius, ac intempestiue tenuiores tumoris partes violenter absumit, proindéque relicta materia lapidescit, ac tandem, ex diuturno illius vsu ipsa neruorum substantia diminuitur, ob quas rationes, nec pluries, nec in curationis initio, nec longo tempore, medicamenta, ex aceto composita ligamentis & tendonibus apponenda sunt.

TEXTVS.

An in liene, & carnosis musculis, &c.

28. CVm igitur diuersa substantiarum natura ligamenta, & tendones, quam musculi, & lien constent, eo quod huiuscemodi partes raritate substantiæ gaudeant, medicaminum cum aceto emollientium vsus est valde securus, nec proinde, aliquis neruus media illius vi lædetur, plurimi etiam ad luti crassitiem in liene repertam amoniaco, vel thymiamate cum aceto vtuntur, quod huic fini suffecit, & præsertim ad musculos nullum aliud medicamen perfectius vidit. Animaduertit tamen, quod si priùs pars scirrho affecta mollita sit, maximum commodum prædictum amoniacum aceto liquatum infert, ordo verò in eorum applicatione obseruandus est, priùs enim emollientia, mox vno, aut altero die amoniacum, rursus emollientia pluribus diebus conferunt, atque iterum, ad amoniacum, aut aliud quidpiam ex dictis emolliens, cum aceto exhibendum est accedendum, nequaquam tamen medicamina exsiccantia proficere valent, nam quamuis in principio medicamentum prodesse videatur, posteà verò reliquas scirrhi partes sanatu impossibiles remanere cognoscemus, ob quam rationem Magister in medio curationis tempore cataplasmate ex althea vtitur, illius enim radix seuo, siue anserino, siue gallinaceo, siue suillo liquata vtilitatem adfert: nec folia maluæ siluestris priùs modice decocta cum aliquo ex dictis medicamento permixta renuenda sunt, quibus qualis curationis

rationis & medicamentorum variatio pro partium scirrho laborantium variatione satis communis est.

TEXTVS.

Ad eundem modum œdematum curatio &c.

29. Simili modo ex Magistri doctrina in œdematum curatione, quæ in antecedenti capite sigillata manet, diuersimode propter partium affectarum variationem agendum est: œdemata enim in præcordiis genita, neque alij tumores in iis partibus reperti spongiam frigidam, ex posca sustinere valent, quis enim absinthium, in oleo decoctum, ad genu vnquam perfundendum seliget? quis similiter ad oculum, neque ad partes intra os tepettas, qualiscunque sit morbus hoc medicamen apponet? iecori verò, atque lieni laboranti maxime confert cum tam ratio quam experientia manifeste commonstret.

Plura iuxta scirrhi curationem animaduertenda veniunt.

30. Quanquam in præsenti Magister scirrhi curationem illiusque diuersitatem penes partium affectarum varietatem tantum attolit, nonnulla circa illius essentiam, differentias, causas, generationis modum, partes affectas, signa, & prognosim vt textus littera magis innotescat breuiter adducam. Scirrhus igitur apud Græcos & Latinos dictus, apud Arabes sephitos, veluti ab ab aliis tumor durus nuncupatur, in sua quidem essentia, & ex natura rei: *Tumor præter naturam, durus, ac renitens, & indolens ex humore melancholico naturali, vel crassa & glutinosa pituita genitus est.* Vt ipse Magister *in cap. 3. huius lib. dixit, & 2. libr. ad Glaucon. cap. 4.* commonstrat; hoc etenim *cap. 4.* sic incipit: *Exquisitus scirrhus est tumor præter naturam insensatus, durusque non exquisitus verò, non omnine insensibilis est, &c.* Ex quibus scirrhi species plures esse clarescit, aliquis enim exquisitus, ac legitimus aliquis verò non exactus, sed spurius, ille tumor durus & omnino insensibilis est, iste etsi durus, ac renitens, ac vix sensibilis sit, aliquo tamen sensu non caret; etsi rigorose Magistrum calleamus, per ly (*insensibilis*) non sine sensu, sed sine dolore intelligere debemus vt ipse in *cap. sequ. huius lib.* sic alloquens exponit: *Quod scirrhum nominamus tumorem durum, qui sine dolore est, non tamen omnino sine sensu, talis enim sanabilis non est, &c.* Si etiam quod alij scirrhi ex lenta, & crassa pituita, alij verò ex naturali humore melancholico procreati sunt cognoscas, varias illorum differentias indicabis, & quemadmodum in superioribus œdemata ex succo pituitoso insipido naturali si exquisita sint, gigni dictum manet, quia sola pituita insipida est, quæ mollitiem, & laxitatem cum debita subsistentia œdemati tribuit, acida enim, & vitrea, quia crassior, non mollitiem, salsa, quia tenuior maiorem fluxibilitatem, quam quæ pro requisita mollitie adest, condonat, & dulcis pituita; quia permixta cum sanguineque est sine dolore neque est exquisitum sed spurium, œdema, propterea eadem sentiendi ratione, obseruata vt dicendum, quod pituita crassa lenta, atque exsiccata, veluti succus melancholicus potius ad scirrhorum generationem, est idonea, cuius est ratio, nam essentia scirrhi non in humoris, à quo specie; sed ex effectu, duritie videlicet, & quod sine dolore sit desumitur, quare cum tumor factus à pituita crassa, & lenta sit cum duritie, tenitentia, & sine dolore, sine dubio talis humor à dicta p. tuita confectus scirrhus exquisitus vere & proprie erit, licet verum sit quod penes maiorem, aut minorem pituitæ crassitiem, aut pro varia alterius humoris permixtione scirrhus exquisitus, aut nothus, & non exquisitus oriri valeat, cum in hoc non exigua latitudo adimeniri possit, eadem etiam paritas, ex succo melancholico currit, ptopter enim ipsius quantitatem, qualitatem, tam primam, quam secundam, & ipsius generationem, variæ scirrhorum differentiæ dimanare possunt & vt hoc perfectius callere valeas primò perpende scirrhum, aut à principio congeri, siue generationem excipere, vel ex mutatione, alicuius humoris antecedentis, vt phlegmonis, vel erysipelatis, aut œdematis, quod imperitię, in medico ratione, immodicè medicamentis refrigerantibus, congelantibus, siue exsiccantibus vtente oritur.

31. Scirrhus etenim qui primam generationem sine alterius mutatione sibi induit semper, vel à pituitæ, valde crassæ, atque lentæ, vel succi melancholici redundantia tenacissime in parte affecta impacti, & infixi nascitur. Vt Magister *loco citato 2. ad Glauc. cap. 4.* inquit, & quemadmodum diuersæ pituitæ species à quibus scirrhus fieri possit, sunt, ita melancholicus humor scirrhos generans, diuersus est, sicque naturalis qui laudabilis sanguinis fęx nuncupatur, & limosa, veluti superfluitas est, si iste succus supra modum auctus maneat, vel ratione primi generantis videlicet hepatis, vel quia diminute, aut abolite à liene, vt sanguis expurgetur attrahitur, si inquam cum massa sanguinaria per vniuersum corpus vadat, morbum regium nigrum efficere poterit, si verò in aliquam peculiarem particulam decumbat, impactusque ibi sit, scirrhum exquisitum gignet, melancholicus verò succus præter naturam in duplici differentia apud Magistrum est, dum enim naturalis succus melancholicus extreme aduritur splendoremque, quasi esset pix acquirit, & acidus est in terramque effusus vt acetum feruescit, muscas interficit, ita præter naturam redditur, vt atra bilis exquisita appelletur; qua peior, malignior, ac magis terrifica est illa, quæ ex flaua bile superassata educitur, vt Magister *comm. 19. lib. 3. prædic.* Hipp. ait ex quibus etenim humorum speciebus, non scirrhi, sed potiùs cancri vlcerati, aut sine vlcere ortum ducunt vt Magister *lib. de tumor. præter naturam* ex quibus scirrhum exquisitum, non ab atra bile exquisita, sed à melancholia naturali, aut à pituita præter naturam, maxime crassa, lenta & gypsea produci posse fatendum est. Vnde cū in partibus corporis rarioribus ac laxioribus, quales sunt pulmo, cerebrū, & similes prauia dispositio vt scirrhi generetur, velut in iis quæ densiores, duriores que adsunt vt tendones ligamenta, & musculorum capita non reperiatur:

proinde solùm in solidis, densis spissisque particulis d ctis scirrhorum generatio elucescet, aliquando etiam in internis, vt in hepate, atque liene, vt supra est dictum, solent progigni, & inter omnes homines, qui habitu denso, melancholico, hirsuto gaudent, aptiores ad hos affectus scirrhosos contrahendos sunt vt Magister 3. *de locis affectis, cap.* -. sic air: *Corpora melancholica, præsertim scirrhis tentari solent, vt macilenta, nigra, hirsuta, dura & obtusa cute, & qui latas venas habent, similiter adusta, glauco colore prædita, & rubrum pilum habentia: item, qui diu vigiliam, famem, labores, solicitudinem, & quodlibet aliud superfluum excercitium, passi fuere, aut crassis cibis vsi, aut consueta hemorrhoides fuerunt obturata, & in mulieribus menstrua purgatio:es intempestiuè fuerunt suppressa sæpe scirrhis affiguntur.*

32. Neque signa, si tumorem cum duritie, renitentia, & sine dolore cognoscas spectabis, ita vt si exquisitus scirrhus sit in totum indolens, si spurius prorsus fere indolens, in exquisito quidem propter materiam onimmodè impactam, atque solidam influxus qualitatis illustratiuæ animalis, vt partibus nervosis ad sentiendum impeditus adest, & causa à qua ortum ducat, ex tumoris colore patefiet, cum si à pituita scirrhus decolor, si verò à succo melancholico plumbeus, seu fuscus color est, nascatur, & quia diuersum generationis modum sortiri potest, proinde ille qui ex primis rudimentis fit frequentius, paruus apparet inter initia, postea verò paulatim increscit, ita vt aliquis eandem partem quam afficit semper occupet, alius verò prima relicta, in aliam similiter transmittatur diuersimodè tamen qui aliunde generationem habent sunt percipiendi, scirrhi etenim qui ex erysipelatis mutatione fiunt ex intensa saltim cutis summa duritie, veluti, qui ex phlegmone, siue inflammatione subsequuntur, non solum ex cutis, verum ex subiectæ carnis laborantis duritie ostenduntur.

33. Quibus præhabitis ratio procedendi non vna, sed diuersa, ex causa à qua, & recessu, quo pars laborat desumenda est, cum enim scirrhus omnimodè insensibilis est, quia medicamenta in actum de potentia non reducuntur, frustranea eorum appositio est, & ratio huius est, nam non solùm, irradians ex cerebro qualitas ad membrum vt sentiat est feriata, sed etiam propter succi melancholici, tum in venis, tum in arteriis ingentem repletionem vitalis influxus à corde impeditur, sicque influens calor abest, tum etiam naturalis facultas in prædicta parte præ corporeæ substantiæ melancholicæ, quasi obruta agere non valet sicque potestatiuum medicamentum non actuatur, si deinde durities ex omnimoda radicalis humidi absumptione orta sit, cum talis siccitas vt in marasmo elucescit irreparabile humidum supponat irreparabilem scirrhum confirmabit. Solum igitur qui à succo melancholico naturali nascuntur frequentius media resolutione in halitus conuersa terminari solet, licet nonnumquam indurati relinquantur, quandóque in perniciosum cancrum transmutantur qui cum facile à medicamentis irritetur, non solum difficulter curatur, verùm etiam potiùs in ægrotantis necem tendit. Scirrhus tamen à pituita densa & enta oatus, quamquam sanari non valeat mutationem in cancrum omnimodè negat.

34. Quibus breuiter suppositis, Galenum in textu curationem scirrhi incurabilis, qualis insensibilis & exquisitus est, non, sed illorum, qui oothi sunt & aliquo adhuc sensu gaudent, vel saltim illorum, qui non inueterati, sed recenter geniti adsunt, adducere dicendum est, ij etenim antecedenter per medicamina dissolui tentantur, vt si hæc non possint exercitium chirurgicum sibi locum arripiat. Magister igitur primò schirri curabilis terminationem per medicamenta malactica, siue emollientia aggreditur, ita vt quæ sicca sint maximè renuat, ista enim quæ maximè dissoluunt, breui tempore manifestam diminutionem tumoris conficiunt, sequenter verò affectum incurabilem reddunt, resoluto etenim tenuiori succo, reliquum extremè exsiccatum lapideam naturam acquirit, quod Magister *lib.* 2. *de arte cur. ad Glauc. cap.* 4. sic alloquens firmat: *Non igitur curanda sunt partes indurata, medicamento immodicè exsiccante, sed cum eo, quod calorem habeat tepidum, humiditatem verò nec multam, nec omnino minimam, quòd enim superfluum humorem habet nihil omnino dissoluit, quod verò minimum, plusquam oportet exsiccat.* Nec si in Gal. insurgas sufficier cum Magister in hoc textu calorem tepidum tumoribus induratis apponendum esse præcipiat, & in *cap. nostro præsenti* 5. oleum sabinum, quod magis, quam tepidum moderatum in medicamentis secundi ordinis calidis repertum, non verò in primo gradu, vt in pus mouentibus reperitur, intelligit. Sicque collatione facta ad medicamenta pus mouentia, quælibet emollientia, & digerentia calidiora, etsi ex se temperata sint, & apud Magistrum tepida nuncupentur sunt, quare amoniacum, bdellium, oleum sabinum, & similia, etsi calida in secando ordine sint, vt temperata & tepida apud Magistrum sunt intelligenda.

35. Sed quare, inquires, Magister scirrhi curationem, per subsidia vniuersaliter euacuãtia non incepit? quæ dubitatio si animaduertas dissolvetur, quod vel scirrhi generatio paulatim, sensimque per humorum congestionem quod frequentius evenit, fit, vel ratione confluxus succi melancholici in toto corpore redundantis: quod si primo modo eveniat, solum topica remedia, & particularia, nisi vniuersalis plenitudo adfuerit, exigit, si verò secundo modo, necessaria remedia vniuersim euacuantia sunt, quæ cum iam Magister diuersis in locis, ac præcipuè 1. *ad Glauc. cap.* 2. exercenda doceat, propterea in præsenti non ea renuens, sed vt satis præcepta omittit, nec mirum cum loco citato sic alloquatur: *sunt autem hæc duo errata, maximè si nulla de toto corpore prouidentia habeatur etsi calefiat, atque humectetur etiam membrum &c.*

36. Dubitabis vlterius quomodo Magister localia medicamina adhibenda iubens priùs non in principio repellentia, bene verò emollientia commonet. Si enim in œdemate à pituita orto repellentia potiùs quàm emollientia, quia materia fluens semper repulsionem exigit, conueniunt, ita pariter in scirrhi principio cum succi melancholici fluxio incipit, vt talis humor repellatur medicamenta repercussiua apponere oportebit, & præsertim cum ipse Magister loco citato asserat,

repellendus

repellendus humor est quisquis is fuerit: ergo Magister sibi quasi contradictionem, ait ipsius doctrinę oblivionem cõmittere videtur. Nec sufficit dices, scirrhum per congestionem fieri, sicque, cum paulatim congregetur nulla repercussione indigere: nam etiam scirrhus aliquando ex recenti (*vt est supra dictum*) melancholiæ naturalis fluxu fit: ac proinde illo in casu, non emollientia sed potiùs repellentia proficient. Huic tamen respondeo, quod etsi fluxio vt talis est repulsionem semper indicat, habita tamen ad naturam fluentis humoris repugnantem ratione, repellentia non sunt adhibenda, eò quod cum scirrhus ab humore crasso valde, & terrestri, vtpote frigido, & sicco nascatur, huiusmodi materia ex se repugnat, ineptaque est vt repellentibus retrocedat: imò magis incrassatur, impingitur, ac tenax omnimode redditur, reliqui verò humores, qualis est pituita in œdemate, & lethargo, cum fluxiliores, tenuioresque sint, faciliùs repercutientibus, vt fluxio cohibcatur, cedunt, sicque diuersa ratio militat, & quamuis Magister repellendum humorem, quiquis sit, esse asserat, cum loqueretur de phrenitide, ac lethargo, potius tam debile, ac de pituita, quàm de melancholica alloqui iudicandum est.

37. Nec medieamina in textu allata in scirrho à melancholia pendente, solùm, & nimis emollientia conferunt: nam huiusmodi scirrhi emollientibus nimis ita exasperantur, vt facilè in affectum cancrosum transmutentur, vt suprà ex Magistro constat loco citato: *Quod superfluum humorem habet, nihil omninò dissoluit, quod verò minimum, plusquam oportet exsiccat.* Sicque moderate humectantia solùm iis affectibus proderunt, præsertim si cum remissè discutientibus commisceantur: & cum scirrhi durities propter diuersa causarum genera fiat: proinde ex diuersitate illarum, diuersa pariter subsidiorum indicatio exigitur. Quare quoniam durities, aliquando à siccitate, aliquando à frigiditate, quandoque à repletione prouenit, proinde dum siccitas morbosa est, emollientibus, siue humectantibus aufertur, dum frigiditas duritiem, veluti in glacie evenit, efficiens calefacientibus elementer corrigitur, dum verò ab humoris melaneholici fluxu durities scirrhi pendet, potius per euacuantia tollitur, etsi huiusmodi causæ inter se complicatæ fuerint, indicatio composita ipsis correspondens exequenda venit. Notandum tamen est, quod succus melancholicus, clementiora mitioráque medicamina in scirrho, quàm pituita densa & crassa postulat, ex hac enim non ita, quemadmodum ex illo, conuersio in cancrum imminet, in mollioribus etenim corporibus, ac scirrhis recentibus particulas molliores occupantibus digerentia mitiora, in durioribus verò particulis, ac scirrhis antiquioribus, quales tendonibus, ac ligamentis evenire solent, valentiora emollientia, incidentia, moderatè discutientia, & resoluentia conueniunt, propterea quod Magister acetum, cum crassos humores dissecet, resoluat, & aliorum medicaminum vehiculum sit, maximè collandat. De lienis quidem, ac iecinoris scirrho, eò quod superius plura notatu digna exposita manent, in præsenti nihil fandum restat.



CAPVT VI.

Discrimen inter scirrhos tumoresque scirrhosos clarescit.

TEXTVS.

Ac de phlegmone quidem, &c.

38. 
CVM satis, de iis quæ ad phlegmonem, atque œdema pertinēt, Magister suprà egisset, scirrhique curationem attulisset, cum tumorem durum, qui sine dolore est, non tamen omnino sine sensu nominari, nonque sanabilem esse in præsenti denuo inquit; at verò reliqui omnes veluti partem laborantem, ægriùs sensibilem efficiunt, ita eam insensibilem non reddunt, vtique si natum iam sensibilis sit; nam ligamenta insensibilia ex se sunt: quare si tumores præter naturam omnino insensiles sint, iis scirrhi propriè appellantur, quemadmodum reliqui non scirrhi sed tumores scirrhosi, apud eos qui nominibus pugnant, nuncupantur.



CAPVT VII.

De Tympanitis, & cuiusque inflationis natura, & curatione.

39. 
QVAMQVAM œdemata cum inflationibus aliquam paritatem obtinere videantur, non tamen exiguam Magister in præsenti distinctionem adfert, illa enim cum ex pituitoso humore nascantur, proinde digito prementi, ita cedunt, vt altè digitus in dictis œdematibus profundetur; cum verò inflationes solùm ex flatu in parte collecto pendeant, tam sub cute, tam sub membranis, quæ ossa circundant, quàm in musculis, seu visceribus, quandoque in ventriculo, sæpe sæpius in intestinis, vel in medio horum, ac peritonæi, spatio contento, propterea huiuscemodi inflationes, sonitum, veluti tympanum conficiunt, nullumque dum digito premuntur, vestigium seruant, & quia potius insensibili magnaque cauitate contineri solent, maximè ab œdemate dissentiunt.

TEXTVS

TEXTVS.

Indicatio autem curationis, &c.

40. Communis igitur omnium indicatio est, quod quidquid præter naturam, quacunque in parte contentum sit, euacuetur, peculiaris verò indicatio fundatur, in eò quod medicaminibus tenuissimis, & virtute calida vigentibus vtamur, sicque in ventriculo atque visceribus oleum tenuissimarum partium cum ruta, aut seminibus calidis, vt sunt cumini, apij, & petroselini decoctum huic fini maxime prodest, & aliquando cucurbita, absque scarificatione bis, vel ter ventri affixa iuvabit, in artubus verò, atque musculis, qui sub cute sunt aut membranis ossa circunscribentibus, si inflatio citra dolorem reperiatur, tenuissimus liquor, quale lixivium in spongia receptum est, proficuum erit. Si tamen dolor simul vrgeat, oleo relaxanti, ac cum remittenti vti oportet. Aliquando etenim si musculus, vel membrana os vestiens contusa sit, ex percussione quidem facta prædicti effectus evenire solent: quare super membranam dicta spongia apponenda est, ad musculos vero, quoniam ij aliquando dolore afficiuntur, medicamen magis dolorem sedans adhibendum expedit. Sicque, ad musculos lixivio tantum, nentiquam, sed simul cum eo permixta sapa, cum pauculo oleo debemus vti, animaduertit tamen Magister quod in principio non lixivium, sed potius sapa cum vino & exiguo aceto aliquid mediocre olei adiiciendo conuenit, vt simul, permixta & modicè ista calefacta media succida lana ipsis imbuta parti laboranti applicetur, vel si loco lanæ cesypum, aut ceratum ex eo compositum, quod plurimi ad phlegmonas in præcordiis factas laudant apponere volueris, proferes. Medicamenta vero, quæ musculis contusis, adhibentur, mixta facultate, quæ simul concoquat, digerat, modicéque adstringat, vt gaudeant, oportet, aliàs enim in corporibus præsertim plethoricis aliquando phlegmonem dispositionem media laxitate, ac raritate inducta solent adaugere. In musculis igitur, ex contusione inflatis triplex comprehenditur indicatio, nam vbi intensior dolor vrget, medicamentum potius mitigatiuum est necessarium, vbi deficit, medicamen vehementiùs resolvens, vt lixivium, & acetum post quæ vinum, eligendum est, quare quoties doloris indicatio nulla est, horum remediorum plus erit immiscendum. Sicque si repulsio magis indicetur, vinum præcipuè nigrum, & austerum, in maiori quantitate conveniet, si verò digestio potiúsquam repulsio, lixinij quantitas augenda est, etsi fortè lixivium, non detur illius loco aphronitrum quod minimè lapidosum, sed magis spomosum sit, immittendum est, quod si huiusmodi inflationes, quia despectæ inveteratæ sint, non solùm ea quæ ex lixivio componuntur verū alia similia, etsi vehementiora, vt Magister in textu pro exemplo strigmenta gymnasiorum, & vivam calcem adducit.

TEXTVS.

Statim enim affectus, &c.

41. Quendam, etsi similem affectum apud iuniores priapismum appellatum Magister proponit, ita vt qui eo affecti sunt pudendum inviti arrectum obtineant, eo quod cavernosus illius nervus, qui propriam colli substantiam constituit, spiritu halituoso plenus huiusce modi affectum gignat & prædictus halituosus spiritus, ex succis lentè incalescentibus oritur, nam si calor partis robustus, ac humiditas perfectè cocta est, potiùs in tenuem halitum ista soluta insensibiliter per transpirationem resolvetur, è contra verò vbi nativus calor languidior, vel succus naturalis, vel semicoctus, crassus, vel glutinosus fuerit, halitus ita crassus, vt neutiquam resolvi possit, excitabitur, & præsertim, si ipsa particula maiori densitate afficiatur, quamvis tamen succus in membro contentus sub frigidus sit, dummodo crassus, & glutinosus adsit cum in halitus crassos validus calor resolvit, quod maximè ad curationem perpendendum discernendúmque est, eo quod ambabus affectionibus, communiter totum corpus priùs evacuare (si aptum evacuationi sit) conuenit.

TEXTVS.

Dictum verò à nobis sæpe est, &c.

42. Cum tamen in superioribus subsidia vacuantia inter omnia præcipua sanguinis missionem, ac purgationem, siue infra, siue per vomitum esse satis Magister decrevisset, propterea in præsenti, in prædictis affectibus priùs in aptis corporibus iis auxiliis ita est operandum; quare si plethorica dispositio sanguinis missio, si verò cachexica sit purgatio humorum peccatium, tam inferne, quàm superne seligenda est. Deinde frictiones, omnis dimotio, balneáque præcipuè, ex digerentibus siue dissolventibus aquis, quemadmodum illimenta, per omnem habitum acria, eò quod calida, & sicca, proindè digerentia conferunt; quia deinde ciborum abstinentia, ex accidenti corpus evacuat, potissimum cum ambiens calet, imperanda est, dummodò æger, hæc & alia prædicta sustinere valeat: animaduertit tamen Magister, quod si pars laborans præter naturam calida reddita sit, ei medicamen prædictum calorem excedentem remittens media refrigeratione est imponendum, sin aliter est agendum, inter initia quidem non remedium, quod intensè, sed quod modicè refrigeret, vlterius verò hoc non oportet, partes similiter quæ circa lumbos adsunt medicamentis eadem virtute pollentibus sunt fovendæ, veluti victus reliquus qui flatum discutere possit, exhibendus est.

TEXTVS.

TEXTVS

Incidit verò vitium hoc non &c.

43. Quoniam inter omnes ætates iuuenibus potiùs huiuscemodi affectus nocet, proinde iis sanguinis missio, eo quod ætas non recusat proficua erit, proinde Magister se tribus diebus quendam curatum reliquisse testatur, eo quod primum sanguinem misit, deinde ceratum ex simplici rosaceo ita liquidum, quemadmodum fracturis apponi solet aqua frigida imbutum (cum esset in principio ætatis,) pudendo, ac lumbis adhibuit, adducit etiam alium ægrum, qui cum sanguine detracto medicamine ex chamæmelo confecto fuisset vsus, solutus mansit, & iis laborantibus, aliquid nimpheæ potandum saltim in principio Magister commendat, postea semen amerinæ, etsi adhuc vitium permanserit, rutæ semen copiosè comedendum iubet: commune etenim præceptum, maximè in humoribus morbos procreantibus, quod in eorum fine, calefacientibus ac exsiccantibus vtamur est, eo quod ista succorum reliquias, ac portiunculas fideliter, ac tutò absumunt.

Plurima effatu digna in textus expositionem dicenda offeruntur.

44. Quamquam tympanitis curationem, & quàque corporis inflationem quomodo profliganda sit, Magister in textu adduxit, & tympanitis ab aliis hydropis speciebus, valdè differat, quia tamen habita ratione ad efficientem, ac materialem causam à qua pendet, cum eis in multis consentiat, proinde tam de ipsius, quàm de aliarum specierum natura, causis, locis affectis, ac prognosi agere in præsenti oportebit.

45. Timpanitis etenim de qua tactus alloquitur, locum sibi apud Hipp *lib. 4. aphor. sent.* 11. sibi abrogat, cum sic alloquatur. *Quibus termina adsunt circa vmbilicum, dolores, & lumborum dolor, qui nec medicamentis, neque aliter soluitur, in hydropem siccam firmatur*, de tympanite inquam hydrops sicca profertur, cum Gal. *in comm.* sic asserat. *Vocatur autem hic morbus, à posterioribus Medicis, tympania quoniam summus venter percu'sus talem sonum edit, qualem tympana, nam & in illis per cutem extentam aer percutitur, quemadmodum, & illa qui in profundo locatur, in tal s morbi genere*, & inferius ait Magister, *non tamen humidum est sicuti qui ascites ab viris similitudine dicitur, in quo materia collecta, non est flatuosa aer; sed humor aquosus. Videtur autem à maiori frigiditate generari aquosus hydrops quem ascitem vocant, quoniam, veluti in vtre quodam, in membrana abdominis interiore humor continetur, à minore autem tympania, neque enim humida substantia, in flatuosum aerem, sine calore aliquo potest transmutari.* Ex quibus tympanitis ascitisque natura, differentia, & causa innotescit. Latiùs tamen de vnaquaq; specie in presenti venit agendū.

46. Cum hydropis nomen symptoma importet, quod anima humorum in quibusdam collectorum partibus multitudine naturam suscipit, proinde varias species, vt ascitem, tympanitem, & anasarcam constituit, ita vt aqua ascitem, pituita, anasarcam, & flatus tympaniam gignat similiter ascites in ventre, ac partibus distantibus facie, videlicet & cruribus, vt Hipp. 4. *de morbis annuit*, tympania in eodem ventre partibusque vicinis in ventriculo nimirum ac in intestinis: tandemque anasarca in partibus carnosis reperitur: different etiam huiuscemodi affectus, ratione alicuius concausæ, nam quamuis sine hepatis affectione, nullus istorum fieri valeat per se; quia hepar materiam pro ipsis gignendis suppeditat, ad hanc tamen vel illam hydropis speciem alia peculiariter concausa concurrit, vt in ascite renum vitium, à quo sanguinis expurgatio læditur, in tympania ventris, & intestinorum, veluti in anasarca carnosi generis affectio morbosa quæ omnia licet ab vno iecinore materiam prauam suscipiant, non verò citra has concausas huiuscemodi differentes sibi induere possunt.

47. Vt etiam prædictas hydropis species perspicuè calleas, ptiùs quod iecur plurimis modis à propria functione sanguifica aberrare potest, perpendere oportet. Primum videlicet, si fere omnino sanguificationis munere destitutum sit, eo quod solùm calor, ad chili coliquationem efficiendam maneat. Secundum si diminutè sanguificet. Tertiū tandem si depranatè, ita vt substantiam ei ministratam qualis est chilus in alienam omnino præter naturam commutet, quæ omnia in diuersis affectibus elucescunt, proptereàque in hepatica disenteria, ac vitioso corporis habitu diminutà est sanguificatio, quando verò ex alimento fit commeatus in hydropem, qui præcipue nuncupatur, ita sanguificatio extincta fine quasi abolita videtur, vt eo tempore, quàm paucissima chili portio, in effigiem sanguinis conuertatur, proinde quia solum vi caloris chilus funditur, nullam tamen à facultate sanguifica mutationem, aut valde exiguam suscipit, laborantes attrophiâ periclitantur, vitiatur autem sanguificatio, dum fere omnis chilus, in biliosum pituitosum, aut melancholicū succum immutatur, aut plurimum eius in flatum degenerat, vt in timpania, veluti in anasarca in pituitam, cum igitur omnes hydropis species vel ab externis, vel ab internis causis oriantur, istæque, vel morbi acuti vel diuturni sint, meritò tam de acutis, quam chronicis, à quibus fiunt non pauca circa causam, per se, & immediatam dicenda sunt. Affectus apud omnes frigidus, omnis hydrops est, vt inde causam per se frigidam insequi fateri debeamus, quia tamen pluries morbos acutos vt hepatis intemperiem intēse calidam, qualis in febribus ardētibus adest succedere solet, proinde quomodo calida hepati intēperies hydropem gignere valeat dubitatur, quod autem hydrops ab hepatis intemperie calida fiat; præter plures rationes, atque experientiam; Hipp. in prognosticis sic alloquens testatur: *Hydropes qui ex acutis morbis fiunt omnes mali, neque enim febrem sedant dolorificique sunt valde, & lethales.* Sed quomodo à calida intemperie cum effectus positiuus hydrops fit, nascatur, nō minus arduum, quam Autorū opiniones in veram philosophiam reducere adest.

48. Circa hoc grauissimum difficultatis punctum Oratius Augenius inquit proximam, atque immediatam hydropis causam, à qua sanguificatio impeditur, semper intemperiem hepatis frigidam esse, quamuis quod causa antecedens calida intemperies sit, non implicet, quemadmodum enim in hydrope effectus frigidus causam antece-

dentem calidam,& immediatam frigidam respicit, ita in aciditatis generatione & in putredine contingit,nam licet æstiuus calor acorem exhibeat hoc mediate, atque antecedenter, euenit, quia immediata, & continens causa aciditatis frigiditas est, cum omne acidum refrigeret vt in vino, quod in aceti naturam conuertitur, patet, quoniam calor in vinum agens calidiores,tenuioresque illius partes ad se attrahens, easque in vapores, atque halitus aëreos resoluens disponit, vt acetum fiat, sicque non implicare effectum frigidum ad causam calidam aliquando insequi cum adhuc in externis experiamur, quod si ardentem lucernam,iuxta vehementiorem flāmam, siue feruidum solem exponamus, statim marcescit,ac dissipatur, proindeque in hydrope eadem ratio ab igneo febrilique calore militat, febrilis enim æstus vim calorem iecoris ad se trahendi habet, ita vt non solum qualitatem; sed etiam ipsius proprium subjectum,humidum inquam natiuum, & spiritus ad se attrahat,quibus resolutis,corruptoque hepatis temperamento illud frigidum remanet proindeque hydrops semper immediatè ab huiuscemodi intemperie frigida etsi à calida antecedente pendebit,communiter etiam ex putredine materia frigida euadit vt Arist 4.*meth.cap.*3. sic de putredine agens inquit. *Exeunte enim proprio calido euapora: quod secundum naturam humidum.* Ex quibus Oratius Augenius infert hydropem à frigiditate,id est à caloris naturalis defectu, eo quòd ad intensionem caloris extranei natiuus remittitur,siue diminuitur,oriri.

49. Hæc tamen opinio difficultatem non exhaurit, nam positiua generatio aquæ siue succi crudi hydropis, vt in ascite necessariò requirit positiuum principium quo disponatur chilus ad aquæ generationem, atqui priuatio siue defectus caloris naturalis per excessum caloris extranei, & actualis in iecore non valet disponere chilum per frigiditatem positiuam, cum ista actu non sit;sed calor excedens:ergo cum talis calor semper sit à prædominio, & iste frigidum effectum, qualis est aqua; quia contrarium, efficere non possit: dicendum erit, neque intemperiem iecoris frigidam,cum ista positiua non sit; neque calidam, cum ista sit contraria, posse prædictam substantiam serosam gignere: ad præsentiam etenim caloris actu æstuantis in iecore frigidum temperamentum positiuum effingitur.

50. Ex qua respondendi ratione quam inefficax quodlibet supra exemplum allatum sit,patet; nam in generatione aciditatis ex calore immodico & ex termino vi putredinis subsequuto frigido, ac lucerna iuxta flāmam vehementiorem extincta maxime,dissentiens est ratio,cum quæ putrescunt ita vt naturam propriam deperdant, vt est acetum, potiùs ad formam sequutam, frigiditatem excedentem, vt dispositionem requisitam exposcant, in lucerna etiam; quia tota deperditur,ac dissipatur,nullo manente subjecto,nec temperamentum calidum, nec frigidum manet, cum non entis nullæ sint passiones,& illa lucernæ extinctio, mere accidentalis, quia passim deficit, adest;at verò in hydrope subjectum,nempe iecur, non in totum naturam siue formam, cum viuens sit,amittit; sicque,etsi humiditas illius,ac spiritus à calore extraneo dissipentur,non implicat ipsum, cum tali calore,ita flagrare, vt inflammatione sit correptum,proindeque illo in casu; quia immodicè calidum, etsi temperiem naturalem amiserit, semper vi caloris excedentis calefaciendo supramodum,ac chilum quasi cremando ipsum in sanguinem biliosissimum, aut melancholicum, potius quam in aquam, ad hydropem commutabit.

51. Si etiam peculiariter Auerroem, Valesium, Petrum Garciam,Fernelium, Riuerium, Mercurialem, Mercatum,& Sennertum, & alios quamplurimos consulas altiori modo quo possis, hæc difficultas ab ipsis non dissoluitur, cum nullus speciosius, quam doctissimus Petrus Michaël de Heredia, quomodo in ascite existente intemperie calida hepatis, ita vt talis calor non solùm, quasi in fieri dicatur; sed adhuc intemperiem in totum factam id est habitualem constituens serosam illam substantiam, gignere possit nam neque satisfacit Auerroes alloquens sub distinctione caloris in esse talis caloris, vel in esse simpliciter caloris, nam primo modo sanguificatio non erit naturalis; secundo verò modo, huiuscemodi calor materiam chili aqueam in fumum reducens, in flatumque conuertens timpanitim efficit, ex hoc etenim dicendi modo, neutiquam generatio serosæ substantiæ, in ascite ab intemperie calida quomodo eueniat constat. Valesios verò intemperiem calidam fientem, & exiguam à facta, & vehementi, atque habituali distinguens, veluti Oratius Augenius inquit, quod in fiente potiùs sanguis biliosus, in facta verò vbi temperamentum per essentiam, & radicitùs immutatum est;ac facultas debilis per essentiam, ita sanguificatio imminuta est, vt flatus, aut aqua,aut pituita redundet. Meritò Valesium Heredia taxat, cum ex hac doctrina non pateat à quo immediatè illa pituita, aut aqua existente hepate supra modum æstuante, generetur, quamquam temperamentum radicitùs immutatum esse annuat.

52. Fernelius quidem aliter de ascite persentit, annuens, quod si aliquid fixum, exesum, ruptum, apertumve sit,vt inde serosus succus, à sanguine separatus,vt per ipsos renes in abdominis cauitatem fluat veluti, in suppuratione pleuritis exesa, siue scissa membrana costas subcingente assatim in thoracis cauitatem irruit; sicque in ascite tanta seri collectio præter naturam fieri valet, & maiori indiuiduatione alloquens sentit,quod quibus hepar, vel lien, & mesenterium antiquo schirrho indurnerit, eo quod substantia visceris immodica siccitate, ex humiditatis absumtæ defectu, quibusdam rimis dehiscit, valdeque inter sese partes substantiales separantur,'ac membrana prædictum viscus ambiens, ita scinditur, vt amplius serum tenue continere non valeat;sicque renum more dilabi relinquat, sensimque quasi ex fixa olla, in vacuum abdominis spatium stillare.

53. Hanc assertionem Augenius, vt falsam coarguit,eo quod viuente corpore iecur ad tantam siccitatem deuenire possit, vt illius causa dehiscat, & findatur, quemadmodum terra tempore æstiuo arefacta redditur præterea, quia implicat quod ex iecore fisso tanta seri copia, quæ in abdominis capacitatem cumulatur, gignatur; quia cum ita sit hoc viscus arefactum nullam, aut exiguam humiditatem obtinebit; ergo quia non rationem fissuræ;sed quia ab hepate imbecillo generatur

neratur talis substantia serosa.

4. Vrget vlterius, nam si in iecore maxima sic itas adest ratione cuius substantia findatur quomodo maxima seri copia adest, quæ membrana rupta hydropem efficit si effundatur, etsi non effundatur multas in iecore vexiculas efficit: ergo ex tanta seri copia potius humidum quàm siccum hepar esse fatendum erit, etsi extremè. siccum, neutiquam cum tantas tumoris serosi copias. Propterea quia ex eodem Hipp. prædicta assertio rejicitur cum asserat. *Quibus iecur aqua plenum eruperit, is venter aqua repletur.* Ergo si iecur aqua plenum est, non erit maxime arefactum, eo quod ariditas aquæ humiditati opponitur, proindéque implicabit iecur siccissimum, ac simul aqua plenum esse.

55. Quamquam doctissimus Fernelius concausam aliquando Ascitis siccitatẽ, fissuram, ac separationem substantiæ iecoris esse, rectè adducat, hæc tamen quasi dispositio adest, vt inde substantia serosa, veluti periculos fracta hepatis membrana labatur, non tamen hic autor explicat aqua causa hepate æstuante talis serosa substantia gignatur, nam illa siccitas, tantum abest quod eam generet, quin imò vtique ipsi contrariari est fatendũ, neque fissura, siue separatio substantiæ, quæ siccitatis est effectus, potest eam producere, fissura enim non est operatiua efficienter; sed solum dispositiuè operatur, vt facilius serosus humor in abdomen irruat, quare semper difficultas, à qua, inquam, causa talis effectus frigidus, serosa nimirum substantia in ascite gignatur. permanet, de qua causa nec verbum protulit.

56. Quia tamen Oratius Angenius prædictam concausam obnegat cum ipsi impossibile videatur, quod viuente corpore tanta ariditas in iecore reperiatur, vt quemadmodum terra dehiscat, & findatur resp. hoc neutiquam esse impossibile cum pluries hepar in febribus ardentibus valdè exsiccetur & induretur, schirrosamque ita substantiam acquirat, vt quasi in sartagine frixum appareat; neque objectio facta eo quod ad pensum tãtæ ariditatis, illa seri copia gigni non valeat, aliquid taxat; Fernelius enim non inquit præcise illam serositatem à siccitate hepatis fieri, cum sine noua generatione, quæ ab hepate proueniãt, talis humor possit inueniri, vt postea patefiet; neque ariditas hepatis cum tanto liquore siue humiditate serosa implicat; quia ariditas illa potius est absumptio humidæ substantiæ iecoris à calore adurenti, illa verò serosa substantia non est hepatis; sed chili ad ipsum peruenientis, quæ humiditas non siccitati dictæ contrariatur, immortalis humiditas superflua à calore æstuante iecoris per chili liquationem, aut fusionem prouenire valet, sicque, quòd hepar sit siccum ex absumptione propriæ substantiæ, & aqua plenum superflua, propter alterius substantiæ liquationem nullam contradictionem inuolvit.

57. Heredia hanc difficultatem altiori modo pulsans aliter & acutè persentit, quod ab hepate præter naturam calido numquam materia hydropis, qualis est serositas in ascite per se; sed solum occasionaliter & mere per accidens generatur, nam neque aqua, neque crudus humor à calore, & siccitate; sed à frigiditate & humiditate oriri valent, sicque variæ possunt causæ ocasionaliter reperiri; quæ non serum generent; sed ipsum secernere, pro hydropis generatione valeant.

58. Prima igitur abundantiæ aquæ causa desumitur, ex iecinoris æstuante calore, qui cum chilum liquet, atque fundat ipsum, ita intersese separabit, vt terrestriores, ab aqueis, & serosis partibus secernat, veluti cum medicamina diuretica, medio quo calore immodico vigent, sanguinem valde liquant & sanguinis serum secernitur, sicque sanguinis crassior redditur, non aliter iecur ardente febre laborans, ita chilum in venis lacteis detentum intenso calore liquat, atque fundit, vt serum ab eo separatum facilè inter peritoneon & intestina percoletur, tum quia etiam à prædicto calore oscula venarum aperiuntur, siue ipsarum tunica, ad prædictam per culationem attenuatur.

59. Secunda præterea occasionalis causa serosæ substantiæ hydropis ipsum iecur ex chilo adustum adest nam dum hoc præter naturam calesit ex substantia chilosa humida efferuente maximam vaporum copiam extollit, & cum prædicti vapores alias partes frigidiores ipso tangant facile denuo incrassantur, & in aquam vertuntur quemadmodum vapores ex olla feruentes eleuati cum opperculum minus ipsis calidum, pertingant, leui refrigeratione à tegumento recepta denuo in vaporem crassiorem, tandemque in aquam redeunt; ex quibus patet hydropem ascitẽ neutiquam dum hepar intemperie calida laborat, gigni, ex eo quod ab ipso serosa humiditas de nouo generetur; sed quæ iam genita permixtaque cum substantia chili erat media fusione, atque liquatione à prædicto calore secernitur; quia fusa separatur; quod in separatione metallorum medio igne patet, cum absque noua argenti, vel auri productione media arte separantur metalla, & latius ostenduntur, quia seiuncta, quàm antea; eo quod permixta erant: in quam roborationem Cardanus secretionem seri, ac substantiæ caseosæ lactis, dum coagulum conjicitur, ac cum viscera concrescunt, pars serosa seiungitur, adducit. Si verò inquiras ex aliqua alia chili portione crassiori, & terrestriori, quæ à substantia serosa vi caloris separata est, quis effectus cum sanguificatio læsa sit propter hepatis debilitatem in facto esse resultabit? certum enim videtur sanguificationem debere esse imminutam, ac proinde ex defectu, caloris natiui potius pituitam, quàm sanguinem deiecta; atque languida iecoris facultas sanguifica generauit.

60. Cui dubio respondeo quod quamquam principium sanguificum languidum per essentiam dicatur, operabitur tamen secundum prauum quod obtineat intemperamentum; quia cum calidum supra modum sit potiùs effectum per se calidum, quam frigidum efficiet, qualis est sanguis valde adustus crassus, & quasi atrabilis exquisita, & secundum igneam chili portionem, aliquando valde biliosum, & acrem. sicque talis sanguificatio neutiquam diminuta; sed potiùs deprauata tum deprauatè in huiusmodi sanguinis praui productione operetur, propter eaque lotium in ascite à causa calida laborantibus, tum in exigua quantitate, tum etiam igneum flammeumque potius, quàm album apparet; quemadmodum sitis inextinguibilis alui excrementa bile

tincta, & siccissima reperiuntur.

61. Quamuis huiusmodi doctrina de intemperie iecinoris calida consentaneè dimicet, fallitur tamen Heredia dum etiam in intemperie frigida hepatis implicare serosam substantiam, ad ascitim gignendam effici, annuit, & ratio adducta ab ipso, veluti probat etiam per accidens talem substantiam fieri, non verò per se, eo quod iam in chilo genita erat, posteáque paulatim percolatur, nam si chilus iam per coctionem ad crassitiem è ventriculo sit redactus postea si à iecore frigido alteretur, non attenuabitur; sed potius crassescet; quia frigiditate densatus redditur: ergo ineptior, vt in aquam mutetur, fiet; nam si aquæ repugnat crassities debita chilo magis repugnabit, si à iecoris frigiditate nouam densitatem & concretionem acquirat; sicque concludit autor; quod si frigidum iecur hydropis causa sit, hoc non fit quia aquam generet; sed quia chilum atrahere non valet; sicque diu in mesaraicis detinetur, quæ etiam vi humiditatis laxatæ sunt, retentriceque facultate infirma osculorum, per ea aquosa chili substantia percolatur.

62. Hic tamen sentiendi modus Herediæ valde mihi displicet. Primò quia cõtradictionem manifestam dum de anasarca alloquitur, constituit, nam alloquens de anasarca sic verba profert. 1. *Iecur igitur frigidum, & humidum ita chilum disponit, vt succus crudus in magna copia generetur, in qua hydropis specie mihi non est dubium, sanguinem quartum humorem aquosum produci,* vt *in malo habitu corporis*, Nunc sit veluti in anasarca iecur intemperie frigida, & humida laborat; Ita in Ascite iecur per se aliquando frigida, & humida intemperie afficitur; sed in anasarca chilus à ventriculo contectus, cum ad iecur peruenit, non ab illius frigiditate ita concrescit, & densatur, vt impediat sanguificationem deprauatam, & quod succum crudum, vel auctam si pituita multum generat. ergo ita pariter, quando fit ascitis ab intemperie frigida, & humida iecoris, non implicabit, quod si intensior frigiditas adsit, ex portione chili aquosiori, substantia serosa generetur, vlterius talis doctrina rejicitur, nam si in sua sententia in hepate supra modum calido, substantia chili, quæ ignea est à calore illius adurente, in sanguinem biliosum & quæ sit terrestrior, in melancholicum, & assatum conuertitur; quia ex dispositione materiæ, ac intemperamenti calidi iecoris, affectus est magis simbolicus: ergo quando intemperies est frigida, & humida melius ex materia chilosa frigida, & humida substantia serosa generari poterit, cum etiam affinitatem, causa materialis, & efficiens cum termino producendo habeant & vrgentius, veluti succus crudus non à calore per se, sed à frigidate, ita serositas non à calore; sed à frigore fit; sed per se in anasarca ab intemperie frigida, nonque à calore succus crudus generatur: ergo non aliter, à iecoris frigiditate intensiori serosa substantia in ascite vtpote similis effectus causæ gigni valebit. Aliàs dicat mihi Heredias quis effectus dum iecur agit in chilum, illum crassum ab ipso depictum, resultat non sanguis laudabilis, non bilis, nec melancholia, cum materia inepta potius sit, & temperamentum hepatis etiam potius frigidum, quàm calidum adsit: ergo præcise, vel succus crudus, vel substantia illa serosa. Nec valet si asseras solùm concrescere chilum, aliàs actio iecoris, erga materiam chilosam in ordine ad sanguificandum in totum abolita esset: hoc viuente animali non est dicendum: ergo præcisa fatenda est sanguificatio, saltim læsa, ac proinde, vel imminuta, aut depravata erit. Sicque præter fictam chili concretionem, aliqua actio quæ in serosæ substantiæ generationem tendat, fatenda erit, cum etsi languidum iecur per essentiam sit in aliquam, si quidem vita gaudet actionem prorumpere debeat.

63. Timpanitis quidem generatio non ita difficultatem parit, eo quod flatus vt plurimum, ex subiecto sicco & terrestri, à calore immodica torrefaciente eleuatur, quare cum iecur calidum, ac siccum est chilum terrestriorem reddit, illumque in fumum, flatumque siccum vertit, sicque cum talis materia inepta, vt in aquam cõmutetur quia sicca, & exusta exhalatio est, inueniatur, quãquam potiùs flatum generare valet, postea frigescat, vt in flatuosa hipochondriaca propter meserei incendium experimur, de quibus affectibus Hipp. intelligendus est, vt supra ex loco ostenso constat, dum dixit, *Quibus tormina adsunt circa vmbilicum, & lumborum dolor, qui neque medicamentis, neque aliter soluitur, in hydropem siccam id est timpanitem firmatur.* Dubium tamen in medium expendendum occurrit, vtrum nimirum hydropis semper ex hepate affecto præter naturam oriatur cui affirmatiuè Magister Gal. respondet, eo quod saltim in hydrope per consensum iecur afficitur vt 3. *de locis affectis* 7. *lib.* 6, *cap.* 1. & 2. *de naturalibus facultatibus cap.* 8. *in principio*, vbi sic ait *est enim ea prima generandi hydropis causa ex sanguificationis defectu proueniens simili genere, atque ea qua ex ciborum lectionis defectu fit diarrhea, atque in tali hydropis genere, nec aliud viscus vllum nec iecur scirrho est affectum.* Ex quibus verbis satis manifestè semper iecur in qualibet hydropis specie, si non per se saltem per consensum læsum esse infertur.

64. Nec si asseras quod incolumi iecore existẽte solùm ex alimento pituitoso sanguis pituitosus ab hepate fiet, at qui nutricio in cunctis corporis partibus ex sanguine pituitoso fiet deprauata, vt anasarca ortum ducat: ergo illo in casu absque iecoris læsione huiuscemodi hydrops gignetur. Cui respondeo quod in chili generatione ex alimentis pituitosis, si exiguus error fuerit generatio humorum in iecore neutiquam impedietur, si verò magnus extiterit propter ventriculi vehementem læsionem, illo in casu impossibile erit ipsum iecur in consensum non trahi, ita vt sua etiam peculiari affectione, & non tantum ipsius ventriculi sanguis pituitosus, & ad nutritionem ineptus euadat, qua ratione plurima fundamenta quæ in contrarium confici possint, dissoluentur, proinde etsi diuersimodè, diuersæque viæ insensiles atque incognitæ per quas serum dum ad cauitatem inter peritoneon, & intestina ruit, adsint hoc non tollit affectionem iecoris dictam residere, nam cum apud Hipp. omnia transpirabilia, & transfluxibilia corpore in viuente, adsint, ita vt aliquando non solùm succi tenues, atque serosi, verùm crassiores per insensibiles meatus partium transferantur, vt in pleuritide pus adeò densam,

pleuræ

pleuræ, & membranæ, quæ pulmonem induit substantiam penetrat atque per sputum rejicitur, veluti in tibiarum fractura musculis, absque læsione existentibus sanies ex osse fracto emanans ipsorum substantiam penetrat, & fasciarum lintea inficit, non aliter in hydrope idem accidit modus.

65. Sed cum varius collectioois aquæ in hydrope modus sit, proinde Auic. 14. 3. *tract. 4. cap. 5.* sex adduxit, quorum primus est in anasarca, in qua simol cum sanguine permixta atqua omnis corporis venas veluti per partes rariores panni pertransiens percolatur. Secundus quando flatus in venis reperti, & cum aqua comixti, ita vasa distendunt, vt ora vasorum aperiantur quibus reseratis prædicti flatus vna cum aqua exeunt, ex quibus in ventre collectis tympanitis suscitatur ex qua expositione necessariò fatendum est, raro flatum tympanitim efficientem tantum; sed plerumque cum aqua permixtum in abdomine contineri, velnti etiam in Ascite non solùm aquam, sed etiam cum flatibus concomitatam; quare vterque affectus à prædominio materiæ contentæ nomen sortitur, si enim maior flatuum, minorque aquæ portio colligatur tympanites; si verò è contra aqua flatibus copiosior exciterit ascites nominatur, si verò ambo in æquali portione adsint nomenclatura potiùs ambigit, quàm determinata sit.

66. Tertius præterea modus quo aqua in hydrope colligitur sumitur ex magna aquæ copia, quæ ita sua mole inundat, vt ora vasorum distendat, quo casu subitò tumor efficitur. Quartus deinde modus est quando præ salsedine, atque acredine aquæ expultrix facultas vellicata spoote illam per vasorum ora in veotrem detrudit, per quem transitum ipsa vasa cum simul corrodantur media fissura faciliùs aqua colligitur. Quintus quãdo venæ chilum deferentes, vel franguntur, vel corroduntur, datóque exitu ad spatium inter peritoneon, & intestina aqua in venis contenta in huiuscemodi partes transmittitur, vltimus est quando per venas vmbilicales in abdominis regione fit tumor quod fæminis quando fœtus in vtero non adest contingit.

67. Sed quid de hydropis prognosi proferam? Hipp. etenim de illis omnibus quæ morbos acutos insequuntur alloquens omnes malos esse, 2. *prognost.* protulit ob triplicem causam. Prima est; quia febrem non sedant. Secunda quia dolorem efficiunt, tertia quia mortales sunt; sed ingennè dices quare Hipp. non assernit solùm lethales esse cum hoc tantùm ad hydropis malitiam vaticinandam sufficiat; deinde quia dicere rem esse malam, quia est lethalis, est etiam citra causam rationum præbere, quod maximè alienum ab Hipp. videtur. Sed pro venerando Senec. Respondeo ad primum quod quælibet res tanto est deterior, quantò magis nobis videtur à ratione distare, ita vt nulla euidens ratio in effectu appareat, quare quando nulla manifesta ratio apparet propter quàm res fiat, & tamen talis res contingit illo in casu suspicandum est, quod causa est valdè ingens, & pariter metuendum est à curatione ex eò quod fieri non possint vsu, quæ ratione non fiunt; sicque perpende quid magis à ratione distare possit, quàm vt aqua ignem non extinguat, quàm vt aqua dolorem exhibeat, vbi eum soluere deberet, quam vt aqua quæ solet esse igni medela, potiùs illius periculum, & incrementum augeat, propterea Hipp. 2. de morbis de his hydropis speciebus agens asserebat. *Vbi ignis non domatur aqua, nullam superesse spem.* Sicque vt omnem hydropis prauitatem ostenderet hæc signa, vt principaliora proposuit, ita vt non solùm diceret malum esse, quia non tantùm febrem non extinguit, sicuti deberet, & quia dolorem inducit, verùm etiam; quia lethalis est, vt magis affectus prauitas perpenderetur, ac medici liberè malam esse prædictam febrem prædicere valeant, huiuscemodi etenim modus alloquendi Hipp. neutiquam est inconsentaneus, nam esse aliquid letbale dupliciter sumitur, vel quia periculosum sit tantùm, vel quia necessariò mortem exhibeat, quo in præsenti casu de hoc secundo sensu Hipp. intelligitur idem enim est, ac si dixisset hydropes ex morbis acutis esse malas; quia necessariò interficiunt.

68. Sed quare hydrops si simul fiat cum febre à morbis acutis, quare dolorificus sit, & quare necessariò, vt ait Hipp. mortem afferat, dubitar? videtur enim implicare, quod vbi est adeò ingens aquæ collectio ignis subsistere possit, & proinde potius extingui, quàm permanere debebat. Cui dubio aliqui respondent, ideò febrem in hydropisis non extingui, quia febris per vniuersum corpus est diffusa, aqua verò in vna tantùm parte detinetur. Sicque particularis aquæ collectio morbum totius corporis vniuersalem, qualis est febris soluere, siue extinguere non potest, hæc tamen responsio à veritate discedit, nam in anasarca, in qua iam in vniuerso corpore est aqua, febris dicta in totum remitteretur cum locorum distantia respectu febris, & aquæ nulla sit: ergo in hac saltem hydropis specie, nulla febris adesset, quod experientiæ aduersatur. Præterea quia etiam in Ascite aqua reperitur in hypocondrio, atque in loco ipsi cordi proximo: ergo faciliùs febrilis calor cordis à prædicta aqua posset extingui, ac proinde simul ignis totius corporis remitti. Sicque, vt verè Hipp. doctrinæ assentiam; assero quod licèt hydropis prædicta aqua actu humida appareat, re tamen vera, cum prava salsaque valdè sit, potiùs potestate calida & sicca quemadmodum marina est, quare quia salsa prava & putrescens, neutiquam febrem extinguere verum, eam adaugere valebit.

69. Sed quare hydropis affectio dolorifica sit cum aqua paulatim colligatur ac peritoneon sensim distendat, & ad dolorem subita potiùs mutatio atque in fieri, non verò iam facta requiratur? Respondeo quod quamuis hydrops qui insequitur morbos chronicos paulatim ac lentè fiat, ille verò qui ab acutis oritur, non paulatim; sed citò, ac celeriter gignitur; sicque per distensionem, solutionémque peritonei subitò factam, dolorem concomitantem habet, quod chronicis nequaquam contingit, de quibus Hipp. non egit, ex quibus ratio propter quam in prædictis hydropis speciebus mors necessariò sequatur, facilè infertur, nam ex morborum præcedentium acutie symptomatum vehementia, ac febrium ardentium statione, ita natiuum peruertitur temperamentum, vt per essentiam ac infacto esse facultates corporis principales sint læsæ, taliter vt morbus potiùs supra vires, quàm istæ supra morbum

dominari possit, cum ergo vnica spes salutis sit virium robur, & in prædicto casu extrema virium iactura reperiatur, propterea Hipp. quod mortem tales hydropes necessario afferat protulit.

70. Cum igitur ex Hipp. omnes hydropes esse malas satis constet merito inquiri, quæ ex tribus deterior, & quæ deterrima sit, potest? iuxta quod Hipp. l. de morbis circa initium; diuidens morbos in salutares, dubios, & in eos qui necessario interimunt, inter hos vltimos hyposarcam recenset quem sensum Aretæus insequitur, cum asserat opus esse totum hominem reficere, qui anasarcam curare desiderat, idem Hipp. 4. acuto iij. firmat dicens. *Hydropum duæ sunt naturæ, quorum hyposacidios si aggreditur vitari non potest, Celsus similiter lib. 3. cap.* 11. hoc vt certum testatur; quia in hac hidropis specie omnia membra læsa sunt, nec solum actio sanguifica, verum etiam nutritiva læsa est, quæ damna in ascite atque timpanite non reperiuntur, insuper quia difficilior curatu adest, eo quod humores remotiores, à viis communibus per quas fieri debet purgatio, adsunt, hæc tamen assertio vera non est, & Hipp. 4. *acuto.* Intelligendus solum est de illa anasarca, in qua externa membra pre tumoris magnitudine, quia iam affectus extremus adest, compatiuntur, non verò de anasarca absolutè provt, tantum distinguitur ab aliis hydropis speciebus, in quo sensu quæ dicta sunt, facile soluta manent.

71. Ex sententia verò Aetij ac aliorum timpanitis primo loco, secundo Ascitis ac tertio Anasarca reponitur, vt tetrabel. 3. *sermone* 2. *cap.* 10. testatur, nam vnusquisque morbus redditur deterior, ac periculosior ex curationis defectu atqui in timpanite ad evacuandam materialem caussam qualis est flatus nullum medicamentum purgans reperitur, in Ascite verò, & anasarca ad aquam, & pituitam plurima, & vehementia inueniuntur: ergo cum maior curationis ineptitudo in timpanite, quam in aliis adsit, talis effectus deterior, ac periculosior erit Vlterius quia in ascite abdominis sectio & seroti punctio celebratur, ac ruptoria cruribus apponuntur, atqui hæc omnia in timpanite tantum abest, quod auxilientur, quin imo maxime lædant ergo quia timpanitis propter curationis defectum semper deterior est.

72. Aetij tamen rationes, vt illius assertioni assentiamus non vrgent, nam quamuis medicamenta purgantia, vt humores à quibus flatus in timpanite eleuantur euacuentur, non adsint, plurima tamen resolutiua vt Gal. in textu ait, quæ exterius, atque interius aplicita flatus discutere possunt inueniuntur, & licet in ascite abdominis appertio, vstio, & alia presidia exerceantur hæc quidem vires, quia atrocia sunt magis diminuunt, ac morbi qui iam ex se lethalis est periculum adaugent vlterius quia cum in ascite intemperies fixa, & valde habitualis sit, difficilius emendari potest vt certius igitur iudicandum est. Ascitem inter omnes periculosiorem, ac difficiliorem curatu esse, vt Auicenna 1. 4. 3. *tract.* 4. *cap.* 4. sic ait, *& sunt homines quibus videtur quod hyposarca, est deterior aliis, quoniam corruptio, in ipsam communicat hepati, & omnibus venis corporis & carni ita, vt destruatur plurimum digestionis tertia, & ex eis sunt quibus videtur quod ipsa est lenior tympanite, verum dignius est, vt si ascites malignior illis omnibus, &c.*

Ex quibus manifeste ascitem deteriorem omnibus esse patet, & meritò, nam in hac specie simptomata leuiora, vt sitis inexhausta totius grauitas corporis, ita difficilis respiratio. vt ægri suffocari videantur & syncopes solent euenire; ergo quia talis affectus vehementior, atque malignior est. Præterea quia cum aquosus humor, inter intestina, & omentum contineatur, istæ nec per vomitum, neque per venas nec aluum, nec per insensibilem transpiratum, nisi cum maxima difficultate, & in exigua quantitate potest euacuari, flatus verò qua tenuioris substantiæ valde commodius, & quamquam in anasarca crassior pituita sit; quia tamen in corporis ambitu reperitur, iam per sudorem, iam per alui fluxum excernetur.

73. Roboratur nam ille affectus deterior est in quo maior recessus ab statu naturali datur vt Gal. 1. *ad Glauc. cap.* 1. sed ascites à maiori frigiditate, ac proinde ex maiori facultatis sanguificæ languore, quam timpanites, & anasarca oritur, vt Magister Gal. *loco supra citato, ex* 4. *aphor. comment.* 11. inquit. *Videtur autem à maiori frigiditate generari aquosus hydrops, &c.* Ergo quia recessus in ascite maior est, ac proinde periculosior erit, nec dubites flatus generationem à calore etsi debili fieri, veluti pituitam in anasarca, cum alimentum semicoctum sit elaborationem à calore quamuis remisso suscipere, quod de aqua in ascite neutiquam est fatendum.

74. Quamuis Magister in textu corporis vniuersi inflationes, ac etiam particularem timpanitim nuncupatam solùm in curatione, non verò alias hydropis species aggrediatur, & solum aliqua subsidia, peculiaria, vt discutientia medicamina, ac cucurbitam vmbilico apponendam collaudet, in præsenti tamen latius de timpanitis curatione, quæ habita ratione, ad caussam materialem, & efficientem cum ea quæ ad inflationes, pertinet, soluendas consentit, agemus, & cum quælibet hydropis species meritò morbus magnus dicatur, ac subsidio magno, vt profligetur indigeat, proinde tam de timpanite quàm de aliis speciebus dictis, de sanguinis missione exercenda est inquirendum.

75. Non igitur extra rem examinandum occurrit vtrum in omni hydropis specie aliquando sanguis emitti possit iuxta quod Hipp. *lib.* 4. *acutorum textu* 111. affirmatiuè respondens sic ait, *si difficulter spirauerit æger, fueritque anni tempus vernum, & viguerit ætas, viribus que fuerit valentibus* in cuius comm. Gal. assertionem insequens sic alloquitur, *quod solius anasarca est, quem, vt insanabilem prætermisit, nempe hic solus cum incipit, æger interdum sanguinis missione cum scilicet ex retentione, vel hemorrhoidum, vel muliebrium, vel ex quapiam, quæ ita plectorica sit causa, inceperit; timpaniam verò, vt ascitem nullus per sanguinis missionem sanare est ausus, nam licet anasarca ex sanguine frigidiore oriatur, & frigiditatis ratione illa non indigeat; tamen quia copiæ detractio naturam leuat, & vt hac minorem illam effectam facilè superet non alienum, immo rationi consentaneum est, vena sectione vti, cum enim innatus ignis extinctioni proximus sit; nisi copia exhauriatur ipse onere pressus peribit: quemadmodum enim ignis propriè extinguitur immissis lignis, tum humidis, tum multis nisi quis multitudinem sustulerit; sic & infrigidiore ob*

copiam

copiam sanguine, vbi calor natiuus suffocatur prestantissimum est remedium sanguinis missio.

76. Si debitè Gal. verba perpendas maxima cum ratione in anasarca sanguinem detrahes, nam si vt Magister profert, huiuscemodi affectus ex sanguinis multitudine hæmorrhoidibus sopressis, vel euacuatione menstruali, vel qualibet alia quæ assueta erat, ortum ducat, illo in casu sanguis ob impeditam caloris ventilationem, ac proinde maximam obstructionem frigidior redditur; sicque cum natura media illius euacuatione ab onere subleuata fiat, reliquos, qui supersunt humores, concoquere, ac in laudabilem alimoniam mutare valebit præcipue cum in anasarca minor virium languor, quàm in aliis speciebus ac sanguis pituitosus intra venas adsit.

Ex qua doctrina libentissimè assentiam recentioribus, qui in omni hydropis specie aliquando sanguinis extractionem exequendam indicant, hoc tamē dum hi affectus ex euacuatione supressa nascuntur, intelligendum est quemadmodum alloquitur Auicenna 1.4.3.*tract*.4.*cap*.13. sic verba proferens. *Phlebotomiam verò oportet vt deuitet omnis hydropisim habens quantum potest, nisi illi qui patiuntur hydropisim ex retentione sanguinis, &c.* Ex qua doctrina sic arguo. Auicenna, & Gal. in anasarca orta ex sanguinis sopressione, ne naturalis calor præ sanguinis retenti copia suffocetur, sanguinem extrahendum imperant, atqui omnis hydropis species ex prædicta sanguinis euacuatione retenta potest nasci, vt inquit Auicenna: ergo in omni hydropis specie à prædicta causa orta aliquando sanguis extrahi potuit.

77. Hydrops præterea timpanitis cum ex imbecilla coctione cruditate, ac imminuto calore oriatur in abdominis membrana intensis torminibus sese insinuat, aliquando sanguinis detractionem sustinere valebit, nam plurimi morbi à flatulento spiritu pendentes sanguinis missionem, vt subsidium commodissimum exposcunt, vt Magister Galen. *in textu de priapismo* alloquens detractionem sanguinis pro ipso soluendo imperat, vt excedens calor attemperetur. Nec valet si asseras, quod in priapismo pars affecta non princeps est, quemadmodum in timpanite hepar, quod membrum præstantissimum est, laborat: hæc inquam distinctio non vrget, in palpitatione enim in qua etsi cor patiatur, Magister 5. *de locis affectis, cap*.5. sanguinem mittit, tum etiam *lib*. 3. *de locis affectis, cap*.7. inflatuosa vocata melancholia in qua flatus in ventriculo venis mesenterij pilorō adest, vt igneus, adurēsque calor mitescat ac temperetur, sanguinis missionem præcipit.

78. In tympanite ergo venæ sectio vtilis aliquando erit cum febres acutas & ardentes insequitur, nam media prædicta euacuatione non ita natiuus calor præ febrili adurenti efferuescit, imposita maiori humorum ventilatione. Nec timorosum subsidium in ascite sanguinis missio est, si viscera interna exardescunt, dum febre ardenti afficiuntur, nam hepatis æstus seu inflammatio, hoc est phlogosis sanguinis detractionem, præcipuè ex saluatella, vt iecoris feruor remittatur, proclamant, hoc tamen parcè, & cautè agendum expedit vt Hipp. ait *in lib*. 6. *venarum secti one* 2. *in cuius comm. sent*. 18. Iacotius exponit. *Inchoata caloris extinctione vena sectione iuuatur, per initia morbi, quando per suffocationem accidit, vt in initio hydropis à supressione hæmorrhoidum, mensium, aut solemnis euacuationis.* Quæ doctrina ex Magistro *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap*. 12. elucescit, eo quod in maxima humorum crudorum copia venæ sectionem bis eodem diæ iterandam consulit, dummodò priùs incindentibus calefacientibus, ac subtiliantibus medicamentis, vt crassus sanguis iam attenuatus faciliùs exire possit, vsi fuerimus: ergo pari pastu in ascite in quo succus pituitosus dominatur, pręsertim si pituita non multum à sanguinis natura recedat, mittendus sanguis erit.

79. Nec Magistri verba supra prolata nostram assertionem renuunt, nam quando asserit, *quod dū anasarca incipit solùm indiget vena sectione.* Hoc potius est dicere quod in anasarca audatius, & copiosius, quam in aliis hydropis speciebus sanguis est detrahendus. Præterea quando ait Magister. *Nullum verò ascitem, & tympaniam sanare ausum fuisse per vena sectionē.* Intelligitur per solam venæ sectionem; quia hoc solum auxilium citra expurgantia, deobstruentia, discutientia, & corroborantia non satisfacit; sicque *non tantum per vena sectionem*, qui alloquendi modus apud Magistrum non rarus est; cum etiam 11. *meth. cap*. 14. asserat quod nec putredo, nec obstructio, sanguinis missione curatur; id est non sola, imò neque ratione obstructionis, & putredinis, vt tales sunt, sanguinis missionem expostulant, quo non obstante 8. *meth. cap*.4. & *lib*.11. *cap*.4. *in febre orta ex obstructione sanguinem ante omnia mittit, etsi multitudinis signa non adsint.*

80. De Ascite verò qui morbos chronicos succedit maiorem difficultatem parit, eò quod media sanguinis euacuatione materia morbifica non excernitur, cum potiùs omnis ista extrauasata consistat, virésque valde languidæ sint pro ita magno auxilio sustinendo, cui Zacutus intendens satisfacere inquit, quod si Ascitis in initio adsit, vires non ita dejectæ erunt, & materia quamquam extrauasata extiterit iterum in ea remeare valebit, vt inde commodum ex tali venæ sectione subsequatur, venia tamen tanti viri responsio implacida est, nam implicat vires valentes esse cum morbus præcedens chronicus sit; quia quamuis ascitis sit veluti in initio, alter verò morbus longus quē insequitur non in initio erit, ac proinde etsi vires respectu ascitis adhuc languidæ non sint, ob labores tamen diuturnos, affectus præcedentis necessariò dejectæ erunt, deinde remeatio quam, Zacutus indicat, materiæ extra venas existentis non solùm non est facilis, verum quia media sanguinis missione non materia peccans; sed laudabilis sanguis extrahitur, spiritus valde resoluuntur pusillus calor in totum dissipatur, viscera infrigidantur, ac proinde ineptior materia, vt remeet ad venas, & debilior natura, vt eam detrudat, redditur; sicque in prædicta ascitis specie. quæ morbos valde chronicos insequitur, nequaquam venæ sectio auxiliabitur, cum potiùs natura deiecta quam adminiculans pro tam magno subsidio adsit.

81. Peculiariter tamen, vt tympanitis de qua Magister in texto agit curetur, licet cum Ascite ratione

ratione causæ materialis conueniat, distinctio non exigua est perpendenda, nam in ascite in principio plus euacuandum, & tandem magis roborandum, ac discutiendum omni tempore minus, aliàs natiuus calor languescet, peiusque laborans se habebit, in tympania verò, è contra in principio multò minus euacuandum est, alterandum tamen atque roborandum multò magis, omnique tempore vehementius discutiendum, quod enim vehementius vrget, flatuosæ substantiæ copia est, à qua ventris robur maius negotium facescit, sicque ipsi, vt ait Magister in textu calefacientibus succurrendum expedit: purgandum verò minus quàm in ascite, quoniam morbifica causa, potiùs crassitie, ac intensa frigiditate; quàm immodica copia viget; & quia plurima huic fini medicamina exhiberi possunt aliqua speciosiora ostendam.

82. Postquam igitur medicamentis purgantibus lenioribus, siue sirupis discutientibus, & roborantibus; clysteribus emollientibus, euacuantibus, ac resoluentibus, ac intus assumptis, natiuum calorem fouentibus, vt diuersis conseruis, tandemque exterius, per totam abdominis regionem inunctionibus ad eundem finem vsus fueris, maxima cum ratione, balnea thermalia, quæ mirificè calorem natiuum roborant materiam contentam in halitus digerunt, ac fortiter discutere possunt, sunt consulenda.

83. Digna etiam magna obseruatione quædam herba ambuena appellata est, quæ iecur roborat, flatus dissoluit, appetitum abolitũ suscitat, coctionem vẽtriculi valde iuvat, sicque ad tympanitim præstantissimum est auxilium, eo quod iecoris, ac venarum intemperiei frigidæ mirificè iuuat, valenter deobstruit; sicque lotium mouet, fœdumque colorem vultus corrigir, qua agricolæ in puluerem redacta cum saccharo, & mero permixta vtuntur, cuius quantitas à granis decem vsque ad scrupulum vnum exhibetur, & viginti diebus singulo manè ieiuno ventriculo propinatur, & radix illius viridis cum succoso melle condita mirificè ventriculo fauet.

84. Testimonium huius mirandi effectus sapientissimus Zacutus in obseruatione 22. *lib.* 2. *de Medicorum principum historia prabet*, cum ipse, quod postquam ad quendam tympaniticum curandum accessit, variaque, & selectiora remedia laboranti condonauit, se oleum & operam perdidisse fatetur, & cum inuisisset ægrum, quidam amicus, qui Indiam orientalem militans per multos annos stipendium fecerat, medio prædicto remedio salutem eis obtulit, ita vt plurimos hoc affectu laborantes, nullis aliis remediis proficientibus solo isto restitutos in salutem se vidisse narrasset, hæc etenim herba, in India orientali in regno Molucensi dicto, in cuius montium asperis iugis nascitur, in quadam insula, quæ Buena apppellatur, quæ castello quasi inexpugnabili est fulcita, quod quidem in lingua propria patriæ vocatur. *Am*; propterea quædam radix appellata Ambuena quæ eundem generationis modum, ac Zinziber obtinet, cui etiam colore, sapore, ac odore assimilatur, quo cum prædictus æger remedio ordine iam prelato vsus fuisset, sensim, ac sine sensu flatu crasso vacuato per vtrãque regionem venter detumuit, ac symptomatibus remissis in salubrem statum fuit reductus.

85. Zacutus igitur felicem, ac tam prosperum euentum præuidens animosior factus ex puluere prædictæ radicis electuarium cum aliis medicamentis huic affectui proficuis construxit, tum theriacam, tum species diacinamomi dialacæ, diacurcumæ, aromatici, trochiscorum de eupatorio de rhabarbaro, & cum conserua anthos, radicis enulæ, cum syrupo de eupatorio permiscens, vt conserua satis speciosa mirabilis fieret, obseruandum tamen est quod ad ʒij. aliorum medicaminum adjiciaotur gran.x. Ambueriæ, vt demum cum saccharo tabellæ efformari possint quo auxilio plurimi in salubritatem restituti aliique mirificè adiuti fuere, quamquam verum sit, quod in exigua quantitate hoc ita celebre antidotum in nostram adferatur regionem.

86. Doctissimus equidem Mercatus de timpanitis curatione sermonem instituens commonet, quod si remedia superius dicta in tali affectu prodesse non videantur. Hipp. consilium cordatissimum insequamur, qui cum multo tempore in doloribus, his remediis calidis vsus fuisset, æger tamen neutiquam ab illis leuaretur, nec iuuaretur maximo cum commodo ad frigida transiuit, pluries enim causa calida, quæ iecur afficit magnifacienda est, quàm reliquarum partium frigida vrgeat.

87. Hanc doctrinam Auicenna 14. 3. *tract.* 4. *cap.* 13. iuxta finem sic alloquens roborat. *Et non oportet, vt attendatur illud quod dicitur quod hydropisis non sanatur, nisi cum medicinis calidis multoties significat illud, quod testificamur, & experti sumus, vt curemus nos, & qui fuerunt ante nos, apostbema cum curatione sua, & complexionem calidam, cum infrigidatione, & ego quidem vidi mulierem quam hydropisis attriuit, & magnificata est super eam, & ipsa mulier comedit quantitatem malorum granatorum tam maximam quod eius relatio est incredibilis, & sanata est.*

88. Ex Auicennæ historia quantum remedia frigida in hydropisi à causa calida oriente prosint, inferes, nam illo in casu, quæ frigida atque apperientia sint, vt granatorum acidorum succus valde iuuant, eò quod propter partium tenuitatem penetratio, attenuatio, deobstructio, abstersio, & roboratio inducitur, vt in muliere ex tanta succi granatorum copia euenit, neque roborationem potius adstrictioni prædicti succi, quàm frigiditate tribuas, vt Iaquinus, Marcellus, Donatus, & Cardanus cogitarunt banc historiam potius de adstrictione quàm de attemperatione caloris intelligendam esse, cum potius hydrops à frigida iecoris causa oriatur; hoc sustineri non potest; nam ipse Auicenna talem sentieodi modum in expositione coarguit, cum ipse expressè fateatur, atque confirmet hydropem à causa calida oriri; quia remediis frigidis curatur inter quæ succum malorum granatorum ex euentu in muliere hydrope laborante insigniuit; sicque in timpanite tota salutis spes in iecoris attemperatione stat, frigidis enim nequaquam flatus augescunt, immo colliquatio corporis tabes, sitis, ac febris mitescunt frigiditas etenim ita flatuum generationi obstat, vt materia quæ vi caloris attenuata ad flatus gignendos erat parata ineptior, quia à frigiditate comprimitur, & densatur,

reddatur,

reddatur, proinde farrum; atque lac asininum laudabile est vt doctissimus Schenchius fabrum quendam lactis vsu liberatum fuisse, & quendam puerum nimio aquæ potu in salutem restitutum testatur; meritò igitur fatendum est aliquando tympanitem; dum à causa calida ortum ducit frigidis auxiliis curari; quare acida omnia; quia sine humectatione refrigerant, ac proinde flatui gignendo materiam non suppeditant, valdè prosunt; quia tamen, vt suprà dictum est tam ascitis, quam hyposarca pluries iam iecore positiuè refrigerato, ac summè languido generetur, propterea peculiaria & specifica subsidia, tam euacuantia quàm corroborantia sunt ostendenda. Inter euacuantia quæ asciti valde opitulari valent primum locum laureola, quæ menses, atque vrinam potenter mouet, obtinet, de qua Dioscorides *lib. 4. cap.* 144. alloquitur, quæ quidem græcè daphnoides nuncupatur eademque vi, ac herba daphne viget, eo quod calida acris, & subamara est, quia tamen huiuscemodi medicamen vehementem agendi virtutem habet maxima cum præmeditatione est exhibendum, ita vt æger in senectute cum frigido temperamento sine febre, atque in casu desperato adsit modúsque illius vtendi in decocto, aut in pulueris forma debet esse, & quasi per interualla euacuationis maxime vires roborare ne denuò præ illarum iactura humor aquosus regeneretur, oportet, vt vnica, aut altera vice Rasius *lib.* 1. *tractatu* 19. *cap.* 1. ita alloquens se operasse testatur. *Ego quoque curaui quemdam senem hydropicum, de quo nunquam cogitaui quod conualesceret in quo non erat caliditas, & dando ei de laureola in potu, cessaui inde per dies dei de reuertendo dedi sibi de laureola secunda vice, & conualuit; sed locus testiculorum repletus erat aqua vltra quam existimari poterat, &c.* Postquam aquam stillatitiam à præclaro Zacuto præscriptam pro educendis humoribus hydropicorum aquosis valde mirandam notaui, ac illius consilium doctrinamque selectam insequutus fui, euentus plurimos felici cum successu fui expertus, ita vt spatio quadraginta dierum alternis diebus duarum drachmarum quantitate assumpta maximam vtilitatem in laborantibus ascite perspexissem, præcipuè vt inquit Autor, si in die intermedio tabelam vnicam diacurcumæ, & mox vinum generosum cum absinthio paratum æger assumat, forma itidem aquæ mirabilis hac formula construitur.

89. Recipe florum persicorum *lib. j florum ebulorum lib. j ß. florum sambuci lib. ß. florum genistæ, lib. iij scammonij ℥ i turpeti ℥ß colochintydes ʒ j cinamomi, agalochi, diarrhodonis abbatis aromatici ac ʒ i ß. theriacæ, confect. Alchermes ad ʒ iij. cariophilorum ℈ i ß moschi ℈ ij. ambari electo ʒ i rodomelis lib.* 1. *macera spatio duodecim dierum in lib. tribus vini generosi, & lib.* 1. *aquæ vitæ, atque vnciis tribus balsami, repone præterea in vase vitreo, vt fiat destillatitium pro vsu.*

90. Riverius ex Varignanæ consilio bufonem Siluestrem in nemoribus repertum per ventrem dissectum; atque renibus alligatum aquas hydropicorum per lotium educere affirmat, & Petræus ipsum bufonem in clibano excicatum, atque calcinatum pondere ʒ ß. in vino exhibitum mirificè prodesse inquit, ceratum similiter ex bufone confectum regionique lienis applicitum valde auxiliabitur, vt Recipe bufonum *lib.* 2. *succi ebuli lib. iij. olei lib. i. ceræ lib. ß.* bulliant in olla lutata ad mediæ partis consumptionem colentur fiatque ceratum.

91. Rodericus Fonseca absinthium ponticum ad aquam inter cutem valde prodesse refert, ita vt plures quasi deploratos hydropicos in salutem restitutos vidisse asserat cuius ratio præparandi est in hunc modum ℞. florescentium iam comarum recentium absinthij pontici ℔. j. sacchari albissimi ℔. iij comas illas demptis caulibus, & pediculis, tunde in mortario lapideo, deindè iis debitè tussis saccharum in puluerem redactum adde deinde omnia iterum simul tunde, donec in vnum corpus redigantur, de quo sic absinthio parato ægro priùs purgato tribus horis ante prandium quotidie semi vncia est propinanda, eo quòd ventriculum mirificè roborat, tum hepar & interna viscera.

92. Inter tamen subsidia calefacientia atque roborantia quæ Mesues vt proprius autor extollit, est confectio diacurcumæ, proinde ipsa in hydrope carnoso ex languiori frigidiorique aquæ potu orta Rasis felici cum euentu vsus fuit; hæc etenim confectio morbos frigidos, valdéque rebelles ventriculi, iecoris, lienis, hydropem, & cachexiam sanat, corporis fædum colorem corrigit vrinamque potenter mouet.

93. Quamvis Dioscorides *lib.* 2. *cap.* 7. & Auicéna *lib. 2. tr. 2. cap.* 727. Pro curanda hydrope vrinam, vt salubre auxilium commonstrent, eo quod acredine sua, aquam detrahat, hydropicus tamen sibi indulgens, qui inexausta siti cruciabatur, vrina sua epota se interfecit, vt Celsus *lib.* 3. *cap.* 21. testatur, nec mirum, neque huiusmodi euentus doctrinam prolatam detruncat; nam ratio Interitus potiùs, ex eo quod vrina, ægrotantis propria epota, præ obstructione, præ febri, prohibita ventilatione, ac maxima putredine concepta, ortum duxit, nam ob has caussas ingenti acredine, atque intenso calore vigens sitim febremque intensè auxi, & affectum vehementiorem, atque atrociorem reddidit, vnde solum Auicennæ, atque Celsi consilium de sanorum vrina est, præcipuè puerorum carpendum; cum omnia salsa facultatem prædictam obtineant, propterea quidam aqua inter cutem laborans liberalissime aquæ marinæ potu cũ vsus fuisset alui fluxum immodicum citra acrimoniã ardorẽ, nec molestiam sustulit, fortunáq; fauente liber euasit, vt Zac. in obseruatione singulari narrat.

94. Quandam vtilissimam & quasi diuinam Gordonius conseruam confecit quæ hac ratione paratur. ℞. succi cucumeris asinini, & radicis eius, succi laureolæ; succi ireos purpurei, succi absinthij, & eupatorij ana ℥ß. spicæ nardi, seminis endiuiæ, scariolæ, portulacæ, Mastiches, lapæ, tragacanthi, salis gemæ ana ℥v. mellis colati ℔. v. in vase vitreo reposita agitentur in sole, vt fiat veluti conserua cuius dosis ʒ j. per interualla sit.

95. Aliqui veluti arcanum, vt Holerius refert lapidem serpentem vmbelico firmiter appositum media ligatura censuerunt; sicque sumendus est coluber aquaticus, & à cauda medio funicolo est constringendus, ac ita suspendatur

vt sit paratum infra, quoddam vas aqua plenum, & mox coluber lapidem evomet, qui etenim lapis cunctam aquam absumet; sicque prædictus lapis si vmbilico apprimatur paulatim serosam substantiam eius consumet, emplastrum similiter ex cochleis tritis ventri appositum mirificè solet operari.

96. Quoad verò sectionem in hydrope magna fuit suscitata controuersia, eo quòd aliqui omninò renuerunt, alij maximè affirmarunt, illos interitus ferè omnium qui puncti fuerint, deterret, ij verò ita remedium moderabantur, vt neque in omnibus eo vterentur; sicque aliquos seruabant, proinde Fonseca meritò inquit, quod nisi debite fiat, valde inutilis erit punctio, propterea sentit quòd citò antequam viscera sint corrupta, fiat. Secundò quod operario à perito Medico disponatur. Tertiò quod non tota semel aquas; sed paulatim per multos dies effundatur, cum quibus obseruationibus Hipp. & cum eo Celsus prædictam sectionem approbat, tempestiua igitur erit punctio priusquam morbus in cachexiam abierit, viribus validis corpore iuuenili si attra bilis hydropem non contraxit, si ventriculus firmus, si ægrotus febre non laboraverit, aut saltim si adsit, remissionis tempore, vt etenim paracentesis, siue punctio recte fiat hæc omnia perpendere oportet.

97. Quoad modum tamen operationis Magister Gal. Paulus & alij in ascite ad vmbilici latera pungunt; quia in illa parte magis inania, atque vacua, & ipsi musculi carne denudati sunt alij si lien in dextera parte, alij si hepar, in sinistra afficitur, operationem agendam, sentiunt, alij tamen ex ipsa parte qua viscus adest, quod mali origo existit. Propterea Doctissimus Mercatus seconem supra iecur, aut in ea ventris parte quæ magis intumuerit, vel vstiones paruas, & frequentes per securiores corporis partes maximè extollit. Hipp. *lib. de locis in homine inter cutaneos pueros incidit.* Aurelianus in hydrope hyposarca, potiùs quàm in ascite sectionem approbat quem sensum Asclepiades obtinẽs quatuor digitis supra talum tibiam in interiori parte ea profunditate qua vena secatur, in anasarça pungit; si verò talis locus apertus parum aquæ tribuat illo casu femora, scrotum, pudenda loca etiam supra manum, articulos incidenda erunt.

98. Sed obseruandum semper est, vt dixi, quod vrendum, aut secandum expedit priusquam pituita corrumpatur, viscera grauiùs lædantur, ac vires labantur, prætereà quod vacuatio paulatim, id est duodecim diebus fiat; & isto modo Gal. in hydrope sectionem, in suppuratis verò vstionem laudat, & quare vniuersa in hydropicis euacuatio periculosa sit duplicem rationem adducit, extinctio videlicet caloris natiui, qui simul cum humore fluit, & pondus visceris, quod cum non ampliùs ab aqua sustentatur, diaphragma; & alia thoracis viscera secum deorsum trahit, quæ damnas vt recentiores præcaueant, priùs cauterio potentiali viam parant, postea actualis partem inde scalpelo aculeato, vt perforatio sit minor perforant, & canula caua sensim aquam extrahunt, ac locum vbi deorsum in imum ventrem, tendit, relicto hepate. & hypocondriis in medio musculorum obliquorum epigrastri eligunt, materiæ portionem medicamentis purgant, topicis discutiunt, minus à peritoneo perforato, quàm à membrana subcingente costas metuunt, diligenter. Ne intestina pungantur, cauent; simulque ne facultas hepatis sanguifica in totum sit resoluta schirrho, aut splenis tumore æger afficiatur, curant; at verò viribus deiectis, ætate senili, aut pulmonis vitiete repertis, valde opus pertimescendum.

99. Quibus demptis minus periculum imminet, cum sæpe natura per vmbelicum viam aquę extrahendæ moliatur, longe tamen tutiùs (vt doctissimus Oterius persentit.) cutis totius ventris paruulis scissuris, vt per ventrem serum resudet scarificanda erit, sensim etenim hoc modo aqua in plurima copia egredi valet, vt absque virium dispendio ventris tumor diminuatur, cum adhuc idem vi naturæ, quæ morborum medicatrix est, cuidam mulieri quadragenariæ hydrope laboranti euenerit, vt Doctissimus Zacutus refert, illa duntaxat ita tumidum habebat ventrem, & cum tanta mole extensionem patiebatur, vt præ ingentissimo pondere nec sse esset fasciam collo, & humero appendere vsque genua decidentes partes subleuare posset, quo tempore vmbilicus intensè prominens, ita attenuari cæpit, vt instar tenuis membranæ magno splendore transluceret, ex qua dispositione, quadam nocte medio naturę opere, siue sponte perforatus vmbilicus apparuit, & triginta dierum spatio sensim multa serosæ substantiæ quantitas excreta fuit, ac vmbilicus sponte sua coaluit, tandemque mediis hepar roborantibus in salubrem statum rediuit.

100. Remedia igitur in epitomen reducta, quæ hydropis curationem adimplere valent, sunt, sanguinis missio suppressis mensibus, aut hemorrhoidibus viribus valentibus in morbi initio, antequam pituita valdè corrupta extiterit, tum etiam syrupi, opiatæ, clisteres, admota, pulueres, phenigmi, vexicatoria, cauteria punctio, cutis scarificatio, diæta, digerentia, epispastica, cataplasmata, vnguẽta, pilulæ, diuretica, apocemata, aquæ destillatæ propter tenuitatem maximè prosunt; sed inter omnia mirificè potus abstinentia, huic affectui auxiliatur; propter quod consilium, Cornelius Celsus *cap. 21. lib. 3.* præuidens diuersum alloquendi duorum medicorum, apud Antigonum Regem modũ refert, eo quòd ipsum Regẽ eo morbo mediocriter affectum non posse curari persensit, alius verò se sanaturum obtulit, primus etenim quia ægri animum inspiciebat, de curatione desperauit. Secundus verò tantum morbum ex natura rei perpendens, de euentu bono fidit, & meritò, nam etsi recta victus ratione curari posset, tamen ob intemperantiam (vt inquit autor) vitam amisit.

101. Postquã Magister in textu tympanitis aliarúmq; corporis inflationẽ curãdam fuit aggressus, iã in capitis fine priapismum soluendũ duos ægros adducens commonuit, vt tamen illius verba magis illiusque curatio elucescant, priùs aliqua iuxta illius naturam, partem affectam, & causas à quibus oritur, proferam. Priapismus igitur ex Magist. *6. de locis affectis, c. 5. & 3. de sympt. causis, c. 4.* est rigida, & involuntaria penis tensio, tumescentia, & inflatio, vel est stabilis pudendi auctio in longitudinem, ac orbem tumefacti citra rei venereæ appetentiam, vt 9. secundum locos,

cap.

cap.9. vel vt ait Paulus *lib.3.cap.57.* priapismus est firmum genitalis instrumentum, quod in longum latumque citra veneris appetentiam, ob quam particulam, à satyriasi differt, quæ etiamsi erectio veretri præternaturalis fit, fit tamen cum immenso libidinis ardore, desumpto tali nomine à satyris, propter impudentem, ac inexplebilem veneris appetentiam, præteteà quia in satyriasi semen cum voluptate excernitur, & post coitum virga tumescit, nec proinde desiderium, cum insatiabile, & ardeotissimum fit, diminuitur, quod neutiquam in priapismo euenit.

102. Quanquam Magister in texto huiuscemodi affectum ex flatuoso spiritu qui particulam in tumorem eleuat, ex succis crassis, & viscidis vi caloris modici genito oriri asseueret, ipse tamen *loco citato 6.* de locis alias etiam causas reperiri posse profert, eo quod à feminis turgentia præ multitudine pluries contingit, vt in historia cuiusdam amici sui constat, qui postquam deditus consuetudini veneris erat, & omninò à concubitu se abstinuerat rigidum adeò, atque tumidum penem habuit, vt coactus affectum Galeno detegisset, nec minùs alimenta praui succi, & acria talem affectum inducere possunt, vt ex alia historia ex Magistro patet cuiusdam, qui prædictis cum alimentis vsus fuisset, in hunc affectum incidit, vnde diuersæ causarum priapismi differentiæ perpendi debent quædam etenim procatharticæ, quædam antecedentes, quædam coniunctæ, quædam verò efficientes adsunt.

103. De causis procatharticis. Magister 6. de locis affectis calefactionem lumborum ex supino decubito: præsertim naturam sic alloquens commonstrauit. *Calefactis lumbis par est, vt arteriæ calidiores reddantur, & magis etiam pateant ipsorum ora quamobrem non exiguam tunc spiritus quantitatem in fistulosum neruum effundant qui paulatim impletus colem intendit.* Causa verò antecedens succus crassus viscosus, & prauus, qui vel acrimonia sua arteriarum ora dilatat, vel sensim, atque lentè excalefactus in flatum vertitur, causa præterea coniuncta, flatuosus spiritus, qui ipsum neruum distendens tumefacit, atque erigit, adest, efficiens tandem causa immodica est caliditas, quæ succos vitiosos inhalitus vertit, quas omnes causas Magister loco citato de locis affectis diuersis in ægrotis, sic alloquens compleuit. *Acciderat autem cuidam, vt mali succi alimentis, acribusque vteretur, alij etiam, vt duobus mensibus præcinctus peregrè proficisceretur, cum anteà nunquam cingi consueuisset, coniecimus, itaque arteriarum ora nimis patefacta, aliis quidem ob humorum vitia, & acrimoniam, aliis verò ob flatuosum spiritum generatum, & sine ordine, & vehementer commotum.* Ex qua Magistri historia præscriptæ priapismi causæ satis elucescunt, nam in primo ægro morbus ex causa antecedenti, ex succo videlicet alimentorũ prauo euenit, in secũdo ægro affectus ex causa primitiua eo quod duobus mensibus præcinctus erat, & peregrè proficiscebatur, ortum duxit; in aliis verò ægrotis causa humorum acrimonia, & spiritus flatuosus genitus, & ab immodico calore, tanquam à causa efficiente eleuatus est.

104. Curationem igitur huius affectus Magister commonstrans se quomodo vnum & alterum ægrum curasse ostendit, & vnicus æger fortè in-

uenis aderat cum asserat. *Incidit verò vitium hoc non sanè multis; sed iuuenibus magis quàm aliis ætatibus*, & posteà inquit, *scio enim ipse quendam à me tecuratum tribus diebus naturalem habitum recepisse sanguine primum misso, deinde medicamento hoc adhibito.* Ex quibus percelebri auxilio sanguinis videlicet missione huic morbo subuenisse infertur, & maximè cum ratione, ad compescendum enim viscerum cauma, calorem iecoris ventipandum, ad sanguinem ab affecta parte reuellendum, ne commoti humores vi caloris immodici vehemẽter in partes naturales irruant, venæ sectio maximè prodest præsertim in corporibus carnosis plurima sanguinis copia oppressis, tempore veris, & aliqua euacuatio assueta si suppressa, aut venereus vsus multo tempore feriatus sit.

105. Nec dubites de mittendo sanguine eo quod potiùs media euacuatione calor natiuus dissipatur, imbecillior redditur, ac proinde generatio, siue spiritus flatulenti eleuatio pro priapismo augendo increscit, hoc enim veriori rationi non consonat, cum potiùs sarcina, & grauamine quo natura oppressa est, auferatur, ventilatio augeatur, & natiuus calor vegetior redditus vehementiùs, tum flatum genitum resoluet, tum materiam ex qua gignatur, ne suppeditetur, præcauebit, propter hanc etenim causam, Magister *lib.5. de locis affectis c.2.* in cordis palpitatione sanguinem mittit quamuis enim hic affectus ex sanguine frigidiore cum multa spiritus flatulenti copia permisto origioem docat, naturam tamen leuat cor succi melancholici sarcina grauatum exonerat, simúlque prædictum humorem, tum rebellit, tum euacuat; quibus fundamentis nixus, Auicenna *6. 4. tract. 5. fen. 1. cap. vltimo, & fen. 2. cap. 31.* sanguinem extrahit in quibus propter frigidam causam, potum videlicet gelidæ post validum exercitium internus calor imminuitur, & veluti iam extinguetur, nam licet venæ sectio; quia calidam substantiam euacuat refrigeret, atque ex aquæ frigiditate calorem natiuum debilem ampliùs extingui videatur, vt tamen principes partes deonerentur, & quæcunque copia adsit citò auferatur scissio venæ valdè proficua est, nam licet ex aliqua parte noceat, magis iuuat. Postquam igitur corpus euacuatum satisque copia sanguinis detracta, & æstus internus temperatus sit, ad extrinseca infrigidantia localia cum Magistro est deueniendum, vt est vnguentum liquidum ex cera, & simplici rosaceo factum, tum etiam epithemata ex solano, portulaca, hyoschiamo, nimphea, rosa, viola, & similibus, ex quorum succis, aquis, vel oleis linimenta, & fomenta parantur, pudendo; atque lumbis applicita mirifica sunt, nec minus plumbea lamina perforata, eo quod veneris cupiditatem extinguit prodest.

106. Alius æger postquam sanguinis missione auxiliatus mansit, Magister Ceratum ex camemelo illi adhibuit, in eo enim maior flatus discutiendi necessitas à calore aduẽti eleuatos; atque in fistuloso neruo collectos, siue imbibitos aderat, quod remediis, quæ sine calore intenso illos dissoluant, est exequendum; propterea Auicenna loco citato adaperuit, sic asserẽs; *& post minerationem materiei ventositatis, oportet vt administretur, quod subtiliat sine calefactione vehemẽti, sicut sunt embroche camomila*; Camemelum etenim modico, atque calo-

re benigno lentum succum attenuat, atque in halitum vertit, vt Magister *lib. 3. simplicium cap. 9. & lib. 6. eiusdem titulo*, de camemelo; sicque ad discutiendos flatus citra vehementem calefactionem præstantissimum subsidium est.

107. Nec solum Magister missionis sanguinis, verùm purgationis in textu mentionem effecit, cum corpus cachuxicum adest, ideóque purgatione, tum supra per vomitum, tum infra vtendum erit, & licet rigorosiùs habita ratione ad partem affectam per vomitum euacuatio exequenda sit, vt Gal. 9. *meth citato, secundum loca* sic ait, *Quod si euacuatione vti licet, administre ur per vomitum.* Nam apud Auicennam si per inferiora fiat timetur quod ventris solutio descendere faciat materias desuper; quia tamen vomitoria violenter plerumque operantur præsertim quæ à partibus ac communibus viis remotis tenaces humores debent attrahere, proindéque ipsos immodico calore commouent, exagitant, & attenuant, vt flatus gignantur, vt hæc incommoda præcauere valeamus, potiùs in huiuscemodi affectu, non fortiora; sed clementiora Pharmaca, quæ mediocriter purgent, ac sensim vitiosum succum per aluum extrahant, eligenda sunt, quare hac leni purgatione humores in partem affectam impetuosè irruere non poterunt, & quamvis enim Mag stro 13. *meth. cap.* 11. Prædixi quod in partium inferiorum affectibus medicamina purgantia interdicenda sunt, si tamen morbus suum statum præteriuerit, ac impetus humoris in partem affectam irruentis supersederit, illo in casu prædicta purgantia citra vllam noxam præscribi valebunt, vt potiùs deriuatio, quàm reuulsio eveniat, eo quòd materia, cum iam in mébro fixa sit, melius deriuare oportet, in propinqua etenim materia ex parte vicina promptius transfertur, vt Magister Gal. 2. *ad Glauconem, cap.* 2. & 1. *de humoribus sectione. prima comm.* 14. *Hipp.* mentem sic alloquens exprimit. *Quare si vehementer fluxio feratur eam ad contrarium reuellimus, vt si in superioribus vlcus sit, per inferiora purgemus, si in inferioribus consistat superiorem ventrem vacuemus quòd si fluxio ipsa cessauerit, & in membro fixa sit, deriuare fuerit melius eo quod translatio fit in propinquiora, & quod tunc attractio, è vicina parte promptior medicamento purgante suppeditetur, &c.* Ex quibus luce meridiana ratio doctrinalis, ac indicatiua à parte affecta desumpta clarescit, vt in priapismo corpore existente cachexico, medicamine purgante per inferiora vti tutò possimus.

108. Inter varia præter maiora auxilia quoddam non contemnendum Doctissimus Zacutus vt mirum in sua praxi medica admiranda refert, qualis est aqua stillatitia lariophilorum viridium organis vitreis extracta, quam Proregi illustrissimo Indiæ Orientalis priapismo vehementer, ac frequentissimè cruciato mirificè profuisse testatur; quod si prædicta pretiosissima aqua desit illius loco stilatitia ex floribus viridis cinnamomi aut ex ipso viridi cinnamomo extracta, quam ex India Mercatores portare solent, valdè proderit, eo quòd tam vna quam alia ventriculi, atque vteri affectus ex languore pronatos valet, si tamen omnia subsidia expugantia roborantia, & resoluentia, vt sudorificas, ex ebenu, & china, fomenta, atque vnguenta ex herbis, medicamentis, & oleis conflata non prosint illo casu aliquando quiescere expedit, vt Aetius tetrabelo, 2. *sermone* 2. *cap.* 10. *de melancholia docet*, alias enim caloris languor increscit, magisque affectus insolens redditur, & ita contumax fit, vt ex priapismo veretrum, cornu instar intensum loqui contingat, quem affectum in quodam sene Zelius Aurelianus, *lib.* 3. *acutorum passionum, cap.* 18. depinxit, & isto morbo correptus Heraclitus Imperator obiit, testium, etenim foliculum sursum versum simul cum membro virili obtinebat, & adeò semper, tenso, vt quoties vrinam excernebant, nisi tabula vmbelico admota tanquam prohibens adesset, vultum totum vrina sparsisset, quod malum à priapismo, penes magis & minus tantum differt; si enim flatus non ita contumax est; sed facilè dissolubilis, potiùs priapismum progignit; si verò rebellis, turbulentus, crassus sit, ac difficulter resoluatur, pudendum tanta cum duritie tendit, vt cornu instar appareat, cui malo b lneum artificiale, quod tensam partem emolliat flatus nebulosos, & crassos discutiat, calorem que languidum roborat, adhibere oportet, de quo late, Zacutus in medica praxi admiranda.



CAPVT VIII.

Percelebris Gal. historia, vt à partis situ laborantis curatrix indicatio præstetur proponitur.

109. VM in superiori capite medicamina potiùs vomitoria, quàm subducentia in priapismo proficua esse Magister protulisset, eo quòd maior humoris in contrarium auertio agitur, iam in præsenti eadem doctrina seruata in linguæ affectibus, non per vomitoria sed per subducentia morbificæ causæ euacuationem mediante auersione molitur.

TEXTVS.

Sanè linguam tumefactam, &c.

110. SE igitur cuidam senira tumidam linguam vidisse Magister refert vt in ore contineri non posset, qui iam sexagenarius cum fuisset, nec vnquam discectam venam habuisset, pilulis ex aloë scamonio, & colocinthide confectis iam ab ipso Gal. vsitatis illum vespere purgandum decreuit, cum iam decima diei hora qua ægrum prima vice inuisit, esset simulque in initio vsum aliquantulum infrigidantium in particula

cula

cula laboranti iuſſit; quia verò alteri medico medicamenti localis ſtatim appoſitio non placuit de illo deliberatio vſque in diem ſequentem omiſſa fuit, ſolumque æger pilulas ſumpſit, quibus corpus rotum cum purgatum, materiæque per inferiora revulſæ debitè fuiſſent, poſteà lactucæ tantum ſuccum collo admouendum Magiſter imperauit, quod omne tum per inſomnium, quaſi conſilium probatiſſimum manſiſſe, vt medicamenti materia diffiniuir fatetur, ex qua hiſtoria quantum laborantis particulæ ſitum perpendere oporteat, commouet, in priapiſmo ſiquidem, non ita per inferiora ne in affectam partẽ humoris tractio ſuſcitetur, ſed per ſuperna mediis vomitoriis auertendo veluti in lingua adaucta, è contra euacuatio ſucci morboſi per inferiora eſt agenda.

Aliqua In textum dubia proponuntur, ac diluuntur.

111. Ex Magiſtri textu linguam quantitate adaucta correptam morbũ organicum in magnitudine adaucta ex humoris fluxu pati cognoſces, vt inde non immeritò dubites quare potiùs purgationem, quàm ſanguinis miſſionem decreuit, celeriùs enim ac tutiùs venæ ſectionem prædicto in caſu ſuccurrere poſſe videtur, eo quòd, vt vena tundatur nulla humorum, viarumque paratio, quemadmodum, vt purgatio feliciter contingat requiritur, vt etenim cum quis purgare voluerit fluida facere, non tamen vt ſanguinem mittat debet vlterius quia ante ſanguinis miſſionẽ exercitam corpore pleno exiſtente, maximo cum labore purgatio euenit, non enim priùs vaſis inanitis medicamenta purgantia maſſam agitant, fervorem humorum inducunt, tormina ventris ſuſcitant, quandóque media ebullitione febrem putridam progignunt: ergo male magiſtrum purgationem potiùs quàm ſanguinis miſſionem ſelegiſſe videtur.

112. Pro cuius difficultatis deciſione duplicem rationem cum Magiſtro adferes, quarum prima ex nulla ante acta conſuetudine ad ſanguinis miſſionem deſumitur, ſecunda verò ex ætate ſenili, quæ ſexageſimo anno conſtabat, depromitur, propterea Magiſter inquit. *Qui iam ſexagenarius cum eſſet, nec vnquam diſectam venam habuiſſet.* Vnde quia ad venæ ſectionem aſſuetus non erat, iamque in ætate ſenili vitam agebat, loco ſanguinis miſſionis purgationem imperauit. In hac enim ætate ſanguinem mittere timoroſum eſt, vt Magiſter 1. *ad Glauc. cap.* 14. *conſuluit*. Præ caloris enim natiui langore, vires vt vena ſcindatur, deficiunt.

113. Præterea quia aſſuetus non inciſioni venæ erat, potiùs aluum ſoluendam iuſſit, nam conſuetudo inter omnia naturæ gratiſſima eſt, inueteratam etenim conſuetudinem immutare præſertim repentè grauiſſimum facultati eſt, ob quam cauſam in eiſdem, atque æqualibus morbis, & eorum eiſdem temporibus, natiuiſque temperamentis vel diuerſis, alteri ſola aqua, alteri vinum, alteri potio aliqua medicata ſolum propter conſuetudinis differentiam condonanda eſt, ſicque cum conſuetudo ita magni æſtimanda ſit, quoniam prædictus æger in textu adductus ſanguinis miſſioni aſſuetus non fuit, eam Magiſter renuit. Conſuetudo enim ad laboris tolerantiam, quàm ipſum robur, plus conducit vt Hipp. *lib.* 1. *aphor. ſentent.* 49. ſic ait. *Aſſueti ſolitos labores ferre, etſi ſint debiles, aut ſenes facilius ferunt, quam fortes, ac iuuenes.* Quare quamvis in iuuenibus magis quàm in ſenibus virium robur adſit, meliùs tamen ſenes etſi debiles aliquando, quia aſſueti, labores ferre valebunt, ſicque conſuetudo plus ad tolerantiam, quàm ipſum robur efficit, vlterius huiuſcemodi doctrina ex ſententia ſequenti eiuſdem libri apud Hipp roboratur, dum ſic fatur. *Ex multo tempore conſueta etſi deteriora, inſuetis minus moleſta eſſe conſueuerunt*, &c. Quod equidem conſuetudo moleſtiam tollat; vſque adeò, vt quæ moleſta priùs erant, vſu fiant ſuauia id in cibis, potionibus, & in omnium remediorum vſu, & in omni laboris genere expertiſſimum eſt; & quamuis aliquando conſuetudo cibi, & potus moleſtiam augere videatur, eo quod ſolent homines cibos, quibus ſæpe vſi ſunt faſtidire; hoc non ratione conſuetudinis, ſed aliter euenit ventriculus etenim cum in ſtatu ſalubri adeſt, nullam ex cibis aſſuetis moleſtiam perſentit, ſed quando ex illorum vſu excrementa iam congeſſit, illo caſu contraria, vt morbi remedia, incipit appetere; ſicque conſuetudo in rebus moleſtis, quia iam aſſueta ſunt, moleſtiam tollit, veluti etiam in voluptuoſis, & iucundis voluptatem imminuit, quia tam voluptas, quàm dolor fit à paſſione repentè facta. Cum igitur qualibet in euacuatione iam natura eſt exercita, non plus tolerantiæ, quàm ſi aliter eſſet obtinebit; propterea, quia Magiſter nullam ad venæ ſectionem conſuetudinem in prædicto ſene factam cognouit, non venam tundendam, ſed aluum ducendam decreuit.

114. Hæ tamen rationes, & aliæ ſimiles, vt Magiſter ſanguinis miſſionem pro prædicto affectu leuando non decerneret, non conuincunt; primò enim quòd æger ſexagenarius eſſet, & quòd in prædicta ætate timoroſum ſit ſanguinem mittere; non eſt cauſa variationis remedii ſpecifici, qualis eſt purgatio, nam ætas neutiquam eſt remedij verum indicans, ſed vel prohibens, vel conſentiens, quare ſi ratione ætatis, quia vires languidæ ſunt, vena non eſt ſecanda, non proinde dirigitur indicatio ad aliud remedium ſpecificum, ſi hoc non ſit indicatum. Præterea, nam ſi præ virium languore remedium magnum, vt ſanguinis miſſio, impeditur, multò meliùs purgatio, cum ad iſtam maius virium robur, quam ad ſanguinis miſſionem requiratur, vt latè *lib. de ſanguinis miſſione in mea manu medica dextera probatum reliqui*: Vnde ſolùm ex ætate ſenili ſequitur quod euacuatio ſanguinis per apertionem venæ modificatior debet eſſe dum vires conſentiunt, quandóque dum extremè languidæ impediri debet; non verò fundamentum adeſt, vt ratione ætatis indicatio diverſa, & ſpecifica ad aliud remedium deſumatur, cum ſemper à morbi, & illius cauſæ ſpecie perpendi oporteat Nec de conſuetudine, quæ allata ſunt Magiſtrum à calumnia liberant, nam conſuetudo neque eſt indicans, neque prohibens remedium, ſed coadjuuans, vt faciliùs, vel difficiliùs remedia natura ſuſtinere poſſit: Vnde, non quia deficiebat ad venæ ſectionem conſuetudo, Magiſter aliud re-

medium specificum, vt purgationem selegit; oculatissimus etenim Galenus veriores nobis indicationes exponens, non ita indicantia, & indicata confusa, atqoc indiuisa relinqueret, cum certum apud omnes sit ex Magistri doctrina, quod vnum, vt vnum semper indicat vnum; sicque purgationis, & sanguinis missionis indicans valdè diuersum specie adest; quare nec ratione consuetudinis, nec ætatis, indicans sanguinis missionis, ad purgationem exercendam variari poterat. Vnde tam sententia Hypp. 49. quam seqoens intelligenda est de maiori tolerantia ad labores assuetos, quam inassuetos; non verò ad omnimodam obnegationem eos sustinendi; sicque absolutè consuetudo non plus quàm robur ad laborem agit, nam collectiuè loquendo de homine languido, & assueto, & de valido, & inassueto, ille omnimodè laborem, iste etsi aliquantulum, quia inassuetus, non tamen omnimodè obnegabit. Et licèt consuetudo valdè conducat, hoc non tollit, quod dum deficit, in totum actio naturæ ad laborem sustinendum ferietur; sicque quamquam æger in textu prædictus ætate senili constabat, & venæ sectioni inassuetus erat, ex hoc non infertur, sanguinis missionem ob hanc rationem renuendam fuisse.

115. Vt tamen mirum Galeni artificium, quo vsus fuit collandemus, priùs aliqua supponenda offeruntur. Primum quidem est, huiuscemodi ægrum inflammationem passum non fuisse, vt ex Auicen. 1.3.*tract.*4.*cap.*1. in initio constat, neque febrem ab oris inflammationibus inseparabilem, dolorem, pulsationem, calorem ruborem, & alia, quæ linguæ inflammationes sequi solent, habuit. Neque ætas fluxionibus calidis obnoxia erat, sicque linguæ tumor à crassis, viscidisque humoribus linguæ meatibus impactis subortus erat; cumque huiuscemodi humores à natura sanguinis valdè alieni essent; ita vt media secretione, & in mixtionis lege peccantes, vtpote cacochymi sint, proinde Magister indicationem à prædicta cacochymia; non verò à sanguinis multitudine, cum ista non esset, desumens purgationem, potiùs quam venæ sectionem selegit. Vt etiam in oculorum inflammationibus 13. *Method. cap.* 11. & *Aphor. 6. sent.* 17. sola vacuatione per aluum vsus fuit, quoniam prædicta humorum exuperantia debitè sine vllo impediente euacuatur. Sed quare consuetudinem proposuit dum dixit: *nec vnquam sectam venam habuisset.* Respondeo quod fortassè medicamentis selectiuis potiùs vsitatus erat, vt inde faciliùs ea sustinere posset, ad libentiori animo medicamenta purgantia imperanda, non tamen desumens ex defectu consuetudinis indicationem diuersam ab ea, quam causa materialis cacochyma, expostulabat: exhibuit etenim pilulas, vt maiori in ventriculo mora, vehementiùs, ac importunè à capite, remotioribusque partibus materiam morbificam exhaurirent, & inter alia medicamenta scammonium, aloëmq; & colocynt elegit, vt validiori vi, qua gaudent, potentissimè à distantioribus succos expurgent, vt Magister 5. *Meth.* 6. & *lib. secund. loc. cap.* 5. *commonuit.*

116. Sed quare vesperi, pasto inquam, & non ieiuno stomacho expurgans medicamentum exhibuit, cum hoc communi præcepto ab Auic. prolato. 4.1. *cap.* 5. *opponatur.* Respondeo vrgentiam affectus principaliorem occasionis causam fuisse, nam si aliquid quod impellat adsit, & ad corpus purgandum vehementer cogat, qualibet hora pharmacum est sumendum, sicque præter impedientia, quæ Auic. profert alia contemnenda sunt, illa tamen valdè sunt æstimanda, vt quando accessiones manè, interdiúque affligunt, noctè verò intermittunt, ac remittuntur, vt in tertiana duplici accidere solet, quo casu initio noctis, quia febris remissa est, medicamentum bibendum est, quod præceptum in aliis morbis, qui sui vehementia sæuitieque symptomatum subitò interficere valent obseruandum expedit, vt Tralianus *lib.* 4. *cap.* 1. *monet,* qui in angina suffocante manè venam dissecuit, ac mox venas linguæ subiectas scidit, vesperè verò ex cremore ptisanæ lacrimam scammonij propinauit. Quibus vix à laqueo ex inflammatione nato ægrum liberare potuit.

117. Quamuis tamen Magister scarificationum in parte affecta mentionem non effecit, non inde hoc subsidium aliquando est omittendum præcedenti totius corporis euacuatione, si plenum humorum sarcina extiterit, vt debitè ex particula læsa quod contentum, impactumque adest, media scarificatione extrahatur, dummodo scissio profunda agatur, vt in quodam puero ex catarrhosa fluxione lingua in ingentem magnitudinem adauctam habente Zacutus sic egit; postquam enim reuellentia per venam sectam collo, ac dorso impositas cucurbitulas, clysteresque irritantes exequi iussit, tumorem mollem, laxumque linguæ profundè scarificauit, linguaque aqua salsa abluta, tanta succi aquosi quantitas fuit euacuata, vt statim æger in salubrem statum reuocatus fuisset.

118. Dubitabis etiam, quare topica refrigerantia in morbi initio ante totius vacuationem Magister adhibenda iussit, cum ipse tot in locis prohibeat localia, qualiacunque fuerint, nam si frigida sint intro humores pellunt, quos plenum corpus respuit, si calida fluxionem media calefactione, raritate, tenuitateque inducta suscitant, quare quidquid redundat ex partibus propinquis trahunt, doloresque increscente fluxione intenduntur, vt Magist. 12. *Meth.* 3. sic ait: *Sanè dictum à me etiam in superioribus est, qui cataplasmatis, & perfusionibus assiduè præcordia vexant, ipsos in eiusmodi affectibus phlegmonas accersere, minimè igitur eis est vtendum, priusquam superuacanea magna ex parte partim vacuata sint, partim concocta,* &c. Quod vt dissoluatur perpende, Magistrum non omnia localia in morbi initio interdicere, sed tantum ea, quæ nimis calefaciunt, relaxant, fluxionemque ad membra proritant; nam cum ista ex toto corpore humores ad viscera euocent apponenda non sunt, antequam maior humorum redundantium copia sit euacuata, coctionisque signa præcesserint, *calefacere enim præcordia* vt diximus cum Gal. 11. *meth. cap.* 15. *in initio cataplasmatis, aut perfusionibus, non est perpetuè tutum, sed in his tantum ægris, quibus in toto corpore nullum erat superfluum: cæteris omnibus extrema est pernicies.* Reliqua verò localia modicè calida lenientia, resoluentia, ac discutientia aliquando ad sedandos dolores possunt citra vllam noxam prodesse, quemadmodum frigida, quæ adstringendi, roborandique virtutem obtinent, doloremque lenire

nite possint, ista quidem in initio totò sunt adhibenda, ob quam rationem Magister succum lactucæ, quia refrigerando mollem linguæ carnem roborare media adstrictione poterat, ne fluxio increlceret, apponendum ipsi parti affectæ decreuit.



CAPUT IX.

Aliquæ tumorum differentiæ, & cancri curatio proponitur.

119. X natura causæ morbificæ tumorem procreantis, ipsius differentia quoad magnitudinem, acutiem, morem, & essentiam elucescit, sicque Magister in præsenti capite inspecta humoris natura tumores progignentis diuersas tumorum differentias exponit.

TEXTUS.

Iam vero tempus monet, vt ad aliud, &c.

120. POstquam Magister *libro de tumoribus*, *ac lib. 4. antecedenti* tumorum differentias medio sensu, tum ex colore, calore, frigore, mollitie, vel duritie desumendas esse præscripsit, denuò aliqua in præsenti notanda refert; inquit etenim quod quemadmodum tumor ruber sanguinem, sicuti flauus, & pallidus bilem, laxus verò & subalbidus pituitam causam gignentem esse indicat, non aliter alij tumores, qui inter rubrum colorem, & nigrum medium fuscum, & apud authores libidum nuncupatum habent, reperiuntur. Renixus quidem his etiam tumoribus valens adest, etsi pars affecta manifestiores v[illegible]as obtineat, talis eleuatio potiùs à crasso, nigroque sanguine, veluti qui in affectibus hepaticis per aluum excernitur, euenit, & apud Medicos maximè vini fæci doliis adhærenti assimilatur, his ergo sanguis niger, vbi magis calefactus, aut putredinis vi, aut febris ratione phlegmonodis redditus fuerit, in bilem nigram, quam nullum animal, neque adhuc ipsi mures degustauerint, degenerat, & ita ab ea terra abraditur, vt quæ raduntur partes in altum eleuentur, qui effectus secundùm Platonem, tum feruor, tum fermentatio nominatur, hic etenim humor veluti acetum operatur, ex quo etiamsi in terram proiiciatur idem effectus elucescit; proinde non à veritate, si auctores huiusmodi humorem acidum, veluti bilem pallidam, succum amarum appellent, discedent. Quidam igitur tumores præter naturam à prædicto succo nascuntur, veluti est fæx in vino, & amurca in oleo, & temporis progressu, cum talis humor in vasis impactus adsit, valdéque putrescat, huiusce-modi tumores exulcerantur: veluti ergo reliqui affectus ratione maioris, vel minoris vehementiæ in lædendo peculiarem differentiam habent; ita iste affectus apud Magistrum ab aliis differt. Phlegmones etenim alia supra modum rubra est; alia verò aliquantulum magis, quam pro habitu naturali, species tamen, aut ratio generica eadem illis est, rubriores enim, quàm pro statu naturæ sunt, dolorem etiam secum comitem habent, dolor tamen nec renitentia, siue cutis tensio non semper æqualis eis est, conueniunt tamen genericè, quia in illis pars magis quàm pro statu naturali in tumorem attollitur, non aliter affectus siue tumores cancrosi, de quibus in præsenti Magister alloquitur, alij confusa, obscura, & exigua symptomata, quæ apud vulgum fortassè non percipiuntur, adferunt; alij verò ita vehementia, & immania, ac omnibus euidentia, vt vix pueros latêre valeant de his quidem nulla in nomenclatura, atque cognitione ambiguitas adest, cum omnes vno ore talem affectum cancrum nominent, nec mirandum dum incipit, si vulgi opinio de notione dubia sit quemadmodum plantæ dum iam ex terra incipiunt exire, tantùm agricolarum peritiæ subiectantur.

TEXTVS

Ergo quænam in Cancro tum, &c.

121. AD veram igitur cancri curationem Magister properans communem indicationem esse inquit, humorem duntaxat morbificum, (veluti in aliis tumoribus supradictum est) euacuare, mox ne iterum huiuscemodi succus in venis cumuletur, prohibere, quod si fieri non possit, saltem cum per interualla inanire, simulque partem læsam, ne humoris redundantia in eam confluat, roborare sicuti ergo ad bilem educendam, dum vitiosa est, pharmacum eam trahens exhibemus, non aliter melancholicum medicamine simplici, vt epithimo in sero lactis, vel mulsa infuso, & duarum drachmarum pondere exhibito, aut composito aliquo, vt Magister ostendit, quale ex duobus, & triginta simplicibus medicamentis constat, debemus extrahere. Facta quidem iam in hoc affectu purgatione, præceptum quoddam Magister adfert, videlicet quod humor in parte laborante receptus retro geratur, vel ipse digeratur; deinde quod in principio, tam purgationis tempore, quàm ante illud repellatur; & vbi iam totum corpus exquisitè purgatum manserit, potiùs digeratur. Si tamen medioeris solùm purgatio facta extiterit pharmacum ex virtute repellente, ac digerente mixtum parti adhibere oportebit. Ad crassum sanè humorem medicamenti virtus, quæ imbecilla, mitisque sit, inutiliter operatur; sicque parui facienda est, quemadmodum quæ valens fuerit, eo quòd partes sanguinis tenuiores in venis tepentas vel digerit, vel repellit; crassas verò ac terrestriores fæci assimilatas nec euocat nec repellit imò, vt lapidescant, disponit; sicque etsi in principio tumor imminuatur, difficilior demùm solutu redditur, proinde medicamentis medioeri virtute pollentibus, quæ nec quia imbecillia vincantur, nec propter operandi vehementiam sanguinem valenter incrassent vtē-dum

dum expedit, ista enim cum pluries mordicantia sint ab eorum acrimonia morbi, & causæ morbificæ malignitas valdè irritatur, atque efferatur; sicque medicamenta in agendo mediocria, ac minimè mordentia bis affectibus maximè auxiliãtur, quorum materiam libris de medicamentis Magister præscripsit, vbi ex vstis, atque lotis metallicis remediis compositionem laudat, nam medicamina ex his composita vna cum purgationibus ad incipientem cancrum soluendum valdè iuuant, quamquam maior curatio esset, si illis affectum augeri probibeatur, proinde illum, qui iam sanatus extiterit, ne ampliùs regeneretur, prospicere oportet, quod victus ratione, vt *lib. artis de sanitate tuenda constat*, vti opus erit.

TEXTVS.

Caterum si quando Cancrum, &c.

122. QVando tamen Cancri indicatio curandi chirurgicam executionē proclamat, fucci melancholiei vniuersalis purgatio cuncta antecellere debet, vt tandem apertione media totum, quod vitiosum adest protsus excidatur, ita vt nulla illius radix supersit, ac sanguis, vt ex parte incisa media partium circunstantium compressione effluat, conuenit, ne aliquid sanguinis crassioris remaneat, moxque alia vlcera similem curationem exposcunt.

Pulchra in textus expositionem dicenda offeruntur.

123. Sæuissimi, atque contumacissimi morbi à pertinacissimo humore, atra dumtaxat bile pronati curationem, qui cancer dicitur, Magister in textu proponit, illumque in omnibus nostri corporis partibus gigni posse, vt Galen. ipse 2. *ad Glauc. cap.*10. ait, certissimum est, quamuis frequentiùs in mulierum mammis, vt Paulus *lib.* 4. *cap.*26.*& lib.*4.*cap.*45. inquit, contingat de cuius nomenclatura, essentia differentiis, causis, prognosi, & curatione cum Magistro dilucidiùs, quo possit, agendum venit.

124. Cancer igitur à Græcis Carsinoma, ab Arabibus Sartan, & communiter cancrosus tumor appellatus præ similitudine, quam cum fluuiali cancro habet, nihil est aliud, quam: *tumor rotundus, durus, inaqualis, aspectu terribilis, colore liuidus, vel cinereus, aut fuscus, consi[s]ans in ambitu venis turgidis, atque exaltatis, valdéque protensis, sicuti cancrorum pedes, caliditate, & dolore molestissimus, & ita partem laborantem adstringens, vt quasi clauo quodam fixa esse videatur.* Et quamuis omnis in genere malignus sit, in specie tamen alter altero benignior adest, nam penes maiorem, aut minorem causæ morbificæ, quæ atra bilis dicitur, effervescentiam, maior, vel minor pernicies nascitur; atra etenim bilis ex humore melancholico naturali, vel bile, vel sanguine per adustionem fit, & cum melancholia acetum sanguinis sit, acetoque vini correspondeat, vbi caloris vi phlegma, quæ acetum contemperat, separatur, fæces nigræ remanent, in quibus spiritus corrosiui, quasi vitriolati reperiuntur, qui huiuscemodi affectum efficiunt; ita vt talis humor, quasi aqua fortis esset, ita vehementer operatur, vt metalla rodat, omnis enim cancer rodendo serpit; sicque non immeritò euacuationem prædicti humoris, siue per os, siue per aluum factam, signum futuræ mortis esse Hypp. *Aphor.*4.*sent.*21.*&* 22. dixit. Si tamen dicas, quod si humor adeò est mordax, vt veluti aqua fortis corrodat, omnis cancer statim à principio vlceratus, nullusque sine vlcere esset. Respondeo, hoc solum, quando humor ad vltimum malignitatis gradum peruenit, contingere, nam partes attemperantes, illosque spiritus colligantes illo tunc separantur, quia tamen dantur alij gradus humoris, qui ad tam intensam malignitatem non accesserunt, proinde cancer non vlceratus pluries euenit. Et penes vstionis statum in humore existentis vlceratus, vel non, contingit; quod manifestè percipies, si vstionem duplicem esse, vnam in fieri, aliam verò in facto esse perpendas; in fieri nuncupatur, quando bumor actu efferuescit; in facto, quando iam bumor euanuit, veluti quando lignum vritur, feruor in fieri, quando verò in cinerem conuersum est, non actu feruere dicitur; cineres tamen remanentes media vstione, ratione cuius acrem naturam sortiuntur, geniti fuerunt: non aliter melancholia, siue alius succus adustus, quando actu feruet, cancrum vlceratum gignit, quando verò feruor euanuit, non vlceratum efficit. Mordacitas enim potiùs in eo, quod euaporatur, ac resoluitur adest; sicque omne, quod transacta vstione remanet, terreum, ac minus ex propria natura inflammabile est: ac proinde minus acre resultat, vt cancer sine vlcere fiat.

125. Notandum tamen expedit, hæc etsi frequenter, non semper, & in perpetuum euenire; nam sæpè tam intensè humores aduruntur, vt eorū quod crassum remanet, nimis mordax, valdéque exulcerans, quia intimè vstio penetrauit, euadat, vt inde etiam post vstionem à prædicto humore, tanquam ab acuto sale cancer vlceratus progignatur. Quod autem prædicta bilis atra cum maiori, aut leuiori vstione; atque feruore cancrum vlceratum, aut non efficere soleat patet ex Magistro, *qui lib. de atra bile* sic ait: *Si humor melancholicus solus, ac purus ad cutem decumbat ab initio quidem nigrum tumorem gignit, qui procedente tempore, dum semper assatur, & feruesit in cancrum terminatur, rursus vbi acrior, ac contumacior hic humor fuerit, cancrum exulceratum procreat, vbi autem mitior latentem, & citra vlcus producit.* Tum etiam Magister in textu ait: *Si melancholicus humor sit in venis impactus, & putrescat ex eo cancer generatur exulceratus. lib.* similiter de tumoribus præter naturam sic fatur: *Verum citra feruorem atra bilis, id est, cum mitior fuerit, cancros constituit: atque eos cum vlcere, vbi acriorem illam esse contigerit.* Ex præhabitis igitur constat, quod ex mitiori calida, atque feruefacta atra bile, cum in aliquam partem decumbit, cancer non vlceratus, siue in externis, siue internis partibus adsit, efficitur; ex acriori verò, magisque calida exulceratus nascitur.

126. Quia tamen cancer aliquam cum aliis præter naturam tumoribus similitudinem babet, ne Medici fallantur, aliquæ ipsorum differentiæ aperiendæ sunt, & præsertim quia frequenter, tam tumor cancrosus, quam alij ab eo dissidentes in mulierum mammis fieri solent. Quare huiuscemodi partes ab immodica flatus crassi quãtitate valdè distenduntur, ac dolore cruciantur, tumor durus cuius tensio

tensio æqualis sine aliqua interna duritie videtur, ipsas infestat, & quamvis tensio adsit, nullus ponderis sensus percipitur, dolorisque molestia solùm exterius notatur. Alius verò tumor durus in mammis fit, quando per omnia illarum vasa humor æqualiter diffunditur; sicque distensio etiam æqualis apparet, nam per imbibitionem succi mordacioris, aut mitioris in ipsis vasis, absque eò quod extravasetur, etsi fortè extra vasa effundatur, effusio æqualis sit, partes immodicè oplentur; nulla tamen pars certa mammarum, quæ singulariter tensionem commonstret, invenitur, proinde ferè cum exiguo dolore, cum maiori verò ponderis sensu molesto, propter pondus erit; hic quidem tumor à primo ratione causæ differt, cum ille à flatu; iste verò ab humore per vasa diffuso nascatur.

127. Tertius verò tumor in mammis durus fieri contingit, eo modo quo strumæ aliis in partibus adenosis fiunt, eò quod mammæ glandulosa natura constant; sicque illa pars quemadmodum struma dura, & circumscripta apparet; in quo à præcedentibus duobus tumoribus differt; nam illi cunctam mammarum substantiam turgidam, atque duram; hic verò strumosus tumor determinatam partem obsidet; quare semper est inæqualis cum diuersa partis eminentia, & circumscriptus. Vnde quando aliqua mammæ pars dura, tophacea, aut exsiceata, aut à frigiditate potenter condensante concreta manet, propriè glandulosam mammæ substantiam in tumorem strumosum, siue scrophulentum redditam esse dices.

128. Quartus pariter durus tumor mammarum partibus, qui schirrus, à succo melancholico natus, nuncupatur, accidere solet; iste quidem sine aliquo dolore, etsi digitis prematur, si exquisitus sit, reperietur: si verò nothus, aut spurius dolorem comitem habebit. Differt & autem à primis antea dictis: tum ratione causæ: tum quia totam mammam nentiquam occupat. Ab strumoso verò differt, quia quamquam durus, & circumscriptus, vt ille sit, non tantam dispositionem circumscriptam, & rotundam obtinet; proinde quia strumosus tumor quadam membranacea substantia ei genita involuitur non ita vt schirrus extenditur, atque dilatatur, neque insensilis, quemadmodum schirrus adest. Iste etenim ideò sensu caret, quia media frigiditate, atque siccitate ab humore melancholicò naturali, à quo provenit, ita pars densatur, concrescit, atque opprimitur, vt prædicta densitate influxu irradiatiuo ad sentiendum ex cerebro necessariò privetur, propterea quamvis tumor vehementer comprimatur, atque manibus asperiùs pertractetur, nulla in parte schirrosa sensatio molesta percipitur.

129. Quibus præhabitis, alia duplex tumoris maligni differentia, vt exponatur superest, vt est tumor in mammis factus Zaratan dictus, & cancer de quo Magistri doctrina procedit. Zaratan igitur nihil aliud, *quàm tumor est inæqualis cum dolore molesto, & ardore, non tamen ita affligens vt continuè, & incessanter m l' H t, neque dum affligit, tam graviter excruciat, vt intolerabilis sit afflictio.* Cuius tumoris symptomata, tam illius malignitatem, quàm sæuitiem commonstrant, pendéntque ex eo, quod humor duritiem efficiens, media mistione, aut putredine erodente accredinem acquirit; veluti si melancholia in parte contenta vratur, vel cum ea atra bilis exquisita, & maligna permisceatur, vel ista cum pituita lenta, & exsiccata miscellam suscipiat. Ex quibus inferes, quod tumor Zarathan dictus nihil est aliud, quàm quidam cancer nothus, seu spurius differens ab exquisito cancro ratione humorum mixtionis, nam in illo humor permixtus, non ita graviter ac si solus adesset, excrutiat; vel quia acredo, atque vstio, non in bile, aut melancholia, sed in succo pituitoso, qui benignius erodit, atque vlcerat, etsi vratur, introducuntur: cum igitur Zarathan à cancro penes maiorem, vel minorem in lædendi modo vehementiam differat, eo quod causæ non ita acriter, ac dito dolore in illo, quàm in cancro eruciant; meritò Zarathan tumorem, qui cancrū exquisitum minatur, esse dicemus, eo quod eisdem accidentibus etsi remissioribus naturam defatiget, ac malignitate quadam vitam impendat.

130. Ex dictis igitur manifestè omnium tumorum prædictorum differentias in ordine ad tumorem cancrosum ad vnguem callere valebis. Et quamvis inter schirrum, tumorémque cancrosum similitudo non exigua videatur, maximè tamē inter se dissentiunt; in cancro enim dolor pungitiuus, quo schirrus caret, adest, & schirri incrementum, non ita veluti cancri velociter fit, quia huius materialis causa mobilior, vtpote calidior est, neque ita in schirro venæ sanguine tumentes, atque repletæ vt in cancro inueniuntur. Præterea cancer frequentiùs incipiendo ex prima generatione fit; schirrus verò sæpè sæpiùs ex calidi tumoris transitu per materiæ subtilioris resolutionem nascitur, etsi partem affectā perpendas, substantiam rariorem, ac laxiorem; schirrus verò frequentiùs duriorē occupat. Tandem quamvis ex atra bile schirrus naturali tamen, quæ est in sanguine, veluti fex in vino, & amurca in oleo; cancer verò non ex atra quomodocumque bile, sed ex adusta, & fermefacta, quæ exquisita dicitur, ortum ducit.

131. Carcinoma igitur siue cancer apud Paulū *lib. 3, cap. 67. & lib. 6. cap. 45. varius est,* nam alius exulceratus, alius sine vlcere, & istius vnus in summa corporis parte, & manifestus est, quem tumorem cancrosum omnes appellāt; alius verò in profundioribus partibus, ac latentibus, vt in sede, vtero, palato, & naribus conditus est; & proinde occultus, veluti ille, qui quamvis in partibus interioribus non adsit magnas saltim radices habet, profundiúsque penetrat. De quibus Hyp. *6. Aphor. sent.* 38. fuit alloquutus hac ratione: *Quibus occulti cancri fiunt; eos non curare præstat: nam curati moriuntur citò; non curati autem in longum tempus protrahuntur.* Quamquam Hypp. in hac sententia, qui occulti, quivé manifesti cancri sint non exponat; proindéque varia opinionis in autoribus ratio sit; certum militat, quod aut cancros occultos, eos qui in partibus internis adsunt, vocat, & eos qui in externis, siue vlcerati, siue non vlcerati sint, manifestos appellat; vel occultos omnes nō vlceratos, manifestos verò omnes vlceratos vocat, siue in partibus internis, aut externis sint. Aliqui primam, alij secūdam expositionē insequuntur. Certius quidē est, quod cancri non vlcerati dupliciter occulti nuncupantur, vel etenim quia sunt absconditi, id est, in profundo corporis reperiuntur, vel quamvis vlcerati non sint, aut partes externas solùm superficiales

perficiales obsident, aut profunditus eas penetrãt; illi manifesti sunt quoniam altas radices, non habent; ideoque tumor est conspicuus simul cum venis turgentibus, aut nigricantibus, absque eo quod venæ tumentes vsque ad interna penetrent. Qui verò profunditus partem obsident, etiam occulti, quamvis non ita propriè quemadmodum, qui in interioribus partibus reperiuntur, dicantur, vt Magister *in comment. prædicta sententia* ostendit, simúlque superficiales cancros, vel secandos, siue vrendos præcipit. occultos verò maximè renuit. In cuius confirmationem sic loco citato fatur: *ex eis verò qui in summa parte corporis hærent, illos tantummodo, quos possimus vnà cum radicibus ipsis, vt quispiam dixerit, resecare: neque malum est veluti radices quasdam cancri nominare eas, quæ plenæ sunt sanguine melancholico venas, & vsque ad loca circunstantia distenduntur.* Ex qua doctrina facile infertur Magistrum asserere cancros externos, qui profundas radices non habẽt, extirpandos esse; eos verò qui profundas radices emittunt, neutiquã secãdos esse. Quare siue cancer in internis partibus adsit, siue in externis, profundis tamen radicibus cõstans, cum vterque occultus sit, neutiquã extirpandus est, sed solùm qui superficiem partium occupat, quem manifestũ Magister nuncupat, ac de quibus Hip. sententia verificanda est. Quod autẽ occultos cancros curare non oporteat, ipse Magister satis expressè docet, cum asserat: Quod enim illi qui sunt in partibus penitioribus, talibus non curentur remediis, etiam experientia docet: equidẽ, scio, omnes qui huiusmodi cancros curare tentarunt, magis illos exacerbasse, & breui homines interemisse, nam qui cancrum in palato constitutũ, & in sede, & in sinu muliebri vel vsserunt, vel secuerunt, nec potuerunt vlcera ad cicatricẽ perducere, homines per curationis afflictionem vsque ad mortẽ excarnificarunt, qui nulla curatione adhibita longiori tempore vitam cum minori molestia transegissent: tales igitur cancros nullo modo curare tentemus.

132. Nec minùs Aëtius quantum cancri occulti curationem obnegent *serm. 16. cap. 41. de mammarum cancro alloquens*, sic commõstrat: *est enim proteruus, & curatione efferatur, manuúmque tractatione exacerbatur.* Et Vrgentius *cap. 44.* sic ait: *Cancros in pectore obortos omninò deploratos esse scito, quemadmodum & eos qui in capite, collo, humeris, sub alis, & inguinibus generantur; sunt enim & hi incurabiles: nam præterquam quod perfectè tolli non possunt, sanguinis eruptionis timor innadit, ne ex ea æger inter Chirurgi manus pereat; eos verò qui papillæ summitatem occupant affecta partis amputatione facilè curaueris.* Ex quibus verbis dilucidè prænotabis, cancros manifestos, quos in fine adducit superficiales curationem amplecti; illos verò de quibus primo agit, qui occulti propriè sunt, maximè ipsam respuere, eo quod magna sanguinis profusio, propter magnorum vasorum sectionem pertimescenda est, neque vnquam perfectè ac radicitus (quia profundi) euelli possunt, multóque minus ad cicatricem perduci valent: vndè ægri diutiùs afflicti pereunt; at verò si demulcentibus ichores lenientibus, ac moderatè detergentibus vtamur, hæc non improbantur, nec de hoc curandi modo venerandi Hipp. oraculum est intelligendum; proinde politicè alloquendo malum quod diù in Reipublicæ visceribus delituit, non curare oportet, curatum enim, reipublicæ ruinam, atque interitum parat, & quolibet alio remedio Principes vtantur ad sanitatem nentiquam reduci valet; propterea ciuitates ægræ propter remedia præpostera desperatæ, curam contemnunt, ac periculum quodcumque potiùs quam curam levem subeunt: humanitate tamen, simulatione, lenitate, placabilitate, loqutionum suavitate, & operationis clementia in atrocissimis morbis vtendum esse, omnes cordati politici fatentur. Veluti igitur cancri occulti curam: sic vitia secretæ conscientiæ nullum, aut difficulter remedium admittunt, nam vt Cyprian. *serm de zelo, & liuore*, ait: *Multo malum leuius, & periculum minus est cum membra gladio vulnerantur, facilior cura est, vbi plaga perspicua, & citò ad sanitatem medela subuenire producitur, vulnus quod videtur, zeli vulnera obstrusa sunt, nec remedium, curámque medentis admittunt, quæ se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt.* Quare sicut partem laborantem, quæ curari non valet, vanum, atque inutile, imò valdè noxium est, quia homines breviter interficiuntur, ita non decet contumaces, ac refractarios corrigere; nam qui huiusmodi homines emendare conantur, eos in ruinam contraxerunt, quoniam frequentiùs, magísque reprehensionibus irritati peiora, & atrociora, saltem animo perpetrarunt, sicque eos, vt cancros occultos omittere vtiliùs, ac prudentiùs erit.

133. Ex prædictis, non solum cancrorum differentiæ; verùm prædicendi ratio splendescit, cum constet huiuscemodi affectum ferè desperatum esse, & præsertim si cancer vlceratus sit malignior efficitur, & partes exedendo intentissimis doloribus cruciat, earúmque substantiam depascendo, omnium morborum compagem infert, eò quod in magnitudine, in intemperie, & cum substantiæ deperditione in soluta vnitate vitium contrahit, & excrementa à prædicto vlcere pullulantia, ita maligna sunt, vt ingenti erosione valenter contorquendo affectum partem in summum languorem ducant, perniciésque huius mali patefit, eo quod leuiora auxilia maximè spernat, maioribus tamen intensiùs exasperetur, atque scandescat, simúlque ita insidiosus, & fallax affectus est cancer, vt quamvis aliquando in externis partibus sanetur, parsque laborans, quia diuersis auxiliis roborata fluxionem de nouo non suscipiat, partem tamen aliam internam humor irruens citiùs necem exhibeat; propterea postquam carcinoma externum totaliter curatum fuerit, prouidentia indicatiua, quoad expurgationem corporis per interualla, ne denuò talis affectus vlla in corporis parte progignatur, habenda est, simúlque alia auxilia, quæ nouam atræ bilis generationem impediant, adhibenda sunt, etsi fortè regeneretur huiuscemodi succus ne ad intra reuocetur, curandum est; in cuius doctrinam æstimandam Auic. *lib. 4. tr. 2. cap. 16.* dixit: *Et iam narrauit quidã primorũ, quod medicus quidam inscidit mammillam cancrosam radicitus, & cancerata est altera.*

134. Nec minùs cancri maior, aut minor pernicies ex vehementiori, remissiorive pernicie in materia morbifica à qua nascitur, patefiet; atra enim bilis ex vstione bilis flauæ

nata

nata valdè exitiosa est; mitior verò, quæ ex melancholia vsta; mitior tandem, quæ ex sanguine advsto nascitur, nam cum effectus suæ causæ naturam redoleat; proindè quia sanguis mitior, deinde melancholia naturalis, demumque bilis est, atra bilis ab eis progenita maiorem, aut minorem sibi malignitatem induet. Vt inde atra bilis ex bile flaua nata maiori efficacia in vrendo, ac erodendo vigeat. Vt Magister *lib. de atra bile* sic exposuit. *Caterum ea bilis atra, quæ ex flaua bile immodicè vsta ortum habet, tantò hac perniciosior est æstimanda, quantò flaua bilis efficacior est sanguinis sedimento*; Hoc tamen vt dixi de vehementia erosionis intelligendum est; bilis enim atra ex melancholiæ vstione facta crassior, terrestriorque cum sit, magis intra particulæ poros imbibitur, difficiliúsque euellitur. Neque inde inferas, vehementiorem effectum agere, quia materiæ densitas, semper ad validiorem actionem confert. Ratio est quooiam illatio non cum pari agentium dispositione currit; id est, si vnum agens æquè est mordax, ac aliud, istud verò densius, & crassius extiterit alio, sine dubio, quia cætera sunt paria in acredine, hoc præ maiori crassitie, atque densitate vehementiorem operam aget, quia tamen atra bilis ex melancholia naturali vsta, & quæ ex flaua bile nata est in erosione, atque acredine non æqualitatem continent, nam semper quæ ex succo melancholico fit, mitior, quàm quæ ex flaua bile oritur, est; proinde quamvis illa densior sit, non ita perniciosa, veluti ista erit censenda, etsi volueris bilis crassior redditur media vstione quàm melancholia, quia cum incendium ex dispositione bilis flauæ, dum de nouo aduritur, vehementiùs quàm ex melancholia dum aduritur, sit ob hanc causam maior inflammabilitas, vstio, & partium ignearum in materia contentarum euaporatio, ac resolutio agitur, sicque à vehementiori bilis inflammatione, vehementior exsiccatio, concretio, ac densatio in atra bile ex flaua genita, quàm quæ ex melancholia naturali vsta fit, inducitur. Quæ de essentia, differentiis, causis, & prognosi cancrorum satis conspicua patent. Quanquam carcinoma secundum Paulum *lib. 4. cap. 26.* qualibet in corporis parte fieri possit, frequentiùs tamen in mulierum mammis, vt ipse autor ait, quia natura harum partium laxa, & fungosa ad crassissimam atram bilem promptiùs excipiendam apta est, ac in huiuscemodi partes humorum decursus ex capite facilior adest; tum etiam cum mammæ miram cum vtero connexionem (vt Magister 14. *de vsu partium cap.* 4. ait) habent; proindè ex sanguinis menstrui suppressione per vteri venas sanguis crassus, & fæculentus facilè ad mammas regurgitat; ibique cancrum progignit, nam in sanguine menstruo portionem salis corrosiui, & arsenicalis, à quo cancer fit contineri doctissimus Paracelsus sentit. Nec minùs in viris ex superfluis hœmorroidibus huiuscemodi affectus in mammis fit, nam præterquàm quod substantia earum laxitate polleat, in eas etiam à corporis interno grandiores venæ, atque arteriæ communicantur; licèt ita affectus perniciosus cancer sit, diuersi tamen temporis status, eo quod vnus incipiens, alter verò adultus, atque vnus ex prima generatione natus, alter tamen schirro succedens valet esse; diuersitas magna in facili, aut difficili curatione aderit: propterea Magister in textu, quàm difficile cancrum incipientem cognoscere, quàmque facilè curare sit exponit, ac vice versa adultum iam, & vigentem in statu arduam, & ferè impossibilem curam admittere, ob hanc igitur causam valdè cuiusque cancri signa, vt debitè callere valeas, perpendere oportet, quod tumor cancrosus incipiens ciceris magnitudine percipitur, aliquando omnis doloris expers, aliquando cum dolore & calore ita pungitiuo, vt quasi acu pars pungatur appareat; vlteriùs ad fabæ magnitudinem; posteà ad glandis; deindè ad oui; tandémque ad melopeponis incrementum peruenit, vt valdè horrificum videatur. Quare cum in principio tam tumor, quàm accidentia mitissima sint, potiùs ex corporis habitu melancholico, ætate, regione, ante acta vita, & parte affecta dignotio affectus patefiet.

135. Vbi verò incrementum iam sensibile acquisiuerit, adultúsque fuerit, manifesta signa ostenduntur. Vt Magister in textu, *& lib. de tumoribus* præter naturam sic alloquens commonstrat: *Quamobrem cancri nigriores sunt colore omnibus, quæ inflammatione infestantur, & minus calidi; venæ autem in his replentur, & tenduntur magis, quàm in ipsis inflammationibus.* Similiter *lib. 2. ad Glauconem* sic fatur: *quo tempore euidenter apparent, quæ in loco affecto sunt venæ crassæ, & nigro sanguine imbutæ, qui quidem quantò crassior fuerit, & nigrior, tantò deterior est passio.* Quæ cuncta ex propria huius mali essentiali definitione satis superiùs elucescunt; cum verò schirrus in cancrum degenerat, tumor qui indolens præcesserat, dolorem persentire incipit, & assiduè vehementior fit, & in proximas partes extenditur, pungitiuúsque dolor, & inflammatio eueniunt, ac venæ circa tumorem nigrescunt, frequentiúsque febris comitatur. Quia tamen cancri occulti signa satis manifesta sunt e tum ex carnis corruptione, labiorum duritie, crassitie, tumescentia, erosione, atque ingenti dolore, proindè si latiùs scire velis doctissimum Aëtium *serm. 16. cap. 43.* consule.

136. Nec immeritò an cancer vlceratus per contactum contagiosus sit inquires. Iuxta quod plurimi negatiuè respondentes hanc causam præbent, quia cum caliditas atræ bilis intensissima, ignea valdéque torrida sit, proindè materiam fomitis absumit, ac seminarium contagionis, quod eleuatur à sicco humore, eo quòd lentum non sit, neque inhæret, neque tempore sufficienti ad agendum detinetur; ob quam causam biliosæ febres, quia ab humore sicco prouatæ contagiosæ non sunt; experientia tamen contrarium suadet, nam in parte cancro vlcerato correpta fœtor ita putredinalis adest, vt quasi cadauerosus persentiatur, & putrilago illa immodica nequaquam à partis calore omninò valet assumi, sicque vapor sordidus ab ea eleuatus putredine sua, atque virulentia vicinum necessariò corpus inquinat, vt Fernelius 7. *patholog. cap. 2.* rectè persentit. Quod constat experientia cuiusdam mulieris pauperrimæ, quæ

quæ cum cancro vlcerato in mamilla multis annis laboraret, noctu cum filiis tribus in lectulo decumbebat, omnes simili contagione affecti fuere, postquam mulier interiuit; post quinque annos duo prædicto malo affecti, interfecti fuere; quia verò tertius inter omnes validior erat, cancro chirurgica manu abscisso in salutem restitutus fuit, vt doctissimus Zacutus testatur.

137. Nunc etiam carcinoma vlceratum affectus contagiosus ad distans sit dubitabis; ex nuper assertione dicta affirmatiua militat sentiendi ratio, nam contagium fieri non potest sine putredine; atqui vapor putridus ex cancro vlcerato eleuatur ad corpus vicinum inficiendum ergo est contagiosus cum ex parte affecta fætor veluti cadaueralis cum sordida illuuie, atque virulentia, & sanie emanet: ac proinde vicinum corpus sua putredine inquinabit: ergo non solum per contactum, sed ad distans affectus contagiosus erit. Quæ assertio stabilitur ex aliis minus affectibus periculosis, scabies enim, morbi cutanei, ophtalmia, variolæ, morbili, aposthemata, venefica, strumæ, & alia similia, quæ in corporis partibus sunt ad distans contagium progignunt eo, quòd ab his vapor ad corpus inficiendum aptus eleuatur: ergo multò vehementiùs cancer contagiosus ad distans erit. Roboratur vlteriùs, nam cancer est idem morbus ac elephãtia, & est vnius partis lepra, vt Paulus *lib.* 4. *cap.* 1. atqui elephantiasis est ad distans morbus contagiosissimus, vt omnes fatentur: ergo non aliter cancer ad distans contagionem producere valebit.

138. Huiusmodi tamen fundamenta, vt huic sentiendi modo assentiamus, non vrgent, si priùs dicamus, quod quamquam elephantiasis ab eadem causa, atra videlicet bile, à qua cancer pendet, oriatur, vt Gal. 2. *de crisibus cap.* 12. *docet*. Et licet cancer lepra vnius membri peculiaris sit, tamen contagiosus ad distans non est, quoniam elephas tantum partes externas infestat, atque habitum corporis occupat, vbi humor magis transpirat, minusque præstatur, cum non tantùm in loco circumdatus, sed per vniuersam corporis molem sparsus sit, à quo minùs immutata, magisque aura eleuata integra cum sua putredine vicinum corpus inficit. Idemque de variolis, scabie, morbilis ac similibus, cum cutanei morbi sint, intelligendum est; in cancro verò quamvis fætor adsit, ac sordidus vapor exhalet, quia tamen seminarium eleuatum siccum valdè est, & propter nimiam partis laborantis caliditatem lentore, atque humiditate caret, quamquam volitet adhærere non potest, eo quòd in longiori via quam pertransit vaporis sicci actinitas euanescit, atque quasi exhalatio sicca exhalatur: tum & etiam, quia in loco vlcerato conculcatus, & transpiratione cohibitus valdè à calore intentissimo aduritur, atque incineratur, ob quam rationem biliosæ, ardentésque febres, licet ex bile putrida oriantur, contagiosæ non sunt, quemadmodum sanguineæ, & pituitosæ in quibus lentor, ac humiditas excedens viget. Ex quibus quod cancer vlceratus in propinquum per contactum contagiosus sit, nequaquam verò ad distans, liquidò constat.

139. Quamvis carcinoma ex diuersis morborum differentiis affectus conflatus sit, eo quod tum morbus organicus, quia magnitudine præter naturam constat, sit; tum in intemperie; tum etiam in soluta vnitate propter dolorosam tensionem, quia tamen materialis, à confluxu atræ bilis in partem affectam pendens sit; propterea habita ratione ad fluxionis tempora, & huiuscemodi causæ morbificæ vitia, quibus naturæ officit, diuersæ indicationes curatiuæ militant. Prima etenim est, reuellere succum melancholicum, ne in partem affectam fluat: Secunda, ne noua materia regeneretur, prohibere: Tertia, humorem in partem confluxum temperare, ac partim repellere, partimque resoluere: Quarta, ipsam laborantem particulam, ne denuò recipiat roborare. Quinta verò, & vltima, aliquando, si occultus cancer non sit, manu medica ipsum extirpare.

140. In primam igitur indicationem exercendam deueniendo, cum reuulsio: tum sanguinis missione: tum purgatione fieri possit, propterea inquirendum venit, an Magister solùm de purgatione in textu intelligatur, cum de venæ sectione nec verbum proferat, præsertim cum causa morbifica potiùs cachochymiam, quia atra bilis est, quàm plenitudinem arguat. Sicque cum sanguinis missio non à cachochymia indicetur, istam exercendam non, sed tantum purgationem videtur.

141. Si tamen huiuscemodi affectum frequentiùs ex sanguinis menstrui, aut hæmorrhoïdalis suppressione oriri perpendas, vt inde non solùm plenitudo particularis, verùm totius corporis vniuersalis eueniat, meritò habita ratione ad hanc cum morbo magno coniunctam de sanguinis missione decernes; sicque causa morbifica vt multa euacuationem indicabit, & potiùs per sanguinis missionem, eo quòd sanguinis euacuatio assueta, abolita est. Vel si manis etsi nulla plenitudinis signa adsint, reuellendi solum sanguinis gratia, vena secanda est, eò quod humor in affectam partem impetuosè fluens media reuulsione per venæ sectionem in partem contrariam trahitur. Et vlteriùs nulla horum inspecta ratione, solum quia sanguinis missio præuia, & aptior dispositio ad purgationem est, eo quòd fluxiores humores ad motum redduntur, vixque perfectiùs referantur; propterea in carcinomate sanguinis missio, vt præcedat, reuellendi, euacuandi, & aliquando humores disponendi gratia ad purgationem, tandemque vt calor natiuus magis ventilatus temperetur, oportet. Et quamuis Magister in textu sanguinis missionem exequendam non commoneat, secundò tamen ad Glauconem *cap.* 10. cum sic alloquens imperat: *huic igitur morbo* (id est cancro) *melancholici succi conferunt purgationes: Quod si ætas, & virtus permiserint, sanguis prius mittendus est, sed neque in cancris inutile est, vbi nihil prohibeat, primò sanguinem mittere, ac deinde purgare, euacuaréque menstrua, si sint mulieres, nec attigerint quinquagesimum annum.* Vena igitur, si absit prohibens, tundenda est, vt succus melancholicus euacuetur, reuellatur, hepatis calor refrigeretur, & purgatio fæliciùs media vasorum reseratione contingat. Etsi ex sanguinis menstrui suppressione cancer mulieris

lieris pronatus sit, potiùs primò poplitis vena, vel malcoli secanda est veluti si ex obstructis hemorrhoidibus, Hirundinum vsus in his partibus valde est proficuus, nec minùs purgatio cacochymum succum eligendo reuellit, atque euacuat; sicque simplicia medicamenta, & mitiora priùs exhibenda sunt, deinde valentiora: quod tamen sensim, atque per interualla, vt faciliùs natura euacuationem sustinere valeat, & ne demùm morbifica materia intra vasa cumuletur, agendum est. Secunda indicatio ne videlicèt nouus humor à parte gignente fiat, adimplebitur, si prædictam partem, qualis hepar solet esse, attemperemus, atque in pristinum statum eam reducere: tum victus ratione: tum medicamentis attemperantibus conemur. Propterea Magister 2. *ad Glauconem ptisanam, & similia infrigidantia, & humectantia collaudat*, cum sic alloquatur: *Quod pertinet ad victus rationem; succus ptisana abundanter est exhibendus, & serum lactis, aut ex oleribus malua, atriplex & blitum: cucurbitis etiamsi occasio ferat, & piscibus saxatilibus: auibusque omnibus, exceptis palustribus.* Aduertendum tamen est, quod inter horum infrigidantium vsum purgatio, quæ per interualla fit, neutiquam ad pituitam educendam dirigatur, sed solum medicamina melancholiam, atque bilem extrahentia sunt præscribenda; causæ etenim cancrum efficientes, neutiquam pituita, sed prædicti succi adsunt. Vlterius quia pituita intùs relicta potiùs ad coërcendam, attemperandamque vtramque bilem subseruire valet

142. Alia indicatio curatrix repulsiua nominatur, vt in se alia quæ digestiua, siue resolutiua nuncupatur, exerceatur; sicque Magister in textu inquit quod purgato corpore intro humorem in membro procumbentem, retrogerere oportet, dummodo vel in ipso purgationis initio, vel ante purgationem affectus sit, illo enim casu repulsio potiùs, quàm digestio siue resolutio primam tenet, vbi verò totum corpus iam exquisitè purgatum extiterit, digerere conuenit, quod si non radicitùs, sed mediocriter purgatio facta fuerit, nec solùm repellere nec digerere tantum, sed pharmacum duplici virtute, repellente duntaxat, digerenteque constans parti laboranti adhibere est necesse. Ex quibus facilis, & necessaria indicatio partem affectam roborandi, ne demùm humoris fluxum recipiat, infertur.

143. Nec minoris momenti est perpendere medicamenta emollientia ex axungiis, pinguedinibus, ac oleis calidis, & humidis composita, eo quod supputantia suo modo solent parti affectæ apposita valde nocere, nam ipsam particulam emolliendo eam vt humori mordaci morbifico facile exedatur, & cancer vlceratus fiat, disponunt, quod Auic. *lib.4. tract.2. cap.16.* Sic præuidit, animaduertens, duo esse maxime considetanda in curatione huius affectus, videlicet & quod augmentum impediatur, & quod, ne vlceratus reddatur, obstemus. Quod quidam medicus valde omittens cum emollientibus, & attrahentibus in carcinomate in mamilla dextra reperto vsus esset, tanta sanguinis profusio subsequuta fuit, vt tumor efferata inflammatione, doloréque intensiori nato, ita affectus increuit, & profundiùs serpendo sese insinuauit, vt totam mamillam depasceret, ac horribilis fætor & veluti cadauerosus persentiebatur. Quo casu insolens medicus audacter salutem offerens quodдam parti afflictæ causticum imposuit, quo vlcus vehementer irritatum ad axillas, & humeros serpens totum brachium miserrimè corrosit, costasque irruens exedit, vlcere tandem magis insinuato, & cauernoso existente, pericardium corrosum fuit, ac eo denudatum cor, atque detectum triduo moueri ab adstantibus visum, siue intuitum fuit; quia tamen natiuus calor omnimodè refrigeratus fuit media syncope laboranti mulieri subitò mors euenit, vt Zacutus refert.

144. Quoad medicamenta igitur topica, tam repercutientia, quam resoluentia cordatissima indicatio est sumenda, nam pluries ex errore in ipsorum adhibitione, ita detrimentum insuperabile subsequitur, vt inopinata mors celerrimè contingat; multa enim, & assidua repulsio multoties materiam intrò remeare cogit, ac media suffocatione interficit: propterea assiduus laminæ plumbeæ vsus interdicendus est; præterea immodicè resoluentia de nouo succum morbificum in partem concitant, & iam imbibitum ad inflammationem disponunt, & quod digerere, siue resoluere non possunt in substantiam tophaceam, lapidosam, ac proinde insuperabilem reddunt. Vt in textu cum Magistro ostensum manet. Quare nullum auxilium efficacius, & commodius, quàm repetita, & epicrastica melancholici humoris expurgatio est, vt Magister *lib. de atra bila cap. 3. & 2. ad Glauconem cap. proprio*; Sicque, vt obseruantissimum præceptum tenendum est, quod in omnibus morbis melancholicis, nō vnica vice, atque subitò, sed paulatim, ac purgatione repetita causa morbifica educatur; nam crassities succi melancholici, neque ita facilè ad expurgationem maturescit, nec radicitùs semel eradicatur; sicque leuiter, blandè, ac per vices: tum parandus: tum educendus est Qua de causa Magister mulierem cancro in mamilla laborantem, annua purgatione mirificè leuauit, vt 6. *aphor. comment. 47. & 2. ad Glauconem citato his rationibus refert: Sic & mulierem quandam singulis annis vere inchoante similiter euacuans, cum aliquando tumorem cancrosum in mamilla pateretur, forti atque frequenti cum medicamento purgante atram bilem adhibita euacuatione, ad sanitatem perduxi. Etsi quando purgatio omitteretur dolorem profundum sentiebat, & me aduocato statim volebat euacuari.* Meritò igitur Magister pro prædictæ mulieris præseruatione medicamentum forte, ac frequentiùs exhibebat, illud, vt crassus, terrestrisque humor cedens eradicari posset, & hoc quia tenacitas, ac humoris renitentia vnica vice educi non valet. Animaduertendum tamen est, Galenum in præsenti historia, non de cancro, in quo venæ attrabiliario sanguine plenæ, distentæque instar pedum animalis cancri sunt, nec de cancro vlcerato, quem atra bilis efferuescens progignit, sed de tumore cancroso, qui licet naturam cancri redoleat, ab exquisito tamen valde differt, alloqui. Alia satis acuta expositio à Zacuto fuit allata, eo quòd Galenus mulierem annua purgatione à tumore cancrosa præcabebat, hoc quidem egit, postquam antecedenter eam

diverſis auxiliis in ſtatum ſalutis reſtituit, priùs tumorem cancroſum ſoluendo, ne denuò in recidiuam incideret, ipſi ſingulo anno medicamentum ſuccum melancholicum depurgans exhibebat; ita vt ſolum hoc ſubſidium non ſufficere ad huiuſmodi affectum detruncandum; bene verò præſeruandum intelligamus; vt Magiſter *lib. quos, quibus, & quando purgare oporteat, cap. 4. ſatis exponit.* Commendat etenim Magiſter ℥iij. epitimi cum ſero exhibendas, ac in ipſum ſerum ſcammonio injecto mulierem herpete in ingine correptam ſe perſanaſſe refert in præſenti *lib. cap. 57. vt infrà conſtat*; nitroſa enim medicamenti virtus atram bilem ex humorum vſtione genitam expurgat; ſicque, vt dixi, affectibus melancholicis, maniacis, lepræ, & cancro maxime opitulatur, vt patet in textu, & Marcellus, Virgil. Mathiolus, & lacuna perſentiunt.

145. Quia tamen à medicamento forti, quod neceſſariò calidum & ſiccum eſt, huiuſcemodi humor ferinus valde irritatur, atque accenditur, illum remuendum, ac debitè ſeligendum eſſe videtur; propterea Gentilis in morbis ex atra bile natis ſubſidia mixta eſſe debere, magis tamen frigida, quam calida tenet, eo quòd ſuccus prædictus intenſè vſtus calidis valde exaſperatur, magiſque aduritur; ſecurior tamen doctrina eſt, quod expurgatio aliquando per forte, quandóque per debile medicamentum agenda eſt; forte quidem, quia medio eo debitè pertinax humor, & craſſus eductioni cedit, debile verò aliquando, quia non ſemel, ſed frequenti vſu ac in parua quantitate talis humor eſt expurgandus. Et quamquam atra bilis calida ſit, fortibus medicamentis eſt vacuanda, cum ex humoris morbifici expurgatione moltò maior vtilitas, quàm ex calidis medicamentis detrimentum ſit, vt Galen. *in comment. ſentent. 24. lib. 5. aphor.* expreſsè commonſtrat cum aſſerat: *Quare maiorem oportet ex noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quam id quod neceſſario conſequitur ex purgantibus medicamentis nutrimentum.*

Qua doctrina plurimi nixi huiuſcemodi affectum exhibitione hellebori curarunt, vt Oribaſius *lib. 7. collectan. cap. vltimo prope finem*, ſic alloquens teſtatur: *Valet etiam ad vlcera carcinode oculta: quamuis minimè conuenire vlceribus videatur; verumtamen ego mulierem quamdam vidi ab huiuſmodi vlcere liberatam, cum medicus quidam in coo inſula hoc ei remedium adhibuiſſet: cum tamen alioqui non eſſet clarus, & probatus, ſed in hellebori potione diligenter eſſet exercitatus, &c.* Nec minus priſca vetuſtas hoc medicamentum, vt inter omnia ſublimius, præſtantius, ac celeberrimum ſubleuauit, & venerandus Hyppocrates de veratri vſu libellum conſcripſit. Animaduertendum tamen eſt, tam veratrum album, quam nigrum vſtiuam, & cauſticam virtutem, etſi nigrum minus obtinere; correctum tamen huic affectui, ac ſimilibus mirificè prodeſſe, à plurimis enim morbis corpus immune reddit, plurima etenim venena caſtigata, & præparata, immedicabiles morbos ſanant, nam aconitum, ſcorpionum morſibus auxiliatur, hydrargirium, ſcabiem, lepram, & morbum gallicum detruncat, Andronis paſtilli, & paſſionis ſputo ſanguinis valde obſiſtunt. Vt Magiſter *5. method. cap. 6. docet.* Multifariam igitur helleborum exhiberi valet. Primò etenim ſi in pomo ℨj. radicis hellebori nigri concoquatur, & deinde radicibus abjectis pomũ cum ſaccharo condonetur, quod bis, aut ter circa tempus purgationis, agendum, & ſecunda atque tertia luna repetendum expedit, vt Fonſeca acutè præmonet. Veratrum verò in puluerem redactum periculoſum extremè eſt, vt Meſues inquit etſi malè paratum extiterit, cum dicat Hippocrates, *5. Aphor. ſentent. 1. conuulſio ex helleboro letalis*; Non inquam huiuſcemodi oraculum de conuulſione ex irritatione ſola orta, ita vt veratrum interim nihil grauius damnum effecerit, intelligendum eſt, nam purgatione ſedata inter diem, & noctem conuulſio ceſſabit, eo quòd ſolum procatharticam cauſam inſequitur, vt primo prognoſticorum Hippocrates ait, ac doctè Valeſſius prænotauit; ſi verò conuulſio magna ſit facta, neque quieſcere incipiat pro immodica partium viuentium inanitione, præ adurentis veratri calore conuulſio læthalis eſt, quare in eius correctione maxima cura eſt agenda. Quamquam nigrum Antonius Muſa Braſabola ſine vlla præparatione exhibeat, album verò media paſta, in qua imponitur, & torreſit, vt de ſcammonio ſolet fieri, præparat; ſicque Dioſcoridis ſenſum, ita alloquentis inſequitur: *panis etiam compingitur, & torretur, ſed quandoque panem hunc dedimus, in quo helleborus incoctus eſt, & non ipſum helleborum, qui panis egregie abſque vllo diſcrimine purgabit.* Secundò parari poteſt ex Galeno *1. de alimentorum facultatibus*, veluti ſcammonium de quo Magiſter ſic fatur: *Excauata interiori parte cotonei ſcammoneum imponendum, aſſandumque reſtat; poſtea cotoneum, non verò ſcammoneum mandendum eſt.* Non aliter in hellebori præparatione, panis, non verò helleborus eſt exhibendus. Præterea ſi veratrum per octo dies aceto maceretur tunc tenellum redditur. deinde in umbra exſiccatur, poſtea vt lubet, eo vti poſſumus, ac valde auxiliabitur. Nec minus ſi in aquam vitæ imponatur, deinde ipſa aqua vtatur. helleborum præbere licebit. Vlterius ſi in raphano infigatur, ac per tres dies in eo conſeruetur, ablato helleboro, ipſa raphani radicula comedenda eſt, vel ex Galeno (quibus medicamentis purgare oporteat) prædictus raphanus vnici diei ſpatio, & noctis in oximelle poterit retineri, vt inde oximel bibatur quãuis tamen variæ aliæ formulæ hellebori præparandi adſint, ſecurè Paulus Ægineta *lib. 7. cap. 10.* ℨj. aut duas hellebori in ſucco ptiſanæ elixat, & potioni præbet; vel ſi mauis, vt ait Braſabola, in ſucco alieæ.

146. Quibus præhabitis in ſero caprino medicamenta valenter purgantia bilem atram, vt ſcammoneum, helleborus, turbetum, & alia huiuſmodi infundi, vt mirificum opus experiaris in carcinomate poſſunt. Puluis quidem ſenæ purgatiuus Rulandi mirè, (vt Heredia inquit) expurgat; & eorum formula hæc eſt: *Recipe foliorum ſenæ bene mundatorum, tartari vini albi ana ℥j. ſeminis aniſi cariophilorum, cinnamomi, galangæ ad ℨi. diagridij ℨij. pulueriſentur omnia, & miſceantur cuius doſis ſit ab ℈ij. vſque ad ℨiß. in ſubſtantia*; in infuſione verò vſque ad ℨiiij. in decocto opportuno pugini, aut in ſufficienti quantitate ſeri

ſeri caprini. Poſſunt ſimiliter orbiculi ad expurgandum per epicraſim hac ratione præparari: *℞. ſennæ mundæ a ʒiij. corticum hellebori nigri ℈i. diagridij gran. x. ſacchari diſſoluti in aqua cinnamomi ʒvi. fiant orbiculi pondere ʒi.* Quorum vnus de tertio in tertium diem ſumatur, & penes morbi indigentiam, naturæ robur, vel languorem leniora, aut fortiora medicamina frequentiùs, aut per maiora interualla exibenda ſunt. Si tamen pituita valde tenax, aduſt, atque terreſtris, & atra bilis cacochymiam, vtpote dominantes effecerint; & etiam prima in regione tenaciter hæreant, ita vt in mæſereo, atque liene obſtructiones ſtabulatæ ſint, percelebre, magisque vtile, & commodius aſſumpta ſubſidium ius Galli veteris erit, cuius deſcriptio ſit hac formula: *℞. foliorum ſennæ ʒij. epithimi ʒiß. polypodij contuſi ʒij. vrticum radicum hellebori nigri ℈i. cuſcutæ, & ſatureiæ ad m. ʒ. radicum condrillæ, & borr. & enulæ ad ʒiv. florum vtriuſque bugloſſæ, & violarum ad p. j. paſſularum ℥ß. foliorum borrag. m. j. corticum radicum bugloſſæ ʒi. ſeminis aniſi, & fœniculi ad ʒi. cinnamomi ʒß.* Ex quibus omnibus minutim inciſis gallus pariter infartus, ac lento igne vaſe debite cooperto ad oſſium ſeparationem coquantur, ac de prædicto iure collato ſumantur ab ℥iiij vſque ad vi.

14. Cum igitur ſatis de ſanguinis miſſione, ac purgatione opportuna pro carcinomate ſoluendo actum ſit, ac topica ſubſidia diuerſa ſint applicanda in vlcerato, ac diuerſa in eo quòd ſine vlcere adeſt; proinde notandum expedit, quod in illo indicatio tumorem minuendi, ac exulcerationem impediendi militat: quare ſi durities ſit maior, dolor verò, atque eroſio mitior, tunc emollientia potiùs, ac in maiori actiuitate quam repellentia ſunt adhibenda; ſi verò accenſus, eroſio, atque dolor vigeant, emollientia aut ob neganda in totum, aut in minima quantitate permittenda. In principio igitur cancri non vlcerati, cum tumor adhoc paruus eſt, dolor verò cum ardore fatigat, oleum roſaceum omphacinum cum plantaginis ſucco opitulatur, & ad intenſionem acrimoniæ, ac incendij, oleum, ac prædictus ſuccus in mortario plumbeo, ſi donec nigredinem concipiant, agitentur, mira erit vtilitas. Quæ tamen vehementiùs auxiliantur ſunt ranæ viuæ, quæ ex aqua puriſſima numero 20. debent extrahi, ac in recenti butyro ſiue anatis pinguedine inuoluantur, ac in ollam vitream plurimis in partibus perforatam immittantur, & prima olla in aliam capaciorem bene lutatam intromittatur ac ignis per ſuperiorem partem applicetur, donec ranæ, ac butyrum iam in totum eliquata, ac in maiorem ollam tranſmiſſa reperiantur; poſteà verò ipſæ ranæ à butyro extractæ, ita comburantur, vt in pulverem redigi poſſint, ex quo puluere, ac pinguedine antea eliquata linimentum mirificum fiet. Ex ranis ſimiliter oleum apud Calmeteum confectum Vvelchet laudat, veluti quod ex cancris fluuialibus, aut limacibus fit, tutum eſt. Si autem dolor ex eroſione intenſe moleſtet, caro ranarum recenter interfectarum, aut teſtudinis, dummodo quando incaleant in parte, auferantur ab ea dolorem, & acrimoniam valde miteſcere cogunt; nec minus emplaſtrum ex cancris fluuialibus, & melius ex marinis præ virtute nitroſa qua gaudent, confectum juvat, ſumitur enim eorum caro minutim inciſa, & in plumbeo mortario aſſidue, ac fortiter agitatur, ac piſtillo plumbeo, donec plumbi virtutem cõparet, piſtatur, ſicque parti affectæ apponitur. Etſi mauis cinis cancrorum marinorum cum butyro, & oleo roſaceo, vel emplaſtrum ex limacibus cum corticibus coniunctis dolorem, incendium, ac tumorem diminuit. Quod ſi tumor progrediatur, & neutiquam decreſcat medioeria repellentia, & diſcutientia, vt metalla lota priùs vſta, qualis eſt tuhtia, lithargyrium, ſquamma æris vſta, & lota conferunt, ſi cum ſucco roſarum polygoni, plantaginis, & cydoniorum in plumbeo mortario agitentur; quæ metalla ſatis Magiſter in textu collaudat; ex Auicenna detraxit Peccatius linimentum ex puluere lapidis molendini, aut illud lutum, quod ex rota exit, dum ferramenta acuuntur, ita vt ſeiuncta, vel commixta cum ſolani ſucco, vel plantaginis valde proſint; panis mica in ſymphyto imbibita, ac laboranti carcinomate parti applicita apud Aëtium maxime dolori auxiliatur.

148. Petrus Michaël de Heredia, ſe à nullo auctore balneũ aquæ dulcis cõmendatũ vidiſſe refert, non quidem doctiſſimum Zacutum in praxi admiranda conſuluit, qui in peculiari obſeruatione, exemplóque rariſſimo, ſe balneo vſum fuiſſe teſtatur. Ad ſanguinis enim attemperationem, incendium mitigandum, humoreſque ad habitum corporis reuellendos, non ſine magna vtilitate confert, præſertim æſtatis tempore, etſi melancholiæ acredo ex bilis miſcella naſcatur, & vbi præ viſcerum flagrati calore melancholia deuſta eſt, & vbi corpus tabeſcere dolore, atque vigiliis incipit, ne hectica febris ſuccedat, feliciter præcauet, nec ſi aſſerat obſtabit: quod ſuccus ita craſſus, ac terreſtris per habitus poros nequit extrahi & ex alia parte propter viarum laxitatem velociùs, ac vehemẽtiùs in affectam partẽ irruet, cui ſatisfit, ſi perpendas priùs, corpus debite euacuandum eſſe, ne huiuſcemodi inconueniens eueniat; neque fatendum eſt, ineptum eſſe humorem, vt viis laxioribus redditis media aqua tepida educi poſſe; præterquam quod ſanguinis, ac viſcerum attemperationis gratia, & acredinis miteſcentiæ balneum aquæ dulcis mirificum auxilium erit.

Si autem cancer vlceratus iam ſit, non ita vt primus ſine vlcere dictus medicamina, ſed alia diuerſa, & indicare, & ſuſtinere valet, propterea medicamenta, quæ Magiſter *lib. 4. de compoſit. medicamentorum ſecundum genera cap. 11. & 12.* applicanda imperat, ſunt perpendenda, ſicque ait, quod cancroſis, & malignis vlceribus cancri fluuiales combuſti cum partibus æqualibus cadmiæ triſtis ſupra partem inſpergantur; ſi autem cancroſum vlcus cum lue gallica complicatum extiterit caries, quæ in ligno guaiaco reperitur valde prodeſt, & à proprietate vlceri cancroſo caries lignorum fraxini, radices, & folia fragariæ. Cum igitur pro huiuſcemodi cancroſo vlcere indicatio dolorem leniendi, partem refrigerandi, atque exſiccandi eamque ne recipiat corroborandi adſit; vt his omnibus ſcopis ſatisfacias conſtrue ſubſequens linimentum. *℞. Olei roſacei, & omphacini ad ℔ß. ſeui hircini, vitulini, vnguenti*

roſacei,

rosacei, & populeonis ad ℥ij.ß. succi solatrij plantaginis acetosæ ad ℥i. vini granatorum ℥ij ß lento igne bulliant ad vini. & succorum consumptionem, coletur, & misce cerusæ ℥ij.ʒ. lythargirij ℥ v. plumbi usti ʒx. tutiæ ʒß. caphuræ trituratæ ʒi. ceræ albæ, quod sufficiat, vt fiat linimentum liquata cera cum oleo, & in colatura misceantur, mineralia, ducendo per duas horas in mortario plumbeo. Aqua etiam cardui benedicti, & pimpinellæ vere à proprietate Iubare Heredia affirmat, & ex Rulando secretum mirabile refert. Quod ad vlcera cuiusque naturæ commodum est. ℞. *Olei sulphuris ℥iij. ceræ ʒß. colophoniæ, ʒiij myrrhæ ad pondus omnium. Ceræ colophoniæ, oleoque liquefactis simul, & bene permixtis inspergatur, myrrha subtilissimè trita paulatim, & igne lento coquantur: spatula semper agitando donec permixta fuerint, postea post quartam partem horæ ab igne auferantur, paulatimque frigescant.* Oleum tandem ex hominis, aut pueri rubri stercore per destillationem factum, & præsertim si bis distilletur, à Mathiolo extremè in laudem extollitur.

150. Nec contemnenda venit miranda aqua ex Fabricio præscripta, quæ hac ratione paratur: eligantur canes adhuc lactantes & viuentes collocentur in balneo, ac distillentur, quousque canes ad medietatem consumpti videantur; deinde ipsi extrahantur, & in sufficienti quantitate aquæ distillatæ ex virga, siue aqua communi addendo in decoctione ipsam virgam auream: & facta iam decoctione addatur ei prima aqua, quæ ex canibus fuit destillata, & simul decoquantur, vsquequo canum caro ab ossibus semota sit; tandemque illa omnia in balneo M. distillentur, in qua aqua pisciæ, aut sicca filamenta madefiant, vlcerique applicentur: ad vlcera, etsi cauernosa detergenda lotio ex decocto menthæ, ac si vlcera inspergantur cum pulveribus eiusdem menthæ in vmbra exsiccatæ magna, certáque vtilitas euenit; ita enim mentha adstringit, roborat, exsiccat, atque amaritudine insita detergit, vt valde putredinem inhibeat, etsi forte aliqui in vlcere vermiculi adsint, mirè enecantur. Peccecius quod si multa depascensque putrefactio adsit, ait sobsequens auxilium, vt certiùs eligendum esse: ℞. *Rhois coriarij ℔. vi nucum cupressi ℥iiii. gallarum immaturarum & cassiæ ad ℥v. omnia simul contusa in vino stiptico odorato, & antiquo ℔. x. per triduum macerato: deinde ad tertias decoquito, ac cupressi spatula versatur.* Postea verò omnibus probè expressis, ac reiectis, succum rursus ad mellis compagem coquito, ac vitreo vase seruato pro vsu ad diluendum huiusce modi succum, si crassius reddatur, lac muliebre, aut asininum proderit. Si tandem carcinoma exulceratum valde, vt in cruribus agere solet, carnem depascat; proinde lopus talis affectus, quia crurum carnosas partes absumit, ac depascendo deuorat, appellatur, illo casu supra talem partem affectam, tam gallinæ, quàm alterius auis carnes, vt aliquantulum lopacitas ferina hebetetur, apponere expedit.

151. Postquam Magister in textu omnes carcinomatis indicationes curatrices selegit, ita vt repulsio, resolutio, revulsio, euacuatio, partis affectę corroboratio, & partis mandantis, atque atram bilem regenerantis intemperatæ correctio præcesserint; affectus tamen auxiliis non cædat iam in capitis calce ad chirurgiam imperandam deuenit, cum asserat: *Cæterum si quando cancrum per chirurgiam curare audebis, cepisse quidem ab euacuando per purgationem melancholico humore oportebit. Vbi verò quod vitiatum est totum prorsus excideris sic, vt nulla supersit radix, sines effluere sanguinem, ne prompte cum inhibebis; immo premendo potiùs, quæ circa sunt venas exprimes, ex his crassiorem sanguinem, mox aliis vlceribus similiter curabis.* Ex quibus Magistrum chirurgicam cancri manualem curationem inquam, neutiquam obnegasse infertur. Celsus verò *lib. 2. cap. 28.* potiùs eos, qui nullam vim adhibendo, vt huiusmodi affectum soluant; sed solum medicamina lenia apponendo, vt ægri ad vltimam senectutem perueniant, agunt, collaudat. Sicque loco assignato ita fatur: *Quidam vsi sunt medicamentis adurentibus; quidam ferro adusserunt; quidam scapello exciderunt, neque vlla vnquam medicina profuit, sed adusta protinus concitata sunt, & increuerunt, donec occiderent excissa etiam post inductam cicatricem, tamen reuerterunt, & causam mortis attulerunt: aliis autem sanato in mammilla cancro oculis obia, non multo post obortus in viero latens est, qui miserrime patientes vsque ad interitum excruciauit.* Quibus tamen non obstantibus præ ingenti molestia, ferociáque huius mali prædictam agere curationem cogimur, ob quam rationem Magister *lib. 2. ad Glauconem cap. 10.* sic ait: *Vbi verò cancer in mollem insignem attollitur, curari sine chirurgia non potest*, & vlterius ait: *at scopus in huiusmodi curatione est totum, qui circumstat tumorem præter naturam, qua partibus sanis adhæret, abscindere.* Commentario etiam 38. *lib. 6. aphor.* hanc veram, & insequendam doctrinam imperat sic alloquens: *cancri qui summam corporis partem occupant, eos solùm curare tentandum est, quos vna cum ipsis, vt sic loquar, radicibus excindere, & extirpare penitus licet.* Qua doctrina Fonseca ductus animaduertit, quod si cancer apprehendi valet in sua radice ligetur, ac medicamento caustico circumcirca apposito, fiat mortificatio, vt medio spiritu vitrioli, vel trociscis de sublimato Ioannis de Vigo, vel cauterio ad cancros à Fallopio præscripto, & postea cancro mortificato, auxilia crustam separantia, vt butyrum lotum sunt adhibenda: deinde cancro mediis causticis domato, vlceris curandi ratio est procuranda, & causticum, non semel, sed bis, aut ter quoad mundificetur vlcus, est adhibendum.

152. Fabricius verò ab aqua pendenti se chirurgia, curáque heteroclita, quæ vna cum morbo partem simul affectam aufert, bis, aut ter cancrum in mammilla factum seruata ægra curasse; & alias, quæ in totum curatæ non manserunt, melius se habuisse fatetur. Cui fini adimplendo, hoc auxilium, quo vsus fuit, præscripsit. ℞. *Solatrij hortensis, virgæ aureæ, sonchi ad M.ij. coctis in aqua, & contusis, adde farinæ mili ℔ i. olei rosati ducti in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, donec contrahat colorem plumbi ℥v. sapæ, & decocti prædicti, quantum sufficit misce, & fiat emplastrum, quod in formam cerosi confici valet.*

Si tamen chirurgica apertione curandus sit cancer, inquit, quod primo dolor vitandus est, & saniei profusio, & si sit cancer mobilis, forcipe apprehenso debet agi, ac mox cultro candente,

dente, & incidente opus est efficiendum, vt media forcipis comprehensione sensus partis imminuatur, medio culto incidente cancer amputetur, & medio illius igne sanguis fluens supprimatur; si vero cancer, non mobilis, immo fixus, mamillæque adhærens extiterit, proindeque stringi non valeat, omnino scindendus est, & vt dolor, profusioque præcabeatur, medio ligno curuo aciem habente, simulque in aqua forti intincto excisio fieri debet, ita vt tota cutis in circuitu mamillæ abscindatur, demumque mediis digitis, atque vnguibus substantia glandulosa mamillæ à parte subjecta semoveatur. Si vero immodica sanguinis effusio opus impediat, bombyce exusto venas obsecare oportet, aut ferramentis candentibus, si affectus vrgeat, totius sanguis supprimetur, & quamquam talis profusio non reperiatur, vt parti robore veniat, neque rursus cancer denuo veniat, ipsis candentibus ferramentis vti maxime commodum erit.

153. Aëtius tamen *serm. 16. c. 46.* aliqua post vstionem valde obseruanda imperat, cum sic alloquatur: *Post vstionem vtendum cathaplasmate, ex plantagine, aut polygono, aut sesamo trito: aliquando panis medulla mixta cum prædictis, & superimposit. linteum aqua madidum imponendum.* Et vlterius addit auctor. *Circa dolorem crustas aufert lac muliebre, vel asininum cum melle mixtum continendo ægroti in domo calida; præcipue quo tempore repurgantur vlcera, cum tunc conuulsionis maximum sit periculum: postea competit lac cum rosaceo permixtum in lineamentis, & circum circa folia lactucæ, vel vitis imponenda, & acria & pinguia medicamenta deuitanda, pauca etiam lintea imponenda, & sint lacte madida; quod si res vrgeat, melilotum cum rosaceo & aqua, aut lacte muliebri, cathaplasmate exterius adhibito admisceatur.* Etsi hæc omnia debite prænotanda, insequendaque sint; prius tamen antequam Chirurgicū opus aggredi audeamus, aliqua maxime necessaria, & præuidenda veniunt obseruāda.

154. Primum etenim, vt æger validis viribus polleat, ne medio opere inteteat, requiritur. Secundum, vt in ætate opportuna adsit, in seneętute enim, tum quia virium languor tum quia habitus frigidus, atque siccus & ad melancholiam progignendam aptus est, opus fieri non debet. Tertium, vt virili, & quasi ferino animo vigeat, proinde in pusillanimis, & mulierculorum naturam habentibus non exiguum impediens ob virium resolutionem adest; præsertim etiam in mulieribus, quibus menstrua purgatio, vel hæmorrhois, quæ assueta erat, si suppressa sit. Quartum requisitum est, vt cancer in parte ad incisionem apta, ac secure vnà cum radicibus omnibus semoueri possit, reperiatur. Quintum vero, vt tempus anni opportunius, quale vernum, aut autumnale est, seligatur, eo quod æstate ingens, assiduaque corporis resolutio corporibus inest, hieme vero humorum, caloris que immodica in centrum remeatio, siue reudcatio. Sextum vero, vt ingentia varia, prætaque symptomata, qualia sunt vehemens febris, atrocissimi dolores, immodicæ vigiliæ, animi deliquia, & similia absint, his enim præsentibus tam ingens, extremumque remedium exequi & ægrum iugulare idem esset. Septimum demum quod prærequiritur est, quod cancer recens, non inueteratus, paruusque, nonque magnus sit; parui etenim, & recentes ex Auicena incisione curantur, inueterati vero solutionem obnegant.

155. Quibus præhabitis Magistri doctrina in textu adducta debite insequenda erit, si prius facta sanguinis missione, & corpore recte euacuato (vt supra diximus) totus cancer, ita vt nulla radix supersit, abscindatur, & permittatur vt sanguis fluat, neque illius euacuatio impediatur; imo vicinis positibus compressis, succus crassus, terrestris & melancholicus sit exprimendus, postea vero ferramentis ignitis non solum ad sanguinis fluxum sistendum, verum ad venefieam canceri qualitatem extinguendam: partium demum circum circa existentium, ne inflammatione corripiantur, cura habenda est; quod vnguentis supra relatis defensiuis deuitabitur. Tandem scara, vt decidat, butiro, vel emplastro ex tritici farina; melle, & apij succo confecto est vtendum. Ablataque scara vlcus abstergendum est, caro gignenda, & cicatrix inducenda: proinde Magister veluti alia vlcera curandum hoc esse, prædixit. Etsi forte carcinoma in aliquo membro inepto, vt prædicto opere tollatur, veluti in manu, aut carpo adsit; non immerito brachij abscissio deliberanda erit; melior enim est abscissio vnius membri, quam mors totius, vt Avic. 7. 4. inqoit, & Magister. 12. *method. cap.* 1. melior enim est aliquando insignis noxa, quam mors. Ita cuidam perito medico euenit, qui cum laborantem carcinomate in tota manu horrendis vlceribus iam carpo ingenti dolore suscitatis vidisset; ac periculum mortis ingens prædixisset, eo quod ex vlceribus propter magna vasa corrosa, magna hemorrhogia profluebat, brachi abscinsionem agendā decreuit; sicq; abscinso brachio infra cubitum, suppressoque sanguine, qui media sectione exibat, breui tempore æger de vita victus ratione ductus liber à morbo euasit. Ne tamen præ habituali partium intemperie denuo succus melancholicus supra sanguinem gigneretur, præuisa fuere: tum quæ ad laudabilem humorem generandum apta essent: tum atræ bilis per epicrasim expurgatio debita: tum demum visus fonticuli in crure sinistro, eo quod manus affecta sinistra erat, vt morbifica causa in imas corporis partes vergeret, ac semper viscera excrementorum copia libera manerent; quibus auxiliis fulcitus æger trāquilla vita floruit, vt ait Zacutus.



CAPUT X.

Carbunculorum curatio selectior proponitur.

156. 

CVM tumores cancrosi, quemadmodum carbunculi ex crassiori, terrestriori, valdeque feruenti sanguine oriantur; Magisterque in antecedenti capite de cancri curatione lecto o iem construat; merito

rito eandem morbificæ causæ naturam inspiciens, quæ carbunculos gignere solet, de istorum veriori curatione in præsenti agit.

TEXTVS.

Est tamen, & aliud vitium, quod, &c.

CRassus etenim, feruensque sanguis aliom præter dictos affectum, qoi plerumqoe com pustula, & aliquando fine illa incipit, efficere solet, & qui hoc vitio corripiuntur, in principio partem laborantem scabunt, statimque pustula quædam, qua ropta vlcus cum crusta fit, nascitur, & pluries scabientibus, non solom vnica pustula, sed multæ seminis milij more exiles, atque crebræ in particula residentes nascuntur, quæ cum rumpuntur in crustosum vlcus degenerant, io carbunculis tamen, qui per Asiam populariter grassantur, citra pustulas dictas plurimis cutis excoriata fit; omnibus vero crustosom vlcus accidit, iam cineris, iam nigriori colore in crusta repertis, caroque partis læsæ summa inflammatione, non cum erysipelatis colore, sed nigriori, quam qui in phlegmone videtur, corripitur; Neque dubitandum (Magister ait) si febris, quæ necessario in his affectibus adest, plus intensior, quàm quæ in phlegmone erysipelatosa euenit, sit.

TEXTVS.

Sed & incipiendum ab incisa vena, &c.

157. VT certum similiter indicandum in carbunculorum curatione, non solum sanguinis missionem; verum eam quæ vsque ad animi defectum exercetur valde proficuam esse, Magister decernit. Ni tamen aliquod ex sanguinis missionem impedientibus obstet. Desumpta similiter peculiari indicatione à particulari loci intemperie calida læsi remedia infrigidantia localia adhibenda præcipit: crassities tamen, ac humoris malitia, siue cacoëthia, vt fluxio repellendo auertatur tennit: nam si hoc fiat, reliquæ partes in corporis alto existentes valde læderentur; neque etiam, vt particulam magis adfluat, debemus permittere, sed potius remedia, quæ modice reprimendo simul digerere valeant, seligenda sunt; cataplasma proinde ex plantagioe, ex cocta lente cum tenera mica panis in clibano cocti proficuum erit; panis vero nec omnino à furfure expoliatus, nec cum molta illius quantitate sit, qui enim in totum purus est, propter substantiæ crassitiem valde cutis meatibus potest, transpirationem cohibens, adhærere, & cum furfuraceus crassioribus partibus constet, majorem noxam exhibebit supra ipsum etiam vlcus medicamina valentia, vt Andronis, Passionis, vel Polijdæ, quæ cum aliquo vino dolci ad fordium vlceris crassitudinem corrigendam liquari debent, sunt imponenda. Quia tamen thereum, vel scybilites, quæ Magister adfert, io vsu non sunt; proinde ipse sapam vtendam monet; pharmaca vero quæ concoquant, & pus moueant qualia aliis vlceribus adhiberi solent, io hoc affectu neutiquam somnianda sunt, eo quod valde partis putredinem, augendo illam in gangrænam tendere cogunt; imo facta sanguinis missione, potius hujusmodi tumores scarificandi sunt, ita vt incisio altior, seu vehementior mediocribus fiat, cum enim humor moltum crassus, terrestrisque sit, vt radicitus pars inaniatur, altius scindenda est, qood si inflammatio iam partis cessauerit, vlcus cum aliis vlceribus aliis ad cicatricem est perducendum.

Galenica mens, vt magis splendescat, aliqua dicenda occurrunt.

158. Vt textualis doctrina cuique debitè elucescat quid carbunculus, in qoo morbi genere contineatur, quas sibi differentias induat, quæ partes ipso affici possint, quasque causas insequaquatur, quibus signis ab aliis affectibus secernatur, quid tandem prædicendum sit, prius vt methodica curatio cum Magistro instituatur, perpendendum expedit.

159. Carbunculus igitur Latine polatus, à Græcis Antrax, ab Arabibus facer igois, persicus ignis, pruna, eo quod vt pruna vrit, seu carbo, quia carbonis extincti colorem refert, nigramq; crustam obtinet, dicitur. Et quamquam aliqui inter anthracem, & carbunculom aliquam assignandam differentiam esse asseuerent; quia tamen secundum magis, & minus solum differunt, quæ distinctio non specifica est; propterea methodica curandi ratio diuersificanda non erit; cum ergo carbunculus anteriora petit, vt est cor, anthrax, ignis sacer, persicus, seo pruna noncupatur, eo qood vt Magister *aphor. 45. lib. 6.* ait, more prunæ partes circonstantes deurit, sicque diffinitione essentiali eodem textu, nihil est aliud, quã *Vlcus crustosum cum magna vicinarum inflammatione.* Quare morbum compositum ex vlcere, atque tumore esse liquet: nam sub ratione vlceris est morbus in soluta vnitate, & vt tumor in compositione, præsertim in adaucta magnitudine erit morbus, & si velis, vt cum inflammatione adest, morbus in intemperie composita cum humoris affluxu censendus erit, ita vt partes organicæ, quia tumori, & vlceri sunt obnoxiæ, in hoc affectu præcipue sint affectæ. Quamvis simplices etiam partes, atque similares ratione intemperiei contractæ afficiantur, & penes dignitatem, seu partis affectæ præstantiam vel non; penes causæ morbificæ benigniorem, aut maligniorem naturam, penes vehementiam, & sæuitiem, vel benignitatem, & clementiam symptomatum superuenientium; tandemque ex natura & ex sua essentia diuersas Carbunculi differentias sortiuntur. Partes etenim nobiliores, si carbunculo afficiantur, certius, quam quæ viliores sont, periculum pertimescunt; nolla enim pars pinceps diu noxam sustinere sicq; valet dignitas, præstantiaque partis affectæ vrgentiorem affectũ constituet, curationẽque celeriorem vocitabit. Causa similiter morbifica, si pestilens, constitutionem grassatam subsequens sit, certo certius discrimen non contemnendum quam quæ à causa interna sanguine nimirum

nimirum feruente insequitur, inducet: nam cum carbunculi pestilentes à venenata causa progignantur, funebrem effectum exhibent. Et licet causa interna, non ita symptomata atrocia, vt extrinseca pestilens dicta efficiat; ob diuersam tamen sanguinis atri naturam, à qua carbunculus pendeat, diuersa pernicies patefiet; qui enim magis ab humore atrabiliario, quam feruenti succo melancholico adusto ortum ducant, vehementiorem læsionem, vt pote dolorem, inflammationem, intensioremque calorem inferent. Vnde ex effectuum, seu symptomatum vehementia, clementia, & lenitate carbunculorum differentiam inspicimus; sicque in aliquibus vlcus crustosum, cinereum, vel nigrum adest; in aliis pustulæ, quasi ab igne natæ apparent, quæ si rumpantur vlcus subesse ostendunt, vt Magister. 2. *ad Glauconem cap.* 1. in aliis etiam vna tantum pustula, veluti in aliis plurimæ milij semini similes, ex quibus ruptis crusta suscitatur, reperiuntur; in aliis tandem nulla pustula etsi non ita frequenter adest, vt Magister in textu satis exprimit. Ex dictis quæ carbunculi causa conjuncta, atra videlicet bilis sit, patet, & in textu Magister supra adaperit, sic aiens: *Carbunculus fit à sanguine quidem satis calido, & ad atra bilis naturam per adustionem conuerso.* Tum etiam Magister 12. *ad Glauconem* idem sic affirmat: *At vero si sanguis influens calidus sufficienter fuerit, & crassus, quomodocunque membrum inuaserit, hoc exurendo vlcus cum crusta excitat, quod nihil aliud est quam carbunculus.* Et quamquam ipse Magister in præsenti pro carbunculi causa sanguinem feruentem & *lib. de atra bile, cap.* 4. & 5. potius atram bilem assignat, cum sic loquitur: *Vbi igitur per febres ardentes melancholicus humor in cutem ipsam propellitur, carbunculus producitur.* Non tamen ex his Galenum sibi ipsi non constare est dicendum, nam atræ bilis nomine ea, quæ ex super assato sanguine, seu bile adusta comprehenditur, & ista exquisita atra est, de qua Magister *lib. de atra bile*, & 3. de locis affectis agit. Secundo atra bilis pro succo melancholico in hepate ex terrestriori chyli portione genito desumitur. Tertio tandem atra bilis sanguis crassus in atræ bilis naturam proclinis appellatur; sicque Magister cum carbunculum ab atra bile nasci protulit, non de exquisita, sed potius de ea quæ pro sanguine crasso in attam bilem vergente intelligendus est, vt primo de febrium differentiis cap. 9. sic fatur: *ita autem hoc loco volo sumi atra bilis, id est, sanguis crassus & ad atra bilis naturam vergens.*

160. Sed quare carbunculi signa cupis, cum tam ex notionali, quam essentiali diffinitione clarescant, eius etenim essentia per pathognomonica signa innotescit; sicque vbi tumor magnus cum vlcere crustoso inuadit, ac bullæ veluti in partibus, quæ comburuntur, ante vlcus apparent, carbunculum esse indica, cui febris acutissima cuenit; crustaque, aut cinerea, aut nigra veluti partes circumscribentes in nigredinem tendentes, & quasi pix, aut bitumen, sine atramentum à sole exiccatum splendentes videntur & ita dolor vehemens, atque aggrauans est, vt laborantes à vinculo vehementer astringi videantur vt Magister 2. *ad Glauconem* refert. Superueniunt vero varia accidentia, vt somnus profundus, horror, motus conuulsiui, quandoque delirium, & alia similia. quæ si de carbunculis non pestilentibus inspicienda offeruntur, quid de his, quæ mox in pestilentibus apparent, sentiendum occurret; enim propter ingentem, quæ viget putredinem, vlcus pestiferum & fætidum fiat, & febris, eo quod mihi, blanda, & fere imperceptibilis appareat, tanto malignior, ac pestilentior est, magna etenim corporis anxietas, & animi citra causam manifestam inquietudo adest, ægrique vsque in vltimum vitæ semper commoti, agitatique mouentur, & ob extremam spirituum resolutionem facies extremè deflorata inspicitur piæ ingenti vstione lingua nigricans, seu flauescens redditur, præ summa viscerum, ac ventriculi flagrantia, appetentia prosternitur, ab humorum in ventriculum actiuum, mordicantiumque confluxu nausea, & vomitus, & quia principaliora membra, vt est cor, atque cerebrum valde apprehensa sunt, peculiaria symptomata, vt respirandi difficultatem, vocem raucam, capitis dolorem, vertiginem, immodicum somnum, aut extremam vigiliam laborantes patiuntur; tandemque funestæ euacuationes, vt sudor multus, vel tepidus vel frigidus, fœtidus, atque cadauerosus, vel deiectiones sinceræ, atque biliosæ. à quibus animi deliquia, quandoque mors nascitur, eueniunt.

161. Quidque tandem de prognosi inquires: cum carbunculus morbus acutus sit; sicque sua tempora, cum vehementia symptomatum transeat, vt inde morbum valde periculosum esse inferas, & præsertim, si pestilens sit, perniciosissimus est censendus, vt Magister 3 epid. comment. 32. sic ait: *carbunculi pestiferi perniciosissimi sunt, & qui non sunt pestiferi, etiam sunt periculosi, cum à vitiosis humoribus oriantur.* Quia tamen maior, aut minor læsionum vehementia, respectu partium affectarum prouenire valet, quod membrum carbunculo corripiatur, vt prognosis certior efficiatur perpendendum est: vnde si prope membra principalia, siue in emunctoriis hujusmodi affectus fiat, pessimus, valdeque lethalis est, eo quod prauissima symptomata superueniunt, sic etenim Auic. inquit: *Licet omnis carbunculus sit acutus morbus, periculosus, & contagiosus, omnium tamen pessimus est, & maxime lethalis, qui in emunctoriis, & prope principalia membra enascitur, quoniam periculum adest, ne illa materia venenosa carbunculum efficiens ad interiora recurrat, & principalia membra afficiat, quod cum euenit, praua symptomata superueniunt, & pauci euadunt.* Vnde ratione membri nobilitatis affecti periculum ingens est pertimescendum. Propterea Celsus lib. 5. cap. 28. ait: *si carbunculus circa stomachum, & fauces incidat, subito spiritum sæpe elidit.* Quia tamen ex magnitudine affectus, & virium robore exquisita prædicendi ratio elucescit; proinde semper collatio morbi magni ad virium robur efficienda est; quare si symptomatum vehementia increscat,

vires vero valde diminuantur, mors; si verò symptomata decrescant, vires tamen validiores reddantur, salus; quemadmodum accidentibus validis, & virium robore constantibus dubium prognosticum est stabiliendum, cum etsi pugna inter duo agentia valida, & contraria speretur, de victuro tamen vsque quo effectus victoriosus elucescat, dubitandum erit. Si tandem carbunculus subito delitescat, mors potius est prędicenda, præter enim rationem leuamen eueniet, quia subita illa mutatio potius regressum morbificæ causæ ad interiora, quam naturam vincentem significabit, erisipelas enim intus foras, bonum; foras vero intus, malum; sicque cum his quæ præter rationem accidunt, fidere non oporteat, apud Hippocratem, propterea ex subita carbunculi delitescentia, etsi vehementia symptomatum remissa appareat, re tamen vera insidiosa morbi pernicies naturam detruncabit; ideoque funestus euentus superueniet.

162. Vt igitur iam selectiores indicationes amplectaris inspecta morbi natura, illius causa materiali, parte affecta, tam per se, quam per consensum, ac symptomatibus superuenientibus præcisis, recta cum methodo hujusmodi affectus curationem aggredieris; Carbunculus etenim non pestilens, de quo in præsenti militat ratio, cum morbus magnus, materialisque sit, remedium magnum in sui ablationem indicat, cumque à materia pendeat, illius vitia inspicienda, corrigendaque veniunt; sicque causa prædicta morbifica, vt pote multa euacuationem, vt pote fluens reuulsionem, vt pote intemperata, quia maxime calida, attemperationem, vt pote maligna alexipharmaca, vt pote cacochima purgantia, vt pote valde crassa & terrestris modice attenuantia indicat. Quia tamen ante omnia præ multitudine, si non semper ad vasa, saltem ad vires naturam premit, morbúmque magnum progignit, proinde remedium euacuatorium magnum & reuulsorium, quale est sanguinis missio, expostulat; hoc quidem subsidium non solum multitudinem demit, fluxionem cohibet intemperiem ex accidente calidam remmittit, verum malignitati, cum vapores malignos in contrariam trahat, opponitur. Sicque hoc auxilio omnibus compleris scopis exercito, vt ad alias adimplendas indicationes deuenias, quæ tum circa materiæ morbificæ expurgationem: tum in partem principem, qualis est cor, roborandam: tum in localia remedia adhibenda: tum etiam in symptomatum superuenientium medelam dirigantur, oportet.

163. Primum igitur vniuersalis redundantia, eo quod particularem fouet, media Venæ sectione adimenda est, quæ vsque ad animi deliquium, si æger possit tolerare, conuenit, vt Hipp 1. aphor. sent. 23. ait, in cujus Commentario Magister hujusmodi euacuationem triplicem ob causam, quæ in carbunculo conjunctim adest, imperat; in illo enim maxima inflāmatio, intensissima febris ardens, & grauissimos dolor ægrum contorquet. Quæ cuncta media venæ sectione vsque ad animi defectionem valde remittuntur, vt Magister in dicto Commentario sic alloquens exponit: *Oportet autem (sicuti & ipse inquit) viribus integris, & valentibus tantam moliri euacuationem, & nos sæpius hujusemodi euacuationem prodesse plurimum, experientia didicimus, nam & in ardentissimis febribus, si vsque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant, & quidam eorum ex his sanati sunt prorsus restituti, alij aducti plurimum vehementiam ægritudinis abscisderunt; in maximis vero doloribus nullum maius inueni remedium, quam vsque ad animi defectionem euacuare.* Ex quibus liquido constat in carbunculis quanti commodi talis sanguinis vsque ad animi deliquium euacuatio sit, cum inflammationi, vehementi dolori, febrique ardentissimæ vniformiter, ac celeriter opituletur; quia tamen animi defectiones variæ, & à diuersis causis oriri possunt; propterea de qua Magistri doctrina intelligenda veniat, explanandum occurrit plories enim cum ægri sanguinis missionem pertinent, & pauescunt, animi defectione afficiuntur, vel cum in ventriculi ore humores mordaces, qui vel prius in ipso coaceruati fuere, vel in ipso vsu remedij ad eundem ventriculum confluxerunt, animi defectionem suscitarunt, de his quidem animi defectionibus Magistri doctrina, nequaquam intelligenda est; nam absque sofficienti sanguinis euacuatione hæc accidere valent, sicque mensura euacuationis ab his animi deliquiis neutiquam desumenda erit, proinde cum aliqui febricantes inter surgendum animo linquunt, potius vt vena secetur, necesse est, vt quieti decumbant, quare illa animi defectio, quæ ratione euacuationis per se accidit, est debita mensura euacuationis, & in maximis inflammationibus, & in ardentissimis febribus, & vehementissimis doloribus, quæ omnia carbunculosam affectionem comitantur. Nec immerito vsque ad animi deliquium euacuatio exercenda est, cum morbus extremus sit, & apud Hippocratem 1. aphor. sent. 6. *extremis morbis, extrema exquisite remedia sint adhibenda.* Sicque quia morbus extremus ille, vltra quem sæuior alius non sit, ita remedium extremum ad illum comparatum dicetur, supra quod in bonitate, & forti operatione, quam corpori inferre valet, nullum aliud fortiorem vim, & operationem habet, sic ecclesiasticis morbis extremis, vt hæresi, vltra quam infidelium cœtu crudelior morbus non adest, acerbissimas & extremas pœnas excogitarunt, vt homines maxima hæreseos impietate, ac nefariis sceleribus contaminatos facillime possent expurgare, ac sopliciorum grauitate refrenare, ob hanc causam Deus atrocissima peccata, atrocissimis pœnis punit. Nec solum sceleris magnitudini, pœnæ seueritas, verum etiam sceleris indignitati, qualitas supplicij respondit; non aliter in morbis magnis curandis, non solum remediorum magnitudo, verum etiam illorum qualitas, morbi speciei, ac illius in lædendo extremitati, auxilij in fauendo extremitas respondere debet; proinde euacuatio extrema vsque videlicet animi defectionem in carbunculorum medela venæ sectione est efficienda, vt vim morbi læsiuam remedij virtus detruncare possit.

164. Nec

164. Nec citta rationem sententia 23. aphor. 1. Hippocrates dixit: *Si ager tolerare possit.* Si enim vires non permittant, aut consentiant, hujuscemodi sanguinis euacuationem, parcè sanguis habita ad vires ratione mittendus est. Et licet carbunculus morbus malignus sit; proindeque vires non ita validas posse esse, suspicemur; re tamen vera, quia diuersi malignitatis gradus penes majorem, aut minorem humorum putredinem & corruptelam inueniuntur; proinde neutiquam de summa Magister in textu est iudicandus, valet enim apparatus morbosus esse magnus viribus validis existentibus, & putredo non ita intensa, quo in casu ipsis consentientibus ratione immodicæ plenitudinis humorum & ad febrem, dolorem, inflammationemqoe extinguendam prædictum sanguinis eoacuationem efficere licebit.

165. Fabricius vero quod si vsque ad animi deliqoium sanguis mitti non possit, asserit, tuto medicamentum purgans propinabitur, quod sit epithymi ℥ß. cum sero lactis, vel ℥j. pulpæ tamarindor. cum ʒij. confec. hamec. Si vero febris adsit, non nisi medicamentum leniens præscribendum est; hujuscemodi tamen assertio, neutiquam est sustinenda, quis enim ex eo quod vires non consentiant ad venæ sectionem vsque ad animi defectionem mutabit remedium in specie, cum vires neutiquam indicans curatiuum; sed quid consentiens de remedio sint. Deinde quia si indicans datur ad sanguinis missionem cum specie differat ab indicante purgationis, amens erit medicus, si loco sanguinis missionis purgatiooem decernat: Vnde si sanguis non possit mitti vsque ad animi deliquium saltem modicè euacuabitur, cum semper indicans permaneat, sicque indicatum solum differt penes magis, & minus, non vero specifice, hoc est, non extrema fiet sanguinis missio, sed modica, habita ratione ad vires; præterea quia si dicas, vires purgans medicamentum, non vero sanguinis missionem vllam aliquando permittere posse, hoc est falsissimum, cum semper maior virtus ad purgationem, quam ad sanguinis missionem requiratur, vt in alio opere à me conscripto satis probatum reliqui; quare etsi dum adest carbunculus, plenitudinis signa non adsint, reuulsionis tantum gratia parca sanguinis missio exequenda erit. Et non minoris momenti erit, vt sanguinis missio tanquam dispositio alij remedio à cacochima indicato, quale est purgatio, subseruiat.

166. Ex quo vero loco sanguis mitti debeat, non exiguam inter autores difficultatem parit, cum aliqui ex latere contrario, vt maior reuulsio fiat, alij ex eodem vt vrgenti affectui succurramus, efficiendam esse euacuationem sentiunt; reuulsio etenim semper in longinquam, velnti deriuatio in proximam partem, vasorum rectitudine seruata fieri debet. Propterea Pececius inquit, quod si carbunculus in fluxionis initio adsit, ex latere contrario; quando vero iam fluxa materia est, ab eadem parte deriuationis, atque euacuationis gratia vena est secanda. Hujuseemodi opinio non absolute obneganda, sed cum addito est percipienda; si enim plethorica adsit dispositio, ac morbus in ipso principio principij fluxionis adest, ita vt vix aliqua morbificæ materiæ portio fluxa iam sit; illo in casu ex parte contraria sanguis mittendus erit, cum in longinquiorem partem morbificus humor reuellatur, nullaque vrgentia ex parte affecta desumatur, si vero iam humoris confluxi copia non contemnenda in parte adsit, potius ex brachio eiusdem lateris sanguis mittetur, ex qua euacuatione natura reuulsionis satis saluatur, vt enim reuulsio proprie fiat, non est necesse, quod in partem longuinguiorē sed tantum per proximam humor moueatur, dummodo in partem contrariam per vasorum rectitudinem trahatur; quare si in latere dextro carbunculus adsit, venæ sectio ex brachio dextro media vasorum rectitudine de ceotro ad circumferentiam, motu contrario sanguinem mouet, ac propter partis affectæ vicinitatem cum brachio deriuatio dimanat, vt simul affectus vrgentiæ satisfaciamus, nec proinde ad laborantem particulam humoris fluxus immodice suscitatur: nam iam ab initio ad extra per contrarietatem diuertitur. Quod tamen, vt dixi, dum iam quantitas succi valde molestans in parte carbunculo laborante est recepta, intelligendum est, alias in remotiorem partem corpore pleno existente talis reuulsio erit efficienda. Neqoe si obstes valebit, quod humor malignus, aut veneficus nunquam est reuellendus, sed potius ad partem est trahendus, eum media reuulsione ad viscera vehementius confluat; quibus multo major læsio, ac spirituum iactura, quam si in parte laborante adesset inferret. Quod roboratur ex doctrina Magistri in textu, cum repellentia medicameota, quæ proprie repellentia, & sola sunt valde in carbunculis adhibenda obneget, ex eo qnod qualitas maligna mediis repercussiuis intro ad membra corporis nobiliora remeat, ac citius mortem solicitat, sed media reuulsiooe etiam ista materia ad locum affectum fluens in interiora retrahitur: ergo idem nocumentum ex reuulsione, ac ex repulsione dimanabit; quare cum maligna potius sint euocanda, quam reuocanda; propterea sanguinis missio nunquam ex latere contrario, ne fiat reuulsio, sed ex eadem parte erit efficienda. Dissona tamen paritas currit, nam repellentia non solum fluxionem impediunt; verum etiam humorem iam receptum in parte iotropellunt; sicque qualitatem illam veneficam denuo ad viscera retro gerunt: ac proinde vehementiora symptomata, quam si in loco laborante illa esset, exhibent; ex reuulsione vero hoc non ita euenit, nam reuulsio materiam antecedentem fluentem, ac fluxuram diuertit; partem tamen affectam intactam, ac liberam à compressione relinqoit, sicque pars capax remanet, vt quod factum, receptumque in ipsa sit, discuti, ac resolui possit, absque eo quod nobiliora membra irruat; imo leuata natura à sarcina, qua oppressa erat, liberalius reliquam morbificam, malignamque causam materialem in membrum affectum expellit; vt in eruptione morbillorum, variolarum, & bubonum satis experientia patet.

167. Nec vim hujus doctrinæ obseruatio adducta apud Zacutum iuxta quendam carbunculo pestilenti in cubito laborantem detruncare va-

let,in illius etenim curatione collegium medicorum aduocatum vnanimiter sanguinis missionem, vel ex talo partis affectæ, vel ab eadem summa manu, vel ab altero talo, nequaquam vero ex eodem giberto efficiendam fuisse decreuit, Zacutus tamen potius ex eodem cubito exequendam prædixit, eo quod nunquam animus sit humorem malignum in partem affectam fluentem reuellere in contrariam, sed ad eundem locum trahere, propterea frictiones in parte affecta cucurbitulæ, hirudines, cauteria, vesicaria, & alia attrahentia subsidia, vt virulentus succus in viscerum penetrabilibus impactus extra in emunctorium ducatur quamquam præcipiti lapsu copia succi venenati possit irruere, aliaque incommoda grauia subsequantur, *cum melior sit incisio vnius membri quam mors totius*. Quibus rationibus alij medici quasi conuicti in sensum Zacuti venerunt, vt inde basilica eiusdem lateris scinderetur, qua sanguinis missione facta, mediis alexiteriis, & sudorificis adhibitis, ac cucurbitula supra laborantem partem apposita, & valde scarificata, benignoque medicamine purgante propinato, quarta die multo leuius æger se habuit. Mirabilis est euentus, præsertim cum communiori methodo ac securiori classicorum doctrinæ aduersetur, vnde n si sub distinctione loquamur, huiuscemodi Zacuti consilium insequendum neutiquam erit; primo enim si corpus vniuersaliter plethoticum extiterit, & præcipue si summa, ac vniuersalis apparatus humorum pernicies adsit, & in tali affectu, aut simili pestilenti ex eadem parte affecta sanguinis missio fiat, ita attractio ad illam supra modum fiet, vt cum membrum talis materiæ morbificæ recipiendæ incapax sit, potius materia in partem mota, nonque recepta præ membri ineptitudine, denuo in interiora remeet, ac in membra principaliora geratur, sicque subitæ mortis atrocitas eueniat. Proinde illo in casu securius esset, primo in contrarium antecedentem causam reuellere & mox in eadem parte reliqua materia venæ apertione liberalius, ac sine gangranæ periculo imminentis trahatur; vel si mauis eodem tempore ex brachio carbunculo affecto, & simul ex talo eiusdem lateris vena scindatur vt duplici fini debite satisfaciamus; tunc enim vniuersalis plenitudo ex talo demitur, ac periculum ne in locum affectum humor venenatus impetuose ruat, præcauemus; ac simul ex brachij vena aperta tractio reliquæ materiæ non impeditur, ac conjuncta euacuatur, vt inde maiori cum securitate scatificationes loci laborantis fieri possint; si vero corpus nullo plenitudinis apparatu affectum sit, sed potius gracile, ac sufficienter inanitum (vt sine dubio in casu à Zacuto allato aderat) nulla implicatio, nec irregularis curatio inuenietur, quod ex eadem parte talis sanguinis excretio fiat: nam etsi fluxio, vt talis reuulsionem indicet, ex natura tamen materiæ venenatæ, quę potius euocationem postulat, & quia non datur impediens vt in partem trahatur, en quod corpus plenum humoribus non est, sanguinis missio non ex contraria sed ex eadem parte affecta exercebitur.

168. Adimpleta ergo iam prima indicatione à sanguinis multitudine, & motu desumpta media venæ sectione, ad alteri, quæ ab humoris cacochymia pendet, satisfaciendum, accedere oportet, sicque corpore satis per sanguinis missionem euacuato, succus vitiosus, siue qualitate peccans medicamentis clementibus, ne viscera scandescant, expurgandus est; ita vt antecedenter refrigerantibus, ac vstionem auferentibus vtamur, simulque inspecta malignitatis natura, quæ in humoribus adest, alexipharmaca exhibeamus, & vt viscera qualitatis venenatæ perniciei obsistere valeant, non solum interius, verum exterius cor nobilissimum omnium membrum, ne vapores tetri ipsum iruant, epithematibus, vnguentis, potionibus, electuariis, ac odorificis roborare opus est; nec solum partes, quæ per consensum afficiuntur, verumquæ per essentiam, ac ex prima humorum generatione, eos prauos gignunt, vt est hepar, roborandæ sunt; sicque hepati refrigerantia, & humectantia apponenda conueniunt: ne denuo à iecoris intemperie calida, & sicca eadem specie materia morbifica regeneretur.

169. Parti tamen carbunculo laboranti neutiquam repellentia sola, quoniam humor crassus, ferinus atque malignus est, adhibenda sunt, eo quod si fluxionis auersio præ illis contingat, potius interiora corporis, vt supra dixi, valde oblædentur, inspecta tamen vehementi partis inflammatione, à qua refrigerandi indicatio pendet, ne locus affectus gangræna corripiatur, non absolute repercutientia obneganda, sed vnà cum digerentibus medicamentis applicanda sunt, quæ omnia cum modica sint, propterea digerens remissum partem non immodice calefaciet, ac repellens modicum non ita succos in corporis intimius protrudet, vt venefica succi qualitas principalioribus partibus noceat; ob quam rationem Magister in textu cataplasma confectum ex plantagine, & ex cocta lente, permixtaque tenera mica panis, qui medio modo se habeat, ita vt nec omnino furfureus, nec omnino furfuris immunis sit, collaudat. Auicenna vero galla cum vini aceto, & alumine cum aceto vini vtitur, & quia carbo semper media putredine serpit, super ipsum vlcus medicamentum validum in eam corruptelam conuenit, vt sunt pastilli Andronis, Polydæ, & Passionis, qui vsque ad sordium spissitudinem cum vino dulci liquãdi sunt; pharmaca vero concoquentia, & pus mouentia, quæ aliis vlceribus prodesse solent, huic non sunt adhibenda, eo quod loci affecti putredo augesceret: vnde potius quæ supra (putredini obsistentia) dicta sunt, conueniunt. Inter omnia tamen, quæ Magister in textus calce facta sanguinis missione monet, sunt altiores mediocribus incisiones in parte laborante, præ causæ morbificæ summa crassitudine, & vt facilius crusta ab vlcere semoueatur, locus aqua calida ante scarificationem est fouendus, ad crustam quidem, atque scaram remouendam, folia verbenæ coctæ, & cupressi apud Aëtium magni fiunt, Pececiua hujuscemodi cataplasma huic fini selegit: *R. Altea, malue, & viol ana m.ß. farina triticea, & hordeacea ana ℥iij coque, & tere, praterea adde butyri, adipis suilli ana ℥ij. vitellorum ouorum numero ij. misce, & secundum artem fiat cataplasma.*

170. Celsus

170. Celſus quidem *lib. 5. cap. 28.* vſtionem in carbunculo potiorem efficiendam iubet, cum ſic alloquatur: *Nihil melius eſt in carbunculo, quam protinus adurere; neque id graue.* Nam cum illa caro ſine ſenſu (quia mortua) ſit, proinde vſque quo ex omni parte doloris ſenſus adſit combuſtio efficienda erit; & ſi forte quis adustionem ex ferro ignito exequendum non permittat, aut vitium in ſumma cute adſit, medicamina exedentia ſolum, aut etiam combutentia validiora, aut minus valida pro carbunculi vehementia, aut prauitate proderunt. Ex ignis etenim, & medicamentorum adurentium vi cruſta vndique à viuente carne deducta ſubſequitur, quæ omnem ſubſtantiam corruptam ſecum adfert. Quare ſtatim ac prædicta ſubſtantia virtute ignis à carne viuente ſeparatur, quia abſumitur, & reſoluitur in vlceris partibus circum circa repertis circulus apparet, qui proprie partis ſanæ à corrupta eſt ſeparatio, quo in caſu medicamenta putrefacientia, ſcaramque mouentia applicanda ſunt. Si tamen carbunculus medicamenti, vel vſtionis vi mortificatus non extiterit, vlceris caro vitioſa exſedit, & circa locum affectum, & iuxta carnem ſanam vexatio ſit, & carbunculus valde augeſcit, atrociorque ſit; propterea denuo ad fortius medicamentum, ſiue vſtionem vehementiorem accedendum eſt, donec ſcara deducta iam ſit. Exterius etiam, vt venenum attrahatur, ſupra carbunculum viua animalia, luteum oui cum ſale, panem actu calidũ recenter ex fornace deductum adhibere oportet, vt inde fœlicius ſcarificatio, mox aqua ſalita lotio fiat, & medicamentum cauſticum ſiue actu tale ut ignis, ſiue potentia, vt argentum, atque vnguentum Ægyptiacum apponatur.

171. Si tandem carbunculus ex febre maligna, aut peſtilẽti oriatur, eo quod natura venenatam materiam in habitum per cutim trudit; medicamenta interius ſudorifica, exteriuſque attrahentia proficua erunt, ſicque confectio hyacinthorum, theriaca magna, & puluis ſcordij cum decocto ſcordij, aut carlinæ, quæ eſt chamelæon alius mirificam vtilitatem exhibebunt, nec mirum, nam hyacinthorum cõfectio interna, vt ad cutem expellant, roborat; theriaca, & ſcordium veneficæ qualitati aduerſantur, ac propter partium tenuitatem, qua cum prædicto decocto gaudent, facile morbifica cauſa ad exteriora mouetur. Vt tandem paucis verbis rectam methodum calleas, ita ſubſequentia in epitomen contracta perpende. Primo igitur vena vſque ad animi defectionem, ſi æger poſſit tolerare tundenda eſt. Secundo pars affecta aqua calida fouenda. Tertio ſcarificatio ſatis profunda conuenit. Quarto ſcarificatus locus ſalſa aqua abluendus; deinde in partibus vlceri circumſtantibus cataplaſma repellens, ac reſoluens, ſuper vero ipſum vlcus medicamen valde exiccans, ac putredini obſiſtens applicãdum vt trochiſci, & alia dicta; ſi vero his non obediat ignito ferro carbunculus vratur, & ſi tumor magnus reperiatur cataplaſma ex farina orobi, & oxymelite compoſitum prodetit, quod ſi duritiés diu permaneat, carbunculus, vt ad ſuppurationem vergat, curandum eſt: cui fini. ♃. *Rutæ m. j. fermenti* ℥ij. *caricarum pinguium n. iiij. piperis* ʒj. *ſalis* ʒj ß. *miſce, & ſecundum artem fiat cataplaſma mane, & veſperi applicitũ.* Plurima ſimillima medicamenta eligere poteris, præſertim ſymphytum, ſiue conſolidam maiorem inter duos lapides tritam; tum etiam ſcabioſam, quæ communiter apud omnes extollitur, nec minus cepa excauata, & theriaca repleta atque ſub prunis decocta ſi loco affecto apponatur, iuuabit.

172. Cum igitur in hujuſcemodi affectu grauiſſima, variaque ſymptomata vicem cauſæ habentia ſint, vt talia citiſſimam indicationem adimplendam curatricem ſecum trahunt; qualia ſunt vehemens capitis dolor, vigiliæ ſummæ, delirium, febris valde intenſa, quæ etſi morbus ex natura rei ſit, poſſitque eſſentialis ſecundum apparatum morboſum eſſe, vt ſymptomatica tamen, vt pote inflammationem inſequens appellari valebit, adeſt etiam ingens ſitis, linguæ nigrities, atque ariditas, nauſea vomitus, inappetentia, tremorque, cordis palpitatio, tandemque ſyncops. De quibus in calce ſolutionis carbunculorum breuiter eſt agendum.

173. Inter omnia, quæ immaniter naturam vexant, eſt capitis dolor, pluries etenim ferinos cerebri affectus: præſertim dum ab atra, flauaue bile naſcitur, concitat; cui cum vniuerſalia, particulariaque ſubſidia non opitulando ſuffecerint, inſequens emplaſtrum temporibus, ac ſyncipiti appoſitum mirificam vtilitatem infert. *R. fol. viol. maluar. acetoſa, ſemper viui, & foliorum lactuca ana M. j. fol. nenupharis n. iiij. florum eiuſdem* ʒiij. *florum aneth. & camomil. ana* ʒij. *ſeminis papau. albi, lactuca, & portulaca ana* ʒj. *coryandri viridis. m. ß. fiat coctio in ſufficienti aqua quantitate, vſquequo fiat conſumptio ud quantitatem lib. ij. & adde farina ordei* ℥j. *farina fabarum* ℥. ß. *farina lentium quart. j. vitellorum ouorum n. iiij. aqua ex ouorum albumine extracta* ℥ij. *aqua roſ. portulaca, plantag. an.* ℥i. ß *pulv. roſ. ſantal. rub. maſtichis, abſinthi, & ſalnia an.* ʒj. *pulv. boli armeni, & thuris ana* ʒij. *olei papab. & roſ. ana* ℥iß. *olei chama* ℥ß. *vnguenti popul.* ℥ij. *opij* ʒß. *crocij grana xij. ſilonij perſici* ʒj. *& cum lacte mulsebri, vel caprino omnia denuo, in mortario plumbeo conquaſſentur, ac cataplaſma conficiatur.* Cui auxilio non ſolum capitis, etſi vehementiſſimus dolor à cauſa calida pendens, verum ſumma vigilia cædet, & ſi totum corpus debite inanitum, cauſaque morbifica reuulſa fuerit, phrenitidi mirifice proderit. Sed proh dolor! Cum multoties vigilia deſperata ſit præ euius celeri, ſummaque virium diſſipatione, quam inducit, non lenia, ſed valde efficacia præſidia, etſi dubia ſeligenda ſunt, melius enim eſt anceps auxilium, quam nullum experiri, vt Magiſter *lib. 10. methodi, cap. 10.* inquit. Quare ad ſomnum conciliandum præſtantiſſime opium prodeſt, & licet illud, vt frigidiſſimum plurimi claſſici pertimeſcant, tamen quia in laborantium viſceribus igneus calor, qui eius frigiditatem remittere valet, dominatur. Proinde ipſo ſecure vti poſſumus; præterea quia linguæ applicitum amariſſimum ſit, omniaque amara excedentem calorem ſecum portent, ob hanc, prædictamque cauſam ſine periculo phreneticis ob immenſam vigiliam pillula ex ipſo confecta in aliqua iutis

portione

portione condonanda est, vt ℞. *opygrana v. croci g. iiij. castorij grana* iß. Et cũ ſucco lactucæ fiat pillula in iure proiecta, vt facile deglutiatur. Pro ſiti etiam valde vexante ſubſequens loch. quo frequentius (veluti Zacutus conſuluit) vtor, eſt iuuatiuum. ℞. *mucilaginis ſeminis pſillij, & ſeminis citoneorum ana* ℥ß. *ſacchari violacei candi pulverizati, amyli, tragacanth. ana* ʒj. *ſyp. violacei, quod ſufficiat. m.* Ita hoc ſymptoma grauiſſimum eſt, vt ſi inſatiabilis ſitis adſit, illico ipſi ſuccurrendum ſit, vt Hippocrates 6. *epid. ſec. 3. comm.* 33. docet, dum os claudere, atque tacere iubet; Auicenna etiam ſomnum laudat, quando ex ſiccitate ſitis oritur; quando vero ex calore vigiliam, vt l. 4. tract. 2. cap. 11. ad finem ſic commonſtrat: *& ſitis quando ſit ex ſiccitate abſcindit eam ſomnus; & quando ſit ex calore abſcindit eam vigilia.* Nec omittenda eſt obſeruatio circa loch ad ſitim ſedandam vtiliſſimum à Zacuto conſcripta, vt dixi hac ratione. ℞. *mucilaginis ſeminis pſyllij, & ſeminis citonior. ana* ℥ß. *ſacchari candi violati pulveriZati amyli tragacanth. ana* ʒj. *ſyp. violacei quod ſuf. m.* vel. ℞. *radicis bugloſſa ſaccharo condita lib. j. conſerua acetoſa florum nimpha ana* ʒvj *ſpecierum electuarij diamargarit. frig d. corallorum rub. ſeminis citri ana* ℥iiij. *ſacchari roſacei quod ſufficiat, & mixtione fiat conditum.*

174. Cum febris maligna, cum carbunculorum natura fere ſemper complicata ſit, veneriosaque qualitas à morbifica cauſa pendens ſpiritus vitales reſoluat, cordiſque temperiem deiiciat, propterea animi deliquium, aut ſyncops eueniunt. Pro quorum medela ad refrangendam huiuſmodi qualitatem malignam, & vt proprium cordis temperamentum firmius conſiſtat, ſequens inſtillatum maxime proderit. ℞. *carnis arietina abſque adipe lib. ij. gallinar & capon. ana num. j. contundantur carnes, & ſupra ipſas inſpergantur puln. margarit. preparat. pulver. diamargarit. frig. diamoſchi eſualis, ſpecierum diatrium ſantalor ana* ʒß. *puln. corticum citri ſeminis acetoſ. ana* ʒj. *electuar. de gemmis, confec. iacinthor, & alchermes ana* ℈ij. *folior. auri num.* iiij. Omnia ſecundum artem collocata in balneo Mariæ diſtillentur, & inter diſtillandum adde conſeruæ ſcordij acetoſæ *flor. borg. & viol. ana* ℥ß. Cuius ſubſtantiæ diſtillatæ mane ante prandium, & ante cœnam vnius vnciæ quantitatem exhibere valde proficuum erit. Exterius ſimiliter regioni cordis inſequens epithema applicitum mirifice iuuat. ℞. *vnguenti roſacei, & napha ana* ℥j. *puln. diatrium ſantal. diamargarit. frig. ana* ℈ij. *confec. hyacinth, gent. cord. contra melanchol. & de gemmis ana* ʒß. *ſpecierum diambra, & diamoſchi vſualis ana* ℈j. *ſucci pimpinella, ſcordij, & pomorum redolentium ana* ℥iij. *olei de ſcorpionibus Matthioli* ʒiij. *miſce pro lenimento.*

175. Si vero cum animi deliquio, aut ſyncope alui fluxus in carbunculis adſit, qui vt pote vicem cauſæ habens indicationem referat, ille in caſu cum medicamentis adſtringentibus cardiaca permixta conueniunt; ſi vero fluxus ex obſtructione naſcatur, neutiquam incraſſantia, ſed ſed potius aperitiua, atque de obſtruentia locum tenent; ſi enim incraſſatio inducatur, obſtructio, alrique fluxus augeſcet, diſtributio enim alimenti ad nutrienda partes peruenturi eorum vſu cohibetur licet tamen fluxus, vt talis, incraſſantia indicet, & iſta obſtructioni ſoluendæ maxime aduerſa ſint; prius vero aperientia ſunt exhibenda: nam ſi illorum vi obſtruentes humores extenuentur, quamquam primo fluxum prouocent, in poſterum tamen per obſtructionum ablationem alimenti diſtributio perficitur, partium attractio, retentio, & nutritio floreſcet, proptereaque alui fluxus in totum deficiet. Quam doctrinam Auicenna 16. tractatu 1. cap. 10. ſic alloquens affirmat: *De errore igitur eſt, vt cadat addictio in oppilatione per ſtyptica, imo oportet, vt iuuetur, quo expellitur ab oppilatione cum euacuatione: cum enim euacuantur via ab eo, & pertranſeunt medicina aperitiua oppilationum, vt aperiant eas. Et quandoque neceſſarium eſt, in apperiendo oppilationes ſolutiuum forte attrahens materias groſſas generantes oppilationes, & clyſteria fortis appertionis, & attractionis.*

176. Quod ſi alui fluxus præ ſumma virium iactura eueniat, proindeque ſecum omnem curationem ſiſtendi rapiat, vt venter roboretur, vires vigeſcant, ſomnuſque pronocetur, cum medio ipſo euacuatio ferietur, inſequens potus ſtillatitius incomparabilem vtilitatem confert. ℞. *duas perdices media ætatis pingues, exenteratas, in fruſta eas diſcinde, & in phialam vitream immitte adde Maſtich.* ʒß. *roſ. ſiccarum* ℥j. *carnis cydoniorum immaturorum lib. j. carnis pyrorum lib. ß. omphacij lib. ß. ſeminis lactuca, papab. albi, cydoniorum, portulaca, & plantag. ana* ℥ß. *ſorborum immaturorum meſpilorum immaturorum ana* ℥j. *margaritarum preparat.* ʒ1ß. *coral. rub.* ʒij. *ſantal. citrinor. & rubror. ana* ij. *micleta* ℥ß. *folior. plantag. & acetoſa ana manip.* ij. *radicis biſtorta* ℥ij. *albuminum ouorum n.* xij. *conſerua ſymphyti maioris* ℥iij. *conſerua roſarum antiqua lib. ß. vini rubri odoriferi lib.* ij. Reponantur omnia in vaſe ita clauſo, vt nulla euaporatio contingat: deinde in balneo feruido per x. horas reponatur, priuſque iniiciantur calybis præparati ℥viij. vt omnia vi ignis ebulliant, vſque quo perdices in partiunculas minutiſſimas ſint reductæ; tandemque omnia medio torculari exprimantur, & in alembico diſtillentur, ex qua operatione liquor quidam purpureus, viſui placidus, guſtuique ſuauis cum aliqua ſtypticitate permixtus exibet.

177. Nec minus carbunculo affectis præ ſumma virium iactura à maligna qualitate pronata; funeſtus, atque immodicus ſudor ob retentricem debilem facultatem euenire ſolet. Quandoque ex humorum, carniumque ſumma liquatione à febris ardentis vehementia pendente ſyncopales ſudores ægros in necem rapiunt. Vel ſi mauis ſudor, quamvis criticus ſit, ſi tamen ſupra modum vires præ immodica euacuatione præcellat, maxime periculoſus aderit; eo quod vires ita exhauriuntur, vt facies Hippocratica animam in horas exhalare apparens commonſtret. Quare tam primus, ſecundus, quam tertius ſudor, omnibus quibus modis cohibere ipſum poſſimus, exigit; ſicque cibis incraſſantibus vires reficiendæ ſunt; totique corpori frigida, vt meatuum raritas præ qua confeſtim euacuatio fit, auferatur, ſpargenda ſunt; proinde ſubſequens vnguentum

vnguentum summa vi, magnoque cum commodo totius corporis cuti apponendum est. ℞. *Olei rosacei omphancini* ℥iiij. *olei papau.* ℥iß. *olei cotoniorum* ℥j. *olei myrtillorum lib. ß. succi bursæ pastoris.* ℥ij. *& olea bulliant ad succi vsque consumptionem; postea que adde farcocollæ* ℥ß. *aloes* ℥iij. *thuris* ℥ij. *Myrrhæ* ℥ß. *Coralli. rub.* ℥ß. *pompholygos* ℥j. *foli.r. plantag. m.j. lapidis hemathitis, & sanguinis draconis ana* ℥iß. Et cum ceræ quantitate sufficienti conficiatur vnguentum; quod si præ adurenti calore liquatio nescatur, narcotica maxima cum præmeditatione sunt exhibenda.

178. Quamquam vomitus, cum à natura agitur, permittendus sit, vt Hipp. 1. Aphor. sent. 2. *in perturbationibus ventris, & vomitibus sponte factis, si talia, qualia purgari oportet, purgentur, confert quidem & facile ferunt, &c.* Tamen si naturæ modum excesserit, alimentumque assidue euomatur, corpusque ex alimoniæ priuatione, & defectu contabescat, necessario subsidiis causam vomitus auferentibus, est supprimendus, cum per ablationem causæ vomitus vomitu curetur. Proinde si virtus retentrix languida ex nimia quantitate pimitæ adsit, inscindentibus, abstergentibus, atque illam euacuantibus vti oportet. Postea exterius, atque interius roborantia conueniunt. Et præter communia ad vomitum coercendum pilulatum eximia, valdeque proficua massa proponenda offertur, quam ex doctissimo Zacuto mira cum vtilitate deduxi, præsertim vbi vomitus porraceus cum alimentis permixtus accidit. vt ℞. Rhab. electi ℈j. thapontic. optimi ℈j. aloes hepaticæ prius per noctem imbibitæ succo rosf. ℈iß. rosar. ℞j. mastich. ℈ij. Crystall. præparat. ℈ß. myrobalanor. ℈ij. Cinamomi. ℈j. gummi arabici torrefacti ℈j. cum syr. myrtillorum fiat magdaleon. Et æger singulis auroris assumat duas pillulas. Roboratur etenim mirum in modum ventriculus, aliqua per aluum bilis excretio agitur; & tandem somnus, quo vomitus cohibetur contrahitur.



CAPVT XI.

Strumarum curatio exequenda offertur.



179. T omnes à sanguine melancholico natos tumores soluere valeamus, postquam Magister tã scirrhos, tam que cancros, quam carbunculos curandos fuit aggressus, tam alias tumorum differentias, qui strumæ appellantur in præsenti adducit.

TEXTVS.

Deinceps de reliquis agam, &c.

180. Strumæ quidem glandulis, in scirrhosum affectum immutatis reperiuntur, illarum etenim curatio quemadmodum, quæ in aliis scirrhis reliquis in partibus repertis exsequi solet, fieri debet, respectu tamen partis affectæ in aliqua geminæ indicationes sunt necessariæ, in alia verò vnica, proinde glandularum partiumque affectarum diuersitatem enucleare oportet, glandulæ quippe occupant spatium quod in vasorum deductorum medio reperitur, ac pro firmamento eiusmodi deductionis subseruiunt, aliosque animantibus vsus præstant, propterea prædictas glandulas maxima cum præmeditatione, prouidentiaque natura fabrefecit, maior tamen perfectiorque vsus in aliis glandulis, quæ vel saliuam, vel lac, vel semen genitale, aut pituitosum succum, in mesenterio, faucibus, aut larynge gignunt, adest: nec solum glandulas, sed corpora glandulosa, eo quod rariori, magisque substantia spongiosa constant, atque in eas tam arteriæ, quam venæ sensibus attingunt plurimi appellant: huiuscemodi ergo glandulæ cum in scirrhosum affectum incidunt, veluti omnes reliquæ partes curationem indicant, de qua supra satis adapertum manet, quæ tamen in vasorum medio consistunt, aliam indicationem curationem exigunt eo quod simul cum vitio ipsa pars auferenda sit, quod dupliciter fieri est necesse, vel nimirum media scalpelli scissione vt in cancro agitur, vel mediis medicamentis putredinem inducentibus, quorum materiam libro de medicamentis Magister patefecit.

Pro textus expositione nonnulla dicenda obuiam faciunt.

181. Communissimus, nec minus fœcundus affectus propter prolis numerosum incrementum, strumæ, aut scrophulæ nuncupantur, frequenter etenim scrophis, hoc est suibus in collo eueniunt, vel si mauis propter crebrum, qui porcis partum accidit, ita ex vnica scrophula siue struma semel genita plurimæ progignuntur: de harum igitur in textu Magister curatione alloquens nihil aliud, quam glandulosas partes induratas, & ad scirrhum perductas esse profert; quod etiam in antecedenti lib. cap. 2. prædixit, quemadmodum Paulus strumas glandulas induratas nominanit, & cum duplex glandularum natura ex contextu pateat, tam vnæ, quam alteræ aliter curandæ non sunt, qualibet in parte adsint, quam reliquæ partes scirrhosæ factæ:

factæ. Nec mirum si corporis vniuersi glandulæ, facile ad fluxionem præsertim in collo existentes suscipere procliues sint, cum præ languore natiuo ob caloris inopiam, rariorem que substantiæ modum, ac situationem promptiorem, minus quam reliquæ particulæ humoribus præter naturam illabentibus obsistere valeant, propterea, quæ in collo adsunt frequentius vt susceptacula pituitæ ex capite ruentis deseruiunt.

182. Quamuis tamen aliquæ strumæ ab humore calido præassatoque, quales malignæ (vt cancerosæ) sunt, fiant, eo quod atra bilis satis ferina inflammationes pulsantesque dolores inferens eas efficiat de iis tamen, quia non exquisitæ strumæ sed cancerosæ sunt, non; sed de illis, quæ ab humore frigido, vt pituitoso, seu melancholico, nascuntur, sermo percurrit: vt ipse Magister *lib. 3. aphor. sent. 16.* satis sic alloquens exponit; *horum morbus struma quoque est, non ex calida materia, neque ad suppurationem properante, sed pituitosiore, & frigidiore consistens.* Diuersimode verò, quæ à pituita, ac quæ à melancholia ortum habent, se habent, à pituita etenim natæ similem cuti colorem, à succo vero melancholico progenitæ plumbeum obtinent. Vnde illæ facilius, istæ vero difficilius, veluti quæ ad superficiem tangunt, securiùs quam, quæ profundæ sunt, terminantur, & quoad partem affectam si certiorem prognosim in eis auferendis constituere intendas, loci affecti structuram vt perpendas est necesse, in anteriori enim colli parte, periculosior incisio, corrosio, atque vstio, quam aliis in partibus fiet: nam, non tantum venarum, arteriarumque vicinitas, vt lædantur adest, verum quia nerui vocales incidi possunt, vt inde laborantes fæuiata huiuscemodi instrumentorum actione, voce destituti maneant, quod reliquis in particulis timorosum ita non est.

183. Licet tamen Magister in textu, solum habita ratione, ad materiam in parte imbibitam, strumamque immediatè constituentem, indicationem eam incidendi, media scalpelli actione, vel medicaminibus putredinem inducentibus ostendat, re quidem vera, vt ipse variis in locis buccinauit, completam aliam, quæ à materia antecedenti desumitur, stabilitam reliquit, cum semper corporum apparatum morbosum pluries animaduertendum esse dixisset: vnde si præter pituitæ, melancholiæve dominium plethorica corporis dispositio consentientibus viribus sanguinis missio, vt gradatim corpore inanito, humorum peccantium præparatio, & expurgatio exsequi valeat, valdè oportet vt præcedat.

184. Quibus apud Magistrum vlloabsque dubio prælibatis indicationem peculiarem mediis localibus proponit, qualia mollientia, attenuantia, digerentia, & incidentia præmonet, quod si aliqua humorum calidorum portio, cum pituita, aut melancholia, in struma permisceatur potius intentio suppurationem iouandi occurrit, ita vt non in qualibet suppuratione facta; apertio strumarum, sed vbi tota materia in tunica, siue cisti existens, saltemve maior pars suppurata sit conueniat, propterea, aut totius materiæ, maioris've illius partis suppuratio spectanda erit, si enim citius stroma aperiatur, reliquum quod crudum adhuc extiterit ineptius obedientiæ caloris, ob caloris resolutionem; quæ scissionis vi sequitur, redditur, quod præsertim in strumis, ab immodicæ crassa materia natis, æstimandum est: quare facta prædicta strumæ maturatione, vel ferreo instrumento, vel medicamine caustico aperienda, deinde detergenda est, vt postea sarcoticis sinus carne adimpleatur, tandemque epuloticis cicatrix inducatur, idemque si struma iam vlcere confecta occurrat, obseruandum, dummodo si os corruptum iam appareat prius semoueatur.

185. Si tamen ablatio strumarum manuali operatione indigeat, quæ vel ferro, vel putrefacientibus fit, vt Magister in textu ait, nequiquam si strumæ in testiculis; vel mammis adsint efficienda est, neque adhuc in iis, quæ magnæ, aut venis, arteriisque implicitæ sunt, sed tantum in glandularum colli strumis, sub alis, & inguinibus existentibus, huiuscemodi operatio permittenda est, aduertendum vero expedit, quod facta strumæ scissione, tota glandula integra foras trahatur: si enim aliquid glandulæ, aut membranæ ipsam induentis intus maneat, regenerationis nouæ strumæ periculum subest, quod si illa exigua, quæ fuerit portio ferro subtrahi non possit medicamentis corrosiuis, & putrefacientibus sensim absumenda erit.

186. Præ laborantium timiditate, ne vsus ferri valde timorosos sit, caustica corrumpentia, suppurantiaque sunt apponenda, & quamvis plurimi calce non extincta cum sapone permixta, vel stercore columbino, cantharidarum puluere, fermento melleque permixto, argento, vel sublimato cum axungia suilla vtantur; aliqui arsenicum, sublimatum ad strumas putrefaciendas, ac radicitus euellendas adhibent, maxima tamen præmeditatio, in illius vsu æstimanda est: vehemens enim ac violentum est, ex illo etenim febris, inflammatio, ingens dolor, variaque symptomata suscitantur, quare melius exigua quam multa quantitate vti, erit: nam si prima vice completus effectus non elucescat, tutius parum apponendo, ac per vices, sæpiusque illud adhibendo præcautio symptomatum imminentium, ac secura strumarum extirpatio contingat, si enim corrupta iam sit struma, durities, tumorque crustæ induratæ aderit; quæ quidem mediis linimentis, ex butyro loto cum exigua farinæ tritici portione inspissato, aliisque axungiis non salitis separanda siue eximenda erit.

CAPVT



CAPVT XII.

Diuersorum abscessuum expositio, profligatioque proponitur.



ITA peculiares toto genere præter naturam, tumores in corpore gigni possunt, vt etiam singularem sibi indicationem curatricem abrogent, cumque Magister supra, de aliis tumorum distentionis egerit, nunc iam de aliquibus abscessibus, ac tumoribus soluendis curationem imponit.

TEXTVS.

Mihi verò tempestiuum est, &c.

187. CVm igitur duplex abscessus differentia sit, eo quod vnus cum phlegmone tam in pus terminata sit, & ipsum pus veluti in quodam sinu contentum adest, alios verò absque eo quòd aliqua phlegmone præcedat in quo aliquis statim in principio succus appareat, qui quidem in particula, in qua contentus est summam acredinem ostendit, ac circumexsistentia loca scoriat, spatium nimirum sibi molliens, vel inter duas tunicas, vel sub certis membranis, & hujusmodi excoriatio, vel immodicæ quantitatis distendentis, vel putredinis præ multo tempore coortacæ ratione accidit, in iis quidem abscessus, cum scalpello abscinduntur, quædam non exiguæ proprietates, tam humorum, quam corporum solidorum reperiuntur, aliquando enim vngues, pili, ossa, lapides, & similia apparent, quemadmodum inter humores alter quasi lutum, seu cœnum, vel olei quidam limus, vel vini fex tandemque ita alter fœtidus, vt sustineri non valeat, rarius videntur; frequentia verò tria horum morborum genera propriam nomenclaturam obtinentia ratione similitudinis cum substantia contenta, vt meliceides, atheromata, & steatomata inueniuntur, eo quod in meliceride substantia melli similis, in atheromate materia pulticulæ assimilata, in steatomate verò pinguedo seuo affinis continetur.

TEXTVS.

Curationis verò eorum, &c.

188. CVm ergo in iis abscessibus quidquid continetur toto genere præter naturam sit, commonem indicationem curatricem, euacuandi videlicet, aut illud digerendi, siue ad putredinem ducendi, aut tandem abscessum scindendi sortitur, in meliceride etenim eo quod succo tenuiori constat vnicam indicationem, in atheromate duplicem, excidendi duntaxat, & putrefaciendi, exsequendam asserunt; tandemque in steatomate, eo quod nec digestio nec putrefactio, ex materiæ ineptitudine fieri valet, sola manus operatio expedit, quando tamen huiuscemodi abscessus in alto corporis, præsertim visceribus adsunt, medicamenta aromatica valde pro'sunt, eo quod humorem imbi collectum in halitum eorum virtus resoluat, ac digerat, inter quæ apud Magistrum theriaca magna, athanasia, Ambrosia, ac alia similia claudantur, de quibus satis in opere de Medicamentis sermonem Magister construxit.

189. Satis litteræ textus doctrina liquet, cum Magister discrimen prædictorum abscessuum, causam contentam, ac indicationem vnicam communem peculiaresque alias habita ratione ad modum substantiæ diuersum in illis adinuentæ adducat: quare parum in præsenti immorandum restat, si omnes corporis partes tam meliceride, steatomate, quàm atheromate corripi posse, simulque huiuscemodi abscessus, ex pituitosa, lenta, crassaque materia sensim collecta increscere perpendas, ob diuersam tamen illorum substantiam patentia signa peculiaria sibi induunt, sicque atheroma vt Aëtius sermone. 15. *cap.* 7. ait, est tumor specie & figura oblongus atque sublatus, ac propter humoris crassitiem digitorum compressioni difficulter, tardéque reuertit; Meliceris verò pellicula neruosa tenui humori ad mellis similitudinem imbuta est, figuraque rotundiore, ac sine dolore constat, qui tumor celeriùs promptiusque compressioni cedit; steatoma tandem apud Aëtium eodem *lib. cap.* 8. tumor præter naturam adipem in se continens mollis, decolor, tactu lenis in principio pusillus est, tractu tamen temporis dilatatur, & præ summa qua gaudet mollitie, tam ab struma meliceride, quàm atheromate differt, sed cum non æquè morbifica causa in iis abscessibus reperta remediis obedire possit, propterea discrimen non in eorum curatione contemnendum occurrit, sicque meliceris, quia tenuiori succo constat ac in tunica continetur abscissionem, atheroma verò, quia materialis causa prius suppurationem ante apertionem indicat, suppurantibus antecedenter vtendum esse exigit, steatoma tandem quoniam substantia seuo similis nec medicaminibus suppurari, putrefieri, digeri seu dissipari valet, sed potius manuum, scalpellique præsidium efflagitat, æstimandum tamen expedit, quod in horum tumorum apertione, tunica, siue pellicula, quæcunque succum continens, siue pultaceus, melleus, adiposus, fæculentus cuiuslibet substantiæ sit omnimode subtrahatur ita tamen vt præcaueamus, ne membrana vulneretur, ne etiam effectus operis obscuretur, tum quia, si aliqua tunicæ humorisque

tisque diffusi portio in parte affecta relinquatur, periculum ne affectus denuo regeneretur, subest, vt supra de strumarum curatione prædictum est, in steatomate quidem, non ita hujusmodi periculum minatur, eo quod adiposa pinguedo, quamquam abscindatur, effluxus humoris non dabitur, sicque cutis liberè ac sine timiditate, scindenda erit, pluries tamen præ timorosa operatione ferrea prædictorum abscessuum curationem renuunt, quo casu medicamentis causticis, & adurentibus vtendum erit, & iis prius cutim supra existentem denudare convenit, sicque circumfusa cuti abrupta, crusta remanens pinguibus eam resoluentibus auferri debet, quæ cum iam deciderit, vt erodentia apponantur permittit ita vt adiacentes partes circulatis, ne inflammatione corripiantur, linimentis contemperantibus frigidis, vt cerusa cum oleo mixta delinienda sint, cum verò in visceribus siue corporis partibus penitioribus ij affectus adsint, externaque proinde remedia prodesse non valeant, ex Magistro notandum est, medicamenta potius aromatica internam virtutem roborantia vt morbifica causa in halitum digeri resoluique possit, adhibenda esse, vt pro exemplo theriacam magnam, Athanasiam, ac similia prænuntiat.



CPAVT XIII.

Diuersorum tumorum communis indicatio clarescit.

TEXTVS.

Quorum verò eorum quæ &c.

190. OMMVNI porrò indicatione curatrice seruata in præsenti capite de omnibus, qui toto genere præter naturam tumoribus Magister alloquens sic fatur; *quicumque ex iis toto genere præter naturam sunt ij sui ablationem indicant*: quare in steatomate, atheromate, in calculo vesicæ, vteri mola, quæ informis caro nuncupatur exemplum adducit: hæc enim omnia in totum submouenda sunt, animaduersione tamen, quod loco affecto inspecto prima indicatio, vt affectus curetur, secunda verò vt si insanabilis ex se sit, simul cum ipso vitio, seu affectu ipsa pars abscindatur, adsit, quemadmodum, in cancro, ac vlceribus cunctis curationem renuentibus operandum est, hæc contra verò in suffusione, quod hypocyma nominatur prima perpensa indicatione non partem, sed affectum tantum in aliam minoris præstantiæ particulam transferre oportet, & si aliqui hæc enacuare aggrediantur, verum tamen securum est (ait Magister) quod humor in hydrocelis contentus, cum alienus à corporis substantia toto genere prætet naturam recedensque sit, quemadmodum etiam aqua in ascite collecta est, vel auxiliis digerentibus vel media chirurgia ista euacuanda sint in hydrocele dumtaxat siphone immisso, in ascite verò punctione facta, quæ paracentesis vocatur, in aliis tamen affectibus vt prædictum est, simul cum illis ipsa pars affecta, vt in herniosis aliquid peritonij, & aliquando ipsa columella simul cum vitio excidi debent, quemadmodum in cirribus, ac in testiculis varicosis, vna cum varicibus ipsæ venæ secãtur, nec minus nasi polypus cum eadem tunica veluti dens perforatus cum foramine, desumpto fundamento ex eo quod nullum ex iis in habitum naturalem denuo reduci valeat; notandum tamen occurrit, quod non statim columella, sed cum gracilis, & ad lori tenuitatem perducta iam est, detrahenda sit, reliqua verò quæ in magnitudine naturalem habitum exceperunt, vt caro supercrescens, & encanthides, & qui in sede thymi dicuntur, & cicatrices, quæ circumpositam cutim plurimum vt verrucæ, ac in oculis ptherigia reperiuntur, hæc omnia remouendi indicationem sibi atrogant.

TEXTVS.

Atqui id semper agere vt rationibus, &c.

191. Diuersæ tamen obseruandæ rationes in iis operibus offeruntur (ait Magister) rationes quidem tripliciter perpendere oportet, primo ex temporis curandi breuitate, secundo ex curatione citra dolorem, tertio ex modo elementiori curationis, ita vt toto exercitium fiat, præterea vt toto curatio fiat ac feliciter eueniat tria sunt perpendenda primum vt omnino absolutionem operis consequamur, secundum vt si hoc non adipiscamur, saltim ægrum non lædamus; tertium vt affectus facile non renouetur, atque pullulet, quæ vt adimpleantur, quando potius chirurgia, quando vero medicaminum auxilio sit operandum inspicere oportet, quare quæ toto genere præter naturam sunt, vt dictum manet potius chirurgia abscindẽda, quod si hoc perfici nequeat, potius affectus transferendus, vt in hypocymate restat, si tamen medicamentis vti sit opus, potius tum euacuantia, tum digerentia conueniunt, si deinde ratione membri naturæ, & constitutionis, atque affectus tenacitatis, vt materia in pus tendat, atque putrefcat, fieri non liceat, illo tunc secundum locum sibi vendicat, vt in columellæ affectu euenit, quo in vitio ptimo eam ad habitum naturalem reuocare, quod si adipisci non possimus ipsam amputare tenemur, quod opere chirurgico, medicamentisve causticis aggrediendum expedit nihil effatu in præsenti dignum, quod ex litteræ Magistri mente non clarescat denuo exponendum occurrit, sicque ad sequentia progredi opportunum erit.

CAPVT



CAPVT XIV.

191. Ræsens caput nec quidquam exa-tandum proponit, tum Magister tantum de nominum expositione sermonem vsurpet, ita vt semper quidquid præter naturam est, vel quia nocet, vel quia inutile adest, siue actioni incommodat, auferendum esse commonet.



CAPVT XV.

Vitiosa, morbosaque obesitas, & corpulentia quomodo curationem sustineat satis exprimit.

193. Vndem Magister finem insequens ad eorum, quæ superuacanea, & actionibus incommoda obeundis sunt, remotionem exequendam præsens caput stabilit.

TEXTVS.

Ergo denuo repetentes de rebus loquamur, &c.

194. CVm igitur morbi curatio ipsius ablatio sit, isteque aliquando à quantitate, aut numero auctis, vel diminutis pendeat, propterea Magister eos qui à magnitudine, aut numero auctis præter naturam oriuntur, per amputationem substantiæ redundantis profligandos; eos verò, qui ex defectu nascuntur, per refectionem inflammationemque deficientis substantiæ, si fieri possit, aut liceat soluendos esse docet: digitum enim quintum, aut aliam similem particulam g gnere, cum hoc opus potius sit naturæ, Medico non licet, illud verò, quod numero redundat, seu magnitudine, modum naturalem excedit, abscindere maxime Medico licebit, proinde vbi corpus ad tantam corpulentiam peruenit, vt sine labore ingredi, nec præ ventris mollitie sedere, neque libere respirationem exequi valeat, illud per liquationem in salubrem statum reddere oportet; illud verò, quod quia nutriri non potest vt in vomica laborantibus euenit, proinde extremè extenuatum est, reficere oportet, pluries enim, vt non totum corpus, sed vna peculiaris pars, ex atrophia præ neruorum resolutione, vel prædictæ partis intemperie, atque imbecillitate marcescat, contingit, quibus curatio obuiam facit, ita vt prius ab immodica corpulentia laborantibus incipiamus. Cum igitur lib de temperamentis pateat, quod calidior sicciorque temperies corpus exile reddit, idem, vt corpora obesa talem temperiem acquirant, dummodo ad debitum modum accedant est agendum, ad hanc tamen temperiem calidam & siccam consequendam, exercitium acutum, victus ratio attenuans, ac similia medicamina, animique cogitationes valde conferunt, vt inde corpus exilius fiat, vt lib. de san. tuen. satis ex Magistro liquet.

TEXTVS.

Ergo quæ ad articularia vitia quidem, &c.

195. INter etenim medicamenta attenuantia quæ ad vitia articularia exhibenda sunt, valida debent virtute frui, qualia rutæ semen præsertim syluestris, simul cum ipsis corymbis, & aristolochia rotunda, centaurium minus, gentiana & polium sunt, vlterius ex diureticis, vrinamque cientibus, quæ validiori vi polleant, vt petroselinum prosunt: siue enim ista per se sola, siue aliis conjuncta medicamenta validè succos extenuare ac sensibiliter per lotium, siue per transpiratum insensibiliter euacuare sunt apta, sal etiam ex combustis viperis combustum vehementer attenuat, propterea plurimi (ait Magister) graciliores cum essent, ex hujusmodi medicamentorum vsu, sanguine ipsorum summè excocto, atque deusto perierunt docti ex eo quod aliquos vitiis articularibus laborantes ex medicaminum dictorum exhibitione liberatos viderant absque eo quod, temperamentum eorum humidius, ac pituitosius esse, quale in obesis adest, perpendissent, prædictus etenim vsus alterantium, atque euacuantium proficuus est.

TEXTVS.

Ipse namque iuuenem quemdam, &c.

196. IN cujus doctrinæ roborationem vnicam Magister historiam refert, cum quendam iuuenē quadraginta circiter annos natum oppidoque obesum, tum antidoto aduersus articularia vitia composita, tum sale theriaco, ipsaque theriaca, extenuanti victu, & pro excercitio, veloci cursu vtendo curasset, præparauit quidem prædictum iuuenem ad cursum primo asperis linteis, vsque ad cutis ruborem perfricando, mox cum oleo medicamentum digerens, habente ante & post cursum eum leniendo, medicamenta quidem, tum radix cucurbitæ siluestris, tum althea, tum gentiana, tum aristolochia, tum radix panacis, tum polium, similiaque sunt seligenda, hyemali vero tempore etiam post balneum oleo prædicto hominem iterum vngere oportunum est, cibus tamen neutiquam statim à balneo, sed potius summo mediante proderit, si deinde tibi ante cibum iterum lauari placuerit, permittendum erit, efficacius tamen vtilinsque sub-

sidium si aqua facultate digestiua, atque resolutiua, qualis sponte profluens, ac naturalis reperitur, gaudeat, adeiit, vt est aqua apud Gal. qualis in Mitilene conspicitur virtutibus, & colore constans ad similitudinem eius, quæ fier, si quis florem salis aquæ marinæ misceat, cum igitur huiusmodi aqua valde exsiceans sit, mirificè hydropicis, ac aliis tumefactis, vt præpinguibus vtilis erit, præcipuè si non solum in potione, verum etiam per balneationem ipsa laborantes vtantur.

TEXTVS.

Sane illud est sciendum, &c.

197. EX Magistro tamen prænotandum offertur, quod aliquando ex medicaminum exsiceantium dictorum, exercitij, ac similium vsu febris superuenire solet, quæ non ita præter finem erit, quin maxime aliquando conducat, dummodo Medicus cuncta moderetur, certum enim est, quod vbi ex lassitudine febris oritur, vt prædicti ægri denuo ab obeso habitu curari possint, prius febre remissa sopitaque esse debet, melius tamen, vt hos curandos, ac in curatione valde nutrientia vina, veluti quæ crassa sunt fugiamus Gal. iubet, tenuiora enim substantia, vt albicantia, minus nutrientia proindeque vtiliora sunt.



CAPVT XVI.

Quomodo reficiendi extenuati sint.

198. 
Vm contrariorum eadem liquidè ratio militet, ac in superiore cap. de pinguibus, ac immodicè crassis, siue obesis extenuandis Magister egerit, iam in præsenti viee versa, de prætermodum extenuatis reficiendis sermonem, methodum constituens decernit.

TEXTVS.

At vbi eos qui extenuati, &c.

199. VEluti ergo corpora pinguia extenuanda sic extremè tenuia impinguanda, reficiendaque sunt, sicque vinum, ac cibum succum crassum gignere aptum iis est præscribendum, exercitatio etiam exigua, veluti mediocris frictio, ac omnia, quæ prædictis supra de corporibus obesis contraria conferunt, & vt percelebre subsidium Magister extollit, huiusmodi corpora extenuata picari (idest pice illinere) quod Hispano sermone est (*empegarlos con pez*,) ita vt tertio, quartoue die hoc fiat, ad carnem enim instaurandam, & si forte aliquod peculiare membrum tali vitio laboret, mirifice hoc remedium prodest: nam media sanguinis attractione corpus calefacit, ac humectat, neque hoc assiduè agendum est, sed hyberno tempore bis, in æstate semel illinere sufficiet, quibus verò à die natali gracilitas iam adest, illorum graciles particulas mediis paruulis ferulis modicæ illinitis incutere, donec prædictæ partes moderatè attollantur, oportet: ex hoc enim opere, quemadmodum ex perfusione aquæ calidæ, quam Hipp. iussit, euenit, quod primo pars intumescit, post verò gracilescit, sicque vt laudabilis habitus instauretur corporis particulas fricare, perfundere, percutere, ac pice illinere oportebit, vsquequo intumescant, mox verò, desistere, antequam digeri, seu resolui inceperint.

TEXTVS.

Caeterum quibus totum corpus est extenuatum.

200. QVibus igitur vniuersale corpus extenuatum est, eos post cibi assumptionem balneare commodum est, & quemadmodum in corporibus immodicè pinguibus extenuantium remediorum vsus melius, ne febris superueniat est, eo quod corpus immodicè calefit, ac liquatur, non aliter in extenuatis, qui post cibum lotionem aggrediuntur ne iecur obstructionibus afficiatur pertimescendum est, præsertim cum alimenta succum generantia crassum illis idonea, quæ facile obstruere solent, sint; ex iis etiam alimentis diutius exhibitis calculorum in renibus generatio contingere solet, quod vt dignoscere valeamus, nunquid, ex talis victus crassi vsu in dextris præcordiis ac circa renes, æger grauitatis sensum persentiat percontandum est, & si fortè eum persentiat, illico in cibationis principio dum grauitas permaneat cappari ex oxymelite dabitur; membris verò, quæ male reficiebantur, ac paulisper refrigerata erant, Gal. in texto aliquando tapsiam apponebat, aliquando verò membrum illinere iubebat, eo quod horum remediorum vsu sanguinis copia in partem affictam, atque languidam attrahitur; quomodo verò aliquid exiguum de naturali pudendi quantitate in illius deficientia, ac aliquæ particulæ paruæ deficientes meliorem dispositionem fortiantur, latiùs in vltimo huius capitis si placuerit, inspicies.

CAPVT



CAPVT XVII.

Herpetis, aliorumque similium affectuum solutio innotescit.

TEXTVS.

Ergo serpens vlcus, &c.

201. 
POSTQVAM de iis, quæ morborum generibus, in quibus naturale aliquid est amissum, & quæ toto genere præter naturam sunt, vt myrmeciægit, quorum triplex differentia reperitur, vt quædam, quæ ex partium mutatione solidarum, vt ossis caries sphacelon vocata, elephas, scabies, ac lepra desumuntur, alia verò postmodum nata sunt, veluti meliceris, atheromata, & steatomata, lapilli, ossa, & pili, qui in corpore producta reperiuntur, nunc iam herpetis generationem cuius succum biliosum esse causam pronuntiat aggreditur, propterea quod eiusdem cum erisypelate generis est, præcipue eum eo quod vlceratum a lest, ab erisypelate tamen humoris tenuitate differt, humor etenim herpetem constituens, ita extremè tenuis est, vt non solum interiores particulas carnosa substantia præditas, sed etiam ipsam cuticulam pertranseat, proinde inibi immorando ipsam solum erodit, atque exedit, ideoque serpens quia serpit, appellatur, vt Magister 2.*meth. cap.2.* & ab Auicenna formica nuncupatur, sicque si humor biliosus præter naturam tenuior, mordaciorque vi calidi atis intensæ reddatur, herpes exedens, ac formica corrosiua, quia assiduè serpit, fit. Vnde eo quod alter biliosus succus alio tenuior, seu crassior fit, diuersas vlcerum differentias efficit, nam, qui crassior, cum in exitu diutius retardetur, fit, profundiora quam qui tenuior, eo quod minus immoratur vlcera progignit, vt in cancro vlcerato liquet.

TEXTVS

Quorum omnium communis curatio, &c.

202. TAm de vna, quam de alia herpetis differentia communis curatio in humoris fluxum inhibendum, & mox vlcus curandum dirigitur, propria tamen horum affectuum species, primo ex membri laborantis natura, secundo ex specie, & humoris morbifici quantitate desumitur, sicque qui tenuissimus extiterit herpetem exulceratum, qui verò crassissimus proprie cancrum, qui tandem extremam crassitudinem fortitur, vlcera phagedenica progignet.

TEXTVS.

Itaque si quis toto prius corpore, &c.

203. QVibus præhabitis, vt regularis indicatio in herpetis curatione floreseat, Magister eruditione plenus monet, quod si prius Medicus de vniuerso corpore optime purgato prouidentiam obtinuerit, deincepsque auxiliis, quæ tum humorum fluxum reprimant eorumque regenerationem inhibeant, vtatur, herpetem artificiosè, ac dogmaticè soluet; si verò horum neutrum effecerit, solumque medicamenta cicatricem inducentia apposuerit, cuticulam quidem exulceratam, quamuis sanet, proximæ tamen illi quominus exulceretur non consuluerit, postea verò illa simul cicatrice inclusa ipsi immediate exulceretur: quare donec humor à quo noscitur affectus euacuatus sit, longo semper tempore serpit.

TEXTVS.

Etenim Romæ Mulier quadam, &c.

204. IN prædictæ confirmationem doctrinæ quandam Gal. historiam de illustri Romana ostendit, ista etenim cum herpetem in malleolo pateretur primo medicamentum algam in se continens parti laboranti adhibuit, medio quo cum statim cicatrix induceretur, summa cutis illi proxima excoriata fuit, quemadmodum ex desquammatis, & cum vlterius ipsi particulæ superpositum medicamentum esset, denuo, quæ illi continua erat exulcerata fuit reddita, & ita hoc assiduè progressum fuit, donec ad genus vsque exulceratio accederet, cum interim ægra potius, quamcumque noxam, quam pharmacum bilem purgans sustinere parata sit, propterea iam ad bubones vsque affectus peruenerat: qua ratione ipsi necessitate iam conuicta se lactis serum sumptorum protulit, moxque Gal. minimum scamoniæ furtim in eo immittens prædictam mulierem feliciter expurgauit, ac in salubrem statum reduxit.

TEXTVS.

Vacuabis namque, &c.

205. PErpensa Romanæ experientia doctrinam semper, vt celeberrimam insequendam inquiens iubet, quod prius redondantem humorem aliquando pharmaco flauam bilem, aliquando nigram purgante, & tandem aliquando illo, quod mixta facultate polleat, euacuare oportet, in alia quidem herpetis specie, quem pro similitudine, quam cum millio continet milliarem omnes appellant, non protinus vlcus veluti in exedente, sed exiguæ pustulæ, ad millij speciem, quæ tempore interposito in vlcus degenerant, fiunt, in qua affectione, pituitæ aliquid cum bile concurrit atque aliqua vlcera, citra vehemens humorum vitium pluries fieri solent quæ non difficulter medicamentis repellentibus simulque digerentibus soluuntur in generatione autem vlceris, vt primaria, & præstantiora quæ semper repellunt præscribenda sunt, vbi tamen in afflictam partem humor amplius non confluit digerentia prosunt, quamquam enim mediis repellentibus exigua succi vitiosi copia ad viscera, magnasque venas remeet, nullum sensibile nocumentum eueniet, si verò non leuis eius quantitas sit, in aliquod princeps membrum ita decumbere valebit, vt magna noxa subsequatur,

equatur, prius igitur totum pro naturæ viribus corpus, per deiectionem, lotium, vel cutim vniuersam euacuandum erit, cumque humorum crassities, seu tenuitas, aptiorem, ineptioremve dispositionem expurgandi pariat, propterea bilis, quia tenuis facile, pituita quia crassa non ita, nigra verò bilis eo quod crassior difficillime, expurgatur: qua ratione pharmaci purgantis efficaciori vi eget, quia verò herpeti causa tenuis humor est, aluum leniter soluere, vel vrinas modice citare sat erit.

TEXTVS.

Romæ quidam excogitauit, &c.

206. A Crocordonas, myrmecias, oculorum telam, arenulas, sextum digitum, & alia partium genera in numero superfluitantia quomodo adimenda, veluti quæ deficientia sunt in genere carnoso reficienda, quemadmodum in esse, saltim pro eo quod durum substantificum adgenerandum sit, Magister exponit, ita vt aliquando venas regeneratas ipse vidisset quamuis aliquando eas ad instaurationem deuenire non potuisse, fuisse expertus

Textualis expositio.

207. LIcet genericè herpes *tumor sit, seu inflammatio pustulosa, cum pruritu, & rubedine partem in quam serpit exulcerans*, sub ratione tamen qua diuersimode causa operando lædit, dupliciter ex Magistro intelligitur, prima etenim illius species herpes exedens seu depascens, aut sthyomenos à Græcis, seu ænunc nuncupatur, alia vero milliaris herpes, eo quod parulæ pustulæ millio similes fiunt appellatur, quare ersi causa eorum, biliosus, sincerus, & ardentissimus humor sit, qui paulatim siue vlla que impetuosa fluxione, præ summa tenuitate, ex venis per carnosas partes, vsque quo deusiorem cutim attingat, expurgatus transfertur, inibique detentus, ac decumbens ipsam cutim exurit, & aliquando dum non extreme tenuis, nec mordax est, pustulas millio similes efficit, præsertim, quia cum aliqua pituitæ portione est commixtus, & milliaris dicitur, quando verò acrior, magis sincerus, crassiorque vi summæ caliditatis inualescit, potius herpetem exedentem efficit, quia valde proximam cutim erodit ritu que serpentis particulas vicinas depascitur.

208. Quoniam igitur herpes cum Erisypelate vlcerato non exiguam homonymiam obtinet, proinde Magister discrimen adnotandum inter ambo profert nam Erysipelas manifesta fluxione confestim facta apparet, & cum vlceratum est, multam humiditatem purulentam saniosamque emittat, io eo dolor, & ardor viget, semper febrem comitem, quæ breuiter solet solui, obtinet: hic etiam affectus à bile naturali, atque tenuiori fit, herpes verò omnia contraria secum portat; nam non impetuosa fluxione, seu sensibili, sed sensim diuturnoque tempore emergit, ac illius pustulæ, potius siccæ, quam humidæ sunt, proinde in earum ruptione exigua, vel nulla materia exit, potius cum pruritu vellicat, in eo febris non adest, ac necessario curatio est longinqua, eo quod illius causa non bilis naturalis, vt Erysipelatis, sed præter naturam, ac tenuior, mordacior, malignior que adest, quare herpes exedens penes maligniorem, aut benigniorem bilis naturam periculosam magis, aut minus ratione vlcerum cacoëthia inductarum terminationem obtinet: vt Magister 4. meth. sic ait: *quæcumque vero vlcera exedunt ea tum cacoëthe sunt tum malorum succorum soboles.* Cornelius similiter Celsus lib. 5. c. 28. sic fatur: *Omnis sacer ignis siue herpes vt minimum periculum habet, ex iis quæ serpunt sic prope difficillime tollitur, præsertim quando iecoris intemperies adest, quæ difficultatem auget.* Ex qua doctrina, non solum solutionis huiusmodi affectus difficultas à causæ morbificæ natura, verum ab origine partis, præcipue affectæ, qualis est hepar, peodet: si enim hepar, quod primum humorum generans est intemperie calida & sicca habituali laboret, eo quod in totum peruersa illius temperatura, totusque illius per essentiam amissus sit, difficillime succorum generatio emendabitur ac proinde permanente causa generante atque conseruante, diutius herpes inualescet.

209. Curationem tamen Magister dogmaticam quæ indicationibus selectioribus polleat, nobis ostendit, si enim Medicus purgandæ totius corporis cacochymiæ, ac humorum fluentium reuulsionis efficiendæ, simulque ipsorum denuo generationem inhibendi prouidentiam præstet, artificio miro herpetem profligabit, vnde quamuis Gal. hæc tantum proferat facile, ex dictis aliæ particulares indicationes à parte affecta desumptæ facile cuique innotescent, euacuatio videlicet materiæ contentæ, atque impactæ, in parte, ac simul vlceris iam facti curatio.

210. Propterea quamquam de sang. missione Magister, nec verbum protulit, præcisè ipsam, inspecto corporis habitu ægrotantis non tenuit, si etenim plethoricus sit, necessario excercenda est, & quamquam aliquando non sit, reuulsionis, euentilationis, & refrigerationis causa, hoc subsidium, non parui faciendum est, sicque inspecto succorum recessu, & partium laborantium habitudine, diuersus indicandi respectus elucet: humores etenim, vt multi euacuationem, vt fluentes reuulsionem, vt calidi attemperationem, vt tenues moderatam incrassationem, vt cacochymi mutationem, ac expurgationem, vt maligni per pharmaca correctionem, ac malignitatis interitum indicant, partes verò laborantes, tam mittentes, quàm recipientes, eo quod summa habitualitate sunt languidæ, attemperationem, corroborationemque desiderant. Quare in herpete ait Gal. homores fluentes sunt reprimendi, illorum generatio est inhibenda, & geniti sunt, purgandi, vt inde Medicus materiam iam in parte receptam sensibiliter, vel per transpirationem euacuando vlcus curare valeamus, & quamuis suprà in herpete fluxionem bilis non dari, & sed paulatim ipsam emergere dictum sit, è contra

verò

verò in erysipelate hoc non tollit fluxionem reprimendam esse, nam etsi fluxio impetuosa non sit, vt in Erysipelate, est tamen quamquam paulatina, sic quæ iam succus ab internis ad externas particulas pellitur, præterea, quia etsi nulla in principio fluxio perpenderetur, sed quasi per congestionem succorum ad habitum translatio fieret proritus tamen, atque caliditas intensa in parte affecta sufficerent, vt laborans pars recipiens, extreme à succo contento vitioso vellicata impetuosam fluxionem suscitaret, sicque merito præ quacumque ratione dicta semper humores primo sunt reuellendi; secundo sunt purgandi; tertio ipsorum noua generatio inhibenda, quarto portio in parte mandata recepta est euacuanda, vt tandem vlcus vltimam curationem sine vllo impediente libere permittat. Non ergo immerito Magister historiam prædictæ in textu Romanæ attulit, cum absque vlla euacuatione vniuersi corporis remedia localia, præsertim repercussiua parti affectæ recipienti apponeretur doctrina apud Magistrum toties repetita & inter omnes omni memorata dignasit.



CAPVT XVIII.

De alopecia, ophiasi, & caluitie curandis.

TEXTVS.

At si digitus, &c.

211. 
QVAMVIS in capitis initio digiti, & præputii defectum prorsus Magister curationem obnegare annuat, tamen iis, quę in naso vel aure, vel labio decurtata sunt, licet non refici aliqua propter decurtem subsidia paranda sunt vt si vtrimque cutim diuisam mox in vnum redactam, agglutinare possimus contraria verò ratio circa atheromata, steatomata, melicerides, calculos in pulmonibus, atque in articulis genitos similesque affectus militat.

TEXTVS.

Contra sit in Alopecia, &c.

212. VT igitur alopecia, ophiasis, & caluities in quibus deperditio particulæ quæ vtilis fuerat datur, curentur, naturæ motu non impeditos, sed potius liberos reddere oportet, quare cum in pilorum amissione, ipsorum generatio, & in vlceribus sinuosis carnis generatio naturæ opus sit, proinde ita ipsius operationi est fauendum, vt omnia impedienria legitime auferantur, & cum in lib. naturalibus satis constet substantiam limosam, quæ ex succis per cutim transpirat, tam generationis, quam incrementi pilorum materialem causam esse, propterea huiuscemodi substantia, quoties vel omnimode deficit, vel valde vitiosa reddita est, toties pili corrumpuntur, eorumque generatio perit, veluti etenim plantæ vel quia succo ipsas nutriente destitutæ sunt, vel quia ipso ad nutritionem inepto fruuntur, corrumpuntur eadem in pilorum generatione seruata ratione, succo ad pilos alendos deperdito necessario caluit es euenit, sicque ex naturali tum eorum generatione tum mutatione causa morbifica propter quam illi pereant, elucescet, tandemque vera curationis ratio vigebit, vnde vel aliud quodlibet vitium, vel simul cum eo vlcus reperiretur; in cuius curationem vt venias, quod prior indicatio fluentem humorem inhibendi, posterior verò fluxum iam locumque affectum occupantem digerendi sit adinuenies. Quare quemadmodum in vlceribus supradictis purgatio vitiosi succi commonita fuit, non aliter in pilorum decidentia, primò ab ea indicatione inchoanda est, dummodo cutis colorem, ex quo pili corrupti innotescunt, cernas, si enim albidior quam pro statu naturali color adsit, pituita, si pallidior, bilis, si nigrior, atra bilis purganda est, quòd vt tectius exequamur, victus rationem ad vnamquamque horum succorum, speciem gignendam aptam scernere debemus. cumque iam corpus complete purum; ac mundum purgatione facta, extiterit, mox peculiarem succum in cute contentum Magister digerendum iubet; ne tamen calidis acribusque medicamentis cutis vlceribus corripiatur cauendum erit, ea similiter, quæ valenter exsiccent, ne simul cum humore peccante, materia vtilis pro ipsorum ortu absumatur, vt in caluitie contingit reuenda sunt; non immemerito Magister hæc ita perpendens medicamentis alopeciam soluentibus exiguum tapsiæ admiscuit, & cum laborantis naturam, quomodo affecta esset, inspiceret statim ac eam tumefactam, scoriatamque videbat, illo protinus die, à dicti medicamenti vsu, particulam affectam anseris, seu galli seuo liquato illiniens abstinebat; si verò nulla partis nouitas appareret, præcedenti medicamento vtebatur, & vt altè dimitteretur, etiam cutim prius linteo vsque quo manifestè rubra reddebatur infricabar, neutiquam balnei vsum obnegans, quam doctrinam similiter in quibus pilorum decidentia ex ciliis insequendam esse annuit.

Nonnulla in Textus expositionem vtiliora seliguntur.

213. QVamvis communiter alopecia defluuiũ pilorum inæquale, factum sit, quemadmodum vulpibus euenit, sicuti ophiasis illorum defluuium in serpentium speciem, ita vt serpentis more serpat, sit, & ab occipitio incipiat, latitudinem tamen duorum digitorum non excedat, nomenclatura verò alopeciæ apud aliquos ex virtute vrinæ vulpium desumitur, eo quod ipsarum vrina herbas media aridirate marcescere cogit, ac nouas seu recenter prosilientes subcrescere vetat, sicut etenim caluitium ex materiæ pilorum, quæ limosa substantia ex succis per cutim transpirans à Magistro vocatur defectu, siue inopia, aut ex cutis affectu oritur, ita alopecia ex materiæ prædictæ corruptela, sicut plantæ, quæ humoris inopia, aut succi confluentis iniqua, fædaque, colluuie contabescunt, nascitur, interdum iniqua capitis materia, non à toto corpore, sed peculiari aliqua parte vt à deprauata ventriculi coctione à liene-ve infarctu obsesso, mouetur, vel in ipso capite præ lãgore iam habituali plurimis doloribus aut vulneribus contracto congeritur: vnde semper fuliginum, cutisque corruptelas cacochymiam insequitur, ista non raro ex mali succi cibis ortum ducit, proinde Magister quemdam iuuenem ex fungorum esu alopecia fœdatum fuisse refert, aliquando etiam ex aliqua euacuatione suppressa, qualis mẽstrualis vel hemorroïdalis statis periodis assuets erat, succi vniuersi corporis fœdantur, vt Hippoc. 6. *aphor. sent.* 34. annuit, cum varices euanescunt, quas excipiunt pili cadunt, metastasi abreptis succis in caput, varicibus recrudescentibus redeunt pili ob diadosim materiæ morbificæ à capite ad crura. & merito huiuscemodi doctrina æstimanda est, eo quod succi prædicti vitiosi translati ex capite in inferiora, pilorum radices exedere, atque glutinosam fuliginem, ac foraminibus cutis adhærentem exsiccare, & absumere, vt in summa pellicula pili extenuentur, demumque decidant, iam non possunt, cum horum vitiorum causa dum antea extiterant, indicarentur; Sed qui ex inopia alimenti, quique ex humorum corruptela capilli decidant facilè coniicies, si enim corpus non bene nutriatur, vt in pthisi, atrophia, & conualescentibus experimur, potius ex alimenti defectu, vt Hipp. 15. *aphor. text.* 11. ait, indica, si tamen, ex succorum corruptela pilorum casus eueniat, ex vita anteacta laborantis natura, & anni constitutione patefiet, quæ similiter succi species pilorum radices erodentis sit, ex cutis colore innotescet, cum aliquibus albidior, aliquibus nigrior, aut pallidior, aliquibus demum rubra, habita ratione ad humoris prædominium videatur, its vt si variegata sit, varios succos vigere significet.

114. Licet tamen horum affectuum communiter loquendo curationem ostendam, ne tamen frustra operationẽ perpendas, remediaq; inutiliter adhibeas prius qui facile, qui ægre, vel nullo modo morbi sanari valeant expedit animaduertere, inueterata etenim alopecia ægre soluitur, in nouacula secundum Actuarium priùs debent pili tundi, & partem actam linteo nec summe molli, nec aspero fricare oportet, etsi frictionibus paucis factis pars erubescat, affectus mediocrem solutionis spem; si vero post multas difficillimam promittet, si tandem colorem vt in cicatricibus non mutat, morbiferum vitium iam deploratum est, nec proinde iudices caluitiem, alopeciam nec ophiasim morbos esse, etiam si Magister pilos inter partes viuentes corporis, quasi lato modo enumerasset, simulque in textu ipsos ex alimenti defectu, aut praua fœdatione correpti perire, eo quod non nutriuntur, annuisset: nam rigorose loquendo pili non viuunt, nec propriè, & per intus-sumptionem, veluti veræ corporis partes in omnem dimensionem, ac substantialiter aluntur, sique etsi interitus pilorum apud Magistrum appelletur, latiori modo loquendi ita fatur: proinde cum propriam in corpore circunscriptionem obtineant, & per se consistere possint, eos inter partes 2. *de temp.* numerauit, & in textu ad morbos, in numero deficiente adduxit; quia tamen morbus affectus præter naturam immediate lædens actiones est, & pilorum interitus nullam per se actionem lædat, propterea huiuscemodi vitium morbus non erit. Sicque pilorum decidentia, casus, siue effluuium potius ad symptoma in excretis: nam illud quod retineri debebat effluit, hoc tamen symptoma, in excretis, vel actionem læsam facultatis expultricis irritæ ab acredine succi ad cutim capitis peruenientis, vel facultatis retentricis languidæ ob humidam intemperiem, vel affectum corporis, qualis raritas, vel densitas cutis immodica est, sequitur, & qualibet ex iis modificationibus necessario sequitur morbum, à quo pilorum interitus, & effluuium nascitur, vnde penes diuersam morborum, causarumque speciem diuersificandæ curatiuæ indicationes sunt, quapropter caluities morbosa diuersimodè, ac alopecia, & ophiasis curanda est. Dixi morbosa cum duplex caluities adsit, vna enim decursu ætatum eueniens, quæ in sincipite tantum præ cutis duritie, ac siccitate oritur; non quidem ob alimenti defectum, vt Argentetius inquit: nam in caluitie naturali, præcise non alimentum, neque terreum excrementum, quale est fuligo capillorum materia deficit, sed potius quia ob cutis densitatem eius porositates penetrare non valet, quæ caluities apud omnes immedicabilis est nec de hac Magister fatur, sed de alia, quæ etiam in morbis iuuenum, mulieribus præsertim ex cutis raritate, ac alimenti defectu eueniat; ista etenim caluities manifeste à naturali dissidet: nam ætatiua sensim, eo quod sensim cutis densatur, fit, quæ vero morbosa est, affatim, ac subito apparet.

215. Cum igitur pili caput non solum ornent, verum corpora ab iniuriis muniant, proinde restituendi sunt, sieque in pilorum defluuio, quod simpliciter caluitium est, finis alimenti ad partem attrahendi, vt ea nutrita excrementis ad pilorum generationem aptis abundet, aderit, simulque cutem ad mediocrem densitatem eam roborando reducere, oportet quod medicamentis calefacientibus ac modice

astringentibus

astringentibus fiet, & quamuis nec cutis raritas, nec alimenti defectus euacuationem per venæ sectionem aut expurgationem ex se indicent, si tamen venarum vitium aliquod quoad sanguinem in quanto vel in motu peccantem, vel quo ad reliquos humores cacochymia correptos adsit, tum sanguinis missio, tum purgatio exercenda erit inspecta potius species morbificæ causæ; quam affectus morbiferi natura.

216. Reliqui verò affectus, quales alopecia, & ophiasis nuncupamur, cum ex diuersa morbifera causa oriri valeant, diuersa subsidia exposcunt, vel etenim illa materia iniqua, putrida, ac maxime fæda, quæ in capite inuenitur, ex toto corpore suppressis mensibus, vel hemorrhoidibus, aut ex liene, hepate ne obsesso nascitur, aut vi languoris cerebri præ inueteratis doloribus trahitur, siue tandem in eo congeritur, quocumque quidem modo capiti, congestione, fluxione, præcedentiue aliqua imperfecta crisi adhæreat, venæ sectio proficua est, cautione tamen, ita præmisa, vt eo parcius quo longius à sanguinis natura succus morbiferus discedat euacuatio fiat, & quanquam alopeciam, ac ophiasim morbos magnos quibus remedia magna, vt sanguinis missio, & purgatio debentur, non esse asseras, sicque huiuscemodi auxilia neutiquam exequenda esse. Respondeo imminentiam futuri morbi magni exiguam non esse, præsertim cum inhibita praua illa materia validis remediis capiti adhibenda sit, eo quod virtute æstuantium remediorum, quæ capiti admouentur dolores suscitati, immodicè sanguinem in partem affectam attripere, deliria, grauioraque symtomata gignendo, possunt; quare si hepar morbi origo videatur cubiti dextri, si lien, aut in sinistra parte affectus consederit, sinistri brachij vena media tundatur, & cum iam vniuersalis corporis plenitudo deposita sit, ad cephalicam, mox verò ad frontis venam deueniendum expedit, si tandem prædicta vitia, à mensium, hemorrhoidarumue suppressarum iniuria, vel a varicibus ortum trahant, malleoli pedis vena secetur, vt tandem ad peculiares supernasque dictas cephalicam, & frontis accedat, quod si corpus exigua spirituum copia præ humorum pinguium habitu, ac pituitæ dominio vigeat, potius venæ sectionis loco cucurbitæ scarificandæ sunt, ne corpus immodicè infrigideiur, ac viscera spirituum dispendio contabescant. Post igitur iam vniuersi corporis euacuationem in contumaci alopecia, Aëtius atque Auicenna cutis capitis scarificationem, vt fæda materia elidatur fieri iubent, neutiquam tamen medio scalpello cutis exasperanda est, ne præ cicatricibus sequutis capillorum exitus impediatur, sicque solam quotidie capitia cutis est radenda, vt paulatim summa cuticula exscindatur, ac radices pilorum aperiantur, interea quidem totum corpus, habita ratione ad cacochymiæ speciem, purgandum est, vt tandem ad indicationem à causa particulari, materia nimirum in capite recepta desumptam deueniamus, cui fini adimplendo topica ipsam digerentia, ac discutientia sunt apponenda, vt parti affectæ temperie naturali acquisita, pilorum alimonia ministretur, quod si laudabilis sanguis vt cutis nutriatur, attrahatur felicitet eueniet; hoc etenim vsu calidorum efficiendum est, nec vt caleant sufficit, sed vt valide agant, est necesse, nec tamen ita intense, vt præ summo calore cutis valde æstuet, sicque mediocri elementiorique virtute agendum erit, & a mediocribus ad validiora subsidia percurrendum est, ac remedium est reiterandum cutim inspiciendo: nam si leniter immutata apparuerit ipsis prosequendum, si non ad validiora succedendum, obseruandum; tamen est, quod tam validissime aperientia, quam adstringentia nocua sunt, quemadmodum enim ista nutrimentum repellendo, suturasque cerebri, quibus fuligo semper exhauritur, claudendo capitis dolorem fluxionesque catarrhales exhibent, ita illa quæ supra modum rarefaciunt, prædictum nutrimentum exhauriunt, ac radicalem cum parte connexionem impediunt, propterea in prædictorum remediorum vsu, dum nondum virium inueteratum adest, remediis imbecillioribus, ac suauioribus, eo quod leuius adhuc vitium est vti oportet, veluti etiam, cum à bile affectus nascitur, ac in tenellulis naturis vt puerulorum, mulierumque resolubilium, eo quod media remedij calida, & sicca virtute vitiua semel humido partis absumpto huiuscemodi affectus immedicabilis redditur, & exulceratur, propterea Magister in textu mera tapsia recenti non vtitur, & Actuarius ait, quòd si tapsia calidior fuerit, quàm passio flagitat sola non apponatur, ne phlegmonosi tumores subsequantur, ob quam rationem semper validiora medicamenta oleo rosaceo permiscet, quia tamen plurimi inspecto partis vitio, solum localia memorando, ipsi absque prohibentis, notatione vniuersalis succorum cacochymiæ expurgandæ apponunt, operam ludunt, cum antecedentem causam proximamque non semoueant, ista quidem potius per apophlegmatismata prolectabitur, præsertim pituitosus succus, qui vehementius cerebro adhærere solet, quamquam reliqui eandem sibi indicationem per palatum euacuatiuam surripiant, quæ tamen remedia, specifica, atque indiuidualia topica sint seligenda, non exquisite ad institutum pertinent, cum methodus Gal. potius vniuersaliter se habeat, quibus non obstantibus inter speciosiora capillos regenerantia ladanum ante Hipp. æuum notabilitatum capillari virtute floret, eo quod, vt inquit Aëtius strictione capillos defluos retinet, & cum etiam tenuium sit partium, mediocriter mollit, discutit, coquit, ac succos ad pilorum radices congestos tenuat, & meatus quibus impacti erant cogit, idem Magister confirmat.

217. Marcellus Empiricus, quod iis, qui barba glabri sunt, sine dubio nascentur ait, si lichenem asini comburamus, & pulueremex oleo veteri imponamus, sic etenim alloquitur; hoc ita validum est vt si mulieri inde maxillas vnxeris barbam ei nasci facias, alia innumera, quolibet in auctore adinuenies, ac in doctissimo Zacuto in sua praxi historiarum *lib.* 1. *fol.* 239. obseruationem satis probabilem perleges.



CAPVT XIX.

Quomodo Ascarides, & Elminthes curentur.

218. INITIO quidem præsentis cap. Magister curationem hypochimatis, seu hypopiorum quod idem est, ae oculi purulenti, aggrediens potius digerentibus, quam aliis exteqeodam esse commonet, ita vt pus intus sub cornea tunica appareat, in cuius euacuationem ageodam quemdam Medicom sua ætate ocularium, cui nomen Iusto aderat, reperisse ait; qui quidem capitis concussione facta plurimos sanauit taliter, vt ægro recte in sella collocato, caput illius vtrimque à lateribus apprehendens, mox qoateret, adeo vt pus infra corneam descendere videretur, & qoia propter substantiæ graoitatem deorsum pus solet manere proinde cullyriis mirrham in se habentibus digerere oporret, plurimum enim puris euacuatur, si tunica cornea paolo supra locum, quo vniuersæ tunicæ inter se committuntur, quem eoronam, atque iridem vocant, scindatur hoc simiiliter vitium tribus modis adimi valet; primò duntaxat chirurgia, quæ simol totum, aut plurimom puris expellit; secundu per medicamenta paulatim extrahentia: tertio tandem per modum quo in aliom locum ignobiliorem pus transferatur, vt de capitis concussione supra dictum manet.

TEXTVS.

Sunt profecto, vt dixi, &c

219. CVm inter alia, quæ à tota sobstantia præter naturam sunt, ascarides, & elmiothes siue teretes sint, aut etiam latæ adinueniantur, eas protsus indicatio expellendi adest, quæ verò vt facilius expellantur amaris medicamentis enecari debent, eo quòd dum viount intestiois adhærentes expulsiuni obsistunt; emortuæ tamen vnà cum fæcibus excernuntur, teretes qoidem absinthium propriè enecat, latæ verò vehementiora medicamina, vt allia efflagitant, de cupia tamen medicamentorum præsentis instituti non est.

Textualis expositio.

220. Prima cum textus pars de purulentæ oculorum sobstantiæ extrahendæ modis satis pateat, propterea secunda de lumbricorum generatione, ac interitu agendum offertur, veluti, ergo voiuerso in mundo plurima animalcula, nun ex materia seminali, sed potius vi putredinis generationem sortiuntur, nou aliter in particulari paruoque mundo, qualis est humo, paruula quædam animalia gignuntur, quæ potios præ putredine materialis causæ, quam seminis apparatu fiunt, & quia humiditas solum passiue aut subiectiuè se habet, proinde oisi calor omnino materiam tanquam efficiens causa superet, vermium generatio non fiet vt Magister aph. 3. sent. 26. sic alloquens commonstrat; *Lumbrici verò, atque ascarides videntur aliis animalibus proportionaliter gigni, qua non ex seminibus, sed ex putredine habent generationem, sola enim putredo non est ad hac generanda sufficiens, sed & calore plurimo indiget.* Vnde etsi humor pituitosus putrefactus siue in ventriculo, vel intestinis coacervatus adsit, absque eo quod calor præter naturam in prædicto succo excitatus, & vehemens inueniatur, talis generatio non fiet, vt Gal. 3. de locis affectis comm. 23. ait, & quamqoam calôr præter naturam corrumpensque dicatur respectu nostri, habita tamen natura ad exigentiam formæ viuentis animalis dumtaxat, quod generatur ex tali materia putredinali; naturalissimus, ac moderatus noncupabitur, etsi tamen lumbrici, variis in corporis partibus, vt in ventriculo, renibus, vesica, & vtero generari possint, qui frequentius in intestinis hoc accidit, proinde Magister eos in iotestinis produci annuit, falluntur verò, qui vermes in dentium radiocibus gigni proferunt, cum ex neruo ibi implantato decipiantur, & quamquam Magister in comm. sent. 26. 3. aphor. omnes lombricorum differentias attulit *Hip. in sent. lates reliquis; lib. tamen 4. de morb.* ioxta finem eos sic alloqueos adduxit, *hos in puerulis intra matris vterum adhuc existentibus, veluti, & teretes produci*, vnde tres ipsorum species cum Gal. in prædicto comm. & in nostru textu fateri debemus, primi etenim teretes aut rotundi ratione figuræ nuncupantur, qui cum in intestinis generentur, aliquaodo in ventriculum ascendendo, humoresque agitando varia symptomata pariunt; secundi verò lumbrici cucurbitini, præ similitudine cum semine cucurbitæ appellantur, tertij tandem ascarides nominantur, ac In recto intestino, vermibus in iumentorum stercore & caseo natis affines gigni solent, ibique vehementissimos pruritus exhibent.

221. Notandum quidem est, quod lumbrici cucurbitini, etiam pro iis qui lati dicuotur sumi debent, etsi racius alij, qui lati appellantur, ab eis penes longitudinem majorem differant, ij nimirum, ita magni, longiqoe solent esse, vt eandem intestinorum figuram obtineant, proinde tineæ, seu fasciæ appellantur, quos plurimi ex ioterna intestinorum membrana animata, in vermemque mutata gigni malè asseuerant, nam si interna intestinorum tunica animaretur, hoc potius ex ingenti putredine fieret, quod maxime implicat cum viuente animali, tam vehemens vlcus in intestinis, & præsertim sine febre excitari sit impossibile: quare etsi Paulus & Aëtius intestinorum pelliculas in vermes verti asserant, hoc qoidem tantum per metaphoram eapiendom est: nam propter duas membranas, ex quibus intestina constantur, vt intestina ab acredine biliosorum excrementorum fœcalium muniantur, quædam alia substantia adiposa, siue pinguis & lenta, vt calori æstuanti ex motu obsistere possit, reperitur, quam per intestina fusam. Paulus, atque Aëtius quasi membranam nominarunt, eamque præ putredine in latum lumbricum degenerare non implicat; & vt

Auic.

Auic. ex crudo mucilaginosoque humore ad tuenda ipsa intestina ipsis à natura condonata, ab stercoris asperitate lubricos hujuscemodi gigni sic alloquens commonstrat. 16. 3. tract. 5. cap. 2. *Latum progigni ex ipsis viscositatibus fixis in superficie intestinorum, quas comprehendit panniculus mucosus velans eas quasi ipsi generentur ex eo, & in ipso putrefiant.* Et quamquam in omni ætate sufficiens materia pro lumbricorum generatione inueniri possit, non æquè efficiens causa ætatibus conueniet: nam etsi in infantibus excrementa putredinem concipiant calor tamen ipsorum nimia humiditate, quasi ligatus & obtusus, quamvis ad putrefaciendum non ad animalia procreandum sufficiet, in pueris vero, atque adolescentibus, neque materiæ apparatus, neque caloris intensio, atque robur deerit, præ languore vero senilis caloris materialis causa ad ipsos gignendos superuacanea permanet, cujus doctrinæ satis Magister in comm. 26. 3. aph. sic ostendit. *Cibus autem puerulis plerumque corrumpitur in ventre & præcipuè in inferiore: verùm caliditas in valde tenellis nondum materiam obtinet, in adultioribus autem & materia idonea est, ad animalium talium generationem, & præterea caliditas accessit.* Cujus doctrinæ ratio simili modo ad senilem ætatem debet propagari, sed quam pravè Auic. sentiat, cum propter corporis purgationem hujuscemodi animalia gigni asserat nulli dubium erit, fallitur enim dum ait, quod veluti in magno mundo vermes ex potredine gigni cum es purgantes, quam ipsam putredinem permanere melius est, ita pariter in homine prędicta animalia ex putredine generari opportunius erit, ne vapores ex materia fœda, atque putrida subleuati capiti, & cordi nocumentum exhibeant, quasi ex ipsis vermibus innumerabilia, vt epilepsia, conuulsiones, delirium, febris, alui fluxus, cordis tremores, fames canina ac similia symptomata atrocissima non oriantur, sicque neutiquam pro corporis vniuersi expurgandi fine, neque vllo commodo generari à natura possunt, imò genitos interficere potius, quàm eos relinquere oportebit, cum semper vt signum, & causa, talis generatio reprobanda sit, vlterius, quia quis faciliorem excrementorum intestinis adstantium per inferna expurgationem esse obnegabit, quam, vt corpos mundum seruetur ipsorum vermium generationem commodiorem asseuerabit? sed quæ vermium species periculosior censenda sit non inquiras, eo quod facile si ipsorũ in magnitudine, atque parte affecta vbi generantur discrimen perpendas, latos, quia maiores deteriores esse, ascarides eo quod minores & à præcipuis partibus remotiores faciles ad exitum cum vnà cum fæcibus expellantur, ac remedium interficiens ad eos facile perueniat, cognosces, tandemque teretes, quia medio modo se habent in formatione, robore, & parte affecta vbi adsunt medium locum sortiri animaduertes.

212. Solent quidem diuersis in temporibus morbi, lumbrici à natura expelli, & quemadmodum in morborum principiis, excrementorum enacuationes symptomaticæ, ac suspiciosæ, morbo verò in iudicationem eunte idoneæ sunt, sic, lumbrici vt commodius à natura pelli iudicemus, potius in declinatione morbi, quam in principio excerni debent, vt Hipp. l. 2. progn. 18. sic alloquitur. *Ac lumbricos quoque teretes eunte in iudicationem morbo, descendere vnà cum deiectione idoneum est.* Proinde licet vermes non concoquantur nulla enim capacitas adest, quia tamen excrementa quæ cum illis excernuntur, & ex quibus gignuntur, atque aluntur, concocta esse oportet, si ante talem coctionem morbo existente crudo, hujusceemodi vermes ejiciantur, rationem symptomatis obtinent ac prauam dispositionem corporis commonstrant, eo quod ingentem putredinem, caloremque extraneum valde intensum ostendunt; quare semper morbo in iudicium properante, quando natura causam morbificam deuictam expellere intendit, illos excerni opportunius erit, vt Aëtius tetrab. 3. ser. 1. cap. 39. Sic fatur: *Lumbrici, in febribus, & absque febribus fiunt, magnitudine, colore, & tempore inuicem differentes, circa enim morbi principia geniti subsistentiam, ex subiecta recipiunt corruptione; circa consistendi vigorem ex morbi magnitudine, circa declinationem, ex transmutatione ad melius, qui & celeriter excernuntur, natura eos ad exteriora, non secus ac cætera excrementa propellente.* Et superaddit Aëtius, quod rubri albis, & viuentes mortuis, veluti majoresque minoribus, ac multos paucis semper deteriores esse.

213. Cum igitur nullum venenum tam præsentaneum in corpore humano genitum nec semen corruptum, ac potridum, quam lumbrici sint, eo quod epilepsiam apoplexiam, aphoniam, stuporem cordis salmm exhibent, quandoque ilia perforare solent, propterea statim antequam ægros interficiant, eos enecandos esse amatis Magister in textu iubet, animaduertendum tamen est, quod si laborantes febre correpti sint, non exiguum ipsis ex medicamentis amaris nocumentum, quia febris valde augescet, subsequetur. Magister etenim 8. *meth. cap.* 4. hac eadem perpensione facta pro febre diaria soluenda iridem, atque apium, quia sunt plus calidiora, reprobat, sicque multo melius vigente maligna febre, in qua vini, in initio, magno cum impetu erumpunt, ex medicamentis amaris, qualia absinthium, aloen, allium, & similia sunt intensior febris, ac viscerum phlogosis, aut inflammatio eueniet, proinde illo in casu indicatio à febre desumpta dignior, quam quæ à lumbricis desumitur, aderit, præsertim, cum remediis acetosis, atque acidis, quæ simul febrem sedare, vermesque interficere valeant, vt acidum citri, limonum, tamarindi, ac alia materiam pituitosam incidentia, nobis vti liceat, mitiora igitur, præsente febre, pro enecandis vermibus præsidia erunt offerenda.

214. Quod si nullus ratione febris (cum non adsit) metus sit, quodlibet lumbricorum genus ipsos prius enecando extra corpus expellendum est, & merito illis prius necem exhibendo, vt Magister in text. ait, si enim vita gaudeant ipsis intestinorum parietibus adhærentes purgantibus, quomodolibet obsistunt, ac excerni libere nequeunt, propterea amara pro illorum interitu, vt absinthium, hiera, & similia collaudantur; hiera etenim à Tralliano prolata ventriculi erosionem, ac dolorem capitis compescit, succos-

que in ventriculi tunicis contentos feliciter, vnà cum roboratione expurgat, [vt Magister 8. *de compos. med. secun. locos c.* 11. *&* 6. *de san. tuend. c.* 2. commonet. Animaduertẽdum tamen est, quod postquam medicamina vermes necantia per os exhibita sint, mox ea, quæ ipsos propellere valeant, condonentur, retenti enim lumbrici putredine acquisita ex interim, vaporeque tetro, ac venefico supernas partes irruendo ita ipsis nocent, vt grauissima symptomata suscitent, proinde Magister absinthium ponticum præcipuè huic fini mirificum esse ait, eo quod non solum a narore vermes interficit, verum ventriculum, atque intestima, à mucosi, viscidique succi multitudine expurgat, in cujus doctrinæ amplexum, quandam obseruationem, non contemnendam doctissimus Zacutus *lib.* 11. *de medic. princ. hist. fol.* 305. refert. Postquam dumtaxat quidam quadragenarius alternis diebus intolerabili ventris cruciatu pressus plurima, diuersaque satis ardua remedia expertus fuit, omniaque inania euaserunt, tandemque ob suspicionem adstantium verminm absinthio cum vsus fuisset, feram satis mirabilem mortuam per sedem excreuit quę palmi longitudine pollicis digiti crassitie, alba, ac toto corpore sanguine induta erat in cujus fronte duo tenuia cornicula cochlearum instar reperiebantur, ex cujus expulsione liber æger ab atrocissimis symptomatibus mansit, quare absinthium, mirifica virtute, tam si puluis illius, quam si simul cum syrupo ipsius pilulæ parentur condonentur, gaudet: vnde tam absinthium, quam hiera triumphali vi, ad lumbricos interficiendos pollet. Alexander etenim Trallianus *l.* 7. *sue medicina c.* 4. caninam tamen à lumbrico 12. cubitorum ortam hieræ beneficio solutam fuisse (sic alloquens) refert. *Voei mulierem quandam, quæ cum multa & immodica assumeret, omniaque concoqueret, & nunquam satiari se diceret, rosionem vero in stomacho experiretur, & capite doleret puluerem purgatorium accepit: erat autem is, hiera, facta autem euacuatione vermem pro ecic, qui longitudine* 12. *cubitorum & plures habere putaretur, atque tunc immoderata, & furiosa appetentia conquieuit, innotuit igitur non bulimon, sed bestiam fuisse, quæ ad cibum sumendum compelleret, omnia consumeres, &c.* Nec mirum caninam famem à maximis lumbricis oriri vt Gal. de theriaca ad Pisonem, nam cum alimentum susceptum sibi arripiant, vehementem cibi auiditatem homini exhibent, quandoque ex cibi defectu intestina ab illis corroduntur vt Paulus *lib.* 4. *cap.* 57. sicque ex illorum atroci consumendi cibi assuetudine corpus marcescit, viresque maxime labuntur, præsertim vbi tã lumbricorum ingens magnitudo, feroxque consumẽdi actiuitas adest, in cujus ideã Michaël Paschalius puellam canina fame correptam, postquam lumbricum 11. cubitorum medio medicamine purgante ejecit liberam euasisse, annuit, & Gesnerus se lumbricos 13. cubitorum pulsos vidisse testatur; similiter Roudoletus fæminam ex alliorum comestione vermem duorum cubitorum excreuisse profert & Zacuto fidem adbibere placeat, qui per sedem membranam latam teniam vocatam viginti quinque palmorum longitudine, ac quatuor digitorum latitudine constantem, crassiusculam, rubro, nigroque colore tinctamà quodam puero excretam peruidit, aliam similiter puellam enormi vomitu lumbricum ferè dimidij palmi longitudine, per vniuersum corpus leuem, ac sanguine saturatum, & ferè indicis digiti latitudine, capite araneæ prægrandis forma constantem, & viginti quatuor pedibus enixum expulsisse ait, simulque feram per domum tardissimo motu reptasse, ac in aquæ vas projectam duarum spatio horarum vixisse testimonium Zacutus in sua praxi historiarum adducit. Ad horum igitur, quam aliorum animalculorum differentias extinguendas Magister semper medicamenta amara adhibenda præcipit.

225. Ex quibus faeile, omnia dulcia, tam ad præcauendam lumbricorum generationem, quam eorum extinctionem improba, esse infetes, imò sentiendum est, quod cum amara eos internecent dulcia potius ad ipsos progignendes idonea erunt, dulcia enim ad generandos vermes ideo concurrunt, quoniam succum crudum ex quo gignuntur valde cumulant, vt Magister lib. de succorum bonitate & vitio c. 4. in fine de dulcibus alloquens sic ait. *Illud de dulcibus, ac crassi succi edulijs sciendum, ac memoria seruandum, horum scilicet succo, iecoris, ac lienis vias impediri: quod si viscera phlegmone præterea laborare cœperint, hanc ipsam valde vrgent*: & merito eo quod dulcia media coctione crassescunt, sicque vias per quas transire debent media crassitie obstruunt, in ipsisque impinguntur, vt inde piæ obstructionum præsentia excrementorum crassorum colluuies nascitur, vt prædicta animalcula progignantur, sicque dulcia neutiquam ad ea interficienda sunt condonanda. Quia tamen pluries in malignis febribus vermes qui maioris malignitatis præsagium adsunt, generantur, propterea ad ipsos interneeandos vtilissimam potionem à Zacuto conscriptam, & à me multoties laborantibus exhibitam hac forma perpende. ℞. *pulpæ tamarind. acetos.* ℥ij. *semin. acetos. portul. plantag. ana* ʒß. *syp. de succo limonum, syp. acetos. ana* ℥ij. *aquæ acetosæ portul. ana* ℔j. *theriaca magna* ʒß. *confect. alchermes, hyacint. ana* ʒß. *cornu cerui* ℈j. *corallina* ℈iß. *scobis eborea* ℈ij. *succi limon.* ℥ß. *lapid. belzaartici grana* xx. *coralli rubri præparati* ℈ß. *misce & fiat potio*, Vt per internalla assumatur. Magister vero in præsenti non medicaminum copiam, quia potius instituti non erat, quam illius inopia adesset attulit, & hæc de breuiori, selectiorique hujus libri expositione sufficiant.



INDEX NOTABILIVM VERBORVM, quæ in hoc opere methodi continentur.

PRIOR NVMERVS EXPOSITIONEM, Secundus numerum marginalem significat.

A

B

Balnei

Consuetudo

D

E

F

G

H

POST

POST undique hoc Commentariorum in Libros per Methodi medendi Galeni volumen, undique absolutum, & per indices materia in epilogum redacta, amicorum instantia plurıes continuata victus, quasi per Appendicem, manum medicam dexteram typis iam datam Cæsaraugustæ, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, iterum insudare prælo decerno, & quasi compedium, vel quasi riuulus pretiosus sit stemmata Commentariorum in se continens, quia aliquali directione plures fiunt remissiones, ne typographiæ diuersitas, aut penuriæ causa manum dexteram tenendi, eo quod ex anteacta impressione nullus huc Tomus extat, ideo, quasi prologo utens in voluminis fine eam induco.

FINIS.

D.D. MATTHIÆ
DE LLERA
MANUS DEXTERA MEDICA;
QUINQUE DIGITOS CONTINENS.



PROLOGVS VNIVERSALIS AD LECTOREM.



MANVS Medica dextera (candidissime Lector) quinque digitis conflata, vt maxima imminentium morborum dexteritate, prænuntiis obuiam facias, præsentiumque iaculis aureo clypeo validè obsistas, tuo salubri consilio proponitur: quinario digitorum numero mirifico constat, quid mirum. Cum mirandum nomen VIRGO, & IESVS, prædicto literarum numero floreat. Illa Redemptorem vniuersi concepit, iste pretiosiorem vitam mortalibus condidit. Manus inquam dextera, quæ cum organum ante omnia sit, mirifica conficit opera. Manu quidem leges conscripsit homo, mea, tibi assertiones non laudandas, sed parcendas conscribo. Manu homo aras Deo erexit, mea, tibi ingeniolum, vt tua clementia dirigas, erigo. Manu plurima pollicemur, præsenti, selectiorem tibi doctrinam, non vt superuia inflatam, benè vt veriorem polliceor. Manu amicos vocamus, præsenti, vt te censorem cordatissimum voco. Manu inimicorum iniurias dimittimus, mea, non dimittendo, sed tuam implorando, hos vt errores dimittas, semper orabo. Manu minamur; mea, non sine maximo laborantium vitæ discrimine, inertes, atque ignaros, si te vt doctiorem non consulant, minabor. Manus rationis, sapientiæque ministra, sermonis veluti vicaria, conceptuum mentis interpres adest. Contracta manus pacta confirmat, ac ita manus fortitudinem denotat, vt qui auxilium quærant, communiter dexteram petat. Vtinam mea rationem, & sapientiam tibi ministret, voluptuosum sermonem conferat conceptus mentis, etsi debiles, quia meos, humillimos tamen, ac fructiferos detegat, pactaque strictissimi amoris tecum firmet, & auxilium à te quærens dexteram tuam orando, expostulet: quinque digitata manus conspicuas edit actiones, nec plures, nec pauciores illam digiti exornant: si enim pollicem demas, aliorum vis, atque robur perit: si minimum digitum tollas, vix rerum debitus amplexus fiet, si secundus index deficiat, demonstratio frustranea: si Medicus, societatis defectu reliqui delinquent. Si quartus à priscis Medicus appellatus, annullorum stemmata parui pensa flebunt? Quid de aureis digitis,

ã ij nostram

noſtram dexteram manum componentibus, proferam? Deme pollicem, febrilem etenim diſputationem, aliarum vtilitas peribit, minimum diſſeca, rationem, ac conſilium, pro empirica praxi mutabis, ac cæco impetu plurimos patrabis errores, audeas indicem detruncare, laudabilia morborum iudicia ſepulta manebunt. Abſcinde tertium, medium appellatum, iugulabis te, ſi febrem ſanguinis miſſione non iugules, parui fiat quartus Medicus dictus, parui fiet humorum expurgatio, parui fiet morborum recidiua, parui fiet quidem ipſorum profligatio? Quid manus ergo; ſi moderatori non obediat: ſi præſidem, non conſpiciat: ſi influxu careat, finalizatio inanis aderit. Noſtra tuam moderationem ſpectat, te præſidem veneratur, irradiationemque tuam proclamat, floreſcat igitur præſens lilium, & apertis candidiſſimis foliis theſauri pretioſioris odorem olfaciant periti, placebitque omnibus: ſi tibi placuerit, vt ipſe nectareo cordis ſpiritu ſenili tuo conſilio fretus, Galenicam methodum, tam operoſam, quam à paucis elaboratam, ſequenti anno diuino numine irradiante, in lucem edere valeam. VALE.



ELENCHVS



ELENCHVS DISPVTATIONVM, quæ in hoc libro continentur.

EX PRIMO DE FEBRIBVS.

EX SECVNDO DE FEBRIBVS.

EX TERTIO DE FEBRIBVS.


Ex libro de curandi ratione per sanguinis missionem.

EX LIBRO DE PVRGATIONE.

EX

EX TRACTATV DE CRISIBVS & diebus decretoriis.

Habes Lector reliquum tractatum vnico capite completum.



AD



AD LECTOREM.



PANOMPHEO, & infinibili DEO mortalibus, nihil pretiosius purpureo corde, ad vitæ occiduæ tutelam fabrefactum fuit, in quo vitæ omnifera prædia emicant, est quidem Viscus omnium nobilissimum, caloris natiui origo, & officina marmoreum domicilium caloris viuifici, nectar etenim æthereum ita generat, vt omnes corporis partes genuinum, ac insitum fortiter tueantur, amissumque propter illius bene desideratum accessum instaurent; hoc vitalis caloris domicilium, & opifex, præcipuum est febris subiectum, quæ nisi celerrimè extinguatur, luctificam calamitatem exhibet, deperditis vitæ præstantioribus thesauris, qui dicto domicilio stabulantur, omnes partes in fatalem intemperiem ducit: si ergo vita hominis fluida, & ærumnosa est, nunquam febris parui facienda; imò celeriter oppugnanda, & cum rari morbi adsint, qui comitem sibi febrem non obtineant, ita vt vix quisquam sine febre moriatur, maxima cum ratione, omnia Medicorum ingenia, ad imum cognitionem, ac debitam febri extirpandæ curationem, debent assiduo laborê inuestigare, cum Archigenes decem longissimos Libros de febribus scripsisset.

MATTHIÆ



MATTHIÆ DELLERA

DOCTORIS MEDICI, atque Philosophi, Galenicæ olim doctrinæ, Aphoristicæ deinde, Vespertinæ tandem Cathedræ Augustæ, Cæsaraugustæ Vniuersitatis perpetui moderatoris,

DE FEBRIBVS,

DISPVTATIONVM INGENTI IVCVNDITATE, ac selectissima disciplina pollentium

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.



I quid vnquam consulere decreui, vt sine misera, & pendula ambitione, sine fraudulentis ambagibus, vllave impostura impia vobis, vtilitatique vestræ Metymnææ consulerem, id mihi præcipuè libentissime exequendum proposui; nunquam quidem sum aliquid facturus, quod ad Apollinea præcepta perdocenda ordine recto, atque itinere peruio, non conducat: quod igitur à plerisque aliis in principio, inquiri consueścit, vt quale sit Artis subiectum: Vtrum Medicina sit scientia; an aliqua ipsius pars sit theorica: quis librorum titulus: quæ causa scribendi: quis scopus: quæ vtilitas: quis doctrinæ modus: quis ordo, & cui Medicinæ parti hujuscemodi libri subiiciantur, id à me consultò prætermittetur, ne lubricum tempus, seniliori doctrinæ addipiscendæ labatur; sicque potiùs ad duos Galeni libros de febribus

patefaciendos properandum est: Quare primum de febris essentia, siue natura sum acturus. Secundò differentias, atque species febrium enarrabo. Tertiò, generales febrium causas adducam. Quartò, de signis febrium diariarum, hecticarum, & synochalium sine putredine agam. Quintò signa peculiaria cuiuslibet febris, naturam, & essentiam cum selectioribus, ac iucundioribus quæstionibus praostendam, vt tandem omnia, quæ ad hemitriteum sint necessaria, dilucidabo.



QVÆSTIO



QVÆSTIO PRIMA.

Quæ ſit natura, & eſſentia febris.

ETSI plurimi ſint percelebres Anthores præter Hippociatem, & Galenum, qui citca hos libros de differentiis febtium, diſputationem inltituetunt, vt Auicenna, *Fen.1.lib.4.tract.1. cap.1.* Zacutus *tom.1.lib 4. de Medicorum Principum Hiſtoria*, Aëtius Tetrabelo *1. ſerm.1.* Paulus *lib.2.* Veiga, & Vega conſtruxerunt Commentaria in duos Galeni libros de febtibus, pariter etiam Argenterius, Ttincauellius, Fetnelius *lib. 4.* Valleſius *in compendio de febribus*, & *controverſiar.5.à 18.cap. vſque ad finem libri*, Petrus Gatcia *lib.6. de febribus*, Mercatus *tom. 2. ſuorum operum, fol. 276.* Mercutialis *in praxi, lib.1.* Mena, Antonius ab Altomar, Sabanaiola, doctiſſimus Sennertus, Matamotos, ſapientiſſimus Maroja, Caſetta, Ioannes Baptiſta Nauatto, & alij quam plurimi, quos conſultò omittito, vt breuitate ipſorum ſenſuū, conſpicuitate doctrinæ, ſelectiori ſermoni, facilius promptiuſque aſſentire valeamus, tamen de febris notione, & eſſentia, cum his diſputandum venit.

Quamvis Galenus *primo de differentiis febrium*, definitionem febtis non adduxit, fortaſsè, quia ex ipſo nòmine, quid ſit febris, facilè innoteſcit, vt notat Valleſius *primo* etiam *de differentiis febrium*; nam ipſe Galenus *ſexto epidemorum pars.5. text.29. citato*, ait, omnes homines communi quadam notione ſciunt, febrem eſſe calorem præter naturam, atque ita Galenus omiſit *loco dicto* definitionem febris: Latini enim omnes vt ait Valleſius *loco citato*, vno ore fatentur, febrem à verbo ferueo, originem ducere: nam febtis immoderatus videtur totius corporis fervor, & Hippocrates, atque Galenus nomine ignis, febrem appellant; vnde infertur febris naturam in calida, atque ignea natura conſiſtere: Quibus non obſtantibus, vt definitionem eſſentialem proponam, varias Authorum ſententias prius receuſebo, atque impugnabo, vt ex manifeſta contrarietate dilucida noſtra remaneat ſententia.

Citca febris definitionem, Auerroës *lib. 3. colliEtaneorum, cap.3.* ait: Quod ipſa eſt calor compoſitus ex naturali, & extraneo putredinali miſſo à corde ad totum corpus, ac lædit omnes actiones, & paſſiones. Hæc quidem definitio facilè reiicietur, dum diſputem *infra*, vtrum febris conſiſtat in calore ſuperaddito ſolum, vel ſimul in eo, & naturali coniuncto, Argenterius *lib. de febribus, cap. 10.* non definit febrem per calorem, ſed per intemperiem, aſſerens febrem eſſe intemperiem calidam præter naturam, ſiue immodicè excedentem, ſiue morboſam, vel quia conſuetas operationes impediat, quem ſequitur Sennertus *lib. 1. de febribus, cap. 10. de natura febris, tom.1.* cum aſſerat calorem præter naturam extraneum, ſeu igneum, non eſſe intelligendum ſimplicem qualitatem, ſed intemperiem calidam, quoniam calor obtinet rationem cauſæ; ſicque vt calor non eſt febris, ſed cauſa, quia febris eſt morbus, & diſpoſitio talis, calor verò eſt patibilis qualitas.

Et ſi Argenterij definitio, ſiue ſentiendi modus citca naturam, & eſſentiam febris, non ſit verus, laudandus tamen ſemper eſt Argenterius, quoniam conſentaneè loquitur, cum dicat. *lib. de differentiis morborum* ipſos partium ſimilarium morbos non conſiſtere in calore, vel frigiditate excedente, quia hi obtinent rationem cauſæ, ſed conſiſtere in tota intemperie, (quæ non ſunt huius loci,) & ſi Sennettus perpenderet vnicam, & eandem qualitatem poſſe eſſe ſimul diſpoſitionem, & patibilem qualitatem, neutiquam dictæ ſententiæ aſſentiret.

Alij quidem Authores perquamplurimi non definiunt febrem pro qualitate ſola, ſed pro concreto ex ſubſtantia, & calore, ita vt aſſerant, ſubſtantiam calidam obtinere rationem febris, nituntorque authoritate Galeni, qui *libro aduerſus Lycum*, & *primo Aphoriſmorum, Comment. 14.* calorem duabus perpendit rationibus, & pro qualitate in abſtracto, & pro corpore calido, inquitque, febrem eſſe conuerſionem calidi innati ad igneam naturam, quod ab eis dupliciter probatur. Primò, quia febris eſt contraria calido innato; ſed calidum innatum eſt ſubſtantia: ergo febris eſt ſubſtantia: ergo non ſola qualitas. Probatur major, quoniam à calore febrili reſoluitur, & diſſipatur calidum innatum: ergo quia inter ſe contrariantur febtis, & calor innatus: nam contrariorum lex ſtat in eo, quod ſub eorum genere collocentur: ergo in genere ſubſtantiæ. Secundo probatur, natura enim febris hecticæ conſiſtit in conuerſione humidæ, atque calidæ ſubſtantiæ in igneam naturam, vt hecticarum ſpecies, ſiue differentiæ declarant: ergo non ſolum conſiſtit eſſentia febris in ſola mutatione caloris, propria tantum qualitate ſumpta.

Hæc tamen ſententia facilè reiicitur, quia etſi Galenus ſumat calorem pro ſubſtantia, non tamen ea eo eo infertur, quod febris ſit ſubſtantia; imò colligitur, quod ſit calor præter naturam ſumptus pro ſola qualitate, quia ſi febris collocatur in genere ſubſtantiæ, non poteſt contrariari calido innato, quia vt Ariſtoteles ait, *capite de ſubſtantia*, ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; ſi verò reſpondeant non contrariari

in tatione substantiæ, sed in ratione caloris; hoc est falsissimum, quoniam vnus calor non differt specie ab alio calore; & quæ sunt eiusdem speciei, non sunt inter se contraria, vt ait Aristoteles 10. *Metaphysicæ, cap.* 6. non enim albedo, albedini, nec frigus frigori opponitur; ac proinde, neque calor, caloti; sicque respondeo primæ rationi, febrem non contrariari per se calido innato, sed ex accidenti quatenus scilicet suo calore præternaturali, & putredinali, substantiam calidi innati dissipat, ac resoluit.

Secundæ verò tationi respondeo: Quod quamvis in hectica accidat mutatio talis substantiæ, nihilominus est nimis pet accidens, nihilque deseruit ad constitutionem essentialem febris, de qua est quæstio: nam siue sit, vel non sit ibi mutatio substantiæ, cum solum reperiatur ratio caloris præter naturam accensi in corde, corporis actiones lædentis, sufficienter pet hoc febris natura saluatur.

Auicenna tamen *Fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 1. colligit ex Hippoc. & Galeno, febrem esse calorem extraneum accensum in corde, & procedentem ab eo, mediantibus spiritibus, & sanguine per arterias, & venas in totum corpus, & inflammari in eo inflammatione, quæ noceat operationibus naturalibus, non veluti caliditas iræ, & laboris, cum non vltimatur: quæ diffinitio etsi sufficienter febris naturam exponat; vt inquit doctissimus Doctor Cyprianus de Matoja: Nos tamen doctrinæ gratia Galen. breuiloquum insequentes, ac ipsius doctrinam interpretari conantes, ex illius locis breuiorem, atque clariorem febris definitionem adducemus, ipsamque per singulas particulas dilucidare decernimus.

Quibus prælibatis ex Galeni locis, hanc febris definitionem amplectendam haud dubito: febris igitur erit, *calor præter naturam accensus in corde, & per arterias ad omnes corporis partes effusus, vel saltim in principalioribus contentus, naturales lædens operationes:* Ista ergo definitio, optima est censenda, quoniam constat debito genete, & differentia; genus enim est *calor præter naturam*: nam febris solum continetur in calore præter naturam, qui actiones lædit, non verò in calore natiuo, qui est principium actionum naturalium; reliquæ particulæ collocantur loco differentiæ; dicitur enim, *accensus in corde:* quia pet hanc particulam explicatur proximum, atque immediatum febris subiectum, nec minus necessarium, vt inquit Galenus *primo de differentiis febrium, cap.* 3. calor præternaturalis, nondum febris est, nisi cor vnà calefiat; cor enim est origo, atque principium caloris natiui, sicque necessarium est cor primò calefieri: dicitur *accensus*, non quia accenditur, sed vt cognoscatur, quod cum febris sit morbus, & omnis morbus sit affectus permanens, & factus, vt ait Galenus *libro de differentiis morborum*, necesse est vt calor sit iam accensus in facto, vt *infrà* patebit.

Obstabis tamen cum Galen. qui *primo aphorism. sentent.* 16. definiens febrem, dixit, esse conuersionem natiuæ caliditatis in igneam naturam: ergo febris non consistit in calore in facto esse: cui facilè Respondeo cum doctissimo Matoja, & aliis, quod tunc Galenus non exponit febris definitionem: nam Galenus *loco citato*, solum docet modum generationis febris, & non ipsam naturam, quoniam, vt inquit Aristoteles *topicorum primo*, in recta definitione, semper definitum, & genus definitionis debent collocari in eodem prædicamento; atqui conuersio, quæ ponitur loco generis, non collocatur in prædicamento qualitatis, veluti febris, sed solum in prædicamento motus, quia conuersio solum est actio immutatiua, & non terminus talis actionis, vt est febris: ergo dum asseruit Galenus febrem esse conuersionem, solum loquebatur de modo, & motu generationis ipsius, non verò de essentiali constitutione.

Alia definitionis particula inquit, *& per arterias ad omnes corporis partes effusus*, per quæ verba declaratur secundarium, & accidentale febris subiectum: nam cum in corde contineatur sanguis arterialis, & spiritus vitalis, hinc est, quod postquam calor sit accensus in corde, postea mediis dictis substantiis, communicatur omnibus partibus nostri corporis; & quamvis sine substantia solùm per continui alterationem valeat diffundi calor, hoc solum fiet ad partes proximas, non verò ad distantissimas, propter determinatam sphæram actiuitatis, quam hoc agens vtpotè naturale possidet; sicque vt ad partes corporis distantiores perueniat, prædictis substantiis indiget, accidens enim vllo nullo modo valet migrare subiecto in subiectum, vt inquit Philosophus.

Aut saltim in principalioribus partibus contentus; ex quibus verbis infertur, quod ad esse, sufficit existentia caloris febrilis in principalioribus partibus, præcipuè in corde, quoniam etsi calor actu non communicetur omnibus corporis partibus, vt accidit in lypiria, epiala syncopose, ac in febrium intermittentium principiis, tamen quoniam calor potest, quotiescumque remoueatur impedimentum, communicari toti corpori, ideo obtinebit veram rationem febris: definitio enim nunquam præscribitur per actum, sed per aptitudinem, & in febribus dictis lypiria, & epiala, nullo modo est impossibilis ista calefactio omnium partium, sed est impedita à causa illa frigida vehementiori, & potentiori in epiala, vt in lypiria ab interna inflammatione, sicque semper remanebit aptitudo, & possibilitas, etsi actus sit semper impeditus, non tamen impossibilis.

Vltima demùm verba, scilicè, *lædens operationes naturales*, non sunt intelligendæ actiones naturales solùm, quæ læduntur, & quæ spectant ad animam vegetantem, sed, *ly, lædens operationes naturales*, intelligitur pro operationibus, quæ conueniunt in statu naturali, siue sint operationes naturales, siue animales, aut vitales patet apud Galenum *secundo de symptomatum causis, cap.* 1. necessariò tamèn læditur semper actio pulsifica per febrem, siquidem vt

detur

detur febris, necessariò calor est in corde, & vt sit morbus, necessariò debet lædere operationes.

SECTIO PRIMA.

Soluuntur obiectiones contra definitionem Galeni.

INtendunt frigidè aliqui probare, malè definiri febrem per *calorem præter naturam*, sicque obiicies primo: Valet reperiri febris sine calore: ergo quia essentia febris non consistit in calore. Probatur antecedens, nam in febribus colliquantibus datur caloris defectus, & ideo vinum præscribitur, & ea, quæ valent calorem adaugere: ergo quia datur necessitas caloris: ergo tunc febris non consistet in calore. Cui respondeo negando antecedens, & ad probationem assero, quod malè colligitur ex defectu substantiæ in quantitate, dari defectum in intensione qualitatis, itaque quamvis in febribus colliquantibus detur defectus substantiæ, & ob hanc causam exhibeamus vinum, & alia, quæ calorem natiuum augeant, nihilominus, simul reperitur intensio immodica caloris, in quo consistit febris & ab hac, consumptio, & colliquatio: nam ab intenso calore remittitur etiam naturalis, in esse naturalis; & sic dabitur defectus caloris natiui, ob quem defectum exhibetur vinum, & dabitur excessus caloris febrilis, & colliquantis.

Obiicies secundo, quia in principio febrium quartanarum, & tertianarum, ita datur frigiditas, vt omnes partes corporis rigeant; sed tunc datur verè, & propriè febris, & tamen datur frigiditas excedens: ergo quia datur febris absque calore: ergo non consistit in calore febris. Præterea, quia in epiala, & lypiria, omnes simul calent, & frigent: ergo tunc dabitur febris sine calore. His tamen nihil obstantibus, respondeo primæ rationi negando majorem, quia etsi in partibus externis vigeat frigiditas, in partibus tamen internis immoderata caliditas præpollet, quod sufficit ad essentiam febris; siquidem vt dixi in definitione febris, saltim in principalioribus partibus contentus. Confirmationi verò de febre epiala, & lypiria, respondeo, quod est intemperies complicata calida cum frigidæ, sicque nullo modo implicare, calorem illum in corde contentum, esse febrilem, nam in lypiria ob inflammationē partium internarum, tunc apparent externæ frigidæ, nam internę cucurbitæ more ad se attrahunt spiritum, & sanguinem: in epialā verò à pituita vitrea, partim putrefacta partes calefiunt à non putrefacta refrigerantur, vtpote frigidissima, sicque ratione pituitæ putrefactæ inducitur, ly, *febrilis calor*, qui cum cordi, subjecto immediato, inhæreat, induit sibi naturam febris.

Semper igitur vera Galeni sententia asserentis, febrem propriè esse calorem præter naturam, vt constat ex plurimis Hippocratis, & Galeni locis. Hippoc. 1. *Epid. part.3. text.* 19. in Historia Sileni, ait, Silenum, qui in ædibus Platonis vitam agebat igne correptum fuisse: Galenus pariter *lib.1. Aphorism. sententia* 19. ait, nam sanorum quidem calor vaporosus est atque suauis, atque halituosus; febricitantium verò, & præsertim eorum, qui habent febres hecticas, acris est, & mordax, nostrumque tactum corrodens, *eodem lib. sent.* 16. consulit victum humidum febricitantibus, quia febrem, inquit, esse passionem calidam, & siccam, non aliter 9. *methodi*, *cap.* 14. intemperies illa, quæ in calido consistit, cum in totum corpus est diffusa, febris nominatur: 2. etiam *aphorismorum, sentent.* 26. ait Hippoc. febrem, superuenire conuulsioni, melius est, quam febri conuulsionem: ergo ex pluribus Hippoc. & Galen. locis, ac sensu, & ratione patet febrem verè, & propriè constituendam esse per calorem.

Quibus tamen non obstantibus, obiicies 3. cum Donato ab Altomar, & aliis, qui, etsi censeant febrem passionem esse calidam & siccam, asserunt tamen non in ipso calore & siccitate, positam esse naturam febris, sed in actione, quæ terminatur ad talem calorem & siccitatem, quoniam febris consistit in mutatione calidi innati ad igneam naturam, sicque probatur conclusio, quia si natura febris consisteret in termino talis motus, vel actionis, sequeretur omnem febrem esse hecticam. Probatur sequela: nam in hectica partes solidæ sunt in calefacto esse, & ideo Galenus *lib. de inæquali intemperie*, hecticam vocat febrem; æqualem intemperiem: ergo si pariter aliæ omnes febres habent suum esse in calefacto, scilicet in termino, vt calore, & non in motu illius, vt in actione; omnes febres essent hecticæ: ergo dicendum est, illas habere suum esse in calefieri, scilicet in ipsa actione, nimirum in ipsa mutatione ad igneam naturam, ac proinde febris non erit calor, sed calidi innati immutatio.

Hic tamen sentiendi modus nihil concludit contra Galeni sententiam. Primò, quia morbus, & sanitas sunt contraria: ergo debent collocari sub eodem genere; sed sanitas non collocatur in genere actionis: ergo neque morbus, ac proinde febris non est conuersio propriè calidi innati ad igneam naturam: maior propositio est euidens, siquidem ita inter se opponuntur morbus & sanitas, vt præcisè mutuo ab eodem subiecto se expellant; minor etiam est verissima: nam vt constat ex Galeno *lib. de different. morbor. cap.* 1. sanitas non consistit in actione, seu in operatione viuentis, sed potiùs in symmetria, & debita proportione eorum, quæ necessaria sunt ad rectè operandum: ergo similiter morbus non consistet in aliqua operatione, sed in ametria, & aliqua improportione eorum, quæ sunt ad ipsam operationem: ergo cum febris sit morbus, non potest consistere in aliqua operatione, sed in termino illius: præterea, quia ille calor factus in hectica sensibiliter lædit actiones: ergo reducendus est ad aliquod genus morbi, sed non potest

reduci niſi ad genus, ſiue prædicamentum morbi intemperiei calidæ, vel ad febrem: ergo iam intemperies facta hecticæ valebit febrem conſtituere: ergo quia febris non conſiſtet in illa conuerſione ad igneam naturam.

Quare reſpondeo rationi allatæ in contrarium, quod terminus huius dictæ actionis, eſt duplex, calor ſcilicet æqualis, & inæqualis; inæqualis conſtituit febres putridas, & æqualis conſtituit febres hecticas: ſicque argumentum nullam vim habet, quia etſi febris conſiſtat in termino, ſcilicet in calore, non ideo erit hectica, quia talis calor poteſt eſſe inæqualis, & tunc erit putrida, vt ſi æqualis fuerit, tunc hectica dicenda erit: quibus ſemper manet fulcita, & conſpicua vera Galeni ſententia.



QVÆSTIO SECVNDA.

An febris conſiſtat in calore ſolo ſuperaddito naturali, an verò in vtroque.



VAMQVAM Gentilis de Fulgineo *quæſt.* 4. *extrauagantium* aſſerat, febrem fieri, non per nouum caloris gradum ſuperadditum, ſed per adhæſum alterius qualitatis denuò aduenientis, quæ ipſum calorem igneum conſtituit, *Fen. tamen* 1. 4 ſententiam mutans, aſſerit calorem illum adauctum conſtituere febrem, ad quam conſtituendam, non concurrit calor naturalis cordis: cenſet enim calorem naturalem, & præter naturalem ſpecie inter ſe differre, (de quo *infra.*) Hæc quidem ſententia, quantum ad primam partem, nimirum, quod ſoli gradus ſuperadditi caloris obtineant rationem febris, eſt vera, eamque amplectuntur, Benedictus Matamoros, Petrus Garcia *libro de febribus, Fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 1. *quæſt.* 6. *cap.* 6. Franciſcus Caſerta, Michaël de Heredia, & alij quamplurimi.

Probatur igitur primò huiuſmodi ſententia, ex Galeno *lib. de arte curatiua ad Glauconem, & lib. de differentiis morborum*; morbus eſt lapſus à naturali conſtitutione: ſed per ſolum calorem ſuperadditum diſcedit viuens à naturali conſtitutione: ergo ſolus calor additus habet rationem morbi: ergo non erit compoſitus ex naturali, & addito, vt plurimi aſſerunt. Confirmatur, quia ſolus ille calor erit morbus, & febris, qui aufertur per veram, & regularem curationem: atqui ſolus calor ſuperadditus aufertur per veram curationem: ergo iſte ſolus erit febris. Minor propoſitio eſt certa, quia ſi tolleretur calor præexiſtens, ſiue naturalis, ſine dubio, viuens duceretur in contrarium affectum: ergo dicendum erit, calorem ſolùm ſuperadditum habere rationem febris.

Neque valet ſi reſpondeant aliqui, quod Medicus dum deſtruit per veram curationem febrilem calorem, conſeruat naturalem; quia illius corruptio non ſtat in eo, quòd omninò auferatur, ſed quòd exceſſus, & intentio corrigatur: ergo ſolus exceſſus, qui ſe habet ratione caloris additi, conſtituit morbum: nam illo ablato, in ſententia iſtorum, viuens reducitur ad optimam temperiem. Ergo ex horum reſponſione, ipſos conuinci eſt neceſſe.

Probatur 2. quia ille calor eſt cauſa læſionis, quo poſito ponitur læſio, & quo ablato, aufertur; atqui poſito in viuente, ſolo calore addito, ponitur læſio, & ablato, aufertur: ergo ſolus calor additus eſt cauſa læſionis: ergo morbus: ergo verè, & propriè ſolus additus erit febris. Probatur præterea, quia iſta læſio prouenit ab vtroque calore, vel tanquam à cauſa totali, vel tamquam à cauſa partiali; non tanquam à cauſa totali: nam cauſa totalis, ſine alia cauſa, valet producere effectum, ſicque naturalis ſolus, ſine addito, læderet, quod apertè eſt falſum; neque prouenit ab vtroque calore, tanquam à cauſa partiali: nam antequam intenderetur, naturalis calor eſſet cauſa alicuius læſionis: ergo neq; poſtea, quia in effectu, videlicet in febre, nihil correſpondet calori natiuo, cum ab eo nihil læſionis valeat prouenire: ergo manifeſtè eſt apertum, febrem non conſiſtere in calore naturali, & præter naturam, ſed in ſolo calore præter naturam ſuperaddito.

Et ſi dicta ſtabilita vera, & conſpicua remaneant, ſunt tamen in ſententiam contrariam perquamplurimi Authores procliues, ſiquidem doctiſſimus Cyprianus de Maroja, tenet febrem conſtitui *per calorem naturalem, & gradus ſuperadditos caloris præter naturam*; ita vt ex vtroque fiat vnus intenſione calor, qui totus ſit febrilis, & morboſus, cui tribuitur in actionibus virtus, & vitium: hanc ſententiam amplectitur Auerroes 3. *collect. c.* 3. ſic definiens febrem: febris eſt calor compoſitus ex naturali, & extraneo putredinali miſſio à corde ad totum corpus: ergo ex Auerroë calor putredinalis additus, & naturalis conſtituunt febrem: non aliter ipſam tuentur Donatus ab Altomar, & ſi in hoc varius extiterit, *part.* 1. *de febribus medendis, cap.* 10. Ludouicus Mereatus, Veiga, Vega *lib.* 1. *de differentiis febrium, cap.* 1. Mena *lib de medendis febribus, cap.* 5. Sennertus *tom.* 2. *lib.* 1. *de natura febris*, exiſtimat totam temperiem formaliter eſſe præter naturam, non tamen materialiter; illamque præcipuè tenent, qui aſſerunt gradus intenſionis obtinere eandem perfectionem indiuidualem, ita vt vnus non ſit perfectior alio; vt tamen noſtra expoſita ſententia dilucidior remaneat, facilè per obiectiones, ſingulis rationibus in contrarium tradendis, ſatisfaciemus.

SECTIO SECVNDA.

Satisfit obiectionibus contra veriorem ſententiam.

OBiicies 1. ex calore natiuo, & ſuperaddito fit vnus calor: ergo ſi calor ſuperadditus eſt morboſus, etiam calor natiuus, ſimul erit

febris,

febris, etsi supperadditus lædit actiones, calor pariter natiuus, qui est cum addito vnus, læderet easdem actiones: ergo cum actiones fiunt à toto illo calore, siquidem ibi remissius; non operatur sine intensio, neque intensus sine remissio, cum ambo actu existant, totus ille calor operatur, ac proinde læsio actionum prouenit à toto illo calore. Cui respondeo argumento concedendo antecedens, scilicet, quod ex calore natiuo, & superaddito fiat intensiue vnus calor. Consequentia tamen negatur: nam solus calor additus adhuc vnitus natiuo lædit actiones, & sic solus constituit febrem: & licet videatur actiones oriri à toto calore, cum hoc tamen discrimine, quod præexistens, qui est remissus, ob sui imperfectionem intensiuam, nequit attingere productionem perfectiorem, ac proinde, nec intensiorem affectum, ac per consequens, nec febris rationem valebit producere.

Obiicies 2. si solus calor superadditus constitueret febrem, sequeretur morbum, ac sanitatem esse in eadem subiecti parte, quod est falsum; sequela probatur: nam calor ille præexistens natiuus in nostra sententia non est morbus, sed verè est sanitas, siquidem non habet rationem febris, neque est dispositio neutra, siquidem est talis calor præexistens naturalissimus: atqui ex alia parte adest calor additus febrilis, qui est verè morbus: ergo in illo casu in eadem parte subiecti daretur simul morbus, ratione caloris superadditi, & sanitas, ratione caloris præexistentis: ergo illud subiectum exerceret actiones perfectè ratione sanitatis, & imperfectè simul ratione morbi, quod est impossibile: ergo febris simul constituetur per vtrumque calorem, & non per solum superadditum.

Huic respondeo argutiei, negando sequelam, quia quamvis sit verum, quod per aduentum caloris superadditi, & morbosi, non destruatur noster calor natiuus secundum entitatem physicam, & realem, nullam enim habet oppositionem, sed imò redditur intensior per nouam additionem gradus superadditi; non remanet tamen talis calor præexistens secundum rationem formalem dispositiuam, secundum quam constituebat sanitatem cuius est ratio, quia calor naturalis, v. g. vt duo, ideo constituit sanitatem, quia sub illa ratione, vt duo, est nostræ naturæ proportionatus, & debitus, rectèque disponit naturam ad operandum; at verò per aduentum caloris febrilis & superadditi, intenditur præexistens, & fit vt tria, sicque iam non est proportionatus, neque rectè disponit naturam ad operandum per additionem tertij gradus, sicque formaliter non erit talis calor præexistens sanitas, etsi materialiter, & physicè sit naturalis ex se; quia per alium fit improportionatus subiecto, sicque formalissimè solum dabitur morbus, siue febris constituta per talem calorem denuò aduenientem.

Obiicies 3. Calor præexistens, & superadditus eandem participant rationem: ergo vt fiat febris, non est maior ratio de vno, quam de altero. Probatur consequentia: nam etiamsi adueniat aliquis gradus de nouo viuenti ab aliqua causa extrinseca, vt à sole, vel igne, in tali casu mediis auxiliis valebit remanere in viuenti superadditus, & remitti vnus gradus ex præexistenti calore, atque illo tunc reducetur viuens ad debitam temperiem, quia non est maior ratio, cur remittatur vnus quam alius, siquidem sunt eiusdem rationis: ergo tunc ablata erit febris, remanenti gradu superaddito, per solam remissionem caloris præexistentis: ergo quia febris non solum constituebatur per calorem superadditum, sed simul per vtrumque.

Cui respondeo negando antecedens: nam intensio qualitatis, fit per additionem gradus ad gradum dissimilem, ita vt gradus sint inter se perfectiores, ac specie incomplera distincti; & confirmationi respondeo, quod si viuenti addatur nouus gradus caloris præter natiuum; talis gradus solus obtinet rationem febris, & non quilibet ex præexistentibus: nam nullus eorum, qui præexistebant, potest ita perpendi, vt additus supra alios constituat intensionem maiorem, quod requiritur ad esse febris, siquidem præexistentes, v. g. vt quatuor sunt remissiores quinto in perfectione, sicque nullo modo valebit remitti aliquis gradus ex quatuor præexistentibus, remanente quinto superaddito, & si per possibile, ex præexistentibus remitteretur aliquis, & remaneret superadditus, in tali casu viuens morbo afficeretur, actionesque læsas obtineret. Nam superadditus gradus valeret quantum præexistentes, & amplius actiones læderet, ac si existeret cum omni præexistenti. Quibus sic prælibatis, vt secunda diffinitionis particula, circa febrem exposita, ac enodata remaneat dum inquit Auicenna, febrem esse calorem extraneum, ideo satis difficilis, & Metaphysica quæstio, quæ pro vtraque parte non contemnendas rationes obtinet, exaranda occurrit.



QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Febris ortum ducat à principio intrinseco?



PRIMA sententia tenet, febrem esse calorem ab intrinseco principio pullulantem, scilicet, à forma ipsius cordis, & primò supponitur ab his, qui hanc amplectuntur sententiam, quod cor est calidissimum omnium, quæ in nostro corpore reperiuntur, ita vt à nullo eorum, quæ sunt in nostro corpore, possit calefieri; remittitur tamen ipsius calor, aëre attracto per respirationem, & pulsum, & ventilatione media, per poros cerebri, & aliarum partium exanguium frigiditate; oportebat quidem intensiorem obtinuisse calorem, quoniam aliis partibus committere deberet, & ne facilè à frigiditate offenderetur hoc membrum, quod est caloris naturalis fons, & origo, ac vitæ principium: quando igitur superuenit cordi aliquid, quod aëris ingressum impediat, aut ipsius aëris ingredientis frigiditatem remittat, ipsum cor à se ipso calorem vlteriorem,

vlteriorem, siue intensiorem producit, quo immodice,& præter naturam excalfacit corpus;qui calor denuò productus à corde, sibi naturam febris induit, actionesque sensibiliter lædit; postea tamen ablatis, siue semotis his, quæ prohibebant liberum ingressum aëris,statim ille calor naturalis attemperatur, & ad pristinum redditur statum.

Quo supposito, probatur hæc sententia authoritate Galeni 2. *de temperamentis, cap.*3. vbi inquit, cor calidius esse omnibus partibus, quæ sunt in nostro corpore : ergo non potest calefieri ab illis : sed ab ipso. Si verò respondeat aliquis authoritati Galeni, cor esse calidius particulis omnibus, dum ipsæ adsunt in statu naturali; non verò est calidius ipsis, dum hæ partes ab aliqua causa calida, & præter naturam alterantur. Contra asserunt hi autores;quia si aliqua causa præter naturam in corpore existens posset calefacere cor,maximè fuligines,quæ eleuantur, ex humorum putredine,aut vstione ; sed fuligines nequeunt calidiores esse corde : ergo non possunt cor intensius calefacere. Probatur minor:nam fuligines,quæ eleuantur in corpore, ex humorum putredine, aut vstione, ita se habent veluti illæ , quæ eleuantur ab igne respectu ignis, sed fuligines , quæ eleuantur ab igne, sunt frigidiores igne , siquidem vlterius possunt accendi : ergo neque fuligines, quæ eleuantur ab aliis corporis partibus erunt calidiores ipso corde.

Confirmatur deinde, quia si aliquæ fuligines possent cor intensius calefacere ; maxime, quæ ab ipso corde eleuantur , cum sit pars calidior cæteris , sieque fuligines erunt magis calidæ : atqui istæ non possunt cor intensius calefacere, cum sint effectus ipsius cordis, & nullus effectus in optima Philosophia valeat esse perfectior sua causa vniuoca : ergo nullæ fuligines possunt calorem cordis intendere ; ac proinde, nec febrem inducere. Hæc tamen sententia,nec vllum veritatis indicium secum ferre valet,quia etsi verum sit Galenum affirmare, cor regulariter loquendo , esse omnium partium calidissimum,tamen ex hoc non sequitur,cor posse producere febrem à principio intrinseco , calor enim, qui à corde producitur, conceditur cordi à natura,quia vt dixi , debebat conseruare calorem omnium partium , non tamen vt corrumperet , quod accideret si produceret febrem ab intrinseco. Respondeoque, quod per respirationem aëris frigidi,non tollitur aliquis gradus ex necessariis cordi,quia aliàs aër frigidus esset cordi violentus,cum sit contra inclinationem maioris intensionis,quam cor posset obtinere.

Si tamen aliquis gradus caloris oritur, erit ab aliis rebus cor continuò calefacientibus; si verò ille calor febrilis fuerit , iam obtinet ortum à principio extrinseco, quia quando ex defectu auxilij refrigerantis accedit ad calorem intensiorem, hoc non prouenit à se ipso, sed ab aliis causis calefacientibus cor, quæ quidem ex defectu refrigerationis increscunt; & inter alias sunt fuligines,quæ sunt calidæ , & siccæ veluti carbones : quare sicut putrida fuligo in statu præter naturam accendit cor febre sensibili,ita in statu naturali accendit cor insensibiliter , ac paulatim sensum inducens.

Rationi allatæ de fuliginibus, respondeo negando minorem, & ad eius probationem assero, diuersam esse rationem de fuliginibus , quæ in nostro corpore generantur; ignis enim est summe calidus, sieque nihil valet reperiri, quod sit cum ipso æqualiter calidum, quod non sit etiam ignis;fuligines verò nullo modo sunt ignis, & sic nec calidiores igne, nec ita calidæ, siquidem carent forma ignis, quia verò cor non est summè calidum , possunt esse fuligines ipso calidiores: ergo non implicat intelligere eadem ratione , & via de humoribus putridis , & vstis.

Ad confirmationem respondeo, quod fuligines, quæ procedunt ab ipso corde sunt calidiores illo,quamuis sint effectus cordis; quia quoad calorem intensiorem, quo gaudent , non sunt effectus , sed ratione caloris antecedentis , quia præter calorem, quem à corde susceperunt, gaudent altero intensiore , qui à propria forma fuliginum pullulat; sieque fuligines euadunt corde calidiores, & per consequens per se propter vicina rei calidæ valebunt fuligines febrem exhibere.

Doctissimus Pereira *in sua Medicina noua, cap.*7. tenet calorem febrilem , ortum ducere à corde, tanquam à causa efficiente, quod indicat fieri propter motum cordis,quia motus ex Aristotele *sect. 5. problematum, quæst.*19. caloris est causa,sieque cum cor ab aliqua causa præter naturam irritatur , commotum , ac concitatum, plusquam conuenit,secundum motum dilatationis naturalis,& compressionis, quem debet efficere in statu salubri , ideotunc ob irritationem rerum, quæ cordi molestiam inferunt, tam immodicè,ac motu concitato mouetur ad expulsionem ipsarum rerum, quare cum motus sit causa caloris , cor calidius à principio intrinseco redditur.

Hic tamen docendi modus veritatem, in optima philosophandi ratione , sustineri non valet, quoniam , etsi verum sit motum esse causam caloris, quod solum est per accidens applicando actiua calida, passiuis, ex hoc tamen Arist. problemate non infertur,febrem oriri posse à principio intrinseco:nam si hoc esset verum,sequeretur,quod etiam ex motu continuo cordis, ipsum cor incalesceret,ac tandem febricitaret, sine alia causa præter naturam ,sed solum propter motum vitalem cordis ; nam si motus est causa caloris, quid obstabit, vt ex continuo motu vitali , aliquis gradus caloris de nouo adquiratur , & ille amplius intendatur ob motum continuum , etsi motus non sit concitatus ?

Doctor Marcellinus Vberte doctissimè , etsi probabiliter *in sua Medicina sacra , capi.* 57. *folio* 60. haud dubitat cor , veluti quodlibet mixtum , præter actualem calorem quem obtinet , potestate tamen possidere intensiorem calorem,qui actuatur, & reducitur de potentia, in actum à calore omnium partium nostri corporis,vel alicuius substantiæ calidæ , ad quod manifestius percipiendum , est animaduertendum, cor habere calorem actualem , quia partim est reductum de potentia ad actum , dicitur tamen habere potestate calorem , respectu illius , qui adhuc

adhuc non est actuatus, sed est in potentia, vt illum valeat producere, sicut medicamenta, quæ potestate talia dicuntur, & à nostro calore in actum reducuntur; vt piper, cinnamomum, & alia similia, piper quidem dicitur calidum, secundo, vel tertio gradu potestate, quia reductum de potentia in actu, secundum hos gradus à nostro calore, calefacit nostrum corpus.

Quod autem præter calorem actualem, cor obtineat intensiorem potestate, sicut in medicamentis experimur, probatur hac ratione, quia mixtum est tale propter symmetriam primarum quatuor qualitatum; sed cor est mixtum: ergo habet talem symmetriam, nunc sic: ergo si fuerit à corpore separatum cor, erit medicamentum, & calefaciet nostrum corpus, veluti piper: ergo si intra corpus assumatur, poterit à calore natiuo reduci de potentia ad actum, hoc patet in brutorum partibus: nam sicuti accidit in corde pulli columbini, quod quando vitalibus fungitur actionibus est calidum actualiter, simulque habet calorem potentialem, quia emortuo pullo, resolutoque illius calore actuali, adhuc remanet potentialis, quia postquam deuoratum fuerit cor, & reductum à calore ventriculi de potentia in actum, denuò calefaciet ventriculum actualiter, sicut accidit in pipere, idemque discutiendum venit in nostro corde.

Si verò cur continuo non febricitamus, ioterroget aliquis? (inquit huiusmodi Author) cum nostri corporis partes semper sint actualiter calidæ, & cor calefaciant, vt inde inducant febrem: nam vt cor calefiat à partibus, non est necessarium, vt partes obtineant intensiorem calorem: nam quæ sunt potestate calida, exiguo acquisito calore, statim nos calefaciunt: sergo valebunt reducere temperiem cordis de potentia ad actum; atqui illo actuato febricitamus: ergo si propter actuationem caloris potentialis cordis febricitamus, nulla adesset ratio cur continuò, non febricitaremus? Respondet hic Author: ideò non contingere, quia propter continuam attractionem aëris frigidi per respirationem impeditur, ne potentialis calor in actum reducatur, cum respiratio fuerit à natura instituta, præter alia, ad attemperandum calorem cordis, sicque non sequitur, ex hac sententia absurdum, quod continuo exurgat calor ille potentialis à corde, vt inde febricitemus continuò.

Quibus nihil obstantibus, & si ingeniosa, senilisque, quamuis noua sententia, reiicienda est, Galenique opinio, vt verior semper est seligenda. Primóque nego calorem potentialem in corde, qui etsi reducatur in actum, sit febrilis, ac læsiuus, natura enim solum concessit cordi, quod deseruiret ad sui conseruationem, non autem ad actionum læsionem, & quamuis aliquis contineretur in potentia, adhuc esset intra limites caloris naturalis. Ac paritati de corde columbino, respondeo verum esse, quod si cor humanum applicaretur, vt medicamentum, diceretur potestate calidum ad hominem, non ex eo, quod actualiter non habeat calorem, vtpote mixtum, sed dicetur potestate calidum, quia nondum calefacier, nisi actuetur, ex quo tamen non colligitur obtinere in potentia calorem intensiorem ad febrem inducendam, quia non potest probari, quod cum nos calefaceret cor, vt medicamentum, posset etiam producere calorem intensiorem, quam habet actu, dum existit in corpore; præterea, quia ad quid lateat in corde potentia intensioris caloris, cum talis potentia potiùs sit ad iacturam, & destructionem viuentis, vt patet in febre, quam ad ipsius propriam conseruationem?

Neque vllo modo conducit ad concedendum talem calorem potentialem intensiorem, communis respiratio, quæ necessariò auferat aliquem gradum caloris ratione aëris frigidi: nam alioquin respiratio opponeretur temperamento naturali cordis, cum tolleret id, quod est de inclinatione ipsius cordis, quod est falsum, cum respiratio fuerit instituta à natura pro ipsius conseruatione, & si fortè aufert aliquem gradum caloris, erit respectu aliarum causarum, quæ continuò calefaciunt cor, vt sunt, vel spiritus, vel fuligines, quæ præter expirationem, per arteriarum compressionem expelluntur è corpore à natura, sicque calor naturalis per attemperationem non tollitur, sed fuliginosus, & qui à reliquis causis introducitur, quæ quidem causæ, adhuc salutis tempore in nostris corporibus reperiuntur.

SECTIO TERTIA.

Verior, ac communis Galeni opinio eligitur, & probatur.

Conclusio quidem firma, ac semper vt stabilis, & vera est sustinenda, cum dicamus febrem semper esse calorem præter naturam, & extraneum, ita vt nullatenùs possit ab intrinseco ortum ducere. Quæ sententia facilè probabitur si semel concedatur intra nostrum corpus esse aliquam substantiam corde calidiorem, quæ vel coctione, vstione, vel putredine producatur, cum quo fundamento huius suppositionis vt certæ, ruunt omnia fundamenta sententiæ contrariæ: in primis quam plures communiter docent spiritus vitales esse corde calidiores, ita Gentilis de Fulgineo *Fen.* 1. *lib.* 1. *doct.* 3. *cap* 1. Iacobus Forliviensis *quæst.* 20. Auerroes 2. *collect. cap.* 2. Veiga *lib. artis medicinalis, cap.* 27. Peramatus, *de temperamentis, cap.* 6. Petrus Garcia *in Fen.* 1. *lib. disput.* 12. *cap.* 2. Petrus Michaël de Heredia *quæst.* 4. *folio* 14. qui omnes probabiliter amplectuntur spiritus vitales naturaliter esse corde calidiores, etsi ab ipso producantur, quod est certum, vt ait doctissimus Cyprianus de Maroja: nam etsi spiritus vitales à corde generentur, ille tamen vlterior, ac intensior gradus caloris procedit, & pullulat à propria spirituum forma ex vi dispositionis antecedentis, in ordine ad conseruationem formæ illorum.

Probatur assertio à simili in igne: nam ad

ad ignis productionem non requiritur, quod subiectum habeat octo gradus caloris, sed sufficiunt septem gradus, dummodò alteræ qualitates adsint, vt siccitas, raritas, tenuitas, & leuitas, quæ disponunt materiam, qua de causa faciliùs forma ignis introducitur cum remissiori calore in stupa, paleis, & similibus, quam in ferro, lignis viridibus, & similibus; non aliter accidit, dum in materia spirituum introducitur à corde ipsorum forma, quia cum illorum materia rara, tenuis, leuis, calida, & sicca sit, sufficit calor remissior cordis, vt ipsa materia vltimatè disponatur, vt formam spirituum recipiat, à qua deinde pullulat intensior calor, ipsam spirituum formam conseruans: veluti à forma ignis producitur octauus gradus caloris ad eundem finem conseruationis, quamuis ille calor non fuisset antea receptus in materia ab agente, quod produxit ipsum ignem. Sicque facilem deducitur spiritus esse calidiores corde ex ipsorum tenuitate, mobilitate, & calore, qui per animi affectus ad illorum præsentiam solet sequi, ac ex immodico calore, qui persentitur, dum ad aliquam partem fluunt, ex quorum absentia nimis partes refrigerantur.

Quibus prælibatis, facilè nostra sententia roboratur ratione, & secundum Galen. doctrinam, ac Auicennæ, & aliorum Authorum, pro cuius explicatione breuiter est animaduertendum, quod omnis emanatio, quæ prouenit à qualibet forma, est ordinata ad perfectionem ipsius formæ, sic experimur, aquam se ad pristinam frigiditatem reducere remoto calefaciente, quia dimanat à forma substantiali aquæ, & illam perficit, cum sit proprietas ipsius. Secundo animaduertendum est, omnem morbum esse violentum viuenti, cum operationes lædat, viuentisque perfectiones destruat, & cum violentum fiat à principio extrinseco, passo non conferente vim: relicta Aristot. definitione 3. *ethicorum, cap.* 1. facilè intelligetur, naturam non appetere violentum, sed semper bonum, & suam conseruationem exigere, ratione cuius custodiæ, siue conseruationis, producit qualitates sibi conuenientes.

Probatur igitur primò ratione: nam omnis morbus est viuenti quid violentum; atqui febris est morbus: ergo febris est quid violentum viuenti: ergo non potest nasci à principio intrinseco. Probatur consequentia: nam quidquid violentum est, ex Aristotele *loco citato*, prouenit ab extrinseco, passo non conferente vim; atqui febris est quid violentum, cum sit morbus lædens operationes, & destruat viuens: ergo non habebit ortum à principio intrinseco, sed ab extrinseco. Dicet tamen aliquis, calorem febrilem, siue febrem esse quid violentum secundum quid, hoc est, respectu operationum, quia passum, siue violentatum, non habet inclinationem ad illum calorem, sicque lædit operationes, & est contra illius naturam, quod omne se habet ratione finis, non verò ex parte principij, nam intensus calor febrilis dependet intrinsecè à corde, quare febris erit, quid violentum secundum quid, non verò simpliciter, quia ad hoc requiritur, vt sit etiam violentum, ex parte principij, quod non inuenitur in corde, siquidem habet cor inclinationem ad intensiorem calorem, quam pro statu naturali, & sic ratione ipsius inclinationis intrinsecæ principij, siue cordis, non erit quid violentum, ac proindè non simpliciter, sed secundùm quid.

Hic tamen respondendi modus facilè poterit reiici: nam calor febrilis, non solum est quid violentum respectu finis, scilicet respectu operationis, cum ipsas lædat, sed etiam est violentum ratione principij, quoniam cor nullam dicit inclinationem ex se ad febrem, neque vt est pars princeps, neque prout organica, & constituit statum salutis, siquidem talis calor est semper supra latitudinem suæ perfectionis.

Neque obstabit si aliquis dicat, talem calorem esse extra latitudinem perfectionis cordis, & quid violentum, ac præter naturam, prout est causa læsionis, cum hac tamen animaduersione, quod in corde datur duplex temperies, siue complexio, vna quæ competit cordi, vt est mixtum, & alia in quantum est viuens, sicque talis calor febrilis erit naturalis cordi, vt est mixtum, quia talis intensio, siue excessus, non est contra naturam mixti, erit tamen præter naturam cordi, & violentum, in quantum cor est viuens, quoniam non proportionatur actionibus vitalibus.

Etsi dicta in responsione leuamen argutiei aliquomodo ostendant, falsa tamen sunt, & ab optima philosophia aliena, in corde enim, non adest nisi tantum vnicus numero calor, & iste disponit cor vt mixtum, & vt viuens, & dirigitur ab vna cordis forma, quia calor in elementis est dispositio conseruatiua animæ, & semper inclinatur ad illam conseruandam, non verò destruendam, & licet in corde reperiantur partes igneæ correspondentes elemento ignis, istæ tamen partes nequeunt ignem producere, quia ipsum non continent eminenter, neque talis intensiot calor valet produci à formà substantiali, cum ista in homine sit anima rationalis, & ex se repræsentet manifestam repugnantiam: ergo nulla dabitur differentia in corde ratione caloris, vel in quantum mixtum, vel in quantum viuens.

Confirmatur, quia per vos febris non nascitur à principio intrinseco, in quantum hoc principium, cor, est viuens, quia est contra inclinationem ipsius; sed febris est contra inclinationem talis viuentis, vt est tale mixtum, & non in communi: ergo viuenti, vt est tale mixtum, repugnat produci febrem ab intrinseco: minor probatur, quia hoc numero viuens, est idem realiter, & secundum entitatem physicam cum mixto: ergo si in quantum producit febrem, destruitur hoc numero viuens, etiam in quantum hoc est tale mixtum viuentis destruetur: ergo cum idem sit temperamentum, siue complexio, siue dubio si vt est cor viuens, non oritur febris ab eo, tanquam à principio intrinseco, neque vt est mixtum, orietur ab illo talis calor febrilis.

Vltimò, & breuiter roboratur hæc sententia, ex notandis supradictis; nam vt dixi, apud omnes

omnes philosophos est certum, omnem emanationem esse ad perfectionem formæ, à qua dimanat, vt aqua semotu calefaciente reducitur ad frigiditatem, quæ emanatio est perfecto ipsius aquæ, vtpotè propriæ; sed calor febrilis, potius est ad destructionem eius à quo dimanat, quam ad ipsius perfectionem: ergo calor febrilis non valet dimanare ab intrinseco; neque valet distinctio inter mixtum, & viuens, eo quia mixta ex propria constitutione, & ab intrinseco habent omnia requisita ad esse, & ad operari sine aliquo extrinseco; viuentia verò indigent aliquo extrinseco ad operandum, quo ablato, ex propria natura reducantur ad maiorem intensionem, quæ est naturalis ex parte principij, etsi sit præter naturam, & quid violentum ex parte finis, siue actionis; quam responsionem iam suprà insinuaui vt falsam, cum talis intensio sit extra sphæram actiuitatis, & extra limites sanitatis, ac talem calorem nunquam cor eminenter contineat.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiectiones in contrarium.

Obijcies 1. si conuulsio, v.g. ex humidæ substantiæ defectu procedens occasionaliter, & efficienter à siceis partibus fit, quatenus forma talium partium intensiorem siccitatem producit: ergo pari ratione febris poterit accidere ex defectu partium frigidarum, quo tempore forma, quæ existit in partibus, calidis valebit producere calorem intensiorem, quatenus talis caloris intensio non potest impediri à partibus frigidis, quæ iam euanuerunt: ergo saltim eo tempore febris ortum ducet ab intrinseco.

Cui respondeo, id fuisse verum, si adfuisset aliqua causa extrinseca, quæ destrueret partes, frigidas cordis, & non produceret simul febrem, tamen quoniam partes frigidæ non auferuntur ab extrinseco, nisi à calore immodico, vtpote contrario, ipsas partes frigidas resoluente, ac earum frigiditatem remittente, hinc est, vt calidæ partes cordis non valeant ascendere ad consequendum calorem febrilem nisi illarum calor intendatur à causa extrinseca calidissima, & ab ipsa remittatur frigiditas partium spermaticarum, quapropter ab extrinseco semper fit remissio frigiditatis partium cordis, quæ correspondent elemento aqueo, & terreo, quæ remissio cum fiat à causa calida, ista simul calefacit partes, ac febrem inducit.

Obijcies 2. scrupulus tamen circa responsionem insurgit diluendus, nam & si febris hectica efficienter ab extrinseco dependeat, in sui tamen conseruatione, non pendet ab illo, vnde fit, vt in eius curatione solum adhibeamus contraria febri, nulla habita ratione causæ: ergo tunc conseruatur hectica ab intrinseco; atque non minor virtus est necessaria ad conseruandum, quàm ad producendum: ergo causa, quæ febrem hecticam conseruat, eadem poterit producere.

Cui respondeo, quod semel absumptis partibus frigidis cordis, tunc partes calidæ intensiorem calorem acquirunt ab extrinseco productum, & cum non impediantur à frigidis, ideo calorem febrilem conseruant, sicque adest causa intrinseca conseruatiua, quæ quidem in principio non potuit producere febrem, quoniam ibi præexistebant partes frigidæ, quæ impediebant febris productionem, vt igitur virtus causæ conseruantis, & efficientis sit æqualis, petit etiam easdem conditiones; attamen, quia virtus producendi calorem, quæ erat in partibus calidis cordis reperiebatur impedita à partibus frigidis tempore productionis febris, ideò non potuit producere febrem, sicque petit causam extrinsecam calidam vt producatur, ablato tamen semel impedimento partium frigidarum per causam extrinsecam partes illæ calidæ, ablata causa extrinseca, conseruant calorem productum ab ea, sicque dabitur causa intrinseca conseruatiua, non verò productiua.

Vnde infertur ratio, propter quam febres putridæ, ablata causa humo ali, statim auferuntur, & in morbis acutis, qui terminantur crisi, subsequitur crisis euacuata causa morbifica, quamuis maneat dyscrasia, siue intemperies calida: nam facilè natura euincit intemperiem relictam, quia scilicet temperamentum substantificum, nondum est subuersum, siue immutatum, vt in febre hectica; at verò in febre hectica nullo modo natura se ad sanitatem reducit, etiam si causa auferatur, quia intrinsecum adest principium febris habitualis conseruatiuum, quod non potest auferri; nisi temperamentum illud instauretur, ad cuius nouam regenerationem, non solum vtendum expedit remedijs attemperantibus, quia hæc solum, qualitatem contrariam remittendo destruunt, sed requiritur etiam attemperatio, per alimenta substantifica, quæ non solum suis qualitatibus calori, & siccitati opponantur, sed etiam partes frigidas, & humidas deperditas valeant restaurare, vt de nouo ipsum temperamentum substantificum coalescat: nam alio modo febris hectica, non deficiet.

Obijcies 3. dantur morbi in temperamento læso, qui oriuntur ab intrinseco: ergo etiam febris. Probatur antecedens, cerebrum, ex Gal. *secundo de temperamentis, cap. 5.* humidum, & frigidum est ex propria sui natura, calidum verò ex accidenti ratione caloris influentis, sanguinis nimirum arterialis, atque spiritus vitalis, quibus fruitur ad actiones exercendas; quo supposito sic argumentor, cerebrum à propria sua temperie est impotens ad actiones animales, & naturales exercendas, sicque indiget aliquo extrinseco, vt fiat actio naturaliter; sed licet calor influens sit extraneus, est naturalis respectu operationum: ergo è contra, etsi febrilis calor oriatur ab intrinseco cordis principio, poterit esse secundum naturam, & respectu actionum præter naturam: ergo talis calor febrilis valebit oriri à principio intrinseco: deinde quia ex defectu sanguinis arterialis, & spiritus vitalis, oritur ab interno cerebri principio fri-

giditas lædens operationes animales : ægro ex defectu attemperationis, quæ fit media aëris frigiditate per respirationem, potest oriri calor iste febrilis.

Quod facilè soluitur si respondeam, vt iam supra insinuaui, quod cerebri frigiditas, & calor febrilis, quando lædunt operationes, non solum ex parte finis, sed etiam ex parte principij sunt præter naturam, eam esse sit propter operari: quoniam cerebri frigiditas, ad quam sequitur læsio operationum, non est cerebro condonata à natura secundum talem intensionem, sed secundum gradum determinatum, ita vt si illum amiserit valeat eum instantate ab intrinseco, principium tamen non potest producere ab intrinseco gradum intensiorem, qui inferat læsionem, quoniam illum nullatenus continet eminenter, siquidem nulla læsio continetur eminenter in partibus secundum naturam : implicat enim, quod aqua producat ab intrinseco calorem, quia sibi est contrarium, & violentum, neque gradum vlteriorem frigiditatis, quæ sibi non debeatur, vt nonus, si admitteretur apud Philosophos, quia iam vltra octauum gradum, sequens esset extra latitudinem perfectionis aquæ.

Non aliter dicendum est, cerebrum obtinere determinatam frigiditatem, quæ nullatenus est læsiua, sed semper est naturalissima ; si tamen iste deperderetur, cerebrum esset morbo affectum, & quia multæ sunt causæ cerebrum infrigidantes, vt pituitosa excrementa, (vocatur enim apud Galenum metropolis pituitæ) ossa, membranæ, & aliæ, quæ poterant cerebrum nimis infrigidare, ideo natura prospexit, vt cerebrum foueretur à calore cordis, & calefieret, non vt corrumperetur natiua frigiditas, sed illa, quæ poterit produci à causis infrigidantibus dictis; sicque oportuit, vt calore cordis temperarentur in ordine adesse, & ad operari ; vnde quando cor non calefacit cerebrum, cognoscitur atque eluescit magis impressio frigiditatis, quæ producitur à partibus circunstantibus, & ab excrementis pituitosis, & cum accedit ad talem gradum frigiditatis, tunc talis gradus est cerebro extraneus, quia prouenit à parte sibi vicina, vtpotè à contrario, & extrinseco, dicto, principio.

Quibus sic solutis facilè philosophandum venit, de febreque dicendum est, quod per respirationem aëris frigidi, non destruitur calor natiuus cordis, qui fuit insitus à natura ad constitutionem naturalem, nam aliàs semper esset cor morbosum : Respiratio enim, vt iam manet insinuatum, fuit constituta ad conseruandam symmetriam caloris, & ad corrumpendum calorem, qui ab aliis causis præter naturam calefacientibus poterat induci, vt sunt humores, spiritus, vel excrementa fuliginosa, quæ ratione dispositionis, & ab illorum forma sunt corde calidiora, sicque oportuit, vt attemperarentur ne calefacerent cor præter naturam ; quare calor ab his productus, qui proprie febrilis nuncupatur, semper ab extrinseco, & violentus, & respectu operationum, & respectu principij intrinseci denominabitur : sed quia manet expressum calorem febrilem, siue præter naturam, semper ab extrinseco, sicut naturalem ab intrinseco ortum ducere : ideo duplex nascitur quæstio, vtrum scilicet calor naturalis, & præter naturam cœlestis, & elementalis sint eiusdem speciei, necne, quod breuiter resoluam.



QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum calor naturalis, & præter naturam, cœlestis, & elementalis differant specie.



ANTEQVAM præsens difficultas solutionem pariat, primò notandum venit, quod etsi calor distinctas obtineat nominationes, omnes tamen sunt eiusdem speciei infimæ, primò quidem appellatur calor, cœlestis, non quia adsit in cœlis: nam cùm sit cœlum ingenerabile, atque incorruptibile erit incapax harum alterationum, sed quia à cœlis transeunte actione mediante lumine, aut influentiis, præcipuè solis, producitur calor in bis rebus sublunaribus, ita vt cœlum sit causa remota ; lumen verò, atque sol sint causa efficiens immediata, secundò calor dicitur elementalis, quia ortum obtinet ab elementis, quoniam ista concurrunt ad productionem mixti; producitur quidem mixtum corruptis formis elementorum substantialibus, & manentibus illorum virtutibus, vt sunt qualitates primæ refractæ, & sic talis calor dicitur elementalis : Tertiò vocatur calor vitalis, quia dirigitur ab anima, & eleuatur ad efficienda opera vitalia, ac deinde aliquando dicitur calor putridus, quia putredinem producit, aliquando vstiuus, quoniam vstionem partibus communicat, pestilens, siue malignus, quia disponit ad introductionem istarum qualitatum : præterea calor naturalis, vocatur ille, qui seruat mediocritatem in gradu proportionato ad operationes viuentis, præter naturam verò econtrà nominatur, quia excedit mediocritatem, & debitam temperiem viuentis.

Quibus sic prælibatis, sic prima conclusio calor cœlestis, & elementalis, sunt eiusdem speciei infimæ, hanc conclusionem tuetur, Petrus Garcia, *Fen.1.lib.1.doctrin.7.disput.39.cap.9.* Valles *in sua Philosophia sacra.cap.11.* Vega *lib.1.de feb. diff.cap.1.* & probatur: nam ex calore cœlesti, & elementali fit vna, & eadem intensio, quia vnus intendit alium : ergo sunt eiusdem speciei. Consequentia probatur: nam intensio fit semper à qualitate simili in specie completa, sicut remissio fit à contrario : antecedens probatur experimento, si quis enim calefactus ab igne accedat ad lumen solis, redditur calidior, & econtra: ergo quia calor cœlestis, & elementalis, sunt eiusdem speciei.

Confirmatur huiusmodi conclusio quia cuilibet frigiditati opponitur calor ; ergo quilibet est

est eiusdem speciei. Probatur antecedens, quia frigiditas non solum remittitur à calore ignis sed etiam à calore solis, vt accidit ętate, & præsertim sub cane: ergo cùm quolibet calore habet contrarietatem: ergo quia sunt eiusdem speciei, alioquin vni plura essent contraria, quod est falsissimum, vt Aristoteles docet 1. *de cælo, cap.* 2. vni, scilicèt, vnum est contrarium: ergo calor cœlestis, & elementalis sunt vnus calor specificè, siquidem vterque frigiditati opponitur.

Sit secunda conclusio. Calor naturalis, & præter naturam, siue febrilis sunt eiusdem speciei, atque existunt in eodem subiecto: hanc conclusionem amplectitur, Zacutus *lib.* 4. *de Principum Medicorum historia, cap.* 4. Petrus Garcia *libro de febribus, cap.* 1. *quæst.* 8. & probatur, ratione relictis variis Gal. authoritatibus: nam illa conueniunt inter se specie, quibus vnica inest differentia essentialis; atqui calori naturali, & præter naturam; vnica inest differentia essentialis: ergo conueniunt specie: maior constat, ex Aristotele *lib.* 2. *de generatione, cap.* 2. dùm ait calidum est, quod homogenea congregat, & heterogenea separat; sed sic est, quòd ista proprietas conuenit his duobus caloribus, vt patet in nostro calore, quandò humores naturales generat, & in præter naturali, quandò humores præter naturam producit: ergo inter se conueniunt specie.

Probatur prætereà huiusmodi conclusio, nam vnus, & idem numero calor potest esse naturalis, & præter naturam: ergo non differunt specie; antecedens est certum: nam vnus, & idem caloris gradus respectu ad distincta subiecta, adhuc vt est dispositio potest constituere sanitatem, & morbum: ergo vt dispositio, idem numero calor erit febrilis, & naturalis respectu diuersorum; atqui hæc subiecta sunt extrinseca calori; ergo specificum caloris, non distinguitur, siue immutatur propter talia subiecta.

Confirmatur assertio, quia calor. v. g. vt quatuor, respectu Pauli, valet esse naturalis, & respectu Hieronymi, valebit esse præter naturam: ergo ille quartus gradus caloris, etiamsi constituat in diuersis subiectis sanitatem, & morbum, non tamen erit specie distinctus, sed vnus specie, & numero, cuius est causa, quia sanitas, & morbus non semper differunt specificè, nisi quando formale morbi, & sanitatis fundatur in entitatibus specie, & physicè diuersis, vt quando morbus consistit in calore, & compatatur saluti, consistente in frigiditate, illo in casu morbus fundatur in calore, & sanitas in frigiditate, quę physicè & specificè differt ab entitate caloris, at verò si morbus constituatur per calorem, vt in febre, & compareretur ratione viuentis ad salutem, erit distinctio sola accidentalis, non verò specifica intrinseca: ergo semper est dicendum calorem naturalem, & præter naturam solum differre accidentaliter, non verò specificè

SECTIO QVINTA.

Argumentorum solutiones patefiunt.

Obiicies contra primam assertionem, quia papauer, mandragora, & aliæ plantæ frigidæ fruuntur vita, atqui non viuunt per calorem elementalem, cùm sit frigiditas in his intensior calore: ergo cùm vitæ actiones debeantur calori, & iste elementalis sit remissior frigiditate, debet dari alius diuersus, veluti est cœlestis, vt tali vita fruantur. Cui respondeo, has, & similes plantas iuuari ad operandum à calore cœlesti, veluti partes frigidæ nostri corporis iuuantur à calore cordis influente; propter hoc tamen non differunt specie, sed imò inter se iuuantur, ob rationem formalem specificam, quia veluti calor influens iuuat insitum partium ad operandum, & non est violentus, ita neque cœlestis, siue solis, violentus erit prædictis plãtis.

Obiicies 2. ferrum vincitur, & concoquitur in ventriculo struthiocameli; at ista coctio non fit ob caloris elementalis intensionem; siquidem datur calor intensior in leone, & tamen in eo ferrum, non concoquitur: ergo quia calor cœlestis concurrit in struthiocamelo: ergo quia huiusmodi calores differunt specie. Vt aliqui hanc dissoluant difficultatem, asserunt hoc fieri propter proprietatem occultã vẽtriculi concoquẽdi ferrum, sicut in aliis animalibus ad quędam alimenta, vt videre est in ventriculo canis, quia ossa, quamuis durissima, potest concoquere, tunicas verò vuarum, & si tenuiores, nequit separare, sicque asserunt, quod ad proprietatem debet reduci talis operatio.

Quæ potiùs veritati assentit ratio, est coctionem ferri à ventriculo struthiocameli, non fieri præcisè ob intensiorem calorem, sed à facultate concoctrice dicti animalis, ad quam multum iuuat maxima copia spiritus vitalis contenti in abdomine struthiocameli, & ob illius crassitiem, ac densitatem fouet ventriculum, ac prohibet, ne spiritus exhalentur.

Obiicies 3. contra secundam assertionem, illæ causę distinguuntur specie, quarum effectus sunt contrarij, & specie distincti; (quod est dicendum de vniuocis) atqui effectus caloris naturalis, & præter naturam, sunt contrarij, & specie distincti: ergo causæ erunt specie distinctæ, ac proinde calor natiuus, & præter naturam differunt specie. Probatur minor: nam calor naturalis efficit omnes operationes vitales, vt est alimenti concoctio, viuentis nutritio, ac illius conseruatio; calor verò præter naturam, dictas destruit actiones, siquidem alimentum corrumpit, viuentisque substantias absumit; atqui isti effectus non solùm sunt specie distincti, sed contrarij: ergo si effectus sunt specie diuersi, & contrarij, causæ pariter illorum specie distinguentur: ergo pariter calor naturalis, & præter naturam, quæ sunt dictæ causæ, erunt inter se distincti specificè.

Cui respondeo argumento, majorem diuidendo, illæ causæ differunt specie, quarum effectus sunt contrarij, & specie distincti, si tales

effectus contrarij, sunt primarij, & adæquati, ad quos ordinatur primò causa, concedo, si effectus contrarij, primarij non sunt, sed secundarij, & inadæquati, nego maiorem: causæ enim solùm specificantur per adæquatos, & primarios actus, non verò per eos, qui se habent secundariò, & accidentaliter, ac proindè cùm calefactio sit actus adæquatus, primarius caloris cujuscumque, siue naturalis, siue præter naturam constituet vnicam, & eandem causam specificam; sicque calor naturalis, & præter naturam, propter dictam calefactionem, vtpotè effectum adæquatum, & primarium, conuenient inter se specie, quare coctio, nutritio, putrefactio, & absumptio sunt effectus secundarij, atque accidentarij, qui nullatenùs diuersificant potentiam calefactiuam, quoniam hi effectus à diuersis agentibus diriguntur, sicque actiones, & effectus secundarij diuersi apparent, & contrarij, etiamsi entitas causarum, nullam distinctionem specificam obtineat, vt patet in ceræ liquatione, & luti densatione, qui effectus sunt contrarij, & tamen ortum ducunt ab vno, & eodem solis calore.

Obiicies 4. calor naturalis est dispositio valdè diuersa, ac calor præter naturam in subiecto: ergo datur distinctio specifica inter illos. Antecedens probatur, quia calor naturalis est dispositio viuentis ad introductionem formæ materialis in brutis, & ad informationem animæ in homine; atqui calor præter naturam est dispositio ad expulsionem talis formæ, & ad introductionem formæ cadaueris; istæ distinguuntur inter se specie: ergo pariter calor naturalis, & præter naturam. Cui respondeo argutiei, concedendo antecedens, & negando consequentiam; non enim implicat, vt vna, & eadem qualitas secundum diuersam dispositionem disponat ad formas specie diuersas, vt patet in igne, & in aëre: siquidem ambæ elementorum formæ disponuntur à calore; ad formam enim ignis requiritur calor in summo, cum siccitate, veluti ad formam aëris, ly calor, cum humiditate: præterea, quid implicat, vt idem calor, tam diuersas eliciat actiones, cum gubernatur à viuente, quoniam penes variam directionem instrumentaliter ad chylificandum in ventriculo, ad sanguificandum in hepate, ad purificandos spiritus in corde, ad ipsos animales generandos in cerebro, & tandem ad reliquas corporis functiones celebraodas eleuatur.

QVÆSTIO QVINTA.

An febris sit Solus calor præter naturam, an verò constituatur etiam per siccitatem coniunctam.



OMMVNIS, atque celebrata est quæstio inter Medicos, an essentia febris sit solus calor præter naturam, an verò sit compositus affectus ex calore, & siccitate, etsi doctissimus Altomar *lib. de medendis febribus, part. 1. cap. 10.* Franciscus Antonius Caserta *lib. 5. de febribus, quæst. 1.* & alij, quam plurimi teneant, febrem esse constituendam per calorem, & siccitatem: verior tamen, ac semper celebranda est opinio, quæ asserit febrem, solum esse calorem præter naturam, ita vt non exigat ad sui essentiam siccitatem, aut alium necessarium affectum; quam sententiam præter Gal. doctissimus amplectitur Zacutus *tom. 1. lib. 4. q. 5.* Mercatus *lib. 1. de feb. fol. 288.* Sennertus *lib. 1. de febr. cap. 1.* Petrus Garcia *lib. 1. quæst. 9.* Mariamoros *disput. 12. lib. 1.* & alij, quam plurimi quos ob essentialia offerenda omitto.

Probatur igitur verior assertio, quia si supponatur Petrus, v. g. qui laboret humida intemperie per excessum, siue hoc accidat propter humidum temperamentum, siue propter fruitionem rerum, non naturalium humidarum, & talis homo expositus sit causis præter naturam calefacientibus, illo in casu, Petrus laborabit febre citra siccitatem, sed imò potiùs cùm humiditate morbosa: ergo dicendum erit siccitatem, non esse de ratione febris: si verò asserant contrarij, huiusmodi calorem febrilem, necessariò corporis humiditates absumere, ac proinde exsiccare, sicque iam esse siccitatem necessariò calori coniunctam. Cui facilè respondeo, quòd etiam si calor ex accidenti exsiccet, tamen antequam humiditatem absumat, iam est calor febrilis, quia ad expulsionem humiditatis per exsiccationem, aliquod requiritur tempus, cùm humiditas siccitati introducendæ opponatur: ergo antequam actu existat siccitas actualis, adest calor febrilis; ac proinde siccitas non erit de essentia febris.

Probatur, prætereà huiusmodi conclusio, quia si febris essentia consisteret in calore, & siccitate sequeretur, omnes febres esse hecticas marasmodes; atqui hoc est falsissimum: ergo dicendum est, essentiam febris non consistere in calore simul, & siccitate. Probatur sequela, quia si calor febrilis necessariò inducit siccitatem morbosam, absumet aliquam humiditatem ex natiuis: ergo inducet marasmum, benè: ergo si febris ista est cum absumptione humiditatis, præcipuè carnis, vel adipis, vel radicalis, sine dubio erit hectica marasmodes; ac proinde cùm omnis febris secum habeat hanc siccitatem morbosam necessariò omnis febris erit hectica marasmodes, & non diaria sola, neque putrida hoc est falsum: ergo etiam contraria opinio allata.

Corroboratur assertio, quia neque implicaesse calorem cùm humiditate excedenti, neque semper calor excedens coniungitur cum siccitate excedente: ergo neque calor morbosus, vt in febre, habebit semper siccitatem excedentem. Probatur antecedens in mixtis, & in elementis, in mixtis, vt patet in temperamento calido, & humido per excessum, vt in adolescentia, in temperamento veris, pariter in sanguine, qui potius calidus, & humidus, quàm siccus appellatur, in aëre, qui à prædominio fruitur humiditate cum calore: ergo quia neque implicat esse humiditatem excedentem cum calore, neque calorem excedentem, necessariò adesse cum siccitate excedente: ergo idem di-

cendum


cendum est in febrili calore, qui aliquando valet esse cum humiditate excedente: ergo non est de essentia caloris febrilis, existere simul cum siccitate morbosa, siquidem experimur in febribus quotidianis, & in naturis frigidis, ac pituitosis, febres ita dependere ab humoribus pituitosis, & humidis, vt necessariò reperiatur intemperies humida per excessum, coniuncta cum calore febrili: ergo in tali casu iam calor febrilis, non erit cum siccitate coniunctus: ergo quia siccitas non est de essentia febris.

Obiicies tamen primò contra istam sententiam, nam propria, & naturalis actio caloris est euaporatio, resolutio & exsiccatio: ergo in calore intenso, vt in febrili, necessariò reperitur siccitas. Probatur antecedens, nam mors, naturaliter accidit viuenti, & talis fit, quia calor natiuus agens in humidum radicale, illud absumit, & illius absumptione accedit viuens ad tantam siccitatem, vt nequeat cum ea conseruari: ergo euaporatio, & exsiccatio est actio naturalis caloris: ergo si hæ actiones prouenniunt à calore naturali halituoso, & benigno, multò meliùs à febrili, cùm iste sit valdè intensior natiuo: ergo cum calor, vtpotè agens naturale, non possit detinere suam actionem in passo, in quo recipitur, necessariò operabitur in viuente, absumendo natiuam humiditatem: ergo necessariò cum cum calore febrili coniuncta reperietur siccitas.

Sed antequam huic, & aliis obiectionibus satisfaciam, animaduertendum est, quòd calor præter naturam repertus in corpore, obtinet virturem ad exsiccandum, quamvis non accidat per se, sed ex accidenti, euaporando, & resoluendo, at siccitas aliquando est in actu, non verò semper, neque qualibet siccitas, etiam si sequatur febrilem calorem, est morbosa, sed ea solum, quæ actiones nostri corporis lædit; sicque facile respondeo, quòd etsi calori conueniat exsiccare, non est primariò, sed solùm per accidens, ex quo non rectè infertur, siccitatem, quæ ipsum sequitur, esse de essentia febris, etsi corpus per febrem maiorem siccitatem adquirat, quàm antea obtinebat, quia iam supponit hæc siccitas, corpus antecedenter febrile, ante ipsam siccitatem. Præterea, quia ista siccitas non erit morbosa, donec lædat actiones.

Obiicies 2. omnia agentia, quæ frequenter valent febrem conseruare, possunt etiam producere siccitatem, ita vt ferè non possint inducere calorem, quin simul siccitatem inducant: ergo corpus febre correptum, reddetur calore, & siccitate correptum. Confirmatur authoritate Galen. qui 1. *de differentiis febr. cap.2. & 3.* assignans causas internas, & externas, asserit, ideò produci febrem ab illis, quia aliqua substantia calefit, sed cùm calefit, & inflammatur, pariter exsiccatur: ergo producitur etiam siccitas: ergo Febris non consistit in solo calore, sed simul in siccitate præter naturam.

Huic argumento, respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia etsi omnia agentia, quæ producunt febrem, possint producere siccitatem, simul cùm caliditate, non tamen non accidit eodem modo, quia calor ille, semper erit morbosus; siccitas verò non semper, quoniam illa siccitas, cum sit in natura maximè humida, vt pituitosa, non læder operationes, sed imò aliquando emendabit intemperiē humidam contractam, sicque in tali casu erit calor febrilis, & non siccitas morbosa, ac proindè non erit de essentia febris siccitas, veluti calor; quibus sic prælibatis, facilè respondendum venit, cuilibet argutiei, quæ in contrariam partem proponatur.



QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum subiectum febris sit necessariò cor?



VM in antecedentibus sectionibus explanatum manserit, quomodo febris sit calor præter naturam, nunc inquirendum venit; quomodo sit in corde accensus, ac per arterias ad vniuersum corpus diffusus, vel saltim in partibus principalioribus contentus; sicque venit exagitandum, an ad essentiam febris, ita essentialiter requiratur cor, vt si calor præter naturam, non existeret in corde, nullo modo posset dari febris, & quamvis aliqui, haud dubitent, vt Antonius ab Altomar *libro de febribus; parte 1.c.51.* & alij, calidum innatum esse febris subiectum, non tamen, cor; & Gentilis, *quæst. 15. extrauagantium* asserat, cor neutiquam esse essentialiter subiectum febris, ad integrandam febris definitionem, sed solum dum calor præter naturam sit in facto esse in parte viuente corporis, constituet febrem: quam sententiam non minus amplectitur, Guerrero *per vnicum libellum.* Michaël etiam de Heredia, impertinenter se habere cor, ad febrem asserit.

Quibus non obstantibus verior, communis, & eligenda sententia est, quæ asserit febrem, non esse calorem præter naturam in qualibet parte, sed necessariò in corde: quam sententiam amplectuntur, Mercatus, Sennertus, Auicenna, Vallesius, Petrus Garcia, Vega, Mena, Zacutus, & alij quam plures recentiores, & ad probationem, aduertendum venit, in febre duo esse consideranda, videlicet, calor præter naturam, vel intemperies, siue mala dispositio calida, vel vt talis intemperies calida denominatur febris; primò enim modo consideratus calor, neutiquam exigit essentialiter cor, tanquam ipsius subiectum, quia cum intemperies sit morbus proprius partium similarium, in qualibet parte viuente erit propriè morbus: at verò, vt talis intemperies appelletur febris, necessariò requiritur cor, nam etsi non esse intemperiei, tamen esse, saltim talis intemperiei, nempè febris, sumitur à lapsu temperiei cordis, & non alterius partis.

His ergo constitutis, probatur conclusio ratione, quia dolor est symptoma sensus tactus, vt communiter omnes concedunt: (haud minus initiatiuè, & vltimatè in fuga appetitus consistit)

stit) ergo si ita est, dabitur dolor in omnibus partibus sensu prę ditis, atqui hoc non obstāti reperitur dolor, ita proprius vni parti, vt alteri nō possit conuenire, quāvis in aliis sit sensus tactus: ergo non aliter; quam quam intemperies valeat dari in omnibus partibus viuentis, tamen febris, valebit esse talis intemperies calida, vt soli cordi, & non alteri conueniat. Minor confirmatur in dolore pleuritico; nam ideò dicitur talis dolor pleuriticus, quia sumit denominationem à parte affecta, nimirùm à pleura, & si illa nullum concursum communicet dolori, vt est symptoma, & hoc non obstanti, ita conuenit pleuræ, vt aliis partibus, nequeat conuenire: ergo ità pariter quamvis intemperies calida sit communis omnibus partibus viuentibus, tamen in esse talis intemperiei, scilicet febris, ita conuenit cordi, vt aliis non possit conuenire: ergo licet omnis intemperies calida permanens parti viuenti sit morbus, non tamen ideo erit omnis, febris, donec in corde non existat, veluti neque omnis dolor est pleuriticus, nisi ille, qui existit in pleura, idemque dicendum est, de dolore cephalico, iliaco, coxendico, & aliis similibus.

Probatur secundò, huiusmodi conclusio, in omni febre, quamvis intemperies calida sit primò in alia parte, necessariò afficitur cor: ergo quia ad esse febrem, necessariò requiritur cor. Probatur antecedens, nam in omni febre, afficitur natiua temperies cordis: ergo febris erit morbus proprius ipsius cordis. Antecedens probatur, quia in omni febre, non repugnante aliqua causa ex continentibus, pulsus mutatur ad celeritatem, magnitudinem, & frequentiam; atqui hi motus pulsus, & differentiæ, non immutantur, nisi calor cordis intendatur: ergo concedendum est ad esse febrem, necessarium esse, vt calor cordis intendatur: ergo vt calor febrilis habeat existentiam in corde; ac proinde cor erit necessariò febris subiectum. Maior propositio est certa, ex eodem Galeno 3. *de præsagatione ex pulsibus, cap.7.* vbi inquit, febres cognoscendas esse per pulsum dicens, quod quantum agitur in diariis, atque hecticis, pulsus fiunt magni, celeres, & frequentes: ergo ex eodem Galeno patet, quod in omnibus febribus, pulsus immutantur, & per talem immutationem cognoscuntur febrium differentiæ.

Dicet tamen aliquis posse febrem reperiri in aliis partibus, etiamsi in corde non existat, quamvis requiratur mutatio pulsus, prout à Medico cognoscitur; sed contra, quia si febris prout cognoscitur à Medico requirit mutationem pulsus; vbi deficiat ista mutatio, quomodò poterit constare, calorem præter naturam repertum in alia parte, constituere febrem? Sed instabit iterum, quòd quamvis in omni febre immutetur pulsus, ex hoc tamen non sequitur, quod necessariò, cor, calore afficiatur: nam sufficit, vt arteriæ reddantur calidiores, & calor non communicetur cordi, ex eo, quod detur humor putrescens iuxta cor, ita vt calefiant spiritus, & detur impedimentū ab obstructione, ne calidius reddatur cor, in illo casu certū est totum corpus reddi calidius ratione putredinis humoris, & non ratione cordis atqui dabitur mutatio arteriarum: ergo erit febris absque eo, quod calefiat cor.

Hoc facilè soluitur, si philosophicè loquamur, quia si arteriæ sunt calidiores per continui alterationem, & existunt intra sphęram actiuitatis, necessariò calefacient simul cor præter naturam, cum sint naturalia agentia, & detur maxima dispositio in corde, ad recipiendum calorem ab arteriis, quæ ortum ducunt ab ipso corde: si verò arteriæ sunt calidiores, & humor putridus est in arteriis valdè distantibus à corde, ita vt cor non possent alterare, illo in casu, quamvis motus arteriarum mutaretur, (quod est falsum) nam arteriæ non pulsant ratione sui, sed ratione cordis, tamen arteriæ pro tunc non laborarent febre, sed intemperie calida, donec cor simul non calefieret.

Sed obiicies primò, omne quod est de intrinseca, & essentiali constitutione, alicui rei non potest esse, neque competere accidentaliter: atqui oriri calorem febrilem à corde, siue efficienter, siue ab eo pendere in conseruari, competit febri extrinsecè, & tanquam quid accidentale: ergo febrem nasci, siue dependere in conseruari à corde est accidentale febri: ergo ad essentiam febris, non erit necessarium cor: maior est manifestissima, siquidem homo non constituitur per accidentalia, nisi per prædicata essentialia, vtpotè animal rationale: ergo ita febris, & quælibet alia res: quòd autem sit accidentale febri, ortum ducere à corde probatur: nam nasci à corde, est fieri ab ipso corde; atqui ista relatio respectu termini ad causam efficientem, est accidentalis ipsi termino, nempe febri: ergo calori febris, accidentale est oriri à corde: ergo cor non est essentialiter necessarium, ad rationem febris.

Cui respondeo, verum esse dependentiam ab ista causa efficiente esse extrinsecam termino, non tamen dependere ab aliqua, de qua dependentia efficienti, in præsenti non est loquendum; sed solùm de dependentia in afficiendo necessariò cor, quia necessariò afficitur cor, recipiendo calorem præter naturam, non tamen efficiendo, neque conseruando calorem, quia hoc solùm efficit causa præter naturam calefaciens, vt sunt humores, vel fuligines, &c. Sicque etsi ad esse non caloris præter naturam, sed talis, scilicet febris, requiratur, non quòd cor producat calorem, neque ipsum conseruet, sed solùm quod afficiatur per receptioneni talis caloris; ideò febri non erit intrinseca efficientia à corde, quia nulla est: benè verò receptio in corde, quia nisi vnà cor afficiatur, nondum merebitur talis calor intensus, appellationem febris.

Obiicies secundo, nam febris est morbus: ergo solum petit inhærere parti viuenti: ergo solum afficere partem viuentem: ergo non requiritur necessariò cor, tanquam subiectum febris. Probatur consequentia, quia si febris, neque vt est accidens, neque vt est morbus, petit inhærere magis huic parti, quam illi, sed sufficit, vt inhæreat parti viuenti: ergo determinatè ad essentiam febris, non est necessarium cor, quia omnis essentia febris, quoad existentiam, & quoad læsionem, valet saluari, absque existentia in corde.

Cui respondeo, quod etsi morbus in communi, petat absolutè afficere partem viuentem; at verò

verò talis morbus, talem, & peculiarem partem viuentem, vt patet in phrenitide, quæ neceſſariò afficit cerebrum, & in pleuritide, vt dixi, quæ neceſſariò afficit pleuram, ſic febris neceſſariò afficit cor, ipſiuſque actiones lædit.

Obiicies tertio, vbique adſit calor febrilis, eſt eiuſdem ſpeciei: ergo cuilibet parti communicat ſuum effectum formalem: ergo ſicut repertus in corde, dicitur febrilis, non aliter erit in parte viuente, quia calor ille præter naturam habet rationem febris, quoniam lædit operationes, quatenus eſt morbus, vt quilibet alius, vel quatenus exiſtit in corde, vel quatenus eſt ſparſus ad habitum corporis; non quidem eſt febris, quatenus eſt morbus, quia non eſſet in tali caſu neceſſarium cor, neque deinde, quatenus eſt accenſus in corde, quia hoc ſolùm dicit calorem eſſe vnitum ſubiecto, abſtrahendo ab actionum læſione, quia partes noſtri corporis ſolùm ſe habent merè paſſiuè, ſiquidem læſio actionis à morbo, ſicut actio à natura fit: ergo febris ſolùm conſiſtit in calore præter naturam lædente actiones, vbicunque ſit: ergo non requiritur neceſſariò, quod cor ſit illius ſubiectum.

Cui reſpondeo argutiei, concedendo primam conſequentiam, negando tamen ſecundam, quia non dicetur febris, niſi calor in corde reperiatur, quoniam in corde additur aliquid, vt ſit febris, & non in alia parte, vt inſinuatum manet de dolore pleuritico; & probationi ſatisfactio, dicendo febrem præcisè, non conſiſtere in calore lædente operationes, ſed in calore, qui ſit etiam in corde accenſus, & quamvis nullum concurſum præbeat cor, calori præter naturam in eſſe morbi, præbet tamen appellationem in eſſe febris, veluti os coxendicum ad denominationem doloris coxendici, & pleura ad appellationem doloris pleuritici.

DE FEBRIVM DIVISIONIBVS, LIBER SECVNDVS.

EX ſuperioribus claret, quid febris ſit, in præſenti quidem, iam eſt neceſſarium ad ambiguitatem auferendam accedere, ſi febrium diuiſionẽ exponamus: quia ſine diuiſione, res nequit exactè cognoſci, ob quam cauſam, apud Logicos diuiſio, inter modos ſciendi conſtituitur, ſiquidem per ipſam certa ab incertis ſeparamus, ſicque ſit



QVÆSTIO PRIMA.

De febrium diuiſionibus.



ANTEQVAM etenim peculiares febrium diuiſiones adferam, cum Galen notandum eſt, primò febrem eſſe dupliciter conſiderandam, vel per aliquid accidentale, vel per aliquid eſſentiale; ſicque duæ ſunt febrium differentiæ, aliæ accidentales, & aliæ eſſentiales: iſtæ ſumuntur ex ipſa ſubſtantia, vel eſſentia febris, ſc licet ex calore præter naturam: in calore quidem tria poſſumus conſiderare, qualitatem caloris, motum ipſius, & ſubiectum in quo calor accenditur; ex quibus naſcuntur differentiæ eſſentiales, quia conuenit calori eſſentialiter, vt ſit in ſubiecto, quia accidentia totum ſuum eſſe habent dependenter à ſubiecto; illorum quidem eſſe, eſt ineſſe: ſecundò conuenit eſſentialiter calori, vt aliis qualitatibus) ſuſcipere magis, & minus, vt ait Philoſophus: tertiò ipſi calori præter naturam conuenit, vt agat & moueatur, præcipuè quidem, quoniam aliis qualitatibus, eſt qualitas actiuior.

Accidentalis verò differentia febris, ſumitur ex aliquo accidente; inter accidentia tamen, aliqua ſunt proximiora, & aliqua remotiora, & minus propria ipſi febri, ſicque ſemper eſt laudanda febrium diuiſio, tradita ab Hippocrat. *lib.6. epidem.part.1. comment.*29. quæ in quatuor diuiſiones partitur, cùm in prima dicit, *febrium, hæ quidem manui ſunt mordaces, hæ verò mites; hæ autem non mordaces, poſtea verò inſurgentes, aliæ quidem acutæ, ſed quæ manui ſuccumbunt:* in ſecunda diuiſione, ait Hippocrat. *febres, quædam ſunt ſtatim exardentes quædam ſemper debiles*; in tertia, *febres aliæ ſunt fiſſug noſæ, quoniam flatibus plenæ aſpectui graues, aliæ tactui humectæ*; in quarta, & vltima diuiſione, ait Hipp. *febres aliæ vehementer rubicundæ, pallidæ aliæ, & aliæ huiuſmodi*: in prædicta diuiſione cõprehenduntur, tam eſſentiales quam accidentales febrium diuiſiones, quas ſigillatim enodandas, cùm doctiſſimo Maroja aggredior.

Cùm igitur, ait Hippocrat. *febres aliæ, quidem mordaces ſunt manui*, exponuntur differentiæ febrium eſſentiales, quæ deſumuntur, ex modo caloris, & cognoſcimus materiam, in qua calor ille exiſtit, vt ait Gal. 1. *de febribus, c.*5. vbi ait, quod ex modo caloris cognoſcimus, an calor ſit in ſanguine, pituita, bile, vel melancholia; mordaces quidem febres, illæ appellantur, quæ propter eius acrimoniam manum tangentis medici moleſtant, & pungunt, vt ſunt febres hecticæ, & quæ ex humore melancholico dependent; calor enim ſiccitati coniunctus mordacitatem, & acrimoniam quandam ſenſui exhibet, veluti ſubſtantiæ vnitatem erodendo, & diſſoluendo.

In secundo diuisionis membro, continentur febres mites, vt sunt sanguineæ sine putredine, & spirituosæ, quæ calore miti, & suaui distinguũtur à putridis, quoniam in febribus diariis, quia calor febrilis parum à naturali recedit, & multum à calore putridarum mordaci, ideo comparatione facta ad febres putridas, dicuntur calor diariæ, & febris synocha non putris febres mites, de quibus Hippoc. loquitur in hoc membro diuisionis.

In tertio diuisionis membro, ait, *aliæ verò non quidem mordaces, sed postea insurgentes*, in quo membro comprehenduntur febres pituitosæ, quarum calor, primo occursu non sentitur mordax, sed postea dum crescit febris, & manus detinetur in carpo tangendo, persentitur mordacitas caloris; & ideo dicuntur febres augescentes, vel insurgentes, cuius est ratio, quia cùm pituita sit frigida, & humida, non ita facile inflammatur, & succenditur, quia est veluti lignum viride, quod ab initio, non emittit nullam caliditatem fumosam, cùm vapore commixtam; postea verò iam exurgit calor vaporosus, & semel accensa illa humiditate vaporosa, & absumpta, mordacitas persentitur, non aliter calor febrilis pituitæ putrescentis, in principio non sentitur mordax; postea verò quando intenditur, vsque ad aliquam absumptionem humiditatis vaporosæ, pituitæ putrescentis, inducitur acrimonia, & mordacitas.

In quarto diuisionis membro, dum ait Hippoc. *aliæ autem acutæ, sed quæ à manu vincuntur*; assignat ipse iam differentias febrium, quæ sumuntur ex motu caloris, cùm ait, *aliæ autem acutæ*, idest, acutæ, quia celeriter mouentur, & tactui calorem protinus communicant: ait deindè; *sed quæ à manu vincuntur*, vt sunt illæ quæ statim prima manus applicatione calorem mordacem ostendunt; postea verò perseuerante manus applicatione persentitur calor mitis, ac suauis, vt sunt febres biliosæ, vt tertianæ, in quibus calor apparet primò mordax, postea verò propter materiæ tenuitatem à manus temperie euincitur, & tactui succumbit, & quia humor biliosus est tenuis, calidus, & siccus; ideo febres acutas gignit, quarum calor etiam si obediat temperiei manus, statim mordax persentitur, quia tamen media humiditate tangentis, propter detentionem rarefiunt pori, & exeunt fuligines, quæ sunt tenuiores, & quia humectantur, minor videtur mordacitas, & ideo, ait Hippoc *sed quæ à manu vincuntur*.

Secunda febrium diuisio dupliciter est sumenda, quæ quidem datur, tùm per intensionem caloris, tùm etiam per caloris remissionem, quia dantur quædam febres statim exardescentes, & nimis succenduntur, vt febres ardentes, & acutæ, veluti aliæ pusillæ, & siccæ, vt sunt febres lentæ, & cronicæ, quæ longo tempore corpora exsiccant.

In tertia diuisione, inquit Hippoc. *aliæ siccæ, fulliginosæ, aliæ inflatæ, horrendi aspectus, aliæ manui humectæ*; quæ quidem diuisio, datur per materiam, quæ quia triplex, communem triplicem differentiam febrium comprehendit, scilicet diariam, putridam, & hecticam: triplex enim est materia, in qua febrilis calor valet accendi, nimirum spiritus, humores, & partes solidæ; quare, quæ appellantur falsæ, intelligendæ sunt hecticæ, quæ ita metaphysicè dicuntur: nam veluti salsa insuauitatem gustui exhibent, ita in subiecto sicco, & aspero calor quandam insuauitatem tactui repræsentat: *aliæ sunt flatuosæ, & aspectu graues*; sub quibus verbis continentur febres pestilentes, quæ dicuntur inflatæ, & horrendi aspectus, non solùm propter pustulas, & vlcera, quæ in cute apparent, sed etiam propter malignitatem, ac symptomata vehementia. Nomine febrium pestilentium, adfert Hippoctat. omnes febres putridas, per vnicum exemplum febris putridæ per excellentiam, si tamen aliquis insurgat, istas febres, non esse horrendi aspectus, imò aliquas ex pestilentibus videri tactui mites.

Cui respondeo, quod febres pestilentes, quæ apparent mites tactui, sunt omnium pessimæ, atque indicant esse valdè oppressam, & victam naturam, & ideò, quia nullum efficit natura conatum in pugna contra causam morbificam, quoniam ipsi succumbit, apparent febres mites, etsi non ita sint; ex quibus colligitur error dicentium, per *ly, febres horrendi aspectus*, comprehendi febres diarias, quia spiritus magis accedunt ad naturam flatus; & ideò in his febribus calor ita apparet intensus, vt grauis, videatur aspectus; sed hoc falsissimum est, vt dixi, quia febres diariæ, non sunt horrendi aspectus, sed valdè mites, & suaues propter benignitatem spirituum, qui, etsi accendantur, calorem halituosum tactui inferunt; & ideo quando ait Hippoc. *aliæ ad manum humectæ*, intellexit pro febribus diariis, quia calorem suauem, & halituosum tactui repræsentant, & præsertim, quia ferè omnes aliquo sudore, aut madore terminantur.

In quarta, & vltima diuisione, dicitur, *aliæ rubicundæ valdè, aliæ valdè pallidæ, aliæ liuidæ, & alia id genus*; sub qua diuisione comprehenduntur febres desumptæ, ex humorum coloribus: & ideo dicitur propriè diuisio accidentalis, quia potiùs est diuisio coloris: quam febris, vt benè annotauit Vallesius, conducit verò ad cognoscendum humorem, in quo febris accenditur, vt debito tempore, & occasione euacuetur; quare febres, valdè rubicundæ dicuntur illæ, in quibus ęgrotantes; maximè rubri apparent, quæ quidem intensam caliditatem ostendunt, vt est febris synocha putris; febres valdè pallidæ appellantur, illæ in quibus febrientes, sunt valde pallidi, atque indicant bilis redundantiam plurimam, vt sunt febres tertianæ; liuidæ autem dicuntur in quibus ægrorum corpora liuida videntur, præcipuéque facies, manus, & pedes, quæ febres indicant sanguinis inopiam, & natiui caloris extinctionem.

Et aliæ id genus. quibus verbis significat Hippocrat. alias esse differentias febrium præter dictas, cùm aliæ sint simplices, & aliæ compositæ: simplex febris dicitur illa, quæ non est complicata cum alia, aut quia dependet ab vnica tantum causa: composita verò, quando diuersæ febres coniunguntur vt accidit in semitertiana, vel hemitriteo, quæ componitur ex febre

bre quotidiana, & tertiana, & iſta obtinet diuerſas ſpecies; deinde febres aliæ ſunt continuæ, aliæ intermittentes; continuæ appellantur, quæ ſemper, & continuò affligunt ægrotantes, & ſunt periculoſæ, intermittentes, vt ſunt illæ in quibus febrientes ab infebricatione, & periculo vacant; deinde intermittens vel prouenit à bile, & vocatur tertiana, vel à pituita, & dicitur quotidiana, vel ab humore melancholico, vt quartana continua, quæ quamvis ab aliquibus negetur, non implicat eſſe continua.

Continua quidem, adhuc ſubdiuiditur: nam vel eſt ſimplex aut duplex in repetitionibus, aut continens; v.g. febris tertiana continua, quæ eſt ſimplex, eſt illa, quæ tertiò quoque die habet exacerbationem; tertiana verò duplex, eſt illa, quæ ſingulis diebus, ita vt exacerbationes, tertiò die etiam habeant correſpondentiam, & typos, continens febris, dicitur illa cuius duratio vnica finitur acceſſione, & iſta tripliciter diuiditur, ſiue omnis acceſſio eodem modo ſe habet, eundemque ſeruat tenorem, & à Græcis appellatur homotona, vel acceſſio creſcit ſemper, & viget, atque acmaſtica dicitur aut ſemper decreſcit, & dicitur paracmaſtica; prætereà ſecatur febris in acutam, quæ celeriter mouetur cùm vehementia ſymptomatum, ob quam conditionem febris diaria, quamvis celeriter moueatur, non dicitur acuta, quia non eſt cùm vehementia ſymptomatum; & ideò non habet periculum adiunctum, diuiditur pariter febris in cronicam, quæ ob contrarias accidit cauſas, pariter etiam in malignam, aut benignam, ordinatam, aut inordinatam, diurnam, ſiue nocturnam, ob quas febrium differentias, dixit vltimò Hippocrates: *& id genus aliæ.* & hæc de differentiis febrium in communi.



QVÆSTIO SECVNDA.

An febris ſit diuiſibilis per differentias eſſentiales.



EX dictis in conclusionibus antecedentibus, facilè deducitur deciſio concluſionis, cùm maneat expoſitum, calorem præter naturam, naturalem, cœleſtem, & elementalem, non eſſentialiter, ſed ſolùm ex accidenti inter ſe differre; quia tamen diuerſus ſentiendi modus inter quamplures Autores militat, breuiter aliquorum rationes proponam: Quare Valleſius, *lib. 4. controu. c. 2.* ſermone de differentiis morborum, & præſertim loquendo de febre aſſerit, febres poſſe diuidi per differentias eſſentiales, eo quia febris diuidatur in habitum, & diſpoſitionem; ita vt febris hectica ſit habitus, ſicque difficilè mobilis à ſubiecto; febres verò diaria, & putrida ſunt diſpoſitio, quæ facilè mouetur à ſubiecto.

Hæc tamen ſententia eſt falſa, quia in nullis morbis reperitur propriè habitus; ſed habitualis diſpoſitio, vt monet Ariſtoteles *cap. de qualitate*, per hæc verba: *Diſpoſitiones autem dicuntur, quæ ſunt facilè mobiles, & citò mutabiles, vt calor, & frigiditas, ægritudo, & aut ſanitas, & quæcunque alia huiuſmodi:* ergo ex Ariſtotele conſtat, quod in nullis morbis adeſt habitus; quia omnis morbus eſt viuenti violentus, & citò de vno ſtatu transmutatur in alium. Quamvis Philoſophus eodem loco, ſic aſſerat, *niſi diuturnitate, verſa ſit in naturam*; quia tunc omnes homines habitum dicere ſoliti fuere: ex quo modo dicendi oſtenditur, quod hæc non ſunt dicta de habitu ſecundum eſſentiam, ſed de habitu ſecundum modum loquendi, qui eſſentialiter, & ſpecie non diſtinguitur à diſpoſitione, ſed ſolùm accidentaliter: quilibet etiam morbus dependet à cauſis, quæ ſunt facilè mobiles à ſubiecto, ex natura rei, etſi ſecundùm modum aliter ſuccedat; ſicque febris hectica, non erit propriè habitus ſecundum rem, ſed ſecundum modum: Deinde, quia maior, aut minor facilitas remotionis caloris in hectica, diaria, vel putrida tantum extrinſecè, & accidentaliter eſt calori: nam hoc, quod eſt eſſe magis, vel minus calorem radicati, nihil ad eſſe formalitatis caloris conducit; & licet calor febris hecticæ, ſit difficilè mobilis à ſubiecto, quia pendet ex radicali elementorum proportione, ex hoc non ſequitur hecticam eſſe habitum, quia etiam ſanitas id omne habet, & tamen Ariſtoteles eam, non appellauit habitum, ſed diſpoſitionem.

Quod autem habitus, non diſtinguatur eſſentialiter à diſpoſitione, facilè probari poteſt: nam habitus iuxta communem receptiorum doctrinam, eſt qualitas perfecta, reddens potentiam facilem ad proprios actus efficiendos, ac eſt difficilè mobilis à ſubiecto, quia quantum eſt, ex virtute, & robore ſuæ intenſionis, difficultet valet habitus contrarius in ſubiecto introduci; diſpoſitio verò eſt ipſa qualitas exiſtens in potentia in ſtatu remiſſo, & imperfecto, nondum reddens, atque denominans potentiam facilem in agendo, ſed ſolùm diſponens ipſam ad operandum; nunc ſic, ex Ariſtotele *loco citato*, diſpoſitio poteſt aliquando migrare in habitum: ergo diſpoſitio, & habitus non diſtinguuntur ſpecie, & eſſentialiter, ſed ſecundum magis, & minus perfectum: nam ſi daretur diſtinctio eſſentialis, & ſpecifica, nequiquam vna entitas tranſiret in aliam, vt diſpoſitio in habitum.

Doctiſſimus tamen Mercatus *tom. 2. lib. 2. de febr. fol. 295.* inquit, differentias febrium allatas ab Hippocrat. & Galen. eſſe eſſentiales, & hoc ſumi ex diuerſo modo, quo calor præter naturam inhæret ſubiecto, quia præter propriam eſſentiam caloris, eſt etiam calori eſſentialis inhærentia in ſubiecto, vt cuilibet accidenti competit, ſicque iuxta diuerſam inhærentiam, dabitur eſſentialis differentia caloris febrilis, non tamen ratione propriæ eſſentiæ, quia ſemper eſt eadem in calefaciendo; vnde ſuppoſita propria, & eſſentiali differentia febris in habitualem, aut hecticam, & in eam, quæ conſiſtit in diſpoſitione, vt eſt diaria, & putrida, ratione modi inhæſionis, quia diaria, & putrida diſpoſitiuè, & hectica per modum habitus, diaria tamen, & putrida differunt, etiam inter ſe, quia etſi diaria diſpoſitiuè inhæreat; tamen ipſius calor factus,

factus, & inhærens spiritibus existit independenter, non verò calor febris putridæ, qui quidem inhæret humoribus, quia talis calor semper est dependens à sua causa; ex quibus infertur, maximum esse discrimen inter febres, illarumque esse tres differentias essentiales, ex diuerso inhærendi modo; sed quam falsum sit calorem præter naturam specificari, ex diuerso modo inhærendi, facilè potest probari: nam ex hoc sequeretur, quod per subiecta, vel materiam, accidentia distinguerentur specie; quod est contra omnem rationem philosophicam; nam quilibet particularis respectus, siue ordo ad subiectum, est calori valdè accidentalis, quia solùm exigit essentialiter subiecto inhærere, & hic, vel ille modus inhærendi, valde erit accidenti secundariò, & extrinsecè; neque ista diuersitas inhærendi, dicit diuersam perfectionem essentialem caloris in esse præter naturam.

Neque valet dicere, calorem febris putridæ esse dependenter à sua causa, & calorem diariæ esse independenter, etiamsi, calor putridæ sit in humoribus, veluti diariæ in spiritibus; quia non est maior ratio, ob quam calor febrilis inhærens humoribus dependeat ab ipsis, quam in febre diaria calor dependeat ab spiritibus: imò potiùs febrilis calor, necessariò est dependens in omnibus febribus à subiecto, tanquam à causa materiali, ex qua educitur, & tanquam à causa efficienti à qua conseruatur: ergo fundamentum Mercati, nullo modo est sustinendum.

Alij verò Authores, potiùs sumentes distinctionem febrium ratione causarum, quam ratione caloris febrilis, asserunt, febres inter se distingui essentialiter, quia variam postulant curationem, ratione variæ causæ, & cum finis artis, sit ratio formalis ipsius, ideò videtur diuersus finis curationis; sicque dabitur diuersa ratio formalis curationis; ac proindè quoad praxim dicentur essentiales differentiæ febrium, quia quoad praxim essentialiter variantur modi curationis ipsarum, etiamsi quoad theoricam huiusmodi febres in essentia, non differant, cuius sententiæ inter alios est Pereda in Paschalium *lib. 2. de febr. in scholio, cap. 1.*

Quibus tamen non obstantibus, etsi febris consideretur in ordine ad praxim, nullo modo obtinet essentiales differentias, quia intensio, aut remissio qualitatis, nec practicè, nec speculatiuè specie differunt, nec minus differentiæ desumptæ à subiecto; quia aliquæ sunt febres, quæ differunt in subiecto, vel materia, & obtinent eundem modum curationis, vt patet in febre diaria exquisita, & in hectica, in quibus vnam, & eandem assignat curationem Galenus *octauo methodi, capite vltimo*, & diaria, quæ ex obstructione dependet, obtinet ferè eandem curationem cum putrida; quia omnes febres, ex propria sua natura communi gaudent indicatione curatrice, si tamen in febribus varietur curatio, non est ratione febris, sed ratione ipsius causæ, quia febris, in ratione febris, solùm exigit indicando, attemperationem per frigida, etiamsi ratione causæ, vt est pituita cruda in quotidiana, diuersimodè curetur hæc febris, ac tertiana ratione bilis; quæ se habet, vt diuersa causa morbifica, ita sentiunt Vega, Vallesius, Matamoros, & alij.

Quare concludendum vt certum est, febres inter se nullo modo differre, nisi ratione caloris intensioris, aut remissioris respectu nanualis, qui semper est remissior, quam febrilis; & quod sit calor intensior, vel remissior, nullo modo parit differentiam specificam; veluti, neque ex eo, quod calor sit naturalis, & præternaturalis, vt supra lectionibus elapsis manet explanatum: ergo cùm inter calorem, vnum, & alium nulla diuersa mediet species, multò minùs vnus calor febris, erit specie diuersus à calore alterius febris; quamvis in febribus diuersa reperiantur accidentia, quia id, non obtinet febris, vt est calor, sed ratione alicuius adiuncti.

Sicque de primo ad vltimum constare potest, quod nulla ex diuisionibus febrium, quæ adducuntur à Galeno, datur per differentias essentiales, nec sumitur à propria febrium substantia; & probatur de prima diuisione: nam diuisio essentialis, vt dixi, debet dari per aliquid intrinsecū, sed prima diuisio datur per aliquod extrinsecum: ergo non est essentialis. Probatur minor, quoniam mordacitas, quæ in prima diuisione continetur, est quid calori extrinsecum; quia est qualitas secunda maximè distincta à primis. De secunda diuisione, idem est sentiendum: nam vt dixi, esse remissum, aut intensum, non causat diuersitatem specificam; quia calor remissus, nullatenus differt à calore intenso; de tertia pariter diuisione, quæ datur per subiecta, idem est fatendum: nam licet calor febris becticæ, diariæ, & putridæ, petat diuersa subiecta, non tamen subiecta sunt de intrinseca entitate caloris; & ideo ratione subiecti, quod est extraneum calori, non valebit febris intrinsecè specificari: De vltima febrium diuisione, idem patet; nam calor neque valet dici albus, vel niger intrinsecè, cum albedo, siue nigredo, sit secunda qualitas, orta à primis, ac proinde valde distincta.



QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum tertia febris diuisio tradatur per materiam, an verò per causam efficientem.



PRÆSENS quæstio supponit aliam toties controuersam, in qua inquiritur, an sanitas, & morbus sint passiones viuentis, de qua facilè *infrà*, & breuiter attingam; quare primò ad veram quæstionis expositionem perpendendum venit, maximè inter se differre, hoc quod est calescere, & incaluisse; nam in diaria febre incalescit cordis substantia, & humores, eo quia in eis non est adhuc in igneam naturam immutatus calor, sed immutatur; ideoque

adest

adeſt in corde inæqualis intemperies; ſpiritus verò iam incaluerunt,quia in eis, iam eſt calor immutatus in igneam naturam, non aliter in febre putrida cordis ſubſtantia, & ſpiritus incaleſcit, humores verò incaluerunt, quia iam illorum calor eſt in igneam naturam conuerſus, in febre tamen hect ca incaluit iam in totum ſolida cordis ſubſtantia, etſi non re vera, apparenter,ac ſenſus iudicio; humores verò, & ſpiritus,nondum incaluerunt, ſed incaleſcunt.

Hæc tamen dilucidiùs exponit Gal. tribus exemplis, quorum primum deſumitur, ex æneo vaſe, quod lebetem appellamus: nam ſi quis aquam iam feruentem in lebetem frigidum iniiciat, ac ipſum in totum non impleat; tunc lebes ex aqua iniecta calefiet, & pariter calefiet aër,quieſt in parte ſuperiore vaſis, ad quam accedit aqua feruens, & per hoc exemplum explicatur febris putrida, in qua incaluerunt humores, ſpiritus verò, & ſolida cordis pars incaleſcit; ſecundum exemplum aliter eſt ſumendum: nam ſi frigida aqua in lebetem intensè calidum iniiciatur; ex lebete calefiet aqua, & aër; quo exemplo febris hecticæ natura oſtenditur: nam in ipſa, calefacta eſt ſolida cordis ſubſtantia, & ab ea calefiunt ſpiritus, & humores.

Tertium, denique exemplum, deſumendum eſt, ex follibus fabrorum ferrariorum: finge enim, inquit Gal. fabrilem follem trahere aërem admodum calidum, & deindè ab illo calefieri, nondum tamen eſſe calefactum; ſed vt aptior reddatur ſimilitudo, finge etiam intra follem contineri aquam, vel alium humorum, ita vt foramina follis,per quæ attrahit,& expellit aërem,taliter anguſta ſint,vt aëri ſint pervia, & humori in via, hoc quidem, quod arti repugnat; à natura eſt factum; in corpore enim humano per cutis poros permeant aër, & ſpiritus, remanentibus intus humoribus: quo exemplo explicatur febris diaria; nam veluti aër calidus attractus calefacit follem, & humorem contentum intra follem; ita in corpore ſpiritus calefacti, humores, & membra ſolida calefaciunt: quæ omnia tria exempla aptiſſimè poſſunt in balneo explicari; in illo enim adſunt parietes, aqua, & aër, valet autem accidere, vt intra parietes calidos,effundatur aqua, & aër frigidus, quæ ſimilitudo eſt febris hecticæ, vel exiſtentibus parietibus frigidis, & aëre, ſi tunc infundatur aqua calida, per quid explicatur febris humoralis, vel demum parietibus, & aqua frigidis, ſi infundatur aër calidus, quo tertiò modo declaratur febris diaria;parietes enim partibus ſolidis comparantur, aqua balnei humoribus, veluti aër ſpiritibus, quibus ſic poſitis,

Sapientiſſimus Mercatus *lib. 2. de differentiis febr.folio 197.* exiſtimat, vt verum, quod humores, & ſpiritus neutiquam ſunt febrium ſubiectum, ſed illarum cauſæ, & quod calidum innatum cordis, eſt ſubiectum febris, quia in omni febre calidum innatum mutatur in igneam naturam, primoque ſupponit ad maiorem intelligentiam, quod in ſubſtantia ſolida cordis, veluti in qualibet parte corporis, datur triplex ſubſtantia,ſolida ſcilicet, humida, & ſpirituoſa, ex quibus ſubſtantia calidi innati componitur, vnde ortum ducit triplex differentia eſſentialis febrium à ſubiecto; quælibet enim ex his ſubſtantiis ſufficit, vt ſit febris ſubiectum, taliter vt vnaquæque ſubſtantia, ſingulæ febri correſpondeat, veluti ſubſtantia ſpirituoſa febri diariæ humida febri putridæ,& pars ſolidior febri hecticæ,vt ſubiectum deſeruiat.

Hic tamen opinandi modus,facilè impugnatur conceſſa, adhuc tali diuerſitate partium in calido innato cordis: nam, vel eſt neceſſarium, vt detur febris, quod calor ſit in facto, in vna ex dictis ſubſtantiis,vel ſufficit, quod ſit in fieri; ſi debet eſſe in facto, quælibet febris eſſet hectica, quia non eſt maior ratio, cur calor, qui eſt in facto eſſe, in ſubſtantia ſolida cordis, efficiat febrem hecticam, quam in ſubſtantia ſpirituoſa, aut humorali cordis; ſi verò dicatur ſufficere,quod calor ſit in fieri,manifeſtè ſequeretur, omnes tres febrium differentias, ſcilicet, diariam,putridam, & hecticas eſſe ſemper complicatas,& nunquam, vnicam, & ſimplicem febrem,quod maximè veritati contrariatur.Sequela facilè probatur, quia cauſa præter naturam calida, ſi approximetur cordi, omnes illius partes vniformiter,ac ſimul calefaciet, cum ipſius actiuitati non repugnet, neque ſubiecti capacitati in recipiendo alterationem; ergo cum omnes partes æquè caleſiant,omnes febres ſemper complicatæ adinuenientur.

Si tamen Mercatus, & alij reſpondeant, inquit,Petrus Garcia *quæſt.4. de febr.fol.82.* Quod licèt omnes cordis ſubſtantiæ à qualibet cauſa præter naturam calida, ſimul caleſiant in fieri, cùm hac tamen differentia, quòd ſolùm calefit in facto eſſe illa ſubſtantia cordis,quæ maiorem ſimilitudinem,& ſympathiam obtinet cum cauſa calefaciente, ſicque propter ſimilitudinem particularem, ſpiritus intra corpus calefacti præter naturam, potiùs quam aliam, ſpirituoſam cordis ſubſtantiam, veluti humores, humidam calefacient.

Hic verò reſpondendi modus, maximæ veræ Philoſophiæ opponitur, ſiquidem ſimilitudo, quæ datur inter ſpiritus calefactos, & ſubſtantiam cordis ſpirituoſam, non poteſt efficere, vt electiuè ſolùm calefiat pars ſpirituoſa, quin aliæ ſubſtantiæ, ſimul calefactionem, ſiue alterationem recipiant; cùm nec obſtet ratione virtutis agentis,nec capacitatis in ſubiecto;minuſque ratione approximationis requiſitæ:ac proinde veluti ab humoribus præter naturam calefactis, valebit calefieri humida cordis ſubſtantia, multò melius ipſius ſpirituoſa:ergo reſpondendi ratio, nullo modo eſt ſuſtinenda.

Communiter tamen aliqui probant prædictam diuiſionem deſumpta, quia cum febris participet naturam morbi, ac proinde lædat ſenſibiliter actiones, requirit ſubiectum viuens, cùm apud Philoſophum,in his,qui non viuunt non detur ſanitas, neque morbus: ergo nec humores, nec ſpiritus, erunt ſubiectum febris; ſiquidem nec ſpiritus, nec humores, viuunt; quia neque ſunt corpus continuum,vt partes corporis viuentes,& deinde,quia ordinantur ad nutritionem partium viuentium, quod maximè repugnat parti cuilibet viuenti, vt ordinetur ad nutritionem alterius, & denique cum nullam

actionem vitalem exerceant humores, nec spiritus, merito ratio vitæ illis est deneganda: ergo cum humores,nec spiritus viuant, neutiquam erunt febris subiectum: ergo insufficienter diuisit Gal. febrem per materiam, in diariam, & putridam;siquidem, nec humores, minusque spiritus possunt esse materia nec subiectum febris,sed potius erunt causæ efficientes.

Cui argutiei Masarias, Ioannes Baptista Navarro,& alij asserunt, quod etsi spiritus, & humores non viuant; quia tamen præbent vsum, vt actiones exerceantur; ideo calor præter naturam,qui existat in illis, poterit lædere actiones viuentis, hæc tamen non obstant, quia spiritus concurrunt ad actiones viuentis, non solum per iuxta positionem localem, sed per aliquid productum ab ipsis, sicque actiones læduntur ab aliquo producto præter naturam,quia cor nullatenus laborat febre per formam repertam in alio à corde; aliàs in solo spiritu adesset febris,& non in corde.

Alij haud dubitant,huiusmodi diuisionem rectè desumendam esse per materiam, quia quamuis morbus intrinsecè est quid permanens, & factum, & in hoc differt à pathematibus, quorum essentia consistit in fieri; in febre verò putrida, & diaria, calor est factus in spiritibus, & humoribus; in partibus verò solidis est in fieri: ergo si vt detur morbus requiritur, vt sit affectus, vel res facta, ac in febre diaria calor est factus in spiritibus, sicut in putrida est infacto esse in humoribus, & in solidis partibus in fieri, meritò calor humorum febrem putridam constituet; quia tamen in partibus solidis est solùm in fieri,non obtinebit rationem febris hecticæ: ergo completè traditur, hæc diuisio per subiectum,siue materiam.

Ex dicendis manifestè colligendum venit, hos Authores, neutiquam consuluisse Gal. siquidem ipse *lib.1. de differentiis sympto. cap.1.* nobis exponit, quomodo dicatur morbus affectus,vt facilè præsens opinio impugnetur, affectus enim non sumitur à Gal. pro re facta, & permanente taliter,vt sit independens à sua causa,quia in causis continentibus,dantur morbi ab ipsis causis dependentes in esse, fieri, & conseruari,& tamen sunt verè morbi, & affectus; sed morbus,apud Gal. dicitur affectus, siue res permanens, & facta, quia obtinet suam propriam essentiam, & constitutionem in termino fixo, & producto,& non actione, siue motu,veluti passiones; quare quando omnes asserunt, quod in febre diaria,& putrida,calor est factus in spiritibus, & humoribus, & in viuente est in fieri; tunc non dicitur in fieri,veluti pathema, & motus,sed quia dependet à causa: & licet talis calor dicatur in viuente fiens,quia dependens; verè tamen,& realiter est factus, quia est terminus per actionem physicam productus, appellatur tamen in fieri, respectu caloris inhærentis spiritibus, & humoribus, in quibus calor repertus est factus independenter à causa alia distincta ab ipsis humoribus,ac spiritibus.

Quare sit vera conclusio, huiusmodi diuisionem partim esse sumendam per causas internas, & partim per materiam: quam sententiam amplectuntur Cyprianus de Maroja, Valles, Matamoros,Brauus,& alij,quam plurimi. Probaturque manifestè prima conclusionis pars, scilicet, hanc diuisionem partim dati per materiam, in qua solùm intelligitur febris hectica, quia cùm morbus debeat inhæsiuè, & intrinsecè afficere partem viuentem, propter rationem *supra* allatam; ideò membra tantùm solida erunt subiectum ipsius febris: quia vita gaudent, quòd verò in secunda parte diuisionis intelligatur,non propter materiam, sed per causas internas,quod est,per febrem diariam,& putridam,facile probatum remanet, cum dixi spiritus nec humores viuere;ac proindè, nec posse febrem in ipsis subiectari,cùm in vita carentibus,sanitas,nec morbus adinueniri possit, nisi efficienter. Instabit tamen aliquis,dicens, quòd ex hac sentiendi ratione, sequeretur omnem febrem gaudere ratione, & essentia febris hecticæ, si in omni febre, illius subiectum est solida cordis substantia, & probatur. Quia ideò differunt inter se febris diaria, & putrida ab hectica, quia veluti in eis laborant spiritus,& humores; ita in hectica solida cordis substantia laborat: ergo si in diaria, & putrida, secundum meam sententiam,substantia solida cordis,vt in hectica, nulla dabitur inter eas distinctio,ac proinde omnes febres verè dicerentur hecticæ.

Cui instantiæ respondent aliqui, quòd etsi in omni febre laboret solida cordis substantia, non tamen omnes sunt hecticæ, quia in hecticis solida cordis substantia, est calefacta,at verò in putridis, & diariis calefit; humores verò, & spiritus sunt calefacti: hæc tamen respondendi ratio, non est sustinenda, quia in febre diaria, & putrida solida substantia cordis etiam est calefacta; nam calida intemperies est in toto corpore,ac in solida cordis substantia:ergo iam dabitur aliquis gradus productus,siquidem est morbus existens in corde, & affectus permanens, & factus: ergo in febre diaria,& putrida à tali calore in facto, erit calefacta solida cordis substantia: ergo distinctio, non soluit veram doctrinam.

Nec si dicas,iam esse calefactos humores, & spiritus, quia si hæc passio non inhæret parti viuenti, vt est corpus cordis, nondùm merebitur nomen morbi; ac proinde nec febris, cùm sit passio rei viuentis:minusque si aliquis asserat, quòd etiamsi in febre diaria,& putrida,sit calefacta solida cordis substantia tamen calefieri deinde, per crebram, & assiduam intensionem: sed omne hoc datur etiam in febribus hecticis, quia in hectica, quæ ad vltimam accedit hecticarum speciem, intensiorem calorem adquirit in fine, quam obtinebat in principio, nec medio: ergo dicendum est, quòd etiam in hecticis febribus, quamuis solida substantia sit calefacta, vlterius tamen calefit, cùm calor denuò fiat intensior, donec ad vltimum igneæ naturæ accedit: ergo distinctio allata est nulla.

Quibus sic iactis, respondeo negando sequelam,& ad probationem asserto, non sumi distinctionem inter diariam, putridam, & hecticam, quia in hectica laboret solida cordis substantia, & in aliis solum spiritus, & humores, sed ratio principalissima; & distinctiua formalis, propter quam distinguantur inter se, sumitur à diuersitate

diuersitate causarum, à quibus talis febris dependet, eo quia in diaria dependentia sumitur ab spiritibus accensis, & in putrida dependet ab humoribus putrescentibus, in hectica tamen nullo modo datur talis dependentia: ergo cùm insufficienter saluetur ratio distinctiua formalis per talem dependentiam, nulla alia erit amplectenda, quia per solam assignatam differt hectica ab aliis.



QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum tertia Febris diuisio in putridam, & alias dictas, sit adæquata.



Ommunissima, & apud Medicos principalissima nominatur diuisio, in diariam, putridam, & hecticam, quæ maximè coincidere videtur cùm ea, quæ ex Hippoc. deducitur, in contentis scilicet, continentibus, & impetum facientibus, ita vt sit adæquata febris diuisio, vt inquit Manardus 4. *epistol. epistol* 4. Valles *quinto controuersiarum, cap.* 23. Vega, Matamoros, Cyprianus de Maroja, Petrus Garcia, Nauarro, & alij, quamplurimi, vt manifestè, docet Gal. *primo de differentiis febr. c.* 1. *&* 2. sicque latior erit diuisio allata per materiam, vel per causam efficientem immediatam, in contentis, & impetum facientibus, quia non solùm continet talis diuisio tales substantias assignatas, scilicèt humores, spiritus, & solida membra; nam sub nomine contentorum, non solùm continentur humores, ex quorum putredine excitantur febres putridæ, sed etiam includuntur fuligines ex bubonibus eleuatæ, & excrementa, quæ in intestinis, & ventriculo putrescunt, & membra, quæ putrida redduntur, & alia huiusmodi, quæ possunt suscitare febrem, cùm istæ febres, non fiantex spiritibus, nec ex humoribus putrescentibus, aut partibus solidis, non valent appellari diariæ putridæ, vel hecticæ, dicuntur tamen febres in contentis, cùm illarum causæ contineantur intra corporis caua, etsi hoc rigorosius, ita sit intelligendum: communiter tamen, ac doctrinæ gratia valemus, omnia febrium genera reducere ad vnam, ex tribus assignatis, putridam scilicet, diariam, vel hecticam, quia etiamsi primo intuitu aliqua videatur febris, valdè ab assignatis distincta, reducenda tamen erit ad illarum aliquam vt Gal. diuisio adæquata, & perfecta sustineatur.

Obiicies tamen primò, quia febris synocha sine putredine, fit ex sola efferuescentia sanguinis, & nullo modo spirituum: ergo talis febris neque erit diaria, putrida, neque hectica, non hectica, quia partes solidæ non laborant, non putrida, quia est sine putredine, minus diaria, cum spiritus non efferuescant, sed solum sanguis: ergo dabitur alia febris differentia, ob quam, diuisio non sit adæquata facilè, & manifestè soluitur instantia: si respondeam febrem synocham sine putredine reduci ad diariam quoad suam naturam, respectu causæ à qua dependet, non tamen diaria, quoad terminationem, siue constitutionem quia diaria sua natura est illa, quæ obtinet calorem in facto dependentem ab spiritibus; & simul efferuescentia sanguinis, vt synocha, & non finitur spatio tantum 24. horarum, veluti diaria constitutione quæ obtinet solutionem terminatam per spatium dictum; sicque cum in synocha non putrida, non solùm spiritus sint calefacti, sed etiam sanguis feruore sit correptus citra putredinem; ideò plus durat, quam illa, quæ est diaria constitutione.

Instabis secundò: nam in febribus, quæ excitantur ex putredine alicuius membri vt pulmonis, quando phtisis fit, & exulceratur, aut ex putredine recrementorum in intestinis, missis vaporibus putridis ad cor, tunc talis febris non est hectica, quia calor non est factus. neque independens; minusque diaria, aut putrida, cum nullam obtineant dependentiam ab spiritibus, vel humoribus: ergo diuisio assignata, non est adæquata.

Diluitur prædicta obiectio; respondendo, quod quando substantia alicuius partis putrefit, vt est pulmo in phthisi, tunc calor est in facto in continentibus, sicque talis febris erit hectica, quia non semper est verum. quod ad rationem febris hecticæ, calor sit in facto independenter à causa, quia calor febrilis semper est violentus, ac cùm dependentia à causa peculiari, sicque diuersitas harum febrium sumitur à causis, in quibus calor repetitur in facto esse.

Confirmationi de recrementis putrescentibus in intestinis. Respondeo, quod talis febris est reducenda ad diariam, cum sit citra putredinem humorum. cuius est ratio, quia in pulsu, & vrina, nullum signum putredinis inuenitur, & deinde talis febris ortum ducit à causa manifesta, quæ omnia, & sunt necessaria, atque sufficiunt ad febrem diariam constituendam.

Obiicies tertio, quia Gal. *lib. de differentiis febrium, cap.* 5. asserit, quod ex bubone generatur febris, quæ quidem, nec est diaria, putrida, nec hectica: ergo diuisio allata, non est adæquata: probatur manifestè minor, non est diaria quia calor non est factus in spiritibus non putrida, quia quamuis humores, qui efficiunt bubones, putrescant, non tamen causant febrem putridam, quia vrina nullum signum cruditatis obtinet in principio, quod est signum proprium, & inseparabile febrium putridarum, sed potiùs est cùm omnibus signis coctionis, pulsusque nullam obtinet inæqualitatem, demum non est hectica: quia talis calor non est in partibus solidis: ergo constat diuisionem, non esse adæquatam.

Cui respondeo concedendo maiorem, & negando minorem, & vt soluatur argutiæ, priùs est perpendendum, quod febris valet ex bubone tripliciter oriri, primò per continui alterationem, repetto humore putrefacto, qui efficit bubonem, quin communicetur humoribus, nec spiritibus, secundò producendo calorem in facto in spiritibus, & tertiò per productionem caloris in facto in humoribus, quæ vltimæ febres ratione

tione spirituum, sunt diariæ, vel putridæ; difficultas tamen fit de f. bre causata ab humore existente intra locum inflammatum: Cui satisfacio dicendo, quòd cùm calor præter naturam accedit ad cor per continui alterationem, ita vt non accedantur per fuligines eleuatas ab humore putrefacto, sed manentibus in eodem loco conclusis, talis febris, rigorosius sumpta, est diaria, etsi calor præter naturam adsit in contentis; cuius est ratio, quia nullum datur signum febris putridæ, nec in pulsu, neque vrina, cùm nulla putredo appareat, & deinde cùm oriatur à causa externa, rectè dicenda erit febris diaria.



QVÆSTIO QVINTA.

An Febris rectè dissecetur in morbum, & symptoma.



RÆTER iam traditas diuisiones febrium, Authores subdiuidunt, in febrem morbum, & febrem accidens, vt exponit Gal. 4. *aphor. commen.* 3. & 5. *de arte curatiua ad Glauconem*, vbi subdiuidit febrem, dicens: *Nonnullæ febres ex humoribus accenduntur, non nulla ex inflammationibus, & quæ ex inflammat. oribus fiunt sunt veluti quædam accidentia partium laborantibus*: quam diuisionem admittunt Eustachius, Rudius *lib. 3. cap. 7.* Mercurialis *5. suæ practicæ, cap. 2.* Valles 5. *controuersiarum, cap. 2.* Mitamotus 1. *de differentiis febrium, tract. 2. disp. 8.* etsi percelebres prædicti Authores, hanc febrem amplectantur, subdiuisionem tamen intellectâ, non erunt contemnendi.

Quare, etsi vera appareat prædicta sententia, in rigore tamen dicendum est, nullam febrem posse obtinere rationem accidentis, siue symptomatis, sicque nulla erit diuisio in febrem, & symptoma; hanc conclusionem, tenent Altomar *lib. de febr. part. 1 cap. 10.* Mercatus *tom. 2. lib. 2. de differentiis febr. fol. 292.* Sennerto *tom. 2. suorum operum lib... de f br cap. 4. de differentiis febr. fol. 544.* Masarias *lib. 5. de febr. cap. 1. fol. 321.* & probatur authoritate Gal. qui *lib. de different iis morborum cap. 7.* inquit in hunc modum: *Nam subinde morbus ex morbo nascitur.* Ergo etiam si febris aliquem morbum sequitur, verè erit morbus, & non symptomata, siuè accidens, & licet Gal. *lib. 1 de arte curatiua ad Glauc. cap. 3.* asserat, quod febris, quæ sequitur inflammationem, sit veluti symptoma; nam ex eodem patet in rigore, non esse symptoma, sed veluti symptoma, ita vt semper sit morbus, vocatur tamen à Gal. veluti symptoma, quia sicut symptomata sequuntur morbum sic febris sequitur inflammationem, & sicut ablatis morbis, auferuntur symptomata (quamuis non omnia) sic ablata inflammatione aufertur febris, quæ sequebatur eam, vt in pleuritide, siue peripneumonia: ergo licet ob hanc similitudinem dicatur febris veluti symptoma, in rigore tamen semper est morbus, licèt impropriè symptoma.

Probatur deinde, quia si febris sequens morbum, vt inflammationem, esset symptoma, sine dubio reduceretur ad aliquod ex tribus membris, quæ Gal. assignat *libro de differentiis symptom. cap. 2.* scilicet, vel ad actionem læsam, vel ad affectum corporis, vel ad ea, quæ vtraque consequuntur; atqui ad nullum istorum potest reduci: ergo febris non erit symptoma. Probatur, primò non ad actionem læsam, quia intemperies nullatenus est actio læsa, sed ad illam sequitur actio læsa; non ad qualitatem mutatam, quia symptomata in qualitate mutata, solùm intelliguntur qualitates secundæ, vt rectè annumerantur à Gal. *lib. de differentiis symptom. cap. 5.* ergo non intelliguntur pro qualitatibus primis; quia qualitates primæ, constituunt morbum, ac proinde, cùm febris sit qualitas prima, non erit symptoma sumptum pro qualitate mutata; minusque reducetur ad ea, quæ ad vtraque consequuntur, quia ista consistunt in contentis, & excretis præter naturam, siue in retentis, febris verò in esse febris, cum consistat in intemperie calida existente in corde, & non in excretis, siue retentis, etsi quoad causam, vt accidit in febre putrida dependeat ab humoribus putrefactis præter naturam retentis, ideò meritò dicendum erit, non esse symptoma pertinens ad ea, quæ vtraque consequuntur: ergo ex sufficienti enumeratione sympt. sequitur nullam febrem esse symptoma.

Probatur 2. ex Auicenna *Fen. 1. lib. 4 tract. 5. cap. 1.* vbi inquit, quod febris, quæ sequitur ad apostema non sequitur immediatè ad illud, sed potiùs ad putredinem humoris existentia in illo, atqui febres ex putredine humorum ortæ, sunt verè morbi, & non morbi accidentia: ergo omnis febris nata ex apostemate, siue inflammatione est solùm febris morbus; præterea, quia ex Gal. 2. *de arte curatiua ad Glauc. cap. 4.* sic ait, *et quæ ex humorum putredine febres accenduntur, ab hoc ipso nominantur febres, & non sunt accidentia morborum, sed ipsi morbi*: ergo non erunt symptomata apud ipsum Galenum.

Probatur 3. quia qualibet febris, quomodocumque sumatur, obtinet omnia necessaria, vt sit morbus: ergo etsi sequatur, ad inflammationem, siue alium morbum, necessariò, & semper erit morbus. Antecedens est manifestum, nam quomodocumque sumatur, febris est lapsus à naturali constitutione: ergo affectus præter naturam lædens sensibiliter, & primò actiones: ergo erit morbus: ergo quamuis sequatur alium morbum, non erit symptoma: Consequentia probatur, quia plurimi morbi insequuntur ad alios morbos, quibus non obstantibus, semper sunt morbi, nulloque modo symptoma: ergo non aliter, etsi febris sequatur inflammationem, semper erit morbus, ex alio morbo nascens: Antecedens probatur, ex morbo in connexu, & in situ, qui sequuntur ad morbum in solutione continui atqui isti morbi, quamuis alium sequantur, vt est solutio continui, non sunt symptoma, quia verè lædunt actiones: ergo ita pariter dicendum est de febre sequente alium morbum, vt inflammationem,

Confirmatur,

Confirmatur, ex Galeno *Aphorismo citato*, nam inter febres morbos, constituit febrem lypiriam: atqui omnis febris lypiria est illa, quæ dependet ab inflammatione in partibus profundioribus corporis: ergo cum talis febris, apud Gal. non sit accidens, sed morbus, meritò dicetur, quòd etiamsi febris ad inflammationem sequatur, verè, & rigorosè erit morbus, non quæ obtinebit naturam symptomatis.

Sed objicies 1. quia vna, & eadem entitas Physica, secundum diuersos respectus, potest participare rationem effectus, respectu suæ causæ, à qua fuit producta, & potest habere rationem causæ, respectu illius, quod ipsa valet producere: ergo non aliter febris poterit secundum diuersos respectus, participare rationem morbi, quia lædit primò actiones, & pariter rationem symptomatis, quia sequitur morbum, sicut alia symptomata. Cui respondeo, concedendo antecedens, & negando consequentiam, cuius est ratio disparitatis, quia sub ipsa, & indiuisibili formalitate, qua dicitur febrem esse symptoma, quoniam scilicet sequitur inflammationem, sub eadem etiam dicitur morbus, quia lædit operationes, cùm sit intemperies partis, non tamen sub eadem formalitate, qua vna entitas Physica habet rationem causæ, participat etiam rationem effectus, imò inter se valdè formalitates distinguuntur: ergo nulla est paritas, cùm in causa, & effectu, vna formalitas necessariò aliam excludat, quòd nullatenus reperitur in febre orta ab inflammatione.

Obiicies 2. nam symptoma est accidens sequens morbum, ita vt morbo ablato, nullam postulet curationem: atqui febres quædam reperiuntur, quæ ita sequuntur morbum, vt statim ac aufertur morbus à quo dependent, pariter etiam auferantur, & nullam exigant curationem: ergo tales febres erunt symptomaticæ. Minor probatur, nam febres, quæ sequuntur ad inflammationem pleuræ, pulmonis, vel alterius partis internæ; ita sequuntur inflammationem, vt illa ablata, auferatur febris, (nisi ex alia parte reperiatur apparatus morbosus:) ergo in tali casu dum non datur talis apparatus, sed solùm existit inflammatio, causans febrem, talis febris obtinebit veram rationem symptomatis, & præcipuè si inflammatio producit febrem per solam continui alterationem.

Cui respondeo, quòd etiamsi symptoma non indicet sui ablationem, non tamen omne; quia hoc non est ad constituendam præcipue essentiam symptomatis, vt patet in icterico, in quo adhuc ablata obstructione, & etiamsi ablata esset intemperies, remaneret color depravatus, quia est qualitas secunda permanens, & nentiquam est in fieri, vt actio lęsa, quæ sola sequitur morbũ vt vmbra corpus opacũ; & tamen illo in casu esset color depravatus verè symptoma: ergo quia essentia symptomatis, non sumitur ex eo, quod ita sequatur morbũ vt illo ablato, auferatur symptoma, sed quòd illo posito ponatur, & quòd minimè lædat actiones; quia tamen febris, quamuis ex vnica parte sequatur morbum, nempè inflammationem, ex alia tamen parte lædit sensibiliter, & primo actiones, sicque potius erit morbus quàm symptoma, licet alium morbum sequatur.

Obiicies 3. quia maximè conuenit vt recta exerceatur curatio, quod febris aliquando sumatur vt morbus, & aliquando vt accidens: ergo rectè diuiditur febris in morbum, & accidens. Antecedens ostenditur, nam ex consideratione, an febris sit morbus, vel accidens, cognoscet Medicus quando sint adhibenda remedia ad auferendam febrem, & quando non taliter, vt si ratione febris symptomaticæ, quæ sequitur inflammationem, exhibeat Medicus remedia refrigerantia sumpta indicatione à febre, potiùs nocebit inflammationi, quam auxiliabitur; quia si inflammatio adsit in pleura, materia contenta in parte inflammata densabitur per remedia frigida, & reddetur inepta ad expulsionem, qua detenta sine dubio sequetur mors; atqui hoc non accideret si febris esset solùm morbus, & non accidens: ergo diuisio ista, febris in morbum, & accidens, maxime necessaria erit ad curationem: ergo concedenda.

Cui respondeo argutiei, concedendo, esse valdè vtile discernere in regulari curatione causam, à qua immediatè febris nascitur, vt primò, causæ remedia applicentur secundum indicationem à parte desumptam, & secundum debitam curationem: Siquidem vnamquamque causam priùs abscindere oportet; tamen ex hoc non colligitur febrem, quæ sequitur inflammationem esse symptoma, quia etsi sit morbus nascitur ab alio, absque nulla implicantia, & licet vt est morbus calidus, exigat remedia frigida; habita ratione ad causam à qua sumitur indicatio, prior in executione, non sunt applicanda, quia talis causa est inflammatio, quæ gerit vicem morbi prioris, à quo febris morbus, dependet, & cum talis febris non careat læsione, non obtinebit rationem symptomatis, etsi latè loquendo, valeat febris, veluti symptoma appellari: ac proinde talis diuisio, non erit rigorosa.

Diuiditur etiam febris, in simplicem, & compositam: de simplicibus egit Galen. 2. *de differentiis febrium*, *capit*. 2. de compositis verò, *eodem libro*, *capit*. 7. sicque febris simplex, est quæ ab vna simplici causa ortum ducit, vt tertiana, quattana, febris ardens, ac similes, quæ ab vno tantum humore oriuntur, & nulli alteri morbo complicantur. Composita verò febris, est quæ à composita prouenit causa, siue alteri febri adiungitur, vt duplex tertiana, quæ ab humore pituitoso, & bilioso ortum ducit, vel alteri febri adiungitur; vt si quis laboret febre tertiana, & quotidiana, siue quattana; quæ distinctio febrium, maximè ad curationem conducit: nam morbi simplices, simplicem exigunt curationem, veluti compositi, compositam, vt scripsit Gal. 1. *de arte curatiua ad Glauc. cap*. 13.

Præterea diuiditur febris in continuam, & intermittentem, quæ diuisio vtilissima est curationi, & ad prognosim veram de febribus firmandam; vt patet ex Hippocrat. quocumque modo intermiserit febris, periculo vacat: continuæ verò difficilem admittunt curationem; denique, tam continuæ, quàm intermittentes febres, in alias, atque alias subdiuiduntur, aliæ enim illarum sunt breues, aliæ longæ, &

sine pericolo, ex quibus aliæ nocturnæ, aliæ diurnæ, aliæ salutares, & aliæ minimè, quæ omnia maximè perpendere expedit; vt perfecti illarum curatio, & prognosis possit fieri. *Et hæc sufficiant de hoc 2. libro de differentiis febrium.*



LIBER TERTIVS,

DE FEBRIVM

CAVSIS IN COMMVNI.



CVM iam Galenus generales febris divisiones adduxisset, nunc de causis febrium in communi sermonem incipit; sed vt clarius percipiantur omnia geocta causarum febrium, prius supponendum venit, ex Aristotele 2. *physicorum, cap. 3.* quòd quatuor sunt genera causarum, vt est materialis, formalis, efficiens, & finalis, de quibus breuiter inquirendum est: an in febre reperiantur hæc quatuor genera causarum, & quamuis hæc quæstio valdè exagitetur, *libro de causis morborum*, breuiter tamen in præsenti dubium dissoluam, vt exacta sit cognitio de causis febrium.

Quantum ad causam formalem pertinet breuiter est dicendum, febrem nullam causam formalem obtinere physicam, ex qua componatur, sed potius ipsa febris obtinet rationem causæ formalis; nam causa formalis est, vt patet ex Arist. quæ dat esse rei, per actuationem, & denominationem; sed febris denominat, & actuat in esse febris: ergo febris habet rationem formæ. Præterea, quia cum febris sit accidens, & omne accidens, sit quædam forma accidentalis denominans accidentaliter subiectum; ideò non potest componi, ex alia forma physica, & reali, sed erit composita ex alia metaphysica, quæ consistit in differentia, quatenus febris componitur ex genere, & differentia, vt ex ipsius definitione constat.

Obtinet deinde febris, causam materialem, non ex qua fit, sed à qua sustentetur; nam cùm febris sit accidens quoddam, intelligi nequit sine materia, quæ se habeat, vt subiectum illud sustentans, sicque dicimus materiam primam esse subiectum accidentium corporalium, veluti animam rationalem esse subiectum accidentium spiritualium: cum accidentia educantur de potentia materiæ, & in illa sustentetur, materia tamen prima, vel quantitas, prout subest forma viuentis, non recipit febrem, aut alium morbum accidens quia potentia passiua dirigatur ad illum recipiendum, cùm sit præter naturam, & contra inclinationem; sicque non recipit per potentiam naturalem, sed solum obedientialem, & ob capacitatem quam habet, siquidem est contra naturam viuentis: Potentia tamen obedientialis nullo modo inter se, & physicè distinguuntur, cùm in ipsa entitate fundentur.

Circa finalem febris causam, Vall. & cùm eo plurimi existimant, causam finalem nullam dari, respectu alicuius morbi: præcipuumque fundamentum est, nam quæ habent suam essentiam in aliqua imperfectione, veluti morbus, non fiunt propter finem, quia natura, non intendit corruptionem, neque vllam; sibi imperfectionem, & quoniam morbus est quædam imperfectio, & destructio viuentis, idcò per se non intenditur à natura, sed solùm per accidens; vt exponitur *primo libro de generatione, & corruptione.* Hoc fundamentum, etsi verum sit respectu agentis naturalis, quod semper dum operatur, dirigitur in bonum, tanquam in verum finem, idcòque non potest per se morbum producere; benè tamen potest morbus obtinere rationem causæ finalis respectu agentis cognoscitiui, quia aliquando Medicus excitando febrem, etsi sit quid malum; minori malo, aliud maius, curandum est, vt cum Medicus excitat febrem, vt curetur conuulsio à repletione facta, quia conuulsio est maius malum, quàm febris, quæ excitatur; vt patet ex *sententia 26. lib. 2. Aphorismorum*, dum inquit febrem conuulsioni superuenire, melius est, quàm febri conuulsionē.

Superest iam sermo de causa febrium efficiente, de qua Galen. *lib. 1. de febribus, cap. 3.* mentionem fecit, vbicumque febrium causas adduxit, quas antequam proponam supponendum venit, causam efficientem, de qua Medici loquuntur, vnam esse internam, & aliam externam: ista vocatur etiam procatartica, prægressa, & manifesta, quia ab extrinseco proueniens: valet corpus alterare, quę quidem, vel est per se, vel per accidēs causa verò efficiēs interna febris, dicitur illa, quæ ex se generat morbum absque eo quòd prius alterationem inducat in aliquam causam internam, veluti efficiunt causæ procatarticæ. Deinde interna subdiuiditur in aliam, quæ antecedens vocatur, & aliam, quæ est coniuncta; causa interna antecedens febris, dicitur illa, quæ habet aptitudinem ad febrem efficiendam, vt humores existentes in venis, qui per putredinem, sunt dispositi ad producendos circuitus, quamuis actu non efficiant: causa verò coniuncta, vocatur illa, quæ immediatè producit morbum, vt humores, qui iam existunt in foco putredinis, & actu producunt circuitus in febribus, ita vt sint causa immediatior febris.

Causa igitur efficiens febris, apud Galenum *loco citato*, quintuplex erit, scilicet motus, putredo, vicinia rei calidæ, constipatio, & permixtio substantiæ calidæ, quæ omnes causæ ad vnicam solum possunt reduci, videlicet ad viciniam rei calidæ: quia tamen diuersa sumitur curandi indicatio ex diuersitate causarum, ideò diuersimodè, annumerantur; ex quibus causis, quædam valent producere febrem per se, quædam per accidens; aliæ vt dixi, sunt internæ, aliæ externæ, & aliæ simul internæ, atque externæ. An verò huiusmodi causæ sint pauciores, vel plures, relinquendum expedit, cùm, vt dixi,

dixi, possint ad vnam tantum reduci, & quia maiora,& vtiliora nos pulsant.

Putredo equidem est causa interna per se, etsi nisi rigorosius loquendo, potiùs res, quæ est putrida,vt humores putridi: obstructio verò & prohibita ventilatio est causa per accidens: vicinia rei calidæ, est causa externa per se, quia per se calorem producit, vt ignis, vel alia calida, quæ nobis approximata, & vicina calorem generant: constipatio deindè cutis, est causa externa per accidens: causa verò,quæ simul potest esse externa, & interna est motus, nam si quis immoderatè moueatur, propter nimium motum potest febricitare: & deinde iste motus prouenit à causa interna,scilicet à viuente producente impulsum;sicque ratione exercitij nascetur ab externa, & ratione viuentis ab interna causa ortum ducet: permixtio pariter substantiæ calidæ, valet etiam esse causa interna, & externa.

Motus similiter est causa febris,cùm communiter apud Philosophos sit effectrix causa caloris,vt docuit Aristoteles 5. *sect. problem.* 13. & 14. & 34. ac *lib. 2. de cælo,cap. 7.* vbi inquit,quòd sagitta si sursum proiiciatur,& in illius extremitate plumbum obtineat, tunc ita ignescit, vt ipsum plumbum liquefiat, quæ quidem liquatio necessariò à calore accidit; idem suadet motus rotæ molendinæ, vbi efficitur farina, veluti etiam exercitium animalis, quo finito viuens calidius euadit: sicque motus verè dicendus venit causa caloris. Neque in præsenti solùm intelligendus est motus corporis, sed etiam motus animi, vt sunt animi passiones, in quibus sanguis, & spiritus mouentur ad intra, vt patet in ira, quæ est efferuescentia sanguinis iuxta cor,& in timore,atque mœrore,in quibus sanguis ad intra recluditur; in gaudio tamen, ac pudore, non accidit febris, quia etsi animi motus, potius est ad habitum corporis, & ad extra sanguinis effusio, quàm ad præcordia.

Quomodo motus sit causa, an inducta priùs raritate, & attenuatione, quæ prærequiritur antecedenter ad calorem: an solùm per accidens applicando actiua passiuis; (quod vt probabilius est sustinendum) an sit causa per se efficiens,& æquiuoca;an per ablationem impedimentorum, media collisione, ita vt partes igneæ intro reclusæ,ad circumferentiam mixti exeant,alibi est disputandum, & consulendus erit doctissimus Cyprianus de Maroja *lib. 3. de causis febrium, fol. 27.* quod igitur motus corporis immodicus, (non tamen extremus, quia iste media raritate, per solutionem, potiùs intemperiem frigidam inducit)producat febrem,patet in lassitudine non spontanea, quæ prouenit à valida corporis exercitatione, in qua musculi, ligamenta, tendines, & spiritus,propter attritionem ossium in articulis, & collisionem, præter naturam calefiunt, qui calor si vlterius communicetur, ita vt in corde accendatur necessariò febrem inducit.

Quod autem putredo, aut substantia putrida, febrem inducat,manifestum est,siquidem ortum ducit à calore extraneo, & immodico tanquam à causa efficiente, & ab humiditate, tanquam à causa materiali, vt inquit Aristoteles 4. *metheororum, cap. 1. & 2.* vbi proponit definitionem veræ putredinis; eamque explicant Valles, & Ludouicus Mercatus *super illum* Aristot. *locum*, scilicet, quod putredo sit interitus proprij, ac naturalis caloris, in quouis humido, ab alieno calore prouueniens: & Gal. 11. *methodi, cap. 8.* asseruit, quod putredo est immutatio totius substantiæ corporis putrescentis ad corruptionem à calore extraneo: quæ definitiones solùm differunt in eo, quòd Aristoteles non definiuit putredinem, quæ est in via, & motu, siue causalitate, sed illam, quæ est absoluta, & ad terminum completum accessit; Gal. verò definiuit putredinem illam, quæ solum est in via, & in actione immutatiua, & non terminum talis putrefactionis.

Sic secundum has conditiones differunt Aristoteles, & Gal. etiamsi maxime inter se assentiant, ratione causæ efficientis, & materialis putredinis; sicque rectè deducitur putredinem, caloris, & aliquando febris esse causam, vt asserit Galenus, *libro de causis morborum, cap. 2.* in Columbarum agrestium excrementis, ex illorum putrefactione, ignem fuisse accensum: experimur etiam quotidie in humoribus, qui ex putredine incalescunt, & febrem succendunt; nam quamvis ex vi putredinis deperditur calor naturalis, & proprius, quatenus exhalatur substantia calida, quæ putrescit, ista tamen participat calorem extraneum, & putredinalem, ratione cuius febrem excitat.

Dicet tamen aliquis, si putredo est causa caloris: ergo quo res magis putrescit, eo calidior reddetur; atqui contrarium,experientia constat:ergo res putrida; ratione putredinis,non producit calorem. Minor probatur exemplo aceti, quod media putredine generatur ex vino, & frigidum euadit, cui dubio Respondent plurimi, concedendo suppositum. quia per putredinem, calor innatus corrumpitur: sicque si multum adaugetur putredo, omnimodè calidum innatum deficit, ac subiectum frigidum euadit: etsi hoc veritatem obtineat, melius tamen dicendum venit, quòd quotiescumque aliqua coquuntur, aut putrescũt calidiora redduntur, quando eadem forma substantialis permanet,& subsistit:si verò talis forma antecedens substantialis, corrumpitur, valet tunc subiectum acquirere formam, cui debeatur necessariò frigiditas excedens, vt in exemplo allato patet, siquidem corrupta completè forma substantiali vini, deperditur pariter omnis dispositio præuia, & conseruatiua subsequens talis formæ, & aduenit denuò alia, quæ prærequiritur, ad nouam formam genitam per talem ingentem putredinem; sic in nostro casu cùm remanet adhuc humoris forma, per putredinem in humore introductam intenditur illius calor; cùm verò ita adaugetur, putredo, vt forma antecedens humoris corrumpatur, valebit per ingentem putredinem, ita remitti innatus calor, vt ipso dissipato, & resoluto,potius ad intemperiem frigidam,quam calidam,corpus reducatur.

Nunc iam est videndum,quomodo constipatio siue obstructio, possit febrem producere; pro

cuius intelligentia oportet supponere, ex Gal. 1. *de differentiis febrium, cap. 3.* quòd nostra corpora dupliciter difflantur, atque attemperantur; primò effusis ad exteriora vaporosis, atque fuliginosis excrementis, per poros, atque meatus cutis: Secundò media attractione substantiæ aëreæ per illos, nam ad istos vsus, fabrefecit natura omnem cutim plenam foraminibus, quo supposito, si accesserit aliqua causa densans cutim, & meatus angustiores reddens, tunc vapores calidi intra detinentur, à quibus humores, & spiritus accenduntur, & cùm ex altera parte propter hoc impedimentum ventilatio deficiat, necessariò corpus incalescit, & aliquando in febrem incidit; ob quam causam corpora exterius refrigerata febrem diariam patiuntur, quoniam frigiditas cutim densat, meatusque constringit: si tamen in humoribus morbosa dispositio, vel apparatus morbosus adsit, ex diaria putrida generatur, vel putrida, à principio constitutionem suscipit.

Ex diuersa tamen corporis dispositione, diuersæ dantur febres in constipatione, & aliquando non nascitur febris, quia si datur constipatio cutis, citra obstructionem meatuum internorum, & non detur morbosus apparatus, illo in casu ex retentione fuliginum calidarum, solùm excitabitur febris diaria: si verò per constipationem, humores acres, mordaces, atque calidi reperiuntur, vt accidit in hominibus cacochymia correptis, & his, qui prauis alimentis vtuntur, ac meatibus internis obstructis, tunc febris putrida excitabitur: & si citra constipationem cutis, & meatuum internorum, corpus abundet prædictis humoribus, tunc sanitate fruetur, lubrica tamen, & debili: Quando verò, quod difflatur per cutim, vaporosum, & benignum est, vt euenit hominibus sanguineis, tunc ex constipatione cutis inducitur plethora, siue humorum redundantia, corpusque redditur plenum citra febrem, etsi periculosum, veluti atlethatum corpora: vt ait Hippoc. 1. Aphorism. sententia 3. *habitus atlethatum, qui ad summum bonitatis attingunt periculosi, &c.*

Quamuis communiter apud Medicos, vicinia rei calidæ, caloris sit causa, potiùs tamen res calida approximata; erit causa per se caloris; quia approximatio se habet, vt conditio necessaria, vt agens calidum alterationem in passo producat; quòd Galenus manifestat 1. *de differentiis febrium, cap. 3.* exemplo Solis nos calefacientis, quæ calida intemperies appellatur Typhoides, sicut, quæ ab igne procedit Pyratoides. Vltima febris causa est substantiæ calidæ permixtio, quæ pariter etiam causa per accidens dicitur, quia quæ per se calorem producit, solùm est ipsa substantia calida permixta, sub qua intelligenda sunt alimenta calida, potiones calidæ, ac medicamenta calida.

Neque impedit, quominus alimenta calida valeant calorem producere in nostris corporibus, quia differant à medicamentis, in eo quod sunt victa à nostro calore natiuo, ac nostram substantiam adaugent, quod non inuenitur in medicamentis, siquidem ista, virtute sua alteratiua, potiùs operantur actione immutatiua, quam patiantur, victa à calore; sicque veluti videtur ineptitudo, quòd alimenta calida, cùm victa sint, possint corpora immodice calefacere; his non obstantibus, non implicat, quod ex alimentis calidis, etiamsi dictis, possit corpus calefieri, cùm sanguis aliquando producatur calidior ratione alimenti calidi, quam ille, qui fit ex alimento frigido, vt ex lactuca, endiuia, melopepone, & aliis: quare propter consuetudinem immutabitur temperies, siue complexio natiua, & antecedens, & fiet secundum qualitatem calidam, quæ in alimentis elucescit. Præterea, quia cum in alimentis contineantur partes heterogeneæ calidæ, à quibus corpus valet calefieri: præcipuè in alimentis medicamentosis, ideò non dabitur repugnantia, vt hæc virtus calefactiua, nostris corporibus alterationem communicet.

Ad prædictas vniuersales causas, omnes, communiter Authores reducunt; de inedia tamen difficilè occurrit dubium, an sit alia causa caloris; aut ad quam ex his causis reduci debeat: nam quod media, siue alimenti defectus, calorem generet, est iuxta mentem Galeni 1. *de ratione victus in morbis acutis, comment. 24.* vbi inquit: *Corpus magis, tum siccescit, tum ignescit his qui consuetum relinquunt prandium.* Et ibi *comment. 36.* inquit, quod bilis in ipsis inediis amarior redditur, & 8. *method. cap. 2.* damnat inediam, quia vehementes febres, & alia incommoda facit, quomodo tamen id contingat rationem inediæ breuiter examinandum est: Circa quod Valles 4. *controuers. cap. 3.* ait; quod in defectu alimentorum, calor naturalis conuertitur ad excrementa biliosa, quæ propter ipsorum igneam, & siccam naturam, vlteriorem calorem comparant; sicque etiam corpus calefaciunt, ac febrem biliosam generant, qui calor febrilis à forma propria resultat, supposita dispositione antecedenti in dictis excrementis ad talem calorem: etsi fortè quis dicat, quare tempore inediæ calor naturalis conuertitur ad excrementa, & non anteà.

Respondent plurimi, qui Vallesij sententiam defendunt, quod ante inediam, siue defectum alimenti, impeditur actio caloris naturalis erga illa excrementa ab humiditate alimenti; at verò deficiente tali humiditate, conuertitur talis calor ad excrementa, quia ipsius vis, ab ipsa siccitate acuitur: quorum fundamentum sumitur, ex verbis Aristot. *sect. 24. problematum,* dùm quærit, cur fundum vasorum, quæ aquam feruentissimam habent, non vrat, & intensissimè calefaciat, plerique enim solent deportare ipsa vasa sustinentes fundo, aqua verò exclusa, maximè dictum fundum vrit.

Cuius fundamenti, ratio stat in eo, quod actio caloris fundi impeditur ab humiditate aquæ; & ob istam causam metalla igni apposita non liquefiunt si adiungantur humiditati, quia calor in humido subiecto non est ita efficax in operando, veluti si adiungatur siccitati; sicque communiter dicitur, quod siccitas est lima caloris, quia calorem ipsum in suis actionibus acuit; quod humiditati denegatur.

Quare

Quare dicendum erit, tempore inediæ excrementa magis incalescere deficiente alimento, quod quidem sua humiditate impediebat actionem caloris circa excrementa, simulque remittebat excrementorum siccitatem; at verò amissa semel humiditate, à propria forma excrementorum, necessariò siccitas dimanat; sicut calefaciente semoto ab ipsa aqua calida, ista postea à propria forma reducitur ad frigiditatem naturalem.

Posita igitur in excrementis siccitate, quæ in biliosis est dispositio ad calorem, nihil mirum si in illis intensior calor ab ipsis producatur, ita vt corpus vniuersum calefaciant, ac febrem excitent, non aliter vasorum fundum, si aquam non contineat maximè vrit, quia calor obtinet siccitatem sibi adiunctam, cuius actio non impeditur ab humiditate aquæ, quæ solet remittere actionem siccitatis; at verò præsente humidite, actio siccitatis ignis impeditur, ita vt metalla non possint liquari in aqua, quod fit, quia actio caloris ignis, indiget actione siccitatis ipsius, vt ambo in metallis efficiant liquationem: & hæc de causis febrium in communi.



QVÆSTIO PRIMA.

An febris hectica dependeat à causa.



QVOD in præsenti quæstione inquiritur est, an calor in hectica febre, ita sit factus in partibus solidis, (sub quibus non solùm intelliguntur partes spermaticæ, sed etiam omnes, quæ non sunt fluidæ, veluti sunt humores, & spiritus) vt nullatenus dependeat à partibus solidis, ab aliqua causa extra cor; ideò enim hectica febris vocatur habitualis, quia ita est fixa, atque firma, vt difficilè moueatur à subiecto, veluti habitus: Quæ dependentia, non inquiritur respectu causæ efficientis: certum enim est omnem febrem hecticam in esse, & fieri, siue efficienter, dependere à sua causa efficienti; siquidem nihil est extra causas sine dependentia à causa; sicque quæstio procedit de ipsa dependentia, quæ sumitur à causa conseruatiua, an scilicet febris hectica obtineat causam conseruantem veluti febris putrida, ita nequeat curari, nisi tollatur ipsa causa à qua conseruatur. Præterea, quia etsi febris hectica dependeat à causa materiali, ista non erit materia ex qua educatur, sed in qua subiectetur, siue inhæreat, cùm illius calor sit accidens; & ideo debeat subiecto inhærere, sicut omnia alia accidentia, quæ naturaliter non possunt existere, sine inhærentia in subiecto.

Quibus sic positis, vera, & probabilissima est opinio, quæ asserit, calorem febris hecticæ, obtinere causam conseruantem, à qua necessario dependet: quæ sententia est Hippocrat. & Galen. & illam tenent Petrus Michaël de Heredia *cap.6. fol.352.* Lemosius, Pereira, & alij, quam plurimi; ad cuius intelligentiam est notandum, essentiam febris non constitui per calorem in fieri, sed in facto esse, & quod illum valeat causa producere, cùm sit affectus permanens factus, & fiens.

Probatur igitur conclusio, ex Galen. qui 10. *methodi cap.* 8. loquitur de fuliginibus adustis in hecticis, valdè notat nocumentum, quod sequitur ex illarum detentione ab aëre frigido propter cutis densitatem; & pariter *lib.* 2. *aphorismorum, comment.* 17. loquens Galenus de sanguine, inquit hac ratione: in eo enim, in quo magna reperitur corruptio, non reddit amplius ad habitum naturalem; si verò pauca fiat, ad suam naturam restituitur: ergo si humores corrupti, non possunt redire ad pristinum statum, quia iam habent calorem in habitu, & in facto esse, & talis nouus status, siue mala dispositio conseruatur à forma de nouo introducta, siquidẽ partes crassiores humorum solùm in sedimentum; ac substantiam purulentam possunt permutari, veluti tenues in fuligines: ergo pari passu, concludendum est, ex sententia Galeni de impotentia, siue impossibilitate cordis, circa reductionem caloris ad pristinum statum in febre hectica.

Deinde probatur prædicta conclusio, quia febris hectica, est qualitas improportionata, indebita, & disconueniens partibus solidis: ergo in dictis partibus, non poterit existere absque causa conseruante. Antecedens est certum, siquidem talis calor est morbus. Consequentia probatur, quia ideò calor productus in aqua, non potest diù permanere in ea, absque causa conseruante, quia talis calor est disconueniens, & contra naturam formæ substantialis aquæ, siquidem disponit ad illius corruptionem, atqui calor febris hecticæ est qualitas disconueniens partibus solidis, & propriam naturam viuentis corrumpit: ergo veluti calor in aqua non potest existere sine causa conseruante, ita neque calor hecticæ, in partibus solidis sine sua causa conseruante; alias daretur in viuente aliqua dispositio violenta, & præter naturam, sine causa conseruante, quod est falsum, quia quamvis via corruptionis, aliquando sine causa conseruante detur aliqua praua dispositio, tamen deficiente illa causa, statim viuens reduceretur ad pristinum statum, & naturalem; sicut aqua ablato calefaciente, statim ad natiuam, & pristinam frigiditatem reuertitur; atqui est falsum, quod in febre hectica reducatur cor, statim ad naturalem statum, cùm sit fixa, stabilis, & permanens: (quia habitualis:) ergo quia datur causa conseruans illum malum statum, siue prauam dispositionem.

Aliqui tamen Authores, huiusmodi rationem, etsi efficacissimam, detruncare contendunt; sicque vt ipsam soluant, aduertendum asserunt, quòd partes nostri corporis dupliciter possunt alterari: primo quando aliqua ex primis qualitatibus immutatur, siue intenditur, ex cuius mutatione, ac intensione aufertur proportio, & symmetria primarum qualitatum; secundo verò modo, quando non solùm illa proportio, sed etiam modus substantiæ, atque mixtionis,

ipsarum partium destituitur per corruptionem, & in ipsis producitur alius nouus modus mixtionis: ex his modis alterationis, siue immutationis, primus inuenitur in partibus, quando solùm laborant intemperie inæquali, & fiente: secundus verò modus est quando intemperies est facta, & æqualis: quare quando partes primo modo solùm alterantur, licet ingentem patiantur intemperiem, tamen facultates, & actiones, non sunt multum languidæ, ac defessæ; quando verò secundo alterantur, tunc debilitas, & languor, siue iactura facultatum, est essentialis, & maxima.

Quo stabilito, respondent nostræ rationi; quod quamvis calor febris hecticæ productus in partibus viuentibus, sit indebitus, & disconueniens animæ, nihilominus manet in ipsis partibus inesse permanenti, fixo, & quieto, sine aliqua causa conseruante, quia in febre hectica, ille calor non producitur à causa, quæ solùm alteret partes viuentis, secundũ qualitates, sed etiam secundum quandam vstionem, siue putredinem partium, à quibus alterationibus, siue immutationibus, modus mixtionis, & substantiæ illarum destituitur, siue immutatur, & alius de nouo producitur, à quo ille calor febrilis valet dimanare, sicque fit in ipsis partibus habitualis quasi esset naturalis; ob quã causam anima, quæ dictas partes informat, non reducit illas ad pristinam frigiditatem natiuam, nec calorem febrilem corrumpit; in aqua tamen (inquiunt huiusmodi Authores) discrimen maximum reperitur, quia cum aqua sit corpus simplex, ideò in ea non potest produci modus mixtionis, à quo calor valeat dimanare: quare calor in aqua non valet esse habitualis, neque obtinere permanentiam absque causa efficiente, & conseruante.

Sed contra, quia ad rationem febris hecticæ, præcisè non requiritur, vt immutetur, siue corrumpatur modus substantiæ, vel mixtionis in partibus, sed sufficit sola alteratio caloris in facto, ad constituendam febrem hecticam: ergo diuersus modus substantiæ, vel mixtionis, nullatenus requiritur ad eius constitutionem; nam nulla datur implicantia, vt adsit intemperies, absque eo quod substantia partium, siue mixtum corrumpatur: ergo, &c. Præterea impugnatur responsio, quia vel talis modus substantiæ, siue mixtionis est disconueniens, & violentus, vel non? Cuius pars affirmatiua est tenenda, cum sit contra naturam partis in esse viuentis: ergo cum non solùm calor febrilis, sed etiam talis modus mixtionis sit violentus animæ informanti has partes, indigebit pariter causa conseruante, veluti dicitur de calore febrili, qui cùm violentus sit, causam conseruantem requirit.

Doctissimus verò Cyprianus de Maroja, aliter rationi nostræ respondet: Scilicet, quòd si absumantur semel partes frigidæ cordis à causa calida extrinseca, tunc partes calidæ illius, non impediuntur ad producendum intensum calorem, sicque ipsum producunt, à quo retento in ipsis, febris hectica conseruatur intrinsecè, quia non existunt partes frigidæ, vt ab illarum frigiditate attemperetur ille calor, qui postea per continui alterationem vniuerso corpori communicatur, & quia indebitus, & improportionatus rationem febris obtinet, ob quam rationem curatio regularis fit, dum reponuntur, & instaurantur partes frigidæ cordis, quæ fuerunt absumptæ, ad quarum instaurationem præscribuntur remedia, quæ non solum qualitatiuè, sed etiam substantifiece immutant, vt adquiratur de nouo præter qualitatem frigidam, & humidam, substantia, quæ his qualitatibus constet.

Impugnatur tamen huiusmodi responsio: Primò, quia ex responsione sequitur, in febre hectica simpliciter dicta, partes frigidas absumi, quod est falsum; quia licet detur in illa remissio frigiditatis debitæ, non tamen datur destructio partium; nam absomptio humiditatum naturalium, solùm reperitur in febre hectica marasmo coniuncta, secundum varias species; sicque febri hecticæ simpliciter dictæ, non est necessaria absumptio partium frigidarum: & licet in febre hectica præscribamus remedia qualitatiue, & substantificè humectantia, talis remediorum exhibitio potius fit præcautionis gratia, ne detur transitus in diuersas species febris hecticæ marasmodes, quam ratione curationis præsentis. Impugnatur præterea, quia admissa responsione, semper ille calor introductus est disconueniens: ergo etsi remitteretur frigiditas, natura debet illum calorem expellere vtpotè contrarium, & violentum; sicut in aqua etiamsi frigiditas remittatur per calfactionem ab igne, semoto tamen ipso, se reducit ad pristinam frigiditatem, quare argumentum præcedens semper vrget

Valet similiter præsens conclusio probari, exemplo metallorum, in quibus etsi fiat vehemens mutatio, & alteratio in primis, & secundis qualitatibus, ac modo substantiæ, vt patet in ipsorum (quamquam sint durissima) liquatione, & mollitie, & quamvis indiuisa, & valdè vnita, facili solutione, & diuisione, media immutatione, & alteratione, quam ab igne suscipiunt, ita vt quæ ex propria sua natura sunt frigida, vehementer vrere videantur; quibus nihil obstantibus, ablato calefaciente, extrinseco à propria forma ipsorum: omnia incommoda corriguntur; ac ad pristinum, debitum, & naturalem statum reducuntur: ergo ita pariter si calor febris hecticæ, etsi sit violentus, & præter naturam, manet fixus, stabilis, & fit habitualis, ablatis causis antecedentibus, quas solet sequi, (siue sit febris diaria, aut alia viscerum inflammatio) hoc erit præcipuè, quia reperitur causa coniuncta, nempè fuligines vstæ, quæ calorem in facto valent producere, & conseruare, sicut quæ sunt putridæ producunt febrem putridam, ac illam conseruant.

Confirmatur deindè nostra assertio, quia omnis morbus est contra naturam, & à principio extrinseco, secundùm Galen. doctrinam: ergo si febris hectica non dependet ab aliqua causa extra cor, non erit præter naturam, siue morbus, quod est ridiculum: ergo cùm sit morbus, vt omnes fatentur, necessariò dependebit à principio extrinseco; alias viuens conseruaretur dispositione contranaturali, & violenta; cùm potiùs conseruetur dispositione illa, quæ perficit

ficit actiones; non verò illa, quæ lædit, atque vitiat.

Vltimò præsens stabilitur conclusio, quia si febris hecticæ calor, esset independens ab aliqua causa, sequeretur febrem putridam, aut diariam, non posse complicari cum hectica: quod est contra veram doctrinam Galeni t. *de febribus, cap.* 1. vt in antecedentibus probatum remanet. Probatur sequela: nam si febris hectica, habet iam calorem factum, & independentem, & putrida, & diaria fientem ac dependentem, ergo idem calor erit factus independens, ac fiens, & dependens; hoc est impossibile, quia contradictionem manifestam arguit: ergo etiam implicabit febris hectica, complicata cum diaria, ac proinde si complicentur inter se, maximè, quia in vtraque febre, calor est à causa dependens.

Contraria tamen sententia plurium, asserit calorem febrilem hectici, ita esse factum in parte solida, vt à nulla causa dependeat in conseruari: quam sententiam amplectuntur, Aëtius *tetrabclo* 2. *sermone* 1. *cap.* 29. Mercatus *tom.* 2. *lib.* 5. *de febr. hecticarum essentia*: Petrus Garcia *libro de febribus fol.* 19. Matamoros *lib.* 3. *tract.* 2. *quæst.* 1. *fol.* 277. Cyprianus de Maroja *lib.* 4. *de curatione febrium, fol.* 120. ac ferè omnes.

Quibus, obiicies 1. authoritate Galeni, qui *lib. de inequali intemperie, cap.* 6. inquit, febres hecticas esse sine dolore, & quod calor est æqualis, ita vt non detur particula, quæ agat, & alia, quæ patiatur, sed omnes simili intemperie laborant; ita vt qui hac febre laborat, putet se febre carere: ergo cum intemperies sit æqualis, non dependebit à causa in conseruari.

Huic Galeni authoritati *libro de inequali intemperie, cap.* 6. respondeo; quod etsi admittatur authoritas, tamen illa æqualitas proportionalis, non seruatur, permanet propter independentiam caloris, sed propter dispositionem partium, neque talis æqualitas est exquisita, etsi sensus indicio appareat: & licet hectici non sentiant se febricitare, ex hoc non colligitur independentia caloris à causa; cùm experientia constet, multos laborantes febre, dependente à causa, non sentire se febricitare; vt patet in febribus diariis.

Obiicies deinde ratione, quia si febris hectica dependeret à causa, duplex esset indicatio pro ipsius curatione; vna quæ sumeretur ab illius causa, & alia à febre; sed nulla est indicatio in hectica febre, quæ sumatur ab eius causa: ergo quia non dependet ab illa. Probatur minor; nam in curatione febris hecticæ communiter, apud practicos, est receptum, nullatenus iuuare sanguinis missionem, neque purgationem, sed solùm ex Galeno, constat 2. *methodi*: solùm remediis alterantibus frigidis, & humidis, interiùs, ac exteriùs, ac reparatione substantifica talem febrem deuastari: ergo cùm indicatio curationis in hectica tantum sit simplex, eo quia solùm sumitur à febre; merito dicendum erit, febrem hecticam non dependere à causa conseruante.

Cui argumento, respondeo negando maiorem; quia adhuc in febribus diariis dependentibus ab spiritibus accensis, tanquam à causa, non datur duplex indicatio vna quæ sumatur à febre, & alia à causa; vt docet Galenus 8. *methodi, cap. vltimo*: nam eisdem remediis quibus aufertur febris, simul etiam tollitur causa, & satis fit per indicationes concordes: & hoc non solum accidit in diariis, verum etiam in febribus putridis; vt patet in febre ardente, quando exhibemus potionem aquæ frigidæ, quo auxilio, siue remedio, succurrimus, ac satisfacimus febri, & causæ; non aliter valet accidere in febre hectica, nimirum, quod per remedia refrigerantia, & humectantia satisfaciamus febri hecticæ, & illius causæ; vt sunt fuligines vstæ: sicque absque purgatione, & sanguinis missione, sumitur indicatio à febre, & à causa; quæ indicatio, nullam obtinet discordiam respectu febris, & illius causæ.

Obiicies 3. nam si febris hectica obtineret causam conseruantem, sine dubio haberet circuitus, & incrementa, vt patet in febribus putridis, in quibus reperiuntur circuitus, & incrementa, quia dependeret à causa, scilicet ab humoribus; atqui febris hectica caret circuitibus, & incrementis: ergo febris hectica, non dependet à causa. Maior est manifesta, quia non esset maior ratio de putridis, quam de hecticis. Minor constat ex Galeno 8. *de præsagatione ex pulsibus, cap.* 3. vbi affirmat, hecticam febrem non obtinere incrementa; atqui si dependeret à causa, necessariò talia incrementa obtineret: ergo ideò caret illis, quia nullam causam conseruantem obtinet.

Hæc argumenta facilè soluitur, si respondeam negando maiorem; siquidem defectus accessionum per circuitus, non arguit independentiam à causa; quia ex eodem Galeno, dantur febres, quæ dependent à causa, vt sunt febres continentes, & tamen in eis, nullatenus dantur circuitus; pariter etiam in ephemeris datur dependentia, & non dantur circuitus, siue accessiones: ergo quia ratio dependentiæ, non arguit incrementa, siue circuitus in febribus: his, & aliis respondendi, ac satisfaciendi modis, vnusquisque veram sententiam allatam defendere valebit.



QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum febris hectica possit à principio, à causa procarthacica inuadere.



NVLLATENVS præsentem difficultatem exactè definire valemus, nisi prius perpendamus, quomodo hoc nomen, principium, à Galeno vsurpatur, qui primo de differentiis febrium, *cap.* 10. huic dubitationi occasionem exhibuit, ex Hippocratis doctrina, quam etiam ostendit ipse 1. *crisib. cap.* 6. & 7. hoc quidem nomen, principium, tribus sumitur modis, quia vel significat omne tempus cruditatis, quod est principium vniuersale

vniuersale febrium putridarum, & quorundam aliorum morborum, aut significat spatium trium, aut quatuor dierum; vel denique sumitur principium, pro prima, & sensibili morbi inuasione: sub qua tertia significatione venit quæstio exagitanda; an febris, scilicet hectica possit inuadere à prima inuasione, quin vlla alia præcesserit febris.

Etsi affirmatiuam partem tueantur, Aëtius, *Tetrabelo 2. serm. 1. cap. 92.* Trallianus *lib. 12. cap. 4.* Paulus *lib. 2. cap. 32.* Fernelius *3. Pathologiæ, cap. 16.* Donatus ab Altomar *de medendis febribus, part. 1. cap. 17.* Vall. *lib. 1. de differentiis febrium cap. 11. pag. 70. & controuers. 5. cap. 20.* Brauus *lib. 1 de differentiis febrium, cap. 10. pag. 228.* Mercatus *tom. 2. lib. 5. de febribus, pag. 840.* Veiga *1. de differentiis febrium, pag 466.* Petrus Garcia *disp. 2. de locis affectis, cap. 7. in fine.* Cyprianus de Maroja *lib. 4. fol. 121.* ac denique Galen. qui *lib 1. de differentiis febrium. cap. 8.* inquit: *Quæ igitur febres hecticæ appellantur, dupliciter oriuntur; aliquando quidem ex ardentibus, aliquando statim ab initio inuadunt, efficientes ipsarum originem, quæ similis sit ephemeris, quæ nascuntur ex tristitia, aut ira, siue lassitudine nimia; simul ex solis feruore contracta.*

Quæ Galeni authoritas, nullatenus conuincit ad hanc sententiam sustinendam, cum facile soluatur, si dicam, quod cum ait Galenus febres hecticas, aliquando statim à principio inuadere, sumit Galenus τὸ, principium, pro primis tribus, aut quatuor diebus, & cùm inquit efficientes originem similem ephemeris, ex tristitia, aut ira; hæc similitudo non erit, ex eo quod fiant à causa procathartica, sed ex eo quod in ephemeris accenduntur spiritus, ita etiam in his febribus.

Negatiua tamen sententia (etsi non ita communis) quæ asserit febrem hecticam; nullatenus posse inuadere à principio; ante alias, verissima, ac semper sustinenda mihi videtur: quam tenet Galenus *lib. 2. de crisibus, cap. vltimo*, vbi inquit: *Nulla enim earum in primis diebus, sed progressu temporis fit*; hæc sententia est Auicennæ *Fen. 1. 4. tractatu 3 cap. 1.* Vega etiam *lib. 1. de differentiis febrium, fol. 406.* Mercurialis *lib 5. de febribus, cap. 7. fol. 506.* Ioannes Baptista Nauarro *dubitatione 2. capitis primi, lib. 1. de differentiis febrium*, Actuarius *lib. 2. methodi, c. 1.* Abenzoar *lib. 3. tract. 1. cap. 13.* & alij quam plurimi eam tenent. Probaturque, ex Galen. qui *libro de inequali intemperie, cap. 4.* inquit: *Quod ea quæ tenuiora, & calidiora existunt, facilius, ac promptius calorem recipiunt, quàm crassiora, & minus calida*; atqui spiritus vitales sunt calidiores, & tenuiores, quam partes solidæ: ergo citius, facilius, & promptius calorem recipiunt spiritus vitales, quam partes solidæ: ergo si citius calorem recipiunt, prius producetur febris diaria ex succensione spirituum, quam febris hectica. Maior propositio, etsi authoritate prima constet, clarissime etiam patefit, alia authoritate Galeni, qui *primo de differentiis febrium, cap. 1. in fine* asserit: *omnis siquidem substantia tenuis promptius alteratur, quam crassa; tenuis enim substantia est aerea, crassa, corporum solidorum, & terrea; humorum verò substantia est media.* Minor verò propositio, scilicet quod spiritus vitales sint tenuiores, & calidiores partibus solidis, patet ex ipsorum natura subtili, & rara, ex proprio vsu, & actione; cum sit substantia ignea, & aerea, ac omnibus corporis partibus calorem communicent: ergo cum spiritus sint magis dispositi ad calorem concipiendum, quam partes solidæ: meritò consequentia conspicua, & probata manet.

Quidam recentiores respondent, quod licet communiter sit vera maior propositio, non tamen semper, & absolutè; quia aliquando valet accidere, vt partes solidæ obtineant talem dispositionem, quæ non adsit in spiritibus, nec humoribus, vt eo tempore, facilius incalescant; sicque aliquando poterit fieri febris hectica, quin præcedat diaria. Sed hæc respondendi ratio, facile reiicitur, quia dispositio ista, quæ præcedit febrem hecticam, non est naturalis, sed febrilis, quia sensibiliter lædit actiones; atqui non est febris hectica: ergo ante hecticam, iam præcedit alia febris. Maior probatur, quia antequam calor sit productus, & in facto, in partibus solidis, talis calor est præter naturam, ac lædit, vt dixi, sensibilitèr actiones: ergo est febris; siquidem est calor accensus in corde, & per vniuersum corpus effusus: Atqui calor ille non potest esse febris hectica: ergo erit alia præcedens. Minor patet, nam dispositio præcedens aliquam formam, non est ipsa forma: ergo dispositio calorifica, quę præcedit hecticam, non erit hectica: ergo erit alia febris præcedens, siue diaria, siue putrida.

Neque valet, si doctissimus Cyprianus de Maroja asserit *loco citato*, nullam dari repugnantiam, vt substantia solida possit obtinere qualitates, quæ magis disponant ipsam ad ignem, quam si illa substantia esset tenuis: siquidem facilius, ac promptius succenditur lignum resinosum: & crassum, siue calidum, & siccum, quam aër tenuis, & rarus, siue aliquis vapor; atqui hoc accidit præ aptiori dispositione, quæ in ipso corpore solido inuenitur: ergo idem est concludendum, (inquit Maroja) de partibus solidis nostri corporis, in ordine ad spiritus, & humores.

Facile tamen refellitur Authoris responsio, quia ex ipsa, & peculiari natura ignis, qui rarus, tenuissimus, & leuissimus est, repugnat, vt substantia solida possit ex se obtinere qualitates magis dispositas ad ignem concipiendum, quam substantia tenuis, quamvis detur æqualis intensio caloris in partibus solidis, ac in humoribus, & spiritibus (quod est falsum.) Neque obstat ratio adducta de ligno resinoso, & crasso, lignum enim resinosum, non accenditur promptius, quia sit crassum, sed quia est resinosum, ex eo quod constet partibus tenuioribus resinosis, & ex natura ignea, alias quodlibet lignum æqualis crassitiei, & resinosum, æqualiter succenderetur, quod experientiæ obest, ac veritati contrariatur. Præterea, quia partes corporis solidæ, nunquam ex propria sui constitutione possunt obtinere, tam intensum calorem, quam habent spiritus vitales in statu naturali; ac proinde cum causa procathartica calida, præter naturam

ter naturam, operetur vt agens naturale secundum dispositiones passi, ac intensior sit calor in spiritibus, quam in partibus solidis secundum naturam, aptior, & perfectior erit dispositio in spiritibus vitalibus ad calorem præter naturam recipiendum, quam in partibus solidis: & si forte, reperiatur intensior calor in partibus solidis quam in spiritibus; talis calor intensior, qui est dispositio prædicta ab his Authoribus, cùm non sit calor secundum constitutionem naturalem talium partium, erit morbus, & necessario ab aliqua causa morbosa productus: ergo necessariò, vt dixit, antequam inducatur febris hectica, erit alia febris species, diaria scilicet, vel putrida.

Maroja tamen respondet, dispositionem, quæ præcedit febrem hecticam, neque esse febrem hecticam, neque vllo modo esse febrem; veluti dispositio, quæ præcedit febrem putridam, non est febris: sicque nullatenus lædit actiones. Sed contra, quia licet dispositio præcedens febrem hecticam, non sit febris hectica; tamen ex hoc non sequitur, quod non sit alia febris: quia etiam est verum, quod dispositio præcedens febrem putridam, non est febris putrida, est tamen febris diaria; sicque semper vna ex aliis, præcedet febrem hecticam.

Obiicies tamen contra vetam sententiam, quia si aliqua febris necessariò præcederet hecticam, sequeretur, quòd quotiescunque daretur febris hectica, omne genus febrium, simul complicaretur; atqui hoc est falsum: ergo illud ex quo sequitur. Sequela probatur, quia si necessario præcedit hecticam, aliqua alia febris, ex aduentu hecticæ, nulla est causa, propter quam auferatur febris antecedens; imò debet conseruari, cùm difficiliùs accendantur partes solidæ, quam spiritus, & humores: ergo si partes solidæ sunt accensæ, spiritus etiam, & humores simul accendentur, quia maior reperitur in eis dispositio ad calorem, ac sunt facilè inflammabiles: ergo si ante productionem hecticæ, propter istam dispositionem, antecedentes daretur febris diaria, & putrida, postea iam producta, hectica dabitur etiam diaria, & putrida cùm ipsa hectica: quòd maximè praxi opponitur.

Cui respondeo negando sequelam, & ad ipsius probationem libenter concedo, quòd adueniente febre hectica, non aufertur febris diaria, etsi parui fiat, quia eadem curatione, & indicatione expellitur, & ab intensiore calore febris hecticæ obscuratur: nego tamen semper spiritus, & humores, simul accendi, ex eo quòd partes solidæ accendantur, quia etsi spiritus semper accendantur, hoc est propter ipsorum tenuitatem, raritatem, & caliditatem; & quia illorum substantia est valdè homogenea; humores verò, etiamsi febris hectica sueeedat, non semper accenduntur, neque fit febris putrida; quia cùm sint humores ex substantia heterogenea conflati, maiorem obtinent resistentiam, quam spiritus, vt calorem febrilem concipiant; ideoque non semper febris putrida erit complicata cùm febre hectica, veluti febris diaria; etiamsi non ita cognoscatur propter maiora signa hecticæ, obscurantia febrem diariam;

ac proindè febris diaria semper præcedit hecticam; & nunquam poterit fieri incipiendo, neque à causa procatarctica, neque ab aliqua interna; quia eadem ratio militat inter has causas respectu passi, vt sunt spiritus, & partes solidæ.

Instabis tamen: nam ex alimentis calidis, & siccis, generantur sanguis, & spiritus calidi, & sicci: ergo partes nutriendæ fient calidiores, & sicciores: ergo paratiores ad hecticam concipiendam, cùm fiat in dies noua repositio alimenti siccioris; ac proindè partes solidæ aliquandò valebunt, cùm paratiori dispositione ad hecticam, quam ad putridam, reperiri: ergo illo in casu hectica febris à principio valebit inuadere.

Dissolues argumenti vim, si perpendas, quòd cùm partium solidarum substantia, non possit media nutritione immutari, nisi ad pensum alimenti, quod reponitur, & hoc fit, (vt ait argumentum) spiritus, & sanguis; propterea fatendum erit: iam talem dispositionem præuiam ad febrem, præcessisse in spiritibus, & humoribus, antequam in solidis adsit, sicque ratio prædicta, non conuincit.

Insurges demum; aliquando quartana, priùs quàm tertiana, accenditur: ergo melancholia, quæ quartanam suscitat, priùs quam bilis, quæ tertianam gignit, accendetur: nunc sic, veluti melancholia est frigidior, ac terrestrior bile; ita partes solidæ sunt terrestriores, quam spiritus, & humores; atqui hoc non obstante, aliquando quartana, priùs accenditur, quam tertiana: ergo etiam aliquando, non obstante dispositione naturali partium solidarum, valebunt istæ prius quàm spiritus, & humores, disponi ad calorem præter naturam: ergo ad febrem hecticam.

Cui respondeo, paritatem, etsi apparenter, non reuera, in omnibus currere; nam si sub eadem formalitate melancholia, & bilis perpendantur, nunquam suppositio erit vera: si enim bilis, & melancholia in quantitate proportionata, temperie, & modo substantiæ debitis, repetiantur; illo in casu, nunquam melancholia paratior, ad intensiorem calorem concipiendum, quam bilis erit: si verò melancholicus succus supra modum, adauctus sit, vel putridus, vel ingentes inducens obstructiones, remanente bile in suo debito, & naturali statu; quid mirum, quòd prius, ac facilius quartana, quam tertiana suscitetur, cùm conditiones æquales humorum, non currant; sicque cùm hæc ratio inter solidas corporis partes, ac spiritus, & humores, non militet, inanis remanet argutiæ.



QVÆSTIO TERTIA.

De causis reditus Febrium per circuitus.



NIHIL notius morborum circuitibus, nihilque obscurius, quam ipsorum circuitus causas referre: antequam tamen causas requitamus supponere oportet, quòd hæc quæstio non solū est de

causis

causis reditus febrium interpolatarum per circuitus; sed etiam de causis reditus febrium continuarum per accessiones, ac de causis repetitionis per circuitus in aliis morbis; nam de omnibus valet assignari eadem ratio; ac de omnibus vnico capite, egit Gal. 2. *de differentiis febrium, vltimo.*

Secundò, supponendum est, quod huiusmodi circuitus possunt repetere cùm ordine, ita vt determinatis horis adueniant vt patet, in aliquibus febribus quarum accessiones eadem hora repetunt: Hippoc. *si eadem hora cras occupauerit*; vel tales circuitus repetunt sine ordine, ita vt anticipentur, aut postponantur; de quibus etiam Gal. *libro de typis* egit.

Tertiò notandum, siue supponendum est, maximè diuersum esse agere de causis circuituum, siue periodorum genericè; quomodo nimirum accidat accessio febris, ac vnica accessione finita, accidat alia immediatè, siue mediatè; aliud verò est inquirere, quare determinatè febres, scilicet pituitosæ repetant quotidie; febres tertianæ die tertio; veluti melancholicæ, quarto die.

Quartò notandum expedit, vnica accessione posse terminari, & finiri febres, quæ solent habere multos paroxysmos, & periodos; vt febris tertiana potest vnica accessione finiri, si mitissima sit.

Quinto, notare oportet, causas reditus, siue circuitus in febribus, posse dupliciter assignari, aliam videlicet esse causam extrinsecam, vt sunt errores externi, qui quemadmodum morbos generant, ita iam genitos, qui iam sunt terminati renouant; ideóque possunt efficere reditum accessionis: de qua causa, non loquimur: alia similiter datur causa intrinseca, quæ etiam est duplex; alia enim est dispositio remanens post præcedentem accessionem, & relicta in parte, in qua fit humoris putredo, & corruptela; alia est dispositio humorum, qui etsi non sint actu putridi, idonei tamen, & parati ad putredinem.

Quibus sic iactis, dicendum est, quod sola dispositio partis in qua fit putrefactio humoris à quo nascitur febrilis insultus, siue accessio, non valet esse causa sequentis accessionis, & noni paroxysmi, vt in febribus, in quibus accessiones manifestò declinant; quam sententiam amplectuntur Franciscus Antonius Caserta, Petrus Garcia, Matamoros, Veiga, & doctissimus Vega, & probatur manifeste, quia vbi morbus declinauerit, sua vehementia, & vi, iam non potest mortem inferre, neque ad peius permutari, cùm iam sit in declinatione, & victus, nisi aliquis committatur error: ergo sola dispositio morbifica remanens in parte, tempore declinationis, non potest esse causa sequentis accessionis. Probatur sequela, quia declinatio paroxysmi, siue accessionis, fit, quia euacuatur humor, qui putrescit in parte, & partis caliditas remittitur, quæ erat morbus illius; atqui cùm remittitur, ac declinat morbus, nisi aliquis committatur error, non potest augeri morbus: ergo cùm in declinatione accessionis, dispositio partis in qua fit putredo, sit valde remissa, & declinans, non poterit esse causa alterius accessionis de nouo aduenientis; quia alias dispositio, & morbus declinans, sine aliquo errore, iterum inualesceret, & augeretur.

Sit secunda conclusio: vt fiat repetitio, siue circuitus febrilis accessionis, necessariò requiritur, vt relinquantur in corpore humores qui etsi non putridi actu sint, saltim apti, & parati ad putrescendum; & probatur, quia eadem ratione est philosophandum, de reditu febrilis accessionis, ac de reditu, & recidiua febris, vel cuiuslibet morbi, post ipsius radicem, siue generationem; siquidem veluti se habent plures accessiones, vel paroxysmi in febre intermittente; sic se habent febris origo, radix, siue generatio, ac se habet recidiua; sed causa recidiuæ febris, sunt humores, qui relinquuntur ex morbis, idonei ad putrescendum, & non actu putres: ergo ita pariter, causa reditus, siue circuitus febrilis, necessariò erunt humores, remanentes crudi, & prompti ad putredinem recipiendam.

Quare, vt prædicti humores crudi, & superfluitates relictæ, faciant repetitionem accessionis febrilis, debent confluere, ac denuò putrescere in aliqua parte corporis determinata, in qua præcessit putrefactio, quæ priorem accessionem efficit; & hoc præostenditur authoritate Galeni 2. *de differentiis febrium, cap. vltimo*, vbi fusè adfert causam ob quam accidit, vt humor fluat ad partem; ac vt fiat putrefactio humoris in aliqua parte determinata; assignatque esse, vel imbecillitatem partis, propter quam non potest humor concoqui, & vinci ad meliorem statum; quandò existens inutilis, ab aliis partibus nobilioribus mittitur, & transfluit; sicque, cùm distillat humor à cerebro ad gingiuas, palatum, dentes, aures, vel oculos; tunc in his corrumpitur, ac fit plurium morborum productio.

Vnde dispositio, non solùm partis recipientis, in qua fit humoris corruptio, sed aliarum partium, quæ ipsa excrementa mittunt, aut generant, erit causa propter quam, fiant accessiones febrium; non verò circuitus ordinati, vel inordinati: nam hoc maiorem exposcit ingenij elaborationem; sicque si non datur aliqua pars determinata in corpore, sed omnes partes æque laborant, generabitur febris synochus, quæ caret circuitibus, ac à principio vsque ad finem, vnica clauditur accessione: quando verò materia mittitur ad aliquam partem, est quia, vel mittitur humor ab alia, vel quia attrahitur à parte, in qua colligitur, & aggregatur; quod accidit in omnibus morbis, qui dependent ex fluxione humoris, in quibus pars expellens, siue mittens valida, irritatur à quantitate, vel qualitate humoris, vel à duobus simul; ac pars recipiens propter languorem, necessariò recipit, innata etiam à calore, & dolore; cùm isti sint causa attractionis.

Ex quibus infertur, quòd quantitas, & qualitas humoris noxij, ac peccantis, facta comparatione ad facultatem expultricem, & ad naturam, quæ humores gubernat, producet iam febrem continuam, iam intermittentem; siquidem, si quando humor quantitate, vel qualitate peccans, mouetur in febribus periodicis

à

à v. sis extra vasa, & adest tunc robur in parte mandante; ita vt expellatur totus humor peccans extra corpus cessat febris; si verò non est pars, ita robusta, & tamen humor, etsi multus expellitur extra vasa, tunc fit febris intermittens; denique, si minus est robusta, ac multa copia, siue quantitas humoris peccantis, illumque non valet extra vasa expellere; contentus, & remanens intra venas putrescit, ac febrem continuam producit; idemque est dicendum, de parva quantitate humoris peccantis, dummodo facultas expultrix sit maximè languida, ita vt ipsum expellere nequeat, quia tunc respectu virtutis, & facultatis esset humor, quasi multus, & immodicus ad febrem continuam producendam.

Quare ratio propter quam, finita vnica accessione, succedit altera, quæ sit mediata, vel immediata, est, quia perseverat prava dispositio in parte mittente, & recipiente, & quia non deficit humor, siue materia peccans quantitate, vel qualitate, siue vtroque modo infestans, ac irritans naturam partium; ideoque finita vna accessione, succedit alia, cùm omnia æqualiter concurrant, & pariter si hæc deficiunt, vel remittuntur, cessat etiam, vel remittitur accessio; quibus facilè constat, modus principalissimus, quomodo generentur accessiones in febribus.

Maior tamen difficultas stat, vt dixi, in cognitione causæ præcipuæ, propter quam determinato, & statuto tempore, & hora fiant reditus, siue circuitus accessionum in febribus. Circa quam difficultatem, quam plures existimant, causam propriam circuituum accessionum, esse quantitatem naturalem cuiuscumque humoris, & cùm in nostris corporibus, detur maior copia pituitæ, quam bilis flavæ; ideò singulis diebus accidunt circuitus, vel accessiones in quotidiana, deindè, quia est maior copia, siue quantitas bilis flavæ, quam pituitæ, & maior quam melancholiæ: ideò in tertiana accidunt, circuitus accessionum de tertio in tertium; & quia humoris melancholici est omnium minima quantitas, longiores, & tardiores fiunt circuitus, nempè de quarto in quartum diem. Hæc tamen opinio nullum veritatis indicium obtinet: male enim colligitur ex quantitate humoris in statu naturali ad statum morbosum, cùm illa ob diversas causas immutetur. Impugnatur præterea, quia si solus excessus humoris in quantitate, est ratio sufficiens circuituum, sequeretur, quòd bilis flava posset efficere circuitum, quotidianum, & non de tertio in tertium: & probatur, nam potest accidere, vt propter errorem in victus ratione congregetur, & colligatur maior quantitas humoris biliosi, quàm pituitæ ergo tunc iam obtineret circuitum febris quotidianæ, & non tertianæ, quòd est maximè falsum.

Præterea, quia multoties est minor portio humoris biliosi, quàm melancholici, & nihilominùs non repètit die quarto, sed tertio: ergo quantitas humoris, non est causa circuitus; siquidem multoties circuitus tertianæ fit à minori quantitate bilis, quia accessio finitur spatio quatuor, aux sex horarum; veluti in quartana solet immorari, & permanere per spatium duodecim horarum: ergo quia datur maior quantitas: ergo si propter quantitatem maiorem, vel minorem fit repetitio; quia in quartana, datur maior quantitas humoris, quàm in tertiana; potiùs deberet repetere de tertio in tertium, quàm de quarto in quartum: ergo causa repetitionis, siue circuitus, non est referenda ad quantitatem humoris.

Averroes *lib. 4. colleg. cap.* 17. indicavit, circuitus, ac repetitiones ordinatas in febribus, non solùm fieri ob humoris quantitatem, sed ab specifica cuiuscumque humoris forma; veluti magnes à propria forma attrahit ferrum, & medicamenta purgantia, hunc humorem potiùs, quàm alium à forma specifica attrahunt. Hæc tamen opinio facilè impugnatur: nam si specifica forma sumitur, propter proprietatem aliquam occultam, alienum est à Philosophia ad ipsam confugere, cùm valeat assignari causa manifesta; vt ea quæ accidit in purgationibus menstruis, ac in alvi excrementis, quæ solent in aliquibus quotidie, ac hora determinata excerni. Præterea, quia si ab specifica forma humoris fierent circuitus, præter quatuor humores, essent assignandi alij, qui ratione formarum efficerent quintanos, sextanos, & nonanos circuitus: deinde, quia ex variatione eibationis, non solùm accessio anticipatur, vel postponitur, verumetiam febris, quæ erat intermittens, fit continua; atqui tunc non variatur forma specifica, nec proprietas humoris: ergo quia ratio circuitus, siue periodicationis, nō potest provenire à proprietate humoris occulta. Inquiram deinde si circuitus febris fit à propria humoris forma, cur sanguis sub propria sua forma, quin mutetur in alios humores, non efficit distinctum circuitum ab aliis? Ex quibus facilè infertur, huiusmodi sententiam, non esse sustinendam.

Aliqui verò asserunt, causam immediatam circuituum febrium, esse propriam naturam putredinis humorum, à quibus fiunt. Sicque quartana repetit de quarto in quartum, ob naturam propriam putredinis melancholici humoris; veluti tertiana de tertio in tertium, propter peculiarem bilis putredinem. Sed contra, quia semper difficultas nobis obversatur, nam etiam erit inquirendum, quæ sit causa propter quam putredo melancholiæ efficiat circuitum de quarto in quartum, & putredo bilis de tertio in tertium? Quia putredo humorum in febribus, solum differt vna ab alia penes magis, & minùs, & non specie: ergo non propter diversam naturam putredinis, datur diuersa ratio circuitum in quartana, ac in tertiana.

Impugnatur præterea, quia in synocha febre æqualiter, & vniformiter putrescit massa sanguinaria; atqui in hac febre, nullo modo datur vnus motus accessionis, qui sit proprius putredini huius humoris; neque datur complicatio circuituum, propter putredinem omnium humorum, sed solùm terminatur febris vnica accessione: ergo nullatenus est dicendum, quòd ex diversa, & peculiari putredine, oriantur diuersi accessionum circuitus in febre quo-

tidiana, & tertiana. Concedere deinde peculiarem putredinem in singulo humore, qui obtineat ipsum, tanquam proprietatem inseparabilem, absque vllo fundamento dicitur; nam existente simili causa efficienti, omnes humores possunt simili putredine secundum speciem corripi, cum neque ex parte causæ efficientis, minusque materialis repugnet: ergo tunc similis fieret periodus, quod est maxime falsum: ergo opinio prædicta nullum veritatis indicium obtinebit.

Communiter etiam Astrologi, solent ordinem circuituum ad Astra referre; vt euacuationes menstruæ, aut partus, ordinato tempore accidentes, qui ex astris, tanquam ex causa huius ordinis sunt petendi: non aliter de febribus, eadem ratio assentiendi in eorum opinione fertur, sed hæc sententia, merito ab omnibus reiicitur; quoniam huiusmodi causa, valde mediata, atque remota concurrit; cùm in corpore humano, immediatissima, & principalis adsit, quæ præcipuè inuestiganda venit, nulloque modo ad astra est confugiendum.

Quibus sic expositis, verior, ac omnium melior opinio est, quæ asserit, repetitiones, siue circuitus determinatos in febre quartana, tertiana, & quotidiana intermittentibus prouenire à facultate insita, & naturali, determinata tamen, ac vltimata à quantitate, & qualitate humoris stimulantis ad expulsionem, ad quod maximè iuuat inquinamentum, siue cineritium, quod relinquitur in foco putredinis post antecedentem accessionem; ac simul conducit facilitas, aut difficultas humorum, secundum propriam aptitudinem, ad concipiendam putredinem: quam opinionem amplectitur Galenus *lib. 2. de differentiis febrium, cap. vltimo*, Vega *2. de differentiis febrium, cap. vltimo*, Brauus *2. de differentiis febrium, cap. vltimo*, Sennert. *tom. 2. suorum operum, lib. 1. cap. 17. fol.* 626. Thomas de Garbo *in comment. de differentiis febrium*, doctissimus Valles *lib. 5. controuersiarum, cap.* 25. sapientissimus Petrus Garcia, Matamoros *lib. 4. tractatu 2. de febribus putridis in genere, disput. 8. folio* 485. Maroja *lib. 3. de causis febrium, quæst. 7. folio.* 57. ac alij quamplurimi.

Antequam tamen præsens stabiliatur sententia, notandum est, quòd in aliquo differunt hæc, periodus, circuitus, & accessio; quia periodus, siue circuitus, nihil est aliud, quam reditus ad idem; accessio verò est pars deterior totius circuitus, siue periodi. Præterea est notandum, quod quamuis typus pro eodem vsurpetur ab aliquibus, ac est periodus, differunt tamen inter se; quia typus significat ordinem in periodo, ita vt cùm periodi seruent inter se ordinem, dicatur, circuitus, siue periodos, typus obtinere, sicque quotidiana, quotidie, & tertiana de tertio in tertium repetunt.

Quilibet igitur humor certo, & determinato tempore acquirit qualitatem putredinalem, qua certo, ac statuto tempore irritatur natura ad expulsionem, sicque irritata natura, tum à quantitate, tum à qualitate humoris naturalis, facultas ad huiusmodi humorem expellendum stimulatur; quo motu determinato; certe, & determinate accidunt accessiones; cur verò putrescant humores, diuerso, & determinato tempore, reducendum est ad cuiuscumque humoris naturam; cuius nomine intelligitur facilitas, siue difficultas, aptitudo, siue ineptitudo ad concipiendam putredinem, vel ad eidem resistendum: quare pituita, quæ frigida, & humida est, ex peculiari temperamento habet, vt singulis diebus putrescat; quia licet sua frigiditate resistat putredini, maxime tamen iuuat humiditate, & aliis qualitatibus secundis; sicque singulis diebus accenditur: non aliter licet bilis ob sui siccitatem putredini resistat, tamen ob tenuitatem, calorem intensum, ac alias qualitates, citiùs, quam melancholia putrescit; vnde obtinet sufficiens temperamentum, vt tertio quoque die repetat: melancholicus denique humor, quia propter frigiditatem, & siccitatem magis putredini resistit; ideò tardius putrescit; ita vt quarto etiam die dispositionem putredinalem comparet, vt irritet naturam ad expulsionem, & accessionem efficiat; idemque dicendum iudico de aliis morbis, determinato ordine repetentibus, de epilepsia scilicet, asthmate, cephalea, morbo gallico, & podagra, in quibus causa necessariò putrescit, vt determinatos causet circuitus, etsi non sit sufficiens putredo ad febrem concitandam.

Sanguis denique quamvis ob humiditatem, facile possit putredinem concipere, qui tamen plurimum habet calidi innati, & influentis, ac sit perfectior omnibus aliis humoribus; ideò non corrumpitur in facto esse, & termino completo sub propria forma sanguinis, & cum tendit in corruptionem, pars tenuior ipsius transit in bilem, & crassa in melancholiam; sicque horum humorum periodos, siue circuitus efficit: accedit alia, & maximè iuuans, causa circuituum superius allata, quæ sumitur ex fomite, inquinamento, seu cineritio relicto post accessionem in foco putredinis, de quo Galen. *3. de præsagatione ex pulsibus, cap.* 7. iuxta quam doctrinam in febre illa, in qua relinquitur plus fomitis, frequentius accedunt accessiones: quare ex pituita (quia frigida, crassa, & viscida est) plurimum relinquitur in foco putredinis, ex fumis, & fuliginibus, ad efficiendum breuiori tempore circuitum; ex bile verò, quia tenuior est, minus fuliginum, & fomitis relinquitur, quam ex pituita, & ita tardius succeditur, ac per tertium diem mouetur: melancholia denique, quamvis frigida, & crassa sit; quia tamen ex natura terrea est conflata, & potius vstioni parata; ideò minus relinquitur ex cineritio in foco putredinis, vnde tardius accenditur, & quarto similiter die concitat accessionem.

Ex quibus rationibus, & opinione, facile infertur ratio satisfaciendi dubiolis omnibus huius difficultatis, scilicet? Cur aliquando fiant circuitus quintani, sextani, & septimani? Cur aliquando anteecdant? Quandoque postponantur? Cur aliquæ breuiores? Aliquæ longiores fiant accessiones, quædam declinent omnimodè, & veniant ad integritatem, vt quartana exquisita, cur denique circuitus sint erratici? Nam si facultas naturalis sit valida, & si tanta quantitas,

titas, ac talis humoris qualitas adſit, vt ſecundum propriam ipſius naturam valeat efficere, in foco putredinis inquinamentum, & cineritium, ad concipiendam putredinem, & tertio in tertium, fient circuitus tertianæ, & ſi de quarto in quartum, fiet periodicatio quartanæ, & ſic de aliis. Si ſexto dic, erit circuitus ſextanus, veluti ſi quinto, quintanus; ſi deinde maior, aut minor adſit humoris quantitas, & tenuior, aut craſſior ſit illius ſubſtantia, validior, aut languidior adſit facultas naturalis, ac maius, vel minus ſit inquinamentum relictum in foco putredinis: tunc citius, & anteponens, vel tardius,& poſtponens fiet acceſſio & ſi æquali modo huiuſmodi cauſæ concurrant ad efficiendam putredinem in foco, æquales erunt, & ordinati acceſſionum circuitus: & ſic de aliis dubitationibus, manifeſta manet ſolutio cuilibet inquirenti.



QVÆSTIO QVARTA.

De ſignis febrium diariarum in communi.



CVM ſuperioribus capitibus de generatione, & & cauſis febrium diariarum, & putridarum copioſè diſputauerit Galen. iam *cap.*8. *& vltimo*, *lib.* 1. *de differ.febr.* adfert ſigna quibus differant, & ſecernantur febres diariæ à putridis. Febris igitur diaria, talem obtinuit appellationem ab ipſius duratione, ex eo quod ſpatio vnius diei, vt plurimum, vel potiùs ſpatio viginti quatuor horarum æquinoctialium, tota illius conſtitutio permaneat, quæ à Græcis ephemera fuit dicta, ſimilitudine deſumpta à quodam animali ephemeron dicto, de quo loquitur Ariſtoteles 5. *de animalium hiſtor. cap.* 19. quod ſolo ſpatio vnius diei naturalis perdurat, ac viuit. Antequam tamen ſigna diariæ febris adaptemus, prius explicatione indiget, quod aſſeruit Galen.*cap.citato*,nempè febrem diariam eſſe facilis curationis, & cognitionis; alio verò in loco eſſe difficilem in cognitione, vt *lib.*1. *artis curatiuæ ad Glauc. cap.*2. aſſerit: *Curationem febris diariæ eſſe facilem, ad cognitionem verò requiri diligentiam.*

Ludouicus Mercatus *tom.*2. *lib.* 4. *de febribus*, *pag.*316. huic dubio ſatisfacit aſſerendo, quòd quando Galenus dixit: Febres ephemeras eſſe difficilis cognitionis, & facilis curationis; de febribus diariis illegitimis, illis ſcilicet, quæ tales ſunt natura, non tamen conſtitutione; quales ſunt, quæ ortum ducunt ex cutis denſitate, leui obſtructione,& ſimilibus intelligitur:quando vero aſſeruit, febrem diariam eſſe facilis curationis, & cognitionis, loquitur de diariis legitimis, quæ tales ſunt natura, & conſtitutione. Sed profectò, veneranda ſemper doctiſſimi viri authoritate, ex Galeni locis nulla reſponſionis ſimilis occaſio offertur, cum facilius, & verius ſoluatur difficultas, vt inquiunt, Veiga 1. *de differentiis febrium*, *fol.*462. Mercurialis *lib.*5. *de febribus*, *cap.*5. *fol.*486. ſicque reſpondeo, inter hæc loca nullam dari repugnantiam: nam *cap.*8.*citato lib.*1. *de differentiis febrium*, loquitur Galenus abſolutè, & ſimpliciter; at verò *libro artis curatiuæ ad Glauconem*, comparauit curationem ad cognitionem, quaſi aſſerat, faciliorem eſſe curationem, quam cognitionem, ſicque in primo loco ait abſolutè, & in alio cum præmeditatione.

Signa igitur vniuerſalia febrium diariarum, quæ natura, & conſtitutione appellamur, plura recenſentur à Galen. *lib.* 1. *de febr. differentiis*: primum autem ſignum, & præcipuum febrium diariarum, quod inſeparabile, & proprium debet dici, eſt, incipere à cauſa procatharctica, ſiue manifeſta, aut prætergreſſa; hoc quidem ſignum eſt inſeparabile, quia conuenit omnibus diariis; proprium verò, quia ſolùm illis conuenit: nam cum in ſuperioribus maneat expoſitum, nec febrem hecticam, nec putridam fieri incipiendo, ideò conſentaneo modo eſt loquendum, affirmandumque tale ſignum, non eſſe ſolum inſeparabile, ſed etiam proprium, cuius eſt ratio, quia etſi febris hectica, ſiue peſtilens valeant oriri à cauſa externa, non tamen producuntur immediatè, ſed mediatè, antecedente, ſcilicet, febre diaria, ob diſpoſitionem *ſuprà* explicatam: ergo incipere à cauſa procatharctica immediatè, non ſolùm erit ſignum inſeparabile febris diariæ, ſed etiam proprium.

Neque obſtat, ſi aſſerat,quod incipere à cauſa procatharctica, non eſt, ſignum inſeparabile febrium diariarum, quia multoties febris diaria ſit ex obſtructione exigua, vt docet Galenus *lib.*8. *methodi*, *cap.*4. & *lib.*9. *ſequenti*, *cap.*1. atqui obſtructio fit à cauſa interna: ergo non omnis febris diaria fit à cauſa procatharctica. Præterea, quia etiam febris diaria fit ex bubone, animi pathematibus,& cruditatibus,ſed hæc omnia non ſunt cauſæ procatharcticæ: ergo hoc ſignum, non conuenit omni diariæ: ac proinde non erit inſeparabile.

Cui reſpondeo cùm doctiſſimo Benedicto Matamoros, quod febris diaria eſt duplex: vna eſt propria, & legitima, quæ natura, & conſtitutione dicitur talis, & terminatur ſpatio 24. horarum:alia eſt natura, non tamen conſtitutione,eſt diaria,quæ ſpuria, illegitima vocatur, ac amplius durat. Quare quando Galenus dixit *loco citato*, eſſe ſignum diariarum febrium incipere à cauſa procatharctica, tunc intelligendus eſt de febribus diariis, quæ ſunt natura, & conſtitutione tales, non tamen de illis, quæ non ſunt tales conſtitutione, vt quando fiunt ex cruditate,vel aliqua leui obſtructione, ſiue aliis in argumento allatis.

Et licet reperiantur aliquæ febres diariæ,quæ non ſunt tales conſtitutione, ſed ſolùm natura, aliquando excitantur à cauſa procatharctica, vt à frigiditate externa, per cutis conſtipationem, tunc potiùs, ortum ducent à morboſo aliquo affectu interno in corpore relicto, quam à cauſa procatharctica, quæ etiamſi fuerit ablata,amplius

febris durauit; de quibus febribus, nullatenus loquitur Galenus, sed de diariis, in quibus præter febrem, nullus alius affectus in corpore reperitur.

Secundum signum, est proprium, & inseparabile febrium diariarum, quod desumitur ex vrina, quæ in principio optimè cocta, cum nubecula, appendiculo, vel sedimento conspicitur; quod signum, ideò proprium, & inseparabile, quia conuenit omni, & soli diariæ; rationque verior est, quia cum hæc febris, non dependeat ex humore putrefacto, non potest in lotio, siue vrina, signum cruditatis (idest) putredinis deprehendi; ac proinde à principio vsque ad finem, optimam repræsentat coctionem; hoc tamen intelligendum est, nisi impediatur ab aliqua causa potentiori, propter quam signa pathognomonica morborum, solent separari ab ipsis morbis, & maximè obscurari; vt latè exponit Petrus Garcia *disputat.* 44. *de locis affectis*, *cap.*5. & hæc est causa propter quam, in febre diaria ex cruditate ventriculi, vrina solet in principio apparere aquosa, & cruda, vt docet Auicenna *Fen.* 14. *tract.* 1. *cap.* 34. *in fine*: ob eandem similiter rationem in febribus ex tristitia, & vigilia, lotium non excernitur coctum propter priuationem coctionis, ratione effluuij, & dissipationis triplicis substantiæ.

Contra hoc tamen signum, vt faciliùs intelligatur, valebit aliquis obiicere, ex eo quod multoties accidit, lotium in bene valentibus, non obtinere contentum, quod significet coctionem: ergo multò melius valebit esse in lotio, siue vrina laborantium febre diaria. Præterea, quia vel hoc contentum esset ex eadem materia, sicut repetitur in sanis, quòd nullatenus est verum quia in benè valentibus sedimentum fit à solo calore naturali; at verò in his, qui febre diaria laborant, reperitur etiam calor præter naturam febrilis.

Ex hoc argumento suscitatur difficultas, qua inquiritur; vtrum in lotio corporis optimè sani, reperiatur contentum? & an sit melius apparere; an verò è contra: quam plurimi Authores existimant in vrinis sanorum, non apparere aliquod contentum; fundamentumque eliciunt ex illius generatione: nam in lotio sanorum, contentum procedit ex materia, quæ subter fugit hepatis coctionem; cùm igitur in corpore optimè sano, verius sit, nullam partem materiæ, coctionem subter fugere: proindè non dabitur materia, ex qua contentum possit generari. Verior tamen opinio est contraria, quæ colligitur ex Galen. 2.*prog. comment.*64. vbi in homine optimè sano, & vtente victu moderato, asserit, sedimentum esse moderatæ quantitatis; quòd etiam adnectit Actuarius *lib.* 1. *de iudiciis vrinarum*, *cap.*4. vbi asserit, quod si in optimè sano, longo tempore contentum non appareret, morbum esse timendum: Sicque assero, quod quamvis sedimentum intra latitudinem sanitatis procedat, ex materia, quæ effugit sanguificationem; tamẽ quod talis materia non coquatur, non procedit ex defectu causæ efficientis, sed ex ineptitudine materiæ; vnde licet facultas sit fortis, & valida, non potest amplius coqui, vt in nostram conuertatur substantiam, neque valebit per cutim insensibiliter expelli.

Quaptopter facile soluitur obiectio: Si respondeam, quod sedimentum, in febribus diariis fit ex simili materia, ac in sanis, ex portione nimirum alimenti, quæ fugit coctionem, & à solo calore naturali; nam licet sit febrilis non tamen necessariò putrefacit aliquam materiam humoralem, vt inde lotium acquirat cruditates, veluti in febre putrida, in qua sedimentum generatum ex portione humoris efficientis morbum fit, vt docet Galen. 1. *lib. de differ. feb. c.*6. sed hæc ad alium locum dissoluenda exquisitius relinquuntur.

Obiiciet tamen aliquis contra idem signum: quia in febribus hecticis nulla est ratio, ob quam lotium non appareat cum signis optimæ coctionis, siquidem tales febres non dependent, ex causa humorali, quemadmodum, neque diaria, sicque eadem militat ratio de vtraque: ergo dicendum est etiam, quod in febribus diariis non est signum proprium coctio perfecta in lotio, etsi communiter plures respondeant medici, quod in febre hectica, quamvis non dependeat ex humore, vrina non est optimè cocta, quia cum calor sit in facto in membris solidis, non potest perfectè coquere materiam, ex qua generatur sedimentum.

Præsens tamen solutio est contra Galen. *lib.* 3. *de præsagatione ex pulsibus cap.*3. vbi refert quosdam laborantes hectica febre pestilenti, qui obtinent vrinam similem illi, quæ reperitur in sanis, sicque respondeo, quod etsi verum sit, quòd in hecticis valeat vrina apparere, cum signis coctionis, tamen hoc erit signum proprium febris diariæ, respectu febris putridæ, in qua necessario lotium in principio apparet crudum, & quia Galen. solum comparauit febrem diariam, ad putridam ideo respectu istius, asserit Galen. quod est signum proprium, & inseparabile.

Tertium signum, quod Galen. assignat tanquam proprium, & inseparabile diariarum est, quod pulsus crescat, in magnitudinem, celeritatem, & crebritatem, & frequentia quietis externæ declinet à proportione, quod signum facile, vt verum ostenditur, quia magnitudo, celeritas, & frequentia pulsus, sunt differentiæ familiares vsus adaucti. Quare cum in febre diaria vsus caloris crescat, necessario apponuntur prædictæ differentiæ; ratio verò secundæ partis est, quia quietes in pulsu (in meliori sententia) sunt propter eundem vsum, siue finem, ac sunt motus, cum in febre diaria maior adsit necessitas aerem attrahendi, propter attemperationem caloris; nulla verò, aut exigua ad expellendas fuligines; ideò fit, vt in externa quiete magis immoretur arteria, quam in interna: & consequenter immutatur proportio frequentiæ; hoc tamen signum admittendum necessariò venit, quantum est ratione febris diariæ; nam propter aliquem affectum complicatum, siue aliquam manifestam causam, potest impediri magnitudo pulsus, & vt rectè aduertit Auicenna *fent.*1.*num.*41.*tract.*2.*cap.*3. vt si febris diaria sit ex tristitia, pulsus non sunt magni; quia spiritus vitales consumuntur: similiter, si humores

aeres,

acres, & mordaces ventriculi os, siue orificium infestant; quia ex hac alteratione solet fieri pulsus paruus.

Quartom signum simul proprium, magisque inseparabile est quod in febribus diariis, non reperiatur celeritas compressionis in pulsu, & aliquando inueniatur valde exigua, & ferè insensibilis erit, hoc quidem signum magis proprium, & inseparabile est, quam præcedens, quia medio isto differt magis diaria à putrida, quam antecedenti signo, cuius ratio facile colligitur ex dictis, quia cum in diaria calor, non adsit in humoribus in facto, eo quia impuries remanent; ideò non eleuatur fuliginum copia sufficiens, quæ maiorem, & celeriorem requirat pulsus compressionem, quia tamen sunt aliquæ febres diariæ, in quibus fuligines copiosiores abundant, plusquam pro naturali statu, hinc est, vt in his compressio reddatur celerior; ferè tamen insensibiliter, vt cum talis febris ex densitate cutis, siue ex nidorosa ventriculi cruditate procedit.

Quintum similiter signum proprium, & inseparabile febrium diariarum, est calorem esse mitem, & vaporosum, id est, non mordacem, & acrem, facta comparatione ad alias febres, putridas, & hecticas; in his enim calor est acris, & mordax, propter aliquam siccitatem coniunctam, & in putridis, propter excessum fuliginum putridarum; calor verò febris diariæ, (vtpote in materia humida) mitis est, & suauis.

Sextum signum inseparabile, licet non proprium diariarum est, quod libere, ac æqualiter accenditur calor, & pulsus, vsque ad vigorem, vel statum, quod signum conuenit omni & non soli, ac dicitur ad differentiam febrium putridarum, quæ nec liberum, nec æqualem, caloris, & pulsus habent accensum, in diariis verò æqualiter accenduntur, spiritus, & pulsus increscit ad magnitudinem, & celeritatem collectiuè; nulla enim est causa, quæ impediat illorum incendium; in putridis, verò sensibile, & maximum est impedimentum, vel propter ineptitudinem humorum, vel propter inæqualitatem partium humoris; cuius vna potiùs, quam alia putrescit: tale quidem signum non est proprium, quia conuenit etiam febribus putridis, scilicet febribus synochis eundem tenorem seruantibus, & in aliquibus tertianis exquisitis.

Septimum signum est, quod febris diaria declinet sudore, madore, vel euaporatione, ita vt totaliter, & perfectè cesset febris, & perueniat æger ad infebricitationem: quod signum vocatur inseparabile, & proprium; ratio verò propter quam, in hac febre accedit in declinatione sudor, siue mador est, quia serosæ humiditates in habitu corporis existentes, vi caloris febrilis, medio madore, aut sudore, siue vapore euacuantur, habita ratione caloris ad excrementa, quæ per cutim euaporantur, aut expelluntur; quæ materia sudoris; vel madoris, vt sunt excrementa humida, etiam si in habitu corporis non existat, nisi in partibus intimioribus, valebit similiter in declinatione moueri simul, cum substantia spirituosa ad cutim, & vltimo attenuari; ita vt si talia excrementa sint exigua, & calor intensus, per euaporationem emittitur, siue euacuatur; è contra verò si multa, per sudorem, facta mutatione in aquosam substantiam tenuiorem: sudor enim differt à madore solum penes, magis, & minus: quod autem in febre diaria perueniat corpus ad infebricitationem docet Galen. 1. *artis curatiuæ ad Glaucon. cap. 2.* & hæc infebricitatio est talis, vt nullum vestigium relinquat, quod nullatenus reperitur in putridis; etiamsi sit tertiana intermittens.

Vltimum signum in febribus diariis; sumitur à facillima ægri tolerantia, in ferendo morbum, adhuc in summo vigore, siue statu, vt ipse Galen. 1. *de differentiis febrium, cap. 7.* inter signa diariarum, constituit clementiam status, qui inter reliqua tempora est vehementior pars totius ægritudinis; ex quibus signis facilè deprehenditur febrem esse diariam; ex quibus etiam facilè deducitur præsagium omne, scilicet febrem diariam, omninò esse salutarem, & facilis curationis, excludenda tamen est febris diaria maligna, & pestilens, qualis fuit illa febris diaria maligna, & pestilens, quæ ab Authoribus Anglica vocatur, ac vnius diei spatio homines detruncabat, illamque in Britannia vidisse suo tempore, testatur Fracastorius *lib. 2. de morbis contag. cap. 6.* eiusdemque meminit Ioannes Langius *epist. 19.* vnde rectè dixit Hippocrat. 4. *aphor. comment. 55. febres ex bubone ortæ malæ, præter diarias.*



QVÆSTIO QVINTA.

De signis febrium putridarum in communi.



PROGREDITVR vlterius Galen. *cap. 7. citato libro 1. de different. febr.* proponens signa febrium putridarũ in communi, quæ ex humorum putredine ortum ducunt: proprium igitur signum, non tamen inseparabile, est incipere sine causa procatarctica; appellatur proprium, quia solùm febribus putridis conuenit: nam diaria, & hectica à causa externa valet prouenire; non tamen est inseparabile: nam plures febres putridæ incipiunt à causis procatarcticis, etsi non per se saltim ex accidenti, scilicet cùm fit trãsitus diariæ in putridam, ex eo quod corpus putredini sit idoneum, ac excrementis abundet. Notandum tamen est, quòd licet aliquæ febres putridæ, vt pestilentes, incipiant à causa externa, scilicet ab aëre; hoc tamen fit mediatè, & remotè, quia immediate, & proximè ab interna semper procedunt, vt ex Galen. patet; corpora enim, quæ facilè ventilatione gaudebant, & excrementis carebant; nullatenus corripiebantur febre pestilenti: quæ verò è contra maximè, ac proinde semper erit signum proprium

prium putridarum, non incipere à causa procathartica.

Secundom verò signum febris putridæ, quòd etsi proprium, separabile tamen, est, incipere cùm rigore, nulla præcedente causa externa, caliditate nimirum, vel frigiditate forti, siue valde intensa, vt explicat Galen. cum ait: *Vbi neque ardor solis, neque valida frigefactio præcesserit, qualis solet accidere illis qui in vehementi frigore commorantur*: proprium dicitur tale signum febris putridæ, quia nequit aliis conuenire, nisi aliqua ex dictis causis accesserit, non verò est inseparabile, quia non conuenit omni febri putridæ, cùm multæ reperiantur febres, quæ non incipiunt cùm rigore, vt sunt febres continuæ, sed solùm intermittentes, veluti tertianæ cùm rigore, & quartanæ cum horrore.

Tertium deinde signum proprium, & non inseparabile febris putridæ, est inæqualitas pulsuum, & caloris, siue in principio, siue in augmento accidat; ista pulsus inæqualitas, siue fit in vnica pulsatione, siue in pluribus, quæ vocatur collectiua, est signum proprium, quia solùm conuenit febribus putridis; ac ista inæqualitas variatur, ratione materiæ, siue humoris crassioris, aut tenuioris, multi, vel pauci, sicque reperitur maior, vel minor inæqualitas, veluti etiam caloris varietas; quapropter in principio suffocantur vires, & in augmento grauantur, quia humor non æque secundum omnes partes calefit. Non tamen est hoc signum inseparabile, quia non omni febri putridæ conuenit, febri nimirum tertianæ, quæ seruat in pulsu, & calore quandam æqualitatem, vt docet Galen. 1. *de cris. cap.* 3. propter humoris caliditatem, raritatem, tenuitatem, ac substantiæ æqualitatem.

Quartum præterea signum proprium, non tamen inseparabile est, quod paroxysmi obtineant plures, veluti insultus, idest, quòd febres putridæ in vnica, & eadem accessione, plures exacerbationes obtineant, ita vt eo tempore, quo febris videtur declinare, iterum de nouo exacerbetur, & accrescat, siue accendatur; quòd contingit multoties in tertianis nothis, quotidianis, & quartanis, partim propter humorum miscelam, partim verò propter ipsorum crassitiem, & inæqualitatem; quare inæqualiter accenduntur, & putrescunt humores; sicque cùm aliqua humoris pars est accensa, & putrefacta, tendit ad declinationem, & altera de nouo accenditur, & putrefit; ideóque exacerbationem efficit, antequam prior euacuetur; quod signum, etsi proprium non tamen est inseparabile, quia non conuenit omni febri putridæ, cum febres continentes claudantur.

Quintum signum proprium, & separabile febrium putridarum, sumitur ex pulsu, quia huiusmodi febres obtinent pulsum compressum, seu coarctatum, aut paruum, debilem, & inæqualem, quòd præcipuè contingit in principiis accessionum, quia cum eo tempore calor influens cum sanguine ad interna retrahatur, obstruuntur viæ, & arteriæ, præ multitudine, ac ita grauantur, vt non valeant liberè dilatari, & calor veluti obruitur; ac proinde apparet pulsus paruus, & debilis per aggrauationem: hoc signum est proprium, vt docet Galenus, cum aliis febribus non conueniat, non tamen est inseparabile, quia non omnibus febribus putridis est commune; nam febres tertianæ exquisitæ, vt ipsemet demonstrat *tertio de præsagatione ex pulsibus, cap.* 7. incompressas accessiones habent, & non dantur pulsus compressi, vel coarctati; accessio verò incompressa fit, & tunc incipiunt febres, sine pulsus compressione, quando à tenuibus, ac facilè inflammabilibus humoribus oriuntur, vt sunt tertianæ exquisitæ, in qua calor cùm humoribus, non recurrit, siue retrahitur ad interiora, ob quam causam calor innatus non suffocatur, neque propter humorum copiam arteria (pulsandi instrumentum) est inobediens, neque reperitur facultas debilis, quæ omnia cùm aliter eueniāt in principio aliarum febrium, ideò propter imbecillitatem facultatis ab humoribus grauatæ, ac arteriarum obstructionem, pulsus debiles, & inæquales in accessionum principio apparent. Notandum tamē est, ex Galen. quòd prædictum signum, vt proprium harum febrium indicatur, dummodo non contingat aliquando, ratione alicuius symptomatis: nam aliquoties in orificio ventriculi, solet prauus aliquis humor coaceruari, ex quo paruus, & inæqualis pulsus fiat: nam si sit frigidus, fiet paruus; si verò acris, & mordax, pulsus inæqualis indocetur, si verò ventriculus omni careat noxa, hoc signum proprium erit harum febrium.

Sextum signum, quòd maximum esse docet Galenus, & præcipuum harum febrium, quæ ex humorum putredine fiunt desumitur ex qualitate caloris, calor namque in febribus, nihil suaue, neque moderatum, minusque aliquod habet simile febribus diariis, sed potius mordax reperitur, ita vt tactum valde offendat; atque erodat, veluti fumus nares, atque oculos solet offendere; hic quidem calor non percipitur quolibet tempore: nam in principiis accessionum, non est talis calor acris, quia eo tempore, adhuc suffocatus maneat in partibus interioribus, ac incipiant accendi excrementa, non statim agnoscitur imposita manu, sed diutius permanente manus applicatione, talis calor acris, & mordax è centro, siue de profundo emergit. Quare in principiis accessionum, non manifestè, neque statim apparet, sed in augmento, & vigore, siue statu, hic tamen calor non æque apparet in omnibus febribus putridis, quia in aliquibus euidens caloris acrimonia percipitur, in aliis verò obscurior, quòd accidit pro diuersa natura humoris febrem efficientis; aduertendum tamen est, quòd licet in febribus hecticis, etiam percipiatur acris, & mordax; diuersimodè tamen persentitur in hecticis, ac in putridis febribus, cùm in illis non eleuetur substantia vaporosa, acris, & mordax, quæ statim feriat tactum, veluti accidit in putridis.

Septimum signum, proprium, & non minùs inseparabile febrium putridarum est, vt pulsus compressio celerior sit dilatatione, quod signum est euidentius in incrementis, & præcipua causa huius celeritatis in compressione manifestè deducitur

de luciter ex anp iei, siue vtilitate, quæ prouenit à pulsu, ex illo enim duplex nascitur vtilitas, alia enim est refrigeratio, & attemperatio, quæ media dilatatione arteriæ perficitur; altera verò est expulsio fuliginosorum excrementorum; cui expulsioni compressio, necessariò deseruit, quare cùm in putridis febribus, multa fuliginosa excrementa generentur, ac magis vrgeat necessitas expellendi talia excrementa, quam refrigerandi, siue attemperandi calorem febrilem, ideò compressio erit celerior dilatatione, quia quando arteria per dilatationem accedit ad quietem externam, fit breuior, & acceleratur, quoniam compressionis vsus est vrgentior.

Octauum signum, maximè proprium harum febrium, est lotij cruditas, vel saltem obscura illius coctio in principio, quòd non accidit in diariis, cùm in eis vrina, neque cruda, nec debiliter cocta appareat, in febribus igitur putridis, vel omnino cruda, vel obscure cocta apparet in principio propter putredinem, qua laborant humores intra venas contenti, & cùm vrina sit serum ipsorum, ideò per calorem putredinalem, & præter naturam in colore, substantia, vel contento erit vrina cruda, siue obscurè cocta.

Nonum signum, harum febrium est, si in vigore, siue statu accessionis, appareat aliquod symptoma febris ardentis, veluti delirium, dolor capitis, anxietas, &c. vel ea, quæ in febribus lipyriis, aut epialis solent accidere, vel in hemitritæis, ex his quidem symptomatibus, non solùm febrem putridam esse colligemus, sed etiam aliquam peculiarem speciem, siue differentiam febris putridæ deprehendemus.

Decimum, atque vltimum febrium putridarum signum est, si illarum declinatio, non perueniat ad perfectam integritatem, seu omnimodam quietem, siue cum sudore, vel madore, vel alio quovis modo declinat, instar febrium diariarum; tunc necessariò vnum è duobus erit, vel transitus febris diariæ in putridam; si præcesserint omnia indicia febrium ephemerarum, vel si non adsint; censendum erit talem febrem putridam fuisse ab initio, hæc igitur sunt signa in vniuersum, quibus omnes febres putridæ dignoscuntur.



QVÆSTIO SEXTA.

De signis Febrium hecticarum in communi.



De signis hecticarum, agit Galenus *lib. 1. de differentiis febrium, cap. 11.* nos verò priùs de signis febris, hecticæ incipientis, agemus; nam ista, eo quo facilem obtinet curationem, tanto difficilis est cognitionis, sicque illius signa accurate sunt perpendenda; ex Galen. igitur 1. *de differentiis febrium cap. 8.* duæ assignantur differentiæ febrium hecticarum in communi: prima dicitur febris hectica incipiens, siue simpliciter dicta: secunda verò, febris hectica dicitur, marasmodes; quæ vlterius subdiuiditur; quia, vel est febris hectica marasmodes exquisita, in qua natiua humiditas est absumpta, vel est hectica marasmodes media, in qua humiditas roris, vel carnis, siue adipis est consumpta, quibus sie dinisis.

Primum signum febris hecticæ incipientis, quæ dicitur talis simpliciter, & facilis curationis est; nisi Medici culpa contingat, asserit Galen. *loco citato*, cognoscendum esse, ex eo quod ista febris nascatur à causa procatarctica, & si febris prima die obtineat omnia indicia febris diariæ; quin vllo modo finiatur spatio viginti quatuor horarum; sed amplius ad diem sequentem ex endatur, & omnem statum febrium diariarum pertransgreat; neque ad quietem declinet; nec magis inualescens majorem, siue intensiorem siccitatem in corpore repræsentet: etsi vsque ad tertium diem, æger absque cibo relinquatur, quin aliquid essatu dignum priori febri accesserit, ita vt neque augmentum, neque imminutio persentiatur, & corpus cùm caliditate, & siccitate permaneat, taliter vt primo occursu appareat calor mitis, postea verò diutiùs detenta, & perseuerante manus applicatione, acris, & mordax manui se offerat, in tali casu, inquit Galenus existimandum erit huiusmodi febrem esse hecticam incipientem.

Nec valet si aliquis dicat, insufficienter distingui, febrem hecticam incipientem, ab aliis febribus; ex eo quòd, [illegible] augmentum, nec imminutionem obtineat, siquidem in febre synocha homotona, æqualis semper perseuerat calor à principio ad finem: ergo cum ista febris, nec augmentum, nec imminutionem obtineat, nulla erit distinctio inter illas. Respondeo tamen maximum esse discrimen, quia in febre hectica, calor est exiguus, siue remissus; at in febre synocha, est magnus, siue intensus propter sanguinis, atque vaporum copiam Præterea, quia in febre hectica pulsus, est paruus, durus, & debilis; at in synocha homotona, pulsus sunt magni celeres, & frequentes: ergo rectè proposui hoc signum, Gal. tanquam verum discrimen, ad cognoscendam febrem hecticam incipientem.

Secundum verò signum proprium, & inseparabile est, quod vna, aut duabus horis transactis, post assumptum alimentum, corpus in calescit, & pulsus adaugetur in magnitudinem, & celeritatem, ita vt qui ægrum tetigerit, aliam denuo accessionem febris iudicauerit; aduertendum tamen est, ne aliqui in errorem manifestum incidant, quod talis adauctio pulsus, ac aduentus noui caloris; neque est ab intemperantium ciborum in quantitate vsum; neque ob aliquam futuram accessionem: Nam in febre hectica, quamvis diuersis, & mutatis horis præscribantur cibus, etiam si exiguus, semper ab assumptione cibi calor increscit, siue intenditur; quod signum maximè certum, ac indubitatum est.

Notandum tamen est cum Gal. calorem in febre hectica, ita adaugeri vt incompressa annotatio facta videatur, vocatur quidem incompressa annotatio à Gal. in qua, neque frigiditas partium extremarum, neque rigor, neque horror, nec maxima propensio ad somnum, nec pigritia; neque aliquod aliud accidens contingit, ex his quæ accidunt in principiis febrium putridarum, idéóque calor est æqualis, & perseuerat in eadem extensione, vsque quo sit peracta distributio alimenti, ac fuerit alimenti humiditas consumpta: postea verò reddit æger ad pristinum statum. Est quidem proprium, & inseparabile hoc signum, febrium hecticarum, quia conuenit. semper omnibus ac solis illis; quia licet etiam in putridis, ab assumpto intempestiuè cibo increscat calor, tamen citra illius assumptionem dantur peculiaria incrementa, siue accessiones, quæ in hecticis nullatenus sepetiuntur.

Sed vt rectius ratio signi intelligatur, dilucidat Gal. *loco citato*, quomodo fiat in hecticis incalescentia à cibo assumpto, & hoc præostendit exemplo calcis; nam si quis intra manum recipiat calcis glebam, ipsius caliditatem parui pendebit, nec illam sentiet; si vero eam aqua perfundat experietur, statim eam vehementer calefactam, & ita feruentem, vt non solùm possit calefacere, verum etiam deurere: non aliter in febribus hecticis assumpto cibo, vna, aut duabus horis, calor intenditur, & quamvis alimentum in ventriculo adhoc detineatur, nihilominùs vaporosa illius substantia, diffunditur per venas, & arterias ad iecur, & ad cor, ex cuius aduentu corpus calescit; veluti ex contactu aquæ calefit calx; & veluti ab aquæ humiditate plurimi vapores eleuantur à calce, maximéque feruent, & humiditate absumpta cessant; ita permanente humiditate post vnam, aut duas alimenti horas calefiunt corporis partes; assumpta vero humiditate illa, cessat feruor, ac hectici calor perseuerat veluti antea existebat. Aduertendum tamen est quod rigorosè non est intensio caloris, illa incalescentia hecticorum, ab alimento desumpto; sed extensiuè potest diei major calor; quia adest major quantitas substantiæ, quam erat antea; à qua calor adaugetur extensiuè.

Ratio vero principalissima propter quam calx incalescat ab aquæ affusione, non paruam parit difficultatem: aliqui enim iudicant hoc prouenire à calcis siccitate; sed hoc veritati opponitur, cum multa adsint medicamenta sicca in quibus hæc incalescentia non accidit: ergo non ob siccitatem. Alij verò asserunt prouenire calorem in calce, ab aqua propter antiperistasim; ratione enim contrarij circundantis vnitur & roboratur intrinsecè calor: sicque fit intensior; hæc pariter opinio est falsa; quia intensio accidentalis per antiperistasim fit ratione contrarij circundantis, in calce tamen non ita contingit, quia non solùm aqua circundat calcem, sed etiam permiscetur omnibus partibus, & separat partes inter se; neque valebit ratio, quam adducit Auer. 4. *Col.* 33. scilicet, quod in hectica febre corripiuntur calore intensiore post alimentum ægrotantes, quia cum solidæ partes hecticorum maximè sint calidæ, calefaciont alimentum; ita vt alimenti caliditas accedens, maiorem calorem partium solidarum efficiat, & si aliquis in eum instet, de aliis febribus putridis, respondet, quòd in aliis febribus, solida membra non sunt calefacta, & consequenter, alimentum non posse in aliis febribus calefacere; minusque aliorum ratio est vera, nimirum, quod in corporibus hecticorum latet ignis febrilis, qui ab aqua, & humiditate alimenti, vapores emittit, qui quidem postea prædictum calorem efformant, veluti ignis latens in corpore calcis, qui quidem vbi aqua superfunditur efficit bullas, aut vapores emittit.

Probatur tamen manifestè, quantum distet à veritate hæc discurrendi ratio; quia licet lateat calor in corpore calcis, non tamen calor febrilis in corporibus hecticorum, sed maximè manifestus est. Cum manifeste lædat actiones naturales. Redarguitur etiam Auer. hac ratione, quia minimè valet alimentum adhærere, tam citò, & breui tempore partibus solidis; nam si in sanis corporibus, ventriculus non valet dimittere cibos, nisi in chilum priùs conuertantur, quod necessario fit spatio quinque, aut sex horarum: ergo multo minus in hecticis, spatio trium horarum, cibus coquetur, ac distribuetur, per vniuersum corpus, vt demùm partibus solidis vniatur: ergo Auer. poterit hac ratione conuinci, corpora hecticorum non posse à cibo incalescere, ex eo quod alimentum solidis partibus distributum incalescat, & per consequens calor corporis adaugeatur.

Alij verò dicunt, quod quamvis medicamenta à nostro calore reddeantur in actum, calx verò vina, tanquam proprietatem obtinet, vt à quolibet humido in actum reducatur, quia ratione humiditatis aufertur, aliquod impedimentum, ratione cuius non poterat antea dimanare, à forma calcis intensior calor; postea verò ablato tali impedimento, à propria forma producitur calor. Sed hic philosophandi modus impugnatur: nam priùs explicandum fuerat, in quo consistat tale impedimentum; Vt calx ante aquam effusam non vrat, postea verò vehementer exurat, ac intensum calorem manifestet. Sed vt exemplo accommodatissimo sciamus doctrinam veram, & rationem, propter quam calor calcis manifestatur, & calor hecticorum ab assumpto cibo adaugeatur, necessarium erit, priùs æquiparare operationes ignis, cum operationibus caloris febrilis, & præter naturam: quare si videamus, quot modis augeatur calor ignis, sciemus etiam in nobis, quot modis valeat adaugeri calor febrilis.

Quatuor ergo sunt modi, quibus ignis suscipit incrementum: vnus modus est per motum; nam quotiescunque fabri cupiunt calorem ignis adaugere, conantur aërem attenuare motu folium, vt calor intendatur: secundus modus est per antiparistasim: nam vbi ignis coëtcetur à contrario frigido, in ea lucta fit, vt maior euadat; ideoque semper solent fabri, irrorare ignem aqua frigida, vt calor augeatur, his quidem modis calor in hecticis non adaugetur post assumptum cibum, non autem motu: nam hectici, postquam

quam alimentum aſſumpſerint, ſemper in ſũma quiete detinentur: neque etiam antiperiſtaſi, quia cibus hecticorum primum ſumitur calefactus, & iterum in eorum ventriculo calefiſque ibi nullo modo valet accidere antiperiſtaſis à cibo aſſumpto: ergo vel tertio, vel quarto modo adaugebitur calor in febre hectica correptis: eſt etenim tertius modus per additionem alimenti; nam experimur, quòd ſi addatur igni materia combuſtibilis, illius calor, & virtus ſuſcipiet incrementum: quartus denique modus eſt per conſtrictionem: nam eo fiunt calidiores fornaces, vt inquit doctiſſimus Hicronymus Mercurialis, quo magis in anguſto loco ignis cogitur quibus igitur ſic poſitis,

Modus verus, quo intenditur prædictus hecticorum calor eſt, quia vbi acceptum eſt alimentum, ſtatim craſſi vapores ab eo auferuntur, & eleuantur, qui per vniuerſum corpus penetrantes, veluti occludunt meatus partium ſolidarum: vnde fit, vt hic calor occluſione pororum magis coactus maior, ac intenſior conſequenter euadat. Cur verò vapores craſſi citò, & tam breuiter in hecticis diſtribuantur, præcipua, & peculiaris eſt cauſa? Quia eorum corpora propter inſignem ſiccitatem, maximè aperta, & pori rari exiſtunt; ita vt veluti vapores ſtatim ſolent extolli in cerebrum, non aliter in vniuerſum corporis habitum velociter rapiantur, qui donec permaneant, etiam calor permanet; vbi verò diſſipantur, conſequenter calor minuitur, ſiue remittitur: quare igitur hoc non appareat in febribus putridis, duplex occurrit ratio: vna, quia ipſorum corpora ſunt obſtructa; altera, quia quamvis calor augeatur à cibo, febrile tamen incendium adeò eſt ingens in eis, vt obſcuret, atque celet alium calorem, quod non accidit in hecticis.

Hoc pariter exemplum eſt accommodatiſſimum ſimilitudini caloris adaucti in calce; nam vera, & præcipua ratio, propter quam affuſa aqua, calor in calce patefit, eſt, quia obſtructi meatus calcis ab aqua, magis cogunt, & occludunt ignem inibi contentum; vnde fit, vt tam intenſus, ſiue auctus erumpat calor, ita vt etiam ſaxa frangat, bullaſque excitet, vt ipſo ſenſu manifeſtatur, quod etiam experientia confirmatur; quia ſiue vinum, ſiue acetum ſuper calcem ſpargatur, minimè ita incaleſcit; quia cum vinum, vel acetum ſint corpora tenuiſſima, minimè obſtruunt calcis meatus, veluti aqua, ſed potiùs ipſos aperiunt.

Tertium, præterea ſignum febris hecticæ, deſumitur ex pulſu, qui debilis, ſiue languidus, durus, & paruus reperitur in hecticis; cuius eſt ratio in promptu: nam cum facultas vitalis, languida exiſtat, propter ita magnum receſſum, ſiue lapſum à temperamento per modum habitus, ideò non valet efficere pulſum vehementem, neque magnum: ad quas differentias, maximè conducit inſtrumenti (ſcilicet arteriæ) inobedientia; duruſque apparet ratione ſiccitatis, quæ intenſior exiſtit in ſecunda, & tertia ſpecie febris hecticæ.

Quartum ſignum valet deſumi ex lotio, quod reperitur, maximè ſimile vrinæ ſanorum, tam in colore, & ſubſtantia, quam in ſedimento, quiam cum humores non putreſcaut, ac lotium ſit ſerum humorum, ac ſit ſignum rerum, quæ in venis continentur, ac propter ipſum diſtinguantur tempora febrium vniuerſalia; ideo in hecticis apparet optimum, etſi ob debilitatem facultatis concoquentis, non poſſit eſſe; ita perfectum.

Quintum, denique ſignum febris hecticæ ſimpliciter dictæ, ſumitur, ex eo quod arteriæ circunſtantibus partibus tangentibus calidiores perſentiantur: cuius eſt ratio, quia cum cor ſit fons caloris natiui, ac ſubiectum proximum caloris febrilis, ſuam caliditatem corpori vniuerſo communicat, & cum maximum, conſenſum & connexum cum arteriis obtineat, vtpote ab eo ortum ducentibus; ideò ipſis maiorem, ſiue intenſiorem communicabit; ac proinde aliis partibus, calidiores perſentientur: hæc quidem caliditas manifeſtior eſt, ac euidentior in febribus hecticis, quàm in aliis; tum quia calor arteriatum non remittitur ex præſentia carnis, & adipis, cum ferè ſint iſta abſumpta; tum etiam quia cum in his febribus ſolida cordis ſubſtantia ſit accenſa ideò arteriæ percipientur aliis partibus calidiores, cum ab eadem cordis ſubſtantia ortum ducant.

Quibus ſic expoſitis, ſignis facile cognoſcetur febris hectica, & ſecundum maiorem, vel minorem conſumptionem, & acceſſum ad naturam maraſmi; etiam patebit ſecunda, & tertia differentia febris hecticæ maraſmodes. Maraſmus quidem eſt corruptio corporis viuentis à ſiccitate morboſa proueniens: cuius ſigna proponuntur à Galen. *loco citato*, quæ communiter ſunt ſecundùm faciẽ ab Hipp. depictam primo prognoſt. ideóque Hippocratica appellatur, ſcilicet quòd maraſmo affecti, naſum obtinent acutum, oculos concauos, tempora collapſa, atque demiſſa, aures ſiunt breniores, cum ob ſiccitatẽ contrahantur; omniſq; facies apparet ſqualida, hypochondria ita inanita exiſtunt, & conſumpta reperiuntur, vt videantur tota inhærere dorſo: pili ſunt longiores, ob conſumptionem carnis, veluti vngues: quæ omnia ſigna cauſam obtinent communem, nimirùm conſumptionem partium, ac humiditatum, à cauſa calida, & ſicca præter naturam.

Etſi aliqui falſis quibuſdam rationibus innixi aſſerant, nullatenùs poſſe fieri, vt febris hectica coniuncta cum putrida reperiatur, nihilominùs tamen id quotidiana experientia confirmat; verum tamen eſt, quòd quando febris hectica cum putrida coniuncta reperitur, difficilius quidem cognoſcitur, quia tunc temporis ſigna, atque ſymptomata vtriuſque febris ſibi inuicem permixta, & confuſa reperiuntur, quæ confuſam, ac difficilem reddunt cognitionem: quamvis verò difficilis cognitu ſit hæc febris, ſuis tamen ſignis propriis dignoſcetur, illis ſcilicet ſuperiùs dictis; nam ſi poſtquam febrilis acceſſio præceſſit, percipiamus adhuc quaſdam caloris reliquias remanere in ægrotante, ac in pulſu celeritatem, & frequentiam, & arteriæ, aliis partibus circumſtantibus, calidiores percipiantur; tunc ſanè rectè colligemus, febrem hecticam, cùm putrida complicatam eſſe:

esse: id quidem facilius dignoscemus, si æquale incrementum in calore, & pulsu accidat, transacta vna, aut duabus horis,post assumptum alimentum:& hæc de signis febrium diariarum, putridarum, & hecticarum in communi: restat nunc aliqua de temporibus febrium, quoad cognitionem, & diuisionem in lucem edere.



QVÆSTIO SEPTIMA.

De cognitione temporum febrium.



MAXIMA deducitur vtilitas ex vera cognitione temporum morborum, & præcipuè febrium, cum tria possint colligi, ex Galen. agente de crisibus; primum est in ordine ad partem prognosticam Medicinæ, nam vt Medicus prævideat exitum morbi, necesse est cognoscere morbi statum, in quo accidunt iudicia critica: secundum est in ordine ad partem curatiuam; quia pro morbi varietate, varia remedia excogitantur à Medicis; quæ morbi varietas sumitur potissimum penes diuersa tempora ipsius; sicque fit, vt notitia temporum morbi, non solùm vtilis, verumetiam maximè necessaria sit, in principio enim inflammationis diuersa applicantur remedia, ac in aliis temporibus eiusdem inflammationis. Tertium verò, quod non minoris vtilitatis est, sumitur propter victus rationem instituendam; nam pro varietate temporum morbi, siue febris, diuersa præscribitur victus ratio, vndè modo augere, modo minuere victus copiam conuenit, pro distinctione temporum morbi; nam ex intempestiua victus exhibitione, mortem subsequi experimur; vt videre licet in filia Philonis, cui cum largè sanguis, è naribus fluxisset, & hac ratione seruari deberet; quia tamen intempestiuè, cœnauerat, obiit,secundum Hippoc. 1.*epid. comment.*2. de hac ergo temporum febrium cognitione maxima deducitur vtilitas.

Pro intelligentia tamen huius difficultatis, sciendum est, tempus tripliciter sumi posse: primo, & rigorosè pro mensura motus; totius orbis, vt inquit philosophus quarto physicorum; soletque definiri per hoc quod sit numerus motus secundum priùs,& posterius, de quo philosophi agunt. Secundo sumitur tempus, pro aliqua parte huius mensuræ, seu temporis,vndè nostri primi progenitores, propter diuersa nostræ vitæ exercitia, tempus distinxerunt,ac subdiuiserunt in quatuor anni tempora, scilicet ver, æstatem, autumnum, & hyemem;sicque diuidunt tempus in annos, menses, & horas, veluti si essent partes totius motus; de qua acceptione non instituitur dubium. Tertio denique sumitur tempus, pro mutatione, quam habent plantæ, animalia,& etiam morbi: in animalibus dicuntur ætates; in morbis verò dicuntur tempora absolutè.

Sunt igitur tempora morborum, ex Galen. *lib.de morbi temporibus cap.* 1. mutationes, quæ contingunt circa causam materialem illorum,& proportionantur, ætatibus viuentium, quia veluti viuentia primo oriuntur, deinde augentur, consistunt, ac demum declinant; non aliter morbi pronascuntur, deinde augescunt, tertio consistunt, ac vltimo decrescunt: ex quibus patet quæ sint morborum tempora, & quomodo debeant desumi.

Nunc iam sciendum venit, quot sint morbi tempora, quæ quidem alia sunt vniuersalia, & alia particularia; idest quædam sunt tempora,in quibus totus morbus immutatur, sicut animalium ætates, vt diximus: quæ vniuersalia, & totius morbi tempora, à Galen. nuncupantur: quædam verò sunt tempora,per quæ non omnis morbus,sed peculiaris insultus, qui toti morbo incidit,& immutatur;morbi nimirum quàm plurimi, præcipuè febres putridæ peculiares insultus, siue accessiones habent per circuitus, vt febris tertiana exquisita, cuius vniuersalis terminus, est decima quarta dies; ista diebus alternis efficit accessionem, siue paroxysmum, qui terminatur spatio duodecim horarum, in quo spatio sua habet tempora peculiaria, in quibus incipit paroxysmus, crescit, vigescit, & declinat, siue finitur, sicut totalis morbi constitutio.

Notandum secundo,tempora vniuersalia morborum, siue febrium, diuidi in quatuor,in principium, augmentum, statum, & declinationem (augmentum idem ac incrementum, siue ascensus) veluti vigor, idem ac status nominatur: quam diuisionem tradidit Galen. *de totius morbi temporibus, cap.*1. & 4. & *primo de crisib. cap.*4. tertio notandum, tempora particularia bifariam diuidi à Galen. 1.in sex, vel saltim quinque tempora; vt ipse docet, *lib. de morborum temporibus, cap.*3. & 4. *ac* 5. peculiares etenim insultus, siue accessiones, habent hæc quatuor prædicta tempora, quæ considerantur in toto aliquo morbo, & amplius tempus quoddam inæqualitatis, quod consideratur, inter principium, & augmentum, quod quidem videtur finis principij, & principium augmenti: aliud etiam datur tempus, quod intervallum, seu integritas nuncupatur, quæ accidit in his accessionibus, quæ intermittunt perfectè post declinationem; ita vt vsque ad aliam inuasionem, siue accessionem, febricitans, quantum sensu percipi potest, liber à morbo, & solutus videatur: quo tempore interualli, carent morbi, qui non intermittunt, vt sunt febres tertianæ continuæ. Secundo diuiduntur tempora particularia in duo, vt ait Galen. *lib. de totius morbi temporibus capite vltimo*, scilicet, in tempus illud, quòd est à primo insultu accessionis, vsque ad extremam remissionem; & in illud quod consistit in declinationis medio, & insultus secundæ accessionis, scilicet primum, & indiuisibilis incipientis.

Notandum est quarto, vnunquodque horum temporum, tam particularium, quàm vniuersalium, posse diuidi in quatuor alia tempora; verbi gratia principium morbi, potest diuidi in principium principij, augmentum principij, statum

ſtatum principij, ac declinationem principij; ſic pariter poſſunt diuidi augmentum, ſtatus, & declinatio; idque colligitur ex Galen. qui *de morborum temporibus*, *cap. 5. ante finem* inquit (*vt temporibus ſingulis, ita declinationi quoque aliud principium, aliud medium, aliud finis exiſtit;*) ſicque ex his conſtat numerus temporum morborum.

Quibus ſic poſitis, tempora vniuerſalia, & particularia morborum omnium, ſalubrium, lethalium, materialium, & ſpiritualium, optimè diſtinguuntur, & cognoſcuntur per ſymptomata propria ipſis morbis, quæ quidem in principio ſunt mitiora: augentur verò in augmento vſque ad ſtatum, in quo ſunt maxima, in declinatione, nec ampliùs augentur, imò minorantur: quod probatur manifeſte ex Hippoc. *Aphor.* 2. vbi inquit (*circa initia, & fines: omnia imbecilliora; circa vigores verò fortiora*) ideſt vt Galen. explicat in commentario; imbecilliora ſunt circa principia, & fines morborum, veluti acceſſiones, vigiliæ, dolores, faſtidia, ſitis, & ſimilia. Idem probatur ex Galen. *primo Aphor. ſententia ſexta*, vbi morbi vigorem; nihil aliud eſſe inquit, quam morbi, quantum ad caſus attinet, maximum: ergo per Hippoc. & Galen. in vigore, ſiue ſtatu caſus, ideſt ſymptomata, neceſſariò ſunt maxima, & fortiora, quæ minorantur conſequenter in declinatione; augentur verò in incremento, & incipiunt, dum incipit morbus; ſicque per ſymptomatum intenſionem, & remiſſionem morbi, quorum illa ſunt propria intendi, & remitti, ac ſua pertranſire tempora eſt dicendum, ac vltimò rectè diſtingui, & dignoſci.

Probatur ſecundo ratione, proprium ſymptoma cuiuſlibet, morbi, eſſentialiter ſequitur morbum: ergo pro ratione morbi intenſioris, vel remiſſioris, ſymptomata ipſius propria, erunt remiſſiora, & intenſiora: ergo non poterit morbos eſſe in ſtatu, quin ſymptomata ſint maxima, neque in augmento, quin ſymptomata augeantur, neque in principio, aut declinatione quin ſymptomata ſint remiſſa; licet tamen aliquis aſſerat, quòd aliqui morbi ſemper à principio ſunt maximi, & continuò minorantur; alij ſemper à principio vſque ad ſolutionem, ſiue finem, eadem, & æqualia obtinent ſymptomata, vt febres ſynochæ appellatæ: ergo falſum erit quod tempora morborum, ſiue febrium, per ſymptomata diſtinguantur: nam vel eſt dicendum, quòd tales morbi perueniunt ad ſtatum, ſiue rigorem abſque principio, & incremento, quod eſt abſurdum, vel quòd nullo modo cognoſcuntur tempora morborum per ſymptomata propria.

Reſpondeo tamen dictæ inſtantiæ, neutrum horum ſequi: nam, etſi aliqui morbi à principio videantur maximi; tamen hoc non ſumitur, ex eo quòd poſſint eſſe ſumma ſymptomata, atque maxima tum principio, & augmento morbi, ſed quia ſtatim, ac generantur hi morbi, perueniunt ad ſummum vigorem, in quo adſunt proprie ſumma ſymptomata; ita vt non poſſit ferè ſenſu diſtingui tempus principij, & augmenti, à tempore vigoris, ſiue ſtatus: quam doctrinam tenet Galen. *loco citato*, & præcipuè, *cap. 4. de totius morbi temporibus*, vbi ſynochum, apoplexiam, morbum comitialem, ac ſimiles ait, ſtatim, ac breuiſſimo tempore principium, & augmentum percurrere, & non ab ipſo principio generationis illorum perfectiſſimè inuadere; ideſt cum ſummis ſymptomatibus.

Pro maiori tamen intelligentia aduertendum eſt, me dixiſſe diſtingui, ac dignoſci tempora morborum per accidentia, & ſymptomata morbis propria, & eſſentialia; vt excludantur ſymptomata, quæ non per ſe, ſed ex accidenti aliquo ſolent eſſe, in principio vehementiora: ac proinde principium reddunt vehementius, quam ſtatum: verbi gratia, ſi febris adſit putrida; cum aliqua interna inflammatione adiuncta; tunc initium paroxyſmi valebit eſſe atrocius, quam ſtatus, ex accidenti tamen: quia in principio propter recurſum ſanguinis ad partes internas augetur inflammatio; & conſequenter calor febrilis in principio intenditur, magis, quam in ſtatu paroxyſmi, quia in vigore expanſo calore, & ſanguine ad partes externas, & externas, minuitur inflammatio, & febris, quæ fit ex ipſa inflammatione remittitur.

Secundo concludendum eſt cum doctiſſimo Matamoros 2. *de febrium temporibus*, *diſput.* 3. cum ſapientiſſimo Maroja, Franciſco Antonio Caſerta, Petro Garcia, ſapientiſſimo Capuacio, Veiga, & Vega, Antonio ab Altomari, ac aliis, quam plurimis, quod tempora morborum materialium, ſiue ſalubrium, ſiue inſalubrium, optime diſtinguuntur, & dignoſcuntur, per ſigna coctionis, & cruditatis; ideſt per corporis excretiones, vt ſunt ſputa, vrinæ, alui excrementa, & ſimilia, quæ cognitionem, naturæque victoriam ſupra humorem crudum, vel naturam victam, aut quaſi victam demonſtrant, hæc ſimiliter ſententia eſt Galeni *de totius morbi temporibus*, *cap. 3. & 6.* ac *lib. 1. de criſibus fermè per totum*, & *aphoriſmor. ſent.* 12. ac manifeſtè probatur, quia valdè vtile eſt, præcipuè in praxi; cognoſcere differentiam morbi, an coctus diminutè ſit, an benè concoctus, vel crudus, & ideo Galenus *cap. 3. & 6. de totius morbi temporibus*, ait, principium morbi ſalubris eſſe tempus cruditatis, ac tunc finiri, vbi cœperit fieri concoctio manifeſta, ſic pariter inquit 1. de criſibus, *cap. 2.* (*hoc tibi, ſine vlla dubitatione conſtabit*) *quid illud tempus vniuerſum, in quo nullum eſt manifeſtum ſignum coctionis, eſſe principium, ex quatuor morbi temporibus, aſcenſu verò eſſe, cùm augetur concoctio, qua cùm maximè conficitur, ſtatus, & vigor eſt, quem ſequitur declinatio, cùm humoris copia ceſſet; & quod parùm reſtat, adhuc in humoribus alterandum concoquitur: principium verò morbi in ſalubris, eſſe cruditatem, ex qua, cùm augetur, cognoſcitur incrementum, cùm maximè vige, cruditas cognoſcitur, ſiue diſtinguitur ſtatus, potius tamen ad mortem.*

Dices tamen in principio febris ephemeræ, & ſynochæ, ſine putredine, adeſt ſignum bonæ coctionis: ergo non eſt verum, quod in ſtatu morbi ſalubris, adeſt ſignum, ſiue indicium ſummæ coctionis. Cui reſpondeo negando conſequentiam: nam in concluſione ſolùm loqui-

mur, de coctione, & cruditate, quam obseruamus in materijs, ex quibus morbus materialis dependet, non verò de coctione, quam obseruamus in morbis immaterialibus, vt sunt ephemeræ, & synochæ non putridæ, in quibus cùm humores non putrescant, sed naturales sint, possunt obtinere naturæ benignam alterationem,& digestionem.

Instabis deinde, cum doctissimo Herculano *Fen.4. tract.1. cap.3. de horis febrium*: nam aliquando potest incipere febris putrida, sine signo cruditatis: ergo aliqua febris materialis, non obtinebit principium, in quo detur cruditas: antecedens probatur: nam supponamus materiam statim putrescere in principio, in aliqua parte distante à corde, quo tempore, propter distātiam,non communicabitur cordi calor præter naturam; postea verò transacto aliquo tempore, mota iam illa materia ad partem proximiorem cordi, excitabitur febris, etiamsi causa febris materialis incipiat manifestè concoqui: ergo in tali casu, iam incipiet febris, sine cruditate, siquidem sequitur materiam, iam coctam, peruenientem ad partem proximam cordi. Respondeo tamen, huiusmodi rationem,esse sophisticam: nam argumentum non probat materiam febris posse subire manifestam notam, siue indicium coctionis, sine putredine, ac proinde sine cruditate, quòd verò tempore cruditatis, non appareat aliquod signum cruditatis, nec persentiatur tali tempore, hoc erit ob dictum impedimentum, quod valdè per accidens est,ac nullatenùs euertit veram Galeni doctrinam; cùm igitur prædicta febrium tempora, satis appareant conspicua, merito ratio dubitandi offertur,vtrum omnis febris salubris, veluti alij morbi, omnia prædicta tempora quatuor percurrat, sicque dubitabis.



QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrum omnis Febris salubris, veluti reliqui morbi, omnia quatuor tempora percurrat.



LICET diuersæ proponendæ sint rationes, pro negatiua parte, prius tamen offertur amplectenda, vt verior affirmatiua, vt postea obiectiones aduersæ, valeant dissolui, sicque sit conclusio. Omnes febres salubres, quemadmodum reliqui morbi, qui per coctionem valent terminari,debent percurrere per quatuor dicta tempora vniuersalia.

Probatur primò, authoritate Galeni *3.de crisibus,cap.9.* asserentis. *Sed qui quidem liberatur. Quoniam morbus tempora vniuersalia pertransit, principium,augmentum,statum & declinationem,*ita similiter, *lib.de totius morbi temporibus,cap.3.*ait: *Quapropter nullus morborum, qui soluuntur,est, qui non hæc quatuor tempora percurrat*; cùm egisset de quatuor temporibus morbi. Hanc sententiam tuentur doctissimus Vega *1.de differentiis febrium,cap.16.* Vallesius *lib.10.controuersiarum, cap.17.* Mercurialis *lib. 5.suarum prædictionum, cap.4.* Matamoros *tractatu 2.de tempor. febr. disput.2.* Argent. *libro de totius morbi temp. cap.6.* Mercatus *lib.3. p.2. classe 4. artic. 8.n 13.*& alij.

Probatur deinde ratione: nam omnis mutatio alteratiua debet fieri per expulsionem formalem, contrariam, & positiuam: ergo vt hoc contingat, debet habere quatuor tempora, vt in morbis in intemperie, qui terminantur ad salutem. Probatur consequentia:nam id quod alteratur, debet pati initium suæ mutationis:ergo habet principium illius: ergo cum increscat talis mutatio alteratiua, obtinebit incrementum. Deinde cùm talis qualitas illius alterationis debeat obtinere terminum, cùm sit finita, meritò obtinebit statum, cùm tandem viuens testificatur in suum salubrem statum; & hoc contingat per remissionem contrarij, fiet per declinationem gradualem: ergo in tali terminatione morbi alteratiua, necessariò est concedendum principium intensionis, ac declinatio illius, vt quatuor tempora percurrat.

Roboratur vlterius; nam tempora moborum distinguuntur, vt superius diximus, penes diuersas mutationes materiæ morbificæ; sed talis mutatio non est sola coctio, sed priùs incipit cruditas, media putredine; cum priùs sit, materiam esse crudam, vtpotè putridam, quam coctam: ergo antequam sit cocta, incipit cum putredine: nunc sic, incipiente morbo, incipit materiæ putredo: ergo ista putredo debet incipere, à remissiori gradu, vt ad intensiorem perueniat, cum nihil possit peruenire ad extremum, quin transeat per medium, & nihil ad medium, quin incipiat à remissiori: ergo necessario febris materialis, vt putrida, debet obtinere principium putredinis, respectu causæ,& augmentum, cum incipit increscere putredo: cum verò ista sit febris salubris, debeatque terminari per coctionem, necessariò deueniet ad statum, vbi elucescit coctio materiæ, & cum tandem deuicta sit materia,remittatur in totum, ac declinet putredo, cum coctio faciat cessare putredinem, & febrem; merito febris declinabit: ergo manifestus erit transitus febris, per quatuor tempora, cum ad salutem talis febris terminetur; ideóque sentiendum venit de aliis morbis materialibus, qui ad salutem terminantur.

Obiicies tamen primo, acuti morbi, vt est apoplexia, simul ac inuadunt, ad extremam accedunt magnitudinem: ergo non omnia tempora percurrunt, cum non sint principium,neque incrementum. Præterea Galen.*9. meth.c.4.* gloriatur, se sanguinis missione iugulasse febres, & *lib.13. meth. cap.11.* laudatur, se inflammationes oculorum, in principio, euacuatione deorsum facta, prima die persanasse: ergo huiusmodi morbi salutaris, non transire omnia quatuor tempora constat.

Respondeo tamen facilè primæ rationi adductæ à Galen. *libr.de optima secta ad Trasibulum*, quod morbi valdè acuti, vt apoplexia, & alij, iam obtinent prædicta tempora, quæ, etsi sensibiliter

ſibilitet non percipiantur, hoc tamen contingit propter celerrimum motum, medio quo, accedunt ad ſenſibilem magnitudinem, & ſtatum; cum tamen talis magnitudo non poſſit vigete, quin priùs incipiat per gradus remiſſiores, & minores; hinc eſt quod iam præceſſit principium, & incrementum, etſi inſenſibile dicatur.

Secundæ verò rationi reſpondeo; quod, etſi febres, & inflammationes oculorum, ac ſimiles affectiones, tam breuiter iugularentur, ac ſoluerentur, mediis dictis euacuationibus, ex hoc non infertur prædicta tempora in totum tolli, ac euaneſcere; bene verò, ita breuiora reddi, vt fugiant perceptibilem mutationem temporum, propter celerrimam cauſæ euacuationem; cùm tamen, etſi materia euacuetur, ſaltim dyſcraſia derelicta, neceſſario remiſſionem ſubire debet, per tempus, vt morbus in totum ſolutus maneat, ac proinde prædicta tempora percurrere.

Obiicies 2. ex Galen *lib. 1. de criſibus, cap. 17.* nam quædam ſunt febres ſtatim vigentes, quæ in principio habent ſummum vigorem: ergo huiuſmodi carent principio, & augmento. Vrgentius, datur febris ſynocha, vt paracmaſtyca, quæ tota eſt increſcens: ergo prima, quæ ſemper declinat, non obtinebit incrementum, neque ſtatum, & alia, quæ tota eſt increſcens, non obtinebit ſtatum, nec declinationem: ergo huiuſmodi febres deſtitutæ, prædictis temporibus manebunt.

Etſi huic rationi aliqui reſpondeant, prædicta tempora præcedentia, nimirum principium, & augmentum inſenſibilia eſſe; hoc tamen etſi ſit verum in aliquibus morbis, vt *ſuprà* dixi de apoplexia, in ſynochis tamen hoc non ita, & eſt reſpondendum cùm Galen. *9. methodi, cap. 4.* cum referat Hiſtoriam cuiuſdam laborantis ſynocho cum putredine, in quo apertè fatetur apparuiſſe ſigna in pulſu, & vrina, ex quibus ſigna ſenſibilia deprehenduntur, ac proinde reſpondeo, quod in omnibus febribus continentibus reperiuntur ſenſibilitet quatuor tempora vniuerſalia, quæ diſtinguuntur propriis, manifeſtiſque ſignis cruditatis, & coctionis, etſi vna dicatur vigens, & increſcens, aliaque decreſcens, hoc eſt verum, reſpectu intenſionis, vel remiſſionis caloris, quæ ſumitur ex quantitate excrementi fuliginoſi, quod putreſcit, & reſoluitur magis, aut minus, quàm putreſcit, vt accreſcat, vel decreſcat, non tamen ex hoc ſequitur, non dari diuerſitatem temporum, vt materia morbifica, non incipiat, & accreſcat media putredine, vigeatque, tandem declinet talis morbus, qui per dictam coctionem, vel cruditatem percipietur, vt cognoſcantur quatuor tempora vniuerſalia ipſarum febrium.

Inſtabis vlteriùs: nam morbus hæreditarius, & morbus congenitus ortum ducens à primordiis generationis, non habent principium: ergo non percurrunt omnia tempora vniuerſalia: antecedens patet, cùm primum ſuum eſſe naſcatur à primordiis generationis: ergo, &c. Roboratur ampliùs prædicta ſententia: nam etiam in morbo pendente à materia vrgente, eo quòd in principio, medio pharmaco, tota radicitus euacuetur, ſoluitur talis morbus: atqui in illo caſu, non peruenit talis morbus ad incrementum, neque ſtatum: ergo iam non percurret omnia tempora, cùm adhuc in principio ſoluatur, ſuppoſitio eſt admittenda, & eſt ſequenda, ex doctrina Hippocratis, & Galeni *4. aphoriſmor. ſentent. 10 medicari in valdè acutis, eadem die, ſi materia turgeat*; ergo media illa medicatione radicali, tota materia erit euacuata: ergo morbus terminatus, hoc eſt in principio morbi: ergo citra alia tempora terminabitur talis morbus materialis.

Cui rationi primæ facilè ſatisfiet, dicendo, quòd ſiue ſit morbus congenitus, ſiue non, hoc non tollit talem morbum, obtinere principium in ſuo eſſe conſtitutiuo, ac proinde cum talis morbus, etſi congenitus ſuos motus extenſiuos, & intenſiuos debeat obtinere, merito, & incipiet, & increſcet, deinde vigebit, cum obtineat cauſam finitam, tandemque vt ſoluatur ad ſalutem, debet remitti, vt ad declinationem perueniat; vnde meritò erit fatendum, neceſſe ſua quatuor tempora tranſire.

Secundæ verò rationi, reſpondeo concedendo caſum euacuationis materiæ turgentis in principio, imò, vt dixi, eſt facienda; ex hoc tamen ſequitur duplex reſpondendi modus, quòd talis morbus, perpenditur, vel vt eſt iam facta febris, vi materiæ turgentis, vel vt ſolùm dependet à materia turgenti: & ideò eſt materialis morbus; dum perpenditur febris illa; reſpondeo, quod vt terminetur, talis calor febrilis, neceſſe obtinet, tum intenſionem, tum & etiam remiſſionem: etiamſi materia ſit euacuata; ſicque, vt eſt talis dyſcraſia, morbus percurrit dicta tempora vniuerſalia: dum verò eſt morbus materialis à prædicta turgenti dependens materia: reſpondeo non implicare, talem materiam, totam radicitus euacuari. Sicque, illo in caſu, auxilio medico poterunt impediri prædicta tempora prout dependent ex alteratione materiæ; cum verò præſens quæſtio, non procedat de tali impeditione medica, ſed decurſu operatiuo naturali; medio quo morbus ſalubris terminatur, per veram victoriam, emanantem ex pugna naturæ, cum morbo; in hoc caſu dicimus, ſemper prædicta tempora reperienda eſſe; non verò dum per accidens hoc contingit, vt in caſu poſito, hoc enim non detruncat noſtram ſententiam.

Cùm igitur ſtabilitum maneat, vt certum, ad ſalubrem terminationem morborum, neceſſarium eſſe tranſitum per quatuor tempora vniuerſalia: & alij in principio, alij in augmento, alij verò in ſtatu potiùs intereant, meritò ratio dubitandi naſcitur, vtrum videlicet febres, non ſolùm in prædictis temporibus periculo mortis gaudeant, verum etiam in declinatione vniuerſali, ſicque ſit quæſtio.

QVÆSTIO



QVÆSTIO NONA.

Vtrum in declinatione vniuersali febrium, posit periculum mortis reperiri.



RÆSENS quæstio valet dupliciter militare, tum de particulari declinatione febris, vt in accessionibus, vel de vniuersali declinatione totius constitutionis, & antequam veriorem sententiam, vt ceciam proponam, priùs aliqua notanda pro maiori expositione nobis obuersantur.

Perpendendum est ergo primo, quòd tunc vera adest morbi declinatio, quando simul morbus, & symptomata reuera remittuntur, causaque morbifica diminuitur, ex eoquòd natura vere, & proprie morbo, & causæ dominatur; declinatio verò falsa morbi est, quæ valde declinationi veræ assimilatur, cuius plures sunt causæ, vt cùm morbus, ita, est perniciosus, & malignus: tunc quidem, etsi media pugna, natura illum vincat, solet tamen ex illa victoria, cùm non sit integra, & perfecta, esse labefactata, vt spiritus vitales, atque animales resolutos, resarcire non valeat, quo fit, vt paulatim in totum natura languida deficiat.

Alia similiter repetitur declinatio falsa, in qua vltimus naturæ conatus apparet; nam veluti lucerna extinctioni proxima, solet magis splendescere propter validam pabuli attractionem; & tamen ex defectu illius perquam citissimè perit, non aliter natura, quo proximior est morti, validiores efficit conatus in quamplurimis operationibus, ita vt cor attrahat, valde ad se spiritus vitales, ac pulsus validiores efficiat, vehementiorem, ac robustiorem virtutem repræsentans, simulans languorem essentialem contractum: Ex quo tamen vehementi conatu, intensior, & promptior sequitur resolutio, vt celerius æger pereat.

Tertia similiter, solet contingere declinatio falsa, cuius causa est, & heterogeneitas, & dissimilitudo materiæ; nam resoluta parte tenuiori, ac calidiori, quæ magis ægrum irritabat, ac diuersis vellicabat accidentibus, videtur æger maiori cùm leuamine, ac meliùs se habere: remanet tamen pars humoris crassior inuicta, quæ paulatim interficit, vt in hemitritæo, ac febribus horripilosis solet contingere.

Quarta verò est falsa declinatio, quando vnicus morbus in alium degenerat; quæ potiùs est morbi transmutatio in alium, propter causæ materialis translationem; quòd potiùs principium noui morbi, quàm vera appellatur declinatio, vt in pleuritide accidere solet, vt dùm pleuritidis materia suppurata est, per translationem ipsius in pulmonem, potiùs principium peripneumoniæ, quam declinatio pleuritidis vera, est nuncupanda; nam etiam si dolores, symptomataque diuersa remissa videantur, rigorosè maiori cùm periculo ægrotans reperitur.

Vltima infidæ declinationis causa est, quoties cunque spiritus vitales, calorque influens, propter malignitatem, acutiem, & vehementiam morbi dissipatur, & extinguitur; nam illo in casu ad dissipationem caloris naturalis, etiam febrilis caliditas extinguitur, remittitur, & tandem tepescit, ac proinde veluti naturalis, & mitis apparet; vt in febre lipiria, & maligna, ex inflammatione ostenditur, & etiam in carbunculis pestilentibus, in quibus ab initio feruens valde datur caliditas, dum partis naturalem calorem corrompit; tandem verò remisso illo feruore, & ardore, pars in gangrænam tendit, sicque deperdito, ac dissipato calore illius natiuo, simul febrilis remittitur, & quasi tepidus videtur, & naturalis, quod simulat declinationem falsam, apparetque pars temperata, cùm potiùs interitus reuera sit.

Quibus sic iam prælibatis, veluti valde necessariis, sit prima conclusio: in declinatione particulari febris, æger valet perire; quæ doctrina est adducta à Galen. 3. *de crisibus, capit 9.* asserente: *Hoc siquidem plusquam quidquam aliud pro verissimo haberi oportet, quod in declinationibus accessionum particularium, plurimi pereunt*: tribuitque rationem; *in declinatione verò propter virium imbecillitatem moriuntur*: Et cum his verbis, agat de particulari declinatione; meritò contrarium asserit, verbis antea dictis, agens de vniuersali eodem capite in hunc modum; *morituros autem ad declinationis tempus pertingere, minimè potest*: ergo ex Gal. doctrina constat, in declinatione particulari febris, non implicare mortis periculum.

Sit secunda conclusio: in vniuersali, & vera febris declinatione, mortis periculum nequaquam valet reperiri. Et probatur authoritate Gal. 3. *de crisibus, cap 6. & 9. citato.* vbi ait: *Vbi enim morbi status praeterierit, natura quidem iam superior euasit, neque enim aliter morbus declinasset, nullus autem modus mortis, tunc adueniendis excogitari potest, præter quam ex errore; sed de hoc haudquaquam, nunc considerare proposuimus; sed ex morbi ratione hoc contingat; nec igitur hoc vidi vnquam contingere, neque id innuit ratio.*

Hanc sententiam tuetur Auicen. *Fen. 1. 4 tractatu 17. cap. 98.* quam doctrinam insequutur, Petrus Michael de Heredia *quæst. 9. de febribus, fol. 77.* doctissimus Matamoros *lib. 2. de febribus, disput. 5. fol. 254.* Vega *lib. 1. de differentiis febrium in comment. cap. 16.* Veiga *ibidem fol. 498.* Vallesius *lib. 10. controuersiarum ca. 7.* Mercatus *tom. 1. lib. 3. part. 5. classe 4. artic. 8. num. 14.* Masarias doctissimus *in sua praxi lib. 7. pag. 330.* Mercurialis *lib. 5. de febribus, c. 4.* quæ est verior sententia inter omnes acutiores, & peritiores.

Probatur igitur, præsens doctrina; nam in febris declinatione vera, & vniuersali, tota causa morbi, verè, & realiter, est deuicta: ergo morbus est victus: ergo natura est vincens, cum actio victoriosa sumatur à præpollenti agente: ergo morbus victus à natura, non potest operari in naturam: ergo non valet vllam læsionem inducere: ergo minus interficere. Roboratur vlterius ex Hippoc. primo Epid. *sect. 1. textu 45.* asserente

aſſerente *coctiones celeritatem iudicij, & ſalutis ſecuritatem oſtendunt*: ergo ex Hippocrat. datur breuitas criſis ſalutaris, & ſecuritas ſanitatis: ergo nullum aderit periculum mortis in declinatione vniuerſali vera, cum in ea, vt diximus, tota materia radicitus ſit cocta, ac deuicta; ac proinde morbus.

Inſurges tamen contra hanc ſententiam; nam in declinatione particulari acceſſionum febris, poteſt æger perire: ergo etiam in vniuerſali, antecedens conſtat, ex concluſione ſuperius à nobis allata; tum, & etiam, ex loco adducto, ex Galen. 3. *de criſib. capit.* 9. conſequentia probatur; nam eadem militat ratio inter declinationem vniuerſalem febris, ad prædicta tempora vniuerſalia, ac inter declinationem particularem acceſſionum, ad tempora particularia, einſdem febris; ſed ſic eſt, quod etiamſi præceſſerint tria tempora particularia acceſſionis, poteſt æger perire, in vltimo, nempè, in declinatione particulari: ergo ita pariter currit ratio, & ſi præceſſerint tria tempora vniuerſalia, poterit in declinatione vniuerſali, æger perire. Probatur maior, quòd eadem militet ratio; nam tota ratio principaliſſima mortis in declinatione particulari febris, eſt quia natura, etiam ſi vicerit accidentia, & cauſam morbificam particularem acceſſionis, præcedentibus tribus temporibus, tamen manet, ita labefactata, & languida ob reſolutionem caloris natiui, vi pugnæ inter naturam, & cauſam partialem morbificam acceſſionis, vt pereat æger; ſed ſic eſt, quod etiam multoties manet in declinatione vniuerſali, maximè deiecta natura calore natiuo reſoluto, vi luctationis inter naturam, & morbum: ergo licet ſit in declinatione vniuerſali, poterit æger vitam cum morte commutare.

Etſi videatur præſens ratio conſona veritati, maxime tamen diſcedit ab ea; nam diuerſa prorſus eſt illatio, inter declinationem particularem, & vniuerſalem; nam etſi verum ſit, naturam præceſſiſſe periculum trium temporum; tam particularium, quàm vniuerſalium; maxima tamen cum diſtinctione: in acceſſione enim particulari, victorioſa, & triumphalis eſt natura ſupra cauſam coniunctam, & immediatam particularis acceſſionis, non verò ſupra antecedentem putridam incoctam, & quæ fouet morbum; ſicque, cum natura ſit languida, vi particularia operis, & adhuc reſtet alia noua materia, antecedens, ad cuius pugnam aggrediendam in principio alterius acceſſionis, meritò defeſſa in declinatione particulari poterit æger perire: at verò in vniuerſali declinatione, quia non ſolùm natura dominatur cauſæ coniunctæ partiali repertæ in foco putredinis, verùm etiam antecedenti; hinc eſt, quòd ratione illius materiæ, nullam ſenſibilem læſionem vlteriùs patietur; ac proinde, neque vi morbi poterit æger perire, cum ſit iam radicitus euictus à natura.

Sed obiicies vlteriùs ex Hippoc. 2 *Aphor. ſentent.* 19. *acutorum morborum, difficiles ſunt prædictiones. ſalutis, & mortis*: ergo aliquando præcedentibus ſignis coctionis, in declinatione poterit æger perire; quandóque, cum ſignis cruditatis, poterit æger liber à morbo euadere, cùm incerta ſint ſigna ſalutis, & mortis. Probatur conſequentia, quia multoties in morbis acutis, propter materiæ tenuitatem, caliditatem, & igneitatem, ſolet natura cum ſignis lethalibus maximo conatu, extra corpus, vel in aliquam partem minùs nobilem transferre materiam; atqui illo in caſu contingit ſalus, vt ait Galen. *lib. de conſtitutione medica, cap.* 18. & è contra multoties ſigna ſalutaria apparent, quæ victoriam naturæ ſupra cauſam morbificam oſtendunt, ac morbum eſſe in declinatione commonſtrant, atqui illo in caſu poteſt humor pelli in aliquam partem principem ex qua tranſmiſſione ſequatur mors: ergo tunc in declinatione vniuerſali morbi, victa materia, æger peribit, ob quod fundamentum ait Hipp. difficiles ſunt prædictiones ſalutis in morbis acutis.

Cui obiectioni reſpondeo, concedendo authoritatem Hipp. infidas nimirum, & fallaces, eſſe acutorum morborum prædictiones, ad ſalutem, & mortem, quæ tamen ambiguitas, & incertitudo præſagij, ſolùm obtinet locum à principio febris ad ſtatum: nam in declinatione vniuerſali, iam eſt materia omnino deuicta: & ſuperata, & niſi putreſcat, aut incrudeſcat de nouo, non poterit mortem inducere; quod ſi aliquando contingat, erit per noui morbi productionem: nam cum materia nouam ſpeciem, poteſtatem acquirat, aut in aliam partem decumbat, merito interficiet in principio noui morbi; non verò in declinatione vniuerſali præcedentis, vt dictum eſt de pleuritide, in qua materia cocta, & non expulſa, nouus ſuſcitatur morbus, vt pulmonia, aut tabes.

Licet tamen aliquando in declinatione febris vniuerſali, & vera, mors contingere ſoleat, hoc tamen fiet propter aliquem errorem commiſſum, de quo non currit difficultas, vt docet Galen. 3. *de criſibus, capit.* 5 & 9. aſſerentis, nullo modo accidere poſſe mortem in vniuerſali declinatione, niſi propter errorem ſupra dictum, vt propter magna animi pathemata, aut corporis motus vehementes; nam cum cauſa morbifica etſi cocta, de nouo agitetur, incaleſcat, ac nouam concipiat putredinem; illo in caſu, morbus cum maiori inuadit periculo, propter antecedentem debilitatem, & languorem, quem paſſa eſt natura, vi ſymptomatum antecedentium in aliis temporibus: vnde perículoſior recidiua naſcitur, quam affectio prima in radice, vt Auicenna, *Fen.* 13. *tractat.* 4. *capit. vltimo.* Similiter etiam dantur alij euentus funeſti, ob aliquos errores commiſſos, vt in his, qui vi, & opere naturæ in principio declinationis vniuerſalis, incipiunt per ſudorem morbum terminare, ſi aëri frigido, medio quo, talis motus impeditur, obuerſentur, retro meante morbifica cauſa ad viſcera ob dictum impediens, morbus perquamcitiſſimè interficit, ac in tali vera declinatione datur mors, de his tamen euentibus, à cauſa externa, ſiue dictis erroribus, ac de falſis declinationibus *ſupra* præſcriptis, difficultandi ratio non procedit; & hæc de vera huius dubij deciſione.

De ſignis febriũ putridarum in particulari poſtquam ſigna febriũ putridarum in cõmuni adducta fuere, merito magis in particulari, eſt deueniẽdũ ad vniuſcuiuſq; febris putridę ſigna adducẽda,

cum ratio vniuersalis neminem doctum efficiat, nisi in particularibus exerceatur; sicque sit dubium, quot, & qualia sint signa febris tertianæ exquisitæ intermittentis.



QVÆSTIO DECIMA.

Quot, & qualia sint signa febris tertianæ exquisitæ intermittentis.



ANTEQVAM cum Galeno *libro 2. de differentiis febrium*, signa tertianæ exquisitæ intermittentis adaperiamus, operæ pretium erit illius essentiam adaperire. Febris igitur tertiana exquisita, est calor præter naturam accensus in humore bilioso putrefacto sincero, & impermixto, cordique communicatus, affligens de tertio in tertium: dicitur calor accensus in bile putrefacta; huiusmodi enim bilis, vbi in venis euadit naturæ inimica, vel copia, vel qualitate, eam ad sui expulsionem stimulat; vnde à venis depulsa mouetur per corporis partes, donec remaneat in aliquo loco, tanquam in foco putredinis (de quo postea) ibique conclusa putrescit: dicitur etiam de tertio in tertium diem affligens, quia secundum communem Medicorum consensum, tertianæ periodus potiùs bili, quàm aliis humoribus (vt *supra* dixi) competit; quæ quidem tertiana exquisita, & intermittens ortum ducens à bile naturali supra modum habita, solet accidere, vt ait Galenus *2. de differentiis febrium.c.3.* quando præcedunt omnia, quæ bilem valent generare, vt temperamentum calidum, & siccum, æstas, regio, anni tempus, & ea, quæ ad calidum, & siccum declinant, cum à similibus causis, similes oriantur effectus, quæ quidem potiùs signa antecedentia vocantur.

Inter signa verò concomitantia, primum est, quòd accessio huius febris inuadat, cum vehementi, & exquisito rigore, cuius est ratio; nam ipsa bilis mordax, & acris per membra, sentientia defertur, eo quod cum incipiat putrefieri, à vasis extra vasa valide truditur à natura.

Secundum signum desumitur à Galen. *loco assignato*, ex caloris acrimonia, quæ propriè desumitur, tum ex caliditate, & siccitate coniuncta, quæ acuens caloris extranei actiones eum acriorem, quam in quotidiana, nec quartana reddit; ideoque meritò à Galeno causodes, siue febris ardens appellatur.

Tertium præterea signum huiusmodi febris, desumitur ex euacuationibus, quæ hanc febrem solent antecedere, ac aliquando subsequi, vt in principio, ac declinatione accessionis, biliosæ excretiones; nam cùm in principio accessionis, bilis, vt dixi, à vasis extra, ad habitum deferatur, & aliqua portio ad superiùs ventriculi orificium expellatur, ista necessariò, aut vomitu debet excerni; tum & etiam si in declinatione, si tota materia partialis accessionis, non potuit per habitū corporis medio sudore, aut insensibili transpiratione deponi, noua humore remeante; ex valida facultate expultrice venarum regurgitat, fertur que ad ventriculum, & intestina, vt tum vomitus, tumque deiectio contingat.

Desumitur præterea quartum signum à Gal. ex permanentia, aut temporis duratione accessionis, tertianæ exquisitæ intermittentis, quæ ad summum solet terminari spatio duodecim horarum: nam propter tenuitatem, & caliditatem humoris, facilè à natura superatur, & expellitur; aliquando tamen solùm spatio sex horarum solet finiri huiusmodi febris, accessio, quòd vel propter materiæ tenuitatem, minoremque quantitatem, acutiorem qualitatem, propter corporis rariorem dispositionem, aut validiorem naturæ facultatem, tam coctricem, quam expultricem, & è contra, longitudo accessionis accidet ob aduersas contrarium causas effectum producentes, vt Galen. *2. de differ. febr. cap. vltimo.*

Nec minus conducit quintum signum, quod sumitur ex tempore intermissionis, siue quietis talis febris: nam cùm lapsa fuerit accessio, nullum signum perceptibile putredinis in ægri pulsu apparet, cùm magnitudo, celeritas, frequentia, & inæqualitas adsit, ob fuliginum validam à natura expulsionem, vi accessionis. Dices tamen cum doctissimo Auenzoar *lib. 3. tract. 1. c. 1.* quòd etsi tertiana exquisita obtineat leuamen, rigorosè tamen non depuratur æger; ergo non peruenit ad infebricitationem: ergo non est intermittens: ergo neque deperditur inæqualitas, & celeritas in compressione pulsus, post accessionem, siquidem non manet æger absque infebricitatione.

Cui respondeo cum Gal. *2. de different. febr. c. 2.* quòd si loquamur de infebricitatione secundùm rationem, sine dubio tertiana nunquam ad consummatam infebricitatem accedit; nox enim antecedens paroxysmum, aut accessionem, semper solet esse molesta, & laboriosa, propter cinetiriam dispositionem, quæ adhuc remanet in foco, aut minera putredinis; & ideò Gal. *1. ad Glauc.* inquit: (quod in tertiana pura, semper remanet in pulsu, aliquod signum caliditatis febrilis) Quibus non obstantibus, vt omnes in praxi fatentur; tertiana accedit ad infebricitationem sensus iudicio, quia etsi in pulsu, aliqua caliditas præter naturam percipiatur, hoc est veluti signum, & indicium incendij elapsi, propter dictam dispositionem calorificam, à fuliginibus in foco existentibus, quæ cùm tandem resoluuntur, pulsus magis æqualis, & moderatus redditur, vt ad pensum iudicij sensibilis, æger infebricitans maneat.

Ingenue tamen quis, iuxta primum tertianæ exquisitæ signum, nempè rigorem, qui est refrigeratio dolorifica cum inæquali totius corporis concussione, inquiret; quæ sit causa in tali rigore: tam intensæ frigiditatis positiuæ, quæ in partibus extremis, cùm ingenti perfrictione inuenitur? Aliqui enim asserunt solam retractionem influentis caloris ad cor, esse causam intensioris frigiditatis partium externarum: nam destitutæ à calore influente, propter illius defectum, frigidiores redduntur. Sed contra, quia illa retractio caloris in principio accessionis febris, est absentia ipsius caloris à partibus externis: atqui hæc absētia est priuatio solùm illius existentiæ:

existentiæ: ergo non valet esse causa positiua illius frigiditatis: maior est certa; minor probatur: nam absentia caloris est defectus: ergo est priuatio. Consequentia probatur, quia frigiditas partium externarum est effectus positiuus: ergo a causa positiua debet produci: sed sic est, quod talis retractio caloris est priuatio: ergo non poterit producere effectum positiuum: ergo nec frigiditatem positiuam partium externarum.

Melius tamen aliqui dubio proposito satisfaciunt asserentes, prædictam frigiditatem partium externarum in rigore accessionis febris tertianæ, potiùs ab ipsis partibus spermaticis prouenire; quia cùm non reperiatur alia causa positiua proximior, citra ipsas partes, inde est, quod nihil præter eas, dictam frigiditatem producere valebit: istæ enim spermaticæ partes, cùm ex sua natura frigidæ sint, & siccæ, absente calefaciente, nempè calore influente, ad cor nimirum reuocato, meritò reducunt se in pristinum statum, ac naturalem temperiem, qua à prima conformatione gaudebant.

Obiicies tamen contra prædictam assertionem: nam nulla causa valet producere effectum contra suam voluptatem, & conseruationem: atqui si partes spermaticæ producerent, in rigore accessionum febrium, illam frigiditatem, operarentur contra voluptatem, & conseruationem illarum: ergo quia talis frigiditas non poterit produci ab illis: maior est certa, cùm aqua non possit producere calorem, quia calor est contra conseruationem formæ aquæ: minor verò probatur: nam si huiusmodi partes producerent, hanc frigiditatem, sibi exhiberent concussionem dolorificam: ergo operarentur contra voluptatem, & conseruationem ipsarum: ergo nec sibi lædant, sibique talem affectionem dolorificam exhibeant, erit dicendum, talem frigiditatem non produci à partibus spermaticis, ac per consequens, alia est causa inquirenda.

Hæc tamen obiectio soluta manebit, si perpendatur, quod in hac productione, duplex repetitur respectus, vnicus, qui se tenet ex parte musculorum, qui sunt continui cùm partibus spermaticis, & alius, qui sumitur ex ipsis partibus spermaticis, quo posito, assero, quod illa frigiditas dolorifica solùm causatur, & inducitur partibus musculosis, non verò spermaticis: nam talis frigiditas est temperamentum natiuum spermaticarum; sicque istæ partes ex eo quod producant intensiorem frigiditatem dictam, in pristinum statum & voluptuosum redduntur, quia tantum per istam frigiditatem concutiuntur musculi, qui sunt instrumenta motus voluntarij, hinc est, vt ex accidenti, & per consensum concutiantur partes spermaticæ, dolorque per accidens exhibeatur.

Instabis tamen vlteriùs: nam eo præcisè, quod ventriculus se reducat in frigiditatem, quæ illi est naturalis propter caloris influentis absentiam, datur in eo dolor, & anxietudo; atqui hoc non contingit respectu partis distinctæ, & victimæ, sed solius ventriculi, siquidem iam per se esset causa sui proprij doloris, & destructionis, ratione sui, & non ratione partis musculosæ, vt *in superiori solutione* manet dictum.

Cui similiter respondeo dupliciter, perpendens ventriculum, videlicet, vel respectu suæ entitatis, vel respectu sui finis, scilicet actionis concoctricis alimenti, sicque respectu huius finis, verum est, dari in voluptuosam affectionem; cum deficiat requisitum necessarium ad prædictam coctionem optimè elaborandam: respectu verò natiui temperamenti ventriculi, nequaquam dari frigiditatem dolorificam, imò voluptuosam: cùm ventriculus illo in casu eum suo temperamento natiuo adsit; siquidem est pars spermatica temperamento frigido constituta: ergo semper est dicendum in principio accessionis febris tertianæ exquisitæ intermittentis, nullam esse causam frigiditatis positiuæ partium extremarum præter partes spermaticas.

Petrus tamen Michaël de Heredia *quæst. 2. sectione 2. folio 156.* etsi veriorem, & communiorem sententiam esse, asserat, talem frigiditatem ab interno principio, nancisci, ac tribuat rationem, quòd propter recessum influentis caloris, partes mixti corrumpunt calorem actualem, quæ in se continent, vt ad pristinum, & naturalem statum reducantur, hoc solùm erit olfacere difficultatem, non tamen eam ad imum soluere; cùm non exprimat, quæ sint hæ partes mixti, quibus talis productio debeatur, quia maximè repugnat partibus carnosis, siue musculosis, sed potiùs spermaticis, vt probatum manet, debetur.



QVÆSTIO VNDECIMA.

Vtrum fortitudo, siue robur facultatis, sit causa maioris rigoris, quam languor, siue debilitas.



T præsens dubium explendescat, primo est notandum; triplicem esse in præsenti, facultatem perpendendam, quamnis Petrus Michaël de Heredia solum duas annumeret, expultricem scilicet, ac sensitiuam; loco-motiua tamen in præsenti etiam sibi locum animaduersionis acquirit: vt in particulari de illis agemus. Secundo notandum est, obiectum dolorosum, nimirum excrementum corrumpens, & molestans, debere esse in æquali proportione, quoad quantitatem, modum substantiæ, tenuitatem, & crassitiem, quoad qualitatem primam, & secundam, nempe mordacitatem; nam si huiusmodi causa intensior, aut remissior in irritando fuerit, non esset paritas, in efficiendo rigorem, respectu prædictarum facultatum.

Quibus sic stabilitis, sit prima conclusio; quo vehementior, robustiorque extiterit facultas expultrix vasorum, appellendam causã morbificam ad genus musculosum, vehementior rigor inducetur. Qui sentiendi modus à Petro Michaële de Heredia, est merito collaudandus, & probatur:

nam quo fortiùs, & vehementiùs facultas expultrix impellat causam morbificam, vehementius, & violentius corrumpet naturam partis: ergo vehementius inducetur alteratio dolorifica: ergo vehementius partes musculosæ concutientor, vt à præsenti objecto molestante libereotur. Consequentia probatur: nam omne quod maiori vi impellitur, illud quod in transitu inuenit, vehementius necessario impellit, ac distendit: ergo medio illo vehementiori impulsu, vehementior etiam fiet concussio: ergo rigor, quæ Aoicenna *in litera capitis* expresse ostendit asserens: *Et de causis vehementia rigoris, & vehementia virtutis expulsiua in lacertis*; idem Galenos affirmat 2. *de causis symptomatum, cap.* 6. asserens: *Paucus, tenuis, & mordax, cum exiguo motu in horroribus, quod si, vel vehementius mouetur, vel copiosior mordaciorve est. concutientem rigorem infert, non horrorem, maximum quidem, qui plurimus est, & mordacissimus, & vehementissimus motus.* Quæ authoritas, etsi maiorem, vel minorem copiam materiæ tenuiorem, vel crassiorem assignet; (quod est verissimum) tamen ad nostrum intentum, præcipuè vehementia, vel debilitas expulsionis conducit.

Insurges tamen: nam causa secundom naturam, non potest esse causa vehementioris symptomatis; sed facultas expultrix est naturalis: ergo non potest esse causa vehementioris rigogoris. Probatur antecedens, quod est naturale, semper effectum naturalem producit: ergo non potest esse causa maioris symptomatis, seu rigoris. Minor est certa: ergo consequentia est legitima. Probatur vlteriùs, quia facultas est debilis, ratione morbi: ergo quo debilior est facultas, morbus erit maior; atqui qoo maior est morbus, est simul symptoma maius: ergn quo facultas est debilior erit symptoma, siue rigor maior: ergo non semper intensio rigoris, debetur robori facultatis expellentis.

Cui respondeo rationi, qoòd quotiescunqoe dantur actiones læsæ, ortum ducunt ex parte actionis, à principio naturali, ex parte læsionis, à morbo; vnde eront à tali principio naturali male disposito; ac proinde, etsi male disponatur instrumentum à morbo, quo maius robur principij talis instrumenti fuerit, maior erit rigor. Cùm autem expultrix ob irritationem obiecti determinetur ad expulsionem, quamvis in expellendo naturaliter operetur, in modo impetuoso, & adaucto, concurrit, vt musculi deprauate moueantur, & maiori cum rigore, propter maiorem conatum, quem facultas expultrix efficit.

Major tamen adest difficultas, circa facultatem sensificam, videlicet an rigor, maior fiat à facultate forti sentiente, quam à debili: quod vt dilucidius maneat, priùs discutiendum venit; an in facultate sensifica sit, quid distinctum, quòd sit robusta ab eo, quod acute, & prompte sentiat: quod sit quid valde distinctum, persentit doctissimus Vallesius *lib. 5. controuersiarum, cap.* 17. vbi docet, quod plus, aut minus irritari. non depender à robore maiori, aut minori facultatis sensitiuæ; sed ex maiori, vel minori acutie sensus, veluti debilitas valde distinguitur à sensus torpore, aut hebetudine; quapropter potest esse facultas sensifica robusta, & obtinere sensum hebetem, aut diminutum, vel è contra, potest esse debilis, & esse acutissimi sensus; sicque maior rigor, non à robore facultatis sensificæ fiet.

Hic tamen sentiendi modus Vallesij reiiciendus est; habita venia tanti viri, vt bene, & ingeniosè, asserit Petros Michaël de Heredia; nam rigorosè loquendo, facultatis sentientis robur, & acuties, idem realirer sunt, sicut etiam debilitas sentiendi, & hebetudo; ac proinde est sentiendom, qood à robustiori sentiente, veluti etiam acutiori, (qood idem est,) maior fit rigor, sicut à debiliori, & hebetiori, remissior. Quod autem idem sit robur, siue fortitudo sensitiuæ, & acuties illius, manifestissime probatur, quia tota ratio principalissima roboris facultatis, stat in eo, quod intensius persentiat; sed intensius sentire, est perfectius sentire, & acutius: ergo robur, & acuties, idem sunt: ergo debilitas sentiendi sumetur, pro remissione, & hebetudine: nam ad pensum roboris agentis, est robur in productione effectus: ergo debile agens, debilem exercebit actionem: ergo debilis facultas sentiens, debilem efficiet sensationem: ergo è contra, valida sensatio magis conducet ad rigorem validiorem, quam debilis, cum esse sensationem robustam, perfectiorem, & acutiorem, idem consonent, veluti esse debilem, hebetem, remissam, & imperfectam.

Roboratur vlterius; omnis ratio propter quam facultas vitalis est robusta, sumitur ex valido pulsu, quem conficit, quemadmodum languida, ex imbecillo, & paruo; idemque consonat de facultate loco-motiua, concoctrice, retentrice, & expultrice; cum huiusmodi facultates dicantur validæ, robustæ, aut imbecilles, & languidæ, habita ratione ad perfectiorem, vel imperfectiorem, intensiorem, vel remissiorem exercendam actionem, circa suum obiectum proprium: quare veluti facultas loco motiua nullum aliud exercet munus, quàm motum, veluti coctrix coctionem, & expultrix expulsionem; ita pariter sensitiua sensationem: ergo si huiusmodi facultates dicuntur validæ, vel debiles respectu intensionis, vel remissionis operationum; ita similiter sensifica facultas, dicetur robusta ab intensiori, validiori, & acutiori sensatione, veloti imbecillis, à remissiori, hebetiori, & imperfectiori: ergo, quia robur, & acuties facultatis sensificæ; quemadmodum debilitas, & hebetudo, idem realiter sunt, ac per consequens, si debilis fuerit sensitioa facultas; quia debiliter sentit, debilis rigor, vt si valida, vel robusta fuerit, quia valide obiectum molestans percipit, validior, siue maior fiet rigor.

Instabis tamen cum Galen. 2. *de causis symptomatum, cap.* 5. asserente: *Nam quod acuti sensus est, vel imbecillum, etiam ex leuissima causa dolet; contra, quod valentissimum, nec facilis sensus est, magnam causam ad talis symptomatis generationem requirit*: ergo clare Galen. acutum sensum, cum imbecillitate simul admittit, ac proinde acutus à robore facultatis, valde differt: non aliter robur cum hebetudine sensus coniungit; ita vt possit esse virtus sensitiua

tiua robuſta, & hebes, ſiue obtuſa.

Hoc tamen Galen. teſtimonium diluetur, ſi animaduertamus, quòd ad diuerſas res poteſt referri, nimirum ad organi, ſiue inſtrumenti diſpoſitionem, vel ad ipſam virtutem ſenſitiuam, dolor enim de quo in præſenti agit duo requirit, primò immutationem, ſiue corruptionem partis realem 2. aliam intentionalem, vnde, cum ad dolorem requiratur, realis naturæ corruptio, & vt perſentiatur obiectum doloris intentionalis, merito ſi diſpoſitio realis ad dolendum, eſt naturæ corruptio, erit certum, quòd debile organum, quo magis corruptum, propter minorem reſiſtentiam, vehementius dolebit. Si tamen virtus ſenſifica fuerit acuta; ſine dubio, exquiſitius dolorem præſentiet, ac per conſequens intenſius dolebit, omne illud inſtrumentum, quòd fuerit imbecillius, & ſimul acuti fuerit ſenſus, à leuiori cauſa, quia ſimul eſt coniuncta vehemens organi corruptio, cum intenſa ſenſus acutiè; & è contra, dum organum valde robuſtum fuerit, intenſiorem, ſiue maiorem requirit cauſam, vt doleat: nam à leui non tam facile, nec ſubito, propter maiorem reſiſtentiam corrumpetur; quod requiritur ad dolorem, non aliter, quod eſt difficilis ſenſus; intenſum, ac validum obiectum requirit, vt valeat ad dolorem, immutari, vt in ſtupore, ac in profunde dormientibus experimur, propter deficientem in organo debitam diſpoſitionem; vnde ſeruatis, ſeruandis, diſtinguenda venit debilitas, aut robur inſtrumenti, quo facultas operatur, aut debilitas, ex parte potentiæ ſolius; ſi enim inſtrumentum debite fuerit diſpoſitum, & robuſtum, ac facultas, valida, & acuta reſpectu irradiationis in parte, bene ſe habeat, intenſius percipiet doloroſum obiectum ad ipſum fugiendum, quam ſi hebes fuerit, & languida; ſi verò, vt dixi, natura partis, vel organi valde corrupta fuerit; cùm à quolibet, iam dyſcraſia illius intendatur, parſque maximè lædatur, coniuncta facultatis acutie, celerius, ac vehementius dolebit, vt rigor vehementior contingat; ſicque ea diſtinctione venit intelligenda præſens doctrina, vt valeat debite ſuſtineri.

De alia tandem facultate loco-motiua lacertorum, non ita eſt difficilis dubitandi ratio; nam poſita facultate ſenſifica ad ſentiēdum obiectum moleſtans, ad penſum alterationis, ſiue corruptionis, concurrit gradualiter expulſiua, ad expulſionem talis obiecti ad partes ſentientes, ex quibus trahitur loco-motiua in conſenſum, vt media contuſione, talis materia rigoris mordax expellatur, quare concurſus facultatis motiuæ exequentis, quo robuſtior, & validior fuerit, vehementiorem conatum, concuſſionem, & rigorem efficiet, vt fini debito expultricis ſatisfaciat; ſicque ſemper intenſio rigoris, ab intenſiore virtute loco-motiua, veluti remiſſio illius, à debiliori facultate motiua proueniet.



QVÆSTIO DVODECIMA.

An minera, ſiue focus putredinis, in febribus intermittentibus ſit extra vaſa, in continuis verò intra illa.



T præſens quæſtio elucescat, priùs aliqua animaduertenda offeruntur, quorum primum eſt, quod in quocunque febrium putridarum genere, locus in quo calor febrilis, primo accenditur, vocatur apud Medicos focus putredinis, ſive febris, ſumpta metaphora ab igni externo, qui qualibet in domo ſolet accendi: perpendendum ſecundo eſt, calorem igneum, & præter naturam, qui in foco putredinis eſt accenſus, non conſtituere febrem, antequam cordi communicetur, vt ſuo loco expoſitum manet: Erit igitur focus putredinis, particula illa, in qua humor primo putreſcit, à quo putreſcente, vel à putrida ipſius fuligine perueniente ad cor, febris accenditur; qui etiam focus ſolet, minera putredinis appellari, quaſi ſit locus reconditus, ac putredinis receptaculum, ad quod excrementorum colluuies confluit, ibique putreſcens febrem accendit.

Quibus iam prælibatis, iuxta dubium propoſitum, Laurentius Ioubertus *paradox. 4. decade 2.* diuerſis rationibus conatur oſtendere, eundem eſſe focum putredinis, tam in febribus continuis, quam intermittentibus; indicat enim, materiam febrium putridarum, poſitam eſſe in corde, ibique mineram putredinis aſſignat, quod probat hac ratione; nam ibi debet eſſe materia coniuncta febris, vbi adeſt ipſa febris; ſed in corde adeſt febris: ergo ibidem debet eſſe materia coniuncta: ergo putredo, quæ eſt cauſa coniuncta febris: ergo minera. Si verò aliquis reſpondeat febrem eſſe in corde, priùs tamen calorem accendi in alia parte; contra, inquit, quia ſi hoc eſſet verum male diceretur febris, calor primo accenſus in corde, ſed potiùs in alia parte. Præterea: nam ibi reſidet putredo, vbi ſymptomata concomitantia putredinem, magis elucescunt; ſed in corde talia accidentia magis elucescunt, vt intenſus ardor, æſtuatio, & animi deliquia: ergo quia in corde adeſt putredo: ergo dicendum eſt, quòd febris putrida, & intermittens, non differunt in foco, ſiue minera putredinis, ſed ſolùm ex parte materiæ febrem efficientis: nam ſi eſt multa, craſſa, aut lenta, fit febris continua, quia diù putredo permanet, è contra verò fit intermittens propter materiæ paucitatem, tenuitatem, & igneitatem: quod confirmat ipſe Ioubertus exemplo combuſtibilium; parua enim illorum quantitas breui, ſicut magna longo tempore comburitur, veluti parua materiæ morbificæ quantitas, intermittentem febrem, & multa, ſiue ingens continuam conſtituit.

Hæc tamen sententia nullam veritatis indicium obtinet, quatenus asserit, cor perpetuò esse focum febrium putridarum, præsertim intermittentium; quid enim implicat, quod humor, priùs in aliqua parte nostri corporis putrescat, & indè calor cordi, ad febrem constituendam, communicetur? deindè, quia si humoris putredo in corde existeret, non esset vlla ratio, propter quam fiat rigor in febre intermittente, nam cùm hoc symptoma fiat per corporis habitum, non est dicendum humorem obtinere mineram putredinis in corde; neque vllam vim ostendunt fundamenta ab eo allata; frustra enim, ait, putredinem debere esse in corde, quia febris residet in eo, cum calor præter naturam possit cordi communicari à materia existente intra venas: cur verò febris dicatur calor primo in corde accensus, sumitur, quia ad constituendum subiectum immediatum febris, requiritur cor; non verò ad hoc vt sit calor præter naturam, vt *supra* est adapertum; similiter incendia, & symptomata, quæ in corde elucescunt, magis in eo percipiuntur, quia plures vapores feruntur in illud, qui cum putridi sint à foco, siue minera putredinis deferuntur.

Fernelius verò *lib. 4. de febribus, cap. 9. & 10.* haud dubitat, quod in febribus intermittentibus, humores non moueantur extra vasa, ac proinde, quòd alius est assignabilis focus putredinis; diuersasque adducit rationes, quarum prima est: in quotidiana intermittente humor est valde crassus, & viscidus, sicut in quartana intermittente, maxime terreus: ergo impossibile est, vt in principio accessionis, tam brevi tempore, humor crassus, & lentus ex venis maioribus in minores, & ex illis in extremas corporis partes mittatur: ergo quia in intermittentibus, non moventur humores extra vasa. Probatur secundo, quia etiam in febribus continuis, materia morbifica tota est intra vasa maiora: ergo poterit aliqua ipsius portio, in principio accessionis, in corporis molem effundi: ergo etiam efficiet rigorem, sicut intermittens: ergo in febribus intermittentibus, non etit dicendum humorem mitti extra vasa.

Roboratur vlterius Fernelij assertio, nam in accessione, siue paroxysmo febris intermittentis, apparet tussis, sitis, & anxietas, vomitus, & præcordiorum distensio; atqui hæc omnia oriuntur à materia existente in prima corporis regione: ergo in febribus intermittentibus, materia morbifica, non putrescit, neque pellitur extra vasa. Vlteriùs probatur, quoniam etiam in principio accessionis febris intermittentis, apparet lotium album, tenue, & sine vlla coctione, progressu tamen accessionis, & præcipuè in declinatione, iam apparet cum crassitie, & colore: ergo in principio reconditur humor in corporis profundo: ergo quia in tali accessionis principio, non spargitur ad summa corporis.

Præterea Fernelius, adducit Galen. qui *primo ad Glauconem, cap. de quotidiana*, inquit: *In tertiana, habendam esse rationem iecoris in quotidiana ventriculi; & in quartana lienis*; ac proinde concludit, sedem, & originem rigoris in febre tertiana intermittente, in prima corporis regione, circa ventriculum, regionem cavam iecoris, lienem, omentum, & mesenterium contineri, quæ partes membranis acutissimi sensus teguntur; quare quando humor febrem accendens in his partibus agitatur, vapores putridi, ac fuligines, per venas: & arterias feruntur ad cor, sicque in febribus rigor inuadit. Veritas tamen huius sententiæ, dum Galeni sensum adaperiam constabit.

Ludouicus tamen Mercatus, *tom. 2. lib. 6. de febribus*, Gal. taxat, quia protulit, quod in febre intermittente mouetur, humor per membra corporis sentientia: at verò *lib. 2. de differentiis febrium capite vltimo*, sententiam immutauit, statuitque non solum per partes sentientes delato humore, sed etiam in quolibet membro putrescat, dum non sit in vasis penitioribus, febrem intermittentem posse fieri: quod ostendit exemplo partis transmittentis, & recipientis, quæ quia imbecillis, non valet concoquere, ac sibi assimilare alimentum, aut proprium excrementum reiicere, vnde accidit periodicatio, sine eo, quod moueatur humor per partes sentientes. Probatque Mercatus, hanc assertionem, primo, quia in aliquibus, sæpè sæpius, ante accessionem apparent maculæ rubentes, & pruriginosæ, quæ, invadente accessione, evanescunt, siue delitescunt: ergo ex hoc duo sequuntur; primum: quod non in omnibus intermittentibus humores funduntur extra venas, alioquin semper in cute efflorescerent, atqui remeant ad interna; ergo, &c. secundum est, quod humor extra venas effluens, non putrescit, siquidem potius delitescit, ac intromittitur, cum prædictæ maculæ auferantur: ergo talis febris intermittens, non dependet ab humore extra vasa fuso, siue propulso.

Probatur vlterius, quia circuitus huius febris intermittentis sumitur ex fomite, & fouetur à relicta materia, quæ putrefacta fuit in accessione præterita; atqui illud, quod remanet reconditur, sicut sedimentum in extremitatibus vasorum: ergo non aderit in partibus sentientibus extra vasa. Probatur deindè, nam eadem est materia sudoris, & lotij: ergo in vno, & eodem loco, ac per eandem actionem generabitur: ergo cum materia lotij, sit intra vasa; etiam sudoris materia ibi continebitur, ergo sudor qui accidit in febris declinatione intermittentis, non est propter putredinem humorum extra vasa, sed intra illa existentium. Confirmatur vehementius: quia si in febre intermittente humor extra vasa putresceret, sequeretur, quod rigor fieret maior, & augeretur, vsque ad statum accessionis: hoc est contra experientiam, nam in augmento accessionis, & in statu iam non datur rigor: ergo humor non putrescit extra vasa, sequela probatur, quia quo magis putrescit humor, eo deterior, acrior, & mordacior redditur; sed in statu magis putrescit, quam in principio: (& ideo calor intensior) ergo si ista putredo esset extra vasa, in statu esset maior rigor, quam in principio dictæ accessionis; hoc vt dixi aduersatur experientiæ: ergo dicendum est, quod causa illa morbifica non extra, sed potius intra vasa putrescit, & ex ipsius calore,

calore, materia rigoris euanescit, quæ est valdè diuersa ab ea, quæ febrem accendit.

Sigillatur tandem huiusmodi sententia à doctissimo Mereato; si enim humores intra vasa non putrescerent, sequeretur omnes febres intermittentes, esse diarias. Probatur sequela, nam omnis febris intermittens esset tantum accidens, & veluti symptoma, quia æque cor incalesceret, ac dum aliqua corporis particula phlegmone laborat; atqui febris sequens inflammationem, est veluti symptoma, ac reducitur ad febres diuersas: ergo ita febris intermittens, quia sequitur putredinem extra vasa, veluti in parte phlegmone correpta reducetur ad diarias. Quibus, & aliis rationibus fulcitus Mercatus, arbitratur differre à foco, siue minera putredinis, hac ratione; ex eo quod in febribus intermittentibus, quædam portio humoris tenuioris ad partes sentientes mouetur, ea qua quidem rigor accidit, & ab ea nullatenus febris efficitur, sed per cutim insensibiliter resoluitur; alia verò pars crassior illius, ad vasorum extremitates mouetur, ibique detenta putrescit, febremque intermittentem constituit.

Vt clarior præter dictas rationes, sensus Mercati stabiliatur, aliqua proponit fundamenta, quorum primum est; nam si pars carnosa esset putredinis focus, solum humor per sudorem, aut insensibilem transpiratum euacuaretur; sed sic est, quod in fine accessionis febrium intermittentium, solent humores exerni per lotium, vomitum, aut per aluum: ergo quia non putrescunt extra venas, sed intra eas. Præterea, quia nullum indicium coctionis, vel cruditatis sumeretur ea lotio, (cum hoc contineatur intra vasa,) atqui ex lotio percipimus coctionem, vel cruditatem humoris febrem efficientis, ad distinguenda tempora vniuersalia febris: ergo quia prædicta materia potiùs putrescit intra vasa, in illisque debitam putredinem obtinet: tum & etiam nulla fieret pulsus inæqualitas, neque calor, veluti sopitus appareret, cum cor non grauaretur à materia non contenta intra vasa, sed potius pulsus magnus esset in principio accessionis, propter exitum materiæ ad habitum, calorque in principio esset intensior in partibus, & mordacior, quia in habitu corporis materia contenta putrescit; omne hoc est contra experientiam: ergo etiam sententia superius dicta non est sustinenda.

Sit ergo prima conclusio: humor efficiens febrem tertianam intermittentem, veluti alias, non putrescit in præcordiis. Quæ sententia est contra Fernelium, vt dixi; eam verò insequitur Petrus Michael de Heredia, doctissimus Gaspar Bravo, Veiga, Ludouicus Mereatus, Franciscus Antonius Caserta, Petrus Garcia, Vega, Vallesius, Benedictus Vazquez Matamoros, estque Gal. menti consona, & probatur: nam vt Gal. ait 2. *de different. febrium. cap.* 3. in tertiana exquisita accidit rigor; quia humor acris, & mordax defertur per particulas diuersi corporis sentientes; sed si humor putresceret (vt ait Fernelius) circa præcordia, non posset fieri, huiusmodi rigor, ac partium concussio: ergo non est dicendum, quod humor efficiens tertianam intermittentem, circum præcordia putrefeat, tanquam in foco. Vlterius impugnatur Fernel. sententia: nam in declinatione accessionis dictæ febris, vt supra est probatum, solent accidere sudores, vel deiectiones, vel vtrumque simul, atqui hoc non posset fieri, si putresceret materia in præcordiis: ergo falsitas sententiæ, est certa. Minor probatur: nam vt detur sudor, ex humore putrido in præcordiis, necessario talis materia putrescens debebat prius mitti in viciniores venas, deinde in alias, vsque ad minimas, & exiguas, per quarum ora desinantur in carnes, per quas possit accedere ad cutis spiracula, vt tandem huiusmodi materia, medio sudore, expellatur; atqui hic transitus humoris putrescentis, est impossibilis, quin simul aliquis alius humor in venis existens putrefcat: ergo in tali casu, non esset terriana exquisita intermittens, cum iam non vnus, sed duplex esset humor putrescens; hoc non est dicendum: ergo neque humorem efficientem tertianam intermittentem, in solis præcordiis putrescere.

Neque valet, si Fernelius respondeat, sudorem, in his febribus, non ita fieri, sed solum per halitum illius humoris, in vniuersum corpus effusum; vt accidit his, qui liberalius æstate aquam frigidam ebibunt; statim enim sudore madent, quin omnis aqua in vniuersum corpus spargatur. Sed insurgo apertissimè, nam licet hæc vera sint de aqua; implicant dici de humore; humor enim in præcordiis putrescens, vel totus in vaporem, & halitum resoluitur, ac habitum corporis petens, fit sudor, vel solum aliqua illius portio tenuior; sed neutrum potest fieri: ergo ruit responsio. Maior non indiget probatione. Minor probatur: quia totus humor, vt respondet Fernelius, non transmittitur per venas, sed solum illius vapores, qui postea concrescentes, materiam sudoris suppeditant: ergo iam remanet semper principalis materia humoris in minera putredinis, videlicèt in præcordiis: ergo nullatenus erit febris intermittens, sed continua, cum numquam deueniat æger ad infebricitationem. Sequela est manifesta, nam tota terminatio accessionis febris intermittentis, sumitur ea integra euacuatione materiæ, in foco putrescentis: ergo si tota radicitus à foco, non euacuatur, sed semper remanet in præcordiis, non terminabitur integrè accessio; imò semper æger cum febre permanebit: ergo non intermittens, sed continua dicetur talis febris. Si tandem afferat, omnem humorem resolui in halitum, iam exemplum de aqua adductum, nullam obtinebit vim, siquidem, vt ait, non omnis aqua epota per vniuersum funditur corpus. Præterea, quia non valet reperiri tam intensus calor in præcordiis, vt tantam humoris putrescentis quantitatem, tam breui tempore resoluere possit: ergo à primo ad vltimum infertur, putredinis focum in intermittentibus, solùm in præcordiis extra venas non posse existere.

Sit secunda conclusio, videlicèt quod aliquando potest esse focus, siue minera putredinis febris tertianæ intermittentis in genere carnoso: & probatur, ex Gal. qui *lib.* 2. *de differentiis febrium*, *cap.* 1. & *lib.* 2. *de crisibus*, *cap.* 3. & 6. id præostendit. Deinde, quia potest aliquando fetti humor non putridus ad partes carnosas,

nosas, ibique detineri, ac propter cutis constipationem, sine aliam causam calefieri, & putrescere, & sic rigorem, & febrem efficere: ergo illo in casu, iam putredinis minera erit carnosum genus extra vasa. Consequentia probatur: nam ex eo, quod humor in partibus carnosis putrescat, sua acredine facultatem expultricem vellicabit, simulque motiuam musculorum incitabit in consensum: ergo erit causa concussionis illorum; ac proinde rigoris; ex alia parte talis humor putrescens, vel fuligo petueniens ad cor, febrem valebit accendere: ergo ex eo præcisè, quod bilis putrescat in genere carnoso, tertianam intermittentem, cùm rigore poterit inducere. Etsi tamen doctissimus Braus, quamlibet corporis partem, ad quam materia decumbat, cum putrescat, assignat pro sufficienti foco putredinis, & hoc quocunque tempore; hoc tamen non est veritati consonum; vt suprà dixi, etsi aliquando possit prædictus euentus contingere in carnoso genere ob rationem allatam.

Dimicat tandem tertia conclusio: humores efficientes febres intermittentes tam tertianam, quotidianam, quàm quartanam, fere semper,& plurimum putrefiunt in venis, in quibus etiam putrescunt humores, febres continuas inducentes, quæ necessariò ab intermittentibus differunt, ex eo quod in intermittentibus, materia in venis putrescens expellitur, ac defertur per habitum corporis, & genus carnosum; ideoque tandem soluitur accessio, ac intermittit febris; humor verò febrium continuarum, retinetur inclusus in venis, in quibus putrescit, & ob hanc rationem,febris non intermittit, sed semper permanet æger febricitans: præsens conclusio, est contra communem veterum opinionem, contra Fernelium, Auicennam *lib. 4. tractat. 1. capit. 1. contra Gentilem,dubio* 11. Christophorum Vega, Thomam à Veiga, Turisanum, Altomarum, Capiuacium,& contra quamplurimos.

Meam verò sententiam, amplectitur sapientissimus Petrus Michaël de Heredia, etsi velut pertimescens, ne vt temeraria, & imprudens ab aliquibus iudicetur, Galenus tamen eam vt verissimam stabilit, *secundo de crisibus, cap. 6.3. & 12.lib 2.de differentiis febrium,c.1.alijsque in locis:* sequunturque hanc opinandi rationem, Petrus Garcia, Franciscus Caserta, Matamoros, Ioannes Baptista Nauarro, Vallesius, & alij quamplurimi, & probatur primo authoritate ipsius Galeni, qui locis citatis asserit, materiam febrium intermittentium, extra venas nunquam putrescere, & solum deferri per partes carnosas,solumque distingui à continuis, eo quod in his, deferantur humores per venas, in intermittentibus verò per vniuersum corpus.

Probatur secundo, quia si febris tertiana,aut quartana intermittens, fieret ab humore putrescente extra venas, nullus daretur, cum morbo regio, sine febre: sed hoc est contra experientiam: ergo, &c. probatur maior: nam in quolibet morbo regio, datur maior copia flauæ bilis in carnibus, quam in tertiana, cum pateat sensus indicio: ergo in eo maior dabitur ratio,vt flaua bilis propter maiorem obstructionem putrescat; atqui ægri, ex hac causa non febricitant; imò aliquando solet febrem iudicare: ergo,quia febris tertiana intermittens, non obtinet putredinis mineram in carnibus; sed potiùs intra venas, à quibus ad carnes,humor defertur, ad rigorem efficiendum.

Obiicies tamen primo; dum fit rigor, non adest febris: ergo humor non putrescit intra venas. Antecedens probatur, ex Galen. *lib. 2. de differentiis febrium, capit.* 6. vbi inquit rigorem antecedere, & febrem subsequi: ergo dum rigor fit, non adest febris, atqui rigor nascitur ex vellicatione, partium carnosarum, ab humore violenter per eas delato, dependente: ergo, ibi ante febrem putrescit: ergo quia focus putredinis,non in venis, sed potiùs in carnibus adest.

Cui respondeo, negando antecedens, si vniuersaliter intelligatur; & præcipue in febribus experientia patet antecedentis falsitas: in tertiana enim intermittente experimur, dum rigent membra, quòd pulsus præter naturam celeriores, ac frequentiores fiant: ergo, quia tunc datur in corde calor præter naturam accensus; ergo febris, cum ex pulsus mutatione, cor esse, vel non esse immutatum, percipiamus: falsum igitur est antecedens, dum fit rigor, non adest febris. Respondeóque Galen. authoritati asserentis, rigorem antecedere, febrem subsequi,quòd tunc non alloquitur de febre, quatenus est calor accensus in corde solo, sed de febre, quatenus iam calor omni corpori est communicatus, sicque rectè ait rigorem præcedere; quia paulatim per omnes corporis partes talis febris spargitur, cum illius causa; videlicet materia putrescens diffunditur.

Obiicies secundò: nam si in febribus intermittentibus putresceret humor intra venas, sequeretur maiorem, intensioremque, esse calorem; ac frequentiorem pulsum in principio accessionis, quam in augmento, neque statu: hoc est contra veram obseruantiam: ergo etiam dicta sententia, non erit sustinenda. Sequela probatur: quia in accessionis principio, datur maior copia humoris putridi in venis; quam in augmento, & statu: ergo datur maior delatio humoris putridi, à venis ad cor, quàm in statu: ergo intensior febris. Probatur antecedens, quia in statu materia putrescens, iam est victa in carnibus: ergo tunc minus defertur, minusque cordi communicabitur, quam in principio,eo,quod tunc adhuc existit intra venas: ergo in statu pulsus, neque erit celerior,nec frequentior,tum,nec febris intensior: ac proinde, ne hoc dicatur, est fatendum humorem,non intra, sed extra venas putrescere.

Hoc tamen argumentum dissoluam,negando, pulsum debere esse frequentiorem, nec febrem intensiorem in principio; cuius est ratio, quia licet portio humoris putridi, sit intra venas in principio accessionis; tunc tamen nondum est totus humor putrefactus, sicut in augmento, & statu, in quo iam materia, omnem feruorem, & agitationem passa est; quare hoc tempore calor intensior adest, veluti in principio remissior.

Obiicies tertio, & vltimo si putredinis minera intra venas existeret in febribus intermittentibus,

tibus, nunquam daretur duplex tertiana intermittens, nec duplex quartana: hoc est contra veriorem doctrinam: ergo minera non est intra vasa. Probatur maior: nam, si minera esset intra vasa, solum daretur vnica minera, siue focus vnus putredinis: ergo vna simplex tertiana intermittens, & non duplex; hoc est falsum: ergo etiam conclusio, siue sententia allata Huic argu[...]ici, respondeo negando primum, & secundum antecedens; nam ex eo, quod dentur distinctæ venæ, in quibus adsint diuersæ portiones humoris putrescentis, aderunt etiam diuersi foci, siue diuersæ putredinis mineræ, vt constituatur tertiana simplex,& composita; imò ex prædicto argumento, nostra roboratur assertio, quia si materia putresceret in habitu carnoso extra venas, in tertiana intermittente; nunquam posset inueniri tertiana intermittens composita; quia si focus putredinis est habitus corporis carnosus, vt dentur duo foci, deberent etiam dari duo habitus carnosi distincti; hoc est ridiculum: ergo etiam contraria sententia, laudanda tamen doctissimi Mercati mens.



QVÆSTIO XIII.

De signis febris quartanæ intermittentis exquisitæ.



E generatione, & signis febris quartanæ; exquisitæ intermittentis, peculiariter agit Galen. 2. *de differentiis febrium, cap. 5.* quæ nihil est aliud, quam intemperies calida totius corporis affligens, quarta quaque die, dependens ab humore melancholico putrescente, sincero, & impermixto: sed vt vera natura huius febris comperta maneat, breuiter intelligere oportet, quæ sint melancholiæ differentiæ, ex quibus vnaquęque quartanæ species fiat; cum igitur duplex sit, apud Gal. *lib. de atra bile*, & *secundo de facultatibus naturalibus*, species melancholiæ, vna est melancholia naturalis, quæ secundum naturam in iecore generatur, & fex sanguinis appellatur; melancholia verò præter naturam dicitur, bilis atra exquisita, quæ tum ex bile flaua combusta, tum, & etiam ex sanguine melancholico, valdè dessto, ortum ducit; & ita acredine, ac intensissima mordacitate pollet, vt maximè nostræ naturæ sit aduersa, cum de ea alloquens Hippocrat. *aphor. 4. sent. 22.* asserat, *incipientibus morbis, si bilis atra exeat; supernè, vel infernè lethalis.* Quibus prælibatis, Gal. 2. *de differentiis febrium, cap. 9. & 5. assignato*, demonstrat quartanam legitimam, & exquisitam fieri, ab humore melancholico naturali; spuriam verò, & notham à melancholia dicta præter naturam; nam cum huiusmodi humor vehementer sit putrescens, semper est cum aliquo ex humoribus permixtus; sicque non est sincerus: vt in quartana exquisita, & legitima accidit.

Primum igitur, signum prædictæ febris quartanæ intermittentis exquisitæ, sumitur ex qualitate, & motu caloris; humor enim melancholicus in hac febre, non celeriter, sed paulatim, succenditur, vt ignis, qui in lapide, osse, & ferro accenditur; semel verò accensus, calor huius febris, purus, & limpidus, non quidem fumosus tactui occurrit; nam cum humor melancholicus siccitate gaudeat, ideo propter humiditatis defectum, nullam fumositatem emittit, quare hæc febris à quotidiana differt, in qua propter pituitæ humiditatem, calor fumosus, ac caliginosus persentitur.

Secundum verò signum febris quartanæ exquisitæ intermittentis, desumitur à Galen. *loco assignato*, ab euacuationibus, quæ copiosiores, quam in quotidiana, pauciores tamen, quàm in tertiana reperiuntur, cuius est ratio, quia quartana febris inter tertianam exquisitam, & quotidianam intermittentem, mediam obtinet naturam, & meritò: nam melancholia eo, quòd sicca, faciliùs, quàm pituita, quia humida accenditur: siccitas enim caloris est lima, veluti humiditas actiones hebetat; vnde pituita, quia difficiliùs incalescit, pauciores è melancholia, verò quia facilius copiosiores euacuationes efficiet; è contra in tertiana, quia bilis calida, & sicca est, calori intensiori concipiendo paratior, quam melancholia, propterea in quartana pauciores, quàm in tertiana fient euacuationes.

Tertium quartanæ intermittentis signum dependet ex ipsius inuasione; accessio enim potius cum horrore, quàm rigore solet incipere; humor enim melancholicus, quia siccus, non ita naturæ benignus vt pituita; ac proindè non solùm frigiditatem partium extremarum efficit, sed etiam inæqualem earum concussionem; destitutus tamen acredine, ac mordacitate, vt est in bile, ideò, non rigorem exquisitum, vt in tertiana, bilis; sed potius dictum horrorem excitat.

Conducunt quartò ad febris quartanæ intermittentis notionem, omnia, quæ ad generationem melancholiæ solent antecedere, vt est ætas frigida, & sicca veluti consistens, temperamentum frigidum, & siccum, regio, tempus anni, vt autumnus, ac victus ratio, eadem temperie constituta, quia hæc omnia propter Analogiam, quam cùm prædicto humore obtinent facile ad ipsius naturam constituendam concurrunt.

Quintum quartanæ intermittentis signum, ab immoratione, siue permanentia accessionis stabiliendum accedit: nam accessio illius, ferè semper est longior, quàm in tertiana; breuior verò, quam in quotidiana, quia melancholia semel putrefacta, facilius quam pituita succenditur, maioremque attenuationem suscipit; quare faciliùs in accessione, quam pituita, quæ magis igni contrariatur, à natura expellitur; non tamen implicabit, vt aliquando contingat breuior accessio in quartana, veluti accidit in febre tertiana; quòd fiet, vel propter minorem humoris quantitatem, aut qualitatem, & tenuitatem maioré, aut propter validiores laborantis vires, vel tandem propter corporis dispositioné, nimirum raritatem; è contra verò protrahetur accessio propter his contraria, vt *secundo de differ. febr. cap. vltimo*, iam *supra* satis apertum mansit.

Dubitabit tamen ingenuè quis, An constitutio quartanæ intermittentis, sit etiam breuior quotidianæ intermittentis constitutione. Cum accessiones, vt est dictum, breviores sint, eadem veluti currit paritas, cum eadem causa accessionum sit, quæ etiam totam constitutionem febris producit. Cui dubio respondeo negatiuè, imò semper omnis constitutio quartanæ est longior, quotidianæ constitutione, cum aliquando vnicum annum, aut duos, vel quatuor, quartana pertranseat; cuius assertionis est ratio, quia cum humor pituitosus, quotidianam efficiens, sit magis nostræ naturæ familiaris, cum dicatur à Galeno, veluti dimidiè coctum alimentum pro nostra natura; Ideo facillimè vincitur à natura, qua de causa, natura nullum construxit instrumentum, quod esset pituitæ receptaculum, veluti lienem, ad melancholiam, vesicam fellis, ad bilem recipiendam fabrefecit; hi enim humores, non ita facilè à natura superantur, vt pituita, quæ indigentiæ tempore, in sanguinem convertitur; ideoque omnis constitutio quartanæ, necessariò debet esse longior, quàm constitutio quotidianæ,

Vel secundo respondeo, quod in quartana, accessiones lentè, tardoque motu repetunt per circuitus, vt de quarto in quartum; quotidiana verò quotidiè, & ideò accidit, vt causa febris quotidianæ, per frequentiores accessiones citius attenuetur, & concoquatur: sicque victa celerius; expellatur; at verò in quartana, non ita valet humor comminui, & attenuari; tardiori enim motu illum natura concoquit, ac per rariores accessiones expellit. Quapropter tota febris quartanæ constitutio erit longior, febris quotidianæ constitutione; quamvis ipsius accessiones breviores existant.

Dubitabis tamen circa intervalla, sine intermissiones, quibus gaudent omnes febres intermittentes, vtrum ex omnibus paroxysmis,& intermissionibus fiat vnus numero, vel duplex morbus. Circa quod dubium aliqui haud dubitarunt, tempore intervalli hominem salubriter degere, ac proinde asserunt, tot esse numero morbos, quot febris fuisset intermittens, quod similiter intelligendum venit de omnibus aliis morbis periodicis, hæc tamen sententia valdè improbatur, & ab omni veritatis indicio discedit, sicque facile dubium dissolvetur: si respondeam, ex paroxysmis, & intermissionibus non fieri vnum numero morbum, vnitate affectus morbosi, sed solum vnitate mineræ putredinis, vel neutræ dispositionis partis mandantis, & recipientis, vel denique vnitate causæ antecedentis, quæ secundum diuersas partes, materiam pluribus accessionibus suppeditat.

Ex prædicta responsione, obnubilatio non contemnenda occurit, an videlicet inter vnam, & alteram accessionem intermittentium, æget ad integrum salutis statum reducatur? Cui, aliqui Medici barbare, responsum præbent asserendo, statum ægrorum in interuallo esse salubrem, ac proinde ægros ad integrum statum reuocari tuentur, & probatur, quia tali tempore nulla adest sensibilis operationum læsio: ergo non adest morbus. Antecedens est certum: consequentia probatur; nam morbus est affectus sensibiliter lædens operationes: ergo si nulla sensibilis læsio datur, non dabitur morbus; nam si aliquis daretur, præcipuè esset febris, ista non adest, cùm potius sit intermittens: ergo illo in casu æger est reuocatus ad salutis statum. Nec valet si dicat aliquis intemperiem calidam remanere morbosam, ista enim non lædit operationes sensibiliter: ergo iam non etit morbosa, alias esset febris, cùm nulla conditio ad febriendum deficeret.

Contraria tamen sententia à doctissimo Vallesio, Vega, & aliis; hac ratione stabilitur, primò, quia intermissionis tempore adest inæqualitas febrilis, quòd absque morbo non accideret, dicitur quidem febrilis inæqualitas, quando principium, ac finis vnius pulsationis, aliquantulùm velociùs, quàm medium percipiuntur. Secundò, quia si tempore intermissionis, febricitans esset omninò sanus, sequeretur, non remanere in laborantis corpore vestigium, aut aliquam radicem futuræ accessionis; atqui tale vestigium, quod fomitem appellant, omnes rematere fatentur: ergo quia necessariò dispositio præter naturam, sigillata conservatur; quòd expresse Gal. ostendit 4. *aphorism. comment.* 39. vbi ait: *In febrium interpolatarum internallis, reperiri quemdam affectum præter naturam, à quo subindè sequentes paroxysmi reuocantur*: ergo ex Galeno tempore intermissionis febris, manere constat, quandam dispositionem præter naturam.

Inquiret tamen aliquis, quæ si huiusmodi dispositio morbosa, siue præter naturam; iuxta quòd doctissimus Vallesius 2. *de differentiis febrium, cap.* 3 *fol.* 109. existimat, tempore intermissionis talem dispositionem esse morbosam, quia manet eadem dispositio antecedens, saltim quoad aliquos caloris gradus morbosos; tum etiā inæqualitas febrilis dicta in pulsu, ita vt ex prolixitate, & frequentia accessionum, multoties tertiana laborantes soleant die internalli, læsas obtinere functiones, ac per consequens actu ægrotare, non tamen febricitare, quem morbū plurimi constituunt in temperie calida partis mittētis, aut recipientis, in qua focus putredinis adest.

Pro contraria tamen sententia, ratio superiùs adducta convincit: nam intervalli, homo neque laborat febre, neque intemperie morbosa sensibiliter functiones lædente; quare potiùs dicendum est, talem dispositionem, neque esse integrè salubrem, vt prima sententia tuetur; neque esse morbosam, vt Vallesius cogitat, sed potiùs media inter sanitatem, & morbum, quæ potiùs neutra apud ferè omnes appellatur, vt Mercurialis, & alij quàmplurimi in hoc difficultate persentiunt; nam æger, intermissionis tempore, non degit inculpabiliter, nec sensibilem actionum læsionem patitur: ergo neque actu est in statu salutis, nec morbosas sensibiliter habet affectiones, quamuis respectu materiæ morbificæ, morbus non ideò dicatur iudicatus, vel solutus; cùm hoc potiùs contingat in suo principio, & augmento; & meritò, nam cùm vna sit tertiana internittens, & per plures terminetur accessiones, vt Hippocrates: *Tertiana exquisita septem circuitibus terminatur*.

DE

De signis febris quotidianæ intermittentis exquisitæ.

QVotidiana febris, à Græcis amphemerina nuncupata, est intemperies calida cordi communicata, ex pituita putrescente genita; intermittens tamen dum intra vasa pellitur tempore accessionis; veluti continua dum intra vasa putrescens retinetur: quælibet, vel non exquisita, quia permixta, vel exquisita, dum à sincera pituita nascitur, de qua in præsenti agimus, erit dicenda. Cum igitur ista, vt *supra* diximus, ortum ducat immediatè à pituita naturali dulci putrescente, diuersa obtinet signa, quibus valeat dignosci, quæ cum alia sint antecedentia; merito adducuntur à Galen. omnia quæ ad ipsius generationem aptiora sunt, vt temperies frigida, & humida, puerilis ætas, veluti senilis, ex accidenti; vitæ intemperantia, motus immodicus, veluti otium immodicum, immoderatus ciborum vsus, anni tempus frigidum, & humidum, vt hyems, regio, ac alia similia, quæ ad prædictum humorem cumulandum concurrere valent.

Signa verò dictam febrem demonstrantia, sumuntur, ex calore febrili humiditate adiunctus, & ideò fumosus, ac diutiùs manu apposita acrior, & inæqualis persentitur, vt Galen. 2. *de differentiis febrium*, tum & etiam, ex lotio; tiam lotium 2. *ad Glauconem* 7. & 2. *de crisibus* 5. est aqueum; & ideò album, tenue, & maxima cùm cruditate in principio, progressu verò morbi, crassum, turbidum, tandemque rubrum apparet. Tertiò similiter cognoscitur febris quotidiana intermittens ex pulsu, qui fit paruus, & rarus, ex Galen. 1. *ad Glauconem* 7. incipit etiam accessio, non cum rigore, vt in tertiana, neque enim horrore, vt in quartana, sed cum refrigeratione, & quia difficile causa illius accenditur, longum obtinet incrementum, declinatio etiam fit sine sudore, etsi tractu temporis aliquis, licet paucus appareat, quibus vnaquæque satis cuilibet, quoad generationem, & constitutionem patebit.

Dicet tamen aliquis, frustranea esse signa adducta febris quotidianæ intermittentis, cùm nulla possit esse intermittens, sed omnis debeat esse continua, & probatur: nam vt febris sit intermittens debet ad infebricitationem paruenire, atqui nulla quotidiana potest ad infebricitationem peruenire: ergo nulla erit intermittens; maior est certa, vt omnes fatentur: minor probatur: Qnia quotidiana pendet ab humore crasso, & frigido, qui non potest resolui spatio viginti quatuor horarum: ergo noua superueniet accessio; antequam febris intermittat: ergo potius erit continua quotidiana, quam intermittens. Cui respondeo: Quod licet pituita sit humor crassus, & frigidus; & ideò plerumque accessio extendatur, vsque ad vigesimam quartam horam; potest tamen (etsi non frequenter) contingere, quòd portio pituitæ, ita sit in exigna quantitate, vt ante prædictum tempus attenuetur, inscindatur, & superetur a natura: media qua naturæ victoria; ad intermissionem perueniat.

Roboratur vlterius nostra assertio, primo ex Galen. *libro* 1. *ad Glauconem*, *capit.* 1. his verbis: *Non tamen harum febrium declinationes ? quemadmodum tertianarum & quartanarum, sudoribus terminantur: quare neque ad integram quietem, manifestè, exceptis paucis perveniunt, &c.* Probatur secundò ratione in reliquis febribus intermittentibus; licet in tertiana exquisita, aliquæ perueniant ad duodecim horas accessiones; tamen in aliis vltra sex horas, non extenduntur: propter materiæ paucitatem. Non aliter in quartana, cùm materia sit terrestris, vt melancholia; licet accessiones sint longæ, possunt fieri breuiores, ob eandem rationem: ergo similiter in quotidiana, quamvis vt plurimum ad vigesimam quartam horam soleant accessiones protrahi; valebunt tamen aliquando, paucitate materiæ, & tenuiori modo substantiæ, in vna pituitæ portione, quàm in alia, esse breuiores, vt satis ex solutione supra adducta, elucescit.



QVÆSTIO XIV.

De essentia, & signis febris continentis, siue synochæ putris.



CVM febris synochà duplex sit, alia imputris; alia verò putrida, etsi de putrida sermo procedat, vt clarius tamen huius natura, & essentia, manifestáque inter eas appareat distinctio, breuiter tamen synocha imputris ostendenda occurrit; quæ febris est continua continens, orta ex sanguinis efferuescentia est quidem febris, quia calor præter naturam, in corde accensus, dicitur synocha, à continuo feruore, ex Galen. 2. *de febribus cap.* 11. est continua, quia continuo affligit, ex Gal *secundo de crisibus, cap.* 6. dicitur continens, quia vna clauditur accessione, à principio ad finem, vt Galen. 9. *methodi*, *cap.* 2. est acuta, eum citò terminetur, multoties criticè, & ratione symptomatum, non sine vehementia: vt Auicenna *Fen.* 1. 4. *tract.* 2. *c.* 43. distinguitur ab aliis febribus, quia ex sanguine dependet, non est synocha putrida, quia citra putredinem, solúmque ratione feruoris accidit. Cum tamē huiusmodi febris, potius ad diarias, naturâ & non cōstitutione, vt supra dixi, reducatur, meritò de hac, disputatio non percurrit.

Synocha igitur putrida, de qua in præsenti agimus, est febris orta, ex sanguine putrescente, carens paroxysmis, sua tempora vnica percurrens accessione, quæ quidem est triplex: Acmastica vna, alia paracmastica, & alia epacmastica, seu homotona eundem seruat tenorem: paracmastica semper decrescit; epacmastica

epacmastica verò semper increscit, vt Galen. 2. *de febribus cap. 9. & 9. methodi, cap. 3. 6. epid. sectione prima comment.* 19. causa immediata, & proxima, huius febris est putredo, qua sanguis afficitur: antecedentes verò, sunt omnia, quæ valent ad sanguinis generationem concurrere, vt temperies calida, & humida; anni tempus, vt vernum, regio, ætas, & alimenta calida, & humida, omniaque his symbola. Præter naturales verò causæ sunt, cutis constipationes, vasorum obstructio ab immodica sanguinis copia orta, ratione cuius fuliginum expulsio, veluti aëris attractio, vt debita caloris ventilatio fiat, impeditur, vt Galen. 1. *de differentiis febr. c 9. 8. methodi, cap. 7. lib. 1. methodi, c. 8. & 1. de differentiis febrium, c.* 4. Signa verò, quæ febrem continentem putridam patefaciunt sunt, tensiua lassitudo, rubor faciei, venarum tensio, assuetæ euacuationis sanguinis suppressio: calor est copiosus, valde vaporosus, modice acris, & molestus, comparatiue ad alias febres; pulsus adest magnus, vehemens, celer, & frequens, inæqualis tamen propter fuliginum copiam: lotium rubrum, aut subrubrum, & crassum apparet; superuenientia accidentia grauiora, quam in synocho non putri existunt, vt capitis dolor, vigiliæ inappetentia, nausea, & omnimoda inæqualitas ab ægrotante in toto corpore percipitur.

Etsi supra expositum sit, febrem synochalem putridam, ortum, ducere ex sanguinis putredine, denodanda tamen est dubitatio, de quo sanguine currat; an de sanguine quarto humore: an verò de tota massa sanguinaria putrescente? Circa, quod dubiom Vallesius 2. *de differentiis febrium. c.* 2. asserit, ex nullo humore seorsim putrefacto, febres continentes generari posse, sed ex tota massa sanguinaria simul putrescente; quod iudicat constare ex Gal. *9. methodi cap.* 3. dicente huiusmodi febrem generari, vbi in omnibus vasis, & potissimum, maximis æqoabiliter succi putrescunt: humores quidem æqualiter putrescere, nihil aliud est, quam sanguinem, cum aliis humoribus, vel totam massam putrescere: qoare ex sola bile inquit Vallesius, febris continens putrida, non potest fieri; nam si ex sola bile fieret deberet esse acutior, ac malignior febre continua biliosa, cum etiam fieret ex bile; ista tamen esset in maiori quantitate, ac repleret omnia vasa magna, ita vehementer, vt non posset in illis moueri. Et confirmatur ex Galen. qui febrem continentem, quæ est adhuc de genere vrentiom, ait esse minus acutam febre biliosa continua: ergo quia non fit ex bile, sed ex sanguine putrescente: constat hoc ex eodem; *secundo de crisibus*, cum asserat: *Cum verò, nec declinatio aliqua sensibilis fiat, semper verò à primo principio febris vsque ad crisim similis perseuerauerit, erit; & hæc ex genere febrium deurentium, ab eisdem verò acutie differt.* Vbi febrem continentem in communi, etsi ex genere ardentiom reputet, inquit esse minus acutam, qoam febris ardens exquisita, quæ fit à bile; sicque infertur apud Gal. quòd omnis febris continens, potius ex sanguine, provt omnes comprehendit humores, excitatur, neqnaquam tamen à bile sola, aut aliis humoribus posse fieri affirmat.

Prædicta Vallesij assertio, vt verissima venit amplectenda, non tamen excusat aliam, in qua iudico, posse simul continentem febrem putridam, ex solo sanguine quarto humore putrescente fieri, quamvis reliqui humores putredinem non concipiant, quare duæ valebunt assignari causæ febrium continentium putridarum; tota videlicet massa sanguinaria, provt quatuor humores comprehendit, aut solùm sanguinem quartum humorem, vt rectè persentit Petrus Michaël de Heredia: cuius est ratio, quia plenitudo, valet esse duplex, vel ad vasa nimirum, vel ad vires, aut ex omnibus humoribus æqualiter redundantibus, aut ex solo sanguine, & probat quia tota ratio propter quam, reliqui humores separati, febrem continẽtem efficere non possunt, est, quia ex illis prædicta plethora constitui non valet, atqui sanguis solus potest plethoram simpliciter efficere, vt tota massa sanguinaria; ergo ex solo sanguine similiter putrescente, valebit synochus putris excitari, vt ipsa curatio commonstrat, quæ missione sanguinis, vsque ad animi deliquium, apud Galen. exercetur, propter manifestam, & immodicam sanguinis redundantiam.

Occurrit tamen Galen 9 *methodi, cap.* 3. vbi inquit, in febre continente putrida, in omnibus vasis, præcipuéque maximis æqualiter succos putrescere: ergo quia non ex solo sanguine, sed ex omnibus putrescentibus humoribus, talis febris excitatur, tum, & etiam 6. *Epidemiorum sect. 1. text.* 2. ait, *ex vteri inflammatione, continentes febres generantur, eo quod grandissimas, ac plurimas venas participat*; ex quo infertur, quòd sanguis mouetur ad locũ determinatum: ergo si bilis moueretur, cum inflammabilis sit, posset quemadmodum sanguis, febrem continentem efficere. Confirmatur vlterius, ipse enim Galen. 2. *de differentiis febrium, cap.* 2. inqoit. *Continuarum autem ex flaua bile, duplex est genus, vnum quidem eorum, quæ continentes nominantur, quarum vniuersum tempus est vnica accessio ab initio, vsque ad finem*: Ergo continentes, aliquando à bile.

Quibus non obstantibus, primæ authoritati respondeo, ipsam concedendo libenter: nam cum causa materialis febris continentis, possit esse, vel sanguis quartus humor, vel omnis massa sumpta pro omnibus humoribus; merito dixit Galen. succos æquabiliter debere putrescere, vt omnes causas comprehenderet. Secundæ respondeo, quòd quamvis sanguis admoueatur, quando inflammatione corripitur; hoc tamen, non sufficit, vt febrem continentem excitet, nisi quando putredo serpit continuè per humores, & sangoinem vasorum, ita vt omnes humores, æqoaliter putrescant; nam ratione fluxionis particularis ad locùm inflammanũ, solom alia febris differentia particularis efficitur, quę valet periodicationẽ, & motus obtinere, tanquam in foco particulari. Propter tamen, magnam intensionẽ febris continentis, ex vasorum sanguine putrefacto, orientis, obscuratur noua, & peculiaris exacerbatio ab inflammatione dependens; & si aliquando appareat, non obstabit, quòd febris continens, cum ea complicetur; non tamen ex hoc inferendum venit, febrem continentem, causari ex sola illa sanguinis portione, qoæ inflammationis cau-

sa

sa conseruatiua, effectiua dicitur; sed ab aliis humoribus, æque putrefactis, in maximis vasis, propter serpentem putredinem prædictam; & ideo Gal. a iduc. m rationem, dixit, ex vtero inflammato; continentes fieri, quia vterus multas, & grandissimas venas participat: ergo, quia ex his venis aliis corporis vniuersi, facile putredo communicatur.

Tertiæ tandem anthoritati satisfaciam, dicendo, Gal. communissimum alloquendi esse modum, dum inquit, quod sangu s per putredinem bilescat; quare sub bile, sanguinem etiam putridum veluti comprehendit, vt *secundo de crisib.* 6. ait, febrem continentem esse de genere ardentium, ab his tamen acuie differre; idest sunt minus acutæ, quam exquisitæ ardentes, quæ à flaua bile dependent: ergo quia continentes, non dependent è flaua bile, etsi aliquam obtineant similitudinem; sunt enim ad modum ardentium, vt ipse *secundo de febribus*, *cap.* 9. eodem modo alloquitur.

Non inmeritò tamen, aliqui obnegantes febrem continentem, ortum posse ducere, à sanguine quarto humore putrescente, hac ratione contra nostram assertionem arguunt: implicat, quod sanguis putrescat seruata forma sanguinis; ergo implicat, quod febris continens fiat à sanguine putrescente sub forma sanguinis. Antecedens probatur, ex Gal. 2. *de febribus*, *cap.* 9. asserente: quod dum sanguis putrescit, tenuior pars in flauam bilem, crassa verò in melancholiam conuertitur: ergo dum sanguis putrescit, non seruatur illius forma: ergo non producet febrem continentem, sub forma sanguinis, sed potius sub forma bilis.

Cui respondeo rationi, negando antecedens, & authoritati dicu: quod non semper, dum putrescit sanguis, tenuior pars conuertitur in bilem, in quocumque gradu putredinis; nam dispositio conseruatiua formæ sanguinis, veluti aliorum humorum latitudinem obtinet: ac proindè non per quemlibet gradum dispositionis putredinalis, sanguinis forma corrumpitur; quod patet apud Philosophum, qui non solum in mixtis, verum etiam in elementis simplicibus, dispositionem conseruatiuam diuisibilem concedit; non enim per quemlibet gradum caloris, aquæ forma corrumpitur; nec per quemlibet frigiditatis gradum, aëtis forma destruitur: ergo si hoc est in elementis manifestum, multo dilucidius in mixtis constabit: ergo si quando quilibet humor putredine affectus, absque eo, quod deperdatur illius forma, est causa febris; ita similiter sanguis, quando putrescit, & nondum in alios humores est mutatus, febrem sanguineam, seu continentem, seruata eadem forma excitabit. Roboratur intensius nostra assertio; nam omnis dispositio accidentalis, disponens ad nouam formam, necessario debet præcedere ipsam formam: ergo si forma bilis introducitur cum certo gradu putredinis; antequam introducatur vltimus gradus ad talem formam, necessariò erunt antecedentes gradus, sub forma ipsius sanguinis: ergo iam sanguis, antequam in bilem mutetur, erit cum aliquo gradu putredinis, sub eadem sanguinis forma: ergo seruata ea, erit putrescens, ac febrem continentem producens.

Ex quibus satis clarescit ratio propter quam; febris synochalis putrida, nullam periodicationem obtinet, imò constituitur per carentiam repetitionis, & circuitus, nam cum omnes humores æquè in maximis venis, ac arteriis putrescant, nullaque pars peculiaris destinata, ad quam fluxio ruat, inueniatur, meritò, nec mandantes partes, nec recipientes assignari valent: quare minera particulari, vel foco putredinis destituuntur. quibus deficientibus, accessiones nequaquam efficiunt, sed vnica clauduntur accessione: Ita sentiunt Herculanus in Auicennam, Franciscus Caserta, *suo libro de febribus*, *quæstion.* 10. Matamoros, Petrus Garcia; Ioannes Nauarro, Thomas Veiga, Antonius Abaltomar, Vallesius, Gaspar Brauus, Petrus Michaël de Heredia, & alij, expressaque est sententia, ex Gal. 9. *methodi*, *cap.* 9. & *secundo de differentiis febrium*, *capite vltimo*.

Probatur igitur breuiter talis sentiendi modus, ex eo quod in febre synochali putrida, humores putrescunt in omnibus vasis, nulla datur portio remanens, à qua nouus insultus fiat; sed sic est, quod ad hoc, vt detur repetitio accessionis, requiritur noua portio humoris denuò adueniens ad putredinem concipiendam in aliqua parte particulari: ergo cum in febre synochali ista non reperiatur, cum in omnibus venis maioribus sit materia putrescens, solùm talis febris vnica elaudetur accessiooe: ac proinde sine circuitibus constituetur.

Ratio verò propter quam in febre synocha, aliquando calor similis, intensiuè permaneat, vsque ad illius resolutionem, aliquando increscat, siue intendatur, quandoque diminuatur, siue remittatur, est apud aliquos heterogeneitas, vel homogeneitas materiæ: si enim materia ex qua febris synocha producitur, sit homogenea, ac secundum omnes partes similares, videlicèt in crassitie, vel tenuitate, ac aliis accidentibus, illo in casu fiet febris æquè perseuerans, eundemque tenorem seruabit. Si verò heterogenea, & dissimilaris extiterit, febris decrescens, vel accrescens fiet, prout materia est maioris, vel minoris caloris receptiua, dum in progressu accenditur.

Certiorem tamen adducit Gal. *causam* 9. *methodi*, *cap.* 5. asserens; *si enim id quod transpirat, par fuerit ei, quod accenditur, semper æqualis calor permanebit:* ergo æqualitas materiæ, ita conducit, veloti æqoalitas victoriæ naturæ, ad tantam humoris portionem expellendam, quanta sit ea quæ putrescit: sicque esse accrescentem, vel decrescentem, potius sometur ex maiori, aut minori portione materiæ, quæ victa, & cocta à natura debitè transpirat, ac resoluitur: non tamen erit negandum, quod aliquando, quia materia est homogenea, & tandiu euacuatur, quandiu soccenditur, sit æqualis in calore, ac homotona dicatur, veluti accrescens, quando maior sanguinis portio succenditur, quàm quæ resoluitur; decrescens verò, è contra cum minor illius copia putrescit, quam quæ euacuatur.



QVÆSTIO XV.

De natura, differentiis, causis, & signis hemitritæi, seu febris semitertianæ.



NATVRAM, & essentiam hemitritæi, seu semitertianę adduxit Galenus 2. *de differentiis febrium, cap. 7. & 8.* vbi inquit, quod huiusmodi febris, constituitur per complicationem tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ; nam licet diuersæ possint fieri complicationes, vt dum complicatur tertiana continua, cùm quotidiana continua, aut intermittens, cum intermittente, vel contrario modo; exquisita tamen semitertiana, per complicationem solùm tertianæ inter mittentis, quotidianæ continuæ, apud Gal. desumitur *loco de febribus assignato.*

Tres igitur differentias, siue species hemitritæi à Gal. proponuntur, quarum prima est hemitæus exquisitus; aliæ verò duæ non sunt hemitritæi exquisiti: prima enim potiùs adest, tempore quo febris quotidiana, & tertiana coniunguntur simul inuadentes, cum bilis, & pituita æquali virtute, ac vehementia occurrunt, ita vt talem formam ostendant, qualem Hippocrat. *primo epid. part. 1. sentent.* 23. depinxit hac ratione: *Erant verò eorum plerisque passiones huiusmodi, febres horridæ, continuæ acutæ, omninò intermittentes; modus verò erat hemitritæus, cum alteram diem leuiorem ferrent, altera verò inualescerent, ac summatim in acutiorem augerentur.* Quibus verbis, satis exposuit naturam febris hemitritæi exquisiti: dicitur, quidem hæc febris horrifica, non ex eo, quòd horrore inuadant accessiones, sed quia maiorem accessionis partem repetentem, cùm horrore, & adhuc ferè totam morbi constitutionem obtineat; nam cùm hæc febris ex bile permixta cum pituita fiat, veluti quædam pugna, ac contra operantia inter eos humores excitatur; bilis etenim extra vasa missa, vi ipsius acredinis, rigorem solet efficere; pituita verò refrigerationem: ex quo accidit, vt inter hanc dimicationem, non rigor, sed potiùs horror efficiatur, qui mediam inter rigorem, & refrigerationem naturam continet; progrediente etenim bile ad augmentum accessionis tertianæ, interim pituita sua frigiditate bilem, veluti eunicens, illiusque motum ad extra impediens, febris exitum detruncans, cum iterum ad principium reuocat; sicque ex hoc duplici motu contrario, horror producitur; vt contingit autumnali tempore, quo ita morbi contingunt, propter temporis inæqualitatem, inconstantis indicij, vt Hippoc. ait 3 *aphor.*

Licèt tamen verum sit, quòd pituita efficiens quotidianam continuam, non mittatur, quia continua, extra vasa, ideóque non soleat refrigerationem efficere, sed solùm cutis densitatem, & aliquem insultum; hoc non obstante, quia pituita cum bile permiscetur, & tempore accessionis conatur natura bilem, efficientem tertianam, extra vasa pellere; proinde accidit vt pituita, aliquantulum refrigerationem inferat; ac mixta dispositio ex contrarietate insurgat, in die correspondente motui tertianæ intermittentis.

Aliæ verò duæ species hemitritæi non exquisiti sunt, in quarum altera, bilis pituitam superat; sicque maiora symptomata febris tertianæ, quam quotidianæ apparent; in alia verò, pituita bilem deuincit, eodemque modo maiora symptomata pituitosæ, quam biliosæ febris elucescunt: si denique, vt supra dixi, cum Galen. æquis portionibus misceantur, vt in hemitritæo exquisito, symptomata maximè inæqualia, & & confusa apparent, propter celerrimum bilis, & tardum pituitæ motum, vt conante natura ratione bilis celeriter causam expellere, illius motus, ratione pituitæ eodem tempore permixtæ, retardatur, lenteque exercetur, qua de causa plurimi horrores, vsque ad vigorem inuadunt.

Petrus tamen Michaël de Heredia, Galen. expositioni obiiciens, inquit *quæst. 20. de hemitritæo, fol. 55.* quod rigor tertianæ, non potest moderari per coniunctionem quotidianæ continuæ. Et probatur: nam rigor fit à bile extra vasa missa, per partesque sentientes delata, atqui in febre quotidiana continua, pituita non mittitur extra vasa, neque per dictas partes mouetur, sed potiùs semper intra vasa: ergo motus bilis, non impeditur à pituita quotidianæ: ergo neque rigor moderabitur, siue remittetur à tali humore pituitoso, cum huiusmodi humores maximè à foco putredinis distent.

Hoc tamen contra Herediam, facilè dissoluitur ex supradictis; nam etsi pituita, & bilis distent loco putredinis, pituitaque non mittatur sincera extra vasa, quia est febris continua; hoc non obstante, cum pituita, etsi loco distincta, postea vi motus accessionis, misceiam cum bile acquirat, nihil mirum, quod vapores ex duplici humore contrario à natura missi in habitum, tempore accessionis; contrarium motum efficiant, ita vt bilis fortiter extra vasa missa, pituitaque etsi non ita celeritet, sed lento motu, circumferentiæ simul communicetur; quare dabitur hic duplex motus contrarius, & inæqualis, vt non rigores, sed horrores contingant.

Vlterius etiam instabis contra prædictam complicationem tertianæ intermittentis cum quotidiana continua, ad hemitritæū constituendum. Constat enim contrarium, ex Hippocrat. 1. *epidemior. sect. 1. textu* 23. vbi hæc profert: *Infestabant illos plerosque hæc incommoda; febres horrificæ, continuæ, acutæ, omnino non intermittentes; modus erat semitertianus, vno die leniores, altero grauius iterum inuadētes, in summa in dies acutiores euadunt.* Ex prædicta Hippoc. doctrina, implicat hemitritæus, ex sola complicatione tertianæ intermittentis cum quotidiana continua, nulla enim harum febrium est acuta; nam morbus acutus est, qui celeriter mouetur cum vehementia symptomatum, fine cum periculo, atqui tertiana intermittēs, quamvis moueatur celeriter, est fine periculo, & quotidiana continua, non mouetur celeriter, neque est periculosa, & licet

periculo

non careat, quia continua, caret tamen motus celeritate: ergo complicatio illarum, non poterit acutiem inferre, nulla ſit acuta; imò ipſarum mixtio, accidentia vtriuſque moderabitur: ergo à primo ad vltimum conſtat, quod ex dicta complicatione, neque hemitritæus exquiſitus, nec febres horrificæ acutæ, nec alia apud Hippocrat. aſſignata ſuſcitantur, ac proinde alia erit cauſa, præter dictam à Galen. aſſignanda.

Hæc tamen Petri Michaëlis argutiés non vrget: nam etſi veriſſima ſit Hippocrat. doctrina adducta, non tamen ex ea ſequitur, quod in hemitritæo, non ſufficit allata complicatio, vt accidentia tradita contingant; nam non valet ratio, aqua feruens, non tepefacit, aqua frigida, non tepefacit: ergo neque aqua feruens coniuncta cum frigida, non valet conſequentia: febris intermittens tertiana non eſt periculoſa: ergo coniuncta, cum quotidiana non inducet periculum, non valet, etſi quotidiana non ſit ſine periculo; tarda verò, & ſine motu celeri: ergo coniuncta cum tertiana intermittente, non inducet celeritatem, ac acutiem motus; nam etſi verum ſit quod ſimplex, dicta grauiſſima non poſſit accidentia inducere; coniuncta tamen, diuerſam, & compoſitam acquirit diſpoſitionem; ita inter ſe contrariam, & oppugnantem, vt natura, motus inæqualitatem, propter materiæ heterogeneitatem ferre non valeat; varietas enim accidentium, vt horrificæ acceſſiones, non à bile ſola, nonque à ſincera pituita; bene tamen ab his permixtis ſuſcitabitur; ita vt Hippocr. omnes deiectiones variegatas, vt malas iudicaſſet: *Quanto enim colores parui plures fuerint, eo deteriores*: Tum & etiã aphor. 5. ſent. 40. *Quibus modo calor, modo frigus vrget, & color ex colore ſequitur iudicium difficile*; quia propter materiæ diuerſitatem, modò corpus incaleſcit modo frigeſcit; modo color pallidus, iam albicans, iam liuidus apparet: & ad huius confirmationem. Gal. *in commentario praditta ſententia*, rationem præbet; quia omnia varia, tum in deiectionibus, tum in vrinis, tum in alimentis periculoſa, quia cauſas, ita inter ſe diſſimiles, & contrarias difficillime valet natura euincere, ac detruncare; ſimpliciores verò, & homogeneas facile, cum facilius fiat tranſitus ad ſymbola, quam ad diſſymbola: ergo ex his ſatis infertur, quod ex complicatione febris tertianæ intermittentis, cum quotidiana continua, febris ſemitertiana, hemitritæus dictus, conſtituitur, ac prædicta accidentia, apud Hippocr. adducta poſſunt contingere.

Petrus Michaël, tamen, de Heredia, eandem inſequens aſſertionem, ait, quod ad hoc, vt in ſemitertiana morbi acuti, & grauiſſimi fiant, aliquid adiunctum magni periculi eſt perpendendum; rarum enim erit, alium morbum cum ea non dari, à quo maius vitæ periculum immineat: ob quam rationem perſentit, quod ſemitertiana, nunquam à bile naturali putrida excitatur, ſed à præternaturali vehementer deuſta, cum canceroſa, & putredinoſa diſpoſitione partis, quæ ſit focus putredinis; ſedemque illius, eſſe primam regionem, quæ valde vitiata excrementa, generet cruda, febrem quotidianam continuam creantia, ita vt propter atrabiliarium vitium, febris horrifica reddatur, cum partium affectione. Roboratur ex doctrina Galen. *lib. de typis, cap. 6.* dicentis: *Periculoſa porre eſt ſemitertiana, vt quæ non oris ventriculo tantummodo, ac neruoſas partes, & ſummatim media attingat; ſed, & veternoſas cataphoras, vigiliaſque cum delirio, ac syncopoſas diaphoreſes inferat; lingua præterea validè exiccet, atque animi defectionem efficiat vehementer, quæ in profundo ſunt commentens, in vniuerſum ferox, periculoſiſſimuſque hic typus eſt*: Hæc quidem accidentia ſuccis aduſtis, primam regionem afficientibus, propriſſime tribuenda ſunt; ac in prædicta regione, vehementes, & firmiſſimæ adſunt obſtructiones, ac tumores inflammatorij; multotieſque apud anatomicos eſt compertum, tum corruptionem eiuſdem regionis abſceſſuſque intensè putridos graſſari, à quibus multa, ſæua, & grauiſſima ſymptomata in hemitritæo, ſeu ſemitertiana ſuſcitantur: ergo quia præter dictam complicationem febrium, quæ à Galeno adducuntur, primæ aliæ affectiones adduntur.

Laudanda venit Petri Michaëlis animaduerſio; ex ea tamen, non claudicat Galeni doctrina: nam etſi verum ſit, quod propter dictas, ita ſæuas affectiones, quæ ſolent hemitritæum concomitari; tot tantaque horrenda contingant accidentia: merito tamen hoc accidit, ob tam prauam cauſarum diſpoſitionem in partibus principalioribus exiſtentem, quæ etſi non ita adſit, ex cauſis à Galeno adductis, merito tamen bile toto genere præter naturam concurrente, vt porracea, aut vitellina cum pituita permixta; merito, & ſufficienter hemitritæus horrificus, acutus, & maximo cum periculo, valebit inuadere.

Signa demum, quæ huiuſmodi febrem patefaciunt, inter omnia ſunt, vt dixi, horrores multoties, & inordinatè per acceſſionem, & morbi conſtitutionem repetentes, qui non ſolùm, vt ſigna ſunt mali; ſed etiam vt cauſæ; nam aſſiduo motu, & commotione, vires maximè frangunt, ac debilitant, cutis contractione, tranſpirationem impediunt; excrementorum, ac alimentorum coctionem retardant; naturalem ſomnum auferunt, & aliquando cum horroribus, ſolent ægri ſomno corripi, ac ſoporoſi fiunt; oris ventriculi acredinem, vt cardialgia oſtendit, ſolent perpeti, & alia ſimilia, accidentia ſuperiùs adaperta.

Inſurget tamen, aliquis vlterius, contra noſtram aſſertionem, & Galeni expoſitionem; nam vt fiat febris quotidiana requiruntur omnia quæ conducunt ad pituitæ generationem; & ad tertianam febrem intermittentem inducendam, requiruntur, eadem omnino contraria; atqui hæc non poſſunt eodem tempore adeſſe: ergo nullatenus valebit, idem æger eodem tempore, vt autumno, his febribus complicatis laborare, continua videlicet, quotidiana, & tertiana intermittente: ergo falſum eſt dicere febrem hemitritæum, ad apertam; ortum ducere, ex tali febrium complicatione.

Reſpondeo tamen huic inſtantiæ; quod quando omnes cauſæ pituitam producentes concurrunt, ad productionem illius, & ſolæ, non valent niſi febrem pituitoſam excitare, & è contra tertianam

tertianam febrem, quando omnes causæ, & solæ, biliosum humorem generant: At verò, cum sit febris pituitosa continua, cum tertiana intermittente complicata, illo in casu plures causæ, diuersos, ac heterogeneos humores generantes, præter naturam coniunguntur; ex quibus humoribus permixtis, in eodemque putredinis foco existentibus, ac putrescentibus, febris tertiana notha, siue spuria potius inducitur: si autem diuersa loca, & separata præter naturam afficiant, febris duplex composita ex diuerso humore videlicet pituitoso, & bilioso, diuersa loca occupantibus, constituetur: neque implicat, quòd eodem tempore, prædicti humores præter naturam generentur; cum non implicet propter alimentorum diuersitatem, siue heterogeneitatem, prauamque ventriculi, & hepatis dispositionem, in eodem subiecto, tam diuersos produci effectus, propter materiæ, ex qua fiunt, distinctionem in ordine ad diuersas, quas in se continet partes.

Insurges deinde, ex eo quòd febris continua copulata sit intermittenti, nunquam febris intermittit: ergo quia non datur complicatio intermittentis cum continua; cum illa, neque intermittat, neque vlla reperiantur signa, quibus æger infebricitet.

Soluitur tamen facile arguties, si respondeant negando antecedens; etsi maluetis distinguo, nunquam intermittit febris, quantum est ex se, nego; ratione alterius febris continuæ, complicatæ concedo. Febris enim intermittens quantum est ex se, non prohibet vt æger non deueniat ad infebricitationem; bene verò alia febris continua complicata cum ea, quæ quia continuo affligit accidentia, siue signa infebricitationis febris intermittentis obscurat.

Conabitur tandem quis veritatem, ac doctrinam Galenicam obnubilare hac ratione: nam febris diaria, & putrida non possunt complicari: ergo neque vna putrida intermittens, cum alia continua. Antecedens probatur: febris diaria, & putrida non possunt esse simul: ergo febris diaria, & putrida non possunt complicari. Antecedens similiter probatur: non possunt repugnare signa, quæ sunt effectus; quin repugnent illorum causæ, quæ sunt febres; atqui repugnant esse simul signa febris diariæ, & putridæ: ergo febres istæ, quæ sunt causæ, etiam simul repugnabunt: ergo non erunt complicatæ; sed sic est, quòd etiam repugnant signa febris intermittentis, & continuæ, cum sint inter se contraria: ergo pariter repugnabunt illorum causæ, vt febris intermittens, & continua putrida: ergo complicatio dicta nequaquam potest reperiri.

Quod autem signa diariæ, & putridæ, maximè inter se repugnent, patet; quia signum inseparabile febris putridæ est, vt in principio appareat vrina, sine vlla coctione; sed in febribus diariis, vrina est cum coctione: ergo, cum coctio positiua, & priuatio illius, (veluti etiam coctio, & cruditas) opponantur, saltim materialiter; huiusmodi signa non valebunt esse simul: ergo neque causæ illorum, quæ sunt febres, ac per consequens, cum etiam contrarietur continuitas, & intermissio febris; cum ista formaliter abneget febrem; illa verò firmet, merito etiam repugnabunt esse simul, febris putrida continua, & intermittens: ergo complicatio allata apud Galen. ad hemitritæum febrem constituendam, nullum obtinebit locum.

Euanescit iam posita obnubilatio, ex responsione, concedendo antecedens, & negando consequentiam, cuius est ratio: quia quando ita inter se opponuntur signa, vt cruditas, & coctio, opponuntur priuatiuè formaliter; sicque sunt incompossibilia huiusmodi signa, tamen non tollunt posse esse simul febres, cum istæ nolam inter se oppositionem arguant; vnde in illo casu, solum apparebit signum efficacius, ab efficaciori causa procedens, videlicet à febre putrida vt cruditas, & signa demonstratiua, febris diariæ non apparebunt. Quapropter, cum etiam signa febris continuæ putridæ sint efficaciora, magisque præualeant, ideò licet detur illarum complicatio, elucescent magis signa febris continuæ, quam intermittentis; sicque nulla dabitur repugnatia prædictæ complicationis, ad febrem hemitritæum constituendam. Et hæc de selectioribus difficultatibus, quæ ad naturam, differentias, & signa febrium possint offerri.

LIBER



LIBER VNICVS,

DE CVRANDI RATIONE PER SANGVINIS MISSIONEM.



PERCELEBREM disputationẽ de sanguinis missione, remedium ita vtile pro vehementioribus affectionibus euellendis, vt nullus fere morbus materialis, qui eum non proclamet qui illius occurrentiæ non cedat, qui illius viribus, ac operandi celeritati non obediat, explanaturus aggrediar, ita vt priùs, quid sanguinis missio. Quæ differentiæ, & modi, à quibus specificè indicetur, coindicetur, & correpugnet, adaperiam, omnesque selectiores difficultates, quæ possint offerri proponam, & dissoluam.



CAPVT I.

Quid euacuatio, quotque sint humorum vitia.



ANTEQVAM quod superiùs obtuli adimpleam, cùm sanguinis missio, sit euacuatio, priùs sciendum venit, quid euacuatio; & quæ sint, quæ specificeam hanc euacuationem expostulent: est quidem euacuatio in communi, eorum, quæ præter naturam in corpore continentur, expulsio; continentur quidem spiritus, humores, & excrementa, quæ nimirum sunt fex alui, vrina, & alia, quæ à cerebro, & pulmone eiiciuntur: humores alij sunt supernacui, qui à sanguine separati, naturæ vi, corpori alendo sunt inutiles; vt pituita, quæ in ventriculo, & circum intestina reperitur, bilis flaua in vesica, & succus melancholicus in liene: succi verò sunt alij, qui propriè corporis substantiam nutrire valent, veluti sanguis ex quatuor humoribus constitutus, qui etiã aliquando secundum naturam, quandoque præter naturam adsunt; secundum naturam quidam eum consentaneam, tum qualitatem, tum quantitatem obtinent, conueniuntque naturæ legibus.

Humores etenim alij, præter naturam adsunt; quando, vel qualitatis, vel debitæ quantitatis, modum non seruant; quare eum aliquis horum, manifestè à iusto modo recedit, si huius causa emendari aliter non potest, statim est auferenda, atque expellenda, quæ quidem expulsio, euacuatio nuncupatur. Prætetea euacuationis differentiæ, tum ex contentorum vitio, tum etiam ex situ, sunt constituendæ: vitia contentorum, vel sunt plethora, vel cacochymia; plethora etenim, siue plenitudo, in duplici est genere; alia nimirum ad vasa, alia ad vires, quæ ad vasa refertur, est quando, vel solus sanguis quantitate peccat, aliis humoribus, in qualitatis mediocritate, & proportione existentibus; vel quando simul cum sanguine, omnes in quantitate adaugentur: quæ vtraque plenitudo simpliciter ad vasa dicitur.

Plenitudo igitur simpliciter dicta, grauia, & vehementissima pericula solet inferre; siue æqualis omnium succorum redundantium, siue sanguinis sincerioris summa affluentia sit, vniuersa enim corporis moles intumescit; venæ supramodum plenæ, tensionis sensum patiuntur; omniaque membra, præcipuè concurrente exercitio confringuntur, ita vt caloris obrutio, venarum ruptio, & interitus subito, valeat contingere, vt Galen. *in comm.* 3. *t.aphor.* dum, ait Hippoc. *habitus athletarum, &c.* Alia preterea plenitudo

plenitudo, quæ ad vires refertur, est in qua licet vasa non tumescant, nec distendantur, tamen plus sanguinis, & alimenti, quàm possit à natura gubernari, continent.

Cacochymia verò, vitiosa est humoris qualitas, qua succus à iusta mediocritate recedit, sub hac, humorum pernicies, & corruptela corporis functionibus nocet; est autem illa, bifariam, vna minor, quando vel humores superuacui immodicè cumulati sunt, vel in sanguine, iniusta, & præternaturali proportione, atque concordia existunt alia quidem est deterior, quando vel huiusmodi humores à naturali, & debita sua temperie in vitium sunt prolapsi; quod propriè, vel substantiæ, vel temperamenti corruptio appellatur. Præterea vtrumque vitium vel est cum putredine, vel citra illam; latius verò cacochymia solet dici, si comprehendat excrementorum vitia; plethora quidem præcipuè in venis, & corporis habitu considet; at verò cacochymia, de qua, dum agamus *libro de purgatione*, sermo, instituetur, in omne corpus valet dispergi.



CAPVT II.

Euacuationum genera, & differentiæ adaperiuntur.



VÆ euacuationis differentiæ, in præsenti offeruntur; alia nimirum vniuersalis, alia verò particularis; vniuersalis quidem est, quæ communiter ab vniuerso corpore materiam subtrahit; videlicet sudor, transpiratio, sanguinis missio, vomitus, & alui subductio; licèt autem vnaquæque istarum validè regionem inaniat, reliquæ tamen consecutione quadam, licet parciùs, etiam euacuant; vomitio quidem priùs ventriculum, deinde primas venas, tandem maiores, & minores, ac habitum corporis inanit; sanguinis verò missio, primò venas, & arterias; secundò corporis molem, & ipsa viscera, vsque ad propria vasa progrediens exhaurit.

Euacuatio verò particularis, est illa, quæ aliquam partem, excrementorum onere oppressam, leuat, cuius generis est, cerebri per palatum, & nares expurgatio, & aliæ similes. Vnumquodque genus euacuationis, vel sponte, vel arte fit; sponte quidem quando citra vllam medicationem, aliquid ex corpore effunditur, quod interdum fit natura duce, & superante, quæ dum integre est valida, quidquid vitiosè se habet, extra corpus excludit, quæ naturalis, & opportuna euacuatio appellatur, vt Hipp. aphoris. 2. primi lib. *in perturbationibus ventris, & vomitibus, spontè factis, &c.* interdum verò euacuatio, præter naturam accidit, quando languidior facultas corporis humores regere, atque effrenare non valet, illosque prorsus diffluere relinquit; vel quamuis robustior sit, interdum tamen humoris copia, vel acredine adeo irritatur, vt humorem ex propriis receptaculis, impetu suo foras exilire sinat; quæ duplex euacuatio est symptomatica, & præter naturam, de qua libro de purgandi ratione agam.

Artificiosa tandem euacuatio, est illa, quæ subsidiorum ope, fieri suscitatur, hęc præterea dupliciter est perpendenda; vna legitima repetitur, quæ exterminat, quod vel qualitate, vel quantitate peccat: alia verò huic contrariatur extraordinaria, quæ vtile, & quod vitiosum non est egreditur extra corpus, quod medentium culpa, siue crassa ignorantia solet contingere: natura quidem non externa ope, sed suis viribus, & facultate expultrice euacuationem complet, Medicus verò variis subsidiorum generibus ei opitulatur; sanguinis enim profundendi gratia venam aperit scalpello, aut medicamentis venarum ora reserantibus, purgationem molitur pharmacis quæ humores noxios extra corpus eliciunt, quos vel vomitione, vel deiectione pellit; per transpirationem verò, & sudorem exercitio, frictione, & balneis: de quibus postea latiùs, nunc verò de venæ sectione est agendum.



CAPVT III.

Quid sit Sanguinis missio, & vndè vena sectio euacuet.



DAPERTIS euacuationum generibus, & differentiis, iam ad particularem, & specificam euacuationem venit agẽdum: videlicet ad sanguinis missionem, quoad definitionem notionalẽ, & essentialem; incisa igitur vena, continendi facultas nequit obliquis fibris, tam arctè sanguinem cohibere, quin aperta via desluat sanguis, qui emanat, non veluti per purgationem, seorsim iste, vel ille humor, sed vniuersus sanguis, massa duntaxat sanguinaria; & licèt sit sanguis moderatus, siue paucus suo tamen motu, atque impetu prorrumpit, aliquantulũ natura prouidente; neque enim serum, priùs quã bilis, neque ista antequam pitoita, vel melãcholia, nec humor deprauatus, priùs quàm bonus, & familiaris elabitur; ita Gal. *lib. 4. aphorismor. comment. 2.* inquit: *Vena sectio, & sanguinis missio quocumque, & quouis modo facta æqualiter totum corpus euacuant.* Patet similiter hoc, experientia quotidiana; dum enim effluit sanguis, simplex apparet; amisso verò proprio calore, mox totus concrescit, illiusque partes singulæ, in suam regionem vergunt; serum etenim veluti vrinæ simile supra innatat; melancholia subsidet; sanguis robentior, & pallidior superiùs; pituita verò media occupat; constat igitur, quòd vena scissa, omnes in venis humores contenti æqualiter euacuantur, ex quibus manifestè colligitur definitio notionalis sanguinis missionis, quæ nihil est aliud, quàm euacuatio

euacuatio omnium humorum æqualiter redundantium.

Perpendere similiter oportet, ex quibus locis euacuatio, media sanguinis missione fiat, cum igitur profluens, & liquidus sit sanguis, qui vicinior loco aperto sit, prius exilit, postea qui proximior, magisque continuatus est; deinceps verò omnis, non solum, è venis, & arteriis, verum etiam ex visceribus, & corporis habitu emanat, vt *supra* dixi.

Circa verò naturam, & essentiam sanguinis missionis, varij varia dicunt; nam cum ista, veluti purgatio, remedium sit magnum, ideò ad naturam morbi magni detruncandam ordinatur; quia tamen morbus magnus, à diuersa specifica causa potest oriri, merito ea est cognoscenda, vt verũ indicans sanguinis missionis elucescat; quare priùs verum sanguinis missionis indicans inquirere oportet, circa quod plurimi asserunt, sanguinis missionem à magnitudine morbi, virium robore, & ætate consistenti, nullo amplius adhibito discrimine indicari: Vt Galen. 4. *de ratione victus in acutis*, *commen.* 16. asserit; sanguinis mittendi scopi tres, in vnam summam redacti, morbi vehementia, æger ætate florens, facultatis robur.

Alij verò, non in omnibus vniuersaliter magnis affectibus, sed in his duntaxat, qui à calidis humoribus concitantur, hoc generosum remedium admittunt, indicarique à tribus illis scopis, non tamen indiscriminatim, sed cum distinctione, quod calidorum humorum vitio, morbus sit magnus; cum tamen duo sint calidi, vt bilis, & sanguis, in horum redundantia, aut etiam vitio, aut mala qualitate venæ sectionem admittunt; alij deinde à sola plenitudine, præsente tamen, non verò absente, indicationem sanguinis missionis, assumpsere; aliqui præterea solum sanguinis vitium, venæ sectionem indicare, indicarunt.

Prima igitur assertio; videlicet, quòd scopi sanguinis missionis sunt tres, morbi magnitudo, virium robur, & ætas florens. Probatur, vt Hippocrat. 4. *de ratione victus in morbis acutis*, *text.* 9. inquit: *In acutis affectibus venam secabis, si morbus vehemens appareat, & infirmus ætate floreat, viribusque abundet.* Tum & etiam Galen. *libro de sanguinis missione*, sic fatetur: *Tria sunt, quæ continent directionem mittendi sanguinem; morbi magnitudo, aut præsens, aut imminens, ætas vigens, & virium robur:* Ergo hæc sunt vera indicantia, siue scopi sanguinis missionis. Probaturque ratione, ex Hippocratis doctrina; nam extremis morbis, extrema remedia sunt adhibenda, veluti paruis, parua; magnis, magna; sed magna remedia nisi virium robur subsistat, vt sanguinis missio, non possunt fieri: ergo requiritur morbi magnitudo essentialiter, & virium robur.

Præterea, de ætate consistenti probatur: nam licet detur morbus magnus, & virium robur, tamen in ætate pnerili, non fit sanguinis missio, quia propter substantiæ mollitiem, assiduum, & immodicum natura profluuium paritur: ergo ad sanguinem mittendum, etiam requiritur ætas consistens, siue florens, vt Galenus *lib.* 4. *de ratione victus*, *comment.* 19. ait: *Sanguinis detractionem, neque puer, neque senex sustinent*; roboratur etiam ex eodem commentario: *Sanguinis detractione non egent, qui insitam, naturalemque euacuationem habent*: Ergo ætas puerilis non sustinet sanguinis missionem: ergo requiritur ætas florens. Roboratur vlteriùs, ex eodem Galen. 8. *methodi*, *cap.* 4. asserente: *Pueris, & senibus sanguinem detrahere, non licet.* Tum & *lib.* 11. *methodi*, *cap.* 14. *Si vires eius, qui ex putredine humorum febricitat, valentes fuerint, statim sanguis est mittendus; nisi cruditas ventris adsit, aut ætas dissuadeat.* Ideoque inferius loquens, inquit Galenus: *Sanguis mitti non debet puero, qui decimum quartum annum hactenus non attigerit*: Ergo ex his omnibus locis latis patet, quod veri, solique scopi sanguinis missionis, sunt morbus magnus, virium robur, & ætas florens; sicque adducunt definitionem essentialem sanguinis missionis, videlicet, quod est euacuatio sanguinis, indicata à morbo magno, cùm virium robore, & ætate florenti.

Hæc tamen sententia, etsi maximè fulcita appareat, præcipue antiquorum placitis, sustinenda non est, & probatur; proprium indicans, & specificum sanguinis missionis, non potest indicare aliud remedium specie diuersum; sed sic est, quòd morbi magnitudo, virium robur, & ætas florens, indicant etiam purgationem: ergo quia non sunt specificum indicans sanguinis missionis. Maior propositio est certa: nam vnum, vt vnum sub eadem formalitate, semper indicat vnum: ergo indicans specificum sanguinis missionis, non poterit indicare aliud remedium specie diuersum; Minor verò probatur, ex Gal. 4. *methodi*, vbi ex Hippoc. doctrina docet, quod missio sanguinis, & purgatio indifferenter à virium robore, magnitudine morbi, & ætate florente indicantur: ergo æqualiter concurrunt hæc tria ad sanguinis missionem, & purgationem: ergo aliud specificum indicans reperitur diuersum, ad sanguinis missionem, quàm ad purgationem.

Impugnatur vlterius prædicta assertio: vires solum indicant sui conseruationem: ergo nunquam sanguinis missionem. Antecedens ex Galen. constat, *libro de optima secta* ad Trasibulum: *Sed ex his nullum remedium à facultate indicari cognoscas; nam si constans virtus, remedium indicat, etiam in sanis remedium indicaret*: Ergo ex Galen. virium robur, nequaquam indicat sanguinis missionem, vt doctissime Trincauellius, Oratius, Augenius, Santorius, Gaspar Bravo, & alij persentiunt.

Quibus sic iactis, facilè soluuntur testimonia Hippocrat. & Gal *superiùs* dicta; dicendo, quod talis doctrina solum insinuat, quod morbus magnus est genericum indicans, non verò specificum ad sanguinem mittendum, & quod vt debitè exerceatur, virtus valida, quæ in ætate florente solet reperiri, requiritur; non tamen ex hoc sequitur, quod indicans genericum, non debeat vlterius habere proprium constitutiuum, medio quo specificet potiùs sanguinis missionem, quam purgationem, quæ inter se in esse remedij magni genericè conueniunt; idémque indicans genericum ad vtramque euacuationem est morbus magnus, & licet verum sit, quod virium robur ad talem euacuationem requiratur; ex hoc

tamen non ſequitur, quòd in ætate puerili, aliquando non detur valida virtus, ad tale remedium ſuſtinendum; & quamvis Galen. aſſerat *loco aſſignato*, puerum, niſi decimum quartum annum attingat, ſanguinis miſſionem non ſuſtinere. Reſpondeo Galenum intelligendum eſſe de euacuatione, audacter facta, & immodica, non verò de moderata: nam etſi limitet euacuationem talis ætas, propter aſſiduum efflumium; non tamen eam obnegat.

Secunda verò ſententia, in qua plurimi ſanguinis miſſionem decernunt in morbis magnis, qui præcipuè ab humoribus calidis pendeant, vt à ſanguine, & bile, maximè excludenda eſt. Primo, ex Galen. *de ratione curandi per ſanguinis miſſionem* aſſerente, quòd in omnibus febribus putridis, in quibus neceſſaria eſt ſanguinis miſſio, non eſt opus, adhibere diſcrimen, an febres putridæ à calidis, vel à frigidis humoribus fiant; ſed indiſcriminatim, inquit Galen. *lib.* 11. *metho. cap.* 15. *Saluberrimum autem, vt prædiximus, eſt in febribus venam inſcindere, non continuis modo, verum etiam aliis omnibus, quas putreſcens humor concitat, vbi præſertim, neque ætas, nec vires prohibeant.*

Impugnatur vlterius prædicta ſententia Galen. etiam, *libro de ratione curandi*, maniſeſte inquit: *Vbi ergo multa euacuatione eſt opus, verum vires ſunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit, vti nimirum, & me feciſſe, vidiſtis in his, in quibus, inerat crudorum humorum copia; nam pauculo ſanguine detracto, protinus melioratum exhibeo probe coctum*; & Paulo *infra*, inquit Galen. *& ſic rurſus ſanguinem diminuo, vel ipſo eodem nonnunquam die; interdum die poſtero: in quo rurſus exhibeto propoſitorum medicaminum copiam, iterum de ſanguine quid auſero, ac rurſus, tertio die ſimiliter bis.* Impugnatur etiam ex eodem Galen. docente, rationem curandi febrem ephemeram, à craſſis humoribus obſtructionem inducentibus, ortam: ſic ait 8. metho. cap. 4. *Secare venam in obſtructionibus curandis, ante omnia oportet, modo vires robuſta ſint; etiam ſi plenitudinis ſigna non abſint*: ergo in omnibus morbis magnis; ab humoribus calidis, ſiue frigidis pendentibus, virtute, & ætate annuentibus, ſanguinis miſſio erit ſaluberrima.

Tertia deindè ſententia, nimirum, quòd indicans ſanguinis miſſionis, ſolùm eſt ſanguinis plenitudo; etſi ſecundum aliquam partem, videlicet, quòd plenitudo eſt partiale indicans ſanguinis miſſionis, ſit vera; ſecundum aliam, ſcilicet, quòd ſit ſola plenitudo, valde à veritate aberrat, & probatur primo: nam ſi plenitudo per ſe ſola ſanguinis miſſionem indicaret, quotieſcumque daretur plenitudo, ſemper ſanguis deberet mitti, ac deficiente plenitudine, nunquam ſanguis mitteretur; ſed ſic eſt, quòd licet exiſtat plenitudo, non ſemper ſanguis eſt mittendus; neque ſi ipſa deficiat, ſanguinis miſſio eſt renuenda: ergo ſola plenitudo non indicat ſanguinis miſſionem. Maior probatur quoad primam partem, ex Hipp. 4. *de ratione victus*, vbi docet, quod licet detur plenitudo, non ſemper eſt ſanguis mittendus, ſed aliquando curanda erit inedia, frictionibus, & balneis.

Secunda verò pars maioris, videlicet, quòd nulla exiſtente plenitudine, debeat mitti ſanguis probatur ex Galen. *libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem*, aſſerente: *Perperamque Menodotus empiricus ſola plethorica appellata ſyndrome, ſanguinis miſſionem obſeruare conſueuerat; nos autem, & non ea exiſtente, venam ſecamus; cum dolor vehemens hominem prehenderit, vel pars aliqua fracta fuerit, vel os, ex loco pulſum, vel alius quiſpiam artus confractus ſit, &c.* Ergo ex dictis conſtat, quod multoties exiſtente plenitudine, non eſt mittendus ſanguis, & illa deficiente, aliquando eſt mittendus: ergo quia plenitudo ſola per ſe, non eſt indicans ſanguinis miſſionis.

Obiicies tamen; contraria contrarijs poſtulant curari atqui ſanguinis miſſio, & illius plenitudo ſunt contraria: ergo plenitudo ſanguinia curatur media ſanguinis miſſione: ergo ſanguinis miſſio indicatur à plenitudine: cui reſpondeo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, plenitudo ſanguinis, & miſſio ſanguinis ſunt contraria; ſi plenitudo ſanguinis ſit cum morbo magno, concedo; nam non quælibet plenitudo contrariatur miſſioni ſanguinis; ſed aliquando, vt dixi inediæ, & balneis; ſicque aſſero, morbum magnum pendentem à ſanguinis plenitudine, rectè indicare ſanguinis miſſionem; non verò ſolam plenitudinem.

Nec valet, ſi aſſeras cum Hipp. quod morbi, qui à repletione fiunt, euacuatione curantur: ergo euacuatio ſanguinis erit indicata, à repletione ſanguinis; quod facilè ſoluitur, dicendo Hipp. alloqui genericè, nimirum repletionem curari euacuatione; non tamen quælibet repletio ſoluitur qualibet euacuatione; ſed repletio, duntaxat, vel plenitudo magna, ſanguinis euacuatione, quæ etiam ſit magna, vt ſanguinis miſſione; non autem euacuatione parua, vt exercitio, vel frictione: vndè cum non poſſit dari plenitudo ſanguinis magna, ſine morbo magno, actuali, vel imminenti; ideò ſemper ſanguinis miſſio, tanquam indicatum ſpecificum, non indicatur à ſola ſanguinis plenitudine, citra morbum magnum, præſentem, aut imminentem.

Alia præterea ſententia, valdè ab aliis dictis diſſidens, aſſerebat, ſolum à ſanguinis vitio indicari venæ ſectionem; nam cum nos aliquando citra plenitudinem, hoc exerceamus auxilium, vt confluentem à naribus, à mariſcis, aut alia quapiam parte ſanguinem compeſcamus; ſine dubio; nunquam mittetur ſanguis, citra aliquod vitium ipſius; nam dum reuellimus, aut deriuamus, etiam ſanguis peccat, quia nimis profluit, vt docebat Auicenna explicans, ſanguinis miſſionem fieri, aut propter multitudinem, aut ſanguinis malitiam, aut propter vtrumque: ergo cum plenitudine, & citra plenitudinem, ſanguis aliquando debet mitti, & hoc ſemper fit propter vitium ſanguinis; ideſt, propter peccatum, quia multus, vel quia confluit; maxima cum ratione verum indicans ſanguinis miſſionis, erit vitium ſanguinis: præſens quidem ſententia; etſi veritati ſit conſona, vlteriori tamen adminiculo indiget, vt latius infra oſtendam.

Alia verò opinio à Valleſio adducta 7 *controuerſiarum*,

uersiarum,cap. 2. quæ asserit, sanguinis missionem mult plicıter euacuare; videlicet reuellendo, deriuando, & attemperando; propterea, non habere vnum indicans, sed plura; sicque non dabitur determinatum sanguinis missionis indicans. Hæc tamen sententia, etsi tanti sit viri, renuenda est; nam ex hoc sequeretur, quod nullum principium determinaret occasionem sanguinis mittendi; sed potius mitteretur sanguinis fortuitò, & sine debita contractione specifica, potius ad hoc remedium, quam ad aliud. Impugnatur etiam, nam indicatio est comprehensio rei iuuantis, cum comprehensione nocentis: ergo res iuuans indicatum duntaxat specificum, debet indicari ab specifico lædente, videlicet morbo: ergo veluti purgatio habet specificum indicans determinatum, etiam sanguinis missio obtinebit: ergo quamvis mittatur aliquandò sangnis ad reuellendum, quandoque ad plenitudinem minuendam; cum semper sanguis vitium contraxerit, potius indicatio sanguinis missionis desumetur à vitio sanguinis morbum magnum inducente.

Alia vlterius offertur assertio, asserens, quod indicans sanguinis missionis,est magnum sanguinis vitium, tripliciter peccantis, videlicet, vel secundum formam, vel secundum quantitatem, vel motum; si secundum formam, indicat eradicans; si secundum quantitatem, indicat minuens: si verò secundum motum, indicat aliud, quod appellatur reuellens. Hæc similiter sententia à veritatis scopo aberrat, præcipue secundum illam partem, in qua dicit, vitium sanguinis, quoad formam, indicare sanguinis missionem. Et probatur primo, nam non potest dari vitium sanguinis quoad formam, remanente eadem forma sanguinis: ergo amissa forma sanguinis, iam erit deperdita forma, & potentia: ergo potius erit, vel bilis ex tenuiori parte sanguinis genita, vel melancholia ex terrestri: ergo illo in casu, potius erit indicans ad purgationem, quàm ad sanguinis missionem.

Sapientissimus Gaspar Brauo, *disput.* 1. *resolut.* 1. *sect.* 5. *fol.* 431. resoluit, quod morbus magnus pendens à vitio sanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, est indicans per se sanguinis missionis. Probatur, morbus magnus pendens ex vitio humorum, indicat remedium magnum: ergo debet habere, per quod determinetur ad sanguinis missionem, potius quam ad purgationem, cum hæc sint remedia magna;sed è morbo magno pendente à cacochymia, indicatur purgatio: ergo à morbo magno pendente ex vitio sanguinis, vel reliquorum humorum, sanguini commistorum, indicatur sanguinis missio.

Roboratur vlterius, nam quamvis dicas,quod solum sanguis potest habere vitium in quanto, ratione cuius,indicet sanguinis missionem.Contra inquit Brauus, nam triplex vitium potest sanguini superuenire, videlicet in quantitate, dum sit plethora, in quali, dum putrescit sanguis, & reliqui humores illi commisti, in motu, dum fluit in partem aliquam: ergo à quolibet istorum indicatur sanguinis missio.

Difficultas tamen, maior non se habet ratione quantitatis, neque motus, sed potius ratione vitij sanguinis in quali; ideoque probat hanc partem, primo ex Gal. *libro methodi, superius citato*, asserente, saluberrimum esse, in omnibus febribus sanguinem mittere: ergo quia ratione vitij in quali, indicatur sanguinis missio: tum & etiam 9. *methodi, cap.* 11. ex Galeno docente, quod sanguis est mittendus, dum sit inutilis; docetque postea, dupliciter fieri sanguinem inutilem: *Fit inutilis, vel quia non seruat exactè qualitatem, vel si nimis crescit multitudine:* Ergo sine plenitudine aliquando, si morbus magnus pendet à vitio sanguinis in quali, indicat sanguinis missionem. Præterea Galenus 8. *methodi, cap.* 4. vt *supra*, in diaria ex obstructione facta, ex vitiosis humoribus, sanguinem mittit, ne ob intemperiem, transeat in putridam, sumpta indicatione, ex solo vitio sanguinis, in quali.

Hæc similiter sententia renuenda est,etsi non adæquatè, saltim secundùm partem diuisionis particularis indicantis, desumpti à vitio sanguinis in quali; & impugnatur manifestè: nam vitium sanguinis in quali, vt ipse Brauo fatetur, est dum sanguis putrescit. Nunc sic, dum sanguis putrescit, præcisè, vt putrescens non indicat sanguinis missionem: ergo vitium in quali, non indicat sanguinis missionem. Antecedens probatur, dum sanguis est putrescens, vel est peccans in qualitate manifesta, quia calidus,vel in qualitate occulta,quia malignus, vel in modo substantiæ, quia tenuis, aut crassus, vel in forma, quia est in facto esse putridus: sed nullo ex his modis vitij sanguinis indicatur sanguinis missio: ergo vitium in quali, cum sanguis putrescit, non indicat sanguinis missionem: maior est certa, minor verò probatur primò, nam si sanguis in qualitate manifesta, est, solum indicat attemperationem per contrariam, si in qualitate occulta, solum alexipharmaca postular, si in modo substantiæ incrassationem, vel attenuationem, si in forma, quando iam est completè putridus, iam non erit forma sanguinis, sed bilis, vel melancholiæ, quæ potius indicabit purgationem: ergo à primo ad vltimum, vitium sanguinis in quali, citra quantitatem, vel motum, non indicabit sanguinis missionem.

Soluendæ iam sunt rationes superiùs allatæ. Respondeo igitur primo ad authoritatem Gal. *ex metho. medendi*, fatendo libenter, quod saluberrimum est remedium, in omnibus febribus sanguinem mittere, ex hoc tamen non sequitur debere fieri propter vitium sanguinis in quali, sed ratione quanti, præcipuè cum asserat Galen. *eodem loco inferius* alloquens; *nam leuata natura à sarcina, qua premitur, reliquum, quod est, concoquit:* ergo potius de grauitate, siue multitudine sanguinis, quam de vitio in quali est intelligendus Galenus.

Alteri authoritati ex 9. *methodi, cap.* 11. respondeo, quod quamuis Gal. dicat sanguinem, non seruare qualitatem, ideoque fieri inutilem, & quoties est inutilis, est euacuandus media sanguinis missione; nam idem Galenus ait,quod fit inutilis, vel quia non seruat exactè qualitatem, vel quia crescit multitudine. Dico, quod etsi fiat inutilis, dum non seruat debitam qualitatem, tunc non mittitur sangnis immediate, &

per se propter tale vitium , sed quia dum est hoc modo inutilis , valet naturam irritare ad fluxionem in aliquam partem , vt inde plurimi alij affectus inducantur,sicque ratione fluxionis, vel motus imminentis, immediatè indicantis tale auxilium , mittetur sanguis : nam quamvis actu non moueatur , nec fluat ; reuulsio tamen non solùm fit propter sanguinem fluentem , sed etiam propter fluxurum ; ac proindè in illo casu, existente morbo magno pēdente à sanguinis vitio in quali indicabitur sanguinis missio,mediatè ab illo vitio in quali, immediate verò à motu ; qui sequitur propter tale vitium , irritans partes ad motum, & fluxionem.

Aliud testimonium ex Galeno 8. *methodi,cap.* 4. soluitur dicendo , quandò minimus sanguinem in diaria ex obstructione , ne transeat in putridam , hoc non est ob vitium sanguinis in quali , sed eum media obstructione, quæ dependet à multitudine particulari , possint humores , ita putrescere , vt naturam irritantes, efficiant fluxiones , & motus ad focum putredinis ; vt igitur illa plenitudo particularis auferatur , & fluxio imminens impediatur , ac morbus magnus , quem timemus , profligetur , sanguinem mittimus ; quare in illo casu, & à multitudine particulari , & à motu imminenti, indicatur sanguinis missio.

Quibus sic iactis , facilè innotescit verum indicans , tam genericum , quàm specificum sanguinis missionis ; sicque verior assertio est , quod indicans genericum sanguinis missionis , est morbus magnus , qui æqualiter indicat remedium magnum , vt purgationem, vel sanguinis missionem ; specificum verò est vitium sanguinis pendens , vel à quanto , vel à motu sanguinis : & probatur manifestè , quoad indicans genericum , ex Galeno *lib.4.methodi* , *cap.6.*vbi morbum magnum ponit genericum indicans, & & indifferens ad sanguinis missionem , & purgationem , constat similiter ex variis *superius* testimoniis allatis.

Circa specificum verò indicans sanguinis missionis , offertur verior ratio in hunc modum : nam existente plenitudine sanguinis , cum morbo magno , est necessarium remedium magnum euacuans ; sed purgatio non potest auferre indiscriminatim plenitudinem sanguinis : ergo sola sanguinis missio : ergo quia indicatur à plenitudine cum morbo magno ; tum & etiam ipse Galenus 9.*methodi,cap.*11.inquit:*Sanguinis missio vtilis est,seu vacuantiu præsidiorum vnum,vbi sanguis, tum venas,tum arterias, vel distendat,vel sindat, vel obstruat in aliis,seu quod humorum vehementiorem impetum ad diversam partem reuocet , vel propinqua deriuet :* Ergo ex hoc Galeni testimonio , elucescit verum, & solum specicfium indicans sanguinis missionis , videlicet sanguinis multitudo,vel vehemens illius motus in aliquam diuersam partem, morbo tamen magno existente , vel actuali , vel imminenti.

Roboratur vlterius hæc sententia , habita ratione ad sanguinis motum. Primò ex eodem Galeno *libro de curandi ratione per sanguinis missionem* , vbi ait , vt *supra* diximus , *Menodotus in sola plethora , sanguinis missionem obseruare consueuerat ; nos autem ea non existente, etiam venam secamus , cum dolor vehemens hominem prehenderit,vel pars aliqua fracta fuerit , vel os ex loco pulsum :* Ergo ex Galeno ratione motus , cum morbo magno coniuncti , debemus mittere sanguinem : ergo quia est specificum indicans sanguinis missionis. Roboratur vlterius ratione : nam nulla existente plenitudine in vehementi hæmorrhagia , mittimus sanguinem ad reuellendum motum sanguinis prauum : ergo aliquando propter solum dictum motum citra plenitudinem , sanguinis missio indicatur.

Dicet tamen aliquis , quod illo in casu,quamvis in hæmorrhagia immodica , non detur plenitudo vniuersalis ; tamen datur plenitudo particularis , respectu partis recipientis , quæ grauata à sanguine fluente , ipsum retinere non potest : ac proindè sanguis mittitur ratione plenitudinis particularis , non verò ratione motus : sed contra, quia potest ita esse extrema euacuatio vniuersalis , vt nullo modo posit dari , plenitudo particularis adhuc : ergo non fiet missio sanguinis ratione plenitudinis particularis. Præterea quia illa est plenitudo particularis,quæ venas partis particularis,ita replet,sine grauat, vt nō posit sustineri;sed sic est, quod sanguis fluens per nates , nunquam detinetur in parte , sed semper euacuatur , & inaniuntur venæ : ergo neque erit plenitudo vniuersalis , neque particularis.

Dices verò iterum,quod talis plenitudo particularis , non erit ad vasa ; sed solùm ad vires partis peculiaris , quæ quia languida, sanguinem confluentem , non potest gubernare. Sed contra , quia talis pars particularis, & totum corpus; ita sunt inanita sanguine , vt potiùs ab arte, eum appetant retineri : ergo quia adhuc ad vires hæ partes non sunt grauatæ ; imò illo egent, sed potius , quia sanguis tenuior , & vasa aperta sunt, talis motus impetuosus accidit ; ergo solùm ad ipsum reuellendum , mittetur sanguis : ac proindè indicans specificum illo in casu , erit vitium sanguinis in motu.

Sed iostabis ; reuulsio est scopus sanguinis missionis ; sed omnis scopus cuiuscumque indicati , præsupponit indicans specificum : ergo ante reuulsionem , iam debet esse morbus magnus cum indicante specifico sanguinis missionis : ergo reuulsio non est indicans sanguinis missionis.

Cui satisfacio dicendo , quod reuulsio , quæ dicitur scopus sanguinis missionis , iam supponit indicans specificum ; scilicet vitium sanguinis in motu ; reuulsio enim non est indicans, sed potiùs indicatur , quoad modum : nam quod indicatur est sanguinis missio , specie determinata à motu sanguinis ; reuulsio verò est modus siue scopus modalis sanguinis missionis, non determinans , imo quod determinatur à motu sanguinis cum morbo magno ; ex quibus elucescit verum , & specificum indicans sanguinis missionis , vt est vitium sanguinis pendens à quanto , vel à motu.

Quibus sic perpensis , innotescet definitio essentialis sanguinis missionis quæ nihil est aliud, *quàm euacuatio vniuersalis , indicata à morbo magno , pendente ex vitio sanguinis in quanto , vel in motu :* Et meritò cum huiusmodi definitio obtineat rationem genericam , & specificam completam.

pletam. Et probatur, nam per prima verba, videlicet, *euacuatio vniuersalis indicata à morbo magno*, conuenit cum purgatione electiuè, quæ etiam est vniuersalis euacuatio, ac à morbo magno indicatur; per alia verò verba, videlicet, *pendens à vitio sanguinis, in quanto, vel in motu*, differt specificè à purgatione; cum in purgatione morbus magnus pendeat à cacochymia: ergo cum hæc inter se specie differant, satis ratio generica, & specifica manet adaperta, vt facilè cuilibet rationi, in contrarium adductæ, possimus satisfacere.

Instabis tamen contra definitionem allatam; nam sanguinis missio est vnum remedium specificum: ergo ab vno indicante specifico; sed quantitas sanguinis, & motus, sunt duo indicantia sp. c. [illegible] ergo ambo nõ possunt determinatè indicare sanguinis missionem, siquidem etiam purgatio, quæ cum sit vnum specie indicatum, indicatur ab vno in specie; nimirum à cacochymia.

Quæ argutiæ detruncatur, si respondeam concedendo primum antecedens, & consequentiam; nego tamen minorem: videlicet, quod quantitas sanguinis, & motus sint duo indicantia specie diuersa; nam ista per se, solum sunt indicantia numero distincta, non verò specie; ratio est, quia specificum sanguinis missionis solum est vitium sanguinis; hoc tamen vitium, cum sit in motu, vel in quanto, ideò membra diuisi, scilicet indicantis, sont duo, vt quantitas, vel motus, qui cum constituant vitium sanguinis, ideò constituunt vnum in specie indicans, veluti sanguinis vitium; nam solum diuersificant modum indicati, non verò speciem; vt motus, reuulsionem, plenitudo solum euacuationem: ac proinde dicendum est, est, sanguinis missionem, solum obtinere vnum indicans, etiamsi tale indicans sit in duo inferiora diuisum, vt currit eadem paritas in purgatione, quæ solum specie indicatur à cacochymia, ista tamen est duplex, vt in supernatantia, vel in forma præter naturali humoris, & tamen quomodocumque sit, vt cacochymia est coniuncta cum morbo magno, est indicans purgationis.



CAPVT IV.

Quid, & quotuplex sit morbus magnus?



VM in superiori disputatione stabilitum maneat, generienm indicans sanguinis missionis, esse morbum magnum; meritò in præsenti offertur agendum de natura, & differentiis morbi magni, cuius natura satis cuilibet patebit, si perpendat, magnitudinem morbi, sumi ex vehementia, ratione cuius, mortis periculum, minatur, ita vt sua vi, sine vehementia operetur; pariter si læsiones, siue symptomata, eandem læsiuam vehementiam ostendant, cum sint effectus ab ipso morbo dependentes.

Quæ assertionis veritas probatur, nam paruitas, vel magnitudo causæ, sumitur à paruitate, vel magnitudine effectus, quem producit: sed morbus paruus, est causa symptomatis benigni, & sine vllo mortis periculo: ergo morbus magnus erit ille, qui producat symptomata magna, & vehementia, cum mortis periculo, cum experiamur ex vehementia læsionum, naturam languidam in totum succumbere, siue talis vehementia morbi, sit respectu totius, vel alicuius partis principis, vel ratione virium, vt *infra* constabit.

Quoad magnitudinem igitur morbi, Gal. 4. *methodi* 6. tres magnitudinis differentias insinuat, quarum prima, est magnitudo ratione propriæ essentiæ; secunda ratione cacoëthiæ; tertia ratione partis præstantis: magnitudo quidem ratione propriæ essentiæ ostenditur medio exemplo; nam si aliquod magnum apostema, quod neque sit malignum, vt illud quod est cacoëthe, neque sit magnum, ex eo quòd sit in aliqua parte præstanti; illo in casu dicitur magnum, ratione propriæ essentiæ.

Magnitudo verò ratione partis præstantis, est, vt si in iecore, vel corde, sit aliquod apostema exiguum, vel aliqua parua pustula, quæ ratione sui, nihil mali minetur; ratione verò partis præstantis, quamvis leuiter vlceratæ, mortem minetur; ideoque flatus in ventriculo existens, affectum, sine periculo efficiet, veluti est ructus; si verò idem flatus in ventriculis cordis inclusus esset, palpitationem exitiosam producere valeret, ob quam rationem prædictus morbus, non ratione causæ, sed partis præstantis ratione, magnus appellatur.

Magnitudo vlterius morbi, ratione cacoethiæ desumpta, siue malignitatis, erit quemadmodum, aliqua febris maligna, quæ licèt parua esse videatur, idest, remissa, siue aliquod vlcus cacoëthe, vel vulnus armis venenatis confectum, quod ex se sit exiguum; ratione tamen veneni maximum, & lethale erit: alia verò morbi magnitudo, ratione dignitatis sumpta, à tribus prædictis differt, de qua Gal. 6. *de locis affectis*, *cap. 5.* alloquitur, de passionibus hystericis agens, passiones hystericas esse inquit, maiores, quæ à semine corrupto, quàm quæ, à mensibus dependent: morbus enim magnus, ratione dignitatis solet, ab humore magis nostræ naturæ familiari prouenire; nam dum humor amicior corrumpitur, lethalior affectus, sequitur, optima enim quæque dum putrent, pessime putrent.

Gal. similiter 3. *de tuenda sanitate*, *cap. 9.* perpendens morbi magnitudinem, ratione dignitatis, illam apostematis exemplo, partis contusæ, explanat; sic alloquens: *Si pars contusa apostemetur, fiunt duo affectus, primus contusio; secundus apostema: si pari interuallo, pars contusa, & apostema recedant ab statu naturali, curatio exordienda est ab apostemate, & non à contusione, quia apostema est affectus maior ratione dignitatis, quam ipsa contusio.* Adducitur similiter apud Gal. *lib. de totius morbi temporibus*, *cap. 5.* alia morbi magni differentia, ratione virium imbecillitatis, desumpta, nam licèt ex se morbus

bus

bus magnus non sit ; comparatiuè tamen, ad vires, quæ quia languidæ, illum superare non valent, magnus, habita ratione ad vires, nuncupabitur.

Sed si quis, quoad magnitudinem morbi, ratione cacoethiæ, vel malignitatis, quæ in febribus reperitur malignis, dubitet de ipsarum malignitate, plurimas inueniet, diuersas opiniones ; Montanus enim iudicat, malignitatem febrium, potius ab humoribus in corde putrefactis, prouenire. Fernelius verò, Hercules de Saxonia, & alij, potiùs à venenata qualitate prodire arbitrantur : Capinaeius tamen, prædictam malignitatem, non à quocumque humore ; sed ab humoribus alimentalibus in corde putrefactis, exoriri opinatur. Fracastorius, potiùs, ex profunda, & sordida putredine. Sapientissimus Oratius Augenius putredinem, non quamcunque, sed corruptionem, malignitatis inuentricem iudicat. Eustachius magis à vehementi putredine, quæ à veneno non differat, produci existimat.

Alij verò malignas febres, potiùs ab aliqua interna gangrena arbitrantur oriri: verior tamen assertio est, quæ nullam harum causarum malignitatem inducentium, excludit, sed omnes ; ita vt à qualibet possit dependere, amplectitur. Prima etenim Montani opinio veritati est consona : nam ipse Gal. 1. *de differentiis febrium* 4. asserit : quòd febris pestilens, & maligna, fiunt ex humoribus in corde putrefactis ; aliæ verò febres ex fuliginibus extra cor putridis, irruentibus tamen ipsum cor. Secunda similiter Fernelij opinio, non est obneganda : nam Gal. 3. in 3. *epidemiorum*, *in historia*. 4. ægroti, quem inquit, ita cito fuisse mortuum phreneticum, ac si ipse medicamen venenatum sumpsisset ; ab eadem etenim causa possunt fieri febres malignæ : roboratur etiam ex Hippoc. & Gal. 3. *de ratione victus* 14. vbi asserunt : deiectiones biliosas, si non extinguant ardorem, esse signum malignæ febris, & præcipue si calor, vehementior reddatur. Supponit causã malignæ febris esse venenatam qualitatem, quia si esset aliqua qualitas manifesta, sine dubio, quo maior esset biliosa deiectio, tanto calor mitior, & remissior fieret. Asserunt etiam, pestilentiam sine febre reperiri : ergo bene inquit Fernelius, quòd malignitas, non semper à putredine nascitur ; siquidem, quo maior putredo fit, semper calor intensior redditur, seruata tamen forma rei putrescentis.

Neque Capinatius negligendus, cum ex humoribus putrefactis alimentalibus, febrem malignam fieri pronuntiet ; vi enim ipsius febris, confestim vires labuntur ; siquidem alimenta, media putredine, formam immutant, vt maligna febris exoriatur. Aliæ similiter assertiones, scilicet, quòd febris maligna, fiat à sordida, & profunda putredine ; vt Fracastorius, vel cum corruptione, vt Augenius, vel à vehementi putredine, vt Rufius, maxima cum ratione amplectendæ veniunt, vt Gal. ostendit 1. *in 3. epid.* 23. & *primo de differentiis febrium*, *cap*. 5. sententia tandem asserens, quod ab aliqua gangrena, maligna febris possit fieri ; maximè apud omnes collaudatur ; cum plurimi fateantur, pluries cadaveribus apertis, à maligna febre interfectis, se adinvenisse exiguam gangrenam, omninò nigricante in hepate. In his quidem ægris, manifestè obseruantur tria signa malignæ febris, proposita apud Gal. *de præsagat. ex pul. cap*. 4. quorum primum est : vt pulsus à naturali statu non differre videatur, sed maximè similis appareat. Secundum ex lotio simili sano, desumitur. Tertium verò : quòd ægri nullam querimoniam obtineant ; imò quasi nullam febrem sentire ipsis videatur, quo non obstante, aliquod vehemens symptoma in eis reperiatur, vt citra causam manifestam, animi deliquium, extremorum frigiditas ; & hoc ita per intervalla, vt diebus interpositis, quiescant ægri, ac si nullam febrem paterentur : hæ igitur om[illegible] febris malignæ, causæ valdè sunt perpen[illegible]æ ; cum ita morbum magnum ratione cacoëthiæ, vel malignitatis constituant ; quæ morbi magnitudo semper, debet magnam Medicis curam inferre. Et hæc de differentiis morbi magni.



CAPVT V.

Quæ sit, causa motus sanguinis, dum vena scinditur.



CVM in superioribus, natura, & essentia, habita ratione, ad indicans specificum sanguinis missionis, sit exposita, ac modus, quo ex venis ad alias partes fluit sangnis pateat, meritò de causa, sanguinem dum vena est aperta, mouente, agendum venit. Aliqui etenim Authores motum sanguinis exeuntis ; tribuunt contiguitati, cùm eo, qui primo adducitur, successione videlicet ad id, quod euacuatur ; sed licet hæc partialiter concurrat, non est causa per se, & totalis, Fernelius verò 2. *methodi*. *cap*. 3. & Petramatus *libro de euacuandi ratione*, *cap*. 3. prædictum motum sanguinis, tribuunt defectui facultatis retentricis, in fibris obliquis existentis, quæ media venæ sectione impeditur : sed quare, inquiram, motus localis sanguinis, qui est positiuus, tribuitur causæ priuatiuæ, videlicet defectui retentricis ? Præterea, quia si sanguis ab aliquo non moueretur, potiùs in suis vasis, tanquam in centro, veluti aqua in dolio, quiesceret.

Sapientissimus Vega *lib*. 2. *methodi*, *sect*. 5. *cap*. 2. iudicat, potiùs sanguinem moueri, ab expultrice venarum facultate. Contra quod Gaspar Brauo insurgit, dicens, quod cum sanguis, nutrimentum vtile, & necessarium sit, potiùs obiectum retentricis, quàm expultricis erit ; ac proindè, nequaquam tribuendum esse prædictum motum, facultati expultrici ; alias si motus ab expultrice fieret, ablata ligatura, non cessaret, cuius cõtrarium experimur. Alij vlteriùs Authores, huiusmodi motum sanguinis, ad illius grauitatem reducunt, quæ, etsi aliquando, causa possit iuuare ad meliorem motum, præcipua tamen non

non eſt: nam dum ſanguis, ſecta vena, ex directo, aut ſurſum fertur, tunc mouetur, & tamen iſte motus, non eſt ratione grauitatis: ergo quia cauſa præcipua, non eſt ſanguinis grauitas.

Sapientiſſimus Santorius *lib. artis Medicinalis, q.* 108. opinatur, quod motus ſanguinis, ſecta vena, debetur influxui ſpirituũ, in omnes venarum partes, concurrente ſimul arteriarum motu: ſed licet verum ſit, quod ſanguis intra venas exiſtens, ſpirituoſam ſubſtantiam obtineat, vt fluxilis ſit; non tamen, ſpiritus ſufficienter poſſunt, prædictum motum efficere: nam ſpiritus, dum non adeſt plenitudo, potiùs intra venas conſeruantur, nonque mouentur ad expulſionem. Præterea, quia illi, etſi ſint corpus mobile; non tamen à ſe, ſed à facultate pulſatili mouentur. Præterea, quia ex hoc ſequeretur, venas in ſe, veluti arterias, ſpiritus continere; hoc eſt falſum, vt ex defectu pulſationis conſtat: ergo etiam, quod ſanguis moueatur ab ſpiritibus; hoc enim ſolùm contingit motui ſanguinis arteriali s, qui valde impellitur, exciſa arteria, ab ſpiritibus vitalibus; iſte tamen non à ſe, ſed à motu compreſſiuo arteriæ, qui potiùs à facultate pulſatili naſcitur.

Doctiſſimus Gaſpar Brauo, inquit, quod ſecta vena ſanguis, ac reliqui humores fluunt propter impulſum, à partium tenore communicatum, & media artificis ligatura; & probatur hac ratione, quilibet liquor contentus intra vas, ſi illud propter partium tenorem, comprimatur ab aliqua cauſa extrinſeca, medio communicato impulſu, contentus liquor, orificio aperto exibit: ergo ita pariter, ligatura facta ſanguis exibit.

Hæc tamen ſententia, quamuis in externis, aliquid veritatis contineat; in internis tamen, ideſt in euacuationibus eorum, quæ intra noſtra corpora continentur, non eſt completa: nam alia cum his addenda, non exigua eſt cauſa, vt eſt natura adminiculans, media facultate expultrice, & probatur manifeſte; primò enim, quamvis ſanguinis vitioſus ſit, aperta vena, & ligatura facta, ſi natura non ſit adminiculans, vt in febribus malignis, non datur euacuatio ſanguinis vitioſi; ſed laudabilioris, & è contra, exiſtente natura valida, inutile, etiam, cum vtili ſanguine, euacuatur: ergo quia ſimul concurrit præter ligaturam vaſorum, & partium tenorem, facultas expultrix. Similiter experientia patet in cadaueribus, etſi ligatura ſit facta, non tamen exit ſanguis: ergo deficit concurſus facultatis expultricis, ac proinde non currit paritas de externis.

Nec valet ſi aſſerat ſapientiſſimus Brauo, quod ſanguis, potiùs eſt obiectum retentricis, cum ſit partium nutrimentum; hoc enim facile ſoluitur multiplici ratione, quarum prima eſt; nam aliquando, etſi ſanguis ex ſe laudabilis ſit, quia peccans in quanto, vt in atleticis, ideò aperta vena ſuſcitat expultricem, ad talem motum localem ſanguinis: vel ſi mauis, quamvis non ſit plenitudo vniuerſalis, ita vaſa particularia media ligatura replentur, vt ſanguis ſit obiectum particulare facultatis expultricis in illo caſu; vel ſi malueris, nulla exiſtente plenitudine vniuerſali, vel particulari, media ſolutione continui, facta in vena, inducitur dolor, qui ex accidenti fluxionem ſanguinis inducit ad partem, ac ſimul partes vicinæ, obiectum doloroſum ſolutionis, veluti fugientes,

D.D. Matth. de Llera, de Febrib.

ne recipiant comprimuntur, ex qua compreſſione motus ſanguinis ſubſequitur; ex quibus concludendum venit, quod motus ſanguinis, vena aperta, non ſolùm media ligatura, & impulſu partium communicato ſit.



CAPVT VI.

Quæ humorum vitia, phlebotomia vacuet ex venis.



HVMORVM, qui in venis vitium contrahunt, aut plethora, aut cacochymia eſt: plethoræ quidem, ac ſanguinis exuperantis vnicum, & præcipuum, venæ ſectio, eſt remedium, licet plethora pura, ex pura humorum portione ſit, vel cacochymiæ particeps, quæ humorum vitioſorum eſt redundantia: vtrique enim ſecta vena ſuccurrit, quando igitur muſculi ſolidi, & diſtenti, necnon venæ amplæ turgentes periculum minantur, protinus ſectione venæ eſt vtendum, vt Gal. 9. *meth. c.* 11. inquit: *Sanguinis miſſio vtilis eſt, ſeu vacuantium præſidiorum vnum, vbi ſanguis, tum venas, tum arterias, vel diſtĕdat, vel findat, vel obſtruat in aliis, ſeu quod humorum vehementiorem impetum, ad diuerſam partem reuocet, vel propinqua deriuet:* & merito: nam iſta, dolores extenſione placat; corpus graui pondere leuatum erigit, & qua ſi recreatum expeditius ad omnis generis functiones expedit, ac inſito calore liberalius ventilato, & viis reſeratis, ac ſpiraculis adapertis morbos coërcet; quare pura plethora, ſanguinis miſſione tutiſſime demitur; impura verò non æque tuto; nam quo magis fuerit ſanguis propinquus puritati, eo liberaliùs; quo verò magis impurus, arctius, atque parcius eſt mittendus, vt in his, qui prauam conſtitutionem obtinent, vel ſummopere venas refertas; at quamvis prauam conſtitutionem obtineant; ſi tamen bilioſis cibis fuerint repleti, eo vſque tantum eximendum eſt ſanguinis, vt pericula plenitudinis vitentur.

Calida verò, bilioſaque plenitudo totiùs, quam reliquæ impuræ, venæ ſectione adimitur, quia non ſolùm eam minuit, verum etiam refrigerat; plenitudo tamen melancholica parcius hoc auxilium ſuſtinet; pituitoſa omnium minimè, quia cum ſit intensè frigida ſanguinis miſſionem auerſatur; iſta enim magis refrigerans ita cruditatem conduplicat, vt vix concoqui, ac emendari valeat: non aliter virium imbecillitas euacuationem magnam minimè perfert; quare niſi venæ ſupramodum confractæ graue minentur periculum, decernenda non eſt: cum autem neceſſitas expoſcat, id non ſemel, & vniuersè, ſed ſenſim, ac partitè tentandum eſt; in omni igitur impura plenitudine, diſſecta vena, auſpicanda eſt euacuatio, ſine qua purgatio tuto non eſt decernenda: medicamentum enim validum purgans, tum calore, tum attrahendi facultate, humores exagitans, ac perturbans, plethoricum corpus in grauius diſcrimen adducit: at verò in vniuerſũ, plenis, ac turgentibus venis, ſi non proſit; nocere tamen non poteſt moderata ſanguinis miſſio.

Plenitudo ſimiliter ad vires, cum eas iam languidas premat, ita vt non poſſit à calore natiuo

K gubernari,

gubernari, ne fortasse putredo, siue humorum corruptela succedat, venæ sectione minui potest, quæ tantum, quantum natura facile gubernet, relinquat; illa etiam, quia nullius periculi præsentis metu vrget, aut parcitre victu, aut inedia vtiliter subtrahitur. Circa caeochymiam verò, maior se offert dubitatio, vtrum illi venæ sectio prosit. Circa quod iudico, simplicem cacochymiam, vena dissecta, decrescere, esseque maximum, ac tutum remedium. Licet enim omnes humores æqualiter prodeant, & vna, & eadem, sicut antea humorum proportio remaneat; quia tamen detracta oneris portione, qua natura premebatur, vires non languidiores, sed alacriores plerumque euadunt, & quod reliquum est, faciliùs ferunt, ac dominantur: non aliter in febribus continuis, quando humorum putredo, summaque cruditas in venis adest, plerumque sanguine misso, vrinæ, quæ rubræ, crassæ, ac turbidæ antecesserant, mox puriores apparent, coctionisque signa ostenduntur.

Aduertendum tamen est, quod si aliquando sanguinis è naribus stilla reperiatur, vel vrinæ rubicundæ appareant, nequaquam venæ sectio protinus est imperanda; nam facile sanguis prorumpit, non solùm ex plenitudine, sed aliis ex pluribus causis, præ quibus natura vacuationem moliatur, vt his quibus viscera sint maximè imbecilla; præsertimque iecur, vel quando scirrhosum euadit; tunc enim solet accidere sanguinis fluxus è naribus, quapropter per hos, & similes affectus, neutiquam sanguinis missio est decernenda: quare maximè oportebit signa, exsuperantiam vniuscuiusque humoris, ostendentia, animaduertere.



CAPVT VII.

De sanguinis missionis differentiis, & fine propter quem.

VT methodicè, ac secundum rationem, sanguinis missio exerceatur, magnam confert vtilitatem, partem ex qua sanguis auferri debeat perpendere, vnde eù maliquando ex parte, debeat sanguis, media reuulsione auferri, aliquando deriuatione, aliquando tantum euacuatione, merito triplex oritur differentia: alia etenim erit sanguinis missio euacuatoria; alia reuulsoria, alia verò deriuatoria. Euacuatoria quidem dicitur, quæ humorem ex toto corpore, aut ex aliqua parte determinata, simpliciter euacuat; reuulsoria verò, quæ humorem impetu fluentem in partem contrariam euacuat: deriuatoria tandem, quæ in euacuationem humoris, citra impetum fluentis, in partem affectam ordinatur, siue illius, qui defluxit, non tamen impactus est; distinguitur verò ab aliis, quia deriuatio, à vicina fit parte, euacuatio ab eadem parte affecta, reuulsio verò à parte contraria, & distantiori, cum vasorum rectitudine.

Ex parte verò finis Medici, aliæ differentiæ venæ sectionis exurgunt: nam sanguinis missio, alia fit præcautionis gratia, propter morbi magni imminentiam; alia curationis causa; alia ad reuellendum, alia ad euacuandum; ad deriuandum alia; veluti alia ad attemperandum, alia ad obstructionem liberandam, quemadmodum alia ad dolores sedandos, quæ omnia, ratione causæ finalis, desumentur.

Reuulsio igitur ex supradictis, nihil est aliud, quam illabentis humoris, in contrarium auersio; nihil enim celerius, quam illa, impetum fluxus cohibere potest, ad quam adimpletè conficiendam, quatuor maximè prærequiruntur secundum Gal. doctrinam 12 *methodi, cap.* 11. quorum primum est, vt fiat reuulsio, per rectitudinem: secundum, per distantissima; tertium, vt humores ad suam originem trahantur; quartum denique, vt per vasa communia fiat; sed quid Gal. per rectitudinem, per distantissima, & per vasa communia, intelligat, & nunquid illa conditio, quod auertantur humores, versus originem per se, & quod semper reuulsioni conueniat, maximam attulit, in acquirenda veritate, difficultatem, cum vix duo adsint ingenia, circa hoc dubium, consentientia.

Circa igitur rectitudinem vasorum, in reuulsione obseruandam, Curtius de pleuritide agens, & Petrus Brissotus cum Fernelio, æqualiter assentiunt asserendo; quod per rectitudinem vasorum, ea intelligi debeat, quæ sursum, & deorsum est; negant tamen, rectitudinem seruari ab anteriori parte, ad posteriorem; tum & etiam ab interna, ad externam. Sapientissimus verò Fernellus, inquit, quod inter dextrum, & sinistrum, non datur illa rectitudo, secundum quam reuulsio fieri debet cuius est ratio; quia fibræ rectæ, quarum beneficio fit humoris attractio, non sunt in latum, vel in profundum sparsæ, sed in longum, quod est præcipuum Fernelij fundamentum, quo veram reuulsionem solum fieri, à superna, ad infernam partem non verò à dextera, ad sinistram, vel ab interna, ad externam firmat.

Antonius Altomarius, omnino negat, reuulsionem fieri secundum fibrarum rectitudinem; quia postquam vena scissa est, sanguinis reuulsio, à fibris rectis non exercetur, sed solum ratione vacui egreditur. Argenterius verò vt *supra*, potius sanguinem secta vena, inquit egredi, quia expultrix vulneris dolore, & ligatura irritatur. De quibus satis fuit dictum.

Quid verò Galenus intelligat, dum ait, per distantissima esse faciendam reuulsionem, Manardus, Curtius, & alij asserunt: Quod dum præseruamus, reuulsio sit facienda, per distantissima; dum curamus, per propinqua. Ioubertus verò potius per propinqua, & nunquam per distantissima esse reuulsionem faciendam, tuetur. Alij verò inquiunt, in principio per proxima; in fine verò per remota; tertia similiter conditio, videlicet sanguinem semper versus originem esse reuellendum, à plurimis obnegatur, & præcipue quando pars à qua humores oriuntur, est inflammatione laborans, siue languida per essentiam: nunquam enim ad partem affectam trahendus est humor.

Vltima conditio: quid sit per vasa communia intelligendum,

intelligendum, aliqui indicant; idem esse, ac reuulsionem fieri, solumper vasa sensibilia; alij per vias quoque insensibiles: cum totum corpus nam pir. bile sit.



CAPVT VIII.

Euacuatio per distantissima, an sit propria, & per se, vel per accidens reuulsionis conditio.

CVM natura, & essentia reuulsionis superius explanata maneat, simulque insinuatæ illius conditiones sint, merito in præsenti inquirendum venit: an sit conditio necessaria, & per se ad reuulsionem efficiendam, quod sit auersio humoris ad partem distantissimam. Circa quod dubium Gal. 1. *de ratione victus, comm.* 1. negatiuam partem tueri videtur, sic asserens: *Si in pleuritide extenda ur dolor ad iugulum, vena in cubito secanda est, quæ sanguinem ab affecta parte, & magis velocius reuellere, & euacuare possit*; atqui nulla alia de causa, desiderat Galen. reuellere per cubitum partis affectæ: nisi vt velociùs reuellat: ergo de ratione reuulsionis erit, vt citiùs, & non tardius fiat reuulsio: ergo potiùs per proxima, & non per distantissima erit reuellendum.

Galenus similiter 5. *meth. c.* 14. docet: commissuræ coronali ceratum ex tapsia esse applicandum, vt ab intima cerebri parte, ad pericranium fiat reuulsio, ne salsa pituita in pectus descendat; atqui hæc reuulsio est per proxima, & non per distantissima: ergo non est conditio per se necessaria reuulsionis, vt fiat auersio per distantissima. Nec valet, si dicas, hác potiùs dici deriuationẽ. Contra: nam natura mouens in pectus catarrhum suo motu grauem, non valet dici, quod fit prioclinis, ad humores in pericranium mouendos. Nec si dicas valebit, quod hæc reuulsio fit per distantissima ratione pectoris, videlicet quatenus intendimus, vt pectus præseruetur, ne recipiat. Hæc enim solum est euasio; nam catarrhus, qui ad pericranium reuellitur, non à pectore originem trahit, sed ab intimioribus cerebri partibus: quare ista erit vera reuulsio; non tamen per distantissima; nam pituita salsa, deorsum in pectus dilabens, virtute medicamenti, sursum in locum videlicet contrarium trahitur: ergo per proxima reuellitur.

Non aliter digitus, à quo aura frigida exoritur, quæ apud Galen. 3. *de locis affectis*, *cap.* 7. epilepsiam excitat, exuritur, & synapismis tractatur, vt aura partes supernas irruens, in contrarium, ad infernas scilicet feratur, vel foris expellatur: nam sicut deriuatio, humores ad partem, in quam proni sunt, trahit; sic reuulsio, per contrarium, in partem, in quam propensi non sunt; auertit; nec minùs Hippocrat. 6. *epidemiorum* 2. hanc assertionem videtur patefacere, ait etenim: *In oculorum fluxu, in fauces reuellere oportet*; Galenus verò in commentario, sic fatur: *hoc vnum est remediorum reuellentium genus, vt diuturnas oculorum fluxiones, ad fauces reuellamus, acribus medicamentis.* Ergo ex Hippoct. & Galen. constat, quod aliquando reuulsio, per distantissima non fiat: ergo si semper non fit, non per. se, sed valde per accidens, reuulsioni conuenit fieri per distantissima.

Probatur etiam, clysteres acres, humores habentes raptum ad supernas partes, in contrarium auertunt; sed hæc auersio est reuulsio, & fit per proxima: ergo reuulsio non semper fit ad distantissima. Tum, & etiam Gal. 5. *methodi, cap.* 6. in fluxu sanguinis, è naribus, venam cubiti directè respondentem, secare imperat; vel magnam cucurbitulam affigendam esse præcordiis; atqui si per distantissima fieret talis reuulsio, potius Gal. venæ sectionem ex talo proposuisset: ergo quia non semper reuulsio fit ad distantissima.

Roboratur vlteriùs: nam causa propter quam seruatur rectitudo est, vt fiat reuulsio humoris; sed per partes proximas datur rectitudo: ergo per partes proximas debet fieri reuulsio: Major est certa, minor probatur: nam linea directa breuior est aliis omnibus: ergo per partes proximas seruatur rectitudo: ergo cum ista requiratur, ad reuulsionem; potius fiet per partes proximas. Tum, & etiam Galen. *libro de curandi ratione per sanguinis missionem, cap.* 15. inquit: seruandam esse rectitudinem, vt citissimè curentur ægroti. Cuius hæc sunt verba: *Si venas secaueris gratia reuulsionis, indirecte oppositis partibus, citissime vtilitatem afferes; etsi contra feces, nihil proficeris.* Dicit citissimè, propter proximam, & breuem viam; recta enim via, aliis est breuior: tum, & etiam secundo de ratione victus, *cap.* 20. velocem, scilicet debere esse reuulsionem: ergo inferendum est, quod reuulsio, non semper per distantissima, sed per proxima debet fieri. Hanc sententiam acutissime tuetur sapientissimus Santorius *lib.* 14. *de vitandis erroribus, cap.* 6.

Doctissimus Gaspar Brauo *part.* 2 *dispnt.* 1. *sect.* 5. *resolut.* 5. *fol.* 422. aliam sententiam, ex Augerio Otatio desumptam, contrariam prædictæ amplectitur, videlicet, quod reuulsio semper per se petit ad distantiora fieri, seruata tamen rectitudine: & probatur primo ex doctrina Galeni *libro Artis Medicinalis*, vbi ait: *Attrahendi ex omni loco ad oppositas partes, communis indicatio est, ad quam maximè distantia; deriuatio ad vicinas.* Tum & etiam, idem Galenus *lib.* 6. *de morbis vulgaribus in commentario: Reuellere* (inquit) *quadam deorsum, statim iubet Hippocrates ad contrarios locos, in his: Quæ superius ortum habent; sursum verò in his, quæ inferius: igitur si in pedes, & crura fluxionem decumbere senserimus, ex cubiti venis sanguinem mittemus*: Ergo ex Gal. & Hipp. doctrina, patet, quòd reuulsio semper fieri debet per distantissima.

Roboratur præterea ratione; reuulsio deseruit, vt humores auertantur, & ruentes in partem, nondum in illa firmati impediantur: ergo illos debemus auertere, ad eam partem ex qua maior securitas detur, ne iterum ad illam fluant; sed in parte distantiori, hæc major datur securitas: ergo ad partem distantiorem debet fieri reuulsio. Minor probatur; nam illa est

eſt reuulſio ſecurior , ex qua difficiliùs humor refluit in partem affectam ; ergo cùm in parte diſtantiori , minus refluere poſſit ad partem affectam , talis reuulſio ad diſtantiorem , erit ſecurior.

Robotatur ampliùs ; reuulſio , euacuatio , & deriuatio , inter ſe diſtinguuntur ; ſed euacuatio extrahit humorem ex parte in qua continetur ; deriuatio illum auertit in proximiorem : ergo reuulſio , cum ab illis differat, humorem ad partem diſtantiorem debet auertere. Maior eſt certa , nam effectus primarius deriuationis, & euacuationis , realiter differunt à reuulſione. Minor ex doctrina Gal. *ſuperiùs* allata conſtat : ergo huiuſmodi opinio , vt verior , eſt ſuſtinenda.

Licèt doctiſſimus Braua acutè , hanc difficultem pertangat , non tamen omnimodè illius aſſertio inſequenda venit ; nam etſi verum ſit , quòd licet reuulſio pluries ad diſtantiſſima fiat, aliquando tamen ſeruata natura reuulſionis , valebit fieri euacuatio pee proximiora ; ſicque reuulſioni , vt reuulſio eſt , valdè per accidens conuenit , fieri ad diſtantiſſima ; nam effectus primarius reuulſionis , propter quem differt ab aliis euacuationibus , non ſumitur præciſe , ex motu , ad diſtantiſſima , ſed quia citiſſimè , & per rectitudinem vaſorum , ac in partem contrariam , quamvis per partes proximas , ſuccurrat affectui; quare ex authoritatibus à Gal. adductis , ſolùm infertur , aliquandò reuulſionem fieri , ad partes diſtantiores , non verò ſemper, vt poſtea inferius patebit.

Prima, & ſecunda ratio , ſimiliter diſſoluuntur , reſpondendo, veram eſſe propoſitionem primi argumenti ; videlicet, quod media reuulſione , debemus auertere humores ad partem , ex qua maior ſecuritaſ detur , ne fluant ad partem affectam ; hoc tamen intelligendum eſt , ſi non dentur impedientia, nimirum tarditas ſubueniendi affectui , vt poſtea dicam. Secundæ verò rationi , nimirum , quod inter ſe differunt deriuatio , euacuatio , & reuulſio ; reſpondeo concedendo libenter ; nego tamen rationem formalem propter quam , inquit differre : vt infeřiùs latiùs oſtendam.



CAPVT IX.

Verior Sanctorij opinio defenditur, ac contrariis rationibus ſatisfit.



X ſuperius probatis , Sanctorij aſſertio, vt veriori doctrinæ conſona eſt collocanda ; nam licèt pluries reuulſio fiat per diſtantiſſima , hoc potiùs cauſas peculiares obtinet , quæ non integrant conditionem neceſſariam , ac per ſe ad revulſionem per diſtantiſſima pertinentem ; nam cum ægrorum corpora ſint humorum redundantia grauata ; ideò ratione huius impedientis , nimirum multitudinis vniuerſalis , timendum eſt , ne reuulſio, quæ fit per partes propinquas, quæ parum è loco affecto diſtant , poſſit humores , magno cum impetu , & detrimento partis vicinæ, quæ laborat, attrahere ; & propter eandem cauſam , auxilia topica , vt plurimum , in principio non adminiſtrantur , quia tunc fere ſemper corpora ſunt , humorum multitudine oppreſſa; ſi verò aliquandò, excrementorum multitudo in eis non adſit, non implicabit in morbi principio, talia remedia applicare , vt Gal. exponit in euentu Lariſſæ, quando adſit humorum redundantia , quandóque locali remedio poſſumus vti , corpote non purgato , cuius hæc ſunt verba : *Sic antecedenti victus ratione , nulla plenitudo in corpore appareat, ſtatim nos vti poſſe remediis localibus* : Ex Gal. igitur exit illatio, quod ſi non adſit corporis plenitudo, non ſolùm poſſumus topicis , in morborum principio vti , verum etiam per proxima reuellere ; illo enim caſu , non adeſt prohibens, nempe plenitudo humorum , qui poſſint ad partem affectam irruere.

Meritò ergo , hac diſtinctione perpenſa , vnuſquiſque percipiet reuulſionem , modò ad diſtantiſſima , modò per propinqua poſſe fieri ; nam exiſtente vniuerſali plenitudine , ſi non adſit ingentiſſima vrgentia, potius per diſtantiſſima ; ſi verò prædicta plenitudo , non reperiatur , per propinqua fiet reuulſio ; iſta enim, omnes reuulſionis conditiones obtinebit , videlicèt quod fiat citiùs, habita ratione periculi morbi , per vaſorum rectitudinem , ac ſimul in partem contrariam , per quæ omnia manifeſtè diſtinguetur reuulſio à deriuatione , ac à mera euacuatione ; nam in derivatione , ad partem vicinam , non verò contrariam ; in euacuatione ſola , ex eadem parte ; in reuulſione tandem , etſi per propinqua , celeriùs , & in partem contrariam fiet, quare cum aliquando ad diſtantiſſima, aliquandò verò propinqua ; non erit dicendum per ſe, & neceſſario, ſed ſolùm per accidens reuulſioni conuenire , quod fiat per diſtantiſſima, cum illius ratio ſaluetur , ſine tali conditione.

Aliquæ tamen , iam offeruntur rationes in contrarium ſoluendæ , inter quas , prima apud aliquos ſtabilitur , dicentes , quod reuulſio ex ſua natura petit, aliquando per proxima , aliquando verò per diſtantiſſima fieri : ita vt humores ſint auertendi per diſtantiſſima, vel gratia præcautionis , vel quando morbus eſt leuis , vel quando humores partes principes non petunt, vel in morbis longis ; per proxima verò , vbi morbus eſt periculoſus , vel quando humores mouentur ad partes principes vt in morbis acutis.

Hæc quidem ſententia , facilè diluitur, & repellitur , nam rationi philoſophicæ , maximè contrariatur ; quia ſi de ratione reuulſionis eſt, quod modò ad proxima , modò ad diſtantiſſima, humores trahantur , ſit natura , & conſtitutio variabilis , & inconſtans ; quod implicat philoſophiæ ; nam ratione vnius naturæ , & vnius ideæ , vnicum debet eſſe conſtitutiuum, & modus operandi , & non plures : nunquam enim de re ſimpliciſſima , debet fieri propoſitio æquiuoca, ſed vniuerſalis , & vniformis, atque æternæ veritatis ; verum enim vero conſonat : ergo de ratione reuulſionis , non debet conſtitui vllum contingenter attributum , ſed firmiſſimum, & determinatum ad illius naturam explicandam;

ac proinde dicendum est, quod de natura reuulsionis, semper fit per distantissima, vel semper per propinqua; sicque respondeo in mea opinione, quod valdè per accidens competit reuulsioni, fieri per distantissima, vt ex distinctione allata patet.

Facilè igitur omnes nodos, qui Gal. mentem calleant, valebunt dissoluere, duplici distinctione; prima, quæ iam manet adaperta; videlicet reuulsio, si ratione suæ propriæ naturæ consideratur, semper, & per se est facienda per proxima: nam cito fiet, & cito succi peccantes de medio tollentur, si verò reuulsio fit cum prohibente, vt cum maxima redundantia, non est facienda per proxima, quia datur periculum, ne humores ad locum proximum parti affectæ confluant; in hoc casu longissimè à parte affecta, est reuellendum, quia magis supponit prohibens, quàm indicans; quare licèt natura reuulsionis saluetur per proximiora, propter dictum prohibens, erit efficienda ad distantissima.

Secunda similiter distinctio est, dum ait Gal, esse reuellendum per distantissima. Respondeo, quod distantia duplicem habet considerationem, videlicet, vel vt eam metiamur à parte affecta; vel ab humoribus in eam partem fluentibus: quare assero, quòd respectu partis affectæ, si plenitudo adsit; semper fiet reuulsio per distantissima; si non adsit, per proxima. Præterea, si consideretur distantia, non respectu partis affectæ, sed respectu plenitudinis, semper fiet reuulsio per proxima, vt exempli gratia, inflammatio adest in crure, humores, qui fluentes in crus, sunt in vena caua; anxilium reuulsorium illo in casu, est cubiti phlebotomia; eò quòd læsa pars valdè distat à cubito; respectu verò humorum in vena caua existentium, cubitus est proximus: ergo illo casu, talis reuulsio, habita ratione cubiti ad crus laborans, fit ad distantissima, habita verò ratione in caua existentium humorum, fit ad propinqua: qua duplici distinctione, facilè ingeniosus omnia dubia diluere valebit.

Instabis tamen cum Gal. 13 *methodi*, *cap*. 11. asserente, in inflammationibus, esse reuellendos humores longissimè, à partibus inflammatis; sicque in brachio inflammato, venam cruris eiusdem lateris esse secandam: tum & etiam *secundo ad Glauconem*, *cap*. 2. 5. *methodi*, *cap*. 3. dicit, quod dum sanguis ad membra conuertitur proxima, & vicina, fit deriuatio, dum ad contraria, & longinqua, reuulsio. Quibus respondeo, quod Gal. etsi proponat, reuulsionem per distantissima esse faciendam, intelligitur, non ratione indicantis, sed ratione prohibentis; nam si prohibens adsit, vt humorum multitudo, potius per longinqua; ne media multitudine, maior fiat attractio ad partem affectam: quare in curanda inflammatione, vniuersales scopi occurrunt; alius vt citò curetur; alius verò, vt tutò; sicque assero, quod hic postremus, magis supponit, ne reuulsio per proxima fiat, si talis multitudo adsit: si verò Medicus, certior fit de carentia corporis, plenitudinis; tunc nihil prohiberet, quin per proxima reuelleret; ideoque dum humores mordaces in intestinis existunt, propensique sunt, vt caput petant, aeri clisterc, in contrarium auertuntur, si nulla adsit plenitudo: en quo modo talis reuulsio fiet per propinqua.

Præterea, quando adest prohibens, si tamen minus, quam indicans, supponat, siue vrgeat, semper potentiori erit succurrendum & ob hanc causam, Gal. tapsiam commissuræ coronali applicat, ne catarrhus salsus in pectus labatur; & quia magis indicat catarrhus, vt auertatur, ne ad pulmones fluat, quàm salsedo humoris prohibeat tapsiam, ne ab illa cerebrum calefiat, propterea negligitur prohibens, in calefcentia nimirum cerebri, ac minus supponit, quam indicans, nimirum reuulsio, siue auctio humoris salsi.

Nec minus explendescit verior doctrina, dum aura venefica à digito pedis exoriens, caput petat, comitialemque morbum efficiat; Medicus illo tunc, magis perpendat principale, indicans quod est digitum exurere, vt immediatè per proxima retrahatur aura venefica, quam si timeat prohibens; idest, ne ad digitum læsum, confluant excrementa, ex aliis corporis partibus transmissa: ergo etsi detur aliquod prohibens, si tamen minus valeat, quam indicans, negligendum erit prohibens, vt in casu posito, vt indicantis finis adimpleatur.

Vlteriùs insurges, ex doctrina Gal. *libro Artis Medicinalis*, asserentis, communem indicationem esse, ad quam maximè distantia loca reuellere: tum & etiam, *secundo de natura humana*, vbi inquit, sectiones faciendas esse longissimè, ab his locis, qui dolore premuntur. Respondeo tamen primò, quod Galenus *in Arte Medicinali*, solùm communem indicationem, non verò specificam assumebat, ibi enim non distinguebat naturam indicantis à prohibente; sicque solum præceptum hoc, est commune, videlicet, quod ad loca valdè distantia sit reuellendum, respiciendo semper ad prohibens, idest, ne ad partem affectam angescat fluxio. Dixit etiam sectiones, longissimè faciendas esse à locis, qui dolore premuntur; quia dolores attrahunt humorem ad locum affectum. Præterea, ne maius sequatur detrimentum ex attractione, ad longissima sunt faciendæ sectiones, quo loco potiùs prohibens, quàm indicans respiciebat Gal. nam potentius est prohibens propter detrimentum dictum, quam indicans propter vtilitatem.

His stabilitis, facilè explendescet, cur reuulsio, aliquando per propinqua, aliquando per remota, aliquando per remotissima fiat: per propinqua, dum indicans magis vrget, & prohibens, nullius est considerationis, vt dum tapsia commissuræ applicatur: per remota, dum prohibens magis supponit: vt Galenus 13. *methodi*, *cap*. 11. in iecoris inflammatione, dextrum cubitum secat, & non venam tali, per remotissima, dum prohibens, quam maximè valet, ita vt totam Medici considerationem rapiat; nam vbi est extrema plenitudo, in inflammatione pleuræ, Auicenna *lib*. 3. *Fen*. 1. agens de pleuritide, secat prius saphenam, & deinde cubitum; quia vehementissimum prohibens, cogit, & regulat Medicum, quod vt tutò opere-

tur, per loca distantissima reuellat, ne præ maxima plenitudine, vehementior humoris tractio, ad pleuram affectam, efficiatur.



CAPVT XI.

Adducitur exemplar, quando reuellentia debeantur remotioribus, & quando proximioribus partibus.



Vt magis methodica doctrina, quoad auxilia reuulsoria, patefiat: Oportet modum, quo Ischiadem affectum, auxilio reuulsorio, curare valeamus: primò etenim dum fit, per distantissima reuulsio, talis affectio profligatur; nam pluries cauterium, in cubito eiusdem lateris, humores fluentes, deorsum reuellendo, dolorem Ischiadicum, de medio tollit; quod reuulsionis genus, inscribitur à Gal. 2. *ad Glauconem*, & 13. *metho. cap.*6. asserente: *Vno crure inflammato, sanguinem mitte ex cubito eiusdem lateris*, in qua reuulsione, omnes conditiones adimplentur, rectitudo nimirum, distantia, retractio homorum versus originem, & vasa communia.

Profligatur etiam, aliquando talis affectio, vt experientia patet, cauterio in alio crure opposito; media reuulsione à partibus dextris in sinistras, & vice versa, vt Gal. ostendit 5. *metho. cap.* 3. asserens. Reuulsionem posse fieri secundum omnes oppositiones; cuius hæc sunt verba: *Reuulsio verò in his, quæ supra sunt, omnibus deorsum semper agitur; sursum, in his, quæ sunt infra. Præterea à dexteris, ad sinistra, sicut ab his, rursus, ad illa; similiter ex his, quæ intus habentur, ad ea, quæ foris sunt; contra quæ ab his, ad illa*: Ex quibus colligitur, non solum humores; à partibus supernis, ad infernas, sed à dextris, ad sinistras, & ab internis, ad externas posse reuelli.

Tertiò similiter, prædictus affectus aliquando curari valet, humores internos, iuncturæ infixos, ad externam cutim retrahendo, mediis vesicantibus; nam dum fit retractio humorum, cum violentia, ab interno loco, ad externum, licèt per proxima fiat, debet appellari, ex Gal. reuulsio: character enim reuulsionis, est vt humores in contrarium ferantur, nihilque refert, si per proxima, vel remota fiat: ita pariter, neque proprium est deriuationis, vt perpetuò fiat per vicina, siue per proxima, sed potiùs, quod inclinationem humorum insequatur: patet enim, deriuationem aliquando fieri per longinqua, vt Gal. 2. *in* 6. *de morbis vulgaribus text.* 7. vbi ait: *Quod renibus vitiatis, optimum sit per aluum deriuare*: Ergo ex Gal. constat, quod humor fluens ad renes, per partes longinquas, nimirum per intestina deriuetur.

Sed cum superiùs sit dictum, quod de ratio ne reuulsionis sit, vt per proxima, & non per distantissima fiat, hoc Galeni menti reluctatur. Præterea, quia essentialia, cuiuslibet Medicæ curationis, atributa sunt quod citò, tutò, & iucundè fiat, siue sit reuellendo, siue deriuando, vel euacuando: nam quò citiùs æger ad sanitatem reuocetur, eò magis laudabitur curatio: ergo non valet distinctio, (dicunt aliqui) superiùs allata, sed semper per proxima, & non remota fiet reuulsio.

Respondeo tamen, quod ratione indicantis reuulsionis, & ex sua natura, semper per proxima fieret reuulsio; nisi aliqua plenitudo prohiberet. Secundò, quod dum reuulsio fit per longinqua, distantia non est consideranda respectu plenitudinis, sed respectu partis affectæ: v. g. reuulsio, quæ fit per cubitum, licèt sit respectu coxendicis, per distantissima, attamen respectu plenitudinis, est proxima; nam reuellimus materiam existentem, ne deorsum descendat, idque fit per brachium, quod est ita proximum, & vicinum vasis maioribus, in quibus reperitur plenitudo, vt non detur alius locus amplior, qui proximior sit; si verò viscera essent excrementorum multitudine liberata, cum transmittant excrementa ad vasa, quæ sunt infra renes, videlicet ad diuisionem venæ cauæ; tunc opportunius esset per aliud crus, quam per cubitum reuellere: illo enim casu, citiùs curaretur; quia materia peccans, per partes proximiores traheretur: si demum iam materia sit fluxa ad coxendicem, neque amplius fluat, potiùs ad cutim medio vesicante, vt diximus ex Gal. 5. *method.cap.* 3. Ista enim, etiam est reuulsio, quia materia intus existens, forastrahitur.

Animaduertit etiam doctissimus Sanctorius, casum peculiarem, obseruatione dignissimum, videlicet, quòd quando superiora viscera sanitate gaudent, nullaque adsit plenitudo vniuersalis, & tota morbifica affectio in coxendicis iunctura reperiatur, vt in his, qui ab alto cadunt, vel à nimia equitatione, vel ob externum frigus solet contingere; illo in casu, solum ratione doloris, vnicum, & singulare auxilium erit vtilissimum: scilicet cauterium administratum supra, vel infra genu eiusdem partis læsæ, vt materia stabilis, & fixa à parte affecta auertatur, vt in quodam milite, prædicta affectione laborante, inquit Sanctorius, expertum fuit, qui cum à Medicis, diuersis pharmacis exhibitis, potiùs læderetur, applicatoque in cubito cauterio, & sub genu dextri lateris, reuulsionis gratia, nullum leuamen adquisiuit; postea verò cum latus affectum, esset sinistrum, cauterium appositum in eodem latere, supra genu, eum ad salutem reuocauit; quæ doctrina mirabilis est vtilitatis, vt omnes Medici, valdè eam stabilitam obtineant.

Non sine maximo fundamento, animaduertenda est huiusmodi medicandi varietas, quæ quia mirabilis, & valdè proficua, pendet ex cognitione valde necessaria, quando scilicet læsio partis mittentis, magis supponat, quam dispositio partis recipientis, in quolibet morbo materiali, à fluxu pendenti. Duplex etenim affectus est perpendendus; vnus partis recipientis; alter verò partis mandantis; nam semper in

in certiori, curatione, potentiori est subueniendum, vt exempli gratia, si inflammatio cruris foueatur, à copia sanguinis, supra renes existentis, tunc magis supponeret pars mittens ad iudicandum, quam pars recipiens; rudis enim, & crassæ mineruæ esset Medicus, qui præsenti casu, non mitteret sanguinem ex cubito; quare in maximum incideret vitium, qui per saphenam alterius cruris multitudinem materiæ existentis in partibus supernis, intenderet reuellere: si verò pars mittens esset infra renes, in diuisione venæ cauæ, vel circa illas partes; meliùs, & opportunius erit, superioribus visceribus, priùs bene exoneratis, in aliud crus materiam auertere: citius enim, & expeditiùs fieret, talis reuulsio, quæ à dextera, ad sinistram partem seruatur.

Nec solum huiusmodi dogma est obseruandum, verum etiam si partes mittentes affectæ, quæ sunt supra, vel infra renes, iam non mittant; quod ex læsione viscerum cognoscetur; tota illo casu curatio flectenda, siue dirigenda erit ad partem recipientem, quod fiet auxiliis reuellentibus, vel deriuantibus, aliquando à centro, ad circunferentiam, mediis vesicantibus; vel ex parte affecta, ad viciniam, medio cauterio, & deriuatione, vt *supra* dixi.



CAPVT XII.

Quomodo in reuulsione, seruanda sit rectitudo.



INTER reuulsionis conditiones, mansit vasorum rectitudo præscripta; quomodo verò iuxta intelligenda sit, venit dubitandum; iuxta quod dubium, plurimi persentiunt, potiùs seruandum esse respectu partium, quæ sursum, & deorsum reperiuntur, quam illarum, quæ à dextris, ad sinistras, neque ab anterioribus, ad posteriores, & ab internis, ad externas constituuntur; quare solum reuulsio fiet, in rectitudine reperta inter supernas, & infernas. Quod probatur, quia humores solum retrahuntur, vi fibrarum, quæ in longum, & non in dextrum, & sinistrum, & alias similes contrarietates sparguntur.

Hæc tamen sententia, nullius fundamenti est, nam hoc verbum, rectitudo, nequaquam intelligitur, solùm de longitudine partium: & probatur, nam omnes lineæ, quæ ad circunferentiam sphæræ artificialis correspondent, respectu centri, æqualiter sunt rectæ, siue sursum, siue deorsum, siue in dextrum, siue in sinistrum latus sint extensæ: ergo non omne rectum est, quia longum; quare rectitudo, non intelligitur ratione longitudinis: ac proinde, non solùm longum, verum etiam latum, & profundum rectum appellabitur.

Impugnatur etiam prædicta assertio; nam Gal. 3. *de fracturis, cap.* 10. inquit, per rectitudinem, esse intelligendum, ex regione, duntaxat. Nonne dextrum brachium, respectu sinistri est ex regione; & auris recta, ex regione, alteram respicit? ergo ex Gal. pro rectitudine vasorum, non solum intelligenda est longitudo: Galenus etiam, *libro de ratione curandi per venæ sectionem, cap.* 15. inquit, venæ sectionem, reuulsionis gratia, in oppositis directè partibus, citissimè vtilitatem afferre, *& si contra feceris, nihil profeceris.* Directa oppositio, prædicatur, de qualibet differentia oppositionis: ergo rectitudo poterit seruari, inter partem dextrã, & sinistram; anteriorem, & posteriorem, internam, & externam: hoc etiam confirmat Gal. 5. *methodi, cap.* 3. Præterea 4. *methodi*. 6. alloquens de fluxu sanguinis ex naribus, vbi ait: Quod pars anterior, ita posteriori aduersatur, vt superior inferiori, cuius hæc sunt verba: *Aduersatur ei, quod supra est, id quod infra; & ei, quod post habetur, id quod ante: inter partes oppositas, reuulsio fieri debet, quia reuulsionis character, est trahere in contrarium: inter directè oppositas partes, seruatur reuulsio, vt reuellantur humores, quam citissimè per breuiorem viam. Linea enim omnium breuissima, est recta, recta potest dari, tam in longitudine, quàm in latitudine, & profunditate.* Tum & etiam Gal. *libro Artis Medicinalis, cap.* 99 non dicit, quod reuulsio solum fit retractio à loco superiori, ad inferiorem; sed potiùs, inquit, ex omni loco, ad oppositas partes: ergo manifestè Galenus exponit, reuulsionem posse fieri secundùm omnes differentias oppositionum; quæ non tantum sunt, sursum, & deorsum, sed ante, retro, intus, foris, dextrum, & sinistrum: ergo opinio prædicta facilè explosa manet.



CAPVT XIII.

An sit necessarium requisitum, & per se conueniat reuulsioni, vt retrahantur humores ad origimem fluxionis.



INTER reuulsionis conditiones, supra explanatas, fuit auersio materiæ, ad suam originem fluxionis; de qua merito dubitatur: an semper, & per se, reuulsioni talis conditio conueniat. Circa quod dubium, aliqui affirmatiuam partem amplectuntur; & probatur ex Galen. 1. *ad Glauconem, capit.* 14. vbi sic ait: *In aduersum trahere oportet, aut communia membris patientibus, aut ea, in quibus est fluxionis origo:* Ergo ex Galen. ad reuulsionem requiritur, quod sit auersio humoris versus fluxionis originem. Confirmatur etiam; Galen. enim vt superius diximus, ceratum ex tapsia, commissuræ coronali applicat, ne catarrhus in pectus descendat; sed hæc est auersio ad caput, descendentis humoris ad pectus: ergo est auersio ad originem: Probatur consequentia, origo fluxionis ad pectus, est caput, sed humor auertitur extra cerebrum

brum, & non ad pectus: ergo retrahitur ad suam originem: ergo quia talis conditio est necessaria reuulsioni. Roboratur vlterius: nam etiam Galen. 2. *ad Glauconem*, *cap.* 2. inquit: in cruris inflammatione, cubitum eiusdem lateris esse secandum; atqui ista retractio est ad originem: ergo ad reuulsionem requiritur necessariò auersio ad originem.

Hæc tamen sententia, nec sustinenda, neque illius rationes concludere valent; non enim negatur, quod reuulsio, non fiat sæpissime media humoris retractione ad originem fluxionis; de quo non dubitatur, sed an sit semper necessarium requisitum, quod omnino negatur: nam multoties fit reuulsio, absque tali conditione. Et probatur primo, ex Galeno 5. *methodi*, *cap.* 3. asserente, quod reuulsio potest fieri, secundum omnes partes oppositas, & hæ non sunt solum, sursum, deorsum, sed ante, & retro, & alia, quæ diximus: ergo ex Gal. non semper est necessarium, vt in reuulsione retrahatur materia ad originem fluxionis.

Roboratur vlteriùs: origo non potest esse, nisi in vnico loco; atqui Hipp. 5. *aphoris.* 67. docet, quod secta vena frontis, aufertur labor partis posterioris capitis; sed frons, non est origo fluxionis, & tamen ad illam auertitur materia, partis posterioris: ergo quia non semper, in reuulsione trahitur ad originem fluxionis. Præterea, mediis cucurbitulis humores, à centro corporis, ad cutem trahuntur; atqui in cute nulla est origo fluxionis: ergo vt fiat reuulsio, non requiritur necessariò, quod materia trahatur ad originem fluxionis.

Dicet tamen aliquis, hoc esse verum in reuulsione locali, non verò in reuulsione communi, quæ fit à partibus supernis, ad infernas. Sed contra: nam etiam est verissima doctrina, in reuulsione communi dicta; & probatur, quia si hepar, quod est sanguinis origo, inflammatum sit, ne magis augescat inflammatio, Galen. cubitum secat, atqui cubitus non est origo fluxionis: ergo etiam in hac reuulsione communi dicta, non trahuntur humores ad originem fluxionis; cum potius in aduersum locum retrahantur, ne iecur inflammatum irruant: ergo talis conditio, nimirum retractio materiæ: versus originem, non conuenit semper, & per se reuulsioni.

Vltima reuulsionis conditio, videlicet, quod debeat fieri per vasa communia, constat ex Galen. 11. *methodi*, *cap.* 11. tum etiam facilè ex rei natura elucescit: sed quid intelligatur, per hanc vasorum communionem, non exigua est difficultas, cum valde difficile sit omnem vasorum communionem, intime calere: iuxta quod aliqui iudicant, quod per vasa communia, semper sunt intelligendæ venæ, cum hæ sint omnibus partibus communes; nam in qualibet parte corporis, est aliqua vena, quæ tandem habet societatem, cum porta, vel caua, & hæ ab hepate, vt à primo trunco procedunt: cùm igitur hæ solæ sint vasa, per quæ euacuationes à qualibet parte fiunt; propterea hæ solæ obtinebunt consensum cum toto corpore, dicenturque vasa communia.

Hæc tamen sententia, nullum veritatis indicium ducit: sæpissime enim mala humorum proluuies auertitur, in contrariam partem per alios ductus, vt per intestina, ventriculum, vreteres, arterias, cutim, substantiam neruosam, & per musculorum concauitatem, per extimam neruorum superficiem, ac per alios similes ductus: ergo quia per vasa communia per quæ fit auersio humoris, non semper sunt venæ intelligendæ: & probatur ex Galen. qui alloquens cum Hippocrat. in ossibus inquit, fieri abscessum, iste non valet fieri, nisi humores crassi valeant angustissima foramina ossium penetrare: ergo quia dantur aliæ viæ præter venas, per quas humores permeant, & auertantur.

Experientia etiam similiter patet, vesicam loci aliquando fuisse refertam clistere iniecto; deinde media clysteris virtute per aluum, lotium euacuatum fuisse: ergo infertur, cum Hippoc. & Galen. quod in viuente, sunt plurimi meatus apertissimi, per quos humores peruadere valeant. Ad roborationem huius sententiæ, merito inquirit doctissimus Sanctorius: Quis dicet mihi, per quas vias ab Ischiade ad intestina, virtute clysteris, auertatur pituita vitrea, cùm solùm hac de causa, prædictus affectus curetur? Quia mediis clysteribus tollitur fomes partis. Similiter: quis erit ductus, per quem ita velociter moueatur aura à digito pedis, ad caput dum efficit epilepsiam, non quidem per partium porositates, cùm tam velox actio, non possit fieri: ergo potiùs per aliquam incognitam, atque latentem viam, de qua ratio, non ita facilis: vlteriùs, dum quis hæmorrhagia narium laborat, aliquãdo prædicta euacuatio supprimitur testiculis deuinctis; atqui tales consensus inter nares, & pudenda, non est per venas: ergo debet esse, potiùs aliqua sympathia, quæ per vasa nobis incognita fiat. Minor probatur; nam aliæ dantur partes majoribus venis contextæ, quam pudenda, & quamvis illæ deuincerentur, non supprimeretur hæmorrhagia: ergo talis suppressio, quando deuinciuntur pudenda, non fit per venas: ergo quia dantur alia vasa, siue ductus, per quos possit fieri auersio.

Postquam omnia, quæ ad debitam reuulsionem exercendam, requisita, sunt patefacta, debita cum ratione oportebit, regulam methodicam, in prædicta operatione præscribere; contraria igitur, in reuulsione, auersio non valet fieri, nisi ad dextram, ad læuam, sursum, deorsum, intro, foras; neque sunt contraria, nisi in recto cursu venarum collocentur; ideò pleuritidi dextræ, nequaquam est contrarium, latus sinistrum, bene verò inflammato crure dextro, sinistrum, est contrarium; directa enim societas datur, per quam sinistrum crus incisum, è dextro euocat; at verò ex dextro latere, nulla vena cum rectitudine, in sinistrum conceditur; quapropter vena secta dextri, non adimit pleuritidem lateris sinistri, sed relinquit noxium humorem, seu partem inflammatam: vt igitur plus sanguinis, ac celerius, quam à cæteris partibus exhauriatur, vena secabitur, quæ sit in situ directo partis affectæ; non solum in dextra pleuritide, sed etiam in iecoris inflammatione, interior cubiti dextri est tundenda; si autem ista

non

non inueniatur, scindenda media nec si hæc offeratur, oportet ad humeralem confugere, melius, quam interiorem sinistri brachij.

Reuulsio itaque est, è directo evidens subsidium, & celeriter auxiliatur; ex transuerso nullum; quando ergo magna, vehemensque inflammatio adsit, videlicet ex humore maligno, cuius fluxio sit præceps, & locus in quem procumbit nobilis, sensusque acutissimi; illo in casu ampla vena loco finitimo erit secanda, vt celerius à parte affecta sanguinem euacuet; si verò affectus mitior sit, angusta vena, potius est eligenda, & ex loco distantiore, vt minus, tardius, & ignauius euacuet, quæ reuulsio, non solum fluxionem adimit; verumtamen ab affecta parte, prius putrem, & inquinatum sanguinem quam ex reliquo corpore benignum, & sincerum detrahit.



CAPVT XIV.

Qui humores sint apti, vt reuulsione auertantur.



VM reuulsio, sit humoris auersio in contrariam partem, debite inquiritur, an huiusmodi auersio, siue reuulsio, humoribus solum fluentibus conueniat; an verò alij sint apti, etsi non fluant, vt etiam auertantur; aliquorum sententia est negatiua, ita vt solum materia fluens debeat reuelli, & probatur: nam materia fluxa, non mouetur, minus fluxura, cum sit in potentia; sed reuulsio est auersio humoris fluentis: ergo materia fluxa, & fluxura, non est reuellenda. Hæc tamen sententia absolutè, non est vera; nam licet humores fluxi, & fluxuri, actu non moueantur; si tamen apti sint ad motum in alium locum, necessariò auertendi erunt, in partem contrariam; fluxuri, ne fluant, fluxi verò, vt pars affecta immunis remaneat.

Probatur igitur huiusmodi assertio, primo de materia fluxura: reuulsio desumitur ab indicante: quod primo, & per se indicat reuulsionem; atqui posse fluere, est quod indicat per se reuulsionem: ergo ab humore, qui potest fluere indicatur reuulsio. Roboratur: tota ratio propter quam materia fluens, indicat reuulsionem, est ne perueniat ad partem aliquam medio fluxu; sed materia fluxura, est apta, vt perueniat ad aliquam partem lædendo; ergo veluti materia fluens, indicat reuulsionem, etiam materia fluxura, propter eandem rationem. Roboratur præterea, etsi morbus sit imminens, nonque actu lædat, indicat eadem remedia præcautiua, ac morbus actualis: ergo etsi causa læsiua, actu læsionem non inducat immediatam, tamen poterit indicare, quemadmodum causa actualis, læsionem mediate producens; eisdem enim remediis præcauemus, quibus curamus: ergo quamuis materia actu non fluat, cum potentia tandem fluendi, veluti fluens, indicabit reuulsionem: ergo humor fluxurus, etiam erit reuellendus, quemadmodum actu fluens.

Nec minus humores quiescentes, & fluxi reuulsionem valent indicare: probatur, omnes humores fluxi, possunt deriuari: ergo aliquando etiam poterunt in contrarium auerti: antecedens experientia patet; nam materia recepta in parte, pluries in vicinam mouetur: ergo deriuatur. Consequentia probatur, ex Hippocrate 2. *de ratione victus textu* 10. loquente de pleuritide, vbi ait: Sanguinem esse euacuandum; donec liuidus exeat: ergo si tanta sanguinis copia est euacuanda, donec liuidus appareat; euacuabitur etiam humor iam confluxus; nam liuidus sanguis, iam est in parte confluxus: ergo reuulsio ex Hippocrat. valebit conuenire materiæ iam fluxæ. Præterea Galen. 4. *de ratione victus in acutis*, *textu* 38. dicit, medicamenta circum posita ceruici, in angina, reuellent humorem, qui in partem anteriorem fluxit: ergo ex Gal. medicamenta, reuellunt materiam iam fluxam: ergo reuulsio conuenire poterit, non solum humoribus fluentibus, fluxuris, sed etiam fluxis.

Roboratur vlterius, si prius supponamus, quod inter duos motus contrarios debet dari quies, vt omnes fatentur philosophi: ergo quando humores actu fluunt ad partem supernam, non poterunt reuelli ad infernam, quin priùs quiescant, cum debeat dari quies, inter motus contrarios: ergo quando humores sursum irruentes, reuelluntur deorsum, ante talem motum contrarium, erunt in quiete: ergo illo in casu, humoribus quiescentibus, debetur reuulsio; ac proinde, si humores, quia fluunt, indicant reuulsionem in contrarium; multo melius, qui sunt apti ad fluxionem, etsi actu non fluant, prædictam reuulsionem indicabunt.

Præterea: nam quis dicet, quod materia falsa existens in cerebro, quæ apta est, vt labatur in pectus, non sit iam fluxa, & recepta in cerebro? atqui prædicta materia reuellitur à Gal. 5. *meth.* ad commissuram, media tapsia, vt diximus ergo humor fluxus, cum sit aptus ad nouam fluxionem, indicabit reuulsionem: Gal. etiam plurimis in locis, multa assignat experimenta, vt humoribus fluxis, reuulsio conueniat; in plurimis enim partibus, venenata qualitate laborantibus; potentissima reuulsoria soleat apponi, quæ humores, seu spiritus venenatos ad cor, siue cerebrum confluxuros, retrahant.

Dices tamen, Galen. *multis in locis*, & præcipuè *secundo ad Glauconem*, *cap.* 2. & 4. *methodi*, *cap.* 6. deriuationem, & non reuulsionem, esse humoris confluxi, in aliquam partem, inquit, cui respondeo negari non posse, quod deriuatio sit præsertim, confluxorum humorum; non tamen esse impossibile, quod humores confluxi, possint etiam aliquando in contrarium auerti & confirmatur etiam Galen *authoritate* 4. *methodi*, *capit.* 6. dicentis: quod si in aliqua parte confluxus, & quiescens humor teperiatur, melius fit, tunc deriuare, quam reuellere: *at si iam fluxio desistit, atqui in membro inhæsit, deriuare per vicina magis expedit*: dicit Galenus: ergo quia aliquando potest accidere, vt fluxi humores, non

non possint opportune reuelli ideóque illa particula (magis) includit quoque, aliquando materiam fluxam posse reuelli ; sicque quamvis constitutiua deriuationis , & euacuationis , inter se differant , tamen , non tollit , quod vna, & eadem materia, cum sit apta ad motum, siue quiescens , siue fluens, siue fluxura, possit reuelli.



CAPVT XV.

Quæ sint , ex Galeni doctrina de reuulsione, ac deriuatione in praxi obseruanda.



ERITO ex superioribus , natura , modus , & vtilitates reuulsionis patent: sed vt aliqua de illa, ac deriuatione obseruanda dicantur, prius deriuationis natura obseruanda venit: deriuatio igitur, est humoris illapsi auersio in latus vicinum ; fit quidem aperta illa vena , quæ inseritur in partem affectam : opportune ergo administrabitur deriuatio , quando præcedente reuulsione , iam fluxionis impetus , & ardor recedunt ; & quando nulla fuerit recentis , & inopinati ardoris suspicio : si verò ideo plenum esse cognoscatur , & omni fluendi , atque remeandi habilitate , sit corpus orbatum , quod in diuturnis , & inueteratis inflammationibus , frequenter contingit , videlicet in quibus scirrhosæ quædam reliquiæ inhærent , deriuatione non est vtendum, media venæ sectione , sed fomentis & emplastris mollientibus , ac digerentibus est tentanda ; si verò humor dissolui , ac dissipari non potest ; neque locus est insignis , neque dolor vehementer vrget, eadem pars inscindatur ; præcipuè si humor inquinauerit contagione, sua pernicie partes vicinas , quòd quamvis non possit dici proprie, deriuatio ; illi tamen veluti vicaria succedit , quæ omnia media Gal. expositione peculiariter sunt enucleanda.

Galenus igitur libro de curandi ratione per sanguinis missionem , *cap.* 14. diuidens corpus, vbi sunt renes , in partem supernam , & infernam exponit , quæ sit reuulsio , & quæ deriuatio , in hæc prorrumpens verba : *Renes iuuantur secta vena superna , reuulsionis gratia , inferna gratia deriuationis ; quæ verò supra renes sunt, vena pedum secantur gratia reuulsionis* : tum & etiam idem Galen. 6. *aphorismor. commentario* 36. inquit : *Quæ supra hepar sunt , vt curentur, ex manibus sanguis extrahitur* ; per manus intelligendo, cubitum, quia dum Galen. nominat, quam nos manum, ille vocat summam manum, idest cubitum : *Quæ verò affectiones infra sunt, ex vena tali , vel ex venis, quæ sunt in poplite.*

Dignum etiam est consideratione , quod venerandus Hippoc. obseruauit in epidemicis, iuuamen nimirum, & detrimentum, quæ in humorum motione solent contingere, in historia duntaxat Virginis, decumbentis in vestibulo templi, & in ægro Dealcis; in quibus humores peccantes fluxere ad pedes , propter quem motum ad inferiora , hos duos ægros , inquit febre maligna fuisse liberatos ; humores quidem peccantes, in eis erant propè cor ; quare Medicus naturæ imitator , nisi insignis esset venæ cauæ plenitudo, non debet per cubitum sanguinem mittere, sed potius à parte superna ad infernam reuellere : idem Hipp. obseruauit in Larissa, & in Critone, maligna febre laborantibus , in quibus natura, humores malignos , ad pedes propellere tentauit ; profert tamen Hippocrates, hæc verba: *Cum pedes non possint totum humorem malignum capere, factus est humorum retrocessus ad cor, & mortui obierunt.*

Nec minus animaduersionem proclamat, affectus, qui ex mensium suppressione ortum ducat, vt profligetur: si enim mensium suppressio ex totius corporis plenitudine nascatur , prius basilica secabitur , deinde saphæna , quam doctrinam renuit Massarias insequens Galenum *libro de curandi ratione per sanguinis missionem, cap* 9. asserentem : *Nam plenitudines à suppressis mensibus ortas , omnino per crura euacuabis, siue venam secare oportebit , siue scarificare.* Hæc quidem authoritas plurimos, cum male intellecta maneat, in errorem conduxit ; nam si suppressio menstrualis , ex plenitudine particulari ortum ducat, potius ex missione sanguinis per inferna, auferri valebit , & hoc modo Gal. est intelligendus ; si verò , vt inquit, Aëtius, suppressio mensium, & quilibet affectus complicatus , à plenitudine pendeat vniuersali , exactius , ex cubito fundere oportebit ; nam minuta prædicta plenitudine, solet natura, vt experientia constat , quod reliquum est , per menses educere , vt sapientissimus Lupeius *in suis annotationibus , comm. cap.* 9. Gal. statuit.



CAPVT XVI.

Vtrum robur virium indicet , vel coindicet sanguinis missionem.



N superioribus satis constat , de vero sanguinis missionis indicante, tam generico , quam specifico ; nunc verò , verò, de his , quæ possunt eam coindicare , permittere , aut contraindicare , disputandum venit ; itcque primo de viribus dubitatur , an ad tale auxilium exercendum coindicent ; pars affirmatiua probatur , ex Gal. *lib.* 11. *method. c.* 15. asserente : *Sanguinem ab initio mittes omnibus , qui febricitant , si valentibus viribus sint* : Ergo vires ex Galen. coindicant sanguinis missionem ; tum etiam 11. *method. cap.* 14. *Si vires eius, qui ex putredine humorum febricitat, valentes fuerint , statim sanguis est mittendus* : Ergo quia vires coindicant sanguinis missionem. Præterea 9. *method. cap.* 11. *Sanguinis missio semper valentes vires postulat , quæ modo vacuationi eius respondeant.* Deinde Hippocrat. 4. *de ratione victus.*

victus, docet: *Indicari ſanguinis miſſionem, à robuſta facultate*; atqui indicatur à morbo magno, ſaltim genericè:ergo etiam per ſe ſimul indicatur à viribus.

Roboratur ſimiliter huiuſmodi opinio; nam id quo præſente valet ſanguinis miſſio exerceri, & quo abſente, non poteſt fieri, indicat per ſe ſanguinis miſſionem; ſed exiſtente virium robore, fit ſanguinis miſſio, & ipſo abſente,non poteſt fieri: ergo quia virium robur indicat per ſe ſanguinis miſsionem.

Hæc tamen aſſertio facile reiicitur, & probatur primo, ex Gal.*lib.de optima ſecta,c.*3. vbi expreſsè inquit,à viribus per ſe, tantum indicari ſui conſeruationem. Probatur deinde; vires ſunt ſecundum naturam viuentis; ſed ea, quæ ſunt viuenti ſecundum naturam, ſolum ſui conſeruationem per ſe indicant: ergo vires non indicant ſanguinis miſsionem.

Roboratur vlterius; ſi virium robur ſanguinis miſsionem per ſe indicaret, vbi hoc daretur,deberet exerceri ſanguinis miſsio; hoc eſt falſum: ergo quia per ſe, non indicat. Maior probatur; nam exiſtente indicante per ſe, debet indicatum exerceri: ergo ſi virium robur indicat per ſe ſanguinis miſsionem, exiſtente illo, debet exerceri ſanguinis miſsio. Minor etiam probatur; nam quamvis adſit virium robur, vt in ſtatu ſalutis, non exercetur ſanguinis miſsio: ergo quia virium robur eam per ſe, non indicat.

Concludendum igitur eſt, quod virium robur ſolum indicat ſui conſeruationem, ſub qua formalitate valent impedire, aut permittere ſanguinis miſsionem. Et probatur ex Galeno 9. *methodi, cap.* 3. *Quod ſi quem curare ſtudes, vires autem extrema imbecillitate laborant, toto illo tempore, quo vires reficimus, nihil aduerſus morbum eſt faciendum; cùm autem conieceris, vt nihil, aut parum ex euacuatione ſunt lædendæ, tunc eſt ad effectus curationem accedendum*: Ergo ex Galeno indicatio, quæ ſumitur à viribus, ſolùm eſt ad impediendam, aut permittendam ſanguinis miſsionem.

Authoritates etenim ſuperiùs dictæ in contrarium, facilè ſoluuntur reſpondendo,quod quamvis Galen. tot in locis vires perpendat ad ſanguinem mittendum, hoc ſolùm ſumitur, vel permittendo, vel impediendo; ſicque ſe habet, vt conditio ſine qua non: nam licet detur morbus magnus à vitio ſanguinis dependens, ſi vires non permittant, id eſt, ſi non validæ fuerint, ſanguis non eſt mittendus. Nec ſi Galenus aſſerat, quod à vitali facultate indicatur ſanguinis miſsio,concludit, potiùs enim intendit dicere, quod conſentit facultas vitalis,ſiue permittit ſanguinis miſsionem.

Cum in diuerſis ætatibus diuerſum virium robur reperiatur, habita ratione ad generationis primordia, à quibus magis vel minus corpora diſtant, merito indicatio, quæ deſumitur ab ætate, eſt reducenda ad eam, quæ à viribus deſumitur, ætas enim valida, vt florens, libenter ſanguinis miſsionem conſentiet, ſiue permittet. Aliæ verò, vt ſenectus, & pueritia; licet eam adæquatè non impediant, ſaltim cùm præmeditatione, & limitatione indicant; ſicque Galenus *libro de ſanguinis miſſione, cap.* 13. docet: *In pueris, & ſenibus ſanguinem non mitti*, id eſt non ita libere, veluti in ætate florenti, qua ratione etiam *capit.* 12. *prædicti libri* Galen. facile interpretatur; cum aſſerat hac ratione: *Nec pueris venam tundes, vſque ad* 14. *ætatis annum*; id eſt, non audaciter, vt ſupra diximus,ſed cum præmeditatione,facilis enim carnis puerorum tranſpiratio, multam ſanguinis extractionem videtur inhibere, non tamen omnem; quare rationi non eſt conſonum, quod ex pueris, ſanguis nullatenus mittatur; ſiquidem experientia compertum eſt, multas puerorum ægritudines ſanguinis miſſione, naturam extirpaſſe, & præcipuè,cum noſtro tempore frequentius, quam Gal. tempore,pueris vinum exhibeatur, ratione cuius copioſiori ſpirituoſa ſubſtantia pollent; tum etiam, quia Galen. ætate, crebro balneorum vſu, quo multa fiebat tranſpiratio, exercebantur.



CAPVT XVII.

De reliquis, quæ valent coindicare, aut impedire ſanguinis miſsionem.



TAM temperamentum vniuſcuiuſque corporis, quam habitus gracilis,ſiue carnoſus, ſexus mulie-bris, vel virilis, ſemper ad deliberandum de remedio magno, vt ſanguinis miſſione ex doctrina propoſita, debent meriti habita ratione ad vires,vt permittant, limitent, vel prohibeant ſanguinis miſſionem. Temperamentum enim calidum, & ſiccum, quia reſolubile, veluti habitus gracilis, quia facilè in febres hecticas tranſit,ac fœmineus ſexus, propter raram, & volatilem ſubſtantiam, merito ſanguinis miſſionem, etſi abſolute non impediant, ſaltim moderantur: è contra verò temperamentum calidum,& humidum, quia validum, & ſanguineum, habitus carnoſus triplici pollens ſubſtantia, quemadmodum etiam ſexus virilis, exactius, ac liberalius, valent permittere, ſiue conſentire ſanguinis miſſionem; idemque ſentiendum eſt de anni tempore: nam cum diuerſis anni temporibus, natura citius, vel tardius reſoluatur, habita ratione ad æſtatem, quia vires languidiores redduntur, minus,ad hyemem tamen, & ver; magis ſanguinis miſſio coindicatur.

Maior quidem eſt difficultas circa primæ regionis cruditatem, an videlicet ſanguinis miſſionem impediat, vel immoretur, cuius dubij pars negatiua ab aliquibus admittitur; & probatur: nam multoties nauſea, & vomitus, à cruditate ventriculi ſuſcitata, media ſanguinis miſſione ſedantur: ergo quia ſanguinis miſſio non impeditur. Probatur antecedens ex doctrina Auicennæ *Fen.* 11. *lib.* 3. *tractatu* 5. *capit.* 12. *Et multoties quidem alleuiantur nauſea, & vomitus per Phlebotomiam.*Probatur vlterius, quamvis præcedat cruditas ciborum, tamen dum ipſa deſcendat, aut coctione minuatur exerce-

tur sanguinis missio: ergo ratione cruditatis, in prima regione, licet sanguinis missio valeat retardari, non tamen impediri.

Verius tamen sentiendum est, quod cruditas primæ regionis, impedit sanguinis missionem; & probatur, ex Galen. 9. *metho. cap. 5. Attendenda verò, cum vena secanda, indicationes sunt, tum quæ eam præcedunt; tum verò quæ omnino excipient; nam si præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ sectionem iubebis, quantum sufficere videbitur, tum ad eorum coctionem, tum vt excrementa descendant.* Galen. etiam 11. *method. cap.* 14 vt *superius* diximus; tum & etiam Auic. *Fen.* 4. *lib.* 1. *c.* 20. *Caue præterea tibi, ne nauseatiuam satietatem habentem, phlebotomes, sed pro longa, vsque quo eius nauseatiua satietas digeratur:* Ergo manente satietate semper prohibenda est sanguinis missio.

Probatur deinde ratione, existente cruditate in prima regione, si sanguis mittatur, talis cruditas fertur ad secundam, sed ex tali ascensu cruditatis ad secundam regionem, laudabiles humores coinquinantur, & obstructiones augentur: ergo cum hoc sit maximum inconueniens, cruditas primæ regionis impediet sanguinis missionem. Roboratur præterea, facta sanguinis missione, non deposita ventriculi cruditate, calor ventriculi naturalis dissoluitur, & depauperatur vi euacuationis: ergo materia cruda existens in ventriculo, non valebit concoqui, & separari, hoc est maximum inconueniens: ergo etiam quòd sanguis mittatur, nisi talis cruditas auferatur.

Ex his facile, prima ratio in contrarium adducta, dissoluitur, quod quando nausea, aut vomitus ventriculi dependent, à materia per consensum ex hepate confluente; in illo casu, cum præsens excrementum crudum, non sit culpa ventriculi sed potius generis venosi, nihil mirum, quod media sanguinis missione, quia tollitur fluxus, etiam nausea, & vomitus tollantur; at verò nausea, & vomitus, quæ fiunt ex cruditate alimentorum in ventriculo tantum abest, quod leniantur; quin imò maiora incommoda subsequuntur.

Alia verò ratio proclinis est nostræ sententiæ; nam si probat, quod dum permanet ciborum cruditas in ventriculo, prohibetur sanguinis missio, donec deficiat, vel quia coquitur, aut euacuatur, hæc pro tunc, non solùm erit retardatio; verum etiam impeditio, vsque quo talis cruditas deficiat. Hoc quidem, vt bene perpendit Gaspar Bravo, non de quacumque, sed de copiosa cruditate est intelligendum.

Cum ex animi pathemate plurima accidentia, & aliquando mors possit contingere, plurimi indicant, sanguinis missionem indicatam esse ad prædictum periculum præcauendum, ex eo quod animi pathemata, non possunt impedire sanguinis missionem: & probatur, passiones animi possunt indicare sanguinis missionem: ergo ab illis non potest impediri; probatur antecedens, medio animi pathemate, sanguis, & spiritus, à parte in partem depravate mouentur, sed vitium sanguinis in motu indicat sanguinis missionem: ergo ab animi pathemate, potius indicatur, quam impediatur sanguinis missio.

Sed contra hanc assertionem sic insurgo; dum magna est commotio spirituum, & humorum à parte in partem, non est sanguis mittendus: ergo existente animi pathemate impeditur sanguinis missio. Probatur antecedens: tota ratio propter quam in accessionibus, sanguinem mittere, est ægrum iugulare; vt inquit Celsus, quia spiritus, & humores valde sunt commoti in aliam partem: ergo si medio animi pathemate spiritus, & sanguis mouentur, de parte in partem depravatè, sanguis non erit mittendus, ne hora motionis, vires valde debilitentur; tum & etiam Auicenna *Fen.* 4. primo hoc firmat, exemplo perturbationis criticæ, vbi ait: *Phlebotomia quæque, nec euacuatio ventris, est facienda, in die motus ægritudinis; & cum ægritudo est, habens crisim:* ergo dum animi passiones, magnam, & spirituum, & humorum commotionem habent, sanguinis missio impeditur.

Vnde respondeo rationi allatæ, quod à vitio sanguinis in motu, in aliquam partem; ex quo morbus magnus timetur, debite indicatur sanguinis missio, in reliquis verò, quia non humores trahuntur in partem, in qua morbus magnus timeatur, aliis in quiete manentibus humoribus, illo in casu, potiùs eos commouet, ita vt quietos intra venas non relinquat, imò venæ sectio, non extrahit, sed materiam quiescentem magis turbat; propterea, potiùs cohibenda est sanguinis missio.

Quomodo dolorosos affectus, vigilia, & somnus, venereusque vsus impedire valeant sanguinis missionem: satis quilibet, ex superiori doctrina ostensa, deueniet in regularem cognitionem; nam cum hæc omnia, valeant vires, triplicem substantiam dissipando, deuastare; ideò habita ratione, ad doloris intensionem, & ad excessum somni, & vigiliæ, ac immodicum veneris vsum, metiendum erit virium robur: vt Medicus debite percipiat, an sanguinis missionem impedire, vel permittere valeat. Si enim ab his virium languor, secutus fuerit, sine dubio, impedienda, aut retardanda est sanguinis missio; viribus tamen valentibus, è contra præcipuè dum dolor vicem causæ gerit, sanguinis missionem, vsque ad animi deliquium potest indicare.



CAPVT XVIII.

Vtrum menstruus sanguis superueniens, possit impedire sanguinis missionem.



PLVRIMI, ex Hipp. constant morbi, ex immodica, vel ex suppressa menstruali euacuatione; fluentibus mensibus morbi contingunt, non fluentibus etiam morbi contingunt; id est, fluentibus immodicè, quia natiuo calore dissipato, ac resoluto viscerum, habitus cachexici fiunt; non fluentibus, ac suppressis, penè infiniti affectus eo tingūt; quo

quo posito dubitatur, vtrum quamuis sanguinis verum indicans detur, si euacuatio menstrualis superueniat, impediatur sanguinis missio: circa quod dubium, assero distinctione quadam esse intelligendum; nam si euacuatio menstrua, satisfaciat pro quantitate causæ, non concurrit, nec impediendo, nec coindicando sanguinis missionem; si verò immodica, & supra vires sit; potiùs erit impediens, cum media euacuatione ab arte facta, natura in extremum languorem trahatur: si tamen diminuta fuerit talis purgatio menstrualis, sanguinis missionem coindicabit.

Probatur igitur prædicta doctrina, ex Gal. 9. methodi, cap. 5. asser. nte: *Itaque, si tempore mittendi sanguinem menses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspecto fluentis impetu, ipse satis fore videbitur, qui solus, quod requiris vacuet, naturæ rem omnem permittes; sin minus, tantum ipse detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur, quod postulas*: Ergo patet apud Gal. quod ex impetu sanguinis fluentis valebit cognosci, an contraindicet sanguinis missionem, vt si exsuperans euacuatio sit; an coindicet, vt si diminuta sit; an verò neutrum efficiat, vt si modica, & sufficiens pro causæ multitudine, neque coindicet, neque impediat.

Insurges tamen: sanguis menstruus est veneficus naturæ, vt Plinius *lib.* 2. *cap.* 15. & *lib.* 28. *cap.* 7. Ergo dum in morbis superuenit, potiùs valet coindicare sanguinis missionem, quam impedire. Cui respondeo; quod hæc ratio nihil concludit, nam formalitas operandi, non sumitur ex laudabili, vel vitiosa sanguinis menstrui natura, sed ex suppressione illius, qui cum detentus sit, etsi non detur veneficus, iam quantitate erit peccans, & illo casu si natura moueat eum per vterum, semper inspiciendum est; vtrum natura diminutè moueat, in quo casu coindicabit sanguinis missionem; si verò Medicus cognoscat pro multitudinis ratione satisfacturam esse talem euacuationem secundum impetum, neque coindicabit, neque impediet: immodica tandem, vt est dictum, absolute sanguinis missionem contraindicabit, vt Gal. 9. *methodi*, *cap.* 10. *Immodice missi sanguinis incommoda, virium resolutio, & habitus corporis deterior, temperamentum frigidius redditum, decoloratio totius corporis, & lapsus in morbos diuturnos, & exitiales.*

Sed inquiret quis; an superueniente alui profluuio, vel conuulsione, impediatur sanguinis missio, etiamsi febris pro sua curatione indicet per se? Plurimi authoritate Hippoc. & Gal. fulciti, negatiuè respondent; Gal. enim, *primo ad Glauconem, cap* 14. & 12. *method. medendi*, sic fatur: *Quod si fuerit febris cum alui profluuio, etiamsi non sit pro multitudinis ratione, neque purgare, neque sanguinem mittere oportet; quicumque enim his plus adimere necessarium fore putantes, aut sanguinem mittere, aut purgare voluerunt; in grauiora pericula, ægrotum deduxerunt*: Ergo ex Gal. liquet, quod alui fluxus febri superueniens per se impedit sanguinis missionem; tum etiam Hippoc. inquit: *Aluo fluente sanguinem non mittito, nam si post venæ sectionem fluor perseuerauerit, virtus imbecillior redditur*: Ergo alui fluxus, ex Hippoc. sanguinis missionem contraindicat.

Horatius verò Augenius *lib.* 3. *de sanguinis missione*, maxima distinctione alloquitur, videlicet, alui fluxum dupliciter posse perpendi, primo quatenus per se inuadit, secundo verò modo, quatenus alios subsequitur morbos, nimirum febrem; in prima quidem consideratione, venæ sectio non est impedienda; in secunda verò, maximè, prima pars constat experientia, nam in fluxu dysenterico oportet aliquando, valde venam secare; tum & etiam in diarrhæa, cum hæc multitudinem vasorum possit subsequi, & aliquandò purgatio vtilis erit, de qua dubitatione, ait Horatius, non est agendum; bene tamen de alui fluxu alium morbum subsequente, quod virtutem plurimum languidam reddere potest; ideoque in hoc casu, à symptomate mutanda est curatio, ac omni Medici diligentia ad symptoma est conuertenda; quare considerandæ sunt Gal. verba: *Etiamsi non sit pro multitudinis ratione*. Quæ verba obseruantur Hippoc. asserenti: *Quo natura vergit, per loca conferentia, eo ducere oportet*. Galenus verò in comment. explicat; sententiam esse intelligendam, de euacuationibus imperfectis, dum natura non perfectè morbum iudicat, Medicus debet illius imperfectionem supplere, qui motus imperfectus sumitur à Gal. dicente: *Etiamsi non sit pro multitudinis ratione*. Non vult tamen adiuuandam esse naturam, per regionem conuenientem.

Horatius tamen Augenius aliter sentit, ait enim, quod aut præcipit Gal. naturam non esse iuuandam, aut quod iuuari non debet, dum ipsa mouet; nam, *quæ indicantur, & indicata sunt integrè neque nouare, neque aliter irritare, sed finere oportet*; duo hic dicit, primum, quæ iudicantur actu, secundum verò, quæ iudicata sunt iam: primum quidem, iodicat motum actualem naturæ; secundum autem, finem illius motus: nunc sic; dum natura actu iudicat morbum, nequaquam nouare debemus, neque mouentem irritare; nam etsi segnem faciat motum, in ipso opere non potest iudicari, vtrum perficiat necne, quia aliquando natura solet segniter incipere, & mox validioribus viribus, inchoatum opus perficere; quare vtilius, & prudentius expedit, terminationem motus incepti spectare, quam temere intensiorem irritationem contra naturam aggredi; non enim symptomati debemus incumbere, nisi illud vires languidas efficiat; tunc enim rationem causæ obtinens, ad se totam considerationem Medici arripit, aliquando indicationem curandi immutat.

Quando verò, iam naturæ opus perfectum fuerit, ita vt iudicatio integra maneat, etiam ab omni opere abstinendum est (vt inquit iudicatave sunt integre) si verò non fuerit integra, sed diminuta alui euacuatio, illo casu supplere debet Medicus per eandem regionem, opus inchoatum; nam quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt.

Etsi Horatij Augenij doctrina, maximè sit collaudanda, dilucidiùs, & apertius Lupeius in suis annotationibus, fol. 173. hanc difficultatem sub distinctione pertingit; ipse tamen animaduertendum indicat, quod alui fluxus, vel est

ventralis, vel humoralis; si ventralis, necessariò impedit sanguinis missionem, cum potiùs languorem, vel irritationem ventriculi arguat: si verò ventris fluxus, sit humoralis, ex hepatis, vel alterius visceris inflammatione, non interdicit, siue contraindicat sanguinis missionem; imò præcipuum hepatis inflammationis auxilium, est sanguinis missio: nam cum inflammatio profligetur, febris, & alui fluxus, quæ ab illa proficiscuntur, curantur, non tamen tam libere sanguis extrahetur, ac si alui fluxus non adesset; si tamen non sit inflammatio, sed solum magna plenitudo; dummodo alui fluxus non sit immodicus, merito cum symptomaticus sit, nequaquam impediet sanguinis missionem: sequetur enim illo in casu, talis alui fluor, naturam potius irritatam, quam superantem: quam insequitur sententiam Petrus Michaël de Heredia.

Cum igitur, simul cum febre contingere soleat, magnam esse in venis sanguinis plenitudinem, cuius pars magis pinguis, vi febris in bilem versa, à natura per aluum propellitur, cui symptomati, siue fluxui, sanguinis missio congruenter auxiliatur; quapropter plenitudini obstat, & ne in humorem acrem, fluxumque concitantem vertatur, impedit; quia tamen febris continua, & alui profluuium, quia symptomaticum, virium dissolutionem exhibent, parce vt dixi, sanguis est mittendus, nisi alui fluor in exigua sit quantitate, magnaque humorum redundantia reperiatur; tunc enim, quia pigrè natura vacuat, debilior vi motus symptomatici, quam euacuatione sanguinis reddetur: vnde admissa etiam Oratij doctrina, circa alui fluxum humoralem, qui non symptomaticus, sed potius criticus est, concludendum venit, in illo nequaquam sanguinem esse mittendum, siue in principio iudicij, siue in termino, quia integrè morbus est iudicatus.

Conuulsionem etiam superuenientem febri, adducit *eodem cap.* 14. tanquam symptoma consideratione dignum, ad sanguinis missionem deliberandam: vires enim in motu, tam laborioso conuulsiuo, maximè labefactantur, ideóque inquit Gal. *Sed neque, si quis simul, & distensione neruorum laborauerit, & sanguinis eguerit missione, huic tantum semel mittere oportet, quantum exigit morbus; sed aliquid etiam, accidenti est relinquendum, cuius causa, sæpe sudores adueniunt, & vigiliæ molestant, & vires ægroti debilitantur*: Ex quibus constat, conuulsionem non simpliciter sanguinis missionem impedire, sed quantitatem potius limitare: eadem similiter ratio currit, de his qui in diarrhœam, dysenteriam, aut etiam cholicam passionem solent incidere; in his enim, si euacuandum sit, secundum indicans, euacuatio, parce habita ratione ad vires est instituenda. Propterea pulcrè Auicenna mouet, sic alloquens: *symptomata etiam mala, vt puta, alui profluuium, & conuulsio, euacuationem vetant*; idest dùm immodica extiterint, ac vires valde debilitent.

CAPVT XIX.

An vteri gestatio, sanguinis missionem impediat.



POSTQVAM iam multa, quæ obstare sanguinis missionem videbantur, sint decisa, debita cum ratione, in præsenti inquiritur de vtero gerentibus, vtrum, vteri gestatio sanguinis missionem impediat, cum media sanguinis euacuatione sequatur abortus, vt Hippocrat. *aphorismor. 5. sentent.* 31. asserit: *Mulier vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit, præcipuè si fœtus sit grandior.* Galenus etiam in commentario, inquit: *Ex defectu alimenti perit fœtus*: Sed alimentum fœtus, est sanguis: ergo euacuato sanguine venæ sectione, deficiet alimentum fœtui: ergo peribit fœtus, ac proinde sequetur, abortus: ergo vteri gestatio sanguinis missionem impedit.

Authoritatibus tamen Hippoc. & Galeni, non obstantibus, verior est assertio: quod fœtus nequaquam sanguinis missionem impedit, etiamsi quantitatem metiatur, ac moderetur, vt rectè inquit doctissimus Zacutus *in sua praxi historiarum, lib. 4. fol. 555.* quia fœtura est species euacuationis. Libro de venæ sectione aduersus Erasistratum. Galen. *Nam ex sanguine vteri, conceptus nutriri solet.* Quare si vtero gerens, graui morbo prematur, phlebotomanda in minori quantitate, & non tantum sanguinis extrahendum est, quantum dispositio morbosa exigit; necessarium enim est, aliquid, fœturæ sanguinem absumenti, relinquere. Hanc sententiam, insequitur Gaspar Brauo, *disput. 1. de sanguinis missione, sect. 6. resolut.* 11. Auerroës *lib. 7. collectaneorum, cap.* 4. Mercurialis, Vallesius, Holerius, & alij quamplurimi, vt doctissimus Antonius Mussa Brasabola, & Hieronymus Cardanus *in comment.* 31. *lib. 5. aphorism.* tum & etiam Oratius Augenius *lib. 6. de sanguinis missione, cap. 2.* & probatur; sanguinis missio debet fieri, ex præsentia postulantis, & absentia impedientis; sed in vtero gerente potest dari præsentia postulantis, & absentia impedientis: ergo in vtero gerente morbo magno correpta, potest fieri sanguinis missio. Maior est certa, ex doctrina Galeni, vt *superius* diximus. Minor probatur: in vtero gerente potest dari morbus magnus, dependens à multitudine, vel à motu sanguinis, existente virium robore: ergo dabitur præsentia postulantis, & absentia impedientis, ad sanguinis missionem: ergo vteri gestatio, per se non impedit sanguinis missionem.

Roboratur vlterius: purgatio in vtero gerentibus, ex Hippoc. 4. *aphorismor. sentent.* 1. permittitur: ergo multò meliùs sanguinis missio. Antecedens est certum, consequentia probatur: Maius periculum datur, ex pharmaco purgante,

in vtero

in vtero gerente, quam ex sanguinis missione; sed pharmacum purgans, non impeditur ab vteri gestatione: ergo multo minus sanguinis missio. Maior probatur: purgatio magis commouet fœtum in vtero existentem, quam sanguinis missio, vt Galenus in commentario prædictæ sententiæ, ait: ergo si purgatio magis commouet, quam sanguinis missio, maius periculum dabitur, ex purgatione, quam sanguinis missione: ergo si vteri gestatio, non impedit purgationem (vtero gerentes medicandæ sunt à quarto, vsque ad septimum:) minus impediet sanguinis missionem.


Quare *sententia* 31. *aphorism*.5. non absolute est intelligenda; videlicet, quod vtero gerens, sanguine misso abortit, sed si immodice sanguis mittatur; sicque ex quantitate sanguinis moderate effusa, non sequitur abortus; propterea inquit, Hippoc. præcipue, si fœtus sit grandior: ergo si non grandior reperitur, non ita imminet abortus, quia poterit fieri euacuatio sanguinis moderata, quæ non esset pro fœtus alimonia; imò ex illo redundante, periculum abortus immineret.

Insurges tamen, Gal. 5. *aphorismor. commentar.* 55. docet, Medicos, in vtero gerentibus, validum auxilium exercere non posse; imò neque exquisitam victus rationem præscribere: ergo multò minus, constabit ex Gal. venæ sectionem posse fieri. Præterea; nam quæcumque vacuatio est causa abortus; vt alui fluxus, etiamsi spontaneus, vt quinto aphorismorum 14. dicebat Hippoc. Ergo multò magis sanguinis missio suscitabit abortum, cum media illius euacuatione, fœtui alimentum detrahatur. Deinde, inedia est causa abortus, vt Galenus primo epidemiorum, sect. 3. comment. penultimo, in grauidis enim acuto morbo correptis, exactam victus rationem præscribere, difficillimum est: nam si eas parce nutriamus, fœtus deperditur; si liberalius cibemus, in discrimen matrem adducimus: ergo si ex tenui victu, quia fœtui denegatur pabulum, ipse perit, & corrumpitur; multò melius, quia promptius tollitur alimentum phlebotomia, abortus sequetur: ergo à primo ad vltimum est dicendum, quod vteri gestatio impedit sanguinis missionem.

Hæ tamen rationes, ex distinctione verborum Hippoc. & Gal. solutæ manent. Galenus enim, non denegat sanguinis missionem, sed solum aduertit vnam ex causis abortus esse illam, si supra modum fiat; & ideo ait Hippoc. præcipue si fœtus sit maior, nam solum Medicum cautum reddit, ne in grauidis; ita libere sanguinem mittat, quantum affectus, & plenitudo postulat.

Secunda etiam ratio deciditur asserendo, Galenum intelligere Medicos in grauidis non posse vti exquisita euacuatione;& ideò validum aliquod auxilium, id est exquisite euacuans, mulieri grauidæ non est exhibendum; non verò in totum sanguinis missionem denegat. Similiter alia ratio volitat detruncata asserendo, quod non ex quacumque inedia, sed ex diuturna, neque ex alui fluxu, nisi immodico, abortus est timendus; ita pariter, neque ex moderata sanguinis missione; imò plures, vt postea dicemus, vt abortus impediatur conuenit.

Plurima quidem auxilia, vt inquit sapientissimus Zacutus; quamuis periculosa, ab antiquis summopere commendantur, vt sanguinis missio vsque ad animi deliquium, balneum frigidum, in hectico debili, cui propter corporis gracilitatem, maximè aduersatur; ideoque consilium Tuccidis, maximis encomiis laudatur, qui in ancipiti periculo maluit, aliquid agendum esse, quam ægrum dempta spe, certò perire, cum satius sit, valentibus præsidiis pugnare, quam nihil agere; quia melior est noxa; quam mors: propterea Gal. 11. *metho.cap.* 8. cum febre valida, præsente inflammatione interna, cathartica violenta concedit: 1.*aphorism*.24.& 2.*aphorism*. 11. licet ea renuat 4.*acutorum* 22. hoc ipsum admitit: *lib.* 10.*method. cap*.6. potum aquæ gelidæ citra humoris coctionem, adstante inflammatione interna ad futuram siccitatem præcauendam, propter imminentis, hecticæ timorem; satius enim est, vnam indicationem, propter aliam vrgentiorem spernere.



CAPVT XX.

Vtrum mulier enixa, possit ferre sanguinis missionem ex talo.



LIQVORVM inertiam cum ignorantia coniunctam, meritò negligit doctissimus Zacutus, qui cum mulieres grauidas epilepsia correptas, inspiciant, solum lenioribus auxiliis contenti, naturalem partum spectant, vt post illum, vacuato sanguine menstruali, tot incommoda euanescant; fulciti quidem authorit. Auicennæ. *Fen.* 1. 3.*tractat*.5. *cap.* 8.*prope finem*, inquit enim: *Similiter aduenit mulieri prægnanti, epilepsia in ipsa prægnatione; cumque deponit & euacuat materiam illam menstrualem, remouetur illud. &c.*

Hæc tamen Auicennæ doctrina, vt bene asserit Zacutus intelligenda est, si epilepsia mulieris grauidæ, sit leuis, & breui tempore duret, qua mulieres correptæ, fœtum vsque ad maturitatem gestarunt; si verò vehemens sit,& apoplexiæ propinqua, & conuulsionum vehementia, & diuturnitate, ægram torqueat,timorque adsit, ne ex prædictis causis valeat fœtus suffocari, ex quo abortus, & interitus matris possit contingere; quid in hoc casu ita arduo, & variis difficultatibus pleno, sit agendum, plurimi, nec dubitant, nec somniarunt: si enim auxilium efficax, vt sanguinis missio, ex supernis partibus fiat; causa morbifica ab vtero, ad principaliora membra, & affecta transfertur; si verò ab inferiori regione, videlicet ex talo exerceatur, humore ad vterum conuocato, timor,& suspicio manifesta occurrit,ne fœtus præceps irruat, suffocetur, & abortus sequatur.

Circa hanc igitur grauissimam difficultatem, Zacutus

Zacutus fido experimento fretus, diuersaque ratione munitus, quem insequitur Gaspar Brauo, *loco citato*, melius inter omnes sentit, quod si lethalis epilepsia in grauidis appareat, vel alius per consensum vteri, periculosus affectus; tum & etiam si erisypelas, vel aliqua ingens inflammatio vteri adsit, tunc sanguis potius ex talo, quam ex superioribus partibus est mittendus; si enim fœmina sit in septimo, vel octauo mense constituta, & acutissima epilepsia, crudelissima vteri strangulatione corripiatur, quæ vitia, tamquam à prima origine ab vtero scateant, atque oriantur, potius ex tali vena sanguis est mittendus; nam ad occasionem, & occasionis initium, est deueniendum, vt Gal. *libro de vena sectione aduersus Erasistratum, c.5.* & *libro de rigore, c.*8.tum & etiam, Hippoc. 2.*epidemiorum, sect.*5.

Probatur igitur præsens assertio ratione; quando morbus in aliqua corporis parte pendet, & conseruatur ab inflammatione, vel aliqua materia putrida in vtero existente, necessario conuenit sanguinis missio ex talo: ergo si superueniat in muliere grauida epilepsia, propter materiam redundantem in vtero, vel propter aliquam inflammationem, sanguinis missio ex talo debet exerceri. Antecedens probatur, ex Hippocrat. 2. *epidemiorum, sect.* 4. sic asserente: *Estimargi famula Idumea, quæ vbi peperisset filiam, vteri osculum contortum est, & inter coxendicem, & crus, dolor descendit; hæc ex tali vena secta, liberata est, quamvis tremores vniuersum corpus detinerent:* Ergo antecedens, ex Hipp. est verissimum: nam morbus pendens ab vtero, in prædicta muliere, fuit curatus sanguinis missione ex talo.

Nec valet si asseras, quod mulier non grauida poterit phlebotomari ex talo, in doctrina Hippocrat. non verò mulier vtero gerens. Contra: tota ratio propter quam in muliere non grauida, debet fieri ex talo, sanguinis missio, est quia morbus ab vtero pendens, petit curari per euacuationem reuulsoriam, in principium à quo nascitur; sed in vtero gerente, eadem currit ratio, pro curatione morbi ab vtero pendentis: ergo quamvis sit vtero gerens, in illo casu, semper sanguis est mittendus.

Probatur vlterius; si propter aliquam rationem, sanguinis missio, non est exercenda in muliere grauida; maximè, quia imminet periculum aborsus, sed hoc non obstat: ergo exercenda est sanguinis missio in vtero gerente ex talo. Maior est certa. Minor in qua est difficultas, probatur; nam Cornelius Celsus *lib.* 2. *capit.* 10. fatetur, non semper sequi in vtero gerente, aborsum ex phlebotomia: *Non dubitandum in grauidis, constantibus viribus, sanguinem exhaurire, quoniam vsus ostendit, non esse perpetuum grauidam, phlebotomia curatam, aborsum esse facturam:* Ergo ex prædicta authoritate constat, non dari periculum aborsus in grauida, ex venæ sectione. Hoc argumentum est confectum à sapientissimo Gaspari Brauo, & licet verum, claudicat tamen; non enim est ad vltimum intentum; nam ratio, & authoritas, solum probant in grauida muliere, non dari periculum aborsus, ex sanguine misso; relinquit tamen, prædictum periculum, ex modo remedij, scilicet ex talo: Difficultas etenim, non currit de sanguine mittendo absolutè, in vtero gerente, sed de venæ sectione ex talo, ex qua dubitatur, vtrum aborsus immineat, quod argumentum non probat.

Vrgentius igitur probatur assertio; nam potest dari casus, in quo existente morbo, siue apparatu morboso in vtero mulieris grauidæ, immineat periculum vitæ in fœtu, & in matre; atqui in illo casu, sanguinis missio ex talo, non solum non interficiet fœtum, verumetiam eum liberabit à morte: ergo in illo casu, sanguinis missio ex talo conueniens erit pro salute matris, & fœtus. Maior ex suppositione constat, videlicet in erysipelate, vel phlegmone vteri. Minor probatur, ex plenitudine exuperanti humoris, in vtero inflammato, potest fœtus suffocari, vt simul mater pereat; sed media euacuatione sanguinis facta ex talo, deponitur plenitudo, qua non indiget fœtus, imò læditur: ergo deposita tali plenitudine, vegetior, & robustior fœtus reddetur: ergo potius liberabitur fœtus, & mater, sanguine misso ex talo: ergo illo in casu, non imminet periculum aborsus.

Nec valet si asseras, quod potius, ac tutius liberatur fœtus, & inflammatio curatur, media sectione venæ cubiti, cum ista, causam fluentem ad vterum, reuellat, ac proinde causam morbificam adimat: sed contra: nam periculum interitus, non ita pendet à causa antecedenti, quam à causa coniuncta efficiente inflammationem: sed causa coniuncta, non euacuatur per cubitum, sed potius per talum: ergo fœtus non liberabitur, media sectione venæ cubiti, se potius tali.

Dices tamen, quod quamvis sanguinis missione ex talo, deponatur multitudo vteri particularis, qua fœtus grauatur; tamen media illa euacuatione ex talo, de nouo trahitur materia antecedens, ex partibus supernis, ad partem inflammatam, nempe vterum: ergo majori, & vehementiori impetu, augescet inflammatio vteri: ergo celerius peribit fœtus; ac proinde nequaquam, adhuc in illo casu, mittendus est sanguis ex talo.

Cui instantiæ respondeo, quod in præsenti, intelligenda est assertio cum distinctione; nam si eodem tempore, plenitudo adsit vniuersalis totius corporis, & alia particularis vteri, priùs deponenda est, ex supernis prædicta plenitudo, media venæ sectione ex cubito, ne prædictum inconueniens subsequatur; deinde ad venam tali deueniendo, adimenda erit particularis plenitudo, ne fœtus ab ea suffocetur: vel si malueris, si in muliere grauida, epilepsia per consensum ab vtero reperiatur, plenitudine etiam vniuersali existente ne materia venefica in vtero reperta, media venæ sectione ex cubito, furiosius ad partes supernas feratur, non est priùs sanguis mittendus ex cubito; neque etiam priùs ex talo, ne plenitudo vniuersalis, etiam de nouo in vterum feratur, sed simul, & eodem tempore, media cubiti, & tali ligatura, exercenda est sanguinis missio, ita pro multitudinis ratione, vt si debeat sanguis, secundum vnicam libram euacuari; potius

dimidietas

dimidietas ex cubito, & alia ex talo exhauriatur, vt eodem tempore habita ratione ad duplicem vrgentiam, poſſit Medicus æqualiter ſatisfacere: idemque dicendum eſt, ſi complicata fuerit inflammatio vteri cum dolore pleuritico in muliere grauida, ita vt æqualiter eurrat vtriuſque affectus vrgentia; nam ſi fiat miſſio ſanguinis pro dolore pleuritico, ex brachio, cutatio inflammationis vteri immoratur; ſi verò mittatur ſanguis ex talo, pleuriticus dolor, quia negligitur proclamat; vt ergo vtrique indicationi ſuccurrere valeamus, eodem modo, vt ſupra dixi, aperto talo, & brachio procedendum eſt.

Inter omnes confeſſum eſt, experientiam confirmare, quod ratio adinuenit; ideóque valde obſeruandum eſt, quod doctiſſimus Zacutus *loco citato*, experientia obſeruauit, videlicet, quod praua quædam mulier, iuuenis, bilioſa, & gracilis, cum fœtum ſeptimi menſis, in vtero gereret, propter abſentis mariti timorem, abortum procurauit, plurima anxilia fuerunt parata, pharmaca valida aſſumpſit, vehementia linimenta vtero adhibuit, peſſaria violenta, & fœtum necantia: Denique omni deſtituta auxilio, exact ſſi na, & diuturna inedia corpus extenuauit, & quaſi deſperata; viribus etſi inualidis, ad tali phlebotomiam tredecies, per interualla celebratam, peruenit, & tandem hirudines ter ſedi applicauit, nunquam tamen deprauatum finem aſſequuta fuit, imò gemellos, in nono mẽſe obeſos, in lucẽ edidit, ae ehitutgorum teſtimoniis apud magiſtratum accerſita, truncato capite, adulterij pœnam emeritam, paſſa fuit.

Nec minus ponderis, & conſiderationis eſt, alia obſeruatio; circa grauidam mulierem, epilepſia ab vtero correptam, adducta: ſecta enim brachij vena, periuit: è contra plurimæ vtero gerentes ex talo ſectæ, in ſtatum naturalem fuere reſtitutæ: hanc etenim obſeruationem narrat prædictus Author; fœminæ quidem, ait, plures in vtero, grauidationis menſe, conſtitutæ, quæ ſæuiſſima, ab vtero fuere epilepſia correptæ, quibus febris nun ignaua nocebat, ex efferueſcente in vtero ſanguine retento, excitata; ex medicorum conſenſu, ſanguis ex cubito fuit extractus, & omnes, reuocato ad partes ſupernas ſanguine, ſubito apoplexia petiere. Aliæ verò, ingraueſcente epilepſia acutiſſima, ſecta iterum, atque iterum vena ex talo, eitra aborſum feliciſſime pepererunt.

Nec ad hanc aſſertionem roborandam authoritates poſſunt deficere, Matthæus Gradius *in Conſilio* 72. *pro vteri ſanando pruritu*, ſic ait: *Ob cauſam coniunctam niſi foret pragnans, valeret ſingulariter phlebotomia ſaphænarum, quoniam per eam, dicta cauſa partim vacuaretur, ſed quoniam ea eſt prouocatiua, eam non laudarem, niſi in tempore proximo partui, quoniam tunc, talis phlebotomia iuuaret, &c.* Ex quo deducitur, quòd licet ſecurius ſit remedium, dum eſt partui proxima mulier grauida, non tamẽ tollitur, ſi in alio tempore fœtationis, ſit maxima cum vrgentia; verendo tamen quantitatem euacuationis.

Non aliter in peſtilenti conſtitutione, anno milleſimo ſexcenteſimo, quæ maxima cum mortalium ruina, Hiſpaniam contorſit, innumeræ vtero gerentes in primis, mediis, & vlti-

mis menſibus, bubonibus in inguine correptæ fuerunt, quæ propter imminens ex veneno periculum, ſecta vena ex talo, ſæpius repetita, liberæ euaſerunt: ergo ſi hæc vera ſunt, ac ex veterũ teſtimoniis patefacta; ſimiliter etiã in acutiſſimis ab vtero morbis, venã ex talo ſcindere oportebit.

Inſtabis tamen, quia nulli gentium fas eſt, corrumpere fœtum, vt Ariſt. 7. *politicorum, cap.* 16. nam poſtquam conceptus eſt, ſenſumque, & vitam accepit, nefas eſt, attingere eum; ſed ſecta vena ex talo, ſequitur aborſus: ergo ex Ariſtotele nunquam eſt exercenda. Cui reſpondeo, concedendo maiorem; nego tamen minorem, videlicet, quod ſemper ſequatur aborſus ex diſſecta vena ex talo, tum, & etiam, quia medicus per ſe non intendit aborſum in dictis caſibus, ſanguine miſſo ex pede. ſed potius fœtus, & matris vitam liberare, quòd ſine prædicto remedio conſequi non valet, ſi tamen ex accidenti aborſus contingat, cum potius, remedium indicatum, & exercitum ſit pro vtro ue liberando, fœtu, & matre debite licebit tale auxilium exequi.

Inſtabis deinde, ex eo quòd ſanguis per talum euacuetur, auferrur ſanguis contentus in venã caua deſcendente; ſed talis ſanguis, eſt alimentum fœtus: ergo deficiente prædicto alimento, fœtum perire eſt neceſſe, atqui quovis prætextu, fœtum interficere, vel aborſum ſuſcitare, eſt valde deteſtabile: ergo eum hoc ſequatur, nequaquam ſanguis, vllo in morbo, in muliere grauida, ex talo eſt mittendus, min ex Hipp. conſtat, in iureiurando, vbi ſe aborſum nunquam fuiſſe intentum iurauit: Gal. etiam idem decreuit, *lib.* an fœtus in vtero continuatur: ergo nullo prætextu, aborſus eſt cauſandus, media ſanguinis miſſione ex talo.

Quòd ſoluitur aſſerendo, nequaquam fœtum perire ex ablatione ſanguinis, qui in vena deſcendente continetur; nam ſi immodica ſanguinis quantitas exuperet pro fœtus nutritione, ex prædicta euacuatione, non tolletur ſufficiẽs, & requiſitum fœtui alimentum; ac proinde experientia patet, non neceſſario fœtum perire, & quamvis pereat, ſanguis tamen pro vita matris, ſine qua, ambo perirent, debet mitti: medicus enim, vt dixi, non fœtum perdere, ſed vtrúmque liberare, per ſe conatur; ideóque omnia teſtimonia, ex diuinis, & humanis legibus, quæ Couarruuias, & alij authores adducunt, ſolum contra medicos, qui voluntariè aborſum, ob alios fines deprauatos, conantur, ſtabilita ſunt.

Vrgebis tandem; nam non ſolum euacuatur ſanguis, in vena caua deſcendente, contentus pro alimento fœtus, aperta vena tali; ſed etiam ſanguis, qui in vtero clauditur commouetur; vt apparet, dum in menſtrua purgatione, aut lochio retento, quæ ſanguine miſſo ex talo euacuatur: tum ſimiliter commouetur, & euocatur omne, quod in vtero continetur, vt eſt fœtus: ergo præciſè, ſequetur aborſus; ac proinde ſanguinis miſſio ex talo, in grauidis, ſemper erit læſiua.

Diſſoluitur dicendo, quòd ſecta vena ex talo, nequaquam fœtus neceſſariò remouetur; imò, ex venefica aura in vtero contenta, expultricem vteri facultatem lancinante, vehementior commotio ſuſcitatur, quæ media ſectione facta ex talo, ſedatur, ac proinde fœtus in vtero, vegetior, & firmior redditur.

Ex dictis facile infertur, nullo existente morbo acuto in vtero gerentibus: solum tamen propter sanguinis immodicam plenitudinem, ex qua fœtus obruptio, siue interitus, timetur, posse sanguinis missionem exerceri, pet se inteutam, ad præcauendum aborsum, facta tamen, ex cubiti vena scissa, & probatur; nam aborsus potest contingere ratione immodicæ sanguinis quantitatis; sed media euacuatione sanguinis, aufertur talis causa abortus: ergo ratione præcautionis, ne sequatur, debebit sanguis mitti, vt doctissimus Augenius 6. *de sanguinis missione*, Petrus Salius diuersus, *lib. de morbis particularibus, cap.* 22. Gaspar Brauo. *loco citato*, & alij quam plurimi testantur.

Instabis tamen; sanguis superabundans in vtero grauidæ mulieris, non extrahitur vena cubiti aperta; atqui si sanguinis missio pro præcautione aborsus fieret, efficienda esset ex brachio: ergo cum non liberet fœtum, quia non euacuat materiam in vtero contentam, non erit exercenda, hæc arguties deciditur, concedendo maiorem, & minorem; nego tamen consequentiam; nam licet debeat fieri sanguinis missio ex brachio, & ista non auferat materiam contentam in vtero, hoc non obstante, abortum tale auxilium impediet, quia euacuata multitudine superiori, media reuulsione, quæ fouet multitudinem vteri particularem, istam fœtus pro sui alimonia seruabit, & licet multa dieatur, quia à supernis partibus fouetur, & augescit; sedata tamen fluxione, pro vlteriori tempore nutritionis fœtus, erit necessaria.



CAPVT XXI.

Quibus præsentibus, vel futuris morbis vena secta succurrit.



SIGILLATIS in veriori classicorum doctrina, singulis sanguinis missionem coindicantibus, vel permittentibus, debitè affectus, quibus sanguinis missio, tam præsentibus, quam futuris succurrat, oportet explanare. Morbos igitur à sanguinis vbertate genitos, vel eruptione præsentes, venæ sectio sanat, impendentes verò arcet, vt sunt febris synochus, tam illa, quæ ex sanguine feruescente, citra putredinem, quam illa, quæ ex putrescente accenditur, omnisque continua, cuius putredo in maioribus vasis condita existit: in affectibus verò partium, sibi locum abrogant phrenitis, ophthalmia, parotis, Angina, pleuritis, peripneumonia, hepatitis, splenitis, nephritis, inflammationes vteri, pudendorum, inguinum, alarum, brachiorum, crurum, omnium articulorum, tum internarum, tum, & etiam partium externarum: his proxime accedunt sanguinis sputum, tabes incipiens, sanguinis vomitio, & eruptio quæ fit è naribus, ex vtero, vel hæmorrhoide, horum quidem affectuum initio, scissa vena opposito loco, fluxionis impetum sistit, & reuulsionis virtute non nihil ex parte affecta reuocat, carbunculus tandem, humidior scabies, omnisque rubor per corporis summa florescens, maximè venæ sectionem exigunt.

Ita similiter febris intermittens, quæ sit exquisita, siue tertianarum, quartanarum, aut quotidianarum genere contineatur, non libere venæ sectione curatur, quamvis aliquando conuenienter sanguis mittatur, vt quando venæ immoderata copia turgescunt, ac plethoræ pericula impendunt, vel symptoma quoddam acrius, incalescentis sanguinis vrget, vt pulsans capitis dolor, corporis iactatio, & æstus penè suffocans, quæ quidem symptomata, tam præsentia, quam absentia, suam sæuitiem; media sanguinis missione deperdunt; ac proinde facilius febres valebunt deuastari; ex partium similiter affectibus; venæ sectio conuenit aliquibus, vt sunt capitis & aurium pulsans dolor, lethargus, vertigo, apoplexia, actis & mordax fluxio, cordis palpitatio, in his enim maximum est venæ sectio subsidium, & interdum citra plenitudinem ex eo quòd, medio intensissimo dolore, contusione, vel ardore, fluxio in aliquam principem partem possit prouitari.

Inquires tamen, vtrum sit copiosius, & tutius, sanguis mittendus morbo præsenti, quàm imminenti, cuius decisio, ex virium robore, desumenda venit: nam cum natura morbo, iam præsenti magis, quam imminenti sit labefactata; ideò securius sanguis mittetur, in morbo imminenti, quàm præsenti; quando igitur maxima, & præceps plenitudo adest, nullo adhuc morbo genito, nullo virium dispendio sequuto, sanguis abunde educi potest; quia veluti, qui pondere naturæ media copia grauis erat, protinus morbi discrimen imminentis effugit, securiúsque status naturalis seruatur; quando verò morbus iam est genitus, viresque attenuatæ sunt redditæ, vix citra detrimentum; iusta sanguinis effusio sustineri potest; ob quam rationem in ephemera ex obstructione, in synocho simplici, sanguinis antequam materia putrescat, copiose trahitur; quapropter tutius, morbo imminente, quàm præsente, sanguis profunditur, ac vtilius est futurum prospicere, atque præcauere, quam præsentem profligare.

Quibus similiter affectibus sanguinis missio non conferat, scire valde oportet; sicque Galen. *libro de curandi ratione per sanguinis missionem, cap.* 7. damnat sanguinis missionem in vinosis, & gulæ deditis, sic asserens: *Vinosi, & gula dediti, non iuuantur multum purgatione, nec phlebotomia; quia colligunt, crudos humores, qui nec purgatione, nec vena sectione auferuntur.* Notandum tamen est, quod Galenus ait, non multum iuuari; cum si dicat, iam ex aliqua parte, etsi non multum iuuari quare ipse Galenus 11. *cap. eiusdem libri* asserit: *In his vena sectionem per epicrasim, iuuare posse*; idest parum pro vnaquaque vice.

Galenus pariter 14. *methodi, cap.* 13. non admittit, quod in legitimo erysipelate, sanguinis missio conueniat; tum & etiam 8. *ad Glauconem*, inquit, in erysipelate non esse mittendum sanguinem,

sanguinem, sed purgandam bilem: Paulus verò Celsus, & Aëtius, venam scindunt in erysipelate capitis, & ceruicis, quia nisi bilis euacuetur, strangulat. Ipse sentio, quod in quocumque erysipelate, etiamsi legitimo, licet ratione materiæ separatæ, solum purgatio conferat; ratione verò alterius materiæ antecedentis, quæ nondum est in totum separata, sanguinis missio conuenit, cum apparatus morbosus antecedens auferatur, vt meliùs purgatio exerceatur: Sicque assero, quod Galenus non asseruit absolutè, in erysipelate non esse mittendum sanguinem, sed dixit non esse necessarium mittere sanguinem in erysipelate, idest per se ratione illius, sed potiùs ratione apparatus; idemque est dicendum de tertiana exquisita, ac de causode exquisito, in quibus ratione causæ separatæ, & sincerè nequaquam missio sanguinis indicatur; bene verò ratione causæ antecedentis, quæ cum nondum separata sit antequam secernatur ad fluxionem, & exacerbationem efficiendam, venæ sectione valebit euacuari, viribus tamen constantibus, tanquam à debito permittente.

Galenus præterea *tertio de humoribus, comment.* 33. tres casus insinuat, in quibus sanguis non est mittendus; quorum primus est in tempore valde calido: quia tunc vires non permittunt: secundus est, quod in homine omnino bilioso, ob easdem rationes, sanguinis missio non conueniat: tertius est, ex 11. *methodi*, *cap.* 14. vbi inquit, veneris cruditatem, morbo incipiente, sanguinis missionem prohibere: primi tamen, duo casus intelligendi sunt, pro acceptione sanguinis missionis, in quantitate immoderata; nam tempore calido, vt æstate,& in homine bilioso, propter temperamentum resolubile, vires non ita ferunt sanguinis missionem, in largiori quantitate; bene verò in copia moderata; tertius verò casus de cruditate primæ regionis, dum ea nominatur, sanguis impeditur; ac proinde maximè obseruandus est.



CAPVT XXII.

An in statu febrium putridarum, liceat sanguinem mittere.



CIRCA hanc dubitandi rationem, plurimi, etsi negatiuam partem insequantur, quia tamen discrimine non alloquantur, impugnandi veniunt; sicque verior assertio est, quæ asserit, in statu febris putridæ vniuersali, posse sanguinem mitti distinctione quadam, quam Gaspar Bravo, Vallesius, Carrerius,& Mercatus non adducunt; nam vel currit dubitatio de statu febris perfecto, & salubri, vbi, & si symptomata elucescant; sunt tamen cum signis perfectis coctionis, materia iam à natura superata: vel dubitatur, de statu morbi imperfecto; ita vt inæqualis appareat coctio, ac signum naturæ victricis, eo quòd natura, ab aliqua materiæ portione grauata, vlterius coctionem perficere non valet: si in primo sensu, nequaquam sanguis est mittendus; in secundo verò, maximum subsidium erit: & probatur 1.ex Galen.9. *meth.cap.*5.pro febrium continentium curatione, sic asserente: *Sanguinis missionem, nullo non tempore, esse vtilem.*

Probatur deinde: sanguinis missio indicatur à morbo magno pendente à vitio sanguinis in quanto, vel in motu; sed in summo statu, vel vigore, quamvis appareant signa coctionis, etsi febris sit in vigore, cum inæqualitate coctionis adhuc pendet à materia peccanti in quanto: ergo à tali morbo dependente à materia vitiosa in quanto, in vigore, indicatur sanguinis missio. Probatur vlterius si in morbi statu, crisis, impediatur, aut coctio perfici non possit, quia, præ multitudine humoris, natura est grauata, indicatur sanguinis missio, vt leuata perfectius concoquat: ergo in statu morbi, adducto iam discrimine, sanguis erit mittendus.

Instabis tamen primo; nam in statu, iam natura separauit vtile ab inutili, atqui sanguinis missio est euacuatio promiscua: ergo non conuenit in statu. Cui satisfacio, distinguendo maiorem, in statu natura separauit vtile ab inutili, si sit perfectus, & completus, à natura victrice, concedo libenter: si sit inæqualis, ita vt natura sit adhuc grauata, nego maiorem: ergo in statu febris, sanguis non est mittendus, distinguo vt distinxi;in statu perfecto,concedo,in imperfecto, nego.

Obiicies vlterius 1. ex Hippocrat. qui morbo ad iudicationem eunte, prohibet sanguinem mittere: tum & etiam Galen. 2. *Aphorism.Commentario* 19. Auicenna similiter, in curatione febrium continuarum, sic ait: *Tunc non phlebotomes, in statu eius, cum non sit intensio,& fortasse interficies.* Ergo in statu, sanguinis missio non debet exerceri. Præterea, cum asserat Hippocr. *in statu melius est quiescere:* vt Galen. *in Commentario* rationem reddit, ne interturbetur coctio; ac proinde, ne natura diuertatur à proprio opere: ergo in statu sanguis nequaquam est mittendus. Hæ tamen authoritates, & rationes adductæ, facile euanescunt sub distinctione allata, de statu perfecto, & salubri, vel de statu imperfecto, & dubio; cum natura adhuc sit impedita, vt suum opus perficere valeat.

Ex dictis facilius infertur, venæ sectionem, securius auxilium esse in febrium putridarum augmento, vt constat ex doctrina Galen. *lib. de optima secta ad Trasibulum, cap.* 29. *In pluribus autem temporibus, idem nonnunquam auxilium fertur, initio autem morbi, atque incremento, sanguis emittitur* Tum etiam, *lib* 9. *methodi,cap.*5. *Si aliquando curare, &c. libro similiter de sanguinis missione, cap.* 20. *Verum quoniam in quintum diem, &c.* Roboratur etiam ratione: In augmento febris putridæ, potest dari præsentia indi- es,& absentia impedientis, cum robore virium; sed ideò in principio febris putridæ sanguis emittitur,qua hæc reperiuntur:ergo ita pariter in augmento illius, sanguis mittetur. Maior

est certa; minor probatur: In augmento febris putridæ, quamuis appareat signum coctionis, potest esse adhuc natura oppressa, ne ad statum perueniat: ergo illo in casu, dabitur præsentia postulantis, & absentia impedientis: ergo in augmento febris putridæ, multo melius quam in statu, sanguis mittetur.

Extollit tamen Gaspar Brauo difficultatem, asserens, non solum in prædictis morbi temporibus, siue febris putridæ; veruntamen in declinatione vniuersali euacuationis causa, & simul gratia attemperationis posse exerceri sanguinis missionem, si febris foueatur ab aliqua portione humoris adhuc sanguini commixti, & firmat suum sensum; quia dum febris pendet ab humore crasso sanguini commixto, licet appareant signa perfectæ coctionis, vires tamē debilitari possunt, & iecur incalescere, sicque recidiua poterit superuenire: ideóque sanguinis missio vtilis est in declinatione vniuersali morbi, partim euacuationis, & partim refrigerationis causa.

Roboratur similiter, nam respectu causæ à qua fouetur febris, adhuc desideratur coctio, cum ratione putredinis foueat febrem: ergo indiget sanguinis missione, vt leuata natura respectu illius partis putrescentis, concoquat, quod est habile, & excernat, quod petit excerni.

Miror tamen tanti viri authoritatem, & ingenium, cum maximam inuoluat contradictionem; primo enim supponit vniuersalem declinationem febris esse perfectam, & cum signis perfectis coctionis: ergo tota materia vniuersalis morbi, erit perfecte cocta, & separata, alias non esset perfecta declinatio vniuersalis: deinde supponit, adhuc febrem foueri ab aliqua alia portione materiæ putrescentis, permistæ cum sanguine, à qua natura nondū est leuata, vsque quo sanguis mittatur, vt denuo concoquat materiam relictam: ergo ex Brauo sequitur, in illo casu, quod omnis causa morbifica perfecte est cocta, cum sit in vniuersali declinatione perfecta, & quod non est tota debita, cum adhuc restet alia portio putrescens, quæ fouet febrem; quare asserendum est in veriori doctrina, quod in mentita, & falsa declinatione, propter rationem allatam debet sanguis mitti, vt natura leuata ab aliqua materiæ portione, possit coctionem perfectius elaborare; in declinatione verò perfecta, nequaquam venæ sectio est exercenda; nam tota materia morbifica, est deuicta, & separata; ac proinde febris detruncata: nam coctio facit cessare putredinem, qua, cessante cessat febris; si tamen recidiua sequatur ex materia retenta, hoc erit, quia de nouo incrudescit, quo in casu, iam nouus morbus est constitutus, sanguisque debet mitti; hoc tamen, potius erit in principio noui morbi, quam in declinatione perfecta præcedentis.



CAPVT XXIII.

An in puncticulari febre sanguis sit mittendus, apparentibus tam, exanthematibus.



LICET grauissimus Sennertus, triplicem febris malignæ naturam constituat; vnam videlicet pestilentem propriam, aliā solum malignam; aliam verò describat, *lib. 5. de febribus, c. 18.* cuius titulus est, de febribus pestilentialibus, quæ propriè, Hispano sermone (*tabardillo*, solet appellari) ita harum curationem distinguit, vt in vltima differentia, ab exhibitione pharmaci purgantis, incipiat; deinde verò sanguinem mittat: de hac igitur offertur dubitatio, vtrum apparentibus exanthematibus, siue puncticulis, debeat in prædicta febre sanguis emitti, vt solet contingere in variolis, & morbillis: de quibus eadem currit ratio dubitandi.

Plurimi circa hanc dubitationem prædicto in casu, venæ sectionem obnegant, cuius est ratio: nam dum puncticulæ apparent, humores, qui febris malignæ, causa morbifica sunt, vi naturæ ad circumferentiam mouentur; sed media venæ sectione; iterum ad interna, vt viscera remeant, medio motu contrario, quod valde perniciosum est: ergo ne hoc sequatur venæ sectio nequaquam est efficienda. Maior est certa, siquidem apparent puncticulæ malignæ: minor probatur experientia, quia puncticulæ, media venæ sectione euanescunt: ergo quia trahuntur humores ad interna: ratione similiter, venæ sectio est tractio sanguinis à circonferentia ad centrum: ergo quia mouentur humores ad interna. Probatur prædictum antecedens, nam secta vena, euacuantur humores secundæ regionis: ergo materia, quæ est in tertia regione, nimirum in circunferentia corporis, succedit ad secundam regionem; hoc est valde perniciosum; nam maligna potius sunt euocanda, quam reuocanda: ergo cum natura moueat ad habitum, non impedienda sed imitanda est, vt Hipp. *1. Aphor. sent. 21.* quò viis, ac locis vtiliter ferentibus ducantur ad ea humores, atqui cutis est conueniens receptaculum excrementorum præcipue veneficorum: ergo talis excretio nequaquam est impedienda: ergo cum sanguinis missio contrarium motum efficiat, apparentibus puncticulis, non est exercenda.

Alio similiter freti fundamento Authores sanguinem mittere nolunt, quia cum in huiusmodi febribus malignis, valde vitiati succi, propter contagium, & exuperantem putredinem adsint; propterea nihil deterius, quam venæ sectionem iudicant; humores enim tale subsidium valde exagitat, ac sordidum, puro, & sincero sanguini commiscet; vnde purum contaminatur, quod firmat exemplo fellis, aut

salis:

falis: nam si aliqua portio istorum in aquam quiescentem mittatur, aqua parum salsa, vel amara erit; si verò aqua exactè agitetur, fel, & sal, cum tota aqua permiscatur, inducent ipsam aquam amariorem, vel magis salsam, vt Gaspar Brauo, ex Siluatico abstulit; idemque de variolis, & morbillis, vbi cœperint apparere, nequaquam venæ sectionem permittunt.

Mercatus tamen, *tom. 2. lib. 7.* asserit, quod si plenitudo non sit in totum deposita, etiamsi maculæ in habitu appareant sanguis est mittendus; si verò deposita est, aut vires imbecilles sint, venæ sectionem exercendam non esse: alij verò sub distinctione alloquentes, tuentur, vt doctissimus Nicolaus Bocangelinus, *libro de morbis malignis, & pestilentibus, cap. 55.* quod capusio macularum, vel ex critica, natura vincente, in qua sanguis nequaquam est mittendus, eo quod naturæ actio rectè operantis, impediretur; vel est symptomatica, ex vi febris orta, natura lacessita, et sine signis vllis coctionis, quo in casu, maximum est venæ sectio subsidium; vel si manis signis apparentibus phlebotomia nequaquam, cum signis verò cruditatis, maximè est exercenda.

Gaspar tamen Brauo *sect. 7. resol. 20. fol. 475.* eandem insequens sententiam Nicolai Bocangelini, resoluit, quod apparentibus puncticulis, vel aliis excretionibus criticis; si natura redditur potentior supra causam morbificam; sanguis non est mittendus, ductus prius, authoritate satis trita 1. *Aph. sent. 22.* quæ indicantur, iudicata sunt integrè, &c. Ergo si maculæ, aut aliæ excretiones appareant, natura vincente, nec sanguinem mittere, nec aliquid innouare oportet. Si tamen quis afferat, quod ex Hippoc. nihil est agendum si morbus sit integrè indicatus; per excretiones verò ad cutem, non potest esse indicatio integra, quia tantum materia tenuis, & vapotosa, remanente crassiori portione, valet euacuari; ac proinde talis euacuatio erit diminuta, & non critica quod dissoluit Brauo respondens, quod cum huiusmodi febres puncticulares, pendeant ab efferuescentia humorum propter malignam qualitatem; hinc est, quod qualitas illa maligna solum in tenuioribus partibus inhæret, quæ si ad cutem moueantur, effetuescentia maximè quiescit, malignaque qualitas, extra pellitur: spiritus denuo fouentur, ac alij peiores generantur, sicque natura victoriam supra causam assumens, validiores pulsus, & magis æquales efficit, eo quod febris remittitur.

Satisfacit tamen in suo sensu Brauo, instantiæ allatæ, asserens, feruorem, & qualitatem malignam, solum esse in substantia vaporosa; si tamen aliquis vrgeat, non implicare qualitatem veneficam etiam posse inhærere substantiæ crassæ, & terrestri, ac proinde quod ista non potest euacuari per habitum, sicque talem euacuationem, sine indicatione non esse integram totius causæ morbificæ. Respondet Gaspar Brauo, quod Hippoc. dum docet si morbus integre indicatur, per 1/ *integre*, intelligit, dum perfectè iudicatur, idest cum fiducia, & securitate, quamuis hoc non cótingat per integram euacuationem totius causæ morbificæ; nam ad hoc vt iudicatio dicatur perfecta, sufficit quod media illa euacuatione, quamuis non sit totalis materiæ, tamen quæ sufficiat, vt natura reddatur superior, supra aliam causam morbificam.

Annuente tamen, tanti, authoritate, viri, prædictam Hipp. expositionem circa iudicij integritatem, non vt integram amplector; dicere enim integram esse indicationem, quia sufficiens materia morbifica est euacuata, vt reliquam remanentem, natura valeat superare; ex hoc sequeretur quod quælibet euacuatio critica, esset perfecta, nullaque reperiretur imperfecta, & diminuta: deinde quod etiam euacuatio symptomatica, quæ ex accidenti dicitur bona, esse critica, & integra: sequela probatur; nam media euacuatione symptomatica, ad tempus, materia quæ relinquitur, est magis capax, vt superetur à natura leuata, præcedente dicta euacuatione: ergo talis euacuatio, quamuis non sit totius materiæ morbificæ, quia natura redditur superior, diceretur integra. Præterea quia ex relicta materia crassa, potest dari periculum recidiuæ; sed ex euacuatione integre iudicante, nullum recidiuæ periculum adest: ergo male asserit Gaspar Brauo, quod illa euacuatio mediis puncticulis, quamuis tota materia morbifica non sit euacuata, est integra, quia natura redditur superior, ad aliam portionem vincendam.

Potius tamen satisfaceret Brauo, dicendo; quod casu quo mediis puncticulis, solum euacuetur materia, siue portio tenuior, & facilis ad exitum per cutim, & deinde remaneat intra venas, alia crassior, & terrestrior, cum signis tamen permanentibus, & perfectis coctionis; tunc, etsi non sit crisis integra in esse euacuationis, quia remanet alia portio, in esse tamen iudicij crisim, idest signi coctionis, dicetur opus criticum, ex eo quod natura partim expulit materiam tenuiorem ad habitum; aliam verò incapacem, vt per habitum mittatur, superat media coctione, vt postea adimpleto munere euacuationis per habitum, ingrediatur alterius materiæ intra vasa existentis per secessum expulsionem, vt in esse euacuationis, iam sit talis euacuatio critica integra, & perfecta, alias solum esset critica ad melius.

Quibus sic iactis, respondeo, adhuc illo in casu sanguinem, non esse mittendum: quia licet remaneat portio illa, dicta, intra venas, ista adhuc est obiectum retentricis, vt perficiatur in coctione; sicque cum non grauet naturam; imò coctrici facultati cedat, ideò relinquendum est totum, naturæ opus ad coquendum, ne diuertatur à proprio opere; vt postea si à natura victa non expellatur complete, possit ab arte suppleri expurgatio, medio pharmaco purganti, ne recidiua ex tali materia cineritia relicta, sequatur.

Secundum verò aliam partem, videlicet quando maculæ apparent in principio morbi, ex eo quod potius materia est cruda, atque inuicta, cum talis eruptio sit symptomatica, inquiunt plurimi sanguinem necessario esse mittendum, vt inter alios est doctissimus Senertus, Zacutus. Oratius Augenius, Mercatus, & Gaspar Brauo: & probat primo Mercatus huiusmodi assertionem ex Gal. quia natura leuata media venæ sectione, melius

melius quod est habile concoctu, eoincit, & concoquit, ac tandem, quod debet excernere, excernit: ergo multò efficacius materiam relictã valebit per cutim expellere. Deinde, quia nequaquam valet timeri retrocessus, humoris ad cutim tendentis; hocenim solum accidit, quando deponitur, quod necessarium est naturæ, qoando verò, quod superfluum est, euacuatur sectione venæ, potius reliquum, melius à natura moderatum, ad circumferentiam pellitur; quà ratione soluitur ratio superius allata, de timore retrocessus materiæ ad intimiora corporis.

Præterea, quia maius periculum suffocationis, ac proinde vitæ impẽdet periculum, ex summa plenitudine, quam ex remeatione ad intra, cum ista postea magis à natura corrigatur, iterum ad extra vehementius emittendo: ergo de primo ad vltimum inferendum est, eruptionem puncticularum in principio febris malignæ, nequaquam sanguinis missionem impedire, cum talis euacuatio symptomatica sit.

Roboratur vlterius: sanguinis missio, ex doctrina Galeni est exercenda, dum adest iodicans, & abest impediens; sed eo quod febris maligna, pendeat ex vitio sanguinis in quantitate, aut in motu, adhuc apparentibus maculis, est indicata à præsentia postulantis, & non impedita, cum vires possint esse validæ: ergo debet exerceri, etsi maculæ appareant.

Præterea confirmatur, quamuis maculæ appareant, si non adsint signa naturæ vincentis, vt sunt coctiones, quæ celeritatem iudicij, & securitatem salutis ostendunt, imminet vitæ periculum, nisi adimatur causa à qua febris conseruatur, cum eam, quia grauata, non possit vincere; sed tunc temporis non est indicata purgatio, quia non est materia cocta, & separata: ergo debet exerceri sanguinis missio.

Neque valet argutíes facta, ex aquæ permixtæ, cum re amara, aut salsa, exemplo, ex eo quod si aqua agitetur, amarior, & magis salsa redditur: ergo ita ex venæ sectione in febre maligna agitatus humor, magis impurus, & vitiosus redditur; paritas enim non currit æqualiter; nam humores non ita continentur intra venas, veluti aqua in vase: dum enim vas agitatur, cootenta in eo, permiscentur, confusaque redduntur; non verò dum sanguis mittitur, ita humores intra venas agitantur, vt confusa illorum sequatur permistio; imo cum partim natura, portionem sanguinis expellat, minorataque sit quantitas humorum, minus ebulliunt humores, purioresque redduntur, vt impediatur illa coinquinatio vtilis, cum inutili: ac proinde soluta manet facile, instantia.

Sapientissimus tamen Ioannes Baptista Siluaticus, *in suis controuersiis 41.fol.* 194. aliter circa hanc difficultatem sentit, videlicet, quod apparentibus efflorescentiis, siue puncticulis in morbi initio, tandiu impediri sanguinis missionem, quandiu naturæ motus perdurat; nam mouente natura, quomodocumque illa moueat, nihil nobis agendum est, sed illius motum spectandum; quare, cum eruptio papularum, naturæ sit motus (quamuis symptomaticus sit) non est sanguis mittendus vsque quo Medicus præuideat, vtrum talis efflorescentia satisfaciat, nec ne; & probatur paritate desumpta ex Gal. doctrina 9. *metho. cap.* 5. assetentis: *Si tempore mittendi sanguinem, menses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspecto fluentis imp.tu ipse satis fore videbitur, qui solus quod requiris vacuet, natura rem omnem permittes; sin minus ipse detrahes, quo ex coniunctis ambobus, perficiatur quod postulat.*

Nunc sic, ex doctrina Gal. quamuis detur indicans sanguinis missionis, si tali tempore moueatur euacuatio menstrualis, quamuis motus sit symptomaticus: hoc non obstante, nihil est agendum, sed expectandus est motus naturæ, vt si natura non satisfaciat, valeat Medicus venam scindere, vt tale opus perficiat; sed sic est, quod quando apparent puncticulæ in principio morbi, quamuis symptomaticæ, talis est motus naturæ; ergo toto tempore quo permanet efflorescentia, in febre maligna, nihil est agendum: ergo sanguis non est mittendus. Maior propositio est manifesta, ex Gal. Minor probatur, tota ratio propter quam euacuatio menstrualis in principio morbi, quamdiu durat, impedit saoguinis missionem, est quia licet symptomatica, potest satisfacere redundantiæ causæ morbificæ, & fit per loca conferentia; sed etiam eruptio exanthematum, in principio febris malignæ, potest satisfacere redundantiæ humoris maligni, & fit per loca conferentia, nempe per habitum corporis: ergo quemadmodum vna, etiam alia euacuatio, quamdiu perdurat, impedit saoguinis missionem.

Præsens quidem ratio, maximam confert vim, qua Gaspar Brauo conuictus inconsequenter alloquitur: primo, quia tuetur absolute, quod sanguis mittendus est in principio morbi, licet puncticulæ appareant, quia symptomatica est euacuatio; inferius verò insequens paritatem ex euacuatione menstruali symptomatica, & eruptione exanthematum, inquit, sanguinem non esse mittendum, excretione permanente ad cutem; nisi quando non sufficit, vt natura superior euadat, veluti contingit in euacuatione menstruali, febri superueniente.

Ipse tamen aliter sentiens, prædicto respondeo argumento, quod nequaquam eadem militat paritatis ratio; nam licet verum sit, quod quamuis euacuatio menstrualis permittenda sit, sine vllo alio auxilio, nempe venæ sectione; non tamen eruptio exanthematum, ita est relinquenda, vt sanguis non mittatur, cuius est ratio; qoia quamuis vna, & alia sit symptomatica, & per loca conferentia; tamen menstrualis euacuatio copiosius, & securius valebit satisfacere redundantiæ morbificæ causæ, vt sanguinis missio aliquando non sit necessaria; at verò euacuatio per habitum, mediis puncticulis, non ita complete potest quantitati causæ morbificæ euacuandæ satisfacere; qoia cum ductus in habitu corporis reperti, non ita capaces, ac permij sint, veluti vasa vteri; propterea mediis exanthematibus solum euacuabitur materia vaporosa, & subtilior, quæ habilis sit ad exitum, remanente alia crassiori, adhuc cruda existente, quia in principio morbi, ratione cuius semper indicata est sanguinis missio, vt leuata natura coctionem aggrediatur; vasa verò matricis

cum

cum ampliora, & capaciora sint, vt tota materia morbifica, tam tenuis, quam crassa possit à natura expelli, secundum redundantiam, qua natura erat oppressa, hinc est, quod expectandus est motus euacuationis menstrualis, non verò efflorescentiæ, cum ista semper debeat esse imminuta.

Doctissimus quidem Michael de Heredia, *de curatione febris maligna, disputat. 3. qua. 1.* hanc difficultatem exacte perpendens, maxima ratione fretus, opinatur, quod si materia morbi sit cruda, ægerque non sit satis inanitus, non apparentibus, vel apparentibus maculis, semper sanguis est mittendus: si verò materia extiterit cocta, & iuxta vigorem, siue in eo puncticulæ appareant, prudentius, & securius erit quiescere, donec Medicus effectum illius expulsionis peruideat, ita vt si mitior, & remissior morbus appareat, talem euacuationem permittere, aut iuuare conueniat; cum tali in casu indicatoria soleat esse, vt ex Hippoc. constat, qui nullam fœminam non vidit, cum hac expulsione liberatam: attamen in quouis tempore morbi, si morbus non remittatur, & symptomata non mitiora appareant, ratione eruptionis papularum, contemnenda maxime est talis euacuatio, & operandum quasi non apparuissent; sicque vel in augmento, vel in vigore, sanguis semper erit mittendus, cum hac tamen præmeditatione, vt Medicus illum materiæ motum ad cutem, non impediat, sed potius auxiliis idoneis euocantibus, semper iuuet; nam huiusmodi eruptio, quamuis ex parte temporis, symptomatica, semper tamen est euacuatio materiæ peccantis; quare ex parte causæ, semper est conferens; quapropter, etsi sanguinis missio exerceatur, de nouo natura est iuuanda ad habitum, cucurbitulis, linimentis laxantibus cutem, ac moderate attrahentibus, aliisque ad habitum mouentibus. Quæ sententia verissima, & apud omnes collaudata est digna, cum non solum seruanda sit in febris puncticularis curatione; verum etiam in variolarum, & morbillorum constitutione; quemadmodum, in carbunculis, & reliquorum affectuum, qui cum vlcere crustoso cuti insunt curatione, Gal. ab incisa vena incepit, vt 4. *metho. cap.* 10.



CAPVT XXIV.

Vtrum Febribus pestilentibus sanguinis missio conferat, & an ex talo potius, quàm ex cubito.



ON exigua solicitudo, & cura, Medicorum ingenia cogit, ad extirpandam febrium pestilentiũ naturam, cum plurimi ægrotorum, etiamsi exquisita auxilia exhibita sint, miserabiliter pereant: de his igitur suscitatur quæstio, vtrum in selectiori curatione, sanguinis missio conferat, circa quam dubitationem, plurimi negatiuam partem insequuntur, & probatur 1. media experientia, quam antiqui, ac moderni omnes fatentur, suis temporibus, media febrium pestilentium grassatione, quod nulli sanguis fuit missus, qui non interierit: ergo in febribus pestilentibus, experientia pater, sanguinis missionem non esse proficuam.

Probatur vlterius; facta sanguinis missione, attrahitur materia venefica à circumferentia corporis, in spiritualia: sed in febre pestilente semper est trahenda à corde, & ab internis, ad externas partes: ergo numquam conuenit sanguinis missio: roboratur præterea; huiusmodi febres pestilentes apparent in principio lenes, placidæ, & mitissimæ, vsque quo seminaria contagiosa iam sint dispersa, sed sanguinis missio fit potius, dum iam talis materia venefica plurimum est agitata, & commixta: ergo illo in casu, media sanguinis missione, minus de seminario, & de corrupta materia, magis verò de laudabili euacuabitur: ergo in maius discrimen, quam iubetur, collocabitur æger: ergo sanguinis missio nequaquam confert in febribus pestilentibus. Hæ tamen rationes, etsi aliquam virtutem sustineant, non tamen conuincunt, vt hanc sententiam insequamur; sicque prius soluuntur, si asseram, quod quamuis plurimi ægri febre pestilente laborantes, sanguinis missione facta perierint; hoc tamen est, quia forte non fuit exercitum subsidium sub distinctione, quam inferius adducam: si enim venefica qualitas pestilens, non sit cum apparatu morboso complicata, sed potius medio fomite genita, illo casu, cum sanguinis missio materiam morbificam non exhauriat, potius laborans febre, peribit.

Secundæ rationi respondeo, vt superius in alia solutione; quod licet media sanguinis missione, successione ad id, quod euacuatur, aliqua portio ad interna retrahatur; statim tamen ab oppressione, natura leuata, mouetur denuo ad expulsionem; ita vt copiosius materiam morbificam ad externas partes trudat; vt experientia patet in morbillis, & variolis adhuc erumpentibus: deinde, quia non semper accidit talis retrocessus, nisi quando superfluum, phlebotomia euacuatur.

Tertiæ rationi respondeo, quod licet circa principia, huiusmodi febres lenes, & mites appareant; si tamen Medicus peritus, & cordatus extiterit, & magnam humorum plenitudinem animaduerterit, statim venam scindere debet, antequam prædicta seminaria malignitatis sint dispersa; alias parce, sanguis mittendus erit, cum vires non ita validæ sint ad huiusmodi auxilium permittendum, vt doctissimus Fracastorius, *lib. 3. de febre maligna puncticulari cap. 5.* recte percensentit.

Quibus solutis, verior assertio est, quod viribus consentientibus, si febris pestilens complicata sit cum morboso corporis apparatu quomodocumque contagium proueniat, ipsum apparatum deponere oportebit, media sanguinis missione, dummodo talis apparatus morbosus, ex humorum, vel sanguinis copia congestus sit, quo quidem casu, non solum morbo incipiente, sed quotiescumque tumores dolorosi grandiores, pustulæ, carbunculi, & antraces appareant,

rint, præcipue eis apparentibus, si morbus non sedetur, cum vires constent: notandum etiam expedit, quod dum sanguis mittitur, quamuis maior sit morbi vrgentia, parce tamen, & per vices, potius, quàm confertim, & subito, est euacuandus, vt vires donec morbus consistat sufficere valeant; sic tenet doctissimus Mercatus, *lib. 7. de febris pestilentis curatione fol.* 456. notandum, similiter conuenit, quod, si febris pestilens ab aëris vitio: modo à cœlo modo ab aqueis, vel à terra, aut quauis eius putrilagine nascatur; ita vehemens sit, vt citra morbosum corporis apparatum, vel spirituum, vel solidæ substantiæ corruptione, vel maxima humorum dissolutione celerrimo tempore hominem perdat, valde sanguinem detrahere frustraneum est, præcipuéque si humor peccans, separatus fuerit à locis sanguinis, eandem etiam sententiam amplectuntur, Zacutus *tom.1.lib* 2. Sennertus, *lib.4. tom.2 cap.* 6. Gaspar Brano, *disputatio.1.resolut.*21. Riuerius *in curatione febris pestilentis*, Massarias *lib.1.de peste*, & alij quamplurimi.

Probatur igitur huiusmodi assertio primo, nulla alia est ratio propter quam, qualitas pestilens impediat sanguinis missionem, nisi quia vires languidæ sunt; atqui pluries vires possunt esse constantes, vt ferant sanguinis missionem: ergo in prædicta febre, aliquando sanguis valebit mitti; minor probatur ex distinctione allata; nam eo quod detur apparatus morbosus pendens à multitudine sanguinis, in principio febris, nondum natura est labefactata, imo si non leuetur, à quanto, magis prædicta qualitas valebit omnem massam, & spiritus serpere: ergo si sanguis non mittatur potius extincto calore natiuo, à quanto, & à quali, peribit æger: ergo tunc temporis sanguinis missio maxime confert.

Probatur vlterius, febris pestilens debet curari per euacuationem causæ, à qua dependet, sed in illo casu, talis febris pestilens pendet à copia sanguinis, vel humoris cum eo commixti: ergo talis multitudo est euacuanda, non per purg ationem, cum materia non sit separata: ergo potius per sanguinis missionem, viribus tamen consentientibus. Confirmatur etiam testimonio Gal. qui cum vehemens pestis Asiam apprehendisset, ipsumque attigisset, secunda morbi die, remissione febris facta, crus scarificauit, duasque ferè sanguinis libras detraxit, hacque de causa, periculum vitauit; quod insinuat Oribasius 7. *collectaneorum*, *cap.*20. Ergo cum sanguinis missio indicata sit à febre pestilente, cum appparatu morboso dicto complicata, necessariò exercenda erit.

Secunda verò quæstionis propositæ pars, etsi non quoad remedium in specie, quoad modum exercendi militat, videlicet, an pro pestilenti febre curanda, debeat fieri semper sanguinis missio ex talo: præsens percelebre dubium, variam anthoribus opinionem parit; alij enim inquiunt, semper ex talo fusionem sanguinis, nunquam ex brachio, exercendam esse: alij verò, aliquando ex brachio, aliquando tamen ex talo, quæ sententia, vt verior est eligenda, ad cuius roborationem notandū expedit, quod si corpus sit plethoricum, ac materia morbifica putrida à qua febris nascitur, & fouetur, adsit in vasis maioribus, vt in trunco venæ cauæ sursum ascendentis, sanguis necessariò ex Brachio prius est mittendus; vt tandem reuulsio, ac humorum tractio fiat in partem longinquam, vena tali erit scindenda, quod si corpus non nimis plethoricum, aut si in mesenterij venis copiosa humorum portio, à qua febris pestilens foueatur, superabundet, potiùs ex pede vtiliter sanguis est euacuandus.

Hanc assertionem subtiliter extollit Gaspar Brano loco assignato, eam tuetur Sanctorius *lib.1.epistolarum* 2. Mercatus 7. *de curatione febris pestilentis*, Zacutus 3. *obseruationum Medicar. obseruat.* 44. Oratius Augenius 3. *epistolarum, & consultationum Medicarum*, *in epistola pro Antistite*, Majora 1. *de febribus, cap. de curatione febris maligna*, Sennertus *lib.4.cap.* 11. & probatur, ex prima suppositionis parte, videlicet dum plethorica dispositio corporis adsit, nam sanguinis missio in febre pestilente, semper debet fieri secundum exigentiam febris, prout est putrida; sed prout est talis putrida, indicat sanguinis missionem ex brachio: ergo febris pestilens, prout putrida est, semper debet curari media sanguinis missione ex brachio. Maior probatur; venæ sectio in febre pestilente, non exercetur ratione pestilentiæ, vel qualitatis maleficæ: ergo exercetur secundum exigentiam illius, prout dependet à putredine: ergo prout putrida est, indicat sanguinis missionem ex brachio: ergo non est exercenda ex talo.

Probatur vlterius; quamuis sanguinis missio indicetur in febre pestilente, veluti remedium reuulsorium, & euacuatorium, sequitur maior vtilitas, vt euacuet proximam cordi morbificam causam, quam reuelat ex talo; sed facta sanguinis missione ex brachio, tutius, & celerius, euacuat ex corde talem causam morbificam, quam si reuelat ex talo: ergo quamuis indicetur vt remedium reuulsorium, & euacuatorium, cum hæc etiam saluentur, exercenda erit maiori ex parte ex brachio, quam ex talo.

Confirmatur præterea, febris pestilens maiori ex parte ortum ducit ex putridis humoribus, in vena caua ascendente, existentibus, & potius ab ea disseminatis in vniuersum truncum, quam ex illis, qui sunt in vena caua descendente; sed sanguinis missio ex brachio, certius, & securius, euacuat humores existentes, in vena caua sursum ascendente: ergo euacuat securius causam morbificam febris pestilentis: ergo potius vena scindenda est ex brachio, quam ex talo, admissa tamen, vt dixi, dispositione corporis plethorica.

Secunda verò suppositio videlicet, quod si adsit causa morbifica, febrem pestilentem fouens in vena caua, & ramulis deorsum, descendentibus, aut si in mesenterij venis superabundet, potius vena tali est secanda; & probatur, si exigua sit humoris copia, qua febris pestilens fouetur, magis est reuulsio indicata, quam euacuatio; sed sanguinis missio ex talo, est adhuc maior reuulsio, quia in partem longinquam: ergo illo casu sanguinis missio ex talo erit vtilior, quàm ex brachio.

Probatur vlterius, si sanguis vitiosus existat in vasis inferioribus venæ cauæ descendentis, nulla existente

existente plenitudine vniuersali, venæ sectio ex talo celerius, & promptius euacuat materiam, quam ex brachio: ergo potius ex talo, quam ex brachio erit exercenda; antecedens probatur venæ brachij nullam habent communicationem proximam, cum venis inferioribus, in quibus materia morbifica continetur; atqui vena tali maximam obtinet commonionem, cum prædictis inferioribus: ergo potius conferet sanguinis missio ex talo, quàm ex brachio.

Obiicies tamen, quando adest indicatio reuulsiua, & euacuatoria; hæc debet adimpleri, media euacuatione ad vtrumque finem; sed in febre pestilente est indicata venæ sectio euacuatoria, ratione materiæ malignæ petentis corre-uulsoria verò, ratione qualitatis deleteriæ, ad partes internas irruentis: ergo talis euacuatio, reuulsoria, & euacuatoria debet fieri per loca commodiora; atqui facta ex talo, est commodior euacuatio ad vtrumque finem: ergo potius in febre pestilente, sanguinis missio est facienda ex talo, quam ex brachio. Maior est certa. Minor ex duplici causæ respectu, qualitatis, videlicet veneficæ diuersimodè fluentis, non potest negari: secunda altera propositio, minor, probatur, sanguinis missio ex talo, euacuat per ramum venæ cauæ descendentis, ex quo euacuatur sanguis à venis maioribus, & iecore; deinde euacuatur per partes inferiores per quas meliùs reuellitur materia: ergo venæ sectio ex talo vtramque indicationem euacuatoriam, & reuulsoriam adimplet: ergo cum ista duplex indicatio detur in febre pestilenti, potius conueniet sanguinis missio ex talo, quàm ex brachio.

Soluitur, hæc arguties respondendo, quòd quando duplex adest indicatio, euacuandi, & reuellendi, illa quæ euacuatoria sit indicatio, mittendi sanguinem, semper debet præualere, quia præstantior est ad febris curationem, euacuatio causæ, quam reuulsio; nec valet minor propositio allata, videlicet, quod ex vena tali excisa, etiam fit euacuatio causæ, hoc enim verissimum est, si causa febris pestilentis, in mesenterij venis, aut lienis reperiatur; si verò sit in vena caua ascendenti, ac venis ab ipsa disseminatis, potius reuulsio, quàm euacuatio, quæ magis indicata est, fiet.

CAPVT XXV.

Quæ vena in quovis affectu secanda sit.



VM in superioribus, satis de communiori modo reuellendi, deriuandi, & euacuandi; in diuersis affectibus sit actum, nunc iam peculiariter, videlicet ex qua vena, in quovis affectu, sanguis debeat mitti; agendum venit, plenitudo igitur, quæ nullius partis est affectio, qualibet ex vena, citra electionem detrahitur, commodissimè tamen, ex interiore vena cubiti dextri; quæ à caua, & iecore, validissime proficit, biliosa deinde plenitudo, ex dextri similiter vena cubiti; melancholia verò ex interiore vena sinistri cubiti; ita lienis situs exposcit, quæ verò ex crudorum colluuie humorum, suborta fuerit, ex quolibet brachio potest adimere, eadem prorsus ratio est obseruanda, in febrium curatione, quare synochus febris, tum simplex, tum putrida, interiorem cubiti dextri venam exigit secari; veluti febris ardens, pestilens, quemadmodum tertiana, & quotidiana, siue simplex, siue duplex, aut intermittens, vel continua; quartana verò, quæ continenter affligit, interiorem venam sinistri brachij exposcit.

D. D. Matth. de Llera, de Febrib.

Nec minus animaduertendum est, quod in febribus putridis intermittentibus, secanda est vena quando, siue plethora, siue symptomatum crudelitas efflagitat, ex partibus supra claviculas existentibus, præcipue quidem vena humeraria incisa reuellit, & euacuat celerius, & validius ex cubito, tardius verò, in illo manus ramo, qui inter pollicem, & indicem excurrit; ex illis verò morbis, qui inter claviculas, & renes, sunt positi, interior scissa, reuellit celerius in cubito; tardius verò, in manus ramo, qui inter anularem, & minimum digitum extenditur.

Nec minus vtile offertur perpendere, quòd infra renes in quacumque parte, affectus iohæreścat, secta poplitis vena, impetu maiori, ac celeritate reuellit; tardius vero, & infirmiùs, secta in malleolo saphæna: inflammatio similiter, quæ rectos abdominis musculos, supra vmbilicum inuaserit, retrahetur, siue reuelletur aperta interiore vena, quæ verò prehenderit, solum intestinum, quamvis sit subter renes, reuelletur secta interiori cubiti.

Affectus præterea capitis, ex plenitudine ortos, tam internos, quàm externos, siue incipiant, siue summam magnitudinem adquisiuerint, secta cubiti humeraria reuellit; dextros quidem dextra, sicut sinistros sinistra; si verò, id ignauius agendum sit, secabitur, quæ ex directo inter indicem, & pollicem manus existit, nisi aliunde, quam ex humeraria nascatur: nam illos, scarificatio scapularum, atque humerorum deriuat, ac iniectæ cucurbitulæ, sanguisque ex naribus profusus, sicut phrenitides, deliria, & apoplexias; vertigines verò, quæ oriuntur à capitis vitio, deriuantur, sectis arteriis, quæ ponè aures sunt: dolores præterea, qui priora capitis obsederunt, deriuantur aperta frontis vena; qui verò occiput, & posteriora possident, cucurbitulis ceruici, atque humeris appositis.

Oculorum etiam inflammationes, ac lacrimæ valide mordaces, primum secta humeraria eiusdem lateris, deinde humerorum, & ceruicis cucurbitulis rettahuntur, & effrenantur, deriuantur verò, vena incisa, quæ in alterutrum angulum fertur: non aliter auribus inflammatis, & parotidibus, post humerariam, vena sub aure est secanda: affectus calidiores gingiuarum, maxillarum, & dentium, post humerariam illæ, quæ sub labiis existunt, sectionem desiderant, vt in angina illæ, quæ sub lingua cernuntur.

Pulmonum pariter inflammationem, etiam re-

uellit interior sinistri, potius quam dextri, veluti sanguini qui tussiendo reiicitur, tabi, palpitationi cordis, aliisque vitiis similibus, eadem vena sinistri brachij succurrit, quemadmodum pleuritidi, ac pectoris, & diaphragmatis inflammationibus, ex eodem latere interior vena secta, reuellendo, ac deriuando confert: inflammato quidem iecore, sine grauiter oppresso, interior dextra secatur, veluti liene male affecto sinistra interior succurrit, ex cubito validius, ex manu verò languidius; deriuatio ex liene in aluum fit, veluti ex caua iecoris parte, ex gibba verò in vrinam.

Quælibet præterea recens renum inflammatio, ex interiore cubiti vena reuellitur, dextri quidem, si ren dexter; si sinister, sinistri affligitur: in affectibus similiter vteri, si menses præter modum emanant, vena cubiti interior impetum detinebit, sursumque sanguinem retrahet, veluti cucurbitulæ, infra mammas, vel etiam vmbilico infixæ, suppressos verò menses, secta vena in poplite existens, aut malleolo, maximè mouet; quia sanguinis missio impetu deorsum inuerso, venæ pertinentes ad vterum inaniuntur. Hoc tamen, non semper exequendum est, nisi plenitudo vniuersalis deposita fuerit: eadem venit paritas doctrinæ, in sanguinis effluxu, affatim per hæmorrhoidas; nam secta cubiti vena supprimit eas. Suppressas verò malleoli vena scissa euocat, si aliqua inflammatin partes obscænas, vel vesicam infestat, cum non sit particeps alicuius, perniciei venenatæ, potius ex cubiti venis superioribus, multitudo est semouenda; postea verò, si magna premat necessitas, ex inferioribus, particularis reuulsio, & deriuatio est efficienda, quæ doctrina de omnibus aliis partium inferiorum affectionibus, æqualiter est obseruanda.

Morbi etenim qui, ex præsenti plenitudine, futuri mentionem, sunt arcendi sanguinis detractione; ita vt si plenitudo esset ex suppressis mensibus orta, quisquis morbus minetur congruenter profligabitur, sectione vasorum inferiorum, quemadmodum, si ex longa consuetudine, hæmorrhoides fluentes cohibeantur, ex quibus plenitudo nascatur, ista ex inferioribus haurietur, nisi æger illas obcæcare intendat, posteaque, humorem obnoxium habere desideret, tunc enim plenitudo ex superioribus erit detrahenda, quælibet igitur plenitudo, quæ ex aliis causis morbos minetur, illos secta vena iecoraria cubiti dextri coercebit, pars deinde affecta, cuius vasa facile rumpuntur, aut promptè fluxionem recipit, quamvis ista sit inanienda, non per finitimam, & proximam venam, cum adhuc morbus genitus non sit; sed potiùs per venam longissime, è directo disjunctam, quæ fluxionem futuram inhibeat, ac humoris impetum, in diuersam regionem auertat.



CAPVT XXVI.

Quam vtilitatem, vel nocumentum, spontanea sanguinis eruptio, conferat in morbis.



SANGVIS, qui affatim, copiosèque profluit, tum in plethora ingrauescente, tum in febre synocha, vndecumque contingat, sanguinis missio, grauitatis, & plenitudinis symptomata remittet; in febre verò continua, per quam humores in maioribus vasis contenti putrescunt, sanguis copiosè, atque affatim prosiliens, non æquè auxiliatur; nam qui è naribus egreditur, quamvis vigilias, deliria, dolorem capitis, aliaque symptomata demulceat, nequaquam tamen propriam morbi radicem euellit, nisi fortè immoderatior profusio, cum summa virium dissolutione contingat; quæ tamen nonquam est desideranda; vitiosus enim sanguis per nares postremo effluit, postquam iam magna virtus laudabilioris, fuerit effusa.

In his igitur febribus, licet sanguis è naribus illabatur, vena tamen cubiti ob huiusmodi rationem secanda est; at verò, qui per istos morbos, ex hæmorrhoidalibus vasis, siue vtero, affatim, & copiose profluit; maximè confert, quod proxime è vena caua lumborum decidat, multoties tamen, nec ipsam febris radicem extirpat, quæ in cordi proximis venis adest; sæpius etiam mensibus profluentibus, & in puerperis, quæ rite purgantur, propter febris intensissimum ardorem, sanguis (quamvis parciùs) ex cubito deponendus est, ligatis tamen cruribus, aliàs febris acuta non curabitur, vena secta ex talo: eadem currit ratio, sanguinem mittendi ex cubito, hæmorrhoide profluente, ex inflammatione verò, aliisque affectibus, qui supra iecur, & diaphragma reperiuntur, nihil aut minimum remittitur, sanguine fluente ex vtero, aut hæmorrhoide: neque remittuntur affectus, qui occupant inferiores sedes, licet sanguis è naribus profluat, quemadmodum nec sanguis emanans è nare dextra, affectus sinistros, nec ex sinistra, dextros profligare valet.

Vt igitur morbi deuastentur, venæ sectio, aut per se, aut ex accidenti auxiliatur; per se, vel quia vacuat, vel quia reuellit; ex accidenti verò, dum refrigerat quando educit sanguinem calidiorem, vel obstructionum causam expellit, multitudinem nimirum à qua dependent; his quidem affectibus, præcipue quibus per se medetur, exercenda est, non autem quibus per accidens solum; non enim est tutum calidiorem iecoris temperiem corrigere media sanguinis missione, si illius adsit penuria, sed potius subsidiis, quæ proprie sanguinem, media qualitate contemperante, refrigerant.

CAPVT XXVII.

Quomodo ex morbi magnitudine, & virium robore, metienda sit quantitas sanguinis euacuandi.



QVANTVM sanguinis in morbis, detrahendum sit, vt magis arduum, & difficilius, explanandum occurrit, cum Hippocrat. & Galen. diuersis in locis, extremas, vt supra vires euacuationes, nequaquam exercendas esse iubeant, præcipuè *aphorismor.4. sentent.* 27. Hippocr. adducit incommoda, quæ ab immoderata sanguinis euacuatione subsequuntur, sic alloquens: *Quibus in febribus, sanguinis fluxerit multitudo, quacunque ex parte, cum reficiuntur, alui his, humectantur*; idest siue à natura, immodica sanguinis multitudo, siue ab arte fusa fuerit, qualibet ex corporis parte, dum ægri conualescunt, in his alui humectantur; idest, habitus cachexici, & hydropici fiunt, cuius rationem Gal *in comment* adducit, his verbis. *Calore natiuo debilitato ex profluuio sanguinis, neque cibi bene concoqui, neque in sanguinem transmutari, multo autem magis, nec distribui possunt per corpus: & propter hac omnia, aluos fieri humidiores par est, &c.*

Tum, & etiam ipse Gal. 9. *method. medendi, cap.* 10. asserit; *Sanguinis missio, quam vsque ad animi defectum faciendam esse, paulo ante diximus, non paruum, merito subsequetur incommodum, nisi opportuno tempore, aut debita mensura fiat*; nec minus Hippocrat. *aphorismor.* 1. *sentent.* 3. inquit: *Neque compressiones ad extremum ducenda (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius ad hoc ducere conuenit; sic, & euacuationes, quæ ad extremum deducunt periculosæ*; nec minus Gal. hanc ampliauit doctrinam *aphorism.* 1. *comment.* 23. asserens, *siue à natura, siue à nobis euacuatio fiat, omnino metiri oportet, quantum sit euacuandum; sicuti enim qualitatem eligimus, humorem noxium, atque molestum euacuantes; ita quantitatem oportet eiusdem humoris noxij, multitudini facere congruentem.* Et inferius prosequens sermonem, sic fatur; *nam si humor superexcedens euacuetur, tunc ipsum, se ipso, ægrotum fieri leuiorem, & melius tolerare est necessariam; quod si aliquod etiam ex his, quæ natura constant excernatur, dissolui, ac debilitari ægri vires, & quandam sentire affectionem, &c.* Ergo ex Hipp. & Gal. valde mensuram sanguinis mittendi, perpendere oportebit.

Ad euacuandum igitur, quantum perferre queant vires, accedendum est; nam æqualis, & legitima vacuationis quantitas, citra insignem virium offensionem, morbum adimit; validis enim, & constantibus viribus fidenter, quantum morbus desiderat, erit vacuandum, minus verò validis, parcens, prostratis, nihil est moliendum: sicque vnicuique virium ordini, sua peculiaris quantitas vacuationis, proportion, potest reddi: altera enim vacuationum, integra, perfecta, & absoluta statuitur, quæ omnem, aut plurimam morbi materiam adimit; alia quidem eisi vtilis, non tamen est integra, quæ portione morbi sublata, reliquam leuiorem efficit: tertia verò, ita est exigua, & deficiens, vt nihil laborantem leuet: vires igitur valentes, integram, & consummatam; mediocres imperfectam, & vtilem; prostratæ verò, nullam mali euacuationem curatricem perferunt.

Inspicienda similiter est vehementia, & morbi magnitudo ad euacuationis mensuram sanguinis decernendam; quicunque nimirum vehemens, & magnus morbus fuerit, copiosam, ac necessariam euacuationem exposcit, sine qua, aut nullo modo, aut non tuto sanari potest; medioeris verò morbus, moderatam, quæ raro sufficiens, sed vtilis est, per quam citius, ac tutius morbi profligatio perficitur: exiguus morbus, etiam exiguæ, aut nullius, omnino vacuationis indiget, sed quid de viribus alloquar, cum ita necessariò ad ferendas euacuationes ab eis morbus associetur. Cum igitur vires sint plenæ integræ, & morbus medioeris, venæ sectio valde est vtilis, & quantum morbus desiderat tuto sanguis potest exhauriri, cum in virium firmitudine, & constantia, morbus facilè linquat.

Periculosus similiter, & magnus morbus, qui vasa immoderatiore copia distendat, veluti in atlethicis, & in febribus synochis, necessariò, vberiorem euacuationem, quæ magnitudini affectus respondeat, exigit, vt Hippocrat. asserit *loco citato*, vsque ad animi defectionem ducere, si æger possit tolerare, non quidem in præsenti loquitur de animi deliquio, quod accidit, vel timiditate, animi ignauia, vel humoris acrimonia, quæ os ventriculi pungit, ac irritat; sed solùm de illa, quæ vberiorem euacuationem consequitur: hanc enim tanquam regulam, modùmque legitimum euacuationis in morbis extremis statuit; est autem lipothymia, siue lipsychia, in qua æger adhuc loquitur, audit, & videt, præsentesque agnoscit: syncope verò, est præceps omnium virium lapsus, vt epilepsia, qua laborans, nec audit, nec videt, omnesque actiones externas quasi interceptas obtinet: lipothymia leuior est syncope; nam istam defectionem semper solet præcedere; in his igitur affectibus sanguinem mittere, vsque ad lipothymiam permittitur (vt infra latius patebit;) nunquam enim euacuationes, vsque ad syncopem veram sunt ducendæ, ne omnino periculosæ euadant, licet antea essent validæ vires.

Tentandum igitur est, mittere humorem exuperantem, quousque vires ferant; & quocunque dissoluantur tempore, protinus est quiescendum; quòd vt perfectè discamus, debemus pulsuum mutationem perpendere, vt si ex magno paruum, ex æquali inæqualem, & ex vehementi debilem percipiamus; quia verò syncope est mortis imago, quæ adstantes terrore afficit, ægrumque in maximum vitæ periculum ducit, à prædicta euacuatione valde Medicus, si animam, & honorem magnificare cupit, abstineatur; conducibilius enim, est laborantem

tem diutius pati affectionem, quam vnà cum morbo, omnem profundere vitam: quando autem semel vniuersa, citra periculum, exerceri euacuatio non potest; quòd se vitiosè habet, paulatim vacuare conuenit; minutimque aliquid salubre reponere, ac primum quantum vires ferre valeant; detrahere, deinde quòd defuit, iterationeque supplere, idque bis, ter, vel sæpius fieri debet.

Cum verò aliquando vires languidæ per essentiam sint, etsi morbus exigat, nulla euacuatio est intendenda; nam quæ fit exigua, prostratis viribus æqualiter respondens, tanquam inutilis, & frustanea, est renuenda; nam nihil commodi, multum verò incommodi, atque perturbationis plurimum infert; quare hoc in casu, vires priùs cibis boni succi, modicè, ac sæpius refici debent, vt facultas morbo contraria, melius obsistat, quæ vim cacochymiæ corrigat; si vero postea vires refici, ac roborari contingat, tunc euacuatio idonea fiet, vt in morbis chronicis accidere solet.



CAPVT XXVIII.

In quibus affectibus mittere sanguinem liceat, vsque ad animi deliquium.



CVM in superioribus explanatum maneat, quando sanguinem mittere conferat, vsque ad animi deliquium, quod valde à syncope differt, non verò à lipothymia, & liposychia, parum verò ab animi defectione, vt Hippocrat. 3. *aphorism.* 21. vtitur nomine lipothymiæ, & in eadem significatione 7. *aphorismor. sentent.* 8. vtitur nomine liposychiæ, vt etiam Galen. 12. *methodi, cap.* 5 animi defectum significat, voce lipothymiæ, & 1. *ad Glauconem, cap.* 14. vtitur vocabulo liposychiæ; quia est idem affectus, sicque exolutio, animi deliquium; & syncops, valde differunt, quia animi exolutio est leuior affectus, grauior animi defectus, siue deliquium, grauissimus syncope; quare inter syncopem, & exolutionem, mediat animi deliquium, de quo in præsenti occurrit sermo; vt quibus affectibus conueniat, innotescat: ponamus igitur, sanari non posse ægrum, nisi magna fiat vacuatio animi deliquium inferens, & quòd si hæc prætermittatur, necessariò æger pereat, quis non magis animi deliquium, siue lipothymiam decerneret, quæ licet aliquem languorem exhibeat, hoc tamen non obstante, valet adhuc virtus refici, ac facile in pristinum statum reduci, ac simul reliqua, quæ sint, per vomitum, per aluum, aliasque vias propellere, quam si miserè, ac timiditate correptus ægrum vitam profundere sinat?

Quibus sic præostensis, quamplures sunt affectus, in quibus vsque ad animi deliquium, sanguinem mittere oportet, præcipuè tamen reperiuntur tres, quorum primus est vehementissima inflammatio, ratione cuius maximus dolor concitatur, vt in carbunculo contingit, vt testatur Gal. 14. *meth.* idem etiam, vehementi pleuritidi accidit, in qua præcipit Hipp. sanguinem educendum esse eo vsque coloris mutatio appareat, videlicet pro rubeo, niger videatur effluere, quòd non continget, nisi euacuatio copiosa sit, vt sanguinem in phlegmone contentum educat; necessitas verò huius copiosæ euacuationis est, quia cum existat magna fluxio, magna reuulsio, multaque propter insignem plenitudinem, est exercenda euacuatio, vt Galen. *loco citato comment.* 33. 1. *aphorismor.* inquit, in vehementissimis doloribus, nullum dari maius præsidium, quam vsque ad animi deliquium vacuare, sub distinctione tamen, an purgare, an venam secare expediat.

Secundo; in febre synocho, tam putrida, quam non putrida, sanguinem vsque ad animi deliquium mittere conuenit vt Galen. 9. *methodi, cap.* 4. exponit: *Optimum factu visum est, venam incidere antequam putredo inciperet; aufero itaque ab homine de industria, eo vsque sanguinem quoad animo linqueretur, maximum plane, vbi valentes vires sunt, continentis febris remedium, id quod tum ratione, tum experientia didici; primum namque in contrarium statum, corpus redigitur, ex animi defectione refrigeratum; hoc verò nemo inuenire potest, neque quod ipsis ægris neque quod natura, quæ animantes gubernat, iucundius, vtiliusve sit; postmodum in huiuscemodi corporibus, necessariò superuenit alui deiectio; nonnunquam verò bilis vomitio, quas res statim à toto corpore, sudores, madoresque excipiunt: quæ nimirum omnia, cum huic quoque contigissent, protinus febrem extinxerunt, sic vt quidam ex his, qui aderant, ingulasse, me febrem, per iocum dicerent, vnde omnes risimus.*

Idem etiam Galenus *commentar. dicto* 23. roborat, sic asserens: *Ea igitur, quæ fit animi defectio, ratione euacuationis, nunc ab Hippocrat. dicta, est mensura euacuationis, & in maximis inflammationibus, & in febribus ardentibus, & vehementissimis doloribus*; & inferius præbet rationem, sic alloquens: *Nam & in ardentissimis febribus, si vsque ad animi deliquium, sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant, & quidam eorum ex his, sanitati sunt restituti; alij adiuti plurimum, vehementiam ægritudinis absciderunt; in maximis verò doloribus, nullum maius inueni remedium, quam vsque ad animi defectionem euacuare.*

Ex his manifestè patet Galen. his in morbis, & aliquando in lassitudine tensiua, & phlegmonosa, eandem euacuationis quantitatem vt perutilem laudasse, & 4. *de sanitate tuenda c.* 10. non tamen consuluit Galenus sanguinem, vsque ad syncopem esse mittendum; nam potiùs, vt in superioribus diximus, ægri vita profunderetur, quam victrix natura, post euacuationem exurgeret, vt ipse docet 9. *method. cap.* 10. cum inquit: *Quippè alia huiuscemodi prædita sunt facultate, vt si immoderatè, aut intempestiuè vtatur, vitam adimant, siquidem in sanguinis missione (quam vsque ad animi defectum faciendam esse paulo ante diximus quo flamma, in continentibus ex meatuum*

clauſula febribus) extingueretur , non parum merito ſubſequeretur incommodum, niſi opportuno tempore, aut debita menſura fiat ; duos namque in ipſis Medicorum manibus, perire vidi , qui poſtquam animo linquerentur , numquam reuixerunt ; multi verò , etſi non protinus ; at poſtea propter virtutis imbecillitatem perierunt, quos ſi quis citra eius reſolutionem vacuaſſet , minime periſſent. Ergo ex Galeno manifeſte eluceſcit euidens , & grauiſſimum diſcrimen , in quod ægros adducunt, qui ſanguinis miſſionem , vſque ad ſyncopem permittunt.

Quamuis hæc ſelectior apud peritiores doctrina ſit,aliqui tamen, neque adhuc euacuationem vſque ad animi deliquiũ amplectuntur;& probãt primo,nam natura numquam efficit criſim , vacuãdo ſanguinem vſque ad animi deliquium;ſed Medicus eſt imitator naturæ rectè operantis : ergo cum natura numquam criticè euacuet ſanguinem vſque ad animi deliquium , neque Medicus hoc debet efficere.

Quod diluitur primò,retorquendo argumentum , nam natura in principiis morborum per ſe nunquam bene euacuat ; ergo ars ipſa numqoam poterit id optime facere , hoc eſt falſum : ergo illatio ſuperius dicta etiam eſt falſa : quod autem falſum ſit , artem non poſſe optime in principio morbi euacuare , probatur,nam quando materia turget , aut humores venenati ſunt, ſi ab arte euacuentur , ſalutaris eſt euacuatio,à natura verò multoties peſſima , & lethalis , vt Hippoc. *aphor.* 4. 22. inquit : *Deiectiones nigræ, qualis eſt ſanguis niger , ſiue ſine febre ſiue cum febre venientes peſſimæ , & quanto colores plures fuerint peius ; cum medicamento vero melius, & quanto colores plures fuerint , non praui.* Ergo in his euacuationibus , ars non imitatur naturam , ars enim aliquando ipſam imitatur , aliquando eam imbecillam adiuuat , aliquando ipſa per ſe agit , tanquam architectonica , in qua re, ars euadit longe ſuperior natura ; ex quo infertur ſolutio inſtantiæ ; nam licet natura nunquam euacuet ſanguinem , criticè operando , vſque ad animi deliquium , non tamen ex hoc ſequitur , quod aliquando ars, non debeat talem euacuationem moliti ; nam in his, quæ numquam facit natura , eam imitatur Medicus hac ratione nimirum , quod eo modo Medicus operatur , quo natura operaretur , ſi tale opus efficeret;ars enim domum efficit ad imitationem naturæ , non quia natura domum fabrefaciat ; ſed quia ſi faceret domum , eodem modo à natura fabricaretur , vt inquit Oratius Augenius inſequens Auerroem , vnde quamuis natura non euacuet , vſque ad animi deliquium, non propterea ars vrgente neceſsitate , ad talem euacuationem exercendam impedietur. Præterea cum Oratio Angenio poſſum reſpondere negando primam maiorem , videlicet numquam naturam , vſque ad animi deliquium euacuare , aliquando enim aliquæ criſes , per vomitum; aliæ per aluum factæ,vſque ad animi deliquium, integram ſalutem ægris contulere , vt fatetur Oratius Augenius.

Obiicies 2. illa eſt laudabilis euacuatio , quæ humores ſupervacaneos educit , & intus bonos humores continet ; atqui euacuatio facta, vſque ad animi deliquium , tam malos , quam bonos humores educit : ergo talis euacuatio nunquam eſt exercenda. Maior probatur, ex 4.*apho.ſent.* 2. Hippoc. *In medicationibus talia educere ex corpore , qualia ſponte prodeuntia , vtilia , &c.* Ergo illa erit bona euacuatio, quæ humores tantum prauos educat, præterea ipſe Hippoc. aphoriſ. 1.ſent. 2. *In perturbationibus ventris , & vomitibus ſponte factis , ſi talia qualia purgari oportet , purgentur , conferunt , & leuiter ferunt,&c.* Ergo vt euacuatio laudabilis ſit , tantum humores praui ſunt euacuandi. Minor verò probatur , vacuatio facta vſque ad animi deliquium , non poteſt fieri , quin boni humores euacuentur , alias non animo , æger delinqueret : ergo quia ſimul euacuatur humor laudabilis , & prauus ; ergo talis euacuatio , vſque ad animi deliquium non eſt bona , ac proinde non eſt exercenda.

Diluitur hæc argnties concedendo maiorem , minorem verò negando , nimirum, quod media ſanguinis miſsione , euacuantur humores boni , malus enim humor , poteſt dupliciter dici , vel qualitate , vel quantitate, quare quando ſanguis phlebotomia vacuatur , etſi qualitate ſit laudabilis , & bonus , quantitate, quia multus , dicitur malus; ſicque quamuis euacuetur , vſque ad animi deliquium , totus ratione quantitatis, naturam grauantis, & obruentis calorem natiuũ, dicitur malus , & inutilis ; vel ſi mauis. concedo etiam aliquam humoris laudabilis portionem euacuari , non tamen ideo talis vacuatio eſt renuenda ; nam ex duobus incommodis, illud quod minus extiterit , perpetuo eligendum eſt ; quare ſanguinis miſsio vſque ad animi deliquium,multo minus incommodum , quam ipſa mors dicetur , vt eligatur. Præterea , in qualibet euacuatione ſanguinis moderata, euacuatur portio vtilis materiæ , cum inutili , & tamen hoc non impedit, quod fiat, cum maior ſequatur vtilitas,quàm incommodum : ergo non aliter inferendum eſt in prædicto ſubſidio.

Obiicies 3. illa euacuatio non eſt admittenda, quæ periculum vitæ minatur , & ex accidenti ſolum operatur , quod Medicus deſiderat ; atqui eſt valde periculoſum hoc auxilium , vt euentus talis euacuationis declarat , cum multi in Medicorum manibus mortui fuerint ; ergo talis euacuatio , vſque ad animi deliquium nequaquam eſt exercenda. Maior propoſitio probatur ex Gal. 12. *metho. cap.* 1. aſſerente : *Eſto terminus , quem non tranſiuit , his qui ex arte, generoſe contra morbum pugnat, vt tuto medicetur ei , qui dolores mitigat , et vires cuſtodiat , vbi vltra pergitur, crudelis Medici officium facit , qui vna cum morbo vitam quoque hominis aufert.* Ergo ex Gal. conſtat quod cum hæc euacuatio periculoſa ſit, & aliquando vitam hominis adimat , nequaquam eſt exercenda ; quod verò ex accidenti contingat ex tali euacuatione , quod deſideramus ; probatur , quia ex ſanguinis euacuatione accidit refrigeratio ; iſta tamen per ſe ab alterantibus ; ex accidenti verò ab euacuantibus remediis, ſolum deberet fieri : ergo ſi vtilitas euacuationis, ſolum eſt ex accidenti , & vitæ diſcrimen per ſe ſequutum , multo certius erit , huiuſcemodi euacuationem potius renuendam , quam exercendam eſſe.

Huic respondeo argnmento, concedendo maiorem, nego tamen minorem, videlicet, quod solum ex accidenti, ægri leuentur, ex eo quod sanguine misso, totum corpus refrigeretur; nam etiam sequitur per se aliud maius, & laudabilissimum commodum, ne quidem natura à maxima sanguinis copia oppressa suffocetur, qui interitus media euacuatione, vsque ad animi deliquium præcauetur, quod leuioribus præsidiis, non posset adimpleri; sicque talis euacuatio sanguinis supramodum adaucti, non solum ex accidenti, sed etiam per se, valde commoda, & indicata est deinde experientia ex interitu ægrorum adducta, non est intelligenda, de euacuatione vsque ad animi deliquium, sed vsque ad syncopem; nam illa non est snpta vires imo natura ab oppressione leuata, validior reddita, solet erisim efficere, reliquos vacuando humores, tum per vomitum, per aluum, & per sudorem, vt ex Gal. historiis, superiùs patefit.

Insurges demum, illa euacuatio non est admittenda, quæ corpus præparat ad putredinem; atqui sanguinis missio vsque ad animi deliquium, præparat corpus ad putredinem: ergo non est admittenda. Maior est certa; minor probatur, putredo inducitur à caloris imbecillitate, cum illa sit corruptio caloris natiui, & proprij; atqui media illa cuacuatione calor redditur imbecillis, cum æger animo linquat: ergo corpus media illa euacuatione, præparatur ad putredinem: ergo talis euacuatio nequaquam est exercenda.

Cui respondeo concedendo maiorem, nego similiter minorem; videlicet, quod calor reddatur imbecillis, & languidus ex tali euacuatione; nam cum talis euacuatio, non excedat virtutem naturalem; imo calor natiuus perfectius ventiletur, deposita humoris multitudine, naturaque vegetior, & victrix reddatur, vt reliquam materiam superet; proinde nequaquam est dicendum, calorem natiuum languidum reddi: nec valet si asseras animo linqui: ergo calorem natiuum reddi imbecillum: hæc enim imbecillitas, non quidem est essentialis, ex eo quod natura inanita sit, à substantia qua indigebat; sed ex eo quod modus inanitionis, quia subito factus instantaneum, non verò permanens animi deliquium inducit; ac proinde sanguinis missio in præsentibus morbis exercenda erit.

Ingeniose tamen dubitabis, an videlicet eadem ratio militet admittenda, circa euacuationem vsque ad animi deliquium à pharmaco purgante; cum Gal. *aphorism. 2. sentent.* 23. vt diximus, non exiguam difficultatem proponat asserens: *In maximis verò doloribus nullum præstantius noui remedium ac euacuationem, quæ ad lipothymiam vsque fiat, cum ea tamen distinctione, vt intelligatur; phlebotomia ne? an purgatione ad defectum vsque animi vei conueniat? Quam rem demonstrauimus in commentariis, quos de phlebotomia conscripsimus.* Ex quibus Gal. verbis videtur, euacuationem medicamento purganti, vsque ad animi deliquium, posse fieri.

Eandem extollunt difficultatem Hippoc. verba 1. *aphor. sent.* 23. *Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciantur, qualia conueniunt, & ægri facile ferant; atq; vbi etiam vsque ad animi deliquium expedit ducere, faciendum est, si vires ferant.* Ergo Hipp. in præsenti intelligendus est de medicamento purgante: cum asserat: *Si talia purgentur, qualia*; quæ verba semper de cacochymia, & de purgatione intelliguntur. Rursus hoc verbum *deiectiones*; idem est, ac vacuatio per aluum, addit deinde; *vsque ad animi deliquium expedit ducere*: ergo talis vacuatio per aluum vsque ad animi deliquium, idem est, ac purgatio vsque ad animi deliquium: ergo ex Hippoc. & Gal. aliquando licebit purgare vsque ad animi deliquium.

Valde ingenia hæc duo loca contorsere, cum alij affirmatiuam, alij vero negatiuam partem insequantur; sed qui ex prædicta euacuatione pharmaco purgante, grauissima incommoda perpendat, potius tale subsidium renuet, vt pote temerarium, & authoritatibus conscriptis satisfacere conabitur: sicque respondeo primo authoritati Gal. quod eius verba non sunt intelligenda, nisi tantum de sanguinis missione; videlicet in vehementissimis doloribus conuenit, aliquando sanguinem mittere vsque ad animi deliquium, aliquando neque remedium conuenit, neque modus vacuationis; propterea distinguendum est, vtrum purgare, an sanguinem mittere conueniat, vt libro de phlebotomia demonstrauit; in quo, nec verbum protulit, purgandum fore vsque ad animi deliquium; sed solum distinctionem adduxit, an isto, an verò illo generoso remedio sit vtendum? Sicque purgatio vsque ad animi deliquium, nullatenus admittenda, constat ex Gal.

Hippoc. similiter authoritati respondeo, quod in aphor. duæ adsunt partes, quarum prior alloquitur de purgatione; posterior verò, de sanguinis missione, quæ secunda pars proposita est in virtute prioris partis; nam aliquando conferre, & facile ferre euacuationem, non solum intelligitur de euacuatione humoris qualitate peccantis, sed etiam quantitate; vnde, cum confert, & natura sustinet, etiam percipitur dum sanguis mittitur vsque ad animi deliquium, cum adhuc sit euacuatio intra latitudinem virium; sicque licet dicat, ducere vsque ad animi defectionem; idem est, ac quantitatem sanguinis metiri venæ sectione, si æger possit tolerare, non verò ducere, idest purgare, (cum illa actio recte possit duci, siue à Medico gubernari ad mensuram rei euacuandæ.)

Ex his satis infertur, purgationem nullatenus vsque ad animi deliquium permittendam esse, duplici de causa, prima quidem sumitur à medicamento purgante; secunda verò ab ipso virium robore; quare si medicamentum purgans vehementissimè purgauerit, non obedit; siue cedit Medici potestati, vt possit semper illius actionem cohibere, ac impedire ad libitum, vsque quo sit euacuatio necessaria, & non magis: & vt hæc ratio explendescens maneat, supponamus ægrum incidere in animi deliquium, vi purgationis à medico exercitæ, nunc inquiritur, quid agendum erit, ne sequatur syncope, & tandem mors? Vt doctissimus Oratius Augenius etiam dubitat, si asserat quis, quod vtendum erit medicamentis adstringentibus, vt virtus purgatiua hebetetur: semper inquitam de certitudine

titudine, quæ possit dari, vt detineatur talis purgatio; nam aliquando, ita medicamenta vehementissimè, & effrenatè operantur, vt nullo præsidio refrenari, & cohiberi possint, quare valde crudele, & periculosum erit, indifferentem euentum, & valde acerbum, committere alicui remedio, vt in pharmaco purgante solet contingere; è contra verò in venæ sectione, quam si Medicus velit, statim potest, digito imposito sistere, vt Gal. *lib. de venæ sectione, aduersus Erasistratum* inquit, quod exhibito purgante medicamento, omnia sunt operæ fortunæ.

Secunda pariter consideratio sumitur ex virium robore; nam quando corpora medicamentis purgantibus indigent, vt plurimum prauis humoribus sunt referta, quare necessariò vires, vi cacochymiæ, non parum imbecillæ fiunt: ergo euacuatio purgatiua ab eis vsque ad animi deliquium, non valebit sustineri: quare satius erit moderatam, vel diminutam decernere purgationem, quam supramodum, vt Auicenna exponit *sectione 4. primi lib. cap. 3.* asserens: *Ideòque minus detrimentum sequitur, aliquid superflui relinquere, quod euacuatione indigeat, quam exquisitè vacuare, ægrumque eo reducere, vt vires exoluantur, natura enim illud residuum, sæpissime resoluit.* Ex quibus manifeste colligitur, sanguinis missionem, bene vsque ad animi deliquium; purgationem verò, nequaquam esse ducendam.

Obiicies tamen, sanguinis missio potest fieri vsque ad animi deliquium: ergo etiam purgatio: antecedens patet ex dictis: consequentia probatur, tota ratio propter quam, sanguinis missio vsque ad animi deliquium est vtilis, & permittenda, est quia non excedit limitem, & latitudinem virtutis naturalis; sed purgatio vsque ad animi deliquium, non excedit latitudinem virtutis naturalis: ergo sicut sanguinis missio eo modo dicta, est vtilis, & permittenda; ita etiam purgatio. Maior probatur, ex eo quod sanguinis missio, quæ fit vsque ad animi deliquium, & non syncopem, potest sustineri à natura: ergo quia non excedit virtutem naturalem; minor probatur, nam purgatio vsque ad animi deliquium, non inducit grauius accidens, quam sanguinis missio, siquidem etiam est vsque ad animi deliquium: ergo æqualiter sustineri potest à natura, quemadmodum sanguinis missio: ergo æque vtilis erit purgatio, & admittenda vsque ad animi deliquium veluti sanguinis missio.

Diluitur prædicta obiectio, respondendo negando maiorem; videlicet, quod ideo solum exercenda est sanguinis missio vsque ad animi deliquium; quia non excedit, virtutem naturalem; sed etiam, ne excedat talem virtutem, hoc est; ne transeat in syncopem, potest sisti; cohiberi, & moderari à Medico talis euacuatio; at verò, quia purgatio non ita potest mensurari, vel metiri vsque ad animi deliquium, & non vlterius, idest ad syncopem propter rationem superius dictam; ideo purgatio, quamuis sit laudabilis, si solum vsque ad animi deliquium contingeret, tamen, quia ista non potest determinatè finiri, ideo non est admittenda, sed vt valde periculosa excludenda.



CAPVT XXIX.

Quo tempore morbi, qua die, & qua hora sanguis mittendus sit.



CVM morbifica causa est plenitudo, aut humorum labes in vasis illis incipientibus, vena secta cito solet semoueri, hoc enim ordine, quidquid morbi est, in posterum gignendum præcauebitur, quidquid verò iam genitum, & procreatum sit, facilius natura concoquet, vincet, ac profligabit; sic ardentiores febres, antequam sanguinis moles, feruoris incendio torreatur, aut vehementior putredo inualescat, celerrimè sanguinis missione extinguuntur; veluti etiam omnes inflammationes interiores, hoc auxilium radicitus adimit, dum humor, qui fluxerat, in partem nondum inhærens, impetum, & cursum sanguinis profluentis sequitur; vires etiam cum adhuc per initia firmæ, ac validæ sint: præterea hoc tempore, huius subsidij virtute morbus suas vires amittet.

Vt igitur maturè vena dissecetur, prius requiritur, vt ventriculus, primæque venæ, nulla humorum corruptela, (vt supra) nec cruditate, nec semicocto cibo refertæ sint, ita vt coctione spectata, sanguinem detrahamus; nec solum temporum vniuersalium, verum etiam particularium, & dierum, quibus morbi iterum per fluxiones, & periodos recurrunt, opportunitas est eligenda, in illis præcipue morbis, qui finitam, determinatam intermissionem, vel remissionem obtinent, euacuatio non est exequenda, morbo excandescenti, sed mitescenti; natura quidem plerumque, in febrium intermittentium accessionibus, vomitiones solet mouere, veluti in declinationibus, sudores; quo tempore etiam Medico licebit, vtiliter arte præmouere; nequaquam tamen in ipsis accessionibus alui dejectionem, vel venæ sectionem; quia nulla eiuscemodi euacuatio, quæ vires supramodum labefactet, in tanta agitatione, & pugna particulari accessionis, tutò fieri potest; nam cum humores, quodam quasi æstu concitati, efferuescant, obturbatique permisceantur, nulla possit iusta eorum secretio fieri ideò cum natura, his commotionibus, vellicata, adminiculans non sit ad sanguinis missionem exercendam, potius laudabilior, & spirituosior sanguis quam prauus, vena aperta funderetur.

Cum verò tranquillitas maxima morbi, tempore interualli reperiatur, tutius tale auxilium, naturæ succurrens, exequendum erit, eo quod multitudinem ex maioribus vasis, nullo scandescentiæ metu arripit; quare tempore remissionis, siue intermissionis, laudabilis erit tranquillitas, ita vt si spatium inter accessiones extenditur, facile ipsum medium erit assignabile pro venæ sectione; si verò angustum, difficile,

difficile, eo quod interdum vix adsit occasio, vt post venę sectionem, opportune infirmum alamus.

Dicet tamen aliquis, huiusmodi doctrinam, nullum veritatis indicium obtinere, veriorem-que esse aliquorum assertionem, dicentium, quod in principiis accessionum febrium continuarum, potest sanguis mitti; & probatur: nam tempore quo humor magis fluit ad focum putredinis, eo magis sanguis est mittendus, vt talis humor fluens reuellatur; sed in principiis accessionum, magis fluit humor ad focum putredinis; quia tunc maior adest calor in foco: ergo in accessionum principiis, magis erit sanguis mittendus.

Secundo probatur; nullum datur impediens, vt mittatur sanguis in accessionibus febrium continuarum: ergo eo tempore, sanguinis missio valebit exerceri. Antecedens probatur: si aliquod daretur impediens, maximè quia naturæ motus in accessionibus, impediretur media sanguinis missione; sed non impeditur: ergo in principiis accessionum febrium continuarum, possumus sanguinem mittere: quod autem, non impediatur motus naturæ, media sanguinis missione, probatur; nam in accessione febris continuæ, humor efficiens accessionem, non expellitur à venis extra venas, vt in febre intermittente: ergo quamvis sanguis mittatur, in accessione febris continuæ, cum non fiat motus contrarius media sanguinis missione, non impędietur motus naturæ: ergo in accessione tertianæ continuæ, valebit Medicus sanguinem mittere, cùm adsit verum indicans, & nullum impediens.

Roboratur vlterius; in accessionibus febris continuæ, non est sanguis mittendus; Ergo neque in accessionibus, quæ sequuntur inflammationem, cum etiam sint febres continuæ; sed in his, sanguis est mittendus in accessione, ne augeatur inflammatio: ergo etiam in accessionibus febris continuæ, quæ non sequitur inflammationem, licebit sanguinem mittere, ne augeatur obstructio. Maior propositio probatur; veluti in febre sequente inflammationem, fluit humor in accessione, ad partem inflammatam, non aliter in alia febre, tempore accessionis fluit humor ad focum putredinis; sed media sanguinis missione, in principio accessionis febris ortæ ab inflammatione, reuellitur humor ne augescat inflammatio: Ergo ita pariter, in principio accessionis febris continuæ, facta sanguinis missione, reuelletur humor fluens ad focum putredinis, ne augescat febris, & obstructio.

Hæ tamen rationes, falsissimo nituntur fundamento, ac maturo grauissimorum Authorum consilio, sunt destitutæ, ita vt ex aliquibus, temere, occasionibus, quibus vsi fuere aliqui, ad tale remedium exequendum, ægri pretiosiorem thesaurum, vt vitam amiserunt, ac debita cum causa; nam principium accessionis, tempus est intensioris laboris in quo sanguis & spiritus ad interna reuocantur; ita vt sanguis, ineptus sit ad motum promiscuum, quo venæ sectio indiget; sed solum tenuis floridus, ac spirituosus, quem potius natura retinere debebat in sui custodiam, profunditur.

Fundamentum similiter, quo prædictæ fulciuntur rationes, ideò est falsum, quia existimatur, quod in principio accessionis fluit humor ex toto corpore ad focum putredinis, cum è contra sit; nam toto tempore remissionis, vel intervalli febris, potius contingit præcipua fluxio ad focum putredinis, vsque quo humor in eo coaceruatus, ad tantam perueniat quantitatem, vt stimulans naturam partis, nouam excitet accessionem, in cuius principio, ex partibus vicinioribus, decurrunt aliquæ humiditates ad ipsum focum, quæ tamen exigua, & secundaria est fluxio, non verò ista est sufficiens ad accessionem efficiendam, sed prius est effectus molestiæ, & laboris, quo natura premitur incipiente accessione; vnde causa præcipua accessionis, erit humor iam coaceruatus in foco, antecedenter, qui paulatim tempore interualli, aut remissionis, fluxit ad prædictum focum; quare, quando huiusmodi materia, in principio accessionis, in prædicto foco putrescit, expellitur à natura insensibiliter ad habitum corporis; aliquando tamen per vomitum, per deiectionem, vel per sudorem; sicque talis motus non est fluxio ad focum; imo est euacuatio ex foco, vincente natura, ad diuersas partes.

Quibus prælibatis, facile diluuntur rationes in contrarium adductæ, respondendo, suppositum esse falsum, videlicet quod tempore accessionis febris, fluit humor ad focum putredinis, & in febre sequente inflammationem, fluit materia ad partem inflammatam; pars enim inflammatione correpta, veluti focus putredinis, priùs recepit tempore remissionis febris fluxionem humoris, qui postquam iam est in sufficienti quantitate coaceruatus, nouam etiam suscitat accessionem; quare, cum sanguis mittatur, ad reuellendum humorem fluentem ad focum, siue partem inflammatam, talisque humor solum fluat tempore interualli, seu remissionis, solum illo tempore sanguis est mittendus, nequaquam verò, in principio accessionis: quæ doctrina est Galen. *libro de sanguinis missione, capit.* 12. asserentis, expectandam esse declinationem particularium circuituum, ad sanguinem mittendum; & merito: nam adhuc ipse Hipp. & Gal. *in comm.* 11. *sent.* 1. *aphorism.* abnegant alimentum, *in accessionibus abstinere oportet* inquit Hipp. *nam cibum dare nocuum est*; sed tota ratio propter quam obnegatur victus, est, ne natura à coctione, & euacuatione causæ morbificæ diuertatur: ergo etiam media sanguinis missione in accessione, natura à prædicto fine diuertitur, & impeditur; ac proinde nequaquam in accessione, sanguis erit mittendus.

Cum verò medicus libere potest, tempus opportunius mittendi sanguinem eligere, potiùs hora matutina, quam post meridiem conuenit; à Solis enim ortu, sanguis suscitatur, viget, & dominatur, ipsoque dici lumine, tenuis, serenus, atque ad fluendum aptior redditur; ne tamen æger sopore torpeat, saltim vnicam horam vigilem ante accessionem ducere oportet: in vehementi tamen, & suffocante plenitide, vel in angina, in sanguinis fluxu immoderato, in vasor. extrem

extrema plenitudine, ac in illis morbis, qui nimis præcipites inuadunt, talis horarum ſelectio non eſt habenda, ſed potiùs affectus vrgentia, totam ſubſidij executionem arripit.



CAPVT XXX.

Quæ præparatio ante venæ ſectionem afferenda ſit.

PRÆPARATIO præcipua ad ſectionem venæ obſeruanda, eſt puritas, & expurgatio: vitia verò quæ illam remorantur, cruditas eſt ventriculi, primarumq; venarũ, colluuies noxiorum humorũ, ventriculi os maximè perſentiens, vel imbecillum, quæ omnia ſanguinis miſſionem retardant, non verò omninodè priuant: crudiore etenim ventriculo, inanita vena, plurimum ſucci crudi, in ſanguinis locum ſibi rapiet, veluti alio ſuppreſſo, ſi vena ſcindatur, iecur, ac venæ exhauſtę, ſordidum ac impurum excrementum ſugent. Coctuſque, cruduſue cibus cognoſcetur, ex qualitate, & copia in qua aſſumptus eſt, ex tempore etiam, quo fuit acceptus; ex ructu etenim, atque ex ventriculi pondere, corruptus humor in ventriculo, aut vicinis partibus exuperans; ſiue illic genitus, ſiue aliunde fluens, ſanguinis miſſionem, vſque quo purgatus ſit, immoratur; nam ſciſſa vena, cruditates, vt ſuperius diximus, primæ, ad ſecundam regionem tranſmiſſæ valde obſtructiones augent, morbique ingraueſcunt; ita vt plurima ſubſequantur ſymptomata, vt nauſea, conuulſio, lipothymia, ſyncope, ac alia grauiſſima.

Si verò citra ciborum cruditatem, aliqua alia accidentia, propter materiam in ventriculo contentam, vt ſi aliquis humor vitioſus, à quacumque regione fluat, contingant, priùs euacuandus, ſiue deturbandus eſt; medio vomitu ſi ſurſum vergat; deiectione verò alui, ſi inferiùs declinet; poſtea verò, ad venæ ſectionem eſt deueniendum: præterea ſi pariter ituant, in omnes corporis regiones vitioſi ſucci, illas ſuo ordine oportet euacuare; meſenterij quidem venas, priùs quam maiores; ac poſtea iſtas, ante corporis molem, non quidem contra, ne ex primis venis, in maiores, vel ex iſtis, in habitum corporis, attractio humoris noxij fiat; hoc enim non eſſet expurgare, ſed inquinare, & labefactare vniuerſum corpus: quare, ex corporis habitu in venas maiores, ex his in proprias, atque in aluum humorem tradncere conſentaneum erit: hæc quidem vitia, non ſolum venæ ſectionem retardant, verum etiam impediunt; ſicque in hydrope, nec in habitu cachexico, neque in ſcirrho iecoris, aut lienis, ſanguis mittendus erit, habita ratione ad has affectiones.

Tertium pariter vitium, quòd ante venæ ſectionem, præparationem exigit, eſt eximius ſenſus, & orificij ventriculi maxima imbecillitas,

sicque eſt ventriculi muniendum, atque roborandum eſt his, quæ acredinem humorum retundunt, eorumque influxum arcent; quibus exercitis, poſtquam paululum æger quieuerit, vena ſecanda erit: ſi tamen morbi clementia adſit, abſintque prædicta ſymptomata, huiuſmodi præparatio ad venæ ſectionem eſt exequenda; ac ſimiliter ſi vehemens morbus, vt in habitu athletico, celeriter moueatur, ex quo ſuffocationis, aut vaſorum ruptionis, periculum impendeat, ac aliis ſimilibus morbis mox ſine vlla venæ ſectionis præparatione, tale auxilium erit exercendum.



CAPVT XXXI.

Quid ipſo ſectionis tempore faciendum ſit.



I quæ inciditur pars, ſit prona, ac in iſtam facilis, directuſque ſanguinis curſus, ex tali corporis ſede plurimum exinaniri proponatur, artus dum incaleſcant, fricari debent, ac proxime ſupra locum, cui ſcalpellus applicandus eſt, ſtrictius fiat ligatura, vt pro euacuando ſanguine vena tumentior appareat; deinde quibus denſa, & ſquallida eſt cutis; & quibus venæ anguſtæ, ſiue in altum demerſæ, multa carne, aut adipe obductæ, his multo artiùs vinculum eſt iniiciendum, quam aliis ſubiectis; minores verò venas pedis, ac manus, quia non ſatis implentur, anguſtioreſque ſunt, vt patentiores dilatatioreſque fiant aqua calenti, quæ impetum ſanguinis faciliùs dirigat, indigent, inquirere etiam oportet, an vena inhæreat loco. In quo ordine formationis ſolet exiſtere, quod medio digitorum impulſu, ſiue compreſſione artifex explorabitur, vt tandem eam induſtriùs quo poſſit, valeat ferire.

Quantitas quidem profluentis ſanguinis ſumenda eſt ex morbi indigentia, ac virium robore; ſicque in plethora ſimplici ad morbi imminentis præcautionem, ſufficiet redundantiam demere; dum mediocritas remaneat; quando verò iam morbus adeſt, vt febris non, ita eſt operandum; ſed ſi vires tolerent, infra mediocritatem eſt euacuandum; in partium verò fl. gmonibus, non vnica quantitas; ſed potiùs mutatio, tum coloris, tum ſubſtantiæ illius eſt expectanda; quando etiam vehemens adeſt dolor, aut inflammatio ingens repetitur, locis proximis parti ſciſſæ, ſanguinis curſus non ſiſtatur antequam, vel dolor miteſcat, vel eius color mutetur; nam mutatio indicat ſanguinem ex inflammata ſede, in qua eſt, iſte diſpar à reliquo euelli, ſicut ſanguini fluenti videatur.

Nec minus confert virium robur perpendere, quia illæ ſemper anteponendæ ſunt, ne deficiant; an verò hæ defectuæ ſint, demonſtrabunt fluorir ſanguinis impetus, color faciei pallens, oſcitationes, pandiculationes, auriũ tinnitus,

oculorum suffusiones; quæ omnia spiritus vitales imminui, & confringi declarant, certiùs omnibus signum est pulsus mutatio; si enim ex crebro, supramodum tarus euadat, aut ex magno, paruus, ex vehementi, debilis, & obscurus, ex æquali, inæqualis, vires defecturas, siue commotionem epilepsiæ simillimam minatur. Si hæc igitur vi euacuationis accidat, statim ab euacuatione est intermittendum, ne vlteriùs euacuatione subsequuta, aut mors, vel ita ingens iactura contingat, quæ nullatenùs resarciri valeat.



CAPVT XXXII.

Quid emisso sanguine, sit obseruandum.



DISSECTA quidem vena, sanguis fluens recipiendus est mundis, tersisque peluiculis, terrenis, vitreis, stanneis, siue argenteis, non verò æneis, ne ab his mutetur, vel in colore, substantia, vel in alia qualitate, quòd nostrum integrum iudicium impediat: peluiculæ etiam collocandæ sunt in loco mundo, quem nec puluis, fumus, ventus, nec solares radij pertingant; omnis enim obseruatio tendit in substantiam sanguinis non immutandam.

Notandum igitur est, quod ille erit sanguis viscosus, qui lentè fluxit, ac digitis glutinosus obhæret; crassus etiam est, atque densus, multasque fibras habet, qui faciliùs, siue breuius concrescit, hic author obstructionum, aliorumque inde morborum solet esse, qui verò tardiùs conglutinatur, siue indurescit tenuis est, qui deindè, iam frigescens minimè durescit, vel omnino aquosus, vel putridus est, cuius omnes fibræ solutæ, atque corruptæ euanuerunt. Crassus præterea, & compactus difficile finditur; tenuis verò facilè, qui putridus est non finditur, verumtamen totus attingitur, in partesque exiguas discernitur.

Serum deinde multum, tanquam aqua citrina, sanguini concreto innatans, demonstrat, vel liberaliorem potum, vel languidum iecur, vt in hydrope, siue renes imbecillos, aut ipsos obstructos; ex quibus causis serum redundans in venis, sanguini permiscetur: spuma etiam innatans (nisi ob impetum fluxus accidat) incendium, feruoremque illius humoris, cuius colorem præ se fert, ostendit; color enim ruber sanguinem, citrinus bilem, albus pituitam, liuidus melancholiam significat, ita vt color sanguinis durescentis per summa rubicundi, index est boni, & laudabilis sanguinis; ruber verò, & liuidus color, ardentiam denotat, veluti est sanguis arteriarum; ruber verò, & obscurus mediocris, vt est sanguis venarum, citrinus verò color, potiùs bilem, albus pituitam, viridis bilem torridam: liuidus, aut plumbeus bilem maxima cum pernicie: aliquando innatat aliquid sanguinis pingue, & adiposum cohærens instar telæ araneatum, quod ex ipso sanguine prouenit, quando videlicet corpus est adeò pingue, & obesum: si verò corpus non ita carnosum, imò gracile sit, potiùs illud marcescere, ac liquari significat: quod denique terrenum, ac fæculentum sanguinis, subsidet in infima illius parte, si postea sanguine diffuso, granula quædam arenulis simillima videantur, vel elephantiasin actu, vel potestate declarant: sanguinem quidem graueulere, quod raro contingit, indicium intensissimæ putredinis, & corruptionis adest.

Animaduersa iam sanguinis substantia, colore, ac temperie, veniunt inter se comparandæ, ac inspiciendæ peluiculæ, quæ si omnes æqualiter optimum sanguinem demonstrent, certum est reliquum in venis similem esse, nisi casu quo, vel vas rectè sectum non fuit, vel natura non adest adminiculans, vel præ languore virium, vel aliquo animi pathemate, vel quia in debito tẽpore, vt in principio accessionis fiat; quanto verò humores citra sanguinis naturam longius recesserint, tanto parciùs de sanguine est hauriendum, ac si percipiatur longissimè à sanguinis forma distare, in totum à venæ sectione erit abstinendum; si verò prius exiit sincerus, posterius verò, prauus existit, debita, & laudabili victus ratione, idoneisque vacuationibus debemus vti: si tandem peluicula postrema purior sit, quam prima, & consummata, & completa est euacuatio, quæ omnem sanguinem vitiosum detraxit, dum iam vtilis, & bonus dimanaret.



CAPVT XXXIII.

De arteriarum sectione, ac particulari sanguinis euacuatione.



DVO in præsenti aperienda offeruntur; primum, est sectio arteriarum, quomodo, & ex quibus debeat fieri: secundum verò, est aliqua particularis sanguinis euacuatio, quæ medijs sanguisugis exerceri solet. Quo ad primum, dicendum est, arteriam maiorem in cubito substratam, vel illam, quæ in poplite reperitur, nequiquã, incidere tutũ esse: nam illius sanguis cohiberi rectè non potest, quoniam est tenuis, & calidus, ac maximo impetu prorrumpens; nec si reprimatur facilè vulnus potest ad cicatricem ob assiduum pulsificum motum, & crassas tunicas, atque præduras, perduci; conuenit igitur, dum vrgentia instat, maiorem arteriam, totamque obliquè, & transuersaliter secare; sanguis enim melius sistitur, vtrisque illius extremis detractis, & imposito vulneri emplastro ex Aloë, & alijs similibus.

Minores verò arteriæ quæ summis in artubus, in capite, manibus, & pedibus stant, meliùs citra hæc pericula possunt scindi, quia faciliùs valent vniratem adquirere, oportet quidem, ac valde vtilis est illarum sectio, quando vehemẽs, & diuturnus dolor circum membranas molestat, sanguis enim multus, tenuis, & calidus, in arterijs partis affectæ detentus, prædictum dolorem

rem exhibet, & fouet; quare si in extremis partibus secentur arteriæ, quæ ab illis affectis locis procedunt, dolor omnino euanescit, arteriæ similiter in temporibus sectæ calidas, atque acres oculorum fluxiones prohibent, quarum gratia, totæ scinduntur, aut ferro candenti inuruntur, siue medicamine caustico; in vertigine verò secantur, quæ sunt retro aures, veluti etiam in diuturnis capitis doloribus calidis, atque spirituosis, & quibusdam affectibus inueteratis; quæ verò reperitur inter pollicẽ, & indicem, dissecatur in diuturnis doloribus laterum, inter viscera, & diaphragma positis: secta denique arteria iuxta malleolum, vetustos dolores coxendicum, qui iam diu inualuere maximè lenit.

Secunda verò huius capitis pars de peculiari sanguinis euacuatione accedit exponenda, quando nimirum sanguis ita alicui parti inhæret, vt nec secta vena, nec vllo auxilio reuelli possit, ab eadem præcipua parte læsa est educendus, remedijs, quæ ipsi parti auxiliari valeant, cuius generis sunt sanguisugę quę non solum cutem, verum etiam alius penetrant, exantlæ quidem, vel inanitæ, & accuratè præparatæ faciliùs, ac rutiùs sugunt, plerumque etiam illis ablatis, sanguis confertim fluit, præcipuè si infixæ adsunt, in aliqua vena prominente, quo casu pro venæ sectione solent subuenire; ita etiam hæmorrhoidæ, tam copiosum sanguinem euocant, vt medicamentis adstringentibus sit opus, affectibus igitur profligandis partium adhibentur, qui in cute dominantur, vt scabiei, vitiligini, impetigini, ac elephanticorum tuberculis, eo quod sanguinem fœculentiorem fugant.

Nec minus alia solet euacuatio particularis sanguinis exerceri valde idonea, & efficax ad plurimas detruncandas affectiones, vt est scarifitio, quæ fit epidermide minutim scalpello scissa, quæ nonnunquam altiùs subiens, veram cutem ferit, ac ex sola parte deuulsa euacuat, nisi fortè venam conuulneret; & quo altiùs scalpellus adigatur, eo plenior sanguinis effusio continget: scarificatio quidem est remedium cuti expurgandæ idoneum, ac illis affectibus, quibus etiam sanguisugæ auxiliantur: largiùs verò scarificatio facta sanguinem exhaurit, si protinus parti cucurbitula adhibeatur, hæc enim flammulæ, & caloris virtute, non solum, quòd in parte circumfusa, humoris tenuis, & calidi reperitur, sed quòd in distantibus extat, attrahit; si verò cutis antea iam fetio est exasperata, manifestè sanguis profluit; si deinde leuis illa, & integra manet, è partibus distantioribus, in cutem euocat, ac quodcunque fuerit in pactum in eum locum, transfert.

Cucurbitula denique leuis, & sine scarificatione imposita parti, non sanguinem manifestè, sed solùm spiritus extrahit, humores ad se se rapit, irruentem fluxionem reuellit, sanguinis fluxum vndecumque factum directò, contrarioque loco imposita, cohibet, cum præsertim vires imbecillæ nequaquam permittant sanguinem mitti, ac reuelli: errabundum vterum, fluctuantemque humorem reprimit, illum verò qui parti impactus est, detinat, ac eum, qui in alto corporis est demersus, in summum euocat; ita vt sit accommodatissimum subsidium stupori, paralysi, ac

dolores inueteratos, veluti flatus in quauis parte contentos dissoluit, ac dissipat, propterea palpitationem, singultum, dolorem cholicum, & nephriticum maximè compescit.



CAPVT XXXIV.

Quomodo euacuatio vniuersalis fiat per corporis habitum.



QVÆ per summa corporis euacuant, vt per sudores, vel per halitum substantiam tenuem digerentia, sunt varia, vt inedia, vnctio corporis, frictio, illius exercitatio, & balneum: moderata quidem inedia humores perturbatos domat, atque pellit, ac proinde magna sequitur tranquillitas plurium morborum, & symptomatum est sedatio; impuro quidem corpori non confert, quia ventriculum vitiosis implet humoribus, vnde stomachi erosiones sequuntur, vigiliæ, corporis perturbationes, & vertigines: calor enim insitus, ob alimenti penuriam, veluti medicamentum, humores exigitat.

Immoderata præterea inedia, absumpto iam, & superuacuo humore, ipsam quoque partium substantiam dissipat, quæ caloris natiui est sedes, corpus tandem refrigerat, viresque comminuit, acutis quidem, & augentibus morbis, sola inedia, vix tuiò, succurrere valet, corruptus tamen, ac putridus humor, aut venæ sectione, aut pharmaco est euacuandus, leues verò morbos ex cruditate imminentes arcet, illosque recens genitos facilè persanat; inueteratos etiam plurimum coctione finit, tandemque profligat; qui verò iam præsentes sunt ex copia, eos non inedia, sed venæ sectio expeditè adimit.

In cruditatibus tamen morbis, situs, vel locus materiæ est perpendendus; nam quando vel plenitudo, vel cruditas, vel pituita grauis, molestáq; ex stit in venis, aut summis partibus, vt in capite cibus parcus, ac siccus conuenit, ea moderatione, vt alat præcordia, ac proprias partes, ne cruditates collabantur, quando verò in ventriculo, aut in prima corporis regione vitium inhæret, multo parcior cibus præscribendus erit, inedia quidem non solum appellatur abstinentia cibi, verumetiam potus, qui magis promptius, quàm cibus; tum viscera, tum venas adimplet, cum facilius sit impleri potu, quàm cibo.

Exercitatio aliquantulum etiam, sed minus, quàm inedia absumit, ac digerit, quòd fit magna tum corporis, tum humorum perturbatione; ista quidem nullum extrinsecum calorem corpori exhibet, sed congenitum nobis, & innatum suscitat, qui per corporis humores effusos calefacit, quare alimenti coctio, distributio, nutritioque felicius elaboratur; ipsaque sanguinem, & humores extenuat, mollit, colliquat, & diffundit: deinde spiracula cutis laxat, humoresque per illa resoluit; quia tamen exercitatio vires dissoluit, corpúsque defatigat, laboranti grauis, ac molesta est, venę valenti

verò cum modica fit, ad morborum præcautionem accommodata est, præcipuè tamen, cum iam cibus perfectè coctus, ac distributus fit, impuriori quidem corpori, euitanda maximè est exercitatio; quia cum agitet, ac perturbet vitiosos inter se humores, illosque, neque superet, nec protsus depellat, morbis grauioribus rudimenta parat.

Balneum similiter aquæ dulcis longe, quam exercitatio euacuationis est causa, potentius enim spiracula laxat, humores calfacit, & extenuat, fluxosque liquat, ex his fuliginosos, non solum ex summis, sed etiam ex iutimis regionibus corporis dissipat: fluxosque foras euocat, sudoresque prolicit, crassiores verò, quos discutere non valet fundit; tantaque vi concitat, vt illi in alias iactati partes confluant: quare balneum, his qui morbo graui tenentur, atque his qui citra morbum, impuritatem corporis habent, veluti etiam plethoricum maximè nocet, tum etiam quibus adest imbecillitas cuiusdam partis nobilioris, aut præcordiorum: nam humor liquatus vi balnei, cum iam prætet naturam sit, in partem languidam decumbens, in phlegmonis discrimen adducit; vtile verò, & necessarium erit balneum, his qui squalidi, & extenuati sunt, & qui intensam partium solidarum siccitatem patiuntur, vt cum vi febris ardentis maximè torridi fiunt, melancholicis etiam, crassoque humore oppressis.

Frictio tandem, atque vnctio, corporis summa exinaniunt, ita vt humores intus abstrusos, nec corpus insigniter conturbent. Frictio quidem mollis, ac longa corporis summa calefacit, spiracula cutis laxat, à quibus causis humores in extremas partes effusi incalescunt, attenuantur, & liquefiunt; vnctio calida eodem operatur modo; sed valentiùs confert, altiùs enim penetrans, non solum emollit, atque laxat cutim; verumetiam corporis interiora, & humores calfacit, atque attenuat; leuior tamen ac facilis toleratu vnctio, quam longa frictio, vnctio quidem in acutis morbis, frictio verò longa, neque in acutis, neque in morbis accrescentibus est in vsu, eo quod magis spiracula, vi immodicæ attractionis occludantur, ac transpiratio vehementius cohibeatur.




COMMENTARIA



COMMENTARIA IN LIBRVM GALENI INSCRIPTVM: QVOS, QVIBVS, ET QVANDO PVRGARE OPORTET.



VM duo sint apud Galenum, & omnes Medicorum Scholas, remedia magna, sanguinis videlicet missio, & purgatio, nullusque morbus materialis magnus, sine his profligari valeat, postquam in superiori disputatione de omnibus, quæ ad debitum sanguinis missionis exercitium conferunt, egimus, iam tractatio, siue pulchra, & valde necessaria disputatio de purgatione nobis proponenda, ac dilucidanda occurrit. Et cum hæc priùs veluti diuinæ menti Hippocrat. debeatur, qui præcipuè *aphorismor. 4. à sentent. 1. vsque ad 10.* & *aphorismor. 5. 19.* tum & etiam *libro de natura humana*, *libro de medicamentis purgantibus*, & Galen. purgationem exposuit in propositis à nobis commentariis, quos, quibus, & quando, &c. Tum & etiam *libro de simplicium medicamentorum facultatibus*, ac *libro de compositione medicamentorum*. Plurima etiam formosiori doctrina decorata, Gaspar Brauo adducit *in sua disputatione de purgandi ratione*, Massarias *disputatione de purgatione minoratiua*, vt *infra* patebit, Sancta Cruz de impedimentis magnorum auxiliorum, *lib. 1.* Mercatus *lib 1. de indicationibus*, Fallopius *lib. de medicamentis purgantibus*, Valerio. 3. *de locis communibus, c. 16.* & alij quam plurimi, quos ad veritatis splendorem assequendum omni arte consulemus.



DVBITATIO I.

Quid sit purgatio.



VAMVIS diuersimodè ab expositoribus purgatio definiatur; breuiter tamen apud Galen. *aphorismor. 1. comment. 2.* definitur: quod purgatio est humorum, qui qualitate intensiore, & quantitate maiori aduncti sunt, quàm eorum temperies sanguini inculpatè generando necessaria egeat, euacuatio; quare purgatio erit euacuatio eorum humorum, qui naturæ sunt infesti, & qualitate peccant: siue talis purgatio fiat criticè, siue vi morbi, siue ope Medici, triplex quidem est purgationis modus: nimirum, vel cum natura per semetipsam purgationem molitur, vt in crisibus accidit: vel symptomaticè, vel quando Medici ope fit, vt pharmacis euacuantibus, veluti in præsenti est agendum, de qua Hippocrat. est intelligendus, *aphorismor. 4. sent. 2. In medicationibus talia educere ex corpore, qualia sponte prodeuntia vtilia, &c.* En talia educere; id est talia purgare mediis pharmacis ab arte: loquitur eodem modo, prima quarti: *Vtero gerentes medicandæ sunt à quarto vsque ad septimum*; ly medicandæ, id est purgandæ media arte: idem significat

decima eiusdem quarti: *medicari in valde acutis*, &c. ly medicari, idem ac purgare, medio pharmaco, siue ope medica, de qua purgatione loquimur in præsenti. Tertius verò modus purgationis fit vi morbi, quæ symptomatica nuncupatur; quam plurimi, vt semper læsiuam indicant, etsi melius Vallesius eam ex accidenti, vt bonam tueatur, vt suo loco adaperiam. De purgatione quidem, quæ à natura exercetur proprie, loquitur Hippoc. 1. *aphorismor. sentent.* 1. dum ait: *In perturbationibus, & vomitibus, sponte factis: si qualia*, &c. *oportet purgari purgentur.*

Fallopius tamen dictam purgationis definitionem Galeni redarguit; nam ista definitio non conuenit omni purgationi: ergo non est sustinenda. Antecedens probatur: nam si humor aqueus irruat ad pulmones, illi debetur purgatio, ex consensu omnium, sed talis humor non afficit qualitate: ergo prædicta purgatio non erit euacuatio humoris qualitate peccantis. Probatur minor: quia humor serosus, siue sit intemperatus: siue peccet in modo substantiæ, siue putridus sit, siue non, tamen solum obstruendo vias, media sua copia, efficit morbum in cauitate, vel meatu; atqui talis humor est euacuandus media purgatione: ergo illo in casu purgatio non erit euacuatio humoris qualitate peccantis.

Hæc tamen Fallopij ratio dissoluitur respondendo, quod vsus medicamentorum purgantium, non indicatur per se ab obstructione, sed potius vsus medicamentorum deobstruentium, quæ cum in vario collocentur ordine, varias quoque præferunt intentiones; nam obstructionem, omnia, quæ crassa, viscida, & lenta fuerint, efficiunt; ideóque ab ipsis incrassantibus alia nascitur indicatio, vt à crassis attenuandi, à viscidis detergendi, à lentis incidendi, quæ actiones, potius qualitatibus remediorum, quam purgationi sunt tribuendæ; quare materia illa, quia viriosa postea, etsi vt obstruens, aperionem, vt tamen qualitate peccans, siue vt cacochyma, (vt postea dicemus) purgationem indicat, cum sit materia inutilis ad nutritionem, aliàs enim sanguini puro, & laudabili vasa obstruenti, purgatio, & non venæ sectio deberetur, vel saltim indeterminatè ipsa obstructio sanguinis missionem, aut purgationem indicaret; sicque ratio Fallopij manet decisa.

Instabis tamen; nam purgatio menstrualis, quæ singulis accidit mensibus, non ratione qualitatis, sed ratione quantitatis, est vera purgatio, ex communi veterum appellatione; nam huiusmodi sanguis menstrualis, non afficit qualitate, sed quantitate: ergo purgatio non semper est euacuatio humoris qualitate peccantis. Antecedens probatur; sanguis enim menstruus deseruit ad fœtum generandum, alendum, ipsum fouendum, formandum, & augendum, atqui fœtus non generatur, nec formatur ex sanguine qualitate, sed tantum quantitate peccante: ergo ille sanguis solum peccat quantitate: ergo euacuatio illius, non erit purgatio humoris qualitate peccantis.

Neque vllam vim præsens arguties infert: nam talis sanguinis menstrui euacuatio non est propriè purgatio, sed abusiue, & impropriè, cum sanguinis menstrualis effusio, quæ ab arte suscitatur, etiam diceretur purgatio, quamuis esset euacuatio humoris qualitate peccantis, quod est falsum; sed quare Hippoc. Gal. & alij communiter medici, ac nos ipsi vulgo dicamus, menstruas purgationes per vterum fieri? Facilè satisfacio, quòd Hippoc. & alij communiori modo loquendi, vt rem satis exprimerent, euacuationes menstruales, nominarunt, purgationes, idem similiter possumus proferre, de medicamentis diureticis, quæ nullo modo sunt medicamenta electiue purgantia, sed solùm per accidens, nam licet arenulæ, & calculi proiiciantur; nullatenus dicuntur euacuata per purgationem, Quare cum sanguis menstrualis, etsi vitiosus sit, non expellatur medio medicamine electiuo; sed indiscriminatim, & promiscuus, vtilis cum inutili, non conueniet rigorosæ purgationi: de qua sermo procedit.

Purgatio itaque apud plurimos ex Gal. erit euacuatio humoris qualitate peccantis, cum in ea inueniatur ratio generica, & specifica, eo quod euacuatio genericè conueniat cuicumque euacuationi nostris corporibus accidenti, vt sanguinis missioni, sudoribus, vomitibus, & aliis: differt verò specificè à missione sanguinis, cum sit qualitate peccantis humoris euacuatio, cum in sanguinis missione fiat euacuatio indiscriminata, sine vlla electione; quia tamen Gal. potius purgationem intelligit, *comm.* 2. *primi aphor.* pro purgatione cómuni, tum illi, quę à natura, ac illi, quę ab arte fit, ideo solũ communem vtrisque adduxit definitionem, asserens: Quod purgatio, & euacuatio humoris infesti, vel qualitate peccantis, siue euacuetur à natura, asserens (*in perturbationibus ventris, & vomitibus sponte,*) idest à natura, siue euacuetur ab arte, medio medicamento: nam iam euacuatur materia qualitate peccans, vt dixit, & imperauit secunda quarti (*in medicationibus talia educere,*) idest purgare, (*qualia sponte,*) idest qualia à natura vtilia. Nos tamen solum in præsenti peculiarem purgationis definitionem conantes exprimere, asserimus, quod purgatio ab arte facta, de qua currit disputatio, *est euacuatio humoris qualitate peccantis*, vel si malueris, *humoris cacochymi, vi medicamenti purgantis, per ventrem facta.*

Denudanda tamen accedit præsens definitio, vt veritas magis splendeat, dicitur quidem primò *euacuatio*, ad genus constituendum cum qualibet euacuatione extra corpus; dicitur verò humoris qualitate peccantis, non quidem qualitate prima; ista enim solum petit attemperationem, non secunda quo ad modum substantiæ, cum ista corrigi valeat, vel per incrassantia, vel attenuantia; bene tamen dicitur qualitate peccantis, ac si dicatur humoris in specie peccantis. cum speciem naturalem amiserit humor; vnde etiam speciem, & potentiam mutauerit; & ideò iam ineptus est ad nutritionem; sicque vitiosus est qualitate, vel specie, & forma naturali; vnde cacochymus, sed quia etiam in euacuatione critica talis materia sponte euacuatur, & tamen non est purgatio artificiosa; merito vt ab ea distinguatur, addenda sunt vltima verba, videlicet, per ventrem facta, vi medicamenti purgantis,

gantis, cum natura sine pharmaco, per sudorem, per vomitum, & per ventrem potest efficere purgationem conferentem, non tamen artificiosam, nisi vi medicamenti attrahentis, & naturæ expellentis fiat; meritò igitur plurimis in locis prædixit Hippocrat. demonstrans qualitatem humoris vitiosam: *Cum asserat si talia, qualia purgari oportet, purgantur conferunt, & leniter ferunt* (y qualia, pro specie humoris peccantis: *Euacuationes non multitudine, sed si talia qualia, &c.*



DVBITATIO II.

Qua ratione medicamentum purgans euacuet humores.



CCEDIT merito, exposita essentia purgationis, occasio inuestigandi modum, quo fiat purgatio, à quo verè, & propriè indicetur, coindicetur, contraindicetur, & tandem à quo impediatur, vel permittatur; de quibus postea suo in loco agendum erit. Circa igitur modum, quo purgatio exerceatur, Aristoteles inquit: *Quod medicamenta statim, ac in ventrem abeunt, resolutaque sunt; statim etiam ad venas, per quas cibus defertur transeunt, cum nullatenus concoqui potuerint; sed victrice potentia relabuntur, & quæ sibi obsistunt, secum detrahunt, quod propriè vocant aliqui purgationem.*

Hæc quidem opinio maximè à veriori ratione discedit, eo quia primo purgandi virtutem, solum Aristoteles collocat, in eo quod medicamenta sint incoctilia, nulla mentione facta facultatis attractricis, cum asserat Hippoc. quod omnibus medicamentis in vniuersum conuenit vincere, & non vinci, mutare, & non mutari; quo nomine ab alimentis segregari affirmat, fallitur secundo Aristoteles, quia existimat medicamenta purgantia semper in omne corpus deferri, omnesque ipsius venas peruadere, de quo in disputatione propria peculiariter veniet dubitandum.

Quo ad modum verò operationis medicamenti purgantis. Ioubertus paradoxa nona decade 2. inquit: Quod euacuatio, quæ fit à medicamento purganti, non fit familiaritate substantiæ, sed potiùs contrarietate illius cum humore. Probatque hac ratione: nam ex Gal. 4. *Acutorum, commentar.* 12. ostenditur: *Quod medicamentum habet naturam fere deleteriam, vt venenum*: Ergo quia habet contrarietatem cum humore peccanti. Secundo probatur prædicta assertio: nam si medicamentum purgans euacuaret media familiaritate, sequeretur, quod nutriret nostra corpora; atqui hoc est falsum: ergo etiam quod purget media familiaritate, sed potiùs contrarietate, probatur sequela: nam medicamentum est familiare humoribus; atqui humores sunt familiares viuenti, vt ipsum nutriant: ergo etiam medicamentum purgans esset familiare viuenti, ad ipsum nutriendum; sed hoc non est dicendum: ergo neque medicamentum esse humoribus familiare ad purgationem.

Probatur vlteriùs, Galenus enim, *libro de optima secta*, ac de constitutione artis, inquit: *Medicamenta dici contra naturam*: ergo quia non sunt familiaria humoribus, neque naturæ; tum & etiam primo de facultatibus naturalibus, c. 13. asserit: *Quod attrahere ad se, non est propter ipsum trahere, sed propter fruitionem rei attractæ*; atqui medicamentum purgans, non potest frui humore attracto: ergo quia tale medicamentum non habet familiaritatem cum humore, quod autem medicamentum purgans, non fruatur humore attracto; manifestè probatur, quia medicamentum non est viuens: ergo non fruetur humore propter nutritionem, neque propter alicuius qualitatis conseruationem, alias enim multo meliùs medicamentum purgans conseruaretur immersum in humore proprio, quam in alio mixto; atqui contrarium experientia patet: nam agarici natura meliùs conseruatur permixta cum stercore, quam cum humore pituitoso: ergo quia non fruitur illo, propter conseruationem alicuius qualitatis; ac proinde, cum non attrahat ad fruitionem rei attractæ, non attrahet media familiaritate, sed potiùs contrarietate.

Sententia tamen Iouberti nullum veritatis indicium obtinet, vt ex doctrina nostræ assertionis inferiùs constabit; sicque facilè rationes superius allatæ sunt decidendæ: ad primum igitur respondeo, quòd medicamenta, verè, & propriè purgantia: de quibus loco citato Gal. agit: Partium contrarietatem cum nostra natura obtinent, eo quòd gaudent facultate irritante, acri, & mordaci; ex alia verò parte naturam venenosam toto genere, vt purgantia nequaquam habent, ac proinde aliqua familiaritas cum humoribus non implicat; secundæ verò rationi respondeo, quòd medicamenta purgantia quandam obtinent similitudinem cum humoribus, in ordine ad attractionem, & licet ex alia parte etiam natura ad se humores attrahat; benè possumus fateri, quòd in his omnibus aliqua similitudo adest, ex hoc tamen non infertur, quòd omne quòd trahitur nutriat: plura enim sunt in nostro corpore, quæ facultate attrahunt, & illa similitudo, quæ intercedit non est sufficiens vt sequatur nutritio: nam, etsi facultas naturalis insita vniuscujusque partis nostri corporis, attrahat substantiam nutrimentalem ad nutritionem, veluti in plantis contingit, quæ ad fruitionem succorum ex terra attractorum, hujusmodi actionem exercent, non tamen currit talis ratio in quolibet attrahente; magnes enim non attrahit ferrum ad sui nutritionem, vesica lotij, & vesica fellea, aliæque similiter partes attrahentes, nullo modo operantur, vt te attracta nutriantur, sed latiori modo loquendi, vt ea fruantur, vel delectentur.

Tertiæ rationi satisfaciam dicendo ex supra relatis; nam quando medicamentum attrahit humorem, non operatur propter ipsius nutritionem, sed potiùs propter conseruationem alicuius

alicuius qualitatis simili: neque obstat, quòd medicamentum purgans immersum in humore proprio non conseruatur, veluti in alio mixto, vt de agarico in stercore dicitur; nam licèt agaricus sit similis cum humore, sunt tamen aliæ qualitates in humore, satis corrumpentes, & efficaces, vt medicamentum ab eo non conseruetur.

Instabit tamen quis ingeniose, prædictam substantiæ familiaritatem obnegans, hac ratione; non est maior ratio purgationis particularis vnius partis, quam purgationis vniuersalis totius corporis; sed sic est quòd purgatio vnius partis particularis, nempè cerebri, non fit propter attractionem familiaritate substantiæ; sed solum præcedente irritatione, & natura expellente irritata: ergo non aliter in vniuersali purgatione debet contingere: ac proinde non requiritur familiaritas substantiæ.

Cui facilè respondeo, quòd purgatio partis particularis, videlicet cerebri, vel est electiua medio medicamento humorem intra venas existentem purgante, vel est purgatio impropria, & sine vlla electione, vt quæ fit mediis medicamentis vomitoriis, & errhinis, quæ promiscuè euacuant excrementa in cerebro contenta; quare si purgatio est electiua, & propria alicuius partis particularis, familiaritate substantiæ indigebit; alia verò, quæ impropria, & promiscua dicitur, solum media irritatione à facultate cerebri expultrice lacessita fiet; sicque paritas nullum habet locum.

Insurges vlteriùs; nam ex dicta familiaritate substantiæ, si medicamentum purgaret propter eam, sequeretur, quòd medicamentum traheret aliud sibi simile: ergo etiam humor posset attrahere alium sibi similem humorem; tum & etiam ipse humor medicamentum purgans posset ad se trahere, veluti ferrum alterum ferrum; & multo vrgentiùs magnes alterum magnetem; sed hoc maximè experientiæ repugnat: ergo etiam negandum est, quòd medicamentum attrahat humorem, quia familiare cum eo est.

Cui argumento satisfaciendum venit ex eadem Galen. authoritate 3. *de simp. medicament. facult. cap.* 4. vbi asserit, quòd simile trahit simile; non tamen ideò trahit illud simile in specie; quare ex eo quòd magnes trahat ferrum, non sequitur, magnetem trahere alium magnetem, neque ferrum aliud ferrum, cum sint eiusdem naturæ, & speciei; quapropter, medicamentum non trahet aliud medicamentum, propter eandem rationem: vel si malueris; cum omne agens dum operatur intendat assimilare sibi passum, merito, quia magnes omnimodam habet similitudinem cum alio magnete, frustraneus erit finis, & operatio; sicque vnum, alterum nequaquam attrahet, quia omnimodè sunt familiaria, benè verò attrahet ferrum, quia similitudo solum est partialis; & licet eadem currat paritas inter vnicum, & alterum humorem eiusdem speciei: Respondeo tamen, quòd humor, quia destitutum est facultate attractrice, neque attrahet alterum humorem, multo minus medicamentum purgans: idemque de ferro in ordine ad magnetem est respondendum.

Nec minus alia vrgebis ratione: supponamus enim, quòd de facto propinetur vnicum medicamentum ad bilem purgandam, & quòd talis bilis, si per possibile sit, in corpore non existat; atqui in illo casu, medicamento assumpto fiet, alterius humoris euacuatio, & non bilis cum non sit: ergo quia non attrahit medicamentum purgans propter similitudinem substantiæ, sed quia irritando naturam, sequitur expulsio. Roboratur vlteriùs, quia sicut se habet purgatio, in communiori sententia, sic se habet superpurgatio; sed ista fit media solum irritatione naturæ: ergo etiam purgatio in communi. Maior probatur, quia post debitam purgationem factam ab arte, si remaneat in nostro corpore aliqua portio medicamenti nondum actuata, & postea reducatur in actum, eo in casu, dabitur superpurgatio; sed ista fiet media irritatione sola: ergo etiam prima purgatio.

Prima, & secunda ratio, veluti in eandem vim coincidunt, ac proinde respondendi modus facilis, & cohærens erit, asserendo, facta suppositione, quod medicamentum purgans, similitudinem tantum obtineat cum bile, si ista non adsit, illa non erit purgatio electiua, sed potiùs impropria, media medicamenti acredine, sine vlla attractione, & electione, de quo purgandi modo non currit sermo. Ad secundam similiter rationem respondeo breuiter, quòd medicamentum actuatum post debitam purgationem, si inueniat humorem sibi similem, ipsum media attractione purgabit, quamvis purgatio sit supra vires, & dicatur superpurgatio, hoc enim solum ex immodica medicamenti virtute pendebit, non tamen ideò auferenda est virtus electiua, & attractiua medicamenti propter familiaritatem substantiæ; si verò humorem sibi similem non inueniat, quòd est impossibile, aliusque humor expurgetur, hoc solùm vellicatione fiet; non tamen erit purgatio electiua.

Stabilitur pro coronide assertio relata in hunc modum; nam si purgatio fieret propter similitudinem substantiæ, vbi daretur maior similitudo cum humoribus, major daretur purgatio; sed hoc est falsum: ergo etiam purgatio propter similitudinem substantiæ. Major quidem verissima constat: minor probatur, quia medicamenta emollientia, & detergentia suauiora, maiorem obtinent similitudinem, & familiaritatem substantiæ cum nostra natura, & humoribus, quam alia vehementiora, siquidem minus nostram alterant naturam, ac faciliùs in humores possunt conuerti, atqui talia medicamenta, quæ sunt magis familiaria, minus purgant: ergo si datur major similitudo, & minor purgatio, erit quia purgatio non fiet per similitudinem substantiæ.

Huic rationi satisfaciam dicendo, vt ex nostra sententia patebit; diuersam quidem esse electionem humoris, & attractionem à medicamento exorientem; sicque ratio propter quam medicamenta, quæ sunt magis familiaria, minus attrahunt, vt suauia, & lenia, est, quia talis familiaritas, potiùs ad eligendam humoris speciem, quam ad ipsum attrahendum concurrit; ac proindè medicamenta vehementiora, acriora, &

fortiora,

fortiora, etsi non ita familiaria, vehementiùs attrahent, cum talis attractio non debeatur familiaritati substantiæ, sed potiùs facultati attractrici, quæ ratione acrimoniæ, vel caliditatis humoris, vehementer valebit attrahere.

Alij verò ex hac, aliis similibus responsionibus, indicarunt, calorem potiùs medicamenti purgantis, causam attractionis nuncupandam esse, cum medicamenta fortiùs in attractione operentur media caliditate: hæc tamen sententia reiicienda venit, & probatur: nam si calor per se attraheret quoticscumque reperiretur vehementior, & intensior calor magis traheret, quam remissus, vt ignis vehementiùs traheret, quam rèliqua minus calida: ergo traheret omnia combustibilia, vt ligna, & paleas; hoc est falsum: ergo calor medicamenti purgantis, nulla ratione erit causa attractionis; ac proinde solum ex accidenti, & per aliud fiet attractio; calor enim cum priùs calfaciat, subsequentur, tenuitas, rarefactio, & leuitas, quæ dispositiones sunt ad attrabendum; ac proinde talis philosophandi modus non est insequendus.

Quibus prælibatis, alij afferunt Authores, quod medicamentum purgans, humores euacuat, media similitudine substantiæ, quæ consistit in peculiari modo mixtionis elementorum, vt Galen. *lib. 4 de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 15.* inquit: Quod ex quatuor elementis omnia generantur, & ex eorum imparitate, proprietates rerum consurgunt: Auerroës similiter Galenum insequitur, *lib. 5. collectan. cap. 12.* asseuerans, proprietates dictas, esse quasdam proportiones mixti ex dictis elementis; loquens enim de tractione magnetis, sic ait: *Hoc accidit propter proportionem, & conuenientiam, quæ inter magnetem, & ferrum reperitur, quæ proportio non est in mensuris mixtionis elementorum.*

Quibus verbis, inquiunt plurimi, idem Auerroëm significare, ac Galen. persensit, videlicet, quod proprietas ob similitudinem in modo mixtionis, indicibilis est; nam dictus mixtionis modus, neque est excessus, nec defectus elementorum, sed potiùs modus substantiæ conuersus ex dictis elementis, veluti enim ex eisdem literis, quæ sunt elementa componentia dictionem, diuersimodè collocatis diuersæ consurgunt voces, vt ex litera R. O. M. & A. constituitur dictio, ROMA, AMOR, MARO, RAMO, OMAR, ARMO, aliæque multæ, & quemadmodum ex eisdem specie, & numero metallis, videlicet, ære, stanno, argento, & auro, diuersimodè permixtis, diuersi etiam campanæ sonitus consurgunt, quoties enim metalla liquantur, toties solent diuersi mixtionis metallorum modi consurgere, vt diuersitas sonitus appareat: non aliter philosophandum venit de elementis: ex vario enim illorum concursu in mixtione, variæ huiusmodi proprietates proficiscuntur. vt Gal. *lib. de constitutione artis medicæ, cap. 8 innumera*, ait, *possunt esse elementorum alterationes, atque innumera mixturæ particularium corporum*; sicque penè infinitæ proprietates, quare mirandum non erit, quod proprietas, siue virtus dicta diuersa, in tam diuersis medicamentis purgantibus repetiatur.

Licet prædicta opinio aliquam difficultatis partem perstringat, veriorem tamen, & intimiorem medullæ sensum solum olfacit; non enim neganda est similitudo, siue familiaritas, & proportio inter medicamentum purgans, & humorem, neque peculiaris mixtionis modus, ex diuersa elementorum copulatione, bene tamen obneganda est hæc opinio ex alia parte, quæ asserit medicamenta purgantia, præcisè propter familiaritatem, siue similitudinem substantiæ, humores attrahere, licet verum sit quod maximè sit necessaria prædicta familiaritas inter medicamentum, & humorem, vt debita fiat purgatio.

Sit igitur iam verior, & solidissima conclusio, manifesta distinctione, explendescens, videlicet, quod nec attractio medicamenti purgantis tribuatur irritationi, neque caloti, nec adhuc familiaritati substantiæ; ad cuius veriorem expositionem supponendum venit, quod aliud est hoc nomen purgatio, aliud attractio, & aliud electio; nam licet reuera vnum, & idem medicamentum attrahat, eligat, & purget; tamen motus purgationis, siue ipsa purgatio, componitur ex electione, & attractione, ad quas actiones diuersimodè concurrit medicamentũ purgans: nam quamvis humores qui euacuantur media purgatione, sint ipsi medicamento attrahenti familiares, ista tamen familiaritas, potiùs erit causa, vt medicamentum hunc magis, quam alterum humorem eligat, non tamen vt attrahat; nam attractio potiùs proueniet à facultate, siue potentia attractrice insita, & identificata cum forma medicamenti, quæ quidem, licet sit potentia ad attrahendum; at verò vt determinetur, & contrahatur, ad attrahendam magis speciem huius humoris, quam alterius, indiget in concreto familiaritate substantiæ medicamenti cum humore; quare quamvis medicamenti forma sic sit vna, & facultas cum ea identificata, pro diuersitate tamen dispositionibus quoad primas qualitates, nempè temperamentum, quoad alias secundas, nempè colorem, & saporem, & quoad modum substantiæ, quæ omnia integrant naturam medicamenti purgantis; ideò talis facultas, siue virtus, quamvis vna, diuersos humores electos, à diuersitate materiæ, siue diuersa familiaritate substantiæ valebit attrahere.

Stabiliatur, & splendeat huiusmodi assertio diuersis paritatibus: nam quemadmodum in operatione cujuscumque causæ æquiuocæ, licet agens vnum, & idem sit ad suos effectus producendos, vt patet in sole ad ceram liquandam, & lutum densandum, in hepate ad sanguinem ex dulciori portione chyli generandum, & ad bilem flauam ex tenuiori, & calidiori veluti ad atram ex terrestriori, & frigidiori materia, experimur, quod generantur effectus specie diuersi, propter diuersas materiæ, sine subiecti dispositiones, ita pariter discurrendum accedit de medicamento purganti cuius forma, quamvis vna, & eadem sit, vt causa tamen æquiuoca, & eminentialis, poterit continere virtutem attrahendi diuersos humores, ad quam operationẽ nullo indiget adminiculo, bene verò ad

ad eos eligendos, vt talis facultas contrahatur in speeie, ad hunc humorem potiùs, quàm alterum, per diuersas dispositiones, diuersumque modum substantiæ prædicti medieamenti purgantis; nam licet luminosum virtute gaudeat generandi argentum, aurum, diuersaque metalla, liquandi ceram, & lutum densandi, contrahitur tamen, ad hunc potiùs effectum, quam alium produeendum, à dispositionibus requisitis in vnoquoque subjecto; ita pariter de medicamento purganti, sentiendum venit.

Sigiller tandem nostram veriorem doctrinam, anima rationalis, quæ in veriori opinioue, realiter est idemtificata cum facultatibus, cùm vna in speeie sit, plures specie diuersos producit effectus, vt est ratioeinatio, memoria, & discursus, quos quidem propter diuersas cerebri dispositiones efficit; veluti eadem etiam forma in aliis corporis partibus exercet sensum, & motum in musculis, qui motus instrumenta nuncupantur, alimentum attrahit, coneoquit, & assimilat parti viuenti, determinata tamen propter diuersas organorum dispositiones, tam varia, & mirabilia opera exercet, ex ex eo quod licet vna, cum æquiuocè operetur, operum diuersitas non implicabit: ergo consecutione sermonis, quamvis medicamentum purgans vnica gaudeat forma, siue facultate attractriee, diuersam tamen humorum speciem, ob rationem prædictam, valebit attrahere.



DVBITATIO III.

An opus sit ad purgandum, vi medicamentum in omni corpus per vasa deferatur.



NEGATIVAM partem iuxta præsens dubium plurimi amplectũtur. Probaturque primò, ex Mesue *lib. 1. theorematum, cap. 1.* asserente: Quod medicamentum purgans solum vi attractrice, humorem sibi familiarem, ex venis, & corporis meatibus, sensum fugientibus, ad se in ventriculum, & intestiua rapere: ergo ex Mesue, non est necessarium, quod medieamentum purgans venas peruadat. Roboratur vlteriùs: nam plurimi solum ex odore medicamenti euacuantur: ergo non est neeessaria permeatio per venas.

Præterea, quia multi, quibus ventriculus multo humore viscido, & crasso, siue farragine plenus erat, larga purgatione, absoluta, & completa fuit euacuatus; licet integras pilulas, auto etiam euolutas euomuisset: ergo quamvis medicamentum purgans, non permeet venas, valebit purgare. Additur etiam aliud nouum exemplar adductum à doctissimo Zaeuto in vnico iuuene, qui vna, & eadem pilula sæpiùs ingesta, ac integrè egesta, siue euacuata, purgationem iteratam fœlicirer, & copiosam obtinuit: ergo non erit neeessarium, vt medieamentum venas permeet.

Præterea Fallopius narrat, multoties ipsi accidisse, quandam Abbatissam purgandam fuisse & quotiescumque illi exhibebat medicamenta purgantia, statim ægra euomebat: quare loco assumendi pilulas, quia etiam eas euomebat, ipse Fallopius effecit ex pilularum materia massam quandam liquidiorem, & ventriculo Abbatissæ admouit, ex talique applicatione, dicta mulier fœlicissimam purgationem obtinuit, ergo manifestè patet, quod solam ex præsentia medicamenti purgantis in ventriculo, quin venas permeet, vera purgatio potest subsequi.

Roboratur vlteriùs huiusmodi opinio, quia quemadmodum magnes attrahit ferrum, ita medieamenta purgantia attrahunt humores; sed quin magnes à suo loco moueatur attrahit ferrum: ergo etiam medicamenta purgantia detenta in ventriculo, quin venas pertransfeant, valebunt purgare; imò si peruenirent ad secundarum venarum cauitates tertiæ regionis, non daretur attractio; nam ista debet esse localis: ergo cum medicamanta essent, iam ipsis humoribus coniuncta, non attraherent eos de loco in locum; quia non esset major ratio, cur medicamenta de nouo ad ipsum ventriculum remearent, quam quod manerent in ipsis partibus remotis, ad quas peruenerunt: ergo de primo ad vltimum dicendum est, quod medicamenta purgantia nullo modo pertransfeunt venas.

Quibus non obstantibus, contrariam plurimi tuentur sententiam; experientia enim constat, plurima medicamenta purgantia venas permeare; vt patet in assumptione therbentinæ, ex qua quo odor violaceus fertur in vrina: ergo quia tale medicamentum purgans per venas distribuitur. Præterea: nam vittus, siue actiuitas argenti viui, aut Mercurij peruenit ad ossa, vt videre est in cadaueribus; & appositum cuti per linimentum, ita permeat nostras corporis partes, vt euacuationem moueat, vel per os, vel per secessum: ergo quia tale medieamentum tum per meatus externos, tum etiam internos communicatur. Colligitur etiam ex Auicenna *sect. 1. problematum, quæst. 41.* tum & etiam *canone 2. part. 1. cap. 4.* vbi inquit, Hermodactylos non solum habere purgandi facultem ex articulis, sed ipsos corroborandi; sed hoc non potest fieri nisi ad ipsas partes perueniant: ergo quia semper medicamenta purgantia venas permeant, vt patet in rhabarbaro lotium tingente, & aliis similibus.

Confirmatur præterea exemplo manifestissimo, & recenti, quod in Ciuitate Cæsaraugustana contigit quadam in domo cuiusdam Equitis nomine D. Francisci Clauero insigniti, scilicet quod omnes qui comederunt quandam casei substantiam correpti fuere ingenti purgatione; & cum inuestigata fuisset materialis causa, videlicet lac, ex quo fuit caseus constructus, cognouerunt huiusmodi lac ortum duxisse, cum hac virtute purgatiua ex comestione alimenti captarum, quæ nutricæ fuerunt quibusdam herbis intensè calidis, virtuteque purgatiua fruentibus, vt sunt cucumeres: ergo quia ex lacte capræ, quæ cucumeres assumpsit in sua cibatione,

sequuta

sequuta fuit talis purgatio in hominibus prædictæ domus: ergo quia virtus purgatrix relicta, & sigillata in lacte, venas corporis permeauit; ac proinde infertur legitime, medicamenta purgantia omnes corporis venas penetrare.

Sed vt veriorem opinionem certiùs amplectamur, vnica est ratione respondendum, si priùs perpendamus, quod in quocumque medicamento purganti duplex reperitur substantia, vnica quæ crassa, terrea, ac difficilis est ad per quemcumque locum permeandum; alia verò tenuissima, ignea, & facilè resolubilis in aëreum vaporem, vndequaque vagans, & percurrens. Præterea, quod nostrum corpus est maximè fluxile, porosum, ac transpirabile: vt Hippocrat. confluxus vnus, conspiratio vna, & consentientia omnia. Sicque respondeo de Abbatissa, quod pars tenuissima medicamenti appositi extra ventriculum, per externos meatus ipsius, ad venas remeare potuit; nam vt medicamentum purgans operetur, debet à nostro calore natiuo alterari; ideóque calefit, attenuatur, & in minutissimas comminuitur partes, vt sic reducto de potentia in actum, illa tenuissima pars posset in vaporem resolui, vt postea per Abbatissæ ventriculum ad venas permearet; simul etiam pars crassa medicamenti exterius in ventriculo remanens, à caloreque natiuo alterata, posset iuuare, vt humores, è corpore expurgarentur.

Simili ratione dicendum restat de illo, qui statim, ac assumpsit medicamentum, nempè pillulam, eam euomuit; nam potuit aliqua portio medicamenti, etsi exigua, in ventriculo remanere, quæ sufficeret secundum subjecti dispositionem ad euacuandum humorem cacochymum; nam licet in totum medicamentum non remansit in ventriculo, vt in casu allato; multoties tamen in aliquibus subjectis, ob humores fluxiles, sensus acutiem, & naturam administrantem, sufficiet aliqua substantia tenuior, & vaporabilis, quæ remansit ad tales humores educendos; quare concludendum est in nostra assertione, non implicare in quolibet medicamento purganti, quod aliqua portio illius subtilior, venas valeat permeare, etsi crassior in ventriculo remaneat.



DISPVTATIO I.

De superpurgatione.



ELVTI euacuationes, quæ à morbo solo nascuntur, apud Hippoc. & Galen. repetitis vicibus damnantur, & quæ à natura vincente, vt chrisimę collandantur, ita purgationes ab arte factæ cum confetentia, & tolerantia, sunt admittendæ; quare superpurgationes, cum vires, excedant, & sine ope naturæ contingant, valde sunt reuendæ; ideóque in præsenti tractandæ offeruntur, in his igitur, cum non solùm familiaris humor, verum qui alieni sunt à purgante medicamento, media vellicatione euacuentur, merito causæ illarum sunt adducendæ, quarum prima sumitur ex parte ægrotantis, quia propter imbecillitatem retentricis facultatis, humor non valet retineri; sicque expultrix valida, suscitata eum expellit. Secundò ex apertione immodica vasorum: tertiò ratione medicamenti purgantis: nam vel est vehementius, aut majori quantitate exhibitum, quam oportebat; ideóque ratione immodicæ irritationis, plures quam conuenit, & in majori quantitate expellontur: quartò ratione alicuius causæ externæ; nam si potus immodicus aquæ assumatur, media humiditate laxantur fibræ obliquæ, quæ retentrici subseruiunt; ex aëre similiter, frigido immodicè valet contingere superpurgatio, cum media frigiditate, per expressionem ad interna, reuocentur humores.

Hypercatharseos, seu superpurgationis causis præostensis, difficile non erit intelligere, cur ab exhibito pharmaco nulla, aut exigua sequatur purgatio, cuius sane ratio est in promptu; nam, vel non alteratur medicamentum, neque in actum à natura reducitur, vel plurimum alteratur, atque à calore nostro deuincitur: non alteratur quidem ex eo, quod ventriculus nimis frigidus, siue imbecillis sit, vel absolutè, vel respectu medicamenti assumpti, ex quo fit, vt multi, minori, aut debiliori assumpto pharmaco, copiosius purgentur; cum majori verò, aut fortiori nequeant purgari; ideóque propter dictam imbecillitatem plurimi, assumpto pharmaco, non purgantur, donec aliqua eius portio vomitu reiiciatur, aut mica panis, vino generoso infusa ingeratur, vt ventriculus incalescat, vel saltim longiori tempore indigebit, ad prædictam actuationem, & purgationem; & ob hanc causam aliqui, non nisi ad vesperam purgantur, alij sequente nocte, aut postridie, incipiunt purgationem.

Contraria, ad contrarium effectum producendum, offertur occasio, ratione cuius plurimum solet pharmacum alterari, propter robur ventriculi, aut exiguitatem, tenuitatem, aut clementiam pharmaci, præsertim si ipsum assumptum, prandium d... s, qnam debeat protogetur. Solet etiam frustranea esse, & inanis purgatio, dum medicamentum in vniuersum corpus distrahitur, vel propter immodicam, & intensam febrem, vel propter meatuum, siue venarum amplitudinem, vel propter eorum ingentissimas obstructiones, vel tandem propter materiæ renitentiam, ratione crassitiei, terrestreitatis, vel lentoris humoris euacuandi, vt Galen. *in commentario, aphorism. 3. sentent. 14.* vbi Hippocrat. inquit: *Si volueris ducere elleborum; idest medicamentum purgans, moue corpus, si verò non, non moueto, & somnum concilia:* vbi ex professo Gal. omnes has causas, tardæ, aut nullius purgationis assignat.

Vlteriùs maximè oportet perpendere cum Gal. *3. simplic. c. 17.* quod superpurgatio fit hac ratione, primo etenim humor familiaris cum medicamento assumpto euacuatur, secundariò verò

verò alij, seruato ordine, secundum dispositionem pariatiorem ad motum, vt bilis, pituita, & melancholicus humor, quartus tandem humor sanguis: nam cum iste vitæ thesaurus, propugnaculum naturæ, & maximè objectum asfiue in quantum valet retinetur à natura, vsque quo præ immodico, languore retentricis facultatis labatur.



DVBITATIO IV.

A quo vere, & proprie indicetur purgatio.



VM quodlibet specificum indicatum à suo in specie indicante reguletur, vt methodica exerceatur morborum profligatio, meritò de indicante specifico purgationis, dubitandum venit: in cuius veritatem inuestigandam, priùs est intelligendum cum Gal. *libro de constitutione artis medicinalis, c.* 61. vbi, distinctione non exigua, decisionem adducit, per hæc verba: *Correctio, morbos efficientium dispositionum, summatim perstringendi; contrariis obiter, particulatim vero persequenti, superfluum vniuersum rescindere expedit, quomodo superfluum sit distinguendo, an vt quale, an vt quantum, an vt vtrumque, quod redire valet in statum naturalem, alterare per contraria, quæ præter naturam toto genere sunt, vt venena, alterando, & euacuando.* Vnde manifestè Galen. videtur à qualitate, indicationem solius alterationis petere; à quantitate indicationem euacuationis, sub qua purgationem comprehendit.

Vnde doctissimus Zacutus *fol.* 216. colligit, multoties solum à quantitate humoris, indicationem purgationis esse sumendam, supponamus inquit, cistim felleam succi familiaris immodica copia esse oppressam, ita vt nullus sit locus humori de nouo affluenti, neque ipsa possit à suo pondere leuari, absque eò quod nullum virium qualitatis accedat; quæ igitur species remedij, inquit Author, poterit assignari, nisi detractio quantitatis exsuperantis? sed quo ingenio, nisi purgatione? ergo purgatio indicabitur ab humoris quantitate.

Præterea probatur inductione, ex reliquis humoribus secundum naturam temperatis; nam neque in melancholia, neque in pituita, quorum vterque humor suos exercet vsus in nostro corpore, decernimus euacuationem, nisi quando excesserit, quæ enacuatio potiùs erit purgatio. Si tamen aliquis obiiciat, quod in tali excessu, iam datur recessus à symmetria, & naturali constitutione, ratione prauæ qualitatis inductæ, ac proinde purgatio, quæ exercetur, non erit ratione quantitatis, sed ratione qualitatis inductæ. Inquirit Zacutus, qua sit qualitate bilis infecta, eam exuperans, & effusa reperitur per vniuersum corpus, vt in morbo regio patet, neque calore, & siccitate febrem aut aliam particularem intemperiem, sensu perceptibilem excitat; nec talis humor acrimonia ferit, vitali actioni, animali, ac naturali plerumque non officit: ergo quia destituta est qualitate praua; atqui hoc non obstante, talis bilis est per purgationem euacuanda, quia sparsa, & exuperans est: ergo in tali casu, purgatio potiùs indicabitur à quantitate, quam à qualitate.

Sed vt apertiùs verum purgationis indicans valeamus assignare, prius notandum expedit, quomodo humores, siue massa sanguinaria possit à naturali statu desi. cti; massa quidem sanguinaria, est quasi quoddam mixtum ex quatuor humoribus compositum, & contemperatum: licet præcipuè à sanguine denominatum, in cuius attemperatione, & vera mixtione humorum posuit Hippocrat. *libro de natura humana*, causam debitæ sanitatis, quemadmodum in illius intemperie, & seggregatione, causam doloris: vnde sicut mixtum per putredinem deperditur, & resoluitur in ea ex quibus componitur, dum inquit Hippocrat. *Quod singula ad sua secreta reuertuntur:* Non aliter massa sanguinaria, quando alteratur, & corrumpitur, dissipatur, humoresque effrenari redduntur, & cum suis formis sinceris, vt fex vini, & spuma, dum illud corrumpitur, seggregantur: quapropter dum bilis existit in massa sanguinaria cum commercio sanguinis coniuncta, neque ita pallida, amara, calida, neque acris existit; separata verò à prædicto consortio, calidior, & amarior euadit, irritat, mordet, & pungit, vt dolorem non solum membro, ex quo fluit, verum etiam ad quod tendit, inducat, vt *loco citato* Hippocrates.

Deinde perpendendum est, quod ista humorum separatio quæ à causa præter naturam fit, talis valet esse, vt ad gradum supernatantiæ perueniat: supernatantes etenim sunt humores, apud Trincauel, & Galen. *in comment. libri dicti,* Hippocrat. idem ac humores impermixti; humor igitur ille, qui mixtus, & contemperatus esse debet cum aliis humoribus, & potiùs contra naturæ leges superfluus, & incapax, vt permisceatur cum aliis, redditur, huiusmodi humor peccat in lege mixtionis, diciturque supernatare, vt Galen. *de natura humana, in Hippocrat. textu* 23. asserit, pro abundante intelligendum supernatans; vel si malueris, id quod non est eum cæteris commixtum, supernatans propriè appellatur. Quare supernatans humor erit ille, qui mixtionis cum aliis humoribus incapax fuerit, & à natura segregatus in vitalem tendens cauitatem, vt in morbis lethalibus, siue ad ventriculum, siue ad caput, vt in humoribus tenuioribus, & biliosis solet contingere.

Alij verò humores ita sunt crassi, densi, & glutinosi, vt veluti recrementa grania, parietibus vasorum adhæreant, ibique penè infinita damna induxant, quæ cordi communicata, calorem natiuum celerrimè inficiunt; ita vt si ex his subiectis, mittere sanguinem contingat, sanguis extractus nullum obtinebit vitium, sed maximè laudabilis apparebit, & quasi victima, vt inquit sapientissimus Antonius Ponz de Sancta Crux *libro de impedimentis magnorum auxiliorum,*

liorum, fol. 158. licet enim vena dissecetur, humores peccantes in lege mixtionis, per venæ sectionem exire non valent, sed potiùs vasorum parietibus adhærentes, vt dictum est, vel grauitant, vel densitate torpescunt, sanguis verò laudabilis, & viuidus, qui à natura, pro conseruando corde, custoditur, venæ sectione deperditur, viresque ægrotantis extremè labefactantur, qui funestus euentus potiùs solet accidere his, qui liberaliori potu frigidissimo, & venereo congressu intempestiuè vtuntur.

Notandum similiter est, quod prædicta supernatantia, siue segregatio humoris à sanguinis consortio, à duabus valet causis prouenire, quarum vnaquæque varias sortitur differentias; primo enim potest humor separari, ex vi putredinis, quæ diuersimodè potest cōtingere, vt à maligna qualitate, cum massa sanguinaria subiecta sit omnibus corruptionis modis, videlicet putredini, vstioni, congelationi, veneno, malignitati, & cuilibet alij contrario, quòd in primis, aut secundis qualitatibus, humoribus aduersatur.

Secundo humores possunt separari, & supernatare, non post generationem massæ, sed ex ipso principio suæ generationis; nam iecur parenchyma sanguificans, & quatuor humorum opifex, tali intemperie potest affici, vt humores separabiles, & alienos, atqui incapaces consortij difficultet miscibiles, & potiùs impossibiles vt misceantur, generet, vt in hydropico affectu, anasarca videlicet, & ascite, experimur, quia huiusmodi humores separati sunt à consortio sanguinis, in ipso exordio suæ generationis, cum ab hepate talem separationem, & supernatantiam suscipiant.

Sed cum alij humores præter naturam possint etiam extra iecur, in aliqua corporis parte generari: talis supernatantia à prædictis partibus sumet initium, vt in plurimis pituitæ speciebus, quæ in ventriculo præter naturam generantur, ostenditur, veluti aliæ species, vt bilis porracea, & aliarum: ergo manifestè constet, quid sit supernatantia; quale sit humorum vitium, & à quibus causis ortum ducat, vt valeamus cognoscere plurium medicorum errores, qui in his affectibus sanguinem audacter fundunt.

Hæc rursus humorum separatio diuersas obtinet differentias secundum humorum peccantium species, & penes maiorem, aut minorem naturæ irritationem. Pro cuius maiori expositione animaduertere oportet, humoris supernatantiam; nullatenùs esse turgentiam, aut speciem turgentiæ: nam supernatantia multoties datur sine turgentia, vt in febribus merè putridis, & longis, aliisque morbis ab humoribus separatis pendentibus, & non turgentibus: ergo supernatantia potest esse sine turgentia; non verò turgentia sine supernatantia; ac proindè realiter inter se differunt; cum aliquando vna sine alia valeat reperiri.

Ex quibus manifestè deducitur ratio, propter quam plurimis in morbis, vel cum febre, vel sine febre, mors sine interitus subito multoties accidat, quin Medicus facilè causam possit intelligere: nam cum isti humores separati, & supernatantes, etsi pluries fiat sanguinis missio, per venæ sectionem, non exeant, sed potiùs incocti, acriores, & calidiores redduntur, vt bilis, vel frigidiores, vt pituita; ideò illo in casu, supernatantia in turgentiam solet conuerti, vel si malueris supernatantiæ iam factæ superuenit turgentia, vt vnico, aut altero motu concitato, turgens materia ad cor, aut aliam principem partem irruens, necem inducat; vires enim debiles sunt, quia languidæ à quouis offenduntur; nec mirum: nam primordia turgentiæ fuerunt occulta, quæ tanquam in seminatio latitabant in illa quiete, & fallaci supernatantia, & postea elucescit, siue detegitur illa lethalis turgentia, quæ aut metastasi, aut vnico solo motu funesto viuens interficit, iuxta quam doctrinam collaudo, semperque tanti viri Antonij Ponz de Sancta Cruz authoritatem, & consilia sum veriturus; cum maximè coarguat Medicos, qui omnes indicationes curatiuas adimplere conantur per sanguinis missionem, omni purgatione neglecta.

Ex dictis humorum vitiis, quæ cacochymiam constituunt, habita ratione ad humorum separationem, videlicet biliosi, pituitosi, melancholici, vel serosi, qui cum incapaces mixtionis extiterint; propter quod peccantes in lege mixtionis, irreducibiles ad nutrionem partium viuentium sunt cacochymi, & ideò qualitate infestantes possunt appellari, vel si formam naturalem præ putredine amiserint, etsi à consortio sanguinis segregati non sint, vt bilis vitellina, vel porracea, etiam cacochymi, & qualitate peccantes valebunt dici, vt vera purgationis indicatio seligatur; quare cum morbus magnus, magnum generice indicet remedium, vt sanguinis missio, vel purgatio, tamen si specificè contrahatur ab specie causæ materialis ipsum producentis, indicatum specificum elucescet; nam quemadmodum morbus magnus à multitudine, vel motu sanguinis, sanguinis missionem indicat, habita ratione ad causam materialem; ita pariter morbus magnus dependens ab humoris cacochymia, siue sit fundata in supernatantia, aut in forma specifica humoris præternaturalis, qui etiam cacochymus dicitur, indicabit purgationem: cum media illa, humor cacochymus prædictum morbum magnum producens, specificè euacuetur, vt methodicè ablatio morbi contingat; quare semper purgatio, vt in superioribus diximus, indicabitur ab humoris cacochymia, veluti sanguinis missio ab illius vitio, in quanto, vel in motu.

Neque ex prædicta assertione, obneganda veniunt alia communiora, & generica indicantia purgationis, vt sunt virium robur, & ætas florens; ista enim ita sanguinis missionem, quam purgationem, vt potè necessarias exclamant; nam sicut ad exercendam sanguinis missionem requiritur morbus magnus, virium robur, & ætas florens, non aliter, ex doctrina Galen. ad purgationem sunt necessaria; non tamen valent per se sola specificum indicatum præostendere, vsque quo species morbi à causa materiali dependens, contractum, & determinatum remedium exigat, neque adhuc, vt suo loco dicemus,

mut, virium robur, & ætas florens propriè indicantia dicuntur, vires enim non indicant curatiuè; sed potiùs permittentes, & consentientes sunt, veluti ætas florens, quæ quamvis non adsit, remedium magnum poterit exerceri, etsi majori cum præmeditatione, & moderatione, vt loquendo de consentientibus ad purgationem clarescet.

Gaspar tamen Brauo vnicam tantum differentiam cacochymiæ insequens, videlicet supernatantiam, siue separationem humoris à sanguine; quam vocat vitium alterius humoris à sanguine, asserit, nequaquam esse humorem cacochymum eum, qui adhuc est cum sanguine commixtus, quamvis mutauerit speciem, & potentiam ac putridus sit; tunc enim adhuc est pars sanguinis, ac proinde potiùs est obiectum facultatis retentricis, quam expultricis; sicque cum non sit cacochymus, sanguinis missionem; non verò purgationem indicabit.

Probatur igitur ex doctrina Gasparis Brauo hac ratione: nam cacochymia est vitium in humoribus, ratione cuius indicatur purgatio, vt ex Galen. 1. *de ratione victus in morbis acutis comment.* 1. sed ex eodem Galen. ex vitio humorum multoties indicatur sanguinis missio: ergo quia vitium humorum mixtorum cum sanguine, non efficit cacochymiam, à qua purgatio debet indicari, donec separati fuerint à sanguine.

Sustinenda tamen non est prædicta resolutio: nam supponere humorem esse putridum, & toto genere præter naturam, vt est bilis vitellina, quia tamen est commixtus adhuc cum sanguine, non esse cacochymum, fictitium valde est: nam licet asserat esse adhuc partem sanguinis, siue massæ, bene quidem; sed est pessima massæ pars, putrida, toto genere præter naturam, & ideò, etsi pars, iam non legitima, imò spuria, & naturæ aduersa, ac proinde licet sit commixta, vel separata, illa ex se, quia putrida semper est objectum expultricis, quia tamen commixta, dicitur objectum retentricis, vsquequo à natura fiat coctio, maturatio, & secretio, vt exerceatur tandem expulsio, sicque illo in casu quamvis commixta, semper quia præternaturalis in specie, dicenda erit cacochyma.

Neque Galen. authoritas ipsi auxiliatur *libro* 11. *methodi cap.* 15. vbi ait. *Saluberrimum est in omnibus febribus putridis, non continentibus modo, verum, & aliis omnibus, quas putrescens concitat humor, sanguinem mittere.* Hæc quidem authoritas non conducit, vt mittatur sanguis propter vitium sanguinis in quali, sed potiùs in quanto, Imò Galen. in eadem authoritate, hoc apertius explicat asserens, levata namque natura à sarcina, qua premitur reliquum, quod est, concoquit: ergo sequitur manifeste, quod propter oppressionem, & multitudinem sanguinis, & non propter vitium in quali deliberat Gal. de sanguinis missione.

Neque obstat si asserat Brauo 4. *meth.* ex Gal. c. 6. *Neque enim hoc dico propterea, quòd purgatio vacuatio sit, quam redundantis sanguinis concursus non indicet, sed quod etiam, tametsi redundantis sanguinis concursus non adsit.* Hæc etiam Gal. authoritas, etsi veneranda, non contra nostram assertionem; dupliciter enim possum respondere, primo quod licet non adsit sanguinis redundantis concursus, ista redundantia intelligitur quoad vasa, non verò quoad vires; sicque quamvis non redundet sanguis quoad vasa, vt ait Galen. solum redundantia ad vires indicabit sanguinis missionem: vel si mauis, etsi neque ad vires, neque ad vasa detur redundantia, aliquando propter sanguinis motum absque vitio in quali, indicabitur sanguinis missio.

Instabit tamen huiusmodi author hac ratione: purgatio debet indicari ab aliquo vitio humoris, qui sit cacochymus: atqui ab eo non potest indicari sanguinis missio, quia indicantia, & indicata sunt specie diuersa: ergo vitium repertum in humore permixto cum sanguine, non indicat purgationem, sed sanguinis missionem; ergo non est cacochymia donec sit separatus à sanguine. Cui respondeo concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam, videlicet, quod humor vitiosus permixtus cum sanguine non sit cacochymus; nam siue sit permixtus, vel non permixtus, si tamen præ putredine completè amiserit formam naturalem, ita vt sit bilis vitellina, quamvis sit ista cum sanguine permixta, tamen praua, irreducibilis ad nutritionem, & peccans in specie, siue qualitate dicetur; ac proinde cacochymia, & ex se vt talis, semper indicabit purgationem, non tamen ista fiet, donec materia praua cocta, siue maturata, & separata fuerit à consortio sanguinis; necesse enim est præire coctionem, subsequi secretionem, & tandem euacuationem, vt Galen. *Aphorism.* 4. *sentent.* 12. & Hippocrat. 3. *epid. aliisque in locis*; sed quare fiet sanguinis missio cum non indicetur, sed purgatio. Respondeo, etiam dari indicans sanguinis missionis, quod non sumitur ex illa materia cacochyma, sed ex multitudine massæ, quæ quia grauans ad vires, impedit secretionem talis materiæ cacochymæ; sicque occasio purgationis deficiet, non tamen indicationis.

Insurges vlterius ex Auicenna *fen.* 1. 4. *cap. de phlebotomia: Vnusquisque autem eorum, aut phlebotomatur propter sanguinis multitudinem additam, aut propter ipsius malitiam, aut propter vtrumque*: ergo non indicatur purgatio, à vitio humoris cum sanguine commixti; salua pace tanti viri, ex hac authoritate contrarium infertur; nam si phlebotomatur propter multitudinem sanguinis, aut propter ipsius malitiam; hæc malitia, potiùs erit sanguinis, quàm alterius humoris putridi permixti: ergo quia tale vitium sanguinis, vel erit in quanto, vel in motu: ergo purgatio à vitio humoris putridi indicabitur: à vitio verò sanguinis permixti cum tali humore, in quanto, vel in motu, sanguinis missio: non enim implicabit, vt eodem tempore duplex indicans specie diuersum, sub diuersa causa materiali in specie, repetiatur.

Vrgebis tamen; vnum vt vnum, semper indicat vnum sub eadem formalitate specifica: ergo purgatio, quæ specie semper est vnicum indicatum, obtinebit vnicum indicans in specie: atqui cacochymia, quæ dependet ab humore supernatante, specie differt ab ea, quæ est in humore putrefacto permixto: ergo non da-

bitur

bitur vnicum indicans purgationis specificum, sed erit duplex, cum etiam cacochymia sit duplex; hoc non est dicendum: ergo sola supernatantia humoris constituit cacochymiam. Sed retorqueo argumentum contra Brauo, sanguinis missio est vnicum indicatum in specie: ergo ab vnico indicante specifico; sed quantitas sanguinis, vitium in quali, & motus, differunt specie: ergo etiam sanguinis missio in illius doctrina, tria indicantia specie diuersa obtinebit: quare respondeo rationi allatæ, concedendo maiorem, & distinguendo minorem, cacochymia, quæ dependet ab humore supernatante, specie differt ab ea, quæ est in humore putrefacto permixto, materialiter, & quo ad modum, concedo libenter; formaliter, & quoad essentiam, nego; nam licet humor peccet in lege mixtionis, siue in forma specifica, quia putridus, iacto tamen esse, hoc vel illo modo cacochymus, diuersificabit quoad materiam, non verò quoad speciem; nam solum ex vitio alterius humoris à sanguine saluatur ratio cacochymiæ, quemadmodum ex vitio sanguinis, vel in quanto, vel in motu, vel in quali, in illius opinione, saluatur ratio specifica indicantis ad sanguinem mittendum; nam esse sanguinem cum hoc, vel alio vitio, non tollit indicationem specificam sanguinis missionis, si cum morbo magno coniugatur; ac proinde à primo ad vltimum est dicendum, quod cacochymia humoris, non semper sumitur ex sola humoris separatione, à sanguine.

Et probatur primo nostra assertio, ex Galen. *lib. 13. methodi cap. 6.* asserente; si autem æqualiter omnes succi redundant plethora appellatur; si verò pituita, bile flaua, aut atra, vel serosis humoribus refertum sit corpus, cacochymia dicitur: ergo expressè ex vitio cuiuscumque humoris à sanguine, quamvis permixti cum eo, efficiet cacochymiam; similiter etiam *4. Metho. cap 4. & lib. de multitudine, cap. 1. lib. etiam 3. de sanitate tuenda cap. 9.* manifeste docet cacochymiam esse vitium in humoribus, sine excessum cuiuscumque alterius à sanguine. Præterea probatur ratione, plenitudo, & cacochymia sunt duo vitia humoribus superuenientia, à quibus indicatur sanguis missio, aut purgatio, morbo magno existente; sed à plenitudine sanguinis, indicatur sanguinis missio: ergo à vitio cuiuslibet alterius humoris à sanguine indicabitur purgatio: ergo quia tale vitium humoris, absque eo quod separatus sit, indicabitur purgatio, cum corpori alendo non sit idoneus, siue in quanto, siue in praua qualitate vitium contraxerit: ergo sententia apud Brauum adducta, non est sustinenda, vt Fucsius, doctissimus Senuertus, & alij persentiunt; de impedientibus tamen, & contraindicantibus purgationem, suo loco debito, disputatio offerenda erit.



DVBITATIO I.

Quæ corpora inepta sint ad purgationem.



T regulari methodo, nonque temerè valeat medicus pharmacum exhibere, valde vtile erit, animaduertere cum Galen. in præsenti capite, quæ corpora sint inepta ad purgationem, quare merito Galen. in præsenti conscripsit librum, quæ, quibus, & quando purgare oporteat, ideóque illa particula, quos, refert ad subiecta: oportet enim, medicum maximè perpendere, quæ sint illa, quibus purgatio confert: illa verò particula, quando, secum occasionem proclamat; quibus tandem, pro medicamentia, intelligitur; ne indifferenter, quælibet medicamenta exhibeantur, vt in superiori agendo de indicante, & indicato specifico, satis prædictum est.

Constituit igitur Galen. conclusionem maximè obseruandam in præsenti capite, nimirum, quod corpora sana difficile purgationem ferunt, vertigines enim, ventris tormina, & animi deliquia solent accidere; nomine autem sanorum corporum, intelligit Galen. *in præsenti capite*, ea quæ semper simpliciter talia sunt, licet *libro de arte medendi capite tertio*, salubre corpus, in tria membra diuidat, quorum alterum, simpliciter semper appellat, vt multum, aliud, vt nunc: intentum, igitur Galen. huius capitis solum intelligendum est de priori membro, nam talia corpora sana per modum habitus, statu salubri fruuntur: nam ista sunt, quæ media purgatione vertigines, vt dixi, vel ingentissimos ventris dolores patiuntur, quæ omnia, etsi ratione purgationis accidunt, ratione etiam medicamenti acris insuêti suscitantur: nam in vertigine, dum vapores in caput mouentur, etiam solet plurima medicamenti quantitas vaporosa, in ipsum irruere, in cuius motum, mouentur humores ex ventriculo ad prædictum cerebrum, vt media deprauata commotione, spiritus visorij in gyrum moti, species obiecti visibilis mentiantur, vt talis vertigo suscitetur; non aliter cum ventris tormina, vi medicamenti purgantis, contractionem, & circumuolutionem intestinorum efficiant, transitu impedito ad humorem expurgandum, difficilis proinde, in corporibus sanis, purgatio redditur: animi etiam deliquium superuenit: nam cum hoc symptoma, ad facultatem vitalem, & animalem, quæ trahitur in consensum pertineat, merito media dissipatione, & resolutione spirituum contingit; & ideò ventriculus depauperatus à calore influenti, propter spiritus vitalis retractionem ad cor, actuatio pharmaci impeditur; sicque purgatio secundum Galen. in his corporibus sanis, maximè difficilis est.

Præterea

Præterea aliam adducit difficultatem purgationis Galen.nam cum medicamentum purgans, non inueniat humorem, sibi familiarem cacochymum, carnes, ac sanguinem fundit, & liquat, & merito; nam cum hujusmodi corpora, excrementa, quæ debent expurgari, & humores cacochymos non obtineant, potiùs illi, qui in quantitate moderata sunt, ac à natura debent retineri, virtute, & acredine medicamenti assumpti, intempestiuè euacuantur.



DVBITATIO V.

An si materia non turgeat, sint purgandæ vtero gerentes.

POSTQVAM Gal.in superiori capite incommoda, quæ in corporibus sanis vi pharmaci subsequuntur, adduxit, merito sequitur dubitatio, de periculo, siue imminentia symptomatum, quæ possunt accidere in vtero gerentibus, vi medicamenti purgantis, iuxta quam dubitationem Auerroës 5. *collectaneorum, cap.*7. negatiuè alloquitur, supponitque duo Galeni testimonia, primum 5. *aphorismor. comment.*34. *Grauidis si immodicè aluus fluat, sequitur aborsus:* Ergo quia non sunt purgandæ, nisi materia turgeat; tum & etiam *comment.*60. *Mulieres vtero gerentes, si menstrua purgatio superueniat, non potest esse fœtus sanus, & periculum est aborsus;* atqui talia medicamenta mouent humores, etiam versus vterum: ergo valde difficilis est purgatio in vtero gerentibus.

Contraria tamen assertio est sustinenda; nam prædicta testimonia, & alia similia, sunt tantum doctrinalia, non autem semper insequenda, sed ratione vigentioris affectus immutanda, vt Galen. 3. *methodi, cap.* 7. inquit, *agendum est pro potentiori, altero non neglecto*, idest vrgentiori affectui succurrendum, alio non neglecto; ex qua authoritate infertur, quod etsi maxima sit, gestationis vteri, habenda ratio, si tamen ex alia parte mulier morbo acuto laboret, & vrgeat cacochymia, vt fiat purgatio, etsi materia non turgeat, purganda erit vtero gerens.

Probatur ratione præsens sententia; nam tota ratio, propter quam vtero gerentes sunt purgandæ, si materia turgeat, vt Hippocrat. 4. *aphorismor. sentent.* 5. est, quia materia turgens, ferina, & huc, & illuc commota, in aliquam principem partem irruens, potest ægrum interficere; atqui in morbo acuto datur periculum valde vrgens, vt vtero gerens vi acutiei morbi pereat: ergo ita pariter propter vrgentiam affectus, quamvis materia non turgeat, vtero gerentes purgandæ sunt. Roboratur. Nam pereunte matre, perit fœtus; sed ex vrgentia, & acutie morbi, datur periculum vtriusque mortis: ergo si exhibito pharmaco, potest mater à prædicto periculo liberari, ita pariter fœtus: ergo ob præsentiam morbi acuti, vtero gerentes medicandæ sunt.

Nec tempore gestationis, quodcumque sit, in prædicto casu, medicamentum purgans potest obnegari, etsi hoc maxima cum præmeditatione sit faciendum, vt in prædicta sententia venerandus Hippocrat. exponit; securiùs enim fiet purgatio à quarto mense, vsque ad septimum; difficiliùs tamen in iunioribus, & senioribus; videlicet in primis, & vltimis mensibus, vt Galen. *in comment.* pulchram adducens similitudinem inter fœtum cum vtero, & inter fructum cum arboribus, inquit, quemadmodum fructus, in primà ipsorum generatione debiliores obtinent pediculos; & ideò facile, aliquo expirante vento, dilabuntur in terram, succedente verò tempore, quia pediculi incrassescunt, robustiotesque fiunt, etsi vehemens irruat ventus, difficulter decidunt, procedente tamen maiori tempore, cum fructus perfecti, maturique extiterint, sponte propria vi ponderis, & ex debilitate arboris contracta vi grauitatis, fructus facillimè deorsum vergunt; intermedio verò tempore, cum nec tenerrimi, nec maturi, sed potiùs firmiores arboribus sint annexi, valde cuilibet obuianti causæ obsistunt: non aliter in diuersis temporibus vteri gestationis, diuersum robur ad medicamenti purgantis vim sustinendam reperimus; nam in principio, quia fœtus tenerrimus, veluti primis tribus mensibus, facile, quemadmodum, quia maturus, & ponderosus in vltimis deperditur, veloci, è contra in tempore medio, à quarto vsque ad septimum, cum firmiter ligamentis vteri sit annexus, non facilè, neque à quocumque motu separari valebit; ex quibus deducitur, quod quamvis maius periculum aborsus, in vno magis, quam in alio tempore adsit, tamen purgatio in vtero gerente, morbo acuto correpta non erit renuenda.

Nec minus necessarium est animaduertere, quod licet exhibendum sit pharmacum vtero gerentibus in prædicto casu quocumque tempore, nullatenus tamen tanta medicamenti quantitas, ac in aliis subiectis erit propinanda, cuius est ratio, quia imminet, vt medicamenti, aliqua ventriculi inflammatio, quam maximè debet Medicus præcauere. Præterea, ne vterus immodicè comprimatur, ex cuius compressione subsequatur aborsus: tertio vt faciliùs medicamen in actum reducatur, quartò: nam alui fluxus valde in grauidis est periculosus, vt loco assignato diximus; quare propter has, & alias huiusmodi rationes, tam quantitas moderata, quam clementia pharmaci ad debitam purgationem debet seligi.



DVBITATIO VI.

An licet medicus probabiliter iudicet abortus periculum, propinandum sit pharmacum.

EX superiori, præsens, vrgentiosque dubitandi ratio nascitur: nam cum aliquando Medicus probabili ratione abortum, ex medicamento purganti timeat; dubitatur, vtrum non obstante prædicto periculo, possit purgationem decernere: negatiua pars ab aliquibus sustinetur; nam etsi verum sit, quod mater possit, tum à morbo, tum à nece liberari, tamen fœtus petibit: ergo non erit propinandum medicamentum purgans. Antecedens patet ex suppositione. Consequentia probatur; non sunt efficienda mala, vt sequantur bona; sed quamvis matri auxilietur pharmacum, & à morte liberetur, sequitur interitus fœtui: ergo efficientur mala, vt sequantur bona, nimirum pro salute matris, fœtus peribit.

Probatur vlteriùs: nam tota ratio, propter quam tribuitur medicamentum purgans, est, vt vtero gerens morbo acuto correpta, liberetur à periculo mortis, licet abortus sequatur; sed sic est, quod non solùm non liberatur à tali periculo, sed imò ex abortu, maius additur periculum, vt mater simul, & fœtus pereant: ergo non est propinandum pharmacum, ex quo abortus sequatur. Probatur minor propositio: nam omnes debent fateri, quod partus naturalis non ita est periculosus, quemadmodum est abortus, cum ille, tempore iam statuto, à natura contingat, ac proinde motu naturali; abortus verò motu violento, & præter naturam; atqui ea quæ sunt præter naturam, & violenta, sunt magis periculosa, quam ea, quæ secundum naturam eueniunt: ergo ratione abortus in muliere morbo acuto correpta, maius periculum, & acuties additur morbo, vt pereant ambo, mater videlicet, & fœtus: ergo nunquam valebit medicus propinare medicamentum purgans, si probabiliter iudicet periculum abortus ex dicta purgatione.

Contraria verò sententia, & affirmatiua, aliis authoribus placet: & probatur nam dantur casus, in quibus licet medico abortum suscitare, ad liberandam mulierem à morte: ergo multo meliùs quando non est abortus certus, sed probabilis, poterit medicus medicamentum purgans propinare, antecedens sensu, & suppositione probatur; nam si aliqua adsit mulier, quæ paruulum habeat vterum, aut maximam colli angustiam, siue aliquod tuberculum in matrice, in illo tunc, mulier in partu, & fœtus morte pereunt: ergo ne simul fœtus, & mater pereant, licebit medico ad matrem liberandam, abortum prouocare: ergo multo meliùs in vtero gerente morbo acuto correpta, licet probabilis sit timor abortus, propinare medicamentum purgans poterit. Primam probationis rationem, plurimi amplectuntur, vt inter Græcos fuit Aëtius Amideus, ex arabibus Rasis, & Auicenna, ex Latinis Theodorus Priscianus.

Roboratur igitur vlteriùs conclusio prædicta; nam si prægnans fuerit puella, & ideò fœtus sit periturus; ita vt tempus maturum aduenire non possit, quin priùs ambo, mater, & fœtus intereant, illo etiam in casu, ne vtriusque sequatur mors, valebit medicus abortum suscitare, vt saltim mater libera euadat: ergo quando non est certus abortus in vtero gerente, acuto morbo laborante, sed tantum probabilis, vrgentius poterit medicus pharmacum purgans exhibere.

His tamen rationibus non obstantibus, prædicta dubitatio maxima cum distinctione venit perpendenda, videlicet, vel sequitur abortus immediatè, & per se intentus à medico, medio medicamento, qualecumque fuerit, vel accidit ex accidenti præter medici intentionem; ita vt exhibitio pharmaci, solum dirigatur in vitam matris liberandam, propter acutiem morbi conflictatæ; ita vt semper medicus innitatur, aut conetur totis viribus fœtum custodire, ne sequatur abortus, taliter vt si contingat, fit præter medici finem, & ex accidenti, non verò per se; quare si pro morbo acuto profligando, exhibeat pharmacum purgans, licet ex illius exhibitione timeatur abortus, cum iste per se non intendatur, valebit medicus maxima cum ratione exequi purgationem: quem sentiendi modum sapientissimus Siluaticus in suis quæstionibus tuetur, & doctissimus Paulus Zachias *in suis quæstionibus medicis legalibus* ingeniosè insequitur.

Deducitur ex dictis facilè, quam prauus, & à veriori doctrina recedens sit, sensus aliquorum asserentium, per se, & immediatè, ratione finis, posse medicum abortum suscitare siue præbere pharmacum ad fœtum interficiendum, præcipue in casibus supra præscriptis: huiusmodi etenim sententia rationi philosophicæ, tum etiam sanctæ, sanctorumque patrum legibus, valde est dissona; ita vt nullus cuiuscunque status, gradus, ordinis, & conditionis, quavis dignitate, aut præeminentia insignitus, abortum, neque ad vitam matris liberandam suscitare valeat.

Probatur igitur præsens, assertio ex synodo Constantinopolitana 6. vbi decretum fuit, quod qui propinarent medicamenta abortum efficientia, homicidæ pœnis subiiciantur. Roboratur ex Sixto 5. Summo Pontifice, qui diuina prouidentia decreuit, anno dominicæ incarnationis, quod qui per se, aut per interpositas personas abortum fœtus immaturi, tam animati, quàm inanimati, formati, aut in formis, quomodolibet expulsionem suscitauerit; ita vt ex eo abortus sequatur, eadem pœna puniatur, qua, homicidas voluntarios solent leges, tam diuinæ, quam humanæ punire: ergo rationes superiùs adductæ, nequaquam sunt insequendæ, videlicet, quod per se nunquam à medico intendatur abortus, quamvis vtero gerens à periculo mortis liberetur.

Fundamenta verò superiùs dicta non vincunt; nam licet parua, sit puella vtero gerens, non ideò necessariò sequitur, eam perituram esse, etsi perueniat

peruenıat ad debitum tempus matıri fœtus; quare cum maior certitudo mortis in matre & fœtu ex abortu datur, quam si fœtus conseruetur; non enim implicat, vt quamvis puella sit, possit ad terminum statutum, & perfectum partus accedere: dementia, & temeritas erit antecertere periculum certum pro incerto, cum incertum sit, puellam non posse prægnantem conseruari, vsque ad nonum mensem, quia plurimæ, etsi puellæ, proportione seruata matricis, cum magnitudine fœtus, solent cum vsque ad perfectionem temporis custodire absque vllo periculo; imò felici cum euentu partus naturalis contingit: quare satius erit in prædicta, & aliis suppositionibus, debitum tempus, in quo vitæ spes matris, & fœtus datur, spectare, quam ex abortu, cum fine mora interficere, simulque matrem in vitæ discrimen adducere.

Sed vrget vlteriùs alia ratio peculiaris, (etsi communiter contingat nostris temporibus) aliquando ex partu spectato, & euidens mortis periculum in muliere enixa immineret, ex eo quod fama eius, quia nobilis deleretur, & possit à suis parentibus prædicta mulier interneecari, honestatisque pretiosius in totum corrũpi, ipsaque peccati malitia desperata, ad aliud vehementius patrandum proclivis, poterit se ipsam sine diuinæ majestatis timiditate, morti committere: Vt igitur hæc omnia satis grauia præcaueamus, tenebitur Medicus medicamentum præscribere, vt abortus superueniat, dummodo fœtus non sit animatus: quam opinionem tuentur Thomas Sanchez, *de matrimonio tom. 2. lib. 9. disput. 20.* Couarruuianus, & alij quos refert doctissimus Torreblanca *in suo epitome delictorum*; asserunt etenim, non esse homicidam, qui abortum conatur, antequam anima corpori sit infusa, præcipuè in casu ita graui, vt tot incommoda, ex omissa præcautione non subsequantur.

Sed neque præsens ratio sufficit, vt verior sensus dictus immutetur; nullatenus enim, vt supra est dictum, sunt efficienda mala, vt sequantur bona; bene verò vt dixi in muliere enixa morbo acuto affecta, etsi probabilis sit abortus, pharmacum purgans exhibendum est: non tamen cum fine mouendi abortum per se, sed ad matris salutem liberandam, etsi indirectè, & per accidens fœtus possit perire: & ad rationem, quod additur maius periculum, & acuties morbi intenditur ex medicamento purganti assumpto, quia ille motus fœtus, cum valde sit violentus, cum sit abortus, vehementer vires matris debilitat. Respondeo primo, quod tunc non intenditur talis motus, & ad ipsum fugiendum, medicamentum purgans valde clemens, mite, & in quantitate moderata est præscribendum, vt causa materiali cacochymiæ euacuata, potiùs mater, & fœtus incolumes à morte possint permanere.



DVBITATIO VII.

An pueris, tempore lactationis, liceat medicamentum purgans exhibere.



PROPTER plurimas primitiuas causas, diuersis affectionibus pueruli, tempore lactationis possunt corripi, & quæ inter omnes, principem sibi arrogat locum, est intempestiuum, & inordinatum tempus, quo lac assumunt, vt maximis scateant excrementis, quibus possunt superuenire, tum epilepsia, tum alui deiectiones, tum febres synochales, ac alij similes morbi; ideóque debita cum ratione dubitatur, vtrum aliquando possit Medicus eis condonare medicamentum purgans. Circa quod Aëtius *Tetrabelo 2. cap. 39. sermone 2.* haud dubitat pueris, quamvis laborantibus epilepsia, non esse medicamentum purgans propinandum, & probatur: nam maius robur requiritur ad purgationem, quàm ad sanguinis missionem; atqui Galen. prohibet sanguinis missionem in pueris propter euacuationem connaturalem, quam semper habent: ergo cum purgatio maius expostulet virium robur, quàm sanguinis missio, multo minus purgandi erunt pueruli tempore lactationis.

Opposita tamen sententia est sustinenda, vt Galen. *lib. de puero epileptico* monet, vbi exemplo pueri Ceciliani epilepsia laborantis, medicamentum purgans affirmat, tum & etiam Hippocrat. *sexto de morbis vulgaribus part. 1. comment. 33* vbi sic ait: *Mulier, aut capra, cucumerem silvestrem edentes, pueros purgarunt, & Galen. in comment.* idem fatetur, & probatur ratione; nam si puer laboret cacochymia, media qua vires languidæ reddantur, vt docet Galen. *de sanitate tuenda, capite 4.* datur maximum periculum vitæ: ergo dabitur morbus magnus, saltem imminens, pendens à cacochymia: ergo cum detur indicans purgationis in pueris, debet Medicus exercere indicatum, videlicet purgationem: nec valet si asseras deficere consentiens, videlicet virium robur, propter assiduum effluuium naturale triplicis substantiæ, & cum ex alia parte, vires ratione cacochymiæ fiant languidæ, nequaquam dabitur consentiens ad deliberandum de medicamento purganti: hoc haberet vim, si omne medicamentum purgans esset vehemens, & acre, cum verò plurima repetiantur medicamenta benigniora, quæ pro natura tenerrima, & facultate expultricè puerili sufficiant, propterea, etsi purgatio possit dici difficilis, non tamen impossibilis est, siquidem æqualiter currit doctrina Hippocr. 1. *aphorism. sentent. 5. sub cane, & ante canem difficiles fiunt purgationes*: asseruit difficiles, non impossibiles, & ratio propter quam, adducitur apud Galen. *in commentario* asserentem: nam vim, & acredinem medicamenti

menti purgantis densta natuta, tempore æstatis ferre non potest; vel si mavis cum Argenterio in eodem commentario prædictæ sententiæ, quia natura inanita, & resoluta præ calore æstivo, aliam euacuationem à medicamento purganti factam, ferre non valet: quo non obstante dixit Hippocrat. purgationes difficiles non impossibiles in æstate, cum adsit vrgentia cacochymiæ, medicamentis tamen benignioribus: ergo non aliter in pueris, etsi ratione euacuationis assiduæ, non sint vires ita validæ, non sunt excludenda medicamenta purgantia, quamvis sint clementiora seligenda: ergo bene poterit Medicus pueris tempore, lactationis medicamentum purgans exhibere.

Videtur tamen ex authoritate Hippocrat. vehementioribus medicamentis expurgandos fuisse pueros, ex *loco citato*, cum medio cucumere silnestri purgarentur: hoc tamen facilè deciditur, imò respondetur esse clementiorem modum purgandi pueros medio lacte nutricis: nam quamvis medicamentum esset assumptum à nutrice cum aliqua vehementia, ista tamen cum valde effrenetur per varias commutationes, quas per corpus nutricis pateretur, vsque quo illius virtus lacti esset communicata, meritò si medicamentum, illo in casu, esset clemens, illius virtus exolueretur, nihilque essatu dignum remaneret; si verò cum maiori actiuitate, & vehementia, sit à nutrice deuoratum, benignum, & leue respectu pueri dicetur, cum solum virtus purgatiua, in lacte maneat sigillata.

Prædicta tamen doctrina non communiter est amplectenda; multi enim, sine vlla methodo, & ratione ad purgandos puerulos, semper decernunt simul nutricibus medicamentum purgans exhibere: hoc tamen solum est intelligendum, si nutrix simul, & puer cacochymia laborent; si verò puer solum affectus præter naturam sit, nequaquam nutrix erit purganda: nam vt in superioribus diximus cum Gal. corpora sana minimè ferunt purgationes: quare illo in casu solum puerilis cacochymia, vt verum indicans, debet expurgari.

CAPVT II.

Quæ corpora sana debeant purgari.



IN præsenti capite aggreditur Galen. explanaturus, quæ corpora, licet sana, purgari debeant, constituitque conclusionem in præsenti, quod corpora sana, quæ parata sunt ad morbos concipiendos, medicamento purganti egent, incipiente quidem vere, si plethoricis soleant morbis corripi, per sanguinis missionem, per expurgationem verò, si morbis ex corruptione, aut cacochymia soleant laborare, quæ quidem corpora à Galen. intellecta, dicuntur sana vt nunc, idest, quia tempore præsenti solum, sanitate fruuntur, dispofita tamen sunt, vt in morbos imminentes incidant, quæ quidem remedia, propriè in doctrina Gal. præcautoria nuncupantur, in principio tamen veris: cuius assertionis, plusima experimenta adducit; excludenda verò sunt corpora, quæ morbis ex bile natis, assuescunt laborare, talia enim in fine veris sunt expurganda, quemadmodum ea, quæ morbis ex melancholia afficiuntur, non solum, vere, verum etiam autumno veniunt expurganda.

OBSERVATIO I.

Circa præsens caput.



CVM in antecedenti capite docuerit Galen. opportuniùs esse tempus vernum, ad deliberandum de medicamento purganti ad præcautionem morborum, qui imminent, meritò adducenda est caussalis ratio, & cum inter omnes non sit parui pendenda, quæ sumitur à robore naturæ, ob hanc rationem, quia tempore veris, vegetior, & robustior existit natura, vt Hippoc. *aphorismor. 1. 15. sentent.* inquit, *ventres hieme, &c.* in æstate maxima cum ratione, quia natura dissipata, & resoluta vi caloris ambientis redditur; tum & etiam, quia motu humorum ad circunferentiam, siue ad habitum media caliditate æstiua, difficilè motus contrarius ad centrum, media purgatione fiet, sicque propter prædictam inæqualem humorum agitationem, natura ægrè, purgationem in æstate, valet sustinere, vt superiùs ex Hippocrat. *sentent. 5. 51. aphorism.* prædiximus; quare merito Galen. monet, vt medicamenta purgantia, præcauendi gratia, potiùs verè sint exhibenda.

Cum contrariorum eadem sit ratio, pari passu tempus æstati contrarium, vt Hiems, à Galen. maxima cum ratione reiicitur, ad pharmacum exhibendum, vt morbos præcaueamus; nam licet verum sit, quod tempore hyemali, ventres sint natura calidissimi, & ex hac ratione appareat sufficiens naturæ robur ad medicamentum purgans perferendum, quia tamen ex accidenti potiùs, vt inquit Galen. *in comment.* hoc contingat, per se verò pituita, humoresque crassiores vigeant, & propter maximam hiemis frigiditatem, validissime concreti, & inepti ad motum sint, & vasa per quæ transire debent, angustiora, & inepta redduntur. Præterea maxima, etiam cum difficultate purgatio continget; imò propter humorum inobedientiam, & incapacitatem, multoties frustraneum erit pharmacum purgans: ergo etiam hiemali tempore, non præcautionis gratia, sed cum manifesta vrgentia, exhibenda sunt medicamenta purgantia.

OBSERVATIO II.

Iuxta modum Purgandi, & sanguinem mittendi.



EQVALIS aliquando proclamat, sanguinis missionis, & purgationis necessitas, circa quod obseruandum est ex prædicto capite; quod si cacochymia sit primæ regionis, plethora verò intra vasa reperiatur, & vomitus, nec clysteres pro exoneranda ea sufficiant, priùs ab euacuatione primæ regionis, per pharmacum, est incipiendum, vt Galen. *lib.* etiam *de sanguinis missione*, in primis venis cruditate repetta, cuius est ratio, vt ait Gal *lib. de multitudine, capite vltimo*, quia vasa inanita priùs sanguinis missione, id quod crudum, & vitiosum humorum est, ex primis venis ad se trahunt: quam doctrinam Fernelius firmissimè insequitur, *lib. 3. method. cap.* 8. & licet Cardanus *libr. de malo medendi vsu, curatione* 62. prædictam methodum reprehendat, sub distinctione, vna, & altera, doctrina est sumenda; nam si cacochymia primæ regionis, complicata fuerit cum febre acuta pendente à plenitudine intra vasa, propter febris vehementiam, & vrgentiam, potiùs debet medicus sanguinis missionem, quam primæ regionis purgationem decernere; si verò, hæc complicatio hoc modo non reperiatur, in morata, sanguinis missione, incipiendum erit à pharmaco primas venas expurgante.

Secundo animaduertendum venit, quod æquali existente necessitate; ita vt si quis ponat multitudinem intra vasa, & cacochymiam, regulari in illo tempore curatione, priùs à sanguinis missione erit incipiendum, ita sentit Paulus à Gineta, *lib.* 2. Aëtius *Tetrabelo* 1. *sermone* 1. *cap.* 10. Auicenna, *fen.* 4. *lib.* 1. *cap.* 5. ratioque est in promptu, quia sanguinis missio est veluti essentialis, & præuia dispositio, qua viæ præparantur ad purgationem perfectam; deposita enim multitudine, redduntur vasa patentiora, vt humorum motus medio medicamento purganti facilius efficiatur, vt Auicenna *loco citato*, inquit, sæpenumero contingere, vt dato medicamento purgante, ante missionem sanguinis, febris quæ antea non erat, superueniat; oportet: ergo ait, à minutione incipere, quomodo vero, si cacochymia extiterit in tertia regione, vt si pustulæ, siue scabies, aut exanthemata reperiantur, debeat medicus operari, libro de sanguinis missione attuli.

CAPVT III.

Quomodo præparandi sint humores ad purgationem.



T omnia ad laudabilem purgationem requisita, compleat Galen. merito adducit modum purgandi humorem cacochymum: nam cum multoties, vt supra manet dictum præ inobedientia, & praua humoris dispositione, tarda, aut nulla fiat purgatio; ideò priùs humores sunt præparandi, vt Hippocrat. *Cum quis purgare voluerit, fluida facere oportet.* Instituit igitur Galen. *in præsenti*, modum præparandi humores, & corpora ad purgationem adducere, sicque ait: quod humoris crassi debent attenuari, ac meatus corporis aperiri, ne inter purgandum, animi deliquia, & plurimæ affectiones contingant.

DVBITATIO I.

An semper humores attenuare ad purgationem oporteat.



IRCA præsens dubium, plurimi negatiuam tuentur sententiam, primo ex Auicenna *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 7. vbi agens de curatione febrium putridarum, inquit: *Quod digestio est præparatio humoris subtilis in grossum, & grossi in subtilem*, & paulo infra *præparatio cholerici humoris est, vt fiat ipsius, quod facit aqua frigida*: Ergo ex Auicenna humores tenues, aliquando sunt incrassandi; ac proinde non semper attenuandi: similiter Galen. eandem sigillat doctrinam, *libro de constitutione artis medicæ, capit.* 22.

Probatur deinde ratione; nam humores, qui per sputum euacuantur, nec semper debent attenuari, sed solum crassi, tenuiores verò incrassari: ergo, &c. Antecedens probatur; nam humores præparantur, vt possint facilius educi, ita vt sint cum mediocritate; atqui si dum sunt iam tenuissimi, & magis à medicamento attenuentur, illa mediocritas, & præparatio deficeret: ergo humores, non semper ad purgationem sunt attenuandi, vt Gal. 1. *prognosticorum, comment.* 43. asserit, *à medicis tales humores ad quamdam mediocritatem esse reducendos*: ergo dum sunt purgandi, semper ad mediocritatem sunt reducendi: ergo si tenuiores fuerint, quam oporteat potiùs incrassandi, vt ad prædictam mediocritatem perueniant.

Probatur

Probatur vlterius, ea enim, quæ pelluntur, non ſemper attenuantur, imò experientia patet in externis, quod quædam non poſſunt pelli propter nimiam tenuitatem, alia verò propter immodicam craſſitiem: ergo non aliter intra corpus ſolet contingere, ratio eſt in promptu: nam quidquid pellitur, debet eſſe capax impulſus: ergo cum humores tenuiſſimi fugiant impulſum facultatis impellentis, merito erunt aliquando incraſſandi; patet enim quod licet detur robur ex parte agentis, tamen ex ineptitudine obiecti, vt in palea, & aliis ſimilibus, non poteſt impulſus loco-motiuus, ſecundum agentis vehementiam, imprimi.

Probatur deinde, ſemper ars debet inſequi, & imitari naturam rectè operantem; ſed vt natura debite, & criticè humorem expellat, priùs media coctione, quæ procedit incraſſando, præparat eum, & maturat: ergo quando humor tenuior eſt, quam conuenit, potiùs erit ad mediocritatem incraſſandus, quam attenuandus, vt Ariſtoles 4. *methecrorum, cap.* 1. ſi autem ars procedit attenuando, impedit coctionem abſque dubio, quia impedit incraſſationem, tum & etiam quia nullus reperitur locus apud Gal. in quo aſſerat, humorem biliosum eſſe attenuandum.

Roboratur vlteriùs, eſt neceſſaria præparatio humoris, & maturatio, vt debita fiat purgatio; atqui dum bilis eſt tenuiſſima, potiùs eſt recedens, & cruda: ergo vt præparetur debet maturari per contrarium, ſed craſſities, & tenuitas opponuntur: ergo cum immodica tenuitas arguat cruditatem, iſta erit corrigenda per incraſſationem: Ac per conſequens humores ad purgationem, non ſemper ſunt attenuandi.

Verior tamen ſententia inter alias eſt, quæ aſſerit, quemcumque humorem ad purgationem præparandum eſſe, & ſi bilioſum attenoandum. Et probatur primo ex Galen. 1. *aphor. comment. 9. ſuperiùs dicto*, vbi inquit: *Fluida reddi, nihil aliud eſt, quàm attenuari*: Ergo dum bilis præparatur, debet fluida reddi: ergo attenuari. Probatur vlterius, humores præparantur, vt poſſint facilius educi; atqui humores ſunt promptiores, & paratiores eductioni, qui ſunt tenues, craſſi verò cum difficultate educuntur: ergo craſſi ſunt attenuandi, non tamen tenues ſunt incraſſandi; nam ex obedientibus, inobedientes redderentur ad purgationem.

Roboratur prædicta aſſertio, purgatio fit virtute, medicamenti, attrahente, & à facultate expellente; ſed ad hoc conducit magis tenuitas, vt in turgentia patet: ergo humor tenuis non eſt incraſſandus. Minor probatur: nam humor ſemper expurgatur media fluxione de parte in partem; atqui vt fluat, quo tenuior ſit humor, & paratior ad motum: ergo maxime conducit tenuitas ad purgationem: ergo non eſt incraſſandus.

Inſtabis tamen authoritate ipſius Gal. cum *libro de conſtitutione artis medica*, aſſerat: *Humores craſſos attenuandos, tenues verò incraſſandos, & vtroſque pariter concoquendos.* Pro cuius authoritatis ſolutione, aduertendum eſt, maturationem, ſiue concoctionem humoris peccantis, bifariàm poſſe perpendi. Primo modo, vt ita humores à vera natura recedant, quod ampliùs ad naturalem ſtatum redire non valeant, neque in ſubſtantiam nutribilis conuerti: Secundo verò modo ita recedunt, vt poſſint ad naturalem ſtatum verti, ac in ſubſtantiam nutribilis tranſmutari. Quibus poſitis, ſi primo modo perpendantur, cum in ſubſtantiam viuentis non poſſint conuerti, neceſſarium eſt vt matureſcant, vt expelli valeant; qui potius maturandi, ſiue concoquendi ſunt ratione expulſionis, ſicque hoc modo perpenſi humores, ſi fuerint craſſi ſunt attenuandi, non verò tenues incraſſandi. In quo ſenſu intelligendus eſt Gal. *loco aſsignato*; ibi enim loquitur de humoribus euacuandis, quia non poſſunt in ſubſtantiam nutriti conuerti; ſi verò poſſint in ſtatum naturalem reduci, vt viuenti præbeant alimoniam, merito ſi tenues fuerint, ſunt incraſſandi; nam ſi recedunt ab ſtatu naturali per tenuitatem, ſine dubio ad priſtinum ſtatum redire non poterunt, niſi incraſſentur; quare tunc præparatio in incraſſatione conſiſtit, quemadmodum ſi craſſiores fuerint, quam ſit ad nutritionem neceſſarium, præparatio in attenuatione conſiſtit; nam talis præparatio ſiue maturatio, ſolum eſt vt prædicti humores concoquantur, & ſic concocti poſſint in ſubſtantiam nutriti conuerti; quare merito dixit. Gal. ſi humores à naturali ſtatu recedant; ſi tenues, eſſe incraſſandos, ſi craſſi, attenuandos; non verò loquitur de his, qui per purgationem euacuari debent.

Ex quibus facile deducitur ſolutio cuiuslibet argumenti in contrariam partē præſcripti; facile igitur ſoluitur authoritas Auicennæ ſi reſpondeā, ipſum ſolum intelligendum eſſe de reductione humoris bilioſi ad concoctionem, non tamen ad expulſionem. Vnde dum recedit, quia tenuiſſima eſt bilis, vt concoquatur priùs à natura debet aliquomodo incraſſari; ſemel verò cocta, vt facile expurgetur, potius fluida reddi, & attenuari; vnde quando ait, craſſos eſſe attenuandos, tenues verò incraſſandos, vt ad mediocritatem reducantur, potiùs intelligitur, vt obediant coctioni, non verò expurgationi; nam cum priùs debeat materia concoqui, antequam expellatur, potius agit ad prima præparatione ad coctionem, quam ad purgationem; ad iſtam verò ſemper fluxibilitas, & tenuitas requiritur, eodemque modo intelligendus eſt Gal. 6. *de morbis vulgaribus, part. 1 comment. 29.*

Authoritati ſimiliter Galeni ſecundo prognoſticorum alloquentis de ſputo, ſiue de morbis thoracis materialibus; reſpondeo concedendo libenter, quod excrementa, quæ per ſputum debent expelli, ſemper ad mediocritatem, inter craſſitiem, & tenuitatem, debent reduci; nam in quovis extremo adſint, impeditur expulſio; hoc tamen non ita intelligendum eſt de humoribus per purgationem expellendis, cuius eſt ratio, quia nocumentum ſenſibile ab humore in thorace exiſtente, ſuſcitat facultatem loco-motiuam muſculorum intercoſtalium, vt media expiratione, vehementique exſufflatione prædicta materia expellatur, quæ tamen ſi valde fuerit tenuis, facile propter tenuiſſimas partes, expirationi cedit; ſicque remanet fruſtranea, & inanis exſufflatio, ad humorem thoracis expel-

lendum; quæ verò sunt nimis crassa, valde expirationi obsistunt, sicque debent semper ad mediocritatem reduci, quæ per sputum excernuntur: non tamen ita currit paritas in purgatione: nam purgatio, vt diximos, media medicamenti attractione,& partium expulsione contingit, cui valde fluxibilitas,& tenuitas humorum auxiliatur.

Ad tertiam rationem soluendam, respondeo, diuersum esse modum impulsus ad purgationem humoris, media facultate expultrice, quam ille, qui fit in externis, vt in palea, stupa, & aliis; nam impulsus loco-motiuus requirit densitatem, vnionem, & aliquam resistentiam ex parte obiecti, vt facilè impellatur, quia tamen immodica datur raritas, & tenuitas, ita cedit impulsui agentis, vt non possit loco-moueri; in purgatione verò partes pellunt humorem media compressione vasorum, cui potiùs humor fluidus, & tenuis, obedientiam præstat, quam si crassus extiterit.

Quartæ rationi satisfaciam concedendo maiorem, & minorem, quod Medicus debet imitari naturam rectè operantem, & quod natura procedit incrassando, hoc est vt materia concoquatur, coogregando homogenea, & separando heterogenea; sicque humor, qui separatus fuerit media coctione, debet attenuari ad purgationem, si crassus fuerit; si verò tenuis, non incrassari; quare diversus est respectus, & animaduersio: nam vt concoquatur, incrassationem, vt verò expellatur, siue à natura,siue ab arte, fluxibilitatem, & tenuitatem indicat. Hac,& simili ratione dissoluitur vltima argutiæ, dicendo,quod etsi materia, quia tenuis, dicatur recedens, & cruda, & vt maturetur debeat incrassari,hoc semper se tenet ex parte coctionis, non verò purgationis ab arte exercendæ.

Solum verò duplex occurrit casus,in quo humor non debeat ad purgationem attenuari; primo enim si adest aliquod symptoma vrgens, quod propter humoris tenuitatem increscat, vt si cum febre adsit syncope, ex humoris tenuitate procedens, ratione cuius spiritus immodicè ad habitum confluunt, ac vehemens virtutum dispendium per cutis porositates accidit,vt Gal. 12 *meth.c.*5. illo in casu, potiùs incrassantibus modicè,vti oportet,Secundo,si aliquod ventriculi debilitatis symptoma reperiatur, propter partis præstantiam, & dignitatem in operando, modicè adstringentibus, non verò attenuantibus erit vtendum.

CAPVT IV.

Corpora ad medicamenta purgantia praparanda sunt.



MERITO Galen. in præsenti capite insequitur Hippocrat. *in sententia nona 2. aphorismor.* vt *suprà* diximus;nam, dum quis purgare voluerit, fluida facere oportet, ly *fluida*, intelliguntur pro humoribus vt euacuentur, tum & etiam pro corporibus, vt apta sint motui expurgationis: postquam igitur in antecedenti, de præparatione humorum egit, in præsenti de modo, rectè corpora disponendi agit: quare inquit Galen. exemplo adducto elebori albi,vt Hippocrat. 4. *aphorismor. sentent.* 13. vim purgandi per vomitum obtinentis, oportet cognoscere naturam quo pacto se habeat ad vomitum, quomodocumque autem fit, ipsam, cibo, & quiete præparare oportet, etenim virtutem humectandi habent, vt,media humectatione, corpora ad humorum euacuationem aptiora reddantur: secundo inquit, quod qui angustum thoracem obtinet, non debet per vomitum purgari, cum periculum ruptionis vasis alicuius immineat.

Vt igitur quælibet regularis purgatio contingat ex Galen. doctrina allata, postquam humores, & corpora sint rectè parata, & disposita, plurima necessaria sunt animaduertenda, & in syndromem quandam colligenda; sicque primum, medicus naturam ægri, videlicet, temperamentum, satietatem, acumen, aut hebetudinem sensus debet perpendere,anni tempus,regionem, & ætatem, humorum peccantium ideam, & speciem, siue qualitatem, præparationem, occasionem,morbi magnitudinem,& virium robor: nec minus conducit inuestigare, quando æger in morbum inciderit, vt tempus, siue principium morbi cognoscat. Qualis prætereà sit morbus,ex sutenti nimirum materia,an exquisitè acutus, an diuturnus, an simplex, vel alio morbo complicatus; tum & etiam, an natura sit aggressa coctionem, an verò nulla coctionis signa appareant, vel an coctio non sit expectanda, sed solum viarum, & humoris præparatio sit efficienda, vt cacochymia expurgetur.

Oportet quidem, non solum cuiuscumque hominis naturam rectè percipere, verùm & etiam peculiarem vniuscujusque medicamenti purgantis; nam quemadmodum temperies, & conditio corporum, est tam diuersa, & varia, vt vix possit medicus duo corpora, eadem regula metiri, vt aperte Gal.docet *lib. de theriaca,ad Pisonem*, quam doctrinam, *lib.de communi, & peculiari indicatione* maximè elaboratam reliquit Mercatus; ita pariter,vt superius manet dictum, pene indicibilis est, vniuscujusque medicamenti purgantis natura.

Inter corpora quidem, alia tam facilia ad medicamenta purgantia assumenda reperiuntur, vt ad ea sint valde propensa, ex quorum assumptione, tam exigua sequitur incommoditas, vt multoties medicamentum purgans, in propriam substantiam transmutent; alia verò è contra,ita vt ventriculus, valde ex assumptione medicamenti exoluatur: alia similiter ita sunt assueta peculiaribus pharmacis, vt licet ab eis feliciter purgentur, à quolibet alio quamvis leuissimo, maximè lædantur: quare consuetudo maximè est perpendenda, siquidem consuetudo, cum sit veluti altera natura; valde muat vt vis medicamenti purgantis possit sustineri;ideòque Hippocrat. alloquens de vi consuetudinis 2 *aphor. sentent.*49. inquit, *qui assueti sunt, consuetos ferre labores, etiam si fuerint debiles, aut senes, facilius*

ciliis ferunt, fortibus, ac iuuenibus; its pariter eandem consuetudinis rationem in sententis sequenti adducit Hippocrat. asserens *quæ multo tempore consueta sunt, etsi deteriora insuetis, minus molestare solent*: ergo consuetudo corporum ad medicamenta purgantia, maximè est perpendenda, vt medicus versm, & perfectam purgationem decernat.

Dubitabit tamen quis, cum Galen. solum adducat præparationem humorum specie peccantium, cum sint cacochymi, & sanguis potius, cum semper sit naturæ familiarissimus, ac non possit cacochymiam constituere; ideóque non sit euacuandus per purgationem, sed per sanguinis missionem, vtrum videlicet detur medicamentum purgans sanguinem, circa quam dubitationem, negatiue videtur Mesues respondere *in canone vniuersali theoremate* 2. nam sanguis est nostræ naturæ familiaris, thesaurus vitæ, & proprium partium nutrimentum: ergo potiùs est obiectum facultatis retentricis, quàm expultricis: ergo non est expurgandus.

Galen. tamen *lib. de purgatione* inquit, se experimento cognouisse medicamentum expurgans sanguinem, & habere cum eo familiaritatem: ergo quia habet facultatem illum attrahendi, idcóque satisfit authoritati ex Mesuē; nam quamvis sanguis familiatis sit nostræ naturæ, & ab ipsa retineatur, potest esse potentior virtus trahendi in medicamento, quàm retinendi potentia ex parte naturæ.

Probatur vrgentius; potest dari casus, in quo solus sanguis quartus humor peccet in immodica quantitate, seruatis aliis in æquali portione; sed in illo casu, solum est euacuandum, quod superfluum est: ergo solus sanguis quartus humor erit euacuandus; atqui non potest euacuari solus sanguis, qui superabundat, medis sanguinis missione: ergo est euacuandus media purgatione. Minor probatur: nam media sanguinis missione, omnes humores promiscuè euacuantur: ergo simul euacuarentur alij humores, qui erant proportionati: ergo fierent; media euacuatione, improportionati in quantitate diminuta, hoc est inconueniens: ergo etiam sanguinem quartum humorem per venæ sectionem euacuare: ergo potiùs per purgationem: ergo detur medicamentum purgans sanguinem.

His tamen non obstantibus verior assertio est negatiua, cum aliqua tamen distinctione; aliud enim est, dari medicamentum purgans sanguinem quartum humorem, & quod à natura cum familiaritate substantiæ sit simile cum sanguine; aliud verò est vti regulari curatione, prædicto medicamento, sanguinem purgante: primum non implicat: nam quemadmodum ex particulari mixtione elementorum, sunt constructa medicamenta purgantia cum familiaritate substantiæ, ad reliquos humores purgandus; ita etiam potuit natura construere medicamentum familiare, in modo substantiæ, cum sanguine quarto humore. Secundo verò, vt debita fiat regularis curatio, maximè obstat: nam licet detur casus in quo, sanguis quartus humor, solùm superfluitet, vt dum constituit plethoram simpliciter, ex hoc non sequitur esse vtendum medicamento purgante sanguinem, non quia sanguis præcisè sit familiaris nostræ naturæ, & obiectum facultatis retentricis; nam quando peccat in quantitate immoderata, sub illa quantitate, non est obiectum retentricis, sed potiùs expultricis, quia multus, non verò ideo per purgationem est euacuandus, sed per sanguinis missionem; nam cum multitudo, siue plethora simpliciter, quamvis sit complicata cum cacochymia, vt *suprà* diximus, priùs sit deponenda, media sanguinis missione, vt purgatio ritè contingat, multo melius dum ipse sanguis solus peccat in quanto. Neque valet, quod humores, qui sunt proportionati, fiunt indebiti in quantitate diminuta: nam cum minus sequatur auxilium, & securius ex sanguinis missione, quàm ex purgatione, non obstabit, quod humores diminuantur: se proinde sanguinis missio, non verò purgatio exerceri debet.



DVBITATIO I.

An maius virium robur requiratur ad purgationem, quàm ad sanguinis missionem.



CVM in superiori capite, de natura, & virtute humoris euacuandi, sermo præcesserit, merito dubitandum venit, an maius virium robur requiratur ad purgationem, quàm ad sanguinis missionem, siquidem ad vtrumque auxilium semper virium robur est necessarium: circa quod dubium aliquorum sensus est, opus esse maioris virtutis ad sanguinem mittendum, quàm ad purgationem exequendam; & probatur, media sanguinis missione euacuatur humor nostræ naturæ magis familiaris, ex quo spiritus vitales generantur; sed solum, media purgatione, euacuatur materia noxia, & cacochyma, quæ potiùs est naturæ inimica: ergo minus dispendium sequitur ex purgatione, quàm ex sanguinis missione: ergo quia maior virtus requiritur ad sanguinis missionem, quàm ad purgationem.

Probatur vlterius, Galen. *libro de phlebotomia* monet, maximè vires esse attendendas, ne subito ex defectu sanguinis labantur; sed per purgationem non ita deperduntur, nec tantum dispendium superuenit: ergo quia maior virtus pro sanguine mittendo, quàm pro pharmaco exhibendo requiritur. Præterea: nam multoties euacuantur humores deleterij, qui sunt veluti venenum: ergo cum eorum euacuatione, natura roboretur, & ex missione sanguinis languida reddatur, maius robur ad sanguinem mittendum, quàm ad purgandum erit necessarium: hanc sententiam amplectitur, doctissimus Vega *libro artis medicinalis*, & Valles. *7. controuers. c. 10.* sapientissimus verò Zacutus Lusitanus *libro de introitu ad praxim, historiarum fol. 51.* inquit: Quod

Quod si in vtroque auxilio adsit paritas, & vtraque euacuatio seruet modum, maius robur expostulatur à venæ sectione, quam purgatione, nullaque alia noua adducitur ratio apud eum, nisi quia media sanguinis euacuatione exhauriuntur spiritus, nostræ naturæ valde familiares, purgatione verò solum vitiosi humores educuntur, qui cum alieni sint à natura, vtiliter euacuantur; & ideò Galen. 5. *de sanitate tuenda, cap.4.* inquit: Quod quando venæ sectio impeditur propter timiditatem, ætatem, vel virtutis debilitatem, tunc largius aluus soluatur, quia purgatio minus vires turbat, quam sanguinis missio, quare licet sanguinis missio, tutius sit remedium, secundo acutorum, *cap.11. & libro de sanguinis missione, cap. 12. & libro de vena sectione*, aduersus Erasistratum, ac si exigua sit euacuatio, incertum euentum non obtinebit, quamvis fiat cum maiori virium dispendio.

Oratius tamen Augenius, & Gaspar Brauo, contrariam, vt veriorem, sententiam insequuntur, Oratius enim Augenius *libro 1. de sanguine mittendo, cap.4.* Gaspar Brauo *in suis resolutionibus, sect. 6. resolut. 5. fol.526.* ait. Ad illud remedium requiritur maius virium robur, ex quo maius dispendium, & vitæ periculum sequitur; sed ex medicamento purgante potest sequi maius virium dispendium, & vitæ periculum: ergo quia est necessarium maius virium robur ad purgationem, quàm ad sanguinis missionem. Minor probatur, *libro de medicamentis expertis*, ex Galeno asserente: *In exhibitione medicamenti purgantis, exhibitio medicamenti est in manu medici, reliqua verò sunt opera fortuna.*

Præterea ex Hippocrat. *libro de medicamentis purgantibus: Turpis calamitas, pharmaco assumpto agrum perire, dicenda est*: Nec minus momenti est, quod si vires media purgatione, debilitari cognoscamus per pulsum, purgatio sisti non valebit: ergo ne hoc accidat, debet Medicus maius virium robur perpendere ad purgationem: consequentia experientia patet, & ex Galen. *libro de sanguinis missione cap.12. Quod enim semel deuoratum est medicamentum, quo minus omne deuoratum sit fieri non potest, nec possibile est vbi plusquam conueniat, iam purgetur homo, partem aliquam oblati auferre*; in sanguinis verò missione, potius valet Medicus metiri quantitatem, vt modica, vel excedens sit; vt Galen. etiam, *libro de vena sectione* aduersus Erasistratum, *cap.7. Medicus huius solius euacuationis liberam habet potestatem sistendi, quandocumque illi placuerit, aliarum autem nullius*: Ergo ex medicamento purgante assumpto maius vitæ periculum, quam ex sanguinis missione imminebit.

Meritò ergo, cum plurima, & vehementiora, ex medicamento purgante incommoda, quam ex sanguinis missione contingere possint, potius validiores vires ad purgationem, sunt necessariæ, quam ad sanguinis missionem; nam licet aliqua detur perturbatio humorum in omnibus vasis, ex agitatione, media venæ sectione, leuiora tamen sunt accidentia, & securiora commoda: nam secta vena, cum humor sua quantitate immodica corpus opprimere, caloremque natiuum obruere valeat; ideò deposita sarcina, viuidior, & potentior natura redditur, maximum facultatum leuamen, & robur indicitur, meliùs calor natiuus ventilatus temperatur, molestus grauitatis sensus, & tensio, qua natura opprimebatur, vt virtus animalis ad motum, vitalis ad generandos spiritus, & naturalis, vt rursus partes nutriri incipiant, in totum remittitur; vt Hippocr. 1.*aphorismor. sentent.3. Habitus atletharum, qui ad summum bonitatis attingunt periculosi; si in extremo constiterint; neque enim in eodem statu permanere possunt, neque quiescere, necesse est corpus in deterius incidat; ob has igitur causas, bonum habitum soluere expedit, vt rursus corpus nutriri incipiat, &c.* ergo cum tot vtilissima ex sanguinis missione, majoraque commoda, quam incommoda subsequantur, contra verò in purgatione, maxima cum ratione erit fatendum, venæ sectionem remedium esse securius, quam purgationem: ergo quia non ita vitæ periculum imminet.

In purgatione etenim, humorum actimonia, & medicamenti vehementia, partes corporis vellicantur, tormina in vniuerso ventre inferius exacerbantur, quæ, nisi valido robore, æger non valet perferre, violenta totius corporis iactatio magno cum virium dispendio adest, tetris vaporibus cerebrum, cor, & hepar afficiuntur, languidus membrorum motus redditur, quandoque febris inducitur, difficilis fit respiratio, pulsus imbecillior, & interruptus, morsus cordis vrgent, nauseæ, & vomitus clamant, sitis inextinguibilis, præcordia feruescunt, sed his omnibus, tot tantisque accidentibus, valde natura succumbit: ergo quia vehementius virium, & facultatum dispendium ex purgatione, quam ex sanguinis missione nascitur; ac proinde maius virium robur ad purgationem, quam ad sanguinis missionem requiritur.

Quibus prælibatis, facilè veniunt dissoluendæ aduersæ rationes *superiùs* allatæ. Ad primum respondeo concedendo maiorem, nego tamen minorem, videlicet quod spiritus, etiam media purgatione non deperdantur, imò, etsi non sit præcisè, ratione euacuationis, quia materia vitiosa euacuatur, saltim ratione concursus validi à natura, tum medicamentum alterante, comminuente, & in actum reducente, simulque media expulsione, partium compressionem efficiente, & multo melius facultate locomotiua concurrente, quæ cum ad motum animalem, maximam spirituum copiam deperdat, merito, ex his omnibus actionibus partialibus, defessa, & resoluta manet natura, quod nequaquam in sanguinis missione valet contingere: nam potiùs, quia euacuatur sanguis superabundans, & opprimens, leuata natura, & roborata, reliquum, quod est concoquit, & superat.

Secunda verò ratio facilè dissoluitur: nam licet Galen. asserat vires esse attendendas, ne labantur in sanguinis missione; hinc etiam requiritur de purgatione, & multo accuratius; sed quare non dixit etiam de purgatione? Respondeo, quod quia in purgatione Medicus, non ita potest sistere, & metiri quantitatem, veluti in sanguinis

sanguinis missione, ita potestatem exprimit medici, vt vires cum euacuatione æquipararet, quod in purgatione non potest fieri.

Ad tertiam respondeo, quod si humores purgandi, sint venefici, potiùs cum vires sint valde languidæ media qualitate deleteria, promptius, & citius dilabuntur media purgatione; nam in quacumque euacuatione, securius est remedium, quo spiritus sint copiosiores, & idcò merito Galen. quo melior est sanguis, magis euacuat, & peior eo minus: ergo quo magis veneficus fuerit humor, eo pauciores spiritus, & vires erunt languidiores, hac proinde maius periculum imminebit ex illa purgatione.

Ad authoritatem verò Gal. 5. *de sanitate tuenda*, à Zacuto Lusitano adductam respondeo, quod loco sanguinis missionis, propter timiditatem ægri, vel virium languorem, monet vt aluus moueatur, non quidem media purgatione electiua, sed mediis clysteribus carminantibus, vt aliqua fiat per loca destinata, videlicet inferiora, euacuatio: quare ista cum securior fuerit, minus eneruabit vires, quam sanguinis missio, non verò intelligendum est hoc de purgatione electiua, de qua dubium percurrit.

Inquiret tamen aliquis, cum maius robur facultatum sit necessarium ad purgationem, quam ad sanguinis missionem, vtrum intelligatur omnium facultatum robur, vel alicuius facultatis, & qualis sit ista; circa quod Galen. solum videtur memorari facultatis vitalis, vt *libro de sanguinis missione, cap.* 8. in senibus prohibet venæ sectionem, quia in illis virtus vitalis est debilis, & ob eandem rationem *eodem libro capit.* 12. imperat, vt in euacuatione sanguinis vsque ad animi deliquium, medicus pulsum tangat: nam si virtus pulsifica labatur, statim sanguis est sistendus, ne pro animi deliquio, mors subsequatur, vt fatetur 9. *method.* se vidisse, plurimis hoc contigisse.

Robur verò facultatis naturalis, non ita necessarium adfert ad omnes euacuationes; nam in principio morbi, existente adhuc materia cruda, sanguis copiosè extrahitur; atqui tali tempore, non constat de robore facultatis naturalis, quia nulla apparet coctio, vt Galen. *libro de sanguinis missione, cap. 6. & 8. ad Glauconem, cap* 14. Præterea, si ex debilitate facultatis naturalis, non lęditur vitalis, est sanguis detrahendus, vt patet in hydrope orta ex consueta aliqua euacuatione, quæ sit suppressa, vt Gal. 4. *acutorum*, sanguinem extrahendum iubet.

Robur similiter facultatis animalis, non ad omnem euacuationem, vt necessarium indicat Galen. nam multoties mittitur sanguis vsque ad animi deliquium, vt ipse Galen. *libro de sanguinis missione, capit.* 12. & 9. *methodi cap.* 4. nam cum non sit necessarius musculorum motus, nec robusta oportebit facultas animalis, ex Gal. 7. *method. cap. vltim. Maxima est cordis officij dignitas, & ad obeundas actiones, maximè necessaria, &c.* Ob quam rationem in apoplexia, etsi animalis facultas languida sit, euacuationem tamen excercemus.

Cum discrimine tamen alloquendum est de robore facultatum in ordine ad diuersos morbos materiales, & ad aliquas partium affectiones: omnia enim quæ prædicta sunt, de his facultatibus, potiùs veniunt intelligenda de euacuatione per sanguinis missionem, non verò per purgationem: nam simpliciter & absolutè loquendo, ad quamlibet profligandam ægritudinem, potissima est facultas vitalis, secundo naturalis, & vltimo animalis, respirationis ope, vt Galen. 7. *method.* c. 3. at verò si morbus materialis generis venosi, desumatur pro coctione, & expulsione humoris, in ordine ad operationem, facultas naturalis robustior aliis, debet esse, vt Gal. 11. *meth. c.* 9.

In morbis tamen thoracis, cum terminatio non solum fiat coctione materiæ contentæ, quæ à facultate naturali elaboratur, sed etiam media excretione humoris, spiritales partes vellicantis, & illa fiat ab animali facultate, locomotiua musculorum intercostalium, & facilè expuitio perficiatur, merito non solum erit facultas naturalis necessaria, verùm etiam animalis, vt *primo prognosticorum* 67. etsi pluries in pleuritide humor sit coctus, & à natura superatus, præ animalis talis tamen facultatis debilitate, non excernitur; sicque celeriter suppurati moriuntur, vt 5. *de locis affectis, cap.* 3. Gal. exprimit.

Ex dictis infertur, quod ad purgationem, cum omnes tres facultates concurrant, vt naturalis ad actuationem medicamenti, & humoris expulsionem, animalis ad motum crebrum ægrotantis, & vitalis ad influxum spirituum vitalium communicandum, maxima cum ratione triplex facultas erit necessaria, licet vitalis dignitorem semper locum obtineat, cum à fonte, & domicilio caloris viuifici, à quo omnes partes, & sustinentur, & incolumes, à morte liberantur, ortum ducat.



CAPVT V.

De loco, & regione, per quam debet fieri purgatio.



NON quiescens Galenica mens, postquam præparationem humorum, & corporum ad purgationem adduxit, in præsenti regionem per quam debet fieri purgatio demonstrat, asserens humorem biliosum per vomitum, pituitam verò per inferiorem ventrem purgandam esse: frequenter enim, bilis in ventriculo, veluti pituita in intestinis reperitur, licet aliquando contrarium debeat exerceri, vt si pituita sit in ventriculo, per vomitum, bilis verò in intestinis existens, per inferna euacuari debet, quæ motus contrarietas, potiùs sumitur à Gal. in præsenti pro indicatione ex situ partis desumpta; contenta enim in ventriculo, aptiora sunt ad vomitum, veluti, quæ in intestinis, ad infernam euacuationem; melancholicus verò humor ait Galen. semper debet per inferiora purgari.

Docet similiter, quod tempore æstiuo euacuatio per vomitum, hiemali verò tempore per inferiora, vt Hippocrat. *aphorism. 4. sentent. 4. Æstate per superna magis, hieme verò per inferna*: cuius est ratio, quia tempore æstatis abundat bilis, hieme verò pituita, cum bilis tenuis, ac ignea sit, leuitat, vt per vomitum euacuetur, pituita verò quia grauitans, potius per ventrem, siue per inferiora: similiter Galen. in præsenti adducit consuetudinis vim, vt regio per quam fiat euacuatio eligatur, asserens, quod qui assueti sunt vomitui, faciliùs per superna, purgantur; inassueti verò nequaquam, & cum maiori molestia, vt Hippocrat. *aphor. 4. sentent. 6. Graciles, & facilè vomentes per superna cauendo hiemem*, quia potiùs in hieme generatur pituita quam bilis: similiter etiam in septima sententia, inquit: *Difficiles verò ad vomitum, & mediocriter carnosos, per inferiora cauendo æstatem*, quia in æstate potiùs bilis, quàm reliqui humores solent generari. Ex quibus sententiis, etiam facilitas ad has euacuationes sumitur, ex habitu corporis paratiori, videlicet crasso, vel gracili: notandum tamen est, quod etsi Galenus dixit, quod semper melancholia est purganda per inferiora; hoc tamen est intelligendum, quod cum humor melancholicus sit terrestris, & grauis, frequenter, & vt plurimum ad intestina vergit; aliquando tamen potest confluere ad ventriculum, vt in quartanis febribus, & in illo casu, potiùs per vomitum euacuandus erit, vt plurimæ quartanæ solent per vomitum terminari, vt Galenus *libro de theriaca ad Pisonem, cap. 15.* notandum tamen est, quod quamvis Galenus in præsenti hos purgationis modos, per diuersam regionem commonstret: hoc intelligendum est, non de purgatione ab arte facta electiua, sed potiùs de humoribus extra vasa missis ad diuersas cauitates, videlicet, vel ad ventriculum, vel ad intestina; purgatio verò, quæ ab arte fit medio pharmaco eligente, potiùs per ventrem, cum sit locus magis destinatus à natura, exercetur.

CAPVT VI.

Ab specie morbi, species euacuationis indicatur.



ROGREDITVR iam Galen. *in præsenti capite* explicaturus, quod ab specie morbi, euacuationis specie indicatur, vt in leucophlegmatia, pharmacum virtutem obtinens pituitam euacuandi, non solum per ventrem inferiorem, sed etiam per vomitum, & vrinam & per reliquas nostri corporis partes, ad euacuationem aptiores, propinandum expedit, ex eo quod in prædicto affectu vniuersæ partes afficiuntur; in ascite verò, medicamentum purgans aqueum humorem, sicut in regio morbo bilem: ex situ etiam partis, & societate, similiter locus per quem fiat euacuatio indicatur, vt in iecoris inflammatione post humoris maturationem, si existat in parte gibba, per vrinam; si in caua, per inferiorem ventrem debet fieri euacuatio.

Ad maiorem tamen huius textus expositionem, merito Galen. inquit: Indicationem euacuationis, & non purgationis, sumendam esse, tum à situ partis, tum etiam ab specie morbi; nam in leucophlegmatia, euacuatio, quæ fit media purgatione electiua, per inferiorem ventrem exercetur; illa verò, quæ per vrinam, per sudorem, ac alias corporis partes, non est rigorosè purgatio per se, sed ex accidenti, & dispositiua: medicamenta enim euacuantia per vrinam, cum diuretica sint, potiùs incisione, & attenuatione humoria euacuant, non tamen per se, veluti etiam medicamenta sudorifera; ista enim non purgant attrahente facultate media similitudine substantiæ, sed inducta raritate, & tenuitate, diaphoretica sunt: ita pariter intelligendus est Galenus de qualibet alia euacuatione, quæ non fit purgatio selectiua.



CAPVT VII.

De tempore euacuationis, seu purgationis.



ISCRIMEN quoddam adducit Galenus *in præsenti capite* inter humores tenues, & crassos, inquit etenim, quod humores tenues ante signa coctionis, videlicet quando affectua est in principio vniuersali, materia existente crudacrassi verò, veluti pituita, & atra bilia, præcedente iam maturatione, & coctione inueniuntur.



DVBITATIO I.

An omnes humores debeant concoqui ad purgationem.



X distinctione inter humores, in antecedenti capite tradita, debitè dubitandum accedit, vtrum omnes humores, vt purgentur debeant concoqui, cuius dubij pars negatiua occurrit, & probatur; ita opponuntur coctum, & crudum, vt coctum, fiat ex crudo, tanquam ex termino à quo; sed aliqui humores non sunt crudi, vt qui sunt potestate ad sanguinem: ergo hi non possunt concoqui, cum non detur terminus à quo. Secundo probatur; quod est alicuius coctionis excrementum, non potest per aliam concoqui, atqui bilis, & melancholia sunt secundæ coctionis excrementa, vt Gal. *5. de vsu partium, cap. 9.* asserit, ideò naturam vesicam

vesicam fellis fabrefecisse ab bilem, veluti lienem ad melancholiam recipiendam, vt sanguis ab his excrementis expurgaretur: ergo si huiusmodi humores excrementa secundæ coctionis sunt, non poterunt per aliam concoqui.

Roboratur vlteriùs; quidquid excedit terminum coctionis, non potest ad coctionem redire; sed humores qui sunt supra sanguinem, excedunt terminum coctionis: ergo non possunt ad coctionem redire. Probatur maior; coctum non potest incrudari; sed si huiusmodi humores concoquerentur de nouo iterum incrudescerent: ergo non possunt concoqui. Maior etiam probatur primo ex Galen. *libr. 4. de sanitate tuenda cap.6.* vbi inquit, quod alienum à natura est, non potest iterum gratiam naturæ recipere; sed humores putrefacti, & vsti, sunt à natura alieni: ergo non possunt naturæ gratiam recipere: ergo neque concoqui. Secundo ex eodem Galen. roboratur *lib. de constitutione artis medicæ cap.20.* dicente, *pituitam salsam euacuabis, acidam calefacies, dulcem verò coques*: ergo Galen. docet in affectu à pituita salsa pendente, non esse humorem coquendum: similiter idem Galen. in antecedenti capite inquit, tenues humores in principio euacuabis; atqui humores tenues sunt biliosi: ergo isti non debent concoqui; ac proinde, vt omnes humores expurgentur, non indigent semper concoctione.

Pro dubij decisione, notandum est, vt supra diximus, coctionem dupliciter intelligendam esse, vnam quæ fit media mutatione substantiæ in rem coquentem, per quam disponuntur alimenta, ad nutritionem partium, vt Galen. 1. *de morbis vulgaribus, part. 1. text. 44.* illa enim inquit Galen. est reductio eius quod coquitur, in substantiam coquentis; alteram, quæ deseruit ad secundas qualitates, & modum substantiæ humoris recedentis, corrigendas, & maturandas, manente eâdem forma, quæ à medicis propriè victoria naturæ nuncupatur, vt ait Gal. 1. *acutorum comm. 44.* & 1. *de morbis vulgaribus, part. 2. text. 49.* vtriusque coctionis meminit Aristoteles 4 *method. cap. 2.*

Dubitatio quidem, non est intelligenda de prima coctione, qua, quod coquitur in substantiam coquentis transmutatur; in hac enim non præparatur humor ad purgationem: secundo verò modo intellecta coctio, etsi apud aliquos imperfecta, est semper necessaria ad purgationem, cum priùs materia cacochyma, vt obediat purgationi, debeat maturescere.

Quibus stabilitis, verior assertio est contraria, quæ asserit, quod omnes humores debent concoqui, & maturescere, vt fiat debita purgatio. Probatur primo ex Gal. 1. *de differentiis febrium, cap. 5.* asserente, sedimentum, quod est materiæ morbificæ pars, eodem modo fit, ac pus in parte phlegmone affecta; atqui hoc fit media coctione, aut maturatione humoris in parte inflammata contenti: ergo non aliter illa pars ex qua sedimentum, fit coquitur: ergo humor omnis ad purgationem coquendus est.

Vlteriùs coctio, & putredo sunt contraria; sed quilibet humor potest putrefieri: ergo quilibet humor poterit concoqui: maior est certa: nam contraria sunt, quæ à se maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt; sed coctio, & putredo ab eodem subiecto mutuo se expellunt: ergo quia contrariantur: ergo si humor potest putrefieri; etiam concoqui ad expurgationem.

Ex dictis, facilè rationes superiùs adductæ dissoluuntur. Ad primam igitur respondeo, quod quamvis sanguis sit alimentum magis familiare nostræ naturæ, & secundum locum pituita obtineat, cum tempore indigentiæ in illum valeat conuerti; hoc non obstante pituita dicetur cruda, cum per nouam coctionem possit in sanguinem mutari, reliqui verò humores; etsi hanc transmutationem subire non valeant, cum in suo genere etiam sint crudi, quia inepti ad purgationem, poterunt concoqui, respectu cuius coctionis, ad quam ineptitudinem non habent, dicentur crudi.

Respondeo: bilem, & melancholiam rigorosè excrementa non esse appellanda, alias neque cum sanguine permixta possent deseruire ad nutritionem; dicuntur verò excrementa, quia cum sint in nimia quantitate adaucta, sanguinem impurum reddunt. Tertia ratio dissoluitur asserendo, bilem, & melancholiam, qui humores sunt naturales, non excedere terminum coctionis, quamvis sint supra sanguinem: certum enim est omnes humores naturales dum ab hepate generantur media coctione elaborari, dicuntur tamen terminum coctionis transire respectu sanguinis quarti humoris, quem Galen. 1. *de crisibus, capit. 12.* dixit fieri à calore moderato, reliquos verò ab vlteriori calore; quare non absolutè, sed respectiuè ad causam, & effectum, nimirum sanguinem, dicitur hos humores naturales terminum coctionis transire.

Ex qua doctrina non infertur absolutè, prædictos humores, si putredinem subeant, non posse concoqui, satis enim est, quod ad coctionem sanguinis redire non valeant: prima igitur Gal. authoritas amplectenda est de illo humore, qui omnino à natura est alienus, ita vt sua inobedientia, & incapacitate omnem vim naturæ alterantis fugiat: nam si præ ingentissima corruptela, siue vstione, toto genere præter naturam sit, nequaquam poterit à natura concoqui, & superari, quam humorem Galen. 2. *aphorismor. commentar. 7.* aceto acerrimo æquiparauit; & ideo Hippoc. huius humoris euacuationes, meritò damnauit 4. *aphorism. sent. 22.* asserens: *Incipientibus morbis, si bilis atra supernè, vel infernè exeat, lethalis*: & Galen. *in comment.* inquit, talem euacuationē, vt signum, & vt causam esse prauam, & merito, cum talis materia non expellatur à natura superāte, & victrice, eo quod talis humor excedit omnem virtutem naturalem, vt possit concoqui, & maturescere: veluti enim cineres, qui sunt effectus, siue excrementa ignis, sunt valde inepti, vt iterum ab igne possint deuinci propter ineptitudinem materiæ; non aliter huiusmodi atra bilis exquisita præ ingentissima vstione, seu putredine, erit incapax, vt possit à natura deuinci, & concoqui, de quo humore intelligenda venit authoritas Galeni.

Anthoritati similiter Galen. *libro artis medicæ præscripta,*

præscripta, respondeo, Galen. potiùs de perfecta coctione alloqui, dum humores ad nutritionem disponuntur, in qua significatione, dixit pituitam concoquere, non verò pituitam falsam; ista enim nequaquam ad nutritionem valet concoqui, sed potiùs debet euacuari media purgatione, ad quam rectè exercendam, iam alio coctionis, vel maturationis modo indigebit.

Tertium Galeni testimonium asserentis, tenues humores in principio esse euacuandos, deciditur, quod per tenues, non biliosos, sed serosos, & aquosos humores assumit in prædicta authoritate, vt sunt qui hydropem solent efficere; hi etenim merito sunt ad coctionem inepti, non quomodolibet: nam cum putrefieri valeant, potentiam ad coctionem obtinebunt, sed potiùs respectu naturæ: nam propter repugnantiam subiecti eos deuincere non valebit.




CAPVT VIII.

De occasione Purgandi.



OSTQVAM Galenus in antecedentibus capitibus, egit de humorum præparatione, vt purgentur, & de indicatione ab specie morbi, in præsenti capite expositionem aggreditur, de opportunitate corpora purgandi: duoque apud Galen. offeruntur, alterum quidem in febrium paroxysmis purgationem per superiora fieri, videlicet per vomitum, in declinatione verò per inferiora, ita etenim natura operatur: alterum deinde est, caeendos esse dies indicantes, siue criticos, in quibus Medicus nequaquam purgare debet, quod præceptum ipse Galen. vrgentiùs roborat *libro de humoribus* 22. vbi inquit: *Multa purganda sunt, non propè indicationem, sed longius*; non quidem à parte antea, sed à parte post; idest post diem iudicatorium, in quo valebat dari motus naturæ, & simul medicamenti, & ita irritari vehementi conatu, vt sequatur superpurgatio.

Prima tamen in principio capitis doctrina, vt fecnriùs apud omnes admittatur, priùs est notandum in doctrina Galeni *comm.* 12. *t. aphorismor.* paroxysmum deteriorem partem totius circuitus morbi, à principio vsque ad statum, inclusiuè, appellandum esse: prohibet igitur Galen. vsum pharmaci purgantis tempore paroxysmi, siue accessionis, per ventrem inferiorem, & merito, natura enim valde laboriosa, nonum à medicamento assumpto purganti, laborem sustinere non poterit, & præcipuè cum motus pharmaci ad interna, valde sit contrarius naturæ motui, expellentis caosam morbificam ad habitum in dicta accessione; propterea ex inæqualitate, & agitatione humorum contraria, poterit succumbere, & deuicta manere.



DVBITATIO I.

An die paroxysmi, & adhuc incipiente paroxysmo alicuius morbi, videlicet febris quartanæ, possit Medicus exhibere pharmacum purgans.



VM Galen. in exposito capite imperet, quod in paroxysmis febrium, per superiora in principio accessionis, in declinatione verò, per inferiora mouenda sint corpora; ordine doctrinæ dubitatio pullulat, an saltim in paroxysmis febris quartanæ, vel in die motus, possit Medicus propinari pharmacum purgans: circa quod dubium, plurimi partem affirmatiuam tuentur, videlicet, quod in principio accessionis, aut paulo ante exhibendum est pharmacum: & probatur; causa quartanæ est humor crassus, terrestris, & ineptus ad motum; sed medio medicamento purganti, attenuatur & facilior redditur ad motum: ergo in accessione meliùs cedet virtuti medicamenti, vt expurgetur: quod roborant ex Aëtio *serm.* 3. *thetrab.* 1. asserente: *In internallis, in aliis quandocumque contigerit; in quartanis verò, & intestinis fluxione vexatis, in ipsis accessionibus.*

Roboratur vlteriùs, *libro de affectionibus*, *numero* 19. vbi Hippocrat. inquit: *Si verò quartana apprehenderit, siquidem impurgatus fuerit, primum caput purgato, & interpositis, tribus, aut quatuor diebus, pharmacum sursum versus purgans, dato in ipsa apprehensione, & interpositis diebus, rursum aliud deorsum purgans, dato in ipsa apprehensione*: Ergo ex Hippocrate, cum ipsa apprehensio sit accessio, vel paroxysmus, in ipso per inferiora erit purgandum.

Probatur similiter ratione; in accessione quartanæ, est natura veluti turgens, & actu humores commouet, mittens eos ad focum: ergo si à medicamento purganti determinetur, & contrahatur natura, faciliùs, ac meliùs expellet per aluum; quare potiùs morbus eradicabitur, cum mittatur per aluum, quod ad focum erat expellendum: quam praxim, medici plurimi Germanici, & Gallici amplectuntur, vnde sapientissimus Quercetanus *in pharmacopœa restituta, cap.* 8. decoctum expurgans non leniter, ante horam accessionis imperat, vt præbeatur.

Hæc tamen assertio sustineri non valet: Hippoc. enim 1. *aphorismor. sentent.* 11. inquit: *In accessionibus abstinere oportet*; dices, hoc de cibi exhibitione potiùs esse intelligendum: contra; nã si alimentum, nostræ naturæ familiare, in accessione maximum infert incommodum: ergo multo maius medicamentum purgans. Probatur consequentia; quamvis alimentum sit familiare, tamen, quia corrumpitur in accessione, adauget causam morbificam, & febrem; sed medicamentum purgans non solum intendit febrem, verum etiam motum naturæ rectè operantis, & ad

ad circumferentiam expellentis humorem, impedit: ergo multo vehementius medicamentum purgans erit nocumentusum: ergo in accessione, nequaquam est propinandum.

Roboratur nostra conclusio, vel intendit Medicus materiam antecedentem, aut coniunctam expurgare; sed non valet primam, nec secundam euacuare: ergo nullam. Probatur minor, materia antecedens non est in motu; sed imò quieta, & cum sanguine coniuncta: ergo cum nec moueatur, nec sit separata, non debet expurgari potiùs in paroxysmo, quàm alio die; neque materia conjuncta est euacuanda; nam cum iam sit in foco putredinis, potiùs ad circumferentiam corporis, quam ad centrum mouetur; sed sic est, quod medicamentum, vt dixi, mouet ad centrum, & per motum contrarium naturæ: ergo talis exhibitio medicamenti, cum natura non sit adminiculans, non est exequenda. Nec valet si dicas, quod aliquando natura, ad primam regionem humorem pellit: ergo in illo casu, pharmacum iuuabit: contra, nam materia quæ mouetur, est ea quæ factura est accessionem, ista resoluitur in ipsa accessione: ergo vt auferatur accessio, non est interponendum tam periculosum remedium, vt pharmacum, cùm aliquando materia vehementiùs agitata, anxietates possit augere, & in aliquam partem principem, ad mortem inducendam transferri.

Roboratur vlteriùs præsens sententia; Galenus enim *libro de expurgatione*, dixit: *Per inferiora in die paroxysmi, non est mouendus humor, bene tamen per superiora.* Tum & etiam Auicenna: *Non moueas in die paroxysmi aliquid, quantum possibile est, neque cures febrem:* Ergo ex Auicenna, non solum in paroxysmo actu, verum neque in die paroxysmi, pharmacum purgans est exhibendum, sed in alio die internalli; hanc sententiam sapientissimus Gaspar Brauo *resolut.*10. Petrus Michaël de Heredia *quæst. vnica de febre quartana, fol.* 393. Carrerius *Fen.*1.4.*tractatu* 2. Riberius *capite de quartana,* Vallesius *libro suarum controuersiarum*, & alij quam plurimi, tuentur.

Zacutus tamen *lib.*4. *de febribus, fol.* 535. inquit, quod cum longitudo quartanæ, ex portione humoris cineritij, in foco putredinis relicti, qui nouam concitat accessionem proueniat, vsque quo integrè attenuatus, expurgetur, & quia melancholia per multum, in minera, tempus perdurat, & natura non sit repugnans; nam tribus, aut quatuor horis ante accessionem, nondum incepit motum efficere materiæ, ad habitum corporis, vsque quo incipit rigor, siue horror; hinc est, quod accedente iam paroxysmo, medicamento iam actuato, cum natura sit veluti turgens, & ad expellendum commota, dirigitur à medicamento, vt per aluum, quod per circumferentiam expellendum erat, expurget; quare media accessione, dato antecedenter medicamento, illud cineritium mineræ, eradicabitur, quod in die quietis non poterit contingere, cum humorum feruor extinctus maneat, & omnia, quæ ad tenuitatem conducunt deficiant.

Si sapientissimus Zacutus similiter probasset, ex assumptione medicamenti purgantis, tribus, aut quatuor horis ante paroxysmum, causam morbificam, & præcipuè cineritiam, vt febris eradicaretur, euacuari, regularis esset, & amplectenda talis curatio; quia tamen fingit quod vult, & vult quod fingit: nam quamvis aliquando, & raro acciderit, rectum erit, ab errore, nequaquam est efficiendum; nam si quatuor horis ante accessionem, materia adhuc est quieta, non erit magis vtile, quam in alio die, vt diximus; si verò datur medicamentum, vt fiat expurgatio eo tempore, quo accessio debebat incipere, & sic natura per aluum materiam excernat, contra: nam materia antecedens, non moueretur, cum ista in illo paroxysmo, in quo mouet medicamentum purgans, non moueatur, quia antecedens, sed in alia accessione subsequenti; conjuncta verò materia vt dixi, quæ mouetur in paroxysmo, non regulabitur à medicamento: quia ista potiùs est subiecta naturæ expellenti ad habitum, quam ad centrum; vnde idem inconueniens militabit, vt *suprà* tetigimus.

Instabis tamen; potest dari casus in quo, causa morbi materialis sit inuincibilis à natura; sed ista potest in principio vniuersali morbi euacuari, croda existente materia: ergo ita pariter in principio particulari accessionis, si materia sit inuincibilis, poterit euacuari medio pharmaco purgante. Si responsum præbeam, concedendo maiorem, & distinguendo minorem dissoluitor; potest purgari materia inuincibilis in principio morbi radicatiuè concedo, minoratiuè nego: ergo in principio accessionis, materia inuincibilis poterit purgari nego consequentiam; cuius est ratio, quia in principio vniuersali morbi, cum materia sit incoctilis, & habeamus naturam adminiculantem, quia nullum habet motum determinatum, merito natura expellente, & medicamento attrahente, fiet purgatio proficua, at verò in principio accessionis, quia materia est coctilis, & vincibilis, & natura non est adminiculans, quia determinata ad motum contrarium; ideò potiùs natura erit repugnans, ac laboriosè in dicta purgatione se habebit.

Instabis iterum, tunc natura magis adminiculatur ad purgationem, quando est in motu, quàm in quiete: ergo potiùs in accessione, erit adminiculans. Probatur antecedens; tota ratio propter quam materia turgens, statim est purganda, sumitur ex motu: ergo magis adminiculans est dum mouetur materia, quàm si sit in quiete: ergo potiùs in accessione habemus naturam adminiculantem. Cui respondeo distinguendo antecedens, si natura sit in motu errabundo, propter materiæ tenuitatem, absque vllo beneficio, imò cum maximo periculo, concedo libenter; si sit in motu determinato, cum ope, & beneficio naturæ, nego antecedens. Quare non quicumque motus naturæ, est adminiculans: nam si motus est criticus ad habitum medio sudore, nequaquam erit adminiculans, vt materia moueatur per aliam regionem; ita pariter, quia motus accessionis ad habitum, & veluti criticus, & naturæ proficuus, non erit natura adminiculans ad purgationem, imò valde

obsistens; sicque dum materia turget, mouetur à natura motu inordinato, & sine vlla ope, & vtilitate, imò maximo cum periculo, quare in illo casu, medicamentum purgans, non autem in accessione quartanæ, est exequendum.

Quibus prælibatis, facilè rationes in contrariam partem adductæ, possunt detruncari; prima enim nulla vi eutrit; nam quamvis medicamento purgante, humor terrestris attenuetur, vt facilè moueatur; maius tamen est inconueniens, cum ille motus purgationis, tempore accessionis, non sit naturæ familiaris. Authoritati Hippoc. *libro de affectionibus* satisfit dicendo, quod prima pars, intelligitur de euacuatione per vomitum; secunda verò pars, potiùs intelligenda erit pro declinatione paroxysmi, si fortè natura moueat materiam terrestriorem. Tertia similiter ratio decisa est, cum dictum sit, materiam agitatam in accessione non esse turgentem, sed motum laudabilem naturæ ad habitum, esse determinatum, ac proinde vergentem.



CAPVT IX.

In quo Galenus occasionem purgandi demonstrandam prosequitur.



LTERIUS Galenus inceptam purgandi occasionem, quam in antecedenti capite adduxit, progreditur animaduertens primo, quod existente febre, si morbus chronicus sit, vt fiat purgatio, coctionem spectare oportet. Secundò monet, quod pharmacum purgans ratione febris non conferet; febris enim calida est passio, & sicca; ideóque potiùs refrigerantibus, & humectantibus indiget; quare cum medicamenta purgantia calida sint, sumpta indicatione à febre, nequaquam; bene verò ratione causæ, conferunt. Tertium docet animaduertendum esse; an corpus sit ad purgationem aptum, si enim abondat crudis succis, aut hypochondria nimis calida; & sicca fuerint, siue obstructione, inflammationeque affecta, ad purgationem inepta, & obsistentia reperiuntur.



DVBITATIO I.

An ad Purgationem exequendam, spectanda sit coctio.



X satis venerandi Hippocratis promulgata sententia, 1. *aphorism. sentent.* 22. asserente: *Concocta medicari oportet, mouere non cruda, &c.* Ratio dubitandi nascitur, an videlicet expectanda sit coctio, vt pharmacum purgans exhibeatur, ita vt in morborum principio, cruda existente materia, absque turgentia, possit Medicus, medicamento electiuè purgante, materiam morbificam euacuare. Sit igitur conclusio: in morbo admittente curationem, siue salubri, materia cruda, quæ furiosa non sit, nullatenùs est purganda. Hanc senteutiam doctissimus Capiuacius 1. *aphorism. loco citato* tuetur, Antonius Mussabrasabola, sapientissimus Mercurialis, & alij quam plurimi; & vt Hipp. & Gal. *in comment. sentent. allata*, probaturque ratione:

Materia cruda in morbo salubri est coctilis; sed vt concoquatur, debet retineri: ergo est obiectum facultatis retentricis: ergo non facultatis expultricis: ergo non est purganda in principio morbi. Maior est certa, cum morbus sic salubris. Minor probatur: nam ad coctionem requiritur quies; sed quies, & motus opponuntur contrariè: ergo vt concoquatur, non debet materia moueri: ergo potiùs retineri: ergo non erit obiectum facultatis expultricis, vt purgetur: Dices tamen, cum huiusmodi humores sint crudi, & omnino dissimiles, quia putridi, nullam obtinebunt similitudinem, vt à natura retineantur: ergo non erunt obiectum retentricis, sed potiùs facultatis expultricis, vt expurgentur: sed contra; nam etsi humores sint crudi, aliquam tamen similitudinem, aut mediam, siue genericam possunt obtinere; quemadmodum enim natura retinet alimentum in ventriculo, licet non sit ita simile, vt in termino medio, & vltimo; veluti etiam in coctione perfecta puris, & succi crudi intra venas existentis, & sedimenti, quod apparet in lotio: Hæc omnia per aliquod tempus à natura retinentur, vt ad aliquem gradum, imperfectis aliquibus alterationis characteribus, perueniant; ita pariter humores crudi febrium putridarum, etsi cum aliquo putredinis vestigio existant, quia tamen aliquas reducibiles ad benigniorem statum, partes obtinent, ideò à natura in venis retinentur: ergo talis materia, cruda non erit purganda.

Dices tamen, quod quamvis purgatio radicatiua non possit fieri, de qua non loquitur Hippocrat. *in sententia dicta*; bene verò de minoratiua, sicque crudam materiam non esse eradicandam: sed contra, etsi inferiùs latè de minoratiua purgatione loquuturus sim, in præsenti tamen breuiter contra responsionem; nam si exhibeatur medicamentum purgans, minorans ex parte, non ex toto, tunc tale pharmacum eric fortè, & debile, fortè, siue vehemens, cum electiuè purget; debile, quia in exigua copia, vt minoret, exhibetur: ergo tale pharmacum, vel humorem ad se determinatum attrahet, vel non, si non attrahit, frustra æger crueiatur; si attrahit in illo casu, vel fiet euacuatio, vel non; si non euacuatur, frustra humor agitabitur sine euacuatione; si verò euacuatur, vel euacuatur tota materia peccans, quod non contingit, quia non est radicatiuum, sed minorans: ergo euacuabitur portio materiæ: num sic, vel euacuatur pars crassa, vel tenuis, non crassa; nam si datur duplex materia, crassa, & tenuis, faciliùs tenuis, quia paratior attrahetur: ergo tantum purgatio humoris

humotis tennis appareret; atqui ex hoc maxima subsequuntur incommoda, quia materia crassa, medio pharmaco, valde agitatur, & non euacuatur; tum & etiam ex tali agitatione obstructiones augescunt, vt magis materia praua, cum bona commisceatur. Præterea pars crassa relicta, tenuiori iam euacuata, maiori cum difficultate, valebit superari: ergo si ideo datur pharmacum minorans materiam, vt pars relicta, faciliùs superetur, cum hoc non sit verum, quia potiùs ineptior redditur ad coctionem, quam si mixta esset cum tenui, nec minoranda, nec radicitus euacuanda.

Confirmatur etiam huiusmodi assertio *quarto de ratione victus* 44. ex Hippocrat. asserente: Quod à principio, vti licet clystere, non autem pharmaco. Stabilitur etiam ex Galen. 1. *epidemiorum*, *sect.* 2. *comment.* 37. vbi inquit: *Quod eo tempore, quo pestis grassabatur, omnes mortui fuerunt, quoniam a principio fiebant euacuationes, quæ cum mala essent, malè terminabantur febres, nam cruda existente materia, non poterat fieri recta purgatio*: ergo si euacuatio facta à natura, cruda existente materia nocet, multo magis, quæ ab arte fiat ante coctionem nocebit.

Sed instabis: nam si materia fuerit copiosa, cam naturalis facultas regulare non valet: ergo ne natura succumbat, si non radicitus, saltim minoratiuè, vt leuata à sarcina fortior reddatur, erit euacuanda. Hæc tamen ratio nullius est momenti: nam si materia est cruda, ita vt non possit ad maturationem deuenire, tunc sanitas est desperata; sicque nec minoratiuo pharmaco est vtendum, vt Galen. 12. *methodi*, inquit, loquens de febre syncopali, *sit insignis cruditas, vt succi concoqui nequeant, tunc esse desperatam sanitatem; si autem in hac febre sit materia copiosa, quæ ad maturationem possit perduci, non esse purgandam, sed concoquendam materiam, etiamsi virtus sit debilis*: Ergo si apud Gal. virtus debilis, non succumbat materiæ multæ, non licebit dare pharmacum purgans: quid ergo dicendum erit cum materia non sit tanta, & virtus concoctrix valida existat?

Perpendendum igitur est ad maiorem expositionem, quod morbus à materia cruda pendens, breuis, vel longus est; si breuis, materia cruda non est euacuanda, quia tam breui tempore, non est credendum naturam succumbere; si verò morbus chronicus sit, animaduertendum erit, vtrum natura succumbat, nec ne; nam si sit valida, necessarium erit, statim partem materiæ concoquere, illamque coctam purgare, vt postea natura, alterius materiæ derelictæ coctionem aggrediatur, eamque coctam, de nouo euacuare, vt per vias radicaliter sit expurgata, qua naturæ directione, virtus valida non deficiet, veluti si totam materiam expurgare intenderemus, quæ purgatio, etsi appelletur epicrastica, & per vices, siue in quantitate discreta, rigorosè non erit minoratiua; ista enim, solum euacuat materiam iam coctam, & quamvis partialem, respectu illius, radicitus fit purgatio.

Vrgebis tamen; ideò materia turgens, & furiosa, in principio est purganda, etsi cruda, quia periculum imminet, ne ad aliquam partem principem irruat; atqui in paraphrenitide materia, siue humor, iam habet actu motum ad cerebrum, quod est pars princeps: ergo in paraphrenitide, materia cruda existente, licebit vti pharmaco purganti. Probatur consequentia, in materia turgente periculum est imminens, in paraphrenitide, est iam præsens: ergo multo melius in paraphrenitide erit purgandum, materia existente cruda: ergo aliquando citra turgentiam, poterit medicus in principio medicus pharmacum purgans exhibere: ergo quia non est spectanda coctio.

Cui rationi, respondeo negando consequentiam; nam vbi materia turget, facilè medicamento leni, & clementi expurgatur, quia cum turgens tenuis, ac mobilis sit, vt huc atque illuc moueatur, nullaque in corpore particula sit, quæ furiosam materiam attrahat, imò irritatur ad eam expellendam; hinc est quod facilè purgari possit; vbi verò materia raptum ad partem principem obtinet, pars ipsa vel caloris, vel doloris ratione, materiam illam attrahit, cum calor, & dolor, etsi per accidens attractionis sint causæ; quare huiusmodi materia, non ita euacuationi erit obediens, veluti materia turgens; nam si pharmacum attrahat in phrenitide materiam morbificam, simul etiam eodem tempore, ipsa pars, dolore, vel calore affecta, contrariam attractionem efficiet, ex quo motu contrario, vehemens, & inæqualis pugna vigeret; qua propter, maximum est discrimen, inter materiam furiosam, quæ nundum motum determinatum in partem principem habet, & inter eam, quæ actu, & determinatè mouetur.

Obiicies deinde; in febribus pestilentibus statim exercetur purgatio: ergo cruda existente materia licebit pharmacum purgans propinare. Probatur consequentia, in febribus pestilentibus, etsi materia sit maligna, non est turgens; atqui ista in principio euacuantur: ergo licet materia non sit furiosa, quamvis cruda, in principio est purganda. Roboratur ex Galen. 5. *method. cap.* 12. 1. *de differ. febrium*, *cap.* 4. asserente, correptos febre pestilenti, euasisse excreta materia per vomitum, & secessum à principio, ergo à principio fiebat euacuatio salubris; ac per consequens medicus, etsi materia sit cruda, poterit pharmacum purgans condonare.

Soluitur arguties si respondeam, concedendo antecedens, videlicet, materiam veneficam statim esse purgandam, ne partes nondum infectæ, malignitate corripiantur; neque ex hoc ratio vrget quamvis enim materia venefica cruda euacuetur, de ista tamen in prædicta *sent.* 22. non loquitur Hippocrat. nec quæstio suscitatur, ista etenim, non solum actum coctionis excludit, verum etiam aptitudinem, & potentiam, cum sit vehementior maligna, & à natura superari non possit: solum enim suscitata est quæstio, de materia, quæ quamvis actu non sit cocta, non tamen virtutem, & obedientiam naturæ, vt concoquatur, obnegat, vt recta fiat purgatio, qua, cum priuata sit materia venefica; statim est purganda.



DVBITATIO II.

An sine vlla coctione, in principio morbi liceat vti, etsi non radicatiuè, saltim medicamento minoranti.



PERCELEBRIS quidem quæstio, quæ multa contorsit ingenia, inter omnes scholas satis agitata, plurium vitas minorauit, eo, quod malè intellecta; obnubilatio tamen ex dicendis, Deo fauente, euanescet, vt verior doctrina splendesceat: erga igitur huiusmodi grauissimum dubium, notandum priùs est, quod semper disputatio de febribus putridis procedit, nulla materia turgente; in aliis enim morbis, nulla est controuersia, vt in alopecia, ophthalmia, erysipelate, & aliis, similiter etiam, non est loquendum de medicamentis lenientibus, & cacochymiam primæ regionis expurgantibus, sed potiùs de medicamento electiuè attrahente materiam secundæ regionis, ita vt portio causæ morbificæ crudæ, medio pharmaco expurgetur, siue minoretur.

Iuxta hanc ergo controuersiam, Donatus Antonius Altomarius *lib. proprio de alteratione, digestione, & præparatione*, partem affirmatiuam insequitur, sed vt possit suam stabilire sententiam, priùs diuisiuè loquitur, supponitque 1. quod omnis morbus, vel omnino exitialis est, vel non; si non exitialis, vel est longus, vel acutus: deinde acutus, vel vacat periculo, vel est periculosus: tandem periculosus, vel est cum turgentia, vel non adest materia turgens, quo supposito, inquit, si morbus est exitialis, neque in principio, neque in alio tempore purgandum est: (cognoscemus etenim, esse exitialem, quando statim vires sunt valde languidæ) corroborat hanc doctrinam, quod non sit purgandum illo in casu, Galen. 11. *methodi, cap.* 9. asserens: *Quibus desperata est salus, non sunt præscribenda remedia, sed solum prognostico est vtendum, ne illustria artis nostræ remedia, apud vulgum infamentur, quæ aliis fuere præsidia*: quam sententiam roborat Hippoc. *aphorism.* 5. *sent.* 8. *& secundo aphorism. sentent.* 29. *incipientibus morbis deploratis, non sunt præscribenda remedia*; atqui purgatio non solum est remedium, sed maximum: ergo in bis nullo tempore erit purgandum.

Si verò morbus exitialis non sit, vel est longus, vel acutus, in longis, non est purgatio exequenda in principio, sed in his semper concoctio est spectanda, quæ doctrina est Galen. 1. *aphorism.* 24 *comment.* vbi Hippoc. inquit, *in morbis acutis raro, & per initia, in longis verò expectanda est coctio*, vt Galen. *lib. quos quibus, & quando*, vt *suprà*; in acutis verò morbis, qui celeriter transeunt sua tempora, hi, vel periculo vacant, & tunc non sunt propinanda medicamenta purgantia, inquit Altomar, cuius est ratio: nam in his morbo valent prælaborantes, cum morbi salubres sint, & vires validissimæ; licet sint vehementia symptomata, quia naturæ forti nihil est impossibile: in acutis verò, qui maximè sunt periculosi, anceps est victoria; nonque possumus definire, vtrum natura superatura sit, necne, in his, siue turgeat, siue non turgeat materia, imò si firmata sit, debemus eam in principio minorare, medio pharmaco purganti, quam vltimam partem diuersis rationibus Altomarus probat.

Probatur 1. si morbus acutus sit cum maximo periculo, & ideo sit materia turgens, de hoc nullus dubitabit, *aphor.* 4. *sentent.* 10. *medicari in valde acutis, si materia turgeat eadem die*, 1. etiam *aphorism. sentent.* 24. *in morbis acutis, raro, & sent. similiter* 22. 1. *concocta medicari*, & merito talis turgens materia, statim purganda est, vt Galen. *loco assignato*, præcipit ne virium robur deperdatur, vel febrilis caliditas augescat, siue intendatur, & ne humor in aliquod membrum insigne decumbat, proinde statim purganda est talis materia.

De alia verò materia fixa morbos periculosos inducente, de qua est dubitatio: probatur conclusio 1. authoritate Hippoc. 2. *aphorism. sent.* 29. asserentis *inchoantibus, morbis, si quid tibi videtur mouendum, moue*, & Gal. *in commentario* adducit causam, his verbis *circa initia oportet maxima remedia adhibere, sunt autem talia, purgatio, & sanguinis missio, quæ autem in principio administranda sunt, vt coctiones meliùs fiant, ac frequentiùs eueniant*: ergo ex prædicto *comment.* Galen. expressè infertur, materiam esse minorandam, vt coctiones melius fiant: ergo vt materia alia relicta, meliùs concoquatur.

Roboratur vlterius locus adductus Gal. non potest intelligi de turgentia: ergo citra eam est minoranda materia in principio morbi. Probatur antecedens, materia turgens, non potest concoqui, cum non retineatur à natura: ergo si Gal. inquit, minoranda est materia, vt relicta concoquatur, non erit intelligendum de turgenti, cum ista non sit coctilis: ergo citra turgentiam, vtendum est pharmaco minorante.

Probatur deinde, superfluus enim esset Hippocrat. cum antecedenter dixisset *sect.* 1. *aphor. sentent.* 21. *&* 24. *&* 4. *aphorism. sentent.* 10. quod statim turgens materia est purganda: ergo breuiloquus Hippoc. non iterum hanc vltimam sententiã constitueret de turgentia. Præterea, si prædicta sententia intelligeretur de turgentia, potiùs dixisset Hippoc. purgare, non euacuare; euacuatio enim, latiùs patet, quam purgatio: ergo cum potiùs alloquatur de euacuatione, debet intelligi de morbis acutis absque turgentia, cum asserat in morbis acutis oportere euacuare circa initia; quales sunt illi morbi, qui vel ex multitudine, vel ex praua qualitate dependent, aut in principe parte fiunt.

Probatur præterea; plurimi morbi periculosi, ita ex multitudine pendent, vt præ tanta materia non possint ad statum peruenire: ergo illa minoranda est per pharmacum purgans. Roboratur similiter authoritate Hippoc. 1. *de ratione victus in morbis acutis sent.* 7. vbi ait: *si dolor ad hypochondria vergat, oportet veratro nigro purgare*;

nunc

nunc sic, ex Hippoc. vergente dolore ad hypochondria in pleuritide, purgatur in principio: ergo citra turgentiam, pharmacom minorans est exhibendum. Antecedens probatur ex eodem; nam vergente dolore ad claniculam, sanguinem mittit, si ad Hypochondria, purgat in principio: ergo aliquã do licet in principio, absque turgẽtia, purgare: quod autem sit sine turgentia, est manifestum: nam materia pleuritidis est firmata, & non huc, & illuc concitatur; sed ista purgatur ab Hip. in principio, vergente dolore ab hypochondria: ergo materia quieta, & fixa, etsi cruda, erit minoranda.

Stabilitur vlteriùs huiusmodi sentiendi modus; nam nostra ætate, est maxima illuvies, cum homines sint vino', & alimentorũ copiæ maximè dediti; vnde cruditatibus replentur, ac per consequens multis excrementis: si illo in casu, aliquem febris acuta corripiat, & his cruditatibus repletum, non statim purgamus, sed sanguinem mittimus; in illo casu, inanitæ venæ illa excrementa cruda, ad se attrahẽt, & obstructiones erunt augendæ, ex quo sequitur maximum incommodum: ergo ne hoc accidat, statim purgandam expedit. Vlteriùs, *primo de differentiis febrium, c.* 4. Galen. nulla præcedente coctione, in pestilenti statu, corpora in quibus superfluitates reperiebantur purgat: ergo ex Gal. in principio sine turgentia, materia expurgandi est.

Gal. etiam 5. *method. c.* 12. *Ex pestilentia*, inquit, *plurimos seruatos, quibus scilicet corpus præexiccatum, & purgatum esse nouerim, nonnulli etiam quibus aluus profluxerit.* Ergo ex Gal. nulla expectata coctione, in principio licet purgare, nec minus in ventris doloribus extremis, & intestinorum, nulla præcedente coctione, adhibita tamen priùs distinctione, an liceat sanguinem mittere, an purgare, cum maxima vtilitate, ægrotantium in principio purgamus: ergo quia licet, pharmaco purganti vti. Vltimo testimonium præbet Altomarius desumptum, ex decem annorum experientia, (quasi esset maxima, & senilis) quod in putridis, & malignis febribus, maxima cum vtilitate expertus fuit pharmacum purgans, in principiis earundem febrium, millies exhibitum: (quasi non millies plurimi periissent ægrotantes) ergo inquit Altomarius regulari ratione, ad dogmaticè, valebit Medicus, sine turgentia pharmacum minorans exhibere.

Sententia Vallesij proponitur.

FRanciscus verò Vallesius 7. *controuersiarum*, per duo capita, hanc quæstionem exagitat dupliciter. Primo, an liceat purgare in principio extra turgentiam. Secundo, vtrum materiam non perfectè coctam, sed manifestè, liceat purgare: multis quidem rationibus allatis, tandem sententiam Altomari amplectitur; & probatur primo ex Hippoc. 4. *de ratione victus, sentent.* 64. vbi agens de pleuritide, inquit: *Si ab initio purgare volueris, ante quintum diem facies.* Atqui ante quintum diem, tunc signa cruditatis: ergo purgat in principio, materia existente cruda: ergo medico licebit, in principio purgare; dubitari valet, an libet ille sit Hippoc. necne, probatur etiam, ex quarto de ratione victus *sent.* 76. *si sub thorace dolor sit, vehementerque cruciet, pleuriticum ventrem purgabis*, & postea addit, *purgabis die quarto* Gal. *in comm.* non modo die quarto, sed primo, secundo, & tertio, & ipse Gal. inquit, *ego exhibui medicamentum purgans prima, vel secunda die*: ergo manifestè deducitur, ex Hipp. & Gal. quod medicus poterit maxima cum ratione, in principio morbi pharmacum purgans exhibere.

Confirmatur huiusmodi assertio; in principio morbi est exercenda sanguinis missio: ergo, & purgatio. Probatur consequentia; ideò mittitur sanguis in principio, vt reuellamus materiam fluentem; sed media purgatione potest etiam reuelli huiusmodi materia: ergo propter eandem rationem possumus vti in principio, medicamento purganti. Probatur minor; nam quemadmodum plethoræ debetur venæ sectio, ita cacochymiæ debetur purgatio; sed vbi datur fluxio ratione plethoræ, reuellitur materia sanguinis missione: ergo in febre in qua datur fluxio à cacochymia, ista, media purgatione erit reuellenda, non verò sanguinis missione: ergo in illo casu, purgatio in principio erit reuulsoria.

Vlteriùs probatur: nam si Hipp. ait: *Concocta medicari, mouere non cruda.* Hoc tamen venit intelligendũ de curatione legitima, & regulari: duplex enim datur curatio, alia quidem regularis, & alia coacta in aa. loquitur Hippoc. de legitima curatione, & regulari, inquiens: *Cocta medicari*; non verò de coacta: ergo si multa est materia, eam, curatione coacta, debemus minorare: sed huius diuisionis falsitas infra patefiet, contra Vallesium, & sapientissimum Branum. Roboratur amplius, potest dari euacuatio in principio morbi symptomatica; sed ista potest esse cũ commodo animalis, quamvis sit in principio morbi: ergo ita pariter poterit fieri ab arte, quamvis sit materia cruda, cum Medicus sit minister naturæ rectè operantis.

Concludit igitur Vallesius, quod id, etsi omnibus difficilè videatur, videlicet medicamentum purgans sine maximo periculo exhibere, facillimum ei esse, & valde expertum, ita vt omni tempore, in principio videlicet, augmento, statu, & in declinatione; in principio turgente materia; in augmento, quando est obscura coctio; in statu, quando est manifesta; & in declinatione, quando est perfecta: ergo non semper, inquit Vallesius, spectanda est coctio perfecta, & manifesta. Quod probat ex Hippoc. 4. *de ratione victus, sentent.* 46. alloquente: *Cum vrina nebulosa, & crassa est, purgandum est.* Nunc sic Gal. 2. *de crisibus*, *cap.* 17. adducens tres coctionis differentias, manifestam nimirum, obscuram, & perfectam, inquit, nebulam, esse coctionis manifestæ, non verò perfectæ, notam; sed sic est, quod Hippoc. purgat cum nebula: ergo purgat cum manifesta coctione; sed manifesta coctio est in fine augmenti: ergo Hippoc. purgat in augmento: ergo etiam Medico licebit vti pharmaco purganti in augmento febris putridæ; quibus duobus sentiendi modis, assentit Vallesius.

Manardi assertio ostenditur.

Sapientissimus Ioannes Manardus 13. *lib. suarum epistolarum , epistola* 1. candem amplectitur sententiam variis rationibus ; sicque intelligit, quòd præsente multitudine materiæ, statim est purgandū: si hæc multitudo grauia inferat symptomata , tantaque sit materiæ multitudo, vt æger succumbat , & vires grauentur ab ea, neque spes sit, ad statum posse peruenire, oportet initio euacuare, vt minorata materia, id quod reliquum est à natura superetur ; at verò si spes sit , ad statum posse peruenire , viresque valentes sint, nulli dubium est, inquit, coctionem spectandam esse.

Probatur igitur prima conclusio, ex Hippoc. 1. *aphorism. sententia* 3. asserente : *Habitus exercitatorum, &c.* & inferiùs ait : *Statim soluendus est*; quia periculum adest , ne vasa rupantur, propereaque statim est soluendus. Nunc sic : habitus atletarum statim est soluendus , si aliquo morbo corripiatur, propter pericula dicta : ergo etiam in habitu cacochymo, vbi materia sit supra vires, purgandum erit. Probatur consequentia, cadem militant accidentia periculosa in hoc habitu, ac in athletico ; sed in habitu athletarum, statim sanguis est mittendus : ergo etiam in habitu cacochymo , cum dicta multitudine materiæ, humor statim erit purgandus.

Roboratur vlteriùs: nam cadem pericula imminent his , qui febre ex plenitudine laborant , ac illis , qui turgentia corripiuntur ; sed hos statim purgamus : ergo etiam eos , qui ex plenitudine febricitant. Probatur maior : nam turgens humor ex se non mouetur , sed à partibus, quas sua acrimonia irritat ; sed veluti in turgentia partes irritantur ab acrimonia materiæ turgentis, ita etiam multitudo materiæ cacochymæ potest eas vellicare : ergo si in turgentia , propter dictam irritationem , est pharmaco purganti in principio vtendum , ita pariter vbi adsit multitudo cacochymiæ supra vires , quamvis in principio morbi. Præterea ; humor multus celeriori euacuatione indiget, quam turgens : ergo si turgens in principio purgatur, multo vrgentius humor multus debet purgari. Antecedens probatur , facilius potest occurri turgentiæ , quam multitudini : ergo celeriori euacuatione indiget humor multus, quàm turgens. Antecedens etiam probatur ; humor turgens potest reprimi , & contemperari ; atqui multitudo , solum postulat euacuationem , & non attemperationem : ergo multitudo celeriùs postulat euacuationem, quam humor turgens ; sed materia turgens statim purgatur : ergo multo celerius humor multus , & cacochymus, quamvis non sit coctus, erit purgandus.

Probatur etiam ; si aliquis humor de parte in partem moueatur , neque fixus sit , nec firmatus, statim purgandus est, ne in partem principem decumbat : ergo si propter hanc rationem est purgandus , multo melius erit purgandus humor, qui iam est in parte principe firmatus : ergo multitudo humoris febrem procreantis, firmata iam in parte aliqua principe statim erit purganda, coctione non interueniente.

Roboratur præterea : nam Gal. 9. *methodi*, inquit ; Quod in principio morbi , aliquando licet, sanguinem mittere : Ergo etiam purgare ; præcipue cum ipse Galen. 1. *aphorism. commentario* 13. asserat : *Nos quoque posse purgare ad animi deliquium.* Consequentia superiùs dicta probatur, ex 4. de sanitate tuenda : *Quotiescumque æger à sanguinis missione abhorret , purgatione est vtendum* ; sed potest æger in principio morbi , à sanguinis missione abhorrere : ergo tunc licebit purgare, nulla spectata coctione.

Præterea inquit Manardus , nonne in fine principij apparet aliqua pars materiæ cocta, & alia cruda. Cur ergo non poterit medicus purgare coctam , & relinquere cruda ? (Hoc esset verum , quasi medicamenta agerent cum ratione) patet igitur , sicut in phlegmone, tota materia non apparet cocta , sed sensim coquitur ; atqui ista non euacuatur vnica via sed sensim minoratur : ergo etiam materia morbifica febrem efficiens , sensim erit minoranda , Galen. etiam 5. *de compositione med. camentorum secundum locos* , in apoplexia , in capitis dolore , ac in aliis similiter affectibus , statim in principio, absque eo , quod coctionem spectaret , medicamenta purgantia exhibebat : ergo etiam Medico licebit hoc efficere : tum & etiam Galen. 13. *method.* inquit , se vidisse , in quibus incipiebat phlegmon in oculo , pharmaco purganti adhibito , vna die curatos fuisse ; quare igitur huiusmodi exemplar Medicus perpendens, vllum periculum timebit. Similiter etiam Hippocrat. *libro* 5. *&* 6. *epidemiorum* , in vulneribus , & capitis fracturis , absque vlla coctione purgat , veluti etiam Galen. 5. *methodi* , id efficit , ipse iterum 7. *methodi*, humores tenues ventriculi, statim sola potione purgat vere : ergo non erit timendum , ex adhibitione medicamenti purgantis, si bilis, quæ ex sua natura tenuissima est, & ad expulsionem parata, euacuetur.

Vltimo, maxima nitens experientia gloriatur Manardus , referens , se expertum fuisse spatio quadraginta , & octo annorum, maximo cum fœlici euentu , talem exhibitionem pharmaci purgantis in principiis morborum , quæ omnes rationes , adductæ fuere à Manardo , & ex Anerroë surreptæ , & aliam vehementiorem omisit proponere, videlicet, ratio propter quam purgatio in principio morbi non debet fieri , materia existente cruda , est , ne vtile cum inutili euacuetur , & caliditas febrilis augeatur , sed etiam media sanguinis missione euacuatur, vtile cum inutili: ergo etiam sanguis non est euacuandus in principio morbi ; ergo vel sanguis non est mittendus , vel si est mittendus , possumus etiam in principio purgare.

Fernelij opinio obuiam facit.

Ioannes similiter Fernelius candem veneratur sententiam , vt suo *libro de curandi ratione fatetur* , inquiens : morbus , vel est salubris, vel lethalis ; si salubris ante coctionem purgandum non est , vt Hippoc. 22. 1. *aphorismor.* Probaturque; sicut se habet sedimentum in vrina, sic

sic se habet pus in parte phlegmone tentata; sed in phlegmone, materia quæ coquitur, non retinetur ad vn eam expulsionem, sed quidquid coquitur quotidie educitur: ergo ita pariter in morbis generis venosi quidquid coctum fit, debet expurgari, & quod crudum fuerit relinqui: ergo eum omni tempore, aliqua materiæ portio concoquatur, omni tempore debet purgari, relinquendo quod crudum extiterit.

Præterea, in morbo imminenti, cum neutra corporis dispositione, sæpè purgatione vtimur; sed ea Gal. *libro de sanguinis missione*, quibus fit præcautio: sanguinis missione,& purgatione fit; sed si eisdem remediis præcauemus,quibus curamus: ergo si præcautio fit media purgatione, etiam ad præcauendum in morbis acutis, ne morbus reliqua tempora pertranseat, in principio erit purgandum.

Mens Amati Lusitani affertur.

AMatus Lusitanus *centuria* 1. *suarum curationum medicinalium, centuria* 2. & *centuria* 16. *cap.* 26. solidioribus, rationibus eandem conatur sententiam munire; & probatur; Hippocrat. 4. *acutorum*, in principio febris ardentis, lacte asinino vtebatur; atqui lac asininum est medicamentum purgans leue: ergo etiam nostro tempore, pharmacis lenibus possumus vti. Deinde Galen. 11. *method.* mulsa in febre ardenti, cibis, & his quæ modicè ex primis videlicet venis euacuant, vtitur, & quia ad horum expulsionem humorum, sequuntur alij, minoratur materia morbi. Tum & etiam Galen. 2. *de compositione medicamentorum, secundum locos* 11. & 12. *methodi*, clysteribus ex Mesenterio euacuantibus vtitur, vt primis venis euacuatis,consecutione reliquę internę euacuentur: ergo eodem fine seruato, poterit Medicus pharmacum purgans in principio exhibere.

Vlterius roboratur; Hippoc. 4. *acutorum sentent.* 76. inquit, *in principio purgandum est, aut est spectanda coctio*; nunc; ait Lusitanus, non valet si dicas, hoc esse de turgentia intelligendum, contra: nam Hippoc. inquit, *in principio purgandum est, aut spectanda coctio*; sed in turgentia non potest spectari coctio: ergo Hippoc. non de turgentia, sed de humore fixo, est intelligendus: ipse etiam, Galen. 2. *de compositione medicamentorum secundum locos*, vtramque bilem; aut pituitam, nulla præcedente coctione purgat.

Vltimo firmatur præsens conclusio Manardi; coctione perfecta non est purgandum: ergo materia cruda existente,erit purgandum. Probatur antecedens; si coctione perfecta esset purgandum, maximè, vel in statu, vel in declinatione; sed neque in statu, neque in declinatione: ergo nullo tempore. Probatur minor, non in statu: nam Hippoc. 2. *aphor. sentent.* 29. cum verò constiterit morbus, quiescendum est, eo enim tempore coctiones fiunt, & symptomata grauissima sequuntur: ergo natura non est à suo opere distrahenda, neque adhuc illo tempore, videlicet statu, ægrum oportet, copiosè cibare, vt Hippoc. *vbi morbus in suo vigore constiterit, tenuissimo victu est vtendum*: ergo si ex Hippoc. adhuc à cibo est abstinendum, in statu multo meliùs à pharmaco purganti, cum vires valde sint fractæ, & à medicamento denuo frangantur, ac debiliores reddantur; secunda verò pars minoris, videlicet, quod neque in declinatione est purgandum, probatur: nam ex Galen. *libro de crisibus*, nullus in declinatione vera vniuersali perit, cum natura in totum, morbificam causam vicerit: ergo illo in casu, potiùs euacuationis opus naturæ erit committendum: ergo non purgandum ab arte: ergo neque in statu, neque in declinatione erit purgandum; ac proinde potiùs in principio materia existente cruda.

Argenterij rationes adducuntur.

ARgenterius tamen *in commentar.* Galen. *in artem paruam*, *fol.* 48. alloquens de purganda materia citra turgentiam, sic fatur, vel loquimur de materia contenta in foco, vel de materia existente in primis venis, si de materia, quæ dicitur causa morbifica, hæc sane non est purganda, si de altera procedat sermo, purganda est, non medicamentis vehementibus, vt peplio, & veratro, sed lenissimis; quare inquit Argenterius, quæ in primis venis est materia,eapurganda expedit: nam perpetuo huiusmodi vasa multis cruditatibus sunt referta.

Addit Argenterius, *fol.* 425. alteram sententiam, quæ cum mente Fernel. & Vallesi. coincidit; & probatur: Ratio præcipua propter quam, vtimur sanguinis missione, est eadem, ac illa, propter quam purgamus; sed in statu licet sanguinem mittere, non de curatione regulari, sed quia aliqua symptomata vrgentia occurrunt: ergo quando multa est materia, coacta curatione possumus purgare. appellatur curatio coacta, quando sanguis in statu mittitur, quia tali tempore fluxio cessauit; sicque curatione regulari à sanguinis missione cessamus: ergo quando in statu propter aliqua superuenientia symptomata, sanguinem mittimus: hoc non erit curatione regulari: (admissa tanti viri authoritate, irregulare est, & coactum illius iudicium, ista enim regularis est etiam curatio, cum omnibus scopis, sicut aliæ, si ergo ait Argenterius, licet sanguinem mittere in principio, incremento, & statu morbi, quando cogimur ob aliqua symptomata, non aliter aliquando vigente morbo, sine in statu possumus purgare, vbi de laudabili crisi futura dubitamus, quando materia est superabundans, & vires sunt valde confractæ, ita vt in coctione humoris, valde natura appareat laboriosa, merito igitur, medicamenta benigna purgantia erunt exhibenda.

Gasparis Brauo sensus occurrit.

PEritissimus Gaspar Brauo *libro de purgandi ratione. disputat.* 2. *sect.* 3. *resolut.* 10. *fol.* 499. resoluit, quod ratione vrgentiæ, cruda existente

S a materia,

materia, minoratiua purgatio poteſt exerceri, inſequens doctrinam Traliani *lib.12.* quam amplectitur aſſertionem Trincabellus *libro de compoſitione medicamentorum*, *cap.* 2. Ioannes Languis *epiſtola* 36. Oratius Augenius, & alij quamplurimi, probatque primo ex eadem Hippoc. *authoritate*, 2. *aphoriſm. ſentent.* 29. *ſuperius* dicta, deinde probat ratione: nam dum vnica eſt ſalutis via, quamvis periculoſa, tentanda eſt; ſed tempore vrgentiæ purgatio minoratiua eſt vnica via ſalutis, cum non poſſit ſine materiæ euacuatione comparari; atqui talis euacuatio nullatenus poteſt fieri, niſi minoratiua purgatione: ergo quamvis periculoſa, minoratiua purgatio eſt exercenda. Minor probatur ex Gal. 9. *method.* vbi ait: *Quibus enim alia ſalutis ratio non eſt, & quæ vnica videtur, ea dubia eſt, neceſſarium videtur aduerſus pericula ire, &c.* Ergo quando vnica tantum ſalutis eſt via, licet periculoſa, tentanda eſt. Auicenna ſimiliter *Fen.* 7. *cap.* 4. melior eſt abſciſſio vnius membri, quam mors totius: ergo ex Auicenna, etſi aliquod immineat periculum ex minoratiua, ad maius vitandum, illa erit exequenda.

Confirmatur vlterius, ex Gal. 10. *meth. Quando ergo ſemel ægro moriendum eſt, à leuibus inchoare præſidiis eſt inutile, quia melius eſt aliquid nos agentes periculari, quam ægrum ſpe adempta, certò perire*; ſed in caſu vrgentiæ medicamenta lenia non ſufficiunt, ex magnis, vires deficiunt pro ſanguinis miſſione: ergo melius eſt, quamuis non adſit cacochymia, à qua de cura regulari indicatur purgatio, cruda exiſtente materia, quod per minoratiuam tentemus periclitari, quam ægrum ſpe adempta, certo perire. Deinde: nam aliquando recedere ab arte eſt ars; ſed cruda exiſtente materia, quando non ſunt vires pro phlebotomia, vrget neceſſitas vitæ, ſi non minoretur: ergo minoratiua purgatio illo in caſu, erit neceſſaria.

Verior ſententia ſtabilitur.

Adductis iam diuerſorum exiſtimantium rationibus, quod extra turgentiam, cruda exiſtente materia, poteſt Medicus pharmaco minorante vti, noſtra adaperienda, vt verior, & ſolidiſſima offertur ſententia, quæ contrario modo ſe habet; videlicet, quod extra turgentiam, atque ſeroſos humores, nunquam licet in principio morbi purgare, & primo diuerſis authoritatibus eſt munienda: Hippoc. etenim 1. *aphoriſm. ſentent.* 22. toties repetita, ait: *Cocta medicari oportet, mouere non cruda, &c.* Eandem repetit ſententiam, 2. *de humoribus ſentent.* 12. *Cocta medicari oportet, mouere non cruda, &c.* Ratione quidem, vtus valde neceſſarij, hanc ſententiam his duobus locis ſcripſit, quam Gal. appellabat oraculum.

Roboratur igitur iam, primo epidemiorum, *part.* 2. *ſentent.* 45. ex Hippoc. aſſerente: *Coctiones celeritatem iudicij, & ſalutis ſecuritatem demonſtrant.* Galenus *in commentario arguit*, Medicus naturæ opera imitatur; ſed coctiones ſunt opera naturæ: ergo Medici vnà cum natura auxiliantes, coctiones moliemur: ergo ex Hipp. & Gal. cum media coctione indicium morbi, & ſanitatis ſecuritas firmetur, potius debet Medicus coctionem ſpectare, vt ſecurè pharmacum purgans exhibeatur.

Primo ſimiliter *aphoriſm. ſentent.* 24. ait Hippoc. *In acutis paſſionibus raro, & per initia medicamenta, &c.* Galenus *in commentar.* inquit: raro Hippoc. imperat, vtendum eſſe medicamento purganti, quo ſi vtendum eſt, ſanè eſſet vtendum per initia; atqui, inquit, raro per initia, quoniam non poſſumus purgare in principio, niſi materia turgeat, raro autem turget: ergo nunquam licebit vti pharmaco purganti per initia extra turgantiam. Similiter Hippocrat. *aphoriſm.* 4 *ſentent.* 22. ait, *quibuſlibet morbis incipientibus, ſi atra bilis, ſupra vel infra exierit perniciosum*, Galen. *in commentar. Non modo atra bilis, ſed omnis alius quicumque humor, vbi ſigna coctionis in morbi progreſſu apparuerint, bonam ſcilicet euacuationem habent; ſi verò ſine notis coctionis excerceantur, caſus eſt exitialis.* Nunc ſic argumentor; omnis humor quicumque exeernitur ſine ſignis coctionis, in quocumque morbo, exitialis eſt caſus ex Galen. ſed omnis humor, qui euacuatur in principio, ſine ſignis coctionis excernitur: ergo omnis morbus in quo à natura excernitur talis humor in principio, eſt caſus exitialis: nunc ſic; quotieſcumque excernitur à natura in principio talis humor, eſt caſus exitialis; atqui Medicus, & ars imitatur naturam bene operantem, & non malè: ergo ſi in principio euacuatio, quæ fit à natura eſt mala, Medicus in principio non debet imitari talem euacuationem: ergo nunquam licebit Medico in principio morbi, purgationem minoratiuam exercere.

Præterea, ſecundo epidemiorum, Hippoc. inquit: *Decretoria in meliùs non ſtatim apparent.* Vt præſens, & præclara authoritas meliùs intelligatur notandum eſt, quod decretoria in duplici ſunt differentia, ſecundo prorrheticorum, & tertio de criſibus. Alia etenim ſunt decretoria, vt ſigna, alia verò vt cauſæ. Decretoria vt ſigna, ſunt illa, quæ futuram criſim indicant, vt capitis dolor, lacrymæ inuoluntariæ, & alia; decretoria verò vt cauſæ, ſunt profluuium alui, ſudor, & alia: Quo poſito, quando Hippoc. inquit, decretoria in meliùs intelligit decretoria vt cauſæ; quid verò intelligat per ſtatim, Galen. *in commentar.* 1. *aphoriſmor. ſentent.* 12. quæ aſſerit: *Acceſſiones, & conſtitutiones, &c.* Galenus ſic fatur, *vt in morbo laterali, ſi ſtatim ſputum appareat*, idest primis tribus diebus, quibus ad ſummum in morbo acuto circunſcribitur principium; quarè intelligendus eſt Hippoc. hac ratione; hæc quæ ſunt decretoria vt cauſæ in meliùs, non ſtatim apparent, idest in principio, ſed cum ſignis coctionis: ergo ſi ex Hippoc. euacuationes quæ ſiunt à natura cum notis cruditatis, non ſiunt ad meliùs, ſed malæ, quomodo Medico licebit, euacuationem in principio tentare.

Quarto etiam de ratione victus, Hippoc. *ſentent.* 22. *qui inter initia inflammationis conatur medio medicamento ſoluere, à diſtenta inflammatione nihil addit, nec affectus crudus vincitur, partes liquantur,* vt Galen. *in comment. aphoriſm.* 22. 1.

vbi

vbi Hippoc. generale præceptum crudo materia, non est mouendo. Probatur hac alia propositione, ex quarto de ratione victus, quoniam à parte inflammata, dum cruda est, nihil à pharmaco potest trahi: ergo cum nihil trahatur, quia cruda, nequaquam licebit pharmaco purganti vti.

Probatur deinde præsens sententia, Galen. 4. *de ratione victus sentent.* 76. agens de occasione purgationis ita fatur: *vel humores firmati sunt & quiescunt, vel non? Si non sunt firmati, statim purgandi sunt, contra verò si sunt firmati.* Ideóque præceptum generale adducit, extra turgentiam, non licere purgare: tum & etiam *lib. quo quibus, & quando*, vt *suprà* monet pertractum *cap.* 7. vbi inquit: *vel acuti sunt morbi, vel longi; in longis semper est coctio spectanda; si vero acuti sint; non semper: nam si habet materiam turgentem, statim est purgandum; si verò non, non est purgandum*: ergo ex Galen. manifestè infertur, quod citra turgentiam, morbi acuti non postulant in principio pharmacum purgans; longi verò multo minus; quia cum fiant ex materia crassa, quæ nunquam potest turgere, propterea inquit Galen. semper expectandam esse coctionem.

Vlteriùs probatur primo epidemiorum, *parte* 2. *comm.* 26. *sudores*, ait Hippoc. *extant multi, & nihil iuuant, imò contra lædebant.* Hæc sunt verba Hippoc. inquit Galen. *in comment. In ea constitutione febrili erant multi sudores, qui maximè lædebant quæ sit causa, multa enim sunt (non tamen læduntur) hi sudores lædebant, & causa præcipua, quia fiebant morbo incocto, & signum erat, vel multitudinis materiæ, vel virium imbecillitas.* Huiusmodi locus maximè est perpendendus, vt eo constet id, quod summopere veteres medici admirantur, videlicet euacuationem symptomaticam esse malam, & vt causam, & vt signum, quod ex prædicto loco manifestè patet; malam quidem esse vt causam, probatur, quoniam inquit non iuuant, imò lædunt; sed si causa morbi fuisset euacuata, iuuarent: ergo vt causa, illa euacuatio symptomatica, esset mala. Præterea vt signum omnes fatentur, & Galen. in *comm.* nam dicti sudores, vel indicant redundantiam humorum, vel virium exolutionem: ergo & vt signum, & vt causa euacuatio quæ fit in principio iuxta Hippoc. & Galen. est mala. Nunc sic; euacuatio quæ fit à natura in principio, morbo incocto, est mala vt signum, & vt causa, quia materia non est cocta? ergo euacuatio, quæ fit à pharmaco purgante, humore incocto, erit multo peior.

Vlteriùs elucescit nostra assertio, ex primo epidemiorum primæ secundæ *sent.* 38. vbi Hippoc. inquit: *Quæ violenta natura erant statim opprimebantur, & nihil proderant.* Perpendendus est commentarius ex prorrheticis, ita inquit Gal. *in comment. euacuationes, quæ coniunctam non habent concoctionem, nihil proficiunt, quoniam si absit coctio, nulla vtilitas sequitur.* Ille est omnis Galen. *comment.* ex quo infertur, euacuationem symptomaticam, & vt signum, & vt causam esse prauam. Probatur: nam Galen. ait, euacuationes, quæ coniunctam, non habent coctionem nihil proficiunt; quoniam si absit coctio, nulla sequitur vtilitas: ergo ex Galen. mala est vt signum, & vt causa: nunc sic, ex *comment.* Gal. euacuationes quæ fiunt à natura non prosunt, si non habent adiunctam coctionem: ergo multo minus proderunt, quæ fiant ab arte absque vlla coctione, cum à pharmaco purganti agitentur humores, & febris augescat.

Extollendus merito est Galen. locus *secundo prorrheticorum*, *comm.* 58. vbi Galen. ita inquit: *Aluus in quouis morbo fluens, sine coctionis signis nihil iuuat; si verò implacidas operata fuerit, præter id quod nihil iuuat, maximam noxam adfert.* Ex quo deducitur euacuationem esse malam vt causam; *si verò implacidas operata fuerit*, &c. quasi dicat, nulla est euacuatio in principio morbi, quæ possit iuuare, quod si fiat cum robore virium, & sine violentia, iuuabit; ex quo loco respondetur multis rationibus, & sustineri poterit ille error naturæ; si verò fiat cum violentia, fractisque viribus noxam patietur, & ideò Gal. explicat hoc, ea dictione; *si verò implacidas fuerit operata*, illum errorem naturæ ferre non valet; hinc constat, vt postea dicemus, multos liberatos esse, quoniam illa euacuatio contingit cum maximo robore virium: ex dictis illario paret: nam si natura implacidas euacuationes, quia in principio morbi, & cum languore, ferre non valet, multo minus euacuationem à pharmaco purganti citra coctionem.

Confirmatur 1. *aphorism. comment.* 24. *Acutè ægrotantes non sunt purgandi, nisi tria concurrant, turgentia, corporis præparatio, & æstimata vtilitas.* Nunc sic arguo; morbi acuti non sunt purgandi, nisi hæc tria contingant; sed rarissimè contingunt, ita vt vix in mille, qui febre putrida laborant, hæc tria reperiantur: nam raro turget: prætereа paratum corpus ad expurgationem, potiùs est in statu 3. quando maior sequitur vtilitas ex euacuatione, quàm noxa ex calore medicamenti: ergo cum hæc tria ita raro contingant, non licebit in principio purgare.

Vlterius *lib. de medicamentis purgantibus*, *c.* 14. fatur Gal. *Quicumque à febre fortius corripiuntur hos non purgabis, donec remiserit febris, sin minus, &c.* Ex prædicto loco sic arguo, non licet purgare nisi febris remiserit; sed non remittitur nisi post coctionem: ergo non licet purgare nisi cocto humore. Maior patet ex Galen. *loco citato.* Minor probatur, *ex lib.* 2. *aphorism. sent.* 3. dum ait Hippoc. *circa principia, & finem omnia imbecilliora, in statu fortiora*: ergo ante coctionem, non remittitur febris, id est ante statum; tum & etiam *lib. ad Trasibulum, cap* 39. *Valentissima sunt tria prima tempora, non enim potest febris remitti, nisi post statum*; sed non potest dari coctio in totum perfecta, nisi post statum: ergo si non licet purgare nisi remiserit febris, & ista non remittitur nisi post coctionem, quæ est perfecta post statum, non licebit purgare, nisi post statum; ac proinde nequaquam in principio morbi, cruda existente materia.

Probatur deinde præsens assertio, Hipp. enim occasionem adducens impediendi pharmacum purgans, sic loquitur 2. *aphor. sentent* 30. *in statu, omnia fortiora*, & propterea quiescere melius est,

hanc explicans Galen. vtitur hac ratione, *in statu; causæ maximè sunt valentes, virium adest imbecillitas ex pugna concitata, atque hinc, in statu quiescendum est*, sed Galen. postquam, hæc docuit, aduersus se ipsum disputat, in statu quiescere oportet, hoc videtur esse falsum, & probatur ait Galen. tempore quo causæ valentes sunt, debent auferri, sed in statu valentes sunt: ergo in statu sunt auferendæ: ergo in statu est purgandum, & non quiescendum. Respondet ipse Galen. purgandum esse sane, si remedium non esset cum noxa, ideo posset adhiberi in statu; sed quoniam non potest fieri citra noxam, ideò in statu quiescendum est, & merito, quia primo remedia, omni tempore, necessario vires vexant. Secundo, quia illo tempore vtilia, & noxia sunt mixta, proinde, non minùs aliena, quam propria euacuarentur; quare non sunt educenda: perpendenda est maximè ratio Galen. quasi dicat, in statu non possumus purgare, quia vires sunt fractæ, & deinde remedia, omnino eas laxant, & tandem, quia aliena, & propria euacuantur, qua posita Galen, mente, sic arguo ad nostram assertionem roborandam.

In statu morbi ex eodem Galen. *lib. de optima secta ad Trasibulum, cap.* 4. ferè tota materia est cocta: ergo illo tempore, ferè tota est separatio facta: ergo in statu morbi, iam fere materia est victa: in augmento rursus exigua facta est separatio: nam obscura est coctio, & ad coctionem sequitur separatio, in principio nulla est coctio; ac proinde nulla separatio: ergo totum est mixtum vtile cum inutili: ergo cum his temporibus, non sit facta perfecta coctio, neque vtile ab inutili sit separatum, nequaquam vllo istorum tempore erit purgandum: præterea, nam nulla sequetur vtilitas, sed plurima damna, præcipuè in principio morbi, ex pharmaco purganti. Primo quia humor crudus pharmaco trahenti non cedit, neque ab eo euacuatur, quia talis humor priùs debet ab aliis separari, quod fit per coctionē, sed hic adhuc est mixtus: ergo nulla sequitur vtilitas, bene verò multa incommoda. Primum etenim, vt quæ sana sunt, medicamentum liquet, sanguinem scilicet, vt attrahat quod est familiare, vt aiebat Galen. 4. *de ratione victus sent.* 22. *Qui inter initia inflammationis, &c.* Est humor mixtus: ergo præcisè pharmacum purgans massam sanguinariam, vt attrahat, humorem permixtum liquabit: ergo maximum incommodum.

Nec minus offeruntur alia plurima incommoda, ex pharmaco minorante, in principio morbi, primo etiam vt dixi, cum purgatio sit euacuatio solius humoris cacochymi, & peccantis, & in tali casu euacuaretur etiam quod est vtile, quoniam adhuc est mixtum cum alio prauo, illa purgatio non est proficua, neque artificialis: rursus ex pharmaco, valde caliditas angescit, quod exponit Hippoc. *lib. de purgantibus, cap.* 14. *Carnes enim calefiunt à medicamento purganti.* Præterea, ex agitatione, & motu, totum incalescit corpus; nam si ferrum, & alia motu calefiunt, quid mirum, quod corpus calefiat, vt docet Hippoc. *lib. de natura humana*, exemplo pituitæ: præterea, quia motu facto à medicamento, coctio in humoribus impeditur: vt prædixi, purgatio coctioni aduersatur, & tandem crisis laudabilis impeditur; ista enim fit, vt Galen. 3. de *crisibus*, in morbis, qui feruntur ad vnicam expulsionem; quare inquit Gal. 11. *method.* multa damna sequuntur ab ipsis, & plusquam à morbo; quis igitur tam temere operabitur in exhibitione pharmaci purgantis in principio morborum, vt hæc tam vehementia incommoda omittat, & committat?

Muniatur vehementius præsens doctrina; nam omnis purgatio ex Galen. vt superiùs diximus, fit medicamento attrahente, & natura expellente: ergo quando natura mouetur ad expulsionem, tribuendum erit pharmacum purgans: sed natura mouetur ad expulsionem, post coctionem: ergo medicamentum purgans tribuendum erit post coctionem. Minor probatur 4. *aphor. comment.* 22. natura enim priùs concoquit, secundo separat, tertio expellit, hic est naturæ ordo: si quid expellitur in principio morbi, est casus exitialis: ergo dum natura rectè operatur, post hæc dicta, mouetur ad expulsionem: nunc sic, quando natura mouetur ad expulsionem recto ordine, est propinandum pharmacum purgans, & non alio modo; sed natura mouetur ad expulsionem ex Gal. præcedente coctione, & separatione: ergo cum istæ non sint in principio, non erit dandum pharmacum purgans: nam si illo tempore, detur naturæ motus, potiùs erit casus exitialis: ergo etiam ex pharmaco, similis casus exitialis inducetur.

Si prædicta morborum tempora inutilia sunt ad pharmacum purgans exhibendum; inquiret aliquis, quod erit tempus aptius ad purgandum in his morbis; respondet Galen. in morbis acutis, finem status, aut declinationis principium, quo tempore perfecta existit coctio; tunc enim materia morbifica iam separata est, & natura curat eam expellere: ex dictis colligitur, quod cum iam perfecta apparet concoctio, & vehementia status remissa, si nulla sequatur à natura euacuatio decretoria, quod cognoscemus, an sit, à die indice indicata; neque in decretorio moueatur natura, & apparentibus, alicuius portionis humoris relicti, signis, remedium expostulantis, nullumque adsit prohibens, illo in casu, exhibendum erit pharmacum purgans; nam si morbus cessauerit absque euacuatione, vel à natura, vel ab arte, non est fidendum, periculum enim subest recidiuæ; nam quæ reliquuntur in morbis, recidiuas facere consueuere, quæ recidiuæ signa, Hipp. adducit 6. *epidemiorum, parte secunda sent.* 29. & 30. si cibi fastidium, sitis cum oris amaritudine, & inappetentia remaneat, quæ omnia, aliquid, morbificæ causæ, reliquisse proclamant.

Sed ne, quid necessarium intactum relinquamur, dicet quis, si natura post perfectam coctionem, aliquam actionem incipiat, quid agendum erit: ex dictis responsio apparet, nihil inquam esse agendum, sed potiùs sinenda est natura; nam si oportet, completè, & integre euacuabit, vt Hippoc. 1. *aphorism.* 20. *quæ indicantur, & indicata sunt integrè*, &c. Si verò integre non indicauerit natura morbum, illo in casu, medicus, quod naturæ operi deficiat, firmatis viribus, satisfacere valebit

valebit pet pharmacum purgans, vt ab arte diminutus naturæ motus compleatur: non ergo oportet, naturæ vim inferre, sed ei agenti subuenire.

Contrariis, diuersorum, rationibus satisfit.

QVamvis selectiora, verioraque testimonia Hippoc. & Galen. ad nostram muniendam assertionem, sint addücta, necessarium tamen est, vt tenebricosæ sententiæ contrariæ deleantur, & euanescant, rationibus superiùs allatis, luce meridiana, clariori responsione satisfacere. Præcipua tamen inter omnes, quæ constat, ex 2. *aphorismor. sentent.* 29. qua omnes nituntur, & valde falluntur: nam licet Galen. *in commentar.* afferat: *Circa initia,&c.* vt minorificata materia, quod reliquum est, natura faciliùs concoquat, ipse in principio morbi imperat, venam secare, & purgare: ergo etiam Medico,(inquiunt aduersarij)licebit in principio purgare.

Huic authoritati Galen. respondeo, verissimum esse, quod in principio morbi, potest Medicus sanguinem mittere, & purgare; hoc tamen intelligendum est, de purgatione materiæ turgentis, vt *in sent.* 24. *lib.* 1. *In acutis morbis rarò, &c.* vbi *in comment.*Gal.docet: *Nonnunquam purgatio,maximè vena sectio.* Quasi dicat, sanguinis missione frequentiùs, nonnunquam purgatione, idest quando turget.

Sed instabis, huiusmodi testimonia non possunt intelligi de turgentia; nam Galen. *in commentar.* docet, quod purgandum est, vt minorificata materia, quod reliquum est, natura meliùs possit superare: ergo hæc verba, non intelliguntur de turgentia. Probatur: nam materia turgens non est minoranda; sed radicitus euellenda, quoniam ex quacumque portione, quæ relinquatur, semper illa tria pericula, superiùs dicta, sequerentur: ergo humor turgens non potest minorari, sed radicitus est euacuandus: ergo quia hoc non intelligitur de materia turgente.

Etsi possim dicere huic instantiæ, fatendo, quod in principio debet minui materia; non tamen constat, quod solum minuatur purgatione, sed potiùs sanguinis missione: Vnde quando ait Galen. *vt minorata materia*; efficit relationem ad sanguinis missionem, potius quam ad purgationem, cùm ex hac, maiora sequantur incommoda, quam ex venæ sectione; quare, potiùs intelligitur de sanguinis missione, quam de purgatione. Sed licet vtraque pars admittatur, nunc sic contra nos, *vt reliquum quod est, concoquat*, materia turgens, non potest concoqui: ergo materia, quæ est minoranda, non erit turgens, cum ista non possit concoqui: ergo responsio non est intelligenda de materia turgente.

Cui facilè respondeo: hoc verissimum esse, videlicet, turgentiam negare coctionem; notandum tamen est, quod in turgenti materia, potest dari duplex portio, aliqua fixa in foco putredinis, quæ non est actu, sed obiectiuè turgens, alia verò, quæ huc, & illuc mouetur, & actu est turgens; vnde, illud, quod fixum est, non potest à natura concoqui, & superari, propter aliam materiam turgentem, quæ impedit coctionem naturæ circa materiam fixam, & quietam; quare euacuata materia turgenti media purgatione, reliqua materia fixa poterit concoqui, leuata natura à materia turgenti, & ideò merito dicit Galen. *nam minorata materia*, non turgens, quia ista radicitus est euacuanda, sed *minorata*; idest, tota materia composita ea turgenti, & fixa, leuata erit natura media purgatione, vt reliquam relictam, & quietam concoquat; ac proinde prædictus locus, non de humore fixo,sed de materia turgenti semper est intelligendus.

Insurges tamen, contra expositionis intentum; si hic *aphorismus prædictus* 29. intelligeretur de turgentia, loqueretur Hippoc. assertiuè, & determinatè, non verò conditionaliter: nam dum agit de materia turgente, semper loquitur assertiuè, vt *sentent. lib.*4. *Medicari in valde acutis,&c.* vbi loquitur determinatè, eadem die, si materia turgeat; hoc verò loco alloquitur cum conditione: ergo si materia turgens est purganda, non intelligitur de materia turgenti, quando ait, *si quid tibi videtur mouendum moue.* Cui respondeo, quod non loquitur eum conditione; sed quia concludit ex præteritis, aphorismis, statuit nouum præceptum, *si quid tibi videtur mouendum moue*: *nam in statu meliùs est quiescere*: vel si mauis, non indifferenter, sed determinatè alloquitur; nam quamvis dicat, *si videtur tibi*, cum alloquatur de duplici indicato, videlicet, venæ sectione, & purgatione, inquit, si videtur tibi dari indicans ad sanguinis missionem, sanguinem mitte; si verò indicans ad purgationem, vt est turgentia, pharmacum purgans in principio exhibeto.

Quare, hoc ad pensum indicantis, non verò conditionaliter alloquitur Hippoc. neque alia ratio superiùs allata, aliquam vim infert, vbi asserit, quod non solum in principio, sed in omni tempore, quo turget materia est euacuanda: ergo cum in præsenti Hippoc. solum alloquatur de principio, erit quia materia turgens non est intelligenda. Cui respondeo ea eisdem verbis: quia non solum in aliis temporibus, potest materia turgere, sed etiam in principio; ideò dixit Hippoc. *in principio*, idest incipiente morbo, si materia turgeat, erit purganda,& quare potiùs dixit in principio, est quia nondum natura incepit coctionem; in aliis verò temporibus maior quies reperitur; ac proinde facilius in principio morbi turgebit; ideóque potiùs apposuit Hippoc. *in principio.*

Præterea, ex eodem loco fuit ratio adducta, si intelligeretur mena Hippoc. de turgentia, Gal. non diceret *in commentario*, euacuare; sed potiùs determinatè, purgare. Probatur: nam sola purgatio debetur cacochymiæ, euacuatio verò multitudini: ergo si ait Galen. euacuare, & non purgare, non intelligitur de turgentia, cum ista determinatè postulet purgationem. Respondeo tamen, hoc nomen euacuationis, esse generale ad purgationem, & venæ sectionem,quia venæ sectio, & purgatio sunt species euacuationis; qui

qui enim purgat, euacuat, non verò, qui euacuat semper purgat; vnde cum euacuatio extendatur ad venæ sectionem, & purgationem, cum ista specie differant, ideò Medicus debet perpendere, an sit necessarium venam secare, vel purgare; quare, si detur multitudo sanguinis, inquit Galen. euacuare, sed per sanguinis missionem; si verò turgens materia adsit, ait etiam euacuare, sed per purgationem; vnde determinatio huius euacuationis, ad venæ sectionem, vel purgationem, sumenda est ratione indicantis; videlicet multitudinis, vel turgentiæ, quapropter, cum purgatio non excludat rationem euacuationis, merito quamvis non dixit Galen. purgare, potest intelligi, dum adest materia turgens.

Alia deinde ratio superiùs dicta, ex eo, quod eadem pericula dantur, ex materia multa cacochyma, ac ex materia turgenti: ergo si ista est purganda, etiam materia cacochyma, quia multa. Cui respondeo negando maiorem videlicet, quod eadem adsint pericula in humore multo, quemadmodum in turgenti; nam multus humor est firmus, & quietus; turgens verò, ratione motus, potest inducere pericula, siue incommoda superiùs dicta; ac proinde diuersa est ratio: nam si periculum est ratione turgentiæ, ne in partem principem decumbat, hoc dependet à motu errabundo, qui deficit in humore quieto, etsi multo.

Præterea, vires dissoluuntur à turgenti humore ratione motus: nam cum per diuersas partes moueatur, partes alterationem patiuntur, & calor natiuus resoluitur; deinde, caliditas febrilis increscit, ratione motus turgentiæ, vt Gal. adducit exemplum pituitæ: ergo cum hæc omnia incommoda nascantur ab humoris turgentis motu, & iste non reperiatur in humore quieto, & fixo, quamvis multo, nequaquam imminent eadem pericula, ex vno, quam ex alio: si manis, rigorosè loquendo, turgens materia non purgatur propter metum, ratione incommodorum, quæ sunt dicta; nullus enim purgat, nec sanguinem mittit, præcisè propter metum, sed sumpta indicatione ex rei natura: quare materia turgens statim purganda est, ex eo, quod parata sit ex sua natura ad expulsionem, vnde cum vel solo naturæ ductu, vel leui adminiculo, statim purgetur proinde ab hac natura sumitur medicatio; humor verò multus, & quietus, non est ita paratus ad expulsionem; ac proinde, neque ita viget, neque æqualis est indicatio.

Sed instabis; supponamus Socratem, cum tanta humoris copia, vt ad statum morbi, cum illa non possit peruenire, illo in casu, minoranda est materia, vt minor facta materia, possit ad statum peruenire; atqui si æger non purgetur in principio, siue minoretur, necessariò succumbet natura, quia non potest cum tanta farcina ad statum peruenire: ergo ne mors sequatur, necessariò erit minoranda media purgatione: melius enim est, vt Cornelius Celsus *lib. 2. cap. 2.* aliquid cum periculo tentare, quam ægrum relinquere mori; sed si non purgamus morietur necessariò, minorata materia; poterit liberari: ergo in hoc casu, debemus necessariò vti pharmaco minoratiuo.

Hæc tamen ratio nihil concludit, & admissa suppositione, in qua respondeo, libenter esse materiam minorandam, non tamen per purgationem; sed per sanguinis missionem: minoratur etiam multoties, septies, & pluribus vicibus si scopi adsint præsentes, nam eadem ratio, propter quam prima die mittimus sanguinem, militat, vt prosequamur, vsque quo materia minorata sit, vt natura reliquam valeat concoquere, vt exponit Galen. 11. *method. cap. 15. saluberrimum remedium est, non solum in febribus continuis, verum etiam in omnibus, quas putrescens concitat humor, sanguinem mittere*; exonerata enim natura; idest minorata materia, faciliùs quod reliquum est concoquit; quare, cum dictus humor minorandus sit, quia multus, melius hoc fiet venæ sectione, quam purgatione, propter dicta incommoda: ac per consequens sanguinis missio securissimum minorans erit materiæ, non vitæ ægrotantis.

Notandum tamen est, quod Socrates, vel vires robustas, vel languidas obtinet, vt tantam farcinam vincere non valeat; si vires sunt robustæ, facta priùs reuulsione per sanguinis missionem, oportet coctionem expectare, quamvis sint acerrima symptomata, qui natura valida omnia potest sustinere; nam vnica spes salutis, est virium robur: vel sunt vires languidæ per aggrauationem, vel per essentiam; si respondeas per essentiam, nec purgandum erit, nec sanguis mittendus, cum virium robur deficiat ad remedium magnum exequendum; si verò dicas esse languidas per aggrauationem, multo meliùs venæ sectio erit exercenda, non verò purgatio, cum ex illa nullum adsit prohibens, ex ista verò, plurima incommoda, vt supra dixi.

Quamvis in alia ratione, assumatur fundamentum ex materia morbifica, quæ cum non sit similis, sed heterogenea; ita vt vna crassior, alia tenuior; hinc est quod vna citiùs concoquetur, remanente alia cruda: ergo licebit coctam minorare, & crudam relinquere; ita vt à prima die vsque ad decimam quartam, possit ter pharmacum minorans exhiberi, vt contingit in phlegmone; euacuatur enim hodie, quod coctum est, die sequenti, quod denuo coquitur; & sic de reliquis diebus: ergo non aliter, eandem methodum seruando, debemus, causam morbificam pharmaco minorare.

Cui rationi, respondeo ex Galen. 11. *method. cap. 9.* materia cocta est, & cruda; quæ cocta, expurganda est; quæ incocta relinquenda. Respondet ipse Galen. *Si nostrum corpus esset inane vt vestis, & ligna, liceret nobis id præstare; quemadmodum in ligno, quod carie est infectum possumus educere cariem, & relinquere, quod sanum est, sic de veste; sed non reguntur hæc corpora naturalibus facultatibus: at in nostro corpore, non possumus id præstare, quoniam regitur facultatibus naturalibus. quamvis videatur coctum, magis retinetur à natura, non enim est inane, neque habemus naturam adminiculantem, quemadmodum ex veste, & ligno licet reiicere prauum, reliquum retinere.*

Præterea, est etiam maximum absurdum dicere, coctam educere, crudam relinquere, quasi medicamenta

medicamenta purgantia, vt dixi, agant cum ratione, & imperent medici, vt medicamenta educant coctam, & ne tangant crudam; deinde: nam si cocta materia educeretur, alia etiam moueretur, ac proinde non coqueretur, eum purgatio opponatur coctioni; vnde etiam colligitur, quod medicamentum purgans habeat similitudinem, magis cum materia cocta, quam cruda, cum ista sit eiusdem speciei: ergo vtramque materiam coctam, & crudam attrahet pharmacum purgans: nec valet paritas de phlegmone: ibi enim, nec fit electio, neque attractio à medicamento, sed cum natura partialiter concoquat materiam in phlegmone contentam, partialiter etiam expellit: quare etsi aliquando per epicrasim in morbis soleamus purgare, hoc potiùs de morbis chronicis, quam de acutis, est intelligendum, de illis tamen non procedit quæstio.

Auctoritas etiam Hippoc. 2. *de ratione victus sentent.* 11. alloquentis de pleuritide in qua, si dolor ad hypochondria vergat, veratro purgandom est, dissoluitur ex *comm.* Galen. super *hanc sentent.* explicantis dictionem hanc, videlicet, quod in omni pleuritide vena secanda est, siue dolor vergat ad clauiculam, siue ad hypochondria, quia tamen hic dolor, qui est in hypochondriis, habet diuersum aliquid ab altera, propterea depingit Hippoc. id quasi diceat, tales pleuritides habent quid commune, & quid proprium; quod commune est, communem habet indicationem, quod proprium, propriam: commune est, quod sint inflammationes; sicque habebunt communem indicationem, vt reuellamus materiam fluentem, cum communis sit fluxio in vtraque inflammatione: habent verò aliquid proprium, ex quo humor ad hypochondria, & intestina feratur; vt si murmur habuerint intestina, postquam ergo communes exercuimus indicationes (idest sanguinis missionem ratione reuulsionis, hoc proprium, quod postulat pleuritis, exercebimus, nimirum purgationem, quando suo tempore sint signa coctionis, quæ legitima est Galen. expositio: illo enim casu, dùm dolor vergit ad hypochondria, cum sit per loca conferentia, & materia iam deuicta, pharmacum purgans maximè iuuabit, non tamen in morbi principio.

Alia similiter ratio adducta, ex eo, quod nostra ætate ingluuiosa sunt corpora, propter prauam victus rationem, & modum intempestiuum, quæ nisi statim purgentur, in maxima incident pericula, vt irruente materia morbifica in aliquam principem partem, sequatur mors, deciditur, si respondeam, quod humores, qui ex materia deprauata gignuntur, vel sunt in prima regione, vel in secunda; si in prima, statim euacuandi, de quo nulla est dubitatio; si in secunda, vel sunt turgentes; vel non; si turgent, purgationem expostulant ex natura rei, si verò non, sed firmati sint, concoquendi erunt, cum nullum sit periculum, ex eo quod firmati, & quieti; quare, licet verum sit, quod nostro tempore, sit maxima crapula, non ideò indiscriminatim est purgandum.

Licet in pestilenti statu, in quibus superfluitates redundabant, Galen. & veteres purgassent, vt *primo de differentiis febrium, cap.* 4. nulla præcedente coctione, hoc nequaquam nostram assertionem impugnat: nam Galen. *dicto loco*, non agebat de curatione actuali febris pestilentis, sed solum de præcautione, ne illa corpora in pestilentem febrem incidissent; multa enim licet in præcautione, quæ in curatione actuali repugnant; in morbo enim iminenti pluries purgamus, non autem semper, eo prævalente.

Nec valet si dicas, ex 5. *method. cap.* 12. vbi Galen. inquit, ex pestilentia illos fuisse liberatos, quibus totum corpus fuit purgatum, aut præsiccatum; nam iste locus, etiam est intelligendus de prouidentia, & præparatione corporum, ne pestilentia corriperentur, vt ipse Gal. 1. *de differentiis febrium cap* 4. inquit: *Vidimus pestem similem illi, quæ vigebat in Cranone, quam depingebat* Hippoc. 2. *epidemiorum: Quod cum nos peruidissemus, statim corpora præsiccabamus & in quibus fluitates reperiebantur, purgabamus:* Ergo manifestè ex Galen. constat, potiùs de præcautione, hoc esse intelligendum, de qua non est controuersia.

Faci è liquet ratio adducta ex Gal. 1. *de compositione secundum locos, &* 3. *method.* in ophthalmia, & alopecia, vbi vidit sanatos, purgando prima die: hæc omnia vera sunt, non tamen difficultatis punctum tangunt: nam cum hæc sint affectiones citra febres, non ad institutum pertinent: aliud enim est vera dicere, & aliud mentem aphorismi explanare: nam etiam Hipp. *libro de vulneribus capitis*, & Gal. 5. *methodi* affirmant, statim esse purgandum, sed quid implicat, cum febris non adsit, & hoc fiat ratione reuulsionis materiæ cacochymæ.

Locus similiter adductus Galen. 4. *de sanitate tuenda*, vbi iubet, quod si æger abhorreat à venæ sectione, possumus purgare: ergo si hoc accidat in principio, erit purgandum in principio; verissimus est, non tamen eonsonus controuersiæ: nam Gal. agit *de sanitate tuenda*, non de curatione morbi acuti, & ideò præbet præcepta sanitatis tuendæ, quæ non semper possunt accommodari ad præcepta methodi medendi: nam ad sanitatem tuendam, cum nullus adsit morbus acutus, nullum inconueniens ex pharmaco purganti dabitur; vel si malueris, posse intelligi de profligatione morbi. Respondeo, vt supra, quod ly, purgare, non intelligitur de pharmaco electiuè purgarti; sed potiùs de clysteribus aluum ducentibus, cum dictum fuisset à Galen. aliis verbis; si quis propter timiditatem, vel virium languorem, sanguinis missionem ferre non valeat, aluus moueatur, idest suscitetur aluus, medijs clysteribus acrioribus; non autem pharmacis electiuè purgantibus.

Neque Vallesij ratio superiùs allata, vim vllam contra nos ostendit: nam etsi asserat, quod purgatio est remedium reuulsorium, & quod in principio febris debemus reuellere, ac proinde purgare. Respondeo tamen maiorem concedendo, & consequentiam negando; quia si solum purgatio esset remedium reuulsorium, legitimè sequeretur: ergo vt reuellamus, in principio debemus purgare; at verò cum sanguinis missio, sit etiam remedium reuulsorium,

ac securius; purgatio verò prædicta incommoda inducens: proinde potiùs est deliberandum de sanguinis missione in principio, vt citra noxam reuellat, quam de purgatione periculosissima.

Neque paritas, ratione materiæ extractæ, ex venæ sectione, & purgatione, currit æqualiter, videlicet, quod sicut venæ sectione in principio euacuatur vtile cum inutili, etiam media purgatione; sed hoc non obstante, mittimus sanguinem in principio, euacuando vtile cum inutili: ergo etiam debemus purgare. Facilè hoc soluitur; nam incommodum ex purgatione, præcisè non sumitur, quia euacuatur vtile, cum inutili, hoc enim fateor reperiri in venæ sectione, sed quia vehementiora offeruntur incommoda; diuersi enim motus, & effectus contrarij exurgunt ex vno auxilio, quam ex alio; nam sanguinis missio in principio, tollit fluxiones; ac proinde detruncat accessiones; purgatio verò mouet fluxiones, & paroxysmos exacerbat: sanguinis missio non commouet vtile, cum inutili, corpus refrigerat, & attemperat, saltim ex accidenti; purgatio verò commouet, & agitat causam morbificam, ac naturam intensè calefacit; venæ sectio roborat vires grauatas; ac proinde calorem natiuum; purgatio verò ipsum resoluendo, eas valde debilitat: ergo cum hæc ita diuersa sint incommoda, ex purgatione in principio, vtilitates verò maximæ, quæ ex sanguinis missione oriuntur, merito ista est amplectenda; purgatio verò valde tenuenda.

Instabis vlteriùs: propositæ euacuationes symptomaticæ aliquando sunt vtiles, etiamsi in morbi principio contingant: ergo etiam Medicus naturæ imitator poterit in principio, cruda existente materia, minorare: quod autem sint vtiles, patet ex 1. *epidemiorum*, *part.3. sent.* 29. in Hierofonte, *sentent.* etiam 2. in Sileno, & Methone, vt etiam 1. *epidemior. sentent.* 24. Cui respondeo concedendo libenter, illos fuisse liberatos, non tamen euacuatione symptomatica, quod debebant aduersarij probare; nam hi obtinuerunt postea euacuationes criticas, illis enim euacuationibus, prædicti ægrotantes iuuamen obtinuerunt, alij à natura, alij verò ab arte, cuius gratia liberati fuere.

Vel si tibi placeat, possum respondere, quod quamuis supra dixi, euacuationes symptomaticas esse malas, vt signum, & vt causam, quia nunquam iuuant, imò aliquando lædunt; hoc tamen intelligendum est, dum contingunt cum maxima virium imbecillitate, & implacidæ fiunt, hoc est dum tota euacuatio potiùs est à morbo, citra motum naturæ robustæ expellentis, sed potiùs propter debilitatem retentricis, vt in sudore diaphoretico, & in euacuationibus per secessum, media partiũ liquatione à febre ardente; illo enim in casu, vt signum, & vt causa, talis euacuatio symptomatica semper est mala, quia nunquam iuuans, semper verò lædens.

Si tamen natura fuerit valida, siue robusta, vt possit sustinere errorem, quem committit in euacuatione, quia valde irritata, illo in casu, vt signum, quia denotat multitudinem, & grauitatem, erit mala; vt causa verò ex accidenti, quia naturam leuat, ab aliqua portione morbificæ causæ, valebit esse, aliquo modo bona, vt natura robusta relictam materiam possit concoquere.

Dices tamen: ergo si huiusmodi euacuatio, vt causa saltim est bona, & fit in principio morbi à natura robusta, poterit etiam Medicus, quandò naturam inueniat validam, exhibere pharmacum minorans, vt relictam materiam meliùs concoquat. Cui respondeo negando consequentiam; nam valde diuersa est ratio in motu naturæ irritatæ in principio morbi, ac in motu pharmaci, dum natura neque est irritata, neque mouet; cuius est ratio; nam quando natura non mouet in principio morbi, respicit materiam, vt obiectum retentricis, sicque vt tale retinet; ac proinde non est irritanda à pharmaco, vt moueatur ad expulsionem; at verò, quando natura spuntè irritata mouet in principio, licet symptomaticè, prædictam materiam, vt obiectum facultatis expultricis inspicit, sicque non retinet, sed imò expellit.

Cum maxima tamen consideratione hoc est intelligendum, videlicet, quod natura, ab humore quanto, & quali vellicata, quantitatem humoris excernendam, & retinendam metitur; medicus verò medio pharmaco non valet metiri gradum irritamenti, vt natura determinatè hanc portionem, & non magis euacuet, vt reliquam retineat ad coctionem; sed indifferenter, & intempestiuè, fieret in illo casu, minoratiua purgatio; ac proinde nequaquam est exercenda.

Sed vrgebis vlterius, euacuationes symptomaticæ aliquando sunt iuuandæ: ergo multo meliùs poterit medicus pharmaco minoratiuo, cruda existente materia, vti. Probatur antecedens; nam potest dari casus in quo, aliqua materia turgens in principio morbi, fiat postea vergens ad intestina, vt detur euacuatio partialis illius materiæ; sed in illo casu, talis materia vergens, si vlterius non progrediatur, est iuuanda: ergo euacuationes symptomaticæ in principio morbi, sunt iuuandæ: ergo ita pariter medicus, in principio morbi, valebit exhibere pharmacum purgans.

Hæc argutiès dissoluitur, concedendo libenter primum antecedens in exemplo adducto: nego tamen consequentiam, cuius est ratio; nam illa materia turgens, quæ fit vergens per loca conferentia, necessario absque tali vergentia, iam indicabat purgationem, quia ista est incoctilis, & talis purgatio non debebat fieri minoratiuè, sed radicatiuè. Præterea, quia vt dixi, talis turgentia iam est obiectum facultatis expultricis, non verò retentricis; tum & etiam, quia iam vergit per loca conferentia, cum igitur hæc omnia deficiant, in materia quieta, quæ potiùs à natura retinetur, vt concoquatur, ideò diuersa currit ratio.

Neque valet si Vallesius conuictus 4. *acutorum sent.* 44. videns, nullo modo esse purgandum existente cruditate; asserat, quod hoc de curatione regulari intelligitur; cum verò alia detur non regularis curatio, veluti coacta, ideò ratione huius, pharmaco minorante vti licebit: fallitur profectò Doctissimus Vallesius; nam omnis curatio debet esse regularis, & methodica, ac per indicationes veras regulata;

sicque

ficque doctissimus Gaspar Brauo falso nititur fundamento, banc subsequens opinionem: nam licet medicus cogatur ad brachium gangrena correptum abscindendum, executio methodica, & regularis, cum vera indicatione est, quidquid enim præter naturam est, sui euacuationem expostulat, & præcipuè cum curatio dogmatica debeat fieri cito, tuto, & sine dolore, hoc est, maiorem dolorem, nimiumm mortem, euitando.

Locus similiter Hippoc. 4. *de ratione victus sentent. 43. si vrina nebulosa, & crassa sit, purgare licebit*; sed tunc non est coctio manifesta: ergo licebit purgare absque coctione manifesta. Deciditur ex Galen. *in illius commentar.* quod Hppoc. per crassam vrinam, intelligit mediocrem: in hac significatione, sumit etiam Hippoc. crassam vrinam 4. *aphorismor. sentent.* 67. *Quibus in vrina crassa, &c.* Galen. etiam *in hoc comment.* sumit crassum pro mediocri. Præterea de nebula, respondeo cum Galen. 1. *de crisibus, cap.* 22. quod in morbis acutis, de quibus agit Hippoc. *in dicto loco*, sola nebula est signum sufficiens coctionis: nam solum in morbis ex materia crassa pendentibus, debet Medicus hypostasim albam spectare, sicque in acutis, aliquando mutatio sola in colore, sufficiens est signum coctionis, ex Gal. *eodem loco*; ac proinde in huiusmodi morbis acutis, merito dixit Hipp. purgandum esse, cum vrina nebulosa, siquidem iam sunt signa coctionis.

Athletica, & obtusa mens viget in his, qui rationem athleticam adducunt pro exemplo, vt nostra assertio euanescat; nam licet afferant, quod habitus athletarum ex Hippoc. *sentent.* 3. 1. *aphorismor.* statim est soluendus: ergo multo meliùs quando ægrotauerit prædictus habitus: hæc omnia verissima sunt; sed quid ad hanc, cum potiùs soluatur habitus athleticus, media sanguinis missione, quam purgatione, siquidem indicans, vt est sanguinis multitudo, proclamat venæ sectionem, non purgationem. Deinde, illa ratio de neutra constitutione corporis, in qua vtimur purgatione: ergo meliùs in morbis curandis, iam manet extincta ex supra dictis: multa enim, quæ nobis facere licet in sanitate tuenda, non licet facere in morbis, cum priùs debeamus coctionem spectare.

Etsi satis grauis sensus, quem Gaspar Brauo adducit, sit cum loquatur de vrgentia affectus curandi, non tamen vrget: nam etsi concedamus libenter, quod dum vnica est salutis via, quamvis periculosa, sit tentanda: negamus tamen tempore vrgentiæ, solum purgationem minoratiuam esse vnicam viam salutis; nam quamvis salus non valeat sine materiæ euacuatione comparari, non tamen ideò talis euacuatio, minoratiua purgatione, est efficienda, sed potiùs sanguinis missione. Nec valet si dicat, quod quia vires sunt languidæ, minoranda est materia pharmaco purganti, non verò sanguinis missione; nam ipse fatetur maius virium robur ad purgationem, quam ad sanguinis missionem requiri: (vt supra manet probatum) ergo si vires sufficiunt ad pharmaco purganti vtendum; multò meliùs ad venæ sectionem, etsi ad istam sunt languidæ, multo magis ad purgationem.

Neque vrget abscissio alicuius membri, etsi periculosa, pro tutius conseruatione: nam cum nullum aliud excogitari valeat subsidium, pro salute magnifacienda, quam membrum detruncare, hoc non solum, quia vrgens, & coactum, sed quia regulare, & indicatum, est exequendum: at verò in nostro casu difficultatis propositæ, cum sanguinis missio tutiùs auxilium, quam minoratiua purgatio sit; proinde magni pendenda est, minoratiua purgatione neglecta. Neque tamen dicendum est, quod recedere ab arte, est ars: nam si Medicus valet illius præcepta amplecti, insania erit ab arte secedere, cumque in præsenti, artificiosum valde sit, affectus vrgentiæ succurrere, media sanguinis missione, merito minoratiua purgatio, quia valde periculosa, vt ipse fatetur tenuenda erit.

Quare concludendum est, ad lucidiorem doctrinam insequendam, ad diuinam legem, pro mortalium vita custodienda, ante oculos semper obseruandum, quod extra turgentiam, & serosos humores, in febribus putridis, nullus datur casus purgandi, nec radicatinè, nec minoratinè, nisi priùs apparuerint signa perfectæ coctionis in lotio, quod in fine status, aut declinationis principio, solet contingere.



CAPVT X.

De occasione purgandi, sine præparatione.



POSTQVAM in superioribus capitibus, satis de humoribus præparandis ad purgationem egerit, iam in præsenti capite explicat occasionem, & affectum in quo sine humoris præparatione purgandum sit; triaque adducit præcepta, quorum primum est, quod in morbis acutis, materia turgente, in principio, prima, aut secunda die, Medicus debet pharmacum purgans exhibere, & addit Galen. *nisi qui occasionem arripiat, aquam mulsam, cum decoctione origani, aut pulegij exhibendi*: quomodo autem humores turgeant, & quæ requirantur ad turgentiæ conditiones, inferius dicam.

Secundum Galeni præceptum est, quod quando humores sunt firmati, & quieti in aliqua parte, oportet spectare coctionem; tunc enim naturam adminiculantem habemus, quia post coctionem facit iudicationem. Tertium tandem præceptum est, quod existente morbo acuto, si febris vehemens sit, non debemus purgare, præsertim si ægti naturam Medicus non fuerit expertus, quidam enim sunt faciles ad euacuationem per ventrem inferiorem, alij verò è contra, de quibus satis, superiùs fuit actum.

DVBITATIO I.

Qui humores sint apti ad turgendum.



V M Gal. in capite antecedenti dixerit, quod Medicus debet in acutis morbis, materia torgente, prima, aut seconda die, pharmacum purgans exhibere; merito in præsenti ratio dubitandi nascitur, qoid videlicet sit turgentia, & qui humores sint apti ad eam: ad cuius expositionem, priùs sopponendum venit, quod turgentia nihil aliud est, quam vehemens conatus appetitus naturalis, sensitini, aut rationalis, tendentium in fugam, aut prosecutionem alicuius obiecti: qui vehemens conatus, ostenditur ex Hippoc. 3. *de fracturis, cap.* 18. vbi adducit, vehementem cooatnm, qoo natura in fracturis appetit, paitem ossis confractam abscedere, dicitque: *quod vlcus videtur turgere, idest, vehementer conari ossis confracti expulsionem*; quam turgentiam naturalis appetitus, etiam addocit Theophrastus *lib.* 1. *de causis plantarum, c.* 6. & 14. vbi inquit, plantas turgere, dom vehementer appetont folia, & fructus exprimere: similiter turgentiam appetitus sensitiui exponit Aristoteles 6. *de historia animalium, cap.* 16. vbi alloquens de fœminis quadmpedibus, veluti de equa, & boue, vbi inquit, qood turgent ad coitum: vltimo appetitus rationalis turgentiam constituens, ostenditur à Plutarcho, qui vehementem appetitum in hominibus, ita vt modum excedat, turgenriam appellat; vnde ratio turgentiæ collocanda est in vehementi conatu appetitus naturalis, sensitini, aut rationalis, tendentium In fugam, aut prnsetutionem alicuius obiecti, quæ loca refert sapientissimus Gaspat Brauo.

Ex quibus infertur, quod etsi humores turgeant, noo tamen gaudent hac formalitate, sed solum obiectiuè, vel causalitet, videlicet, quatenus propter prauam dispositionem, quam obtinent, vellicant naturam, vt partes turgeant ad eorum expulsionem, ac proinde partes formaliter turgent, propter dictum conatum, & appetentiam; humores verò, solum obiectiuè, & causalitet, ratione acredinis, qoa correpti sunt: quare solum per analogiam, qoam cum partibus vere torgentibus habent, dicuotur turgere.

Ex quibns, etiam requisita turgentiæ offeruntur annotanda: non enim adhoc obiectiuè, possunt humores turgere, ex eo quod quantitate, aut quacumque qualitate molestante corripiantur, etiamsi in aliquam partem particularem moueantor, sed præcisè dum vehementi motu agitantur, & ab vno loco ad alium indeterminatè confluunt, ita vt ægrum in quiete noo permittant, vt ex eodem Galen. *in præsenti libro, quos purgare oportet*; constat, inquit enim Galen. *Concitari verò, & turgere humores dicuntur, cum motu vehementi agitantur, & ab vno loco ad alium confluentes, inter principia morbi hominem vexant, doloresque ac titillationes afferendo, eum quiescere non sinunt.*

Vnde, vt humotes turgeant, saltim analogicè, necessariò requititut, quod nimia caliditate, & siccitate exuperent: tum & etiam, quod substantia tenuissima vigeant, tum similiter, quod indifferenter, à parte in partem commoueantor, & tandem, quod in nulla parte sint fixi, & stabiles: qoæ doctrina nulla ferè indiget probatione; nam tunc humores turgent, ex Galen. 8. *de compositione secundum locos*, quando per corpus, ab vno in alium locum mouentur, atqui, vt moueantur, indigent calore mordaci, & irritante, vt vellicent partes, & tenuitate, vt moueri valeant: ergo huiusmodi requisita valde necessaria, & facilia cognitu erunt.

Quibus sic iactis, sit conclusio, videlicet, quod humor pituitosos, & melancholicus, nequaquam gaudent dispositionibus, turgeant, & probator manifestè, humor pituitosus, & melancholicus, carent acrimonia, & igneo calore, vt partes corporis vehementer valeant irritare; deinde destituuntur substantiæ tenuitate, vt facilè, & vehementi motu in partes corporis ferantur; sed ad rationem obiectiuam, & causalem, turgentiæ, requiritur acredo, & tenuitas humoris, vt talis motus errabondus contingat: ergo cum hæc deficiant in pituita, & melancholia, nequaquam erunt idonei ad turgentiam. Instabis tamen; non implicat, qood pituita vi putredinis in dispositionem incidat, veluti etiam melancholia, præ immodica putredine, exitialis fiat; sed turgentia est dispositio humorum cacochyma, qua humores possint præter naturam partes irritare ad expulsioocm: ergo pituita, & melancholia valebunt adquirete dispositionem aptam ad turgentiam.

Cui respondeo, qood ex dispositione lethali humoris, vel salubri, non sumitor ratio turgentiæ; non enim implicat, vt caosa materialis sit exitialis, quia maligna, non tamen tenois, & acris, sed imò crassa, terrestris, & cum miti calores: ac proinde, qoamvis pituita, & melancholia, fictent homores exitiales, non ideò turgentes.

Sit 2. conclusio; sangnis ex natura rei, non valet esse turgens obiectivè, vt dixi, vt doctissimus Oratius Augenins, fecundo epistolarom, epistola septima. Gaspar Brauo, disputione secunda, sectione secunda, resolutione qointa tenent quæ est contra Antonium Musa Brasabolam 4. *aphorismor. commentar.* 14. & probatur; Hippocrat. enim in dicta *sentent.* 10. purgat materiam torgentem eadem die, tum & etiam 22. *sentent.* 1. *aphorismor.* nunc sic, materia turgens statim est purganda; sed sanguis non est purgandus, sed venæ sectione mittendus: ergo quia sanguis non potest esse torgens. Præterea roboratur: nam turgentia prouenit ratione caliditatis igneæ, & tenuitatis

immodicæ,

immodicæ, vt obiectum sit mordax; sed sanguis neque intensè est calidus, imò est coninnctus cum humiditate, neque immodicè tenuis: ergo non potest esse acris, & mordax: ergoneque turgens.

Obiicies tamen; sanguis potest deferri in corpore, motu concitato: ergo valebit esse turgens. Antecedens probatur, ex Aetio *lib. 6. capit.* 4. vbi exemplo pueri correpti catocho ostenditur, qui fuit sanguine ex naribus fluente liberatus: ergo sanguis illo in casu, motu concitato irruebat: ergo erat turgens. Respondeo, quod non omnis motus humoris, ex vna in aliam partem, constituit turgentiam; aliter enim omnis tumor, cum fiat medio motu de parte in partem, fieret ratione turgentiæ, & statim purgatio esset indicata: quare cum reliquæ dictæ conditiones deficiant in sanguine, & præcipuè motus errabundus, merito incapax erit turgentiæ.


Tertia conclusio, tam bilis flaua, quam atra, obiectiuam turgentiam valet constituere, quod probatur manifestè; nam bilis atra fit ex flaua bile per maiorem caliditatem, & putredinem; sed bilis flaua potest esse turgens: ergo etiam atra. Minor probatur; bilis flaua ex natura rei, est valde calida, acris, & mordax: deinde habet sufficientem fluxibilitatem, vt motu errabundo moueatur: ergo bilis flaua turgentiam constituere est apta: ergo cum multo atra bilis reddatur acrior ex flaua, poterit rationem obiectiuam turgentiæ constituere.

CAPVT VIII.

Quid sit agendum post medicamentum assumptum.



VAS in præsenti capite adducit Galen. propositiones, siue præcepta: primum etenim, quod statim post pharmacum purgans assumptum, ptisanam oportet exhibere, vt si aliqua portio medicamenti remansit in esophago, virtute detergente, ad ventriculum descendat: secundum verò est quod medicamentum purgans, plurimis de causis potest sua operatione priuari, ita vt purgatio inanis, & frustranea sit; videlicet, vel propter particularem ægrotantis naturam, vt sunt illi, qui ex natura rei renuentem constitutionem habent; deinde propter exiguam medicamenti quantitatem, siue dosim; Tertio, propter excrementa fœcalia detenta, & indurata: Quarto, quando humor per aliam regionem, vt per sudorem, vel vrinam à natura mouetur: Quinto, quando medicamentum suo destitutum fine, in alimentum, vel in humorem peccantem commutatur: quæ omnia, maxima cum perpensione, docet Galen. vt Medicus prædicta incommoda possit corrigere, & obuiare.



DVBITATIO I.

An his corporibus, quæ purgantur, ius sine sale sit concedendum.



X prima propositione à Galen. adducta in antecedenti *cap.* asserente, post pharmacum purgans ebibitum, exhibitionem ptisanæ vtilem esse, viguit consuetudo inter antiquos, purgatione incipiente, vel aliquibus elapsis horis post assumptionem, ius exhibendi sine sale, vt irritato ventriculo, nauseaque in eo introducta, celeriùs purgatio contingat, quæ tandem consuetudo, rigorosè loquendo, non semper est sustinenda, eo, quod potiùs aliquando noxam, quam vtilitatem conferat; cuius est ratio: nam vt Hippocrat. inquit 1. *acutorum textu* 15. Si alimenta exhibeantur, incipiente purgatione, faciunt eam cessare, ex eo quod natura coctioni alimenti, vtpote familiaris, intenta, à proprio expulsionis munere, siue opere diuertitur; ac proinde incipiente purgatione, nequaquam conuenit talis iuris exhibitio: militat etiam similis ratio, si propinetur antequam natura suum opus incipiat; nam cum eo tempore, prius agat in pharmacum ipsum, media comminutione, de potentia in actum reducendo, hinc est, quod si exhibeatur ius alimentitium, potiùs natur ipsum retinendo ad coctionem amplectetura, sicque reductio pharmaci, frustranea remanebit; ac proinde purgatio inanis.

Aliquando tamen, peculiariter inspiciens Medicus languorem facultatis expultricis, vt ista validior reddatur, poterit, postquam iam expurgationem inceperit, prædictum ius sine sale exhibere, vt vegetiori virtute reddita, expurgationem inceptam valeat natura complere; & non solum ius, verum, & etiam aliqua alimenti portio erit propinanda, vt partim præ grauitate, valeat naturam irritare, subsequuta partium compressione, possit meliùs subsequi purgatio, quod præcipuè obseruandam est, in pharmacis clementibus, in nostram naturam facilè conuertantur: ex ptisana verò, nulla sequitur dubitatio, cum hæc potiùs ad medicamenti detersionem, & facultati expultrici iuuando conducat.



CAPVT XII.


Medicamentis purgantibus, aliquid semper est admiscendum.



VO proponit Gal. valde necessaria, *in præsenti capite*, primum etenim, quod semper cum pharmacis purgantibus, aliquid boni odoris est permiscendum, vt medicamenti facultas, ne ventriculi orificium, exquisito sensu prædictum, offendat, corrigatur; aduertendum tamen, inquit, nequaquam esse admiscenda, quæ vim pharmaci possunt impedire, vt medicamina adstrigentia, cum potiùs, quæ tenuioribus partibus pollent, conueniant.

Secundum verò, quod à Gal. *in præsenti* adducitur est, nullatenus opportunè admiscenda esse inter se medicamenta purgantia, quæ diuersis temporibus suas operationes exerceant, ita vt post euacuationem ab vno factam, alia ab alio medicamento incipiat; ex hoc enim, inquit, maxima corporis perturbatio, & agitatio contingeret.

Dicet tamen aliquis, contra primum Galeni præceptum, scilicet quod non semper sunt permiscenda cum pharmaco purgante, ea, quæ tenuium partium sunt: nam ferè semper experimur, apud omnem Medicorum consensum, ex doctrina Mesue, & Galen. quod non solum escamoneum præparatur in citoneo, quod vi gaudet adstringenti; sed etiam alia medicamenta cum eo permiscent: ergo malè inquit Galenus, imperans, non esse admiscenda medicamenta adstringentia cum purgantibus. Respondeo tamen, Galen. tantum esse intelligendum de humoribus crassis, qui purgandi sunt, tenues verò valde, non hoc exigunt; non enim est aliquod inconueniens, vt misceantur purgantia cum aliquibus adstringentibus, præcipuè cum aliqua debilitas virtutis, quæ moderata adstrictione corrigitur, supponatur.



DVBITATIO I.

An post pharmaci purgantis vsum, sit dormiendum.



VM multoties, non exigua superueniant incommoda ex contracto somno post assumptum pharmacum, debita cum ratione occurrit dubitatio. Verum illo tempore somnus proficuus, vel læsiuus adsit: Cui est satisfaciendum respondendo, triplicem esse somni occasionem; prima etenim est, quando iam est facta euacuatio, tunc quidem, cum medio somno vires reficiantur, permittendum est, de quo nullus dubitet.

Secunda verò occasio est, purgatione iam incipiente; illo enim casu, plurimas potest noxas somnus adferre: Primo enim, purgatio impeditur, vt Auicenna *Fen. 2. doctrina 1. capit. 3.* inquit: Quod somnus omnes euacuationes præter sudorem cohibet; nam cum euacuatio, quæ fit medio pharmaco purgante, fiat concurrente duplici facultate, sensifica nimirum, & expultrice, ac sensatio medio somno deficiat, sine dubio purgationem impediet; non verò euacuationem sudorificam, cum illa non requirat concursum facultatis sensitiuæ: tum, & etiam medio somno, cum iam inceperit purgatio, & materia morbifica sit agitata, medio motu somni ad interna valebit ad aliquam partem principem irruere, vt sequatur mors, ne igitur hæc, & alia plurima contingant, somnus nequaquam est permittendus.

Tertia tandem occasio est, antequam purgatio incipiat statim post medicamentum assumptum, quod soluitur, in veriori doctrina, affirmatiuè respondendo, vt Auicenna *Fen. 1. capit. 5.* docet, super vehemens medicamentum dormiendum esse; minimè verò super clemens, & debile, cuius est ratio: nam vt vehemens reducatur medicamentum, intensiore, & vegetiore indiget calore in ventriculo; atqui tempore somni, in eo, & in aliis partibus internis calor augescit: ergo maximum beneficium inferet, vt vehemens medicamentum suam actionem exerceat; nec mirum, somnum natiuum calorem viscerum ex accidenti intendere, vt Hippocrat. *aphorismor. 1. sentent. 15. ventres hieme natura calidissimi, & somni longissimi*, idest propter somni longitudinem, natiuus calor vegetior, & intensior redditur: debile verò, & benignum medicamentum oppositum exigit: nam si post illud somnos permittatur, medio calore intensiori reddito, pharmacum purgans in alimentum, vel peccantem humorem potest commutari, ex qua Auicennæ doctrina communis Medicorum consuetudo præcipit, vt assumpto medicamento in pillularum forma, ægri somnum concilient, vsque quo purgatio incipiat, minimè verò in forma potabili; hoc tamen non ita strictè venit intelligendum, sed magis vniuersaliter: nam licet pharmacum purgans in forma potionis assumatur, si vehementis sit actiuitatis, vt facilius reducatur, etiam somnum prærequirit.

DVBITATIO



DVBITATIO II.

Vtrum aliqua, præter dicta, reperiantur coindicantia, & alia impedientia, ad exhibitionem pharmaci purgantis.

EXPLANATIS abunde præcipuis indicationibus ad deliberandum de pharmaco purganti, ac principali impediente, vt est humorum cruditas, & cum expositum maneat, quomodo puerilis ætas, anni tempus, regio, & vtero gerentes, medicamenta purgantia valeant permittere, merito accedit dubitatio genuina, vtrum scilicet aliqua alia impedientia adsint, vt medicus purgans pharmacum possit exhibere.

Sit conclusio, purgatio per ventrem inferiorem, impedienda est ab aliquo morbo in situ, vt si vteri procidentia reperiatur: nam quilibet tumor in purgationis via, deductionem humoris per eam potest impedire, vt inquit Hipp. *in suis Epistolis, epistola* 22. *de vsu ellebori*, his verbis; *neque medicamenta danda sunt decoloratis, raucosis, exanguibus spiritnosis, & his, qui præcordia, latera, ac dorsum distenta habent, & torpentibus, & obscurè videntibus, & quibus aurium sonitus sunt, & vrinæ meatibus impotentibus, neque item morbo regio laborantibus, aut ventre debilibus, aut his, qui sanguinis eruptiones, aut turbercula habent*; quam sententiam ita difficilem, ad plures morbosum indicationes aperiendas, non ex professo assumimus, sed solum illud annotare oportet, quantum Hippocrat. ab vsu medicamentorum purgantium, impeditis ductibus, aut inflammatis, fugiat, vt Auicenna *fen.* 4. 1. *capit.* 4. *habentium quidem in interioribus apostema, difficile est ventrem soluere, aut mouere*: ergo tumores, aut inflammationes in ventris cauitatibus, ac procidentia intestini recti, & vteri, maximè repugnant, siue impediunt purgationem.

Sed licet huiusmodi repugnantia ex morbis in via pateat, tamen, cum multoties soleat huiusmodi affectus cum febre complicari, & plurimi tirones statim, ac audiunt querimoniam dolorificam, subito ad sanguinis missionem, aut pharmaci purgantis vsum properent; ideò perpendere oportet, quod non vtcumque his remediis est vtendum, præcipuè in cholica affectione pituitosa, & frigida: nam multoties potest contingere, vt propter obstructionem ductus humoris biliosi, à quo, naturæ ordine, solet intestinorum facultas irritati; ideò propter defectum irritamenti, cum bilis non communicetur, excrementa fœcalia diutiùs detenta, cholicam affectionem possunt efficere, vt Aëtius *lib.* 9. *cap.* 26. Ergo illo in casu, nequaquam erit pharmaco purganti deliberandum: prædicta enim obstructio, per deobstruentia, & enacuantia soluetur, quod si ex intestini conninentia, vel aliqua inuolutio ab excrementorum retentione contingat, potiùs, aut follibus vento plenis, aut vtse, aut siringa, intestina implenda sunt, vt praua intestini situatio corrigatur; quod ex Hipp. doctrina, *lib. de affectionibus* constat.

Cum superiùs egissem cum Galen. quomodo anni tempus coindicet, vel contraindicet purgationem, habita ratione ad vrgentiam, vel ad melioris temporis electionem, ratione præcautionis; nunc iam agitandum venit dubium, vtrum astra, ita ad purgationem concurrant, vt valeant eam contraindicare, aut permittere; cuius negatiuam partem plurimi insequuntur, & probatur primo; nulla potest sumi indicatio ab Astris, nisi quatenus valent nostra corpora alterare; sed ab alteratione aëris, cum distincta sit, possitque nocere, aut coadiunare pro salute, nulla potest sumi certa indicatio: ergo nulla indicatio ab illis desumpta, poterit coindicare, aut contraindicare pro pharmaco. Hæc tamen argutiæ, nullam obtinet vim. Minor enim propositio est falsa, videlicet, quod ab aëre non desumatus indicatio pro exhibendis remediis: temperies enim ambientis ab astris dependens, potest se habere ex parte morbi, vt ipsum augeat, vel euellat, vel ex parte medicamenti, quod ratione ambientis actiosi, vel benigniori modo operetur: ergo indicatio, cum nulla sit vrgentia, poterit sumi, aut contraindicatio, pro pharmaci purgantis exhibitione, ab astris.

Instabia tamen, medicamentum purgans semper indicatur à causa morbifica; atqui astra nullam habent rationem causæ materialis morbificæ: ergo ab eis nulla indicatio, aut contraindicatio pro pharmaco purgante erit desumenda. Respondeo tamen, concedendo libenter maiorem, & minorem, hoc tamen currit dum adest vrgentia medicamenti purgantis exhibendi: si verò ista non reperiatur, cum influxus astrorum valeat, medio aëre alterante, corpora nostra perturbare, & in alienum statum commutate, merito, vel à iuuamine, vel à læsione, indicatio, aut contraindicatio ab eis debet sumi.

Vlteriùs insurgens; astra solum mediis qualitatibus primis agunt in nostra corpora; atqui medicamentum purgans operatur media qualitate occulta: ergo actio medicamenti, non valebit ab illis immutari, neque impediri: soluitur etiam facilè talis argutiæ, concedendo maiorem, nimirum, quod medicamenta purgantia operentur media illa proprietate insita, non tamen ex hoc sequitur, non operari mediis qualitatibus manifestis, per quas nostra corpora valent immutare, & cum huiusmodi qualitates, medio influxu, valeant immutari, aut intendi, sine dubio astra iuuare, aut lædere valebunt, vt Hippocrat. *sub cane, & ante canem, difficiles sunt purgationes*: ergo ab astris aliquando, dum non adsit vrgentia, indicatio,

aut

aut contraindicatio pro pharmaci exhibitione debet ſumi.

Quibus ſic iactis ſit conclusio ; nulla exiſtente vrgentia purgationis, aliqua indicatio, aut contraindicatio pro pharmaco purgante ab aſtris deſumitur : probatur, aliqua indicatio ſumitur pro medicamento purganti à corporis temperatura, modo ſubſtantiæ, viribus, & corporis habitu carnoſo, vel gracili ; ſed Luna, & reliqua aſtra, hæc omnia poſſunt immutare: ergo nulla exiſtente vrgentia, ab illis indicatio, aut contraindicatio pro pharmaco erit deſumenda. Minor probatur, ex Macrobio *in ſomno Scipionis, cap.* 19. vbi ait : Quod vita, & conſeruatio noſtra moderatur ab aſtris : ergo quia ab eis poſſunt immutari temperies, vires, & modus ſubſtantiæ noſtri corporis : tum & etiam Galen. 3. *de diebus decretoriis*, manifeſtè exponit, quomodo Luna ſit cauſa mutationum corporis, ita vt non viuentia, & adhuc ipſum mare diuerſis motibus agitet, vt Ptolomæus *lib.* 2. *c.* 12. quam doctrinam plurimi grauiſſimi Authores amplectuntur : & hæc de pretioſioribus ad methodicum vſum purgationis ſufficiant.



TRACTATVS



TRACTATVS, IN QVO SVBLIMIORA, ET PLACIDIORA,

DE CRISIBVS, ET DIEBVS DECRETORIIS in sententiam 36. 4. aphorismor.

SVDORES FEBRICITANTIBVS BONI, SI MANARE COEPERINT,

Die 3.5.7.9.11.14.17.21.27.31.34. *Hi enim sudores morbos iudicant; qui verò non ita fiunt, laborem, & morbi longitudinem, aut recidiuam significant.*

LECTORI.



DE die iudicij corporeæ vitæ sum acturus, vtinam cœlipotens Deus fructiferum iudicium vitæ spiritualis, nobis conferat, fœlix dies, in quo Medicus de salute laborantium iudicet: Fœcundus quidem, in quo impassibilis Deus de nostræ animæ salute iudicet; difficilè quidem in morbis iudicium, infelix ideò, cum dies iudicij mortis immineat, infelicior potiùs, si animæ vita, in mortem iudicaretur; ex naturæ pugna cum morbo, labor, ex labore, sudor, ex sudore, causæ morbificæ expurgatio, vt morbi iudicium in salutem contingat: ex assiduo Medici labore, in studiosa veritatis indagatione, sudor, vtinam licet sanguinis, vt fæcundum diem auxiliandi ægro, seligat, vt beneuolum decretorium; iudicare valeat, quod selectiùs medium, quam difficultatum viscera inuestigare? Qua via, nisi nullum laborem in peritiorum consulendis ingeniis, nullum sudorem in dubiorum Arcanis insequendis renuere? Ex lapidum collisione aër inflammatur, ignescit, scintilla ignita splendescit: ignis omnium actiuitate validissimus, pestilentis status colluuiem dissoluit, acturbulentam caliginem volitare cogit: ex ingeniorum radiis dimicantibus, efferuescunt spiritus, inflammantur, ignescunt, scintilla emicat quid mirum, quod tenebricosa ignorantiæ colluuies resoluatur? Dominantesque plurium errores extirpentur? Pretiosioraque Arcana elucescant? De his igitur, aureus sermo nobis occurrit, fax sit Pollux, vt tibi humillima seruitute, ac altiori, quia tuæ doctrinæ obediturus, ac mei, pene infiniti erroris, purgationi paratus sim; hæc, scitu digniora, tibi quisquis fueris, nectareo cordis spiritu, offero, VALE.



CAPVT I.

Mens Hippocr. ſententiæ, adducenda venit.



QVEMADMODVM ſudores, qui die 3. 5. 7. &c. manare cœperint, ſunt boni, cum rectè finiant, morboſque bene iudicent, qui verò, in aliis diebus fiant, ſint mali, ideóque malè iudicent, ita vt morbum longum fore, vel recidiuam prænuntient: non aliter Iudices qui dies à iure determinatos obſeruant, bene iudicant; in aliis verò diebus, malè; nam vel ignorantiam produnt, vel iudicium peruertunt, vel aliquid aliud ſignificant.

Antequam intentio, ac intentionis ratio venerandi Hipp. de diebus decretoriis, ac iudiciis, ſiue criſibus, quæ in his accidunt pateſiat, aliqua de prædictis ſingulariter diebus effatu digna, ab Hippoc. ennumeratis, ſunt perpendenda: mirifica enim in 3. die, priùs aſſignato, apparent, cum inter authores, tria in ſingulis rebus adinueniantur, vt eſt ſubſtantia, facultas, & operatio; tria rerum principia, materia nimirum, forma, & priuatio; decurſo hominis vitæ, tria ſtadia, infantiæ, virilis ætatis, & ſenectæ; in rationali anima, tria ſplendeſcunt, intellectus, memoria, & voluntas: ex arborum germinatione, tria ſimiliter diſtinguimus, ramum ſcilicet, frutieem, & fructum: triplex hominum ordo Reipublicæ neceſſariò ſubſeruit, nobilium nempè, agricolarum, & militum: tres ſimiliter affectus diſcurſus expendimus, fidem, opinionem, & ſcientiam: tres etiam apparent entis proprietates, vnitas, duntaxat veritas, & bonitas.

Nee minus quinarius numerus mirabilis eſt, cum inuincibilis Dauid, contra Goliat pugnaturus, quinque lapides elegiſſet: quinque ſimiliter porticus obtinebat piſcina, vbi ſanabatur infirmus: quinque ſunt ſenſus corporis, mediis quibus nobis rerum notitia innoteſcit; quinque literis gaudet venerandum nomen, Ieſus, & quinque, Beata Virgo Maria.

Sicut numerus ſeptenarius eſt boni augurij, vel iudicij, ſummumque bonum in eo continetur, ſic apud politicos hic numerus rerum auſpiciis, optima creditus eſt, dare omnia, & ſumma omnia portendere, atque polliceri: ſolebant ſimiliter veteres, in erudiendis filiis, per ſeptenia eorum ætatem diuidere: primo enim ſeptenio, ita pueros exercitationibus inſtituebant, atque alebant, vt eorum corpora idonea redderentur ad labores, tum ſtudij, tum militiæ ſuſtinendos: in ſecundo verò ſeptenario, primam philoſophiæ partem, videlicet logicam, eis proponebant, quam complecti Grammaticam, Rethoricam, Poëticam, & Hiſtoricam deſiderabant: tertio ſeptenario, ad ſecundæ philoſophiæ partem, quæ mathematicam continet regebant: quarto, ad naturalis philoſophiæ principia accedebant: quinto, moralis philoſophiæ ſolidiora fundamenta aggrediebantur: ſexto, ad methaphyſicam ſe conferebant; ſeptimo demum, fructum omnem anteactæ vitæ, legendo, & commentando percipiebant.

Inter omnes, ſymbolum fortitudinis, ſeptenarium numerum eſſe admittitur, ideóque adducitur exemplar, ex Cæſaris fortitudine, qui ſpatio ſeptem annorum, vniuerſam Galliam deuicit; propterea, ita natura validum conatum in cauſam morbificam, ſeptimo die, in morbis exactè acutis, ſolet efficere, vt prædicto die ſeptimo, veluti in ſimpliciter acutis, decimo quarto, morbum deuincat, ac iudicia critica feliciter contingant.

Nonus pariter dies, merito ab Hippoc. *in prædicto oraculo* enumeratur, omni perpenſione dignus, cum non ſolùm in morbis ſingulares euentus appareant, verùm etiam plurima ſcitu digna, in diuerſis rebus reperiantur: iſte enim numerus, ſpecialiter ad hominem videtur accommodatus, ter nimirum, tribus potentiis conſtituitur, vt tribus corporis facultatibus, vt eſt ſenſitiua, vitalis, & nutritiua; ſimiliter tribus potentiis animæ, vt ſunt intellectiua, volitiua, & memoratiua: tribus etiam Theologicis virtutibus, vt ſunt ſpes, fides, & charitas; ideóque breuiter homo, ſub numero nouenario ſpecialiter complectitur: ſicut enim expertum eſt, quod homo ſine cibo, nouem diebus viuere comprobatur; nouem pariter homo, Angelorum ordinibus, ſociatur: puer ſimiliter in vtero matris, nouem menſibus perficitur, & formatur.

De numer. 11. plurima poſſunt præſcribi: omne enim peccatum eſt vndenarium, quia dum peruersè agit, præcepta decalogi tranſit; vnde, quia nulla noſtra iuſtitia per ſe, vitæ æternæ meritoria eſt, in tabernaculo teſtimonij, quod erat in itinere populi Dei, velut templum ambulatorium, iuſſa ſunt fieri vndecim ſaga cilicina, qui eſt habitus pœnitentium pro peccatis. Numerus quidem 14. ſequutus, ſecundam ſeptimanam morborum claudens, ſecundum principatum poſt 7. vt *infra* patebit, ſibi vindicat: mirabilis quidem huiuſmodi numerus: decimo quarto etenim anno capti fuere ſodomitæ quia per tranſgreſſionem præceptorum legis, ſcilicet, & euangelij, capiuntur homines à Diabolo; id ipſum ſentit Auguſtinus, ſignificans, tres teſſaradecadas; tres quatuordecim generationes, quas, deducta Chriſti generatione, ab Abraham vſque ad Chriſtum, epilogo quodam conſtringit Euangeliſta, vbi inquit: Tres diſtinctiones in generatione Chriſti, myſticè, inſinuant, fidem Sanctæ Trinitatis, quam concorditer aſtruit doctrina legalis, & Euangelica. Plurimi ex iuriſperitis, alimenta pueros, præcipere vſque ad 14 annum dicunt, fœminas vſque ad 12. alij verò, fœminam vſque ad 14. marem verò vſque ad 18.

Nec minus celebris eſt numer. 17. cum plurima prædicto numero obſeruata in rerum natura ſint 17. etenim die menſis Martij anno 1586. tanta in Burgundia aquarum inundatio fuit,

fuit, vt vrbis Champlitensis fortissimam Turrim, & pontem, illius furioso quodam impetu, penitus euertisset, in Hollandia die 17. Aprilis anni 1420. fæuitia Maris Dordracum, facta eruptione, totam regionem inundauit; die etiam 17. Octobris anno 589. maxima fuit in Venetiarum finibus aquarum inundatio, quæ maximum omnibus detrimentum viuentibus attulit. Fluuius Tiberis in tantum increuit, vt supra Romæ Muros vrbis, maximè influeret, & eum per aluenm eiusdem fluuij, serpentium multitudine ferissimus Draco miræ magnitudinis transiens per vrbem, vsque ad mare descendit, subsequuta statim fuit hanc inundationem, ob defuncta corpora, grauissima pestilentia, quæ inguinaria solet vocari, vt Paulus Diaconus scripsit, *digestis Longobardorum*, *libro* 3. *capit.* 31.

Vigesimus primus deinde numerus magni faciendus venit, cum felicissimi euentus, prædicto numero, in morbis obseruentur; sed quare potiùs 21 diem, quam 20. attulerit Hipp. in apetienda sententia, *infra* ostendetur; nec sine mysterio 27. numerus occurrit, cum Arca Noë, septimo mense sedit, idest requieuit: tum & etiam 27. die, inquit Augustinus, secundi mensis, siccatam fuisse terram, tanquam iam finita esset Baptizandi necessitas: in numero dierum 57. ipsa est enim dies secundi mensis 27. qui numerus, ex coniunctione spiritus, & corporis septies octonos habet, vno addito, propter vnitatis vinculum, vt scripsit Plato dicens, animæ mundi factam fuisse generationem: numerus tandem 34. non sine magni significatione mysterij, etiam reperitur, hac enim ætate, dominus fuit passos, ea etiam à mortuis resurrexit: de quibus omnibus diebus, dum peculiariter vim, & actiuitatem ostendentes inferiùs agamus, speciosiora venient adducenda.

Quibus sic prælibatis, venerandi Hippoc. mens breuissimè ostendenda offertur; illi enim ex doctrina Hippoc. sudores, in febribus acutis sunt boni; idest, bonum indicium, siue crisim terminant, qui in diebus decretoriis accidunt; sed sic est, quod dies tertius, quintus, septimus, & omnes superiùs allati & ab Hippoc. enumerati, sunt decretorij: ergo sudores, qui his diebus, in febribus acutis, contingant, erunt boni. Maior propositio, probatur ex Galen. 2. *prognosticorum*, *comment* 54. asserente: *Decretorius dies ad indicationis firmitudinem conducit, quod si in eo, signa salubria affuerint, indicationis bonitatem firmauit: si verò in eo, insalubria signa apparuerint, malum iudicationis indicium conducent, cum tamen, hinc & inde firmum ducant iudicium:* Ergo ex doctrina Gal. boni erunt sudores, quando in diebus decretoriis superuenerint, nisi eis mala signa associentur, alias enim potiùs damnandi, vt ipse Galen. 2. *prognosticorum commentar.* 36. inquit, quod in conualescendis, omnia bona indicia adesse, est necesse: in moriendis verò, sufficiet si vnicum prauum solum adfuerit indicium: ergo vbi sudores in diebus decretotiis insurgant, non erunt boni, nisi eis concoctionis signa iungantur, quæ quidem, perpetuo fidelem, & certam, salutis spem ostendunt, vt Hippoc. *epidemiorum* 1. *sectione* 2. 46. *coctiones celeritatem indicij, & salubrem securitatem ostendunt; cruda vero, & incocta, atque in malos abscessus conuersa, indicationis carentiam, aut dolores, aut morbi diuturnitatem, aut mortem vel recidiuam significant.*

Roborabit etiam idem Galen. 1. *prognosticorum, comm.* 34. exponens, vtrum bonum, an malum indicium, decretorius dies prodeat, aliis etenim cognoscitur signis; nam vbi in die decretorio, aliis apparentibus signis, æger meliùs se habuerit, indicium erit laudabile; vbi tamen deterior extiterit, iudicium erit prauum: ergo non præter rationem dicitur, omnes sudores, qui in die fiunt decretorio, bonos esse, sub modo prædicto sententiæ intelligendæ.

Secunda verò propositio, vt est minor, videlicet diem tertium, quintum, septimum, & alios superiùs dictos, esse decretorios, probatur ex Hippoc. *libro* 1. *de morbis popularibus*; tum & etiam, ex Galen. *commentar.* 3. & 14. vbi omnes dies in quibus iudicia fiunt, debito ordine descripsit, vt latiùs infra patebit, dum peculiariter de recta dierum serie, & ordine agamus; ex quibus Hippoc. intentum sigillatum manet, cuius fundamentum satis conspicuum appatet, vt Medicus nimirum perfectè calleat, qui dies probandi, laudandique sint ad crisim, quæ per manifestam euacuationem celebratur; idcóque venerandus Hipp. speciosè, sudores pro exemplo adfert, quamvis plurimæ diuersæ euacuationes, vt postea ostendemus valeant subintelligi, quę si aliis diebus, citra enumeratos, contingant reiiciendæ, paruique pendendæ sunt, cum non perfectè decernant.



CAPVT II.

De natura, & essentia, differentiis, & causis perfectæ, vel imperfectæ crisis.



PRIMVM, quod inter ea, quæ ad ostendendam perfectam, & indeficientem crisim, aut iudicationem morborum, à Gal. significatur 1. *aphor. comment.* 12. est, vt scilicet iudicium fiat in die decretorio, ita vt ab indice sit indicatum: nam huiuscemodi signo, actionem secundum naturam in nostris fieri corporibus, possumus cognoscere, causamque morbificam per suos gradus paulatim alterari à natura, ac debito tempore superari secundum vtramque radicem, per supernam, videlicet secundum Lunæ motum, ac per infernam naturæ, nimirum motum ordinatum causam morbificam excerni, & quemadmodum crisis, quæ die decretorio, ab Hippoc. enumerato, non fit, prauum naturæ motum prænunciat, mortem etenim, vel recidiuam, seu morbi diuturnitatem, vt Hippocrat. *aphorismor.* 5. *sentent.* 29. adducto exemplo terani diei, qualis est sextus; seruata quidem eadem paritate, crisis quæ fit in die decretorio, per-

petuum, atque indeficientem naturæ motum demonſtrat; non aliter in 6. die, quia non eſt decretorius, rigor ſopernenens, difficilè iudicium inferre, inquit Hipp. 29. *ſent.*

Quia tamen nullus Medicorum, Hippoc. ſenſum percipere valebit, quoad criſim perfectam, vel imperfectam, quin prius ſciat, quid, & quotuplex ſit criſis, & quæ illius cauſæ, vt morbi fideliter, vel è contra iudicentur; ideò operæ pretium eſt cum Galen. quæ candidiora, & ſelectiora per tres libros de criſibus xtulit, animaduertere; agit enim Galen. de ſubitæ, repenteque facta in morbis mutatione, quæ Græcè criſis appellatur, & latinè propriè iudicium, cumque talis motatio in ſtatu morbi fiat, ideò præcognitio futuræ criſis, erit ſtatus cognitio, ſicque Galen. affert ſigna, quibus morbi ſtatum cognoſcamus, vt eum, ab aliis morbi temporibus ſecernere valeamus, & quia ſtatus vnicum eſt inter tempora morborum, propterea maturo, ſubſequutoque ſermone, de aliis morborum temporibus, etiam diſputationem conſtruit, vt 1. *libro* elucet: in ſecundo verò, talium temporum cognitionem, in febribus explicat; in tertiò tandem, ſigna quibus præſentem, & immineutem criſim, ſiue iudicationem percipiamus proponit, & taliter in prognoſis firmitatem alloquitur, vt futurum diem, & horam, qua criſis contingere valeat, & per quam corporis partem fieri debeat, luce meridianæ clarius exponat.

Hæc igitur vox criſis, ſiue iudicium per metaphoram proſertur, à foroque iudicij extracta, in artem medicam per ſimilitudinem adducta eſt: hoc enim nomen à quodam plebeio, à medio foro, in noſtram Apollineam artem tranſlatam fuiſſe Galen. *in* 3. *prognoſtic.* ſcribit: aſſimilantur enim, & capitis cauſam dicere, & morbo acuto laborare, veluti ab Actore iudicium pro tribunali rapi, & à morbo in vitæ diſcrimen trahi; quare, ſicut tria ſunt, quæ forum conſtituunt, Actor videlicet, reus, & iudex, non aliter in morbis, tria ſpectantur, natura nimirum, morbus, & dies criticus, vt criſis fiat, natura humores noxios, à bonis ſecernente, illoſque ad excretionem præparante.

Nomen hoc, criſis, in Hippoc. atque Gal. doctrina, varium, ac multiplex eſt: ſæpè enim criſis ſumitur pro ſolutione, ſiue quacumque morbi terminatione, ſiue ſubitò, ſiue ſenſim fiat, vt in Hippoc. libello de purgationibus patet, cum aſſerat: *Iudicare in morbis eſt, cum augeſcunt, aut marceſcunt, aut in aliam ſpeciem tranſmutantur, aut omninò deſinunt.* Tum & etiam Galen. 1. *de criſibus, cap.* 11. inquit: febrem becticam criſi iudicari, cum ſenſim ſoluatur, criſis. Secundò, ſignificat violentos aliquos naturæ conatus; ideòque Hippoc. *lib. de ſeptimeſtri, & octimeſtri partu*, appellat partus, & abortus nomine criſis. Tertio ſumitur pro morbi temporibus, & exacerbationibus, vt 1. *aphoriſmor. ſentent.* 11. ait Hippoc. *His qui per circuitus ſiunt acceſſiones, nihil dare oportet.* Merito quidem criſis, vſurpatur pro acceſſione, ſolum enim in vigore, atque exacerbatione, criſes, ſiue iudicia contingunt, nunquam tamen, vel rarò in declinatione, & principio, laudabiles criſes eueniunt.

Quarto vſurpatur criſis pro perturbatione, quæ ipſam criſim præcedit, dum antequam morbi iudicatio fiat, maxima humorum agitatio, ac ſymptomatum complicatio contingit. 5. ſumitur criſis ex Hippoc. pro actuali euacuatione, vt *lib. de locis in homine* aſſerit, *medicamentum bene ſanis non propinandum*: Galen. etiam 3. *de criſibus* 4. *ac lib. de victus ratione in acutis*, ait, *criſim ſimpliciter dictam nominamus eam, quæ eſt ad ſalutem, vel ad melius.* Sexto deinde vſurpatur criſis apud Hippocrat. in coacis prænotionibus variis in locis, pro interitu, vt ipſe ait, *lingua quæ multum nigreſcit, criſim* 14. *die futuram eſſe oſtendit*, ideſt, exitium ſiue interitum.

Propriè tamen definitur criſis 1. *de diebus decretoriis cap.* 1. ex Galen. tum & etiam 7. *ac* 3. *de criſibus*: tum ſimiliter *comment. in aphoriſm.* 13. & *in* 23. *ſectionis* 2. *Subita, & repentina mutatio in morbo, ad ſalutem, vel ad mortem.* In qua quidem mutatione, ſiue motu, quinque philoſophus obſeruat, videlicet, terminum à quo incipit talis motus, terminum per quem fit, terminum in quem deſinit, monēs & mobile: terminus à quo incipit criſis, ſiue iudicium, eſt morbi incrementum; quare pro varia morbi natura, celerior, aut tardior fiet criſis; ita vt morbi acuti, celeriùs, longi verò tardius, iudicentur. Acutorum autem morborum, alij ſont exactè peracuti, alij exactè acuti, alij ſimpliciter acuti, aliique acuti ex decidentia: exactè quidem morbi peracuti 1. quatteotio iudicātur, vt ſecunda ſenteotia ſectiooi tertiæ prognoſticorum oſtenditur; *febres etenim maligniſſimè, horrendiſque ſymptomatibus comitata, quarto die interimunt*: morbi verò peracuti ſeptenario iudicantur, quemadmodum ſimpliciter acuti, quatuordecim diebus, vt Hipp. 2. *aphor. ſent.* 23. *morbi acuti* 14. die terminantur, reliqui verò longi, per ſeptenarios à vigeſimo ad quadrageſimum; per vicenarios verò, à quadrageſimo ad centeſimum iudicantur: poſt 120. iam vis dierum parui fit, tunc enim ſolum menſibus, & annis, morbi ſoluuntur.

Terminus verò in quem definit criſis, ſanitas, aut mors appellatur, ſiue illis proximus iam ſtatus, vel tranſitus in aliam morbi ſpeciem; terminus verò per quem mouetur criſis, eſt totum illud tempus, quo coctioni, ſecretioni, & excretioni natura incumbit, ac debita eſt, mouens verò, eſt ipſa natura, quæ criſim mouet, ita vt humorem morbificum concoquat, ſecernat, & excernat, vt ait Galen. *natura ſecernente humores noxios à bonis, eoſque ad excretionem præparante.* Natura, quidem ex Hippoc. morborum eſt medicatrix, mouet? Ergo natura, & promouet criſes, ita vt ſi debilior fuerit, à medico iuuari poſſit, veluti Gal. *in comment. ſentent.* 20. *ſectionis primæ* vult, ſi criſis imperfecta ſit, ab arte iuuari; ſi verò perfecta, nihil mouendum, nihilque nouandum, vt Auicenna, inſtante criſi, ſi ſudoris ſigna appareant ſudorificis vtitur, totumque ventrem oleo calido perfundit; ſic etiam *in epid.* Methoni cœpit die critico ſanguis è naribus ſtillare, ſtatimque Hippoc. aqua calida caput illius cœpit ſouere,

cuius

cuius ope copiosius, ac fœcundius sanguis effluxit. Mobile demum in crisi aduertendum restat, humor scilicet morbificus, qui tum alteratione, tum coctione, secretione, & expulsione, à natura mouetur.

Sed vt strictius crisis natura patefiat, ipsius differentiæ minimè sunt parui pendendæ: Hipp. etenim *sect. 3. lib. 1. epidem.* quatuor statuit crisis differentias, vnicam exponens esse ad salutem, aliam ad mortem, alteram ad melius, aliam verò ad deterius; easdemque Galen. agnouit *in comm. 3. progn.* fit enim crisis quadrupliciter, vel quia ægri confestim à morbis liberantur, vel magnam in meliùs mutationem persentiunt, vel confestim moriuntur, vel longè peius se habent, multo accuratiùs *cap. 21. de diebus decretoriis*, & *3. de crisibus, cap. 7.* omnes crisis differentias patefecit: quædam autem est crisis perfecta, in qua nihil reliquiæ morbi, vincendum superest; quædam verò imperfecta in qua humor noxius, non omnino est euacuatus: alia deinde est fida, in qua nullum est relapsum siue recidiuæ periculum; alia est infida, quæ è contra accidit: quædam similiter est manifesta, quia cum excretione, vel abscessu manifesto apparet: alia præterea est indicata, quia diem proprium indicem obtinuit, veluti si in prima septimana 4. diem indicem habeat; in 2. septimana diem vndecimum, in 3. verò diem 17. alia verò crisis reperitur, quæ nullatenus indicata fuit: quædam etiam periculosa contingit, quia grauissimis symptomatibus comitata est; quædam absque periculo, quia mitioribus; quædam denique absolutè bona, quoniam in salutem, quemadmodum alia absolutè mala, quoniam ad mortem terminatur.

Sed cum vnica tantum diuersione, has omnes crisis differentias complecti valeamus, breuiter est resoluendum, quod crisis, alia est perfecta, alia imperfecta. Perfecta, quæ morbum perfectè iudicat, & ista duplex salutaris videlicet, vel lethalis: imperfecta pariter est duplex, alia ad meliùs, quæ non omnino morbum soluit, sed vt æger meliùs se habeat conducit; alia tandem est ad deteriùs: imperfecta tamen dicitur, quia non perfectè morbum in mortem iudicat: quæ de crisis differentiis sufficient, si ad morborum tempora, quibus debent accidere, cognoscenda properemus.

Hoc autem nomen, principium, tribus valet vsurpari modis. Primo quidem, pro morbi insultu, siue pro indiuisibili inuasionis parte, qua morbus hominem apprehendit, in quo significato, principium latitudine caret, cum sit illud temporis instans, quo incipit ægritudo inuadere. Secundo sumitur pro tempore, quod latitudinem obtinet; hoc etiam duplex est, primum inartificiosum, veluti superiùs, quale est illud spatium temporis, quod prima accessione clauditur, magnaque ex parte in tertium vsque diem protenditur, in qua significatione sumitur ab Hippoc. 1. *epidemiorum*, *part. 3. sentent. 10.* cum inquit: *Continua febris statim incipiens quibusdam viget.* Vbi per principium, non intelligitur 1. pars totius morbi, alias enim in hac prima morbi parte, etiam includeretur pars tertia, quæ vigor, aut status illius est. Tertio tandem sumitur principium morbi, in sua propria significatione, prout est omne tempus cruditatis, signisque obscuræ coctionis terminatur, de quo rigoroso sensu principij agendum venit.

Sed qua ratione, morborum incrementum, vigorem, siue statum, ac declinationem percipiamus, manifestè Galen. exponit, vt infra elucescet, in cuius doctrinam insequendam, priùs sciendum expedit, incrementum, siue morbi augmentum, non esse ex sola accessionum anticipatione annotandum; plurimi enim sunt morbi, qui anticipatis exacerbationibus gaudent, quæ accessionum anticipatio, ex propria morbi natura euenit, cuius est ratio, quia humores, quibus febris accenditur, nimis acres, & mordaces dominantur, subiectumque febricitans sensu exquisitissimo pollet, habitus etiam rarioris est, aliaque similia solent concurrere, vt ante tempus, natura humoris morbifici expulsionem prorritetur, ac moueatur.

Vt igitur ex accessionum anticipatione, incrementum morbi iudicemus, hæc occurrere debent, exacerbationis nimirum anticipatio, eiusdem longitudo, modusque inuadendi vehementior: si enim anticipando, longiores apprehendant, vehementioresque sint, & grauioribus symptomatibus contingant, incrementum morbi erit iudicandum, vt Galen. 1. *comm. 12.* dilucidat: si tamen remisso modo inuadendi se habeant, potiùs declinatio morbi tenenda: si verò eundem ordinem, vel dispositionem apprehensionis seruet, status naturam significabit: anticipatio quidem, & longitudo accessionum, facilè vnicuique patebit: magnitudo, ex propriis morbi symptomatibus: modus verò, & mos accessionis, ex signis superuenientibus.

Nec solum accessiones, ad morborum tempora cognoscenda inspicere oportet, verum etiam declinationes, ac ipsarum accessionum intermissiones; si enim tempus, intermissionis, ac declinationis, breuius, ac laboriosius, quam antecedens fuerit, & aliqua symptomata exacerbationis permaneant, morbus incrementum suscipiet; è contra verò si tempus in quo intermittit accessio, longius fuerit, faciliusque sustineri valeat, & nullum accessionis symptoma remaneat, morbus declinationis naturam sibi induet.

Quia tamen plures adsunt morbi, in quibus prædicta tempora non facilè cognosci valent, quoniam in accessione prima ad statum perueniunt, quatuorque morbi tempora percurrunt, propterea Galen. hanc ex Hippoc. deduxit manifestam cognitionem, quam vt scientific[è] m[edici], omnes insequantur, ex signis nimirum superuenientibus: Hippoc. enim 1. *aphor. sent. 12.* sic ait, *accessiones, & constitutiones, morbi indicabunt, anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant, &c.* In qua 1. oraculi parte methodum coniecturalem, ex triplici capite desumptam, nobis proponit, ex natura videlicet morbi, ex anni tempore, & ex successiuis accessionum incrementis.

Quibus sic iactis, ad maiorem expositionem priùs notandum expedit, quod hoc nomen constitutio, solet ab Hippoc. nuncupari, vt Galen. 3. *epidemiorum in præfatione commentarij* 3. testatur, omnis forma, idea, vel species, cuiuscumque rei, vnde per constitutionem morbi, in prædicta sententia: ait Galen. 1. *de crisibus, cap.* 4. quod debemus intelligere quandam morbi speciem, siue ideam, secundum quam, ex omnibus temporibus vniuersalibus morbus constituitur; quare nihil erit aliud morbi constitutionem perpendere, quam, an sit morbus acutus, vel peracutus, siue morbus longus, vt calleamus, quando ad vigorem, siue statum, peruenturus sit.

Secundum verò nomen ab Hippoc. allatum, videlicet accessio, non vnico modo in Galen. doctrina vsurpatur, duo quidem significat: primo enim sumitur, pro principio, augmento, & statum totius circuitus, in quo significato Galen. *in comment.* huius sententiæ definit accessionem, *per deterius tempus totius circuitus*; idest, à prima inuasione accessionis vsque ad vigorem, siue statum, intelligitur. Secundo accessio, pro quatuor morbi temporibus, vt Galen. 1. *de crisibus, cap.* 3. Tempus verò intermissionis illud appellatur, in quod accessio peruenit, cum in quietem sine febre desinit; declinatio verò est illa pars accessionis, quæ vigorem, siue statum, vsque ad nouæ accessionis principium subsequitur: periodus verò, siue circuitus similis est ad idem reditus; idest, omne illud spatium à prima inuasione vnius accessionis, vsque ad inuasionem alterius. Typus denique est intensionis, & remissionis, per certas, & ordinatas vices, reuersio; vel est tempus mali in quo accessio, vel intermissio, statutis, fixis, certisque vicibus contingunt.

Quibus prælibatis, facilè innotescunt Hippoc. verba, inquit enim Hippoc. *accessiones, & constitutiones morbi indicabunt*; idest, an morbi repetant singulis diebus, vel tertio quoque die. Cuius morbi constitutionem ex quadruplici capite possumus cognoscere; ex morbi videlicet specie, sub qua includitur causa; ex magnitudine, more, & motu; quæ omnia pro essentiæ morbi variatione pariter immutantur; tum & etiam ex materiæ morbificæ natura, partis læsæ præstantia, ac symptomatibus morbum comitantibus, morbi constitutionem, siue statum, ac alia tempora vniuersalia valemus percipere, si quidem ab specie morbi, illius futurus status percipietur: nam si morbi species sit quartana, tardè, longéque eueniet status. Præterea à morbi magnitudine; nam si morbus magnus fuerit, vt febris ardens vehementissima, celerrimè status adueniet, crisisque breui tempore apparebit: mos præterea morbi, futurum statum ostendet; nam ex prauitate, aut benignitate morbi, celeriùs crisis continget, morbusque ad mortem, vel salutem breuissimè terminabitur; veluti etiam ipse morbi motus, si sit velox, vel tardus, statum siue crisim proximam, vel remotam futuram esse significabit; merito igitur, inquit Hippoc. vt tempora morborum percipiamus; *accessiones, & constitutiones*; idest, ipsi morbi secundum suam speciem, magnitudinem, motum, & morem indicabunt quomodo accessiones, & constitutiones; hoc est morborum tempora, quasi dicat principium, incrementum, statum, & declinationem calleamus.

Notandum tamen expedit, quod cum morbi species ab illius causa desumatur, nihil aliud erit naturam morbi; & speciem perpendere, quam illius causam indagare; quapropter morbi à succo bilioso pendentes, breues sunt, quia huiuscemodi humor potiùs morbos acutos generat; sicque illorum constitutio, siue status breuior aderit, ac 3. quoque die accessiones obtinebunt: si verò causa morbifica humor pituitosus, aut melancholicus sit, ex natura morbi à prædicta causa pendentis, morbi constitutionem longam esse inferendum erit, ac singulis diebus dum à pituita, veluti de quarto in quartum, dum à melancholia nascantur, fiet exacerbatio.

Mirifica sunt etiam veneranda Hippoc. subsequentia verba, ad morborum tempora cognoscenda, dum inquit; *& anni tempora*: ex anni enim tempore, quo morbus generatur, valebit statum breuem, vel longum morbi, indicare; vt Galen. *in comm.* prædictæ sententiæ inquit; *quod si fuerit febris tempore æstatis, indicat accessionem esse futuram de tertio in tertium, ac breuem, simulque morbi statum cito fore significat: si verò tempus autumnale viguerit, accessiones futuras de quarto in quartum longiores; morbique statum in longum protrahendum indicant*, similiter Hippoc. 1. *aphorismor. sentent.* 25. *æstiuæ quartanæ breues, autumnales verò longæ, & præcipue hæ quæ hiemem attingunt*: idemque ex doctrina Hippocrat. de aliis anni temporibus regione, cœli statu, veluti de laborantis temperie, ætate, sexu, consuetudine, ac similibus dicendum venit.

Vlteriùs per reliqua verba, Magister Hippoc. huiuscemodi doctrinam solidissimè sigillat, videlicet: *Et circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant*; quæ omnia satis supra manent adaperta, dum de antepositione, vel postpositione, longitudine, vel breuitate, vehementia, vel remissione, ac prauitate, vel benignitate accessionum per diuersos circuituum repetentium motus, sermo constructus mansit.

Sed vt magis veritas, & cognitio morborum temporum elaborata sit, per vltima Hippoc. verba, ratio elucescet, cum asserat: *Sed ex his, quæ mox apparent indicia sumuntur, &c.* Quibus demonstrat, quod signa superuenientia in morbis, præcipuum sibi locum abrogant, vt prædicta tempora discernamus: sumuntur quidem signa superuenientia ex coctione, vel cruditate causæ morbificæ, quod Galen. ex Hippoc. firmat 1. *epidemiorum, part.* 2. *sentent.* 44. *&* 45. vbi inquit: *Omnes coctiones excrementorum, undequaque bonas, ac tempestiuas esse, & indicarios abscessus considerandos: nam coctiones celeritatem iudicij, & salutis securitatem ostendunt*: Ex coctionis igitur signis facilè morborum tempora percipiemus: Signa etenim huiusmodi, in triplici sunt differentia, obscura nimirum, manifesta, & perfecta, vt Gal. 1. *de crisibus, c.* 14. *&* 15. in principio

cipio

cipio autem signa cruditatis apparent, & obscuræ coctionis, quæ sub cruditate continentur: terminant quidem, & extrahunt principium signa iam manifestæ coctionis, quæ in incremento reperiuntur; incrementum verò finiunt, siue soluunt, signa perfectæ coctionis, quæ in statu adsunt; quem etiam extrahunt; signa coctionis perfectæ cum symptomatum sedatione, quæ potiùs in declinatione splendescunt, quæ vniuersalis methodus, valde ad prædicta tempora vniuersalia morborum prærequiritur.



CAPVT III.

De signorum differentiis, quæ bonam, vel prauam crisim discernere valeant.



VM signa morborum prognostica, ad malam, vel bonam crisim indicandam, varia sint, ideò eorum discrimen proponendum accedit; prognostica igitur signa in communi, vel sunt propria, & pathognomonica morbis, vel superuenientia: pathognomonica etenim signa sunt, quæ proprij morbi speciem significant, & taliter morbum insequuntur, vt omni, soli, & semper tali morbo sint propria, ita vt nullatenus possint ab eo separari, sicque cum eo inuadunt, & cum eo desinunt, veluti vmbra corpus comitatur; sed cum difficile sit, in quolibet morbo peculiari, semper signum pathognomonicum assignare, quod vni soli, & semper morbo conueniat, propterea sub nomine vnius signi pathognomonici, syndromen quandam à Gal. pathognomonicam vocatam, construere debemus, vt in morbo laterali.

Signa præterea assidentia, sunt ab ipso morbo separabilia, quia non illi propria, sed aliquando cum morbo inuadunt, aliquando superueniunt, quandoque neque omnino adsunt, neque ad constitutionem morbi percipiendam concurrunt, sed potiùs locum, siue partem affectam indicant, veluti si in pleuritide dolor vergat ad hypochondria, vel ad claiculam ascendat: si ad hypochondria, potiùs partem inferiorem pleuræ esse affectam ostendit: si verò ad claiculam, potiùs superiorem; non aliter decubitus ægri, in pleuram læsam, siue in latus affectum, vel in sanum, signum est assidens: nam decubitus grauis: & molestus iuxta latus læsum, inflammationem, in parte exteriori pleuræ assidere significat; si verò decubitus grauis, & toleratu difficilis in latere opposito reperiatur, videlicet, vbi non adest pleuritis, potiùs inflammationem esse, in parte interiori pleuræ commonstrat: si demum æque sit grauis, & molestus decubitus, in vtramque partem inflammationem æquè grauem, ac laboriosam; tum in interiori, tum etiam exteriori parte pleuræ assidere, significat, vnde huiusce modi signa assidentia vocata, nec morbi speciem, neque constitutionem, idest vigorem, aut statum demonstrant, sed potiùs ad partem affectam indicandam, prosunt.

Signa tandem superuenientia, nuncupantur ea, quæ morbis superueniunt; ista quidem triplicia sunt, coctionis videlicet, & cruditatis, salutis, & mortis, & critica, siue decretoria; signa quidem critica, nunquam in morbi principio apparent, desumpto principio pro prima morbi parte; non enim essent superuenientia, si in eodem principio acciderent; propterea, quando in principio apparent, tale principium pro primis tribus diebus vsurpatur, quorum in spatio morbus ad statum, & declinationem valet progredi; vel tunc potest principiũ, pro quarta morbi parte intelligi, & præcipuè, circa vltimam principij partem, quæ incremento est annexa, quamuis pluries huiuscemodi signa critica, in augmento, & statu, soleant euenire, vt vehemens rigor, fluxus sanguinis è naribus, vel vomitus, alui profluuium, sudor, nox ante accessionem molesta, & alia similia, quæ signis coctionis, vel cruditatis sunt annexa, vt laudabilem, vel prauam crisim ostendant.

Primum igitur ex superuenientibus, siue mox apparentibus signis coctionis, & cruditatis est; vnde Galen. 1. *de cribus, cap.* 7. vt Medico prædicta signa patefiant, excrementa propria cuiuscunque partis perpenduntur, affectum enim talis partis necessariò demonstrant: in excrementis enim, ex Galen. 1. *de crisibus, cap.* 5. quatuor sunt animaduertenda; nam vel excrementa sunt cocta, vel cruda, praua, vel maligna; cocta cum communiter conueniant his, qui affecti sunt morbo, & qui sanitate fruuntur, propterea ex se nihil lethale ostendunt: nam signa coctionis ex se, quolibet tempore appareant, laudabilia sunt.

Quid verò per cruditatem significatur, ex Galen. 1. *de crisibus, cap.* 7. sic alloquente, patet: *Quod verò illi, quod secundum naturam se habet maxime contrarium est, crudum existit, & magnam laborantium locorum imbecillitatem demonstrat:* Ex quibus Galen. verbis duæ cruditatis differentiæ offeruntur, altera quidem communis, videlicet omne illud quod nullam alterationem à natura recipit, siue sit propriè crudum, siue prauum, siue malignum; communiter enim dicetur crudum: nam omnem naturæ alterationem obnegat: alia verò differentia cruditatis propriè dictæ, est illa quatenus excrementum, nec prauitatem, nec malignitatem in se continet, sed solum simplicem quandam cruditatem, quod Gal. *loco citato* satis exposuit, sic asserens: *Si verò aliquam naturam vitiosa causa habeant, vt esse nigram, iam tale exitiosum erit.* Quod vt intelligamus animaduertere oportet, quod Galen. *libro artis medicinalis, cap.* 16. asserit: *Ita perniciosissimus succus est atra bilis, vtpotè quæ intestina radat, maligna admodum sit, concoctuque difficillima, & ad purgationem ineptissima, atque etiam per assationem genita, plurimum inducat calorem, omnium mitissimus sanguis, qui & dulcissimus sit, & ad coctionem facilior; reliqui verò humores duo, medium in simplicitate, & malignitate obtinent:* Erit ergo malignus humor, non solum, quia ab statu naturali in sola cruditate recedit; sed quia

maximè

maximè à sanguinis bonitate discedit, ac difficilè valet concoqui, malignaque symptomata inducit.

Propterea Galen. 7. *aphorismor. comm.* 8. quid sit prauum patefacit, in hæc prorrumpens verba: *Quidquid autem præter naturam est, quantum recedit ab eo, quod secundum naturam censetur, tantam habet prauitatem.* Ex quibus infertur, qua ratione dicatur, quid propriè crudum sit, quid prauum, & quid malignum; nam propriè crudum solum dicitur, quod priuationem coctionis habet; prauum verò, vel malignum, quod præter hanc priuationem, vehementer à sanguinis natura discedit, prauitatemque, aut malignitatem continet; prauum etenim, & malignum penes magis tantum, & minus differunt; nam quæ praua sunt, periculum imminente demonstrant; quæ verò maligna, mortem iam proximè minantem, vt ex Gal. 1. *de crisibus, cap.* 5. patet in sputo; hoc etenim, cito, & facilè, in thoracis morbis, vt de pleuritide diximus, signum coctionis adest; nihil verò spuere, aut valde tenue, cruditatis est signum; si spumosum, crassum, rotundum, vel lentum, prauitatem significat; si denique viride liuidum, vel nigrum fuerit, iam malignum nuncupabitur, mortemque futuram prædicit; cumque huiuscemodi excrementa, affectum partis cuius excrementa sunt, demonstrent, merito in triplici differentia sunt prænotanda, deiectiones nimirum quæ inferioris affectus ventris significant, vrina venosi generis affectiones, veluti sputum, quod in thoracis, partiumque respirationi subseruientium, morbis, maximè conijciendum venit: signa igitur coctionis, quæ, vt supra dixi, imbecilla manifesta, vel perfecta, in deiectionibus, lotio, & sputo reperiuntur, contemplanda sunt; nam quando in vrina, aliquid lene, album, & æquale, seu continuum ratione temporis, quod sedimentum nuncupatur, adest, signa coctionis perfectæ elucescunt: obscura verò coctio, siue imbecilla, quando ex aquosa vrina subpallida fit, vel si aliquam mediocritatem, aut crassitiem adquirat; manifesta tandem, quando nubecula alba, aut sedimen æquale, & album contiuet; nubecula etiam rubra, & sine sedimine boni coloris, mediocrisque crassitudinis, cocta censenda est.

Nec minus doctrinalis ratio currit de sputo, quod nihil aliud est, quam, quod tussiendo enacuatur, id quidem tunc perfectè coctum nuncupatur, ac lanorum sputo assimilatur, quod album lene, & æquale appareat, ac si cito, & facilè spuatur, vt Hippoc. 1. *prognosticorum sent.* 43. debet quidem cito spui, hoc est primis diebus, quoniam causæ benignitatem, morbificæ demonstrat, ex eo quod à natura facilè alterata, decocta, & superata maneat: Triplici enim de causa excernitur facilè, ob robur scilicet facultatis animalis, & humorum præparationem; tum & etiam instrumentorum obedientiam; nam si facultas languida fuerit, actionem loco-motiuam non poterit perficere: si instrumenta pariter affectione dolorifica, quæ validam exsuflationem impediat, vt sputum educatur, laborent, veluti est aliqua inflammatio, quamvis valida extiterit facultas, etiam talis excretio inanis erit; humorum tamen dispositio obedientialis prærequiritur, quoniam si humor glutinosus fuerit, vehementerque pulmonum fistulis adhæreat, impulsui facultatis expultricis obstabit: quare si facilè expuatur, laudabilem, & mediocrem humoris dispositionem, motricis facultatis robur, ac instrumenta à dolorifico affectu immunia esse, demonstrat.

Ex prædictis, æqualis illatio aliis sputi differentiis competit, quoniam si nihil spuatur, cruditatis, aut obscuræ coctionis erit signum: si mediocriter coctum sputum excernatur, manifestam coctionem, quemadmodum si qualitates, requisitaque superiùs dicta obtinuerit, perfectissimum coctionis signum apparebit. In morbis primæ regionis, excrementa similiter per deiectionem missa, laudabilem, vel prauam crisim valent significare: deiectio etenim in duplici est differentia, alia ex cibis assumptis; alia verò ex his, quę in ventrem ex genere venoso immodice confluunt, suscitatur; prior deinde deiectio, etiam est duplex, alia cocta, & singulo die scilicet in statu naturali facta; alia verò cruda, prima naturalis sine salubris, ex signis ab Hippoc. 2. *prognostic. sentent.* 13. cognoscitur dum ait: *Optima verò deiectio mollis est, constans, & quæ eo tempore excernitur, quo per bonam valetudinem; quantitas verò secundum rationem eorum, quæ fuerunt assumpta hoc est quod sanum ventrem esse demonstrat, coctionemque esse robustam, ac distributionem rectè celebrari.*

Alia verò deiectio est, quæ fit ex his excrementis, quæ ex vniuerso corpore in ventrem irruunt; hæc, vel est exquisita, & sincera, ac plurimum redundantes intra venas humores demonstrat; ita vt sit eruginosa, liuida, vel nigra, quæ deiectiones prauæ malignam causam arguunt, vel similiter deiectio est pinguis, quæ si ex cibi pinguis assumptione non eueniat, siue ab aliqua causa externa, certissimum liquationis erit indicium; idemque de lenta, siue glutinosa deiectione sentiendum est; ista enim in eo differt à pingui; quia pinguis, solum pinguedinis solidarum partium fusionem demonstrat.

Adductis iam differentiis coctionis, tam in vrina sputo, quam deiectionibus, vt imbecillam, siue obscuram, manifestamque coctionem cognoscamus, quilibet manifestè morborum tempora vniuersalia cognoscet, principium scilicet, tempore cruditatis, incrementum obscuræ coctionis tempore, statum manifestæ, & perfectæ, veluti declinationem permanente perfectione coctionis, cum symptomatum remissione discernet: ergo signa superuenientia coctionis, maximè conducunt ad morborum tempora vniuersalia discernenda, proptereaque dixit Hippocrat. *sed ex his, quæ mox apparent, indicia sumuntur, quemadmodum in morbo laterali, si statim sputum appareat, morbum breuiat, si verò non, producit, & deiectiones, & vrina,* &c.

Secundum præterea signum ex superuenientibus salutis est, & mortis, quod proprie morem, hoc est benignitatem, aut malignitatem morbi prænunciat, vt ex Galen. 1. *de crisibus, cap.* 14. afferente: *Quæ verò morem morbi demonstrant, trifariam diuiduntur, quædam in vrinis, in deiectionibus,*

deiectionibus, & sputis apparent, quędam in affectibus totius corporis; quędam verò in naturalibus actionibus, & animalibus inueniuntur; ex quibus signa salutis, & mortis, colligimus considerāda esse, vel excrementis, de quibus supra; vel ex affectibus totius corporis, vt sunt sudores; vel morbus regius, qui ante, vel post septimum diem apparet, vel ex symptomatibus, quę in corporis toto habito reperiuntur, vel ex actionibus naturalibus, vt sunt coctiones, & expulsiones; tum & etiam ex vitalibus, vt ex differentiis pulsus; vel denique, ex animalibus, vt sunt deliria, letbargus, ac alia.

Quamvis tamen signa salutis, & mortis, coctionis, & cruditatis, perpenduntur in excrementis, sub distinctione tamen alloquendum, quoniam quando excrementa, vt cocta, vel cruda inspiciuntur, signa coctionis, vel cruditatis, constituuntur ad discernenda morborum tempora, quoad breuitatem, vel morbi longitudinem; quando verò, vt benigna, vel maligna perpenduntur signa salutis, vel mortis, ad morem morbi demonstrandum conducunt.

Signis iam coctionis, & cruditatis, ac salutis, & mortis præostensis, Signa decretoria, quæ crisibus condonantur, exponenda vocitant: signa etenim decretoria dupliciter vsurpantur; quædā enim sunt signa simul, & causæ; alia verò solum vicem signi gerunt; quæ simul sunt signa, & causæ euacuationes sensibiles sunt effectu dignæ, vt vomitus, alui deiectiones, sudores, parotidæ, & alia similia; signa verò solum decretoria sunt, quæ solum significant, vt temporum grauitas, oculorum splendores, vertigines, capitis dolores, lachrymæ inuoluntariæ, aliaque similia: inter omnia tamen signa superuenientia hoc discrimen est notandum, videlicet, quod signa decretoria incerta, & infida sunt; nam eadem, quæ laudabilem crisim, eadem prauam possunt indicare: nam totam fidem, ac securitatem in prædicendo, ex signis coctionis, & cruditatis sibi assumunt, & emendicant, quoniam si appareant signa decretoria in statu, vel vigore morbi, coniuncta cum signis coctionis perfectissimæ, bona, & laudabilia sunt, solumque feruorem, agitationem, coctionemque materiæ insequuntur; si verò talia signa critica apparuerint, cruda existente materia, praua erunt, & malignitatem causæ morbificæ arguūt, vt Hippoc. loco assignato: *Cruda verò, & incocta, & in prauos abscessus conuersa prauas indicationes demonstrant; decretoria enim, quæ non decernunt*, vt idem 2. *epidem. sect.* 1. *Aut lethalia, aut difficilem indicationem habent.*

Signa denique salutis, & mortis, mediam iam prædicendi naturam obtinent: nam non ita fida, & secura, veluti signa coctionis, & cruditatis sunt, neque ita infida, & incerta, quemadmodum, decretoria; nam quæ sunt inter illa bona, perpetuò, ac permanenter idem ostendunt, quæ verò mala, semper malum denotant, vt Hippoc. 2. *aphor. sent.* 33. *Mente constare, & bene se habere ad ea, quæ offeruntur bonum; contrarium autem malum.* Non tamen ex hoc signo colligendum est, certam esse salutem, nec certam mortem, ex eo, quod contrarium eueniat, scilicet mente non constare, & malè se habere ad ea, quæ offeruntur; bene tamen, perpetuòque malum erit: Quare, cum inter prædicta signa, quædam sint fida, vt coctionis, & cruditatis, quædam infida, vt decretoria, quædam verò mediam participent naturam, vt signa salutis, & mortis, propterea aliquod signum ita fidele constituere oportet, vt ex eo fideliter, ac indeficienter prædicere de morbi futuritione valeamus, ideòque signa crisis imminentis, ac præsentis, maximè afferre expedit.



CAPVT XII.

De signis speciem crisis præsentis, & imminentis ostendentibus.



CVM supra sigillatum maneat cum Gal. crisim repentinam mutationem in morbis factam, ad salutem, vel ad mortem nuncupari; quæ quidem subita mutatio est duplex, vel per manifestas nimirum excretiones, vel abscessus effatu dignos; hoc est omnes morbi, qui per crisim iudicantur, necessariò per excretiones manifestas, vel effatu dignos abscessus terminantur; ideò de bis agendum venit, excretio quidem manifesta potiùs in morbis acutis obseruatur; materia enim tenuis, ad excretionemque parata est, natura etiam valida existit, quæ duæ causæ magis ad excretiones, quam abscessus concurrunt: abscessus enim in diuturnis morbis sæpiùs contingunt; nam cum bi morbi causam crassiorem, & frigidiorem obtineant, quæ tardo motu coquitur, ac difficilè excernitur, propterea per manifestam euacuationem non soluuntur; sed imò quia prædicta materia crassa, transponitur ex vnica in aliam partem, natura similiter, cum vi morbi diuturnitatis languida sit, humoremque morbificum coquere, separare, & excernere, facilè non possit, merito abscessus ab hac duplici causa, desumpta ex parte agentis, naturæ videlicet languidæ, & ex parte materiæ crassæ, & inobedientis, euenient; nam si tenues, ac calidi fuerint humores, valida, vt concoquantur, expellentur indigent facultate; si frigidi, validius naturæ robur requirunt; quare si humoris crassities, & frigiditas, naturæque maxima imbecillitas adsit, nulla crisis per excretionem, neque abscessum eueniet, imò interitus, vel morbus in aliam partem transmutabitur.

Ex quibus facilè, modi, quibus crisis media excretione videlicet, vel abscessus fit, elucescunt, vt Gal. *quicumque verò morbus*, inquit, *aliter quieuerit, aut celerior efficiatur, cum maiori malitia operabitur*, vt Hippoc. 3. *progn. sent.* 35. *Quibus febres* (ait) *cessant sine salutaribus signis, recidiua subest periculum.* Idemque firmat 2. *aphorism. sent.* 23. sic alloquens; *his, quæ prater rationem accidunt leuanda, fidere non oportet*; hoc est, quæ sine signis coctionis leuant, vel sine aliqua insigni euacuatione; nam si aliquod leuamen

abſque cauſa videtur, abſque coctione nimirum, & euacuatione cauſæ morbificæ, vt pluries in morbo ſuffocatiuo euenit, in quo ægri immunes à febre videntur exiſtere, peſſimum quidem, ac exitioſum aderit ſignum, quoniam quando inſitus calor vi ſuffocationis extinguitur, humores, excrementaque venarum, non agitat, neque mouet: nam præ ſumma imbecillitate coctio impeditur; ſicque laborantes, nec febricitant, nec laborem perſentiunt; ſicque ſenſus iudicio, exigua videtur affectio, licet re vera periculoſior fuerit.

Ex quibus infertur, ſecuriorem prognoſim fore, dum natura valida, calorque potens adeſt ad humores ebulliendos, alterandos, coquendos, & excernendos, quamuis dum natura coctionem aggreditur, maiora ſymptomata eluceſcant, vt Hippoc. 2. *aphoriſmor. ſentent.* 47. inquit: *dum pus fit dolores, ac febres accidunt magis, quam ipſo confecto.* Cuius eſt ratio, quia natiuus calor validus, humores quodammodo ad immutationem, ſiue alterationem, & laudabilem coctionem amplectitur; quare non febricitare, aut parum, in morbis aliquibus, vt in malignis febribus, tyronibus quidem medicis parui fit, cordatis verò potiùs pernicioſum, & mortiferum ſignum apparet; nam cum accidentia mitiora videantur, nonque immanitati, ac ſæuitiei morbi reſpondeant, potiùs prauitatem, exitialemque morem, ſiue conditionem ſignificant, quod pulcrè Galen. ſubleuauit iuxta Hippoc. verba, 3. *de morbis vulgaribus commentar.* 1. in hiſtoria Hermocratia textu 6. in hunc modum: *Circa diem* 11. *omnia illi viſa ſunt remiſſa eſſe*, & ſubſequenti textu 8. addit idem, Hipp. *quatuordecimo die à febre erat liber, & non ſudauit* 27. *obiit.* En quomodo tale fuit citra rationem leuamen, proptereaque, vt malum iudicandum.

Nec fallat aliquos, vrinam coctam apparere, ad præoſtendendum, leuamen iam fuiſſe ſecundum rationem, eo quod coctio præceſſerit, cum multoties peius, ac pernicioſius, ſignum ſit, vrinam coctam apparere, vt Galen. *in commentar.* 21. prorrheticorum iuxta textum 24. explicuit, *& vrina cocta male, &c.* Ideſt in febribus malignis, vrinas coctas peſſimum eſſe indicium, cum accidentia morbi malignitati non correſpondeant, vt Auicenna *cap. de febre peſtilente* manifeſtè exponit, ſic alloquens: *Et non alteratur pulſus, & aqua magna alteratione, & cum hoc ipſa eſt interficiens velociter, & hæſitant medici in eſſe eius*; ideſt pulſus ferè ſimilis naturali, & aqua, hoc eſt, vrina bona, quam vrinam perfectè coctam, in quibuſdam febribus peſtilentibus inſpicimus, quæ pernicioſiores, multoque deteriores, quam illæ, in quibus ſubiugalea, nimiſque craſſæ, ac turbulentæ reperiuntur.

Si tamen quis ingenue dubitet; quare in aliquibus affectibus malignis, & peſtilentibus, ſigna in vrina, pulſo, morbi peſtiferæ conſtitutioni non correſpondeant? Quamuis febris ex materia maligna in venis exiſtenti ſuſcitetur, ac foueatur, & ob quam cauſam aliquando medicis, ægros non febricitare videatur? Plurimi vt rem arduam, huiuſmodi merito difficultatem, iudicant; cui tamen aliquibus ſelectioribus rationibus ſatisfaciam; & priùs difficultati de pulſu allatæ aliqui reſponſum præbent, aſſerendo, multoties pulſum eſſe quaſi naturalem, eo quod cum facultas pulſatilis, vna ex cauſis continentibus, languida exiſtat, & intenſior ſit vſus, ſiue finis attemperationis, quam par ſit virtus pulſandi, in tali caſu, inter ad auctum vſum; & facultatem pulſatilem imbecillam, non valentem celeriter, quantum exigit vſus, arteriam mouere, proinde fiet pulſus non ita languidus, nec tardus, ac ſi eſſet citra vſum adauctum, nec ita validus, & celer, ſi eſſet citra languorem, cum ſimul facultas robuſta, & vſus adauctus concurrerent: quando verò languida exiſtit virtus pulſifica, aliquos efficit pro vſu adaucto conatus, etſi non omnes, qui conatus, cum nec validi ſint, vt in ſtatu naturali, nec ita tardi, vt quando ſunt ſine vſu, ideò exurgit pulſus medius inter celeritatem, & tarditatem, & inter pulſum magnum, & paruum.

Confirmatur huiuſmodi ſentiendi modus ex paritate deſumpta exemplo conualeſcentium; nã quemadmodum quis dum à morbo, in ſtatu neutro, adhuc viribus non validis pollet, in tali quidẽ ſtatu, ſi præ vitæ periculo, timeat tantum, aut inimicum fugiat, aliquos conatus, vt immunis à periculo euadat, efficiet, ita vt motus non tardus, ac ſi eſſet liber ab omni ſuſpicione diſcriminis; neque ita celer, ac ſi eſſet, in ſtatu perfectæ ſalutis: Vnde motus fugæ medius, ſiue mediocris, inter celeritatem, & tarditatem fiet, non aliter in noſtro caſu de pulſu, qui naturalis apparet, perſentiendum venit.

Sed huiuſcemodi reſpondendi ratio, etſi aliquod veritatis veſtigium adducere videatur, non tamen omne; hæc enim reſponſio ſolum alloquitur de febre, prout eſt ſola intemperies; non verò prout malignitatem, vel peſtilentiam complicatam obtinet, & in tali caſu, vero non conſonat; omnes enim fatentur cum Galen. quod dum calor eſt præter naturam intenſus, neceſſario vſus, ſiue finis attemperationis increſcit; in quo caſu omnibus continentibus cauſis, vt eſt facultas inſtrumentum, & vſus, concurrentibus, potiùs pulſus in triplicem dimenſionem immutatur, ideóque fit magnus; ſicque priùs apponitur magnitudo; deficiente verò facultatis pulſificæ valido concurſu, cum iſta, quamvis inſtrumentum videlicet arteria obediat, non poſſit æquè vſui ſatisfacere, apponit celeritatem, quam ſi præ imbecillitate non aggrediatur, ad frequentiæ motum arteriæ ſe reducet; ex quo infertur, nunquam ex tali vſu adaucto cum facultate imbecilla, pulſus mediocris, & naturalis fiet, ſed vel celer vel frequens, indigentiam videlicet, ſiue vſum à temperationis ad penſum roboris, vel languoris facultatis inſequens.

Subtiliori tamen, ac ſplendeſcenti calamo, quidam difficultatem dilutam reliquit, aſſerens, quod cum eundem, ordinem natura ſeruet ad fruendum inſtrumentis propriis, in ſtatu ſalubri, pro ipſo ſeruando, ac in ſtatu morboſo, pro ipſo deuaſtando; hinc eſt, quod quemadmodum ad calorem natiuum conſeruandum, motum cordis, & arteriarum conſtruxit, vt

medio

medio ipſo tum materia partialis, ad ſpiritus vitales generandos, tum natiuum calorem attemperandum, attraheretur.

Ita pariter in ſtatu morboſo, ob eundem finem, licet pro intemperie febrili, ſuperadditum, talem natura motum cordis, atque arteriarum adauget; tum ad prædictum aërem attrahendum; tumque ad fuligines vi caloris ignei genitas expellendas: propterea cum in febribus ita malignis, quam peſtilentibus, tanta ſit veneficorum vaporum copia ex humorum putredine eleuata, quæ maximam cum cordis ſpiritibus contrarietatem, qualitatemque deleteriam obtinet, & huiuſcemodi vapores, tum ex arteriarum motu, ac ex cordis dilatatione, quo maior vehementiorque fuerit motus, in maiori etiam quantitate ab ipſo corde attrahentur, vt prædicti ſpiritus deuaſtentur, atque corrumpantur, propterea vt cor eorum malignitatem, & veneficam qualitatem fugiat, ne hos vaporea immodicè ad ſe attrahat, non audet dilatari, nec inſtrumenta, ſcilicet arteriæ celeriter mouentur, quemadmodum ſi quia inimicum fugiens, ingreſſum ſuæ propriæ domus, ſiue arcis prohibet; ſicque eadem ratione cor pertimeſcens (ſi ita loquar) certum caloris natiui interitum, ne citiſſimè, ſibi mortem ſolicitet, dilatationem celerem, & frequentem recuſat, ſed eam, quæ par ſit pro naturali ſtatu ad proprium, natiuumque calorem conſeruandum efficit, vt inde pulſus naturalis appareat, cum re vera potiùs fallax, & maximè præter naturam exiſtat: genuinam, ac metaphyſicam, diſſoluendi nodum, rationem cullandu.

Nec minus quis, aciem, ſplendoremque mentis, in difficultaria deciſione, ſubleuabit, aſſerens, quod cum motum pulſificum, non ſolum facultas pulſatilis media temperie, ſed etiam media illuſtratiua qualitate, à corde diſtribura, concurrat, & hue ſit mediis ſpiritibus vitalibus, veluti in concurſu facultatis, tam ſenſificæ, quam loco-motiuæ, talis irradiatio eluceſcit, hinc eſt, quod tales ſpiritus debita temperie, quantitate, vel copia, modoque ſubſtantiæ perfecto, ad propriam actionem obeundam, indigent. Quare ſi huiuſmodi ſpiritus affecti ſint, vel intemperie, quia calidiores, vel in quantitate exigua, quia pauci, vel in modo ſubſtantiæ, quia craſſi, opaci, obſcuri, tenebricoſi, ac fuliginoſis excrementis permixti, in tali caſu actio læſa inducetur.

Quo ſuppoſito, in febribus malignis, ac peſtilentibus: Quoniam ſpiritus vitales, qui per lucidi, conſpicui, tenues, rari, ac ignei eſſe debebant, potiùs ob permixtionem, quam cum vaporibus terris, caliginoſis, ac fuliginibus opacis, denſiſque obtinent, ita incraſſantur, obſcurantur, nigreſcuntque, vt (veluti nebula ante ſolem) impediant, ne cor poſſit per irradiationem, ſiue influxum, ad arteriarum motum celeriorem concitandum, concurrere: ac proinde etſi vſus ſit adauctus, indigeatque pro febre contemperanda celeriori, ac frequentiori pulſu, potiùs propter ſpirituum opacitatem, debito influxu (etſi non in totum) impedito, pulſifica facultas ſit veluti ligata, mentitur aliquam pulſus mediocritatem in magnitudine, celeritate, ac frequentia, abſque eo, quod cauſa finalis eluceſcat, vt eſt attemperationis indigentia, intenſiſſima febre maligna exiſtente, præ defectu luminis, quod à luminoſo impedito, videlicet corde, non communicatur.

Quia tamen Galen. hanc non exiguam, imò arduam difficultatē, 3. *de præſagatione ex pulſibus, cap.4.* tetigit, aſſerens: Ex eo quod pulſus fere ſimilis naturalibus ſoleat inueniri, maiorem prauitatem, malignitatem, ac humorum veneficam diſpoſitionem reperiri; ſicque cauſam huius euentus & rationem genuinam adducit, his verbis: *Sique ſit aliqua viſceris intemperies (ſcilicet cordis) vt aliam ipſum corpus temperiem habeat, aliam ſanguis, & ſpiritus, qui ſunt in eius ſinibus contenti, inæquales pulſus nunquam efficit, ſed ex affectuū confuſione pulſus medium quendam ſtatum ſortiuntur.* Quibus verbis acutiori ratione Galen. demonſtrat; quare pulſus ſimiles naturalibus appareant; nam cum tanta contra operantia ex affectuum multitudine, ſiue confuſione, tantaque malignitas comitans reperiatur, potiùs huiuſmodi pulſuum motus mediocris apparens, alterationes contrarias inter ſeſe operantes, ſequitur, abſque eo, quod natura per ſe, & directè concurrat; imò malignitatis vi ſuperante, cum inæquali affectuum cumplicantia, talis pulſationis æqualitas ſemper, reuera, fictitia eſt, etſi apparenter, ſenſuſque iudicio ſatisfacere videatur, quæ Gal. verba ita ſigillata cuiuſlibet periti menti, debent maximè permanere, vt ingeniſſimum honoris culmen, in veriori præſagiendi ratione, ſubſequatur.

Lotium verò, vt *ſuprà* dixi coctum, pluries præter rationem apparet, ex eo quod ſi dum calida intemperies cordis corpus occupat, humores tamen frigidiores ſint, in tali caſu, lotium non multum immutatum videtur, & abſque vllo ſedimine adeſt; natura enim humores rebelles, atque malignos, & in penitiſſimis iuxta cor partibus deliteſcentes, & veluti celatos, nec coquere, neque deuincere, neque per lotium valet expellere, quoniam primum naturæ opus eſt, cauſam morbificam coquere, ac ſuperare; deuictam verò iam, per lotium expellere; quapropter nullum in eo ſedimen apparet, hoc enim eſt pars materiæ morbificæ intra venas exiſtentis, ex quo facilè malignitatis conditio, morbique cacoëthia percipitur, cum cauſa incoctilis, ac inuincibilis naturæ coctionem ſubterfugiat, potiúſque in cordis imis partibus deliteſcens, ipſius calorem, ac ſpiritus extingnat: Ex quibus, clareſcunt modi, quibus morborum criſes fiant, per euacuationes nimirum manifeſtas, vt in acutis, & calidioribus, vel per abſceſſus effatu dignos, in frigidioribus, validoque naturæ robore exiſtente: Alias enim viribus deficientibus, potiùs interitus eueniet, aut affectus in aliam ſpeciem tranſmutabitur.



CAPVT V.

De requisitis simpliciter necessariis, vt bona crisis eueniat.



QVÆ igitur laudabilis, & bona, siue mala sit crisis, quis abscessus legitimus, siue illegitimus fuerit, videndum in præsenti off.rtut. Excretio quidem salutatis, & bona illa dicitur, quæ commode fit: vt tamen commodè contingat, quatuor necessaria requiruntur, qualitas nimirum laudabilis, quantitas sufficiens, tempus opportuunm, tandemque modus excernendi naturæ familiaris: qualitas etenim humoris, qui excernitur laudabilis erit, si, & peccans, siue morbificus humor coctus, & deuictus excernatur, quod Hippoc. doctrina satis manifestat 1. *aphorismor. sentent.* 2. asserens: *in perturbationibus ventris, & vomitibus sponte factis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, conferunt, & leuiter ferunt, &c.* Idem firmatur, 25. *secundi libri, si qualia oportet purgari, purgentur*, eodem similiter *lib.* 23. *euacuationes non multitudine sunt æstimanda, sed si talia qualia, &c.* nec minus 4. *aphorismor. sentent.* 2. *in medicationibus, talia educere ex corpore, qualia spontè prodeuntia vtilia, &c.* in 3. pariter eiusdem 4. *si talia qualia purgari oportet purgentur conferunt, &c.* Hæc, & alia aliis in locis apertè ostendunt, quam necessarium sit, specificum, & morbificum humorem euacuandum esse, vt crisis laudabilis sit.

Quod verò humoris excernendi, coctio præcedens requiratur, plurimis etiam in locis Hippoc. scripsit, quoniam cruditate dominante, crisis nulla salutaris spectanda est; *nam quicumque diebus criticis riguerunt, indeque meraca vomuerunt. Pessimè omnes se habuerunt.* Præterea Gal. euacuationes quæ potiùs materia cruda existente accidunt, vt in morborum principiis apparent maximè contemnit, quod *comment.* 22. *aphor.* 4. expressè exponit inquiens: *Quando aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur ratione naturæ, sed sunt omnia hæc, casu præter naturam earum, quæ sunt in corpore dispositionum: quo enim in tempore à causis quidem morbum facientibus natura grauatur: Adest autem cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari est impossibile, siquidem oportet coctionem præire, subsequi verò discretionem, & postea euacuationem, vt bona sit crisis, siue iudicium.* Ergo ex Gal. clarescit quantum, vt crisis sit bona, oporteat, quod materia morbum faciens, decocta, & superata sit, sub quo nomine humoris qualitas, siue species perpendenda offertur.

Requiritur prætetea, vt critica excretio salutaris sit, quantitas sufficiens: omnis enim humor noxius euacuari debet, non quidem per partes, sed omnimodus; alias enim plurima incommoda immineut, vt Hipp. 2. *aphorism. sent.* 12. *Quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere, consueuerunt.* Quantitas etiam proportionata, moderataque, habita ratione ad vires debet esse; nam veluti nihil paucum est criticum, ita, quod nimium, est periculosum: de eo, quod paucum excernitur, Galen. *in comm.* 47. 2. *aphorismor.* alloquitur, asserens: *Quod eorum, quæ critica sunt, nihil conuenit esse paucum, nam quod paucum excernitur, aut malignos humores, multosque à natura non posse regi, aut summam naturæ languentis exolutionem prænuntiat.* Ideóque apud Hipp. suspectæ sudatiunculæ sunt, stilla sanguinis, exigui vomitus, & sic de aliis.

Immodica etiam excretio est periculosa, vt Hippoc. *aphorism.* 2. *sentent.* 51. firmauit: *Multum; & repentè euacuare, & replere, &c. periculosum: omnes enim nimium naturæ est inimicum.* Secundo etiam *aphorism. sent.* 22. priorum prorrheticorum, *in acuta febre, qui copioso sudore diffluunt, malè se habent*, deinde *in epidemiis, profusior omnis hæmorrhagia terrifica est*: similiter *aphorism.* 4. *sentent.* 25. *quibus in febribus sanguinis multitudo effluxerit, quacumque ex parte, cum reficiuntur, alui humectantur*; ex his omnibus igitur locis, satis, quam periculosa quæcumque corporis euacuatio immodica sit censenda, constat, vt assentiamus prædictæ doctrinæ, euacuationem videlicet criticam: secundum quantitatem moderatam ad vires, futuram esse, vt tandem 1. *aphorismor. sentent.* 3. inquit: *Quod neque euacuationes ad extremum ducendæ, cum hæ, quæ ad extremum deducunt, periculosæ valde sint, veluti etiam repletiones, cum extremæ fuerint.*

Vlteriùs, vt excretio proficua sit, tempus debitum, signaque dies criticos indicantia, in quibus talis crisis contingere debeat, requiruntur; nam quæcumque, diebus non criticis contingunt, vt suspecta tenenda; in excretione denique perfecta, familiaris excernendi modus inspiciendus, & laudandus est; excretio enim, primo confertim debet fieri, non verò sensim, & paulatim, tum etiam per loca conferentia, & legi naturæ commoda: fieri autem per loca conferentia cognoscendum est, si tria necessaria concurrant; primum quidem si locus, siue pars recipiens non dignior, & perfectior sit, loco. In quo morbus extiterit. Secundum, si debitam vasorum rectitudinem obtineat: vltimo, si transitus, siue vias, per quas, patentes habeat.

Prima conditio videlicet, quod excretio non per loca nobiliora fiat, ex vehementi patet periculo, quod dum excretio fit à partibus ignobilioribus ad nobiliores euenit, vt in empiemate, pleuritide, & peripneumonia patet, materia in cauitate thoracis contenta, quæ sæpè, vt Galen. inquit 6. *de locis affectis, cap.* 4. per arterias, sinistrumque cordis ventriculum, in renes expurgatur, multique in huiusmodi expurgatione moriuntur, secunda deinde necessaria conditio, in excretionis modo secundum vasorum rectitudinem, constat ex *sentent.* 33. sectionis tertiæ prioris prorrheticorum, his verbis: *Sanguinem è diuerso fluere, malum est, vt in liene magno, si à dextra nare fluat; excretio enim, quæ ex eodem loco fit, validam naturæ expellentis contentionem*

contentienem

tentionem arguit; veluti quæ è diuerso humoris malignitatem, partisque affecta intensam imbecillitatem ostendit.

Tertia demum necessaria conditio, in excernendi modo ex viarum transitu, ac ductuum peruietate desumpta, vt noxius euacuandus humor, facilè à natura expelli valeat, probatur ex Hippoc. *6. epidemiorum sectione 3.* vbi sic fatur: *Transitus apertos esse oportet, & alia, quibus opus est.* Patet similiter ex eodem Magistro *1. aphor. sentent. 10. Cum quis purgare voluerit fluida facere oportet:* Vbi ex doctrina Galen. *in commentar.* non solum fluxibilitas ex parte humoris euacuandi, verum etiam ex peruietate meatuum intelligitur, de qua; in præsenti alloquitur Hippoc. dum ait: *Transitus apertos esse oportet, & alia quibus opus est*: Quæ verba maximè, cum aliis Hippoc. consentiunt, asserentia: *Vt oportet, & qualia, & quando, & qua parte, & quantum opus est.* Quarè prima particula, *vt oportet,* modum excernendi designat. Secunda, *qualia,* qualitatem humoris morbifici denotat. Tertia verò particula, *quando*, tempus debitum, tam ad coctionem, quam ad criticum diem præscribit; tum & etiam ad euacuationem ab arte exercendam extenditur, *vt cocta medicari oportet.* Quarta verò particula, *qua parte*, rectitudinem vasorum designat. Quemadmodum, quinta, & vltima, *quantum*, humoris quantitatem non exiguam, quia non criticam, nec nimiam, quia periculosam decernit: quibus satis infertur quomodo vnusquisque, an crisis legitima, vel illegitima extiterit, cognoscere valebit.

Sed nec solum omnes, excretionis laudabilis, conditiones intelligere expedit, verum etiam in aliis morborum terminationibus, videlicet abscessibus, omnia eorum requisita perpendere oportet, vt venerandus senex *6. epidemiorum, sectione 2.* manifestè, dum dixit, aperuit; *considarandum autem, quo, vnde, & propter quid: quo* partem in quam humor transfertur, *ac decumbit significat*: *vnde*, partem mandantem, ex qua fluit: *propter quid*, causam ob quam talis abscessus ortum ducit, designat; an scilicet huiusmodi abscessus nascatur victo iam, & concocto morbo à natura; an verò à materia cogente, vexanteque ipsam naturam ad expulsionem, humore adhuc existente crudo. De parte quidem in quam humor decumbit, primo loquendum venit; necessariò siquidem debet esse pars recipiens vilior, imperfectior, inferior, valdéque à parte affecta remota, debitam, ac sufficientem capacitatem, & amplitudinem ad recipiendam materiam morbificam habens: quare ratione partis recipientis, vt abscessus legitimus, & laudabis fiat, huiusmodi pars procul, siue remota à loco affecto, inferior, ignobilior, & capax pro morbi dignitate debet esse, vt Hipp. *2. epidem. sect. 1.* inquit: *Quod optimi sunt abscessus, qui infra fiunt, & longissime infra ventrem, ac remotissimi sunt à loco.*

Quod similiter debita, & sufficiens partis capacitas sit necessaria patefit in epidemiis, prorrheticis, & coacis *sect. 1. lib. 2. epidemiorum*; nam si humor in partem ad recipiendam materiam morbificam ineptam, & incapacem decumbat, manifestum citissimæ mortis periculum imminet; nam cum humor noxius possit de nouo ad internas, ac nobiliores partes iterum recurrere, propterea perquam citissimam mortem valebit inducere; animaduertenda est igitur breuiter ex Hippocrat. in abscessu legitimo, & laudabili, tota expositio prædictis particulis, videlicet, *quo*, idest in quam partem fiat decubitus; *vnde*, idest à qua parte, dextra ne; An sinistra laborante mittatur? ita vt si dextra extiterit affecta, in dextram, quemadmodum si sinistra, in sinistram fiat decubitus, ideoque Hierophonti accidit, cui cum intumuisset lien, oborta est in sinistro crure abscessus, & præter spem conualuit.

Vltima in abscessu particula notatu digna est, *propter quid*: hoc est, an cocto à natura morbo, abscessus fiat; an verò ipsa natura irritata, crudo existente morbo, siue materia morbifica, abscessus contingat: iste enim prauus semper erit, nulloque modo perfectè iudicabit: vt Hippoc. *1. epidemiorum, sectione 2 cruda verò, & incocta, & in prauos abscessus conuersa, aut morbi longitudinem, aut periculum, aut mortem minantur:* quapropter legitimus, & salutaris abscessus, deorsum, à parte affecta valde distans, pro morbi dignitate, secundum vasorum rectitudinem, morboque victo, & concocto, vel si malueris causa morbifica alterata, victa, & reducta, debet fieri.

Nec minus ad crisim stabiliendam perfectam, aliqua, quæ in optimo iudicio debet apparere, conducunt, vt firmat Galen. *3. de crisibus, cap. 3.* hac ratione: *cum verò hæc omnia tibi fuerint explanata, tunc ex euentu aliqua sunt assequenda; si enim qui laborat, indicatus est, febre saluetur, aliisque symptomatibus liberetur, ac proportione euacuationis meliore colore sit præditus, & melioribus pulsibus, & in actionibus robustior, hoc quidem optimum est indicium; si verò aliqua horum deficiant, tantum ab optimo est, quantum quod deficit, facultas existit.* Quibus, expeditam Gal. methodum proponit, qua ex signis crisim subsequentibus, eam vt laudabilem indicemus: actiones enim, vel naturales sunt, vitales, vel animales: si ergo peracta crisi, cibum æger appetit, bene concoquit, & tandem digerit, validioresque pulsus, & animales motus edat robustiores, optima erit crisis; quod si contrarium, vt cibi fastidium, nausea, ructus acidi, aut nidorosi, sitis, ac hypochondriorum tensio remanserit, signa impuritatis aderunt, & aliquid reliquiarum morbi, intra corpus relictum fuisse significat; vt Hippoc. *2. aphorismor. sentent.* 8. inquit: *Si à morbo cibum assumens, quis non corroboretur, plurimo alimento vti significatur, quod si non assumenti hoc accidat, scire oportet, quod indiget euacuatione.* Cuius est ratio: nam si assumens quantitatem cibi, non corroboratur, certum est, rectè iudicatum non fuisse; quia vt Magister *sentent. 9.* inquit: *Corpora impura quo magis nutries, eo magis lædes*: Cum quidquid recipitur, admodum recipientis, recipiatur, vt in bonam, vel malam naturam conuertatur; vnde, facilè ex tali materia intus relicta, recidiuas possumus timere, vt ex Hippocrat. suprà: *Quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt.*

X 3 Confirmat

Confirmat pariter Hippoc. optimæ naturam criſis, *ſentent.* 32. einſdem, ſic alloqoens: *Omnes fere, qui male ſe habuerunt circa initia, cupide comedentes, nec quidquam proficientes, ad extremum rurſus cibum non appetunt, hi enim melius euadunt.* In qoa ſententia Magiſter ex actiunibus naturæ, appetitu, partium robore, ex optima illarum nutritione, conſequoto, veram conualeſcendi rationem firmat, ac laudabile indiciom, ſioe criſim præceſſiſſe demonſtratut: ex actionibus pariter vitalibus idem inferri valet; vt Galen. *in commentar.* 3. 4. *aphoriſm.* ex conſeſentia, ex parte homoris deſumpta, ac ex tolerantia, habita ratione ad virtutem vitalem, euacuationem criticam eſſe bonam, adiuuenit; quemadmodum etiam in animalibus actionibus, perfectio criſis eluceſcit; velnti ſi mens tranqnilla, ſenſuſque integerrimi ſint; vt Hippocrat. 2. *aphoriſmor.* inquit: *Mente conſtare, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur bonum, &c.*

Non aliter ex vniuerſalium natura excrementorum, perfectio, ſiue defectus criſis poterit perpendi; ſi enim poſt criſim tenues vrinæ appareant; recidiuam, morbumque rectè iudicatum non fuiſſe demonſtrant, vt Hippoc. 3. *epidemiorum, ſect.* 1. *agrot.* 2. qui fuit Hermocrates: *His etenim* 14. *die fuit à febre liberatus* 17. *die vrinæ tenues apparuerunt, &* 27. *mortuus fuit*: Ergo illatio legitima eſt, nimirum, quod die 14. non fuit rectè iodicatus, ex qua ductrina euacuationes, ſiue abſceſſus, qui contrario accidunt modo, vt ſymptomatici ſunt habendi, cum contrariorum eadem ſit lex: ſi enim poſt euacuationem humoria, portio morbum facientis, intus relinqoatur, ex ſignis nuper dictis pateſiet, vt ſitis intus relicta, oris amaritudo, inſuauitas, ac inappetentia, cum ex his morbum perfectè ſolutum non eſſe, clareſcat.



CAPVT VI.

In quo determinatum tempus, & modi, quibus morbi ad ſalutem, vel mortem terminentur, exponuntur.



VM perfecta criſia, norma, ſiue regula aliarum extiterit, merito Gal. poſtqoam rationem illius præcugnoſcendæ adduxit, iam diſputationem de imperfecta, & mala criſi, quæ ad mortem terminatur, conſtituit: ſed vt faciliùs, id conſpicuom appateat, tres morbi motationes, Galen. proponit t. videlicet eſt, qoando aliqois ſubito, & repente per manifeſtam excretionem, aot affatu dignum abſceſſum liberatur: alter verò eſt modus, quando per aliqoam prædictam eoacuationem, etiam liberator, cum diſcrimine tamen, quod non integrè, & perfectè: primo qoidem modo dicto, perfecta criſis; ſecundo verò imperfecta, & deficiens criſis nuncupatur, tertius denique modus eſt, cum morbus ſenſim finitur, qui modoa potiùs morbi ſolutiu, quam criſis appellatur, quibus ad ſalutē mutationibos, tres ſimiliter aliæ ad mortem mutationes poſſont euenire; quarum prima eſt vbi æger vehementer, ac maxima cum perturbatione, quæ præceſſit, ſimul ab aliqoa excretione, aot decubitu effatu digno emoritur; quæ criſis perfectè mala nominator: ſecunda verò mutatio, ſioe modus, eſt cum æger non repeotè cum his, qnæ ſunt dicta perit, ſed multo deterins, quam antea ſe habebat exiſtit, quæ criſis mala, & imperfecta vocatur, quia imperfectè morbum ad mortem iudicat; tertia tandem mutatio eſt, quando paulatim laborans in mortem tendit, quę terminatio potiùs in morbis, paulatim humidum natiuum abſumentibus, vt in maraſmo, & aliis, euenit.

Quibus ſtabilitis inqnit Galen. *Quod præſagia morientium & praua criſis incerta ſunt*; quare certa, & indefectibilis ratio futuras, & malas cognoſcendi criſes, non valet præſcribi, ſed potiùs artificioſa, & conicctnrali ratione, debet medicus operari: Propterea qood, cum tres ſint morientiom modi, primo quidem; an ſint media criſi moritori, ſecundo qua die. Tertio an ſenſim mors ſit futura, eſt animaduertendum, qoæ omnia ex dicendis conſtare valent; nam ſi in die indice, aliquod ſignum prauum appareat, ſequenti die decretorio, futuram criſim prauam oſtendit, vt ſi quarto die, vrina nigra appareat, omoiaqoe concomitantia, & ſuperuenientia, ſymptomata pernicioſa fuerint, ſequenti quidem die decretorio, ſexto nimirum, vel ſeptimo æger morietur, præcipuè tamen 6. ſi per dies pares morbus moueatur.

Sed cum aliquando citra criſim ſoleat mors euenire, ideò tria mortis ſigna à Galen. adferuntur, quorum primum, & præcipuum, eſt virium imbecillitas; nam languidæ vires aduerſus magnum, malignumque morbum nullatenus poterunt dimicare: ſecundum, ſi nullum ſignum coctionis appareat; hoc etiam eundem naturæ languorem demonſtrat: tertiom deoique ſignum, ſi magnus, & malignua fuerit morbua, non tamen celeriter, ſed ſenſim moueator; nam ſi celer morbi motus reperitur, mors media criſi ſubſequetur, qui modus, mortis tripliciter contingit, vt Galen. 3. *de criſibus, cap.* t. videlicet, vel qoando æger in acceſſionis principio moritur, & hoc eſt, cum morbi ex multitudine ortum habent, vt in partium internarum inflammationibus; vel cum craſſities, ſiue lentor materiæ meatus obſtruentis, adeſt; vel vbi repentinus humoris motua ad interna reperitur, qui naturam opprimendo, deuaſtat, caloremque natiuum obruendo, ſuffocat.

Secundua, etiam mortis modus in acceſſionis declinatione ſolet accidere, dom adhuc eſt veloti compreſſa, & conſtricta natura, colorque naturalis in corporis medio ad externa mouetur, vt qui in nimio gaudio virtute laxata pereunt; vnde plurimi antequam acceſſionis ſtatus, ſiue vigor ſit lapſus, incipiunt mori, qood multos medicos, ſecutā declinationem cogitantes, ſolet decipere, neque ex hoc colligendum eſt, in vniuerſali totius morbi vera declinatione, poſſe aliqoem mori,

mori; nam cum tota morbifica materia, tam coniuncta, quam antecedens, morbo te vera declinante, necessario fit alterata, & deuicta, nequaquã poterit natura succumbere, sed solum ob aliquem extrinsecum errorem, vel quia materia in aliquam de nouo partem transmutata, iterum recrudescens potiùs nouum morbum constituat, in cuius principio, non verò in antecedentis morbi declinatione, æger moriatur, vt satis, in disputatione de febribus, diffusè explanatum manet.

Tertius verò modus mortis citra iudicium, siue crisim, in morbi vigore accidit, quando magna morbi vehementia reperitur, naturaque præ nimia morbi violentia superata est, qua de causa, etiam licet raro, qui maximo grauamine afficiuntur, in morbi vehementia moriuntur: ex quibus infertur medicum non solum posse diem, verum etiam horam prædicere, quod ex duplici fonte dimanat; primo, si quantum naturam morbus superet, perpendamus: secundo ex grauioribus accessionibus; quoniam si morbus multum naturam superet, mors eueniet: ac die quo id accidat, cognoscetur ex circuitibus, siue accessionum periodicationibus: nam die, quo accessio fortior, & vehementior contingat, prædicto die æger vitam deperdet: qua verò hora, id potiùs contingere possit, discemus, ex eo quod, si morbus fuerit aliqua interna inflammatio, aut ex grauamine pendeat, cum in prædictis morbis, in accessionis principio ægri moriantur, propterea, illa hora, qua, fit accessionis principium, mors eueniet. Idemque iudicandum venit de statu morbi, habita ratione, ad diem, & horam, in qua æger magis grauatus, laboriosusque fuerit, & perniciosiora symptomata appareant, mors quidem die, atque hora indicata accidet; veluti si quarta die morbi, horaque tertia post meridiem, peius æger se habuerit, & symptomata vehementiora exacerbentur, eodem die decretorio, & indicato, sexto nimirum, vel septimo, eademque hora, qua laborans, vehementius labefiat, vitam cum morte commutabit.

Etsi hæc, vt *suprà* dixi, maximè animaduertenda sint, fallax tamen, & incerta prædictio aliquando in morborum mutationibus ad mortem fiet, potiùs, quam ad salutem, ratioque à Galen. adducta est, quia in laudabili ad salutem iudicio, natura valida, & robusta, dominante virtute, supra materiam noxam viget, propria veluti ratione agit, suisque ordinatis motibus operatur, neque casu aliquo interturbatur; quare cum certi, definitique illius motus sint, certæ etiam de illis prædictiones fieri valebunt; contra verò in prauo iudicio, cum natura languida existat, deuictaque, & superata à materia morbifica sit, ex hoc languore, incerti atque inordinati naturæ motus fiunt; ac proinde incognoscibiles, veramque medici prædictionem effugiunt.

Ex præhabitis, iam perfectam, vel imperfectam, vnusquisque iudicationem morborum potest cognoscere, & cum tale iudicium potiùs in diebus decretoriis, quam in aliis eueniat maxima cum ratione institutum Hipp. *de diebus decretoriis*, in quibus huiusmodi crises per sudorem apparent, necesse erit exponere, ita vt virtus, ac differentiæ inter dies decretorios, & non decretorios clarescant.



CAPVT VII.

De natura, & differentiis dierum decretoriorum.



CVM inter omnia, quæ maximè, vt euentus criticus laudabilis sit, concurrant, sint dies decretorij, merito hi inter se distinguendi sunt; in cuius intelligentiam, dies alios decretorios, alios è contra, alios verò medios esse prænotandum est: dies quidem decretorij vt dictum manet, sunt illi in quibus plurimæ, & perfectissimæ crises expositæ fiunt; non decretorij verò sunt, in quibus nullæ apparent, aut si apparent, non ordine naturæ, sed potiùs à morbi irritamine suscitantur: dies verò medij sunt, in quibus, neque ita frequenter, neque ita raro contingunt.

Dies præterea, vel infra vigesimum enumerantur, cum vigesimus finis, & terminus morborum acutorum sit; hi enim morbi celerrimè mouentur, ac per quaternarios vehementes mutationes efficiunt, morbique breues nuncupantur, veluti morbi longiusculi, & acuti ex decidentia supra vigesimum iudicantur, & per senarios mouentur; nam ex crassiori materia fiunt, potiusque per manifestum abscessum terminantur, vt latius supra. Quia tamen Hippoc. omnem dierum decretoriorum, & intercidentium differentiam *sentent.* 24. 2. *aphorismor.* adducit, eam patefacere expedit, vbi sic fatur: *Septenorum quartus est index, alterius septimanæ octauus est principium; est autem, & 11. considerandus, ipse siquidem quartus est secunda septimana: Rursus, & 17. considerandus est, ipse siquidem quartus est à quarto decimo, septimus verò ab vndecimo.* Ex cuius oraculi verbi, hanc aliam dierum decretoriorum differentiam possumus colligere: Dies nuper, vel vere, & propriè sunt decretorij, vt qui septimanas claudunt, vel septimanas diuidunt, & per quaternarios numerantur; vel sunt dies medij inter hos, qui intercalares, intercidentes, siue prouocatorij nuncupantur.

Sicut etenim medici per numeros, intelligunt quasdam causas in recessu naturæ latentes, quæ numeris coniunctæ faciliùs, mirabilius, ac euidentius edunt operationes; non aliter in theologia per dies intelliguntur virtutes particulares, quæ simul aggregatæ, annum perfectionis componunt; ita etiam, sicut medici plura dierum genera, vt criticos, & indices, intercalares, vacuos, prouocatorios, medicinales, & huiusmodi appellant; ita similiter apud Romanos, dies aboales, alienos, diffusos, diffisos, intercisos, attos, infames, vitiosos, fastos,

fastos, nefastos, & profestos fuisse, constat. Lege Iacabum de iure Pontificum; pariter etiam veluti mediei inter cæteros tria numerorum genera, nempe eriticos, indices, ae intercidentes præcipuè habent. Sic apud Theologos idem inuenitur; sunt enim dies naturæ, gratiæ, & gloriæ. Natura habet impleri per gratiam, gratia per naturam, & ideò dies naturæ vacui sunt, nisi impleantur per gratiam.

Ad exactam tamen horum dierum intelligentiam priùs obseruare oportet, quod frequenter Galen. 3. *de facultatibus naturalibus* docet, ordinem videlicet, quem facultates naturales inter sese seruant, dum ad alimentorum transmutationem se conuertunt; nam quando absoluta est in ventriculo alimentorum coctio. Incipit facultas expultrix operari; cuius exemplum docet Gal. *lib. de diebus decretoriis cap.* 8. quia ventriculus si secundum naturam se habeat, & illa quæ assumpta sunt, familiaritatem obtineant cum nostra natura, tunc facultates naturales debitum seruant ordinem; concoquit ergo perfectè, & terminata iam coctione, tempestiuè vtile excrementorum expellit; si verò à quacumque re ante tempus coctionis proritetur, vtile cum inutili permixtum expellit; si deinde paulo imbecillior extiterit, non statim post coctionem, ad expulsionem rei inutilis insurgit, sed diutius quam expediat, detinetur; idemque ostendit accidere reliquis nostri corporis instrumentis, vt est vterus, ac vesica; nam si materia morbum faciens maligna non sit, sed benigna, & facilè superabilis, natura illius perfectam coctionem spectando, retinet, & post coctionem, expultrix, à qua crises nascuntur, quod inutile, & superfluum est, expellit; si verò è contra morbifica materia, acris, & mordax, maligna, & & insuperabilis fuerit, ante tempus, nulla expectata coctione, vis expulsiua ad illius excretionem mouetur, simulque vtile cum inutili excernitur; si deinde languida, siue defatigata fuerit, retardatur, neque post coctionem cito materiam inutilem expellet.

Ex quibus infertur, quomodo distinguantur dies intercalares, siue intercidentes, aut prouocatorij, ab his, qui vere decretorij nominantur: quando enim natura ante tempus ad materiæ morbificæ expulsionem, valde irritantis, mouetur propter huiuscemodi causam vellicantem, perfectam coctionem non expectat, suosque ordinatos motus, non exercet, neque crises in diebus à natura ordinatis, videlicet propriè decretoriis, fiunt, sed potiùs in diebus intercidentibus, seu prouocatoriis accidunt.

Causæ quidem, quæ naturam proritant, ac dies prouocatorios constituunt, in duplici sunt differentia, vel externæ nimirum, vt Medicus, assistentes, vel deprauata victus ratio; nam propter aliqua, ex dictis errorem commissum, crisis, quæ quarta die debebat contingere, potiùs in tertio fit, aut in quintum protrahitur; internæ verò causæ sunt morbus, causa morbi, vel accessio, quoniam propter morbi maiorem vehementiam, vel humoris intensiorem acredinem, aut accessionis immanem inuasionem accidit, vt crisis, quæ quarta die futura erat, in tertio appareat, ex quo constat, qui dies intercalares, siue intercidentes, vt tertius, & quintus in prima septimana nuncupentur.

Decretorij præterea, vt veri, dies appellantur, qui septimanas, vt septimus 14. & 20. claudunt, indices verò, qui eas, vt 4. 11. & 17. diuidunt. Hi etenim dies in eo consentiunt, quod omnes veri sunt decretorij, ac decernentes, dissentiunt verò dupliciter, primo, quod simpliciter, ac veri decretorij, omniumque perfectissimi sint, qui septimanas diuidunt, indices verò minus perfecti; secundo differunt, quod indices appellentur: quod vt clarius innotescat, obseruandum expedit, numerum septenarium, qui perfectissimam periodum eriticam complet, principium, & finem obtinere; deinde, quod principium, & finem habet, necessariò medium debet continere, quod quidem medium cum vtroque extremo societate gaudet; principium quidem est primus dies, finis septimus, medium verò quartus dies nuncupatur, qui diuersa familiaritate, atque respectu index, vel decretorius appellatur; quoniam si ad primum diem referatur, illiusque sit particeps: decretorius dicitur, quia euenit, quando primis diebus natura humoris morbifici alterationem, & coctionem aggreditur, & cum hæc coctio quarto die terminetur, talique die crisis contingat: Propterea habita ratione ad primum diem, erit decretorius; vt Hippoc. 3. *prognosticor. sent.* 4. sic ait: *Mitissimæ febres, & securissimis signis firmatæ, quarto die, aut citiùs indicantur:* Si verò quartus dies ordinem ad septimum dicat, & in quarto natura coctionem aggrediatur, septimo crisis eueniet; quapropter quartus dies index, siue indicatorius appellatur; indicat enim crisim futuram in septimo; ideóque nubecula in vrina quarto die existens, crisim futurā in septimo indicat.

Cum igitur in superioribus, ex motu, & morborum acutorum tempore, adducta esset decisio; propterea in præsenti, ad dierum maiorem, decretoriorum enumerationem obseruandam, venimus, nimirum quod periodi in quibus natura mouetur, vel minores, vt quaternarij, vel maiores, vt septenarij, vel maximi, vt vicenarij dicuntur, ex quibus deducemus, quibus in morbis natura per maiores circuitus, siue periodos, in quibus per minores, & in quibus tandem per maximos moueatur: si enim morbus acutus extiterit, per minores circuitus fit naturæ motus, id est singulis quaternariis, cum morbus acutus celeriter ad statum percurrat; vt Galen. 2. *aphorismor. commentar.* 23. si deinde morbus acutus ex decidentia sit, per maiores circuitus, hoc est per septenarios fiet naturæ motus; quia huiusmodi morbi tardiùs mouentur: si denique diuturnus morbus fuerit, per maximas periodos naturæ motus elucescet; vt Galen. 3. *prognostic. comment.* 1. his verbis: *Optimum enim est, per differentias in morbis à tempore ductas, tantum earum, existimare esse numerum, quanta decretoriorū circuitio habetur, vt breuissimus quidem, primo circumscribatur quaternario, postea verò his qui secundo, tum qui tertio, deinde, qui quarto, mox qui quinto, ac demum qui sexto, qui quaternarius in diem 20. deuenit, post 20. absoluentur, ita vt per 20. dies, morborum terminationes fiant; postea tandem ad mensium numerum deueniant.*

Ex quibus Galen. verbis infertur, quod tot sunt periodorum, & circuituum differentiæ, quot morborum ea tempore differentiæ desumptæ; nam si morbus exactè peractus est, minori periodo, vt primo quaternario, videlicet quarto die iudicatur: si verò peractus in secundo quaternario, vt die septimo, si tandem exactè acutus, tertio quaternario, vt vndecimo die, aut quarto quaternario, hoc est decimo quarto terminatur: si verò interruptam acutiem obtineat, quinto, aut sexto quaternario, idest decimo septimo, aut vigesimo iudicatur: si demùm morbus ex decidentia fuerit acutus, cum iam circuitus quaternarij aboleantur, per maiores, vt septenarios iudicabitur; vt vigesimo septimo, trigesimo quarto, & quadragesimo; hoc est de septimo in septimum diem, quod docuit Galen. 1. *de crisibus, capit.* 18. postquam historiam illius pl. uritici ex Hippoc. proponit, dum inquit, decimo septimo spuisse pauca, sed cocta. Præterea scribit posse fieri, vt aliquando secundo die crisis contingat, minimè tamen perfecta, eo quod dies indices primi, non eandem vim, quemadmodum posteriores, nec primi decretorij, quemadmodum vltimi sint, vbi dierum decretoriorum vim sensim aboleri, cum morbi protrahantur, sine longiores fiant demonstrat.



CAPVT VIII.

De natura differentiis, & causis sudoris critici.



VENERANDVS quidem Hippoc. in sententia superius allata prædicat, *sudores febricitantibus, si inceperint*, &c. Pro cuius veritate sententia, prius de natura, differentiis, causis, & signis sudoris critici, de quo præcipuè agit Hippoc. disputandum offertur; sudor autem, vel effluuium vaporosæ substantiæ per cutem, triplex in homine contingit; vel intra sanitatis limites, qui naturalis nominatur, vel in morbis, natura dominante, vincente, humoremque morbificum sub forma sudoris *pellente*, qui criticus appellatur; vel vi, & irritamine morbi subsequitur, quasi illius symptoma, qui propriè sudor symptomaticus appellatur: de naturali, actionibus, à quibus dependet, causisque concurrentibus, primo loquendum, vt cognitis debitis sudoris naturalis conditionibus, &, quæ critici, & symptomatici requisita sunt, valeamus cognoscere.

Sudor ergo vt sic, & genericè, relictis definitionibus, Hippoc. *libro de morbis, num.* 18. ac *libro de locis, aquis, & aëre*, vbi sudoris naturam in substantia tenui ad cutim delata collocat, omisso Theophrasto *libro de sudoribus*, Arist 2. *problematum quarto*, Auicenna. *lib.* 1 Fernelio 6. *pathologiæ cap.* 6. Mercuriali *libro de sudore*, Altimaro *libro de sedimento*, Marcello Donato, Meteato Paracelso, ac aliis quamplurimis, genericè inquam sudor, nihil est aliud, quam *effluuium sensibile humida substantia per porositates cutis extra erumpentis.* Probaturque huiuscemodi expositio; effluuium enim, genericam dicit rationem cuiusl bet substantiæ, quæ corpore effluit, (*sensibile*) excludit effluuium insensibilis substantiæ vel sordium, *humida substantia*, materialem causam cuiusl.bet sudoris, specificaque humida debet esse, vt media sensatione, per corporis poros posset permeare, *per porositates cutis extra erumpentis*; intelligitur ratio formalis sudoris; nondum enim est sudor, nisi per porositates euacuetur, nec si extra non erumpat, nomen sudoris merebitur.

Sudor igitur naturalis, nihil est aliud, quàm *effluuium sensibile vaporosæ substantiæ, ex humidis quibuslibet corporis partibus, ac humoribus, vi naturalis caloris, locali motu eleuata, ac frigore densata, effluens per cutis porositates*, ad quem sudorem quatuor actiones requiruntur, quarum prima, est admodum copiosa euaporatio, quod constat, ex Hippoc. & Galen. *superius*, cum ex sudore, corpus plurimo, vel cibo afferant: ergo quia sudor plurimam materiam vaporum ex qua fiat, exigit; præterea, quia vt per omnes corporis partes fiat, non exigua, sed copiosa erit necessaria materia; tum & etiam, quia vt sudor accidat, vaporum concretionem expostulat; atqui ista, sine multa copia, vaporum fieri non potest: ergo ad sudorem copiosa euapotatio materiæ requiritur. Minor ex Aristot. constat 2. *de generatione text.* 27. vbi pro vno pugillo aquæ, petit decem aëris: ergo sudor, qui ex vaporibus concretione media fit, ad istam, magna illorum copia indigebit.

Secunda verò actio, quæ ad sudorem præreqniritur est vaporum propulsio confertim per vasa, ad tertiam vsque regionem facta, & probatur, ex Gal. *lib. de tremore, & rigore, cap.* 6. vbi ait: *Calorem humorem aliquem confertim effundere, quem sudorem vocamus*: ratione similiter, probatur; sudor enim ex vapore non fit, donec vapor concrescat; atqui non concrescit, nisi confertim feratur; nam si paulatim moueretur moueretur, potiùs sine concretione resolueretur: ergo ad sudorem prærequiritur vaporis propulsio confertim facta, quæ secunda nuncupatur actio ad sudorem producendum.

Tertia ex dictis actio ad sudorem necessaria, satis colligitur, quæ nihil est aliud, quam dicta vaporis concretio in tertia regione, constat ex Hippoc. *lib. de flatibus numer.* 91. tum & etiam, ex Galen. 3. *de symptomatum causis, capit.* 2. deinde quia vapor, ad tertiam vsque regionem sub vaporis forma ascendit: ergo vt in sudorem conuertatur, debet in sudorem, tertia in regione, concrescere; ac proinde huiuscemodi vaporis concretio, tertia erit actio ad sudorem necessaria, veluti quarta concreti iam vaporis, vltima per porositates cutis propulsio: & probatur; nam sudor, ab insensibili euacuatione per habitum, ideò differt, quia sudor euacuatio est sensibilis per cutem; atqui si non fieret vaporis concreti extra cutem propulsio, non esset sensibilis euacuatio: ergo vt fiat

fiat ſenſibilis, talis actio præ requiritur.

Nec valet ſi quis obiiciat, quod vni termino, vna tantum, debetur actio; atqui ſudor vna eſt ſubſtantia, & vnicus terminus ſuæ actionis productiuæ: ergo actio illius productiua, vnica, & non multiplex erit. Cui facilè dicendo ſatisfacio, quod argumentum tantum probat de actione productiua ſudoris in eſſe entis; non verò de reliquis actionibus, quibus in eſſe talis entis indiget; ſudor enim ſubſtantiuè eſt aqua, per actionemque ſubſtantialem producta, dicitur tamen ſudor, quatenus in corpore noſtro generatur, ab illius calore priùs vapores eleuante, deinde concretione ſuperueniente, vt eatra ſub aquæ forma pellatur, quæ conditiones, etſi ad productionem ſudoris in eſſe entis, non requirantur, bene tamen in eſſe talis entis, nempè ſudoris, qui ſub tali reſpectu alias accidentales differentias, & conditiones ſupra aquæ entitatem addit, qui in primo ſui eſſe, per vnicam actionem ſubſtantialem fuit terminatus, alias enim omnis vapor ſudor diceretur, quod valde veritati diſſonat.

Quibus ad ſudorem conficiendum actionibus adapertis, materia pro ſudore apta genericè eſt ſupponenda, quæ nihil eſt aliud, quam humida ſubſtantia intra corpus reperta, vt conſtat ex Hippoc 4. *de morbis, numer.* 249. vbi ait: *Incaleſcente corpore, per hoc, aquoſum, quod eſt febri maximè infenſum præcipuè exhalat; relinquitur verò pingue, & leue, quod eſt bilioſum, & præcipuum febris alimentum, ad hunc autem modum exhalat non ſecus; ac ſi quis affuſa in vas aeneum aqua, & oleo, ligna multa diutius ſuccendat, aqua certè longe parcior, cum ex vaſe exhalet futura eſt, oleum autem cohærens, & denſum, extenuari nequit, neque ſicut aqua exhalare; ita ſanè, & in homine ſe res habet, incaleſcente namque corpore aqua foras exhalat; quod verò eſt bilioſum, cum cohærens, & denſum ſit (nec ſimiliter extenuatur,) nec exhalat.*

Probatur præterea ratione; vapor enim debet fieri ex materia ſibi magis affini, atque in modo ſubſtantiæ ſimili, atqui aquea materia, eſt illi magis ſimilis, cum ſolum differant inter ſe in forma accidentali, ſiue ſecundum rarum, aut denſum, eo quod vapor aqua rara, ſudor verò aqua denſa, vel concreta ſit: ergo quæcumque materia aquea, cauſa materialis pro vaporum, tandemque ſudoris generatione aptior erit.

Notandum tamen eſt, quod commodior intra corpus materia pro ſudoris euaporatione, humor ſeroſus, ac ſubſtantia potulenta reperitur. Prima pars, ex Galen. *de ſimpl. medic. facult. cap.* 10. patet, vbi docet, ſudorem iuxta menſuram potiùs ſubſequi; deinde experientia compertum eſt, cum in æſtate aqua copioſe ſuperbibita, breuiter etiam copioſus ſudor ſubſequatur.

Præterea, quia ex nimio ſudore ſitis euenit; ergo quia potulenta ſubſtantia aſſumpta deficit; deinde, quia vt dixi, aquea materia pro ſudore eſt aptior; atqui nulla magis aquea, quam potulenta: ergo iſta pro vaporis, & ſudoris materia commodior. Secunda verò pars, nimirum de ſero, quod ſit magis proportionata materia, conſtat ex Galen. cum vna, & eadem materia ſudoris, & vrinæ ſit: tum etiam; nam ſerum valde cum ſubſtantia potulenta conuenit, ipſaque ſimilior, magiſque apta reliquis, pro vaporis eleuatione, adeſt: ergo potulenta ſubſtantia, humorumque ſerum perfectiùs ad materiam ſudorificam conducunt.

Licet verum ſit, quod etiam humorum ſubſtantia, corporis humiditatis, & quæuis humida pars viuens, ſint apta materia in corpore, vt vapor pro ſudore generetur; nam cum ex ſero commiato, vapor, ex humore ſimul, cui miſcetur, fiat vaporis eleuatio, propterea valebunt ad materiam ſudorificam conducere, vt in ſudoribus criticis conſtat; quia omnis morbificus humor pluries per ſudorem euacuatur: ergo ſubſtantia humoralis idonea etiam erit materia ad ſudorem gignendum: nec minus currit ratio de quatuor corporis humiditatibus, in quas humores mouentur, ac ſimul de humida viuente ſubſtantia, cum hæc omnia pro vaporis generatione valeant materiam præſtare, vt à potentiore calore, attenuata, & rarefacta euaporentur.

Expoſita iam ſudoris eſſentia, actionibus quibus terminatur, materiaque aptiori ex qua eleuatur, illius cauſa demonſtranda expedit, quæ nihil aliud eſt, quam calor validus, & robuſtus, proportione ad materialem cauſam. Probaturque ex Hippoc. 1. *de morbis num.* 139. *Incaleſcente namque corpore aqua foras exhalat.* Tum ſimiliter *libro de locis aere, & aquis; A ſole ſudor elicitur.* Probatur etiam ratione: nam vapor, inducta raritate, & lenitate, circa materiam aqueam, producitur; ſed raritas, & lenitas, ſecundæ ſunt qualitates, quæ calorem ſubſequuntur: ergo vaporis cauſa, neceſſariò eſt calor intenſus, vt copioſiorem vaporem, progignendo ſudore poſſet efficere, qui quidem ſudor, nullatenus à tali vapore in eſſe formæ ſubſtantialis differt: nam ad formam ſemel amiſſam non datur regreſſus, atqui à vapore in aquam, naturaliter regreſſus reperitur, ablato extrinſeco calefaciente: ergo quia vapor, & ſudor forma ſubſtantiali, non diſſentiunt.

Ex quibus facilè poteſt colligi, quod ſudor naturalis de quo locutum eſt, maximam viuenti vtilitatem confert; nam omnis actio, qua excrementa, per vias in hunc finem deſtinatas, in ſtatu naturali excernuntur, eſt viuenti vtilis, ſed euaporatio, quæ ſudorem naturalem præcedit, fit per vias à natura deſtinatas, pro illius euacuatione, & à facultate naturali debitè operante, vt Hippoc. 3. *epidemiorum ſectione* 3. *commentar.* 41. *Interdum expurgante natura, ſudores excernuntur*: ergo quia talis ſudor magnum viuenti commodum inducit, præterea quia euacuationes, quas expellendo natura conſequitur, homini ſunt ſalubres, atqui vaporum expulſio, à facultate expultrice intenditur, & perficitur: ergo quia talis ſudor incommodum viuentis fit.

Poſtquam tamen vapor, iam in poris tertiæ regionis denſatur, formamque ſudoris adquirit, ſub qua tandem extra per corporis partes, per cutimque truditur, vbi adeſt mobile veluti ſudor, viæ per quas motus perficitur, vt ſunt poroſitates,

porositates, finis tandem, vt substantia iam inutilis extra corpus pellatur; nunc iam de causa, à qua maior difficultas occurrit; nam quamvis antecedenter moueatur, magna ex parte ab insita raritate, & leuitate, postquam iam ipsam amisert vapor, dum in aquæ formam mutatur, motiua restat facultas, qua pellitur, examinanda, quæ nulla alia est, quam facultas expultrix vegetatiua, postea verò à propria forma, media grauitate deorsum fertur, primaque pars patet: nam sudor iam est factus, vt obiectum inutile facultatis vegetatiuæ expultricis, ac intra illius sphæram actiuitatis reperitur: ergo pellitur ab ea; secunda verò pars constat, quia dum est extra talem sphæram facultatis, sudor solum habet propriam grauitatem, aqua moueatur: ergo per se ipsum medio pondere mouetur, cum iam extra porositates fit delatus.

Criticus verò sudor, appellatur ille, qui media crisi euenit, duplex quidem est; alter qui ad melius, vel ad salutem, alter verò ad peius, vel ad mortem ægrum deducit, ille quidem symptomaticus, ille verò criticus, & salutaris nuncupatur, mediamque naturam, inter omnino naturalem, & symptomaticum retinet: & probatur; nam huiuscemodi sudor, partim à causa naturali, partimque à præternaturali fit: ergo quia est medius: deinde quia ex parte caloris efficientis, datur causa febrilis præter naturam; ex parteque materiæ, causa morbifica materialis adest; ex parte verò finis, datur sanitas ob quam naturalis facultas, ad operandum insurgit: ergo quia talis criticus sudor, mediam naturam inter illum qui à causa naturali procedit, & eum qui è sola causa præter naturam fit, habet.

Neque in præsenti, etsi occurrat, dubitatio proponitur (nisi breuissimè) vtrum sudor sanguineus, naturalis sit possibilis, vt Theophrastus, Rasicelus, Vincentius Moles *lib. de Philosophia Corporis Christi*, Mercurialis, Fernelius, Brano, & alij, quamplurimi fatentur sanguineum sudorem, naturaliter euenire posse, vt sanguineus Christi Domini sudor, qui sine miraculo superuenit, & probatur; nam sanguineus sudor Christi, secundum Patrum opinionem, ad ostendendam humanæ naturæ veritatem contigit, quam, si esset miraculosus, non demonstraret; quia licet illius sanguis temperatissimus esset, cum tamen Christus Dominus tam intensè viuidus in ætate iuuenili, omnium totius orbis pulcherrimus, & amabilissimus existeret, tantam luctam sustinuit, tantaque vi, ipsam sensitiuam naturam, in horribiles cruciatus consentire coëgit, vt præ immodico labore, ex omnibus illius tenerrimis membris, ac delicatulis partibus, cruentus sudor crumperet.

Probatur præterea; nam quæ sine miraculo plurimi accidisse viderunt, eadem si in Christo Domino contingant, non erit dicendum esse miraculosa: atqui sanguineus sudor, à pluribus fuit visus naturaliter exire: ergo ita in Christo Domino sine miraculo euenire fatendum erit. Minor propositio per plurimos authores, serosum sanguinem per sudorem fatentes constat, Gaspar quidem Brano, se etiam vidisse testatur, in Excellentissimo Domino Comite de Niebla, primogenito Excellentissimi Domini Ducis Medinæ Sydoniæ, qui cum æstiuo tempore se nimis in vsu pilæ exercuisset, nimiaque anxius æstuatione, potionem frigidam assumpsit, ac sanguineum sudorem pertulit: ergo non aliter fatendum est, in Christo Domino nostro absque miraculo sanguineum sudorem cuenisse; nam, etsi in eo non fuissent aquositas, aliæque causæ, quæ communiter sanguinem attenuant; vehementissimæ tamen passiones animæ, quibus spiritus commoti, & calefacti, attenuatique fuere, vt sanguineus sudor subsequi potuisset, adfuerunt præsertim cum præ agonia vires languidæ admodum fuissent redditæ, quibus deficientibus, sanguis retineri non valuit.

Quibus sic iactis, aperiendum venit, quæ prærequisita sudoris critici conditiones sint, quarum prima est, quod fiat die decretorio; secunda, quod signa coctionis indice præcedant: tertia, quod sudor moderatè copiosus accidat: prima conditio probatur ex Hippoc. *1. prognost. text. 36. Sudores optimi sunt, si fiunt in die indicatorio.* Tum & etiam ex præsenti sententia, vbi dies decretorios, in quibus sudores boni debent fieri, enumerat: tum in epidemiis, vbi exponit, quod Epicratis vxor sudauit die 11. de Methone loquitur, qui sudauit die 5. mulier in Thaso tertia die sudauit, aliique quamplurimi, qui perfectè iudicati mansere.

Confirmatur vlterius idem, in epidemiis, ex Hippoc. exemplo eorum, qui diebus non criticis sudarunt, quod vel fuit iudicium ad mortem, vel recidiuam factum, vt inquit de Philesco, & Erasino, qui x. die sudarunt, atque perierunt; adolescens, qui in foro mendacium vitam agebat, secunda die sudauit, & obiit, quemadmodum Silenus, qui sexto die sudauit vndecima die fuit mortuus: ergo vt sudor salubris sit, die quidem decretorio accidere debet. Secunda verò conditio, præcedentibus nimirum coctionis signis: probatur ex Hippoc. *1. epidemior.* suprà allato, *collisiones celeritatem iudicij, &c.* Præterea, quia tunc salubris crisis accidit, cum per eam materia inutilis ab vtili secreta euacuatur; sed talis separatio fit media coctione: ergo talis coctio pro sudore critico requiritur.

Nec valet si obiicies; cum signis coctionis morbus valet esse lethalis, ex Auicenna *lib. 4. Fen. 1. cap. de febre pestilente*: ergo pro salutari sudore, coctio nihil conducit. Cui est satisfaciendum dicendo, vt supra tetigi, quod signa coctionis in lotio, alia sunt vera, & perfecta, quæ ad sudorem criticum sunt necessaria, alia verò infida, & imperfecta, seu similia, & apparentia, quæ nullam securitatem ostendunt, vt ex Gal. *1. de præsagatione ex pulsib. cap. 3.* asserente: *Sanè videatur, quibusdam perplexa, & incognita, si quando nec differentia vlla pulsuum à naturali statu deficiat, & si ipse ægrotus febrem non dicat percipere, & vt rem difficiliorem faciam, ne ex vrina quidem petere in huiusmodi effectibus firmam notitiam semper licet; sed est etiam ferè anceps, colore, & sedimento similis naturali, excentos tales in pestilentia diuturna conspeximus*, vbi

Medicos cerneres nihilo præſtantiores plebe; imò verò imperitiores. Ex quibus Galen. verbis clareſcit, de quibus coctionis ſignis intelligendum ſit, dum coctionis ſigna ad ſudorem criticum requiri aſſerimus.



CAPVT IX.

De natura, differentiis, & cauſis ſudoris ſymptomatici.



ROVT natura morbos vincente, criticus ſudor ſuperuenire ſolet; dum verò è contra, vincente morbo ſudor ſymptomaticus euenit, qui à naturali, & critico, in modo, cauſis, & accidentibus diſtat, eo quod ſudoris differentiæ ſymptomatici, à modo ſubſtantiæ, quantitate, qualitate, relatione, ſitu, habitu, actione, aut paſſione ſumuntur. Perpenditur quidem ſymptomaticus ſudor in modo ſubſtantiæ, propter craſſitiem, viſciditatem, lentorem, limoſitatem, tenuitatem, fluxibilitatem, ſubtilitatem, &c. quæ, etſi qualitates ſecundæ ſint; modum tamen ſubſtantiæ in ſudore variant, medio quo in debita conſiſtentia à critico ſudore diſcriminatur.

Sudor igitur ſymptomaticus ex modo ſubſtantiæ ſumptus, alius craſſus, alius verò tenuis nuncupatur, vt Galen. 11. *methodi, cap.* 13. qui craſſus eſt, ob lentorem talis appellatur, eo quod ad motum eſt ineptus; qui verò tenuis, ac fluxilis eſt, propter leuiores, rarioreſque partes, quas acquirit: vterque etenim craſſior, vel tenuior ſudor ſymptomaticus ratione materiæ ex qua fit: Succi quidem craſſi, vel à nimia caliditate, vel frigiditate; tenuis verò ab eiſdem aliter moderatis prouenit. Vt ex Galen. textu 2. *prognoſticorum, comment.* 38. *Quin etiam ſinceri humores craſſiores exiſtunt; pituitoſus quidem propter frigiditatem, quaſi concretus; bilioſus verò propter exuberantiam caloris, euaporatus, & tanquam aſſatus.* Præterea, quod à nimio calore tenues ſudores fiant, ex ichoribus in febribus ardentibus repertis patet; ex quibus plerumque ſudores accidunt; veluti à frigiditate ex caloris defectu, dum vires dilabuntur, aquoſitates gignuntur, à quibus ſudor tenuis, vt in hydropicis experimur euenire.

Quia tamen ſymptomaticus ſudor, quantitatis ratione perpenditur, qui alius multus, alius verò paucus dicitur: multus, vel in copia, vel tempore, vel vtroque nuncupatur, cuius cauſæ diuerſæ adeſſe valent, vt calor excedens, habitus raritas, virium caſus, vel materiæ tenuitas, vt ex Galen. 3. *de cauſis ſymptomatum, cap.* 2. conſtat, vbi ſudorem multum, vel propter materiæ copiam, vel tenuitatem fieri commonſtrat; tum etiam *ſecundo prognoſticorum, textu* 6. propter imbecillitatem virium euenire docet. Confirmaturque ratione; nam à cauſis improportionalibus, & diſſidentibus naturalibus, ſudor multus producitur; ſed naturalis fit ex materia moderata calore illi debito, & proportionato, ac viribus debitis, cutiſque naturali raritate: ergo ab his cauſis immodicè excedentibus, immoderatus ſudor fit. Præterea, quia in febribus malignis, hecticis, ſyncopoſis, in animi deliquio cum vires omnino labuntur, fit ſudor multus, & immodicus, quia materia vtilis præ debilitate retentricis nequit retineri, vt Gal. 3. *epid. ſect.* 3. *comm.* 34. *lib.* 10 *method. cap. vlt. lib.* 1. *de differentiis febrium, cap.* 8. exponit.

Paucus ſimiliter, ac imminutus ſudor, à contrariis cauſis originem ducit; primo enim præ materiæ paucitate, vt in atrophia, magna etiam præcedente inedia, eo quod abſumpta eſt materia ex qua: non aliter, ſecunda pauci ſudoris cauſa, eſt obſtructio pororum; oppreſſis enim poris, aut ductibus extimis obturatis, multam ſudoris copiam exire eſt impoſſibile, vt in obeſſis præ adipis copia, occluſis prædictis meatibus, paucus ſudor euenit. Tertia deinde ſudoris pauci cauſa debilitas eſt caloris, veluti copioſi robur; nam ita ſe habet remiſſus calor ad vaporem exiguum eleuandum, ac intenſus ad copioſum; atqui ob calorem intenſum multus eleuatur vapor, multuſque ſudor progignitur: ergo ita pariter dum calor eſt remiſſus, paucus vapor eleuabitur, exiguuſque ſudor inducetur: quia igitur robur, vel debilitas facultatum, languorem, vel robur natiui caloris inſequuntur, habita ratione ad illum, facultates languidæ, vel validæ, diuerſimodè ad ſudoris paucitatem, vel copiam concurrent.

Nec minus ſymptomaticus ſudor, habita ratione ad qualitatem inſpiciendus eſt, cum pro diuerſa qualitatia ſpecie, ſudores ſpecie diuerſi deſumantur, vt ſudores calidi, vel frigidi: nam calidi, à cauſis tum per ſe, tum ex accidenti operantibus, proueniunt, vt à motu, ab aëre calido, ſole, igne, ſtupis, arena calida, balneis, inunctione, aliiſque ſimilibus: ab internis verò, eo quod natiuum calidum actuatum reddunt, vel quia calidos gignunt humores, vt Hippoc. 3. *epidemiorum, comm.* 3. *text.* 28. de muliere in Thaſo febre ardente correpta; de virgine Lariſſeæ in Menone, in vxore Epicratis, qui acutis febribus ex calidis humoribus affecti, potius ſudore calido terminati fuere.

Ex quibus infertur, quod ab vna, eademque cauſa, diuerſi effectus, & contrarij, ſi alter per ſe, alius verò per accidens producatur, valent oriri. Quod probatur; nam ſudor calidus, à calore per ſe, frigidus verò ab eodem per accidens naſcitur, quatenus ab eo, vt immodico, valdeque intenſo, reſolutio, ac diſſipatio influentis, atque inſiti caloris fit, vnde frigiditas, ſudorque frigidus ſubſequitur; quam operandi contrarietatem, Hippoc. in thetano præſcripſit, vbi aquæ frigidæ fuſione duplicem contrarium effectum oſtendit, cum ab aqua per accidens calor, frigiditas verò per ſe producatur; ob enim denſitatem, obturationemque pororum intromiſſus per antiperiſtaſim calor, vt hieme, robuſtiorque redditus, eo quod virtus magis vnita, affectum frigidum, vt thetanum valuit profligare; quare affectus frigidus per ſe, & imme-

diate

diate à calore, mediate verò, & per accidens à frigiditate externa aquæ calorem natiuum intro pellente, fuit curatus. Tum etiam huiusmodi contrarij effectus in hydrope clarescunt, cum aliquando frigida hepatis intemperies per accidens inducatur à febre ardente, intense calefaciente, per se verò à frigiditate sequuta: ergo ex dictis paret, tam sudorem frigidum, quam calidum ab vna, eademque causa ortum ducere posse, cum vnus effectus per se, alius verò per accidens prognatur.

Quibus perpensis, facillimè quiuis, naturæ, & conditionum sudoris epitomen valebit deducere, cum sudor in vniuersum sit excrementum vaporosum, ac humidum, partim in halitus speciem insensibili transpiratu vacuatum, partim violento motu confertim in aquæ speciem per cutem erumpens, cuius materia triplex valet esse, veluti portio tenuior alimenti tertiæ coctionis, illiusque seri, vel humorum serum, siue proprij alimenti vltimi singularum partium substantia fusa, & liquata; sudor quidem ex ægris natura emanans, vel humoris morbifici, vel propriæ humiditatis partium, est soboles; quare in laborantibus tria sudoris genera sunt perpendenda; primum quidem ab humoribus venarum, vel viscerum, aut in habitu corporis adstantium, nascitur; secundum ex liquatione, resolutioneue proprij partium alimenti, vt hecticis, proximisque ad mortem euenit, qui diaphoreticus nuncupatur.

Tertium verò sudoris genus ab expressione humidi natiui, atque alimentitij earundem partium, à dolore, ac spirituum agitatione facta dependet, qui propriè sudor per expressionem appellatur, cuiuslibet prædicti causa, potiùs humidus, quam siccus calor per habitum corporis diffusus, prædictas fundens materias, media calefactione attenuans, cutemque laxans reperitur, consentientibus particularibus causis ex habitu corporis desumptis, & materia obedientiali reperta: inter hos quidem sudores, alius vniuersalis, qui ex toto emanat, vt quando in pleuritide, phrenitide, dolore cholico, aliisque morbis particularibus, sudor à toto corpore defluit: particularis verò sudor, solum materiam morbificam, in parte, à qua nascitur, vel actu adesse, vel adfuisse, vel futuram prænuntiat, vel tandem qui citra materiam morbificam, iuxta ceruicem, frontem, caput, vel thoracem reperitur, vt in morituris, morbo acuto correptis, à viriū solutione, retētriceque languida facultate, solet euenire.

Alius præterea sudor, calidus, alius frigidus est: calidi præostensæ causæ tam internæ, quam externæ manent: frigidus etenim semper aliquid præsagit; nam vel materiæ frigiditatem, vel calidi natiui extinctionem denotat; quare in mitiori, benigniorique febre, morbi longitudinem, propter causam morbificam frigidam; in acuta verò præ summo virium languore, natiuique caloris extinctione, mortem minatur; proindeque frigidus sudor, cum animi deliquio complicatus, potius ab antiquis mador, quam sudor appellatus, naturam exolutam iam demonstrat, ideò enim frigidus, quia partes corporis extimæ, propter spirituum, sanguinisque iuxta cor dettactionem, valde frigescunt.

Alius similiter sudor paucus, veluti alius multus adest, his in sanis effusus præcedente somno, vel copiosum alimentum assumptum, vel humorum copiam arguit; in laborantibus verò morbo acuto, vel à copia, & humoris tenuitate, vel à retentricis imbecillitate facultatis, vel ab immoderata habitus raritate, aut partium liquatione, vel à valida expultrice, vt in crisibus, valet ortum ducere: paucis tandem sudor, aut humorum paucitatem, materiæ cruditatem, lentorem, crassitiem, vel mestuum densitatem, aut facultatis expultricis imbecillitatem, retentricisve robur significat.

Sudor deinde quoad sapores diuersus, diuersam pariter significationem sortitur, cum alius salsus supramodum sit, alius amarus, dulcis alius, insipidus alter: salsus quidem immodicè, sanguinem immoderatè adustum ab intenso calore præostendit, si amarus, bilis miscelam dominantis, quemadmodū dulcis, serum sanguineum; insipidus tandem, plus ichoris pituitæ, quàm bilis redundantiam indicat; quare sudor naturalis exiguam salsuginem, ac amaritudinem debet obtinere; alter præterea pro qualitate perpensos sudor mitis, ac suauis, vel acer, ac fœtidus adest: cum fœtidus, cacochymiam, humorumque putredinem intra venas existentinm ostendit, veluti è contra sudor bene olens, laudabilem humorum temperiem significat: nec minus sudor respectu modi substantiæ. Alius tenuis, & aquosus, aliusque crassus, & viscidus adest, de quibus latius supra.

Sudor etenim omnis, triplicitet in febribus est animaduertendus; nam vel periodicus, vel symptomaticus, vel criticus accidit: periodicus in solis intermittentibus, vel continuis complicatis, vt semitertiana, hemitritheos vocata, vehementer naturam resoluit, humorumque copiam, & contumaciam arguit; criticus verò salubris, ac laudabilis, dum coctionis signa antecedunt, critico decernente die, naturaque superante, ex toto corpore diffluens, cum febris, ac omnium symptomatum remissione florescit: symptomaticus tandem est duplex, à motu nimirum morbi alter, frustra tentata, atque irritata natura; alter verò peior à partium solidarum resolutione, viriumque imbecillitate, potiùs ægrum ad necem, quam ad salubritatem reducit.

Quibus omnibus sudoris differentiis perpensis, tam essentialibus, quam accidentalibus, tam quoad causas, quam dispositiones, quoad quantitatem, quam qualitates, siue primas, siue secundas, videlicet modum substantiæ, crassitiem, vel tenuitatem, quoad saporem, vel odorem, ac demum secundum motus, periodicos, criticos, vel symptomaticos, merito vnusquisque sufficienti luminis splendore, ad veram, genuinamque dubij decisionem iuxta sudores, de quibus egit, Hippoc. *in sentent.* 36. accedere valebit, cum in prædicto oraculo asserat: *Sudores febricitantibus boni, die tertio, quinto, &c.* cum potiùs die critico, siue diebus decernentibus superueniant.

In hac quidem sententia, nullam Hippoc. mentionem primi, secundique diei efficit, eo quod re vera, primus, & secundus dies decretorij

torij non sunt: si verò in communi significatione, pro qualibet morbi solutione crisim intelligamus, iam decernentes, late valebunt appellari; febris enim diaria, quæ vnica clauditur accessione, spatioque viginti quatuor horarum, solet perdurare, primo, aut secundo die soluitur, sicque crisis, sine vllo certamine, ac pugna, morbi solutionem significat. In quo sensu huiuscemodi dies decretorij nuncupantur, in sensu tamen proprio, & rigoroso, vt supra dixi, nequaquam naturam decernentem obtinebunt, cum nullus morbus primo, aut secundo die, concurrente certamine inter naturam, & causam morbificam iudicari valeat.

Licet aliqui tamen in contrarium Hippoc. testimonium, 1. *epidemior. part. 3. sentent.* 14. adducant, vbi agens de diebus decretorijs, sic ait: *Circuitnum verò, qui indicant, in imparibus diebus, primus, tertius, quintus, &c.* Ergo ex Hipp. sententia, primus dies decretorius erit. Cui satisfacio dicendo, Hippoc. *in prædicto loco*, primum diem decretorium esse, non iudicasse, sed solum docuisse, tertium diem, primum circuitum decretorium constituisse, quasi dixisset, circuitus qui in imparibus diebus iudicantur, primus, idest, primus, primus circuitus est tertius dies, vt idem Gal. *in comment. prædictæ sententiæ* roburat.

Neque obstabit, si quis aliud testimonium, ex Hippoc. 1. *prognosticorum*, *sentent.* 4. adferat, vbi agens de facie laborantis, inquit *Ægros, in quibus huiusmodi facies apparet, primo die iudicari.* Cui respondeo, quod ly iudicari, idem significat, quasi cognosci, veluti si Hippoc. asserat, primo die; hoc est, die, & nocte posse cognosci, an huiusmodi facies fiat à causa interna, vel externa immutata: minusque obstat Galen. 1. *de crisibus, cap.* 3. *&* 4. referens, morbos quosdam esse, qui prima accessione, primoque die ad summum vigorem peruenire valent: ergo quia primo die possunt iudicari cum crisis optima, perfectaque in statu fieri debeat; ac per consequens primus dies decretorius erit: non inquam vrget authoritas; crisis enim nulla ratione, sine certamine, atque pugna naturæ cum ipso morbo, potest euenire, & quemadmodum luctatores corporis firmitudine, viriumque robore, debent esse propriè æquales, vt inter eos dimicatio valeat reperiri: ita pariter inter naturam, & morbum, aliqua virium æqualitas ad aggrediendam pugnam requiritur: si enim alter eorum, multo valentior adsit, sine tali dimicatione, qui robustior extiterit, superabit; vt in morte citra crisim, dum in totum natura languida, morbus verò validus, & supra vires vehemens reperitur.

Ex quibus authoritas Galen. soluitur; nam si febres, quæ primo die ad statum perueniunt, sint putridæ: hæ tamen crisi, non soluuntur: Leues enim morbi, ac ex leui putredine nati, ita facilè à natura sine certamine deuincuntur, vt sine crisi soluantur; & è contra, si natura primo die, ita deiecta, propter morbosum apparatum, rationeque mali moris morbi adsit, vt statim prima die, ad vigorem, siue statum perueniat; ly status morbi ad mortem terminari, potiùs terminatio sine crisi erit, eo quod sine pugna præ magnitudine, vehementia, & robore morbi euenit; ac proinde, prima, nec secunda die, nulla crisis contingere valebit; veluti tertio, & reliquis ab Hipp. annumeratis, de quorum vi decernendi, iam venit agendum.



CAPVT X.

De vi, & quomodo dies proprie decretorij indicentur.

ERTIVS igitur dies, de quo Magister *in sentent.* 36. incipit, primus est ordine, ex diebus imparibus, vt Hippoc. 1. *epidemior. part. 3. sent.* 14. dum dies decretorios, impares enumerat, primum quidem locum tertio die exhibet, idem tertio prognosticorum *sentent.* a. firmat, dum ait: *Mitissima febres, & securissimis signis firmata, quarto die, aut citius finiuntur*, quasi diceret quarto die, aut tertio iudicantur, vt Galen. *in commentar. Nam infra quartum, nullus alius præter tertium decretorius est.* Notandum tamen expedit diem tertium potiùs, motus humoris ratione, esse decretorium, cum morbi acutissimi ex biliosa, & calidissima materia orientes, semper de tertio in tertium moueantur, propertereaque, cum crisis accessionis die fiat, violentia, siue vehementia accessionis euenit, vt ante tempus crisim, quæ quarta die futura erat, tertius sibi dies arripiat, sicque huiuscemodi dies ratione motus humoris, criticus possit appellari, licet rigorose tertius, primus sit ex intercidentibus, & imparibus.

Dies verò quartus primum ex vere decretoriis locum obtinet, de quo passim Authores alloquuntur, eo quod quartus, primum circuitum claudit, & septimanam diuidit, & cum dies, qui septimanas diuidunt, ac finiunt, vere decretorij sint, ideo quartus vere decretorius erit, vt Gal. *aphorismor. 4. comment.* 36. idem etiam 3. *prognosticorum*, vt diximus: *Febres mitissimas quarto die terminari*, est etiam primus ex diebus paribus, vt Hippoc 1. *epidemiorum, part. 3. sentent.* 4. Quartum etiam inter dies pares, vt primum enumerat, est prætera, index septimi, maiorem enim indicandi vim, quam decernendi obtinet: vt Hippoc. 2. *aphorismor. sentent.* 24. *Septenorum quartus est index.* Et 4. *aphorismor. sentent.* 71. Galen. similiter 1. *de diebus decretoriis, cap.* 11. Quartum ex sua natura indicem esse inquit, vt qualisnam sit futurus dies septimus præsagiat; libro etiam prorrheticorum, *commentar.* 1. ait: *Atque ita si optima appareant signa quarto die, crisis septimo die optima erit, & ad salutem; si autem non optima, crisis in septimo die mala erit, & ad mortem.*

Quartus pariter dies, sexti erit index, vt Gal. 1. *de diebus decretoriis, cap.* 5. non quidem ex sua natura, sicut septimi, sed quia ratione illius, Medicus præcognoscit, cum in quo mala signa

apparent

apparent, morbusque celeriter mouetur, ac æger viribus languescat, & præsertim si diebus paribus exacerbetur; tunc quidem Medicus priùs ægrum moriturum percipiet, quam morbum in longum tempus protrahendum, neque ad septimum peruenturum, sicque sexto die Philisius obiit, 1. *epidemior. part. 3. sent.* 18. cum accessiones diebus paribus mouerentur, & quarto die signum lethale habuerit; quod verò in quarto die indicia eueniant, testatur Euchiides, *tertio epidemior. part. 3. sentent.* 77. qui febre acutissima correptus, die quarto circa meridiem calidum per totum corpus sudauit, ac sine febre iudicatus est, & quamvis quartus decretorius sit, rariores tamen crises in eo contingunt, vt Gal. 3. *de crisibus, cap.* 4. sic ait: *Raro accidit, vt in quarto die fiat crisis, vt videatur vix tantum Archigenes, in toto tempore vitæ suæ id obseruasse.*

Veluti dies tertius decretorius est, & primus de numero intercidentium, non aliter est quintus, ambo enim de morbis decernunt, non tamen ex propria natura, ac vere decretorij sunt, sed ratione potiùs accessionum, & quia quarto die, qui vere est decretorius, sunt proximi, vt Galen. 3. *de diebus decretoriis, cap.* 8. crisis accessione plurimum indiget; tum etiam, quoniam morbi acuti frequentius per dies impares mouentur, propterea fit, vt tertius, & quintus merito valeant decernere, propter accessionum vehementiam; ideóque pluries dies tertius, crisim, quæ futura erat quarto, prorripit, & peruertit; quando verò in morbis, qui paulo tardiorem motum obtinent, natura languida, & defessa quiescit, ita vt nec suscitata, neque irritata sit; proinde, crisis, quæ quarto de ventura erat, ad quintum potius protrahitur, cum in quinto accessio, siue exacerbatio contingat, cui assentit Gal 3. *de crisibus, cap.* 4. asserens: *Ex morbi autem motu te sperasse oportet, quod crisis, vel tertio die fiat, vel quarto die, vel quinto; nam si motus celer sit, in tertio, si quodam modo tardus in quinto: verò febris synochus in quarto.* Natura quidem duplici modo ad crisim efficiendam mouetur: nam vel ordinatè mouetur, & certis periodis, vt dum crisis vere decretoriis diebus accidunt, vel mouetur natura irritata, & valde stimulata, tumque fiunt crises in diebus intercidentibus, vt tertio, vel quinto primæ septimanæ, vt 1. *epidemiorum, part. 3. sentent.* 24. Methon quinto die ad salutem fuit iudicatus, 3. *epidemior. part. 2 sentent.* 1. Philistes quinto die mane defunctos apparuit.

Sextus præterea dies exponendus subsequitur, cum igitur tribus modis indicatio contingat, vel natura nimirum vincente, quæ omnino salutaris est, septimo, decimo quarto, vel 20. die semper accidit; secundo verò modo ab humoris subtilitate acutieve naturam concitantis, indicatio euenit, quæ plerumque in diebus intercalaribus apparet 3. tandem modo fit indicatio, cum morbus adeò vehemens, & perniciosus est, vt vires omnino decumbere cogat, opprimat, ac in totum virtutem naturæ deuastet, qua ratione die 6. aut octauo, decimo, 12. vel 16. talis indicatio solet euenire, perniciosa tamen, prorsusque exitialis; nam ita 6. dies praue indicat, vt meritò Gal. ipsum tyranno æquiparet cum pernicie illius, ac laborantis lethalitate, quem indicandum susceperit, maleque ita ægrum pertractat, vt tyranni munus efficiat: nam si ægrum non interficiat, bona tamen surripit, percutit ipsum veluti tyrannus, & vulnerat. Est itaque sextus dies septimo contrarius, raro in eo crisis accidit, quæ non fit, maxima cum symptomatum difficultate, nonque mediocri periculo; quemadmodum enim die septimo plures perfectissimæ crises. Sic sexto imperfectissimæ, & ad mortem accidunt.

Si ergo quarto die praua signa videantur, quamvis septimo iudicium possit prauum euenire; sextus tamen dies crisim septimi præoccupat; si verò quarto die laudabilia signa appareant, & in sexto crisis videatur, tuta quidem, & fida nequaquam est; potius enim recidiuam minatur. Merito quidem malignam huius diei vim scribit Galen. 1. *de diebus decretoriis, cap.* 4. tum & etiam patet 1. *epidemiorum, part.* 3. *sentent.* 8. vbi Phitisæus 6. die obiit, Dronoade vxor, quæ filiam peperit, sexto die subito mortua est. Primo etiam *epidemiorum, part. 3. sentent.* 20. tum similiter Hippoc. 4. *aphorism. sentent.* 29. idem firmat asserens: *Quibus febricitantibus sexta die rigores eueniunt, difficile indicant.* Et quamvis crisis sexta die non accidat, si tamen tali die mutatio in peius fiat, difficile similiter iudicium sequitur, ideóque Hermocrates *tertio epidemiorum, part. 1. sentent.* 5. cum sexta die icterum habuerit vigesima septima die defunctus est, Heurianactis filia, 3. *epidemior. part. 2. sentent.* 3. cum sexto die iudicata esset, decimo septimo defuncta est, tantaque est huius diei prauitas, siue malitia, vt tanquam rarum, & nouum conscribat Hippoc. 3. *epidemior. part. 3. sentent.* 83. virginem Larissææ sexto die iudicatam fuisse, nec febrem fuisse reuersam, licet ratione diei iterum deberet reuertere, cuius ratio desumitur, ex Hippoc. asserente: *Cum febricitaret, & iam iudicata esset, menses tunc illi primum prouenerunt.* Nam vacuationis, (vt ait Galen. *in commentario*) *Perseueratio, diebus post iudicium, sufficiebat, vt firmum seruaret iudicium, quod die sexto per sanguinis eruptionem, & sudores præcesserat; & præcipuè ex eo quod nulla esset pars inflammata, neque maligna humorum abundantia dominaretur.*

Nec minus idem clarescit ex Melibœa, 1. *epidemiorum, part. 3. sentent.* 32. quæ sexta die in peius mutationem habuit, vndecimo tamen liberata fuit; hæc verò mulier naturæ robore, & firmitudine fuit adiuncta, vt Galen. *in commentario: Natura enim potenti, nihil est impossibile*; quamvis verum sit optimam posse fieri crisim die sexto: si per pares dies morbus moueatur, etsi raro morbi acuti per dies pares suos motus obtineant, Gordonius quidem vir doctrinæ, experientiæque lumine ductus sextum diem magis iudicatorium, quam septimum stabiliuit, ac se expertum fuisse testatur; rationeque non exiguâ nititur: nam morbi præcipuè iudicantur, quibus accessiones contingunt; atqui morbi sanguinei paribus diebus per accessiones terminantur: ergo quarto, & sexto, qui sunt pares potiùs, quam imparibus, vt septimo iudicantur. Minor probatur ex Galen. 3. *de crisibus, cap.* 4. asserente, vt supra: *Ex morbi autem*

motu

motu te ſperare oportet, quod criſis, vel tertio die fiat, vel quarto, vel quinto, ſi quidem celer fit motus tertio: ſi verò quodam modo tardior, in quinto: ſi verò febris fuerit ſynochus, in quarto: Ergo Galenus ſynochum in quarto, & diebus paribus terminari oſtendit; vnde doctiſſime inquit Gordonius, & ſapientiſſimus Amatus Luſitanus, illi aſſentiens, quod cum Galen. ſexto die aſſeſat criſes fieri imperfectas, infidas, prauas, & valde periculoſas; potiùs de morbis bilioſis, qui diebus imparibus mouentur, intellexit, ſecus verò de ſanguineis, qui ſexto die perfectè fideliter, ac ſalubriter, manifeſtè terminantur, ſiue ſoluuntur.

Inter reliquos decretorios dies ſeptimus victoriolum, ac laudabile nomen ſortitur, quem tanti Galen. fecit, vt ipſum benigniori, ac clementiori regi adæquauerit; vnde ipſum primum numero, ordine, potentia, & dignitate, inter decretorios conſtituit: in ſeptimo enim perfectæ, & prænidicatæ criſes, manifeſtaque euacuatione, aut abſceſſu effatu digno eueniunt; licet tamen hoc ſit verum, non implicat, quod aliquando, prædicto die laborantes in peius mutationem ſuſcipiant, quandoque moriantur, vt 3. *epidemiorum, part. 2. ſentent.* 5. mulier illa, quæ apud Pantimedem degebat, ſeptimo die mortua eſt, *eodem libro ſentent* 7. aliqui ſeptimo die, etſi mortui non fuiſſent, mutationem tamen in peius habentes, al quo die inſequenti decretorio interierunt, veluti Silenus, 1. *epidemior. part.* 3. *ſentent.* 19. qui cum ſeptimo die obmutuerit, ac extremitates non ampliùs incaluiſſent, nihilque minxiſſet, vndecimo die mortuus eſt; quamvis tamen Hippoc. potius de prauis criſibus, quam de fidis, & perfectis, quæ ſeptimo accidunt die, mentionem efficiat; hoc tamen, ex eo, quod rarius imperfectæ, communiter verò, & ſecurius perfectæ, & laudabiles criſes, tali eueniant die, naſcitur.

Decretorium ſimiliter octauum diem Galen. appellat, debilem tamen, & infidum, cuius index quartus exiſtit: ſi enim quarto, praua ſigna apparuerint, morbuſque per dies pares mediis acceſſionibus moueatur, nec ita fuerit velox, vt in ſexto terminetur, potiùs octauo die indicabitur; iſte tamen non ita periculoſe vt ſextus decernit: maximam etiam decimus dies cum octauo ſimilitudinem habet: nam etſi malè iudicet, minus tamen praue quã octauus multoq; minus quàm ſextus, quia ſaltim morbus, præ tardiori motu materiæ prorogatur: Vnde morbus, qui ſexto die terminari debuerat, in octauum, vel decimum penes maiorem materiæ craſſitiem protrahitur, in quibus ferè ſemper indicatio imperfecta, & periculoſa euenit, ita vt criſis ſimilis ei, quæ ſexta fit, appareat, vt Gal. 1. *de diebus decretoriis cap.* 5. inquit: *Si aliquando, aut in octauum diem, vel decimum, ſubita morbi ſolutio accidat, ſimilis ferè ei eſt, quæ in ſexto die accidit, de quo ſupra latius egimus.*

Nonus præterea dies decretorius eſt, non quidem ex his, qui ſeptimanas diuidunt, & claudunt, ſed ex intercidentibus, vel prouocatoriis: tres etenim ſunt, qui intercidunt, & naturam ad criſim prouocant, vt ſupra; tertius videlicet, quintus, & nonus, inter quos, primum ſibi locum nonus abrogat, vt Galen. 2. *de diebus decretoriis, cap.* 8. quia imperfectiores criſes, quam in reliquis intercidentibus fiunt, ita vt valde ſeptimo diei aſſimiletur; iſte enim ſicut eſt, ex vere decretoriis, primus dignitate, quoniam in eo plures, perfectioreſque criſes accidunt; non aliter nonus, primus dignitate ex intercidentibus eſt; quoniam in eo perfectiores, quam in aliis, criſes oſtenduntur: obſeruandum tamen eſt, dies verè decretorios, quo magis à morbi principio recedant eo imbecilliores reddi, minoremque decernendi acuitatem habere, quod etiam de diebus indicibus intelligendum eſt; quartus enim dies maiorem indicandi virtutem, quam vndecimus, & iſte, maiorem quam decimus ſeptimus obtinet; non aliter ſeptimus validiori virtute ad iudicandum, quam decimus quartus, & his, maiori, quam vigeſimus pollet, propter vehementiorem morbi acutiem, & naturæ irritamen, eo quod morbus in prioribus diebus vehementior adeſt.

In diebus tamen intercalaribus, contrarium euenire ſolet: nam quo magis à principio morbi recedunt, intenſiori iudicandi virtute gaudent, ſicque maiorem, quam quinto, & iſte, quam tertio, vim decernendi continet, cuius eſt ratio, quia nona dies,, ex Galen. 3. *de diebus decretoriis, c.* 8. inter dies verè decretorios, ſeptimum ſcilicet, & vndecimum, medium locum habet; vnde fit, vt criſim, quæ in ſeptimo non contingit, & quæ futura erat vndecimo, ſibi arripit, cum hoc tamen diſcrimine, quod raro criſim, quæ in ſeptimo non fuit facta, ſibi aſſumat, propter magnam ſeptimi perfectionem; hoc enim raro euenit, niſi plurimi errores committantur.

Cum tamen decimus dies, octauo, & ſexto *ſuprà* aſſimilatus maneat, merito ad vndecimam efficientiam decernendi aperiendam, eſt accedendum: quemadmodum igitur dies quartus ſeptimi eſt index, non aliter vndecimus reſpectu decimi quarti, & veluti quartus, imperfectus iudicatorius, perfectus tamen index ſeptimi; ita vndecimus imperfectus indicatorius, & perfectus index decimi quarti nuncupabitur; cum hac tamen diſtinctione, quod ſigna coctionis, quæ in quarto apparent, futuram eſſe criſim in ſeptimo demonſtrant. Signa verò, quæ vndecimo videntur, non indicant morbum in decimo quarto terminandum eſſe: nam quamvis quartus ſit index ſeptimi, veluti vndecimus, decimi quarti, non tamen ita exactè, vndecimum ſupra decimum quartum, quemadmodum quartus ſupra ſeptimum indicat: ſi ergo vndecimo die, coctionis ſigna laudabilia cœperint apparere, morbus ſine dubio, non quarto decimo terminabitur, ſed potiùs decimo ſeptimo, aut vigeſimo, vel alio, ex decretoriis die longiori: nec deinde decimus ſeptimus dies, index vigeſimi indicandus eſt: ſi enim coctionis ſigna decimo ſeptimo appareant, morbus vigeſimo, non terminabitur; ſed vigeſimo ſeptimo, aut alio ex ſequentibus; cuius duplex cauſa occurrit aſſignanda, alia quidem eſt, quia cum quartus dies, vt Galen. 4. *aphoriſmor. comment.* 71. medium inter primum, & ſeptimum locum obtineat, tenendum pro certo eſt, naturam in eodem

dierum

dierum spatio ad morbificam causam expellendã victoriam posse complere; morbi enim qui septimo die iudicantur, cum peracuti sint, ex materia tenuissima generantur; ac proinde celerius, quam alij terminantur, vnde fit, vt quodlibet coctionis signũ manifestum in quarto apparens, optimam in septimo die crisim demonstret; nam si morbus velociter admodum moueatur coloris, ac substantiæ mutatio in lotio, pro futura iudicatione sufficiet; at verò morbi, quibus vndecimo coctionis signa eueniunt, & ex crassiori, tenaciorique materia fiant, non ita breuem terminationem obtinebunt; sed si vndecimo manifestissima coctionis signa non appareant, crisis non decimo quarto, sed decimo septimo fiet, quoniam non solum natura tribus æger diebus, ad victoriam coctionis apparentis; in vndecimo complendam; sed extensiori tempore suum opus perficere debet, vt Hippoc. 5. *epidemior. part.* 5. *sentent.* 1. in Meliboea demonstrat; Sileuus etiam 1. *epidem. part.* 3. *sent.* 29. 15. obiuit.

Duodecimus, qui subsequitur dies, nullo munere gaudet, sed solum vt numerum aliis addat, subseruit; ideóque Galen. 1. *de diebus decretoriis, cap.* 5. *&* 4. inquit: Se nunquam duodecimo die, vel raro vidisse, crisim aliquam contigisse, etsi forte aliqua, vel imperfecta, infida, periculosa, vel obscura sine signis, vel omnino in deterius tendere, visa fuit. Insequitur etiam huiusmodi 12. decimus tertius, qui inter perfectè decretorios, & eos qui non decernunt, mediam sortitur naturã; nam si talis dies cum decretoriis conferatur, imbecillimus omnium est; sicque morbos, non ita, vt decretorij, soluet; si verò cum non decretoriis comparetur, fortior est, quia non ita prauè, vt dies non decretorij iudicaret. Est igitur decimus tertius decretorius, licet non perfectè, saltim in morbis, qui accessionibus imparibus mouentur; imbecillimus enim eorum est; qui decernunt; fortissimus verò non decernentium.

Decimus quartus præterea dies, septimi naturam, & virtutem imitatur, vt Galen. 1. *de diebus decretoriis*; quare post septimum, principatum decimus quartus sibi vindicat, vt Galen. 1. *diebus decretoriis, cap.* 5. septimi naturam imitari, docuit: plurimi enim prædicto die perfectissimè iudicantur, cum in eo debitæ conditiones reperiantur, siquidem septimanam secundam claudit: quare vere decretorius appellatur. Præterea tertiæ septimanæ est principium, ac demum acutorum morborum terminus dicitur: vt Hippoc. 2. *aphorismor. sentent.* 23. morbi acuti decimo quarto terminantur. Patet similiter ex variis in eo iudiciis, vt 1. *epidemiorum, part.* 3. *sentent.* 3. decima quarta die mulier illa, quæ in litore habitabat, trimestri fœtu grauida, iudicata fuit.

Decimus quintus vlteriùs dies, vt ait Diocles, & Archigenes, tertiæ septimanæ est principium, veluti vigesimus primus finis illius; Galen. quidem decimum sextum parui facit, cum nullius sit momenti in arte medica; nam crises, quæ decimo tertio fieri debent, si morbus lente moueatur, potiùs in decimum quintum protrahitur; non verò in decimum sextum, qui nullius est actiuitatis, vt naturæ iudicium conspiciamus; imò dies vacuus, & Medicus, in quo diuersa tuto remedia adhibere possumus, absque eo quod naturam medio motu intercipiat, appellatur.

Decimus septimus dies, medius inter vigesimum quartum, & vigesimum est, quare sicut quartus dies primæ septimanæ, primarium septimum indicat, vndecimus, decimum quartum, ita decimus septimus vigesimum; validiùs tamen morbi solent in decimo septimo, quam die quarto, vel vndecimo terminari: nam qui decimo quarto per signa coctionis iudicari cœperunt, postea decimo septimo perfectè decernuntur, vt Galen. 2. *de diebus decretoriis*, inquit: *Decimus septimus dies, non inter coincidentes, sed inter validos, & prima nota, est numerandus.* Nec mirum, quia plurimi prædicto die iudicari fuere, vt Hierophon 1. *epidemiorum, part.* 3. *sentent.* 20. decimo septimo die iudicatus mansit. Similiter 1. *epidemior. part.* 2, *sent.* 8. duos fratres decimo septimo die iudicatos fuisse, scribit.

Decimus octauus pariter dies *in sentent.* Dioclis, & Archigenis, index est vigesimi primi; nam vigesimus primus terminum esse tertiæ septimanæ arbitrantur, ita vt decimus octauus se habeat respectu vigesimi primi, veluti quartus primæ septimanæ respectu septimi, & vndecimus respectu decimi quarti, quod à veritate, Galen. quæ doctrina valde dissentit, vt infrà clarescet: nec decimus nonus dies vnquam decernit, qui apud Gal. cum duodecimo, ac sexto decimo annumeratur; hi enim nunquam iudicant, quamvis aliquando imperfectè, & periculose operentur.

Cum Diocles, Archigenes, & Astrologi contra Hippoc. & Galen. sensum, tertiam à secunda septimana diuidant, ita decimum octauum diem medium inter vigesimum primum, & vigesimum quintum constituunt, propterea ordinem diuersum, dies criticos enumerandi, assignant. Hippoc. verò, & Galen. qui nullatenus secundam à tertia septimana diuiduot, potiùs decimum septimum, inter vigesimum, & decimum quartum existimant; ideóque vigesimus perfectior erit à decimo septimo, quam vigesimus primus indicatus; ac proinde enumeratio propria post decimum septimum, hac ratione debet constitui.

Inter decretorios dies vigesimus quartus, vigesimus septimus, trigesimus primus, trigesimus quartus, trigesimus septimus, quadragesimus, & sexagesimus, sicque deinceps, vsque ad centesimum pollent, cuius est ratio, desumpta ea longa ab Hipp. experientia, siquidem in omnibus decretoriis diebus, qui à decimo septimo surgunt, crises perfectas ipse Hippoc. variis epidemiis, & historiis subsequi docuit, è contra in diebus à decimo octauo enumeratis, tanquam indice vigesimi primi, cum Sola Dealcis vxor in thaso, vigesimo primò die iudicata fuisset 3. *epidemorum, part.* 3 *sentent.* 86. Ex quibus satis infertur contra Archigenem, diem decimum septimum, & ab eo surgentes, tanquam indicatos, non verò decimum octauum, præcipuum obtinere locum.

Inter magni pretij, honoris, & nominis, decretorios dies, vigesimus splendescit, cum tertiam septimanam, sextumque quaternarium claudat, ac plures in eo, perfectæ crises accidant, Eurianactis filia 3. *epidemior. part. 2. sentent.* 3. & vxor Filini 1. *epidemior. part. 3. sentent.* 21. quæ tali die periere, veluti Cherion, qui apud Bemenetum habitabat seruatus fuit, 3. *epidemior. part.* 2. *sent.* 2. morbi ergo ad quadragesimum vsque diem prorogari, suis gaudent nominibus; alius enim exactè peracutus est, intra quartum diem terminum obtinens; alius peracutus dictus intra septimum; alius simpliciter acutus intra decimum quartum; alius verò non exactè acutus intra vigesimum; alius tandem ex decidentia acutus, siue conuersiuus appellatus intra dies quadraginta, suum obtinens iudicium: reliqui verò morbi chronici, siue diuturni nuncupantur, qui potiùs coctione, & abscessibus finiuntur, quam crisibus, pro subita mutatione ad mortem, vel ad salutem desumptis.

Quod acuti morbi statutis circuitibus, ac temporibus definitis, modo partibus, modo imparibus moueantur, longo iam vsu, & experientia, a pluribus exploratum manet, dies deinde eandem non obtinere vim, sed alios potentiùs aliis decernere, nullus obijcit, septenarios præcipuè, secundo indices, tandemque intercidentes iudicare, omnes fatentur: naturæ similiter certas dari leges, nobis incognitas, quas ipsa indefectibiles, & immutabiles seruat, nisi vel impedita, aut vellicata, nullus philosophorum ignorauit; horum tamen effectuum causas assignare, nec minus arduum, nec minus mortalium ingenia superans, videtur, cum certa ratio, qua dierum criticorum causas assequi valeamus, vix difficultati satisfaciat, licet verum sit, vt Hippoc. inquit *lib. de aere, aquis, & locis, quod nihil in natura, sine natura*; idest causa naturali fit; nam etsi soli septenarij, septimus nimirum 14. & 20. perfectè decernant, solique quaternarij, vt quartus 11. & 17. securè indicent, erit tamen eorum quædam constans, ac indefectibilis causa, in cuius lumine adipiscendo non mediocriter ingenia torquentur, vt ex opinandi diuersitate, sententiarumque discrimine patebit.



CAPVT XI.

De causis criticorum dierum.



NATVRA cœlipotentis Dei munus, cum tota qua, vel oculis inspicitur, aut mente concipitur mirabilis operis est plena; tum præcipuéque in animalibus viget: animalia enim ipsa, & quæ ab illis sunt sensus, cognitiones appetétiæ, generationes, & reliqui motus, admiranda omnia sunt, inter quæ principatum obtinent, quæ crises nuncupantur, in quibus adeo mirabilis est natura, vt adhuc satis perspectum non sit, quam etenim peculiarem causam, & specificam obtineant; nam alios esse dies quos fatales natura seligit, constat; in quibus de morbis decernat, alios verò ita neglectos esse, vt nullæ vnquam crises eueniant, nulloque naturæ munere gaudeant, quæ mirabilis operatio sapientiores viros, in diuersas perduxit opiniones.

Prima igitur opinio Pythagoreorum est, qui triplicem in rebus ordinem constituunt, specierum nimirum, figurarum, & numerorum, numeris tamen, præcipuum locum tribuunt, quoniam ab his, omnia pendent, & in eis omnia consistunt, ita vt numeros, non solum causas, sed substantias esse tueantur: & ideo ens, & vnitatem maximè conturbant, ex numeris quidem alios pares, aliosque impares esse aiunt, pares fœminas, impares mares appellant, illos imperfectos, & infœcundos, hos verò perfectos, & fœcundos, propterea que huiusmodi numeros, rationem operandi obtinere, indicant; nec minus Plato vim, & dignitatem numerorum, ita extollit, vt neminem sine illis, rectam philosophiam amplecti posse pronuntiet; sicque inquires, cur homo animal sit sapientissimum, responsum præbet, quia numerare nouit, & animam definiuit, numerum esse ipsum mouentem. Præterea, quia Aristoteles 1. de cœlo ternarium numerum, naturæ legem appellat, iuxta quem naturalia omnia disponantur; ac proinde tres, tantum corporum dimensiones esse existimat, nullus similiter in numeris ordo, sine ternario, nam Arithmeticus, Geometricus, & harmonicus ordo, trinus principio videlicet, medio, & fine perficitur.

Neque Hippoc. numerorum vim exclusit: quadam enim ad Thessalum epistola, sic scribit, *Ad numerorum scientiam multum studij adhibeto, quin numerorum ratio ad circuitus, & transmutationes febrium, præter rationem fientes, idest ad iudicia ægrotantium, ac securitates in morbis sufficiens erit*: inquiunt ergo Pythagorici, numerorum imperio, omnia dispensari, moueri, & gubernari; sicque septenarios omnium vere decretorios esse, quaternarios verò eorundem indices; ideóque ita numeros subleuant, vt septenarios, intensam diuinitatem esse, veluti quaternarios incredibilem dignitatem possidere, haud dubitent, tantaque in eorum assertione, septenarij numeri maiestas est, vt venerandum sacrum veteres appellarint, ac plurimi maioris, & minoris numerum nuncuparent: quaternarius verò numerus tanti à Pythagoricis fiebat, vt per quaternarium iurarent.

Impares quidem dies, potiùs, quam pares, criticos esse huiuscemodi Authores existimant, ex eo quod dies impar sit veluti musculus, qui ad agendum promptior est, quam reliquæ partes; sicque humoribus calidis magis conuenit agere, quam pati, vt humor billosus, in substantia tenuissimus, temperie calidissimus, qualitateque acerrimus, paratior ad agendum euadit; vnde ferè omnes morbi acuti à bile nascuntur, quemadmodum diuturni à materia frigida, & crassa, quæ potiùs ad patiendum, quam ad agendum est apta, sicque crises diebus paribus eueniunt, quia pares fœmineis numeris, sunt

condonati;

condonari ; quam assertionem roborant, ex Hippoc. aphorism. 4. *Eo quod tertiana exquisita, septem circuitibus quoad longissimum indicatur:* tum similiter sentent. 36. *Eiusdem sudores septimo die manantes boni* : tum etiam ex eodem Hippoc. *Ikterus ante septimum diem insidiosus*; vt in coacis 2. aphorismor. sentent. 23. *Acuti morbi intra quatuordecim dies indicantur*; aphorismor. 4. sentent. 16. *Febricitantem nisi diebus imparibus febris dimiserit, relapsus subest periculum.* Ex quibus conclusionem Pythagorici extrahunt, numeros scilicet dierum criticorum, esse proprias, & actiuoras causas, vt critici, vel non critici euadant.

Sed licet prædicta videantur præclara, philosophica tamen statera perpensa, maximi erroris plena, iudicanda sunt; primò enim numeris nulla vis agendi est condonanda, cum potiùs ad prædicamentum quantitatis discretæ pertineant, quæ apud philosophos, nullam agendi virtutem obtinet. Probaturque rationa, huius assertionis falsitas; quoniam crisis est subita mutatio ad salutem, vel ad mortem; atqui mutationes non fiunt à numeris: ergo numeri non sunt causa crisis, nec dierum decretoriorum. Maior patet ex dictis, minor probatur; quia mutationes potiùs eueniunt certis numeris, aut in dierum intervallis numeratis, cum mutatio, quæ est motus, non fiat à tempore, sed in tempore, ex eo quod tempus sit numerus motus secundum priùs, & posteriùs, vt Aristot. 4. *physicorum*; atqui numerus, neque agit in corpora naturalia, neque ea immutat: ergo mutationes celsimas non valebit efficere: ergo numerus dierum, nequaquaquam causa criticorum, poterit esse.

Vlteriùs repellitur huiuscemodi sententia; nam numerus per se, nihil est reale, sed potiùs methaphysicè, & per intellectum: ergo nullam actionem immutatiuam realem in corpora nostra poterit habere: antecedens probatur; nam quod est plura entia simpliciter, & realiter, non est vnum simpliciter, & ens per se; atqui numerus est multa entia simpliciter, vt Aristoteles 3. *physicorum*, *capit.* 7. inquit: *Numerum esse vna plura*, & 10. *metaphysica: Numerum esse multa vna*, exponit: ergo cum ex duobus, nunquam fiat vnum, nisi vnitate continuitatis realis vniantur, vel intentionis, vel alterum, sit alterius forma: propterea numerus constans vnitatibus, quæ neque vniuntur inter se in aliquod vnum continuum, neque vna vnitas forma alterum adsit, non erit ens per se, sed tantum rationis, & metaphysicum; ac proinde nullam efficientiam realem continebit, vt vera criticorum dierum causa, ad realiter decernendum censeatur.

Præterea, quia numerus vt numerus est, ex vnitatibus constat; atqui omnis vnitas est quædam indiuisio, cum vnum sit indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, sed sic est, quod indiuisio est negatio, siue priuatio alterius: ergo numerus constans his vnitatibus, constabit negationibus; atqui huiusmodi negationes sunt non entia: ergo numerus constans non entibus, non erit quid reale; ac proinde nullam efficientiam realem obtinebit.

D.D. Math. de Llera, de Dieb.decretor.

Nec si obiicias sufficiet, quod numerus medio sensu percipitur, & ex Aristotele 2. de anima inter obiecta communia reponitur: ergo quia est ens reale. Cui respondeo, quod numerus ex negatione solius continui percipitur, veluti tenebræ, cæcitas, & fere omnes priuationes percipiuntur à sensibus, licet non sint vera entia realia; quare non aliter numerus percipitur, quamvis non sit ens reale, vt Aristoteles in prædicamentis, dum ait: *In partibus numeri esse ordinem, qui ordo non valet fieri nisi per intellectum*; ac per consequens, nullam efficientiam realem, quoad dies criticos possidebit.



CAPVT XII.

Secunda sententia proponitur, & refellitur.



LIA verò Astrologorum est opinio asserentium, non solum crises, sed etiam omnium humanarum actionum euenentum efficienter à varijs siderum aspectibus influxibus, & coniunctionibus ortum ducere, tantumque fuit illorum varietas, vt singulis Planetis, peculiares morbos designarint, Saturno videlicet febres quartana, lepram, scyrrhum, cancerum, strumas, vlcera maligna, incubum, melancholiam, hepatis, & lienis obstructiones, hæmorrhoides, varices, herniam, vteri præfocationem; Ioui verò, cephalalgiam, febrem synochum, anginam, pleuritidem, peripneumoniam, phlegmonem, & apoplexiam; Marti, tertianas febres, hemitriteos, phrenitidem, & sic de omnibus, singulisque Planetis, habita ratione ad diuersos influxus, & aspectus, diuersas crises contingere aiunt, ita vt si malignus Planetarum aspectus sit, insidiosam crisem, si benignus salutarem exhibeat.

Ad huius assertionis confirmationem prædicti Authores, Hippoc. adducunt, qui *libro* 2. *de dicta* inquit, quod Astrorum ortus, & eorundem occasus agnoscere Medicum oportet; vt inde mutationes totius mundi, ex quibus morbi hominibus ortum ducunt, obseruet: tum & etiam libello de rebus sublimibus: *In cælo non est instatum dicere, nisi quatenus ex his bonum, & malum; vita, & mors; sanitas, & morbus:* Ergo videtur Hippoc. cœlo, & astris maleficam vim, & quasi necessitatem tribuere; cum primo de dieta afferat, omnia euenire per cœlestem, ac diuinam necessitatem, & quæ volunt, & quæ nolunt.

Sed hanc diuinatricem astrologiam, omnes Philosophi, vt Pythagorici, Democritus, Plato, Archelaus, Aristoteles, parui pendetunt; merito quidem; quomodo enim ex aspectu stellarum, morbi euentus, vitæque humanæ casus

p ſſunt prædici, cum Aſtrorum omnium, incognitæ ſint vires, & ſtellarum penè infinitus numerus, illarumque magnitudo, & licet reſponſum præbeatur, quod longa annorum experientia, ſerumque obſeruatione, ferè infiniti euentus ab eis comprobati fuere: Contra, nam ſecundum Philoſophum, cœli motus ſunt incommenſurabiles, illuſque faciem, & ſituationem, ſæpè euenire non poſſe, tenendum eſt; ac proinde, ex diuerſo ſtellarum aſpectu, & influxu, Medicus de morbi iudicio non valebit prædicere: ergo ab eo dies critici ex neceſſitate non pendent.

Cœlum igitur, ergo omnium conſenſum potiùs eſt vniuerſalis cauſa, cuius virtus, licet ferè infinita ſit, per particulares tamen, & elementales cauſas determinatur; Sol enim nunquam hominem, ſine homine generat; nam ad effectum producendum, agens particulare, ac certa quidem materiæ diſpoſitio, quæ vniuerſalis agentis vires immutat, alterat, euertit, ac determinat, requiritur: ergo ad criſis prædictionem, Medicus non ſolum aſtra, ſed cauſas morbi particulares, illius ideam, magnitudinem, motum, & morem, ac ægrotantis naturam debet præuidere; non enim peritiores nauigatores ex Ioue, Marte, aut Saturno, imminentem tempeſtatem præ[illegible], ſed ex peculiari ventorum motu, ac commotione, in nubibus apparente. Sicque Medicus ægri ſalutem, & necem, ex eodem laborante, id eſt, his quæ in ægro apparẽt; non verò ex cœlo, & aſtrorum aſpectu, debet prædicere.

Probatur etiam impoſſibabilitas huius ſententiæ: nam qui ſub eodem aſpectu, eademque hora laborioſe incipiunt decumbere, omnes eodem modo, ac ſimili decretorio die iudicarentur; atqui hoc eſt contra experientiam: nam plurimi eodem inſtanti ægrotantes diuerſimodè indicantur, ita vt al j ad ſalutem terminentur; alij verò ad mortem: ergo quia terminatio, in morbis, & in diebus criticis, nequaquam ab hoc, vel illo Planetarum aſpectu dependet.

Præterea, quia mors nunquam à cœlo, ſed à natura elementari cum proprio vitio contracto: nunquam deinde corporum inferiorum tumultus à cœlo naſcuntur, ſed à materiæ motibus inordinatis: vnde qui cœlo maleficam vim tribuit, & ſtellas morborum cauſas eſſe arbitratur, ita coarguendus eſt veluti, qui naturam noſtrum corpus gubernantem, cauſam morborum eſſe loquitur, cum illa morborum ſit medicatrix, vt Hippoc. *in epidemior.* & quamvis aſtrologi, cum Hipp. cœlum in hæc inferiora agere, omniumque mutationum cauſam eſſe vniuerſalem aſſerant. Reſponderur, cœleſtia omnia tantum agere in noſtra in corpora motu, & lumine, quia cœlum eſt contiguum, non mathematico, ſed Phyſico contactu, vt ait Ariſtoteles, idemque Hippocrat. 4. *aphoriſmor. ſentent.* 5. medicamenta purgantia tempore æſtiuo prohibet, inquiens: *Sub cane, & ante canem difficiles ſunt medicationes*; non quidem ob cœli, ſed potiùs aëris ſtatum, ſiue conſtitutionem, alloquens, cum ad ambientis mutationem noſtra corpora immutentur, non verò ab immodico ſtellarum, ſiue aſtrorum aſpectu.



CAPVT XIII.

Alia opinio reiicitur.



LIA vlteriùs eſt quorundam medicorum, atque Aſtrologorum ſententia, dicentium inter omnia Solem, ac Lunam, ſiderata eſſe fulgentiſſima, vt aliud magis, aliudque minus, diuerſimode ad morbos decernendos concurrant, quare diuturnis Solem, ac chronicis, quemadmodum Lunam acutis præeſſe exiſtimant, & quoniam Sol quatuor anni temporum, veris ſcilicet, æſtatis, autumni, & hiemis eſt Autor, propterea omnes quatuor humores, ſingulis anni partibus immutat, ob quam cauſam, diuerſi, atque mirabiles à Sole effectus oriuntur, vt Heraclitus fontem cœleſtis luminis appellat, Iulius ducem, ac moderatorem reliquorum luminum, à quibuſdam coc mundi nuncupatur, ab Ariſtotele ſtella ſalutaris, proſperitatumque omnium procreattix, aut parens.

Luna verò, quia humorum eſt concitatrix, & motrix, in omnia corpora humida immenſum impetum obtinet, & vt Galen. 3. *de diebus decretoriis, cap.* 2. his, quæ ortum ex terra ducunt, incrementum concedit, menſtrua ſtato, definito, & ordinato tempore mulieribus ſollicitat, morbo comitiali laborantium circuitibus concurrit, quæ omnia, tam motu ſuo, quàm lumine præſtat, emendicata tamen hac ſola virtute: nam ex acceſſu, vel receſſu Lunæ à Sole, variæ configurationes, ſiue formæ apparent; prima enim Lunæ mutatio, nihil ferè luminis emittit, quod tempore coitus, vel coniunctionis Lunæ cum Sole accidit: nuncupatur quidem interlunium, Nouilunium, intermenſtruum, vel tandem Luna ſilens vocatur; quod etenim ferè trium ſpatio dierum permanet, quarto verò die ex coitu Solis libera exiens, faciem quaſi pudore ſuffuſam oſtendere non audet, à quarto verò die ad ſeptimum vſque, ſenſim incrementum ſuſcipit, iam dimidiam faciem detegens, die vndecima tota propè modum eſt ſplendeſcens, exigua portione intus remanente, tandemque decimo quarto die perfectè, & vndequaque illuſtrata, liberam, plenamque faciem ſplendoribus oſtentat: ſicque diſcurrendum venit de ipſius decremento, dum poſt Plenilunium ad Solis congreſſum properat. Quarta enim ſequenti die fit, veluti erat vndecimo; ſicque per quaternarium ſenſim decreſcit, donec tandem cum ſole congreſſum amplectatur.

Cum igitur per quaternarios, & ſeptenarios moueatur Luna, criſes, quaternariis, & ſeptenariis diebus Lunæ motui reſpondentibus huiuſcemodi Aſtrologi accidere volunt; quare Lunam per ſe eſſe cauſam criticorum, & indicantium dierum, iuxta diuerſos illius motus ad quadrangula diuerſa ſentiunt; Hæc tamen ſententia

his

his fulcita rationibus, veritati aduersatur: si priùs vt omnes fatentur, crises, siue indicia in humorales solum morbos cadere, supponamus. Lunam verò in omnia corpora humida, imperium aliquod obtinere, vt experientia demonstrat, non tamen ex hoc infertur, criticorum dierum, hanc vnicam esse causam.

Probatur ergo huius assertionis improbabilitas ratione: nam crisis, quæ motus est humorum, fit à natura ipsos noxios, à bonis secernente, illosque ad excretionem præparante, (vt *suprà* ex Galen.) nunc fit; si Luna efficit talem motum, aut hanc mouendi virtutem à se ipsa, vel ab alio suscipit, vt aspectu, reflexione, lumine, quadratura, vel oppositione; atqui si à se huiusmodi virtutem obtinet, non est maior ratio propter quam, potius septima, quam octaua die, moueatur: ergo septimi diei, non potiùs, quam octaui erit causa: maior est clara. Minor verò probatur: nam quæ primo, & per se insunt, (vt Philosophus inquit) semper insunt: ergo si Luna per se mouetur, non magis septima die, quam octaua, motum efficiet: ergo non erit maior ratio, ob quam magis septimo, quàm octauo decernat.

Secunda verò pars, videlicet, quod si Luna moueatur ab alio, non sit causa dierum criticorum, & probatur, quia si Luna moueatur ab alio, vt oppositione, & quadratura, contra; nam tunc solum Luna mouebitur, quando in illo aspectu, aut loco requisito ad motum sit: sed sic est, quod si decumbat hodie Petrus, & crastina die Paulus vterque septimo sui morbi die iudicabitur, Luna tamen in eodem aspectu non erit: ergo talis indicatio in die septimo critico, motui Lunæ, in isto, vel alio aspectu existentis, non tribuenda erit: suppositio ex Gal. 2. *de diebus decretoriis, cap. 7.* constat, vbi plures, quam quadraginta homines acuto morbo laborantes, septimo die, vnica ætate persectè iudicatos vidisse, non tamen omnes eadem die sub eodem aspectu ægrotare cœperunt.

Vrgentiùs tamen præsens sententia impugnatur; certum enim est, omnem actionem contactu fieri; atqui cœli contactus non est Mathematicus, sed Physicus: ergo quia ex cœlo aliquid non corporeum communicatur; nam hoc sensim minueretur: ergo qualitas carens contrario, ac momento diffusa, vt lumen: ergo huiusmodi qualitas, prima, vt calorem producit, aut aliquam expellendi, vel trahendi virtutem communicat; sed ab hac virtute crises non fiunt, cum ista omnia maiori cum perfectione in singulis indiuiduis insint: ergo potiùs fient à lumine cœlesti; sed sic est, quod lumen non magis isto, quam alio modo calorem suggerit, nisi eo quod plus ad terram reflectat; & tunc ad terram plus reflectit quando Luna plus luminis à Sole suscipit, & plus suscipit, quo magis ab eo semouetur: ergo cum octaua die Luna longiùs ab eo, quàm septima recedat, plus luminis, & caloris octaua, quàm septima die communicabit: ergo potiùs octaua, quàm septima, motum criticum obtinebit, ac per consequens dicendum venit, Lunam, nec per se, nec ratione luminis, à Sole emendicati, indicantium, nec criticorum dierum esse causam.

Quamvis alia Fracastorij noua opinio proponenda, reiiciendaque offeratur, cum causam dierum criticorum, semper ad motum humoris melancholici ordinatum reducat, quia tamen ex illius diuersis fundamentis, varia, diuersaque ab Hippocrat. & Galen. *plurimis in locis*, vt vera stabilita, destruuntur, ac veriori philosophiæ dissentit, propterea ex nostræ assertionis dicendis, quidquid Fracastorius sentiat, explosum, & tanquam inutile, solutum manebit.



CAPVT XIV.

Percelebris Galeni assertio, & ostenditur, & repellitur.



CVM ex Lunæ motu superiùs dicto, mensis constituatur, in quo variæ mutationes Lunæ inspiciuntur, vt huiuscemodi mensis in quatuor hebdomadas dissecetur, necesse est magnam decernendi vim, tum septenarios, tum etiam quaternarios obtinere, ita vt septenarij maiori, quam quaternarij, efficientia gaudeant. Maior enim mutatio Lunæ, septimo die, quàm quarto accidit: ex quibus, Galen. corpora cœlestia præcipuéque Lunam, dierum criticorum causam esse, decernit.

Quoniam tamen lunaris mensis multiplex potest esse, sciendum priùs est, de quo mense sit loquendum, & an aliqua, in diebus criticis indicatio valeat assignari: ex Lunæ autem motu, tres solent menses diuersificari, quorum primus periodicus mensis est, qui peragrationis nuncupatur, in quo Luna viginti, & septem diebus, & octo horis, ab vno puncto, ad idem vsque punctum, suum cursum complet; alius verò synodicus mensis, vel conjunctionis appellatus, nihil est aliud, quam temporis spatium, quod Luna suo in motu assumit, qui motus ab hora, qua cum Sole coniungitur, donec iterum Solem consequatur, atque iterum cum eo coniungatur, incipit, hoc quidem tempus, mensem peragrationis, tanto spatio, quanto Luna in transitu illius indiget, excedit, quod quidem spatium, à Sole versus occidentem peragratum est, dum Luna suum circolum integrum conficiebat, quod etenim est spatium duorum dierum, & quatuor horarum, cum aliquot minutis, in quo Sol suum ferè signum percurrit. Cum ergo Luna Solem in ea parte, in qua vltima coniunctione reliquerat, vt in prima arietis parte, non inueniat; sic enim fit progressus, vt ferè integrum signum transierit, atque ad primam partem tauri, proximè accedat; propterea Luna duos dies, quatuorque horas, cum aliquot minutis, in adipiscendo, vel consequendo ipso Sole, consumit; vnde accidit, vt mẽsis coniunctionis aliquando viginti nouem diebus, & duodecim horis, aliquando verò fere triginta diebus cõster-

Tertius præterea mensis, apparitionis, seu illuminationis appellatur, qui quidem est tempus, quod è propria ipsius Lunæ apparitione, vsque ad vltimam eius remotionem consumitur, quod interuallum non semper est æquale, ratione enim remotionis Lunæ variatur, & vt plurimum viginti septem dies, ac duodecim horas amplectitur, quo fit, vt ferè tribus diebus, quandoque plus, quibus Luna tegitur, lumenque à Sole acceptum, non vt solebat, inuertit, sit breuior.

Merito Galen. omnes lunares proposuit menses, vt ex quo prædictorum dierum criticorum pendeat ratio, demonstret; primoque probat, tertio de diebus decretoriis, *cap.5.* ex mense peragrationis non pendere: nam si totum spatium illius mensis, quod est viginti septem dies cum octo horis, in duas diuidatur partes, vnaquæque pars diuisa tredecim diebus, & decem, & septem horis constabit, deinde si hæc pars subdiuidatur, remanebunt sex dies cum viginti horis; atqui cum vna septimana, sit quarta pars mensis, prima constabit sex diebus, & viginti horis, secunda tredecim diebus, & decem, & sex horis; tertia verò viginti diebus, & duodecim horis; quare quamvis prima, & secunda septimana, vim indicandi habeant; tertia tamen nullam virtutem obtinet: nam duodecim horæ supra viginti dies, in medio horum dierum, maximè ambigunt, & in vtramque partem vergunt, vigesimum, & vigesimum primum, ita vt si crisis in illis duodecim horis accidat, æquè ad vigesimum, & vigesimum primum referri possit, cum ad neutrum horum extremorum magis vergat.

Neque ad mensem coniunctionis, decretorij dies possunt pertinere, quoniam si eodem modo talis mensis in quatuor septimanas diuidatur, cum viginti, & nouem diebus, ac duodecim horis constet, quælibet ex septimanis, septem diebus, & nouem horis constabit, secundaque septimana decimo quarto die, & hora decima octaua finietur: tertia tandem vigesimo secundo die, & hora tertia; ex quibus claret, in præsenti mense nullam prædicendi vim per septimanas, neque diem vigesimum esse decretorium, sed potiùs vigesimum secundum. Idem etiam Galen. demonstrat, in mense illuminationis, qui viginti, & sex diebus, ac duodecim horis completur: si enim hic, veluti reliqui, in quatuor partes diuidatur, singulæ partes sex dies, & duodecim horas obtinebunt: si verò ex his tres partes, aut tres septimanæ coniungantur, vigesimum diem adimplere non valet: octaua enim pars vnius diei, hoc est, tres horæ deficiunt, quapropter, potiùs ad decimum nonum, quam vigesimum, crises in eo factæ pertinerent, quare huiusmodi tres menses tanquam inutiles Gal. recenset, cum ex eis nulla criticorum dierum ratio possit inueniri.

Vt ergo cum Galen. ex motu Lunæ diem vigesimum decretorium esse, ac tres includere septimanas, & quatuor mensis septimanas in his diebus decretoriis finiri, videlicet septimo, decimo quarto, & vigesimo septimo intelligamus. Propterea Galen. etiam mensis rationem multo difficiliorem, *tertio de diebus decretoriis, cap.4.* excogitauit, pro cuius intelligentia, quædam sunt priùs supponenda, quorum primum est; quod morborum crises, siue iudicia, vel à suo proprio principio, idest causa interna, vel à communi, & externa, vt ab ambientis mutatione eueniunt: est quidem duplex, crisis causa interna: nam vel natura humorem morbificum, & concoctum foras conatur expellere, vel ipse humor nondum coctus, neque ad expulsionem paratus, sua quantitate, aut qualitate naturam grauans, foras prorumpit, quibus modis, aut natura, aut causa morbifica, proprio, ac interno principio, crisim efficit; à causa verò externa, videlicet aëris mutatione crises fiunt, dum aëris temperies immutatur, vel ad calidum, frigidum, humidum, vel siccum. Vt Hipp. *3. aphor. sent. 6.* inquit, calidum, & humidum aëris temperamentum, crises per sudorem mouere.

Secundum à Galen. fundamentum adductum est, Lunam corpora nostra duplici mutatione alterare, atque immutare, propria scilicet, & communi, propria quidem est, quæ à proprio Lunæ motu fit, quæ fertur per Zodiacum spatio viginti, & septem dierum; & octo horarum, quem motum peragrationis, omnes appellant. Communis verò mutatio nuncupatur, quæ ex ambiente aëre pendet, qui etsi communis causa dicatur, Lunæ tamen potiùs debetur, quia in aëre fit motio, cum Luna, post coniunctionem cum Sole, noua conspicitur, quod tempus illuminationis dicitur, quibus præactis, Galen. eas crises, quæ à proprio principio, siue ab interna oriuntur causa, à motu scilicet proprio ipsius Lunæ, siue peragrationis fieri indicat. Eas tamen, quæ à communi causa, vt aëre ambiente contingunt, quemadmodum crises, quæ in febris pestilentibus eueniunt à communi Lunæ motu, siue illuminationis prouenire tuetur.

Tertium tandem fundamentum est, corpora cum bifariam immutentur ex motu nimirum Lunæ proprio, & communi necesse est, hanc duplam mutationem inter se misceri, & confundi, quia tempus peragrationis Lunæ, cum illuminationis tempore, vnde Gal. *loco assignato*, inquit: Solus Deus hanc mixturam. Vtriusque temporis, & vtriusque mutationis cognoscere potest, vnumque ab altero separare, quod nos nulla ratione assequi possumus.

Cum igitur huiuscemodi mutationes sint mixtæ, atque confusæ, vt criticorum dierum rationem Galen. redderet, medium mensem in tres partes constituere decreuit, ratione cuius media sit Lunæ mutatio, ex ambabus composita, communi scilicet, & propria, ad quem medium mensem constituendũ, hanc viam ostendit: vt etenim vtrumq; circuitũ peragrationis & illuminationis coniungamus, & quod ex his duobus circuitibus resultat, in duas partes æquales diuidamus, ita vt quod ex diuisione remanet, circuitum, siue medium mensem nominemus, veluti recentiores medicinalem mensem, vt si mensem peragrationis, qui viginti, & septem diebus, & octo horis constat, cum alio mense illuminationis, qui viginti, & sex diebus, ac duodecim horis constat, coniungamus; hoc in casu quinquaginta, & tres dies, ac viginti horæ exurgent. Si

deinde

deinde hanc summam in partes æquales seiungamus, medium mensem medicinalem, aut criticum obtineamus, qui viginti, & sex diebus, ac vigesimis secundis horis constabit, quam demum, si in quatuor æquales partes, siue septimanas diuidamus, quælibet earum sex diebus, & decem, & septem horis, cum dimidia constabit, illoque in casu aspectus Lunæ erit quadratus cum ipsius morbi principio, quo quidem spatio peracto, quadrum vnum Luna emensa est; non aliter secundam septimanam tredecim dies, & vndecim horæ complent; & tunc Lunæ oppositio cum ipso morbi principio erit: si verò tres septimanas coniungamus, vigiori dies, & quatuor horæ cum dimidia consurgent; sicque si hanc sequamur rationem vigesimus dies magis decretorius, quam vigesimus secundus erit, vnde Galen. quia hic medius mensis vigesimo diei mensis magis, quam tres alij supra enumerati, quadrat, hunc tanquam legitimum seligit, illique omnem decernendi vim in morbis condonat.



CAPVT XV.

Verior sententia stabilitur.



CETERVM, & si hæc Galen. sententia difficilis, multisque calumniis obuia, ne tamen indiscussa, ac sine solutione, huiusmodi difficultas relinquatur, liceat nobis, in medium solidiorem, veriorémque nostram assertionem stabilire: vt certum igitur, dierum criticorum, idest septenarij, & quaternarij, non solum naturæ alterationem, erga morbificam causam, siue certam naturæ proportionem cum morbi causa, nec solum corporum cœlestium alterationem esse causam, indico, sed vtrumque simul necessariò, vt certus dierum criticorum ordo, constituatur, debet concurrere. Ex quo infertur, quod istorum dierum causa interna, nihil est aliud, quam confluxus naturæ cum causa morbifica, externa verò alteratio, & humorum commotio à corporibus cœlestibus facta.

Quod igitur hæ duæ causæ, simul ad ordinem criticorum concurrere debeant, certissimum est, cum causa interna nulla sit dubitatio, de causa verò externa, ex supradictis de varia corporum cœlestium alteratione, in hæc inferiora patebit: nam veluti in hominis procreatione, Sol vt vniuersale efficiens, & homo vt particulare, quando conueniunt: si pariens benè dispositum, extiterit, omninoque patiatur, certum, ac effectum determinatum producunt, non aliter in crisi accidit, vt quando efficiens vniuersale, Sol videlicet, vel illius prorex, Luna nimirum, quæ ad hanc inferiorem plagam regendam, merito est destinata, præ illius vicinitate, humores mouet: si eos idoneos, paratosque effectui recipiendo, inueniant: immutantur hæc inferiora à superioribus dupliciter, vel radiorum cœlestium influxu occulto, vt quando in hæc inferiora per actiones, & aspectus, suas vires dimittunt, vel aperto, & manifesto, vt quando ambientis mutatione, influxus sensibilis accidit; hoc enim modo, Sol, aërem calefaciens, terram etiam calefacit, qua simili mutatione, corpora nostra Luna afficit, humoresque alterat, suisque manifestis qualitatibus mouet, vt quando falcata, aut Orbe plena apparet; hæ tamen causæ, ita concurrunt, vt nunquam sine interna, hoc est, naturæ cum causa morbifica confluxu, crises efficere valeat; contra verò causa interna sine externa eas frequenter efficit, vt in diebus intercidentibus experimur, in quibus ex sola naturæ vellicatione, nullo motu Lunæ interueniente, crises, etsi non ita perfectæ quemadmodum in diebus vere criticis, solent euenire: nam in his, duplex causa, motus inquam naturæ, & influxus vniuersalis, in aliis verò intercidentibus vna tantum causa, vt irritatio naturæ concurrit.

Ex quibus vnusquisque facilè vim, ac dignitatem cuiusvis decretorij diei percipiet, vt varia, quæ ex textu deprimi possunt, soluantur, cum Hippoc. in sententia superius dicta 36. aliquos dies, qui vere decretorij videntur, non enumeret; alios verò, qui potiùs indices sunt, vt criticos constituat. Primum ergo iuxta Hippoc. doctrinam offertur dubitandum, cum semper Medicus naturæ rectè operantis imitator sit: nam quo natura vergit eo ducere oportet, si per loca conferentia, propter quid Hippocrat. non studet euacuare in his diebus decretoriis, in quibus ipsa natura ita securè euacuando mouet.

Cui dubio satisfaciam asserens, quod Medicus in diebus criticis, maximè ab euacuatione, duplici ratione, est abstinendus; quarum prima est, quoniam naturam nunquam Medicus imitatur, nisi quando illa, vel non agit, vel non integrè operatur; sicque, cum in diebus criticis, iam per se agat, & inconstans sit, an rectè operatura, propterea totum opus ipsi dimittendum, eo quod illa omnium actionum laudabilium opifex sit.

Secunda verò ratio, quia in criticis diebus semper natura, saltem circa materiæ morbificæ coctionem, siue euacuationem, non aggreditur aliud opus; vnde, ne naturæ motus in coctionem, à pharmaco auertatur, siue impediatur; ideò tale opus dimittendum est. Tum & etiam quia si natura simul in die critico mouens, & medicamentum purgans concurreret, maximum superpurgationis periculum immineret, ne igitur hoc sequatur, tali die critico totum opus naturæ erit relinquendum, vt Galen. *libro de humoribus, comment.* 22. purgationem longè à die decretorio celebrandam esse prædixit, vt per hæc verba clarescit: *Multa quidem purganda sunt, non propè indicationem, sed longius, &c.* Hoc est parte post indicationem, vt priùs, verum natura per se ipsam, causam morbificam moueat, expectemus; vt si ita integrè non operetur, illius Minister Medicus, opus naturæ adimpleat.

Sed ingenuè quis inquiret, cur Hippoc. pro euacuationum omnium exemplo, in allata sententia,

tentia, ſudores potiùs, quam alias euacuationes maluit adducere. Cui teſpondeo, duplicem eſſe cauſam oſtendam, quarum prima eſt; nam in febribus acutis, de quibus Hippoc. alloquitur, frequentior, & copioſior, quam in reliquis omnibus accidit; quare, cum facilius in his indicandis, error committatur, proinde nos in his potiùs exerceri, vt certiorem iudicationem deducamus, Hippoc. placuit ſudores inſinuare: ſecunda præterea cauſa eſt: nam vt Gal. 3. *de criſibus*, inquit, per ſudores rarius criſes veræ fiunt, quam per alias corporis euacuationes; ſicque ſi in his euidens diſcrimen apparet reſpectu criticorum dierum, in quibus accidunt, multo periculoſius in aliis debent apparere. Deinde; nam cum ſudor ſit totius corporis euacuatio, proinde critici dies, medio ſudore, magnam diſcernendi vim obtinebunt.

Inquires etiam rationem, ob quam Hippoc. quartum diem dimiſerit, qui principaliſſimus eſt, ac inter criticos contemplabilis; cuius eſt ratio, quia cum horum dierum duplex ſit cauſa, ſuperiùs dicta, interna nimirum, & externa, ſolaque externa, ſine interna, non valeat criſes efficere, ac dies quartus, ſolum ratione cauſæ externæ, non verò internæ, decretorius ſit, cum in quarto morbi acuti per acceſſiones non repetant: nam tertio quoque die ſolum mouetur acceſſio, quæ ſit præcipua irritationis, & criſis cauſa, propterea fit, vt quartus dies rarò de morbis decernat, ita vt Archigenes, (bis tantum hanc iudicationem in quarto vidiſſet) ac Hipp. 3. *epidemiorum*. Periclem quarta die poſt meridiem multum ſudaſſe, fuiſſeque indicatum, aſſerat: Hoc tamen tanquam exemplum peculiare, & rarum propoſuit.

Vlteriùs, cur ſeptimus dies dubitabis, primus ex decretoriis, viribus, & dignitate ſit; decimus quartus verò non ita, ſed locum ſecundum obtineat; ſiquidem ratione motus Lunæ principaliori dignitate gaudet; nam in decimo quarto, oppoſitio datur perfecta Lunæ cum puncto, in quo quis incipit ægrotare, qui aſpectus cum ſit perfectæ inimicitiæ, ideo maxima in eo ſit humorum agitatio. Reſpondeo tamen, quod cum vtraque cauſa ex dictis, ad criſim debeat concurrere, & ex duabus validior, & efficacior ſit interna, propterea fit, vt ſeptimus dignitate ſit prior: nam in eo ex parte morbi in naturam, valida irritatio adeſt; in decimo quarto verò, morbi vis, ſiue actiuitas langueſcit, ac per conſequens minor naturæ irritatio euenit, quapropter, quo magis dies critici à morbi principio recedant, eo debiliores ad indicandum redduntur, ſicque ſeptimus, quia minus diſtat, primus dignitate cenſendus, in eoque plures criſes contingunt; decimus quartus verò, ſecundum locum, veluti vigeſimus, tertium obtinebit.

Inſtabis tamen: nam primi decretorij dies morbi, validiores quam vltimi exiſtunt: ergo etiam quartus validior erit ſeptimo. Diluitur reſpondendo cum Hippoc. & Galen. hoc potiùs de diebus vere decretoriis radicaliter dictis intelligendum eſſe; quare ſi collatio, aut reſpectus inter ſeptimum, decimum quartum, & vigeſimum fiat, ſemper in decernendo, ſeptimus validior erit, quemadmodum ſi indices inter ſe conferantur, quartus in indicando, reliquis aliis validior aderit. Sed quàre Hippoc. dices, decimum tertium, & decimum quintum non enumerauit, ſed potiùs decimum quartum, cum iſte ſit dies par, & illi dies impares exiſtant. Cui reſpondeo, ideò Hippoc. de decimo tertio, & decimo quinto non loquutum fuiſſe, quia decimus quartus, re vera dies decretorius eſt, cum ex duabus ſeptimanis componatur, quarum quęlibet impar eſt, in qua morbi acuti per impares motus exacerbantur, atque indicantur; ac proinde decimo quarto die, criſim inchoatam, decimo tertio, perficit, vel ſi ad decimum quintum extenditur, rarius, vt ſupra dixi.



CAPVT XVI.

Quibus in morbis, dies critici numerari debeant.



ERCELEBREM, genuinamque quæſtionem exagitare offertur, in quibus videlicet præcipuè morbis, dies critici numerari debeant: an vero ad morbos extra venas extendi valeant: difficilis quidem dubitatio, cum maior medicorum claſſis, ſolum dies decretorios in morbis generis venoſi, locum obtinere aſſerat, non verò in aliis: verior tamen ſententia, variis cum Hippoc. & Galen. authoritatibus, ac rationibus, in omnibus morbis, tam venoſi generis, quam extra venas, criſes reperiri poſſe, ac proinde in omnibus, dies criticos locum obtinere, tuetur, ſicque ſententia ſuperiùs allata trigeſima ſexta, in qua, pro exemplo, ſudores Hippoc. adducit, etiam de aliis criticis euacuationibus intelligenda venit.

Probatur igitur huiuſmodi ſententia variis Hippoc. & Galen. authoritatibus, Galen. 3. *de criſibus, cap.* 3. dum ſigna præſentis, & imminentis criſis proponit, varias euacuationis ſpecies ſingulis morbis reſpondentes ſtabilit, & inter morbos, phrenitidem, lethargum, peripneumoniam, pleuritidem, & alios ſimiles affectus, qui manifeſta euacuatione, aut abſceſſu effatu digno terminantur enumerat; atqui hi morbi ſunt extra venas, & mediis criſibus terminantur: ergo in his dies decretorij locum habent.

Inſtabis tamen; nam huiuſmodi criſes in his morbis, non ratione inflammationis accidunt ſed ſolum ratione morbi venarum, videlicet febris, quæ cum his affectibus fere ſemper complicatur, vt ex vrina ſæpè ſæpiùs cruda conſtat: ergo quia tales criſes, potiùs ratione morbi intra venas, quam extra eas eueniunt. Hæc arguties facilè diſſoluitur; Galen. enim loco aſſignato minutim, ac peculiariter, ſingulos morbos, ac euacuationes ipſis reſpondentes, enumerat: ergo quia non ſolum ratione febris tales

criſes

crises contingunt, cum euacuationis species, vnicuique morbo affinia, adducatur.

Roboratur vlterius nostra sententia; ex Gal. 1. *prorrheticorum, commentar.* 13. in qua sententia Hippoc. inquit: *Rigores in phreniticis pessimi*; & ipse Galen. *in dicto commentario*: *Rigorem pessimum in phreniticis, non esse simpliciter intelligendum; criticus enim rigor in phreniticis, ipsam phrenitidem soluendo medio sudore potest apparere.* Hippoc. etiam 2. *prognosticor. sentent.* 67. de peripneumonia, ac de abscessibus, quibus soluitur, agens, inquit: *Omnes autem abscessus, qui in cruribus, in vehementibus pulmoniis, ac periculosissimis, vtiles sunt; optimi verò, qui fiunt sputo iam in pus mutato*: Ergo si ex sententia Hippoc. abscessus pulmoniam solent soluere, apparentibus potissimum coctionis notis, cum pulmonia, qui morbus est extra venas, media crisi terminetur, metito fatendum erit, morbos extra venas media crisi esse terminandos, cum crisis nihil aliud sit, quam subita morbi mutatio ad salutem, cum manifesta euacuatione, aut effatu digno abscessu: ergo ex Hippoc. morbi extra venas, crisi valebunt iudicari; ac proinde etiam diebus criticis indigebunt.

Roboratur vlteriùs, ex Hippoc. 1. *prognost. sentent.* 28. asserente, inflammationes hypochondriorum, hepatis videlicet, & lienis, fluore sanguinis è naribus iudicari, quæ euacuationis species, his inflammationibus est familiaris? Gal. deinde 3. *de crisibus, cap. vltimo*, ait: *Dextra quidem præcordia, ex dextra nare, sinistra verò ex sinistra bonam crisim efficiunt*; quasi asserat, hepatia inflammatio optimè per dextram narem indicatur, veluti lienis per sinistram: ergo in his morbis extra venas, prædicta indicia, in criticis diebus sunt perpendenda.

Solidissimis etiam rationibus nostra fulcitur sententia; nam aliqua inflammatio interna subito humore euacuato, cum coctionis notis, potest subito solui: ergo potest crisi terminari. Antecedens experientia, & ex Hippoc. & Galen. authoritate roboratur; sæpè enim à medicis obseruatur, inflammationes ex partibus externis ad internas recurrere, vt Hippoc. *Erysipelas melius est intro foras, quam è contra.* Ipse similiter *secundo prognosticorum sentent.* 68. inquit: *Si verò abscessus de repentè occultentur, atque recurrant, sputo non præcedente, malum.* Galen. *in comment.* abscessus ait, occultari, & euanescere repente, duobus modis accidere, discusso nimirum humore, ac per insensibilem transpiratum euacuato; quando humor tenuis, pars laxa, & calida, aër ambiens calidus, viresque laborantia validæ sunt, secundo verò modo, frequentiùs euenit, remeantibus humoribus, qui inflammationem efficiunt, vel in eandem, ex qua sunt commoti sedem, aut aliquam aliam. *Aphorismorum etiam quinto sentent.* 65. sic fatur: *Quibus tumores in vlceribus apparent, non ad modum conuelluntur, neque insaniunt, verum his euanescentibus de repente, quibusdam à tergo conuulsiones, & distensiones fiunt, quibusdam ante insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi.* Ergo plurimæ, atque internæ inflammationes, media crisi valent terminari: ergo morbi extra venas, ac proinde indicatio, per dies criticos in affectibus extra venas, sibi locum induit.

Vlterius roboratur; nam Galen. *in comment.* 3. *prognost. sententia vltima*, inquit: *Repente occultari dolorificas affectiones*; hoc est inflammationes: ergo ex Galen. morbi extra venas, iudicium criticum solent obtinere. Primo etiam *prognost. comm.* 1. *Exanthemata ex profundo efflorescentia aliquando recurrere*, scribit. Ergo medio rigore per terminationem. Confirmatur, ex Galen. 2. *de causis symptomat. cap.* 1. *Humor faciens rigorem fertur ad cutem, ac sudore euacuatur, aliquando verò non ad cutim, sed ad interna loca bilis impetum facit, ac per vomitiones, & deiectiones simul euacuatur*: ergo si humor extrauasatus subito ad venas retrocedit, valebit medio iudicio solui, ac si in inflammatione ex bile sincera facta, vincente natura, prædicta materia ad venas subito recurrere contingat, ac per secessum, aut vomitum, media crisi euacuati, aut per vniuersum corpus dispergi, cum transpirabile sit, ac per vias nobis incognitas, siue aliquo abscessu decerni, vt Hippoc. 2. *epidem.* scribit, crisis fiet: abscessus aut fiunt per neruos, per venas, aut ossa; ac proinde hi omnes affectus, ac alij similes extra venas reperti, per dies criticos terminari poterunt.

Probatur prætetea: morbi enim magni, & acuti crisi terminantur; atqui inflammationes internæ effatu dignæ, sunt morbi magni, & acuti: ergo licet sint extra venas, crisi valebunt terminari. Maior est manifesta, vt omnia medicorum schola cum Galen. buccinat. Minor verò ex vehementia symptomatum in his inflammationibus claret: ergo consequentia est concedenda.

Fulcitur tandem prædicta assertio, quoniam sex sunt morborum terminationes, subito videlicet ad salutem, subito ad mortem, subito ad melius, subito ad peius, sensim ad salutem, sensimque ad mortem, nunc sic, inflammatio interna est morbus acutus: ergo debet terminari vno ex quatuor modis priùs dictis; atqui quatuor terminationes priores crisim per dies criticos efficiunt: ergo inflammationes internæ, licet sint morbi extra venas, per crisim possunt terminari, ac proinde, ne iudicium fallax euadat, per criticos dies sunt computandi.

Obiicies tamen: nam vt bona, & laudabilia crisis sit, necessariò perfectam coctionem sequitur, vt media illa, natura humorem vtilem, ab inutili secernat, eumque manifesta euacuatione detrudat, vt Gal. 1. *aphor. comm.* 21. & 4. *aphor. comment.* 22. ergo vt inflammationes internæ criticè terminentur, prius debent concoqui, siue suppurari: ergo phrenitis antequam crisi terminetur, talis cerebri inflammatio debet prius suppurari; sed hoc est impossibile: nam viuente animali suppuratio in cerebro non potest fieri: ergo nec phrenitis valebit terminari: ergo nec morbi extra venas.

Cui respondeo; quod per inflammationem, tumor factus ab humore calido debet intelligi; quare coctio in inflammationibus, perpetuo suppuratio non est: erysipelata enim ad suppurationem non perueniunt; si verò fiat ex humore sanguineo; vel resoluitur, vel in aliam partem

transfertur, natura humorem noxium, ex partibus internis, ad externas, trudente; vel tandem suppuratur: si deinde inflammatio ex humore sincero, atque recrementitio fiat, qualia est vtraque bilis, illius coctio nequaquã est suppuratio: nam humores sinceri non possunt suppurari; sed ideò dicuntur concoqui, quatenus eis natura est superior, ac dominatur, eosque præ robore ad meliorem statum permutat, vt Galen 2. *de ratione victus in morbis acutis comm.* 44. *Dicuntur etenim illi humores concoqui, cum calor natiuus, qui temperatus est ad suam mediocritatem reduxerit.* Sicque, vt phrenitis crisi iudicetur, cum fiat ex sincero humore bilioso, si exquisita sit, vt Gal. 2. *prorrhetic. comm.* 1. & 4. *de causis etiam pulsuum cap.* 14. sufficit, vt humor phrenitidem efficiens hac ratione concoquatur; nam non est necesse, vt quæuis inflammatio crisi terminetur, sed frequenter ea quæ ex humore calido ortum ducit: vt Gal. 2. *de crisibus, cap.* 11. his verbis demonstrat: *Eas igitur, quæ cum magno, & cito se inclinante certamine fiunt, morborum mutationes, quas præcipuè crises nominare, dicebamus febrium earum, quæ ex calidis humoribus accenduntur, proprias esse existimandum est, post has harum quæcumque membrorum sunt, principatum habentium facilè mobiles, & calida dispositiones, & quamvis per suppurationem terminẽtur* (si terminari possunt) *non est impossibile pus ita à natura coctum, & attenuatum esse vt cito, ex vna, nobilioriquæ in aliam expelli valeat.*

Roboratur huiusmodi solutio, quoniam natura humores aliquando noxios, per ossa excernit, & ipsa aliquando densissima, abscessos pati valent, vt Hippoc. hac ratione pus extenuari posse scribit, veluti Galen. expressit 9. *simpl. cap. de Pyrite*, dum ait, *pus, & grumosam substantiam in spatiis musculorum intermediis contentam, per alui̇um digeri posse.* Quare respondeo in forma rationi allatæ: Distinguendo antecedens; vt fiat bona crisis, requiritur prius perfecta coctio in inflammationibus, distinguo, coctio quæ sit suppuratio semper, nego antecedens: Coctio quæ sit reductio humoris ad mediocrem statum, concedo antecedens: ergo inflammationes internæ debent concoqui, aut suppurari; concedo primam partem, videlicet quo ad coctionem alteratiuam, non verò quoad suppurationem: ergo vt phrenitis terminetur, debet prius suppurari, nego consequentiam, vt ex supradictis manet probatum.

Instabis tamen vrgentius; nam si interna inflammatio valet crisi iudicari: ergo præter quatuor tumorum terminationes plures aliæ reperiuntur. Consequentia probatur; nam præter suppurationem, resolutionem, scyrrhum & gangrenam, alia terminatio, siue crisis ab his diuersa inuenietur; sed hoc à nullo conceditur: ergo falsa est assertio. Cui duobus modis, satisfaciendum expedit; primo, fatendo tumores quatuor obtinere terminationes dictas, hoc tamen solum de externis, qui cum magni morbi non sint, his terminationibus finiri valent, est intelligendum, non verò crisi rigorosa, cum ista, solam acutorum morborum sit iudicatio, siue terminatio: in internis verò inflammationibus, extra quatuor terminationes dictas, alia valet ostendi; morbi enim magni, & acuti, naturam ad vnicam, & criticam expulsionem valent vellicare, quod in externis non accidit: secundo respondeo, huiusmodi terminationem, per crisim factam, posse ad vnam ex dictis, nimirum ad resolutionem reduci, cum subito humor ex affecta parte euanescat, quemadmodum aliquando in vera resolutione contingit, vt Gal a *prognostic. comm. superius dicto* præostendit.

Obiicies, tandem; vt crisis sit optima, necessariò critica perturbatio debet præcedere, ex 3. *de crisibus, cap.* 1. patet, cum crisis sine certamine non fiat; atqui talis perturbatio in inflammationibus, quæ ex sinceris humoribus nascuntur, fieri non potest: ergo neque optima crisis accidere: Minor probatur; nam critica perturbatio fit, vt Galen. 2 *aphorism. comment.* 13. inquit, separante natura mala, à bonis, tandemque ad excretionem præparante; sed hoc in his inflammationibus non potest fieri, cum in eis nihil vtile reperiatur: ergo nec separatio vtilis ab inutili: ergo hæ inflammationes, etsi morbi sint acuti, criticam terminationem non obtinebunt.

Quod breuiter dissoluitur asserendo, perturbationem fieri, natura separante, quod vtile est ab inutili, hoc quidem in inflammationibus, quæ non à sincero humore, sed permixto accidit, quia iam in his aliquid vtile inuenitur: at verò in aliis inflammationibus ex humore sincero natis, etsi non sit separatio vtilis ab inutili, quia tota materia est sincera, & impermixta, hoc non obstante, etiam critica perturbatio præcedit, eo quod natura, licet aliqua non adsit separatio, huiusmodi humorem ad expulsionem præparat, quoniam caloris natiui actione sincerus humor feruet, & agitatur, sicque hoc feruore, perturbatio critica mouetur, ac proinde ante crisim talis perturbatio præcedit, ex quibus crises fieri non solum in morbis venosi generis, sed etiam extra venas, ac diebus criticis enumerationem commensurandam esse satis, clarescit, quæ pro veritatis adipiscendæ disputatione, sufficiant.

NORMA,



NORMA,

SIVE REGVLA,

TVM

PRÆCOGNOSCENDI AFFECTVM,

ILLIVS CAVSAS INVESTIGANDI; partem affectam perpendendi, nec minus prognosim constituendi,

VT TANDEM VERA, SELIGENDI indicationes curatiuas, ratio methodica stabiliatur.

LECTORI.



T peritos consulas, vt ignaros admittas; illos vt discendo, audias; hos vt docendo, diligas; illos vt audiendo, insequaris, hos vt errores extirpando, seligas; en breuissima consultandi norma, splendens quidem lumen methodicum, ac dogmaticum ab Hippoc. & Gal. adductum, à n bisque magni faciendum, cum præ illo, tenebræ, quæ sæpissimè in grauissimis complicatis affectibus reperiuntur, depopulentur: quis enim fœlicem, nisi funestum euentum, sola experientia nitens, sine methodica doctrina, adipisci conabitur: duo etenim completum, absolutumque medicum constituunt, vniuersalis quædam methodus, de qua Galen. libris methodi, ac de locis affectis egit; methodusque particularis, vt peculiariter, in praxi se exerceat, de quibus in præsenti sum alloquututus, ita vt dignotio partis affectæ, affectus, omnisque symptomatum generis, superuenientium, quæ complicati valent, clarescat.



DOGMATICA, ET methodica consultandi norma.



EDICVS igitur rationalis, vt curatiuam Artem adimpleat, priùs affectum, quem nostra natura patiatur, debet maximè dignoscere: Secundo causas illius, tum procatharticas, siue externas, & manifestas; tum & etiam internas: tam antecedentes, quam coniunctas oportet, vt perpendat. Tertio partem affectam dignoscere; vtrum per essentiam; vtrum verò per consensum lædatur. Quarto, prognosim, siue euentum futurum morbi debet constituere, vt tandem remediorum inuentio, per veros scopos, & indicationes indefectibiles, completa permaneat.

Cum igitur cognitio morbi inuentio sit remedij, secundum Galen. 7. *methodi*, aliisque in locis, maxima adhibenda est cura in illius adquisitione. Priùs ergo quærendum est de genere morbi: Secundò, de specie: Tertiò, de magnitudine: Quartò, de motu: Et quintò, de more illius. Quoad genus morbi, quolibet in affectu corporis præter naturam, priùs (cum tria sint, quæ nostrum corpus præter naturam lædunt, morbus, eius causa, & symptoma) debet Medicus inuestigare, an sit morbus? An causa præter naturam lædens? An verò symptoma? Quod est affectus præter naturam citra læsionem; quare si indicet, neque esse causam, neque symptoma, quod præter naturam est, sed morbum, debet primo inuestigare genus morbi.

Tria ergo cum Galen. sunt genera morborum, vel morbi partium similarium; vel partium organicarum; vel morbus communis, vt soluta vnitas, si partium similarium, vel intemperies simplex; vel composita; vel cum affluxu; vel citra affluxum humorum, vel in qualitate prima manifesta, vel in qualitate occulta: si morbus partium organicarum fuerit; vel erit in formatione, vel in compositione, vel in numero; vel in magnitudine: & sic de soluta vnitate in genere, discurrendum erit.

Inuento iam genere morbi, deueniendum est ad illius speciem, an sit intemperies calida, vt febris in specie morbi? An deinde ista sit putrida necne? Quod in genere febris est genus interjectum; an tandem sit de specie tertianarum, vel quartanarum, & sic cognito in communi genere morbi, cognita specie suprema, nempè intemperie calida, & cognita specie interjecta, & infima, vt est febris tertiana v. g. exquisita intermittens, infra quam nulla alia est species; merito deueniet medicus ad peculiarem speciem indagandã, vt similiter, si sit pleuritis aut angina, quod per propria symptomata valebit cognoscere, quemadmodum, si in pleuritide detur dolor punctorius, febris continua, difficultas respirandi, & pulsus durus; & hæc de specie morbi.

Inuenta iam morbi specie, de illius magnitudine venit inquirendum; an magnus sit? An paruus? An mediocris? Quoad morbi magnitudinem Galen. 4. *method. cap.* 6. tres differentias magnitudinis proponit, vt latè tractatu de sanguinis missione egi; quarum est prima magnitudo ratione propriæ morbi essentiæ. Secunda ratione cacoëthiæ: tertia ratione partis affectæ: magnitudo igitur ratione essentiæ morbi patet, vt si aliquod magnũ apostema, quod neque sit malignũ, vt illud, quod est cacoëthe, & mali moris, neque inueniatur in aliqua parte præstantissima, & nobiliori, ratione cuius possit dici morbus magnus ratione præstantiæ partis, in illo casu, nec dicetur morbus magnus ratione cacoethiæ, quia non est humor malignus, nec dicetur magnus ratione præstantiæ partis, cum in nulla præstanti parte reperiatur; sed solum magnus nuncupabitur morbus ratione illius essentiæ, eo quod ex se, & per se magnus est.

Magnitudo verò ratione præstantiæ partis facilè elucescit, eo quod nomenclaturam sumit à partis nobilitate, siue præstantia, vt si in iecore, aut in corde, sit aliquod exiguum apostema, aut aliqua parua pustula, quæ quidem ratione sui nihil mali minatur, ratione tamen partis præstantiæ leuiter vlceratæ, mortem minabitur; ideóque concludimus cum Doctissimo Sanctorio, quod si flatus existens sit in ventriculo affectum nullius momenti efficiet, vt est ructus; si verò ipse flatus esset inclusus in cordis ventriculis, exitiosam, & lethalem palpitationem posset efficere; quare hic morbus non dicetur magnus ratione causæ, quia causa sit multa, vt diximus de tumore magno, sed potiùs dicetur magnus ratione præstantiæ partis, scilicet cordis.

Magnitudo verò morbi, quæ est ratione cacoëthiæ, vel malignitatis, erit veluti aliqua febris maligna, licet appareat parua, vel aliquod vlcus cacoëthe, ita malignum vt nullis cedat remediis, aut vulnus, etsi exiguum inductum à veneficis armis; tunc nec ratione multitudinis causæ, nec præstantiæ partis, sed ratione venenatæ qualitatis; hoc est cacoëthiæ, morbus magnus nuncupatur: nec me latet Galen. legisse 6. de locis affectis de differentia magnitudinis morbi, quæ sumitur ratione dignitatis illius, vbi agit propriè de passionibus histericis, quæ pendent à semine corrupto, esse maiores, quam eas, quæ pendent à mensibus suppressis.

Galen. similiter 3. *de tuenda sanitate*, *cap.* 9. adducit exemplum de magnitudine morbi ratione dignitatis, quando duo sunt morbi complicati, perpendens dignitatem morbi, vehementioris, & vrgentioris, qui secum rapit curationem: nec minus possumus assignare aliam differentiam morbi magni, cum Gal. *libro de totius morbi temporibus*, *cap.* 5. dum morbus dicitur magnus ratione debilitatis virium, cum vires maximè deiectæ sint, licet hæ omnes differentiæ magnitudinis morbi, ita pateant, tres primæ maximè ad curationem, morbi conducunt.

Præcognito iam, tum morbi genere, tum specie, & magnitudine, deueniendum est ad illius morem, vt facilè, tum motus, tum euentus morbi innotescat; inuestigandum verò est

vtrum

vtrum morbus sit benignus? An malignus? Benignus quidem dicitur duobus modis, vel quia re vera est paruus in læsione, vel salutaris, aut facilis curationis, ita vt licet magnus sit, manifestéque lædat, non tamen rigorose cum vehementia læsionum; morbus verò malignus dicitur lato modo, quando ita est magnus, vt vehementia symptomata secum ducat, & sic omnis morbus magnus lato modo poterit dici malignus, proprie tamen malignus ille erit, qui quoad apparentiam paruus est, & exiguam habet magnitudinem; symptomata verò, vt virium debilitas, sunt sæuissima, vt morbi à tota substantia, vt est malignitas, quæ obseruatur in febribus, in vlceribus, & aliis affectibus, quorum malignitas cognoscetur per signa post apparentia, quæ pertinent ad excrementa, & ad alia symptomata, & ex eo, quod nullis cedat remediis.

Nec minus iam quærendum est de motu morbi? an sit breuis? An longus? An mediocris? Et si breuis, an sit acutus? Et si acutus, an peracutus? Vel exactè acutus? Vel simpliciter acutus? Vel acutus ex decidentia, quod manifestatus ex eo, quod si est exactè peracutus, quarto die: si exactè acutus, septimo: si simpliciter acutus, decimo quarto: si acutus ex decidentia virium, aut quia degenerat, quadragesimo die terminatur; ille verò morbus, qui huiusmodi tempus pertransiuerit, iam proprie morbus longus nuncupabitur, cuius tarditas, aut celeritas morbi desumetur propriè, ex specie morbi, ex magnitudine illius, ex more, etsi malueris, ex anni tempore, ex circuituum successiois incrementis, & ex his signis, quæ mox apparent, vt sunt signa coctionis, & cruditatis, vt latissimè manifestauit Hippoc. 1. *aphorismor.* 12. vbi asserit: *Accessiones, & constitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, &c.* vbi ex professo docet Galen. *in comm.* Quod ex ipsa specie, & idea morbi, ex magnitudine, & more illius, vt suprà egi clarescit: Tum etiam ex signis superuenientibus cognoscet Medicus motum morbi, vtrum sit breuis, vel longus, quemadmodum in morbo laterali, si magna symptomata in specie habeat talis affectus: si malignus fuerit: si accessiones habeat frequentes, multumque anticipando procedant, & valde affligant; tunc quidem motus morbi celerrimus erit, & hoc ita intelligendum est in prima significatione, quoad morbum breuem, vel longum.

Sed si malueris peculiariter, & exquisitè motum morbi præcognoscere, iam per ea, quæ insinuaui ex signis superuenientibus cognosces: si perpendas motus morbi vniuersales: tum & etiam particulares, vniuersalis quidem sumitur ex ipsis temporibus morbi, vt si sit in principio, augmento, statu, vel declinatione; particularia verò motus morbi, ex particulari motu paroxysmorum, siue accessionum, cum hac manifestissima expositione.

Vt igitur motus vniuersalis morbi percipiatur, ex principio vniuersali talis morbi duplex conditio est perpendenda, ex Galen. & Hippoc. 2. *aphorismor.* 3. prima, quod symptomata sint leuiora; illo enim tempore, quo permanent symptomata leuia ab initio, est principium morbi, & dicemus motum vniuersalem principij esse longum, si multo tempore talia symptomata leuia perdurent; secunda sumitur ea signia cruditatis vt insinuaui suprà; ita vt si multo tempore permaneat cruditas in lotio; tunc motus vniuersalis principij morbi erit longus, si pariter de augmento morbi volueris indicare, motum vniuersalem morbi, nota, quod augmentum duo requirit. Primum, vt symptomata manifestè incipiant ægrum vexare, ita vt valde augescant symptoma. Secundum verò est, vt in vrinis, iam appareat signum coctionis, si non perfectum saltim rude, & cum aliqua deficientia veræ coctionis.

Maximè tandem sunt de augmento morbi, notanda duo, primum, quod si Medicus videat, omnia symptomata morbi notabiliter augescere, & ægrum vexare, & ex alia parte nullum signum coctionis apparet, & solum cruditas elucescat, tunc vt plurimum mors solet succedere: secundum non minus notandum in mea opinione, vt ait Sanctorius libro de vitandis erroribus, quod morbi in augmento purgatio, vt supra libro de purgatione satis egi, nequaquam est exercenda, eo quod causa morbi, nempè morbifica immediata concoquitur, nondum tamen perfectè est cocta; ac proinde, nec separata materia vtilis ab inutili; bene tamen sanguinis missionem, aliquando amplectar, dum præuidero naturam non progredi ad statum perfectum coctionis, eo, quod grauata, siue oppressa ab humorum sarcina existit.

Si de morbi statu sermo instituatur prima erit conditio, vt symptomata sint in summo aucta, vt Hippoc. dixit *loco citato, in statu omnia fortiora* secunda erit conditio, vt signa perfecta coctionis appareant: animaduertendum est, quod si talia signa perfecta coctionis non appareant, quando symptomata ad summum augescunt, signum est, quod in tali statu, victoria potiùs est ex parte morbi, & per consequens ægrum tendere ad mortem, qui potiùs est status ad mortem.

Occurrit tandem tempus morbi vniuersale vltimum, vt est declinatio, quæ duas etiam obtinet conditiones, quarum est prima, vt symptomata sint facta mitiora; secunda verò vt natura incipiat expellere materiam morbificam victam, ita vt si hoc non accidat, metus sit, & periculum recidiuæ, vt dixit Hippoc. *Quæ relinquuntur ex morbis recidiuas facere consueuere*, quod non debet medicos decipere: & hæc de cognitione temporum vniuersalium morbi, ad decernendum de illius motu breui, longo, vel mediocri.

Quod verò tempora particularia morbi, scilicet quoad parosysmos, vel accessiones ex Gal. *lib. de morb. temp. cap.* 3. assertu quod sunt sex, videlicet principium accessionis, vel paroxysmi, inæqualitas illius, augmentum, status, declinatio, & interuallum; quod quidem dicitur integritas siue tempus liberum infebricitandi, aut liberum tempus cuiuscumque paroxysmi morbi, qui repetit per suos motus, si præcipuè hæc tempora particularia in febribus volueris cognoscere, notabis, quod principium durat modico tempore, quo rigor, vel extremarum partium

frigiditas elucescit, eo, quod retrocessus caloris est ad viscera, vt Galen. 4. *de ratione victus* 39.

Inæqualitas verò paroxysmi, siue accessionis est post rigorem, sed ita, vt antequam augescat caliditas, omni illo tempore permaneat, nec corpus sensibiliter calidum, nec frigidum sentiatur, quod reperitur inter finem rigoris, & principium accessionis, ex quo deducitur, quod augmentum paroxysmi cognoscitur, dum calor iam elucescit, vel effunditur ad partes extremas, ideóque status manifestabitur, ex eo quod talis caliditas extremarum partium, est iam æqualis cum caliditate toracis, qua propter cognoscenda erit declinatio, dum cordis calor efferuescens iam incipit remitti, vt tandem interuallum, seu integritas constituatur ex omnimoda quiete, seu infebricitatione, qood vltimum tempus nequaquam continuis febribus conuenit, maximéque notare debet medicus vniuersales morbi motus, vel particulares, nequaquam conuenire morbis, tum in materialibus non dependentibus ab humoribus, vt febribus hecticis; tum etiam materialibus, qui ita sunt iam facti, vt amplius non fiant, ex eo, quod materia nullam immutationem, siue exacerbationem obtineat.

Quibus sic perpensis, facilè vnusquisque medicus valebit discernere, tam motus vniuersales morbi, quam particulares esse breues, vel longos; ex eo, quod tempora vniuersalia superius dicta, vel particularia, celeriter, vel tarde, vel mediocriter moueantur: exemplum sit in morbo exacte acuto qui 7. die terminatur; nam principium vniuersale talis morbi, ideò erit breue, quia parum detinetur, parumque permanet cruditas, ad quam breuitatem principij, breuitas augmenti sequitur, ex eo, quod augescant celeriter symptomata, & signa coctionis; etsi non perfecta, manifestentur; vnde breuitas status correspondens apparebit; si ad summum vehementia symptomatum peruenit, taliter vt 4. die, iam perfectæ coctionis signa appareant, sicque facilè possumus colligere ex breuitate motus horum temporum, breuitatem totius morbi quoad prognosim; & sic discurrendum venit, quoad tarditatem, vel mediocritatem motus quoad tempora vniuersalia, taliter vt seruata paritate, in temporibus particularibus paroxysmi, eandem illationem valeamus construere: nam si tempus, quo accidit rigor in febre, vel frigiditas partium extremarum in principijs accessionum, quemadmodum inæqualitas superius dicta, parum duret, veluti etiam si calor ad partes externas celeriter expandatur, vel communicetur; facilè ex breuitate temporum istorum particularium, motum celerem, & acutum paroxysmorum, siue accessionum esse cognoscemus, ac proinde motum morbi vniuersalem esse breuem sicque discurrendum venit de motu tardo, vel mediocri temporum particularium accessionum: & hæc de motu vniuersali morbi, tum etiam particulari sufficiant.

Inuentaiam natura, & essentia morbi quoad genus, quoad speciem supremam, intermediam & infimam, deueniendum est ad ipsius inquirendas causas, non formales; morbi enim cum accidentia potius dicantur, non habent formas, non finales: nam cum sint præter naturam, carent fine morbi per se, neque materiales, cum in natura morborum potiùs perpendamus, eos esse formas partium affectarum, quam habere materias diuersas, quas respiciant vt formæ materiales; quapropter ad remediorum inuentionem potiùs de causis morborum efficientibus sermo est instituendus, siue causa sit procatharctica, siue antecedens, siue coniuncta, siue continens, à Græcis synectica nuncupata.

Similiter si plures sint causæ, & vna ex alia dependeat, omnes debet inquirere, & ad vltimas in effectu productas deueniet resoluendo, sicque in febre putrida cognoscemus, quod causa coniuncta febris est putredo; causæ verò antecedentes sunt transpiratio impedita, quam producit obstructio, istam humorum copia, lentor, vel crassities, humorum denique considerabimus causas procatharticas, videlicet an aliquis error sit commissus in victus ratione; cum hac tamen distinctione, considerandæ sunt huiusmodi causæ, ex eo quod, vel iam produxerint morbum, vel productura sunt imminenter, vel partim sit morbus productus iam, & deinde ipsum augeant: nam si morbus productus fuerit ab ipsis procatharticis, tunc ab his recedentibus non sumetur indicatio curatoria, nisi per accidens, quatenus ad dignotionem morbi conducunt, bene verò si talis causa immineat productionem alicuius morbi, præcautiuè indicabit ablationem futuritionis, vt apparet in exemplo ambientis temporis æstiui ex *primo de differentiis febrium, capit.* 4. sic incipiente Galen. (*calidiores autem ambientis aëris flatus, qui circa canis ortum solent contingere, &c.*) Tum quidem si quis ratione aëris status corripiatur febre ardenti, vel pestilenti, tunc debet Medicus perpendere, an causa ista procatharctica sit actu præsens, & conseruet, atque augeat morbum? Vel vtrum sit absens talis causa? Si absens sit non indicabit curatiuè, sed solum dignoscitiuè: si præsens verò, quia conseruat affectum, & de nouo auget, curatiuam, & præcautiuam indicationem secum ducet.

Quibus sic prælibatis accedit maxima necessitas ad regularem curationem exercendam, cognoscendi partem affectam, siue læsam nostri corporis, quæ maximè elucescet si ipsius vsum, siue actionem, substantiam: magnitudinem, figuram, & connexionem dignoscamus: quia tamen omnis cognitio fit per signa, quæ desumuntur à re cuiuscumque essentiæ, à symptomatibus, & causis manifestis, merito cum inter hæc præcipuum locum obtineant, operationes, & symptomata, ab his desumenda est ratio cognoscendi partes affectas, præcipuè internas, quia externæ facilè cognoscuntur: cum ergo operatio læsa, quæ abolita, diminuta, aut deprauata est, sub qua, comprehenditur dolor, ostendat partem affectam, prius de operatione, siue actione læsa, & de dolore agendum venit.

Actio igitur læsa, siue animalis, siue vitalis, naturalisve, partem affectam, cuius est actio læsa, necessariò demonstrat; quare vnusquisque, etsi Tyro sit, ex delirio cerebrum esse affectum indicabit,

iudicabit, ex visione læsa oculum, ex sanguificatione deprauata iecur, quemadmodum ex pulso inæquali, vel intermittenti cor, hæc meridiana clarius præcognoscet: ita pariter ex dolore pars affecta valebit innotescere: nam per situm in quo est, & per differentias ipsius, proclamat dolorosa pars; nam si sub hypochondrio dextro reperiatur, iecur, si sub sinistro, lienem: si verò in medio ventriculum lædi, siue affici, ostendit.

Non aliter dolor, quoad differentias, partem affectam ostendit: si pungens sit potius membranas: si tensiuus carnosum genus: si grauatiuus, viscera, quæ parum sentiunt, nisi ratione membranæ, qua vestiuntur respicit, siue ostendit esse affecta; ideóque pulsans dolor, etsi in parte sit carnosa, arteriarum, veluti stupidus neruorum, prurriginosus vesicæ, & pudendi affectionem significat: en quomodo ex actione læsa, ex dolore cum differentiis, facillimè partem affectam poteris cognoscere.

Nec minus conducunt ad cognoscendam partem corporis affectam excreta, siue quæ extra corpus excernuntur, siue talia excrementa naturalia sint, vt assuera, fœces nimirum intestinorum, siue præter naturam, vt lumbrici: nam quis negabit intestina non esse læsa, quando non per annum, sed per alias fœces excernuntur, veluti si vrina per canalem, siue ductum naturalem non euacuetur: tunc vesica, vel aliæ partes vrinariæ sunt affectæ; sicque dum arenulæ, vel lapides apparent in vrina, renes, aut vesica læduntur: quando vero speciatim carunculæ veluti pili videntur, renes indiuidualiter afficiuntur, quemadmodum peculiariter afficitur vesica vrinæ: si aliqua substantia squamosa, aut laminosa cum vrina excernatur.

Quibus consideratis, facilè vnusquisque exempla, particularia ad alias partes cognoscendas, valebit adducere, & præcipuè si addas in excretis, modum peculiarem excernendi, vt patet manifestè in excretione sanguinis per os: nam si exeat sanguis in copia, & sine vllo dolore, potiùs pulmo est pars affecta: si cum dolore, & grauitate, potiùs thorax: si cum vomitu, ventriculus: si cum excreatione, & titillatione, potiùs à capite læso exiit: si simplici exputione, potiùs gingiuas affici demonstrat: conclude igitur verissimam cognoscendi regulam partem affectam, ex qualitate substantiæ, siue sanguinis excreti; nam si flauus, subtilis, calidus, & cum saltu excernatur, potiùs ab arteria læsa prouenit; ruber verò, & crassior, à venis; spumosus comitatus cum tussi, vt dixi à pulmone, quemadmodum niger cum maiori tussi à thorace.

Quid perfectiùs ad cognoscendam partem affectam conducere valebit, quam si ipsa pars conflicta morbo suum mutauerit colorem naturalem, cum iste, qualitates primas, & modum substantiæ insequatur, merito ex mutatione primarum qualitatum, & modi substantiæ partem affectam cognoscimus, vt cum Hippoc. *vbi calor ibi morbus*, quemadmodum, dum pars redditur durior, vel mollior, vel magis distensa, aut tumida apparet, affectionem præter naturam ostendunt: vbi igitur vnusquisque partem affectam cognoscere voluerit, ad quinque debet fontes recurrere, ad actionem videlicet læsam, ad differentias doloris, ad situm illius, ad excreta, & tandem ad qualitates mutatas.

Sed id quomodo Medicus acquiret, si de modo læsionis, quomodo scilicet afficiatur pars, non inquirat? Vtrum scilicet per essentiam? Vtrum verò per consensum? Nam vbi aliqua corporis pars læditur propter aliam male affectam, frustra operabitur Medicus, nisi ad originem morbi recurrat, applicando remedium parti affectæ primæ, & per essentiam: est quidem consensus, transitus de vna parte in alteram; quare pars primo affecta dicitur, terminus à quo, illa verò quæ per consensum læditur, terminus ad quem; consensus quidem duobus modis potest fieri, nam actio, quæ læditur per consensum contingit, vel quia transmittitur, & communicatur, quod non debebat transmitti; vel quia non communicatur, quod transmitti debebat ad actionem celebrandam: sit exemplum de consensu, quando transmittitur, quod non debebat transmitti, veluti si sit, qualitas prima calor, per continui alterationem communicatus ad cor in febre ephemera: vel si sit aliqua materia, siue vapor ad oculos eleuatus suffusionem efficiens, vel ex ventriculo aliqua pituita ad cerebrum transmissa epilepsiam; en quomodo hi omnes affectus, & similes, dicuntur per consensum, quia ex vna parte, in aliam transmittitur, quod non debebat transmitti.

Secundus verò modus, quo pars affecta per consensum læditur, est quando communicatur, quod debebat communicari; elucescit alio exemplo, veluti si manus stupore, aut paralysi corripiatur, ex eo, quod qualitas illustratiua ad sensum, & motum concurrens, ob affectum cerebri, vel spinalis medullæ, non transmittatur ad ipsam partem per consensum affectam: similiter etiamsi materia, quæ debebat transmitti ad hepar, vt est chylus non communicetur, seu trãsmittatur per obstructionẽ mesaraicarum, manifestatur morbus per consensum: nam existente hepate temperato, nulloque morbo, vel communi, vel organico laborante, solum ob defectum transitus substantiæ chylosæ, dabitur propriè morbus per consensum; quia non datur sanguificatio ab hepate, non tamen ita erit proprie morbus per consensum, quãdo laborat pars, ex eo, quod transmittitur aliqua materia, quia iam materia transmissa aliquem læsionem inducit in termino ad quem, sicque saltim secundario iam afficitur.

Nec minus accedit inuestigandus alius consensus in partibus, vt veras eligat medicus indicationes: nam non solum pars affecta laborat per consensum, quia transmittitur, quod non debebat, vel è contra, sed etiam propter quandam partium connexionem inter se se seruatam, vt videre est in affectibus oculorum, qui propter affectum membranarum cerebri, ipsi oculi per consensum afficiuntur, quoniam membranæ illorum, à pia matre, siue membrana cerebri ortum ducunt: alius datur similiter consensus morborum, per similitudinem substantiæ inter partes; ideóque partes neruosæ, vt est vterus, diaphragma, & os ventriculi patiuntur per consensum ex affectu cerebri propter similitudi-

nem

nem substantiæ, cum sint partes neruosæ.

Quibus prædictis, si volueris discernere, vtrum pars per essentiam, vel per consensum laboret, ista signa tecum adduces: nam tunc dicitur, ex dictis, laborare per essentiam, cum morbus fixus in parte, semper permanens est, secundo, si non pendeat, vt diximos ex alia parte prius affecta, tertio per accidentia propria talis morbi, quæ quidem pertinent ad symptomata, & qualitates mutatas iam dictas; contra verò per consensum, quando pars non perpetuo afficitur, sed per temporis interualla, & si incipit laborare, & augetur affectus ad pensum alterius partis affectæ à qua communicatur: præterea neque habet propria accidentia ex quibus cognoscamus aliquem affectum in dicta parte, vt possimus iudicare talem partem esse affectam per essentiam, sed potius per consensum.

Cum iam satis, superque elarescant, ex prædictis tam natura, & essentia morbi, magnitudo, modus, & mos, siue cacoëthia: tum & etiam causæ illius procatarticæ, antecedentes, & coniunctæ, ac simul pars affecta, tum per essentiam, tumque per consensum considerata: ante seligendas curatiuas indicationes, euentum, siue futuritionem morbi ad naturalem statum, scilicet ad vitam, siue ad mortem, debemus præcognoscere, an morbus victurus sit naturam, vel ab ea possit vinci; sicque signa dignoscendi euentus morbi, vtrum salutaris, vel mortalis sit, consideranda sunt, vel circa morbum, vel circa corpus ægrum; si circa morbum, ipsa species, vt intemperies confirmata in tabe, vel in hectica in tertia specie, insuperabilem morbum, & funestum ostendet, quemadmodum magnitudo morbi in apoplexia, veluti malignitas ipsius in phthisi; superabiles verò, & salutares morbi, ex contrariis causis concipi valent.

Circa verò ægrum, vt pateat morbi euentus, ttia symptomata sunt consideranda, quæ præcipuè desumuntur ex his quæ extra corpus excernuntur, nempe ex excrementis, ex qualitatibus mutatis, & actionibus læsis; excrementa igitur, quæ præcipuè consideranda sunt, & quæ diuersos morbos ostendunt, maximè, vel minimè recedentes ab statu naturali, sunt vrina, ad morbos generis venosi, alui fæces ad affectus ventriculi, & intestinorum, veluti sputa ad ægritudines cauitatis thoracis: nam ex bis, & euacuationibus per sudores, facilè cognoscemus, quantum morbi distent ab statu perfecto, & naturali; meritò igitur in vrina coctio est laudanda, veluti prauitas, vt extremum, est damnanda; cruditas verò, vt medium inter hæc, maximè perpendenda: nam coctio quò perfectior, & citiùs appareat; permanens tamen quoad tempus, salubertimum morbi euentum, securitatem, & breuitatem indicauit; coctiones enim celeritatem iudicij, & salutis securitatem ostendunt: Contra verò praua vrina, vt liuida, & iumentorum similis, interitus potius, quam salutis est indicium: Cruda tamen, si talis extremè fuerit, qualis est alba, & tenuis cum febre, pessima, ita, vt cum languore virium necessariò mortem, cum robore verò maximam longitudinem significet si verò fuerit cruda secundum alios gradus, quoad maiorem, vel minorem recessum in principio morbi maius, vel minus periculum imminebit.

Pari passu non contemnenda occurrunt, quæ excernuntur per sputum, ad euentum morborum thoracis iudicandum: nam ex breuitate, vel tarditate temporis, quo apparet sputum: ex quantitate copiosa, vel exigua, difficultate, vel facilitate, qua excernitur; ex colore ipsius, tum albo, flauo, porraceo, plumbeo, liuido, vel nigro: ex modo substantiæ crassiori, vel tenuiori, ita vt rotundum, & maximè lentum appareat; Tum & etiam ex fœtore intenso, vel remisso, iudicationem quo ad breuitatem, vel tarditatem, quo ad lethalitatem, vel salubritatem; facilè cordatus Medicus constituet; nam cum ex dictis cognoscat, vtrum sputum sit coctum, & cito appareat? Vt dixit Hippoc. *Quemadmodum, in morbo laterali, si statim sputum appareat morbum breuiat, si verò non producit.* Vel si sit crudum simpliciter, vel prauum; eadeus supra cruditatem; vel malignum; facillimè, propter maiorem, vel minorem recessum dicti excrementi ab statu naturali, euentum funestum, vel salubrem valebit prælicere: sputum enim coctum debeat esse, vt sit coctum, album; quia elaboratum per coctionem à partibus solidis, lene, idest mediocre in substantia; hoc est, in crassitie, & tenuitate, quia per coctionem calor congregat homogenea; æquale, idest, permanens ad tempus, quia vincitur à natura robusta materia morbifica, & permanenter operatur natura valida supra talem causam materialem; si denique sit perquam minimè fœtidum, calorem extraneum esse remissum; naturalem verò esse robustum, & temperatum ostendit, cum fœtor sit soboles putredinis, qua deficiente, illius effectus, nempè fœtor, debet deficere, quod omne potiùs coctioni, & victoriæ naturæ est tribuendum, cum coctio à natura facta, faciat cessare putredinem, qua natura perfecti sputi cognita, ad salutem indicandam, quilibet valebit Medicus, prauum, vel malignum sputum præcognoscere, & euentum morbi lethalem prædicere.

Cum equidem futura prædicere, potiùs quid diuinum iudicetur, & ex hoc Medicus peritus, ab imperito maximè distinguatur; ideò vt prudens, cordatusque Medicus dicatur, plurima debet obseruare; quorum primum est, quod non eligat prognosim à principio morbi, præcipuè in morbis acutis, qui cum fiant ex tenuioribus, & calidioribus humoribus, qui quidem facilè mutant locum, & transmittuntur, huc, & illuc; ideò euentus morbi, & prognosis variatur: secundo, cum duplex sit morbi euentus, abstineatur maximè Medicus ab eius prædictione, nisi firmissima, & solidissima signa obtineat.

Præterea, adhuc in prædictione de euentu bono, debet alloqui Medicus sub conditione; videlicet, si aliquis error non committatur, vel alius morbus de nouo non succedat. Abstineatur præterea à prædictione ex coctionis signo, etsi firmissimo; nam aliquando æger obit cum optima vrina, quod ferè semper in febribus malignis contingit; in tali enim casu, adest aliqua vehemens

mens partium principum læſio, quæ etſi obſcuretur per coctionē vrinæ, manifeſtatur tamen ex aliis ſignis, vt ſi magna adſit ægrotantis inquietudo, & anxietas, turbulenti ſomni, pulſus paruus, & debilis, vel aliquod aliud ſeuiſſimū ſymptoma.

Conſideranda tamen ſunt hæc ſigna; an vi morbi oriantur, vt rigoroſè ſymptomata; vel vi naturæ, vt ſigna critica; nam multoties, quamvis morbus ſit curabilis, horrenda apparent, & praua ſigna, quæ ante criſim formalem, quæ eſt ſubita mutatio ad ſalutem, præcedit maxima perturbatio, vt Hippoc. *Quibus criſis futura eſt, nox quæ antecedit grauior*; ſique ſolent contingere ventris motus, ægrotantis anxietas, delirium, læſa reſpiratio, pulſus inæqualis, non tamen paruus, & debilis; in tali caſu, ſi appareant hæc ſigna poſt coctionem, non ſunt timenda; bene quidem reformidanda ſunt alia ſigna ſuperiùs dicta, vt cum pulſu languido, & debili exiſtente apparet, ſtridor dentium, decubitus ægri ſupinus, facies multum emaciata, & immodicè tumida, quæ omnia ducunt Medicum in cognitionem funeſti euentus.

Qualitates ſimiliter mutatæ, veluti excrementa, vt dixi, magnam vim obtinent ad bonum, vel malum euentum morbi prædicendum: plurima enim poſſunt, quoad colorem perpendi, ſaltim per accidens, vt faciet ægrotantis color, & aliarum corporis partium, ita vt ſi ſit naturalis, & iuſtitialis indiuiduo; vel præternaturalis, vt pallidus, plumbeus, liuidus, & maximè defloratus. Similiter, ſi calor totius corporis ſit valde intenſus, vel tepidus, vel frigidus, (etſi non philoſophicè;) nam nullus calor eſt frigidus, tamen, quia loco caloris, in extremis eluceſcit frigiditas, cum interiora maximè deurantur, vt in febre lypiria: Ideò hæc omnia perpenſa manent, veluti figura, & moles ægrotantis, ſi parū ab ſtatu naturali recedant, felicem morbi euentum; ſi verò maximam obtineant diſtantiam, vt exemplis patet, perniciosum minantur caſum.

Sed quid, dicet ingenioſus, de actionibus ad ſigna mortis, aut ſalutis conſtituenda in quolibet morbo; cum igitur in triplici ſint actiones differentia, aliæ videlicet animales; aliæ vitales, & aliæ naturales, ex hoc triplici fonte, felicem, aut infelicem morbi terminationem prægnoſcet: nam ex actionibus animalibus bene ſe habentibus, vt in ſtatu naturali, nimirum actione loco-motiua valida, & robuſta, & in actione ſenſifica, ſi ſecundum rationem ſe habent, vt etiam imaginatione, ratiocinio, & memoria illæſis, ex parte huius principij, nihil mali prædicemus: nam *mente conſtare*, idest principiis mouendi, & ſentiendi, &c. *bonum*: quæ regula, & norma amplexa, penes maiorem, vel minorem receſſum in hiis actionibus intenſam, vel remiſſam morbi vim iudicabimus.

Firmet atque ſtabiliat prædicta, robur, vel debilitas actionum vitalium, ad iudicium morbi præſagiendum: pulſus enim magnus, vehemens, æqualis, & reſpiratio libera, potius facultatem vitalem validam eſſe, & morbum ſuperabilem ſignificabit; veluti è contra pulſus paruus, & languidus, principium vitale, valde eſſe affectum oſtendit; ita vt ſi ſimul appareat pulſus inæqualis, ſemper damnatur, quemadmodum intermittens in iuuenibus, paruus; vermicans peiorem ſtatum, formicans, proximam necem; deficiens, tandem indeficientem mortem ſecum trahit.

Quid ergo iam occurret alloquendum de actionibus naturalibus, cum iſtæ manifeſtentur per coctiones? Et ea quæ excernuntur cocta, vel cruda, praua, vel maligna ſint, vt ſatis in ſuperioribus explanatum manet in expoſitione excrementorum, quæ extra corpus pelluntur, vt patet in vrina, deiectionibus, & ſputo de quibus ſuprà. Nam vrina, & alui fœces, ſi nigræ fuerint ex prima generatione, in febribus acutis lethalitatem ſignificant; ſi tamen fiant ex permixtione ſucci melancholici, potius laudabilem, & criticum morbi euentum ſignificabunt, in deiectionibus etiam nigris, licèt ſint abſque febre, vt ſi atra bilis euacuetur, funeſtus morbi continget euentus, vt Hippoc. *aphoriſmor. 4: ſent. 22.* ſi verò fuerit deiectio nigra propter permixtionem ſucci melancholici, vt in lienoſis, tantum abeſt vt ſit mala, quin imò naturam morbi detruncabit.

Pro coronide morbi dignotionis, exponenda accedunt, modus, & tempus, quibus morbi ſolent finiri; nam vel terminantur, vel finiuntur morbi ſubito, & affatim per criſim, cum iſta ſit, vt diximus, ſubita mutatio ad ſalutem, vel mortem, ad melius, vel ad deterius, facta per euacuationem manifeſtam, aut per effatu dignum abſceſſum; vel terminatur morbus paulatim, vel ſenſim, quod ſit per coctionem in ſalubribus, & per corruptionem in lethalibus: morbi quidem qui finiuntur per primum modum, nempè euacuationem, propriè ſunt morbi magni, & acuti, conſentientibus iuuentute, ambiente calido, & regione æſtuante: contra verò qui paulatim finiuntur, ſunt morbi longi, & chronici, veluti frigidi, conſentientibus ætate ſenili, tempore hyemis, & regione frigida.

Criſis igitur, ſiue terminatio, per euacuationem perfecta eſt ſalubris, quæ nititur iis conditionibus, & fundamentis; primo, vt præcedant ſigna coctionis ad dictam euacuationem, ſecundo, vt die critico contingat talis euacuatio; tertio, vt non ſit exigua, nihil enim paucum eſt criticum, neque immodica, hoc eſt ſupra vires: *Euacuationes enim* (vt Hipp.) *quæ ad extremum deueniunt periculoſæ*; idcóque non criticæ perfectè: quarto, ſine concomitantia accidentium grauiorum, cum cauſa morbifica præcedat victa, & decocta.

Quibus perpenſis, facilè medicus firmabit talem euacuationem eſſe criticam ex conferentia, & tolerantia ad illam ſubſequuta: tolerantia quidem ſumitur ex parte virium, tam naturalium, vitalium, quàm animalium; conferentia verò ex duplici parte venit conſideranda, nimirum ex qualitate, ſiue ſpecie humoris, qui euacuatur, ita vt talis excernatur; qualis intra corpus cacochymus, vitioſus eſt: tum & etiam conferentia deſumitur ex remiſſione accidentium; ita vt morbi ſymptomata, non ſolum non augeantur, verum etiam in totum remittantur, vt Hippoc. ſ. 1. *aphor. In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontè factis, ſi talia*

talia qualia purgentur conferunt, & leniter ferunt : similiter 23. 1. *euacuationes non sunt multitudine astimanda, sed si qualia oportet purgentur.* Roboratur etiam hoc 25. 5. quæ cum secunda huius *lib.* maximè consentit ; nam repetit Hippoc. in hac sententia : *Si talia purgentur, qualia purgari oportet &c.* Concludit huiusmodi inuentum Hippoc. 4. *aphor. sentent.* 2. & 3. in secunda enim ait: *In medicationibus,* idest *purgationibus talia educere oportet, qualia sponte prodeuntia vtilia, &c.* in 3. etiam bonus ; *si talia, &c.* Ex quibus nulla deficiet conditio ad terminationem bonam, siue euentum morbi bonum sigillandum.

Merito igitur ex contrariis conditionibus, in qualibet euacuatione, timorosa terminatio cuilibet occurret medico, sed cum, vt diximus, aliqui morbi etiam finiantur per abscessum, tum ad salutem, tum ad mortem, merito debemus scire, quid abscessus, & qualis bonus, vt lethalis facilè innotescat : contrariorum enim eadem est ratio ; abscessus, quidem in præsenti intelligendus est, ex venerando Hippoc. *aphorism* 4. pro transmutatione, & collectione alicuius humoris in aliqua parte particulari : nam vt ait magister: *Quibus in febribus lassitudines adsunt iis iuxta maxillas,* (vt sunt parotides) *& prope articulos abscessus fiunt* ; idest, transmutationes humorum ad partes particulares : abscessus bonus, legitimus, & criticus, iis omnibus debet pollere conditionibus : quarum prima est, vt humoris transmissio fiat ad partes longinquas à parte affecta, videlicet ad corporis inferiores ; arguit enim iste motus, naturam viscerum validissimam esse ; secunda, debet etiam fieri talis translatio per rectitudinem vasorum, ideóque Hippoc. *in epidemiis,* in tumoribus lienis damnauit euacuationes sanguinis ex naso dextro, veluti collaudauit ex sinistro ; sicuti è contra, in affectionibus hepatis ex naso dextro solui morbum per euacuationem, ex sinistro verò solum irritationem arguit.

Tertia conditio, locus recipiens talem humorem in abscesso, debet esse capax, & amplitudinem obtinere, vt tota materia morbifica criticè à visceribus expellatur ; si enim extremum digiti manus, vt ea epidemiis constat, sit pars mandata, & recipiens huiusmodi materiam morbificam, potius languidam naturam ostendet: nam propter incapacitatem partis, malignus humor denouo ad nobiliores partes retrocedit, quarta debent similiter, vt de euacuatione diximus, præcedere coctionis signa die indice, vt talis abscessus die decretorio appareat, quæ omnia de abscessu critico dicta, tribus solum particulis ab Hippoc. *in epidemiis*, valde clarescunt. Videlicet: *Vnde, quo, & propter quid : Vnde*; Idest, à partibus nobilioribus, & robustioribus, & per rectitudinem vasorum, *quo* ; idest, ad partes inferiores, & capaciores, vt sufficienter totum humorem morbificum recipiant, *propter quid*, idest, materia victa, & decocta, præcedentibus die indice coctionibus, & quod die decretorio talis abscessus contingat : quæ omnia constituunt normam ad damnandos alios, nempè symptomaticos abscessus, penes maiorem, vel minorem distantiam, quam cum critico obtinent, vt libro de crisibus egi.

De tempore quo morbi solui, vel finiri debeant, facilè possumus prognosim prædicere si inspiciamus, quæ superius manent dicta de motu morbi [illegible], vel tardo ; nam si morbus celerius moueatur, vt morbi acuti, breuiori tempore terminandum, quemadmodum, si tardo motu percurrant sua tempora ; longiori indicabimus, quæ omnia ea specie, & natura morbi, vt in febre ardente ; ex causa, vt ex bile, temporis breuitatem in quo terminetur, prædicemus; sicque morbus exactè peracutus, quarto die ; exacte acutus, septimo ; Simpliciter acutus, decimo quarto, veluti acutus ex decidentia, vigesimo terminatur, & ad summum quadragesimo. Contra verò morbi longi, qui tardo motu mouentur, vltra hos dies progrediuntur : & hæc de dignotione cuiuscumque morbi, aut de ratione prædicendi funestum, vel laudabilem illius euentum.

Cum ergo curatio rationalis, & methodica, per veras reguletur indicationes ; ideò sciendum est priùs aliquid de indicationibus eligendis : indicatio equidem, cum in communi definitione notionali, sit insinuatio rei agendæ, ita in essentiali definitione, erit, *comprehensio rei iuuantis, simul cum comprehensione nocentis* ; ita vt vna sit indicatio curatiua, dum adest morbus, alia præcautiua, dum imminet, veluti indicatio salubris, quæ solùm ad statum naturalem conseruandum ordinatur : de indicatione igitur in præsenti curatiua consulendum est, quæ quidem est triplex, à morbo, à natura, & ambiente ; à natura, quia ex ea metimur lapsum temperamenti, & constitutionis naturalis, à lapsu, metimur exigentiam medicamenti indicati, quoad remissionem, vel intensionem ; à morbo etiam desumitur indicatio ; quia ille sui ablationem postulat, veluti illius causa morbifica, quæ reducitur ad indicationem desumptam à morbo ; & ideò ab ambiente valet desumi indicatio curatiua, quoniam aër ambiens potest summi dupliciter, vel vt est quid iuuans ad ablationem morbi ; & tunc dicitur indicatum: si verò perpendatur aër, vt causa nocens, idest, generans, vel augens morbum, indicabit propriè curatiuè ; vnde correlatiua indicatione intelliguntur, indicantia, & indicata : indicantia morbus, causa morbi, & symptomata, quod habeat vicem causæ : indicata verò, remedia; in quibus perpenditur quadruplex scopus, qualitas scilicet, idest species; quantitas ipsius, modus vtendi talis indicati, siue remedij, & occasio, quæ est opportunum tempus ad operandum.

Circa remedij quantitatem, vel intensionem, non exigua apparet difficultas, cum solum ratione coniecturali possimus metiri gradus intensionis in recessu, idcóque si curatio fiat per contraria, cum difficile sit, quod talia contraria commensurentur æqualia, certius erit, non per intensiora, sed per remissiora, & inferiora morbum profligare : occasio verò, siue opportunum tempus ad operandum, semper desumitur ex præsentia indicantis, & absentia impedientis : nam cum morbus valeat sua tempora immutare, etsi vnus sit morbus in specie, atque vna ipsius causa, tamen diuersificatur occasio, vtendi remedijs ; nam quibus possumus vti in principio, frustratur occasio in statu, quia datu

impedien

impediens; vt Hippoc. *in principiis morborum, ſi quid tibi videtur mouendum moue, in ſtatu melius eſt quieſcere*: modus etiam operandi, in temedictum applicatione, ideſt, vtrum ſubito ſit calefaciendum, vel euacuandum; vtrum verò ſenſim, & paulatim, vel qua forma remedium applicandum, an ſolida? An liquida? An extrinſecus? An intrinſecus? An huic parti, vel alteri, non eſt exiguæ vtilitatis, ſed valde Medicum expeditum, expoſtulat.

Vt tamen non confuſas, ſed ordinatas, & methodicas indicationes eligamus, diſtinguendum maximè erit, vtrum morbus ſit ſimplex, & vnus? Cauſa illius vnica in ſpecie, vel duplex? pars aff ꝺta ſimiliter, vt ſuprà, ſit per eſſentiam, vel per conſenſum, vt iudicemus, quid habeat ad rationem morbi, quid ad rationem cauſæ; quale ſit ſymptoma, & qualis ſit pars, quæ primariò afficitur, vel ſecundariò, vt merito ſciamus, quid ante quid ſit curandum, quid cum quo, & quid poſt quod; nam morbo habenti rationem cauſæ, vtpotè vrgentiori, eſt priùs ſuccurrendum, altero aff ctu non neglecto, & aliquando maximè ob ito.

Ex prædictis vtiliſſimum, & clariſſimum iuuitat nos exemplum adducendum, vt in quocumque morbo, quacumque occaſione, qualibet in conſultatione, poſſit Medicus, neque ſcrupulum ad decernendam curationem omittere: ſit igitur exemplum in morbo laterali, ideſt dolore pleuritico complicato, ſiue coniuncto, cum febre maligna; ibi enim, quod priùs ſe offert ante oculos, eſt quodam ſymptoma, nempè dolor, difficultas reſpirandi, aliquando delirium, aliquando affectus ſoporoſus, aliquando ſudores frigidi, quæ omnia, etſi primo nobis occurrant, non tamen per ſe indicant, ſed potiùs morbus à quo dependent: quare, primo peritus Medicus debet inueſtigare intimè morbi naturam; nam cognitio morbi, ſeptimo methodi eum Galeni eſt inuentio remedij; quare in præſenti affectu, nempè pleuritide, priùs ſciendum eſt, quod tria ſunt præter naturam, ſcilicet morbus, cauſa morbi, & ſymptoma: Nunc ſic, inquirendum eſt in præſenti; vtrum talis affectus ſit morbus, vel cauſa, vel ſymptoma. Si eſt morbus, inueſtigandum venit, in quo genere, & in qua ſpecie ſit talis morbus; ſi in genere eſt morbus organicus, in qua ſpecie ſit, vtrum in formatione, numero, magnitudine, vel compoſitione; in formatione vtrum in figura, cauitate, vel meatu, aſperitate, vel leuitate; in numero adaucto, vel deminuto, veluti in magnitudine: in compoſitione, vt ſi ſit morbus in connexu, vel in ſitu.

Si hæc tamen omnia non appareant, non quieſcet animus Medici cum inueſtigare debeat; vtrum ſit iſte morbus, partium ſimilarium, & ſi talis ſit, vtrum ſit in intemperie ſimplici, vel compoſita; an ſit cum affluxu humoris, vel dependente à materia? An verò nuda intemperies, & iſta in qua ſpecie; vtrum calida, vel frigida, & ſi hæc neutiquam reperiatur, adhuc mens Medici, non quieſcet, donec de nouo inquirat, vtrum iſte morbus ſit communis, nempè ſoluta vnitas, & iſta vtrum ſimplex, vel complicata cum alio, nempè aliqua inflammatione; ex quibus cum in genere morborum, & in ſpecie ſuprema, interjecta, & infima nihil valeat reperiri præter dicta, merito cognoſcet Medicus, qualis iſtorum ſit, qui corpora afficit, & cum ex ipſo ſequantur ſymptoma, in diuerſo genere, videlicet in actione læſa, in affectu corporis, & his, quæ vtraque conſequuntur, neceſſarium erit inquirere; vtrum tale ſymptoma ſit in actione læſa, & iſta vtrum aboli a? Vtrum diminuta, vel deprauata: Tum & etiam, hæ actiones à quibus principiis læſis oriantur; vtrum naturali, vitali, vel animali; vt actio læſa animalis eluceſcit in paralyſi, vitalis læſa in pulſu inæquali, veluti naturalis in leucophlegmatia, ſiue hydrope vniuerſali.

Quibus enucleatis, facilè de natura, & ſpecie cuiuſcumque morbi quilibet Medicus ſufficienter, veritatem ſigillabit, & præcipue, ſi vt ſupra dixi, magnitudinem illius, motum, morem, cauſas procatharticas, antecedentes, ideſt internas, coniunctas, partem affectam, tam mandantem, quam mandatam, tam primario affectam, quam per conſenſum, tam per ſympathiam, & ſimilitudinem ſubſtantiæ, quam per dependentiam vnius ab alia, debitum ordinem ſeruabit; & præcipuè, ſi morbus materialis extiterit; nam cum dependeat ab humore, ipſe veꝛum indicans, ſecundum receſſus quos obtineat, vere indicabit.

Cum igitur omnes humores recedant ab ſtatu naturali, aut quia quantitate, vel quia qualitate, vel quia lege mixtionis peccant; ideò ex hoc triplici fonte receſſus, plurima in humoribus vitia ſunt conſideranda, vt plurimæ indicationes, & indicata exurgant ab ipſis, tanquam à cauſa materiali morbi; quare, vel humor peccat quantitate; quia multus, & ſic iam datur, prima indicatio à cauſa, ſcilicet euacuatio: nam morbos, quos parit repletio curat inanitio, vel humor peccat, in motu, ex quo naſcitur ſecunda indicatio; videlicet reuulſio: nam humorum fluentium medela eſt reuulſio, vel humor peccat qualitate manifeſta, vt calore, ex quo naſcitur tertia indicatio, vt attemperatio per frigiditatem, vel etiam talis humor peccat qualitate occulta, ex quo etiam naſcitur quarta indicatio, videlicet exhibendi remedia alexipharmaca, vt contraria à tota ſubſtantia.

Similiter humor recedit ab ſtatu naturali in modo ſubſtantiæ, videlicet in craſſitie, & tenuitate, ex quo etiam naſcitur, quinta indicatio; videlicet, ſi extremè fuerit tenuis, ipſum incraſſandi, & ſi extremè craſſus eum attenuandi, vel tandem huiuſmodi humor recedit ab ſpecie naturali, vt cum ſit cacochymus, ex quo vltima conſurgit indicatio; nempè purgatio ſelectiua talis humoris, qui cum cacochymus ſit, ineptus eſt ad partium nutritionem.

Proclamat iam dolor pleuriticus ſuperiùs aſſignatus, vt ad illius curationem deueniamus: quare priùs fatendum eſt, quod eſt quid præter naturam, ſicque continetur in aliquo prædicamento ex dictis; ideóque dicimus, quod in dolore pleurico ſunt conſideranda: primum, quod dolor, vt dolor eſt, formaliter eſt in prædicamento ſymptomatis, videlicet in actione læſa deprauata facultatis ſenſificæ, quæ quidem actio læſa cum dependeat à morbo, explicandus eſt morbus,

morbus, quem sequitur, vt intemperies calida, vel solutio continui; quare talis dolor pleuriticus poterit sequi tres differentias morbi; scilicet morbum communem, vt est soluta vnitas, morbum partium similarium, vt est intemperies, non nuda, sed cum affluxu humoris: tum & etiam morbum organicum, siquidem pleuritis est inflammatio membranæ succingentis costas; & ideò pars est eleuata cum tumore, vt constituat morbum in magnitudine adaucta.

Sed quis dicet huiusmodi morbum non esse magnum, tum ratione essentiæ, tum ratione præstantiæ partis, tum ratione vehementiæ symptomatum, tum ratione cacoëthiæ, idest, malignitatis, præcipuè si coniunctus fuerit cum febre maligna, vt supra diximus? Quis etiam dubitabit de motu huius morbi, cùm sit morbus acutus; & ideò 4. *aphor.* Hipp. dixit: *Quicunque pleuritici decimo quarto die, si non supra purgantur empiematici fiunt*; idest propter transmissionem materiæ purulentæ, tum ad pulmones, tum ad cauitatem thoracis: sed de more huius morbi, quis somniabit, dubiolum. Cum vt dixi fere semper malignitatem sibi induat, quæ ex differentiis sputi, superiùs dicti, cuilibet detegetur.

Sed de causis, non consumendum tempus, cum quilibet Tyrones sciant posse fieri à fluxione cuiuslibet humoris, siue sanguinis, siue biliosi, & à reliquis permixtis cum sanguine; De parte affecta, quid clariùs, quam ipsa definitio, siquidem est inflammatio membranæ subcingentis costas: ista quidem afficitur per essentiam, & partim per consensum; per essentiam ratione fluxionis factæ; per consensum ratione futuri, & imminentis fluxus ab aliis partibus mandantibus, vt à suppressione mẽstruali, vel ab hæmorroïdibus suppressis, sed quid de prognosi, siue de euentu huius morbi; nam cùm sit morbus acutus, incerta erit prædictio; nam acutorum morborum difficiles, aut incertæ sunt prædictiones, vt Hipp. Hanc tamen per differentias laudabilis, aut lethalis sputi, valebit vnusquisque discernere prognosim cuiuscumque pleuritidis.

Quia igitur pleuritis adducitur complicata cum febre maligna, conciliandæ sunt indicationes ex natura horum morborum, tam simplices, quam compositæ; vtrum sint concordes, vel discordes; vtrum similes, vel contrariæ, vt eodem tempore valeat Medicus occurrere curationi febris malignæ, & pleuritidis: Cum igitur in qualibet regulari curatione, quod est prius in intentione, sit posterius in executione, eo quod vnamquamque causam priùs abscindere oportet; deinde deueniendum est ad dyscrasiam, ob hanc rationem febris, cum materialis sit, veluti pleuritis, non potest auferri citra ablationem causæ materialis morbificæ; quare veluti in febre putrida perpendimus causam materialem, vt multam, ita in pleuritide; & ideò datur indicans euacuationis per sanguinis missionem, quia cum scopi sanguinis missionis sint morbus magnus dependens à multitudine, tum vniuersali, tum particulari, vel à motu humoris impetuoso consentientibus viribus; ideò propter multitudinem in febre putrida, & dolore pleuritico, datur indicatio euacuationis per sanguinis missionem. Præterea hoc indicatum adimplet alium scopum reuulsionis, tum in febre, tum in pleuritide; nam veluti in febre datur fluxio à partibus mandantibus, robustioribus ad partem mandatam debilem, scilicet ad focum; ita pariter in pleuritide datur fluxio à termino à quo, ad terminum ad quem; scilicet, ad pleuram, quapropter æqualis occurrit indicatio reuellendi, non solum sanguinis missione, verum etiam frictionibus, cucurbitulis, ligaturis, & aliis, nempè vesicatoriis.

Nec minus in febre putrida, veluti in pleuritide, est contemperandus recessus in qualitate manifesta; & ideo temperanda est materia qualitate contraria, ad quam intemperiem solet humor sequi, vel valde tenuis, vel valde crassus, vt incrassandi, vel attenuandi indicatio oriatur; sicque cum tandem humor propter putredinem, tum in febre, tum in pleuritide maligna, deperdat naturalem formam, & qualitatem deleteriam: tum & etiam cacochymiam sibi induat, merito similis indicatio dabitur à malignitate, ad alexipharmaca, à cacochymia verò ad purgationem: en quomodo omnes indicationes, tum in febre, tum etiam in pleuritide possunt esse similes, & concordes, & ablata causa antecedenti materiali per euacuationem, reuulsionem, deriuationem, attemperationem, incrassationem, & attenuationem, expulsionem qualitatis veneficæ, & tandem purgationem, possimus ad partem affectam deuenire; nam cum in pleuritide sit, quid fiens, nempè fluxio actualis, vel imminens, & sit quid factum; scilicet, iam fluxum, & receptum in parte, merito à causa contenta in parte inflammata, scilicet in pleura, dantur aliæ peculiares indicationes: non enim valebit tumor, siue inflammatio curari, nisi talis materia aliquam terminationem obtineat, prima enim terminatio, & perfectior, vt in quolibet tumore est euacuatio insensibilis per resolutionem, paulatim tamen est, non subito facta; potius enim diceretur retrocessus materiæ, quam euacuatio, vt Hippoc. *Quibus in vlceribus magni tumores subito delitescunt malum.*

Ex quibus patet, quod ista non est vera resolutio, sed potiùs intermissio, quia subita est mutatio: secunda verò terminatio, quæ potest dari in inflammatione pleuritidis, est euacuatio sensibilis causæ materialis per resudationem; & ideò experimur talem humorem resudantem ex pleura ad pulmones, euacuari postea per sputum, vt decimo quarto die fiat supra expurgatio: tertia terminatio dictæ inflammationis est suppuratio materię cõtentæ in tunica ex qua resultat ruptio talis suppurationis, & tãdem vomica: quarta terminatio est scyrrhus, dum pars tenuior resoluitur remanente crassiori, & terrestriori: quinta verò, & vltima miserrima est gangrena, siue mortificatio partis, ex quibus terminationibus, prima ita est laudabilis, vt desumatur debita indicatio iuuandi opus naturæ per resolutionem mediis linimentis, & medicamentis resoluentibus: secunda verò terminatio per resudationem, ita est collaudanda, vt nobis proponat indicationem remediorum expectorantium, vt sunt medicamenta attenuantia, & incidentia excrementa

menta exiſtentis in pulmonibus, veluti ſunt ſy-ſupi, qui lambendo ſumuntur ;(Hiſpano ſermone, *lamedores*) quarta verò terminatio, quæ eſt ſuppuratio, non exiguum habet periculum, ſiquidem facta ruptione, materia contenta in cauitate abſceſſus, præter affectum tabeſicum, plurimos alios producit.

Sed iam eſt tempus, vt per breuiſſimam diſpoſitionem epilogum conſultandi conſtituamus: indicatio igitur deſumitur à rei natura, iſta eſt duplex, vna rerum naturalium, quæ ſui conſeruationem indicant ; alia eſt rerum præter naturam, vt morbus, cauſa, & ſymptoma ; quæ ſui ablationem expoſtulant, iſta maximè debet Medicus cognoſcere ; deinde partem affectam, iſta ab actione læſa, à dolore, à ſitu, ab excretis, & qualitatibus mutatis ; an per eſſentiam lædatur, ad quod tria ſigna, videlicet, permanentia mali in parte, quod non dependeat ab alio per influxum, & quod propriis accidentibus cognoſcatur ; contraria verò ſigna læſionem per conſenſum oſtendunt ; in natura morbi, ſpeciem, magnitudinem, motum, & morem, ideſt, malignitatem, vel benignitatem debemus contemplari, quæ ſuprà late, quoad cauſam potiſſimum efficientem, non materialem, non formalem, nec finalem alloquendum in morbis ; efficiens, tum procatbattica, tum antecedens, tum coniuncta, & qua ratione operetur ; an potentia, vel actu, an per ſe, vel per accidens, perpendenda eſt, vtrum huiuſmodi cauſæ dependeant vnæ ab aliis, ita vt ſemper deueniamus ad cauſam, & originem cauſæ.

Cognito affectu, parte affecta, & cauſa, prognoſis occurrit ; an morbus ſalutaris, lethalis, vel dubius ſit : ſigna prognoſtica ex duplici fonte ſumuntur, ab ſpecie morbi, differentiis, motu, magnitudine, & more. Secundò à natura ægrotantis, iſta conſideratur in qualitate mutata, actionibus læſis, & excrementis ; qualitas continet colorem, calorem, figuram, & molem ægrotantis ; an naturalia, an ſimilia ſint ſtatui naturali, vel è contra ; in actionibus læſis, in animalibus motiua, & ſenſitiua, in vitalibus, pulſatilis, in naturalibus, coctiones, quæ ſumuntur ab excrementis, vt ſunt vrina, deiectiones, vomitus, ſputum, & ſudores.

Quibus prælibatis, indicatio curatiua triplex, à natura, à morbo, & ambiente ; ab ambiente, quando habet vicem cauſæ, à natura, quia metuimur ab ea lapſum, à morbo, quia indicat ſui ablationem iſte, vel ſimplex, vel compoſitus, ſiue complicatus, vel materialis, vel immaterialis, ex compoſito morbo naſcitur ordo, quid ante quid, quid cum quo, & quid poſt quod : nam ſemper morbo vrgentiori eſt ſuccurrendum, ex ſimplici immateriali indicatio ſimplex per contraria: ex materiali omnes indicationes, quæ contrariantur vitio cauſæ materialis, in quanto, vel in quali, manifeſto, vel occulto, in motu deprauato per reuulſionem, in cacochymia per purgationem : tandem ſumitur indicatio roborandi partem affectam, vt ablata priùs materia, dyſcraſia, ſiue intemperies contracta partis auferatur, ne de nouo recipiat, ita vt artificioſa, & methodica curatio, in quolibet remedio applicando, ſemper adimpleat neceſſarios quattuor ſcopos, videlicet quantitatem remedij, qualitatem illius, ideſt ſpeciem, ſiue differentiam ; modum vtendi in forma ſolida, vel liquida ; occaſionem hoc eſt opportunum tempus ad operandum. Et hęc de epilogo, ad ad majorem Dei gloriam Virginiſque Mariæ.

FINIS.



ELENCHVS
RERVM NOTABILIVM.

A



C

D

E

F

Febris

FINIS.